image
not
available






XIII
F
2
BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XIII
F
2
NAPOLI

CÆLUM EMPYREUM,

Non vanis & fictis Constellationum monstris belluatum:

SED

DIVUM DOMUS, DOMINI JESU CHRISTI, EJUSQUE ILLIBATÆ VIRGINIS MATRIS MARIÆ, SANCTORUM APOSTOLORUM, MARTYRUM, CONFESSORUM, VIRGINUM:

NEC NON

SACRARUM RELIGIONUM, PATRIARCHARUM, Aliorumque Tutelarium, præclaris factis, ac raris virtutibus, velut tot lucidissimis stellis in perpetuas æternitates micantibus, SPLENDIDE ILLUSTRATUM.

OMNIBUS VERBI DEI ECCLESIASTIS, AD HONESTOS Mores, & divinos amores Auditorum animis inserendos, MORALI DOCTRINA, SACRA AC PROFANA HISTORIA LUCUBRATUM

Per R. P.

HENRICUM ENGELGRAVE,
SOCIETATIS JESU THEOLOGUM.

PARS SECUNDA.





COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Viduam IOANNIS BUSÆI, Bibliopolæ sub Monocerote.
ANNO M. DC. LXX.
Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis speciali, & Catholici Regis Hispaniarum.



AMPLISSIMIS AC NOBILISSIMIS
DOMINIS
CONSULIBUS,
ET
SENATORIBUS
FRANCONATIBUS.



Lteram Cæli Empyrei partem in lucem emissurus, haud sanè diu inquirendum putavi, Amplissimi ac Nobilissimi Domini, quibus eam viris dedicarem; dubitare me non sivit beneficentia vestra, & grata adversus eam memoria meritorum, quibus Societatem hanc nostram, & me præcipuo quodam nomine tenetis obstrictum : ut si is essem, qui debeo, non potuerim observantiam erga vos meam publicè testatam facere, & officii debitum saltèm ex parte persolvere agnoscendo. Accedebat quod mea ipsius intererat, non alios quàm vos, patrocinii causâ adire; quid enim? egone ignorare possem vertendum mihi dedecori, si imperfecti operis auctor & dicerer, & essem; meritò enim hoc nomine laborarem, si alteram operis mei partem materiâ, ac scribendi genere alteri germanam, mirèque consentientem, patrocinio ac inscriptione disjungerem? quid quod iniquum videri poterat, alteram benefico & salutari Nobilitatum vestrarum sidere foveri & illustrari, destitui alteram. Et veniebat in mentem solis lumine utrumque orbis hemisphærium, alterum quidem altero citius, collustrari tamen ex æquo; ita utramque operis mei partem, dignitatis, ac beneficentiæ vestræ luce perfundi debere ac recreari. Fuerit igitur primam vobis partem inscribere officii mei & observantiæ; secundam consecrare, erit etiam justitiæ & æquitatis. Ut deferrem primam publico Societatis nostræ nomine impellebar; ut secundam etiam, privato; ut enim ex me obligarer, effecistis jam pridem, cum lucubrationem meam non modò admissione aspectuque, quod beneficii erat singularis; sed curâ & favore, etiam complexi estis. Facit benignitas illa vestra, ut confidam, hoc quod adfero, iterum vobis; & quia vobis, aliis quoque probandum esse, vestroque nomine insignitum, recreatum benevolentiâ, patrocinio munitum, latius diffundendum; nusquam quidem perveniet, quo nominis vestri fama non præcesserit; sic tamen ab illius splendore lucem accipiet, simul ut dignitatis vestræ jubar Lectorum oculis proponat, gratamque mentibus memoriam exsuscitet. Quodsi & animorum commodo servierit, erit quod gratuler labori meo, cujus me pœnitebit nunquam, dum ei fructus, quod unum semper egi maximè, ex vestro voto responderet: eo consilio liber hic à me ad vos venit; vos spectat; vos pro me alloquitur; & inter vos locum aliquem flagitat; ubi enim deget securius, quàm in curia vestra bonarum artium domicilio, virtutumque omnium sacrario? quam quidem ego ut distinctum sideribus cælum intueor; ubi Astrea cæli filia primam sedem obtinet; causis præest; consulta moderatur; juris & æqui momenta omnia expendit & dirigit; quæ ut à vobis colitur, ita à latere vestro discedit nunquam, & sanctum aliquid & amabile vestris inspirat mentibus. Ubi non unus facundi nepos Athlantis Mercurius, sed plurimi scintillant; quorum eloquium literatorum ordo suspicit meritò & observat; quorum afflatu juventuti literariæ incalescunt animi, beneficoque influxu curæ jucundæ sunt ac faciles; est curia vestra, quod falsò de cælo atque sideribus Stoici jactaverunt, magnâ mente animata, quæ maximis curis ac negotiis par populos quos regit, tuetur & amat; singuli Senatores, cælestibus orbibus affixos ignes imitantur, quorum perpetuum stabilemque vigorem, quo se in corpora insinuant, non incitatissimæ fatigant conversiones; de quorum benefica luce nihil vicissitudines rerum, temporumque injuriæ detexunt. Salve curia nulli nòn amabilis & salutaris; ex tuis ego foribus hoc Cælum meum Empyreum lætus suspendo. Divûm domus est, nomen dulce ac mentibus hominum jucundum, & ut opto utile atq; fructiferum; in cælum (ita mihi vobisque ab illo prospera eveniant omnia) in cælum vos, lectoresque omnes manu ducere exoptem: & verò quis eo toto animo non feratur? quis dum cælestem patriam nominari audit, exilii sui tædia illius boni spe non solatur ac sustinet? quis inter hujus vitæ miserias positus, non liquidissimas alterius voluptates, quia usu, fructuque non licet, votis ac cogitatione præsumit? an non omnis rationis expers meritò censendus, quisquis ille fuerit, qui horti sui delicias cæli gaudiis prætulerit, adeò, ut dementissimus vocibus Deo exprobraverit moriens, ejus se cælum desiderasse numquam, quid esset cur hortum sibi invideret. Sanior multò, & potior apud me fuit Empedoclis præclara vox dignissima, cui etiam Christiani aures & animum diligenter advertant; is cur viveret rogatus, respondit ut

cælum aspiciams quod si in solo aspectu tantum sit voluptatis, quid de fruitione par est existimari? Curiosissimus ille siderum cælorumque speculator Tycho Brahe, ducenta aureorum millia conficiendis instrumentis alendisque operis insumpsisse scribitur, ut lucidissimos cælignes tanto ab humanis oculis intervallo distantes, quasi ex propinquo contemplari posset & admirari. Si his impendiis aliud nihil vit ille spectavit, præter curiosam scientiam, & inde profecturam per orbem terram sui æstimationem, toto (ut ajunt) cælo erraverit; si verò in stellatum obitumque cælestium rimatione id egerit, ut altissimis illis convexis insistens animo, magnum illud terum inane despiceret, vicinumque suspiciens Empyreum cælis omnibus formosius, numen sibi repræsentaret cognoscendum clarius, & amandum ardentius, tem egerit profectò laudatissimam, dignamque, quæ non modò ad ejus artis æmulos, sed homines omnes imitatione transeat: quam si exercitio vobis familiarem feceritis, NN. DD. erit, quod unicuique vestrûm veriùs, quàm olim Ovidius primis siderum cælorumque observatoribus felicitatem gratuler, dicamque:

Lib. 1. Fast.

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primùm,
Inque domos superas scandere cura fuit.

Quòd si teste Tullio, nihil possit videri magnum in rebus humanis, cui cælorum nota sit magnitudo, quanto illum ei videbuntur humana omnia, qui non cælum & sidera, sed eorum conditorem, in oculis geret & amoribus, is profectò longè infra se posita despiciet, quæ vulgus ignarum speciosis nominibus, & umbris ludicrarum adeò suspicit. Si in Cælo Empyreo semper serenum est, si amœna, si blanda, si festiva illic sint omnia; si rerum vicissitudines, fortunæ conversiones ac temporum, orbi huic nostro deesse nunquam voluit Deus; quin eluctamur aliquando ex hisce tenebris & caligine, & altiùs sideribus evecti, inexhaustum lucis fontem Deum, Divosque Cælites speculamur animo, neque otiosâ contemplatione, sed imitatione celebramus. Hos ego veluti fulgentissimas stellas à Deo affixas cælo, intueor eo consilio, ut velut accensæ faces ad viam nobis commonstrandam præluceant; quorum virtutes, indeque enata gloria, si eo modo, quo sidera sub aspectum caderent, spectaculum nobis præberent ipso cælo formosius: Hic non una Virgo, sed innumeræ fulgent, hic Ursula suis cincta comitibus, quaqua versum diffundit radios: hic Deiparens & Virgo velut inter minores ignes luna, Divos omnes exsuperat amabile sidus, & quàm lucidum tam beneficum, quàm potens tam propitium: hic Divorum triumphales copiæ pulchrè laureatæ nos exstimulant ad certamina, invitant ad coronas; quarum desiderium ut omnium animis exsuscitarem, Divûm domum referavi, ac velut quidam militarium ordinum inspector, Sanctorum recensui non numerum, sed virtutes. Sed ut apertè, quod vos spectat, proferam, habet cælestis curia quamplurimos, quos consulari, quos senatoria dignitate repræsentatis, benefica semper ac salutaria sidera, in quorum speculatione oculatissimos observatores, Argos vos omnes, imò cælum fieri cum Platone exoptem, ut pluribus oculis insatiabili eorum splendore animum expleatis. Illic suspiciendi veniunt Boëthii, Symmachi, Hermetes, Flaviani, Palmatii, Gallicani, Damasceni, illustrissimi sanctitate viri, qui munus illud, quod à consulendo majores nostri appellarunt, obierunt integerrimè, qui dum in vivis erant, non tam fascium ac satellitum præsidio, quàm civium amore, ac virtutum choro stipabantur; ad quos olim miserorum oculi, nunc toto ex orbe populorum vota confluunt. Sunt in illa curia nobilissimi Senatores, & vitæ probitate spectabiles Apollonii, Pudentes, Lucii, Victoriani, Venustiani, Astern, quorum nomine, ac præclaris factis urbium ac regionum fasti ad hoc repleti sunt, ut pulcherrimam virtutum faciem Lectorum oculis animisque imprimant; illic videre est Jurisperitos quamplurimos Philogonios, Theophilos, Ambrosios, Chrysostomos, Sulpicios, Severos, Germanos, qui nullo rerum, hominumque affectu ab æquo bonoque abducti, gloriosiùs duxerunt post mortem justitiam ac probitatem suam, quàm adepta fortunæ bona, honorisque titulos laudari. Longior sim, si caussarum Parronos Ivones, Elzearios, cæterosque commemorem, qui amplissimam vobis nobilissimamque legarunt hæreditatem, clientelam miserorum; quam cùm jam pridem cum dignitate adieritis, est quòd auguer eorum vos aucturos numerum aliquando, quorum exempla sectamini. Hos ego omnes vehementer valdèque ex animo precor, ut in cælesti curia apud Deum efficiant, ut numquam in curia Franconatensi desint vigilantissimi Consules, doctissimi Senatores, integerrimi Judices, ac Juris omnis periti juxta atque amantes, qui cum genetis ac morum nobilitate, & commendatione virtutum, nominis sui famam transferant ad posteros.

NN. VV. DD.

Infimus Servus

HENRICUS ENGELGRAVE, S. J.

OPERI

OPERI ET AUCTORI.

CUr aliquis tacito radiantia sidera cælo
  Spectat, & Arcturum, Pleïadasque notas?
Et modò Tyndaridos fratres, modò plaustra Bootæ
  Quærit, & ingenio subjicit astra suo?
Ah! malè, qui studiis his ducitur, errat, & idem
  Qui trepidas stellas, hunc quoque motus agit.
Stoa sagax Tyrüque, & gens antiqua Canopi,
  Et quoscunque duces cultaMathesis habet.
Quid toties noctem, toties cum nocte laborem
  Perdere, nil studio perficiente juvat?
Dicite, cum cælo tot lucida sidera surgunt,
  Ex illis cælo, pars quota digna fuit.
Arcturus, pluviæque Hyades, geminique Triones
  Quæque regit dubias Pantæasis Ursa rates,
Et Maja, & Steropes, quid sunt, nisi probra Deorum?
  Illa tamen cælos, à Jove rapta tenent.
Cur nitet è multis Aries? quia perdidit Hellen;
  Cur Virgo, propriâ concidit usa manu?
Ille, vides? rutilis aperit qui cornibus annum
  Portitor Europæ per freta vasta fuit.
Hei mihi, quàm multos transcripsit Juppiter astris,
  Inferni tenebris qui metuêre tegi.
Tu quoque, quæ stella es Pellex Ariadna fuisti,
  Cum tibi Dircæâ Zona soluta manu est,
Sit radiis quamvis illustris, adultera certa est,
  Et rapti cælum dona pudoris habet;
Denique fulserunt toties nova sidera terris,
  Allensa est quoties nupta probrosa Jovi.
Adde, quòd intulerint secum sua crimina, quæque
  His patuit sceleri, sit quoque facta via.
Quæ fuit in vivis, remanet post fata libido,
  Qui fuit in terris, sidera scandit amor.
Nec minus est raptor, quia stella est Pleïade natus,
  Nec minus est scortum, quàm fuit ante Venus.
Jupiter idcircò vetitos non frænat amores,
  Quòd premat imperio signa minora suo.
Nec minus infestus Mars est, nec mitior Ursa,
  Quòd niteant medio conspicienda polo.
Quin adeò in vitium, Superos juvat ista potestas,
  Quâque jubent homines vivere, lege carent.
Credimus hæc? & adhuc miseros obscœna morantur
  Lumina, nec studiis altiùs ire lubet?
Cur non *Empyrei* quisquam notat ætheris ignes,
  Divorumque choris addita signa canit?
Fallimur, est etiam curis qui duret in illis,
  Atque sui famam nominis, inde trahat.
Huc artes, *Henrice* tuas, pulchrosque labores,
  Dignaque fœcundo pectore, scripta refers,
Non tu, quid Mavors, quid sit Cythereïus ignes
  Quos habitent cælos, Lunaque Solque doces.
Non tua, quo Phœbus, sapientia clauditur orbe,
  Non tua, quo phœbe tramite cura volat.
Altiùs hinc, trans & cælos & sidera cæli
  Te rapit, & Superûm suadet inire domos.
Hic ubi Sol alter spectatur, & altera luna,
  Quæque suum deceant sidera clara polum.
Sidera sunt Divi, luna est *Jessæa Virgo*,
  Sol JESUS, cælum, regia cella Dei.
Hanc tu metiris radiis melioribus, hæc est
  Materies curæ, dignaque parque tuæ.

Tale nihil Veteres, Veterum monumenta revolve,
Tale nihil Babylon, totaque Stoa docet.
Illa quidem novit, quæ prosit stella carinis,
Quas Helice ducat, quas Cynosura rates.
At, duce te, meliora nitent mortalibus astra,
Quæ vitæ cursus, velaque cara regant.
Hoc faciunt, quotquot memorat tua pagina *Divos*,
Ah quantum placidi si detis instar habent!
Sideris officium est lucem dare, respice *Sanctos*,
Sanctorum meritis tota coruscat humus.
Quin etiam numerum stellarum & nomina reddit,
quæ nitet æthereo turba recepta polo.
Non illis Hyades, non desunt sidera Ledæ,
quæque ferat siccos innuba Virgo dies.
S. Dominicus. Ah quantam Icariis urit magis ignibus, ille
Qui tenuit cives urbs *Calegora*, tuos.
Afsit ab his flammis genitrix præsaga futuri,
Cùm gravidus sacro pondere venter erat.
Nam sibi fatidici visa est sub imagine somni,
Flammiferum pleno reddere ventre *canem*.
Neve minus dubitet num sit cælestis, in ore
Nascentis pueri *lucida stella* sedet.
At vos belligeræ juvenilia robora pubis,
Mars quibus & Martis stella cruenta placet;
Mittite sectarii crudelia numinis arma,
quem nisi quæ stillant sanguine nulla juvant.
Blandior hesperia, fulsit regione Gradivus,
qui bellum, & pugnas, sed sine clade, gerit.
S. Ignatius. Utque scias, quantos animorum suscitet *ignes*,
Inspice, quod præfert nomen, *ab igne venit*.
Hoc, age bellator, pugna sub sidere, vinces,
Seu tibi, seu vitiis bella movere pares.
Tu quoque, qui nimium Zephyris pelagoque furenti
Credis, & incertas navita findas aquas,
Ah nihil est Helicen coluisse & Mænalis Ursam;
Non facit ad cursus illa, vel illa tuos.
S. Ursula. Altera, si nescis, summo micat *Ursula* cœlo
Certior ambiguæ stella futura rati.
S. Catharina. quæris & albenti quæ sit *via lactea* tractu,
En Catharis niveo sanguine signat iter.
quid Geticam toties citharam gens credula Vatum,
quid *Berenicea* Virginis astra canis?
En Geticâ melior *citharâ* super urbe refulsit,
S. Cæcilia. Cæcilidis casto pollice tacta chelis.
S. Magdalena. Et *Bereniceos* vincit fulgoribus *ignes*,
quæ de *Magdaleo* vertice tonsa coma est.
S. Lucas. Vis & Reginam volucrum, vis sicca *Leonis*
Sidera, & igniferi, colla videre Bovis?
En age, fulgentis *tauri* nova cornua *Lucas*
S. Marcus. Exerit, & *Marcus signa Leonis habet*.
S. Ioannes. Cælestemque *aquilam* nisu meliore *Ioannes*
Vincit, & in puro puriùs axe nitet.
quid referam gelidas Arctos, quid Orionis ensem,
S. Isidorus. *Plaustráque* cum Domino sidera facta suo?
His quoque luminibus *Divûm* chorus ardet; & inter
Cæsareas animas, rustica plaustra micant.
Nonne vides cælos *Isidorus* vectus aratro
Scandit, & ad Superos vomere sulcat iter;
Attrituque suo dudum splendentia rastra,
Pulchriùs ætheriâ sede nitere facit.
S. Hubertus. Nec minus *Hubertus* sidus venantibus aprum,
Per juga, per montes sternit ad astra viam.

Dum

Dum penetrat silvas, dum cervis retia tendit,
Dum sequitur, subito dextra timore cadit:
Hærentémque Deum, media inter cornua cervi
Aspicit, & prædæ, præda fit ipse suæ.
Ex illo Superis junctus, pulsaque Diana
Venantum studiis stella benigna favet.
Cætera quid memorem? Cancrum, Chelasque minaces,
Pleïadas tristes, mistaque membra Dei.
Et quæ præterea Superis adscripta leguntur,
Omnia Divorum sidera cœtus habet.
O pia, præ reliquis, describere sidera felix:
Hoc age, Diva tuum turba secundat opus.
Nam quas te cathedras, quæ non ad pulpita ducit?
Pascitur ingenió Belgica tota tuo.
Sive canis sacris annalibus eruta gesta,
Et quo sit *sancto* quæque notata dies:
Seu vitia accusas, monituque incessis amaro,
Sive doces leges, justitiamque sequi;
Est tibi credibilis sermo, sententia clara,
Verbaque sunt chartis candidiora suis.
Hæc legat injustus, sceleratas corriget artes,
Hæc legat impurus, turpis abibit amor.
Te duce vesanos sedare superbia fastus,
Te duce damnatas spernere discet opes.
Denique quisquis erit, qui docta volumina volvet,
In melius mores instruet inde suos.
Hinc tua trans pelagum, trans alpes scripta leguntur,
Et rapitur calamo Roma, favetque tuo.
Ipse Pater Socios, qui nunc moderatur JESU,
O felix tanto judice! laudat opus.
Non ego nunc hederas properem, non laurea serta,
Sint licèt hæc studiis debita serta tuis.
Dum ramos tibi sponte suos prætendit *Oliva*,
Non aliâ voveam cingere fronde caput.
O faveat cælum tibi, cui cælestia signa,
Divorúmque fuit gesta notare labor.
Utque alios laudas, sic tu lauderis, & olim
Astrorum repleas post tua fata choros.
Hoc operæ pretium vigilatorumque laborum
Conferat emerito turba beata seni.
Augor eveniet, laudatáque sidera cæli
Obtinuisse, tui meta laboris erit.

Accinebat W. D. H. S. J.

AD

AD LECTOREM.



Ibri, liberi sunt, & mentis fœtus, animique partus. Adi, & audi

Juvenal. sat. 13.

Egregium, sanctúmque virum.

Clem. Alexand. lib. 1. Strom. Iob. cap. 3. Iob. c. 10. Beyerlinck. Theat. lit. P.

Clementem illum Alexandrinum: *Filii quidem corporum; animæ autem liberi sunt scripta.* Quod divinus Plato vel in tenebris vidit: *Libros liberis tantò chariores esse oportere, quantò filii mentis præstant filiis ventris.* Nec minorem illi, in partu, doloris partem sibi vendicant: complures enim oppressi, antequam expressi; *qui concepti non viderunt lucem.* Damnati antequam nati, & quasi *de utero translati ad tumulum.* Alii vixdum in lucem editi, theonino dente, leonino ungue miserè distracti, fœdè discerpti, à prælo velut prælium exorsi, pro sepia, sanguine maduere; prælum quippe à prælio dictum volunt, quod hic, ut credo, invidorum linguis, non secus ac in acie, hostium gladiis, non sudor dumtaxat, sed & cruor exprimatur. Ut parum sit in torcularibus libros torqueri, premi, tundi, findi, velut umbilico præscindi, vinculis ut fasciis constringi, nisi longè graviùs ab æmulis, à sciolis, à zoilis vapularent. Unde scriptor Venetus, vir literatissimus liberè concludit: *Dici ergò potest, non est liber nisi labor, non est penna, nisi pœna, non est calamus nisi calamitas:* additque non minùs appositè, libris id nomen non injuria inditum, quòd multum librentur: librantur ab Auctoribus, à Censoribus, ab Impressoribus, à Bibliopolis, ab emptoribus, potissimùm à criticis, & tetricis lectoribus. Libros hi librant, imò cribrant, & si quid furfuris est, in auras, in aures spargunt, optimâ similagine sub modio suppressâ; parum memores illius, quod Lyricus monet:

Lauredanus silva rerum memor. in præfat.

Horat. de arte Poet.

Verùm ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.

Quid? quòd eò temeritatis procedunt, ut ipsis stellis firmamenti tenebras offundere, in lucidissimo Solis vultu, maculas notare, appingere, affingere non vereantur. Expertus id Hieronymus, lumen illud, & columen Ecclesiæ, qui tetrâ fuligine aspersus, amarè quæritur, dum olim dixit, & fatum duxit, fœtum omnem ingenii opprimendum, aut æmulorum telis configendum; sic enim ad Nepotianum disserit: *Aut nihil scribendum fuit, aut scribentes nosse cunctorum adversum nos maledicorum esse tela detorquenda;* de quibus dum S. Clementem Alexandrinum, D. Hippolytum Martyrem, Tertullianum, Eusebium Cæsariensem, (quales viros!) non leviter perstrictos enarravit, subjungit: *Certè si tanti, & tam eruditi viri, fastidiosis lectoribus displicent, quid mihi facturi erant, qui pro tenuitate ingenioli, invidorum morsibus pateo?* tum stylo in ipsos obtrectatores converso, eorum tela vel hoc solo elidit, ac eludit, quòd ejusmodi farinæ homines, zoilos illos, sciolosque, plerumque cerebro vacuos, vento plenos, inquietos, garrulos, scitè depingat. Unum eorum ex umbra in solem, è latibulo in publicum produxit: *Nescio, quem de trivio, de plateis, circumforaneum, rumigerulum, vafrum tantùm* (cætera stolidum) *ad detrahendum, qui per trabem oculi sui, festucam alterius nitatur eruere, Ausus concionari adversum me, & libros, quos fecit ipsi, canino dente rodere, lacerare, convellere.* Hominem vocat sine præceptore, minimè studiosum, per imperitorum circulos, muliercularumq; symposia vagantem, ut fidem hujus tabulæ elevet, qui gravissimi, sanctissimique Doctoris lucubrationes carpere non erubuit: *Non est grande,* inquit, *mi Domnion, garrire per angulos, & medicorum tabernas, ac de mundo ferre sententiam: hic benè dixit, ille malè: ille Scripturas novit, ille delirat; ille loquax, ille infantissimus est; ut de omnibus judicet, cujus hoc judicio meruit:* Tum, ne totus putrescat, sale illum probè perfricat, omnemque vitam in visitandis mulierculis, & viduis adolescentulis impudenter traductam exponit. Alium verò rodentem sua super Danielem scripta, scorpium rectè nomine compellat, plenum veneno mortifero, præsagiens in suo pure moriturũ: *Audi scorpium, mutum animal, & venenatum, super sponsione quondam Commentarioli mei in Danielem Prophetam, nescio quid mussitare, imò ferire conari, in suo pure moriturum.*

Epist. 2. ad Nepot. sub finem.

S. Hieron. in proœm. lib. 11. in Isaiam.

S. Hieron. epist. 51. ad Domnionem.

Citat.

S. Hieron. in proœm. lib. 10. in Isaiam. Lanuza in proœm.

Hanc sugillandi, cavillandique parrhesiam, non unus Hieronymus, sed & plerique veteres, & complures recentiores, doctissimi Scriptores, desertissimi Oratores testantur, ac detestantur; qui nisi inoffenso pede molossos ejusmodi allatrantes, generosi in morem caballi, despexissent, scientiæ thesauros sub terra defodissent, nec sæculum suum tot stellis, quot libris collustrassent, quibus ut à partu perdifficili, filius doloris, parenti prædilectus, & è Benoni Benjaminus redditur, ita & Scriptorum quisque, ubi fœtum suum mamilla Regum lactari, cunis velut argenteis foveri; non minio, sed purpurâ tegi, non fasciis, sed fascibus protegi animadvertit, *jam non meminit pressuræ.* Ubi volumina sua per omnium ora volitare, per literatorum manus vagari, & pervulgari gratissimâ famâ acceperit, *jam non meminit pressuræ*, illudque æmulis, qui vident, & invident, præfidenter ingerit:

Ioan. 6.

Martial. lib. 14. epig. 194

Sunt quidam qui me dicunt non esse Poëtam,
Non esse Historicum, Interpretem, Oratorem, Concionatorem;
Sed qui me vendit, bibliopola putat.

Nec jam amplius Zoili dentes, Momi oculos, Mastigophori manus perhorrescens, nulla Sedulii verba obtrudit: *Proferant sua, si qui carpere nituntur aliena. Promptius est judicare, quàm facere & de Castrensi munimine, pericula securo vultu conspicere.* Aut strictim illud Martialis:

In Biblio. thec. PP. lib. 418.

Carpere

Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

Sed parum hoc, scriptis sæculum illustrasse, per ora hominum volitasse, ad ultimam Thulen famam penetrasse: at si animos inflammasse, si errantes in viam revocasse, si ab immani illo inferorum præcipitio servasse, si vel unicam lethalem noxam cum magno Patriarcha nostro *Ignatio*, omni studio, labore, sudore, solertia illuminasse, imò retardasse compertus sit, is omnem operam, ac operam laudabiliter contulerit, chartis noctu, diuque utiliter impallueri, omnia tædia, fastidia, lucubrationes salubriter devorarit, æmulorum denique cavillos, & pasquillos jure meritissimo riserit; ubi enimverò tale operæ pretium reportarit, *jam non meminit pressura.* Non aliò spectat omne studium nostrum, nec aliud pretium exspectat hoc levidense opus nostrum. Quapropter id ego candidè sine fuco profestor, & ut testanti, tu Lector, fidem adhibeas, obtestor, quod de se fassus est *Christianus ille Cicero* (hoc nomine D. Hieron. compellat Lactantium) qui sic ait: *Si vita optanda est sapienti, profectò nullam ob causam vivere optaverim, quàm ut aliquid efficiam, quod vita dignum sit, & quod utilitatem legentibus, etsi non ad eloquentiam, quia tenuis in nobis facundia rivus est, ad vivendum tamen afferat quod est maximè necessarium. Quo profectò satis me vixisse arbitrabor, & officiū hominis implesse, si labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos ad iter cæleste direxerit.* Bractearam illam porrò eloquentiam, & pelvi fulgorem, aliis relinquo; ampullas non fundo, locos Rhetoricos non tracto, numeros Oratorios non sector, denique ut præfatus sum, Conciones non inscribo, nec partes Tullianas aut Tertullianas mihi sumo: *alii meros flores loquantur, alii folia,* & inutiles racemos diffundant, tu mi Lector, si fructum legeris, optimam partem elegeris. Mysterio non caret, quod supremus Legifer Deuteronomii 16. cavit: *Non plantabis lucum, & omnem arborem juxta altare;* quæ magnus Gregorius in præfatione operis sui, perappositè adducit: *Quæso autem ut hujus operis dicta percurrens, in his* VERBORUM FOLIA NON REQUIRAS: *quia per sacra eloquia, ab eorum tractationibus infructuosa loquacitatis levitas studiosè compescitur dum in templo Dei, nemus plantari prohibetur.* Ecqui porrò ex frondibus, & floribus fructus pœnitentiæ, qui fructus bonorum operum, ac virtutum spectandi, aut sperandi sunt? Hic sensus Divo Ennodio fuit, quem amico exponit: *Pulchra sunt quæ scribis; sed ego amo plus fortia: redimita sunt floribus, sed poma plus diligo.* Ego, mi Lector, & *nova, & vetera servavi tibi*: invenies è veteris & novi Testamenti tabulis: è priscis & recentioribus historiis: è moribus antiquis & modernis, è paupere ingenioli mei penu deprompta; sed elephantino partu decem annorum lucubrata, lustratis in quavis materia supra 50. è primis Provinciæ Bibliothecis, lectis Auctoribus, *ut non opinionis propria conjecturas sed divinorum librorum sequar auctoritatem.* Quæ si compilasse videar, audi ocellum Belgii Justum Lipsium: ut Phrygiones è varii coloris filo, unum aliquod aulæum formant, sic Scriptores è mille aliquot particulis, cohærens opus. Alteram non minus aptam similitudinem inducit: "*Necaranearum sanè textus ideò melior, quia ex se fila gignunt: nec noster vilior, quia ex aliis libamus, ut apes.*" Fastidioso sæculo vivimus, unde quod olim Augustinus suo, id enimverò quàm maximè hoc nostro nauseabundo sæculo locum habet, quo *propter fastidium plurimorum, etiam ipsa sine quibus vivi non potest, alimenta condienda sunt.* Tum ut palato varietas sapit, *communia non communiter dicenda,* & librorum non secus ac ciborum varietas delectat: quare, inquit, *expedit plures libros à pluribus fieri, diverso stylo non tamen diversa fide, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios verò sic,* ut non ineruditus Poëta sensit, ac sapuit, dum dixit:

dulcis mistura bonorum,
Et semper varium, plus micat artis opus.

Itaque, ut concludam, candidissime Lector: *Si in tabernaculo Dei, unusquisque offert quod potest, alii aurum, & argentum, & lapides pretiosos: nobiscum bene agitur, si obtulerimus pelles caprarum, & pilos,* qui, ut audio, apud eos etiam in pretio sunt, qui columbino oculo, agnino pectore, olorinis plumis, nostra gratanter excepêre; quòd cùm & de te, mi Lector confidam.

Quod spiro, & placeo, si placeo, tuum est

Mart. l. 1. epig. 92. ad Lelium.
Ioan. 16.
Hieron. lib. 2. instit. cap 2. Lactant. lib. de opificio Dei, cap. 20. ad lect. part. 1.
August. lib. 4. de doctrina Christian.
S. Greg. in præfat. ad lib moral. in Iob. c. 5.
D. Ennodius lib. 2. epist. 10. ad Ioannem.
Bernard. serm. 1. de omnibus Sanctis.
Lipsius lib. 1. politic. in prologo.
August. lib. de catechiz. rudib.
Idem Tract. in Evang. in proem § 4
Idem lib. 1 de Trinit. cap. 3.
Cornel. Gallus.
Hieron. lib. 2. contra Ruffin.
Et Tom. 2. in prolog. super Gen.
Horat. carm. lib. 4. Ode 3. in fine.

FACVLTAS
R. P. PROVINCIALIS
Provinciæ Flandro-Belgicæ Societatis Jesu

EGo infrascriptus Societatis Jesu per Flandro-Belgicam Præpositus Provincialis, potestate mihi ad hoc factâ à Patre nostro JOANNE PAULO OLIVA ejusdem Societatis Præposito Generali, concedo Viduæ & Hæredibus JOANNIS BUSÆI Typographi Coloniensis facultatem imprimendi librum, cui titulus: *secunda Pars* CÆLI EMPYREI *in festa & gesta Sanctorum*, compositum à PATRE HENRICO ENGELGRAVE Societatis nostræ sacerdote, & à tribus ejusdem Societatis Theologis ad id deputatis examinatum. In quorum fidem hasce manu propriâ subscriptas, consueto officii mei sigillo muniendas curavi. Mechliniæ 13. Febr. 1669.

(L. S.)

Thomas Dekens.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM,
ET FACULTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS
Jesu inferioris Rheni.

EGo infrascriptus Societatis IESV per inferioris Rheni Provinciam præpositus Provincialis, juxta privilegium eidem Societati concessum, quo Typographis omnibus ac Bibliopolis prohibetur, ne libros ab ejusdem Societatis hominibus compositos, absque superiorum permissione imprimant, concedo Viduæ & Hæredibus JOANNIS BUSÆI *Typographi Coloniensis, facultatem imprimendi librum, cui titulus: Secunda pars CAELI EMPYREI in festa Sanctorum, compositum à Patre* HENRICO ENGELGRAVE *Societatis nostræ Sacerdote, legitimeque censum ac probatum, iisdemque jus Cæsarei Privilegii Societati nostræ concessi eatenus indulgeo, ut ipsis invitis nemo librum hunc recudere, nemo intra sacri Romani Imperii fines & hæreditarias Sacræ Cæsareæ Majestatis Provincias importare, aut venum exponere audeat. In cujus rei fidem has literas manu meâ subscriptas & officii mei sigillo munitas dedi Coloniæ XV. Martii, Anno M. DC. LXX.*

(L. S.)

Matthias Merrhem.

APPROBATIONES.

SEcunda Pars Operis (cui titulus est: COELVM EMPYREUM) lucubrati per Adm. R. P. HENRICUM ENGELGRAVE Societatis JESU Theologum, nihil continet contra fidei Catholicæ puritatem, aut morum probitatem: quin potius propositis Sanctorum exemplis Christi fideles excitare & inflammare potest ad proficiendum in fide, & virtutibus, & spretâ felicitate terrenâ appetendum COELUM EMPYREUM: hinc non minus quàm Primam, dignam censeo, quæ in lucem prodeat. Coloniæ in Conventu S. P. Augustini, Anno Domini 1670. die 10. Februarii.

Fr. JOANNES SCHWEITZER Ord. Erem.
S. P. Augustini SS. Theol. Doctor. & Professor,
Conventus Coloniensis Prior.

SEcundam hanc partem CAELI EMPYREI (compositam ab Adm. Reverendo Patre HENRICO ENGELGRAVE *Societatis* JESU *sacerdote & Theologo) perlegi, in quâ cùm nihil occurrerit, quod fidei Catholicæ, aut bonis moribus adversetur, quin potius rectam viam demonstret, ad ipsum CAELVM EMPYREVM perveniendi, ut manibus Viatorum ad illud tendentium teri possit, dignam censeo. Coloniæ ad S. Augustinum* 14. *Februarii* 1670.

Fr. JOANNES GUILIELMUS à LUTZENRAEDT
Ord. Erem. S. P. Augustini SS. Theol. in Universitate Coloniensi Doctor.

CENSURA

CENSVRA ORDINARII.

NOn sine insigni lecturorum utilitate & fructu luce donabitur publica, Pars altera Cœli Empyrei in festa Sanctorum, ab Adm. Rdo. P. HENRICO ENGELGRAVE Societatis JESU Theologo composita, atque à diversis SS. Theologiæ Doctoribus ac Professoribus lecta & commendata. Typis itaque evulgari poterit; ita censeo Coloniæ Agrippinæ. 16. Martii 1670.

JOANNES FRANCKEN SIERSTORPFF
Metrop. Eccl. Colon. Canon. Capit. Librorum
Censor Ordinarius m. p.

PRIVILEGIVM CAESAREVM.



EOPOLDVS Divina favente clementia electus Romanorum IMPERATOR semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, &c. Rex. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & VVirtembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cùm nobis Joannes Busæus, *civis & Bibliopola Coloniensis humillimè remonstrarit, quem in modum* CAELUM EMPYREUM, *sive Conciones in omnia gesta & festa Sanctorum in totum annum,* R. P. HENRICI ENGELGRAVE *Societatis* JESU, *obtentâ ad id, ab ejusdem Societatis Provincialis Frandro-Belgicæ, Patre* ÆGIDIO VAN DER BECKE *licentiâ, typo excudere constituerit; vereatur autem, ne (quod fieri assolet) mox alii etiam typographi idem opus in non levem sumptuum, reique suæ domesticæ jacturam imitentur, distrahant, atque venundent, proindeque demississimè nobis supplicarit, ut hac in parte Privilegio nostro Cæsareo impressoria indemnitati suæ clementissimè consulere dignaremur: Nos æquis id genus precibus benignè annuentes, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis, aliisque quibuscumque rem & negotiationem librariam exercentibus seriò, ac districtè inhibuerimus & vetuerimus: prout præsentium vigore inhibemus & vetamus, ne quis eorum prædictorum, Patris* HENRICI ENGELGRAVE *Concionum opus per sex annorum spacium, à prima editionis die camputandum, intra Sacri Romani Imperii, Regnorúmque & Provinciarum nostrarum hæreditariarum fines, simili aut alio quovis modo, typo vel forma, sive in toto, sive in parte recudendum dare, vel etiam alibi impressum vendere; vel distrahere, clam aut palam, citra voluntatem, & absque ipsius* JOANNIS BUSÆI, *hæredúmve ejus in scriptis obtenta licentiâ præsumat. Si quis verò secus faciendo Privilegium, & Interdictum hoc nostrum Cæsareum spernere, negligere, aut ausu temerario transgredi præsumpserit; eum non modo hujusmodi libris perperam quippe recusis, & adductis, (quos quidem prædictus* BUSÆUS *ubicunque deprehensos, sive propria anthoritate, sive Magistratus loci auxilio sibi vendicare poterit,) de facto privandum, sed & pœna insuper sex marcarum auri puri Fisco Nostro Cæsareo, pro dimidia, & injuriam passi usibus pro altera dimidia parte applicanda, omni spe veniæ sublata decernimus mulctandum: dummodo tamen ejusdem Operis, quaterna ad minimum exemplaria ad Cancellariam Nostram Imperialem Aulicam transmittantur, hujúsque Privilegii Nostri tenor pro publica aliorum notitia eidem præimprimatur. Mandamus ergo universis Nostris, & Sacri Imperii, Regnorúmq; & Provinciarum Nostrarum Hæreditariarum subditis, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ existant, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus, præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti, vel proprio, vel Superiorum suorum nomine & loca, juris & justitiæ administrationem exercent, ne quemquam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum impunè transgredi, aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, quos compererint, præscripta pœna plecti, aliisque modis idoneis coërceri curent: quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint. Harum testimonio litterarum, manu Nostra subscriptarum, & sigillo Nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur in civitate Nostra Vienna, die vigesima septima Novembris, Anno Domini millesimo, sexcentesimo, sexagesimo sexto; Regnorum Nostrorum, Romani nono, Hungarici duodecimo, Bohemici verò undecimo.*

LEOPOLDUS m. p.

(L. S.)

Ut
Waldericus Baro de Walderdorff
V. Cancellarius m. p.

Ad mandatum Sac. Cæsar. Majestatis proprium
J. Walderode m. p.

SUMMA

SVMMA PRIVILEGII
REGIS HISPANIARUM.

CAroli II. Hispaniarum, Indiarum, &c. Regis Catholici, & Belgarum Principis Potentissimi diplomate sancitum est, ne quis librum Inscriptum, CÆLUM EMPYREUM IN FESTA ET GESTA SANCTORUM, ET IN PATRIARCHAS ORDINIS, &c, duobus voluminibus comprehensum, per *R. Patrem* HENRICUM ENGELGRAVE, Societatis Jesu Theologum conscriptum, præter JOANNIS BUSÆI Civis & Bibliopolæ Coloniensis VIDUÆ, ejusque HÆREDUM voluntatem intra novem ab hinc annos, ullomodo imprimat, sive in toto sive in parte, aut alibi impressum adducere, vendere & distrahere, clam seu palam in hasce inferioris Germaniæ Regiones, præter consensum prædicti *Ioannis Busæi* VIDUÆ, ejusque HÆREDUM præsumat; qui secus faxit, confiscatione librorum, atque pro quolibet exemplari 35. florenis Brabanticis pro prima vice solvendis, aliisque gravibus pœnis mulctabitur, ut latius patet in litteris datis Bruxellis 10. Martii, Anni M. DC. LXX.

L.S.

Loyens.

PROTESTATIO AVTHORIS.

CVm S.D.N. VRBANVS PAPA VIII. die 13. *Martii* 1625. *Decretum ediderit, idemque confirmaverit die* 5. *Iulii* 1634. *quo inhibuit imprimi libros hominum, qui sanctitatis seu martyrii famâ celebres è vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia tamquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine cognitione atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata.*

Idem autem Sanctissimus die 5. *Iunii* 1641. *ita explicuerit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; benè tamen ea, quæ cadunt super mores & opinionem, cum protestatione quod nulla eis adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes authorem.*

Huic decreto ejusque confirmationi & declarationi, observantiâ ac reverentiâ, quâ par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu, quidquid in hoc Cælo Empyreo refero, accipere, & accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humanâ dumtaxat authoritate, non autem divina, Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut S. Sedis Apostolicæ nituntur: iis tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

FESTUM

FESTUM VISITATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ. 2 Iulii.

Abiit in montana CUM FESTINATIONE. Luc. 1. ℣. 40.



Illam fert impetus ipse volantem. Virg. 5. Æneid.

ARGUMENTUM.

DUm virgo Deo gravida, ſed non gravata, aſpirante ſancti Spiritûs favonio, *cum feſtinatione* in montana contendit, oratio etiam feſtinet, neceſſe eſt; ne ſi diutiùs hæreat in exordio, illa priùs abſolverit itineris curriculum, quàm ego orationis initium. Itaque ſine cunctatione, nullâ captatâ benevolentiâ, nec populosâ attentione, eja alacriter gradiamur gradum, ut præeuntem inſequamur, properantem cum feſtinatione aſſequamur; quod fiet, ſi aureum illud Sapientis monitum quiſque veſtrûm exequatur: *In omnibus operibus tuis* ESTO VELOX. Magna quidem & mira in quibuſdam eluxit naturæ velocitas, tam eorum, qui in ſtadio curſu, quàm quadrigis contenderunt. At illa, qua animus, ſancti ſpiritûs impulſu, qui *neſcit tarda molimina*, fertur, omnes velociſſimos curſores, & dromedarios, infinitis paraſangis antevertit; Primò, reciſis omnibus retinaculis, *feſtinanter* navim è fluctibus ſæculi, in portum ſalutis deducendo, ac Deo vocanti, *ſtatim* obtemperando. Secundò, ſuggeſtioni malignæ *cum feſtinatione* reſiſtendo. Tertiò, ſi quis in ſtadio lapſus ſit, *non tardet converti ad Dominum.* Denique, ſi operibus miſericordiæ & juſtitiæ, omni celeritate ſatagat velocitatem temporis æquare, ut citò cum Chriſto valeat regnare. Eccli. 31. Ambr. lib. 2. in Luc. c. 1.

§. I. *In omnibus operibus tuis* ESTO VELOX. Eccli. 31. ℣. 27.

§. II. *Ne dicas amico tuo: vade, & revertere: cras dabo tibi, cùm* STATIM *poſſis dare.* Prov. 3. ℣. 28.

§. III. *Si quid aliquem defraudaris,* NON TARDABIS REDDERE. Deuteron. 23.

FESTUM
VISITATIONIS BEATISSIMÆ
VIRGINIS MARIÆ.

Abiit in montana **CUM FESTINATIONE. Luc. I. ℣. 40.**

Maria festinat.



Ultis ad hodiernam concionem præfari non finit Virgo Maria, *cum festinatione* in montana contendens, cognatam Elizabeth salutatura. Quam *cum festinatione* si non assequi, saltem consequi nitamur, Auditores, animadversuri, quid nos hac tantâ festinatione edoctos velit magistra nostra. *Maria*, inquit Ambrosius, *religiosa pro officio*, FESTINA *præ gaudio, in montana perrexit: quò enim jam Deo plena, nisi ad superiora* CUM FESTINATIONE *contenderet? Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Nec lentè peregrinari permissum est matri, quæ gigantem ferebat exultantem ad currendam viam. Ibat *cum festinatione*, quò rapiebat uteri virginei pondus, in suâ gravitate summè leve, portantem portans. Videtur mihi sanè hodiernâ die cælestis Pater, Unigenitum suum humanâ carne recens indutum, his verbis urisse: *Fili mi, discurre*, FESTINA, *suscita amicum tuum.* Ac si diceret: Visita, Fili, futurum tuum amicum Joannem, idque festinanter, ut citò à peccati originalis morte, ad vitam gratiæ revocetur. Certè, Christus, tanquam Patri obsequentissimus, festinavit continuò, salutaris tuæ gratiæ medicinam, ad mortis infirmitatem sanandam, illi exhibere, de qua Salomon dixit: *Medicina omnium* IN FESTINATIONE *nebula.* Festinante enim Mariâ (quæ per nebulam, Solem justitiæ humanâ carne operientem, significatur) festinante, inquam, Mariâ, quâ Filius Dei ferebatur, festinavit & ipse, ut Joannem, nosque omnes à diaboli faucibus eriperet. Et quid ni acceleraret, cui ad stupendam velocitatem à velocitate nomen imposuit Pater: *Voca nomen ejus* ACCELERA, *spolia detrahere*, FESTINA PRÆDARI. Hoc est, à miserâ servitute animas eripere propera. Unde scite Interpres illud Isaiæ exponit: *Tu puer, ô Christe, eris celerrimus prædator*; qui instar sagittæ electæ tartareum serpentem confecit. Atque hanc festinationis causam Origenes allegat, dicens: FESTINABAT *adhuc in ventre matris, Joannem positum sanctificare.* Quàm verò Redemptor noster nomen suum ACCELERA adimplêrit, præclaris SS. Patrum testimoniis contestatum reperio; etenim ubi vulgata nostra legit: *Ascensor cæli auxiliator tuus*, versio Santis Pagnini habet: *Equitans cælos in auxilium tui*; ut ex admiranda cælorum velocitate conjicias, quàm celeriter ad nobis succurrendum accurrerit, qui cælis velut equis insidet; imò velut pennis advolârit, quod Malachias insinuavit: *Et sanitas in pennis ejus*, non dixit, *in pedibus*, licèt alioquin pedibus suis Christus in terris graderetur, ad permultos sanandos, & vitæ restituendos, quomodo processit in domum Centurionis, Lazari, &c. nec dixit *in manibus suis*, licèt per manûs impositionem non semel infirmos ad pristinam sanitatem revocaverit; sed consultò dixit: *Sanitas in pennis ejus*, ut quantum alarum remigium, manuum & pedum motu, velociùs esse perhibetur, tantò magis velocitatem nobis opitulandi exprimeret. Sed fortè dices, quomodo citò venit, quomodo cucurrit, quomodo volavit, qui tot millia annorum, usque ad mundi vesperam distulit adventum suum? ubi observandum occurrit, quòd in beneficiis præstandis, sit duplex celeritas, una voluntatis, altera ipsius effectus. Prior celerrima fuit in Deo, qui ut primùm Adam peccavit, summum hoc redemptionis beneficium conferre voluit, & promisit serpentis contritionem; quod autem effectum spectat, citissimè dat, qui opportuno tempore dat; & quamvis tardare videatur, verè non tardat, si, quando utiliùs futurum est, id conferat. Nam sat citò, si sat benè, & opportunè. Unde illud Prophetæ de Messia vaticinium, quòd moretur, & non tardet: *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Id est, si juxta tuum desiderium videatur tibi remorari, expecta eum, veniens veniet, id est, celeriter veniet, & non tardabit, quia convenientissimo tempore, & mundi necessitati maximè opportuno adveniet. Tardare enim dicitur non qui citò non venit, sed qui non venit tempore statuto, & opportuno. Christus autem non distulit ultra tempus statutum, & ab æternâ sapientiâ præfinitum; sed tunc celerrimè advolavit. Sic ægrotantibus, inquit Nyssenus, non illicò pharmacum præbendum est, sed tempore à medico præscripto & opportuno, quo adveniente, oportet citò, sine ulteriori dilatione medicinam adhibere. Festinantem itaque amore nostri, in festinante Maria, Christum vidimus, nunc quemadmodum festinantem utrumque sequi nos cum festinatione conveniat, dispiciamus.

Lib. 2. in Luc. c. 1.

Quomodo Filius Dei festinarit.

Prov. 6.

Eccl. 41.

Isa. 8.

Cornel.

Orig. hom. 7. in Luc.

Deut. 33.

Malach. c. 4.

De Aquæd. & in Cant. lib. 5. exhort. 4. §. 2.

Abacuc. 2. 3.

V. S. Thom. 3. part. q. 1. art. 5.

***

§. I. In

§. I.

In omnibus operibus tuis ESTO VELOX. Eccl. 31. ℣. 27.

Exemplo B. Virginis omnibus festinandũ. Psal. 17. August. in Psal. 17.

POtiori jure, quàm olim Psaltes Regius, poterat *Maria* intonare illud: *Perfecit pedes meos* TANQUAM CERVORUM, *& super excelsa statuens me.* Quæ ad mores sic exponit Augustinus: *Deus perfecit amorem meum, ad transcendenda spinosa, & umbrosa implicamenta hujus sæculi, & super cælestem habitationem fixit sedem meam.* Quæ quàm aptè Virgini Matri quadrent, omnibus manifestum est. Cùm nec molestum quinque dierum iter, nec tenera complexio, nec montium asperitas illam ab opere charitatis retardarit, ut olim Lothum dicentem: *Non possum ascendere in montem, ne fortè apprehendat me malum.* Quàm Virgini dissimiles passim non puellæ dumtaxat, sed & adolescentes, & viri, qui à cursu mandatorum Dei, à semitâ perfectionis decurrendâ retardantur, nescio quo puerili timore & pavore panico, virtutes ut larvas, ut leones aversati, illud in ore & animo versantes: *Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.* Nullum virtutum genus illis esse videtur, quod non leoninam ferocitatem præ se ferat. Jejunia exhorrescunt, ut saluti noxia; ex vigiliis præsens capiti detrimentum, ex eleemosynis egestatem; ex remissione injuriarum, labem nomini inurendam reformidant; quæ omnia adeo aliena sunt ab illâ leoninâ immanitate, quam illis inesse falsò sibi persuadent, ut, sicut olim *Samson* in ore leonis mellis favum, sic illi in virtutum exercitiis, dulcissimos divinæ consolationis favos reperturi sint. Eja igitur, virtutum exercitiis incumbite; imò, quisquis rectè facta aggrederis, in iis, de consilio Sapientis, VELOX ESTO. In iis *Mariæ* festinationem imitare. Hæc velocitas, non facilè dicere est, quantum operibus ornamenti, & momenti adjiciat. Unde idem alibi: *Vidisti* VIRUM VELOCEM *in opere suo? coram Regibus stabit;* quo significat, aulicos gratissimos principibus, ex omnibus esse solere, qui velocitatẽ exequendis Dominorum mandatis adhibent; nec minùs apud Deum, Principum Regem, loci est & gratiæ. Talem hominem velocem vidit in opere suo potentissimus Rex David, Asaëlẽ, inquam, quem inter tres suos triarios, & fortissimos heroas recensuit 2 Reg. 2. *quia* VELOCISSIMUS *fuit,* QUASI UNUS DE CAPREIS, *qua morantur in silvis.* Consimili velocitate complures servi Dei sese omninò mirandos, & verè *Angelos veloces* præbuerunt; & meritò. Quis in opere charitatis, in peregrinis excipiendis, promptam Abrahami festinationem, ac velocitatem penoâ assequatur? Apparuerunt illi tres viri, quos cùm vix minùs conspexisset, continuò absque ullâ morâ accurrit, imò volat veluti aquila ad prædam, ait Chrysostomus: CURRIT, ET VOLAT ABRAHAM: *Vidit enim prædam, quam venabatur. Non vocavit famulos; quasi diceret, magna negotiatio est, magnus thesaurus; per memetipsum hanc mercem auferre debeo.* Similitudinem ducit ab aquila, quæ prædam, aut cane, qui leporem pernicitate summâ insequitur. Postquam autem eos in ædes suas induxit, properat ipse, festinat uxor; accelerant omnes, ut lassos reficiant: FESTINAVIT *Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque,* ACCELERA; *tria sata similæ commisce, & fac subcinericeos panes. Ipse verò ad armentum* CUCURRIT, *& tulit* inde vitulum tenerrimum optimũ, deditque puero, *qui* FESTINAVIT, *& coxit.* Hanc miram, & inauditam magni Abrahæ festinationem, & domesticorum accelerationem celebrans Origenes, ait: *Abraham* CURRIT, *uxor* FESTINAT, *puer* ACCELERAT, *nullus piger est in domo sapientis.* Magni Abrahami æmulus, se quoque virum velocem præbuit Tobias, *qui vidit unum ex filiis Israël jugulatum jacere in plateâ;* STATIMQUE *exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus, tollensque illud, portavit ad domum suam.* Saltem contra injuriam aëris, aut fœtorem cadaveris, pauxillùm sumere potuisset. At ille nihil, statim exiliens, jejunus, nec famulorum operâ usus, in humeros sublatum cadaver ad sepeliendum defert, non ignarus velocitatem, non leve ad operis præstantiam, pondus addituram. Nam ut D. Ambrosius: *Non satis est rectè facere, nisi etiam* MATURARE *quod facias: uberiores fructus habet* CELERATA DEVOTIO. Perpendit S. Bernardus Zachæi festinationem, ut voci Domini obtemperaret, eumque hospitio exciperet, additque fructum, quem retulit celerata devotio: *Vide,* inquit, *Dominum* FESTINANTER *præcipientem, & hominem* FESTINANTER *obedientem. Zachæe,* inquit, FESTINANS *descende, quia hodie in domo tuâ oportet me manere.* Et FESTINANTER *descendit, & excepit eum gaudens. Animadvertisti, quia &* FESTINANTER *descenderit, & gaudenter exceperit? Audisti obedientiam, audi & obedientiæ remunerationem: quia salus domui huic facta est.* Si ad nutum Patrisfamilias festinanter liberi advolent; famuli, ancillæ, festinanter exequantur quod jubentur; si in religiosâ familiâ subditi ad nutum Superioris festinanter advolent, & voluntatem non aliter ac ipsius Dei, gaudentes excipiant, verè dici poterit, quia *salus huic domui facta est.* Hunc fructum acceleratæ devotionis jam olim Psaltes regius ambierat, non contentus in viâ mandatorum Dei ambulare, cum iis quos deprædicat: *Beati, qui* AMBULANT *in lege tuâ Domine;* nec etiam in eâ currere: *Viam mandatorum tuorum* CUCURRI, *cùm dilatasti cor meum;* sed insuper columbinas pennas ad volandum instanter postulat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ,* ET VOLABO? Quin & velociores volucribus omnibus vidit justos Ezechiel, cùm ostensa illi per manifestam visionem fuêre animalia, quæ *ibant & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis;* fulgure enim quid velocius? Sed & eheu! quid magnâ hominum parte ad virtutem tardiùs, segniusque? Summâ quidem festinatione, summâ velocitate præditi sunt, si dignitates, si munia, si beneficia ecclesiastica, aut sæcularia, morte cujusdam interveniente, aucupentur. Tunc litteræ, scilicet citò, citò, citò, citatis equis destinantur. Sed horum festinationem, & cursum velocem, extra viam, ridet ille, qui piè ac prudenter dixit: *Pro modicâ præbendâ longâ viâ* CURRITUR (Parisios, Madritum, Romam usque)

Margin notes, left column: Gen. 19 v. 19. — Prov. 22. v. 20. [sic] — Prov. 22. v. 29. — Quinam veloces extiterint. 2 Reg. 2. — Chrysost. super cap. 18 Gen.

Margin notes, right column: Orig. tom. 4. in Gen. — Tob. 2. — Ambr. lib. 1. de Cain. cap. 5. — Bern. ser. de virtute obedientiæ — Psal. 118. — Ibid. — Psal. 54. v. 7. — Ezech. c. 1 — Multi festinant ad temporalia.

Thomas à Kemp. de imitat. Christi.

que) *& pro vitâ æternâ vix pes à terrâ levatur.* Si avo, avunculo, propinquo, subitò è vivis sublato, pinguis hæreditas adeunda est, citis quadrigis citiùs advolat hæres anhelus. Hæreditas filiorum Dei, quàm lentis passibus aditur! ad convivia, symposia, choreas, tabernas curritur, volatur. Nempe, *pedes impiorum ad malum* CURRUNT. *Et omnes conversi sunt* AD CURSUM, *quasi equus impetu vadens ad prælium.* Quâ similitudine indicat Propheta, non aliter boni perituri, aut voluptatis fallacis specie oblatâ, eò ferri solutis habenis hominum animos, quàm equum ferocem spatia corripere, ubi ad prælium tubarum clangore accenditur. Adest enimvero & incentor dæmon, animos spontè ad mala veloces, impulsibus suis insuper accendens, & extimulans. Sed neque deest aut custos genius, aut Deus ipse per instinctum boni Spiritus, tardos mortalium animos excitans, ad promptum & velox sui obsequium; tantùm excitantem illum, & *Mariam* ad ardua *cum festinatione* properantem sequamur. Pernicem hujus Virginis velocitatem mirari desinet, qui eam dote velut agilitatis præditam, nec magis *Verbo* gravatam, quàm tædam lumine attenderit. Id lueulenter sensisse mihi visus est S. Fulbertus: *Nulla*, inquit, *fieri gravedo potuit concipienti, nulla tristitia parturienti: cùm esset* GRAVIDA SALUBRI LEVITATE *plaudebat; lumen enim, quod intra se habebat,* PONDUS HABERE NON POTERAT. Unde Deipara sive pedes incederet, sive jumento veheretur, nullum onus præsentiebat, quasi agilitatis dote excelleret, ut apud P. Morales, & Barradium videre est. Maria verbo *Verbum* concepit, & celeri gressu transvolat montana, cùm cæteræ mulieres utero gravidæ, lento passu incedant, gravedine torpeant, facilè defatigentur, fastidio laborent, ut scitè S. Bernardus: *Illud molestissimum tædium, quo reliqua omnes gravida mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosâ voluptate concepit. Unde & in ipso Conceptionis initio, quando potissimùm cæteræ mulieres miserabiliùs affliguntur, Maria* TOTA ALACRITATE *montana conscendit, ut Elizabeth ministraret; sed & ascendit Bethlehem imminente jam partu, portans illud pretiosissimum depositum, portans onus leve,* PORTANS A QUO PORTABATUR. *Maria* VERBUM *portabat, quod* PORTAT *omnia* VERBO *virtutis suæ;* cùm autem intellectus subtiles & ingeniosos conceptus, qui dicuntur verbum mentis, in se concipit, mirâ voluptate exilit, & affectionis gressibus, sive mentis alis, aurâ celerior in excelsa fertur, juxta illud Sapientis: *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia; attingit autem ubique propter munditiam: vapor est enim virtutis Dei.* Hoc igitur celeri, concitoque cursu ostendit Deipara, se *Verbum* utero concepisse, conceptuque nihil sibi gravedinis illud importasse, ac si uterus, mens fuisset. Unde Joannes Major apud Barradam ait: *Parùm, aut nihil oneris Virgo inter ambulandum, in fœtu, ut puto, sentiebat;* AGILITATIS DOTE, *gravitatis pondus fuit ademptum.* Nec hoc satis, nullum pondus sensisse, aut gravidam gravatam fuisse, sed & ab illo, quem portabat, portabatur, & velut alis instructa, per montana volabat. Similitudinem adducit D. Augustinus ab alis volucrum: *Hæc*

Prov. 1. Jerem. 8.

Fulbertus serm. de laudib. Deipara.

Morales in Matth. lib 5 tr. 1. num. 3. Barradas tom 1. concord. lib. 8. c. 14 Bern. serm super Signum magnum.

Hebr. 1.

Sap. 7. v. 24.

Barradas tom. 1. in Evang. c 14.

Velocitas Mariæ.

sarcina, inquit, *non est pondus onerati, sed ala volaturi: habent enim & aves pennarum suarum sarcinas. Portant illas, & portantur. Portant illas in terrâ, portantur ab illis in cælo.* Quin & hoc parum est, pernicitatem Mariæ, aliti comparasse, quin & ipsis divinis illis alatis animalibus adæquanda, quæ *ubi erat* IMPETUS SPIRITUS, *illic gradiebantur*, pernicitate tantâ, ut auras præverterent. Major, ac agilior spiritus agebat Virginem, qui eam totam, velut impetus venti, seu spiritûs vehementis, & vehentis carbasa, impleverat; ut illam non incongruè triumphali illi vehiculo comparare queam, à Principe Auriaco adinvento, cui ab expansis velis, volantis nomen inditum, quo duabus horis Seevetinâ Pettemum, ad 14 milliaria Belgica terrestri itinere pervolavit, ut pessimus hæreticus, non malus Poëta cecinit:

Aug. serm 24 de verbis Apost.

Ezech. 1. v. 12.

Amphitheatrum sapientiæ Socraticæ pag. 669.

Proxima sunt Hagæ, Sevetrinia littora nostra;
Æquoreis dives piscibus ille locus.
Hinc si Pettemum, Zypæque novalia pergas
Quærere, bis septem millia pandit iter:
Millia quæ totidem vix Iphiclus ambulet horis,
Aut Ladas celeri notus ab arte pedum.
Hac curru volitanda fuit via: sedimus omnes:
Ante oculos cælum, littora, pontus erant.
Ut suspensa suis tumuerunt carbasa ventis.
Ut Pharus, ut naves, ut Sceverina perit.
Et velut indignans, quòd non sua pondera vectet,
Nescio quo strepitu murmura aura sonat.
Non aliter mugire solet, cùm mittitur arcu,
Gnossia Sauromata torta sagitta manu.
At simul avecti primas superavimus iras
Flaminis, & certâ cœpimus ire viâ.
Æquoreos inter fremitus, ventosque relictos,
Sensimus in tapidis frigora nulla rotis.
Amissos lepidi frustra quæsivimus austros,
Vela noti celeres, non potuêre sequi.
Orbita vix umbram simulat, nisi littore molli
Si quando celerem tardat arena fugam.
Sic celer avectas quantumlibet ante carinas
Currus, & æquoreas effugiebat aves.

Currus celerrimus describitur.

Hunc impetum currûs volantis obstupuit universa Battavia, qui omnes equos, & dromedarios pernicitate superabat; sed nihil ita velox ut Spiritus ille divinus, ut *Verbum* illud *caro factum*, ut gigas ille, qui Mariam per montana impellebat: *Possunt dici multa velocia*, inquit Augustinus, *quamtumvis auge quod velox est* VERBUM, *& dic velociùs est quàm illud, aut illud, quàm aves, quàm venti, quàm Angeli. Numquid aliquid horum tantum, quantum ipsa velocitas?* Cesset nunc Romana vetustas deprædicare, & Poëtarum linguæ decantare incredibilem *Camillæ* Volschorum Reginæ velocitatem, de quâ sic Vates Mantuanus:

August. in psal. 147. v. 15.

Hæc gressu, *cursuque pedum prævertere ventos,*
Illa vel intacta segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas:
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres neque tangeret æquore plantas.

Virg. lib. 7. Æneid.

Velocitas Camillæ Reginæ.

Quid,

Idem lib. 11.

Quid, quòd *Camilla* pedes equitem præverte-rit:

> *Pernicibus ignea plantis,*
> *Tranſit equum curſu, frenisque adverſa prehenſis*
> *Congreditur, pœnaſque inimico à ſanguine poſcit.*
> *Non ſecus atque olim tonitru cum rupta coruſco,*
> *Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.*

Lib. 1.

Alio ſpiritu plena Virgo agebatur, & impellebatur ad opera charitatis, ut Joannes in utero ſanctificaretur, cognatæ ſuæ imum obſequium, & ſervitium, omni cum humanitate, & humilitate impenderet, & de tartareo tyranno triumpharet. Utinam & nos hoc rapiamur, quos alius ſpiritus nequam, quandoque non in ardua montium, ſed in præcipitia abripit vitiorum. Hugo Cardinalis ad illud Ezechiel. 1. ubi erat impetus ſpiritûs, illic gradiebantur, ſic diſſerit: *Eſt* IMPETUS SPIRITUS, *quo filii Dei aguntur; unde ad Romanos 8. Qui filii Dei ſunt, hi ſpiritu Dei aguntur. Eſt* IMPETUS CARNIS, *quo mali feruntur. Gregorius: Neceſſe eſt, ut magnâ ſemper curâ conſiderare debeamus, in omne quod agimus, quis nos impetus ducat: utrùm noſtra cogitatio per impetum carnis, aut per* IMPETUM SPIRITUS *impellatur. Amare etenim terrena: temporalia æternis præponere: Exteriora non ad uſum neceſſarium habere; ſed ad voluptatem concupiſcentiæ: ultionem de inimico quærere, de æmuli caſu gaudere,* IMPETUS EST CARNIS. *At contra, amare cæleſtia, contemnere terrena; non ad fluxum voluptatis tranſitoriæ, ſed ad uſum neceſſitatis quærere: de inimici morte tribulari,* IMPETUS EST SPIRITUS.

HugoCar. in cap. 1. Ezech. v. 12.

Ardua hæc, fateor, & montana ſunt, quæ tamen filii Dei, qui aguntur ſpiritu Dei, quo Virgo in montana aſcendit, facilè tranſvolabunt. Sed cœptum, & Virginem Mariam feſtinantem, pro pede, pennâ proſequamur. Doctor Seraphicus feſtinandi cauſam, charitatem, ſeu amorem aligerum allegat, dicens: *Maria autem charitatem proximi habebat in corde, & propter hoc exurgens abiit in montana* CUM FESTINATIONE *ad obſequium: quid enim eam ad officium charitatis* FESTINARE COGEBAT, *niſi charitas, quæ in ejus corde fervebat?* Ac tandem hoc pulcherrimum, & ſaluberrimum monitum, pro aculeo ſubjungit: *Væ ergo tardis, ad opera charitatis;* væ tardis, ut ſaturent famelicum, ut potent ſitibundum, ut induant nudum, &c. væ tardis, ut ignoſcant inimicis, ut ſuccurrant periclitantibus, potiſſimùm in morte animæ: væ tardis, ut vocanti Deo obtemperent, ut in ſtadio hujus vitæ, viam mandatorum Dei percurrant. Feſtinare nos doceant gentiles, & filii hujus ſæculi, qui celerrimè currunt, ut coronam corruptibilem, res fluxas & caducas accipiant; nos autem ſegnes, & tardi, ut incorruptam, & æternam in cælis. Qui in Hippodromo, in ludis Circenſibus, Olympiacis, curſu, aut curruli certamine, citatis equis olim contendebant, pernicitate auras ſuperaſſe traduntur.

Bonav. in Spec. 4.

Virg. 3. Georg.

> *Nonne vides cum præcipiti certamine campum*
> *Corripuêre, ruuntque effuſi carcere currus?*
> *Volat vi fervidus axis,*

Idem lib. 5. Æneid.

> *Primus abit, longèque ante omnia corpora Niſus*
> *Emicat, & ventis, & fulminis ocior alis.*

Huic ſe certamini, non crapulæ, & temulentiæ intenti ſaburrabant, ſed temperantiâ, ineditâ, labore, & exercitatione aptabant, ut palmam fragilem, & gloriam inanem ex plauſu populi reportarent. Sic etenim Horatius:

Celeritas curſu, qui olim curſu contendebant.

Horat. lib. 1. Ode 1.

> *Sunt quos curriculo pulverem Olympicum*
> *Collegiſſe juvat, metaque fervidis*
> *Evitata rotis, palmaque nobilis*
> *Terrarum dominos evehit ad Deos.*

Quis non hanc Romanorum in Circenſibus, Græcorum in Olympiacis rideat inſaniam, aut non potiùs fleat tardam mortalium in hoc ſtadio vitæ, ad Olympum, & bravium æternum tendentium ſegnitiem, ac ſupinam ignaviam? Auguſtinus: *Amator eſt quiſquam Circi? Quid delectat in Circo? Aurigas videre certantes, populos inſanâ furiâ anhelantes, quemlibet* CELEREM *præcedentem, adverſarii ſui equum frangentem. Iſta eſt omnis delectatio, clamare qui vicit, quem diabolus vicit. Exultare, & inſultare, quòd adverſa pars perdiderit equum; cùm is, qui tali ſpectaculo delectatur, jam perdiderit animum,* & omnes cucurrerint in vanum. S. Paulus aliam nobis arenam aperit, aliud ſtadium proponit, in quo omnes currimus, & ipſe eum tot velociter contendentibus, curſum conſummavit. Stadium in quo currimus, vitæ noſtræ ſpatium eſt, quod vel gentilis Philoſophus obſervavit, dicens: *Non in curſu tantùm, Circique certamine, ſed* IN HIS SPATIIS VITÆ, *interiùs flectendum;* huc omnes cogitationes flectendæ, ac reflectendæ, ubi multi currunt, & unus accipit bravium: *Quilibet ergo* SIT VELOX *ad curſum iſtum.* Omnes enim currunt, ſed longè diverſimodè: multi extra viam, qui quò magis laſſantur in viâ iniquitatis, hoc longiùs à metâ recedunt: Alii in apertum celerrimè proruunt exitium, de quibus Hugo Cardinalis in illud Pauli: *Multi currunt,* ſic ait: *Multi autem* CURRUNT *ad præcipitium æternum,* de quibus Jeremias c. 8. *Omnes converſi ſunt* AD CURSUM SUUM, *quaſi equus impetu vadens ad prælium,* & ruit in certum exitium. Quantò nos *in his ſpatiis vitæ* currentes, velocitate præditos eſſe decet, quibus bravium æternæ gloriæ propoſitum eſt? ubi ſacer Eccleſiaſtes aperto campo excurrat per omnes omnis conditionis homines, qui in hoc ſtadio currunt.

S. Auguſt. lib. 2. de ſymbolo. c. 2.

Senecu lib. de tranquill. c. 9.

Hugo Car. in 1 Cor. 9. v. 24.

Ibid.

Sed neſcio, quæ remora eos in curſu retardet, quò minùs metam & bravium aſſequantur. Propoſito ſervit curſu celebris, & pernicitate pedum nobilis puella *Atalanta,* de quâ ſic Pelignus Vates luſit:

Ovid. lib. 10 Metam.

> *Forſitan audieris aliquam certamine curſu*
> VELOCES SUPERASSE VIROS. *Non fabula, rumor*
> *Ille fuit: Superabat enim, nec dicere poſſis*
> *Laude pedum, formæ bono præſtantior eſſet.*

Contenderat illa curſu cum variis procis, hac lege, ut qui illam velocitate præverteret, uxorem duceret, victus pœnas mortis penderet. Aderat ſpectator & mirator *Hippomanes,* qui formâ virginis captus, etiam cum præſenti mortis periculo in arenam deſcendit, aſtu hoc inſtructus, ut tria mala aurea, quæ penès ſe habebat, per intervalla in ſtadium projiceret, quibus illam remoraretur, & curſu anteverteret.

Atalanta curſu contendens.

Idem ibid.

Signa tuba dederant, cùm carcere pronus uterque
Emicat, & summam CELERI PEDE *libat arenam:*
Posse putes illos sicco freta radere passu,
Et segetis canæ stantes percurrere aristas.
Adjiciunt animos juveni, clamorque, favorque,
Verbaq; dicentum: Nunc, nunc incumbere tempus,
HIPPOMANE *propera, nunc viribus utere totis,*
Pelle moram, vinces. Dubium Megareius heros
Gaudeat, an virgo magis his Schœneia dictis.
Aridus à lasso veniebat anhelitus ore,
Metaque erat longè: Tum denique de tribus unum
Fœtibus arboreis, proles Neptunia misit.
Obstupuit virgo, nitidique cupidine pomi
Declinat cursus, aurumque volubile tollit.
Præterit HIPPOMANES: *resonant spectacula plausu.*
Illa moram CELERI, *cessataque tempora, cursu*
Corrigit, atque iterum juvenem post terga reliquit.
Et rursus POMI TACTU REMORATA SECUNDI,
Consequitur, transitque virum. Pars ultima cursus
Restabat: nunc, inquit, ades Dea muneris auctor,
Inque latus campi, quò tardiùs illa rediret,
Jecit ab obliquo liquidum juveniliter aurum.
An peteret virgo, visa est dubitare; coëgi
Tollere, & adjeci sublato pondera malo,
Impediique oneris pariter gravitate, moráque:
Neve meus sermo cursu sit tardior ipso,
Prætérita est virgo, duxit sua præmia victor.

Pomis aureis objectis in cursu retardatur.

Si falsa veris, & facta fictis componere velimus, ejusmodi certamen cum *Atalanta*, id est, anima, stygius Hippomenes in hoc vitæ stadio decurrente instituit, quam tribus malis aureis remoratur: nunc pomo aureo divitiarum, nunc blando voluptatis, nunc fulgido honoris, & ambitionis malo objecto, benè hactenùs currentem ab optatâ metâ, & palmâ retardat, & in miseram ducit servitutem. Id olim tuba Evangelii Paulus, Galatis insonuisse videtur: *Currebatis benè, quis vos impedivit?* Avarum auri fulgor, lascivum forma venerea, ambitiosum inanis gloria, temulentum vini amphora retardat: *hæc illa est remora*, ut quidam pro insigni, in tabernâ exposuerat:

Quæ animam à cursu perfectionis, & salutis æternæ retardent.

Ad Galat. 5. v. 7.

Sic quosdam ingenio, & virtute ad sidera vectos,
Detinet in medio tramite causa levis.

Qualis est pisciculus parvus, Remora, quæ prætorianam navim M. Antonii plenis velis, & remis volantem stitit. Nulla Virgini Matri in via remora est, nulla in itinere cum aliis colloquia, nulla quæsita diverticula, mora nulla; sed gradu festino, incessu celeri, ubi erat impetus sancti Spiritus, ferebatur, ut rectè D. Ambrosius observavit: *Maria in domo sera*, FESTINA IN PUBLICO. *Mansit apud cognatam suam mensibus tribus*; unde pulcherrimè velificatur ad mores puellarum, quæ amant sero vespere ante limina domus morari, vel ut columbæ ad fenestras transeuntes spectari, & affari: per plateas concursare, & in diverticulis, imò in templis garrire, & prolixas fabulationes habere: *Discite igitur*, inquit, *& vos virgines non circumcursare per alienas ædes, non de noctu in plateis morari, non aliquos in publico miscere sermones*; quæ remora ancillas plerumque retardat à negotiis, ad quæ mittuntur, dum ad parentes, vel cognatos divertunt, cum obviis longos sermones miscent, aut heris suis imponentes, neglectâ, quò se pergere dicunt, concione, forás evagantur, unde non semel & jure meritò, graviter increpantur, & exturbantur. Quid, quod à teneris *Maria*, etiamnum virguncula triennis, ad templum, soccis quidem, & plano pede festinabat, sed quibus tragicos heroum cothurnos superabat, dum 15 gradus, relictis parentibus pervolitabat: nam, ut inquit D. Gregorius, Nicomediensis Antistes: *Iam parentes Virginem ad templi fores adducebant, Angelis eam circumcirca stipantibus, & collaudantibus*; ac in primo, eoque infimo gradu posita Virgine, sine ducentis adminiculo, ita velociter omnes gradus ascendit, ut penitùs retrorsum non aspexerit, aut parentes requisierit. Unde cælestes ephœbi, qui eam gradientem comitabantur, præ stupore attoniti, exclamant: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis?* Cur non os, non oculos, non collum, deprædicant, & admirantur? Sed video, cur potissimùm in gressus Virginis oculos defigant; quia quot gressus, tot virtutum progressus faciebat, & post se totidem ardentissimæ, & celerrimæ charitatis vestigia impressa relinquebat: Deo enim gratior *accelerata devotio*. Hæc vestigia velociter pressit sancta Elisabetha, filia Regis Hungariæ, quæ cùm indies ad templum properaret, ut divino Missæ sacrificio interesset, illud iter præ desiderio aliquot millium leucarum ducebat; unde pernici cursu adeo accelerabat, ut pedisequæ vix assequi valerent. Jam non festinatur, sed differtur ad ultimum Sacrum, & honestum ducitur, cum aliquot pupis, & comptis amasiis illi interesse; ubi ære campano signum datur, mora trahitur, & lucro reputatur, si sub Evangelium advenerint. Tamdiu illos spiritus vanitatis in comendo, & poliendo ad speculum ventilat, & expatiari compellit. Aliò divini Spiritûs aura te impellit, ut è declivi vitiorum, è lubrico sæculi, ad montana, ad ardua virtutum, & excelsa perfectionis culmina, citò, citò, relictis omnibus, festines. Tales viros veloces Christus habuit, ut scitè S. Thomas observat. 22. quæst. ultima, art. ult. agens, utrùm sit laudabile, quòd aliquis Religionem ingrediatur, absque diuturnâ deliberatione præcedenti, inducit exemplum Apostolorum Matthæi 4. *Ad vocationem Domini*, inquit, *Petrus & Andreas relictis retibus* CONTINUÒ *secuti sunt eum.* Ubi Chrysostomus dicit: *Talē obedientiam Christus quærit à nobis, ut neque instanti temporis remoremur.* Tostatus, Antistes Abulensis, rationibus aliquot probat, eos non modò navim & retia in littore reliquisse; sed ne domum quidem reversos, ut uxoribus, domesticisque valedicerent. Ita continuò, relictis omnibus, Spiritu sancto impulsus Andreas ille, quē legimus inter illustres viros Cistereiensis Ordinis, cùm esset Virdunensis Archidiaconus, insuper & Nobilissimus, & ditissimus, in Claravallem venisse, ut nascentis illius domus, de qua multa audierat, præsens inspiceret, nihil adhuc minùs cogitans, quàm de eo vitæ genere suscipiendo.

Plinius lib. 32. cap. 1.

S. Ambros. in Lucam lib. 2. cap. 1.

Greg. Nicomed. orat. de Dei parentis oblat.

Morales. in c. 1. Matthæi lib. 1. tr. 10. n. 10. & 11.

Cant. 7. v. 1.

Hugo Car. hic.

Amb. lib. 1. de Cain c. 5.

Spinellus o. tre spirit. part. 3 l. 2. c. 1. de Missa.

In vita S. Elizabetha.

Fuga è sæculo festinanter arripienda.

Platus de bono status Relig. lib 3. cap. 38.

Sed

Sed capitulum ingressus, quò omnes convenerant, ut se eorum precibus commendaret, videns sanctæ illius multitudinis ordinē, quietem, & velut Angelicum habitum, commotus est vehementer, & insilieote in eum spiritu Domini, mutatus est in virum alterum: Deoique tantus eum fervor cepit, ut *ne ad tempus quidem domum sibi repetendam putârit, vel ad suos salutandos, vel ad sua ordinanda; sed* ILICO, OMNIBUS ROPTIS MORIS, *omnia reliquerit, ut Christo* CITIUS *adhæreret*. Hoc documentum & tibi adolescens, ac adolescentula tradit Doctor Angelicus: *Cùm homo instinctu Spiritus sancti movetur ad Religionis ingressum*, NON EST EI OIFFERENDUM, *ut humanum requirat consilium, sed* STATIM *homo* IMPETUM SPIRITUS SANCTI *sequi debet*. Quos elegit rerum omnium artifex Deus, velut lapides ad ædificium spirituale, & cælestem Jerusalem exstruendam, noo Amphione opus habent, ut quamvis mole graves, velut saltitando sese in locum, ad quem destinati, quantocius conferant. Altiùs & altior Spiritus iotùs agit, & animat, ut Princeps Apostolorum iouuere videtur, dicens: *Ad quem*, (nempe Christum) *accedentes, lapidem vivum, & ipsi tanquam lapides vivi superædificamini.* Ubi observandum occurrit, lapides mortuos suis tenaciter adhærere lapidicinis, è quibus difficilè præscinduntur, vel eruuntur; imò etiam extracti, mole & pondere suo magno molimine, loco moventur, & ad aptum ædificium provehuntur. In quo Christiani, & viri etiam religiosi, vitâ spirituali destituti, repræsentantur, qui suis deliciis, cænosis voluptatibus, & commodis adeo tenaciter affixi sunt, ut difficillimè inde eruaotur, loco moveantur, & in spirituali Ecclesiæ ædificio coaptentur. At verò lapides vivi, hoc est, viri *Spiritu vita* animati, sine opificum labore, hoc est, sine hominum adminiculo, aut suasu, solo Spiritus sancti impulsu, suis nativis locis quodammodo exsiliunt, & quò à Deo vocantur, sua pte sponte incitati, *festinanter* rapiuntur, ut in spirituale ædificium, loco illis apto, coagmententur. Quod D. Hieronymus eleganter expendens, ait: *Lapides Sancti in tantum erunt leves, & in sublime nitentes, ut non præstolentur ædificantium manus; sed ipsi* FESTINENT *imponi super fundamentum Christi, & contineri angulari lapide.* Quantâ cum jucunditate, alacritate, festinatione assurgit religiosæ vitæ ædificium, ubi omnes lapides vivi reperiuntur, qui ad vocem Dei, ad Superioris nutum, longè velociùs, quàm Amphionis plectro animati, saliendo, & tripudiando locum occupant, quo destinantur? cùm è contra, lapis mortuus, ne decem equis, aut jugis boum, à tali cubiculo, tali habitatione, cathedrâ amoveri possit, & loco ipsi magis idoneo aptari. De prioribus vaticinatur Zacharias: *Lapides sancti elevabuntur super terram.* Hieronymus vertit, *volventur*; utque celeritatem eorum denotet, quâ in divino obsequio aguntur, subdit: *Lapides sancti volventur super terram instar rotarum, & paululùm tangentes humum, & volubilitate suâ ad cælestia* FESTINANTES; ubi similes rotis dicuntur, tum quia vivi erant, *Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Tum quia instar rotarum, in puncto terram tangentes, velocissimè rapiuntur; ita hi, res terrenas vix minimo affectu contingentes, & nutu unico in omnem partem decurrunt; illi verò, qui luto profundi planè immersi, terrenis affixi, & nescio quibus mundi vanitatibus, & carnis illecebris detenti, Spiritui sancto impellenti resistunt, Deum vocaotem, pulsantem, invitantem audire negligunt, obedire differunt, & sequi procrastinant, cum improbis se computandos, ac divinam Nemesim sibi intentam; & væ illud *tardis* intentatum, meritò reformident. Quod exaggeratè prosequitur S. Joannes Climacus: *Si vocante nos terreno, & mortali Rege, & in suum obsequium nos militare jubente*, NIL MORAREMUR, *neque occasiones quæreremus; sed omnibus dimissis, illi summâ alacritate pareremus: attendamus nobis ipsis, caveamus diligenter, ne fortè Regi regum, & Domino dominantium, & Deo deorum nos vocante ad cælestem hunc ordinem, propter nostram desidiam, & negligentiam obtemperare recusemus, & postmodum ante tribunal illud horrendum inexcusabiles inveniamur.* Tunc intonabit illud: vocavi, & renuistis, *despexistis consilium meum, ego quoque in interitu vestro ridebo*; quod non semper ad supremum judicii diem distulit, sed non uno exitu tragico repentinâ morte corporis & animæ demonstravit. In hanc rem exstat epistola Abbatis Claravallensis ad Thomam Audomarensem, qui ob studia litterarum, ingressum in religionem differebat, ad quem deterrendum supplicio alterius eandem ob causam divinitùs immisso, accelerare compellit: *Heu, heu, videris mihi uno spiritu ambulare, sicut & uno nomine, cum altero illo Thoma, olim scilicet Præposito de Beverle, qui cùm se similiter nostro Ordini, & nostræ domui toto desiderio devovisset*, COEPIT INOUCIARI, *& ita paulatim refrigescere, donec* SUBITA, ET HORRENDA MORTE *præreptus, factus de medio est sæcularis, & prævaricator, & duplò* FILIUS GEHENNÆ; *quod à te, si fieri potest, avertat misericors, & miserator Dominus.* Sunt & alia non minùs terribilia exempla, quæ omnem moram abrumpere, & concitato cursu in portum salutis confugere suadeant. Divus Antoninus refert, quendam Franciscani Ordinis votum suscepisse, postea mutato consilio factum Canonicum, post paucos dies incidisse in morbum lethalem; quare admonitus à suis, ut animum sacrâ exhomologesi expiaret, respondit, nil opus esse, quoniam ostensum sibi foret, *se esse damnatum*, ac proinde facesserē t, nec sibi molesti essent: *Apparuit enim*, inquit, *mihi Dominus iratus, dicens: Vocavi, & renuisti, ideo vade ad pœnas inferni.* Plurium istorum procrastinantium horribilem exitum, elencho benè longo enarrat Lancicius, opusc. r. c. 14. n. 191. &c. Ex quibus patet, quàm meritò sancti Patres detonent, ut Deo vocanti, & Spiritu sancto impellenti quàm celerrimè, relictis omnibus, obsequamur: FUGITE, clamat Bernardus, *de medio Babylonis*, FUGITE, *& salvate animas vestras*, CONVOLATE *ad urbes refugii, ubi possitis & de præteritis agere pœnitentiam, & in præsenti obtinere gratiam, & futuram gloriam fiducialiter præstolari.* Homicidas videmus, ne in satellitum manus incidant, ad terram Sanctam, ad Religiosorum septa confugere; tu, ô homo, non unum homicidium, non unam mortem, eamque acer-

S. Thomas opusc. 17. contra retrahentes a b ingressu relig. c. 9.

1 Pet. 2. v. 4.

S. Hieron. in cap. 9. Zachar.

Zachar. 9.

Hieron. in c. 1. Ezech.

Ezech. 1. num. 20.

Deo vocanti statim obtemperandum.

Climacus gradu 1.

Proverb 1.

Bern. epist. 108.

Graviter punitus, qui vocationem distulit.

S. Antoninus 3. part. tit. 24. c. 9. §. 9.

Bern. de convers. ad Cleric. c. 30.

acerbissimam animæ intulisti, quoties lethale crimen admisisti, aliisque scandalo fuisti, & adhuc de quærendo asylo dubitas? omnis in fuga est salus. *Novi ego*, inquit idem Doctor, *quænam sint*, QUÆ OPORTET FIERI CITO. *Abscondi ignem in sinu meo, & exusto jam latere, jam undatis visceribus, jam fame desluente*, DIU *mihi deliberandum est an expergiscar, an excutiam, an abjiciam illum? Amicos consulat, qui non legit: Inimici hominis domestici ejus.* Fuga, quæ ab hoste imminente aut à ferâ persequente, aut ab incendio devorante instituitur, solet esse, relictis omnibus, celerrima; hanc inculcat, & crudelitatem eorum incusat, qui fugientes retardant: *Mira abusio; domus ardet, ignis instat à tergo, & fugienti prohibetur egredi, evadenti suadetur regredi. Et hæc ab his, qui in incendio positi sunt, & obstinatissimâ dementiâ, & dementissimâ obstinatione fugere periculum nolunt. Proh furor! si vos contemnitis mortem vestram, cur etiam appetitis meam? Quare vos non potiùs sequimini me fugientem, ut non ardeatis? An hoc est vestri cruciatus levamen, si me etiam perimatis: & hoc solùm timetis, ne soli pereatis? Ardens ardentibus quod solatium præstare poterit?* Quare cùm ad alios festinem, quemadmodum navis retinaculis expedita, ut aspirans ventus vela impulit, faventi auræ obsequitur, & terris relictis velocissimè velificatur; non aliter, ubi divina nos cælitùs aura afflavit, parendum est, & solutis vinculis, quò impellit, nullâ morâ festinandum: Spiritus enim sanctus columbæ specie usitatum sibi *citò* ingeminat, non corvorum *cras*. Hinc, dum jubemur è cælo paternam domum deserere, inserenda sunt talaria pedibus: momentum salutis non horis tantùm, sed momentis librari debet; sæpiùs unum infelicis moræ momentum, momenti maximi, perdit ævum æternitatis: omnis mora divino amori mors est. Præclarè S. Anselmus: FESTINA *ad tantum bonum, quia nullo bono efficacim pervenies ad summum bonum.* Festina te eripere è medio Babylonis, è mundi hujus fluctibus ad tranquillissimum portum salutis; à quo tantùm non aberrarat adolescens ille, qui a. 1606. lethali morbo dejectus, Deo se devovit, & religioso statui. Convalescit, & omnis pietatis sensus evanuit, ut tritum illud edocet:

Bern. serm. Ecce nos reliquimus omnia.

Bern. epist. 111.

Anselm. epist. 1.

Drex. Trismegist. l. 2. c. 7. §. 3.

Dæmon languebat, Monachus tum esse volebat;
Postquam convaluit, mansit ut ante fuit.

Oblitus hic itaque voti, & sui, & Dei, paulatim in præceps à sociis ad gulam, & luxum pellectus, hoc solùm servavit, ut cœtum Marianum non omninò desereret. Quo factum, ut die menstruo in suffragio, in hæc verba sententia D. Bernardi obtingeret: QUID TARDAS *ipsum, quem jam dudum conceperas spiritum parturire salutis? Nil mortalibus vel morte certius, vel incertius horâ mortis: quomodo vivere potes, ubi mori non audes?* Audiit hæc juvenis tacitus, sed quasi fulmine ictus, monitorem è cælo agnovit, & citò, citò, eodem die fugam è lubrico in portum eum festinatione paravit, victurus illic, ubi mori non trepidabat. Sic multis subindè per pios codices, per ferventem concionem, scintillæ quædam sanctioris desiderii, & cælestis gratiæ in animum illabuntur; restinguuntur tamen facilè, quia continuò, diligenterque non foventur; quâ super re magnum illum Antiochenæ Ecclesiæ Præsulem audiamus, qui cum populo religiosæ vitæ pulchritudinem, ac præsertim jucunditatem mirificè prædicasset, ait ad extremum: *Fortè multi nunc incaluistis, & tam pulchra conversationis desiderium concepistis; verùm quid prodest, si dum hîc estis, hunc ignem habetis; egressi verò flammam extinguitis, & ardor ille evanescit? Quid igitur remedii? dum tibi fervens est hic amor*, ABI STATIM *ad illos Angelos* (viros religiosos designat) *eumque magis accende: ne dicas: alloquar priùs propinquos, resque meas expediam; permitte mortuos sepelire mortuos.* Quod Hieronymus Paulino Presbytero suadet, Religionem meditanti, idem & tibi dictum autuma: FESTINA, quæso te, *& hærentis in salo naviculæ funem magis præscinde, quàm solve*; quo summam in hoc periculo accelerationem exigit, quia tardiùs solvitur, quàm præscinditur. Hoc callidus agit dæmon, ut cùm à sancto proposito dimovere non potest, per carnales propinquos, & parentes remoram injiciat, dilationem, deliberationem maturam, quasi prudens consilium persuadeat; quo quàm multi decepti, à cepto desistentes, in æternum perierint, spiritualis doctrinæ magister lamentatur: *Quantos*, inquit, *mundi sapientia maledicta supplat, & conceptum in eis extinguit spiritum, quem voluerat Dominus vehementer accendi. Noli, inquit, præcipitanter agere, diu considera, diligentiùs intuere. Magnum est quod proponis, & opus habens multâ deliberatione. Experire quid possis, amicos consule, ne post factum pœnitere incipiat.* Si verò filius ad pingue, & honorificum munus assumendus: si juvencula marito jungenda, *opus non habent multâ deliberatione*, non diu consulendum, ne post factum pœnitere incipiat, sat prudentes, sat provecti, & maturi sunt. In quo quidem non minùs mihi insanire videntur, quàm si adstruerent, multo ac longo consilio opus esse ad deliberandum de tuto & tranquillo portu tenendo; nullo verò ad deliberandum de tentandis insani maris fluctibus, mille scopulis, ac naufragiis infamis. Sed ut non omnes divinus ille spiritus ad portum Religionis impellat, omnibus tamen summâ festinatione opus est, ut spiritui maligno resistat, ejusque impetus, ac insultus infringat. In militiâ, qualis est vita nostra, celeritas & laudatissima, & optatissima, quia maximè necessaria; imò, Vegetio auctore, plùs prodesse solet, quàm virtus; quod & Philosophus Romanus confirmat, dicens: *Una rebus salus est, occurrere ad primos rerum impetus.* Primi assultus in bello, in obsidione, statim cum festinatione repellendi sunt, & omni celeritate prævertendi. Ad cujus rei probationem satis sit, nullâ re gloriosiorem Alexandrum Magnum extitisse, quàm *festinatione bellicâ*, quâ consilia, & apparatus hostium antevertebat. Ipsemet interrogatus, quâ ratione tantum imperium sibi comparasset, respondisse fertur: *Nihil differendo.* Leges à M. Tullio in laudatione Pompeji, celeritatem ejus bellicam extolli mirificè, ac demonstrari per eam maximè idoneum reddi bello gerendo tam expeditum ac celerem Imperatorem

Bern. epist. 105. ad Romanum.

Chrysost. hom. 57. ad pop.

Hieron. epist. ad Paulin.

Bern. serm. Ecce nos reliquimus omnia.

Tentationi statim, & cum festinatione resistendum.

Vegetius lib. 4. c. 31.

Seneca lib. 6. de benef. c. 31.

Celeritas in bello.

Cic. orat. pro lege Manilia.

torem exercitus. C. Cæsar dictaror, ut scribir Suetonius, Pontico Triumpho inrer pompæ fercula, trium verborum prætulir tirulum: *Veni, vidi, vici: non acta belli significantem, sicut cæteri, sed* CELERITER *confecti notam.* [Suetonius in Caio Iulio c. 37] Laudi summæ duxit vir magnus inprimis celeritatem militarem; quid ni miles Christi, sibi comparet celeritatem, quâ in bello spirituali hostium consilia, & impetus antevertat, ac elidat? Rationem optimam in hâc palæstrâ exercitatus adducit B. Petrus Damiani: [B. Petrus Damian. opusc. 15. c. 19.] *Faciliùs est hostiles impetus in vestibulo frangere, quàm admissos extra mœnia propulsare: tutiùs est arcere præ foribus, quàm laribus intromissos in terga compellere.* Nemo profectò diffitebitur, longè faciliùs esse hostem irruentem, extra mœnia consistentem, cum festinatione propulsare, quàm intra vallum & portas admissum repellere; [Ibid.] *Quare*, inqoit, *sollicitus esto semper, ut tentationi, principio nascenti, velut armatus, & expeditus occurras.* Fœminam hîc etiam viris in exemplum proponam: Masculo animo Rodeguodis, Persidis Regina, cùm vix strato surrexisser, ac componendis crinibus distineretur, ountio accepto de rebellione suorum, passis ut erat capillis, aulâ, omoique mundo muliebri relicto, summâ festinatione in publicum provolavit, ad arma conclamari, tympana pulsari, exercitum conflari jussit, atque ipsa Dux fœmina, non priùs capitis crines composuit, quàm rebelles in ordinem, & sub potestatem suam redegisser. [Dinet. Theatre de la noblesse Françoise tom. 2. l. 2. c. 9.] Unde gentilitia illa tessera Persis usitata: Reginam fluxis capillis in insignibus circumferre. Eâ festinatione cuilibet nostrûm opus est, dum interior passionum plebecula tumultuatur, ac contra rationem rebellat; quare *nolite locum daro diabolo,* [Ephes. 4. v. 27.] ne pedem figat, & progressus faciat. Aliam similitudinem audire liberâ sapientissimo mortalium: *A scintillâ vanâ augetur ignis,* [Eccli. 11. v. 34.] quæ oisi quamprimùm restincta fuerit, in luculenrum, & inextinguibile erumpit incendium. Excurrit hîc aureo suo flumine Chrysostomus: [Chrysost. in Matth. c. 27. homil. 87.] *Periculosum certè est, perniciosissimus his passionibus locum dare; quare oportet omni pacto rejicere ingressum ipsarum, atque repellere: nam si comprehenderint animam, atque superaverint, tunc sicut ignis ingentem, ac siccam nactus materiam,* MAXIMAM SOLENT FLAMMAM ACCENDERE. Verbum aliquod lascivum per aures admissum, tabula obscœna oculis curiosiùs inspecta, codices amatorii incautè lecti, digitus aut manus petulanter tacta, osculum infixum, munusculum acceptum, scintillæ sunt, quæ ut puellaris anima, apta incendio est materia, nisi omni studio, ac festinatione extinguatur, *maximam solent flammam accendere.* Idem observavit Hieronymus: [Hieron. lib. 3. comment. in epist. ad Galat. c. 5. v. 9.] *Scintilla res parva est, & penè dum cernitur, non videtur; sed si fomitem comprehenderit, mœnia, urbes, latissimos saltus, regionesque consumit;* si scintilla in manum, in togam insilierit, ilicò excutitur; unde sapienter quærit Sapiens: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* [Prov. 6. v. 27.] Et tu ardentis cogitationis scintillas animo non excutis, ne comburaris? Hoc præsentissimum discrimen D. Augustinus exaggerat: *Quomodo, si aliquis carbones apprehenderit, si citò eos abjecerit, nihil ei nocebit; ita econtra, qui ad concupiscendum* [August. de honest. mul. c. 5.] *oculorum defixerit intuitum, & libidinis malum in corde suo suscipiens,* MORARI *in corde suo permiserit, extutere à se sine maximâ plagâ non poterit;* sed carbones, quamtumvis igniti, celerrimè excussi, vestimento non nocent, nec vestigium adustionis relinquunt. Calliditate hîc opus est Pharaonis, qui omnes masculos Hebræorum vixdum natos, aquis celerrimè præfocavit: prævidebat nimirum, bellum sibi non ab infantibus, sed ubi adolevissent, cum tot bellicosissimis viris futurum. Ad consimilem, sed spiritualem parvulorum lanienam, Hieronymus virginem adhortatur: *Dum parvus est hostis, interfice; ne zizania crescant, elidatur in semine.* [Hieron. epist. 22. ad Eustoch. de servanda virg.] *Audi Psalmistam dicentem; Psal. 136. Beatus qui tenebit, & allidet parvulos suos ad Petram. Ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui ut cœperit cogitare sordida,* STATIM *interficit cogitata, & allidit ad Petram; petra autem erat Christus. Vel* STATIM, *ut libido titillaverit sensum, aut blandum voluptatis* INCENDIUM, *dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem: Dominus adjutor meus, non timebo, quid faciat mihi caro,* aut cacodæmon. Persæ, ac Medi, Cyro militantes, cùm vastarent Babylonem, infantes alliserunt ad parietes. Hinc fortunatus ac felix Cyrus, qui expugnatâ Babylone factus est invictissimus Monarcha, allisis ad parietem parvulis, ne ulla impiæ stirpis remaneret posteritas. Quis sibi timendum autumet, à parvis animalculis, à vulpeculis? Quid ab iis damni inferendum? Nihilominùs in sacro Epithalamio dilectis suis sponsis hoc monitum dedit cælestis Sponsus: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas,* [Cant. 2.] & omnes fructus suffodiunt, & depascuntur; moraliter, inquit Hugo Cardinalis, *hoc exponitur de primis motibus allidendis ad petram, ne usque ad consensum, vel opus procedant.* [Hugo Car. hic.] Expressiùs Doctor mellifluus: *Vulpes tentationes sunt,* [Bern. in Cant. ser. 64.] quod sic prosequitur: *adeo parvula, ut nascentia vitia in ipso ortu vigilanter observans,* ILICO *comprehendas, ne crescentia plùs noceant, & difficiliùs capiantur.* Igitur, ut concludam, omni festinatione, *quando incipit mala suggestio, tunc repelle, antequam surgat delectatio, & sequatur consensus;* [Greg. lib. mor. c. 38.] si qui verò lapsi sint, celerrimè resipiscant, hortante Propheta: *Convertantur, & erubescant* VALDE VELOCITER, [Statim confitendum, & pœnitendum.] ut ex celeri remedio, celerem sanitatem consequantur; sic etenim D. Bernardus: VELOX, inquit, *confessio,* VELOCITER *medicinam facit.* [Bern. de interior. domo c. 37.] Ideo optat Psaltes Regius, ut quàm citissimè de peccatis erubescerent, & cum omni festinatione resipiscerent: quia *sanitas in pennis ejus;* [Malachiæ 4. v. 2.] non quidem perseveranti in peccato, sed velociter resilienti, & gratiæ celeriter obsequenti.

Nulla hîc admittenda est cunctatio, repellenda omnis procrastinatio, non admittenda dilatio. Quid differs facere perendie, quod potes facere hodie? O quàm appositè te monet magister morum Seneca: *Maximum benè vivendi impedimentum* EST EXPECTATIO, *quæ pendet* EX CRASTINO. [Seneca de brevit. vit. cap. 9.] *Perdis hodiernum quod habes, & quod in manu fortunæ est, disponis; quod in tuâ, dimittis. Quid expectas? Quò tendis? Omnia quæ ventura sunt, in incerto jacent.* Minatur hîc quasi plenus felle Antistes mellifluus, cùm ita intonat: *Væ illi, qui tunc habuit terminum luxuriæ, quando & vitæ!* [Bern. lib. de ord. vit.] Sed audio

audio illos pumicatos trussulos: quid timemus committere timenda? *Deus patiens est, & longanimis, & multæ misericordiæ.* Si est patiens, non patietur nos ideo pati, quia differimus ad eum converti. Si est longanimis, non offendetur, si deliciis fruamur usque ad ætatem longævam. Si est multæ misericordiæ, miserebitur, licèt simus multæ malitiæ. Agamus modò dies geniales, postea, cùm erimus edentuli, sequentur dies esuriales. Tunc toti erimus in Dei obsequio serii, dum erimus decrepiti. Satis est agere pœnitentiam, dum vel agimus animam. Non dissimulrer induceit loquentem quendam cunctatorem D. Chrysostomus: *Multis, inquit, Deus privilegium dedit, ut in ultimâ senectute confiterentur; fortassè, inquis, & mihi dabit. Cur dicis fortassè? quia contingit aliquoties. Cogita quod deliberas de animâ tuâ: ergo & de contrario cogita, & dic: quid autem si non det?* Apage hanc vocem *fortassis* in negotio salutis. Dum agitur de animâ, solùm admittatur, quod sit certò certius, nisi tibi certum sit, velle perire. O si sapis, audi hîc loquentem D. Ambrosium: *Duæ res sunt, aut ignoscetur tibi, aut non ignoscetur tibi. Quid horum tibi futurum sit, nescio; sed do consilium:* DIMITTE INCERTUM, ET TENE CERTUM. Ecce, hîc geminos habes suspiciendos Antistites, alterum ex Ecclesiâ Græcâ Chrysostomum, alterum ex Latinâ Ambrosium, qui tibi extremum denuntiant discrimen, cui te exponis, dum quod certum est, rejicis; quod incertum, admittis, quo sæpè salutem amittis. Si non credas illis incomparabilibus Hierophantis Ecclesiæ, audi Ecclesiasticum: NON TARDES *converti ad Dominum,* ET NE DIFFERAS DE DIE IN DIEM. Tempus non tantùm properat, sed præcipitat: vita citissimâ volubilitate vergit in occasum: nox in qua non poteris operari, jam instar: appropinquat æternitas. Tu ergo toto animo à Deo aversus, NON TARDES *converti ad Dominum.* Vide quid agas, ne forsan cras actum agas, dum subitò inopinati, exortis cæli, reus mortis, animam ages, & fit de te actum in æternum. *Ne differas de die in diem;* ne, quod multis accidit, repentè diem obeas. Hic dies, est tibi dies salutis, ne differas in crastinum diem, qui forsan erit dies perditionis: hodie est dies misericordiæ, cras forsan erit justitiæ.

Psal. 102. v. 8.

Chrysost. hom. 22. Cor. 10.

Ambr. exhort. de pœnit. cap. ultim.

Eccli. 5. 8.

Quàm sit periculosæ plenum opus aleæ, in tanti momenti negotio, quanti est perennis animæ salus, tricari, & moras nectere, docebit nos, funesto quod recenset exemplo, Thomas Morus. Erat quidam homo, in quo nihil præter audaciam in scelere, & pertinaciam in libidine erat insigne; hic cùm ingenti dedecore volutaretur, & à morum ejus censoribus admoneretur sui officii, ac satagerent eum in gyrum divinarum legum revocare, urgerentque, ut qui tot egerat pœnitenda, eorum tandem pœniteret. Ille contumax, explodere pia monita, & spernere sana consilia: jactitans se in ultimo vitæ articulo, *tribus verbis,* & Dei clementiam, & scelerum veniam, & æternam gloriam facilè impetraturum. Hæc ipse non minùs sibi præfidenter promittere, quàm impudenter aliis decantare. Sed vanum se fuisse vatem suo exitio didicit, & posteros exemplo docuit. Dies tandem ei diluxit atro signanda lapillo, utpotè homini summè impio, *summa dies, & ineluctabile tempus.* Cùm ipse insidens equo, è ponte quem transibat, dejectus, præceps in fluvium incidit, salute excidit, & trina hæc verba protulit: *Capiat omnia dæmon.* Ecce, hic tribus verbis salutem se consecuturum sperabat, & tribus verbis se, & sua omnia perdidit, immersus stygiis aquis, unde numquam emerget. Sic miser, dum differt de die in diem, subitò extremum clausit diem, & periit.

In vita c. 32.

Hæc audis, & adhuc differre audes? Non ponderas, quæ tamen sunt maximi ponderis, illa verborum, quæ sequuntur, momenta? NON DIFFERAS DE DIE IN DIEM; *subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* *Eccl. 5.*

Denique illud Horatianum, licèt à gentili, serviat Christiano monitum supremum:

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Hæc si crederes, quid ageres? Imò quid non ageres? Quanta tibi foret, ne delinqueres, vigilantia; si delinqueres, pœnitentia? Numquid illo die quidquid vel ageres boni, vel fugeres mali, id fieret exemplo Mariæ *cum festinatione?* Quantum festinates ad sacrum tribunal, ut illic animi labes expiares? Quo spiritus ardore niteteris illo die divinis vacare? Id ageres unicè, ne momentum vel unicum sine fructu sterile, vel sine merito vacuum, vel sine quæstu inane dilaberetur. Festina illa nunc agere, quæ tunc optabis te egisse, cùm ultra nil poteris agere. Frustrà illa te egisse expectes, dum mortem opperes.

Quid igitur cessamus nos ipsi concitare, ut celeritatem rapidissimi temporis possimus æquare; ac tandem per pietatis, misericordiæ, ac justitiæ opera, cum omni celeritate exequenda, quo festinat oratio, Virginis exemplo, festinemus ad nostri itineris metam, peregrinantium patriam, navigationis portum, curriculi bravium, certaminis coronam, laboris mercedem.

§. II.

Ne dicas amico tuo: Vade, & revertere: cras dabo tibi, cùm STATIM *possis dare.* Proverb. 3. ℣. 28.

PRimum, quod in orbe fecit signum benignissimus Redemptor noster, eluxit in Canâ Galilææ, ubi in convivio, deficiente vino, aliud signum magnum apparuit accelerata pietatis, & misericordiæ Virginis Matris, quæ ut verecundiæ, & honestati convivarum consuleret, prævenit necessitatem, & filium interpellavit, dicens: *Vinum non habent.* Ubi eleganter & præstanter in rem nostram Doctor Seraphicus: *Antequam fuisset invocata, compassa est verecundiæ illorum;* antequam sitis adesset, preces & rogatus antevertit, & munificentiâ suâ instanti necessitati festinanter occurrit. Parum hoc, accelera-

Opera misericordiæ festinanter præstanda.

Ioan. 2.

S. Bonavent. in speculo. ex facto nuptiar. Cana

vit

Greg. Nicom. orat. de oblat. Mariæ. Vega Theologia Mariana palæstra 1. n. 1163.

vit à teneris, & à pueritiâ crevit cum illa miseranto; ita porro sanctus Gregorius Nicomediensis: quando Angeli beatæ Virgini victum è cælo suppeditabant, properabat in pauperes, quod necessitati supererat, erogare; quæque opere manuum suarum, nendo, texendo, aut acupingendo conquirebat, non penès se residere, sed festinanter in sinus pauperum, etiamnum puellula, effundebat, ut ipsa S. Brigittæ aliquando declaravit; nihil se unquam superfluum reservasse; sed omnia *protinùs* in egenos distribuisse: nec mirum, quia aliquando mater misericordiæ decantatetur; atque adeo à primâ ætate miseriis occurrere festinabat.

Revelat. S. Brigittæ l. 1. c. 59. & lib. 3. c. 8.

Seneca lib. 2 de benef. c. 12.

Gratiora sunt beneficia, quæ citò dantur: *Sic poma etiam post paucos dies itura in fastidium, delectant si provenère maturiùs.* O lentos nos, & tardos ad opera charitatis! quorum quemque sic increpat, & incitat Sapiens: *Ne dicas amico tuo: Vade, & revertere: cras dabo tibi, cùm* STATIM *possis dare*; quod pulcherrimum, & saluberrimum monitum expendens Hipponensis Præsul, *de operibus misericordiæ*, ait: *quodam loco Scriptura dicit: Vade, & revertere: cras ego dabo, cùm possis continuò benefacere: non enim scis, quid sequenti contingat die. Audisti præceptum non differendi, ut in alium sis misericors, & differendo in te es crudelis.* Tu, quisquis es, qui abundas panibus, dicis famelico, qui ad duos, tresve dies non habuit quod manducet, & liberi fame domi pereunt, *revertere cras, cùm* STATIM *possis dare*; revera *crudelis es*, non in pauperem dumtaxat, sed & in te; hanc etenim rationem subjungit: *Exhibe & animæ tuæ eleemosynam*, quæ peccata tua redimat, & sicut aqua extinguit ignem, ita quæ toties meruisti inferorum incendia, aut saltem piacularia, restinguat.

Proverb. 3 v. 28.

V. August. serm 19. de verb. Dom.

Aug. ibid.

Beneficia & munera citò danda.

Seneca l. 2 de benef. c. 1. & 6.

Celeritas in beneficiis præstandis, maximè commendat benefactoris benevolentiam, ac munificentiam: nam ut dixit Philosophus Romanus: *Omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis,* CITO FACERE; *qui tardè, & de die in diem extrahens profuit, non ex animo fecit. Tardè velle, nolentis est: multùm* CELERITAS *fecit, multum abstulit mora. Verissimum existima, quod ille Comicus dixit: Quid? tu non intelligis tantum te de gratiâ demere, quantum mora adjicias? Inde illæ voces: Fac, si quid facis.* Inde ventilatur & illud proverbium:

Qui CITO *dat, bis dat: qui tardat munera, nil dat;*

Quia non ex animo dat, & tardè velle, nolentis est, cui nullæ gratiæ debentur, cùm plùs trahendo moram, & aliis ex aliis procrastinationibus hominem vexârit, ad graves molestias, expensas coëgerit, per menses & annos suspensum tenendo, quàm gratiæ contulerit; quod utinam fortunæ candidati, & potentum clientes, qui Principum gratiam aucupantur, & aulæ limina terunt, altè in animum dimitterent, non tot corvi hiantes indies ludibrio essent. Documento illis esse poterit ingeniosus tractus hominis Franci. A Ludovico XI. Galliarum Rege, Aulicus nescio quid petierat: Regi ex

Gaspar Ens Epidorpid. lib. 1.

templo fieri id posse neganti, ille gratias quàm maximas agit, ac discedit. Rex hominem sermonis falsum existimans, revocat: an responsum benè intellexerit, rogat? Negasti, puto, inquit ille. Tum Rex: Cur igitur mihi gratias egisti? An non gratias, inquit alter, meritò agam, easque amplissimas, qui & sumptus, & tempus, quæ inanibus promissis lactatus, frustra hic consumpturus fueram, lucratus mihi videor: jamque mentem fastidiosâ expectatione macerandam, aliis consiliis, & negotiis applicare queo. Rex ingenium hominis miratus, faciam, inquit, ut duplici nomine, & beneficii celeriter collati, & priùs negati, gratias mihi debeas, ac simul voti compotem à se dimisit. Simile quid aulico in regno Hispaniæ, sub Philippo II. accidisse narrat idem auctor. Id jam olim vetus Poëta salso epigrammate expressit:

Primum est ut præstes, si quid te, Cinna, rogabo: — *Martialis.*
Illud deinde sequens, ut CITO *Cinna neges.*
Diligo præstantem, non odi Cinna negantem:
At tu nec præstas, nec CITO *Cinna negas.*

Eodem spectat illud:

Inquiris, dubitas, cunctaris, teque diebus — *Idem lib. 6. ep. 20.*
Meque decem crucias: jam rogo, Phœbe, nega.

Quod certè beneficii loco, non minus habendum, quàm diu pendentem, citò deturbare, aut funem præscindere, ut acutè notavit Seneca: *Nihil æquè amarum, quàm diu pendere; æquiore quidem animo ferunt præscindi spem suam, quàm trahi. Plerisque autem hoc vitium est, ambitione pravâ differendi promissa, ne minor sit rogantium turba. Quales regiæ potentiæ ministri sunt, quos delectat superbiæ suæ longum spectaculum: minusque se judicant posse, nisi diu, multumque singulis quid possint, ostentent: nihil* CONFESTIM, *nihil semel faciunt. Quò fit, ut in tædium adductus animus, incipiat beneficium odisse, dum expectat.* Quid inter homines frequentiùs, quid, quod mireris, etiam inter amicos familiariùs, quàm promissis diu lactare, & dilatione lassare, ut pro beneficio maleficium referas? *Errat enim, si quis sperat responsurum sibi, quem dilatione lassavit, expectatione torsit: quia cùm in omni officio magni æstimetur dantis voluntas, qui tardè fecit, diu noluit.* Quæ tarditas dantis, & procrastinatio largientis, in gratuitis beneficiis, si odiosa sit, & expectatione suâ torqueat; quantò magis, ubi hæc dilatio hominem cum extremâ penuriâ, aut vitæ periculo conflictantem lassârit, & destituerit. Quare occurrat illud Sapientis: FESTINA, *suscita amicum tuum*; non morandum, non procrastinandum, non verba danda, sed quantociùs succurrendum. Fuit, qui familiarem suum conspexit in puteum prolapsum, hunc multis rogare instituit: quomodo in hoc præcipitium decidisset? quamdiu illic hæsisset? quò peregrè decrevisset? Ad hæc alter: Non quæsieris quemadmodum hîc deciderim, sed quomodo hinc me statim, statim erepturus sis;

Seneca lib. 2. de benef. c. 5.

Idem lib. 1. de benef. c. 1.

Prov: 7.

funem citò protende, manum quantociùs porrige, hanc deposco, non verba, quæ nec saccum, nec puteum replent. Si pro veteri nostra consuetudine, te amicum probare volueris, opem & operam omni festinatione elargire. Hæc non ficta, sed facta probat Augustinus: *Cùm quidam* Aug. epist. 29. *ruisset in puteum, ubi aqua tanta erat, ut eum magis exciperet ne moreretur, quàm suffocaret ne loqueretur; accessit alius, & eo viso admirans, ait: Quomodo huc cecidisti? At ille: Obsecro, inquit, cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim quæras*; sed citò, citò opitulare. Sic vivitur: Amicus, propinquus tuus in altam voraginem miseriarum, inopiæ, morbi, calamitatis extremæ dejectus est; si verè amas, *festina, suscita*, excita, adjuva *amicum tuum*; si quid ægrotus cupediarum, electuarii appetat, ilicò submitte, totum illi penum pande: si medicus invocandus, potio adhibenda, cui in præsentiarum pecunia non suppetat, quam mox de tuo conferas: non dicas, cras visam, cras dabo. Si frater, gener, affinis, contubernalis, naufragio, cessione fori, infortunio, bellis, ad incitas redactus, opem tuam supplex imploret, manum continuò porrige, ne vanis promissis diu lactaveris, facessant illæ voces: Libenter tibi jam præsto essem; sed parum mihi nummorum nunc in arcâ est, expecto post dies aliquot solutionem; in hâc causâ operam meam deesse non sinerem, sed obruor nunc mole negotiorum, ut meus non sim, rogo hebdomades aliquot expecta; interim dum promissa in dies, in menses, in annos trahuntur, miser cum numerosâ suâ prole, miseriarum fluctibus hauritur. Egregium hac in parte, imò regium documentum Basilius Imperator nobis reliquit. Hic, teste Cedreno, magnâ olim Cedren. dominicâ templum ingressus, ubi squallentes veste populos vidit, ecquid rei esset sciscitanti, liberè responsum est: Tibi Domine, & iis, qui te circumstant, splendidè vestiri, & gaudiis omnibus affluere convenit; nobis verò mærere, qui duos frumenti modios, nummo aureo emere coacti. Ille continuò, sine morâ, rediens in aulam, graviter administros increpat, quod de hâc squallentis populi miseriâ reticuissent, & statim absque ullâ procrastinatione, frumentum ipse suum distrahi, & duodecim modios, aureo uno distrahi jussit: necessitatem ipse populi præsenti solatio mulcens, & festino remedio depellens. Nôstis, quantâ festinatione, inopiæ ac necessitati occurrendum sit? paucis ad captum exponam. Sicubi repentinum exortum est incendium, urbs tota percellitur, undique concurritur, auxiliares lymphæ quàm celerrimè undique afferuntur, ut flammæ restinguantur. Quid nos Christianos facere addecet, ut invicem succurramus? Incendium fames est, incendium sitis est, incendium extrema proximi penuria est, & nemo accurrit, ut aquam affundat, quam Sapiens pecuniam nominavit: *Ignem ardentem extinguit aqua, &* Eccl. 3. *eleemosyna resistit peccatis*. Ignis supellectilem, & ædes depopulatur; sed fames ossa & vitam depascitur: ad has flammas, quæ viscera, quæ membra adurunt, necesse est omnes humores corporis confluere. S. Thomas in 1 Cor. 15. *Uno membro languente, totum corpus quasi languescit, & ad locum languoris confluunt spiritus, & humores, quasi ad subveniendum; similiter debet esse in fidelibus*. Humores corporis tui, vasa caveæ tuæ sunt, vino & optimâ cerevisiâ redundantia: capsæ, & sacci sunt auro & argento oppleti, quæ si in sinum pauperis quantociùs effuderis, sicut aqua ignem, haud aliter extinguent peccata. Immisericordiæ genus est pauperem ad limen domus precantem, vociferantem, lachrymantem surdâ aure audire, etsi tandem *propter importunitatem* frustum objiciatur: *Gratissima* Seneca lib. 2. de benef. c. 1. *sunt beneficia, parata, facilè occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. Primum est, antecedere desiderium cujusque: proximum sequi. Illud meliùs, occupare antequam rogemur. Non tulit gratis, qui cùm rogasset, accepit: quoniam, ut majoribus nostris, gravissimis viris visum est, nulla res cariùs constat, quàm quæ precibus sordidè emendicatur*. Quare

Si benè quid facias, FACIAS CITO: *nam* CITO FACTUM
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Nunc celeriter, ut addecet, expletis charitatis officiis, ad ea, quæ strictò justitiæ titulo debita, cum omni festinatione reddenda properemus.

§. III.

Si quid aliquem defraudaris, non TARDABIS *reddere.*

Deut. 23.

ZAchæus in stultam arborem sycomorum ascenderat, sed attendite, quàm sapidos inde fructus legerit: *Hæc siquidem est sapiens illa stultitia*, ut Venerabilis Presbyter scribit, *quam de sycomoro Publicanus, quasi vitæ fructum legerat: rapta videlicet reddere, proprium relinquere, visibilia contemnere*, idque celerrimè, cum festinatione: omne quippe lucrum injustè conquisitum, omnes census perceptos, omne damnum proximo illatum, quod, ut quidam volunt, in quadruplum excreverat, totum sine morâ illicò rependit, dicens: *Si quid aliquem defraudavi, reddo* Lucæ 19. *quadruplũ*. Ubi ad rem nostram appositè Theophylactus observat, dicens: Non solùm promittebat, sed faciebat: Non ait; dabo; sed do, & reddo. Complures dicunt Confessariis: reddam, restituam; sed nequeunt ab iniquis opibus avelli. Differunt cum Judâ, dum serius; dum pupilli, & viduæ, aliique creditores penuriâ consumpti, & ad incitas redacti. Tum cum Juda quandoque referunt 30 argenteos, qui illis jure cedunt in damnationem. Quomodo enim hujusmodi, post tantam dilationem, lucrum cessans, damnum emergens, lacrymas, angustias, extremam paupertatem toleratam, compensare queunt? Quod pia justa ac prudens Regina meritò appendit: nam cùm Uladislaus Poloniæ Rex, commeatum pro exercitu suo, à capitulo Gresnensi postulasset, nec impetrasset, more barbaro, bona fisco addixit:

Debita celeriter solvenda. Beda hic.

Ejus injustitiæ à S. Hedwige conjuge suâ accusatus reprehensus, omnia restituit. Nec hoc satis rata sagax Regina subjecit: *Pignora quidem reddimus agrestibus; caterùm, lachrymas eorum quis reddet?* Quis famem, quis miserias, quis damna reddat? Quod si graves Theologi Navarrus, Navarra, cum aliis apud Lessium tradant: *Cicatricem hominis liberi pecuniâ compensari non posse*, quis solvendo, & satisfaciendo sit iis, qui causâ solutionis, in plures annos dilatæ, opificium, officium deserere coacti, à beneficio, aut lucro comparando dejecti, omnibus in montepietatis expositis, aut divenditis, ut numerosam prolem alant, noctes & dies luctantur; in publicum carcerem rapiuntur; vitam dolore, pudore, inediâ confecti, amarissimè claudunt? Hoc in argumento insolens justitiæ exemplum posteris dedit Flandriæ Comes Lidericus, dum etiam dilatam ex temerâ oblivione exiguæ pecuniæ solutionem, quæ in extremâ penuriâ pauperculæ, ad alendam famelicam prolem subsidio esse poterat, proprium filium morti addixit. Historiam sic breviter Buselinus complexus est. Insulis anno 955. natu maximus filiorum Liderici Joseramnus, præclarâ indole juvenis, fortè cum fratribus propter arcis pontem ludo corpus exercebat. Eò pannosa mulier paucos in calatho fructus venales afferens intendit, uti paululùm pecuniæ conficeret levandâ fame, in summâ rerum egestate, quæ tum grassabatur. Conjectis in fructus oculis Joseramnus (ut ea fert ætas fructuum cupidini indulgens) lusum extemplò abrupit, cunctos de muliere fructus mercatus: quòdque circumferendæ pecuniæ insolens esset, tantisper eam præstolari jussit, donec ab arce nummos afferret. Verùm ipse nonnihil fructuum in fratres partitus, reliquum ad nobiles matris puellas delaturus, in arcem conscendit. Ibi postquam singulas parte quâdam aspersit, in colloquia, jocosque, pecuniæ & mulieris oblitus, effunditur. Hæret interim ad pontem fœmina, oculosque identidem ad portam conjicit. Ubi nullum ab arce cum pecuniâ, pedem efferre conspicit, tum denique illusum sibi suspicatur; nullum tamen expectandi finem facit, donec imminentis noctis tenebræ domum revocent. Eò demum regressa, utrumque filiolum inediâ mortem oppetivisse comperit. Exinde totas per noctem gemitibus habenas effundit; modò sibi mortem, modò juveni diras imprecando; sæpè etiam liberos stringendo complexu, & felices appellando, qui suam morte miseriam abruperint, ipsâ interim patente in luctu, & doloribus jacente. Postquam dies illuxit, utramque prolem ulnis amplexa, viam ad Lidericum in arcem corripit; ad Principis jura dicentis tribunal duci se flagitat: nec movetur aut irridentium audaciâ, aut rei novitatem admirantium Procerum, & famulorum vultu, verbisque. Ibi depositis in pavimentum corporibus liberorum, in genua supplex procumbit, talique (dolor enim & amor faciebat esse disertam) Lidericum insolito spectaculo attonitum, oratione adoritur: Si verum Principem censeri te velis, Liderice, hodiernâ die severum exerceas judicium oportet. Ac ne judicii materiam aliundè quæras, hi liberi mei causas præbent: mortis causam, modumque pronum est mihi exprimere; necis auctorem prodere, forsitan tibi injucundum erit, mihi periculi plenum. Quid tamen periculi metu constringar, ubi etiam jucundum sit cum liberis mori, si homicidam prodere fraudi sit? Et quid tibi injucundum, tristeve accidere debeat, audito interfectoris nomine, cum scelera pœnis coërcendo, voluptatem hauritas sit necesse? Qui ergo istic jacentes pueros confecit, tuo tecto utitur, tuæ mensæ particeps est, imò tuorum viscerum pars, Joseramnus. Tum causam omnem à capite ad calcem pertexuit, cujus hæc summa erat; *dum pecuniam justo diutiùs expectare cogor*, geminam prolem, fatum absumpsit, *idque mihi domum redeunti, spectaculum oblatum est*. Ad istam mulieris orationem, Lidericus primùm ingenti dolore perculsus, dein accersi Joseramnum imperavit, quo ut rem sic se habere, etsi jam paratum se pretium persolvere cognovit, ignaris omnibus, Tornacum se contulit. Ibi Joseramni causam, tacito nomine, quasi alium eo crimine involveret, Senatoribus explicuit: quibus omnibus visum est, juvenem peremptorum inediâ puerorum, scelere obstringi, idcoque capitis damnandum. Neque verò cunctatus est Lidericus, perculsum eâ sententiâ filium neci tradere, & Insulis in furcam suspendi, vel ut alii, capite plecti jussit. Quòd si nunc hoc corruptissimo sæculo alter Lidericus exsurgeret, qui in eos inquireret, qui non exiguum aliquot assium, eamque non ex levi oblivione dilatam solutionem; sed aliquot millium, merâ malitiâ, vel avaritiâ, non in paucas horas, sed annos protrahendo, aut nunquam solvendo, in causâ sunt, cur viduæ & pupilli fame pereant, in omnibus compitis, & plateis, furcæ erigendæ essent, in quas tales fures, imò homicidæ, jure agendi essent; nec attendunt, se à vindice Deo, ad majora, & æterna supplicia servari.

Si ullis mortalium incumbat, ut in operibus velox sit; profectò Causidicis, Legisperitis, Advocatis, Consiliariis, festinato opus est, ut lites, & causas potissimùm viduarum, & pupillorum expediant, quod divinus ille Plato lib. 5. de Legibus monitum voluit: *Vbi lites*, ra BREVISSIMÆ, & *paucissimæ sint*; vult non paucas solùm; sed breves; non restitionum more, eas in annos & lustra prorogando, succum omnem & substantiam extorquendo; quo fit, ut initio litis, satiùs sit causâ semel cadere, quàm summo tormento, & detrimento diu pendere; quod omnibus decantatum esse voluit, qui cecinit:

Ah miser! ah demens! viginti litigat annis
Quisquam? cui vinci Gargiliane licet.

Fit per diverticula, dilationes, compercodinationes, revisiones, provocationes, ut in labyrinthum, & anfractus inexplicabiles, causam etiam levissimam, quæ uno die, aut horâ, citò expediri posset, involvant. Hinc Nicoclem Regem Cypri, Isocrates monebat: *Vt tas ferret leges, quæ vel nullius litis haberent seminarium, vel exortas controversias*, STATIM *dirimerent*. A quo Tullius

Hieron. Zieg. de Illustr. Germ. viris cap. 9.
Lessius de Iure & Iustit. lib. 2. cap. 9. dub. 23.

Buselinus in annalib. Gallo-Flandriæ. lib. 2. anno 955. p. 67

Lites, & causæ potissimum viduarũ & pupillorum citò citò expediendæ.

Martialis lib. 7. epig. 64.

Tullius Romanæ eloquentiæ princeps commendat Servium Sulpitium, quòd litium anfractus tollere semper maluerit, nec ad eas, actiones constitueret. Nec inmeritò etiam laudatus Pompejus, quòd de ineundâ ratione, lites citò componendi, specialem legem tulerit. Quid, quòd Domitianus edicto publico, perpetuo exilio Romæ mulctavit, qui litem ultra annum protraxisset. Quod edictum si Gandavi, Mechliniæ, Bruxellis, aliisque Europæ urbibus, ubi curiæ sunt, vigeret, non urbibus, sed orbe propè exulandum esset. Exodi 24. supremus legum arbiter Deus, populo suos duos Judices statuit, qui omnes lites sine ulteriori prorogatione, quàm citissimè dirimerent: *Habetis Aaron, & Hur vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos*, qui è vestigio, non longis logis, aut prolixis scriptis, sed paucis verbis causas decernerent. In quo mos Turcarum à plurimis laudatur, apud quos non scripto, sed verbis, coram partes audiuntur, & rationibus utrimque expositis, & justâ trutinâ expensis, sententia denuntiatur; quòd si quis falsa allegasse, aut pejerasse deprehenditur, vivus impalatur. Hæc si inter Christianos lex vigeret, quid alterutri parti inde injuriæ inferretur? Quantum emolumenti, tranquillitatis, & concordiæ non accederet? Quam celeritatem in suâ curiâ vigere, & iniquissimam illam procrastinationem abolere efficaciter statuit Theodoricus, Rex Romanorum: hunc adibat Juvenalis vidua, querens litem suam in plures annos produci, quæ paucis diebus dirimi posset. Rex patronos causæ ad se evocat, eisque commendat, ut propediem hujus viduæ litem expediant. Dictum, factum, die insequenti ex voto viduæ litem diremerunt, illique causa adjudicata est. Quo facto, eos ad se accersivit Theodoricus, qui rati se pro munere à Rege vocari, rogantur, quid tam citò causam viduæ expedivissent? Respondent Regis commendatione id factum. Tum Rex: Et quando vobis id muneris contuli, an non omnium negotia, & potissimùm viduarum, quàm citissimè fieri potest, conficienda mandavi? ac statim socordem eorum procrastinationem damnans, utrumque capite minui jussit. Quod adeo obstupuit Juvenalis, ut in medio templi, Regi precanti, velut Deo, aut Divo cereum accenderit. Vultis alium virum velocem in causis pauperculorum promovendis & absolvendis? is fuit non vulgaris scriba, sed Comes Elzearius, qui ultrò, & gratis, patrocinium eorum suscepit, libellosque supplices à mendicabulis, sine modo, sine numero oblatos, & numquam importunè obtrusos, quò diligentiùs asservaret, & curaret, in grandi perâ sericâ circumferebat. Fuit aliquando, qui manus abluentem comitem, ac jam mensæ accubiturum, (ut importuna est egestas) opprimeret, & tu, inquit Domine, mensam & delicias cogitas; ast ubi interea libellus meus supplex? At qui hodie expediendum eras pollicitus. Indignatus alius quilibet fuisset; at Elzearius comiter: Rectè mones, inquit, ô amice; neque hic mihi abierit dies, quin pollicitationi meæ fecerim satis. Nec ad momentum distulit; sed citò, citò, properanter, festinanter, prandio ac sociis relictis (admirentur, & æmulentur Jurisconsulti) palatium adiit, negotium misselli confici petit, obtinuit, refert, tradit; ac tum demum ad suos rediit, potuitque paratæ accumbere mensæ, jucundiùsque, licèt frugaliter, se numquam jucundiùs epulatum. Sed de his aliàs pluribus festo S. Ivonis actum est. Tandem, ut concludam, *in omnibus operibus tuis* ESTO VELOX, & noli in hoc brevis vitæ curriculo, aut vanitatis flosculos sectando, aut puerorum more, conchas legendo, morari; sed ad metam felicis æternitatis, cum festinatione properare; nam ut christianè monet gentilis Philosophus: *Tu occupatus es*, VITA FESTINAT; *itaque cum* CELERITATE TEMPORIS, UTENDI VELOCITATE *certandum est*. Expediamus nos omnibus, quibus miserè irretiti, & impliciti tenemur; quod nulli difficile, aut acerbum videbitur, qui mundum hunc, velut procellosum mare enavigaturus, felicem illum beatissimæ patriæ portum se petere attenderit. Ad hoc brevi, & nervosâ parænesi divus Cyprianus nos quemque nostrûm his verbis exstimulat: *Quis non peregrè constitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad suos* FESTINANS, *ventum prosperum cupidius exoptaret, ut* VELOCITER *charos liceret amplecti? Patriam nostram Paradisum computamus, parentes Patriarchas habere jam cæpimus. Quid non* PROPERAMUS ET CURRIMUS, *ut patriam nostram videre, & parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos, & copiosa turba desiderat. Ad hoc andâ cupiditate properemus, & cum his* CITO *esse, ut* CITO *ad Christum venire contingat, optemus.*

..

Vernulæi Institut. polit. pag. 85.

Exodi 24. v. 14.

Cassiod. contr. S. lib. 3. de la Justice. c. 6.

P. Binet. in vita. 14.

Eccl. 31.

Seneca de brevitate vitæ c. 8.

S. Cyprianus de mortalitate in fine



FESTVM



FESTUM
S. ELIÆ PROPHETÆ, 20 Julii
PRIMO AC PRINICIPI
CARMELI PATRIARCHÆ.

Currus Israël & Auriga ejus. 4 Reg. 2.



Ex humeris rejecit amictum. Virg. 5. Æneid.

ARGUMENTUM.

SAnctus ELIAS decus & gloria CARMELI, curru igneo, & flammivomis equis in cælum abreptus, pictoribus atque Poëtis, ut Chrysostumus ait, argumentum præbuit, ut fabulam de curru, & equis Solis, *tam delectandi,* Aug. contra Faust. *quàm mores hominum interpretandi causâ* comminiscerentur. Hinc ad mores illud traditur, Eliam splendidos titulos, & omnes mundi honores aspernendo, sedisse in curru humilitatis, quo meruit, cum tot ejus Illustrissimi l. 20. c. 1 Ordinis Carmelitanis Filiis, curru gloriæ in cælum evehi: cùm è contra innumeri mortales, è curru superbiæ, turpiter in terram, imò in profundum inferni, Plutonis equis abrepti sint; quò ne & nos abripiamur, *triplex currus Domini* ab H... ne Cardinale describitur. 1. *Currus Virginitatis.* 2. *Patientiæ.* 3. *Charitatis*, in quibus duce ELIA, Hugo Car in Isa. c. utriusque ... us virgines, & non solùm purpurâ Cardinalitiâ, sed sanguinis sui ostro purpurati Martyres, ac charitatis victimæ, in cælum sublati sunt. 37. v. 24

Quantæ autem peritiæ & industriæ sit, ejusmodi currus regere, attonitus exclamat Heliseus: *Currus Israël, & Auriga ejus!* Exemplum ingens infelix Phaëton est, qui utinam exitio suo, omnes eos, qui insano cerebro gubernacula Reipublicæ ambiunt, deterreret. 4 Reg. 2.

Omne regnum, omnis Respublica, omnis tam religiosa, quàm politica familia, currus est, qui prudentem, peritum, & expertum Aurigam requirit, ne se, & suos perdat.

Abiturus verò à suis magnus Propheta, in monumentum & pignus amoris, *pallium* reliquit, manifestam *sacri Scapularis*, quod Virgo Mater filiis Carmeli è cælo detulit, figuram omnium benedictionum, per prodigiosa miracula, & mira prodigia, hujus Ordinis tesseram sempiternam.

§. I. *Currus Dei, decem millibus multiplex, millia lætantium.* Psal. 67. ℣. 18.

§. II. *Currus Israël, & Auriga ejus.* 4. Reg. 2.

§. III. *Heliseus levavit* PALLIUM ELIÆ, *quod ceciderat.* 4. Reg. 2.

FESTUM

FESTUM
S. ELIÆ PROPHETÆ,
PRIMO AC PRINCIPI
CARMELI PATRIARCHÆ.

Currus Israël & auriga ejus: 4. Reg. 2.



RIsci Philosophi, gẽtilitatis tenebris involuti, ad limpidissimum sacrarũ Scripturarum speculum cæcutientes, ea quæ in iis legerant, ut deliramenta reputantes, ad fabulas conversi sunt. Sic ipse divinus Plato, ubi in illud divini Vatis Mosis, Geneseos primo incidit: *In principio creavit Deus cælum & terram, &c.* principio suo naturali innixus, *ex nihilo nihil fit*, illud philosophico supercilio protulit: *Hic homo multa dicit; sed pauca probat.*

Hinc mundi creatio, velut anilis fabula à Poëtis decantata:

Ovid. lib. 1. metamorph.

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia cælum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixêre chaos; rudis, indigestaque moles.

Pergit porrò omnia, quæ omnipotens artifex molitus est, velut penicillo in tabula depingere, quæ non aliunde, quàm ex istis sacris paginis hausit.

Quis primi hominis creationem, Paradisi delicias in metamorphosi ad vivum depictas non videt? quas sæculum aureum appellârunt:

Ovid. cit.

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo,
Sponte suâ, sine lege fidem, rectumque colebat:
Non galea, non ensis erat.
Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus.
Ver erat æternum, &c.
Flumina nunc lactis, nunc flumina nectaris ibant.

Ubi & ad manna, & mel de petrâ allusisse visus, qui campos Elysios descripsit.

Diluvium ex eodem Scripturæ fonte Naso derivavit.

Sic Gigantomachiam, quis non videat, eum à prælio, quod inter supremas illas intelligentias, in cælo ortum est, mutuatum fuisse?

Volverat haud dubiè Poëta & sacra Ezechielis vaticinia, cui per visionem exhibita mystica, plena oculis animalia, dum ad eorum typum, Argum centoculum commentus est, ut rectè Hieronymus in lib. 1. Ezech. c. 1. CORPUS PLENUM *oculis* IN CIRCUITU; *qualem describunt fabulæ Poëtarum Argum fuisse centoculum.* Hieronî lib. 1. Ezechiel. c. 1.

Mitto alias innumeras primæ veritatis historias, quas gentiles è sacris litteris, ad fabulas converterunt. Unam, quæ ad propositum facit, tacitus præterire non possum, quam sacri Regum Annales referunt: cùm Helias, & Helisæus per viam pergerent; *& incedentes sermocinarentur,* ECCE CURRUS IGNEUS, ET EQUI IGNEI *diviserunt utrumque,* & ASCENDIT ELIAS PER TURBINEM IN CÆLUM; *Helisæus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi,* CURRUS ISRAEL, ET AURIGA EIUS; ex hoc velut prototypo Veteres Poëtæ Phœbum, qui græcè ἥλιος dicitur, humanâ formâ, radiosum currum cum quatuor equis ignem spirantibus, moderantem finxerunt; sic enim Pelignus Vates lib. 2. metamorphoseos currum depingit: 4 Reg. 2.

Ovid. lib. 2. metam.

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.
Per juga Chrysolithi, positæque ex ordine gemmæ
Clara repercusso reddebant lumina Phœbo.

Huic quadrupedes celeres, *ignemque vomentes, Ambrosio succo saturi* junguntur.

- - - Pyroeis, Eoüs, & Æthon
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent.

Aureè Chrysostomus, in amœno illo Heliæ spectaculo, & inusitato à sæculis miraculo, defixus ait: *Hinc Poëtas atque Pictores in figurandâ Solis imagine exempla credo sumpsisse: qui* CURRU, *atque equis fulgentibus ipse rutilans, atque radians, è fluctu oceani sublevatur, inter præruptos montium scopulos evadens, quasi ad cælestia videtur ascendere.* Sol enim græco sermone Helios appellatur; unde *Helias verè Helios: quoniam curru atque equis ignem spumantibus, de oceani fluctu, id est, de mundi commotione, per montium scopulos, id est, per magnorum laborum difficultates progrediens, ad cælestia devectus ascendit.* Chrysost. tom. 1. hom. de Ascens. Heliæ.

Nunc ut ex umbris Solem metimur, sic è fabulis rei veritatem gentiles faciunt elucescere, ut rectè Augustinus: *Habent quidem pagani quædam fabulosa figmenta; sed esse illas fabulas nôrunt, & vel à Poetis delectandi causâ fictas esse asserunt: vel eas ad naturam rerum, vel mores hominum interpretari conantur.* Verùm enimverò quidquid ipsi finxerunt August. contra Faustum l. 20. cap. 9.

fina eruor minus, est, quam quod divinæ paginæ expresserunt. Alius Elias noster Helios, divina luce refulgens, alius currus seraphico igne flagrans, alii equi per orbem universum cœlestes flammas diffundunt, quam poëtarum ingenia comminisci potuere.

Ubi illud comprimis *ad mores* occurrit, sanctissimum hunc Prophetam gloriosu curru, quihonor nulli mortalium obtigit) in cælum evectum, quòd cùm tantus esset in terris, & tantâ apud Reges & Principes, summos & imos ejus esset virtus, veneratio, & potentia, non tamen Currus ex equorum veheretur, non cibo regio sustentaretur, non proximus regi incederet, non purpurâ & bysso indueretur; sed in zonâ pelliceâ, nudipes, & discalceatus, fame & siti propè enectus, pauxillum aquæ, & frustum panis à paupercula viduâ emendicarit, dicens: *Da mihi paululum aquæ in vase & bibam, & buccellam panis in manu tuâ.*

Cum s humilitate, & præpertans filium in cælum extulit.

3 Reg. c. 17. n. 10.

Insuper, quia Heliasoblatos honores, Regum favores, & pupularem auram aversatus fuerit, hoc titulo supra omnia humana radioso curru in cælum evectus sit.

4 Reg. 2.

Quis autem hic triumphalis currus fuerit, mysticè Antiochenus Præsul, aureo ute pronũtiavit, & ad consimilem ascensum nos invitavit, dum dixit: *Sedebis* IN CURRU HUMILITATIS, *qui te in cœlum sustollet, qui equos habet alacres.*

Chrysost. hom. 4 in Epist. 1. ad Corinth.

Nonne sedit in *curru humilitatis* sanctus *Albertus*, qui ut illustri familiâ, è sterili parente natus, huic sacerrimo ordini consecratus, illud pro scopo habuit:

Nobilitas vera, atque unica virtus,

Ovid. lib. 2. metam.

Nempè humilitatis: inter suos enim, nihil eo abjectius, nihil à fastu sæcularitalienius, paupertatem, & omnium honorum expoliationem perfectam, tanto studio adamavit, quanto plerique commodorum, & titulorum avidi, ea consectantur.

Hinc non in vita tantum, sed & in morte audire meruit: *Amice, ascende superius*, ad currum gloriæ triumphalem. Unum è multis in præsens argumentum adducam; quod ut ordinis hujus viris perspectum sit, facit ut divini verbi præcones filum suum pertexant. Cum prodigiis ac signis mirabilibus vix vita functus inclaresceret, pia contentio cleri & populi, qui ad exequias confluxerat, interventu beatorum spirituum dirempta est: nam dum clerus mortuale sacrum (ut moris est) decantari vellet; populus verò hanc importunam cantationem objiceret, & de sancto Confessore Missam celebrari postularet; post præmissas in eam rem, jubente Episcopo, preces, auditus est cælestium symphoniacorum concentus, Missam ritu SS. Confessoribus proprio, cujus initium, *os justi meditabitur sapientiam*, suavissimè modulantium; sicque uno affectu omnes effusi in laudes, mirificati & magnificati à Domino Sancto suo, funebrem pompam angelico prophonetico adhærentes, verterunt in celeusma gloriæ.

Surius.

Non aliâ viâ alterum Carmeli lumen & columen, S. Andreas Corsinus, S. Thomasius, atque innumeri, ad currum gloriæ ingressi sunt, cui ut insistamus, hortatur Bernardus: *Descende ut ascendas, humiliare ut exalteris: hac enim est ad sublimitatem via, & non est alia præter ipsam; qui aliter vadit, cadit potius quam ascendit: quia sola est humilitas quæ exaltat.*

Bern. ser. 16. in cantica.

Helias claves cæli circumferre, pluvias, & ignes pro libitu suo in terras devocare, occidere, & vivificare, aliaque prodigia, supra Moysen, aut qui umquam extitissent, velut alter Deus patrare, palam omnibus videbatur, ut Ecclesiasticus brevi ejus encomio luculenter omnia complexus, testatur: *Surrexit Helias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*, ut Pinna noster, & nus infra plenius. Hic potens fuit in sermone, vultis videre, & in opere? *qui induxit in illos famem, & irritantes illum invidiâ suâ pauci facti sunt: non enim poterant sustinere præcepta Domini*, quæ illis proponebat.

Eccl. 48.

Ibid.

Verbo Domini continuit cælum, & dejecit de cælo ignem. Sic amplificatus est HELIAS, *in mirabilibus suis.*

Ibid.

Atque ut ostendat neminem Sanctorum illi similem, subdit: *Et quis poterit similiter gloriari?* quasi dicat, nullus.

Jansenius putat post Moysem, usque ad Christum nullum fuisse Heliæ similem, in edendis miraculis; imò, cum inter summa miracula reputetur mortuorum resurrectio, magis aliquid quam Moyses præstitit: quia Moyses nullum vitâ functum ad vitam revocavit; Helias verò *sustulit mortuum ab inferis*; ac tandem curru igneo in cælum sublatus est: sic honorabitur abjectus, & humilis, quem Deus voluerit honorare. *Hic est Helias*, inquit S. Epiphanius, *qui ter ignem è cælo deduxit, quique imbrem sua lingua gestavit, mortuos item suscitavit, & in cælum denique nimbo, seu turbine ignis assumptus est.*

V. Pinna in Eccl. cit.

Eccl. cit.

S. Epiph. de vita Prophetar.

Nonne alter Helias, & Joannis Baptistæ æmulus, in curru *humilitatis* sedit *Beatus Simon Anglicus*, nobili prosapiâ, sed multò nobilior vitæ sanctimoniâ: qui vix duodennis, è paternis laribus secessit in eremum, ubi domus illi cavus arboris truncus, unde illi cognomen *Stock*: in quâ arbore 33. annos sedem fixit, herbis famem, sitim frigidâ restinguens; sed *sola est humilitas, quæ exaltat*; nam truncus hic in aulam regiam, inediain cælestes delicias, caulam aulam commutata sunt, dum angeli ascendentes, & descendentes, hanc annosam quercum frequentabant, & Paradisi cupedias animo instillabant. Quanta capacitatis dicemus angustum hoc arboris domicilium, quo non Simonem tantùm, sed ipsum Deum majestatis, cum tot angelicis turmis complecteretur? Mira tradit Plinius de Platanis, in altum, latumque diffusis. *Clara est*, inquit, *arbor in Lyciâ, demiculo modo, cava octoginta pedum specu, nemoroso vertice, eam digna miraculo, ut Lucinius Mutianus ter consul, prodendum etiam posteris putarit, epulatum intra illam se cum duodevigesimo comite, & cubuisse in eadem.*

Bern. cit.

Plinius l. 12 cap 1. Mutiano dicit Cansul. rit. Planta.

Non minoris capacitatis alias Historici commemorant; sed illis longè amplior, & augustior censenda B. Simonis, quæ ipsi, & Deo, & cæli-

cælitibus, pro Regia fuit. Tandem hic humilis, & abjectus Dei servus, hominibus ignotus, à Deiparâ edoctus *imitatores Heliæ* è palestinâ advenisse, in quorum cœtum adoptandus esset; quorum vitæ sanctimoniâ adeo captus est, ut octogenarius ad eos aggregari petierit, & exorarit. Inde lustratis terræ sanctæ locis, & sacris Christi vestigiis, in Ordinis Generalem adlectus, omnibus conclamantibus, ille solus reclamavit. Dignus certè qui per omnem propè vitam *in curru humilitatis* sederat, ortum Heliâ glorioso curru in cælum veheretur.

Raynaudus. de Scapulari.

Scite vultis quî fiat, tam paucos gloriæ curru evehi: non alia causa est, quàm quòd rari inveniantur, qui cum Heliâ, ejusque sociis sedere comperiantur *in curru* humilitatis, è quo princeps superbiæ, phaleratis suis quadrigis, & rhedis eos deturbare, & cum curru suo superbiæ commutare persuadet.

Attendite, quid periculi, prodigio sanctitatis, Simoni Stylitæ impenderit, & docti sapite. Stylites post stupendum vitæ rigorem, post plures annos stando in columnâ exactos, post signa & prodigia mirabilia, post innumeros Saracenos, Persas, Armenos, ad Christi gregem adductos, invidentem sibi habuit inimicum hominis, qui transfigurans se in angelum lucis, *cum equis igneis, & curru igneo apparuit*, juxta co-
„ lumnam ubi stabat beatus Simeon: & dixit
„ diabolus blandis verbis: Simeon, audi verba
„ mea, quæ tibi Dominus mandavit. *Misit me*
„ *Angelum suum*, CUM CURRU IGNEO, ET
„ EQUIS IGNEIS, *ut rapiam te quomodo ra-*
„ *puit* HELIAM; tempus tuum jam est.
„ Et tu similiter *ascende jam mecum* IN CUR-
„ RUM, quia Dominus cæli & terræ trans-
„ misit hunc; ascendamus pariter in cælos,
„ ut videant te Angeli, & Archangeli, cum
„ Maria matre Domini, cum Apostolis, & Mar-
„ tyribus, Confessoribus, & Prophetis: quia
„ gaudent videre te, ut ores Dominum, quia
„ creavit te ad imaginem suam.
„ Simeon completâ oratione, dixit: Domine
„ vis rapere me peccatorem in cælum? & ele-
„ vans dexterum pedem, *ut ascenderet in currum*
„ (superbiæ) levavit dexteram manum, & fecit
„ signaculum Christi. Cùm signum crucis
„ fecisset, continuò diabolus nusquam comparuit. Verè currus Pharaonis cum equitibus ejus submersi, & eversi sunt.

Rosvveydus. vita Patrum. lib. 1. ex D. Hieronymo, & aliis.

Tunc intellexit Simeon artem diaboli. Reversus ergò in se, dixit pedi suo: non reverteris retrorsum hinc, sed stabis hic usque ad obitum meum, donec accersiat Dominus me peccatorem. Atque ita residens in sede humilitatis, meruit ad currum æternæ gloriæ exaltari.

§. I.

CURRUS DEI, *decem millibus multiplex, millia lætantium* Psal. 67. ℣. 18.

POtentissimus Rex Salomon, magnificentiam & opulentiam suam non solum in argento & auro, in magnificis palatiis, & substructionibus, sed & in multitudine, & delectu equorum, ac curruum ostentavit, *& facti sunt ei* MILLE QUADRINGENTI CURRUS, *& duodecim millia equitum.*

3. Reg. 10. v. 16.

Hæc rudis, & crassa quædam fuit adumbratio magnificentiæ, ac opulentiæ omnipotentis Dei, Regis Regum, de quo purpuratus vates: CURRUS DEI, *decem millibus multiplex, millia lætantium*; de quibus D. Ambrosius: MULTOS CURRUS *habet Ecclesia, quos omnes spiritualibus habenis regit.* Ex his tres præcipuos, ac præcellentes inducit Hugo Cardinalis, in illud Isaiæ: *In multitudine quadrigarum*, ubi ait: *Est* TRIPLEX CURRUS DOMINI. *Primus pudicitiæ, secundus patientiæ, tertius charitatis.*

Psal. 67. Amb. lib. super Beati immaculati. v. 6. Hug. Car. in Isa. cap. 37. v. 24.

Hic triplex currus, splendidissimus ordo Carmeli, virginitate candidus, martyrio purpureus, & charitate igneus.

Currus triplex Ordinis Carmel.

Primus currus vehit virginitatis Principem, ac primipilum Heliam; sic ut vobis, venerandi Patres, ac Virgines Carmeli, propriissimè competat, quod Doctor maximus ad Paulinum, ubi ostendit omnes viros militares, Philosophos, Poëtas, Historicos, sibi Duces ac Principes, quos æmularentur, proposuisse: *Habet unum quodque Principes suos: Romani, duces suos imitentur Camillos, Patricios, &c.* Ac tandem concludit: *Et ut ad nostra veniamus: Episcopi & presbyteri, habent ad exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum. Nos autem, habeamus propositi nostri Principes, Paulum, Antonium, Iulianum, Hilarionem, Macharium*; ET UT AD SCRIPTURARUM AUCTORITATEM REDEAMUS, NOSTER PRINCEPS EST HELIAS, NOSTER DUX EST HELISEUS, NOSTRI DUCES FILII PROPHETARUM, QUI HABITABANT IN AGRIS, ET SOLITUDINE. Quo manifesto patet Monachorum Principem, divinum Heliam extitisse, & virginitatis florem, in mundum induxisse, ut rectè S. Isidorus: *Nunc autem quæ sit sacra virginitatis integritas, vel à quo tam sancti propositi studium sit exortum, breviter intimabo. Quantum enim ad vetus testamentum attinet*, HELIAS, *Hieremias, Daniel, castitatis, & continentiæ, bene primi studuisse noscuntur.*

1. Currus virginitatis.

Hieron. Epist. 4. ad Paulinum.

S. Isidor. lib. 2. de Origin. offic. c. 43.

Interim infamis ille impostor, & omnis immunditiæ porcus, Jovinianus, audet asserere Heliam conjugali vinculo adstrictum fuisse, cujus dementiam sic perstringit Hieronymus: HELIAM *ergò quàm stultè posuerit Iovinianus* IN CATALOGO MARITORUM, *me tacente manifestum est; si enim Ioannes venit in spiritu, & virtute Heliæ, & Ioannes virgo est, utique non solum in spiritu ejus venit, sed* ETIAM IN CORPORIS CASTITATE.

Hieron. lib. 1. contra Iovinianum.

His accedit Cassiani testimonium libro 1. de institutione Monach. c. 1. *Prior est Helias, qui in veteri testamento*, VIRGINITATIS JAM FLORES, ET CASTIMONIÆ CONTINENTIAM, PRÆSIGNABAT EXEMPLO. Flores numquam in terris visi, è cælesti paradiso, in paradisu Carmeli plantati: quis enim enumeret asceteria, & Parthenones Monachorum, ac sanctimonialium, quæ in hoc paradiso *germinarunt sicut lilium?* vaticinatus de iis Isaias: *Lætabitur deserta, & invia, & exultabit solitudo, &* FLOREBIT QUASI LILIUM: *germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans.*

Isa. c. 35.

Unde

Unde hæc lætitia, & exultatio? *Gloria Libani data est ei,* DECOR CARMELI.

V. Festo. Præsentat.

Quæ ne sanctorum Patrum suffragiis adversari videantur, nemini dubium relinquitur, quin infinite excellentiori modo, virgo mater virginitatem prima, ut vexillifera in lege novâ in se expresserit, & imitandam proposuerit. Exclamare libet: *Quis audivit unquam tale, & quis vidit huic simile?* fragrâtia castitatis lilia virorum ac mulierum in hoc Carmeli paradiso germinasse, ut priscis illis temporibus sub ipso Heliæ exorta, septem millia, & quingenta cœnobia, & centum octoginta millia Religiosorum sacris initiatorum; atque in pluribus eisdem cœnobiis, Monachi, ac sanctimoniales ad centena millia numerata sint, quorum calculum inire, stellas cæli enumerare est.

Isa. 66. v. 8.

Clisboveus.

Hos autem filios, ac filias Patriarchæ Heliæ extitisse, diserte tradit Hieronymus scribens ad virginem Eustochium: *In veteri lege sola erat benedictio liberorum: quia vacuus erat orbis; paulatim verò crescente segete, Messor immissus est: virgo namque Helias, virgo Heliseus, virgines multi filii Prophetarum,* & Filiæ Carmeli, quæ & in lege Christi uberius germinarunt. In hoc argenteo curru pudicitiæ & castimoniæ supereminet virgo Maria, virginum Carmelitanarum mater, longè illustrior quam vetus illa Cybele, falsorum Deorum mater, de quâ Maro, verius Reginæ virginum applicanda:

Hieron. ad Eustochiũ. De servanda virginit. Epist. 22.

Virg lib. 6 Æneid.

- - - - *Qualis Berecynthia mater,*
INVEHITUR CURRU *phrygias turrita per urbes,*
Læta Deûm partu, centum complexa nepotes,
Omnes cælicolas, omnes super alta tenentes.

Virgo mater, non Deorum, sed omnipotentis Dei: non centum complexa nepotes, sed millenos, imò innumeros qui eodem pudicitiæ curru vehuntur, complexa filios, & filias, *omnes cælicolas,* super alta cæli domicilia, ut Lacerda noster, evexit. Mirum illud, & forte multis inauditum, quod gravissimus auctor Dionysius Carthusianus, Bergomensis, aliique asserunt: ipsam virginem Mariam, Monasterium *centum & quinquaginta monialium* instituisse, ejusque curam habuisse; cum verò nullum tunc institutum monasticum viguerit, præter illud quod Helias profitebatur, non vana conjectura est, etiam ipsam virginem huic sese dedidisse, ac præfuisse; cui ad ipsum Carmeli montem, sacellum jam olim dedicatum fuit, ut Josephus Antiochenus lib. de perfectâ militiâ primitivæ Ecclesiæ, tradit, dicens: *Perfectorum militum Christi, id est Apostolorum coadjutores surrexerunt strenuissimi viri, contemplationi dediti, Sanctorum Prophetarum* HELIÆ ET HELISEI SEQUACES, *qui de monte Carmelo* descendentes, per *Galilæam, & Samariam, & Judæam, fidem Christi docuerunt* (ut fusius de eorum martyrum purpureo prosequemur) *quique* IN MARIÆ VIRGINIS HONOREM, IN MONTIS CARMELI DECLIVIO (non diu post Domini Passionem, vivête adhuc virgine) ORATORIUM FABRICANTES, SALVATORIS MATRI DEVOTISSIME SERVIERUNT. Quid, quod ab ipsis Pontificibus, & universâ Ecclesiâ *fratres beatæ Mariæ,* jure nũcupentur; quam splendidã nomenclaturã jam ab ipsis Apostolorum temporibus usurpasse, scribit Joannes Patriarcha Jerosolymitanus: *Propter primitiarum spontaneæ virginitatis similitudinem, singulariter repertam inter hujus ordinis fundatores, & Dei genitricem: Professores ipsius jam tempore Apostolorum eam vocabant* SORORÊM SUAM, ET SEIPSOS FRATRES B. MARIÆ COGNOMINABANT; sed libet hæc infallibili è Petri Cathedrâ confirmare oraculo: ita namque Joannes XXII. Sixtus IV. Julius III. & Gregorius XIII. locuti fuisse leguntur: *Sacrum hunc Ordinem* SUB INVOCATIONE B. MARIÆ DE MONTE CARMELO *confirmamus, quem gloriosissima Virgo Maria omnibus virtutum floribus insignita produxit, & edidit,* PROPRIIQUE NOMINIS TITULO VOLUIT INSIGNIRI, *&c. sub tanti ergo nominis, & numinis umbrâ,* inquit, Marcus Antonius Alegrius in Paradiso Carmelici decoris præamb. 32. §. 7. *in spiritu & veritate suscepti militavere strenuè vetusti Carmelitæ, usque dum veniens ad suum Carmeli domicilium, hæc diva mater ab eis ut præceptrix & altrix suscepta est.*

Lacerda in Virg. Æne.

Dion. Car. Bergomẽsis lib. de illust. fæminis. Bergerbuck thaur.

Joseph. Antioch. lib. de perfectâ militiâ primitiv. Eccl. cap. 12. Cartagena de Ord. Carmel. cap. 8. Clisboveus. Trubom. de Ord. Carmel. cap. 7.

Ioan. Patriarch. Ierosolymit. lib. de institut. Monach. cap. 36.

Non raro splendida, & fortunata nomina iis insignitis, totique familiæ honorum titulos, ac virtutum decora contulerunt. Sic Paulus Orosius narrat *Constantinum* ex infimâ militiâ propter solam *spem nominis* in Imperatorem electum esse.

Paulus Orosius. lib. 7. cap 40.

Et cognomines Mariæ fratres non merebuntur, majorem ac sublimiorem dignitatem, propter solam *spem nominis,* quam in hac auspicatissimâ nomenclaturâ repositam habent? fuit olim apud Romanos tam amabile, & venerabile *nomen* ANTONINORUM, *& qui eo nomine non uteretur, mereri non videretur Imperium;* quod probat epistola Opilii Macrini, *quâ gloriatur, se ad imperium pervenisse, quod* ANTONINI *nominis esset particeps factus, quo clarius iis temporibus non erat.*

Lampridius in diradumeno.

Sed hoc *magni nominis umbra* clarissimo Mariæ nomini, & splendori cedat, & concedat necesse est; quo fratres, & filii *Mariæ* insigniti, altissimos dignitatum titulos, virtutum honores, & æternum imperium, ad familiæ Marianæ gloriam sempiternam consecuti sunt. Longum esset enarrare qui ad Tricoronides tiaras, quâ major in terris dignitas, & potestas non est: ad Cardinalitiam purpuram, aliosque gradus evecti sunt.

Omnia paucis complexus celeberrimus divini verbi Ecclesiastes M. Franciscus de Ayalâ serm. de sancta Theresiâ, expendens illud Isaiæ 2. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes;* sic disserit: mons in vertice montium, est *sacra Carmelitarum Religio,* ad quam venerunt omnes " gentes, quia in illa fuere ex omni statu mili- " tantis, & triumphantis Ecclesiæ, scilicet, Pa- " triarchæ, Prophetæ, Apostoli, Evangelistæ, " Doctores, Martyres, Confessores, Virgines. " Item ex omni statu orbis hujus, videlicet tres " summi Pontifices, septem Cardinales, viginti " novem Patriarchæ, Archiepiscopi quam plu- " rimi, Episcopi centum quadraginta duo; qui "

Isa. 2.

omnes hoc nomine *fratrum Mariæ* (quo nullum clarius) in terris, & in cælis sublimati sunt. Unde magnus ille Jurisconsultus Joannes Andreas super Decretal. Innocentii III. ad Episcopum Zamorensem, refert sororem suam nomine Milanciam, hoc præstans & elegans Apopghtegma protulisse: *Si egregia nomina, sicut aliæ merces in foro venderentur, quocumque etiam ingenti pretio, clariora & illustriora à parentibus emenda, ut ea filiis imponerentur*; quibus & ad omnem virtutem, atque heroica facinora, & ad mensuram nominis sui implendam, ac illustrandam, exstimulari possunt.

Lyranus in Trisagio Marian. pag. 158.

Nunc vos compello, & percunctor, si inter illustria omnium Sanctorum nomina augustissimum illud MARIÆ venale esset, nonne quavis prece, & pretio, illud vobis mercari studeretis, quod singulari honoris privilegio, & amoris prærogativâ venerandis Patribus de monte Carmelo divinitus inditum est? denique virgineæ ac Marianæ hujus Religionis argumentum, &

Candoris testis, mens candida, candida vestis.

Constat Heliam zonâ pelliceâ, & Carmeli incolas etiam Ciliceâ, sed & albo pallio amictos, gravissimorum virorum evincit authoritas; hos inter Patriarcha Hierosolymitanus: *Docuit* HELIAS *monachos hanc Religionem profitentes*, DEBERE PALLIO SUPERVESTIRI ALBO. Subdit: *Qui Heliam, velut monasticè vivendi exemplar erant imitaturi, in ardore nedum mentali* SINCERÆ PURITATIS, SED ETIAM CORPORALIS HABITUS ALBI *eos desuper tegentis*; ipso candido habitu, puritatem mentis, & corporis designans. Trithemius Abbas de laudibus Carmelitarum cap. 6. idipsum his verbis contestatur: *Color autem ipsius habitus* ALBUS *fuisse dicitur, per quem interior* FRATRUM MUNDITIA, ET PURITAS ASSIGNATUR: Tali Heliam amictum fuisse tradunt: tali habitu incessisse Heliseum, & filios Prophetarum; quæ D. Epiphanius in vitâ Heliæ suo confirmat testimonio; dum in visione divinitus illi demonstratum est, religiosos suos eo habitu uti debere, sic enim ait: *Quem* (Heliam) *cum enixeretur parens ejus, hac Sabach patri suo visio apparuit, viri niveum præferentes habitum*; quo spectat & illud, S. Dorothei: *cum nasciturus esset Helias, pater ejus Sabach vidit illum ab Angelis albicantibus salutari*, stolis suis candidis, animi ejus puritatem prænuntiantibus; quamsi vobis, in candidissimis hujus Religionis viris, ac sanctimonialibus intueri, & purissimas mentes introspicere liceat: *O quam pulchram* (animi) *faciem, quam sanctam, quam ex magnifico, placidoque fulgentem videretis?* qui Romani Philosophi, idem & sensus est Romani Oratoris: *Facies honesti, si oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret sui*. Quid mirum cum alibi dicat: *Nihil est virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius*; & hæc illi de umbrâ virtutis, & honestatis, luce gratiæ seclusâ; quid si eâ fulgentem, ac ipsam virginitatem, suo divino fulgore coruscantem conspexissent, quam venustus ille decori flos, pulchritudinis viva effigies, divinitatis simulacrum, attonitos habuisset? satis esset hoc philtrum animarum, & magnes cordium, ut ferreos animos ad se alliceret, potentissimeque attraheret.

Ioan. Ierosol. de institut. Monach. cap. 40. Carthagena.

S. Epiphanius de vitâ Prophetarum. Doroth. in vita Hel.

Seneca Epist. 115.

Cicer. de finib. 75.

In Tusculan. 236.

Hujus autem quadrigæ virginitatis, & *pudicitiæ currus*, quatuor rotæ sunt, ut docet Hugo Cardinalis: *Abstinentia cibi corporalis: munditia mentis: asperitas vestis: assiduitas laboris*; quibus Heliæ currus pulcherrimè & celerrimè volvitur. Appositè Petrus Blesensis: VIRGINITAS CURRUS IGNEUS EST, *sursum ferens quem vehit: igneum enim, id est fidereum, imo angelicum est, in carne vivere supra carnem*. Præiverat S. Ephrem tractatu de castit. ubi exclamat! O CASTITAS, CURRUS SPIRITUALIS, *possessorem suum in sublime evehens*. Nobilior hic currus, quam ille qui Heliam in cælum rapuit: hic purum hominem invenit, hic etiam angelum facit.

4. Rotæ currus virginalis. Hug. Car. in Isa. c. 37. v. 24. Pet. Blesen. festo omnium Sanctorum. S. Ephr. tract. de castit.

Habet & diabolus currum suum impudicitiæ, seu lasciviæ, quo Venerem vehit, & cupidines. Hoc Proserpinam rapuit, hoc tot juvenes & Juvenculæ, rosis coronatæ, tenentes tympanum & citharam per hujus mundi circuitum, *deu tour à la mode*, vehuntur, & se ad inferos rapi ignorant. His curribus triumphat, & demergit in profundum tartareus Pharao. Unde Hugo Cardinalis, exponens illud Isaiæ 37. *Dixisti in multitudine* QUADRIGARUM, *ego ascendi*, ait: *verba sunt diaboli*, additque: CURRUS DIABOLI *contrarii sunt* CURRIBUS DOMINI: talis inter cæteros, *currus luxuriæ, qui opponitur currui pudicitiæ, hic volvitur velut quatuor rotis, ingluvie ventris, libidine carnis, mollitie vestium, otii, soporisque resolutione*. Hæc Bernardus.

Currus diaboli. Hug. Car. in Isa. c. 5. & c. 37.

Hug. Car. in Isa. c. 37.

Bern. serm. 39. in Cant.

Veneris statuam adorandam, olim in curru vehi solitam, invenio in actis sancti Simphoriani, ubi hæc leguntur: "cum Aurelianus Divionem properaret, Consularem Heraclium duxit, ut sicut ubique faciebat, ita & ibi omnes Christianos, aut sacrificare idolis, aut mori compelleret. Cum ergò tunc Pagani *festum Veneris* mirâ insaniâ celebrarent, & STATUAM *ejus in* CURRU coram Heraclio deportarent, Simphorianus adfuit, & nolens eam adorare, diu cæditur, & carceri mancipatur." Illic unus currus Veneris, in quo una infamis dea vehitur; in hac urbe quot currus Veneris, heu quot Veneres circumvehuntur, & adorantur; quam pauci hoc sæculo Symphoriani?

Novarini electa Sacra tom. 5. lib. 12. n. 63.

Consimili curru Veneris, infamis ille leno, monstrum Romani imperii Heliogabalus vehebatur, quam ut quadrupedes, nudæ fœminæ trahebant. Unicum festivâ hac luce votum est, ut quotquot *curru luxuriæ*, & Veneris vehuntur, in currum pudicitiæ, & virginis, quo cum tot chori sanctarum monialium vehuntur, ascendere velint, ut de vobis dici possit translatæ estis *de curru, in alterum currum*: de curru Veneris, in currum virginis: de curru mundi, in currum Carmeli.

Lampridius. Sabell.

2 Paralip. 35. v. 24. Hug. Car. in c. 37. Isa. v. 24.

Secundus currus patientiæ.

2. Currus patientiæ Heliæ debetur.

Hic currus triumphalis gloriosissimo Prophetæ post exhaustas ærumnas, pericula & persecutio-

cutiones, post nobilissimas de hostibus reportatas victorias debebatur. Aureum hic suum eloquentiæ flumen effundit Chrysostomus: „ apud quosdam veteres Reges moris erat, ut „ si quis fortiter pro Rege certasset in bello, „ & corpus ac animam periculis objicere non „ formidasset, *curru*, atque aliis regiæ dignitatis insignibus *donaretur*. Igitur Reges terreni, atque mortales ita sibi devotissimos remunerare cõsueverunt; quanto magis omnipotens Deus, quia Rex regum, & Dominus „ dominorum est, HELIAM suum, *totâ se corporis, & animæ devotione Zelantem, post multorum „ laborum sudores, post dirarum persecutionem, gravissimas fatigationes, post tantorum bellorum magnas illustresque victorias, optima de mundo, & „ diabolo spolia referentem*, IGNEO CURRU, ATQUE EQUIS FLAMMIFERIS *impositum, triumphali gloriâ præfulgente ad sua regna voluit pervenire?* Patientia Heliæ, ejusque sequacium, primum eluxit in tolerandis gravissimis corporis incommodis, & erumnibus, victu, habitu, habitatione, & summâ vitæ austeritate; ut rectè illud Apostoli usurpare possim: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cavernis terræ: qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*: quæ summæ austeritatis argumenta, & heroicæ patientiæ experimenta, Abbas Trithemius de Heliæ filijs „ aptissimè exposuit: illi, inquit, sunt viri, qui „ monasticæ conversationis fundamenta jecerunt: qui post *Heliam, Montem Carmelum inhabitantes*, se habitu, & conversatione dignos „ Deo exhibuerunt. Ab his *ordo Carmelitarum* „ *initium sumpsit, & vocabulum*.

Chrysost. tom. 1 de ascensione Heliæ.

Heb. XI.

Trithem. de ordine Carmel. cap. 3.

Facit hic magnum D. Isidori testimonium: *monastici propositi princeps fuit Helias, & discipuli eius: qui relictis urbibus* (in solitudinibus errantes) *sibi casulas circa Iordanis fluenta in deserto construxerunt*; ubi in omni rigore vitæ, Deo servierunt.

S. Isidor. lib. 2. de offic. cap. 15.

Sed præ his omnibus, tormenti genus gravissimum censeri posset, Heliam ad extremum mundi diem gloriâ cælesti, & visione Dei privari, quod in piaculari carcere detentis, ipsis flammarum cruciatibus acerbius accidit.

Dignatus est quidem benignus Dominus in monte Thabor, hunc divinum Prophetam gloriæ suæ per transennam spectatorem adhibere; sed uti & corpori suo ad breve tempus, ita & Heliæ gloriam suam, in finem mundi distulit.

Altera patientiæ materia à Iesabele, ab iniquis Regibus, ab insidiis idololatrarum & falsis sacrificulis mota, qualis tempestas & toti Carmeli sanctissimo gregi incubuit: nam ut Waldensis, alijque præclari auctores, quos inter P. Platus noster, tradunt, ab ipso Apostolorum tempore Carmelitarum institutum „ inchoatum in Monte Carmelo (& argumento est nomen ipsum) in Ecclesiâ, quæ prima „ omnium B. Virgini in terrarum orbe dicata „ sit; deinceps verò numero, & hominum & „ domiciliorum per totam Palestinam multiplicato, irruentibus Saracenis dispersum esse, luposhoc & consequentibus ævi ovile invasisse, oves dentibus dilacerasse, & immanem lanienam intulisse, purpureo vellere rubuisse, dum tot Ordinis hujus fortissimi Athletæ ad sanguinem depugnarunt, & *purpuream vomuere animam*, digni qui purpureo curru in cælum evehantur.

Waldensis de Sacrament. tit. 9. c. 84. Platus de bono Status Relig. lib. 2. cap. 22.

Currus, seu Rhedæ, quibus modo nobiles, principes, ac Reges utuntur, vulgò Carossæ vocitantur, à Florentinorum (ut alias diximus) curru, ducto vocabulo, forte & invento: hos enim in aciem prodeuntes, olim currus rubeus, albam crucem præferens, solebat præcedere, qui *Car-rozzo*, seu currus Rubeus, seu purpureus dicebatur.

Gloriosior longè martyrum sanguine purpuratus nobis currus exhibetur, qualem Mediolanensis doctor in triumphum deducit, agens de martyrio Cantij, Cantiani, & Cantianillæ, vehiculo ad supplicium raptorum: *quod factum quam gloriosum sit, & à divinitate dispositum, debemus advertere: semper enim Deus quos eligit, hos victores subvectione sublimi in aulam Regni cælestis inducit: nam* SICUT ELIAS IN CURRU APPLICITO QUASI ASCENDIT AD CÆLUM, *ita & illi*, VEHICULO ADMOTO, *ad Martyrium pervenerunt: &* QUADRIGA SICUT EVEXIT ILLUM AD REQUIEM, ITA EOS PORTAVIT AD GLORIAM: *& quamvis* ILLA IGNEA QUADRIGA *fuerit; hæc tamen non inferior habenda est: quia illa unum Prophetam gestavit, hæc tres martyres sustentavit*. At currus Carmeli purpureus, non tres, sed innumeros Martyres portavit, dignus lauro, & auro, & lapidibus pretiosis exornari. *Sed dices aliquis: gloriosius gestavit* QUADRIGA IGNEA, QUAM TERRENA. *Nec hoc planè defuit Sanctis viris: nam sicut* ELIAM QUADRIGA IGNEA *portabat; ita & martyres ignea fides jam ferebat. Ferebat, inquam, illos Christus, qui lumen est, & qui ignis est; de quo scriptum: Deus noster ignis consumens est*.

Amb. serm. 75. de SS. Cantio, Cantiano, & Cantianillâ.

Amb. cit.

Nusquam magis magnificentiæ pompa, quã in curribus triumphalibus enituit: in quibus Reges & imperatores, sublimes ferebantur. Princeps poetarum sic incipit.

- - - - *ingenti mole latinus*
QUADRIIUGO VEHITUR CURRU, *cui tempora circum*
Auratibis sex radij fulgentia cingunt,
Solis avi specimen.

Virg. lib. 12. Æneid.

Ubi, ut Lacerda noster, repræsentat gloriam Augusti, de quo Suetonius in vitâ, cap. 94. loquens de Octavio, ejus patre: *videre visus est filium radiatâ corona* SUPER LAUREATUM CURRUM, *bis senis equis candore eximio trahentibus*.

At gloriosi martyres, quos Deus voluerit honorare, multo gloriosius sublimati, & laureato curru exalti sunt, quibus *laurus æternos honores purpureo peperit triumpho*. Erin capite, coronâ de lapidibus pretiosis, seu stellarum duodecim redimiti sunt; cui longè concedit, quod Plinius Panegyri de Maximiano refert: *trabeæ vestræ triumphales, & fasces consulares*, ET CELLÆ CURULES, *& hæc obsequiorum stipatio; & fulgor, & lux illa divinum verticem claro orbe complectens, vestrorum sunt ornamenta merito-*

Horat.

Plinius

rum pulcherrima, & angustissima; quæ omnia de meritis, & Heroicis factis Martyrum, gloriosius & verius prædicantur. Peritus & eruditus sacrarum literarum interpres in illud Cant. 7. *Caput tuum sicut* CARMELUS, *& coma capitis tui, sicut purpura Regis.* Sic in rem nostram disserit: *in* CARMELO MONTE S. HELIAS, *&* HELISEUS *habitaculum habuerunt; quapropter in capite Ecclesiæ, Domino nostro* JESU CHRISTO *(quo sublimius nihil est) tamquam in monte* CARMELO, *est justi habitaculum & multitudo populorum. Coma capitis illius sicut purpura Regis vincta canalibus, eminentiores sunt sancti, videlicet* MARTYRES *Christo consimilati.*

Justus in Cantic. c. 7. v. 5.

Quorum Cathalogum cum Trithemius Abbas, aliique protendant *ad centum quadraginta millia Martyrum,* idque spatio quingentorum annorum, alios sanctos Confessores, & Virgines enumerare difficilius, quam stellas cæli, tradit Abbas Trithemius, dum ait: *tot* SANCTI *sub* ORDINE CARMELITANO *fuerunt, ut penitus numerari nequeant: etenim si quis stellas cæli dinumeret, & sanctos hujus numerare poterit;* quasi diceret illud Gen. 15. *numera stellas si potes;* quod cum impossibile, & omnes astrologi hallucinentur, frustra, in Sanctis hujus gloriosissimi Ordinis laboro.

Franc. de Ayala. serm. de Sancta Theresia V. tract. de ortu & progressu ord. ex Trithem. Mirao. Cartage. Trithem. lib. 1. c. 12. de laudib. Carmel. Hugo. cit.

Tertius currus est Charitatis, qui totus igneus, ardens, & accendens, in quo HELIAS, *qui recte zelatus est pro domo Domini,* propriissime quasi ignis in sphæra suâ dominatur.

Inauditum hoc prodigium, ignem homini pabulo fuisse, & alimento servivisse: dum mater hujus Sanctissimi Prophetæ esset in partus angustiis, *Sabac* illius Pater, sibi videre visus est viros quamplures albis indutos, qui & infantem salutare, ac suaviari, & flammas jacere ad ubera materna; imo & infantis ori, lactis ad instar, affundere; Ut S. Epiphanius: *Helias Propheta ex Thebis erat, quem cum enixeretur parens ejus, ejusmodi Sabac Patri visio apparuit: viri niveum quemdem præ se ferentes habitum, pusionem salutare,* MATRISQUE UBERIBUS IN IGNEM *alluebant, quin &* FLAMMAM IGNIS, CIBI LOCO MINISTRABANT. *Profectus est itaque genitor Hierusalem ad sacerdotes, retulitque responsum: erit lumen filii hujus domicilium, & judicabit Israel in igne, & rompbæa.*

S. Epiphan. de vita Prophetarum.

Credidisses jam tum Heliam unà cum lacte ignem & flammas exsugere; quo doctus *Sabac,* intellexit filiolum sibi natum, flammas & ignes evomere aliquando debere, & hoc à Zelo divinæ gloriæ. Et certè deinde evomuit zelo, & charitate flagrans, ac igneus totus: *Surrexit enim Helias Propheta quasi* IGNIS; *& verbum illius* QUASI FACULA ARDEBAT.

Eccl. 48. v. 1.

Oratoris majestas, & vis dicendi, ab ignis metaphorâ sumpta est, qua similitudine usus est Nazianzenus, potentem D. Basilii in perorando energiam extollens.

Sermo tuus tonitru, vitaque fulmen erat.

Heliæ sermo, & vita, & verbum, tonitrua & fulgura erant, quibus in vita detonabat, in impium Regem Acbab, in impudentem Iesabelem, in sacrificulos, omnesque idololatras; aliosque sacrilegos fulminabat, in quos ignem è cælo, aliasque plagas zelo suo evocabat. Cornelius noster: Helias ardens ut ignis, repræ- „ sentabat Apostolos, corde igneo, & linguis „ igneis à Spiritu Sancto acceptis in Penteco- „ ste, & evangelizantes toto orbe magnalia „ Dei. Tum subdit: *Tropologicè* HELIAS *represen- „ tat viros zelosos, reformationis & morum studio- „ sos, qui suo ardore alios succendunt.*

Cornel. in Eccl. cit.

Quales extitêre è Carmelo, viri Apostolici, & zelosi, quorum sermo per orbē universum, quasi facula exarsit, idola incendit, vitiorum zizania exussit, igne divino orbem inflammavit: nam ut ait rectè: S. Ambrosius: *ignis sermo Christi est, qui animi consumit errorem, scintillat in animis audientium ad virtutem capessendam & exurit peccata, & si opus est, consumit peccatores;* ut merito summus Pontifex Sixtus IV. io bulla laudatissimâ, de hoc florentissimo Ordine editâ, ejusdem viros religiosissimo zelo Dei plenos, *in firmamento Catholicæ fidei militantes.* SPECIALI CHARITATE, *Sanctorumque Prophetarum Heliæ, & Helisæi, & aliorum sanctorum Patrum, qui montem Sanctum* CARMELI, *juxta fontem Heliæ habitarunt, successionem hereditariam tenentes,* commendet, ac deprædicet.

Amb. in psal. 118. serm. 17.

Bulla Sixti IV.

Cathedra Heliæ, currus igneus erat, & viris omnibus hujus ordinis zelo Dei incensis, è quo detonabant & fulgurabant, & multitudinem gentiū suavi Christi jugo colla subdere côpellebant; ubi Mediolanensis Antistes mihi ad manum est, qui tractans illud Cantic. 1. *Posui te* CURRUS *Aminadab* ait: *sicut equi vincti concorditer trahunt* CURRUM, *& patienter suscipiunt jugum, & portant cum gratiá, & jugi illius susceptione mansuescunt; sic & congregatio nationum gentilium indomita moribus ante jactabatur; ubi verò suscepit jugum dicentis: tollite jugum meum, quia leve est, & onus meum suave, capit sponsa concordiá & mansuetudine populorū esse sublimis, & toto circumferri orbe* TAMQUAM CURRUS *equis velocibus supra mundū rapta ascendit ad sponsum.* Dum celeberrimi hujus ordinis Patriarchas, & viros Apostolicos longâ serie in annalibus, in Paradiso Carmeli recenseo (quos numerare infinitum esset) verissimū illud Psaltis reperio: CURRUS *Dei decem millium multiplex,* ubi Augustinus *multitudinem Sanctorum* intelligit, qui portando Deum, fiunt quodammodo *currus Dei.* Cassiodorus, Cyrillus, & alii, Augustinum secuti, ea adferunt, quæ ad Carmeli decorem maximè faciunt, *innumeros fuisse (& esse) qui cervices mentium, salvatoris jugo subjicerent, & ubique terrarum gloriam ejus circumferrent.*

Ambros. super psal. beati immacu. v. 6

Psal. 67. V. Lorinũ hic.

Venerabilis Beda aptè exponit ad PRÆDICATORES, *qui portant ubique nomen Dei, & Deum ipsum.* Talis exstitit nomine & re S. Angelus: qui altioris vitæ rudimenta *in Carmelo* posuit; inde flammas suas quas côceperat, per orbē sparsit. Hunc cū SS. Dominicus & Franciscus Romæ in Lateranensi basilicâ è cathedrâ fulminantem audissent, nec *Angelum* de facie prius nossent, nec ipsos *Angelus* unquam vidisset; divino lumine collustrati, alter alteri divina beneficia eum tempore obventura prænuntiarunt.

Bzovius tom. 13. Raynaud. de scapulari. part. 1. c. 4.

Et *Angelus* quidem *B. Francisco* sacrorum Christi stigmatum impressionem; *Franciscus* verò ipsi *Angelo* alia stigmata pec

Dei

Dei hostes apud Siculos inurenda, illato truculento letho, quinis pectoris perfossionibus, & capitis per impactam sicam sauciatione, in ipsa quâ ad populum dicebat cathedrâ, ob reprehensam Berengarii Comitis incestam cum sorore consuetudinem; atque ita Cathedra perorantis, facta est currus triumphantis. Dies & vox me deficiet, si prædicatores inducere voluero, qui quasi currus falcati, exercitus barbarorum & gentilium messuerunt, stragem idololatriæ intulerunt, hæreses everterunt, quæ omnia Abbas Trithemius, Clitonæus, Carthagena, illustrissimi hujus ordinis præcones luculenter prosecuti sunt.

4. Rotæ currus Charitatis. Hugo Cardin. in Isa c. 37. v. 24. Egone exorbitem, & delirem, quatuor *currus Charitatis* rotas subnecto, quarum 1. *Zelus Dei. 2. amor proximi. 3. maceratio carnis. 4. devotio, seu liquefactio cordis*; quæ quam in Heliâ, & filiis ejus eluxerint, acta sanctorum, quique etiamnum in rotâ Canonizationis sunt, satis testantur, ut verissimum illud usurpare queam

- - - - - - - Aurea summa
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo. Ovid. 2. metam.

Sed de curru satis, nunc mirabilem hujus ignei currus Aurigam, & Rectorem contemplemur.

§. II.

Et auriga eius. 4. Reg. 2.

Divinam virtutem, & longè supra humanam hujus cælestis Aurigæ, in curru hoc insolito, & equis igneis moderandis prudentiam, ac peritiam, attonitus obstupescit Chrysostomus, exclamans: Chrysost. tom. 1. de Helia, hom. 3 de ascensione eius. *Quis opifex* HUNC CURRUM, *quæ manus illas rotas in orbis volumine circumegit, temonem protendit, jugum insuper aptavit, cæteraque composuit, cum materies omnium unus ignis ardere?* Quis unquam currus in aëre, non trochleis, aut machinis, ut quondam apud Romanos, sed equis rapi, & volitare conspexit? ibid. *Ubi rogo alternos figunt pedes, dum citu saltibus glomerant cursus? quod est in aere solum, quod duro calcibus cornu feriunt? mirum prorsus, & incredibile penè spectaculum.* STAT AURIGA, *nec funditur; sed omnia ignis erat, qui levitate natura per inane discurrit, & ad superna insurgit. Stat intrepidus super ignem, ac rotam, nec incalescunt omninò vestigia: totum corpus ignis ambit, nec læditur: per colla, per latera, flamma discurrit innoxia.*

Tum subdit: *Equos atque* CURRUM VIDEO *coruscantes, ignes rutilâ luce fulgentes, & quod magis mirandum sit, hominem desuper insistere, equos agitare, nec lædi.*

Auriga animarũ. Non minus arduum, & anxium, Aurigam agere animatum, eumque currum in cælum evehere, in quo negotio periculi pleno, summa aurigæ prudentia, robur, mansuetudo, & dexteritas requiritur.

Hugo Cardinalis in lib. 4. Reg. cap. 2. *Currus Israel, & auriga ejus:* Aurigam aliquem, non hominem bardum, & blennum, potatorem, perjurum, barbarum, inhumanum, ut plerique moderni sunt; sed litteratum, moderatũ, mansuetum, discretum, humanũ requirit, qui currum regat, & equos frænet, aut laxet, juxta prudentiæ regulas, ne currum evertat, & vectoribus colli, aut lumbi fragium, aliudve infortunium adferat: AURIGA, inquit, *id est, sustentator populi & rector: sustentator infirmorum, rector robustorũ: sustentator per auxiliũ, rector per consilium: sustentator per compassionem, rector per eruditionem.* Hugo Card. in 4. Reg. 2.

Præses, Prætor, Prælatus, Paterfamil. aurigæ sunt. Quod si præses, prætor, præsul, prælatus, paterfamilias non *sustentet infirmos* corpore & animo, non rectè *regat robustos* spiritu & scientiâ: non sustentet suos auxilio, dirigat consilio: nõ denique sustentet compatiendo infirmitatibus & defectibus, supportando invicẽ in Charitate, ac regat scientiâ & prudentiâ; sed inops consilii, scientiâ destitutus, irâ præceps, animo ferox, currum agitet, & ipsum, & suos, & se evertet, ac in præsens rapiet exitium.

Exemplũ in ingens illustris progenies solis, ipse Phaëton, qui summo mentis ardore, & rationũ põdere, hãc apud patrẽ orationẽ instituit

- - - O Lux immensi publica mundi, Ovid. 2. Metam.
Phœbe pater, si das usum mihi nominis hujus,
Nec falsa Clymene culpam sub imagine celat.
Pignora da genitor, per quæ tua vera propago
Credar; & hunc animis errorem detrahe nostris.

Ad hæc Phœbus gnatum benignè complexus, genuinam suam sobolem sanctè contestatus est, dicens:

Quoque minus dubites, quodvis pete munus, & illud
Me tribuente feres.
Vix ille desierat,

Non longâ deliberatione usus Phaëton, rem maximè arduam, nec non *periculosæ plenum opus aleæ*, ab invito patre, nequidquam reluctante, ac dissuadente, temerarius extorsit:

- - - - Currus petit ille paternos,
Inque diem alipedum jus, & moderamen equorũ.
Pœnituit jurasse patrem, qui terque, quaterque
Concutiens illustre caput, temeraria, dixit
Vox mea facta tua est: utinam promissa liceret
Non dare! confiteor, solum hoc tibi, nate negarem.
Dissuadere licet: non est tua tuta voluntas.
Magna petes Phaëton, & quæ non viribus istis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis.

Tum præcipitia viarum, equorum rabiem, præsentia pericula, mille discrimina exposuit; quibus ille minimè territus, instat, & urget:

Propositumque premit, FLAGRATQUE CUPIDINE CURRUS;

Quem dum insanus auriga inscendit, ab equis igneo suo curru sursum deorsumque raptatus, cælum & terras vasto incendio cunctemabat, donec justis mortalium, superumque querelis, cum curru, & equis in mare fractâ cervice, præcipitatus est; nam Jupiter

Intonat & dextra libratum fulmen ab arce
MISIT IN AURIGAM *pariterque animâque rotisque*
Expulit. & sævis compescuit ignibus ignes.
Consternuntur equi, & saltu in contraria facto,
Colla jugo excutiunt, abruptaque lora relinquunt:
Illic frena jacent illic temone revulsus
Axis, in hac radii fractarum parte rotarum;
Sparsaque sunt latè LACERI *vestigia* CURRUS.

At

At Phaeton rutilos flammâ populante capillos,
Volvitur in præceps.&c.

Hic exitus, hoc exitium insani, & temerarii aurigæ fuit.

Morale.

Perappositè hic Ambrosius: *fabula, etsi vim veritatis non habet; tamen rationem habet, ut juxta eam possit veritas manifestari;* quod, quò manifestius fiat, Mythologum disertum, & eruditum

Natalis Comes.

„ audiamus: voluerunt, inquit Natalis Comes, „ per hoc commentum, Antiqui innuere: Ju„ venes præferuidos, & imperitos Adolescen„ tes, sibi temerè gubernacula Reipublicæ de„ poscere, animo volventes, quàm illustre sit „ cæteris præeminere, & currum totius Rei„ publicæ, arbitrio suo moderari; cujus habenas, quâ ratione, loco, ac tempore laxandas, aut adducendas, cùm penitus ignorent, summos & imos, nobiles & ignobiles, Ecclesiasticos, & laicos, urbem universam, aut insano hujus aurigæ furore, aut supinâ rerum omnium imperitiâ, & incuriâ, gravissimè labefactari, non sine stolidi hujus gubernatoris calumnia, & infausto ipsius vitæ nonnumquam exitio, necessum est. Idem in sacris, ac profanis familiis accidere videmus, dum qui alios regere debet, prudentiâ & spiritu destitutus, passionibus suis agitur, & abripitur.

Hugo Card. in psal. 19. hi in curribus.

E purpuratorum Patrum senatu optimus morum Magister sic ait: *Bonus Prælatus* AURIGA EST, *juxta illud 4. Reg. 2. Pater mi, Pater mi, currus Israel,* ET AURIGA EIUS. *Bonus* Paterfamilias, *auriga est*, qui nimiâ indulgentiâ & conniventiâ suis fræna non laxet; aut nimia sævitiâ & rigore non stringat, & côtrahat, quod ad omnes Mediolanensis Antistes extendit: dum quemque passionum suarum bonum aurigam, ac rectorem esse desiderat: *currus*, inquit, *est animæ; habet equos bonos, vel malos: boni equi virtutes sunt animæ: mali equi, passiones sunt corporis.* BONUS ERGO RECTOR, *malos equos restringit, & revocat; mali equi, iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. Interdum ipsi equi inter se dissident, & aut iracundia protendit, aut timor, & se invicem impediunt, & cursum retardant* in cælum; ipsum verò Aurigam, inferni plutonis equi ad Tartara devehunt, qui si domiti fuissent, non secus ac equi illi ignei Heliæ, nos pariter ad superos pernici cursu transtulissent. fulgens, ac præclarus cælestis artificis manu fabricatus currus, auro gratiæ, aliisque divinis donis, veluti gemmis vermiculatus, est spirit⁹ noster, seu anima, quæ quo pretiosior, hoc jacturâ, & ruina gravior, si per brutam passionem, quasi effrenem equũ, aut insanum aurigam, in exitiũ rapiatur.

Amb. lib. de Isaac. c. 8.

Athan. Kircher. China illustrata. part. 4. cap. 7. in fine. pag. 195.

Lucem dicto adferet, quod narrat Athanasius Kircherus in eleganti, & erudito opere, ex teste oculatu: Rex *Bengala* ad Regem *Mogorum*, in nescio cujus accepti beneficii recognitionem, solennem cum pretiosissimis muneribus adornatam legationem expediebat Anno 1660, in quâ *in omnium admirationem rapiebat* CURRUS TRIUMPHALIS *auro*, atque omni gemmarum, lapidumque pretiosorum genere refulgens: *non humanâ, sed belluinâ directione ducebatur.* Trahebatur *currus* duobus candidissimis, & perquam mirificè adornatis caballis; *in superiori currus loco*, veluti in solio regio, ingens sedebat molossus. Pretiosis phaleris, monilibusque splendidè adornatus, qui uti sese tanto splendore fulgentem aspiciebat, ita quoque superbiâ quadam elatus, aliquid se supra belluam esse, putare credebatur: profundâ capitis inclinatione reverentiam exhibebat: nun decrat huic satellitiũ splendidum: Simii enim superbè vestiti, thronũ, epheborum adinstar, circumdabant, ad nutum domini promptissimi; quidquid enim caninũ Regem facere, in reverétia obviis præstâda videbant, id omnes unanimi capitis inclinatione pariter præstabant.

Simius aurigam agit.

AURIGAM AGEBAT GRANDIS SIMIUS, *aureâ chlamyde indutus*, cujus pileolus capiti impositus, auro pariter, gemmisque fulgebat. manu sinistra fræni lorum tenebat; altera, scuticâ, tam dextre suos regebat caballos, ut non à bruto, sed à peritissimo veredario agitari viderentur. Verbo, humanæ belluæ triumphum adeo scitè adornabant, ut quid homines belluinos deceret, belluæ humanæ, mira quadam metamorphosi doceri viderentur.

Quanta autem ex hoc mirifico spectaculo Rex voluptate perfusus fuerit, inde patet, quòd brutorũ solertiam, opiparo, veluti belluino, convivio recompensandã duxerit: dũ quid equis, quid simius, quid molosso, ex optimis cibis unicuique congruebat, in pavimento tapetibus exornato apposuit, ubi pari gravitate jam ad omnia prius instructi, sedentes, quisque suo consentaneo pabulo deliciabatur. Acta fuêre hæc Agræ, civitate regia.

Talis triumphus non unus ad Regem Tartarorum, seu cacodæmonem indies instruitur, ubi in curru animæ, hic molossum, alter leonem, alius porcum, alius asinum vehit. Prout invidiæ, iræ, lasciviæ, socordiæ affectibus, quos pro idolo colit, abripitur. His simius vanitatis, superbiæ, hypocrysis, ut Augustinus diabolum nuncupat, nigerrimus auriga prostituitur, qui in præceps abripit.

Quare insano, ac belluino hoc auriga excusso, rectè monet S. Diodochus, moderantê suas passiones, esse AURIGAM *sensuum bonum, in equis virtutis certantem vehereque inter medias dæmonum copias*, QUA ORIGAM CONTINENTIÆ *in timore Dei omni tempore exercentem.* Et S. Isidorus Pelusiota scribit, *rationem, iræ, & cupiditati,* (aliisque passionibus) AURIGÆ IN MODUM INSIDERE OPORTERE. Alibi verò commendans virtutem, rationis moderatricem, *nihil*, inquit, *virtute fortius est, nec violentius: ipsa enim rerum mutationes vincens, ab ipsis minimè vinci sustinet; verum omnes honesti ac decori habenas immittens*, AURIGÆ MUNERE *fungitur*, ducitque quò lubet.

Diadochus cap. 62.

Isidorus Pelus. l. 3. epist. 10. Id in ep. 293.

Auriga quoque necessarius est, non solũ ad effrenes animi passiones domandas, sed & omnes actiones etiam pias, & sanctas, juxta prudentiæ regulam moderandas; sic zelus ne indiscretus sit, corporis afflictione spiritum extinguat: profusio eleëmosynæ ne cum damno tertii sit: denique ne quid immoderatum sit, à discretione, quæ auriga virtutum, dirigenda sunt. Ita sensit doctor mellifluus, lacteo suo flumine excurrens in illud canticorum: *Ordinavit in me Charitatem semper quidem zelus absque scientia, minusque efficax,* minus-

Auriga omnium virtutũ, discretio est.

Bern. serm. 44. in cantic.

nisionsque nisi inventur; plerumque autem & perniciosus valde sentitur. Quò igitur zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas, eò vigilantiori opus est scientiâ, quæ zelum (indiscretum) *opprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem:* DISCRETIO *quippe omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorem, etiam & perpetuitatem.* Tum subdit: *Est ergo* DISCRETIO *non tam virtus, quàm quadam moderatrix,* ET AURIGA VIRTUTUM, *ordinatrix affectuum, & morum ductrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit.*

Velle orare, dum manu laborandum est, *virtus vitium erit:* velle prædicare, & evangelizare, dum non mittuntur, *virtus vitium erit*: velle jejunare, se macerare, dum vires ad prædicandum, aut evangelizandum requiruntur, *virtus vitium erit*, &c. quia abest *discretio, quæ est moderatrix, &* AURIGA VIRTUTUM.

Velle ferro & flammâ vitia exscindere, spiritu timoris & rigoris in subditos sævire, necessaria subducere, nihil etiam relaxamenti indulgere, facit ut currus non sine difficultate, gemitu, & murmure trahatur, ut rectè beatus Umbertus adnotavit, dùm dixit: CURRUS *non unctus, sub onere murmurat*, ut indies experientia comprobat, dum sola punctio, & nulla unctio adhibetur, domus murmure resonat, cui prudens, & discretus auriga, facili medio, & suavi remedio occurrisset.

Umbertus de obediet. c. 12.

Nec etiam currus ita onerandus, ut equi fatiscant & rumpantur, aut navis tantis mercibus opplenda, ut subsidat. Quod S. Pater noster *Ignatius* nos monitos voluit, dum ad illud „ Psaltis Regii: *Honor Regis judicium diligit*, ait, „ *Discretionem scilicet*; quod confirmat commu„ ni paroœmiâ: *Ne quid nimis*; atque illud etiam „ in ipsis justitiæ operibus, verbis Sapientis ob„ servandum præscribit: *Noli esse justus nimium*; „ *quia si discretio, & moderatio absit, bonum in ma*„ *lum desinit, & virtus in vitium*: illi enim curæ „ non est, periculo nimii, & insolentis oneris „ suam navem liberare: quia si periculosum „ est, illam ad portum fortunatum appellere, „ non minoris periculi & discriminis est, tan„ rum illi pondus, atque onus imponere, ut „ necessariâ depressione subsidat. Atque ita, „ ut D. Bernardus tradit: per immodicum „ istum fervorem quatuor nobis injustè surri„ piuntur, nimirum: *Corpori effectus, animo affe*„ *ctus, proximo exemplum, Deo honor.* Ut qui ita „ se gerit, tamquam sacrilegus, quòd templum „ Dei vivum tam malè habuerit, illorum om„ nium, quæ attigimus, reus: & rationem Deo „ reddere teneatur. Ad hæc, suum proximum „ bono fraudat exemplo, quod unius casus, „ cæteris sit terrori, & multorum fervori in viâ virtutis teporem aspergar, & ita proximo offendiculum pariat.

S. Ignatius ep. 3. de perfect. Relig.

Eccl. 7. v. 7.

[illegible] hanc discretionem nobis [illegible] fervorem.

***

§. III.

Heliseus levavit PALLIUM HELIÆ *quod ceciderat.* 4 Reg. 2. ℣. 13.

MAgnum olim apud Romanos, & Græcos, fuit pallii decus, quo veteres illi Sapientes, & grandes Sophi gloriabantur; imò & Christiani, veluti modestiori & sanctiori habitu distinguebantur: unde Tertullianus libro de pallio: *Grande* PALLII *beneficium est, sub cujus recogitatu*, improbi mores vel erubescunt; ut qui pallio amicti, omnem simul gravitatem morum, honestatem vitæ induisse viderentur, ad quem habitum licentiores erubescerent: *Ipse habitus sonat*, inquit, *& de occursu meo, vitia suffundo.* Quare summæ sibi laudi, & gloriæ duxit, palliatum incedere, quo non inter Philosophos, sed Christianos censeretur: *Ego jam illi me etiam divinæ secta, ac disciplinæ confero. Gaude* PALLIUM, *& exulta; jam te Philosophia dignata est, ex quo Christianum* (propriè Marianum, & Carmelitanum) *vestire cepisti.*

Pallium Heliæ sacro Scapulari côparatur.

Tertull. lib. de pallio.

Tertull. cit.

Ibid.

Hæc potiore jure de sacro pallio Heliæ pronuntiaro, quod non modò sanctitatem præferre, sed conferre valebat. Ut in Heliseo, cui duplicem spiritum contulit, manifestò patuit. Sed *gaude* PALLIUM, *& exulta*, quo alter Helias cælitùs dotatus, & indutus est, & totus Ordo Carmeli amictus est.

Magnum illud sidus Ecclesiæ, & Carmeli decus *B. Simon Anglicus*, qui cum lacte Marianos amores hauserat, in moderatorem hujus splendidissimi Ordinis Generalem electus, inter cætera ardentissimi zeli, & pietatis opera, filialem in Virginem matrem affectum, in suorum cordibus defigi, quantâ potuit accuratione, sategit; & sub hujus potentissimæ Virginis tutelâ servire, & ordinem decumanis adversariorum fluctibus agitatum, incredibili studio & fervore collocavit; ut autem benignissimæ matris vicissim in suos amorem eblandiretur, assiduis precibus eam exposcebat aliquo affectus sui in sacrum cœtum pignore, illum contestatum faceret.

Exaudita est piissimi clientis oratio: nam cùm *B. Simon* anno 1261. Londini, ardentiori æstu in oratione efferveseeret, cælesti viso recreatus est: obversans enim ei conspicuè Deipara Angelicis stipata choris, & coruscans splendore, qui Solem ipsum perstringeret, non solùm tutelam omnem spopondit, sed benevolentissimè professa est, *Ascisci à se in filios, quotquot in ordinem adscripti, vel etiam adscribendi*, aut etiam adoptandi forent; in pignus autem tam singularis amoris & benevolentiæ, *Scapulare* virgineis manibus deferens, sic fusum in genoa, præ gaudio in pias lachrymas colliquescentem Simonem allocuta est: DILECTISSIME FILI, RECIPE TUI ORDINIS SCAPULARE, *meæ confraternitatis signum, tibi & cunctis* CARMELITIS *privilegium, in quo quis moriens*, ÆTERNUM

Raynaud. de scapulari. part. 1 cap. 1. & part. 2. quæst. 1.

NON PATIETUR INCENDIUM. *Ecce signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis, & pacti sempiterni.*

Quam hæc cum iis congruant, quæ adversarii ex Scripturis, & sanctis Patribus adducunt, neminem de salute, ac prædestinatione certum esse, scitè & eruditè tractat, & argumenta refutat Rainaudus noster de sacro Scapulari. Et nos infra pleniùs comprobabimus.

Quàm magna & mira virtus pallio Heliæ insuerit, aut potiùs quàm prodigiosa per illud omnipotens Dei manus patrarit, sacri Regum annales loquuntur: *Tulitque Helias* PALLIUM SUUM, *& involvit illud, & percussit aquas, quæ divisa sunt in utramque partem, & transierunt ambo* (ipse cum Helisæo) *per siccum.* Sunt qui pallio mare straverunt, & illo, velut navigio feliciter, & perniciter velificati sunt; sed Helias pallio suo non fluctibus instrato, non pro ponte usus, sed ejus contactu, aquas dividens, velut alter Moyses, sicco pede transivit.

Miracula per palliũ Heliæ patrata. 4. Reg. 2.

Dum duplicem spiritum à magistro discipulus petiit Heliseus, zelum Heliæ, & gratiam miraculorum, in pallio è cælo dimisso consecutus est: nam & ipse idem expertus, *reversúsque stetit super ripam Iordanis, &* PALLIO HELIÆ, *quod deciderat ei, percussit aquas & divisa sunt huc atque illuc,* (velut muri cristallini) *& transiit Heliseus;* Abulensis hic ait: quod non „ solum divisæ sint aquæ, sed exsiccatus sit al„ veus, ut non inquinarentur pedes ejus in „ luto

Abulens. hic qu. 16

Pallium Marianum, seu scapulare, suam etiam in aquas prodigiosam virtutem demonstravit, quod & in undarum vortice intactum, ac siccum permansit, ac eo indutos ex aquis in terram incolumes stitit. Sic refert Raynaudus noster, (qui præ omnibus hoc argumentum solidissimè, & floridissimè tractavit) virum perillustrem de *Valerieu*, hoc sacro pallio succinctum, ex undis incolumem evasisse: homo erat crasso, & admodum obeso corpore, ac *cum viva morte* (ut Cassiodorus podagram vocat) miserè conflictans, qui casu inopino decidit in profundum fluvium, ac in eo diutiùs hærens; ne guttam quidem aquæ sive ore, sive auribus hausit, ac si aquæ ab eo refugerent, aut divisæ essent, incolumis evasit; quódque omnem admirationem in stuporem vertit, *scapulare siccum*, & nullis aquis perfusum eduxit.

Miracula per Scapulare, in aquis.

Raynaud. de Scapulari part. 1. cap. 6.
Cassiodor. lib. 10. epist. 29.

Mirentur alii S. Petrum undas calcasse, & super aquas ambulasse, ac cùm cæpisset mergi, potenti Dei manu eductum; ego hominem siccum, nullo nisi sancti hujus scapularis adminiculo adjutum, emergere potuisse satis nequeo demirari.

Aliud miracul.

Anno 1633. generis nobilitate clarus, Dominus de Montigni, Tolonem Urbem maritimam vectorio lembo contendens, coortâ subitò tempestate non paucis vectoribus absorptis, rudis planè natandi, *interpellatâ Deiparâ, cujus tutelæ tesseram* SCAPULARE *gestabat, vivus* & valens littori sistitur

Consimile beneficium, hoc sacro Carmeli pallio accinctus, Dominus du Mesnil consecutus est; qui cum vadosum amnem trajiceret, in altam voraginem cum equo præceps, dum quartam horæ partem in ea hæsisset, momento in littus evasit, nullâ aquâ gravis, stupens quâ viâ, quóve modo emersisset, nisi quod succurrit animo, affuisse præsidium Deiparæ, quod sacro instructus scapulari in summo illo discrimine experierat; Litanus attendens illud 4. Reg. 2. quod Helias pallio suo aquas divisit, & sicco pede pertransiit, id factum asserit, *non per aliquam virtutem quæ esset in* PALLIO, *sed virtute divinâ; sicut ad declarandum merita sanctorum aliquando dantur à Deo sanitates ad tactum vestimentorum ipsorum;* ut in fimbria Christi, hemicintiis Pauli, ac plurium Sanctorum vestimentis, imò vel minimis laciniis; ita virtus non in scapulari, sed à potentissima Deiparæ, & ipsius numinis manu solet hisce candidatis fratribus impertiri, quâ non aquæ hæ sublunares tuto transitum præbeant; sed & stagna picis ac sulphuris, ipsi ignei piacularium flammarum vortices, secuto calle, & sicco pede permeantur: hoc enim singulare, longè suprà pallium Heliæ & Helisei, privilegium est, nulli hactenus communicatum, quod ipsis sanctissimi Domini nostri Joannis XXII. Papæ maximi, & Alexandri V. verbis refero, à variis Pontificibus confirmatum: *Die quo à sæculo purgatorium accesserint, ipsa virgo Dei Genitrix Maria, sabatho sequenti post illorum confratrum, seu religiosorum, ac sororum obitus, visitando, à pœnis purgatorii, hujusmodi animas liberabit.*

Litan. lib. 4. Reg. c. 2.

Stagna sulphuris & vortices flammarum purgatorii, virtute Scapularis illæsi transimus V. paradisum Carmeli præambulo 33 & pag. 487.

Quantus hic divini numinis favor, quanta indulgentia? quam dum tacitus considero, non modo benedictos, sed & beatos deprædico, hoc sacro Scapulari dotatos, & iterum iterúmque ingemino GAUDE PALLIUM, *& exulta;* sed vos magis qui eo amicti: quódque alii multis jejuniis, precibus, & lacrymis, ac largis eleemosynis impetrare non potuerunt, vobis obtigerit, igneum illud stagnum licere permeare.

Plurima, eáque stupenda enarrat Raynaudus exempla, quæ probant in medio ignis non æstuatos fuisse, qui hoc sacro Scapulari muniti erant, illúdque à flammis intactum extitisse, quàm vim Heliæ pallio inditam non reperio. Illud paucis perstrinxisse sufficiat, quod in Parthenone haud procul Lutetiâ, sub annum 1639. contigit: cum enim omnimoda cœnobii deflagratio à flammis tam latè grassantibus immineret, *repressæ momento sunt, conjecto in eas* SCAPULARI, quod deinde absque noxa inventum est. Aliàs, pia mulier *sacro instructa Scapulari*, cùm intra flammas domum depascentes hæsisset per horam dimidiam, solo operta indusio, exempta inde est, ne capillo quidem violato, *ac indusio,* cui SCAPULARE ADNEXUM ERAT *prorsus intacto.*

Vis Scapularis in igne variis miraculis probatur.

Raynaud. de Scapulari. part. 1. c. 6.

Quid

Ibid. Quid magis stupendum, quàm tribus pueris in eodem strato jacentibus, duos Scapulari destitutos fulgure perstrictos obiisse, medio qui scapulare gestabat, prorsus illæso?

Quæ eò adduxi, ut si præsidio Scapularis, *in medio ignis hujus sublunaris, non fuerint æstuati, & ardor ignis non fuerit in eis*, nemo inficiatur, quin altior & sublimior virtus sacro Scapulari inniti, ad piaculares ignes sopiendos, aut restinguendos; quod pluribus prodigiis,& mirabilibus signis contestatum, aliis enarrandum relinquo.

Superest summum, quo omnium vota spectant, omnium fidelium preces, eleëmosynæ, religiosorum ac anachoretarum jejunia, vigiliæ, cilicia, flagella, martyrum exquisita tormenta tendunt, ut certam suam vocationem faciant, privilegium per Scapulare concessum *in quo quis moriens æternum non patietur incendium. Ecce signum salutis.*

Scapulare signum æternæ prædestinationis.

Quemadmodum D. Bernardus, Anselmus, Augustinus, & disertissimè Laurentius Justinianus ad illa verba Christi morientis: *Mulier ecce filius tuus*; ubi sic illum è cruce matrem alloquentem inducit: *Volo ut illam Ecclesiam* (quidni Carmelitanam dixero) *de cetero in filium habeas, illam tuis orationibus protegas atque virtutibus auctam ad me perducas.* Eidem quoque *mandabo, ut te tamquam matrem veneretur, te diligat, ad te confugiat, & nemo in tui advocatione fperectur, nullusque tibi devotus à ME EFFICIETUR ALIENUS.* Atqui non esse à Christo alienum, quid aliud est, quàm prædestinatos accenseri? Scapulare *signum salutis* innumeris extitisse, æternæ mortis periculis plurimos eripuisse, inter ficeas & ferreas glandes, dum animum expirassent, servasse, fusè apud Raynaudum videre est.

Laurent. Justin. ad illa verba: mulier ecce filius tuus.

Unum, ne fastidio sim, & multitudine obruam, adduxisse sufficiat, quod à Petro Savangtone *B. Simonis* socio refertur. Nobilem ad extrema deductum, *attactu sacri Scapularis* à furore, ac æstro dæmoniaco, quo fœdè agitabatur, esse liberatum; jámque mentis compotem, Sacramentis ritè munitum, optimè dispositum, spiritum Salvatori reddidisse, cum prius quam sacro Scapulari contingeretur, nullam confessionis, nullam Eucharistiæ mentionem admitteret. Quis hîc non videat in Scapulari tesseram prædestinationis manifestam, & *signum salutis* certissimum? unde in rem nostram litteratissimus Scriptor concludit, Heliæ pallio Scapulare componens: *In Helia melote moraliter securus tranavit amnem hujus mortalitatis, & ad littus æternæ quietis feliciter emersit, bernis salutis sua humano modo, ac verisimo.*

Raynaud. de Scapular. part. 2. c. 7.

Quanto in pretio & veneratione.

Ex quibus omnibus concludo, virgineum hoc pallium præ aureo vellere, præ Regum purpurâ, vobis omnibus in pretio, veneratione, & amore habendum esse. Chrysostomos meloten seu pallium Heliæ longè suprà purpuram Regis Achab, & meritò extulit, dicens: *Beatus Helias melotem tantum habuit, & PURPURA VESTITUS ACHAB, illius melote indigebat. Vidisti Achab inopiam, Heliæ autem divitias? Vide & quantum distent: PURPURA AMICTUS, & diadmate, circumibat quærens Prophetam, & nil lucri ex sua potestate habebat.*

S. Scapulare habendum. Chrysost. hom. 24. in Genesim

Majori in veneratione, & æstimatione, Principes, Reges, Pontifices, hoc Marianum pallium habuerunt: quia excellentior ac nobilior in eo dignitas continebatur, & *virtus exibat.*

S. Ludovicus Nonus Rex Francorum è Palestina rediens, adductis secum sex de monte Carmelo Eremitis, & ab eis religiosam Scapularis observationem edoctus, ritum piè usurpans, hujus sodalitio nomen dedit. Hujus Regii sanguinis, & pietatis hæres, Ludovicus XIII. & XIV. Marianam tesseram assumpsere.

Ipse quoque Alphonsus, Castellæ Regis filius hoc pallio virgineo se induit. Accessit è Regibus Angliæ S. Eduardus II. Henricus Dux Lancastriæ. Addo celsissima nomina in libro vitæ hujus Scapularis signata. Ferdinandus II. Romanorum Imperator. Philippus II. Rex Hispaniarum. Sebastianus Rex Lusitaniæ. Carolus Emanuel, & Victor Amedæus, Sabaudiæ duces.

Vincentius Gonzaga dux Mantuæ. Franciscus Thomas à Sabaudia, & Odoardus Princeps Parmensis, qui omnes purpuram huic pallio Mariano subjecere, & præ hac illud venerationi habuêre, & coluere. Ipsi denique summi Pontifices, Gregorius XIV. Clemens VIII. Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. Innocentius X. priusquam ad summum illud honoris fastigium, quo majus non est in terris eveherentur, nomina sua huic albo dederant; eos autem secuti purpurati Patres, & Principes magno numero, qui subductionem meam superet, & justo volumini implendo par foret; potissimùm si Reginæ, Principes, matronæ accenseantur. Mihi satis est indicasse, longè majores honores, divitias, & cælestes thesauros in hac Heliæ melote, quam in purpura Achab, omniúmque Regum, ut ipsi suâ veneratione testati, & benedictione ex ea percepta contineri.

Magnus Antonius pallium Pauli, Anachoretarum primi, post ejus obitum, ut scribit Hieronymus *sibi vindicavit, quam de palma solus ipse sibi contexuerat: diebúsque solennibus pascha & pentecostes, semper Pauli tunica vestitus est*, in qua magis visus est superbire, quàm in palmata Imperatoris purpura solent gestire: norat enim quid in ea virtutis delitesceret.

Hieron. in vita S. Pauli Erem.


Metaphrastes 31 Ian. Glycas.

Sic Theodosius bellum aggressurus, periculosæ plenum opus aleæ, non in purpurâ præsidium posuit, sed *Scapulare sanctissimi Abbatis Senuphii*, ad se ab ipso transmissum, indutus, victoriam gloriosissimam, Maximo tyranno cum suis prostrato, reportavit.

Quas de stygio tyranno victorias consecuti sint, qui Scapulari Mariano non festis tantum, sed omnibus vitæ diebus gloriati, & se tutati sunt, longa Annalium vetustas, plena historicorum auctoritas, summa recentiorum utilitas satis superque loquitur, & contestatur.

Denique, venerandi Patres, hoc profiteor, me hîc encomiastem non agere, cùm pluribus debitor, ea dumtaxat delibarim, quæ alii vastis voluminibus, & dignis præconiis, multorum annorum lucubrationibus ad splendorem hujus illustrissimi Carmelitarum Ordinis, orbi universo evulgarunt, contentus illas, in simili, D. Augustini voces usurpasse: *Hos mores, hanc vitam, hunc Ordinem, hoc institutum, si laudare velim, neque dignè valeo, & vereor, ne iudicare videar, per seipsum tantummodò expositum, placere non posse, si super narratoris simplicitatem, cothurnum etiam laudatoris addendum putavero.*

August. lib. de moribus Eccl



FESTVM

FESTUM
SANCTÆ MARIÆ
MAGDALENÆ.

22 Iulij.

CAPILLUS *de capite vestro non peribit.* Luc. 21. ℣. 18.



Cælestibus intulit astris. Ovid. 15. Metam.

ARGUMENTUM.

COmam Berenices in astra relatam, non solùm Poëtarum commenta finxêre, sed & sancti Patres documento esse voluêre; quo & mulieres, & juvenes ut fœmina compti, extimulentur capillos suos non ad captandas animas, velut retia expandere, sed *cum Magdalena*, pedes Domini irretire; quos ubi tetigerint, eumque sibi devinxerint, splendebunt sicut stellæ cæli in perpetuas æternitates. Adolescentes verò & adolescentulæ, quæ ad omnem vanitatem & luxum capillos & cincinnos comunt, atque aranearum instar se eviscerant, ut leves muscas capiant, cùm in his graviter peccetur, eorum crines in angues & colubros convertendos, & pabulum ignis gehennæ, ut Hieronymus loquitur, futuros, memori mente reponant. Atque utinam hoc insano capillorum & barbæ luxu, Clerici ac Religiosi non notarentur! Quare quanto in honore apud Deum sint sponsæ Christi, in obsequium Sponsi detonsæ, atque ipsa Religiosorum, ac Clericorum tonsura, Patrum testimoniis, ac variis historiis comprobabo. Tum morali doctrinâ adhortabor, sicut capilli homini superflui sunt, si *cum Magdalena* Christi pedes tergere velimus, ut de bonis superfluis pauperi succurramus; nam ut inquit Augustinus: CAPILLI *tibi superflua sunt, sed pedibus Domini; id est, pauperibus necessaria.* August. in psal. 71.

§. I. *Magdalena peccatrix capillis suis plures adolescentum animas irretivit, quemadmodum modernæ puellæ, in quas detonat Psaltes Regius:* CONFRINGET DOMINUS VERTICEM CAPILLI PERAMBULANTIUM IN DELICTIS SUIS. Psal. 67. ℣. 22.

§. II. *Magdalena pœnitens Christi pedes* CAPILLIS SUIS TERSIT, *ubi de Christi sponsis in obsequium sponsi attonsis, deque Religiosorum, ac Clericorum tonsurâ.*

§. III. DECALVABIT *Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus* CRINEM EARUM NUDABIT. Isaiæ c. 3. ℣. 17.

FESTUM SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ.

Capillus *de capite vestro non peribit.* **Luc. 21. ℣. 18.**

Coma Berenices inter astra translata.



Refert Callimachus, Berenicem, Ptolomæi Regis conjugē, vel ut alii, filiam, cùm is in Asiam profectus esset, ut eam debellaret, sibique subjugaret, vovisse, si victor reverteretur, se crinem suum vertici detonsum, è tholo templi, in anathêma suspensuram. Re præclarè à Ptolomæo gesta, ubi victor ac triumphabundus rediit, illa voti rea, quo se religione exsolveret, crines suos ritè in Veneris æde appendit; qui cùm postridie repertus non esset, Conon ea tempestate Mathematicus excellens, persuasit crinem, Deorum numine sublatum in cælum, & inter sidera relatum esse, ut Catullus, non vulgaris Poëta, eleganti poëmate complexus est. S. Gregorius Antistes Nazianzenus, (quem divus Basilius, *Vas electionis, puteum profundum, & os Christi* nominavit,) orat. 4. adversus Julianum, coronæ „ *Berenices* meminit; in quem scribens Elias „ Cretensis, ait: Cum Berenice Ptolomæi Re„ gis filia, in animi grati significationem, ob „ victoriam, quam Pater adversus hostes obti„ nuerat, *comam suam* abscidisset; falsisque diis „ consecrasset, Astrologi assentatores illud af„ firmarunt, *Deos ipsius capillum inter astra retulis„ se, ac jam capillorum nexum ex stellis compactum „ apparere.* Commentum hoc gentilium Poëtarum, verum documentum fuisse existimo fidelium fœminarũ, quæ non in honorē Regis terreni, sed æterni: dum tot Christi sponsæ, sponso virginum immortali, auream capitis cæsariem detonsam, in sacrum anathema è tholo suspenderunt, tot stellis, quot pilis, cælo, coronæ instar, in omnem æternitatem corruscaturam, ut de illâ olim cecinit Pelignus Vates:

Catullus eleg. de coma Berenices.

sumptam de fronte coronam
Immisit cælo. Et subdit: Crines *nitidos vertuntur in ignes*
Consistuntque loco, specie remanente corona.

Ovid. lib. 8. metam.

Facit huc, quod præclarus Scriptor Maffejus commemorat in historiâ Indic. Quibusdam populis hæc mens insederat, ut crederent se per capillos in cælum efferendos, quos idcirco summo studio, & cultu nutriebant; at qui Deo consecrati erant, eos radebant, & tonso vertice incedebant, quod sine illis, etsi verterentur in astra, se super sidera efferendos, eaque sub pedibus habenda suspicarentur. Utrumque ad propositum nostrum accommodè: Capillum, inquit sacer Historicus, *tam diligenter nutriunt, quòd credant ea se tanquam ansa in cælum aliquando sublatum iri. Sacrificuli contra (qui quidem cœnobiticam agunt vitam) abradunt capita; quòd sine tali adjumento sidera se concessuros confidant.* Id enimverò de iis sentiendum, quæ Deo vero Nazareno capillos suos dicârunt, quibus se tanquam ansâ in cælum attrahendas meritò confidant; quod utinam filii, & filiæ hujus sæculi, quæ omnem in capillitio pulchritudinem & vanitatem ponunt, sibi persuadeant, & in animum inducant. Quare istud de capillis, tam mulierum, quàm virorum argumentum, ne quis fortè pili faciat, quo in pretio pili habendi sint, qui apud Deum *omnes numerati sunt*; atque innumeros mortalium, qui capillis & cincinnis suis concinnè usi sunt, salutem corporis & animæ; quæ autem licenter iis abusæ, æternum sibi, aliisque, his retibus procurasse exitium, in *Magdalenâ*, muliere peccatrice, & exindè pœnitente, comprobabo.

Maffejus lib. 6. hist. Indic.

Matt. 10. v. 30.

§. I.

Magdalena peccatrix capillis suis plures adolescentum animas irretivit, quemadmodum moderna puella, in quas detonat Psaltes Regius: **Confringet Dominus verticem capilli perambulantium in delictis suis. Psal. 67. ℣. 22.**

Doctrinâ & purpurâ Eminentissimus Hugo Cardinalis, ad propositum nostrum, sic ad mores nostros disserit: *Ille versus exponi potest contra mulieres, & etiam homines,* (seu viros,) *qui ornant caput, & capillos suos. Illi enim, vel illæ mulieres, Deum suo capite persequuntur, qui* ornatu crinium *provocant ad libidinem; unde tales sunt inimici Dei, & talium confringet capita, & verticem capilli, id est, verticem capillatum.* quod probat ex illo Jeremiæ 9. *Visitabo super omnes, qui attonsi sunt in comis.* Agit hic celeberrimus Doctor, non de delictis dumtaxat, quæ per

Hugo Car. in Psal. 67 v. 22.

periculcia, & retia capillorum à mulieribus tenduntur; sed & de lenocinijs, quæ per comam, cincinnos, & barbam virorum nectuntur: *Ille enim versus*, inquit, *exponi potest contra mulieres, & etiam homines (seu viros) qui ornant caput*, ET CAPILLOS. Quare ptimum de meretricio cultu fœminarum in capillitio, tum de adolescentum, ac virorum, qui ut fœmina compti, disseremus. Mira ac misera metamorphosis est, quam ingeniosissimus Poetarum effinxit, ingenuam ac ingeniosam fœminam Arachnem, dum cum Pallade de subtilissimis filis & stamine contendit, in araneam fuisse conversam.

Arachne in araneā conversa, symbolū filiarum, quæ capillorum retibus animas capiunt.

Et antiquas exercet ARANEA *telas.* Ovid. lib.6. Metam.

Vivum araneæ symbolum sunt puellarum, quæ laborant, se eviscerant, & stulto labore consumunt, retia capillorum expandunt, ut muscas capiant. *Aranea*, inquit Hugo Card. *facit telam subtilem, & inutilem.* 2. *Sese eviscerat.* 3. *Multum laborat, & citò dissipatur opus ejus*; quàm hæc aptè vanis nostris puellabus congruant, sic lusit Poëta:

Hug Car. in Psal. 09 v. 9.

Hic dum conspicio tuos, Arachne,
Lusus, quos mediâ moves fenestrâ.
Lusus quos perhibes mihi videndos:
Telas quas hominum stupescat omnis,
Nec telas hominum sequatur unus;
Musca dum laqueos paras volanti,
Et pares culici paras vaganti,
Dum tandem laqueos dolosa claudas,
Et capta exiliens fruare prædâ.
Sic nobis alia, videntur, inquam,
Hoc lusu veteri pares Arachna:
Tales orbis habet meus puellas.
Lusus ludere quas juvat nocentes,
Telas texere quas juvat dolosas:
Dolosas juveni, senique telas.
Hæ flectuntque comas, & hæ reflectunt,
Hæc texitque comas, dein retexit.
Dum stamen capitis mali remittit,
Et exenterat improbum cerebrum
En tandem patet explicata tela.
Quo vos agmina tot venustiorum,
Quo ruis juvenum profana turba?
Hos crede, laqueos tibi tetendit,
Pulchra cùm meruit tibi videri:
Quam nocenter amas, perisque amando?
Habet; jam laqueos dolosa traxit,
Captum corripuit dolosa tela,
Dolosa juvem, senique tela.

Quæ Poëta Belga sic lusit:

Als ick besien dit listich net,
Tot vanck hier an de haegh geset,
Dit net gevveven vande spin;
Dan valt my dat bedencken in.
Dit loos gediertjen neemt met vlyt,
Neemt spoedigh vvaer den snellen tyt,
Het daelt, het ryst, het vvoelt, het loopt,
Het spynt, het vvest, het breyt, het knoopt.
En als haer vvebbe syn gebreyt,
En als haer netten syn gespreyt,
Daer sit het dan en vvacht, en loert,
En voelt of men vvert vvort geroert,
Tot dat een mugh vlieght in 't gespin,
Dat is haer aes, en haer gevvin.
Maer siet vvat ick hier uyt besluyt,
De spin verbeelt een ydel-tuyt,
VVat isser menich ydel hooft,
Dat gomt, en kromt, friseert, en kooft,
En t' syn al netten die men spant,
Tot vanck van eenen hosschen quant:
Daer sit Me-Juffer dach en nacht
Maer naer een mager vliegh en vvacht.
Och al haer locken, en schoon haer,
En syn maer vvebben van gevaer!
Ghy lichte vlieghen, hoort dit vvel,
Dit net en is geen kinderspel.
Raecht ghy eens vaest aent spinnevverck,
Geen touvv, noch kabel is so sterck:
Daer suyght men uyt ú geldt, en goedt,
V faem, en naem, en edel bloet;
Vlucht dan dit net, en valsche spin,
Of eer ghyt vvet, ghy syter in.

Hujusmodi telis aranearum, circumspice, templum repertum comperies: quot enim hîc adolescentes, & adolescentulas promissis cincinnis, crispatis, calamistratis, videre est, tot retia aranearum ad captandas muscas, id est viles, & volatiles animas, expansa sunt. Unde perappositè crispi hi cincinni *Locka* vocitantur, quòd oculos animosque pelliceant, irretiant, ac se, aliosque perdant. Harum choraga, ac coryphæa indui posset *mulier illa peccatrix* MAGDALENA, quæ cirros, & cincinnos expandit, ut adolescentum animas captaret; sic etenim de eâ Doctor Angelicus: COMIS *venata est ad peccatum juventutem*; non ad levem aliquam vanitatem, sed ad *peccatum*. Irrefragabile Divi Thomæ testimonium, divino primæ Veritatis nititur oraculo: *Conteret verticem* CAPILLI, *perambulantium in delictis*; quæ autem illa delicta, exponit Hugo Cardinalis: *Perambulantium per vicos, & plateas & etiam ad Ecclesias*, IN DELICTIS SUIS, *id est, in libidine, & superbiâ:* Ejusmodi autem delictis, has graves comminationes, & pœnas ex Propheta subjungit: *Pro eo quòd elevata sunt filia Sion, & ambulaverunt collo extento*, DECALVABIT *verticem filiarum Sion, & Dominus cervicem earum* NUDABIT. Quæ earum hîc præsentium, illa in se delicta agnoscit, aut in sacro tribunali se ream fatetur? Hactenus audivi neminem; cùm tamen innumeræ sint, *quæ veluti aranea, retiá ad capiendas muscas* expandunt, id est juvenes, qui illis capiuntur, & hærent, juxta illud Sapientis: *Ecce occurrit tibi mulier ornatu meretricio, ad capiendas animas, apprehensumque deosculatur juvenem, irretivit eum capillis suis, & statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam; donec transfigat sagitta cor ejus:* Capilli non solùm retia sunt, sed & veniunt à crine sagittæ, atque ut aptum igni pabulum, ignea jacula emittunt, qualia mulier, de qua agimus, ejaculari, & ad impudicos suos amores inflammare consuêrat, ut ipsam sanctus Ephrem

Luxus capillorum in fœminis.

D. Thom. in Luc c. 7. capillis suis tersit.
Psal 67. v. 22.
Hug Car. hic.

Isaia 3.

S Thomas de Villa Nova conc 2 Dom 3. Advent.
Proverb. 7 v. 10. 21.

S. Ephrem serm. in mulierem peccatricē. Ephrem ream fatentem inducit: CAPILLOS MEOS certo numero complicabam, & supra maxillas collustrans, ad deceptionem animorum formabam: ut omnem adolescentem comptum, ac speciosum ad meipsam pertraherem, ipsumque amatorem mihi haberem. Multos tunc cœno peccati pascebam, & ego multorum causa, Deum salutis non agnoscebam. Ac tandem, ut præfatus sum, subdit: Laqueus diaboli jam planè effecta eram, animas captans, atque depradans in judicium æternum. Ubi habeos in unâ Magdalenâ, & retia, & jacula ignita ex crinibus conflata. Matronæ Romanæ, quando Galli primùm in urbem impetum fecerunt, deficientibus nervis, capillos in funes nexnerunt, arcubus aptos, ad sagittas emittendas. Hoc Romanum, sed illud vanum, & insanum, ac minimè christianum, capillos contorquere, ut ignea libidinis tela emittantur, ad vulnerandus, & inflammandos animos. Honestus capillitii usus, quem Paulus fœminas decere adstruit, probandus, & commendandus est; sed in iis tortis, in circulos suos concinnatis, fucatis, pulverisatis, lenocinium præ se fetre, non

1 Timoth. 2. v. 10. probat Apostolus. Ipsum audite, 1. ad Timoth. 2. Mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ, & sobrietate ornantes se & NON IN TORTIS CRI-

Hugo hic. NIBUS, id est, inquit Hugo Card. artificialiter crispatis, vel ericatis. Unde Isaias c. 3. Et erit pro crispante crine calvitium, & pro fasciâ pectorali cilicium. Tum paucis, sed nervosè subjungit: Bonum est crispari CRINEM mentis, id est, cogitationem in se reflectere: in hâc capillaturâ torquendâ, & retorquendâ in se, utilem operam infumunt. Quæ non in hâc puellarum capillaturâ, non meotis, sed capitis crispandâ, & ornandâ, tem-

Terent. in Heaut. Act. 2. poris jacturâ? Dum poliuntur & comuntur, annus est. Miseret me ancillarum, & pedissequarum, quæ ut omnem curam, studium, industriam ponant, quâ Dominæ capur ornetur, capilli singuli in suos circulos reflexi, certo ordine collocentur, post hæc omnia, superbo dominarum vertici semper aliquid desiderari videtur, quod istæ ornatrices, & verbis & verberibus luere debent; hoc de sui temporis moribus cecinit Martialis:

Martialis lib. 1. epig. 66.

> Unus de toto peccaverat orbe COMARUM
> Annulus, incerta non bene fixus acu.
> Hoc facinus Lalage, speculo quod viderat, ulta est,
> Et cecidit sectis icta Plecusa COMIS.
> Desine jam Lalage, tristes ornare CAPILLOS:
> Tangat & insanum nulla puella caput.
> Hoc Salamandra notet, vel sæva novacula nudet,
> Ut digna speculo fiat imago tuo.

Plecusa ornatrix vapulat, quia Lalage turpitudinem suam in speculo ferre non potest. Et quænam illarum irascitur, si quid in speculo mentis incompositum, vagum, vanum, dissolutum in moribus deprehenderit? CRISPI E-

Hugo cit. NIM CRINES, signum sunt corporis dissoluti, & magis animi, cùm per eos, cogitationes, affe-

Hugo in Luc. c. 12. Capilli capitis vestiu, &c. ctus, & desideria significentur, quæ ut casta & sancta sint, majori curâ & studio incumbendum, quàm in capillaturâ capitis: Per CAPILLOS, qui ex capite exeunt, & caput ornant, significantur cogitationes, & desideria, quæ à me exeunt, & mentem ornant, tùm bona sunt; sed cùm mala sunt, potiùs deturpant; ubi eam solicitudinem, & solertiam in puellis requiro, ut unam cogitationem, desiderium pravum è corde exstirpandum, aut in melius commutandum, quam adhibent ad unum pilom canum è flavo vertice evellendum, quem, ut Salvator ait, non possunt ex albo nigrum facere. Curent igitur, quod Princeps Apostolorum monet, ut interioris hominis cultura, eis magis curæ & cordi sit, quàm capillatura: Quarum, inquit, non sit CAPILLA- 1. Petri 3. v. 3.

TURA, (Cornelius legit crispatura,) aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Corn in 1 ad Timot 2. v. 10. Verùm enimverò hanc capillorum in fœminis luxuriem ad capiendas animas, pluribus, ac plenius exaggerabo, ubi immania supplicia, imò & æterna tormenta mox proposuero, ad quæ tortis suis capillis, cum iis, quos irretierunt, protractæ sunt. Et etiamnum invenire est puellas, quæ hisce non terreantur; quibus fortè adhuc tenellulis, & innocentibus quis ignoscendum dixerit; sed quis morum magistras, quis matres familias non gravissimè arguendas censeat? quæ hæc fomenta puellis soppeditant. Verendum ne illis eveniat, quod idem Doctor maximus epist. ad Letam de institutione filiæ, Prætextata nobilissimæ matronæ accidisse commemorat, quæ Virginis Eustochii neglectum crinem, mundano more texuit, & eadem nocte in somnis vidit Angelum terribili voce minitantem pœnas: Tune ausa es caput Virginis Dei, tuis sacrilegis atrectare manibus? quæ jam nunc arescent, & finito mense quinto ad inferna duceris: Sin autem perseveraveris in scelere, & marito simul orbaberis, & filiis. Quæ omnia, ne somnium habeantur, per ordinem expleta sunt, inquit Hieronymus. S. Hieron. epist ad Letam de institut. filiæ.

Nunc, quod multò fœdiùs, & detestabiliùs, ad capillos & cincinnos adolescentum, ac virorum, qui ut fœmina compti, veniamus, de quibus Magnus Gregorius hom. 6. in Evang. ad præfata verba S. Petri allndens: Pensate, quæ culpa sit, hoc etiam viros appetere, quo curavit Pastor Ecclesiæ & fœminas prohibere; quo & quasi sexum virilem exuti, apertam professi sunt muliebrositatem, ut loquitur Tertullianus. Hoc in gentilibus ad ruborem nostrum gentilis Philosophus, sæculi sui mores carpens, brevissimè, sed verissimè exaggeravit: CAPILLUM frangere, & in mulièbres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundissimis se extolere munditiis, nostrorum adolescentum specimen est. Luxus capillorū in adolescentibus & viris. Greg. hom 6. in Evang. Tertullian lib. de veland. virg. Seneca. Tales Trossuli, Narcissi, Veneris pupi, non Româ, aut longè petendi, in conspectu sunt, qui in enutriendis capillis, & barbulâ tori sunt, & in his dies insumunt: qui arguti pectinis beneficio, crines in annulos torqueot, non erubescunt gestare cincinnos antependulos, & retropendulos, molliter demissos ac fluentes: nunc eosdem ostentant crispatos, & temerè nudantes, nunc per colla dispositos, sensimque tenui patagio tendentes, & paulisper ad finem conglobatos: Aliàs, quod turpiùs est, odoribus affluentes, cinnama fragrantes, balsamaque rorantes. Hos, ut Reipublicæ pestes, ac totius Iuvenes, & viri, ut fœmina compti.

imbecillitatis ac mollitiei officinas sic perstringit Clemens Alexandrinus: *hæ vita, non secus ac fœmina, comas alligantes, lasciviente iniquitate, in alium degenerant sexum.* Hi sunt nempe Martis pulli, milites, gloriosi, qui urbem ocreati, & chalybe accincti obambulant, de bello, de ignavia militum, de imprudentia ducum copiosè disserunt, cum ipsi pro campo cubilia terant, pro tubis cytharas audiant, pro nidore tormentorum, pastillos redoleant, numquam nisi cum gallinis, & perdicibus digladiari sueti: pro pulvere martio, cincinnos pulvere nitrico inspargant: nec hostes è speculâ, sed seipsos comendo & crispando in speculo contemplentur. Ab ejusmodi quid sperandum sit Romanus Philosophus edisserit: *nosti complures, barbâ & comâ nitidos, de capsulâ totos; nihil ab illis speraveris forte, nihil solidum. Non est ornamentum virile concinnitas.* Unde illos egregiè fugillat Tertullianus: *proprias præstigias formæ, & hic sexus* (virilis) *agnoscit:* BARBAM *acrius cadere, intervellere, circumdare,* CAPILLUM *disponere, etiam colorare: Primam quamque canitiem subducere, speculum omni occasione consulere, anxiè inspicere*, eorum studium est, quæ pluribus prosequitur, & meritò damnat in viris, quos ipsi gentiles incomptos, & minimè effœminatos volebant. Hoc Phædra in Hippolyto spectabat:

Seneca ep. 115.

Tertull. de Cul. c. 9.

Cultura capillorum viris indecens.

Fine coli modico forma virilis amat.

Ovid. Epist. Phædra ad Hippol.

Et alibi, paroemiâ passim receptâ:

Forma viros neglecta decet.

Idem de arte lib. 3.

Nec Poëticâ dumtaxat, sed & Historicâ fide hæc contestata sunt. Ælianus lib. 8. variæ hist. Alexandrum Macedonem ex eo virum, & magnum jure extollit, *quod sine cura formæ,* CAPILLOS *habuit dejectos, atque confusos.* Quid Augustum Cæsarem commemorem, de quo Suetonius: *Formâ fuit eximiâ, & per omnes ætatis gradus venustissimâ*: à natura nempe, non à cultura: *Quamquam*, inquit, *& omnis lenocinij, exosus & IN CAPITE COMENDO TAM INCURIOSUS, ut raptim compluribus tonsoribus operam daret, ac modo tonderet, modo raderet barbam, eoque ipso tempore aut legeret aliquid, aut scriberet*, tam parum illi, si barba rectè tonsa, si capilli in ordinem compositi, curæ fuit. His accensendus est Scipio ille Africanus, de quo Romanus Historicus Livius sic habet: *adornavit eum promissa cæsaries, habitusque corporis non cultus munditiis, sed virilis verè, ac militaris.* Hujusmodi profectò verè viri, venerabiles, spectabiles, non fucato ornatu, non calamistrati muliebri venustate; sed viri dignitate prædicti. Apta, & gravis est Aristotelis definitio, qua virilem pulchritudinem sic describit: *Vir ille pulcher est, qui & labores bellicos sustinere queat, & ita jucundus aspectu est, ut simul etiam dum videtur, terreat.* Tales hoc sæculo raros viros, & juvenes invenire est, qui ur jam compositi sunt, fœminas & puellas dum videntur, terreant; sed potius lenonum instar, pelliceant. Antiqui illi viri, & veteres Sophi, ut auctor est Seneca: *Crinem quem effundere mos*

Ælianus lib. 8 var. hist.

Sueton. in Aug.

Livius lib. 8. de Bello Punico.

Aristot. lib. 1. Rhetor. ad Theodect. c. 1.

Seneca lib. 2. natural.

fuit, sine ullo artifice formosi quotiebant, non aliter quam generosa animalia; quæ comptulos illos, in iis quibus maximè gloriantur, exsuperant: *quid*, inquit, *vires corporis alis, & exerces? pecudibus istas majores ferisque natura concessit. Cum te ad velocitatem paraveris, par lepusculo non eris. Quid excolis formam? cum omnia feceris, à multis animalibus decore vinceris. Quid* CAPILLUM *ingenti diligentia comis? cum illum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum nodo vinxeris; vel ut Schytæ solent, sparseris: in quolibet equo* DENSIOR IACTABITUR IUBA, HORREBIT IN LEONUM CERVICE FORMOSIOR. Vincit equus suis à naturâ cincinnatis jubis: vincit leo aureâ suâ, neglectim in circulos, sine fuco, plexâ cæsarie, omnes pusellarum, & adulescentium calamistratos crines, & crispos cincinnos. Quis ergo non rideat? ridéat dico: imo dentatissimâ oratione insectetur quorundam juvenum insanam levitatem, qui comas prolixas muliebri rituhinc inde à fronte, & occipitio collectas, in sinum latissimè diffundunt? Quos videre est velut de comoediâ sponsos, aut de scenâ mimos, comptos amasios, in hominum frequentiam venire, & per vicus, ac compita, & templa, cum calamistro in manu volitare, inaniter exultare; qui sanè cordatos viros non ad risum, sed ad luctum, & indignationem compellunt. Unum hoc indignum, homines in re vilissimâ, quæ flocci, nihili, & pili fit, in pilo tantum curæ, studii, gloriæ, & vanitatis, enim pretiosissimi temporis, imo & salutis jacturâ, ponere: *quibus apud tonsorem multa hora transmittuntur, dum decerpitur si quid proxima nocte succrevit: dum* DE SINGULIS CAPILLIS IN CONSILIUM ITUR: *dum aut* DISIECTA COMA RESTITUITUR, *aut deficiens, hinc, atque illinc in frontem compellitur.* Tum stultos, ac fanaticos eorum erga capillitium affectus exponit: *quomodo irascuntur, si tonsor paulo negligentior fuit: tanquam virum tonderet* (quem cultus neglectus decet) *quomodo excandescunt, si quid ex juba decisum est si quid extra ordinem jacuit, nisi omnia in annulos suos reciderunt?* Et ut olim Hortensius ob plicam in veste turbatam, dicam alteri indixit, ita & inter Christianos invenire est, qui ob pilum vento turbatum, in Deum insurgunt.

quæst. cap. ultimo.

Idem Epist. 124.

Seneca de brevitate vitæ c. 12.

Habetis præter effrenos hos animi mores, temporis jacturam, vultis & salutis? *Quis est istorum, qui non malit Rempublicam turbari, quam* COMAM SUAM? *Qui non solicitior sit de capitis sui decore, quam de salute? Qui non* COMPTIOR *esse malit, quam honestior.* Decor ille affectatus voluminiu cincinnorum, mollitiem animi, & corporis arguit: quæsita crispitudo, hominē mulierosum, imbellem, & è gynæceo pædagogianum; in quo nihil masculum, forte, generosum, nil quod erectæ mentis constantiam, nobilitatem, ac Christianum robur deceat. Comatulos illos cum videris, intelliges mirum quantum capillis suis leviores, nil solidæ virtutis, sub hac fluxâ vanitate tegere. Est pulcherrima hanc in rem Æliani, viri doctissimi notatio: Leo qui habet crispiorem jubam, est, ignavior est, & imbecillior; qui verò pilo recto & simplici, generosior habetur,

Ibid.

Ælian li. 4. c. 35.

E & præ-

& præstantioris animi robore præditus. Adeo natura docuisse videtur, in crispo illo volitantium cincinnorum, non leones ignem spirantes, sed Lepores meticulosos; non viros, sed imbelles fœminas, & omnem vanitatē vultu, & crispato vertice referre. Certè si ubique Christiani debent exhibere modestiam, ubi illa virtus tam conspicua esse debet, quam in capite, sede augustâ honoris, & venerationis? disertè, ut multa solet, Tertullianus: *Si Deus fuerit in pectore, cognoscetur & in capite*, quod crinibus suis non tam ornant, quam dehonestant. Unum instar omnium, gravissimum sit Pauli monitum, qui vetat viris, in Christianâ Religione, longas, & fluctantes comas gestare; ait enim: *ignominia est viro*, SI COMAM NUTRIAT, ne muliebrem in morem crispi, ac compti appareant. D. Cyprianus inter aulicos mali dæmonis numerat eos, qui paludamentis talaribus pavimenta verrentes, CAPILLIS MULIEBRIBUS *se in fœminas transfigurant*. Quæ autem illos pro his vanitatibus, & insaniis falsis, & veris delictis, supplicia maneant ad calcem attexam; nam si fœmininis cautum sit, *ne tortis crinibus* incedant, & per Prophetam Deus interminetur: *Erit pro crispante capillo calvitium &c.* Quid viris expectandum est? *Si fœminis*, dicit Hugo Cardinalis, *decorationes prohibentur, quid fiet* DE VIRIS CALAMISTRATIS? Fusè de hoc argumento Sopranes noster. David Figuratus. pag 412.

Tertullian de Virg. Veland. cap ult.

1. Cor. 11. v. 14.

Cyprian. de jejun.

Isa 3.

Hugo Card. in 1. ad Timoth. 2. v. 10.

§. II.

Magdalena Pœnitens Christi pedes, CAPILLIS SUIS *tersit. ubi de Christi sponsis, in obsequium sponsi attonsis, deque Religiosorum, ac Clericorum tonsura.*

Celeberrimus Antistes Genevensis, & disertissimus Ecclesiastes, S Franciscus Salesius, in illa verba Sponsi: *vulnerasti cor meum soror mea, Sponsa, in uno oculorum tuorum*, IN UNO CRINE COLLI TUI, oculum mentis intendens, miratur, ac rimatur, ut quid tam dissita, ac dispatata aptentur, aut comparentur: ad usus quippe humanos, nullum, inquit, membrum oculo aptius à naturâ concessum est, nullum præstantius, teste Plinio, qui oculum corporis partem pretiosissimam pronuntiavit; ut si quid homini charum, aut pretiosum sit, velut pupillam oculi asservare dicatur.

Cant. 4.

S. Francisc de Sales praxi spir. part. 3 c. 35.

At quid crine vilius, qui horrorem homini magis ac stomachum movet? Quid pilo abjectius, cum res pili justa, ac nihili, eodem recidant? utroque tamen cor suum cœlestis Sponsus saucium clamat, ut ostenderet non solum magna sibi obsequia præstita placere, nec oculis duntaxat *Magdalenæ pænitentis*, gemmis lachrimarum manantibus se tactum, & vulneratum; sed & minimis corporis nostri obsequiis, in servitium ejus impendis, rapi, & cor quasi transfigi posse: Illud enim Divini Epithalamij: *vulnerasti cor meum in uno crine* &c Pagninus, & Arias vertunt: *abstulisti, rapuisti cor meum in uno cirro*, seu cincinno de cervicibus tuis. Alii: *transfixisti cor meum*. Cyrillus: *Inflammasti cor meum in tui desiderium attractum*. Hugo Cardinalis: *vulnerasti*, sic ait, *magnitudinem amoris exprimit vulnus cordis*, *ut videatur Sponsus dicere*:

Vulneror, & clausum gesto sub pectore telum.

I nunc, & crines jacula esse nega, ut supra demonstravimus; his hominem ita inflammari, & quasi infatuari posse, ut in amorem totus exardescat, quis credat? Sic interim Xiphilinus, aliique probati scriptores referunt. Neroni Imperatori Poppæa, matrona Romana summus in deliciis, & amoribus fuit, quæ non solum oculorum acie, ac formæ venustate Imperatorem sauciavit, verum flavis suis crinibus, animum Neronis, cetera feroeem, adeo in amorem sui pellexit, ut singulos pilos numerarit, cuique singulare nomen indiderit, ac de singulis elegantem versum condiderit. Insuper illi pectinem aureum donavit; si vel pilus vertici decideret, curabat auro inseri, & in templo ad caput Junonis reponi. Sed quis in Deum cadere posse, suspicari audeat, ut capilli telis saucietur, & inflammetur? ab ipso tamen ad meliorē calculum, O Magdalena, capilli tui revocātur, majori in pretio illos habet cælestis Imperator apud quē *capilli capitis vestri omnes numerati sunt*; quod si vel uno, velut telo, se vulneratū asserat, quomodo nō cor eius tot amoris spicula, quot crines, expugnabunt? Hanc laudē, tot famâ, & formâ præstātes filiæ, nobiles ac nubiles Virgines in Sponsas Christi attonsæ meruerunt, dum omnes vanitates, & insanias falsas, ac fluxas præsciderunt. De his ut pœnas sumeret, aliud nobile inventum exeogitavit Virgo Senensis, nomine Pasithea. Hæc capillo, quo ad sæculi pompam sese vanē, & insanē ostentarat, de trabe suspendi, gravi ad pedes alligato pondere: nune pedibus de eadē trabe pendens, sublimis, capillis pondera innexuit, fumoq; ex accēsâ subtus paleâ, pro odoriferâ balsami fragrantiâ excruciavit. His omnibus, instrumenta nequitiæ, in instrumenta justitiæ converrens, usa est Magdalena pænitens, quæ vanum omnē corporis ornatum, ad divinum transtulit. Audire liber Gregorium: *unguentum*, inquit, *quod pro odore suæ carnis turpiter sibi adhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat: oculis terrena concupierat, sed hoc jam per pœnitentiam conterens flebat: ore superba* (lasciva) *dixerat; sed pedes Domini osculans, hoc Redemptoris vestigia figebat*: CAPILLOS *ad compositionem vultus exhibuerat: sed jam pedes* CAPILLIS TERGEBAT. Ex quibus omnibus Sanctissimus Doctor, & Pontifex maximus concludit: *quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta: convertit ad virtutem, numerum vitiorum*; pulcherrimum ac saluberrimum Pauli documentum secuta, dicentis ac docentis: *sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ ad Sanctificationem.* Hane divinam metamorphosin, & maxiam jā alteram Mariam, Divus Ephrem Syrus depingit,

Xiphilin.

Guevar-ra. Horolo-gium Principum. in dedicat.

Matt. 10.

P. Rho. varia virtut. hist. pag. 480.

Greg. hom 33. de Magdal.

Ad Rom. 6.

Ephrem mulier. peccatrice.

git, & sic eam loquentem inducit: CAPILLOS MEOS *complicabam ut omnem Adolescentem conspectu, ac spe nostrum, ad meipsam pertraherem, ipsumque amatorem mei haberem.* Fatetur palam, quas non instinctu diaboli technas, & laqueos, capillis suis struxerit, & animas captans, in exitium æternum perduxerit.

Ibid.

Hæc tandem cælesti radio illustrata, sic detestari occœpit, dicens: *nunc hinc abiens, magno procidam medico, ingressa dicam ipsi omnia, quæ corpore meo ad juvenum deceptionem illicitè egi: In bonum posthac commutare volo: palpebras meas turpiter annuere solitas, cum pupillis oculorum, in fontes lachrimarum convertam, &* PULCHROS MEOS CAPILLORUM NEXOS *in oblectationem, ac scandalum multorum renidentes, jam explicabo, & lintei loco adhibebo.* Magdalena capillis, quibus usa fuerat ad irretiendos, & illaqueandos Adolescentulus, Christi pedes salubriter irretivit, & suaviter illaqueavit, eumque sibi totum devinxit: TERSIT COMIS, *& quibus venata est ad peccatum Iuventutem, venata est Sanctitatem:* O felices nexus! ô blanda, & sancta retia! Hanc generoso ausu æmulata est in Regno Neapolitano puella nobilis:

S. Chrys. ... capellis suis tersit.

Virg. 7. Æneid.

> *Iam matura viro, jam plenis nubilis annis:*
> *Multi illam magno è Latio, totâque petebant*
> *Ausoniâ, petit ante alios pulcherrimus omnes*
> *Egregiâ forma iuvenis.*

Petrus ... amor divin. part. 2. c. 6

Jamque in unum amicis convocatis, ut nuptui traderetur, illa se paululum turbæ subduxit, & ante crucifixum, prostrata, hæc secum attentius expendit: Tû JESU mi, ait, pro me tam dirè cruciaris, & ego voluptati operam dabo? Tu vulneribus, & flagris concisus, ego auro & gemmis gravis? caput tuū spinis redimitum, cincinni tui pleni rore, & guttis sanguinis, & capilli mei ad omnem luxum & libidinem crispi & calamistrati? nec plura locuta, ac diu eductos prominentes cincinnos sibi præscindens, ad pedes Domini crucifixi affixit, eosque concinnè illigavit, ac irretivit. Sic progressa, in medio amicorum cœtu, matrem alloquitur: non multis, nec longè sponsum sibi quærendum, propè adesse, Christum digito ostentans: illi, inquit, meos amores, & virginitatem dicavi:

Virg. 4. Æneid.

> *Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores*
> *Abstulit, ille habeat secum, servetque sepulchro?*

Adhæc omnibus attonitis, nec quidquam monentibus, aut minantibus, ad Religiosum claustrum convolavit, ubi sponsum suum sibi sic devinctum, arctioribus amoris nexibus constringeret. Sed quid unā hanc commemoro, cū numeri supperant chori sponsarū Christi, & ... *tonsarum*, per tot sacrarum virginum ubique ... entium degentiū Parthenones, & asceteria, quæ inane reticulum crinium suorū, sponsi sui pedibus nobili servitute submisêre, eoque cum Magdalena ad abluendas sordes, & pulverem adhærentem detergendum *lintei loco adhibuere.* Aureè dictum à Chrysologo de Magdalena: CAPILLIS *capitis sui tergebat pedes Domini, ut juxta Psalmistam, verticem* CAPILLI, *ex quo ambulaverat in delictis suis, in Sanctitatem tali verteret servitute*; quo obsequio præstito *accesit confessa, ut rediret Professa.* Hanc auream & divinam servitutē, omnes Sanctimoniales, tonsorine Professæ sunt. Antiquitus servile fuisse radi, tradit Suidas & Aristophanes, qui sic ad quemdam: *servus cum sis*, COMAM GERIS? Vos omnes cum summi illius Domini servi, & ancillæ sitis, liberè quemque compellare possū: Tu crispe, & cincinnate Adolescens, *servus cum sis*, COMAM GERIS? *Tu* filia vana & vaga, *ancilla Christi cum sis*, COMAM GERIS? Quin eam in servitutem, quæ vera libertas est, Domino tuo consecras, ut aliquando vertex, quemadmodum Magdalenæ, nobilius quā coma Berenicæ, tot stellis, quot pilis fulgeat. Notum est cōsuevisse antiquos diis suis consectare cæsariē. De Ægyptiis tradit Diodorus, vota solitus esse cōcipere, morbo affectos, ut si ex eo convalescerent, desectum crinem alicui deorum consecrarent. Eandem ob causam ab Hebræis detonsam ex voto, & oblatam comam scribit Josephus: Athenienses, ut testis est Plutarchus, suæ comæ primitias, Apollini Delphico consecrare consuêrant. Refert Suetonius Neronem in aureâ pixide capillos suos Iovi Capitolino consecrasse; uti & ille, de quo Martialis:

Cant. 4.

S. Ephrem.

... Chrysol. ser. 93.

Augustin. lib. 50. hom. 23. de Magd.

Suidas. Aristophanes in avibus.

Mos antiquus capillos diis consecrandi.

Diodorus. l. 2. c. 4.

Ioseph lib. 1. de Bello Iudaic. c. 15.

Martial.

> *Consilium formæ speculum*, DULCESQUE CAPILLOS
> *Pergameo posuit dona sacrata Deo.*

Quod gentiles, ut à morbo convalescant, & salutem corporis consequantur, vos Christianæ virgines, ut corpore & spiritu valeatis, ut salutem æternam consequamini, primitias capitis, & primam velut lanuginem Deo vivo & vero offerre detrectabitis? ut in ancillas Domini, in sponsas Christi censeri valeatis? si hoc amor improbus, amore sponsi carnalis potuit, quid nō divinus in cordibus vestris operabitur? *Florinda*, filia Siracusana, quæ nullâ quamtumvis grādi pecuniæ summâ, unquam induci potuit, ut auream, & calamistratam suam cæsariem, qua *Melantho*, amasio suo mirè placuerat, *Thrasidea* Reginæ, cui morbo crines defluxerant elargiretur. Capto demum à piratis *Melantho*, ut comæ suæ pretio dilectum sibi adolescentem redimeret, Reginæ tondendam sese ultrò stitit: En comam, inquit accipe, unde lytrum captivus habeat. Recognita, puellæ amorem, & impotentem quo in eum ferebatur ardorē Regina vehementer admirata, & comæ pepercit, & pretiū persolvit, & puellā cupiti conjugii compotem fecit. Nec tantillum à te, Sponsus tuus pro te captus, & plagis lividus impetrabit, qui & capillos capiti tuo radiantiores restituet, & te sponsam suam æterno connubio recipiet? Crines enim hic amore cælestis Sponsi resecti, vertice resurgêre, omnes, ne uno desiderato, reflorescent: & CAPILLUS *de capite vestro non peribit*; ut illud hic purpurati Vatis usurpare posse videar: *sicut novacula acuta fecisti dolum.* Vides hominē in tonstrinâ, barba, mento, genis ad cutem probè rasum, glabrum prorsus, & omni pilo nudum. Erras, si non densiorem silvam

Barth. Bonifac. Rhodigin. Historia ludicra l. 1. c. 7.

Luc. 21. v. 18.

Psal. 51.

credas repullulaturam. *Dolus potentis est*, inquit Augustinus, cui capilli capitis vestri omnes numerati sunt, quos in obsequium suum abrasos, uberius, & splendidius faciet efflorescere. *Aug. serm. 6. de verbis dom.* Fidem astruit Nolanus Antistes: *ad gratiam tempus, & species libertatis tonsore in promptu est, qui nos & prolixiore capitis velamento levet, ut gratia spiritalis beneficium etiam corporalis forma testetur, & libertatis internae laetitiam, serenitas revelata frontis ostentet.* *S. Paulinus Epist. 4. ad Severum.* Quam gratiam, & gloriam, vobis, Sanctimoniales, quae estis GREGES TONSARUM, peculiari titulo, cum mellifluo Doctore gratulor, qui sic ea verba caelesti doctrinâ exponit: *quam bene monachi* (& Sanctimoniales) TONSIS OVIBUS *comparantur: quia revera* TONSI *sunt*; *Cant. 4.* *Bern. serm. 64. ex parvis.* quodque ovibus tonsis accidere solet, ut lana quae caniculâ utête illas gravabat, quaq; ad sepes, & sentes adhaerescebant recisâ, in pascuis gestiant, ludant, ac saltitent, idem eminentiori modo eveniet vobis ovibus Christi tonsis, quae fluxâ capillorū lanâ, quâ ad occasionum sentes, & vepres adhaerescere solebatis, praecisâ, in pascuis ubertimis, ubi suos greges tonsarum pascit in meridie lucis aeternae gaudebitis, & exultabitis laetitiâ inenarrabili.

Morale ad saeculares. At ne solis Monachis, & Monialibus loqui videar, vertict quoq; vestro, viri potêtes, & opulêtae dominae, à potenti manu novacula immittitur; sed nil timendū, nil querendū, quia Sanctus dolus est. Cū educi, & exacui à tonsore novaculā conspicitis, unum jugulum peti arbitramini: minime, nullū homini adfert detrimentū, pilos rollit, hominē renovat, superflua tollit, amicū agit, non carnificem. Ingeniosè Augustinus: *quare dolum potentis, mala novacula comparavit: quia non admittitur, nisi ad superflua nostra; sicut* CAPILLI *in corpore nostro, tanquam superflua videntur, & sine detrimento carnis raduntur.* *Aug. serm. 6. de verbis dom.* Sicverè sensit Carolus Chastillonius, Comes Pictaviêsis ab Anglis captus, & in carcerem conjectus, bonis omnibus adversae fortunae falce abrasis, identidem illud invictâ animi constantiâ ingeminare solebat: *Omnium bonorum, se non pluris facere aut sentire jacturam:* QUAM CAPILLORUM RASURAM, QUAM TONSOR SIBI NOVACULA AFFERRET. *Dinot. Theatre de la Noblesse Franc. lib. 54.4.* Hoc & vos sentite, dum benignus Deus & Pastor bonus, amicâ mente, & manu, radit vos, & tondet oves suas: dum quibusdam detondet per inopiam vestes pretiosas: aliis detondet per milites agros, & silvas, aliis per bonorum jacturam, rhedas, equos, suppellectilem omnem pretiosam: denique per mortis falcem detondet omnia delectabilia; cōfidite: quia *sicut novacula acuta fecit dolum*, haec etenim omnia, ut in Jobo accidit, non solum in alterâ vitâ, sed in praesenti, uberius repullulabunt. Alterum in eodem argumento morale adducit S. Paulinus. Epist. 4. quae tota de capillis: *Videlicet, ut peccata nostra, quibus* SUPER CAPILLOS CAPITIS *multiplicatis, animam habemus impexam, non accisioni medij tondeantur; sed adversum quasi novaculâ radente permaneant*. *S. Paulin. Ep. 4.* Non possum, quin totum locum, cùm multis ad manum non sit, describam: *Et est nobis novacula, nunc salutifera, nunc pestifera sectionis. Remedij & decoris novacula nobis Christus Deus est, qui cor* *Idem ibid.* *nostrum circumcidit, vitia radit, animae caput levigat, nosque ut illam in lege captivam purgat,* & LIBERAT HORRIDO MISERAE SERVITUTIS CAPILLO, *ut conjungendi cum Domino, velut illa Israelita viri nuptias transitura, criminibus carnis nostrae,* QUASI BARBARIS CRINIBUS EXUAMUR. Tum quis ex hac rasurâ fructus germinet, exponit, dicens: *deinde sensibus innovatis,* UT COMIS *nitidis rudibus enitescamus, vitamque nostram, quasi* NAZARAEUM CRINEM *pascentes Deo in castitate, & parsimoniâ consecremus.* De alterâ novaculâ, quae Adamum, & generis humani caput rasit, ejusque posteros omni gratiarum, & venustatum, ac roboris nitore, cum Sampsone privavit, ne prolixior sim, ibidem videre est.

De tonsura clericorum, & monachorum. Nunc ad sacros Nazareos, & tonsuram Clericorum, ac virorum Religiosorum veniamus. Tonsura clericalis, & monastica, originē traxisse videtur à Nazaraeis, qui è vulgo selecti, in puriores vitae, & altioris Sanctitatis exemplum videbantur evocati. Fuerunt illi inter Judaeos facile Principes, tum ex nomine, tum ex ipsa institutione, tum ex anctore, & parente sui ordinis, qui non alius à Deo fuit. Dicti porro Nazaraei, hoc est separati, consecrati, coronati, à verbo *Nazar*, quod separare, consecrare, coronare significat. *Votum* eorum antonomasticè dictum est *magnum*, quia ut inquit Philo: *Nazaraeus seipsum dedicat; ideo magnum hoc votum appellatur; nihil enim quisquam possidet seipso pretiosius, qua possessione tunc ceditur.* *Philo de sacrif.* Inter ceteras haec omni Nazaraeo lex lata est Num. 6. vers. 5. *omni tempore separationis suae, novacula non transibit per caput eius, usque ad completum diem, quo Domino consecratur.* Ex quo conficies, Nazaraeos olim primum comam aluisse, & effusam in humeros caesariem; deinde post longam, & insignem vitae continentiam, capillos posuisse, eosque sacrationibus flammis in sacrificium tradidisse: quoties enim vir aut mulier se Deo consectabant, ut effent Nazaraei, oblato sacrificio tondebantur. Numer. 6: *Tunc radetur Nazaraeus ad ostium tabernaculi foederis,* CAESARIE CONSECRATIONIS SUAE, *tolletque* CAPILLOS *eius, & ponet super ignem, qui est suppositum sacrificio pacificorum.* Qui ritus, fuit declaratio quaedam supremo numini facta, & veluti pignus Sanctificationis.

Hinc S. Isidorus Pelusiota docet, tonsuram fuisse institutionem Apostolorum, acceptam à Nazaraeis, atque hac de causâ inquit hic Magni Chrysostomi discipulus: *Ut qui Domini cultibus mancipati, Domino consecrarentur, veluti Nazaraei idest Sancti Dei* CRINE PRAESCISO INNUVENTUR. *Isidorus Pelusiota. lib. 2. de Eccl. offic. c. 4.* Ritus sanè illustris, & divinâ lege compositus, atque descriptus; in quo sine dubio fuerunt adumbrata, quae deinde in Ecclesiâ Dei vivos colores, & plenam lucem sunt consecuta: Sic enim posteris saeculis deinde sancitum est, ut sicut Nazaraei capillos rescindere, atque adolere jubebantur, *ipsi perfectionem devotionis suae Domino consecrarent*, *Philo.* qua in oblatione capillorum, se totos Deo devovebant; quod etiam de Syriae, ac Ægypti Sanctimonialibus testatur Hieronymus, dicens: *mos est in Ægypto, & Syria monasteriis,* *Hieron. Ep. 48. ad Sabinian.* ut

ut tam virgo, quam vidua, quæ se Deo voverint, & seculum calcaverint, CRINEM, *monasteriorum matribus offerant,* DISSECANDUM. Ita & clerici jam inde ab Apostolis, Ecclesiæ Principibus, [illegible] it comas deponere, ut vel ex eo se intel-[illegible]ent, in omni vitâ Domino consecratos, & novi generis Nazaræos, hoc est separatos, consecratos coronatos: separatos quidem à vulgo, & communi vivendi ratione: separatos à mundo, Deoq; uni cõsecratos, & hoc quidẽ voto maximo; ut enim Origenes: *Hoc est votũ Nazaræi, hoc est votum clerici, quod est super omne votum: Nam filium offerre, vel filiam, aut pecus aut prædium, hoc totum extraneos est. Semetipsum Deo offerre, & non alieno labore, sed proprio placere, hoc est perfectum, & eminentius omnibus votis; quod facit imitator Christi: ille enim dedit homini terram, mare, & omnia quæ in iis sunt, sed post hæc omnia, semetipsum dedit.* Idem quà potest, audet, & molitur Nazaræus, molitur & clericus: seipsum Deo devovet, eoque [illegible]erus Nazaræus, separatus, consecratus, coronatus audit; sic enim separari, & consecrari, & coronari, summa laus, & corona gloriæ est. Nunc causas mysticas, & rationes morales disquiramus, quid Deus in tonsura Nazaræi quid Christus, & Ecclesia in tonsurâ Clerici, & Monachi, ac Sanctimonialis spectaret? D. Greg. Pontifex maximus, vult per tonsuram capillorum, omnes affectus erga terrena, omnia desideria circa res fluxas, divitias, honores: omnes cogitationes de lubricis, & carnis concupiscentiis resecari, atque ita ad perfectionis apicem, ejusmodi conniti debere: *Quid est* inquit, *quod caput Nazaræus radere,* CAPILLOSQUE *in igne sacrificii ponere jubetur; nisi quod tunc ad perfectionis summam pertingimus, cum sic exteriora vitia vincimus, ut etiam cogitationes superfluas à mente resecemus.* Secundo, tonsura hæc castigationis, & mortificationis carnis, & castitatis manifestum, ex Sanctorum Patrum [illegible]citis, indicium est. D. Dionysius Areopa[illegible]: *Tonsura crinium, vitam mundissimam indicat.* Accedit S. Isidorus lib. 2. de offic. Eccl. c. 4. *Est,* inquit, *in clericis tonsura, ut hoc signo vitia resecentur: & criminibus carnis nostræ, quasi* CRINIBUS *exuamur.* S. Greg. lib. 5. mor. c. 23. optimus Magister morum exponit, quid moraliter significet mos ille radendi crines, Religionem ingredientibus: *Pili carnis,* inquit, *sunt superflua humanæ corruptionis. Oportet ergo Levitas, pilos carnis radere: quia is qui in obsequiis divinis assumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere.* De carnis corruptione [illegible]veniunt pili, veluti quædam corporis excrementa; sic & cogitationes pravæ, ex vitio naturæ depravatæ, quarum resecatio adhiben[illegible]. Denique addit Isidorus cit. tonsuram [illegible]rdotaleœ, tiaræ, & regalis coronæ indi[illegible]e. *Ut impleatur,* inquit, *etiam quadam [illegible]-itudine, quod scriptum est: quod estis genus [illegible] regale sacerdotium.* Idque pio ex motivo [illegible] venerabilis Beda, ut Sacerdotes, & Monachi [illegible] *formam coronæ, quam Christus Dominus spineam portavit, suo quisque capite per tonsuram perferret.* Quo spectat illud Germani Patriarchæ dicentis: *Tonsura Sacerdotis, vice corona est spineæ, quam Christus Dominus gestavit.* D. Hieronymus ut habetur 12. q. 1. c. *duo sunt,* ubi agit de clericis: Coronam, inquit, habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ, *in signum Regni, quod in Christo expectatur.* Jam propè ignominiæ ducitur, clericos & monachos coronatos incedere; quod mihi alienissimum videtur ab instituto Apostolico, & à majorũ nostrorũ pietate, qui in eo ipso magnum decus, & Christianæ vitæ splendorem positum esse ducebant: Nam Isidorus Pelusiota, *pretiosissimam Sacerdotii coronam appellat.* S. Ambr. lib. de fide, & Resurr. ait nuptias Agni, ut confessorum labore, martyrum sanguine, liliis virginum, *sic coronis etiam Sacerdotum ornari.* 3. Tonsura inducit ad securius decertandum cum hoste; hinc Isidorus expendens illud, quod Job *tonso capite* incesserit, dicit ab eo factum exemplo gladiatorum, qui antequam cum hoste congrederentur, capillos solebant abradere: *Ne,* inquit, *crinibus prenderentur.* Testatur Plutarchus, Athenæus, & S. Ambrosius, cum dudum ancipiti aleâ exercitus Darii, & Alexandri, inter se dimicassent, tandem miles Persicus astum hunc excogitavit hostem superandi, nimirum insilit in Macedones, ac quemque seorsim aggressum, capillis arreptum, dejecit in terram, & gladio cõfecit; quod ut Alexander advertit, receptui canere jussit, suisque seductis in collem excelsum, omnium capita radi curavit. Atque ita novum prælium aggressus, de Dario, & hostibus suis triumphavit. Haud aliter summus Imperator noster Christus, plures pugiles suos conspiciens per crines à tartareo hoste comprehẽdi, & perdi, in montem Sanctificationis, & Religionis Excelsum eductos, per sacram tonsuram reddit illos hosti insuperabiles, imo gloriosè triumphantes. Accedit tonsuram, in signum luctus, mæroris, ac pœnitentiæ adhiberi, ut insinuat D. Paulinus: *Nos adeant, & revisant conservuli, & compallidi nostri, non vestibus picti superbi, sed horrentibus ciliciis humiles: nec improbâ capitis fronte criniti, sed castâ informitate capillum ad cutem cæsi, prærasi, & ornatu pudicitiæ inornati.* Certè, etiam apud gentiles abrasio capilli, symbolum fuit lugentis atque mærentis animi, ut Suetonius in Cajo Caligula, aliique observarunt. Sic & Deo dicati tondentur, ut primum sua, tum etiam aliorum peccata deplorent, atque pro iis, tanquam obnoxiis divinæ justitiæ, reisque æternæ mortis, insigni commiseratione, ac pœnitudine lugeant. Typum habent Nazaræi nostri, & Sponsæ Christi in potentissimâ Reginâ. Esther c. 14. v. 2. *Fletui, & luctui apta indumenta suscepit, & corpus suum humilians jejuniis, omniaque loca, in quibus antea lætari consueverat,* CRINIUM LACERATIONE COMPLEVIT. Græcè *implevit* TORTIS LACERATIS CRINIBUS suis, in signum luctus, & pœnitentiæ. Hic ritus Hebræorum fuit. Esdras. lib. 1. c. 9. *Cum audissem sermonem istum* (quod accepissent filii Israel uxores alienigenas) *scidi pallium meum, & tunicam,* EVELLI CAPILLOS CAPITIS MEI, *& sedi mærens.* Job c. 1. v. 20. *Surrexit, & scidit vestimenta sua, &* TONSO CAPITE CORRUENS IN TERRAM, ADORAVIT. Hinc Prophetis in argumentum maximi & summi luctus, præcepit Dominus

Origen. [illegible] 24 in [illegible]
[illegible] mysticé ac moraliter intelligatur.
[illegible] 2. 16.
Dionys. [illegible] de Ec. [illegible] 3. [illegible] ch.
[illegible]
Bed. l. 5 de gestis Angl. c. 22 [illegible]
Crosoll. mystag. fuso l. 4 c. 12. sec. 3. l. 2 ap. 19.
Isidor. l. 2. epist. 29.
Isidor. pelus. ep. 161 lib. c. 1.
Plut. in apoph.
Athen. l. 13.
Amb. l. 6. hexam.
Signum luctus & pœnit.
Paulin. Ep. 7. ad Severum.
Sueton. cap. 9.
Bonav. in Esth.

Ierem. 7. nus capillum detondere: TONDE, inquit Jeremiæ, CAPILLUM CAPITIS TUI, *& projice, & sume planctum*; ubi sic Hieronymus: *Apud veteres hac erat omnium consuetudo lugentium,* TONDERE CÆSARIEM. Eadem apud Persas in luctu fuit. In mulieribus etiam modo argumentum ingentis mæroris est, aut comam neglectam, & incomptam sinere, aut capillos vellere. Cer-

Luc 7. tè *mulier quæ erat in civitate peccatrix*, cum in ordinem reductos crines, cincinnosque calamistratos, & rutilatos solvit, sparsit, & in linteum tergendis Christi pedibus convertit, maximi doloris signum prætulit, animam suam demortuam lugens, & plangens, sui ornatus, & genii fœminei oblita. Quid, quod hac capitis coronâ, omni Regum diademate longè illustriore, omnibus sæculi pompis, titulis, & honoribus renuntiant, seque uni in terris tricoronidi infulæ prosternunt. Quam dignitatem ipse Bulgarorum Rex suspexit, & veneratus est: cùm enim recens Ecclesiæ Catholicæ adjunctus esset, ut aliquo indicio suam erga sedem Apostolicam submissionem, ac devotionem testaretur, resectum propriâ manu crinem, legatis Apostolicis tradidit, adjecitque hæc verba digna cedro: *Omnes Primates, & cuncti populi Bulgarorum terra, cognoscant ab hodierno die me servum fore, post Deum, Beati Petri, & ejus vicarii*, hoc est successorum ejus. Hæ fuerunt Regiæ voces, testes magnæ mentis, ipsumque capillorum pignus, summæ submissionis cum vertice argumentum. Hoc ipsum Clerici, Religiosi, Sanctimoniales testatum volunt, ubi crinem secant, capillumque abjiciunt: sese liberâ, & expeditâ mente, ita Deo, ejusque vicario devovent, ut una & titulos, & dignitates sæculares, & opulenta matrimonia, ac spem omnem una cum capillitio seponere, ac resecare ostendant; quod sine dubio ardui est animi, & humana omnia infra se despicientis. Quæ omnia, ut illustria rasuræ, ac tonsuræ in clericis, ac Religiosis Deo consecratis encomia, ita enormia vanitatis, lubricitatis, & luxus argumenta sunt, si clerici, ac Religiosi comam nutriant, & in capillis, ac barbâ vanitatem ac venustatem sectentur; in quos Christos Domini, cum ego manum injicere non audeam, acutos SS. Patrum calamos adducam, quibus eosdem argutè & acutè perstringant. Si Apostolus dicat,

Anastas. Biblioth. in Adrian. 2. in præfat. ad synodum.

Exaggeratur luxus, & vanitas capillorum in Clericis, & Religiosis.

1. Cor. 11. *ignominiam esse viro, si comam nutriat*, excolat, crispet, calamistret, quanto magis viro Religioso? Hugo: *Vir debet esse virilis animo, ut Religiosi, si comam nutriat ignominia est illi. Ex hoc patet, quod multi sunt ignominiosi.* Tempore D. Augustini, incurrebat in omnium oculos, genus quoddam otiosorum monachorum, qui manibus operandum negarent, atque adeo contenderent, piosomnes, aves cæli æmulari debere, quæ nec serunt, neque metunt; quibus tamen à parente omnium Deo copiosissimè provideretur; vagabantur autem liberius, & ad ceteras ineptias, & imbecillis animi temeritatem, muliebribus capillis compti incedebant. Monebantur ab Episcopis de ignominiosâ viro comâ, quæ diffluat, ex effato Apo-

Hug. Carline Cresol. mystag. p. 964.

1. Cor. 11. stoli: *Viri si* COMAM *nutriat, ignominia est illi*; sed frustra. Quare insanientem eorum hominũ audaciam, impunè volitantem, comprimit in libro de opere monachorum; ubi tamen duplex genus describit comantium monachorum; unum hoc ipsum vagum, de quo hæc gravissimè: *Quo pertinet, quaso, tam apertè contra Apostoli præcepta* COMARI? *an ita vacandum est, ut nec tonsores operentur? An quia Evangelicas volucres imitari se dicunt, quasi* DEPILARI *timent, ne volare non possint, illi enim venalem circumferentes hypocrisin, timent* NE VILIOR HABEATUR TONSA SANCTITAS, QUAM COMATA, *ut videlicet qui eos videt, antiquos illos cogitet, Samuelem, & cæteros, qui non tondebantur.* Alterum eorum, qui in monasteriis degebant, qui cum pietatem colerent, hoc nævo, unde fiebat plurimorum offensio, vitam suam dehonestabant. Hinc illos blandius obtestatur, ut morem illum abjiciant: *Vereor*, inquit, *in hoc vitio plura dicere,* PROPTER QUOSDAM CRINITOS FRATRES; *sed quo magis eos in Domino diligimus, eo solicitius admonemus, qui vanos homines in hac perversitate imitantur, quibus sunt in cæteris professione dissimiles.* Ac tandem concludit: *Sunt quos isto sermone corripimus, qui hoc* UNO VITIO CAPILLORUM, *contra præceptum Apostoli offendunt, & perturbant Ecclesiam.* En quale, quantumque malum, gravissimi Patris, & irrefragabilis Doctoris censurâ existimatur, quod multi ut leve, & pili, aut nihili faciendum arbitrantur. Inciderat quoque in ejusmodi effæminatos D. Hieronymus, deque illis monuit Eustochium in hunc modum: *Viros quoque fuge, quibus* FÆMINEI, *contra Apostolum*, CRINES, HIRCORUM BARBA, *&c.* Hæc omnia argumenta sunt, eos servos esse diaboli. Agyrtas eos, erronesque notat, pannosos parasitos, qui sub titulo ementitæ humilitatis, cæsariem suam, ut Vulcanum tete obtendebant, ad captandas mensarum lautitias, & honoris fumum colligendum. Quin longè ante D. Cyprianus, inter aulicus mali dæmonis ponebat eos, qui talaribus vestibus pavimenta verrentes, CAPILLIS MULIEBRIBUS *se in fœminas transfigurant.* Id plurimum nomini incommodavit, & venerationi Ecclesiæ, cum in illum Ecclesiasticum ordinem adlecti, gloriosuli Adolescentes, ut simiæ cincinnaculæ, aut compti amasii, sacro in cætu calamistratum verticem jactarent. Moerebat sane D. Hieronymus, qui, scribens ad Eustochium de clericis, cyrtatos, calamistratosque monet omninò fugiendos, quod ipso commercio auram impudicitiæ afflare, & sordibus castas, & verecundas animas collutulare possent. Sic enim illos pingit: CRINES *calamistri vestigio rotantur, digiti de annulis radiant, &c. tales cum videris, sponsos magis existimato, quam clericos.* Et alibi, ejusmodi calamistratos ad Joviniani inoputû gregem amandat: *Quoscumq; formosos, quoscunq; calamistratos, quos* CRINE COMPOSITO, *quos rubentibus buccis videro, de tuo armento sunt, imò inter tuos sues grunniunt.* De his, ut videre est, pluribus Cressolius noster in mystagoge, aliique Ascetici scriptores. Nunc, ne ad solos clericos cœnobiticos, & Sanctimoniales verba habere videar, nec intentum meum sit persuadere ut viri, multo minus fœminæ, contra Apostoli præceptum, caput radi, aut tonderi

Aug. opere monast. tom. 3. c. 31.

Hieron. ep. 22.

Cyprian. de jejun.

Hieron. adv. Jovin. l. 1.

deri faciant, praxim suggeram, qua & ipsi cum Magdalena, capillis suis Christi pedes tergere valeant. Paucis notemus quid ex sensu SS. Patrum per capillos moraliter intelligi possit, ac debeat, hoc maximè argumento, quo propè omnia ad mores formandos, hic utendum duximus. Divus Augustinus in Psal. 51. CAPILLI, inquit, *superflua rerum temporalium significat aut, ut enim hi sine sensu præciduntur illis, qui Deo adhærent, sic habent illa terrena, tanquam* CAPILLOS. Ut autem sciatis his superfluis capillis, quinam pedes Domini tergendi sint, diserte tradit, tractatu 50. in Joan. Exponens convivium, ubi Lazarus redivivus accumbebat, Martha ministrabat, Maria alabastrum unguenti effudit, pedes Domini unxit, & capillis tersit, sic ait: *Unge pedes Domini, bene vivendo Dominica sectare vestigia.* CAPILLIS TERGE; *si habes superflua, da pauperibus, &* DOMINI PEDES TERSISTI: CAPILLI *enim superflua corporis videntur. Habes quod agas de superfluis tuis: tibi superflua sunt, sed Domini pedibus necessaria; forte in terra Domini pedes indigent*; hos dum lubet, tergere vales. In quo Magdalenam proximè æmulari quisque vestrum potest: Hæc enim significavit, *quid de ipsis* CAPILLIS *boni fieri possit; quæ cum flevisset super pedes Domini,* CAPILLIS SUIS TERSIT, *quos lachrimis rigaverat, significans*, inquit Augustinus, *quia cum misertus fueris alicujus, debes & subvenire, si potes: cum enim misereris, tanquam lachrimas fundis; cum subvenis,* CAPILLIS TERGIS. CAPILLI *tibi superflua sunt; sed pedibus Domini, id est, pauperibus necessaria.* Quantumvis, ô adolescentuli, & adolescentulæ, quis vestrum capillis suis affectu inhæreat, neminè quemquam hic esse arbitror, qui Magdalenæ non invideat, & suis libens Christi pedes tergeret; quod appetitis, quod ambitis, concessum est. Pedes Domini, pauperes sunt, tersistis, cum subvenistis. *Capilli tibi*, tot, & tanti pretii collaria, rotunda, cornuta, simplicia, triplicia, dentata, striata, cæcta, inflexa, implexa *superflua sunt, sed pedibus Domini, id est pauperibus necessaria.* Capilli tibi, tot omnis moris, & coloris togæ, hyanthini, cærulei, cianei, cinerei, purpurei, Prasini, flammei, &c. *Superflua sunt, sed pedibus Domini, id est pauperibus necessaria.* Adolescens, mercator, causidicc, vix nobilis, *capilli tibi*, tot pallia, ad profectionem alia, ad convivium alia, ad consilium alia, alia festis, alia feriis, *superflua sunt*; sed pedibus *Domini, id est pauperibus necessaria.* Præstat enim his nudos pedes Domini tegi, quam à tineis consumi, ut peracutè notat Hieronymus: *Plerosque*, inquit, *videas, armaria stipare vestibus, tun cas mutare quotidie, & tamen tineas non posse superare.* Videas unis epulis centum aureos ingluvie absorberi, novi qui mille aureos annuè in panem, venaticis suis canibus insumebat; quis hæc non superflua dixerit, pedibus Domini necessaria? Utinam Chrysostomum hi audiant intonantem, & sentiant fulminantem: *Quot pauperum ventres poterant indu fasci? & quot corpora nudè agentia, poterant contegi?* Quis non superflua dicat larga illa, & longa, ex serico, Damasceno syrmata, & caudas quibus terram verrunt? *Vides* inquit Bernardus, *longas post se trahentes fimbrias, ipsasque pretiosissimas, & densas pulveris nubes excitantes in aera.* Hæc tibi superflua, pedibus Domini, id est pauperibus nudis sunt necessaria. Magdalena capillis suis tersit; sed ut & viri, qui muliebrem in morem, cæsariem jactant, habeant quem æmulentur, Robertum Regem induco. Hic ad Dei servitutem, Rex humilis ponebat vestimenta sua, indutus ad carnem cilicio, advocatoque clericorum collegio, centum sexaginta, & co amplius numero, ad exemplum Domini, eorum pedes lavans, capillis capitis sui tergebat, singulos eorum liberali nummo dimittens. Pedes Domini, viri Ecclesiastici, Religiosi, qui pagos, & villas, & vicos obeuntes, & verbum Dei seminantes, lutulentos, sudore, & pædore obsitos, pedes habent, benignè excipere, fovere, hoc pedes Domini tergere est. Ita Augustinus: *Cum sabreum,* CAPILLIS *tergis, & si hoc cuicunque, quanto magis pedibus Domini, qui sunt Evangelistæ Sancti, de quibus dictum est: quam speciosi pedes sunt eorum, qui annuntiant bona.* Et ne his diutius immorer, omnia paucis complexus Orator aureus, qui sic quemque adhortatur: *Superflua quæque amputa, & fac pauperibus supplementum: nam si calceamenta quis super mensuram pedibus adegerit, itinere certè prolixiore sentiet impedimentum. Et vestimentum induceni, corporis staturam excedens, eodem implicabitur modo* (teret pedibus chlamydem, thorax diffluet, tibialia in calces decident) *quod si superfluum ubique inutile est, in pecuniâ fortius multo: Et qui supra quod satis est, habent, non modo in ipsâ sufficientia, sed in quibusdam necessariis impediuntur. Nam qui deforis in agone currunt, ipsa exuunt vestimenta; viam vero in cælum ferentem, arctam, & arduam, tot cum impedimentis, quomodo poterit ambulare veloci enim, & expedito, penè impossibile est consequi salutem*; quam etiam currere poterunt, qui superfluis, velut capillis resectis, Christi pedes, in pauperibus terserint.

Sed ut eo revertamur, unde exorsi sumus, fatali epilogo concludam, ad luxum omnem capillorum, terrificis, quæ vindex Deus intentavit suppliciis, & pœnis etiam æternis propositis, penitus resecandum, & stirpitus eradicandum.

§. III.

DECALVABIT *Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus* CRINEM *earum nudabit.* Isaiæ cap. 3. ℣. 17.

INter omnia mundi muliebris ornamenta, nullum est, cui impensius adhærent, diligentius student, pretiosius reputent, quam crispam, & encinnatam suam cæsariem, quam etiam immenso pretio redimere nonnullæ maluerunt, quam tonderi. Aliquando fortè optandum esset, potissimum hoc, quo spiramus sæculo, quod olim sub Persarum Regibus, Lidiæ populum factitatum legimus. Erat his effusâ cæsaries, & comæ properæ, ac cincinnatæ;

Morale quomodo sæculares, & fœminæ capillis suis Christi pedes tergere valeant.

S. August. in psal. 51.

Capilli denotant superflua Christi pedes, sunt pauperes.

Idem tractat. 50. in Joan.

August. in psal. 51.

Hieron. ad Eust. de virg.

Bern. Epist. 113. ad Sophiam virg.

Novarin. nuptiales aquæ l. 7.

Pedes Domini, sunt Religiosi.

August. in psalm. 51.

Chrysost. hom. 7. de pœnitent.

Pœnæ & supplicia à Deo de vanitate capillo rum sumpta.

Aristoteles in Oeconomic. lib. 2. exempl. 14.

Rhodigin. lib. 19. antiquit. cap. 20. Qui capillos gravi pensoluto vectigali redemerunt.

natæ; eas rescindi Mausolus, Rex Cariæ voluit, aut ingenti tributo redimi; at quovis lytro, capillitium charius habentes, admiserunt tributum, & magnâ vi auri, excætera capitis redemerunt. Haud dubiè idipsum admitterent, penderentque innumeri hoc ævo tam compluli adolescentes, quam lascivientes puellæ, quæ non modo pecunià, sed & ipsâ animâ pretiosiores habent capillos. Cum igitur, ut inquit Augustinus: *Sine dolore non amittitur*, quod cũ (tam ardenti & impotenti) *amore possidetur*, Deus graviorem illis pœnam interminari non potuit, quâ calvitium, dum ait: *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, &c.* DECALVABIT *Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus* CRINEM *earum nudabit*; quod mulieri maximè ignominiosum, & tormenti genus gravissimum, ut ait Hugo Cardinalis: *Ut pro ornatu*, inquit, *sit ignominia* CALVITII: *Turpeest enim mulieri habere* CALVITIUM; & subdit: *Ubi etiam notatur amisso omnium desiderabilium*; ita ut nihil cetera omnia ornamenta, & cimelia reputet, si capillis, in quibus omnis venustas, & decor positus, destituatur. Hanc deformitatem calvitii in fœminis, probat Divus Ambrosius ex veteri scriptore: *Si*, inquit Apuleius, *cujushbet eximiæ, & pulcherrimæ fœminæ caput* CAPILLO SPOLIAVERIS, *licet illa cœlo delapsa, licet omni gratiarum choro stipata, & toto cupidinum populo comitata, & baltheo suo cincta, cinnama fragrans, & balsama rorans*, CALVA PROCESSERIT, *placere non poterit*; quod & à Poëtis decantatum:

Isa. 3.

Calvitium fœminis ignominiosum. Hug. Car. hic

Ambr. lib. 6 Hexam. cap. 9.

Ovid. de remed.

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & SINE CRINE CAPUT.

Quis ergo non videt, per quæ gravissimè peccarunt, per ea acerbius torqueri. Observat autem Cornelius ad illa verba: *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, &c.* tria mulierum, maximè „ puellarum vitia taxari. Primum est superbia: quia *ambulaverunt extenso collo*, instar gruum, aut cygnorum. Secundum procacia: „*nutibus oculorum ibant*, jaciendo oculos in juvenes, & amasios, petulanter eis annictantes, „quod illicis, & meretricis est. Tertium est, libido. Punietautem Deus hæc, maximâ earum ignominiâ, ut scilicet primarium earum „ornamentum, puta capillitium, decalvet, idque per hostes (vel ut postea subdit, per gravesmorbos) hostes enim solent captivos „decalvare.

Isa. 3. Cornel. hic

Supplicia æterna ob capillos in tentata.

Sed non in temporalibus his pœnis sistit vindex Deus, plures capillis suis ad æterna supplicia, à dæmonibus raptati, & raptæ sunt. Adolescentuli, & adolescentulæ, qui hic omnem gloriam in crispo capillitio, in calamistratis, & pulveriſatis cincinnis collocatis, tantum pretiosi temporis, in iis pectendis, flectendis, exornandis insumitis, & ad capiendas animas, velut retia expanditis; timendum, ne & iis vos capiamini, & capilli in laqueum, & mortis horrendæ, utinam non æternæ tormentum vertantur. Unum vobis hodie terrificum spectaculum, simul & speculum, ad quod crinitum verticem componatis, ante oculos ponam, Absolonem. Sacra Regum historia 2. Reg. 18. sic habet: *Cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput ejus quercui, &c.* Doctissimus interpres Gaspar Sanctius, non capit, quomodo capilli ita conglobari quasi in funem potuerint, aut quomodo eos dissolvere, seque expedire non valuerit; quare asserit, sine dubio hoc ultrice Dei providentiâ contigisse, ut nimio terrore perculsus nescierit quid ageret. Tum sic ad mores excurrit: hic tu paulisper immorare, & attentè" considera, quemadmodum illa, quæ homi-" num vulgus existimat maxima, aut ornamen-" ta fortunæ, aut naturæ beneficia, esse homi-" nibus insidiosum malum. Erat Absoloni au-" rea verè cæsaries, quæ magno ab aliis compa-" rabatur pretio: quam ille sic amabat, ut num-" quam deponeret, nisi cum illius pondere gra-" varetur caput; sed ab illâ tandem suspensus," inimicorum ludibriis, ac vulneribus patuit." Unde hic pro morali observatione dignum," quæ hic in otio, & per omnem vitam homini" in amore fuerunt, illa in summo etiam discri-" mine, & mortis articulo non amitti, & diffi-" culter deseri. Cupiebat Absolom haberi, &" videri pulcher, atque ideo comam alebat so-" laribus radiis non dissimilem: hanc ostenta-" bat in juvenum, puellarumque conventibus," ut ad se aliorum oculos, animosque non sem-" per pudentissimos raperet. Hoc idem stu-" dium illius fuit, cum illud omissum maximè" oportuit. Magis sanè ad durum illud certa-" men opportuna esset galea, quæ petitiones ex-" ciperet hostiles, quam prolixa cæsaries, quam" diffunderet ventus, & quæ commilitonum" oculos oblectaret; sed galeâ in eo rerum arti-" culo comam premere noluit, quam solutam," & liberam, à sole radiantem in deliciis aluerat. Ex quibus concludit: Sic certè in extre-" mo vitæ certamine, agentes jam animam, re-" bus student manibus, qui inanium rerum stu-" dus, cum integris essent viribus, & corpore" sano, capiebantur. Tunc immani pondere" gravabit eos cæsaries tot sceleribus, quor pilis gravem, & infernum subtus se hiantem conspicati, nimio horrore perculsi, quid agere, & quomodo se expedire queant, non invenient; quod de Absolone, disertis verbis tradit gravissimus Auctor Tostatus, Antistes Abulensis, qui ad illa verba: *Adhæsit caput ejus quercui*, inquit, SCILICET CAPILLIS: *Erant enim nunc valde magni, & ventilabantur per aerem propter velocitatem; unde adhæserunt quercui, quia erat ramosa.* Sed quærit, quomodo Absolom potuit pendere, fugiente mulo, quia ipse poterat tenere eum, & iterum fulvere capillos, vel amputare? Et respondet: *Quod Absolom pendens, voluit sibi amputare capillos, ne cadens fugeret, sed* VIDIT SUB SE APERTAM GEHENNAM. Hæc ne exaggeratè magis ad terrorem, quam verè ad morum correctionem dicta videantur, quid fidi auctores, Gulielmus Parisiensis, Albertus de Albertis, aliique referant, attendite: mulierem quandam mundo muliebri, ac capillo nimium cumprimis luxu impendè deditam, è vivis excessisse; cum ecce, nocte in tempestâ, tartarea umbra

Supplicium Absolonis de capillis. Sanctius in lib. 2. Reg. c. 18.

Tostat. in lib. 2. Reg. c. 18 Absolom pendens capillis, videt subtus se infernum apertum.

Ob luxum capillorum mulier damnata.

Guil. Parisiensis tract. de Univ. P. Albert. de Albertis de luxu mulier. pag 185.

Ga... 10 ... in eq. part. 2. cap. 2.

umbra visendam sese noo nemini, grandi pectine, ferroque flammeo, maledictos suoscrines ... entem, improvisò exhibuit: moxque testata, se ad hæc immania supplicia, & æterna to...enta, pro meretricio capillorum ornatu, ...m superstes erat, immoderatè studebat, ...petuum damnatam. Utinam! ô utinam! ve una sese tam terrifica species hisce nostris compris juvenibus, & cincinnatis puellulis objiceret, me tacente, hæc potentissime peroraret, & exoraret, ut retia illa diaboli, & animæ suæ laqueos, modestè restringerent, aut potius generoso ausu, ut Christi Sponsas decet, præscinderent. Ecquis porrò eam execrandam ferat dementiam, non paucas reperiri, quæ pluris faciant capillorum tonsuram, aut rasuram, quam vitæ, quam animæ, & Regni æterni jacturam? ... quibus unica, ut novi, quandoque remora, non obsequendi Deo vocanti, quod in monastico instituto, capilli resecandi essent. Tales & stultæ matres, & materteræ repertæ sunt, quæ filios, aut nepotes maluerunt morti occumbere, quam capillos ferro præscindi. Audite, & obaudite tragœdiam, quam infulatus Prætul Gregorius Turonensis graphicè depingit. Apud veteres Francos, subditis in subjectionis signum, cæsi erant capilli; Principibus, ac stirpis Regiæ, prolixi, ad insigne dominatus; hinc à puero antequam adirent Regna, alebant eos, ita ut de sincipite penderent capilli in humeros passi; occipitio autem ad utrumque latus, essent crines implexi, pexi, uncti, & odoramentis delibuti, ut hodie signa exstant eorum in antiquis monumentis. Hujus rei, & ritus exemplum in ingens est Crotildis Regina, Childeberti, & Clotharii Regum mater: quæ cum alterius filii, nomine Chlodomeris demortui filios, insano quodam amore prosequeretur, summam contentionem adhibuit, ut nepotes, remotis filiis, in regiam dignitatem promoverentur. Itaque capillitium eorum, pro Regni instituto, summâ cum curâ, & diligentiâ comebat, fovebat, & excolebat; cujus machinationis, Reges fratres, Childebertus, & Clotharius certiores facti, confestim Arcadium quemdam ad eam miserunt, qui strictum gladium unâ manu, & alterâ forcipem ostentans, optionem faceret, utrum horum instrumentorum capitibus nepotum suorum vellet admoveri. At illa, inquit Gregorius Turonensis, nimium bile commota, præcipuè cum gladium cerneret evaginatum, ac forcipem, amaritudine plena respondit: *Satius mihi est, si ad Regnum non promoveantur, mortuos eos videre, quam tonsos*; malle se videre eos affici crudeli carnificinâ, & torturâ, quam capitis tonsurâ. O insaniam! ô barbariem! ô in...itam crudelitatem! in quam nemo non ve...n mecum clamabit, & conclamabit. In... obiscum pejus, & longè gravius con...pni est, cum avenire sit ejusmodi insanos, ...uos, ac phreneticos parentes, matres, & mat...as, quæ dum filios, filias, nepotes ad aurplas ...uptias, ad spem familiæ, ad gentis prosapiam propagandam excolunt, si eos à Deo ad Religiosam institutum vocari, illi devoveri, in Sanctimonialem, Clericum, aut Monachum

Quæ suos mortui maluerunt, quam ...nderi.

Gregorius Turonen. ... de gestis Francorum. Petavius Annal. Bellar part 1. ... c. 61

tonderi debere intelligant, maliut eos in sæculo perire, vitam corporis, & animæ perdere, in duello trucidari; aut quod Deo vocanti obsequi non detur, conscientiæ stimulis, melancholiâ, morbo consumptæ tabescere, & in ultimam desperationem agi, & sic misere *occisos videre, quam tonsos*; quales vobis adferre possem, & utinam ejusmodi præsentes non sint, quæ vocationem, quæ animam, cælum, & Deum perdere malunt, quam capillos, qui unica remora sunt, ne mundo spreto, se Religioni, & Deo devoveant, & virginitatis flore illibatæ servato, in sponsas Regis cælestis assumi queant. Stimulo illis sit, forti pectore, & virili manu puella, quæ virginitatem suam capillitio redimere non dubitavit. Mulieri viduæ filia erat, nubilis virgo, formâ non malâ; sed nihil suppetebat, quo eam honestò cuipiam viro collocaret: etenim quæ sunt etiam ad vitam parcè, & duriter agendam necessaria, omnia deerant, adeò ut quæcumque loco moveri possent, quibus res ipsius paupercula continebatur, aut vendidisset, aut pignori opposuisset. Quid multa? Eo inopiæ redacta erat, ut de vendenda filiæ pudicitiâ cogitaret. Cujus consilii cum participem filiam fecisset, eandemque summopere adhortata esset, ut eo quæstu sibi cum extremâ penuriâ luctanti succurreret, ne fame, ceterarumque rerum inopiâ conficeretur; prudens filia assimulavit se cum matre sentire; sed dicendi ad eam rem petiit: æquum enim ajebat, omnia ante experiri, quam ad illud extremum, ac desperatum remedium recurrere. His dictis, productam, auroque simillimam comam, suo capiti ferro præscidit, matrique vendendam exhibuit; quam cum illa in foro venalem haberet, vix locuples eâ pulchritudine delectatus constitit, rogatque, num hi adeo venusti, & elegantes cincinni, sacræ cuipiam Virgini Deo dicatæ præcisi essent? Tum mater, egregium filiæ suæ facinus, summamque, qua conflictabatur pauperiem exposuit, quâ urgente capillos sibi ademisset, ut sine pudicitiæ jacturâ, necessitati vitæ succurreret. Obstupuit vir ille locuples, virginis sagacitatem, & pudicitiam, simulque misericordia motus est. Itaque celans animo, quod cogitabat, mulierem bono animo esse jussit; sed plenius edoceri cupiens, discessit, & vicinos clam adiit, eosque de virginis vitâ, ac moribus percunctatus, invenit eorum de pudicitia sermones, cum ejusdem matris oratione congruere. Quâ famâ compulsus, virginem indotatam duxit uxorem domum, summa patris sui voluntate, qui inaffinitatibus conglutinandis, bonarum virginum famam, omnibus anteferendam existimavit. Sic Deus prædiviti dote, & illustri connubio, capillos pro pudicitiâ resectos, remunerari dignatus est. Nec tantum vobis animi, aut roboris erit, talia audere, ut in sponsas Christi, ad nuptias Agni, in thalamum cælestis Regis admitti possitis? ubi tot nobiles, ac nubiles puellæ, tot filiæ, ac filii Regum, ac Principum prævere. Sed de his satis.

Jani Nicii Erithræi exempl. c.156.

Egregium puellæ facinus, quæ capillos quam pudicitiam perdere maluit.

Aliæ sunt quas turpior vexat insania, & deterior longè tenet malitia, quibus & dum nativus suus capillorum color displicet, alium adscit-

De pigmentis & fuco capillorum.

sertitium tincturis variis, & pigmentis induunt, ut de cultu fœminarum Tertullianus adnotavit: *Video quasdam & CAPILLOS CROCO VERTERE; pudeat eas etiam nationis suæ, quod non Germanæ, aut Gallæ sunt procreatæ. Ita patriam CAPILLO transferunt: malè, & pessimè sibi auspicantur flammeo capite, & decorum putant, quod inquinat.* Verum, quæ ne flammeum verticem apud inferos perferre nesciunt, his etiam in vivis, quod magis perhorrescunt, malum imminere, & de facto immitti asserit calvitium; sic enim subjungit: DETRIMENTUM CRINIBUS, *medicaminum vis infert, & cerebro perniciem etiam cujuslibet sinceri humoris assiduitas reservat.* Quæ postrema Tertulliani verba, lucem ab Ovidio capiunt, alicubi referente, assiduo medicaminum usu ad capillos tingendos, vitio contracto, penitus eos in fœmina defluxisse

Tertull. de cultu fœmin. c. 6.

Ovid l. 1. Eleg. 14.

> *Dicebam, desiste tuos* MEDICARE CAPILLOS:
> *Tingere quam possis, jam tibi* NULLA COMA EST.
> *Non tibi vis morbi nocuit: procul omen abesto:*
> *Non minuit densas invida lingua* COMAS.
> *Facta manu, culpâque tuâ dispendia sentis.*
> *Ipsa dabas capiti mista venena tuo.*

Tinctura ergo hæc capillorum, medicaminibus fiebat, aliquando etiam assidua lotione, post quam deindè in sole siccabantur. Utrumque autem noxium fuisse Tertullianus ibidem commemorat, à quo tamen formæ studio non cessasse fœminas, queritur: *Ammando enim, simul & siccando capillo, solis ardorem exoptabilem illis*, cum præmisisset: *Quis*, inquit, *decor cum injuria? quæ cum immunditiis pulchritudo?* Rectè autem dicit immunditiis pulchritudinem quæsitam, quia mundus iste muliebris, ex lixivio, sapio, fucis, ut ipse vidi, & audivi, fœtidissimis constat. Hinc Clemens Alexandrinus hunc muliebrem mundum, *immundum* appellat; & D. Hieronymus talem non *decoratam dixit, sed sordidatam*. *Color* in illis quæsitus, duplex erat: unus qui mentiretur ætatem; alter qui gratiam. Ille ater erat, auro mixtus, hic ut plurimum flavus. Tertullianus ibidem: *Sed enim Dominus ait: quis vestrum potest capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro? Hæ quæ revincunt Deum; ecce inquiunt pro albo vel atro, flavum facimus gratiæ faciliorem. Quamvis & atrum ex albo conantur facere, quas pœnitet ad senectam usque vixisse. Prô temeritatem! erubescit ætas exoptata votis; adolescentia, in qua deliquimus, suspiratur. Absit à sapientia filiabus stultitia tanta; senectus cum plus occultari studuerit, plus detegitur.* Ut autem flavum colorem Tertullianus dicit croco quæsitum, Valerius Maximus rutilo dicit cinere paratum: *Summa*, inquit, *diligentiâ capillos cinere rutilant*; atrum vero colorem ad comæ canitiem occultandam, cortice nucis inducebant, cujus praxeos gnarus Tibullus:

Artificia tingendi.

> *Tum studii forma est, coma cum mutatur, ut annos*
> *Dissimulet, viridis cortice tincta nucis.*

Quæ quam graviter opifex naturæ Deus detestetur, & suppliciis æternis insectetur SS. Patrum testantur oracula. Cyprianus lib. de habitu virginum: *Audaci conatu, & sacrilego contemptu* CRINES TUOS INFICIS, *malo præsagio futurorum*, CAPILLOS TUOS FLAMMEOS AUSPICARIS; quod iisdem propè verbis S. Augustinus confirmat. O spectra! ò capita medusæa! tot angvibus, quot antea cincinnis horrida! & vertex ille in flammas erumpet: Hæc merces omnis laboris & operis; quod probè notat præclarus ille Angliæ Cancellarius, & præstans Ecclesiæ Martyr Thomas Morus, qui nobili cuidam puellæ, quæ multo cum labore, & dolore crines complicabat, ut frons latior esset: pectusque & tunicam constringebat, ut gracili esse corpore videretur, dixit: *Nisi Deus pro hoc tuo tanto labore tibi infernum reddat, magnam profectò tibi faciet injuriam.* Idem argumentum prosequitur S. Hieronymus Epist. ad Lætam. de institutione filiæ: *Cave*, inquit, *ne aures perfores, ne cerussâ, & purpurisso ora depingas, ne collum auro & margaritis premas, ne caput gemmis oneres;* NE CAPILLUM IRRUFES, ET EI ALIQUID DE GEHENNÆ IGNIBUS AUSPICERIS.

Cyprian lib. de habitu virg.

August. l. 2. doctrina Christ. c. 21.

Cornel. à Lapide in 1. Timoth. 2.

Nec solum nativis suis capillis ementitum colorem inducunt; sed & quæ totæ glabræ, & calvæ sunt, mortuorum cadaverum exuviis se spectabiles reddunt, quod est, ut inquit Hieronymus, *alienis capillis turritum verticem struere.* Illodque olim apud Hebræos maximo in usu fuisse, argumento est, quod de Absolone refertur: *Porrò sicut Absolon vir non erat pulcher in omni Israel: & quando tondebat* CAPILLUM, *ponderabat* CAPILLOS *capitis sui ducentis siclis, pondere publico*; quibus significatur, Absolonis cæsariem à mulieribus emptam, ut alienis capillis ornatæ prodirent, atque eorum quandoque volucrum, hæ plumis glorientur, quorum animæ scortorum sorte, aut pellicum, apud inferos igne torrentur; quod exaggerat jure Tertullianus: *Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti. Ne exuvias alieni capitis, forsitan immundi, forsitan nocentis, & gehennæ destinati, Sancto & Christiano capiti supparet.* Hunc in finem germanarum fœminarum capilli à Romanis fœminis expetiti, ut ibidem tradit Tertullianus, & Ovidius decantat:

Lib. 2. Reg. c. 4.

Tertull. de cultu mulier. c. 7.

> *Nunc tibi captivos mittet germania* CRINES:
> *Culta triumphatæ munera gentis eris.*
> *O quam sæpe* COMAS *aliquo mirante, rubebis,*
> *Et dices: emptâ nunc ego merce probor.*

Ovid. l. 1. el. 14.

Nec solum juvenculæ, sed potissimum vetulæ, hoc adscititio ornatu utebantur; quas inquit Hieronymus, *nec annorū numerus docere potest quot vetulæ sunt, quæ* CAPILLIS ALIENIS *verticem struunt, & præteritam juventutem in rugis anilibus quærunt.* Serio autem Patres hoc in fœminâ Christianâ reprehendunt, ab Apostolorum Principe edocti: *Mulierum*, inquit, *non sit extrinsecus capillatura*; quod Clemens Alexandrinus exponens, ait: ALIENORUM CAPILLORUM *appositiones, sunt omnino rejiciendæ, &* EXTERNAS COMAS *capiti adhibere, est maximè impium.* Quod & Hieronymus in Demetriade, adhuc vanitatibus mundi implicitâ deprehendit:

1. Pet. c. 3.

Hieron. ad Demetriad.

dit: *Quando eras in sæculo, ea quæ erant sæculi diligebas: polire faciem purpurisso, & cerussâ ora depingere,* ORNARE CRINEM, ET ALIENIS CAPILLIS TURRITUM VERTICEM STRUERE. Tandem, ut capillis nos aliquando extricemus, superest, ut Magdalenam perorantem audiamus: quæ passis capillis, & fluentibus ubertim lachrimis, ad Domini pedes affusa, linguâ omni Tullianâ (quæ in cœnobio Catalaunensi etiamnum incorrupta servatur) facundior, sic ut S. Ephrem testatur, occæpit: *Agnicula sum ovilis tui errabunda, converte me in caulam tuam Domine. Columba sum, benignissime, rapta ab accipitre callidissimo, atque sævissimo. Flagrat anima mea, magno Sanctitatis tuæ immaculatæ amore vulnerata:* & cæpit pedes ejus lavare, & capillis tergere. Divus Ephrem Syrus hic attonitus hæret ad novum hoc miraculum, & tam insolens spectaculum: *Hæc ego,* inquit, *mente mecum perpendens, summopere de illa obstupefactus sum, quomodo ingressa sit: quomodo sine timore ad ipsum accesserit coram omnibus simul adstantibus: quomodo ante conspectum omnium convivarum ibi discumbentium fleverit:* QUOMODO ITA LIBERE, ATQUE AUDACTER CAPILLOS SUOS EXPLICUIT: *quomodo pedes ejus inverecundè irrigavit, & quo pacto nullus omnino eam expulerit. Muti, & obstupefacti novitate rerum, quæ gerebantur, erant; novum siquidem,* & INAUDITUM MIRACULUM ERAT, *quod in convivio illo apparebat, mulierem scilicet non vocatam, illuc ingressam esse, & retro mensam comparuisse,* & CAPITIS CAPILLOS SUPER PECTUS GESTASSE; *& non esset quie eã interrogaret, cur hic intrasti? sed erat omnibus* DULCE, AC SUAVE MIRACULUM ET SPECTACULUM ADMIRATIONE DIGNISSIMUM. Ac tandem concludit: *Hujus itaque admirandæ mulieris & nos æmitatores reddamur, & confitentes peccatorum sordes, lachrimis eas cum illâ expurge*[illegible] & CAPILLOS PRO LINTEO USURPE[illegible]; quo illud fiet, quod Magdalena opere executa est, *ut exhibeamus membra nostra, quæ servierunt immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, servire justitiæ ad Sanctificationem.* Talem vobis pro epilogo animam peccatricem induco, & concludo, quæ exemplo mulieris peccatricis, ad exemplar omnium, monitum Pauli ad amussim adimplevit. *Catharina Senensis*, non illa pudicitiæ, & virtutum omnium speculum Ordinis Prædicatorum, sed alia, cognomento *Vanna*, sub finem sæculi superioris, quam famosa primum sceleribus, tam postea pœnitentiæ eximiæ gloriâ inclaruit. Senis nobili genere nata, parentibus per bella de statu dejectis, abjectionem suam, & rei domesticæ angustias fastidiens, matre vel lenocinante, vel saltem consciâ, cessit denique procorum votis. Sed quæstum captans uberiorem, Romam se cum matre contulit, Gregorio XIII. ad Ecclesiæ clavum sedente. Hamus diaboli Romæ per aliquod tempus fuit: tametsi subinde Deus cor ejus tangebat. Et validè tetigit, cum sola sub cænam in cubiculo degens, *imaginem S. Magdalenæ,* ante quam lucerna ejus jussu, ea die ardebat, insolito splendore collucentem sibi visa est conspicari. Ab eo spectaculo ad opiparam cænam cum illustribus procis capiendam evocata, mox ab accubitu intactis epulis, causata quippiam incommodi, regressa est in cubiculum, & multis cum lachrymis suam, & B. *Magdalenæ* vitam componens, de emersione è cæno cogitavit; sed languidiore nisu; qui tamen satanæ suspectus fuit, & tam horrendo turbine mentem miseræ involvit, ut subito impetu contenderet ad Hypogæum, ubi puteus erat præaltus, in quem ut se conjiceret, violento impetu semel & iterum sensit se urgeri, & perfecisset, nisi manu invisibili potenter retrahente, fuisset prohibita. Sursum regressa, & soluto, qui eam occuparat, horrore, sibi reddita, perrexit easdẽ inferni vias terere, & multis improvidis ad insanam æmulationem pro ea in sumptus immanes profusis, facultatum vorattina erat, nec deerant à rivalibus cædium discrimina. Motus his malis Gregorius XIII. *Catharinam* carcere conclusam, invitari ad frugem bonam curavit, factâ optione vel recipiendi se ad portum conjugii, vel in Romanum quodpiam, sive malè nuptarum, sive emersarum cœnobium subeundi, pontifice ipso ad eam rem liberaliter sumptus offerente, & matri quoque vitæ necessaria pollicente. Sed cum post non paucos in carcere, dies, obfirmatè omnes conditiones respueret, negans se adigi ad conversionem velle, exilio multata est. Senasque regressa, incommodâ tempestate, morbum contraxit, quo ingravescente, Camaldulensis instituti Monachus, vir valde sanctus, ad eam evocatus, ut in cubiculi aditu, serica, & aurea turpis quæstus pignora, quibus cubiculum instructum erat, deprehendit, severè denunciavit, non posse Christum subire eum locum, in quo diabolus tot pignora retinet. Icta his verborum stimulis *Catharina*, confestim mandavit aulæa, & stragula pretiosa, meretricium cubiculi instructum deponi. Tum expiatâ accuratè per confessionem peccatorum conscientiâ, serias pacis cum Deo cogitationes suscepit. Sed reveniente paulò post sanitate, emissarii satanæ, jam nitentem, jam mundatam, in antiquum volutabrum infeliciter regesserunt. Non multi menses effluxerant, cum audiens in templo Eremitarum S. Augustini concionem *de B. Magdalena,* transfixa jaculis verborum sacri oratoris, in uberes lachrimas cum omnium stupore est soluta; moxque domum regressa, *partem capillitii immissis forficibus, manibus ipsa suis resecuit,* & omni apparatu impudicitiæ abjecto, ante crucifixi imaginem torquibus aureis, quos deposuerat, usa pro flagris, validè *plusquam per horam corpus, quod iniquitati servierat, verberavit,* & mundo universo, vestibusque pretiosis divenditis, pretio in pauperes erogato, matre licet iniquius ferente, annum nata 24. novam vitam constanter ad obitum usque retinendam, est auspicata. Exinde rigidissimæ pœnitentiæ institutum sibi indixit; & Deo juvante servavit quam accuratè. Annis decem, quibus post conversionem nulli adscripta cœnobio hæsit, saccum asperum fune astrictum, nullo adhibito indusio induit, pede nuda. Ter quot hebdomadis ferreâ catenâ per horam solidam corpus contudit. Cibario pane arcto, & aquâ brevi, vix paucis lupinis quando-

Manriquez annal. Cisterc. ann. 1157. Ferrandus disquis. relig. l. 1. c. 4.

S. Ephrem serm. in mulierem peccatricem.

Rom. 6. v. 19.

Frideric. Borromæus Card. in vita. P. Theophil Raynaud. Maria Ægyptiaca pœnitentiâ sordes detergens prælud. 2. differ. cat. 1.

Conversio mirabilis virginis peccatricis exemplo Magdalenæ.

quandoque additis, victitavit. Somnum brevem, abditis intra stragula sarmentitiis fascibus interpellabat; postea tantum humili insidens sellæ, nec jacens quidem pauxillum, somnum capiebat. Ita vero sedens componebat sese, ut dossuariam sellæ crepidinem non attingeret. Nec inter tantas vitæ aspetitates de se secura, petiit à Deo, ut quando *infirmitas,* juxta

Ambr. in psal. 36. Salvian. epist. ad Catturam.

S. Ambrosium, *est virtutis officina*, ac de Salviani sententiâ, *imbecillitas carnis, mentis rigorem exacuit*, & affectis artubus vites corporum, in virtutes transeant animarum, aliquâ corporis ægritudine, increpans per dolorem, in lectulo carnem comprimeret. Et audita à Deo, membris adeo capta est, ut pedibus insistere, vel corpus distendere non posset: quam corporis luxationem ubertas cælestium consolationum pensabat; Christo ipso, ac Deiparâ, *ac B. Magdalena*, aliisque cælitibus ægram invisere, & conspectu suo recreare dignatis. Affuit inter filios Dei, etiam satan, horrendis flabris tentationum omnis generis, nec lasciviæ tantum in carne feminina redaccensæ, sed etiam infidelitatis, ac blasphemiæ, & diffidentiæ de Dei providentiâ, excoquens ancillam Dei. Nec deerant spectra dæmonum horribilia, objicientium se illi truculentarum ferarum specie, & immaniter strepentium, ac verbera quoque atrociter inferentium. Sed Deus fecit noctem inmane, & delibutam cælestium charismatum multiplici ungoine, divinisque visis, ac frequentibus à sensuum usu abductionibus decoratam, etiam muoere introspiciendi cogitationes alienorum cordium, & quæ mala inter confiteodum expressa essent retegendi, nec non dono curandi corpora, honestavit, & claram apud cives fecit. Insidiosas autem laudes extimescens, & à crebris sæcularium alloquiis secessura, cogitavit transcribi in emersarum cœnobium, à quibus primum repulsa, quamvis à plerisque parthenonibus dotem quoque temittentibus expetita, hæsit in consilio, quod diceret, decere se cum paribus suis, non cũ virginibus diversari. Itaque Deo Ascetriarum emersarum corda inmutante, admissa demque est, bonam vicem illico rependens cœnobio: nam sex emersas, fugam clam molientes firmavit in sancto proposito, retectis satanæ artibus, & peccatis, quæ sacrilegè reticuerant, manifestatis. In ipso cœnobii aditu, quasi corpori suo hactenus blandita esset, asperitates pristioas cumulavit. Ciliciom asperrimum ad genua usque demissum, pro subuculá induit, jejuna quaterquor hebdomadis perstitit; jejunium quadragintadiale per decennium plane jejuna exegit, & quod mirum est, vegetior semper, atque vegetior procedente quadragesima. Ex quo cœnobium subiit, ter singulis noctibus per horam integram catenâ ferreâ se cæcidit. Exoravit in cellulâ, unde prospectus erat in templum, concludi, magno planè corporis incommodo, quod cella decem palmaris tantum esset, longitudine simul, latitudineqoe comprehensis. Inde post quadriennium, Antistitis mandato educta, magnis precibus ad reliquam vitam universam in similis formæ cellâ Ecclesiæ adhærente concludi exoravit. Vitam ibidem in asperrimâ pœnitentiâ exactam, favores divinos planè insolitos, assiduam cum Deo, ac cœlitibus consuetudinem, mortem denique sanctissimè obitam, contestante Deo plerisque supra naturam operibus, ancillæ suæ merita, cum alii prodiderunt, tum gravissimus auctor Fredericus Cardinalis Borromæus, per occasionem multiplicis Romam profectionis, sæpissime Senis cum eâ collocutus, libris tribus, latinâ, & vernaculâ lingua exaratis ad posteros transmisit, providente Deo ancillæ suæ vitæ scriptorem, & laudum præconem, quo digniorem ne sæculi quidem vertices reperirent. Obiit Catharina quadragenaria, cum annos nata quatuor, & viginti vitam sanctam occæpisset, & longo martyrio paucos annos ignorantiarum suarum expiasset. His [illegible] habeo quod addam, nisi illud Divi Ambr[illegible]: quæcumque, aut quiscumque *secutus* [illegible] *errantem, sequere pœnitentem.*



FESTVM

FESTUM S. JACOBI MAJORIS APOSTOLI.

25. Iulij.

Poteſtis bibere CALICEM, *quem ego bibiturus ſum?* Matth. 20.



Longumque bibebat amorem. Virg. lib. 1. Æneid.

ARGUMENTUM.

NOn minus paradoxum videtur, pharmacum, aut potionem medicam inveniri, quæ à te ſumpta, alteri proſit, quam actionem in diſtans dari, aut pulvere ſympatherico abſentem curari; nil tamen frequentius ac familiarius, quam ad ſanitatem amicorum, Regum, ac Principum, totis regionibus & regnis diſtantium, largiter potitare; quaſi hæc in alios influere, vires & ſanitatem conferre queant; cum ipſi ſibi potius morbos, & mortem bibant: cujus perverſæ conſuetudinis D. Baſilius *auctorem diabolum* ſtatuit. Baſil. hom. in ebrios.

Alium vobis calicem non mortis, ſed vitæ, calicem ſalutis, auctor vitæ Chriſtus propinat, & his verbis amanter invitat: *poteſtis bibere* CALICEM, *quem ego bibiturus ſum?* quem glorioſus Apoſtolus Matt. 20. *Iacobus* animoſè epotavit; ne autem hunc calicem à nobis tranſire ſinamus, ritu veterum tres hauſtus, ſeu triplicem calicem, è manu Domini accipiamus. Primus *calix* amarus eſt *Paſſionis*, quem ad ſalutem noſtram benigniſſimus Redemptor potavit, & nobis propinavit. Secundus calix eſt amicitiæ, quem dum diſcipuli biberunt, *amici Dei facti ſunt*; quod ſi & nos inter hos cenſeri velimus, Chriſto propinanti reſpondendũ eſt: quin & is præ ceteris ei dilectus, ut Joſepho Beniamin, penes quem hic ſcyphus, ſeu calix paſſionis repertus fuerit. Tertius hauſtus voluptatis, & quidem æternæ, de quo Pſaltes Regius: CALIX TUUS *inebrians, quam præclarus eſt!* nam ut loquitur Auguſtinus: *hunc dulcedo, Stephano lapides torrentis dulcoravit: craticulam Laurentio dulcem fecit. Pro hac dulcedine ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu conſilij.* &c. Pſal. 22. Aug. Solil. cap. 20.

§. I. Quod primum *Calicem ſanitatis & ſalutis ſpectat*, is calix Paſſionis eſt.

§. II. CALIX AMICITIÆ, *de quo Eccleſia:* CALICEM DOMINI BIBERUNT, ET AMICI DEI FACTI SUNT.

§. III. *Calix Domini dulcis, ſeu* TERTIUS HAUSTUS ÆTERNÆ VOLUPTATIS.

FESTUM

FESTUM
S. JACOBI MAJORIS
APOSTOLI.

Potsſtis bibere CALICEM *,quem ego bibiturus ſum?*
Matth. 20.



NOvum Pharmacum quod quis ſumit, pro ſanitatis alienæ confirmatione, non magis mihi peregrinum, & paradoxum viſum eſt, quâ actio indiſtans, & pulvis ſympathetieus, de quo, effectus mirabiles, & effectns in corpore humano hominis longè diſſiti, & omnis actionis ignari, planè ſtupendos, viri peritiſſimi, Digbæus, Papinius, Helmontius, aliique in theatro ſympathetico prodidére, & experimentis varijs probavêre, potiſſimum in *D. Iacobo Hovel*, Duci Bonquinganiio à Secretis, dum *Iacobo Anglia Rege* teſte, periſcelidi pulvere inſperſo, manus abſentis graviter ſaucia, ſtatim omni dolore remiſſo, ad cicatricem brevi rediit. Mira hæc, & arcana naturæ miracula, ſi vera. At ego non minus mirandam hanc actionem in diſtans autumo, ut potio ſumpta à Domino, proſit famulo: aut potus liberalior ſumptus in tabernâ à famulo, obſit domino; quam hactenus, non tam Hippocratis ſchola, vel Galeni Bibliotheca, aliorumque peritiſſimorum medicorum placita, quam Bacchi nepotum, & compotantium temulentia, ac corruptiſſima hæc ſæcula invexerunt. Ecquis enim credat, ſi quis ad ſanitatem ægri, multis cyathis, & copioſis amphoris bibat, ac ſe inebriet, hoc illi profuturum? qui aquâ ſpadanâ, ptyſana, Jelapijs vitam ſuſtentat, miſere ac medice vivit, aut jam extremum ſpiritum ducit, ut ne guttam aridis faucibus admittat, illi prodeſſe, & in os, aut ſtomachum ejus influere poſſit? Interim quid frequentius, quam ex Epicuri culinâ, probroſas ab bibendum invitationes in convivijs inſtituere? Bibitur ad incolumitatem Optimatû Regum, Principum, amicorum; quo tantum abeſt ut abſentes, aut præſentes ſani reddantur, ut potius Corœbo inſaniores, ratione deſtituantur: qui calicem hunc, in ſanitatem inſtituunt, & tranſire per omnes, etiam fœminas, ac puellas infirmioris cerebri volunt. Innumeros, ad hauſtus æquales, hic titulos congerunt; quos infames ritus jam à ſæculis D. Ambroſius obſervavit, & exaggeravit: *quid reſeram Sacramenta*, inquit, *quæ violare nefas arbitrantur, bibamus, inquiunt, pro ſalute Imperatorum, & qui non biberit, fit reus in devotione: videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ſalute eius non biberit. O pia devotionis obſequium!* Quot calices ad ſanitatem Regis Hiſpaniarum? an ideo ſaniorem, ac magis incolumem arbitramini? Quot calices ad ſalutem quondam Ferdinandi Principis Cardinalis? an ideo longius vitam produxit? Argumentum proſequitur D. Ambroſius: *Bibamus pro ſalute exercituum pro Comitum virtute*, bibamus ad ſalutem N. N. Generalis exercitus, ad ſalutem N. N. Ducis Equitum, ad ſalutem & felicitatê exercitus Regis noſtri. Hæc in animos influere, hoc vini irriguo, victoriarû lauros excreſcere putatis? Tandem etiam *bibamus pro filiorum ſalute*, ad ſanitatem filiæ deſponſæ, vel novæ nuptæ, ad prolis in utero &c. mille titulos excogitant, ut bibant ad aliorum ſanitatem, & ſibi bibunt morbos, & mortem: bibunt capitis, & ſtomachi dolores, bibunt lippitudinem oculorum, bibunt podagram, aut apoplexiam, bibunt mortem corporis ac animæ: certè tali

Toeat. um ſympa n. pag. 7. — *Amb. de Eliac. 17.*

Non eſt in potâ ſæpe ſalute ſalus.

Quod verè, & ſeverè graviſſimus Eccleſiæ Doctor commonet: *vocatis ut amicos, dimittitis ut inimicos; quanto melius in terram vina fudiſſes? Quid te delectant damna ſive gratia? Rogans ad jucunditatem, cogis ad mortem.* Qui talem calicem ſanitatis propinat, inſanus eſt, cum non tam pharmacum, quam toxicum ſit, quo mens, & ratio evertatur, & in beſtias degenerent; quod Velus Poëta apud Athenæum olim cecinit:

Amb. lib. de Eliac. 14.

Inſanire facit & ſanos copia vini.

Athenaus lib. 3. florid.

Mortem autem animæ eos tam inferre nô ſibi duntaxat, ſed & iis, quos importunâ invitatione ad ebrietatem inducunt, Sanctorum Patrû, ac Theologorum ſententia non minus irrefragabilis eſt, quam ad libidinê provocare, cum utrumque mortale ſit: ſic etenim diſertè Doctor Hipponenſis: *majora pocula providentur, certâ bibendi lege contenditur; qui poterit vincere, laudem meretur* EX CRIMINE; cum autem nullâ de cauſâ, aut motu crimen admittendum ſit, fruſtra adducunt ſe coactos *ad excuſandas excuſationes in peccatis: Etiamſi ad hac veniretur: aut bibas, aut morieris; melius erat ut*

Auguſt. ſerm. 231. de tempore

caro

caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur. Nec minus exaggeratè Divus Ambrosius, lib. de Elia. c. 13. E Theologis unum instar omnium Lessium adduxisse sufficiat, qui ubi hanc quæstionem movit utrum peccatum sit provocare ad æquales calices, & an fas sit respondere? Docet eam provocationem esse peccatum mortiferum: si eam facias animo te, vel alium inebriandi. 2. si advertas, aut facilè advertere possis, inde in te, vel altero ebrietatem secuturam, etiamsi non eo animo facias: nam ut tradit S. Augustinus: *quicumque ad bibendum pronus fuerit, vel in convivio suo alios adjurare, vel cogere voluerit, & pro se, & pro illis,* IN DIE IUDICII REUS ERIT. Quærit ulterius Lessius: an grande malū sit, si ipsam mortem minentur ut respondeas, an te ipsum inebriare, aut periculo ebrietatis exponere possis? Respondet: videtur sanè id esse illicitum: quia ob nullam causam fas est facere peccatum; atqui se inebriare est peccatum: ergo. Quod irrefragabili S. Augustini supra adducti confirmat testimonio. Unde jure longè meritissimo, hujus infamis consuetudinis, quæ multis mortem animæ adfert, Seleuciensis Antistes Diabolum auctorem constituit, dicens: *De ebrietate per ambitionem contendunt, cujus auctorem legis* DIABOLUM HABENT; *victoria vero præmium,* PECCATUM.

Lessius de justitia & jure lib. 4. c. 3. dub. 4.

August. cit.

S. Basilius hom. in Ebriosos.

Aliud vobis poculum non mortis; sed vitæ æternæ: Calicem non venenatum; sed cælesti gratiâ medicatum, calicem salutis, auctor vitæ Christus propinat, & ad potandum his verbis amanter invitat: *Potestis bibere* CALICEM, *quem ego bibiturus sum?* Quem gloriosus Apostolus noster Jacobus, ut dicemus, intrepidè arripuit, & animosè epotavit. Veteres peritissimi scriptores, ut Asclepiades, Suidas, Apuleius, tres haustus, seu triplicem craterem in symposiis usitatum describunt: Primum *sanitatis.* Secundum *amicitiæ.* Tertium *hilaritatis,* seu voluptatis. Hūc triplicem calicem non è manu mea; sed amabili redemptoris nostri Jesu dexterâ gratanter accipite, & ad fundum exhaurite.

Matt. 20.

§. I.

Quod primum CALICEM SANITATIS ET SALUTIS *spectat, is Calix passionis est.*

Hieronym. in Matt. 20.

NAm ut disertè Hieronymus: CALICEM *in scripturis divinis Passionem intelligimus, juxta illud: Pater si possibile est, transeat à me* CALIX *iste.* Et in Psal. 115. *quid retribuā Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* CALICEM SALUTARIS *accipiam.* Statimque infert quis ille calix. *Pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius;* quæ omne pretium à propinantis manu accepit, inquit Hugo Cardinalis: CALIX *in manu Domini, fuit propriè eius* PASSIO, *& tribulatio, quam in terrâ pro nobis sustinuit. Unde dixit: Potestis bibere* CALICEM, *quem ego bibiturus sum: quia ergo fuit in manu* Domini,

Hugo Card. in Psal. 75.

debemus eum accipere similiter in manu nostrâ, & cum Psalte Regio dicere: *Quid retribuā Domino pro omnibus quæ retribuit mihi:* CALICEM SALUTARIS *accipiam;* amarissimum quidem felle mistum, redemptor noster ad æternam animæ nostræ sanitatem bibit; sed voluit ut & ad electos suos transiret; sic enim Divus Hilarius, exponens illud Matt. 26. *transeat à me* CALIX ISTE, in rem nostram peraccommodè: *quod autem ut à se transeat, rogat, non ut ipse prætereatur orat; sed ut in alterum illud quod ad se transit, accedat: ut quomodo à me bibitur, ita ab his bibatur.* Quemadmodum in conviviis fieri consuevit, dum haustus ad sanitatem cujusdam instituitur, is per omnes convivas transire debet, cum dicto:

Psal. 115.

S. Hilarius & D. Thom. in Caten. c. 26. Matt.

Sit felix, faustum, cunctosque perambulet haustus.

Injustè damnatus Teremanes à Circio tyranno, cum Calicem veneno plenum propè haussisset, reliquam partem profudit in terram, dicens: *Propino Circio;* quod memorans Cicero, ait: Lusit vir egregius extremo spiritu, verèque ei, qui sibi venenum præbuerat, mortem est auguratus, quæ brevi consecuta est; sic Dominus suffixus in cruce, passionis & dolorum calice epoto, sanguinem usque ad terram profundens, hominum generi propinat, verèque tribulationem, & similem dolorum tolerantiam ad salutem nostram exquirit ab omnibus; & prædixit discipulis suis: CALICEM *meū bibetis.* Memorandum, & admirandum quod scribit Quintus Curtius de Alexandro: *qui cum fortè ægrotaret, à Parmenione litteras accepit, quibus ei denuntiabat, ne salutem suam Philippo committeret* (hic erat Regis medicus) *mille talentis à Dario & spe nuptiarum sororis eius esse corruptum. Acceptam epistolam, animo diu in diversa versato, pulvino cui incubabat, subjecit. Inter has cogitationes biduo absumpto, illuxit à medico destinatus dies: Et ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat, intravit. Quo viso, Alexander levato corpore in cubitum, epistolam à Parmenione missam, sinistrâ manu tenens, accepit poculum, & hausit interritus; tum epistolam Philippum legere jubet.* Mira sanè sive animi constantia magni Macedonis, sive opinio fidei medici sui. Simile nescio quid contigit nobis: Cum enim vexamur, affligimur, dejicimur adversis, quasi amari medicamenti calix à divino medico porrigitur, constanti & imperterrito animo nobis hauriendus, nec audiēdus mundus, diabolus, aut caro, vel alii propinqui, dum amicitiæ mentito prætextu, deterrere conantur, injecto vano timore, aut amari potus, maximè salubris dissuasione. Ipse medicus prius os suum calici apposuit, inde liberaliter bibit, non est quod noxium quid, aut toxicum reformidetis: *potestis,* inquit, *bibere* CALICEM, *quem ego bibiturus sum?* quod expendens Divus Bernardus, ait: *Ipse tanquam pius, & landabilis medicus, prius bibit pottionem, quam parabat suis. id est passionem, & mortem sustinuit: Et sic sanitatem immortalitatis accepit, & impassibilitatis; docens suos, ut confidenter biberent pottionē, quæ generat sanitatem & vitam.* Quem non ad quævis acerba, & amara hauriendā, extimulēt verba illa: *quem ego bibiturus sum?* sanus bibit medicus,

Cicero. Tuscul. 1.

Curtius. lib. 3.

S. Bern. serm XI. ex parvis.

Christus prævenit exemplo, quam efficax sit vis Exempli.

dicus, ut bibere non recuset ægrotus. Quid in hominibus vis exempli valeat attendite. Eruditione, & sanctitate celebris Ludovicus Granatensis, refert Joannem II. Lusitaniæ Regem, æternâ dignum memoriâ, amoris tractū posteris reliquisse: dum ægrotante amico, & acerbam quandam potionem à medicis porrectam, cui salus ejus innitebatur, bibere recusante, ipse prius calicem manu prensavit, degustavit, & bonam ejus partem exhausit, ut sui amore, servus faceret, quod amantissimus Rex in ejus gratiam, & incolumitatem fecisset, uti & fecit. Ad eum modum cælestis Rex noster, misertus infirmi hominis, & calicem salutarem bibere recusantis, ipse prius delibavit, & largiter potavit, ut & nos ad salutem nostram eum bibamus. Huc facit illud Joannis Stephani Menochii, variâ ac reconditâ historiarum scientiâ clarissimi, qui scribit, familiariter se nosse virum nobilem Genuensem, Paulum, Augustinum Spinolam nomine, qui cùm in Hispaniâ apud amicum degeret, cui quædam vehementior odontalgia, os, caputque adeò universum efferabat, ut nullam quietem capere posset, & impos propè mentis, præ acutis doloribus redderetur, nullâ tamen ratione, aut suasione, putridum sibi dentem, omnis mali causam, præ tormenti, et periculi metu, quod verebatur, extrahi patiebatur. Quare is coram afflicto, dentem sibi, integrum illum, sanumque evelli, nullo edito doloris signo, jussit; quo alter incitatior exemplo, sine morâ alacriter & suum chirurgo obtulit evellendum. Unde luce clarius patet, quantum vel unius hominis amici exemplum prosit; profuturum amplius, & efficacius quoties à Deo, ac Domino nostro, expenderimus nostri causâ, demonstratum, dum dixit: *Potestis bibere* CALICEM, *quem ego bibiturus sum.* Quo nihil potentius ad quemque nostrum excitandum, & invitandum: nullum præsentius ad imitandum medium poterat inveniri: sic porro Hipponensis Præsul super ea verba disserit: *Perspice qualiter ipso interrogationis modo & hortatur, & allicit: Non enim dixit, potestisne cædem subire, potestisne vestrum effundere sanguinem? sed quonam pacto potestis bibere* CALICEM? *Deinde alliciens, inquit,* QUEM EGO BIBITURUS SUM; *ut ipsâ cum eo communicatione laborum, promptiores redderentur.* In eandem sententiam Divus Remigius: *quem ego bibiturus sum; ut ex communione ad ipsum, avidiores fiant.* Ita hodie amicè duos suos prædilectos discipulos Joannem & Jacobum *hortatur, & allicit: potestis bibere* CALICEM, *quem ego bibiturus sum?* hoc argumento, & demonstratione ad oculum convicti, animosè responderunt: *possumus.* Ut & nos cum duobus hisce Zebedæi filiis ad omnia, quæ à manu Domini propinantur mala, & proponuntur adversa, intrepidi respondeamus, *possumus*, error quorundam mentibus eximendus est, qui arbitrantur se ferendo non esse, naturam aversari, potionem tam amaram cum stomacho respuendam: quasi verò, dum calicem vitæ sanctioris, & austerioris, calicem paupertatis, & calamitatis, morborum & dolorum, calicem mortis pro salute proximi incurrendæ offert, non sciret medicus conditionem, & vires ægroti: si periti medici sit, potionem quam præscribit, secundum complexionem ægri, & vim mali accuratâ lance expendere, ponderare ut ne drachmam, vel scrupulum unum excedat mediocritatem, & naturæ officiat; quanto magis hoc de cælesti medico, æternâ sapientiâ, & providentiâ, quæ omnia ordinat in pondere & mensurâ, sentiendum est? ut scitè Hugo Cardinalis: PER CALICEM, inquit, *ubique ferè intelligitur Passio, quia cum* MENSURA BIBITUR, quemadmodum potio medica; nam ut loquitur Apostolus: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis*; novit ille, *quid valeant humeri, quid ferre recusent*; sic disertè Sanctus Augustinus, in illa Psaltis verba: *Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum,* PARS CALICIS EORUM. CALICEM inquit, *propterea puto appellatum, ne quid* PRÆTER MODUM, ATQUE MENSURAM, *vel in ipsis peccatorum suppliciis per divinam providentiam fieri arbitremur.* Quanto minus quid in justorum suppliciis, & afflictionibus *præter modum, & mensuram* per Divinam providentiam fieri credemus. Nolite soliciti esse, effatum hoc primæ veritatis est: *Pondus æquum voluntas ejus*, qui omnia, quæ immittit, adversa tam justâ trutinâ appendit, & ponderat, ac cuique attemperat, ut prorsus iniquus sit, qui reluctetur. Quod purpuratus vates insinuasse videtur, dum dixit: *Potum dabis nobis in lacrymis* IN MENSURA. Lorinus hic: Deum dare „ potum in lacrimis *in mensura*, id est, in distri- „ buto modulo (*quem in pharmacis etiam præ-* „ *scribit medicus*) ut non sinat nos ultra vires, „ supràque id, quod possumus, tentari & vexari; sed faciat cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. Quid, quod & hic medicus, robur & vires suppeditet, ut possis, si velis, ut idem Doctor alibi tradit, ad illum versum: CALICEM SALUTARIS *accipiam, & nomen Domini invocabo. O Homo, quis tibi dedit* CALICEM SALUTARIS, *quem accipiens, & invocans nomen Domini retribues ei, pro omnibus quæ retribuit tibi: Quis tibi dedit imitari passiones suas nisi qui propter te passus est prior? Dat itaque imitari, si velis, qui te invitat ad imitandum: Et tibi, si aliquando in difficultatibus videaris deficere, non tam potestatis, quam voluntatis iste defectus est.* Expende id quam verum, & quam indignum. Quam multi dicunt non possum tam amarum calicem haurire, non possum diutius acutos illos dentium, calculi, podagræ dolores tolerare: non possum diutius maritum meum, indies temulentum ferre; ille verò: non possū amplius cervicosā rixosam cōtumacem, pervicacē illam fœminam tolerare. Famulus aut ancilla dicit: non possum diutius herum illum tenacem, suspicacem, seu etiam salacem ferre. Subditus: non possum amplius superiorem illū imprudentem, tetricū, despoticū, morosum, severū ferre. Quot juvenes & juvenculas reperire est, qui dicunt: Non possū ego mundum, & consuetudinem deserere, in claostro degere, in castitate & rigore tanto vivere. &c. Non erubescant hi à gentili Philosopho doceri: *toties*, inquit Seneca *mihi occurrunt isti, qui non putant fieri posse, quidquid facere non possunt. & aiunt nos loqui majora, quam quæ natura humana sustineat. At quanto ego de illis melius exi-*

ſtimo

Margin notes:

Menochius part. 3. var. histor.

Lib. 1. de Trinit. cap. 10.

S. Thomas in catena hic.

Hugo in c. 20. Matt.

1. Cor. 10. v. 13.

August. in Psal. 12.

Prov. 11.

Psal. 79.

August. in Psal. 116.

Seneca epist. 104.

ssimo? Ipsi quoque hæc possunt facere (& pati) *sed nolunt.* Et alibi expressius: *non posse prætenditur & nolle in causa est.* Dicunt se non posse inimico ignoscere, injuriam oblivisci, bonum pro malo reddere: *& nolle in causa est.* Dicunt se consortium lascivæ mulierculæ deserere non posse: *& nolle in causa est*, & sexcenta alia; quos severè sapiens coarguit Proverb. 24. *si dixeris: vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit, & servatorem animæ tuæ nihil fallit.* Quare si vel spontè corporis afflictationes, pænitentias, calicem Domini admittere, aut oblatum bibere nolueritis; scitote longè amariorem tribulationum, adversitatum, cruciatuum, etiam invitis & renuentibus, sine ullo merito imminere. Hoc vatis Jeremiæ oraculum est: *cumque noluerint accipere* CALICEM *de manu tua, dices ad eos, hæc dicit Dominus: bibentes bibetis; quia ecce ego incipiam affligere, & vos quasi innocentes, & immunes eritis? Non eritis immunes.* Unde Hugo Card. illud *bibentes bibetis*, exponit: *velitis, nolitis.* In eundem sensum doctissimus Liranus: *Latenter ostenditur, qui voluntatem Domini facere noluerunt, necessitate facturos*, quis autem hic calix sit, quē vel invitati, vel coacti, & inviti bibere debemus, Gaspar Sanctius edisserit, dicens: popu-
„ lis calicem propinatum à Jeremia, pestem vi-
„ delicet, famem, servitutem, & gladium; *bi-*
„ *bentes bibetis.* id est, recusare non poteritis,
„ quin bibatis: *quod invitati non vultis, inviti fa-*
„ *cietis*; ac si dicat, certissimè bibetis, etiamsi cum nauseâ, & ad fundum usque & fæces, exhaurietis calicem. Deus benignus medicus sanitatis, ac salutis nostræ amantissimus, facit ut amicus cum amico: *in convivio, si quis se excuset, & manum revocet à vino, ori ejus infunditur. Sola ista sunt sine excusatione certamina.* Frustra obniteris, & reluctaris Deo: *Sola ista sunt sine excusatione certamina.* Malignantis, ac mentientis, & perire cupientis hæ voces sunt: Non possum hanc amaram potionem à medico præscriptam sumere, non possum tam amarum injuriarum, miseriarum calicem bibere, cum ratio ex ipsis medicorum placitis dictet, dulcia se in bilem vertere; amara vero illi mederi; unde vetus illa apud Belgas recepta paroemia: *Bitter in den mont, is voor het Hert gesont*; quod vel amantissimi suorum parentes, liberis medicinam aversantibus occinere solent. Haud aliter Origenes, omnia Dei, quæ videntur amara esse, ad eruditionem, & remedia proficiunt: *Medicus est Deus, Pater est, Deus non asper, sed lenis est Dominus*, qui plus salutem nostram curat, & amat, quam nos ipsi. Et recipsa experimur, inquit: *dulcissima esse, ubi amarissima existimantur.*

Proverb. 24. v. 12. — Ierem. c. 25. v. 28. — Liran. hic. — Gasp. Sanctius hic. — Amb. li. de Elia c. 13. — Orig.

(*.*)

§. II.

CALIX AMICITIAE, *de quo Ecclesia:* CALICEM *Domini biberunt, & amici Dei facti sunt.*

1. Calix, seu haustus amicitiæ.

DIvus Gregorius Nazianzenus, antonomasticè Theologus, cujus, teste doctore Angelico, *tanta est in doctrinâ Christianâ auctoritas, ut nullus hactenus ejus dictis calumniam inferre præsumpserit*; hic oratione 4. adversus Julianum, de haustu amicitiæ propinando agens, sic solerter disserit: quod ad propinandi vocem attinet, sciendum est, priscis omnibus Regibus hunc morem fuisse, ut cum publicum festum celebrarent, vinum in aureis, vel argenteis phialis temperatum, à pocillatore quidem ipsi acciperent, atque *in sinceræ amicitiæ signum*, non nihil è poculo haurirent, ac postea, cui visum fuisset, poculum præberent. Idque propinare vocabatur, quod nos Philotesiam appellamus, id est, *propinare amoris poculum*; atque hæc causa propinandi modesta, & honesta, ad indicandum singularis benevolentiæ sensum, & contestandum intimæ amicitiæ affectum: fuit enim apud omnes propè nationes in more positum, ut in epulis plenum poculum manu capientes, & ex eo aliquid ore tenuiter libantes, deinde alteri gustandum porrigerent, & hoc propriè Latini *propinare* dixerunt. Talis haustus amicitiæ eat in orbem, idemque calix transeat per omnes, uti olim Alexandrum fecisse memorat Arrianus, qui pace, & amicitiâ inter Persas & Macedones initâ, convivium instituit, in quo craterem, ex quo ipse delibarat, in orbem ire voluit; biberunt autem ex illo omnes convivæ, qui erant suprà novem millia. Plures Ecclesiæ Heroes, & omnes amici Dei, calicem Domini biberunt. Vis amoris in eo declaratur, quod in eodem poculo, ex quo singuli bibunt, fieri quædam veluti temperatio, commixtioque animorum videretur; unde nata etiam illa nationum consuetudo, ut in arcanis conjurationibus, ad singularem animorum conjunctionem, quam nullâ vi, aut humanis artibus solvi cupiebant, ex eodem calice biberent, quod à Catilina cum sodalibus factum accepimus. Sic apud Maronem Regina Dido:

S. Thomas. 1. part. q. 16. art. 3. — S. Greg. Naz. orat. 4. adversus Julian.

Gravem gemmis, auroque poposcit,
Implevitque mero pateram; quam Belus, & omnes
A Belo.

Virg. l. 1. Æneid.

Et mox subdit:

Primaque libato summo tenus attigit ore;
Tum Bitiæ dedit increpitans: ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.
Post alii proceres.

Præterea, cum osculum, sit eximium amoris pignus, atque animi ad alium, veluti prodeuntis indicium, in poculis eâ libatione, quæ à propinante fiebat, quodammodo osculum imprimeba-

mebatur, quod in ipso calice, quasi ad alterum trāsmitteret. Moris hujus rationē, & eximii amoris significationē tetigisse videtur Philostratus: *labris attingens, imple osculis poculum, & prabe rogantibus: quaque ego parte bibi, tu quoque parte bibe* Quid, quod ad arctiorem amicitiā, & ardectiorem amorē contestandum, quibusdam in usu fuit, venā sibi in fronte aperire, & fluentem ex eâ sanguinem, vino miscere, illumque calicem Philotesium amicis propinare. In cujus benevolentiæ argumentum tradit Xenophon, Cyrum ad amicos prægustata edulia mittere solitū, cum hoc mandato: *Cyrus his delectatus est: & ideo vult, te quoque eadem gustare*; hoc à regiâ mēsâ missum amoris poculum, vel ferculū, quod Regi sapuit, quod prælibavit, vel prægustavit, non potest non amicis sapidū, gratū, ac peracceptū esse. Hunc amabilem pocillandi, & propinandi ritū, Amor æternus, benignissimus Redemptor noster Christus Jesus usurpavit, & ad amicos suos amicitiæ calicē transire voluit, cui ipse prius suavissima labiis suis impressit oscula, vel ut cū Philostrato loquar, *labris attingens, implevit osculis poculū*, & discipulis suis tradidit; labris nunquā gratiosissimis, de quibus Psaltes:

Psal. 44. 3 *diffusa est gratia in labiis tuis*; omni nectare, & ambrosiâ suavioribus, liliorum instar vernantibus myrrham primam stillantibus: *labia ejus lilia distillantia myrrham primam*; imo vero stillanti favo similibus: *favus distillans labia tua; lac, & mel sub linguâ tuâ*. Quis hunc calicem non amanter, & gratanter accipiat? dū, quasi amicis suis Rex noster dicit, quod suis olim Cyrus: hoc ego delector calice, hunc prælibavi, & ideo volo eundem vos quoque degustare. Facit huc tractus amoris, quo Joseph erga fratrem suum minimum usus est. Joseph non fraterno dumtaxat, sed plusquam paterno amore, eoque tenerrimo affectu ferebatur in Beniaminum, fratrem suum unicum uterinum; nihilominus dum calicem, seu scyphum suum ejus sacco imponi mandavit, ad summas eum angustias redegit.

Cant. 5. 13

Cant. 4. 11.

Calix Passionis est haustus amoris.

Gen. 44. Tragicam rei seriem habes Gen. 44. v. 1. &c. *Præcepit autem Ioseph dispensatori domus suæ, dicens: imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere: & pone pecuniam singulorum in summitate sacci* SCYPHUM *autem meum argenteum pone in ore sacci junioris. Factumque est ita. Et orto mane dimissi sunt cum asinis suis. Iamque urbem exierant, & processerant paululum: Tunc Ioseph accersito dispensatore domus. surge inquit, & persequere viros. & apprehensis dicito: quare reddidistis malum pro bono?* SCYPHUS, *quem furati estis*, IPSE EST IN QUO BIBIT DOMINUS MEUS, ET IN QUO AUGURARI SOLET: *pessimam rem fecistis*. Hic omnibus attonitis, & metu propè exanimatis, nec ullo illorum tam immanis facinoris sibi cōscio, apud quemcumque furtum repertū esset, mortis reum proclamarunt: *apud quemcumque fuerit inventum quod quæris, moriatur. Itaque festinatò deponentes in terram saccos aperuerunt singuli. Quos scrutatus, incipiens à majore usque ad minimum*, INVENIT SCYPHUM IN SACCO BENIAMIN.

Abulen. hic. Salianus. Ann. 2318. n. 30. Sunt qui velint (ut refert Abulensis, & Salianus) Beniaminum scypho apud eum reperto, præter acerbissimum mortis metum, malè verbis, verberibusque mulctatum: furem, & filium furis Rachelis (quæ Deos Patris furata fuerat) appellatum, aliisque injurijs, colaphis, ac vulsis capillis affectum; quod Salianus probabile censet. Hæc omnia tam dira, tam dura ut videntur, Josephus prædilecto suo germano Beniamino inferri, & præsentissimæ mortis metu concuti permisit, ut amorem suum comprobaret: Hactenus enim & illi, ceterisque fratribus ignotus, scypho in sacco Beniamin reperto, se omnibus fratrem palam declaravit, inque eorum colla irruens, à complexu Beniamin divelli vix potuit. Expendit hic amoris ingenium Magnus Gregorius: SCYPHUS inquit, *in sacco minoris fratris absconditur, furti post eos quæstio movetur. Mittitur ut reducantur addicti in servitutem, decernitur apud quem* SCYPHUS *fuisset inventus, in sacco ultimi fratris invenitur. Tunc Beniamin reducitur: afflicti omnes fratres sequuntur.* Tum emphaticè exclamat: *O tormenta misericordiæ! Cruciat, & amat.* Consimile amoris inventum, & sinceræ amicitiæ argumentum, Dominus in eo, quem præ ceteris dilectum, & Beniamini loco habet, comprobare consuevit, dum corporis ejus *sacco* calicem Passionis reponi jubet. In ore duorum testium, Jacobi, & Joannis, stabit omne verbum; quibus à se potissimum dilectis *Beniaminis* dixit: *calicem quidem meum bibetis*; unde & eorum unus Joannes, antonomasticè dictus *discipulus ille, quem diligebat Iesus*, quasi acceptum manu suâ præferens calicem, singularis utique dilectionis symbolum, dilecto præ alijs discipulo datū, depingi cum eo solet: Quippe quem ipse quoque bibit, Martyrium Romæ passus, ut ex Tertulliano docet Hieronymus: *quæritur autem quomodo* CALICEM DOMINI *Ioannes biberit cum propria morte vitam finierit? sed si legamus Ecclesiasticas historias, in quibus fertur. quod & ipse propter martyrium sit missus in ferventis olei dolium, & relegatus in Pathmos insulam, videbimus martyrio animum nō defuisse, &* BIBISSE JOANNEM CALICEM CONFESSIONIS, *quem & tres pueri in camino ignis biberunt licet persecutor non fuderit sanguinem.* Sic optimus magister noster Jesus, dilectum suum discipulum, oblato calice *cruciat, & amat.* Hunc quoque bibit, & Domino respondit Jacobus Apostolorū primus, Hierosolymis passus. Hos, inquit Jacobus Pintus, *Beniaminos* voco, nempe singulariter *calicis* argumento dilectos, & ut nomen ipsum sonat, *dextera filios*; hereditatis, atque consessus *ad dexteram*, & regni participes; qui olim *Benoni*, hoc est, *filij doloris*, & calicis participes fuerant: ut plus sanè acceperint, quam postularint. Petierunt: *ut unus ad dexteram, alius ad sinistram in regno* assiderent: uterque per Calicem, & haustum hunc philotesium, *dexteram* tenet, atque in hæreditate, & regno cum Christo consessum. In hoc scypho, inquit Doctor Angelicus, ut olim Joseph, Christus augurari solet, qui amici, qui inimici ejus sint: *Auguratus est Dominus in isto scypho futuras iniquitates iniquorum*, qui Calicem Domini execrantur, & bibunt calicem dæmoniorum; pœnas reproborum; & gaudia, qui calicem Passionis biberūt, beatorū, amicorum suorum. Sic vetum auguriū inter mortales

S. Greg. hom. 21. in Ezech.

Matt. 20. v. 23.

Ioan. 13. v. 23.

Hieron. in c. 20. Matt.

Pintus. Christus Crucifixus. l. 3. tit. 4. loco 9. n. 18.

Matt. 20. v. 21.

esse consuevit, & singularis affectus, ac amoris testimonium, ad sanitatem alterius, capacioribus vitris bibere, aut haustum liberaliorem longis syphonibus instituere, ut Regina Dido apud Æneam: *longumque bibebat amorem.* At ne longius abeamus: Fuit in Belgio juvenis, qui super sitientem amasiæ potitans, quo affectum suum testatiorem faceret, non modo vitrum ad unguem exsiccavit, sed insuper omnes margines dentibus comminuit, atque ore toto, largè sanguinem despumans, en vitri fragmenta instar sacchari avidissimè devoravit, quibus viscera miserè corrosa, vitam pro amante posuit. In hujusmodi cadit illud Ezechielis: *bibes* CALICEM, *& epotabis usque ad feces, & fragmenta eius devorabis.* Quod hic in insano amore, hoc in divino fortius præstitere invicti Christi pugiles, & tot heroes inclyti, qui calicem domini potando, visceribus laceri, per exquisita tormenta, purpureum vomuere animam. Quid, quod ad salutem alterius bibere, ita etiam in efferatos animos influxit, ut prorsus omnis ira, ac sevities posita resederit. Accidit ut Abbas Paphnutius aliquando incideret in principem latronum cum collegarum manu: dum in convivio eorum pariter compotantium, rogante, ac sicum Paphnutio intentante principe, ut vini, quo multos jâ annos abstinuerat, propinatum calicem ad sanitatem suam biberet, ratus cedendũ furori vir sanctus, ut latronem gratiæ reconciliatione Deo lucraretur, impiger calicem hausit. *Et fuit saluberrimus latroni haustus,* sumptus à Paphnutio: nam facilem Sancti Abbatis, in longa consuetudine immutandâ voluntatem, ac animum benevolum demiratus, veniam petulantiæ rogavit, quam promptè concessit Abbas, illud addens: *sperare se.* EUM CALICEM *illi æternum fore fructuosum.* Reposuit latronum princeps: Ego vero ex hoc temporis puncto, latrocinium abjicio, & Dei obsequio me in perpetuum addico. Secuta latronum manus principem suum, omnes spiritu Dei irruente, in viros alios, verè probos evaserunt. Quod potuit calix vini sumptus à Paphnutio, non poterit calix fellis haustus à Christo, ut nos animæ nostræ latrones, & deicidas flectat, ad amorem, & obsequium suum inducat, atque ut in *æternum nobis fructuosus sit?* Claravallensis Abbas Jesum Passionis calicem pro nobis epotantem considerans, divino amoris æstro abreptus, exclamat: *super omnia reddit te mihi* AMABILEM *Domine Iesu* CALIX *quem bibisti,* ad salutem, & sanitatem nostram; quo tantum, tamque ardentem in nos amorem contemplatur exhibitum, ut non unum calicem, sed & centenos, & millenos sitiret, & exhauriret, ut nostrum in se amorem accenderet, & ad respondendum provocaret, ipsum mellis fluvium decurrentem attendite: *Cum instaret hora Passionis, Dominus Iesus procidit in faciem suam orans, & dicens: Mi Pater, si possibile est, transeat à me* CALIX *iste; & hoc non semel, sed secundo, & tertio. Eodem verò* CALICE PASSIONIS *jam ebibito, dicit,* SITIO. *Quid est hoc: Antequam gustes, O bone Iesu, petis* CALICEM *auferri: Et postquam ebibisti,* SITIS. VT VIDEO, MIRABILIS POTATOR ES TU. Quemadmodum ardens amator, postquam bibit unũ calicem ad salutẽ amici, aut amasiæ, adhuc sitit, novos, & novos calices mirabilis potator petit, & exhaurire desiderat; tale mysteriũ hic Doctor mellifluus observat: *quasi diceret: quãvis passio mea tam acerba fuerit, ut quantũ ad humanitatis sensum, illã declinare petiverim; tamen, tuâ, o homo, me charitate vincente, & ipsa tormenta cruciu superante adhuc plura, & majora, si necesse sit,* SITIO *subire tormenta.* Tũ, ut tanto amori, haustu nos quoq; amicitiæ respondeamus, sic potenter hortatur: *Imitetur ergo qualibet fidelis anima sponsum suũ, dulcem Iesum, qui se sequentibus formã præscripsit: quod imminentibus periculis* (morbis, tentationibus) *posse à nobis Dominum frequentius exorari, ut flagella iracundiæ suæ dignetur avertere; si tamen ablata non fuerint, exemplo passionis Christi, gratanter, patienter, & viriliter, cũ omni patientiâ toleranda sunt,* & calix de manu Domini accipiendus, & largo haustu tã amicè propinanti, respondendũ. Ingeniosè hoc observat Hugo Cardinalis in illa cælestis sponsæ verba: *Dilectus meus mihi & ego illi; id est,* inquit, *ad meã utilitatẽ bibit calicẽ Passionis: Et ego illi, id est, ad gloriam, & honorẽ eius bibam similiter.* Nolle bibere, nolle propinanti respondere, manifestũ aversionis, & inimicitiæ indiciũ est: *In cõvivys,* inquit Ambros. *nota gravis, si quis se excuset: videtur enim non amare Imperatorem, qui pro eius salute non biberit.* Sic dũ Gallus Hispano propinanti, ad salutẽ Regis Catholici; aut Hispanus ad salutẽ Christianissimi, Gallo renuit respondere, aversum animũ declarat; in quo genere rarum ac præclarũ est, quod Divo Willebrordo accidit. Hic cũ viro opulento stomachanti contra se, quod equum in suũ pratũ induxisset, amicè propinasset, nec ille indignabundus bibere vellet, respondit S. Willebrordus: *Si non vis bibere, non bibes;* quo dicto abit, & alter siti ardens, ne guttam bibere potuit, quæ sitis ad annũ duravit; donec bibens ex calice viri Sancti, sanatus est, memor quoties biberet, *calicis salutaris* tam amicâ manu porrecti. Justam hanc punitionẽ recusantis calicẽ à viro Sancto accipere, & respondere, miramur; at graviorem ijs imminere, qui inimico animo, calicẽ benignâ Dei manu oblatũ bibere detrectant, non consideramus; quo sitis eorum non annus, sed æternâ sit, bibent calicẽ picis, & sulphuris, ut præclarũ illud lumen, & columen Dominicani Ordinis pulcherrimè adnotavit: *Illi qui hic volunt bibere jucunditatem peccati, & nolunt bibere mixtum; tandem bibent non mixtum, sed faces puras: unde subdit Propheta: Verumtamen fax eius non est exinanita.* FAX CALICIS DOMINI, *pœna est inferni, quæ non exanietur, quia perpetua erit:* BIBENT EX EO OMNES PECCATORES TERRÆ. O Domine, *transeat à me calix iste,* transeat à me calix ille aureus Babylonis, quẽ caro, mundus, & dæmon propinat, & ab innumeris tam avide arripitur, & epotatur: quem meretrix illa Babylonica proponit, *mater fornicationum, & abominationum terræ; poculum aureum, quod habet in manu sua plenum abominatione.* Ex hoc poculo bibitur *vinum, in quo est luxuria;* & támen hic quilibet exclamat: *Sitio, da mihi bibere.* Hunc autem vix primarijs labiis gustavit, cũ ecce ut Jonathas, exclamat: *gustans gustavi paululum* vini, ex calice mundi, *& ecce*

Virg. l. 1. Æneid.
Ezech. 23. v. 34.
In vitis Patrum lib. de charitate. n. 6 Raynaud. donat. lauree. c. 15. n. 8.
S. Bern. serm. 10. in Cantica
Idem in tract. de Passione. c. 13.
Hugo. in cant. 2.
Amb lib. de Elia. c. 13. & 17.
Surius. 7. Novemb.
Hugo Card. in Psal. 73.
Apoc. 17. v. 4.
Ephes. 5. v. 18.
Ioan. 4. v. 7.
1. Reg. 14. 43.

morior. Contra, calix tuus inebrians, O Christe, quam præclarus est, quia tu labiis tuis, sub quibus est *mel & lac*, omnem amaritudinem sustulisti: ideo gustans gustabo paululum vini, ex calice quem tu bibisti, & ecce vivam, quia quilibet ex calice isto bibens, *non sitiet in æternum; sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Hæc dum considero, super *omnia reddit te mihi amabilem, Domine Jesu*, CALIX *quem bibisti*, ut nullas amaritudines, acerbitates, adversitates, calamitates amore tui respuam, *calicem salutaris accipiam*, & tibi, qui amore mei calicem amarissimum bibisti, omnibus corporis medullis, & animi potentijs propinabo. Ad calicem hunc potandum, salivam, & orexim mihi movet & vos excitet, virtute magis quam sanguine nobilis, qui variis ac diuturnis morbis conflictatus, moribundâ ac tremulâ manu, amarum potionis medicæ calicem prensans, ab uno ex circumfusâ amicorum turbâ incitatus, ut amicorum omnium amicissimo propinaret: natantes in morte oculos circumferens, Christum è cruce pendentem, ac felle potum benignè intuitus: *tibi*, inquit, *amicorum meorum dilectissime*, HUNC CALICEM PROPINO; qui salutis, & amoris mei causâ, calicem passionis epotasti. O si tibi ille animus, ut calicem paupertatis, jacturæ bonorum, orbitatis uxoris, liberorum, amicorum: uni qui tibi ad extremum spiritum, dum alij te deserent, fideliter assistet, auxilio, & solatio erit, amicorum omnium dilectissimo Jesu propines, & interroganti: *potestis bibere* CALICEM, *quem ego bibiturus sum?* quisque vestrum respondeat: *possumus*, plue fel, absynthium, aloem, imple calicem ad summũ. Ita sitiens illa calicis Domini, Magdalena de Pazzis: *bene mi Domine, ut quid à pactis inter nos conventis discedis: pepigi nullum mel, aut dulcedinem dari, nisi fel tuum, & acetum*; quod si percuncteris, an bibere possim, offer, & propina, libenter & ardenter bibitura sum. Quid homini mortali, vilissimo Dei mancipio, & servo nequam, durum aut asperum videri potest, amore ejus exantlare, aut amaritudines devorare, qui amore sui infinito, longè gravissima, & acerbissima toleravit; quod Sidonius Apollinaris nobis ruminandum proponit: *quamtumlibet nobis anxietatum pateras vita præsentis propinet afflictio, parva toleramus, si recordemur, quid biberit ad patibulum, qui invitat ad Cælum*. Hoc motivo, & incentivo non tam veræ, quam inanis gloriæ, & immortalitatis apud homines, gentilis intrepidè venenum hausit: *Calix venenatus Socratem transtulit è carcere in cælum*; unde illi Seneca magis invidendum, quam commiserendum asserit: *malè tractatum Socratem judicas, quod illam potionem publicè mixtam, non aliter quam medicamentum immortalitatis obduxit, & de morte disputavit, usque ad ipsam? malè cum illo actum est, quod gelatus est sanguis, ac paulatim frigore inducto, Venarum vigor constitit? quanto magis huic invidendum est, quam illis, quibus à gemmâ ministratur, quibus exoletus omnia pati doctus, suspensam auro nivem diluit? Hi quidquid biberint, vomitu remetientur tristes, & bilem suam regustantes*; *at ille venenum lætus, & libens hauriet*. Quanto potius invidendum, qui pro verâ immortalitate, & gloriâ æternâ, calicem Domini biberunt? Joannes & Jacobus, qui primas cathedras ambiebant, à Dilectissimo magistro rogati: *Potestis bibere* CALICEM, *quem ego bibiturus sum?* Non diu deliberando, quid proponeretur, quid propinaretur, præfidenter responderunt: *possumus*. Variæ hic Sanctorum Patrum super hoc unico verbo *possumus*, opiniones & sententiæ. Sunt qui velint ex motivo pravo ambitionis hos animos profectos. Ita S. Thomas in hunc locum Matthæi: *Dicunt ei, possumus*; ubi ait: *Sic respondent ex cupiditate assequendi, quod petierant*, nempè ut cum Christo regnaturi, dexteram & sinistram obtinerent. Idem sentit Dionysius Carthusianus: *hoc dixerunt potius ex aviditate obtinendi quod postulabant, quam ex verâ circumspectione* & sincero amore, ac zelo imitandi Christum. Nihil homini, amoris & gloriæ cupido molestum, nil ambitioso arduum. Poteris tu qui Episcopatum, pastoratum desideras, oneri angelicis humeris formidando, ferendo par esse? poteris tu strictam Deo Judici rationem reddere de ovibus tibi commissis, ut ex omnibus, tuâ incuriâ, nulla aberret, aut pereat? poteris tu perâ pastorali pascere, & pedo lupum, non sine sudore & sanguine ab ovili arcere? plantare & evellere? poteris te, quod Apostolus requirit, *sobrium, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, modestum, non litigiosum, non cupidum*, verbo unico *irreprehensibilem* exhibere? cupiditate assequendi, quod ambiunt, dicunt: *possumus*. Poteris tu ornatissime Domine, qui ad senatum, ad prima subsellia aspiras, super pulvinos sedere, Reipublicæ gubernacula moderari desideras, omni affectu amicorum ac propinquorum seposito, stare pro æquitate, non respicere personam hominum, munera quæ excæcant oculos judicum, ab omni corruptione alienus respuere? *Respondent ex cupiditate assequendi beneficium*, POSSUMUS. Poteris tu esse Prælatus, Prior, Guardianus, Superior, inter tot diversi spiritus, Judicii, ingenii, genij, te conformare, & pacem servare? *Cum facilius sit*, ut Seneca rectè (monet, *horologia* (etiam 12. quod difficile) *quam judicia hominum componere*. Poteris tu, qui imperas aliis, exemplo præire, eodem victu, & potu contentus esse, ne murmurationes irrepant: *Respondent ex cupiditate assequendi* Prælaturam, POSSUMUS. Poteris tu monialis, quæ gratiam Dominæ defunctæ Abbatissæ aucupata es, & pedum ambis, interim alijs sanctimonialibus exosa, & nullo, aut exiguo spiritu, ac prudentiâ, pacificè imperare, temporalia dilapsa restaurare, factiones, & murmurationes sopire, animos omnium devincire &c. *respondent ex cupiditate assequendi pedum*: POSSUMUS: Nam ut communi paroemiâ receptum est de ejusmodi:

Daer en is niet een Monickien offe Nonnekin in den Choor,
Het vvas veel liever Abt, Abdesse, offe Prior.

Hic campus patet, ut Divinus Ecclesiastes ad mores

Cant. 4. v. 11.
Ioan. 4. v. 14.
Bern. cit.
Drexelius. Christus patiens.
Vincent. Puccinus in vita.
Sidonius Apollin. lib. 4. e. 9.
Senec. Epist. 67.
Idem lib. de providen. c. 3.
Mortale in ambitiosos.
S. Thom. in Matt. c. 20.
Dionys. Carthus. hic.
1. Ad Timoth. 3. v. 2. 3.

mores in Ambitiosos excurrat, nixus solido primæ veritatis, ad filios Zebedæi, testimonio: *Nescitis quid petatis*; vos enim viles piscatores, vano & insano matris vestræ gloriolâ, & regnandi ambitione inflati, ea petitis, quæ *non est meum dare vobis.* Rationem reddit Augustinus: *Non est meum dare superbis; hoc enim adhuc erant; sed si vultis illud accipere, nolite esse, quod estis: aliis paratum est, & vos alii estote*; alia desideria, alia vota, alias petitiones concipite: nam quamtumvis naturæ, ac gratiæ donis quis instructus, si ambitionis vitio notetur, indignus meritò censetur. Sed opulentiæ splendore, & honorum ac titulorum fulgore capti, cetera non considerant illud Pauli, quo præcipit Episcopum ac Prælatum *ornatum* esse debere, nequiter pervertentes, quasi hic Episcopum ac Prælatos veste Damascenâ, splendidâ Ephæborum manu, rhedâ sex equorum, supellectile aureâ & argenteâ, mensâ opiparâ, ceterâque ad pompam & ostentationem magnificentiâ ornari vellet. Non hunc ornatum quærit Apostolus, sed virtutum, ut rectè Hieronymus: *Sunt quidam ignorantes tanta stoliditatis, ac vecordiæ, qui non intelligentes quid sit ornatus, comunt se vestibus, & munditiis corporis, & lautioris mensæ epulas parant; cum istiusmodi ornatus, & cultus, sordibus fœdior sit.* In Græco habetur ανέγκλητος, id est, irreprehensibilis, quod omnibus virtutibus præcellere, ac prælucere debeat, ut ne una desit, qua reprehensibilis sit: *Qui vitium non habet, irreprehensibilis est; qui virtutibus pollet,* ORNATUS *est.* Si vel unum vitium, unam passionem, unam carnis titillationem, unam iracundiæ effervescentiam, unam injuriæ illatæ memoriam, unam avaritiæ, invidiæ, gulæ efferatam concupiscentiam frænare: unam virtutem contrariam assequi, arduum & molestum sit, quis omnia se superasse, omnesque virtutes se consecutum, in animum inducat, nisi prorsus, ut omnis superbus, insanus sit? & cum isto monacho sentiat, qui cum diceretur, neminem inter illos capacem esse, qui ad infulas assumi posset: Respondit, *paratum se etiam juramento deponere, se capacem esse*; non enim aliud existimant requiri, ut quis Prælatum agat, quam ut dominetur in clerum, dilatet phylacteria sua, quotidie splendidè epuletur, in honore sit, & omnes ad osculum manus excipiat; sed opus, ac onus non considerat; quod exaggeratè tractat Prælatus Clarævallis; huic qui successit Roberto, credite experto: *Meditantibus quidem honores blandiuntur; sed pensantibus, tædio sunt, atque formidini. Non omnes autem capiunt hoc verbum: multi enim non tantâ fiduciâ, & alacritate currerent ad honores, si esse sentirent & onera; gravari profectò metuerent, ne cum tanto labore, & periculo, quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc verò quoniam sola attenditur gloria, & non pœna, purum esse Clericum* (aut Monachum) *erubescunt in Ecclesiâ, seque viles existimant, & inglorios, qui quocumque eminentiori in loco non fuerint sublimati.* Norint hi quod ambire prælaturam, præturam, præfecturam, non sit manu calicem arripere vino cretico, aut massico spumantem; sed mixtum multo felle amaritudinis, solicitudinis, laboris, sudoris, oneris, si ut oportet, rectè ac ritè illum bibant. Unde perversè plerique hanc auream Apostoli sententiam interpretantur: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; ubi D. Hieronymus hoc verbum *opus*, enucleatius expendit: OPUS, *non dignitatem: laborem, non delicias;* OPUS *per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.* Quod oculatus ille Nazianzi Antistes acutè perspexit, rationem reddens, cur electus in Episcopum, fugam arripuerit: terret, inquit, me onus prælaturæ: Namque curam gerere tantæ, tamque variæ personarum multitudinis, ut numero, sic genio & ingenio discrepantium, *profectò ars quædam artium est, & scientia scientiarum mihi videtur hominem regere: animal omnium maximè varium, & multiplex.* Tum aptam subdit similitudinem: *Quemadmodum si quis belluam variam, & multiplicem ex multis belluis magnis juxta parvisque feris, mitibusque conflatam, curare & ducere aggrediatur; huic in natura adeo varia & prodigiosa gubernanda, maximus procul dubio labor subeundus est.* Hoc in omni regimine, & corpore politico usu venit, tot tamque variis constans judiciis, phantasiis, complexionibus, quot sunt, qui in communitate vivunt, ut ne Angelus de cælo, nec ipse Christus omnibus satisfaciat, & placeat. Ex quibus sequitur altera hujus tam promptæ resolutionis, POSSUMUS, expositio: quod hi duo discipuli non præmeditatè, inconsideratè, imprudenter, & ignoranter, nescientes quid proponeretur, aut quis, aut qualis calix propinaretur, responderint, POSSUMUS, ut si quis operarius advocetur, ut operam suam elocet, & ignarus an oneri portando, aut labori exantlando, vires & animi pares sint, graviter addicat: POSSUM; aut quis juvenis martem spirans, rogatus à parente, an inediam, vigilias, frigus, æstum pati, pericula subire possit, intrepidè respondeat: POSSUM; qua similitudine usus Chrysostomus in hunc locum: *Potestis bibere calicem?* sic ait: *nescientibus desiderabile est bellum; sicut & inexpertis levis videtur tentatio passionis, & mortis*; unde sanctus Thomas ait: *Item ex ignorantia responderunt,* POSSUMUS: *quia vires suas non considerabant: quia quibus aliquando ante factum videtur leve, in ipso actu deficiunt.* Idem sentit Carthusianus: *Incautè responderunt; quia in Christi passione, instante periculo fugerunt. Itaque dicendo tam absolutè* POSSUMUS, *propriam fragilitatem non pensaverunt.* Hæc inconsiderantia, ignorantia indies locum habet.

Est juvenis candidatus, aut juvencula, quæ in religiosum claustrum admitti postulat: prævie rogatur, examinatur, an parentes, propinquos, carnis delicias, mundi divitias contemnere, crucē Christi amplecti possit? Tu delicate, tenellule, mollicule, qui D. Brunonis institutum ambis: an austeritatem illam perpetui cilicii, chori prolixi horis diurnis & nocturnis, silentii, solitudinis ferre queas? Respondet: POSSUM. Tu adolescens qui institutum mendicantium (ubi suas cujusque ordinis austeritates, & sensualitati incommoda adferre potes) amplecti desideras, num nudis pedibus rigente hyeme incedere, jejunia, flagella, ceterasque

Margin notes: *August. in psal. 126.* — *1 Tim. 3. v. 2.* — *Lanuza feria 4. post Dom. 2. hom. 15 §. 21.* — *S. Hieron. in 1. Tim. 3.* — *Ibid.* — *Bern. epist. 42. ad Henricum Archiep. Senonens.* — *1. Tim. 3. v. 1.* — *S. Hieron. epist 53. ad Oceanum.* — *Gregor. Naz. Apolog. 1. in principio.* — *Chrysost. in Matth. c. 20.* — *S. Thom. hic* — *Dionys. Carth. hic* — Morale, non inconsideratè respondendum: *possumus.*

tcrasque

rasque ordinis pœnitentias consuetas tolerare te posse autumas? Respondet: POSSUM. Tu fili, qui societatem Jesu ambis, num vis omni dignitati adipiscendæ, peculiari voto præclusam, obedientiâ ad quemvis locum, & habitationem etiam ad Garamantas & Indos, sine viatico, castitatem Angelicam, ut vel materia minima censuræ maximæ objaceat, servandam, paupertatem, ut ne acus aut folium chartæ sine venia superioris citra peccatum dari, aut acceptari possit: obedientiam cæcam, arborem inversam plantando, promptam litterâ etiam imperfectâ relictâ, pœnitentias absque ullâ culpâ impositas, & pro zelo tuo jactatis mari, periclitantibus in bello, lue infectis operam, & vitam Dei, & proximi causâ impendere poteris? Respondet: POSSUM. Tu filia, vix quindecennis Sanctimonialis esse desideras: poteris perpetuo carcere concludi, ad nocturnas vigilias expergisci, paupere victu & vestitu contenta vivere, cum aliis sororibus, cujuscumque conditionis & complexionis pacificè convenire, superiori etiam minus discretæ, ac mansuetæ obtemperare, minima esse inter omnes? Respondet POSSUM. Et tu juvencula quæ proci bissinis verbis, aureis promissis, & variis lenociniis animum matrimonio adjecisti, poteris libertatem, qua jam gaudes, abdicare: sub viri jugo & potestate esse: ad nutum ejus te fingere, quod noris palato gratum condire, iracundum, temulentum, zelotypum ferre? Respondet: POSSUM, &c. Plerique horum, velut *belli inexpertes, ex ignorantiâ, & incautè* respondent: POSSUMUS; quod D. Bernardus etiam ad sublimiores Religiosorum prælaturas, & sæcularium præturas extendit, & olim deploravit, nostroque sæculo maximè deplorandum est: *Curritur*, inquit, *in clero passim ab omni ætate, & ordine, à doctis pariter & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit*; nec minori impetu ad sæculares curias curis plenas conscendere incauti contendunt, *propriam fragilitatem non pensitãtes*, nec considerantes illud moderni poëtæ:

Bern. epist. 42. ad Henricum Archiep. Senon.

Curia dat curas; ergo si vivere curas,
Et benè securè, non sit tibi curia cura.

Nonne, ut alias dixi, sic imberbes juvenes ad senatoria subsellia, ad gubernacula Reipublicæ aspirant, & dictitant se tam bene, ac melius, quam senes Catones, qui per plures annos rerum experientiâ edocti clavum rexerunt, facturos; quod si ejusmodi unum percuncteris, poteris tu sympofia, consuetudinem puellarum, fritillos, & aleas, deambulationes, venationes, aliaque diverticula deserere, & indies velut pueri scholam, curiam frequentare, in eâque per sex, septemve horas, querelas, libellos supplices, lites, contentiones, & exprobrationes partium audire, & obtrectantium tibi linguas ferre? summis & infimis, Ecclesiasticis & sæcularibus te æquum præbere, & omnibus facere satis? Respondet: POSSUM. Ne hic mihi insanior videtur, quam imprudens ille, & male ab ambitiosa matre consultus Phaëthon, dum solis, parentis sui currum juvenili ardore, & inconsideratiâ regere postulavit, ut Pelignus Vates cecinit:

- - - - - *Currus petit ille paternos,* Ovid. l. 2. metam.
Inque diem, alipedum jus, & moderamen equorum.

Sed hanc incautam, & temerariam juvenis postulationem, variis atque solidis rationibus discutere parens conatus est, dicens:

Magna petis Phaëthon, & quæ non viribus istis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis:
Plus etiam, quam quod superis contingere fas est,
Nescius affectas; placeat sibi quisque licebit;
Non tamen ignifero quisquam consistere in axe,
Me valet excepto. Vasti quoque Rector Olympi,
Qui fera terribili jaculatur fulmina dextrâ,
Non aget hos currus. Et quid Iove majus habetur?
Ardua prima via est, & quâ vix manè recentes
Enituntur equi; medio est altissima cœlo:
Unde mare & terras, ipsi mihi sæpe videre
Sit timor, & pavidum trepidet formidine pectus.

Mitto cætera, quæ enarrat præsentissima discrimina; quæ omnia ille surdâ aure excipit, & ambitione inflammatus instat, & urget:

Propositumque premit, flagratq; cupidine currus.

Votis itaque potitus, currum conscendit, & volucres solis equi rapidissimum cursum auspicantur:

Ipse pavet, nec quà commissas flectat habenas,
Nec scit, qua sit iter; nec si sciat, imperet illis.
Ut verò terras despexit ab Æthere summo
Infelix Phaëthon, penitus, penitusque jacentes,
Palluit, & subito genua intremuere timore:
Suntque oculis tenebræ per tantum lumen obortæ;
Et jam mallet equos nunquam tetigisse paternos.

Jam damnat, sed sero, temeraria sua vota, ac insanam superbiam, qua sibi, ac mortalibus, ipsisque divis injuriam, ac exitium creavit: Etenim dum equi sine lege ruunt, nunc propius ad terras, nunc altius ad cælos excurrendo, omnes contra sæ formavit.

Et modo summa petunt, modo per decliva, viasque
Præcipites spatio terræ propriore feruntur;
Inferiusque suis fraternos currere Luna
Admiratur equos: ambustaque nubila fumant.
Corripitur flammis, ut quæque altissima tellus,
Fissaque agit rimas, & succis aret ademptis.
Pabula canescunt: cum frondibus uritur arbor;
Materiamque suo præbet seges arida damno.
Parva queror: magnæ pereunt cum mœnibus urbes, &c.
Fumat uterque polus,

Donec summus Jupiter è cælo

Intonat, & dextrâ libratum fulmen ab arce
Misit in aurigam, pariterque animaque rotisque
Expulit, & sævis compescuit ignibus ignes:

Et

Et Phaethon præceps ruit. Hic exitus, hoc exitium, incautè, ac temerè munera ambientis, nec incommoda ac pericula prævidentis. Fabula hæc, seu *fictio*, ut loquitur Augustinus, *quandoque figura veritatis est*, quam eruditus Mythologus, Natalis Comes sic ad mores traducit. Voluerunt, inquit, per hoc commentum antiqui innuere: Juvenes præfervidos, & imperitos adolescentes sibi temerè Reipublicæ gubernacula deposcere, animo volentes, quam illustre sit cæteris præeminere, & currum totius Reipublicæ arbitrio suo moderari: cujus habenas qua ratione, loco, tempore laxandas, aut adducendas cum penitus ignorent: & summos, & imos: nobiles & plebeios: Ecclesiasticos & sæculares: mortales & superos, urbem universam insano hujus aurigæ furore, aut inscitia, aut supinâ rerum omnium incuriâ, gravissimè affici, & labefactari, non sine justâ stolidi hujus Gubernatoris calumniâ, & infausto vitæ ipsius nonnumquam exitio, necessum est.

§. III.

Calix Domini amabilis, & dulcis postquam eum gustavit.

Calix Domini dulcis, seu tertius haustus æternæ voluptatis.

TErtia, & genuina heroicæ ac Apostolicæ istius responsionis POSSUMUS, expositio est, non ex ambitione, aut inconsideratione; sed ex flagrantissimo in magistrum suum amore, calicem Passionis, quem ipse bibiturus erat, duos hos discipulos exhausturos, ad omnia quantumvis amara, atrocia, per mille vulnera & mortes se pararos offerendo, & facto ipso exequendo. Quod sanctus Basilius in constit. monast. rectè expendens, ait: *Submissâ mentis cervice*, CALICEM *Domini biberunt, alacrique animo in pericula, in contumelias, in cruces, in varias neces processere*: sic invictus Christi Athleta Quintinus, anno Christiano trecentesimo tertio Calicem Passionis amarissimum, à Rictiovaro Judice oblatum; sed ab amica Dei manu propinatum, gratanter accepit: nam virgis ferreis cæsus, liquatoque oleo, & pice perfusus, eum etiamnum animosè diceret: hæc omnia mihi sunt refrigerio; acerbum excandescens Rictiovarus, saxo ajebat, submissius loquaris. Mox digiti omnes inter carnem & cutem ferebrati, acutum veru ab humeris per corpus ad tibias adactum. Cumque tormentis videretur inexpugnabilis, *calix denique allatus*, & aceto, calce vivâ, synapi missus est. Quintinus eo [illegible]o, ad Christum ardentissimè suspiciens: ô mi optime Jesu, inquit, natura quidem [illegible] hunc calicem amarissimum & letalem; sed quia è manu tua is venit, & quia tu illum mihi [illegible] propinasti, respondebo, & exhauriam. [illegible] mihi potus melle omni, & saccaro erit suavior dixit, & bibit. Legerat porro illud, & probè intellexerat quod Christus Petro: CALICEM *quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Quid dicis Domine? Calicem hunc longè amarissimum an non perfidus ille Judas, an non eum Annas & Caiphas, an non hunc ipsum Herodes & Pilatus miscuerunt? Hi quinque Pharmacopæi, merum absynthium, meram aloem, fel merissimum intriverunt. Ab illis hic calix est. Quid ergo ais: *Calicem quem dedit mihi Pater?* Audi sis: hic calix ab amicâ manu mihi venit, & quamvis multa sint quæ hunc calicem commendent, ante omnia tamen paterna manus. Unde illud benignissimi Redemptoris nostri ad Petrum, stricto mucrone magistrum suum defendentem: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Doctissimus Lyranus sic exponit: *Quasi dicat, passionem quam ordinavit Pater cælestis* (non iniqui Judices, non Judæi, & sævi tortores) *ad salutem humani generis, debeo patienter tolerare; & ideo non est locus defensionis, & resistentiæ; sed magis patientia.* Hæc tibi ruminanda, & imitanda propone, dum Pater cælestis calicem litis injustè perditæ, jacturæ bonorum, filiorum, omnium morborum immittit, locum non esse *resistentia*, sed magis *patientia*. Quod libet Angelici Doctoris firmare testimonio, qui in hunc locum Joan. 18. CALICEM *quem dedit mihi Pater, &c.* sic docet: *non resistendum his, quæ à divina providentia disponuntur*, & tam amicâ manu propinantur. Quod isti, & istæ potuerunt ego non potero? Si calicem Domini biberunt, & ego potero. Unde in excessu mentis nonnulli in has voces prorumpunt: *Ut quid ergo? non possumus & nos cum beato Clemente* (aut eum Joanne, & Jacobo) *Christi bibere* CALICEM? *sed forte respondent aliqui: possemus, si opportunitas non deesset; sed persecutionis tempus cessavit.* Hinc novitio fervore, exstatico, & phanatico raptu, sibi craticulas Laurentii, lapides Stephani, catastas, rotas, equuleos Catharinæ, Agnetis, Martinæ, aggrediendos proponunt; quæ quam pueriles velleitates, & inania promissa, ac vana vota sint, effectu ipso manifestum reddunt, ut acutè idem Doctor observavit: *at ego fateor, non satis crediderim ita dicentibus. Quid enim? Quotidie ceditis punctioni acus unius, & mucronem vos arbitramini posse resistere? In minimis probate conflictibus, quam viriliter in majori certamine stare positis.* Qui timet pruinam, quomodo ad densos nivium floccos non formidabit? Si obliquo oculo notari, verbo aspero lacessi, levem spinæ aculeum ferre non sustineat, quomodo oculos sibi exui, verbera infligi, nudos muctones intentari sibi, totumque calicem fellis, & amaritudinis plenum sibi propinari sustinebit? Ejusmodi, qui ad maximè ardua se pararos dictitant, & alpes se impigrè pervolaturos, aut mentes translaturos jactitant, si ad lapidem pede offenso ingemiscant, & excandescant, apud me, multò minus apud vitæ asceticæ Doctorem summum, fidem aut æstimationem invenient: *In minimis probate, quam viriliter in majori certamine stare positis.* Est gloriosus miles, qui martem spiret, & in servitium Regis, charam conjugem, liberos, propinquos, patriam deserat; sed si vel levi verbo *mentiris* lacessitus, ut se vindicet corpus, & animam perdet. Est, qui post mortem aliquot millia aureorum in sepulturam, in causas pias legare statuit,

S. Basil. in constit. monast. cap. 3.

Joan. 18.

Hugo.

Lyran. hic

S. Th: in Joan 18.

Bern. ser. de S. Clemente.

Multi inordinato fervore promittunt se calicem Domini bibituros, & vel minimum dolorem aversantur.

Ibid.

Bern. cit.

statuit; interim si arbor turbine eversa, ovis à lupo decerpta, vacca abortierit, hinnulus obierit, totas noctes insomnes ducit: *In minimis probate, quam viriliter in majori certamine stare possitis.* Est, quæ instat & urget Confessarium, ut indies tres quatuorve horas orationi vacare, in durâ cubare, corpus jejuniis, flagris domare liceat: rogata an has austeritates ferre queat? animosè respondet: *possum*; interim si calix eversus, olla fracta, ancilla serius è foro diverterit, cibus insipidus, tota Jerosolyma turbata est. *In minimis probate, &c.* Denique si in consortio petulantis proci, manum ab impudico tactu rejicere, retrahere: si appetitum sapido obsonio, ab exquisitis fructibus, aut bellariis nequeas refrenare, quomodo famem tolerare, manum in igne torridam tenere, aut eam tibi præscindi sustinebis? *Si in hujusmodi certamine periclitamur, si vix resistimus, quid in illo tam grandi certamine* (in quo gloriosus Apostolus noster Jacobus magnanimiter dimicavit, & triumphavit) *faceremus? si junctis fragilibus cedit infirmitas nostra, quomodo telis resistet?* ô te miserum! quomodo tibi majori ausu abblandiris? *si cum peditibus currens laborasti, quomodo poteris contendere cum equis?* si præcurrere pedites non possis, qui pedetentim progrediuntur, quis tibi credat jactanti, te cum equis contendere posse velocioribus? si in minimo fidelis, & fortis non sis, quomodo in maximo eris? hoc acuto dilemmate cælestis magister discipulos suos coarguit, qui tam generosè responderant se calicem bibere posse, dum dixit: *Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum*; ubi D. Hieronymus, *una hora vigilare non possunt, summo mærore, & carnis fragilitate superati,* quomodo enim inter latronum sicas, & gladios, ad mortem sequi auderent? Cessent illæ jactantiâ plenæ voces: *possumus bibere* CALICEM, *qui non potuistis unâ quidem horâ vigilare mecum,* & dum tempus bibendi advenerit, os & terga vertetis. Tales nempe erant, necdum virtute roborati ex alto, cum necdum Dominus Jesus in cruce, passionis calicem bibisset, illique suis suavissimis labiis vitam inspirasset, omnemque dulcedinem instillasset. Pulchrè id observat Doctor Aquinas: *Dicitur passio* CALIX, *quia ex charitate patientis,* DULCEDINEM *habet; sed ex natura sua amaritudinem: sicut & medicina sanativa propter spem sanitatis,* DULCIS *est; sed amara propter saporem.* Quid tibi, ô anima, laboriosum, molestum, arduum, acerbum, esse poterit, si calix qui offertur, *ex charitate patientis*, DULCEDINEM *habet*: hinc præcelsæ mentes, amore Christi ferventes, *recordatæ absynthii, & fellis,* quo ex charitate potatus, omnia sibi amarissima, fel merum, supra omne mel sapida, & dulcia expetebant. Sic de B. Jacopono Tudertino Annales ordinis testatum faciunt, eum sibi absynthii folia inter comedendum apponere, cum omni edulio immiscere solitum; quod tamen quanvis amarissimum, *ex charitate patientis Christi, dulcedinem habebat.* Hac recordatione B. Franciscus Borgias, Dux Gandiæ, deliciis ac bellariis assuetus, ubi se in societatem Jesu, sub crucis vexillo, militem adscripsit, appositum sibi ex agrestibus, & amaris herbis, inscitiâ coci, jusculum, avidè exsorbuit: pharmaca dum ægrotaret, sorbendo, aut pilissando hauriebat, catapotia quoque dentibus masticabat, ut *charitate patientis Christi, majorem dulcedinem perciperet.* Mitto alios innumeros. At ne hos masculos animos bibendi calicem passionis, viris duntaxat fuisse existimetis, è sexu fragili non unam illum sitiisse, & bibisse comperio. Stephana Seraphina ex tertio ordine Minorum, tribus postremis quadragesimæ diebus, nil præter merum fel sumere solebat, in memoriam calicis Domini, quasi illud Jeremiæ sibi peculiariter dictum existimasset: *Recordare paupertatis meæ, & absynthii, & fellis,* quod pro te bibi, & ipsa respondisset: *Calicem salutaris accipiam,* qui ex charitate patientis omni dulcedine repletus est. Sic S. Brigitta, B. Catharina Genuensis, B. Joanna de la Croix, absynthium, aloen, aliasque amarissimas herbas ore volvebant, & ruminabant. B. Rosa, flos Paradisi Dominici, quavis sextâ feriâ, sub noctem, haustum fellis ex vase vitreo, quod in eum finem penes se servabat, hauriebat; atque hi omnes *ex charitate patientis Christi, incredibilem dulcedinem*, ipsa ex amaritudine calicis hauriebant. Invitaverat olim Helisæus, Propheta tum filios ad frugale prandium; cum famulus egressus in agrum, *ut colligeret herbas agrestes, invenitque quasi vitem silvestrem, & collegit ex eâ colocynthidas agri* (seu ut Hugo Cardinal. cucurbitas agrestes) *& implevit pallium suum, & reversus concidit in ollam pulmenti: nesciebat enim quid esset. Infuderunt ergo sociis ut comederent: cumque gustassent de coctione, clamaverunt dicentes:* MORS IN OLLA VIR DEI. *Et non potuerunt comedere.* At ille: *Afferte*, inquit, *farinam. cumque tulissent, misit in ollam, & ait: Infunde turbæ, ut comedant, &* NON FUIT AMPLIUS QUIDQUAM AMARITUDINIS IN OLLA. Idem est de calice Passionis, de amaritudine vitæ humanæ, & maximè religiosæ, quam ubi extremis labiis, imo vel oculis duntaxat quidam delibarunt, exclamant; *mors in olla*; domum inspice, ubi vir temulentus, aut turbulentus, ubi uxor contumax & rixosa: *mors in olla.* Familiam contemplare, in qua filii discoli, vel morbidi, vir podagricus, uxor hydropica: *mors in olla.* Sic de religiosis claustris, in quibus totus homo vivus crucifigitur, & mortificatur: *mors in olla*, clamatur; sed si farina corporis Christi, quod est frumentum electorum, si farina recordationis calicis Domini, farina divinæ gratiæ, & calicis præclari, qui beatos inebriat, aspersa fuerit, omnia quantumvis acerba & amara, dulcorantur. *Nulla* porro *est tanta amaritudo, quam ista farina non dulcoret.* Lyranus in hunc locum: *mors in olla*, sic ait: per hoc significatur, quod hominibus delicatè enutritis in sæculo, *vita religiosa videtur amara in principio*: sed sicut pulmentum *per immissionem farinæ, factum fuit sapidum*; sic per Dei gratiam (& passionis, ac amarissimi calicis ejus memoriam) vita religiosa, quæ prius dura videbatur, non solum portabilis, *sed etiam suavis efficitur.* Hoc in Rabaudo, viro Principe in Galliâ, illustri miraculo ad religionem vocato, comprobatum accepimus. Hic enim cum religiosæ vitæ, ac victus asperitatem,

Bern. cit.

Hieron. lib. 2. contra Pelag.

S. Thom. in Ioan. cap 18.

Calix passionis dulcedinem ex labiis Domini accepit.

Thren. 3. v. 19.

Schottus in vita lib. 4. c. 5.

Annal. ord.

Thren 3.

In vita.

Ioan. à Maria in vita.

4. Reg. 4. v. 39.

Bern. ser. 30. de convers. ad Clericos 3. & 65. ex parvis.

Lyran. in 4. Reg. 4.

Platus de bono status Religiosi lib. 3. cap. 16.

tatem, utpote lautiori assuetus, graviter ferre cœpisset, & *mors in olla* ipsi videretur, Abbas nomine Porcarius, indulgentiâ quadam, lautiores cibos ei seorsim præberi jubebat; quibus tamen in dies tenuior, graciliorque fiebat. Itaque accidit, ut quadam die, dum fratres reliqui communi necoSâ, arido scilicet pane, & fabis vescerentur, videre sibi visus sit duos senes, alterum calvum, cui binæ claves è collo pendebant; alterum habitu monachum, qui crystallinam pixidem manu gestabat. Hi toto cœnaculo circumeuntes, unicuique monacho, *nescio quid edulii è vase illo impertiebant*, Rabaudum solum ita prætereuntes, ut etiam severo, ac potius subirato vultu eum intuerentur. Ille verò ex ejus qui proximè assidebat, portiunculâ aliquid suffuratus, ut illud gustavit, *visa est illi ejus suavitas, omnium ciborum, quos unquam in vitâ suâ etiam sæculari comedisset, suavitatem longè antecellere.* Quod visum cum ter jam contigisset, ad Abbatem accessit, diligenter inquisivit, quinam essent hi duo senes. Intellexit Abbas facile, alterum eorum *Petrum* Apostolum esse, in cujus tutelâ erat monasterium; alterum eorum *Honoratum*, monasterii auctorem; causam autem cur & ipsi de illo vasculo, seu calice, qui omnia aliorum edulia dulcorabat, nil affunderetur, eam esse, quod communem aliorum asperum victum non sequeretur: quod audiens Rabaudus, animo confirmato ad omnem ejus vitæ rigorem perferendum, multo eum faciliorem, ac leviorem reperit, quam antea putasset: ac paulo post eosdem Sanctos vidit, qui sibi quoque perinde ac aliis, liquorem affuderunt, quo & mucidus panis, & cruda ac insipida olera, super mel dulcia reddebantur. Sic omnia, quæ in religione, in statu conjugali, cuilibet in particulari, amara & acerba devoranda, & exhaurienda sunt, dulcia redduntur, dum paululo fellis, & aceti è calice Domini aspersa fuerint: Nam si Chrysostomo credimus: *Christus fel aceto mistum bibens, præparatam nobis mortis amaritudinem, malitiamque exinanivit, & dulcedinem affudit.* Calicem passionis, seu mortis, non solum Apostoli, & purpurati sanguine martyres biberunt; sed & nobis omnibus, licet non manu carnificis, sed à Dei manu oblatus, potandus est; à quo tamen natura maximè abhorret; unde Durandus gravis Theologus, mortem etiam naturalem, passionem appellare non dubitavit: *Passio dicitur quia tunc maximè corpus patitur, & etiam anima, quando per violentiam ab invicem separantur: & obitus uniuscujusque, potest passio nominari, quia sine amaritudine, & violentiâ quadam, nulla anima de corpore tollitur*; ut si quis extremam illam moribundi, sæpe per plures dies & noctes agoniam consideret, martyrio æquari posse non diffiteatur. Quam verò hic calix mortis, cuilibet amarus accidat, apta similitudine D. Anastasius, Episcopus Nicænus exponit; & hominem jam cum morte luctantem oculis objicit, & componit cum eo, qui dum amaram aliquam potionem, imo & mortiferam invitus bibere cogitur, totus expallescit, & expavescit, tremunt manus, colliduntur genua, os contrahit, timor & tremor venit super eum:

Chrysost. exposit. 2. in Psal. 118.

Durand. Ration. divin. lib. 7.

quæque intus in animo angustiæ, dolores, & pavores, nemo valet enarrare: *Quomodo*, inquit, *qui amara gustant medicamenta, propter amaritudinem vultum contrahunt; anima vero ad eam, quam ex visis molestius habuit affectionem, oculis imprimis characterem, & ex figura ejus quod apparet, suum occultum aperit dolorem.* Frustra hic inclamatur: *Transeat à me* CALIX ISTE, quia lege æternâ *statutum est omnibus hominibus semel mori.* Quare ut calix ille vobis salutaris, imo & suavis sit, illum quem effugere non potestis, & velitis, nolitis, bibere debetis, illum promptâ voluntate ex manu Domini accipite; qua voluntariâ acceptatione, ac simul cum calice passionis, & mortis Christi, oblatione, plus apud Deum meriti, quin & reatus omnis veniam, quam multorum annorum jejuniis, pœnitentiis, largis eleemosynis impetrare potestis, ut rectâ in cælum cum latrone, qui licet mortem effugere non posset, de manu Domini pro delictis suis gratanter acceptavit, evoletis. Quis denique calicem modicæ fellis, & absynthii hic abhorreat, & non potius avidè exhauriat, ut calicem infinitæ dulcedinis, & torrente voluptatis saturari queat, de quo per Psaltem Regium ait: CALIX *meus inebrians, quam præclarus est?* cujus vel unica gutta, si in mare fellis incideret, illud omni melle suavius redderet. Hæc magni Augustini doctrina est, dum ait: *Tanta est dulcedo futuræ gloriæ, quod si una gutta in infernum deflueret, totam damnatorum amaritudinem dulcoraret*; unica porro infinitæ dulcedinis stilla, omnem pœnarum amaritudinem, in septorsus converteret. Hujus tam præclari, tam suavis calicis spe illecti, exiguum hic calicem passionis felle mixtum, generosè potarunt: Sic etenim Hugo Cardinalis in illud Psal. 75. CALIX *in manu Domini vini meri, plenus misto, & inclinavit ex hoc in hoc.* Disserit: cum aliquis "habet duo vasa, ubi est vinum diversarum "specierum, si vult facere mixtionem, inclinat, "& effundit de uno vase in aliud. Sic Domi-"nus in calicem tribulationis, inclinat calicem "æternæ iucunditatis, quando homini in tri-"bulatione posito, consolationem infundit, de "consideratione retributionis: & tunc homo "melius potest bibere, quia dulcedo quæ con-"sideratur, temperat amaritudinem tribulatio-"nis. Hac suavissimâ consideratione Hipponensis Doctor, summâ animi dulcedine affluens, amarissima, atque atrocissima quæque sibi, ac invictis heroibus dulcorari asseverat: *Omnia mihi* AMARESCANT, *ut tu solus* DULCIS *appareas animæ meæ, qui es* DULCEDO INÆSTIMABILIS, *per quam cuncta* AMARA DULCORANTUR: *Tua enim* DULCEDO, *Stephano lapides torrentis* DULCORAVIT: *Tua* DULCEDO *craticulam B. Laurentio* DULCEM *fecit: pro tua* DULCEDINE *ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii: ibat Andreas securus ad crucem, & gaudens, quoniam* AD TUAM DULCEDINEM PROPERABAT. *Hæc enim tua* DULCEDO *ipsos Apostolorum Principes sic replevit, ut pro ipsa, crucis patibulum, unus eligeret; alter quoque caput ferienti gladio supponere non timeret. Pro hac emenda, Bartholomæus propriam pellem dedit: pro hac quoque gustanda, veneni poculum intrepidus Ioannes potavit.*

Anastas. Episc. Nic. q. 13. in script.

Calix divinæ dulcedinis & gloriæ.

Psal. 22. v. 5.

Aug. ser. 8. de trans.fig.

Hug. Car. Psal. 75.

Aug. tom. 9. lib. unius soliloq. c. 22.

potavit. Petrus in monte Thaboræo unicam stillam cælestis hujus dulcedinis gustavit, & quasi ebrius exclamat: Domine bonum est nos hic esse. Sufficit TANTA DULCEDINE SATIARI: unam enim STILLAM DULCEDINIS ille gustavit, & omnem aliam fastidivit dulcedinem; quid putas dixisset, si magnam illam MULTITUDINEM DULCEDINIS DIVINITATIS fuisset gustasset, quam abscondit timentibus se, quam o uberius, diligentibus se? Nunc ad vos hæc mea brevis peroratio est; si dulcedo præclari calicis, quem in Regno Patris, cum Christo bibemus, tanta sit, ut omnia amara dulcorentur, quid ni modicum fellis hic degustes, ut oceano mellis immergaris? Si hæc DULCEDO Stephano lapides torrentis DULCORAVIT, quid ni eadem tuos dolores calculi, & lapillos in renibus dulcoret? Si hæc dulcedo craticulam B. Laurentio DULCEM fecit, quid ni duram stoream, aut nudam humum, tibi dulcem faciat? Si pro hac dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu consilii, quid ni tu calumniâ impetitus, opprobrio, detractione falsâ denigratus, innocenter accusatus, pro hac dulcedine gaudenter excipias? Si Andreas ad crucem, & ad ILLAM DULCEDINEM, gaudens properabat, quid ni tu ad crucem Christi, mundo & carne valere jussis, portandam, ad hanc dulcedinem propetare festinas? Pro hac enim dâ Bartholomæus propriam pellem dedit; & tu pro illa dulcedine, non modo vivus excoriari, sed nec aciculâ, aut spina configi, ne flagrum tergori incuti sustinebis? Pro hac dulcedine Apollonia dentes sibi exuri, alii spinis caput coronari, alii ardentibus caminis viscera uri, & excarnificari, gaudentes pertulerunt; & tu vel levem unius dentis dolorem, capitis molestiorem cruciatum, ardentem febrim tolerare non poteris? Exstimulet vos illa dulcedo præclari calicis, quæ omnem omnium, in quacumque adversitate, amaritudinem dulcoravit, ut cum Joanne & Jacobo generosam hanc vocem, non verbis, sed corde exprimatis: Possumus; ut in Regno Patris, cum Christo bibatis Calicem Domini vini meri, id est, jucunditatis æternæ, ubi non miscebitur aliquid tristitiæ; sed inebriabuntur torrente liquidissimæ, ac meræ voluptatis.

Ibid.

Hugo in Psal. 75.

(*,*)



FESTUM
SANCTÆ ANNÆ, 26. Iulii.
SANCTISSIMÆ DEIPARÆ
MARIÆ GENITRICIS.

Arbor de fructu suo cognoscitur. Luc.6.



Hoc in notitiam venies. Ovid. de nuce.

ARGUMENTUM.

SAnctissimæ Dei Genitricis *Mater Anna* non incongruo elegio *viris abundans* nuncupatur, quæ Mariam velut traducem, à teneris in domo Domini plantavit; pulcherrimo ac saluberrimo exemplo parentibus relicto, ut hanc & alteram Annam æmulentur, prolem suam à prima ætate Deo consecrando, ac omni genere honestorum morum virtutumque excolendo; atque ita *ex fructu arbor cognoscitur.* Sed cum non unus Ecclesiastes, Divæ Annæ Encomiastes illam de vite comparationem instituerit, oportunum mihi visum fuit S. Annam ab æterno ordinatam & promissam, *terram Promissionis*, Mariam verò Botrum, è quo mustum suavissimum, *dulcis Iesus* prodiit, appellare; sic etenim Damascenus: ANNA SUAVISSIMAM UVAM *protulit, ex quo* DULCIS JESUS *prodiit*. (Damasc. orat. de Nativit. Virg.) Quod si ex uva quam duo viri in vecte asportarunt, fertilitas ac felicitas terræ Promissionis innotuerit, satis Annam laudâro, ubi *Mariam* talem ac tantum fructum germinasse dixero, quæ suo ubere, quasi suavissimo Botro succum suo dulci Jesu communicavit. Unde ea quæstio à Theologis movetur, an aliquid carnis & sanguinis S. Annæ per Virginem Mariam, Christo communicatum, in sacrâ Eucharistiâ existat?

§. I. *Arbor de fructu suo cognoscitur.* Luc.6.

§. II. *Anna ab æterno ordinata, promissa, & avidè expectata, rectè* TERRA PROMISSIONIS *indigetatur.*

§. III. EGO QUASI VITIS FRUCTIFICAVI. Eccl.24.

FESTUM
SANCTÆ ANNÆ,
SANCTISSIMÆ DEIPARÆ
MARIÆ GENITRICIS.

Arbor de fructu suo cognoscitur. Luc.6.



Anctissimam fœminam Julianam, nobilitate, & vitæ integritate insignem, marito jam orbatam, sic ad unicum filium, quem Deo consecrarat, loquentem inducit Ambrosius. *Tu,* inquit, *fili, impetratus meus, & votivus meus, agnosce à quo donatus sis mihi. Ille tua ora plasmavit, ille tua membra distinxit, ille mea orata suscepit, cujus templo, cujus obsequio, te antequam nascereris, sacravi. Non parentibus, non tibi, sed Deo natus es. Omnes quidem illius sumus; sed tamen tu specialiter promissus Domino, tu redderis. Ego quasi* ANNA *promisi, ut omnibus vita tua diebus, ac noctibus, à conspectu Domini non recedas; tu exequere.* Concludit S. Ambrosius: *Egregia fœmina, quæ sibi nihil reliquit, totum quod habuit, Deo obtulit, cujus vita, institutio disciplina est, & quædam formula castitatis bono proposito, & meliore magisterio.* Atque ut hæc lectissima matrona, exemplo veteris *Anna*, filium Deo obtulit; sic ad exemplum *Sanctissima nostra Anna*, aliæ nobilissimæ fœminæ filiam Deo dicarunt, ac omnium virtutum præceptis imbuerunt. Unam vobis ad omnium imitationem adduxisse *Latam* matronam Romanam sufficiat, quæ *Paulam* filiolam suam à teneris Christo consecrarat; unde Hieronymus Epi[illegible] ad illam: *Paula prius Christo consecrata est, quàm genita, quam ante votis utero concepisti.* At quam paucæ ejusmodi matres, quæ cum utraque Anna liberos suos necdum conceptos, aut adhuc utero contentos, divino cultui dedicant. Alia nunc matrum, ac Patrum vota, alia desideria, alia studia: si Deus filium dederit, illum pater tali officio, tali dignitati destinat: si filiam, illam mater viro nobili, potenti, diviti in matrimonium designat: moribus aulicis, sæcularibus vanitatibus, tripudiis, ludis, citharis, atque ad omnem sæculi pompam instruendam decernit. Et de facto iis omnibus filiæ imbuuntur. Audiant hæ, quam *Lata* filiolæ suæ Paulæ tradidit, D. Hieronymi institutionem: *Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat: cantica mundi ignoret: adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur. Syllabas* (orationis Dominicæ, & salutationis Angelicæ) *jungat ad præmium; quibus illa ætas deliniri potest, munusculis invitetur.* Hæc, *si radix sancta* mater, præcepta suis instillabit, ut sint *rami Sancti.* *Tum si grandiuscula esse cœperit, & in exemplum sponsi sui crescere sapientiâ, ætate, & gratiâ apud Deum, & homines, pergat ad templum veri Patris cum parentibus. Te habeat magistram, te rudis miretur infantia, nihil in te, & in patre tuo videat, quod si fecerit, peccet.* Tandem quia efficaciora sunt exempla, quam verba: quia *verba movent, exempla trahunt,* subjungit: *mementote vos parentes virginis, magis eam exemplis doceri posse, quam voce, citò flores pereunt: citò violas, & lilium, & crocum pestilens aura corrumpit. Nusquam absque te procedat in publicum. Basilicas martyrum, & Ecclesias* (ne quidem sub devotionis specie) *sine matre non adeat. Nullus ei juvenis, nullus cincinnatus arrideat.* Ut autem omnes vanitates, & insanias falsas amoveat, has puellares exercitationes præscribit: *Discat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere, & nutriatur in monasterio, sit inter virginum choros. Jurare non discat, mentiri sacrilegium putet. Nesciat sæculum, vivat angelicè, sit in carne sine carne, omne hominum genus sibi simile putet,* ut quid inter sexum alterum sit, ignoret. *Orationi lectio, lectioni succedat oratio, breve videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupabitur.* Quod otiosis filiabus longum videtur, quæ omnia diverticula quærunt, ut tempus fallant, & otiosè, ac vanè, utinam non peccaminosè, & insanè consumant. Quæ mater sic filiam instituerit, meritò gloriari potest illustri hoc sapientis elogio: *Ego* QUASI VITIS *fructificavi suavitatem odoris, & flores mei* (qui ut Clemens Alexand. loquitur, liberi sunt) *fructus honoris, & honestatis.* De tali, & tam beatâ conjuge, rectè gratulari possumus viris conjugatis, hisce Psaltis Regii verbis: *Uxor tua sicut* VITIS ABUNDANS, *in lateribus domus tua*, hoc est, intra parietes, seu ut D. Hieronymus, *in penetralibus.* Cajetanus Cardinalis observat hic innui modestiam uxoris, ut non in atrio, non in portâ, non in plateâ, non in mediâ domo, in

Ambr. exhort. ad virg.

S. Juliana exemplo veteris Annæ filium Deo consecrat.

S. Anna Mariam filiam Deo dicat.

Hieron. Ep. 7. ad Latam de institutione filiæ.

Quomodo filiæ instituendæ.

Hieron. Ep. 7 ad Latam.

Roman. 11. v. 16.

Eccl. 24. v. 23.

Clem. Alexand. l. 1. pæd. c. 8

Psal. 127.

Lorin. hic

in qua sunt viti; sed in lateribus, in angulis, in penetralibus domus versetur. Sic & filia, quæ palmes est, ut monet D. Antoninus, Florentinus Antistes, non consistat in plateis ad tripudiandum, non in atrio domus ad fabulandum, non in fenestrâ ad procandum; sed *in lateribus domus* contineatur. Talis vitis *S. Anna* exstitit, de qua jure usurpare possum illud, quod D. Zeno de Susanna: *Nec videri, nec videre volebat: corpus sine umbra gestabat*, quia nunquam in solem prodibat. Si vitis in plateâ, qualem ante fores quandoque conspicimus, unus transeuntium aufert palmitem, alter carpit botrum, alius decerpit uvam præcocem, atque hinc fit, ut tempore vindemiæ, Dominus nullum fructum inveniat. Uxor quæ vitis est, si pampinos suos foras emittat, & filias evagari, ac expatiari sinat, de ejusmodi vite Deus apud Prophetam jure quæritur: *Expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas*. Labrusca, inquit Cornelius, est vitis agrestis, quam Plinius, insanam vocat, *& proventu evanido luxuriat*. Hugo Cardinal. labruscas dicit *qua in alto viatoribus eminent*, & nullos fructus, sed luxuriantes pampinos in crinibus, in flabellis, in thetistris, calamistris, in aliis vanitatibus proferunt, *& viatoribus eminent*, à quibus immaturæ, & præcoces uvæ carpuntur. Totum hoc vitium in vite est. Chrysostomus non modo divinorum, sed & naturalium sagacissimus explorator, sic ait: *Solent plerumque filiola ad rationem educationis compon, & mores imitari maternos*, quus cum lacte suxerunt, & sub quarum disciplinâ versantur: si mater garrula, & vaga, quietis impatiens, non valens in domo consistere pedibus suis, & intra latera cubiculi se continere, filiam similem sibi educabit. Ut rectè observat S. Vincentius:

Mater venalis, docet ut sit filia talis.

Hoc & gentilis Poëta notavit:

Scilicet expectes ut tradas mater honestos,
Aut alios mores, quam quos habes?

Scilicet expectes, ut in familiâ, ubi assidua jurgia, execrationes, imprecationes, blasphemiæ, sermunes absceni, lasciva colloquia, & amatoria tripudia, filia honesta, verecundo ore, & more sit? falleris, inquit Magnus Præsul Mediolanensis Ambrosius, Herodiadem matrem perstringens his verbis: *Quid potuit filia de adultera matre discere, nisi damnum pudoris?* Quid poterit filia de garrulâ matre discere, nisi garrulitatem? quid poterit filia de otiosâ, & segni matre discere, nisi otium, & segnitiem? quid poterit filia à matre prodigâ, & temulentâ discere, nisi prodigalitatem, & temulentiam? quid poterit filia à matre zelotypâ, salaci, & lascivâ discere, nisi omnem venerem, & lasciviam? quo adeo experientiâ verum, ut in proverbium vertendum, Sanctus Vates Ezechiel vaticinatus sit: *Ecce omnis qui dicit vulgo proverbium in te, assumet illud dicens: sicut mater, ita & filia ejus*. Ubi Hugo Cardinal. quod proverbium: *Matrem sequitur sua proles*, ut in bunum sensum quidam interpretentur, & matribus familias argumento, & documento sit, Sanctissimam *Matrem Annam* sibi in exemplar proponant, de quâ celeberrimus Abbas Trithemius: *Quid amplius requiris? nunquid sufficit ad matris declaranda merita, tam excellens ab infantiâ, filia vita? si* ANNA *nonsuisset sanctissima, filiam tam diligenter, & devotè ad Dei honorem non instituisset.* QUALES MATRES, TALES ET EARUM FILIAS NOVIMUS INSTITUTAS. Hæc mystica vitis in lateribus domus suæ continebatur, hæc vinea Domini electa, sub eâ sedeamus, ad eam confugiamus. Ad hanc vitem, quacumque in calamitate, necessitate, corporis, aut animæ discrimine recurramus, & quiescamus securi: nam ut appositè Richardus à S. Laurentio: *Vitis umbram gratissimam ministrat, cuius valde lata in foliis, & de hac umbratione dicitur Michea 4. Sedebit vir subter vineam suam, id est requiescet, & securus erit, per protectionem* (B. Annæ) *quæ data est in protectionem & refrigerium, & hoc designatum est.* 1. Machab. cap. 14. *sedit unusquisque sub vite sua, nec erat qui eos deterreret.* Hæc certè vitis præstat aureæ Xerxis Platano, quam Xenophon ridet, non potuisse vel uni cicadæ umbram facere. Ast S. Anna vitis uberrima protegit, & omnes ad se confugientes affectu materno, & ulnis suis velut pampinis complectitur. Audite rem inauditam, pluribus ac peritis auctoribus comprobatam. *Gregorio* V. Pontifice Max. & *Stephano* Hungariæ Duce postea Rege, in urbe Nuceriâ populosâ & opulentâ, *Emericus* consulis potentis filius, parentibus postiferâ lue sublatis, ex asse heres, anno ætatis vigesimo, per vitam licentiosem, filii instar prodigi, omnem substantiam decoxit, & cœpit egere. Affines & propinqui, despectui habebant, atque ipsum numen manifesto sibi adversari sentiebat. Hinc ventorum turbines magnificas ædes everterant, inde fulmina fruges & horrea incenderant. Eluvies aquarum jumenta hauserat, ingens ubique vastitas, & calamitas. Concurritur à creditoribus, urgentur debita, pignora, omnisque supellex in solutionem diripiebatur. Nudus, exutus omnibus, secum anxius, & propè desperabundus deliberat; quo me vertam? *quid faciam? fodere non valeo, mendicare erubesco*, eo fugiendum est, ubi ignotus degam; statuitque peregrini specie ad S. Jacobum, Compostellam tendere, ac stipem emendicare. Sumpto igitur baculo, clam urbe elabitur, atque ut amaro erat animo, primo ab urbe lapide, se in genua aperto campo conjicit, atque in lachrimas solutus, hisce verbis ardentissimè Deum precatur: Pater misericordiarum, agnosco me, eheu, miserrimum peccatorem, de offensâ intimè doleo, & licet indignus qui exaudiar, precor tamen infinitam clementiam tuam, si quis in cælis Sanctorum, afflicti homuncionis, & miseri peccatoris adjutor, & patronus, te præstante, mihi subveniat. Tu enim nosti opprobrium, & confusionem meam. Revela mihi ad quem divorum me convertam. Nec mora, peccanti S. Jacobus, quem

S. Anna viti comparatur.
S. Zeno serm. de patient.
Isa c. 5. v. 2.
Corn. in Isa. cit.
Hug. ibid.
Chrysost. hom. 10. in epist. ad Coloss.
Prov. 7.
S. Vincent. Ferr. ser. in Nativ. B. V.
Juvenal. Satyr. 6.
Ambr. lib. de Virgin.
Ezech. 16
Hug. Car. hic
Trithem. de laudib. S. Annæ cap. 1.
Ad S. Annam, quasi sub vitem confugiendum.
Richard. à Sancto Laur. de laud. B. Virg. lib. 6.
Xenoph. lib. 7.
Trithem. c. 10. de miraculi S. Annæ Dorland. in vita.
Nicolaus Simonis de mirac. S. Annæ cap. 9.
Pelius exeget. hist. S. Annæ cap. 16.
Ioan. à S. Cyrillo matre honorificata cap. 35 §. 8
Perditus juvenis justus ad vitem quæ vinum viæ protulit, confugere, mirabili eventu, patrocinium & auxilium invenit.

quem impensius in vitâ coluerat, peregrini habitu se illi sistit, eumque sic affatur, & solatur: Quid fles chare juvenis? quæ causa mæroris tui? & quo tendis? Cui cùm extremam, qua conflictabatur penuriam, exposuisset, edixit Apostolus si præsens in necessitate tuâ quæris auxilium, D. Annæ implora patrocinium: *Illam cole* VITEM PRÆSTANTISSIMAM, *unde profluxit* VINUM LÆTITIÆ, *& vita æterna.* Hæc consolatrix afflictorum, egenis subsidium, tentatis refugium, ac refrigerium: neminem in se sperantem repellit: Illa suis meritis, & precibus, à Jesu Christo, nepote suo auxilium, & solatium impetrabit. Quibus verbis adolescens erectus, cum edoceri peteret, quomodo grates, & efficaces *S. Annæ*, honores impendere posset, hoc responsi accepit: Singulis feriis tertiis (qua *Beatissima Anna* nata, & mortua fuit) summâ devotione, & fiduciâ tertiò Dominicam orationem, & salutationem angelicam recitabis, atque cereum ante ejus iconem accendes. Fac hoc fili, & voto frueris. His dictis Apostolus disparuit. Adolescens jam spe plenus, viam insistit, atque ad proximam civitatem, *Pochem* nuncupatam, divertit, ubi opportunè apud presbyterum aliquanto commoratus, effecit ut sumptu præstans, & formâ elegans D. Annæ statua efformaretur, quam indies cereo accenso honoravit, atque in hujus cultus memoriam, tria hæc augusta Nomina: JESUS; MARIA, ANNA, parietibus, valuis, varijsque locis exarar, ut & omnium cordibus eorum affectus insculperetur. Inde digressus, navem conscendit, mare traiecturus, ubi exortâ derepentè horrendâ tempestate, omnibus desperatis, naufragium imminebat, ac singulis suos divos tutelares nequidquam conclamantibus, nil nisi luctus, & plurima mortis imago oculis obversabatur. Hæc inter assurgit juvenis, atque ingenti cum fiduciâ in genua pronus, altâ voce ingeminabat: *S. Anna* succurre misero. Vix finierat, & ilicò posuere venti, tempestas desedit, malacies omnium cum admiratione, & gaudio reddita est. Aderat in discrimine Rex, qui probitate juvenis, ac simul paupertate intellectis, eum sibi familiarem fecit, & de victu, & amictu posthac securum reddidit. Incrementum ex eo sumpsit fervor ejus, in Dei genitricis Matrem, ad cujus honorem, imaginem in eminentiori parte urbis, ubi ab omnibus conspici, & coli posset, ipse (ut peritus erat) depingere statuit: erant lignorum machinæ ad scandendum opportunæ, altitudine cubitorum 60. quibus innixus, effigiem S. Annæ efformavit decoram, cum Virgine Matre, & ejus prole divina: subscripsitque uncialibus litteris aureis: S. ANNA *succurre nobis*, cum filiâ, & nepotulo Jesu. Absoloto opere, ubi manum de tabulâ tulit, descensum parat; At invidus orci genius, excito extemplo ventorum turbine, omnem machinam difflat, & dissipat. cunctis inspectantibus, ad præcipitium juvenis inhorrescentibus; qui suam solitâ prece inclamans patronam: S. ANNA *succurre mihi*, continuò quod nullum humanum nequivit præsidium, D. Annæ sensit obsequium, quæ depictam amictus sui fimbriam cadenti porrexit, ex qua velut palmes è vite pendulus hæsit in aëre, ad evidentius prodigij miraculum, & illustrius D. Annæ præconium, bene longo temporis spatio, donec stupendi novitas miraculi ad aures Regis Hungariæ perveniret, cujus jussu machinâ instauratâ descendit illæsus, multoque auro & argento à Rege ditatus, natale solum revisit, creditoribus satisfecit, ædes paternas, in S. Annæ convertit, ac censu annuo in ejus laudes dotavit. Vixit annos 70. vir magni consilii, ac probatæ vitæ, factus non tam civium consul, quam Regi à secretis: cultus festique *S. Annæ* per omnes Regni Ecclesias, potens zelator, cui in extremis JESUS; MARIA. ANNA. apparuere, atque animæ ipsius securum, ac lætum exitum contulere. Omnem prædictæ rei gestæ seriem, toti mundo testatam reliquit, ac scripto firmavit Reginaldus, juris utriusque Doctor, ac Stephano Hungariæ Regi à secretis, præter irrefragabiles eruditione, & sanctitate vitæ auctores supra citatos. Ex quibus omnibus perspicuum est, qui ad hanc mysticam vitem, in quavis necessitate confugerit, auxilium, præsidium, ac patrocinium se consecuturum. Nunc si lubet è vite fructum, & botrum Mariam ac suavissimum quod inde nobis mustum fluxit proponamus. Atque ex hisce matrem Annam velut ex fructu arborem cognoscamus juxta illud Evangelistæ:

S. Jacobus suadet juveni ad S. Annam recurrere.

Juvenis statuam S. Annæ effingi curat.

A tempestate, & naufragio, ope S. Annæ liberatur.

Juvenis sua manu S. Annæ tabulam pingit.

Eum dū dæmon præcipitare conatur imago porrectā veste servat.

§. I.

Arbor de fructu suo cognoscitur. Lucæ 6.

S. Damascenus oratione 1. de Nativit B. Virg. ANNA *uvam suavissimam protulit.* Unde inquit *nos tibi gratulamur, O beatissima fœmina; quia maxime dignum est, eam laudare, quæ tantum nobis* FRUCTUM *edidit, ex quo* DULCIS JESUS *prodijt.* Duæ matres sunt quæ à fœtu, à fructu suo omnem felicitatem, omnem dignitatem accepêre; *Maria* de qua natus est *Iesus:* & ANNA de quâ orta est MARIA. MARIAM Beatam prædicavit Elizabeth Lucæ 1. *Beata quæ credidisti.* Applaudit mulier de turba Luc. 11. *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Beata sane, ac ter quaterque beata MARIA, quia portavit, lactavit, & verbo concepit filiū Dei. Felix quoque ANNA, quæ talem filium parturivit, & ubere lactavit. *Verè Beata, ac ter beata*, ut dixit Damascenus. Beatissima Virgo ter beata, quia portavit, lactavit, & peperit prolem simul mundo & cælo, teste eodem Damasceno, *beatitudine donatam.* Gaude & tu, O Mater ANNA, quæ MARIAM simul mundo peperisti & cælo. Christus in hunc mundum venit beatus, cum à primo conceptionis instanti ejus anima Sanctissima, divinâ visione frueretur. Sunt & celebres Doctores (quos apud

S. Damascen. orat. 1. de nativit B. Virg.

Idem. orat. 2.

Luc. 1.

Luc. 11.

Damascen. orat. 2. de nat. B. V.

Ioannes à Sancto Cyrillo de S. Anna c. 21.

pud Joannem de S. Cyrillo videre est) qui affirmant Deiparam adhuc Annæ utero clausam, beatificâ divinæ essentiæ visione donatam. Unde Damascenus, gloriosè Annam beatificat, dicens: *verè beata, ac ter beata,* QUÆ BEATITUDINE DONATAM A DEO INFANTEM, *hoc est* MARIAM, *nomine quoque ipso magnopere venerandam, peperisti.* Beata & ter beata mater, quæ (non ut alii parentes prius, & potius, ut Bernardus loquitur, peremptores) prolem in gratiâ concepisti, & lucem edidisti: *ex Sanctitate prolis* inquit Trithemius serm. 2. de S. Anna, *quæ aurè fuit Sancta quam nata, & numquam peccati labe infecta, colligitur quam castus fuerit matris uterus, in quo proles hac benedicta requievit. Verè beatus venter, O Virgo, qui te portavit.* Quod si Divo Hieronymo de matre SS. Iuvenum Eusebii & Chromatii dicere licuit: *verè venter aureus potest dici, qui tales vos genuit;* nonne potiori jure id de Annâ prædicandum, quæ talem filiam mundo protulit? Libet itaque exclamare: *O verè beatus venter, in quo formatus fuit fætus Sanctissimus! O beatum ventrem, qui virum calum, ceu ipsis latius peperit.* In similes voces protrupit Doctor Seraphicus, Deiparam alloquens: *benedictus est venter, qui te portavit: & benedicta sunt ubera, quæ te lactaverunt.* Sed nunc cœptum prosequamur. Damascenus sic Annam exultantem inducit: *Benedictionis* FRUCTUM *uberibus meis ut opraveram nutrio,* ex quibus virguncula, quasi botrus è vite pependit, atque ut vitis, teste Lyrano, omnem succum botro communicat, ita Anna, MARIÆ infanti lac cælitus, ut Greg. Nyss. Germanus, aliique loquuntur, concessũ, in alimentum infudit. Libet iterum exclamare: *O beata ubera, quæ ejus qui mundum nutrit, nutrire lactaverunt!* beata profectò *Anna ubera,* quæ Regina cæli, domina mundi, & Dei mater virgineis labellis toties suxit, infantilibus & tenellis manibus pressit, & contrectavit. *Beata ubera,* quibus eam nobis aluit, quæ Salvatorem & genuit, & lactavit. Lac matris Annæ, in filiâ MARIA vertebatur in carnem, & sanguinem, qui postea à verbo assumptus, in nostri pretium expensus est; *manat porro liquor ex uberibus Virginis, & in carnem vertitur Salvatoris.* Quid, quod Aloysius Novarinus, eruditus auctor, & Christophorus de Vega, gravis Theologus, piam hanc sententiam astruere non dubitarint, in *Anna* gratiam fieri potuisse, ut Dei filius, in Virginis Mariæ utero carnem assumens, aliquam illius substantiæ particulam sibi unierit, quam ipsimet parentes Mariæ Corpori formando exhibuerunt, quo hi magis eum Christo suo nepote conjungerentur; ex qua conjunctione, consequenter major gratiæ, cœlestiumque donorum portio in eos dimanaret. Quod non video (inquit Vega, in Theologiâ Marianâ) Philosophiæ omnino, aut rectæ rationi repugnare. Atque adeò si ita esset, consequenter dici posset, in Christo Domino sub Eucharistia delitescente, reperiri aliquam particulam, quæ aliquando ab animâ D. *Anna* informata fuerit; quod cum nec Scripturæ, nec Patribus nec rectæ rationi refragetur; tum alio ex capite, pietati Christi in avum, & aviam, atque ipsam Deiparam conforme videatur, non est quod omnino explodatur. En quanta *Anna* dignitas, quanta sanctitas à fructu, quem lactis sui succo nutrivit. Quod ut altius animis vestris infigatur, Serlogum nostrum de *Anna* laudibus differentem audiamus, qui ubi hunc titulum posuit: *Maria sugendo ANNÆ ubera, & ipsa præbendo filio suo Iesu ubera, plus meruit, quam Martyres rivos sanguinis fundendo,* disserit: Infusâ est purissimæ animæ Mariæ, à primo exordio tanta gratia, quantam nemo Sanctorum, longissimo vitæ spatio, per quosvis heroicos vitæ actus, adeptus est. Hanc duplicabat quocunque opere, & dormiens, & vigilans nundinabatur semper, numquam ab ardentissimo amandi studio, & divino gratiarum lucro cessans, etiam à genetricis *Anna* collo pendens, quasi botrus è vite, aut sinu admota, balbutienti labio mammam implorans, Martyrum agones vincebat, fortiorque ejus charitas, ardentior flamma, cum ob Dei encomium ex amore æterni numinis sugebat maternum pectus, ludebat cum gerulis, infantiam exercebat, quam Laurentii memoranda passio, toto exusto latere, cruenta Bartholomæi excoriatio, Pauli Neronianus gladius: gratia etenim qua filia *Anna*, & *Dei Mater* excellebat, præ omnibus Sanctis digniorem reddebat. At ubi botrus hic Maria, sejunctus ab ubere Matris *Anna*, filium suum *Iesum* suis Virgineis uberibus, quasi botrus lactavit, quid ni lacte suo, omnium Martyrum sanguinem meritò superavit. Ita porro Hailgrinus Cardinalis in illud Cantici: *Statura tua assimilata est palmæ, & ubera tua* BOTRIS, ubi sic ait: *ubera tua* BOTRIS *assimilata sunt, in quo mirabilis prærogativa merendi demonstratur in Virgine, quæ non minus meruit sumendo lac de uberibus suis ad nutrimentum filii, quam Martyres, qui per* BUTROS *figurantur, meruerunt fundendo sanguinem suum in Martyrio: omnium enim operum merces, secundum radicem charitatis pensatur.* Sed cur æterna Dei sapientia, cælestis Sponsus, ubera botris comparat, dicens: *meliora sunt ubera tua botris?* Richardus à S. Laurentio hanc reddit rationem: comparantur ubera B. Virginis *botris vineæ*: Ex uberibus enim exprimitur lac, & ex " *botris vinum,* quod hominem lætificat, & inebriat, & facit obliviosum, & facilem ad condonandum irrogatas sibi injurias, & largum " ad danda grandia. Omnino siquidè in hunc " modum lac, quod sancta labia Domini expresserunt, & traxerunt à maternis uberibus, " ipsum delectavit, & quadâ inenarrabili dulcedine inebriavit, ne recordaretur de cetero; " sed facile nobis condonaret irrogatas sibi " injurias, & largiret nobis daret gratias, " & virtutes in præsenti, & in futuro gloriam sempiternam. Quæ summa divinæ " benignitatis, & largitatis beneficia, ut Virginis uberum Mariæ botris accepta referenda sint; non exiguam tamen ad S. Matrem Annã, sicut botrus ad vitem, relatione & connexione habent: Atque omnis Mariani fructus excellentia,

Marginal notes (left column): *Hieron. Epist. 43.* — *Damasc. orat. 1. de nat. B.V.* — *Bonavent. in Psal. 117.* — *Damasc. orat. 2. de nat. B.V.* — *Ioan. à S. Cyrillo de S. Anna. c. 24.* — *Damasc. orat. 2. de nat. B.V.* — *S. Pet. Damian. serm. 2. de nat. Virg.* — *Novarin. umbra Virg. n. 1503.* — *Vega Theol. Mariana. Palest. 21. n. 1484.* — An aliquid carnis & sanguinis S. Annæ per Virginem Mariam Christo communicatum, in S. Eucharistia existat?

Marginal notes (right column): *Serlogus tom. 1. Antholog. 8. lec. 1.* — Deipara plus meruit filiũ lactando, quam Martyres gravia tormenta tolerãdo. — *Hailgrin. in cant. c. 7.* — *Cant. 7.* — *Richard. à S. Laur. l. 3. de laud. Virg.* — Ubera Virginis Mariæ botris comparantur.

lentia, ac præstantia, in Annam arborem, quæ produxit, copiosè redundat, juxta illud Lucæ 6. *unaquaque arbor de fructu suo cognoscitur*. Communi parœmia ventilatur, quamque volucrem è plumis suis cognosci: his ardeam, aquilam, cygnum, psittacum, noctuam, picam, upupam discerni. Hominem ex voce cognoscimus: *vox sua quemque sonat*. Et quemque sua *loquela manifestum facit*. Ex hac dignoscitur an quis Francus, an Hispanus: an Germanus, an Jtalus: an Anglus, an Belga. Monachus ex habitu cognoscitur: Ex hoc Minoritas, Carmelitas, Augustinianos, Dominicanos esse asserimus. Verum hæc ex plumis, ex linguâ, ex habitu Religioso cognitio, aut potius conjectura, minus certa, & sæpe fallibilis est; cum reperire sit, diversas speciei aves, quæ plumis omnino concolores sunt, ut falco & bubo, corvus & monedula, pica & hirundo. Sic ex idiomate aliquem Jtalum, Hispanum, Francum judicas, & falleris, Belga est, qui per plures annos in ijs Regionibus versatus promptè eorum linguam percalluit. Vir Religiosus ad partes heterodoxas profecturus sæculari habitu, à te sæcularis habetur, & falleris. Cappa, ut vulgo jactatur, non facit monachum. Et reperire est diversæ Religionis, & instituti, qui habitu vix differunt, ut nostri & Theatini, alijque in Jtalia PP. Augustinianos à Dominicanis domi vix discernas. Ex his itaque fallibilis conjectura, & fallax sæpe cognitio est. At quod *unaquaque arbor de fructu suo cognoscitur*, æternæ veritatis effatum est. Divinè hoc exponens Doctor Angelicus: *fructus*, inquit, *qui causatur ex arbore, facit notitiam arboris; eo quod distinctio per fructum apparet*. Sic malum à pyro, prunum à persico, amygdalum à ceraso, olivam à vite *de fructu suo cognoscimus*, discernimus, pensamus, & æstimamus. Ut rectè D. Amedæus: *Omnis arbor ex fructu dignoscitur, & ex propriâ virtute pensatur: ut palma ex dactylorum suavitate, vitis ex omni liquore, oleaster ex olivæ pinguedine*. In arbore est amæna quædam foliorum viriditas, & florum nitor, & gratia: Est & quæ primum spectatur, & à quibus unicè commendatur, fructuum ubertas. Ab hac petitur arboris bonitas, laus & pretiositas, ab alijs non item: A folijs enim nulla ducitur laus arboris, quia utilitas nulla, citò decidunt, & arescunt. A floribus etiam exigua, imo cælo judice nulla; quia natura arboris non se aperit in flore; sed tamdiu latet, quamdiu in fructus sese explicat. Secundo, quia verno tempore, aurâque benigniore multi erumpunt flores, amænissimo coloni spectaculo, qui deinde vento, aurâque severiore, turbine, aut grandine decutiuntur, ut sæpè pauci remaneant ad fructus. Quod arbori, hoc homini, qui arbor inversa dicitur, usvuenit, cujus rationem S. Bernardus hanc assignat: *Physici dicunt hominem esse arborem inversam, eò quod nervi corporis, radicem & initium in vertice habeant. Ego illo potius sensu interpretor, quod radicem amoris, & desiderij figere debeat in cælo: qui illuc radices miserit, & ab illo fonte æterno succum vitæ, & gratiæ, jugiter biberit, non timebit cum venerit æstus judicij*.

[Margin: Luc. 6. — Arbor ex fructu cognoscitur. — Matt. 26. — Luc. 6. — S. Thom. in Luc. c. 6. — Amedæus. hom. de laud. Virg. — Bern. serm. 2. de S. Benedicto.]

Et passim homines à SS. Patribus arbores nuncupantur. Hugo Cardinalis: *Arbor bona, vel mala, est ipse homo; inde gracè dicitur ἄνθρωπος, id est arbor inversa, quia radices habet superius, id est capillos in capite, id est cogitationes in cælo, sive in Deo. Radices sunt cogitationes, & affectiones, quæ non videntur. Folia sunt verba, fructus sunt opera*. Theologorum Phoenix Aquinas: *Arbor est ipsa anima, id est homo: fructus verò opera hominis*. D. Hieronymus eâdem utitur similitudine: *Omnes homines arbores dicuntur, sive bonæ, sive malæ: & fructuosæ, sive infructuosæ, sicut Dominus in Evangelio ait: facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, quia de fructu cognoscitur*; Non cognoscitur arbor bona ex folijs, nec homo ex veste, ex ornamentis, ex verbis, alijsque vanitatibus, ceu cortice, ceu folijs. Inutiles, & infructuosæ arbores sunt, quæ solis folijs luxuriant. Hugo Card. cit. *communiter tam arbor bona, quam mala, folia habet. Sic verba bona, & benecomposita, & etiam opera quædam exteriora, ut est jejunium, oratio, habitus, habent tam boni, quam mali, unde nec ab his discerni possunt*. Disertè de Deo loqui, de perfectione copiosè discurrere, eloquenter è suggestu dicere, concionem frequentem ciere, si seipsum commendet, & plausum, ac laudes populi spectet, quot verba, tot folia protulit. Sic de laudibus humanis Hipponensis Præsul sensit, dicens: *Istæ laudes vestræ folia sunt arborum, fructus quæritur*. Idem ejusdem de titulis, honoribus, & dignitatibus sæculi, judicium est: *Honores* inquit, *folia sunt, vespere decidunt, & arescunt. Et sicut folium quod vento rapitur, tale quoddam genus est hominum, quale est foliorum*. Folia sunt opera vana, temporalia, & ad vitam æternam inutilia. Quot folia chartæ tu mercator in libris rationum, in apochis insumpsisti? Quot folia chartæ tu causidice in publicis tabulis, in contractibus, in codicillis, in litibus exarasti? Quot folia chartæ, tu Adolescens, in studiis humanioribus, philosophicis, jure sacro & profano conscripsisti, ut ad pingue officium, aut beneficium gradum faceres? Quot tu vir nobilis folia chartæ in aulicis negotiis, in amatoriis litteris impendisti? *Quem verò fructum ex his retulistis, in quibus nunc erubescitis?* optandum sanè ut ejusmodi arbores, quæ non nisi folia proferunt, facerent *fructus pænitentiæ*, ut ille secretarius Franciæ, cum jam *securis ad radicem posita esset*, de quo alias egimus. Sed erit fortè qui objiciat illud Matth. 7. *Non potest arbor mala, bonos fructus facere* ergo nec peccator fructus pænitentiæ, & bonorum operum. S. Hieronymus lib. 2. in Jovinianum, sumens refellendam hanc objectionem excucullati illius, respondet: *Si hoc ita est, quomodo Paulus cum esset arbor mala, persequens Ecclesiam Christi, fecit postea fructus bonos: & Judas cum esset arbor bona, signa faciens cum Apostolis, postea versus in proditorem, fecit fructus malos?*

[Margin: Homo arbori comparatur. — Hugo Card. in Luc. c. 6. — S. Thom. in Matt. c. 7. v. 19. — Hieron. in cant. hom. 3. Stipare mamalis. v. Arosiū de confess. l. 4. vol. 2. p. 1103. — V. Perard. dom. 5. Pascha. — Rom. 6. v. 21. — Matt. 3. v. 10. — Quomodo arbor mala possit bonos fructus facere. — Hierony. lib. 2. contra Jovinia.]

Malos? Tamdiu ergo nec arbor bona malos fructus facit, nec mala bonos, quamdiu vel in bonitate sua, vel in malitia perseverant. Planè consentit Isidorus Pelusi[illegible]a, expendens citatum Matth. locum. Illud [illegible]. *Non potest arbor mala bonos fructus facere,* [illegible] tolli pœnitentiam; sed redarguit commo[illegible]onem in consuetudine vitiorum: Nam dum [illegible]a est, non pôtest fructus ferre bonos; ubi vero mutata fuerit, atq; conversa ad virtutem, tunc feret, uti Petrus, Paulus, Magdalena. *Facite* ergò *fructus pœnitentiæ*, fructus misericordiæ, fructus honoris & honestatis, fructus bonorum operum; ne si cælestis colonus inveniat nisi folia, maledicat arburi, excidatur, & in ignem mittatur:

Aug. in ps. 51. enarr. 2.

Nam talem arborem fici, inquit Augustinus, *quando vidit Christus, maledixit, & aruit: vidit sola folia, id est sola verba, absque fructu.* Solerter observat idem Doctor quod *columba portans rāmum olivæ virentibus foliis,* non nuda folia, sed & *fructus fuisse,* quibus Deus delectatur, non foliis; nec *ex illis arbor bona, sed à fructibus cognoscitur;* non etiam ex floribus, id est ex iis quæ pollicentur, ac spondent.

Lobbet. gloria. Patriarch. p. 30. Hugo. cit.

Chrysolog. serm. 97.

Aureè Chrysologus: *Flores multi, multitudinem fructuū pollicentur; sed exanimati ventorum flabris, ad fructum paucissimi perseverant.* Sic credentes in Christo multi: sic in prima ætate pueri, ac puellæ, probi ac integerrimi m[illegible]lti florent, & spē uberem fructuum faciunt; at ubi vanitatis aura, aut tentationis rubo afflarit, omnis flos primi candoris, omnisq; fructus vitæ maturioris evanescit, & marcescit.

Deus amat flores qui ad fructum perveniunt.

Ardenter quidem amat cælestis sponsus primævos illos adolescentiæ flores; sed unicum ejus votum, ut ad fructum perveniant. Cant. 7. *Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si* FLORES FRUCTUS PARTURIUNT.

[illegible]go Card. [illegible] ant. 8. v. 12.

Nostis qui flores sint? Hugo Card. *Flores sunt sancta vota, & interna desideria, cujus aliqua signa exteriùs apparent,* qualia multi in juventute sua, in primo tirocinio Religiosi, & Deo devotæ concipiunt, qualia in æstu ardentis meditationis proponunt; sed anhelat sponsus ut videat SI FLORES FRUCTUS PARTURIUNT, *id est, si bonū propositū sequatur opus bonum;* UT FRUCTUS SINT, *virtutum soliditas, & spiritualium charismatum ubertas, quæ operibus exterioribus se extendunt;* qualia desideria, & proposita virgunculæ Mariæ, filiæ Annæ, cujus copia florum, in ubertimos & pulcherrimos fructus progerminarunt.

Hugo cit.

Nolim hic inducere puellulas cerussatas, crispatas, calamistratas, flosculos vestros, ex quibus nullus fructus sperandus est, & cujus forma *quasi flos egreditur & conteritur,* concludo cum Hugone Cardinali, sæpiùs citato: *Non ex* FOLIIS, *nec ex floribus arbor cognoscitur,* SEU EX FRUCTIBUS *æstimatur,* & jure gloriatur.

Hugo cit.

S. Cyrill. l. 2. apolog. c. 23.

Facit hic non infacetus Apologus D. Cyrilli: spina, inquit, florebat, & ficus ante eam frondes, ac grossos suos producebat: cui mox tumefacta ex floribus spi„na, dixit: ficus, *ubi sunt flores tui?* Ar illa respon„dit: Spina, *ubi sunt fructus tui?* Tum spina: „non dedit mihi natura fructus; neque mihi „subjecit ficus, flores addidit. Verùm cùm flos „derivetur in fructum, *melius est sine flore, fru„ctum producere, quàm fructu privatum florere.* Attamen quia non floreo fructum suavissimum gigno. Hic campos latissimus patet divini verbi præconibus (tempus mihi non suppetit) excurrendi, & perstringendi spinas illas in divitiis, in deliciis florentes, quæ fructum nullum bonorum operum progignunt, ad nihil aliud valere, quam *ad comburendum:* talis enim omnis arbor, inquit S Gregorius; *paratam gehennæ concremationem invenit, qui hic boni operis* FRUCTUM *facere contemnit.*

S. Greg. apud D. Thom. Matt. 3. v. 10.

Brevissimè, & verissimè Doctor mellifluus: *Non ex foliis, non ex floribus; sed* EX FRUCTU *arbor bona, malave dignoscitur.*

Bern. epist. 106.

Quare exemplo sanctæ Annæ, facite fructus bonorum operum, facite *fructum vestrum in sanctificatione,* facite *fructus Spiritus,* qui sunt *charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, mansuetudo, continentia, castitas.* Facite FRUCTUM CENTUPLUM. Satagire, *ut* FRUCTUM PLURIMUM *afferatis, &* FRUCTUS *vester maneat.* Facite FRUCTUS JUSTITIÆ & misericordiæ, hæc *facient* FRUCTUM SURSUM, in omnem æternitatem duraturum.

Rom. 1. v. 22. Galat. 5. v. 22. Luc. 8. 8. Ioan. 15. v. 16. Iac. 3. 18.

Talem Anna fecit in prolixis precibus, devotionis lacrymis, pietatis, misericordiæ, & omnium virtutum operibus. Ut fusè videre est apud Joan. à S. Cyrillo.

Ioan. à S. Cyrillo. de S. Anna.

Ad hoc libet vos hortari non meis, sed aureis Divi Chrysostomi verbis: *Nulla sterilis sit arbor; habes divitias, ne planta salices: Talis est enim voluptas, multa insumit, & nullum in se ostendit* FRUCTUM, *sed perdit. ne plantes populum, nec tiliam, neque aliam talem, quæ sumptum quidem postulant;* FRUCTUM *verò negant. Tales sunt vestium delicia, pulchra aspectu; cæterum inutiles. Imple arboribus omnia utilia: planta in pauperum manibus, quæcumque volueris, nihil hâc terrâ pinguius. Hæc arbor quando mortuus fueris,* FRUCTUM TIBI AFFERET in vitam æternam, & centuplum, & millecuplum, & ex his fructibus arbor bona cognoscetur:

Chrysost. in acta c. 10. hom. 22.

Quia omnis arbor bona, BONOS FRUCTUS FACIT; ubi Bonaventura: *Bona arbor, est bonus homo,* BONUS FRUCTUS *bona vita.* FRUCTUS *autem bonitas probatur utilitate, multiplicitate, delectabilitate, durabilitate. Utilitas in retributione: multiplicitas in operatione: delectabilitas in devotione: durabilitas in consummatione, & perseverantia additur.*

Bonaventura dom. 7. post pent. serm. 3.

Fructum autem cælestis agricola requirit, non unum aut alterum; sed uberrimum, quod probat ex illo Joan. 15. *In hoc clarificatus est pater meus, ut* FRUCTUM PLURIMUM *afferatis. parum curares de arbore, quæ non afferret nisi duo vel tria poma: similiter de agro non ferente nisi duo vel tria grana. sic & tu, si non vis contemni à Deo, non paucos, sed multos bonorum operum fructus ferre debes. In omni bono opere fructificantes. Etiam in omni membro fructificandum est. Arbor enim multum fructum habere non potest, nisi in multis ramis:* MULTI FRUCTUS, *sunt multa bona opera; multi verò rami, sunt multa corporis membra!* Certè Maria Magdalena MULTOS FRUCTUS *in multis ramis habuit, quando multa opera bona in multis membris exhibuit: pedibus enim accessit, oculis flevit, crinibus tersit, manu unxit, corde dilexit. Augustinus: lacrymis rigat, tergit crinibus, ungit unguento, quid miraris? Terra dedit* FRUCTUM SUUM. *Fructus delectabilitas est ex colore, & odore, & sapore. Sed fructus bona vita, delectabilitas est,* EX COLORE *pulchra conversationis: quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificata. Aquarum, id est lachrymarum, & adversitatum. Item* EX ODORE *bona opinionis;* FRUCTUS ODORIS, *& honestatis per effectum. Item* EX SAPORE *mellisflua devotionis; sicut apis colligit fructum de floribus diversarum*

Ioan. 4. Sap. 6. Bonav. dom. 7. post pent. serm. 3.

Eccl. 39.

rum arborum. de quarto: posui vos ut FRUCTOS VESTER MANEAT. *Manere, est durabile esse, ut non citò putrescat per vitium, vel pereat sicut fructus Ægypti psal. 77. dedit arugini fructus eorum, & labores eorum locustu, & occidit in grandine vineas eorum. In arugine, luxuria: in locusta, superbia: in grandine, avaritia intelligitur. Si ergo vis* FRUCTUM TUUM MANERE, *debes Ægyptum, hoc est mundum fugere. Chrysostomus: sicut difficile est arborem juxta viam positam fructum suum usque ad maturitatem servare; sic difficile est virum fidelem juxta mundum viventem, in actibus suis justitiam immaculatam usq; ad finem tenere.* Sed quia fructus vel boni, vel mali, ex ramis dependent, observandum est, in quam partem rami se distendant, & pondus inclinet. Scire vis, quod plures appetuot, quâ morte, quo fato, quo casu, tu, quo filiæ tuæ extremum clausuræ sint diem? arborem attende, ubi casura sit, *ad austrum, aut ad aquilonem.* Aculeum hîc stringit apis Claravalleosis: *Homines sicut arbores vidit aliquis; exciditur autem arbos in morte. Videat quo casura sit, antequam cadat: quia postquam ceciderit; non adjiciet, ut resurgat, sed nec ut se vertat. Quo verò casura sit arbor, si scire volueris, ramos ejus attende, unde est major copia ramorum, & ponderatior, inde casuram ne dubites; si tamen fuerit tunc excisa. Rami nostri, desideria nostra sunt, quibus ad austrum extendimur, si spiritualia fuerint; si carnalia, ad Aquilonem.* Atque ut Ecclesiasticus ait: *In quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Miraodû à Divo Martioo Turonensi Antistite prodigium patratum legimus: Arborem antiquissimæ superstitioois, quam ferro violare auderet oemo, ne Domini agro umbra ipsa, in qua plurimum Religionis inesse stolidum ac ferox hominum geous arbitrabatur, malè oocerer, ac sueerescentes fidei fruges ureret, magnus ille Antistes excisum ibat. Id cum Pagani, per quam ægerrimè paterentur, obluctari, ac si sacram dus arborem, ac Religiooe Patrum venerandam, ferro attiogere ausus estet, malum interminari. Quid multa? cùm neque de coostantia Martinus, neqoe de pertinacia illi quidquam remitterent, tandèm ita conveniunt, ut se excisuros recipiant, si ruentis pondus in partem, si cæderetur, ruinam certissimè daret. Nec mora, ubi Martinum sub ictu collocarunt, tum certatim securibus iostantes à radicibus exscindunt, & jam iogenti fragore in Dei hominem vasto pondere illum oppressura procumbebat, jam insanientis multitudinis clamor erat exortus; cùm magnus Præsul, crucis expressum in aëre signum opposuit. Res mira! non aliter ac si violentissimis machinis adacta fuisset arbor, in adversam partem rejecta, illos, qui exciderant, improvisa ruina propemodum involvit, & majore adhuc miraculo ab ipsa in quam summo studio, ardentibusque animis tum maximè incumbebat, impietate revocavit. Homiues arborum instar stare, ac ita cadere, ut io quam partem procuboerint, sive ad aostrum, sive ad Aquilonem, ibi futuri sint, sacra doceot oracula. Videte in quam partem cadatis. Multæ hîc arbores in Aquilooem pronæ, & pravorum desideriorum ramis, ac malorum operum poodere proclinant. Prodigio opus, & virtute ex alto, ut in alteram partem cadatis. Ad quod oon minùs potens D. Annæ, quam fuerit S. Martini, patrocinium est, quæ noo uni peccatori jam ad Aquilonem ruituro, & æternum perituro auxiliom cælestis gratiæ, quam Anna sonat, impetravit, & in alteram salutis partem potenter deflexit. Doctor Seraphicus tractans illod Matt. 7. *Omnis arbor quæ non facit, &c.* sic ait: *Voluntas uniuscujusque est arbor mala, vel bona: Et sicut arbor radicatur in terra, sic voluntas in anima: manente integra natura, affectu voluntatis corrumpitur, vel in melius mutatur.* Tum pergit: *Quæ non facit fructum.* FRUCTUS *arboris mala, sunt opera carnis: fornicatio, luxuria, avaritia, &c. quos fructus non nisi mala voluntas facit;* & hanc arborem malam ait Dominus excideodam, & io ignem mittendam. Unde subdit idem Doctor: *Plenum formidine est hoc verbum: Dominus enim sub metaphora arboris infructuosa, quatuor mala ostendit circa damnationem impii. Ostendit quod culpa est inexcusabilis, sententia inevitabilis, pœna interminabilis, gratia irrecuperabilis. De primo dicitur Luca 13. arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, &c. ficus sterilis, est malus Christianus.* FRUCTUS, *quem Dominus quærit, & non invenit, est de quo dicitur ad Ephes. 5.* FRUCTUS *enim lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate. Tres autem anni, sunt tres ætates: puerilis, juvenilis, & virilis, quartus est senectus; sed ecce miser senex non pluit super terram cordis sui annos tres, & menses sex. Utinam saltèm in ultima parte anni, pluviam gratiarum, vel lachrymarum reciperet, ut sic* FRUCTUS FACERE *posset. Circumfoditur, dum Christus propter hominem perforatur, &c. Quicumque post tantas inducias, & curas non* FECIT FRUCTUM, *inexcusabilis est.* De secundo: jam securis ad radicem arborum posita est; securis sententiam significat. O quantus ignis erit, quando omnes steriles arbores ardebunt, sicut patet quando oemus incenditur, & tot millia arborum simul ardebunt: & quantò plures, tantò horribiliùs: *Secundum enim ligna silva, ignis ardescit.* Et ubi est silva in mundo, quæ habet tot arbores, quot sunt peccatores in inferno? sed oe longiùs evagemur, compello vos parentes, qui ut omnis homo rectè arbori assimiletur, propriissimè eo titulo gaudetis, qui generatioois vestræ arborem studiosè excolitis, & indagatis: quales vos sitis, argumento est illud Matthæi: Ex FRUCTIBUS COGNOSCETIS EOS. Atque illud Lucæ 6, quod hactenùs pertractavi, perappositè io vos cadit: *Unaquaque arbor de* FRUCTU SUO *cognoscitur.* Et qualis radix, tales fructus, tales rami, nam ut rectè D. Bonaventora: *mala radices, mali parentes: mali rami, sunt mali filii, & nepotes.* Ex filii, & filiæ institotiooe, qui fructus vestri sunt, optimè de patre, & matre judicatur. Vitis illa terræ promissionis, quæ ut prædiximus, typus S. Aooæ exstitit, quam abundans, quàm fertilis, quàm præstans, & excellens fuerit, non ex verbis, oon ex racemis, aut palmite declararunt; *sed ut ex* HIS FROCTIBUS, ioquiunt, *cognosci potest.* Qoalis Anna vitis extiterit, nullis verbis exponi potest; sed ex fœto, & fructu, ex filia Maria cognosci potest. Unde Aloysius Novarinus, scriptor egregius: scitum est arborem ex fructu cogoo-

Arbor quo casura moraliter exponitur.

Eccl. 11. 3. Bern. serm 49. ex parvis.

Eccl. 11. 3. Joan. Rho. de passione. Dom. c. 18. pag. 443.

Miraculû S. Martini circa arborem excisam.

Bonavent. Dom. 7. post pent. serm. 1.

Idem serm. 2.

Idem ibid.

Eccl. 28.

Cognoscuntur Parentes ex liberis, sicut arbor ex fructibus.

Matt. 7. v. 20.

Bonav. Dom. 7. post pent. serm. 2.

Numer. 13

Novarin. umbra Virg. n. 1299.

Anna ex Maria velut è fructu cognoscitur.

,, cognosci, ut qualis fructus, talis arbor cen-
,, seatur. *Anna*, tanquam arboris, fructus *Ma-*
,, *ria* est, Dei mater. A fructu pendet quam
,, insignis & singularis arbor sit, quæ eam pro-
tulit. Tum subdit: bene, & verè Joannes O-
sorius, celebris per Hispaniam Ecclesiastes:

Osor. in festo S. Annæ

Sicut arborem ex fructu cognoscimus & benedicimus, ita ANNÆ *dignitatem ex* MARIA, *fructu illius cognoscimus.* Nullos bujus arboris Annæ excellentiam plenè intelligit, quia nullus fructus ejus magnitudinem, præstantiam, dignitatem perfectè comprehendit. Tota Mariæ dignitas, hoc brevi, sed summo elogio continetur: *De qua natus est Iesus*; sic & omnia complexus sum, dum dixi: de qua nata est MARIA: Annam peperisse eam, quæ Deum peperit. Quare si de Deiparæ excellentiâ præclarè dixerit D. Amedeus: *Omnis arbor* EX FRUCTU *cognoscitur, & ex propria virtute pensatur. ita nimirum laus nati, Genetricis exuberat, & honorem partus divini puerpera accumulat.* Haud aliter ex fructu, quem Anna peperit, rectè S. Fulbertus ejus dignitatem extollit, dum ait: *Vere beata, & omni veneratione habenda, & quodam privilegio sacro prædicanda mater hujus sanctæ* (Virginis) *quæ omnes antecessit matres in concipiendo, & generando eam, quæ suum, & omnium generaret Creatorem.*

Amedeus. hom. de laudib. Virg.

S. Fulbert. serm. in ortu B. Virg.

Sed ut in scopum præfixum collimemus, & fructum ex arbore cognoscamus, nihil mihi aptius, & accommodatius visum est, quam fructum illum terræ promissionis, in vecte deportatum, vobis proponere, è quo de ubertate terræ, quæ produxit, facilis erit conjectura; cui si *S. Annam* contulero, novo conceptu, qualem *vitem Mariam*, & *Christum Botrum* protulerit, non abs re, variis concionatorum ingeniis videbitur. Sexcentos numerare licet, quos sancta curiositas tenuit, sacros codices pervolvendo, extimas orbis terrarum plagas peilustrando, ut investigare possent, quæ & qualis illa terra promissionis, in quam electus Dei populus introducendus esset, extiterit: quæ omni rerum fertilitate, ubertate, & abundantiâ, lacte & melle manasse perhibetur, ut meritò gentiles Poëtæ, non tam inepte fabulati, quam verè vaticinati sint, campos rectè Elysios nuncupari. Hanc terram Chanaam describere, & quidquid de ea sacri codices, & Ecclesiastici Scriptores comminiscantur, instituto nostro minus accommodum, & prolixum foret enarrare: suffecerit brevem rei seriem à divino historico, & Israëlis Legislatore Moyse dilucidè expositam, non tam verbis subjicere, atque ut ajunt ex ungue Leonem, ex linea Apellem, ex fructibus arborem, solíque ubertatem se cognoscere. Cum Filii Israël impotenti ac impatienti desiderio flagrarent ad hanc terram promissionis possidendam, misit Moses *Principes viros, singulos de singulis tribubus*, de quibus Josephus: *Exploratores eligit duodecim nobilissimos, ex unaquaque tribu unum*; illis autem hæc Moses in mandatis dedit: Ascendite per meridianam pla-

Quæ & qualis terra promissionis.

Numer. 13
Iosephus apud Salian. a. mundi. 2545.
Mos. 82.
Num. cit.

,, gam, cumque veneritis ad montes, conside-
,, rate terram qualis sit: Et populum qui habi-
,, tator est ejus: utrum fortis sit, an infirmus: si
,, pauci numero, an plures: ipsa terra, bona an
,, mala: urbes quales, muratæ an absque muris:

,, humus pinguis an sterilis: nemorosa an absque
,, arboribus. Confortamini, & *afferte nobis de*
,, *fructibus terræ*. Erat autem tempus quando jam
,, præcoces uvæ edi possunt. His auditis ait Philo, ad explorandum proficiscuntur, deducente universâ multitudine, soliciti ne comprehensi luant supplicium, & accipiatur geminum incommodum, virorum tributim selectorum interitus, cum ignoratione rerum, quarum notitia petebatur. Habebant autem secum duces peritos locorum, quos sequebantur in itinere. Cumque appropinquassent finibus, ascenso monte altissimo, contemplabantur regionem magna ex parte campestrem, fetacem hordei, tritici, atque pabuli; montana quoque vitibus, & arbustis, ubique virentia, distinctáque rivis, ac fontibus, adaquandi copiam, ut à radicibus usque ad cacumina, tota latera montium opaca essent continuis arboribus, &c. Hæc Philo. Memores porrò exploratores accepti mandati, de terræ frugibus afferendis, *pergentes ad torrentem botri*, ABSCIDERUNT PALMITEM CUM UVA SUA, *quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis, & ficis loci illius tulerunt.* Itaque reversi exploratores terræ post quadraginta dies, omni regione circuitâ, ve-
,, nerunt ad Moysem & Aaron, & ad omnem
,, coetum filiorum Israël, locutique eis, & omni
,, multitudini ostenderunt fructus terræ, & nar-
,, raverunt dicentes: venimus in terram, ad
,, quam misisti nos, quæ revera fluit lacte &
,, melle, *ut ex his* FRUCTIBUS COGNOSCI
,, POTEST. Salianus scribit credibile esse, ficus, & mala granata, botro, proportione respondisse, in evidens fertilissimæ Regionis argumentum; sed præ his, racemus uvæ, seu botrus, omnibus admirationi, & stupori fuit, de quo libet Philonem audire differentem: *Nihil*, inquit, *magis* QUAM VITIS FRUCTUM MIRABANTUR: *pendebant enim prægrandes uvæ de palmitibus, spectaculum vix credibile. Harum unam exsectam suspenderunt è vecte medio, cujus extrema imposuerunt humeris duorum juvenum: Atque ita deportabant, alii post alios propter pondus succedentibus.* His enarratis, videor mihi videre vestros omnium animos, ad terram illam desiderabilem, terram fluentem lacte & melle: Ad palmitem illum, seu vitem ubertimam contemplandam, ardentiùs inflammari, atque omnibus salivam moveri, ad botrum illum portentosum, quódq; ex eo fluit mustum degustandum, oreximexcitari. Dabitur profectò hodiernâ luce, ut & votis potiamini, & desideriis vestris perfruamini, dum *Annam* Genetricis Dei parentem, à mille sæculis promissam, tot, támque inflammatis sanctorum Patrum, ac Prophetarum precibus expetitam, *terram sanctam*, *terram promissionis* ostendero, quæ palmitem nobis, seu *vitem Mariam* protulit, ex qua *suavissimus fructus* DULCIS JESUS prodiit. Quæ tria, tantum terram Chanaam filiis Israël promissam, ipsum palmitem eum botro in vecte delatum antecellunt, quantum terrena cælestibus, humana divinis, caduca æternis concedere necesse est.

Botrus in vecte ex terra promissionis allatus.
Numer. 13

Salian. cit.

Philo apud Salian. cit.

Damasc. orat. 1. de nat. B. V.

§. II.

ANNA *ab æterno ordinata, promissa, & avidè expetita, rectè terra promissionis indigetatur.*

S. Anna terræ promissionis comparatur, cujus fertilitas ex fructibus innotuit.

Pet. Damian. serm. 2. de nativ. B. Virg.

ÆTerna Dei sapientia, quæ in sui dispositione non fallitur, cum humani generis ruinam in ipso protoparentis lapsu prævidisset, naturam nostram assumere statuens, unà & matrem è qua nasceretur præordinavit, cujus arcani consilii secretum, Cardinalis Damiani his ce verbis expressit: *Sicut Omnipotens Deus, ineffabili providentia sua intuitu, antequam homo fieret, hominem periturum, diabolicâ machinatione prævidit; sic etiam redemptionis humanæ consilium ante sæcula, in immensæ pietatis suæ visceribus habuit. Sicut ergo* (juxtà decretum Dei) *impossibile erat, ut humani generis redemptio fieret, nisi Dei filius de Virgine nasceretur, ita etiam necessarium fuerat, ut Virgo, ex qua verbum caro fieret, nasceretur.* Sicut ergò virgo Maria ab æterno ordinata, & præelecta est, ut Verbi divini in carne humana mater existeret, simul & S. Annam, Deiparæ Genitricem, ac Christi Salvatoris aviam, generationis serie ab æterno ordinatam, ac præelectam, nullus dubitationi locus relinquitur. Quam prædestinationis seriem Abbas Trithemius, eximius Augustæ matris Annæ encomiastes, his verbis exponit: *Sicut omnipotens Deus ante mundi constitutionem tempus quo nasceretur in carne disposuit, sic etiam parentes, de quibus nasceretur præordinavit: neque enim invenit parentes Dei filius, sed præmisit. Non fortuitò casu illos reperit, sed mirâ dispensatione ab æterno praelegit.* Confidenter ergò BEATISSIMA ANNA *dicere potuit illud, quod de æterna Dei sapientia dicitur:* DOMINUS POSSIDIT ME IN INITIO VIARUM SUARUM, ANTEQUAM QUIDQUAM FACERET À PRINCIPIO. *Erat ante mundi constitutionem in mente divina, non per naturam facta, sed per gratiam præordinata.* Undè rectè concludit: *Verè dignè est honoranda, quam gratia Dei præveniendo, in matrem genitricis disposuit, & semper conservando* SANCTISSIMAM *effecit.* His consonat Divus Andreas Cretensis: ANNA *jam à generationibus, est præstita casta Virginis mater, ex qua creaturæ auctor, formâ servi processit.* Hic paucis vos compello, si ulli mortalium ea felicitas obtigisset, ea à benigno numine gratia concessa fuisset, ut suos sibi progenitores, matris suæ parentes, avos suos, quos vellet, deligere potuisset, an non illos regiâ stirpe illustres, an non bonis omnibus, gratiis, & virtutibus supra omnes mortales, præcellentes adoptasset? Aut si cui vitis præstantissima, quæ raros ac alterius, ut ita dicam, orbis botros proferret, insigni munere promissa esset, atque ad eam plantandam, scientia divinitus infusâ, cujusvis fundi quâ orbis patet, sibi solum aut terram deligere posset quàm vellet, omne eam quæ optima, quæ fertilissima, quæ amœnissima, quæ lacte & melle manaret, adsciscceret? Ita in electione Annæ, ab increata æterni Verbi sapientia, in matrem Deiparæ, & Iesum nepotem, præ omnibus quæ in lege nova & veteri illustres matronæ exstitere, illam longè excellentiores prærogativas accepisse, nemo quisquam jure refragabitur. Hoc in beata sua solitudine, & facto silentio divinus Scriptor Lanspergius contemplatus, ait: *Licet mihi commendes omnes à constitutione mundi præclaras, multarúmque virtutum insignes mulieres; nulla tamen illarum fuit, quæ tanto dotaretur privilegio, ut matrem Dei, & totius consolationis pareret, quod solum huic nobili matronæ, peculiariter reservatum est. Quæ ex nobili prosapia propagata, ita virtutibus vitam omnem reddidit clariorem, ut in ea nihil desiderari possit, quod ad virtutum cumulum attineret.* Quod ut evidentiùs appareat, recogitate animis ante omnia tempora momentum illud æternitatis, quo in mente divina, omnes egregiæ quæ unquam exstitere fœminæ, famâ & formâ, naturæ & sanctitatis gratiâ eximiæ obversatæ sunt, è quibus unam in genitricem Dei matris, & Unigeniti filii sui aviam assumeret. Hic sese offerebat SARA *pulchra nimis*, quæ risum peperit; juxta illud Gen. 21. v. 6. *Risum fecit mihi Dominus.* Occurrere poterat REBECCA, *puella decora nimis, virgo pulcherrima*, quæ indolis suæ ingenuitatem, & benignitatem ostendit, dicens: *Bibe Domine mi, quin & camelis tuis hauriam aquam.* Obversabatur æternæ sapientiæ, RACHEL *decorâ facie, & venusto aspectu.* Incurrebat in divinos oculos *benedicta inter mulieres* JAHEL, inclyta illa heroina, *quæ sinistram manum misit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram.* Si viraginem quærebat, cur non generosam illam Debboram elegit? de qua Judicum 5. v. 7. *Cessaverunt fortes Israël, donec surgeret* DEBBORA. Si mulierem fortem, cur non JUDITHAM? omni encomio prædicandam, non solum quod Holofernem obtruncarit; sed insuper *erat eleganti aspectu: in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valdè, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Si prudentem, ac sapientem fœminam spectabat: ABIGAIL *erat mulier prudentissima, & speciosa*, quæ iratum Davidem placavit, dum sic ad illam: *Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & ulciscerer me manu mea.* Quid ni, ESTHER, quæ *incredibili pulchritudine* placuit Assuero, qui typus Christi fuit, in matrem Deiparæ deligeretur? aut MARIA PROPHETISSA, *soror Aaron*, vel *Anna* illa quæ Prophetam magnum Samuelem à Domino precibus impetravit: *Pro puero isto oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam.* Ad manum quoque erat altera ANNA PROPHETISSA, *filia Phanuel, quæ non discedebat de templo, jejuniis, & obsecrationibus serviens nocte ac die.* Omnes denique antiquitatis viragines illustrissimæ in ideis divinis præsentes erant; sed præ his omnibus *Annam*, beatissimam *Ioachimi* conjugem elegit, in qua non modo quæ in aliis matronis singulæ dotes recensitæ, omnes simul eminenti quâdam ratione relucebant; sed & longè pluribus aliis, ut matrem Dei genitricis, & Christi Aviam decebat, excellentiùs, prærogativis, ac gratiis locupletata fuit: ipsa etenim

Trithem. de laud. S. Annæ c. 5.

Andreas Cretensis in cant. de nativ. B. Virg.

S. Anna præelecta in matrē Deiparæ, & Christi aviam, omnes fœminas antecellit.

Joan. Lansperg. serm. de S. Anna.

Gen. 24. v. 16. v. 18.

Gen. 29. v. 17.

Iudic. 5. 24. & 26.

Iudith. 8. v. 8.

1. Reg. 25. v. 3. v. 33.

Exodi 15. v. 20.

1. Reg. 1. v. 27

Lucæ 2. v. 36. & 37

Sara

Sarâ illustrior, nonmodo MARIAM, *causam nostra lætitiæ*, sed & terræ ac cæli risum, per illam nobis *Jesum* protulit. Quin & illud de *Anna* jure usurpare possum, quod Augustinus de Sara: *mater in pectore, sit mater in partu. sit inquam mater, quæ* AVIA *fuerat per ætatem.* nempe *filii Dei*. Hæc verior *Rebecca*; de qua illud Divi Ambrosii rectiùs pronuntiaro: *Hæc habuit undè non solum puerum; sed etiam camelos adaquaret: quæ non solum justos rigare consuevit; sed etiam injustos replere.* Hortetur S. Ephrem quamvis fœminam, ad unam *Rebeccam* attentiùs considerandam, dicens: *Anima ejus virtutem contemplare: nihil segniter, nihil superbè, nihil arroganter factum comperies;* nemo non dixerit illa veriùs, & illustrius de *Anna nostra* prædicari. Laudetur *Benedicta inter mulieres Iahel*; sed hæc vix umbra fuit *Annæ*, ex qua filia prodiit verè *benedicta inter mulieres*, quæ caput Sisaræ, id est hostis infernalis contrivit. Mulierem fortem diu quæsitam, nec in *Debbora*, nec in *Iudith* repertam, non nisi è regia, & sacerdotali stirpe assumptam *Annam*, toto orbe ejus festo decantat Ecclesia: *Mulierem fortem quis inveniet*, in quem locum omnia Sanctorum Patrum oracula, & divinorum præconum resonantoia: Et integras panegyres de hoc argumento apud auctores videre est. Eximium fuerit, quod vix homini contigit, Judithæ præconium: *Non erat, qui loqueretur de illa verbum nialum*; hoc si ulli mortalium contigerit, *Anna* proprissimè convenire, mox demonstrabo. *Abigail* prudentiâ suâ Regem Israël placarit, & exarmarit, *Anna nostra* cælestis Regis iram, non semel, sed millies compescuit, & fulgurantem gladium à peccatorum cervicibus amovit. ESTHER *incredibili suâ pulchritudine* apud Assuerum gratiam invenit; & *hostem suum & inimicum pessimum Aman* patibulo tradidit. At *Anna*, quæ gratiam sonat, & *Mariam*, matrem gratiæ parturivit, cacodæmonem quem Aman præfiguravit, per filiam ubtruncavit. Plusquam Prophetissa fuit, quæ Reginam Prophetarum, ac omnium Prophetarum Dominum nobis protulit, quo uni, & alteri Annæ, infinitis parasangis antecellit, quæ omnes omnium virtutum excellentias complexa est, ut præclarè sanctus Damascenus expressit: ANNA, *qua gratiam sonat, non minùs morum, quàm matrimonii jugo cum* JOACHIMO *copulata erat; verum omni virtutum genero florebat.* Non dixit omni virtutũ specie, sed genere; quórque autem genus, innumeras sub se virtutum species complectitur; ut nulli in ulla virtute, aut sanctitate concederet, ut idem Doctor indicavit: *Quemadmodum*, inquit, *prisca illa* ANNA *cùm sterilitatis morbo laboraret, per orationem, ac promißionem, Samuelem procreavit: Eodem modo* ANNA *mater Virginis per obsecrationem, & promißionem, Dei genitricem à Deo accepit.* UT NE HAC QUOQUE IN RE ILLUSTRIBUS MATRONIS CEDERET. Expendendum illud: *Ut ne hac quoque in re*; nam quæ in cunctis minimè cedebat, nec quoque hac in re cessit, si stirpem avitam, & progeniem spectemus, Nicephorus consulendus, qui ait: ANNA *accuratiori, juxta præscriptum legis, vitâ præstans, nec non primis quibúsque, & splendidißimis, nobilißimisque genere connumerata*, quod & ad genera virtutum, quibus non fœminas dumtaxat, sed & antiquos Patriarchas superavit, Mendosa noster, & qui omnes laudes S. Annæ doctè & divinè complexus est, Carmeli decor ac columen R.P. Jnannes Thomas à S. Cyrillo traduxerunt; hinc si fidem Abrahæ, Isaaci obedientiam, Mosis mansuetudinem, Davidis pietatem, Jacobi ardentem in Deum amorem, cunctorumque Patriarcharum, ac Prophetarum virtutes expendas, dicet Nicephorus: *Adhuc* ANNA *accuratiori, juxta præscriptum legis, vitâ præstabat.* Alii quidem Sancti, etsi eximiâ virtutum excellentiâ præditi fuerint; suos tamen quisque nævos, qui reprehendi possent, habuêre; sed dum de genitrice Deiparæ sermo est, Hieronymus Doctor maximus: *Vita*, inquit, ANNÆ *apud Deum recta, apud homines* IRREPREHENSIBILIS ERAT. Quam rara, & præclara hæc encomia, quæ vix ulli mortalium obtigêre? cùm ut idem Hieronymus restatur: *Fieri non possit, ut absque morsu hominum, vita hujus curricula quis pertranseat.* Invenire est fœminas in Deum pias, in oratione prolixas; sed & querulas, ac iracundas: quasdam in pauperes profusas: sed superbiâ elatas: nunnullas ingenio & prudentiâ præstantes: sed & tenaces, ac avaras: alias honestas, pudicas, justas; sed dicaces, ac garrulas: Nã, quæ omninò irreprehẽsibilis est, quis inveniet? Hæc laus parenti divinæ filiæ debebatur, de qua Sponsus canit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quod Septuaginta vertunt, & REPREHENSIO *non est in te.* Hoc enimverò decebat, ne quid in *Anna* reprehensibile esset, quod in talem filiam posset redundare. Quod si D. Chrysologus, ob eximiam Præcursoris sanctimoniam, insigni elogio parentes celebravit, inquiens: *In Zacharia, & Elizabeth reatus occidit, periit querola, omnis est amputata causatio: quia in illo parabatur, unde tota sanctitas nasceretur*, quid de Deiparæ parentibus sentiendum? quantò *Maria* sanctitate, & gratiâ Joannem præcellit, tantò parentes ejus, à culpa, & reprehensione omni, maximè alieni censendi, *quia in illis parabatur, undè summa sanctitas nasceretur.* Olim à prudentia sermonis, insignis heroina *Iudith* commendata fuit, populo acclamante: *Non est in sermonibus tuis ulla* REPREHENSIO, *ergo ora pro nobis, quia mulier sancta es.* Ex solo sermone irreprehensibili, *Iudith* sanctitas innotescit; at non modò ex sermone, sed ex opere, ex tota *vita irreprehensibili*, vestram, *ô beata Anna*, sanctitatem comperimus. Verissimùm comprobatur illud Damasceni, ex iis quæ hactenus dicta sunt, ANNA, *qua gratiam sonat, non minùs morum, quàm matrimonii jugo, cum* JOACHIMO *copulata erat; verùm* OMNI VIRTUTUM GENERE FLOREBAT. Quas ut & vos honestissimæ matronæ, & D. Annæ amantes, æmulari possitis brevi in elencho, seu speculo, oculis vestris ex Abbate Trithemio subjicio: *Erat* ANNA *incessu gravis, vultu gratia relucentis placida, consilio matura, sermone composita, cultu & operatione sanctißima. In lege Domini die meditabatur ac nocte, fide firma, spe robusta, gemina charitate repleta, orationibus semper instare didicerat, & Domini Adventum cum maximo desiderio expectabat. Erat honesta in opere, humilis in mente.* Quod si hæc vobis magis admi-

Aug. serm. 68 de temp. in append. 37.

Ambr. de Abraham lib. 1. in fine.

S. Ephrem. serm. de patientia & compunct.

Iudith. 8. v. 8.

Esther. c. 2. v 15. c. 7.

Nazian. orat. 1.

Damasc. orat. 1 nativ. Virg.

Damasc. l. 4. de fide c. 15.

Niceph. l. 1. hist. c. 7.

Escob. de mendoça. volum 6. lib 10. de S. Anna.

Ioan. Th. à S. Cyrillo. de S. Anna c. 7.

Hieron. de ortu B. Virg.

Et Fulbert. Carnot. serm. de ortu B. Virg.

Aliæ virtutes Annæ.

Hier. epist. ad Furiam

S. Anna irreprehensibilis quod vix ulli Sanctorum contigit.

Cant. 4.

Chrysolog. serm. 89.

Vega. Theo ... ana. n 922.

Iudith. c. 8

Damasc. orat. 1. de dormit. Virg.

Trithem. c. 6. de laud. S. Anna.

canda, quàm imitanda videantur, ad ea quæ subnectit mores vestros conformare potestis: *Nemo unquam per vicos & plateas discurrentem illam reperit: nemo in domibus vicinarum inutiliter fabulantem audivit: nemo ad choreas, & spectacula nunquam illam adstitisse invenit. Domi manere à juventute sua didicit; laborare aliquid manibus consuevit, concordiam in bono, & pacem cum vicinis observare studuit, nemini injuriam fecit, verbo & opere neminem perturbavit. Rarò videbatur in publico, in plateis cum mulieribus fabulantibus non sedebat: Et in colloquio detrahentium non stabat; sed omni custodiâ servabat cor suum, ne unquam in sermone offenderet. Sanctis itaque studiis, & exercitiis intenta fuit;* Sed illud gloriosissimum est, quod testatur S. Brigitta, Joachimi & Annæ conjugio, nullum unquam sanctius, nullum unquam honestius fuisse; sic ei Angelus de Christo, loquitur: *Dum universa justa, & honesta conjugia, quæ à prima hominis creatione, usque ad diem novissimum fieri debebant, prospiceret, nullum simile Ioachim & Annæ conjugio, in omni divina charitate, & honestate prævidit, & ideo ei placuit de hoc sancto conjugio, suæ matris corpus generari.* Quid ni hujus sanctissimi connubii paranymphum, *sanctum Spiritum* dixero? Quare descende cælo, ubi nil agis sanctissime Hymen, duas extra cælum sanctissimas animas copulaturus *Ioachim & Annam.* Illum Regiâ, hanc sacerdotali stirpe, ut dotali utroque apice nepotem instituant, inter Reges Pontificem, inter Pontifices Regem. Age jugalibus nodis, quos æternitas nexuit, cor geminum stringe, vel unicum divide, ut alter sponsus ex altero spiret. Ultra viginti annos Anna sterilis, prolem utero capiet, mundo majorem, stupente rerum naturâ, tam fœtam, quàm fœtum. Adde novam inter fœminas laudem, citra sobolis crimen, matrem fieri: nam ceteræ carnifices, antequam matres: partum conficiunt, dum concipiunt; è cælo dimissam animam, eodem momento, orco exponentes, vitam largiuntur, & mortem. Sola *Maria* parentis honos, non onus, maternum uterum condecoravit intrando. *Anna* penates alterum cælum meritò voces, ubi sacra familiæ Trias, corporibus tripartita, animis una, genitor, genitrix, & genita beabitur, & beabit. Omnia denique in unum vota colligent longævi conjuges, cum sese numinis avos mirabuntur. Tanta gaudia nec ego effari, nec vos capere potestis. O si ad hoc exemplar vitam suam conjuges instituerent! quanta in familia pax, concordia, voluntatum consensio, pietas, sanctitas efflorescerct? Quàm longè omnis dissensio, discordia, rixa, vanitas, ebrietas exularet? quod fiet si maritus Joachimi temperantiam, uxor Annæ modestiam, & mansuetudinem æmuletur; tunc enim in eos non cadet, quod in virum temulentum, & uxorem rixosam præclarus Auctor ingeniosè scripsit alludens ad Anagramma, quod Anna continet:

Palavicino in vita Deiparæ. p. 81.

S. Brigitta serm. Angel. c. 10.

S. Spiritus paranymphus conjugii inter Joachim & Annam

Ingeniosum epigramma ad nomen Annæ.

Maeckt gy een Annagram, t'is vvel, t'syn vvonder sacken.
Droncke Matthys vveet vvel een ANNA GRAM *te maken:*
Want kompt hy droncken t'huys, Anna spouvvt vier een vlam:
Wat dunckt u? maecht Matthys dan niet een ANNA GRAM?

Ejusmodi ut resipiscant, sat erit, si mutum Sanctorum conjugum Epitaphium loquatur. *Ad laudem Sanctorum senum, Ioachim & Annæ, sat erit inscriptum perbreve sepulchri elogium.*

Cancellar. p. 144. anno Dep. 11. ante Christ. 5. S. Joachimi, & Annæ, Deiparæ parentum elogium.

Siste viator.
Sepulchralis, angustúsque lapis claudit
Augustæ magnitudinis virum,
Magnæ Dei matris Parentem,
Maximique Regum Regis JESU CHRISTI *Avum,*
Stirpe Davidicum, virtute sanctissimum,
Gloriâ nulli divorum secundum;
Diu quidem sterilem,
Sed ab unica tantum prole, repentè fœcundum, felicémque.
Obiit meritorum plenior, quàm dierum,
Senex quamvis octogenarius.
A filia & nepote nobilior multò,
Quam ab avorum serie præclarissima.
Atque ab unius administratione familiæ, plus dignitatis consecutus,
Quam ab urbium, orbisque dominatu Reges & Cæsares.
Non lachrymis hunc parentandum, sed laudibus;
Digno planè cui serviat vita mortalium,
Quoniam filiam habuit, vitæ sequestram immortalis;
Ima summis, terras cælo, homines Deo conciliaturam.
Quicumque MARIÆ *filius audis, & cliens,*
Quo loco JOACHIMUM *habebis, qui eam genuit?*

ANNAM verò tanti viri sanctissimam conjugem, hoc Epitaphio quidam prosecutus est:

ANNAM JOACHIMO *proximam,*
Olim sanctitate, & conjugio, nunc tumulo,
Suspice, quisquis ades, si pius.
Laudibus & cultu ne disjungas, quos vitæ similitudo,
Quos dignitas, quos meritorum ratio conjunxit.
Bethleëmitis illa fuit,
Ut natalium JESU CHRISTI *gloriam sortiretur.*
Viro sanctissimo nupta, sed sterilis.
Delevit sterilitatis notam partu unico,
Melius certè quam aliæ pluribus.
DEI MATREM *enixa, eamque ilicò prolem obtulit cælo,*
Suæ coronam senectutis:
Imo & orbi terrarum, sanctioris Dei auroram,
Et aureæ parentem ætatis.
Laus summa longævæ matris, nullo ævo tacenda,
Matrem communem omnium parentis peperisse:

Ete-

Erudiisse Apostolorum magistram,
Imperasse Virgini, cui in homines, in Angelos,
In Dei filium destinabatur imperium.
Is immortalibus Heroinæ meritis
Mortalium Religio cultum, fidelitas famulatum,
Pietas obsequium debet.

S. Paulin. epist. 29.

Subscribit D. Paulinus: *Felix Ioachim! Invenisti pulchrum adjutorium tibi, ad rohabens conversionem suam; de tuo nutu pendet, & de tuo statu sistit: In vestigiis tuis ambulat, in animâ tuâ animatur, pro vitâ tuâ deficit, ut in tuâ vitâ reficiatur.* Hæc omnia S. Annæ præconia, nemo quisquam mirabitur, si divinam Angelici Doctoris mentem assecutus fuerit, cujus hæc irrefragabilis doctrina est: *Quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei.* Igitur cùm præpotens Deus summam dignitatem huic fortunatissimæ fœminæ contulerit, eamque singulari bonitatis suæ privilegio, jam inde ab omni æternitate, ex universis creaturis in genitricis unigeniti sui matrem eligere dignatus fuerit (quæ supereminens dignitas est, & infinitæ cujusdam excellentiæ opus, eidemquoque & cætera, quæ ejusmodi dignitati congruerent, juxta perfectissimam infinitæ sapientiæ suæ dispositionem exhibuisse, ac ita præparasse convincitur. *Ad hoc siquidem*, inquit insignis pietate & eruditione scriptor, *Deus superbenedictus* ANNAM *ab æterno procul dubio praelegit, ut post filiam Deiparam, ipsa, omnibus ab initio sæculi ampliori munere cunctis præstaret fœminis.* Quemadmodum, si Deus gratissimam sibi, quam in orbe plantare arborem decrevit, optimum illi solum, & terram ubertimam præparatet; qualis fuit terra promissionis, cujus fertilitatem, abundantiam ex palmite & uvâ, quam inde detulerunt, cognoscere fuit, ut rectè Tostatus: *Ille* BOTRUS *fuit portatus in admirationem, & signum ubertatis, atque pinguedinis* TERRÆ. Et quisquam inficiabitur, palmitem seu vitem ex qua *Botrus Iesus* dependet, (ut infra ostendemus,) *in admirationem, & signum esse, ubertatis* omnium virtutum, & *pinguedinis* benedictionum *terra* hujus promissionis, hoc est *Annæ*? At quo pacto hæc, cum sterilitate Annæ congruere posse existimatis? Novum hîc, & insolens mysterium, ac maximè prodigiosum dexteræ excelsi miraculum. *Anna*, inquit Damascenus, *quamvis omnium virtutum genere floreret; tamen arcana quadam ratione sterilitatis morbo tenebatur.* Hujus arcanæ sterilitatis causam assignat primam: *Quoniam scilicet, ut ad id, quod sub sole novum erat, ac miraculorum omnium caput, via per miracula sterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad sublimiora progressus fieret.* Incarnationem Verbi, nativitatem ex Virgine, quis nescit maximum miraculorum omnium miraculum? Ad quod Deus miraculosam ex sterili Anna fœcunditatem disponebat. Voluit ergo, ut ante sterilis pareret, & hoc miraculum præcurreret, illudq; prænuntiaret totis sæculis inauditum, & sub sole novum, ut non sterilis, sed virgo Deum pareret & hominem. Quod in nativitate Joannis Bapt. ex sterilibus parentibus probat Doctor Ecstaticus Dionysius Carthusianus: *Si, ut ait S. Maximus, decentissimum fuit, ut ipse Ioannes, Christi Præcursor miraculosè nasceretur de sterili matre, quatenus mirabiliter natus, mirabiliùs nasciturum Dominum Christum suo exordio designaret; sic decentissimum fuisse videtur, ut praelecta genitrix Christi, ex sterilibus gigneretur parentibus, quatenus mirabiliter nata, mirabiliùs conciperet, ac pareret* DOMINUM SALVATOREM, *& suâ nativitatis miraculositate præsignaretur miraculosissimè conceptura, ac paritura totius naturæ Auctorem unigenitum Dei, tam ex patre, quàm ex matre mirabiliter natum.*

S. Thom. 3. p. q. 27. a. 4.

Lansperg. serm. de S. Anna.

Tostat. in c. 13 Numer.

Damasc. orat. de dormit. Virg.

Damasc. orat. 1 de nat. B.V.

Quam Deus pro[...] ius Annam sterilem reliquit?

Dion. Carth. lib. 1. de laud. S. Anna a. 8.

S. Maxim. serm. de S. Ioan. Bapt.

Ut potentiam suam Deus magis manifestet, ea quæ per naturam fieri consuevêre, non difficilia dumtaxat, sed & impossibilia reddit: Abrahamiticam stirpem multiplicare volens, sicut stellas cæli, jubet filium unigenitum immolari. Quid efficacius excogitari poterat, ad stirpem radicitùs exstirpandam, quàm unicam, in qua omnis spes, prolem auferendo? sic Ezechiam infirmitate ad mortem dejecit, ut insperatò sanaret. Redemptor noster, ut visum cæco restituat, *fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus*; cataplasma fecit ex luto, quid præsentiùs, ut quis visum homini auferat, quàm ut oculos luto aspergat? Lazarum amicum suum mortem obire, & sepulchro condi permisit, ut divino virtutis suæ prodigio in vitam revocaret. Omnipotens rerum omnium conditor in principio terram non fertilem & uberem; sed sterilem, inanem, & vacuam creavit, ut dein opus omnipotentiæ suæ ostenderet. Haud aliter, ut Annam Dei genitricem, & terram fertilissimam efficiat, priùs sterilem reddit. Atque hanc alteram rationem gratiosæ fertilitatis ex sterili adfert Damascenus: *Orta*, inquit, *est virgo ex sterili matre, ut non ex carnis concupiscentiâ; sed ex divina gratiâ mirabiliter oriretur. Voluit natura in conspectu Virginis, gratiæ cedere, ut ejus conceptio non naturæ, sed gratiæ viribus tribueretur.* Rectè igitur igneus ille Hispaniæ Ecclesiastes Vincentius Ferrariensis: ANNA, TERRA SANCTA, & promissionis *dicitur, quia fructifera, secundùm influentiam, quam recipit à cælo, & potest exponi de eâ illud Psalmi: Benedixisti Domine terram tuam: quia primò erat sterilis, & sequitur: Dominus dabit benignitatem, & terra nostra, scilicet* BEATA ANNA NOSTRA, *dabit fructum suum, scilicet Virginem Mariam.* Ut autem sciatis ex hac cælesti gratiæ influentiâ, quanta fertilitate, & ubertate floruerit, Damascenum audite: VINEA UBERRIMA EX ANNA, velut terrâ fertilissimâ *pullulavit, atque uvam suavissimam protulit, nectar mortalibus fundentem in vitam æternam.* Quo unico palmite, & fructu, omnes omnium matrum fœcunditates, etiam in mille generationes, infinito intervallo superavit. Peracutè B. Petrus Chrysologus: *Sterilitas ista non erat maledicta, sed mystica, in qua partus non ablatus, sed dilatus, ut in filiâ singulari, tota fœcunditas pensaretur: quando in una nascebatur numerositas congesta virtutum.* Terra illa benedicta, quando illam vitem protulit, quæ botrum protulit, qui in torculari pressus, vinum germinans virgines propinavit. Terra iterum, iterumque benedicta, ex quâ, ut Gregorius ille Thaumaturgus, prodiit MARIA VITIS *semper vigens, qua animas glorificantium se exhilarat.* Terra illa bene-

Ioan. 9. 6.

Damasc. orat. 1. de nat. Virg.

Vincent. Ferrar. serm. 2. de nativ. B. Virg.

S. Anna terra promissionis, Maria vitis, Jesus botrus.

Damasc. orat. 1. de nat. B.V.

Chrysolog. serm. 89.

Gregor. Thaumat. serm. 1. in annunt.

FESTUM
SANCTÆ ANNÆ,
SANCTISSIMÆ DEIPARÆ
MARIÆ GENITRICIS.

Arbor de fructu suo cognoscitur. Luc.6.



Anctissimam fœminam Julianam, nobilitate, & vitæ integritate insignem, marito jam orbatam, sic ad unicum filium, quem Deo consectarat, loquentem inducit Ambrosius. *Tu,* inquit, *fili, impetratus meus, & votivus meus, agnosce à quo donatus sis mihi. Ille tua ora plasmavit, ille tua membra distinxit, ille mea orata suscepit, cujus templo, cujus obsequio, te antequam nascereris, sacravi. Non parentibus, non tibi, sed Deo natus es. Omnes quidem illius sumus; sed tamen tu specialiter promissus Domino, tu redderis. Ego quasi* ANNA *promisi, ut omnibus vitæ tuæ diebus, ac noctibus, à conspectu Domini non recedas; tu exequere.* Concludit S. Ambrosius: *Egregia fœmina, quæ sibi nihil reliquit, totum quod habuit, Deo obtulit, cujus vita, institutio disciplina est, & quadam formula castitatis bono proposito, & meliore magisterio.* Atque ut hæc lectissima matrona, exemplo veteris *Annæ*, filium Deo obtulit; sic ad exemplum *Sanctissima nostra Anna*, aliæ nobilissimæ fœminæ filiam Deo dicarunt, ac omnium virtutum præceptis imbuerunt. Unam vobis ad omnium imitationem adduxisse *Lætam* matronam Romanam sufficiat, quæ *Paulam* filiolam suam à teneris Christo consecrarat; unde Hieronymus Epi[illegible] ad illam: *Paula prius Christo consecrata est, quam genita, quam ante votis utero concepisti.* At quam paucæ ejusmodi matres, quæ cum utraque Anna liberos suos necdum conceptos, aut adhuc utero contentos, divino cultui dedicant. Alia nunc matrum, ac Patrum vota, alia desideria, alia studia: si Deus filium dederit, illum pater tali officio, tali dignitati destinat: si filiam, illam mater viro nobili, potenti, diviti in matrimonium designat: moribus aulicis, sæcularibus vanitatibus, tripudiis, ludis, citharis, atque ad omnem sæculi pompam instruendam decernit. Et de facto iis omnibus filiæ imbuuntur. Audiant hæ, quam *Læta* filiolæ suæ Paulæ tradidit, D. Hieronymi institutionem: *Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat: cantica mundi ignoret: adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur. Syllabas* (orationis Dominicæ, & salutationis Angelicæ) *jungat ad præmium; quibus illa ætas deliniri potest, munusculis invitetur.* Hæc, si radix sancta mater, præcepta suis instillabit, ut sint rami Sancti. *Tum si grandiuscula esse cœperit, & in exemplum sponsi succrescere sapientiâ, ætate, & gratiâ apud Deum, & homines, pergat ad templum veri Patris cum parentibus. Te habeat magistram, te rudis miretur infantia, nihil in te, & in patre tuo videat, quod si fecerit, peccet.* Tandem quia efficaciora sunt exempla, quam verba: quia *verba movent, exempla trahunt,* subjungit: *mementote vos parentes virginis, magis eam exemplis doceri posse, quam voce, citò flores pereunt: citò violas, & lilium, & crocum pestilens aura corrumpit. Nusquam absque te procedat in publicum. Basilicas martyrum, & Ecclesias* (nequidem sub devotionis specie) *sine matre non adeat. Nullus ei juvenis, nullus cincinnatus arrideat.* Ut autem omnes vanitates, & insanias falsas amoveat, has puellares exercitationes præscribit: *Discat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere, & nutriatur in monasterio, sit inter virginum choros. Jurare non discat, mentiri sacrilegium putet. Nesciat sæculum, vivat angelicè, sit in carne sine carne, omne hominum genus sibi simile putet,* ut quid inter sexum alterum sit, ignoret. *Orationi lectio, lectioni succedat oratio, breve videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupabitur.* Quod otiosis filiabus longum videtur, quæ omnia diverticula quærunt, ut tempus fallant, & otiosè, ac vanè, utinam non peccaminosè, & insanè consumant. Quæ mater sic filiam instituerit, meritò gloriari potest illustri hoc sapientis elogio: *Ego* QUASI VITIS *fructificavi suavitatem odoris, & flores mei* (qui ut Clemens Alexand. loquitur, liberi sunt) *fructus honoris, & honestatis.* De tali, & tam beatâ conjuge, rectè gratulari possumus viris conjugatis, hisce Psaltis Regii verbis: *Uxor tua sicut* VITIS ABUNDANS, *in lateribus domus tuæ,* hoc est, intra parietes, seu ut D. Hieronymus, *in penetralibus.* Cajetanus Cardinalis observat hic innui modestiam uxoris, ut non in atrio, non in portâ, non in plateâ, non in mediâ domo, in

Ambr. exhort. ad virg.

S. Juliana exemplo veteris Annæ filium Deo consecrat.

S. Anna Mariam filiam Deo dicat.

Hieron. Ep. 7. ad Lætam de institutione filiæ.

Quomodo filiæ instituendæ.

Hieron. Ep. 7 ad Lætam.

Rom. 11. v. 16.

Eccl. 24. v. 23.

Clem. Alexand. l. 2. pæd. c. 8

Psal. 127.

Lorin. hic

in qua sunt viri; sed in lateribus, in angulis, in penetralibus domus versetur. Sic & filia, quæ palmes est, ut monet D. Antoninus, Florentinus Antistes, non consistat in plateis ad tripudiandum, non in atrio domus ad fabulandum, non in fenestrâ ad procandum; sed *in lateribus domus* contineatur. Talis vitis S. *Anna* exstitit, de qua jure usurpare possum illud, quod D. Zeno de Susanna: *Nec videri, nec videre volebat: corpus sine umbra gestabat*, quia nunquam in solem prodibat. Si vitis in plateâ, qualem ante fores quandoque conspicimus, unus transeuntium aufert palmitem, alter carpit botrum, alius decerpit uvam præcocem, atque hinc fit, ut tempore vindemiæ, Dominus nullum fructum inveniat. Uxor quæ vitis est, si pampinos suos foras emittat, & filias evagari, ac exspatiari sinat, de ejusmodi vite Deus apud Prophetam jure quæritur: *Expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas.* Labrusca, inquit Cornelius, est vitis agrestis, quam Plinius, insanam vocat, *& proventu evanido luxuriat.* Hugo Cardinal. labruscas dicit *quæ in alto viatoribus eminent*, & nullos fructus, sed luxuriantes pampinos in crinibus, in flabellis, in theristris, calamistris, in aliis vanitatibus proferunt, *& viatoribus eminent*, à quibus immaturæ, & præcoces uvæ carpuntur. Totum hoc vitium in vite est. Chrysostomus non modo divinorum, sed & naturalium sagacissimus explorator, sic ait: *Solent plerumque filiolæ ad rationem educationis componi, & mores imitari maternos*, quos cùm lacte suxerunt, & sub quarum disciplinâ versantur: si mater garrula, & vaga, quietis impatiens, non valens in domo consistere pedibus suis, & intra latera cubiculi se continere, filiam similem sibi educabit. Ut rectè observat S. Vincentius:

S. Anna viti comparatur.
S. Zeno serm. de patient.
Isa. c. 5. v. 2.
Corn. in Isa. cit.
Hug. ibid.
Chrysost. hom. 10. in epist. ad Coloss.
Prov. 7.

Mater venalis, docet ut sit filia talis.

S. Vincent. Ferr. ser. in Nativ. B. V.

Hoc & gentilis Poëta notavit:

Scilicet expectes ut tradat mater honestos,
Aut alios mores, quam quos habet?

Iuvenal. Satyr. 6.

Scilicet expectes, ut in familiâ, ubi assidua jurgia, execrationes, imprecationes, blasphemiæ, sermones absccœni, lasciva colloquia, & amatoria tripudia, filia honesta, verecundo ore, & more sit? falleris, inquit Magnus Præsul Mediolanensis Ambrosius, Herodiadem matrem perstringens his verbis: *Quid potuit filia de adulterâ matre discere, nisi damnum pudoris?* Quid poterit filia de garrulâ matre discere, nisi garrulitatem? quid poterit filia de otiosâ, & segni matre discere, nisi otium, & segnitiem? quid poterit filia à matre prodigâ, & temulentâ discere, si prodigalitatem, & temulentiam? quid poterit filia à matre zelotypâ, salaci, & lascivâ discere, nisi omnem venerem, & lasciviam? quod adeo experientiâ verum, ut in proverbium vertendum, Sanctus Vates Ezechiel vaticinatus sit: *Ecce omnis qui dicit vulgo proverbium in te, assumet illud dicens: sicut mater, ita & filia ejus.* Ubi Hugo Cardinal. quod proverbium: *Matrem sequitur sua proles*, ut in bonum sensum quidam interpretentur, & matribus familias argumento, & documento sit, Sanctissimam *Matrem Annam* sibi in exemplar proponant, de quâ celeberrimus Abbas Trithemius: *Quid amplius requiris? numquid sufficit ad matris declaranda merita; tam excellens ab infantiâ, filiæ vita? si* ANNA *non fuisset sanctissima, filiam tam diligenter, & devotè ad Dei honorem non instituisset.* QUALES MATRES, TALES ET EARUM FILIAS NOVIMUS INSTITUTAS. Hæc mystica vitis in lateribus domus suæ continebatur, hæc vinea Domini electa, sub eâ sedeamus, ad eam confugiamus. Ad hanc vitem, quacumque in calamitate, necessitate, corporis, aut animæ discrimine recurramus, & quiescamus securi: nam ut appositè Richardus à S. Laurentio: *Vitis umbram gratissimam ministrat, cum sit valde lata in foliis, & de hac umbratione dicitur Michea 4. Sedebit vir subter vineam suam, id est requiescet, & securus erit, per protectionem* (B. Annæ) *quæ data est in protectionem & refrigerium, & hoc designatum est. 1. Machab. cap. 14. sedit unusquisque sub vite sua, nec erat qui eos deterreret.* Hæc certè vitis præstat aureæ Xerxis Platano, quam Xenophon ridet, non potuisse vel uni cicadæ umbram facere. Ast S. Anna vitis uberrima protegit, & omnes ad se confugientes affectu materno, & ulnis suis velut pampinis complectitur. Audite rem inauditam, pluribus ac peritis auctoribus comprobatam. *Gregorio* V. Pontifice Max. & *Stephano* Hungariæ Duce postea Rege, in urbe Nuceriâ populosâ & opulentâ, *Emericus* consulis potentis filius, parentibus postiserâ lue sublatis, ex asse heres, anno ætatis vigesimo, per vitam licentiorem, filii instar prodigi, omnem substantiam decoxit, & cæpit egere. Affines & propinqui, despectui habebant, atque ipsum numen manifesto sibi adversari sentiebat. Hinc ventorum turbines magnificas ædes everterant, inde fulmina fruges & horrea incenderant. Eluvies aquarum jumenta hauserat, ingens ubique vastitas, & calamitas. Concurritur à creditoribus, urgentur debita, pignora, omnisque supellex in solutionem diripiebatur. Nudus, exutus omnibus, secum anxius, & propè desperabundus deliberat: quo me vertam? *quid faciam? fodere non valeo, mendicare erubesco*, eo fugiendum est, ubi ignotus degam; statuitque peregrini specie ad S. Jacobum, Compostellam tendere, ac stipem emendicare. Sumpto igitur baculo, clam urbe elabitur, atque ut amato erat animo, primo ab urbe lapide, se in genua aperto campo conjicit, atque in lachrimas solutus, hisce verbis ardentissimè Deum precatur: Pater misericordiarum, agnosco me, eheu, miserrimum peccatorem, de offensis intimè doleo, & licet indignus qui exaudiar, precor tamen infinitam clementiam tuam, si quis in cælis Sanctorum, afflicti homuncionis, & miseri peccatoris adjutor, & patronus, te præstante, mihi subveniat. Tu enim nosti opprobrium, & confusionem meam. Revela mihi ad quem divorum me convertam. Nec mora, peccanti S. Jacobus,

Ambr. lib. de Virgin.
Ezech. 16
Hug. Car. ibi.
Trithem. de laudib. S. Annæ cap. 1.
Ad S. Annam, quasi sub vitem confugiendũ.
Richard. à Sancto Laur. de laud. B. Virg. hom. 6.
Xenoph. lib. 7.
Trithem. c. 10. de miraculi S. Annæ
Dorlando in vita.
Nicolaus Simonis de mirac. S. Annæ cap. 9.
Polinon-ogot. hist. S. Annæ cap. 16.
Ioan. à S. Cyrillo mater honorificata cap. 35 §. 8.
Perditus juvenis jussus ad vitem quæ vinum vitæ protulit, confugere, mirabili eventu, patrocinium & auxilium invenit.

S. Jacobus suadet, juveni ad S. Annam recurrere.

quem impensius in vitâ coluerat, peregrini habitu se illi sistit, eumque sic affatur, & solatur: Quid fles chare juvenis? quæ causa mæroris tui? & quo tendis? Cui cùm extremam, qua conflictabatur penuriam, exposuisset, edixit Apostolus si præsens io necessitate tuâ quæris auxilium, D. Annæ implora patrocinium: *Illam cole* VITEM PRÆSTANTISSIMAM, *unde profluxit* VINUM LÆTITIÆ, *& vita æterna.* Hæc consolatrix afflictorum, egenis subsidium, tentatis refugium, ac refrigerium: neminem in se sperantem repellit: Illa suis meritis, & precibus, à Jesu Christo, nepote suo auxilium, & solatium impetrabit. Quibus verbis adolescens erectus, cum edoceri peteret, quomodo grates, & efficaces *S. Annæ*, honores impendere posset, hoc responsi accepit: Singulis feriis tertiis (qua *Beatissima Anna* nata, & mortua fuit) summâ devotione, & fiduciâ tertiò Dominicam orationem, & salutationem angelicam recitabis, atque cereum ante ejus iconem accendes. Fac hoc fili, & voto frueris. His dictis Apostolus disparuit. Adolescens jam spe plenus, viam iosistit, atque ad proximam civitatem, *Pocheni* nuncupatam, divertit, ubi opportunè apud presbyterum aliquanto commoratus, effecit ut sumptu præstans, & formâ elegans D. Annæ statua efformaretur, quam indies cereo accenso honoravit, atque in hujus cultus memoriam, tria hæc augusta Nomina: JESUS; MARIA, ANNA, parietibus, valvis, varijsque locis exarat, ut & omnium cordibus eorum affectus insculperetur. Inde digressus, navem conscendit, mare traiecturus, ubi exortâ derepentè horrendâ tempestate, omnibus desperatis, naufragium imminebat, ac singulis suos divos tutelares nequidquam conclamantibus, nil nisi luctus, & plurima mortis imago oculis obversabatur. Hæc inter assurgit juvenis, atque ingenti cum fiduciâ in genua pronus, altâ voce ingeminabat: *S. Anna* succurre misero. Vix finierat, & ilicò posuere venti, tempestas desedit, malacies omnium cum admiratione, & gaudio reddita est. Aderat in discrimine Rex, qui probitate juvenis, ac simul paupertate intellectis, eum sibi familiarem fecit, & de victu, & amictu post hac securum reddidit. Incrementum ex eo sumpsit fervor ejus, in Dei genitricis Matrem, ad cujus honorem, imaginem in eminentiori parte urbis, ubi ab omnibus conspici, & coli posset, ipse (ut peritus erat) depingere statuit: erant lignorum machinæ ad scandendum opportunæ, altitudine cubitorum 60. quibus innixus, effigiem S. Annæ efformavit decoram, cum Virgine Matre, & ejus prole divina: subscripsitque uncialibus litteris aureis: S. ANNA *succurre nobis*, cum filiâ, & nepotulo Jesu. Absoluto opere, ubi manum de tabulâ tulit, descensum parat; At invidus orci genius, excito extemplo ventorum turbine, omnem machinam difflat, & dissipat, cunctis inspectantibus, ad præcipitium juvenis inhorrescentibus; qui suam solitâ prece inclamans patronam: S. ANNA *succurre mihi*, continuò quod nullum humanum nequivit præsidium, D. Annæ sensit obsequium, quæ depictam amictus sui fimbriam cadenti porrexit, ex qua velut palmes è vite pendulus hæsit in aëre, ad evidentius prodigij miraculum, & illustrius D. Annæ præconium, bene longo temporis spatio, donec stupendi novitas miraculi ad aures Regis Hungariæ perveniret, cujus jussu machinâ instauratâ descendit illæsus, multoque auro & argento à Rege ditatus, natale solum revisit, creditoribus satisfecit, ædes paternas, in S. Annæ convertit, ac censu annuo in ejus laudes dotavit. Vixit annos 70. vir magni consilii, ac probatæ vitæ, factus non tam civium consul, quam Regi à secretis: cultus festique *S. Annæ* per omnes Regni Ecclesias, potens zelator, cui in extremis JESUS; MARIA. ANNA. apparuere, atque animæ ipsius secutum, ac lætum exitum contulere. Omnem prædictæ rei gestæ seriem, toti mundo testatam reliquit, ac scripto firmavit Reginaldus, juris utriusque Doctor, ac Stephano Hungariæ Regi à secretis, præter irrefragabiles eruditione, & sanctitate vitæ auctores supra citatos. Ex quibus omnibus perspicuum est, qui ad hanc mysticam vitem, in quavis necessitate confugerit, auxilium, præsidium, ac patrocinium se consecuturum. Nunc si lubet è vite fructum, & botrum Mariam ac suavissimum quod inde nobis mustum fluxit proponamus. Atque ex hisce matrem Annam velut ex fructu arborem cognoscamus juxta illud Evangelistæ:

Juvenis statuam S. Annæ effingi curat.

A tempestate, & naufragio, ope S. Annæ liberatur.

Juvenis sua manu S. Annæ tabulam pingit.

Eum dū dæmon præcipitare conatur imago porrectâ veste servat.

§. I.

Arbor de fructu suo cognoscitur. Lucæ 6.

S. Damascenus oratione 1. de Nativit B. Virg. ANNA *uvam suavissimam protulit.* Unde loquit *nos tibi gratulamur, O beatissima fæmina; quia maxime dignum est, eam laudare, quæ tantum nobis* FRUCTUM *edidit, ex quo* DULCIS JESUS *prodijt.* Duæ matres sunt quæ à fœtu, à fructu suo omnem felicitatem, omnem dignitatem accepêre; *Maria* de qua natus est *Iesus:* & ANNA de quâ orta est MARIA. MARIAM Beatam prædicavit Elizabeth Lucæ 1. *Beata quæ credidisti.* Applaudit mulier de turba Luc. 11. *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Beata sane, ac ter quaterque beata MARIA, quia portavit, lactavit, & verbo concepit filiū Dei. Felix quoque ANNA, quæ talem filium parturivit, & ubere lactavit. *Verè Beata, ac ter beata*, ut dixit Damascenus. Beatissima Virgo ter beata, quia portavit, lactavit, & peperit prolem simul mundo & cælo, teste eodem Damasceno, *beatitudine donatam.* Gaude & tu, O Mater ANNA, quæ MARIAM simul mundo peperisti & cælo. Christus in hunc mundum venit beatus, cum à primo conceptionis instanti ejus anima Sanctissima, divinâ visione frueretur. Sunt & celebres Doctores (quos apud

S. Damascen. orat. 1. de nativit B. Virg. Idem. orat. 2.

Luc. 1.

Luc. 11.

Damascen orat. 2. de nat. B. V.

Ioannes à Sancto Cyrillo de S. Anna c.22.

pud Joannem de S. Cyrillo videre est) qui affirmant Deiparam adhuc Annæ utero clausam, beatificâ divinæ essentiæ visione donatam. Unde Damascenus, gloriosè Annam beatificat, dicens: *verè beata, ac ter beata*, QUAE BEATITUDINE DONATAM A DEO INFANTEM, *hoc est* MARIAM, *nomine quoque ipso magnopere venerandam, peperisti*. Beata & ter beata mater, quæ (non ut alii parentes prius, & potius, ut Bernardus loquitur, peremptores) prolem in gratiâ concepisti, & lucem edidisti: *ex Sanctitate prolis*, inquit Trithemius serm. 2. de S. Anna, *quæ ante fuit Sancta quam nata, & numquam peccati labe infecta, colligitur quam castus fuerit matris uterus, in quo proles hæc benedicta requievit. Verè beatus venter, O Virgo, qui te portavit*. Quod si Divo Hieronymo de matre SS. Iuvenum Eusebii & Chromatii dicere licuit: *verè venter aureus potest dici, quia tales vos genuit*; nonne potiori jure id de Annâ prædicandum, quæ talem filiam mundo protulit: Liber itaque exclamare: *O verè beatus venter, in quo formatus fuit fœtus Sanctissimus! O beatum ventrem, qui vivum cælum, cælis ipsis latius peperit*. In similes voces prorûpit Doctor Seraphicus, Deiparam alloquens: *benedictus est venter, qui te portavit: & benedicta sunt ubera, quæ te lactaverunt*. Sed nunc cœptum prosequamur. Damascenus sic Annam exultantem inducit: *Benedictionis* FRUCTUM *uberibus meis ut optaveram nutrio*, ex quibus virguncula, quasi botrus è vite pependit, atque ut vitis, teste Lyrano, omnem succum botro communicat, ita Anna, MARIÆ infanti lac cælitus, ut Greg. Nyss. Germanus, aliique loquuntur, concessû, in alimentum infudit. Libet iterum exclamare: *O beata ubera, quæ ejus qui mundum nutrit, nutricem lactaverunt!* beata profectò *Anna ubera*, quæ Regina cæli, domina mundi, & Dei mater virgineis labellis toties suxit, infantilibus & tenellis manibus pressit, & contrectavit. *Beata ubera*, quibus eam nobis aluit, quæ Salvatorem & genuit, & lactavit. Lac matris Annæ, in filiâ MARIA vertebatur in carnem, & sanguinem, qui postea à verbo assumptus, in nostri pretium expensus est; *manat porro liquor ex uberibus Virginis, & in carnem vertitur Salvatoris*. Quid, quod Aloysius Novarinus, eruditus auctor, & Christophorus de Vega, gravis Theologus, piam hanc sententiam astruere non dubitarint, in *Anna* gratiam fieri potuisse, ut Dei filius, in Virginis Mariæ utero carnem assumens, aliquam illius substantiæ particulam sibi unierit, quam ipsimet parentes Mariæ Corpori formando exhibuerunt; quo hi magis cum Christo suo nepote conjungerentur; ex qua conjunctione, consequenter major gratiæ, cœlestiumque donorum portio in eos dimanaret. Quod non video (inquit Vega, in Theologiâ Marianâ) Philosophiæ omnino, aut rectæ rationi repugnare. Atque adeò si ita esset, consequenter dici posset, in Christo Domino sub Eucharistia delitescente, reperiri aliquam particulam, quæ aliquando ab animâ *D. Annæ* informata fuerit; quod cum nec Scripturæ, nec Patribus nec rectæ rationi refragetur; tum alio ex capite, pietati Christi in avum, & aviam, atque ipsam Deiparam conforme videatur, non est quod omnino explodatur. En quanta *Annæ* dignitas, quanta sanctitas à fructu, quem lactis sui succo nutrivit. Quod ut altius animis vestris infigatur, Serlogum nostrum de *Annæ* laudibus disserentem audiamus, qui ubi hunc titulum posuit: *Maria sugendo* ANNÆ *ubera, & ipsa præbendo filio suo Iesu ubera, plus meruit, quam Martyres rivos sanguinis fundendo*, disserit: Infusa est purissimæ animæ Mariæ, à primo exordio tanta gratia, quantam nemo Sanctorum, longissimo vitæ spatio, per quosvis heroicos vitæ actus, adeptus est. Hanc duplicabat quocumque opere, & dormiens, & vigilans nundinabatur semper, numquam ab ardentissimo amandi studio, & divino gratiarum lucro cessans, etiam à genetricis *Annæ* collo pendens, quasi botrus è vite, aut sinu admota, balbutienti labio mammam implorans, Martyrum agones vincebat, fortiorque ejus charitas, ardentior flamma, cum ob Dei encomium ex amore æterni numinis sugebat maternum pectus, ludebat cum geruli, infantiam exercebat, quam Laurentii memoranda passio, toto exusto latere, cruenta Bartholomæi excoriatio, Pauli Neronianus gladius: gratia etenim qua filia *Annæ*, & *Dei Mater* excellebat, præ omnibus Sanctis digniorem reddebat. At ubi botrus hic Maria, sejunctus ab ubere Matris *Annæ*, filium suum *Iesum* suis Virgineis uberibus, quasi botrus lactavit, quid ni lacte suo, omnium Martyrum sanguinem meritò superavit. Ita porro Hailgrinus Cardinalis in illud Cantici: *Statura tua assimilata est palmæ, & ubera tua* BOTRIS, ubi sic ait: *ubera tua* BOTRIS *assimilata sunt, in quo mirabilis prærogativa merendi demonstratur in Virgine, quæ non minus meruit sumendo lac de uberibus suis ad nutrimentum filii, quam Martyres, qui per* BOTROS *figurantur, meruerunt fundendo sanguinem suum in Martyrio: omnium enim operum merces, secundum radicem charitatis pensatur*. Sed cur æterna Dei sapientia, cælestis Sponsus, ubera botris comparat, dicens: *meliora sunt ubera tua botris?* Richardus à S. Laurentio hanc reddit rationem: comparantur ubera B. Virginis *botris vineæ*: Ex uberibus enim exprimitur lac, & ex " *botris vinum*, quod hominem lætificat, & ine- " briat, & facit obliviosum, & facilem ad con- " donandum irrogatas sibi injurias, & largum " ad danda grandia. Omnino siquidè in hunc " modum lac, quod sancta labia Domini ex- " presserunt, & traxerunt à maternis uberibus, " ipsum delectavit, & quadã inenarrabili dul- " cedine inebriavit, ne recordaretur de cetero; " sed facile nobis condonaret irrogatas sibi " injurias, & largiter nobis daret gratias, " & virtutes in præsenti, & in futuro glo- " riam sempiternam. Quæ summa divinæ " benignitatis, & largitatis beneficia, ut Virgineis uberum Mariæ botris accepta referenda sint; non exiguam tamen ad S. Matrem Annã, sicut botrus ad vitem, relationẽ & connexionẽ habent: Atque omnis Mariani fructus excellentia,

Hieron. Epist. 43.

Damasc. orat. 1. de nat. B.V.

Bonavent. in Psal. 117.

Damasc. orat. 2. de nat. B.V.

Ioan. à S. Cyrillo de S. Anna. c.24.

Damasc. orat. 2. de nat. B.V.

S. Pet. Damian. serm. 3. de nat. Virg. Novarin. umbra Virg. n. 1503. Vega Theol. Mariana. Palæst. 21. n. 1481.

An aliquid carnis & sanguinis S. Annæ per Virginem Mariam Christo communicatum, in S. Eucharistia existat?

Serlogus tom. 1. anteloq. 8. lec. 1.

Deipara plus meruit filiũ lactando, quam Martyres gravia tormenta tolerãdo.

Hailgrinus in cant. c. 7.

Cant. 7. Richard. à S. Laur. l. 5. de laudib. Virg.

Ubera Virginis Matris, botris comparantur.

Malos? Tamdiu ergo nec arbor bona malos fructus facit, nec mala bonos, quamdiu vel in bonitate sua, vel in malitia perseverant. Planè consentit Isidorus Pelusio a, expendens citatum Matth. locum. Illud autem Non potest arbor mala bonos fructus facere, non tollit pœnitentiam; sed redarguit commorationem in consuetudine vitiorum: Nam dum mala est, non potest fructus ferre bonos; ubi verò mutata fuerit, atq; conversa ad virtutem, tunc feret, uti Petrus, Paulus, Magdalena. Facite ergò fructus pœnitentiæ, fructus misericordiæ, fructus honoris & honestatis, fructus bonorum operum; ne si cælestis colonus inveniat nisi folia, maledicat arbori, excidatur, & in ignem mittatur: Nam talem arborem fici, inquit Augustinus, quando vidit Christus, maledixit, & aruit: vidit sola folia, id est sola verba, absque fructu. Solerter observat idem Doctor quod columba portans ramum olivæ virentibus foliis, non nuda folia, sed & fructus fuisse, quibus Deus delectatur, non foliis; nec ex illis arbor bona, sed à fructibus cognoscitur; non etiam ex floribus, id est ex iis quæ pollicentur, ac spondent. Aureè Chrysologus: Flores multi, multitudinem fructuũ pollicentur; sed exanimati ventorum flabris, ad fructum paucissimi perseverant. Sic credentes in Christo multi: sic in prima ætate pueri, ac puellæ, probi ac integerrimi multi florent, & spē uberem fructuum faciunt; at ubi vanitatis aura, aut tentationis turbo afflarit, omnis flos primi candoris, omnisq; fructus vitæ maturioris evanescit, & marcescit. Ardenter quidem amat cælestis sponsus primævos illos adolescentiæ flores; sed unicum ejus votum, ut ad fructum perveniant. Cant. 7. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si FLORES FRUCTUS PARTURIUNT. Nostis qui flores sint? Hugo Card. Flores sunt sancta vota, & interna desideria, cujus aliqua signa exteriùs apparent; qualia multi in juventute sua, in primo tirocinio Religiosi, & Deo devotæ concipiunt, qualia in æstu ardentis meditationis proponunt; sed anhelat sponsus ut videat SI FLORES FRUCTUS PARTURIUNT, id est, si bonũ propositũ sequatur opus bonum; UT FRUCTUS SINT, virtutum soliditas, & spiritualium charismatum ubertas, quæ operibus exterioribus se extendunt; qualia desideria, & proposita virgunculæ Mariæ, filiæ Annæ, cujus copia florum, in uberrimos & pulcherrimos fructus progerminarunt. Nolim hic inducere puellulas cerussatas, crispatas, calamistratas, flusculos vestros, ex quibus nullus fructus sperandus est, & cujus forma quasi flos egreditur & conteritur, concludo cum Hugone Cardinali, sæpiùs citato: Non ex FOLIIS, nec ex floribus arbor cognoscitur, SED EX FRUCTIBUS æstimatur, & jure gloriatur. Facit hic non infacetus Apologus D. Cyrilli: spina, inquit, florebat,
„ & ficus ante eam frondes, ac grossos suos pro-
„ ducebat: cui mox tumefacta ex floribus spi-
„ na, dixit: ficus, ubi sunt flores tui? At illa respon-
„ dit: Spina, ubi sunt fructus tui? Tum spina:
„ non dedit mihi natura fructus; neque mihi
„ subjecit ficus, flores addidit. Verùm cùm flos
„ deriveretur in fructum, melius est sine flore, fru-
„ ctum producere, quàm fructu privatum florere. Attamen quia non floreo fructum suavissimum gigno. Hic campus latissimus patet divini verbi præconibus (tempus mihi non suppetit) excurrendi, & perstringendi spinas illas in divitiis, in deliciis florentes, quæ fructum nullum bonorum operum progignunt, ad nihil aliud valere, quam ad comburendum: talis enim omnis arbor, inquit S. Gregorius, paratam gehennæ concremationem invenit, qui hic boni operis FRUCTUM facere contemnit. Brevissimè, & verissimè Doctor mellifluus: Non ex foliis, non ex floribus; sed EX FRUCTU arbor bona, malave dignoscitur. Quare exemplo sanctæ Annæ, facite fructus bonorum operum, facite fructum vestrum in sanctificatione, facite fructus Spiritus, qui sunt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, mansuetudo, continentia, castitas. Facite FRUCTUM CENTUPLUM. Satagite, ut FRUCTUM PLURIMUM afferatis, & FRUCTUS vester maneat. Facite FRUCTUS JUSTITIÆ & misericordiæ, hæc facient FRUCTUM SURSUM, in omnem æternitatem duraturum. Talem Anna fecit in prolixis precibus, devotionis lacrymis, pietatis, misericordiæ, & omnium virtutum operibus. Ut fusè videre est apud Joan. à S. Cyrillo. Ad hoc libet vos hortari non meis, sed aureis Divi Chrysostomi verbis: Nulla sterilis sit arbor; habes divitias, ne planta salices: Talis est enim voluptas, multa insumit, & nullum in se ostendit FRUCTUM, sed perdit. ne plantes populum, nec tiliam, neque aliam talem, quæ sumptum quidem postulant; FRUCTUM vero negant. Tales sunt vestium deliciæ, pulchræ aspectu; ceterum inutiles. Imple arboribus omnia nitida: planta in pauperum manibus, quæcumque volueris, nihil hâc terrâ pinguius. Hæc arbor quando mortuus fueris, FRUCTUM TIBI AFFERET in vitam æternam, & centuplum, & millecuplum, & ex his fructibus arbor bona cognosceris: Quia omnis arbor bona, BONOS FRUCTUS FACIT; ubi Bonaventura: Bona arbor, est bonus homo, BONUS FRUCTUS bona vita. FRUCTUS autem bonitas probatur utilitate, multiplicitate, delectabilitate, durabilitate. Utilitas in retributione: multiplicitas in operatione: delectabilitas in devotione: durabilitas in consummatione, & perseverantia additur. Fructum autem cælestis agricola requirit, non unum aut alterum; sed uberrimum, quod probat ex illo Joan. 15. In hoc clarificatus est pater meus, ut FRUCTUM PLURIMUM afferatis. parum curares de arbore, quæ non afferret nisi duo vel tria poma: similiter de agro non ferente nisi duo vel tria grana. sic & tu, si non vis contemni à Deo, non paucos, sed multos bonorum operum fructus ferre debes. In omni bono opere fructificantes. Etiam in omni membro fructificandum est. Arbor enim multum fructum habere non potest, nisi in multis ramis: MULTI FRUCTUS, sunt multa bona opera; multi verò rami, sunt multa corporis membra: Certè Maria Magdalena MULTOS FRUCTUS in multis ramis habuit, quando multa opera bona in multis membris exhibuit: pedibus enim accessit, oculis flevit, crinibus tersit, manu unxit, corde dilexit. Augustinus: lacrymis rigat, tergit crinibus, ungit unguentis, quid miraris? Terra dedit FRUCTUM SUUM. Fructus delectabilitas est ex colore, & odore, & sapore. Sed fructus bona vita, delectabilitas est, EX COLORE pulchræ conversationis: quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificata. Aquarum, id est lachrymarum, & adversitatum. Item EX ODORE bonæ opinionis; FRUCTUS ODORIS, & honestatis per effectum. Item EX SAVORE mellisflua devotionis; sicut apis colligit fructum de floribus diversarum

Aug. in ps. 11. enarr. 2.
Lobbet. gloria.
Patriarch. p. 10.
Hugo. cit.
Chrysolog. serm. 97.
Deus amat flores qui ad fructum perveniunt.
Hugo Card. in Cant. 7. v. 12.
Hugo cit.
Hugo cit.
S. Cyrill. l. 2. apolog. c. 23.
S. Greg. apud D. Thom.
Matt. 3. v. 10.
Bern. epist. 106.
Rom. 1. v. 22.
Galat. 5. v. 22.
Luc. 8. 8.
Ioan. 15. v. 16.
Iac. 3. 18.
Ioan. à S. Cyrillo. de S. Anna.
Chrysost. in acta c. 10. hom. 22.
Bonaventura dom. 7. post pent. serm. 3.
Ioan. 4.
Sap. 6.
Bonav. dom. 7. post pent. serm. 3.
Eccl. 39.

rum arborum. de quarto: posui vos ut FRUCTUS VESTER MANEAT. *Manere, est durabile esse, ut non citò putrescat per vitium, vel pereat sicut fructus Ægypti psal. 77. dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ, & occidit in grandine vineas eorum. In ærugine, luxuria: in locusta, superbia: in grandine, avaritia intelligitur. Si ergo vis* FRUCTUM TUUM MANERE, *debes Ægyptum, hoc est mundum fugere. Chrysostomus: sicut difficile est arborem juxta viam positam fructum suum usque ad maturitatem servare; sic difficile est virum fidelem juxta mundum viventem, in actibus suis justitiam immaculatam usq; ad finem tenere.* Sed quia fructus vel boni, vel mali, ex ramis dependent, observandum est, in quam partem rami se distendant, & pondus inclinet. Scire vis, quod plures appetunt, quâ morte, quo fato, quo casu, tu, quo filiæ tuæ extremum clausuræ sint diem? arborem attende, ubi casura sit, *ad austrum, aut ad aquilonem.* Aculeum hîc stringit apis Claravallensis: *Homines sicut arbores vidit aliquis; exciditur autem arbos in morte. Videat quo casura sit, antequam cadat: quia postquam ceciderit; non adjiciet, ut resurgat, sed nec ne se vereat. Quo verò casura sit arbor, si scire volueris, ramos ejus attende, unde est major copia ramorum, & ponderatior, inde casuram ne dubites; si tamen fuerit tunc excisa. Rami nostri, desideria nostra sunt, quibus ad austrum extendimur, si spiritualia fuerint; si carnalia, ad Aquilonem.* Atque ut Ecclesiasticus ait: *In quocunque loco ceciderit, ibi erit.*

Arbor quo casura moraliter exponitur. Eccl. 11. 3. Bern. serm 49. ex parvis.

Eccl. 11. 3. Joan Rho. de passione. Dom. c. 18. pag. 443.

Mirandū à Divo Martino Turonensi Antistite prodigium patratum legimus: Arborem antiquissimæ superstitionis, quam ferro violare auderet nemo, ne Domini agro umbra ipsa, in qua plurimum Religionis inesse stolidum ac ferox hominum genus arbitrabatur, malè noceret, ac succrescentes fidei fruges ureret, magnus ille Antistes excisum ibat. Id cum Pagani, per quam ægerrimè paterentur, obluctari, ac si sacram duis arborem, ac Religione Patrum venerandam, ferro attingere ausus esset, malum interminari. Quid multa? cùm neque de constantia Martinus, neque de pertinacia illi quidquam remitterent, tandèm ita conveniunt, ut se excisuros recipiant, si ruentis pondus in partem, si cæderetur, ruinam certissimè daret. Nec mora, ubi Martinum sub ictu collocarunt, tum certatim securibus instantes à radicibus exscindunt, & jam ingenti fragore in Dei hominem vasto pondere illum oppressura procumbebat, jam insanientis multitudinis clamor erat exortus; cùm magnus Præsul, crucis expressum in aëre signum opposuit. Res mira! non aliter ac si violentissimis machinis adacta fuisset arbor, in adversam partem rejecta, illos, qui exciderant, improvisa ruina propemodum involvit, & majore adhuc miraculo ab ipsa in quam summo studio, ardentibusque animis tum maximè incumbebat, impietate revocavit. Homines arborum instar stare, ac ita cadere, ut in quam partem procubuerint, sive ad austrum, sive ad Aquilonem, ibi futuri sint, sacra docent oracula. Videte in quam partem cadatis. Multæ hîc arbores in Aquilonem pronæ, & pravorum desideriorum ramis, ac malorum operum pondere proclinant. Prodigio opus, & virtute ex alto, ut in alteram partem cadatis.

Miraculū S. Martini circa arborem excisam.

Ad quod non minùs potens D. Annæ, quam fuerit S. Martini, patrocinium est, quæ non uni peccatori jam ad Aquilonem ruituro, & æternum perituro auxilium cælestis gratiæ, quam Anna sonat, impetravit, & in alteram salutis partem potenter deflexit. Doctor Seraphicus tractans illud Matt. 7. *Omnis arbor quæ non facit, &c.* sic ait: *Voluntas uniuscujusque est arbor mala, vel bona: Et sicut arbor radicatur in terra, sic voluntas in anima: manente integra natura, affectu voluntatis corrumpitur, vel in melius mutatur.* Tum pergit: *Quæ non facit fructum.* FRUCTUS *arboris malæ, sunt opera carnis: fornicatio, luxuria, avaritia, &c. quos fructus non nisi mala voluntas facit*; & hanc arborem malam ait Dominus excidendam, & in ignem mittendam. Unde subdit idem Doctor: *Plenum formidine est hoc verbum: Dominus enim sub metaphora arboris infructuosæ, quatuor mala ostendit circa damnationem impii. Ostendit quod culpa est inexcusabilis, sententia inevitabilis, pœna interminabilis, gratia irrecuperabilis. De primo dicitur Lucæ 13. arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, &c. ficus sterilis, est malus Christianus.* FRUCTUS, *quem Dominus quærit, & non invenit, est de quo dicitur ad Ephes. 5.* FRUCTUS *enim lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate. Tres autem anni, sunt tres ætates: puerilis, juvenilis, & virilis, quartus est senectus; sed ecce miser senex non pluit super terram cordis sui annos tres, & menses sex. Utinam saltèm in ultima parte anni, pluviam gratiarum, vel lachrymarum reciperet, ut sic* FRUCTUS FACERE *posset. Circumfoditur, dum Christus propter hominem perforatur, &c. Quicumque post tantas inducias, & curas non* FECIT FRUCTUM, *inexcusabilis est.* De secundo: jam securis ad radicem arborum posita est; securis sententiam significat. O quantus ignis erit, quando omnes steriles arbores ardebunt, sicut patet quando nemus incenditur, & tot millia arborum simul ardebunt: & quantò plures, tantò horribiliùs: *Secundum enim ligna silvæ, ignis ardescit.* Et ubi est silva in mundo, quæ habet tot arbores, quot sunt peccatores in inferno? sed ne longiùs evagemur, compello vos parentes, qui ut omnis homo rectè arbori assimiletur, proprissimè eo titulo gaudetis, qui generationis vestræ arborem studiosè excolitis, & indagatis: quales vos sitis, argumento est illud Matthæi: EX FRUCTIBUS CONNOSCETIS EOS. Atque illud Lucæ 6, quod hactenùs pertractavi, perappositè in vos cadit: *Unaquaque arbor de* FRUCTU SUO *cognoscitur.* Et qualis radix, tales fructus, tales rami, nam ut rectè D. Bonaventura: *malæ radices, mali parentes: mali rami, sunt mali filii, & nepotes.* Ex filii, & filiæ institutione, qui fructus vestri sunt, optimè de patre, & matre judicatur. Vitis illa terræ promissionis, quæ ut prædiximus, typus S. Annæ exstitit, quam abundans, quàm fertilis, quàm præstans, & excellens fuerit, non ex verbis, non ex racemis, aut palmite declararunt; *sed ut ex* HIS FRUCTIBUS, inquiunt, *cognosci potest.* Qualis Anna vitis extiterit, nullis verbis exponi potest; sed ex fœtu, & fructu, ex filia Maria cognosci potest. Unde Aloysius Novarinus, scriptor egregius: scitum est arborem ex fructu cogno-

Bonavent. Dom. 7. post pent. serm. 1.

Idem serm. 2.

Idem ibid.

Eccl. 28.

Cognoscuntur Parentes ex liberis, sicut arbor ex fructibus. Matt. 7. v. 10.

Bonav. Dom. 7. post pent. serm. 2.

Numer. 13

Novarin. umbra Virg. n. 1299.

,, cognosci, ut qualis fructus, talis arbor cen-,, seatur. *Anna*, tanquam arboris, fructus *Ma-*,, *ria* est, Dei mater. A fructu pendet quam ,, insignis & singularis arbor sit, quæ eam protulit. Tum subdit: bene, & verè Joannes Osorius, celebris per Hispaniam Ecclesiastes: *Sicut arborem ex fructu cognoscimus & benedicimus, ita* ANNÆ *dignitatem ex* MARIA, *fructu illius cognoscemus.* Nullus hujus arboris Annæ excellentiam plenè intelligit, quia nullus fructus ejus magnitudinem, præstantiam, dignitatem perfectè comprehendit. Tota Mariæ dignitas, hoc brevi, sed summo elogio continetur: *De qua natus est Iesus;* sic & omnia complexus sum, dum dixi: de qua nata est MARIA: Annam peperisse eam, quæ Deum peperit. Quare si de Deiparæ excellentiâ præclarè dixerit D. Amedeus: *Omnis arbor* EX FRUCTU *cognoscitur, & ex propria virtute pensatur. ita nimirum laus nati, Genetrici exuberat, & honorem partus divinus puerpera accumulat.* Haud aliter ex fructu, quem Anna peperit, rectè S. Fulbertus ejus dignitatem extollit, dum ait: *Vere beata, & omni veneratione habenda, & quodam privilegio facto prædicanda mater hujus sancta* (Virginis) *quæ omnes antecessit matres in concipiendo, & generando eam, quæ suum, & omnium generaret Creatorem.*

Anna ex Maria velut è fructu cognoscitur

Osor. in fe. sto S. Annæ

Amedeus. hom. de laudib. Virg.

S. Fulbert. serm. in ortu B. Virg.

Sed ut in scopum præfixum collimemus, & fructum ex arbore cognoscamus, nihil mihi aptius, & accommodatius visum est, quam fructum illum terræ promissionis, in vecte deportatum, vobis proponere, è quo de ubertate terræ, quæ produxit, facilis erit conjectura; cui si *S. Annam* contulero, novo conceptu, qualem *vitem Mariam*, & *Christum Botrum* protulerit, non abs re, vatis concionatorum ingeniis videbitur. Sexcentos numerare licet, quos sancta curiositas tenuit, sacros codices pervolvendo, extimas orbis terrarum plagas perlustrando, ut investigare possent, quæ & qualis illa terra promissionis, in quam electus Dei populus introducendus esset, extiterit: quæ omni rerum fertilitate, ubertate, & abundantiâ, lacte & melle manasse perhibetur, ut meritò gentiles Poëtæ, non tam ineptè fabulati, quam verè vaticinati sint, campos rectè Elysios nuncupari. Hanc terram Chanaam describere, & quidquid de ea sacri codices, & Ecclesiastici Scriptores comminiscantur, instituto nostro minus accommodum, & prolixum foret enarrare: sufficerit brevem rei seriem à divino historico, & Israëlis Legislatore Moyse dilucidè expositam, non tam verbis subjicere, atque ut ajunt ex ungue Leonem, ex linea Apellem, ex fructibus arborem, solique ubertatem recognoscere. Cum Filii Israël impotenti ac impatienti desiderio flagrarent ad hanc terram promissionis possidendam, misit Moses *Principes viros, singulos de singulis tribubus*, de quibus Josephus: *Exploratores eligit duodecim nobilissimos, ex unaquaque tribu unum;* illis autem hæc Moses in mandatis dedit: Ascendite per meridianam pla-,, gam, cumque veneritis ad montes, conside-,, rate terram qualis sit: Et populum qui habi-,, tator est ejus: utrum fortis sit, an infirmus: si ,, pauci numero, an plures: ipsa terra, bona an ,, mala: urbes quales, muratæ an absque muris:

Quæ & qualis terra promissionis.

Numer. 13. Josephus apud Salian. a. mundi. 2545. Num. 13.

Num. cit.

humus pinguis an sterilis: nemorosa an absq; " arboribus. Confortamini, & *afferte nobis de* " *fructibus terræ.* Erat autem tempus quando jam " præcoces uvæ edi possunt. His auditis ait Phi- " lo, ad explorandum proficiscuntur, deducente universâ multitudine, soliciti ne comprehensi luant supplicium, & accipiatur geminum incommodum, virorum tributim selectorum interitus, cum ignoratione rerum, quarum notitia petebatur. Habebant autem secum duces peritos locorum, quos sequebantur in itinere. Cumque appropinquassent finibus, ascenso monte altissimo, contemplabantur regionem magna ex parte campestrem, feracem hordei, tritici, atque pabuli; montana quoque vitibus, & arbustis, ubique virentia, distinctáque rivis, ac fontibus, adaquandi copiam, ut à radicibus usque ad cacumina, tota latera montium opaca essent continuis arboribus, *&c.* Hæc Philo. Memores porrò exploratores accepti mandati, de terræ frugibus afferendis, *pergentes ad torrentem botri,* ABSCIDERUNT PALMITEM CUM UVA SUA, *quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis, & de ficis loci illius tulerunt.* Itaque reversi exploratores terræ post quadraginta dies, omni regione circuitâ, ve- " nerunt ad Moysem & Aaron, & ad omnem " coetum filiorum Israël, locutique eis, & omni " multitudini ostenderunt fructus terræ, & nar- " raverunt dicentes: venimus in terram, ad " quam misisti nos, quæ revera fluit lacte & " melle, *ut ex* HIS FRUCTIBUS COGNOSCI " POTEST. Salianus scribit credibile esse, ficus, & mala granata, botro, proportione respondisse, in evidens fertilissimæ Regionis argumentum; sed præ his, racemus uvæ, seu botrus, omnibus admirationi, & stupori fuit; de quo libet Philonem audite differentem: *Nihil*, inquit, *magis* QUAM VITIS FRUCTUM MIRABANTUR: *pendebant enim prægrandes uvæ de palmitibus, spectaculum vix credibile. Harum unam exsectam suspenderunt è vecte medio, cujus extrema imposuerunt humeris duorum juvenum: Atque ita deportabant, alius post alios propter pondus succedentibus.* His enarratis, videor mihi videre vestros omnium animos, ad terram illam desiderabilem, terram fluentem lacte & melle: Ad palmitem illum, seu vitem uberrimam contemplandam, ardentiùs inflammari, atque omnibus salivam moveri, ad botrum illum portentosum, quódq; ex eo fluit mustum degustandum, orexim excitari. Dabitur profectò hodiernâ luce, ut & votis potiamini, & desideriis vestris perfruamini, dum *Annam* Genetricis Dei parentem, à mille sæculis promissam, tot, tamque inflammatis sanctorum Patrum, ac Prophetarum precibus expetitam, *terram sanctam, terram promissionis* ostendero, quæ palmitem nobis, seu *vitem Mariam* protulit, ex qua *suavissimus fructus* DULCIS JESUS prodiit. Quæ tria, tantum terram Chanaam filiis Israël promissam, ipsum palmitem cum botro in vecte delatum antecellunt, quantum terrena cælestibus, humana divinis, caduca æternis concedere necesse est.

Botrus in vecte ex terra promissionis allatus. Numer. 13

Salian. cit.

Philo apud Salian. cit.

Damasc. orat. 1. de nat. B. V.

§. II.

Anna *ab æterno ordinata, promissa, & avidè expetita, rectè terra promissionis indigetatur.*

S. Anna terræ promissionis comparatur, cujus fertilitas ex fructibus innotuit.
Pet. Damian. serm. 2. de nativ. B. Virg.

ÆTerna Dei sapientia, quæ in sui dispositione non fallitur, cum humani generis ruinam in ipso protoparentis lapsu prævidisset, naturam nostram assumere statuens, unà & matrem è qua nasceretur præordinavit, cujus arcani consilii secretum, Cardinalis Damiani hisce verbis expressit: *Sicut Omnipotens Deus, ineffabili providentia sua intuitu, antequam homo fieret, hominem periturum, diabolicâ machinatione prævidit; sic etiam redemptionis humana consilium ante sæcula, in immensæ pietatis suæ visceribus habuit. Sicut ergo* (juxtà decretum Dei) *impossibile erat, ut humani generis redemptio fieret, nisi Dei filius de Virgine nasceretur, ita etiam necessarium fuerat, ut Virgo, ex qua verbum caro fieret, nasceretur.* Sicut ergò virgo Maria ab æterno ordinata, & prælecta est, ut Verbi divini in carne humana mater existeret, simul & S. Annam, Deiparæ Genitricem, ac Christi Salvatoris aviam, generationis serie ab æterno ordinatam, ac prælectam, nullus dubitationi locus relinquitur. Quam prædestinationis seriem Abbas Trithemius, eximius Augustæ matris Annæ encomiastes, his verbis exponit: *Sicut omnipotens Deus ante mundi constitutionem tempus quo nasceretur in carne disposuit, sic etiam parentes, de quibus nasceretur præordinavit: neque enim invenit parentes Dei filius, sed præmisit. Non fortuitò casu illos reperit, sed mirâ dispensatione ab æterno praelegit. Confidenter ergò* BEATISSIMA ANNA *dicere potuit illud, quod de æterna Dei sapientia dicitur:* DOMINUS POSSEDIT ME IN INITIO VIARUM SUARUM, ANTEQUAM QUIDQUAM FACERET à PRINCIPIO. *Erat ante mundi constitutionem in mente divina, non per naturam facta, sed per gratiam præordinata.* Undè rectè concludit: *Verè dignè est honoranda, quam gratia Dei præveniendo, in matrem genitricis disposuit, & semper conservando* SANCTISSIMAM *effecit.* His consonat Divus Andreas Cretensis: ANNA *jam à generationibus, est prasignita casta Virginis mater, ex qua creatura auctor, formâ servi processit.* Hic paucis vos compello, si ulli mortalium ea felicitas obtigisset, ea à benigno numine gratia concessa fuisset, ut suos sibi progenitores, matris suæ parentes, avos suos, quos vellet, deligere potuisset, an non illos regiâ stirpe illustres, an non bonis omnibus, gratiis, & virtutibus supra omnes mortales, præcellentes adoptasset? Aut si cui vitis præstantissima, quæ raros ae alterius, ut ita dicam, orbis botros proferret, insigni munere promissa esset, atque ad eam plantandam, scientia divinitus infusâ, cujusvis fundi quà orbis patet, sibi solum aut terram deligere posset quàm vellet, nónne eam quæ optima, quæ fertilissima, quæ amœnissima, quæ lacte & melle manaret, adscisceret? Ita in electione Annæ, ab increata æterni Verbi sapientiâ, in matrem *Deipara*, & *Iesum* nepotem, præ omnibus quæ in lege nova & veteri illustres matronæ exstitere, illam longè excellentiores prærogativas accepisse, nemo quisquam jure refragabitur. Hoc in beata sua solitudine, & sacro silentio divinus Scriptor Lanspergius contemplatus, ait: *Licet mihi commendes omnes à constitutione mundi præclaras, multarúmque virtutum insignes mulieres; nulla tamen illarum fuit, quæ tanto donaretur privilegio, ut matrem Dei, & totius consolationis pareret, quod solum huic nobili matronæ, peculiariter reservatum est. Quæ ex nobili prosapia propagata, ita virtutibus vitam omnem reddidit clariorem, ut in ea nihil desiderari possit, quod ad virtutum cumulum attineret.* Quod ut evidentiùs appareat, recogitare animis ante omnia tempora momentum illud æternitatis, quo in mente divina, omnes egregiæ quæ unquam exstitere fœminæ, famâ & formâ, naturæ & sanctitatis gratiâ eximiæ obversatæ sunt, è quibus unam in genitricem Dei matris, & Unigeniti filii sui aviam assumeret. Hic sese offerebat SARA *pulchra nimis*, quæ risum peperit; juxta illud Gen. 21. v. 6. *Risum fecit mihi Dominus.* Occurrere poterat REBECCA, *puella decora nimis, virgo pulcherrima*, quæ indolis suæ ingenuitatem, & benignitatem ostendit, dicens: *Bibe Domine mi, quin & camelis tuis hauriam aquam.* Obversabatur æternæ sapientiæ, RACHEL *decorâ facie, & venusto aspectu.* Incurrebat in divinos oculos *benedicta inter mulieres* JAHEL, inclyta illa heroina, *quæ sinistram manum misit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram.* Si viraginem quærebat, cur non generosam illam Debboram elegit? de qua Judicum 5. v. 7. *Cessaverunt fortes Israël, donec surgeret* DEBBORA. Si mulierem fortem, cur non JUDITHAM? omni encomio prædicandam, non solum quod Holofernem obtruncarit; sed insuper *erat eleganti aspectu: in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valdè, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Si prudentem, ac sapientem spectabat: ABIGAIL *erat mulier prudentissima, & speciosa*, quæ iratum Davidem placavit, dum sic ad illam: *Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & ulciscerer me manu mea.* Quid ni, ESTHER, quæ *incredibili pulchritudine* placuit Assuero, qui typus Christi fuit, in matrem Deiparæ deligeretur? aut MARIA PROPHETISSA, *soror Aaron*, vel *Anna* illa quæ Prophetam magnum Samuelem à Domino precibus impetravit: *Pro puero isto oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam.* Ad manum quoque erat altera ANNA PROPHETISSA, *filia Phanuel, quæ non discedebat de templo, jejuniis, & obsecrationibus serviens nocte ac die.* Omnes denique antiquitatis viragines illustrissimæ in ideis divinis præsentes erant; sed præ his omnibus *Annam*, beatissimam *Ioachimi* conjugem elegit, in qua non modo quæ in aliis matronis singulæ dotes recensitæ, omnes simul eminenti quâdam ratione relucebant; sed & longè pluribus aliis, ut matrem Dei genitricis, & Christi Aviam decebat, excellentiis, prærogativis, ac gratiis locupletata fuit: ipsa etenim

Trithem. de laud. S. Annæ c. 5.

Andreas Cretensis in cant. de nativ. B. Virg.

S. Anna præelecta in matrem Deiparæ, & Christi aviam, omnes fœminas antecellit.

Ioan. Lansperg. serm. de S. Anna.

Gen. 24. v. 16. v. 18.

Gen. 29. v. 17.

Iudic. 5. 24. & 26

Iudith. 8. v. 8.

1. Reg. 25. v. 3. v. 33.

Exodi 15. v. 20.

1. Reg. 1. v. 27

Lucæ 2. v. 36. & 37

Sarâ illustrior, nonmodo MARIAM, *causam nostræ lætitiæ*, sed & terræ ac cæli risum, per illum nobis *Iesum* protulit. Quin & illud de *Anna* jure usurpare possim, quod Augustinus de Sara: *Sit mater in pectore, sit mater in partu. sit inquam mater, quæ* AVIA *fuerat per ætatem*, nempe *filii Dei*. Hæc verior *Rebecca*; de qua illud Divi Ambrosii rectiùs pronuntiaro: *Hæc habuit undè non solum puerum, sed etiam camelos adaquaret: quæ non solum justos rigare consuevit, sed etiam injustos replere.* Hortetur S. Ephrem quamvis fœminam, ad unam *Rebeccam* attentiùs considerandam, dicens: *Animæ ejus virtutem contemplare: nihil segniter, nihil superbè, nihil arroganter factum comperies*; nemo non dixerit illa veriùs, & illustrius de *Anna nostra* prædicari. Laudetur *Benedicta inter mulieres Iahel*; sed hæc vix umbra fuit *Annæ*, ex qua filia prodiit verè *benedicta inter mulieres*, quæ caput Sisaræ, id est hostis infernalis contrivit. Mulierem fortem diu quæsitam, nec in *Debbora*, nec in *Iudith* repertam, non nisi è regia, & sacerdotali stirpe assumptam *Annam*, toto orbe ejus festo decantat Ecclesia: *Mulierem fortem quis inveniet*, in quem locum omnia Sanctorum Patrum oracula, & divinorum præconum resonant ora: Et integras panegyres de hoc argumento apud auctores videre est. Eximium fuerit, quod vix homini contigit, Judithæ præconium: *Non erat, qui loqueretur de illa verbum malum*; hoc si ulli mortalium contigerit, *Annæ* propriissimè convenire, mox demonstrabo. *Abigail* prudentiâ suâ Regem Israël placarit, & exarmarit, *Anna nostra* cælestis Regis iram, non semel, sed millies compescuit, & fulgurantem gladium à peccatorum cervicibus amovit. ESTHER *incredibili suâ pulchritudine* apud Assuerum gratiam invenit; & *hostem suum & inimicum pessimum Aman* patibulo tradidit. At *Anna*, quæ gratiam sonat, & *Mariam*, matrem gratiæ parturivit, cacodæmonem quem Aman præfiguravit, per filiam obtruncavit. Plusquam Prophetissa fuit, quæ Reginam Prophetarum, ac omnium Prophetarum Dominum nobis protulit, quo uni, & alteri Annæ, infinitis parasangis antecellit, quæ omnes omnium virtutum excellentias complexa est, ut præclarè sanctus Damascenus expressit: ANNA, *quæ gratiam sonat, non minùs morum, quàm matrimonii jugo cum* JOACHIMO *copulata erat; verum omni virtutum genere florebat.* Non dixit omni virtutũ specie, sed genere; quótque autem genus, innumeras sub se virtutum species complectitur; ut nulli in ulla virtute, aut sanctitate concederet, ut idem Doctor indicavit: *Quemadmodum*, inquit, *prisca illa* ANNA *cùm sterilitatis morbo laboraret, per orationem, ac promissionem, Samuelem procreavit: Eodem modo* ANNA *mater Virginis per obsecrationem, & promissionem, Dei genitricem à Deo accepit.* VT NE HAC QUOQUE IN RE ILLUSTRIBUS MATRONIS CEDERET. Expendendum illud: *Vt ne hac quoque in re*; nam quæ in cunctis minimè cedebat, nec quoque hac in re cessit, si stirpem avitam, & progeniem spectemus, Nicephorus consulendus, qui ait: ANNA *accuratiori, juxta præscriptum legis, vitâ præstans, nec non primis quibúsque, & splendidissimis, nobilissimisque genere connumerata*; quod & ad genera virtutum, quibus non fœminas dumtaxat, sed & antiquos Patriarchas superavit, Mendosa noster, & qui omnes laudes S. Annæ doctè & divinè complexus est, Carmeli decor ac columen R. P. Joannes Thomas à S. Cyrillo traduxerunt; hinc si fidem Abrahæ, Isaaci obedientiam, Mosis mansuetudinem, Davidis pietatem, Jacobi ardentem in Deum amorem, cunctorúmque Patriarcharum, ac Prophetarum virtutes expendas, dicet Nicephorus: *Adhuc* ANNA *accuratiori, juxta præscriptum legis, vitâ præstabat.* Alii quidem Sancti, etsi eximiâ virtutum excellentiâ præditi fuerint; suos tamen quisque nævos, qui reprehendi possent, habuêre; sed dum de genitrice Deiparæ sermo est, Hieronymus Doctor maximus: *Vita*, inquit, ANNÆ *apud Deum recta, apud homines* IRREPREHENSIBILIS ERAT. Quam rara, & præclara hæc encomia, quæ vix ulli mortalium obtigêre? cùm ut idem Hieronymus testatur: *Fieri non posit, ut absque morsu hominum, vita hujus curricula quis pertranseat.* Invenire est fœminas in Deum pias, in oratione prolixas; sed & querulas, ac iracundas: quasdam in pauperes profusas: sed superbiâ elatas: nonnullas ingenio & prudentiâ præstantes: sed & tenaces, ac avaras: alias honestas, pudicas, justas; sed dicaces, ac garrulas: Nã, quæ omninò irreprehẽsibilis est, quis inveniet? Hæc laus parenti divinæ filiæ debebatur, de qua Sponsus canit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quod Septuaginta verrunt, & REPREHENSIO *non est in te.* Hoc enimverò decebat, ne quid *in Anna* reprehensibile esset, quod in talem filiam posset redundare. Quod si D. Chrysologus, ob eximiam Præcursoris sanctimoniam, insigni elogio parentes celebravit, inquiens: *In Zacharia, & Elizabeth reatus occidit, periit querela, omnis est amputata causatio: quia in illis parabatur, unde tota sanctitas nasceretur*, quid de Deiparæ parentibus sentiendum? quantò *Maria* sanctitate, & gratiâ Joannem præcellit, tantò parentes ejus, à culpa, & reprehensione omni, maximè alieni censendi, *quia in illis parabatur, undè summa sanctitas nasceretur.* Olim à prudentia sermonis, insignis heroina *Iudith* commendata fuit, populo acclamante: *Non est in sermonibus tuis ulla* REPREHENSIO, *ergo ora pro nobis, quia mulier sancta es.* Ex solo sermone irreprehensibili, *Iudith* sanctitas innotescit; at non modò ex sermone, sed ex opere, ex tota *vita irreprehensibili*, vestram, *ô beata Anna*, sanctitatem comperimus. Verissimùm comprobatur illud Damasceni, ex iis quæ hactenus dicta sunt, ANNA, *quæ gratiam sonat, non minùs morum, quàm matrimonii jugo, cum* JOACHIMO *copulata erat; verùm* OMNI VIRTUTUM GENERE FLOREBAT. Quas ut & vos honestissimæ matronæ, & D. Annæ amantes, æmulari possitis brevi in elencho, seu speculo, oculis vestris ex Abbate Trithemio subjicio: *Erat* ANNA *incessu gravis, vultu gratia relucentis placida, consilio matura, sermone composita, cultu & operatione sanctissima. In lege Domini die meditabatur ac nocte, fide firma, spe robusta, gemina charitate repleta, orationibus semper instare didicerat, & Domini Adventum cum maximo desiderio expectabat. Erat honesta in opere, humilis in mente.* Quod si hæc vobis magis admiran-

Marginal notes: *Aug. serm. 68 de temp. in append. 37.* — *Amb. de Abraham lib. 1. in fine.* — *S. Ephrem. serm. de patientia & compunct.* — *Iudith. 8. v. 8.* — *Esther. c. 2. v. 15. c. 7.* — *Nazian. orat. 1.* — *Damasc. orat. 1. nativ. Virg.* — *Damasc. l. 4. de fide c. 15.* — *Niceph. l. 1. hist. c. 7.* — *Esteb. de mendosa. volum. 6. lib. 10. de S. Anna. Ioan. Th. à S. Cyrillo de S. Anna l. 7.* — *Hieron. de ortu B. Virg.* — *Et Fulbert. Carnot. serm. de ortu B. Virg.* — Aliæ virtutes Annæ. — *Hier. epist. ad Furiam* — S. Anna irreprehensibilis quod vix ulli Sanctorum contigit. — *Cant. 4.* — *Chrysolog. serm. 89.* — *Vega. Theol. Mariana. n. 922.* — *Iudith. c. 8* — *Damasc. orat. 1. de dormit. Virg.* — *Trithem. c. 6. de laud. S. Anna.*

randa, quàm imitanda videantur, ad ea quæ subnectit mores vestros conformare potestis: *Nemo unquam per vicos & plateas discurrentem illam reperit: nemo in domibus vicinarum inutiliter fabulantem audivit: nemo ad choreas, & spectacula unquam illam adstitisse invenit. Domi manere à juventute sua didicit; laborare aliquid manibus consuevit, concordiam in bono, & pacem cum vicinis observare studuit, nemini injuriam fecit, verbo & opere neminem perturbavit. Rarò videbatur in publico, in plateis cum mulieribus fabulantibus non sedebat: Et in colloquio detrahentium non stabat; sed omni custodiâ servabat cor suum, ne unquam in sermone offenderet. Sanctis itaque studiis, & exercitiis intenta fuit;* Sed illud gloriosissimum est, quod testatur S. Brigitta, Joachimi & Annæ conjugio, nullum unquam sanctius, nullum unquam honestius fuisse; sic ei Angelus de Christo, loquitur: *Dum universa justa, & honesta conjugia, quæ à prima hominis creatione, usque ad diem novissimum fieri debebant, prospiceret, nullum simile Ioachimi & Annæ conjugio, in omni divina charitate, & honestate prævidit, & ideo ei placuit de hoc sancto conjugio, suæ matris corpus generari.* Quid ni hujus sanctissimi connubii paranymphum, *sanctum Spiritum* dixero? Quare descende cælo, ubi nil agis sanctissime Hymen, duas extra cælum sanctissimas animas copulaturus *Ioachim & Annam*. Illum Regiâ, hanc sacerdotali stirpe, ut dotali utroque apice nepotem instituant, inter Reges Pontificem, inter Pontifices Regem. Age jugalibus nodis, quos æternitas nexuit, cor geminum stringe, vel unicum divide, ut alter sponsus ex altero spiret. Ultra viginti annos Anna sterilis, prolem utero capiet, mundo majorem, stupente rerum naturâ, tam fœtam, quàm fœtum. Adde novam inter fœminas laudem, citra sobolis crimen, matrem fieri: nam ceteræ carnifices, antequam matres: partum conficiunt, dum concipiunt; è cælo dimissam animam, eodem momento, orco exponentes, vitam largiuntur, & mortem. Sola *Maria* parentis honos, non onus, maternum uterum condecoravit intrando. *Anna* penates alterum cælum merito voces, ubi sacra familiæ Trias, corporibus tripartita, animis una, genitor, genitrix, & genita beabitur, & beabit. Omnia denique in unum vota colligent longævi conjuges, cum sese numinis avos mirabontur. Tanta gaudia nec ego effari, nec vos capere potestis. O si ad hoc exemplar vitam suam conjuges instituerent! quanta in familia pax, concordia, voluntatum consensio, pietas, sanctitas efflorescerct? Quàm longè omnis dissensio, discordia, rixa, vanitas, ebrietas exularet? quod fiet si maritus Joachimi temperantiam, uxor Annæ modestiam, & mansuetudinem æmuletur; tunc enim in eos non cadet, quod in virum temulentum, & uxorem rixosam præclarus Auctor ingeniosè scripsit alludens ad Anagramma, quod Anna continet:

Palavicino in vita Deipara, p. 81.

S. Brigitta serm. Angel. c. 10.

S. Spiritus paranymphus conjugii inter Joachim & Annam

Ingeniosum epigramma ad nomen Annæ.

Maeckt gy een Annagram, t'is vvel, t'syn vvonder sacken.
Droncke Matthys vveet vvel een ANNAGRAM *te maeken:*
W'ant kompt hy droncken t'huys, Anna spouvvt vier een vlam:
W'at dunckt u? maecht Matthys dan niet een ANNA GRAM?

Ejusmodi ut resipiscant, sat erit, si mutum Sanctorum conjugum Epitaphium loquatur. *Ad laudem Sanctorum senum, Ioachimi & Annæ, sat erit inscriptum perbreve sepulchris elogium.*

Cancellot. p. 144. anno Deip. 11. ante Christ. 5.

S. Joachimi, & Annæ, Deiparæ parentum elogium.

Siste viator.
Sepulchralis, augustúsque lapis claudit
Augustæ magnitudinis virum,
Magnæ Dei matris Parentem,
Maximique Regum Regis JESU CHRISTI *Avum,*
Stirpe Davidicum, virtute sanctissimum,
Gloriâ nulli divorum secundum;
Diu quidem sterilem,
Sed ab unica tantum prole, repentè fœcundum, felicémque.
Obiit meritorum plenior, quàm dierum,
Senex quamvis octogenarius.
A filia & nepote nobilior multò,
Quam ab avorum serie præclarissima.
Atque ab unius administratione familiæ, plus dignitatis consecutus,
Quam ab urbium, orbisque dominatu Reges & Cæsares.
Non lachrymis huic parentandum, sed laudibus;
Digno planè cui serviat vita mortalium,
Quoniam filiam habuit, vitæ sequestram immortalis;
Ima summis, terras cælo, homines Deo conciliaturam.
Quicumque MARIÆ *filius audis, & cliens,*
Quo loco JOACHIMUM *habebis, qui eam genuit?*

ANNAM verò tanti viri sanctissimam conjugem, hoc Epitaphio quidam prosecutus est:

ANNAM JOACHIMO *proximam,*
Olim sanctitate, & conjugio, nunc tumulo,
Suspice, quisquis ades, si pius.
Laudibus & cultu ne disjungas, quos vitæ similitudo,
Quos dignitas, quos meritorum ratio conjunxit.
Bethleëmiticis illa fuit,
Vt natalium JESU CHRISTI *gloriam sortiretur.*
Viro sanctissimo nupta, sed sterilis.
Delevit sterilitatis notam partu unico,
Melius certè quam aliæ pluribus.
DEI MATREM *enixa, tantam ilicò prolem obtulit cælo,*
Suæ coronam senectutis:
Imo & orbi terrarum, sanctioris Dei auroram,
Et aureæ parentem ætatis.
Laus summa longævæ matris, nullo ævo tacenda,
Matrem communem omnium parentis peperisse:

Eru-

...duisse Apostolorum magistram,
Imperasse Virgini, sui in homines, in Angelos,
In Dei filium destinabatur imperium.
Immortalibus Heroina meritis
Mortalium Religio cultum, fidelitas famulatum,
Pietas obsequium debet.

S. Paulin. epist. 29. Subscribit D. Paulinus: *Felix Ioachim! Invenisti pulchrum adjutorium tibi, ad tehabens conversionem suam; de tuo nutu pendet, & de tuo statu sistit: In vestigiis tuis ambulat, in animâ tuâ animatur, pro vitâ tuâ deficit, ut in tuâ vitâ reficiatur.* Hæc omnia S. Annæ præconia, nemo quisquam mirabitur, si divinam Angelici Doctoris mentem assecutus fuerit, cujus hæc irrefragabilis do-S. Thom. 3. p. q. 27. a. 4. ctrina est: *Quos Deus ad aliquid eligit, ita praparat, & disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei.* Igitur cùm præpotens Deus summam dignitatem huic fortunatissimæ fœminæ contulerit, eamque singulari bonitatis suæ privilegio, jam inde ab omni æternitate, ex universis creaturis in genitricis unigeniti sui matrem eligere dignatus fuerit (quæ supereminens dignitas est, & infinitæ cujusdam excellentiæ opus, eidem quoque & cætera, quæ ejusmodi dignitati congruerent, juxta perfectissimam infinitæ sapientiæ suæ dispositionem exhibuis-Lansperg. serm. de S. Anna. se, ac ita præparasse convincitur. *Ad hoc figendum*, inquit insignis pietate & eruditione scriptor, *Deus superbenedictus* ANNAM *ab æterno procul dubio praelegit, ut post filiam Deiparam, ipsa, omnibus ab initio saeculi ampliori munere cunctis praestaret feminis.* Quemadmodum, si Deus gratissimam sibi, quam in orbe plantare arborem decrevit, optimum illi solum, & terram uberrimam præpararet; qualis fuit terra promissionis, cujus fertilitatem, abundantiam ex palmite & uvâ, quam inde detulerunt, cognoscere fuit, ut re-Tostatus in 13 Numer. ctè Tostatus: *Ille botrus fuit portatus in admirationem, & signum ubertatis, atque pinguedinis* TERRÆ. Et quisquam inficiabitur, palmitem seu vitem ex qua *Botrus Iesus* dependet, (ut infra ostendemus,) *in admirationem, & signum esse, ubertatis omnium virtutum, & pinguedinis* benedictionum *terra* hujus promissionis, hoc est *Annae?* At quo pacto hæc, cum sterilitate Annæ congruere posse existimatis? Novum hîc, & insolens mysterium, ac maximè prodigiosum Damasc. orat. 1 de dormit. Virg. dexteræ excelsi miraculum. *Anna*, inquit Damascenus, *quamvis omnium virtutum genere floreret; tamen arcana quadam ratione sterilitatis morbo tenebatur.* Hujus arcanæ sterilitatis causam as-Damasc. orat. 1 de nat. B. V. signat primam: *Quoniam scilicet, ut ad id, quod sub sole novum erat, ac miraculorum omnium caput, via per miracula sterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad sublimiora progressus fieret.* Incarnationem Quare Deus permisit Annam sterilem relinqui? Verbi, nativitatem ex Virgine, quis nescit maximum miraculorum omnium miraculum? Ad quod Deus miraculosam ex sterili Anna fœcunditatem disponebat. Voluit ergo, ut ante sterilis pareret, & hoc miraculum præcurreret, illudq; prænuntiaret totis sæculis inauditum, & sub sole novum, ut non sterilis, sed virgo Deum pareret & hominem. Quod in nativitate Joannis Bapt. ex sterilibus parentibus pro-Dion. Car. l. 1. de bat Doctor Ecstaticus Dionysius Carthusianus: *Si, ut ait S. Maximus, decentissimum fuit, ut* ipse Ioannes, Christi Præcursor *miraculosè nasceretur* laud. S. Anna a. 8. S. Maxim. serm. de S. Ioan. Bapt. *de sterili matre, quatenus mirabiliter natus, mirabiliùs nasciturum Dominum Christum suo exordio designaret; sic decentissimum fuisse videtur, ut praelecta genitrix Christi, ex sterilibus gigneretur parentibus, quatenus mirabiliter nata, mirabiliùs conciperet, ac pareret* DOMINUM SALVATOREM, *& suâ nativitatis miraculositate præsignaretur miraculosissimè conceptura, ac paritura totius naturæ Auctorem unigenitum Dei, tamen patre, quàm ex matre mirabiliter natum.*

Ut potentiam suam Deus magis manifestet, ea quæ per naturam fieri consuevêre, non difficilia duntaxat, sed & impossibilia reddit. Abrahamiticam stirpem multiplicare volens, sicut stellas cæli, jubet filium unigenitum immolari. Quid efficacius excogitari poterat, ad stirpem radicitùs exstirpandam, quàm unicam, in qua omnis spes, prolem auferendo? sic Ezechiam infirmitate ad mortem dejecit, ut insperatò sanaret. Redemptor noster, ut visum cæco testituat, *fecit lutum ex sputo, & li-*Ioan. 9. 6. *nivit lutum super oculos ejus*; cataplasma fecit ex luto, quid præsentiùs, ut quis visum homini auferat, quàm ut oculos luto aspergat? Lazarum amicum suum mortem obire, & sepulchro condi permisit, ut divino virtutis suæ prodigio in vitam revocaret. Omnipotens rerum omnium conditor in principio terram non fertilem & uberem; sed sterilem, inanem, & vacuam creavit, ut dein opus omnipotentiæ suæ ostenderet. Haud aliter, ut Annam Dei genitricem, & terram fertilissimam efficiat, priùs sterilem reddit. Atque hanc alteram rationem gratiosæ fertilitatis ex sterili adfert Damascenus: *Orta,* Damasc. orat. 1 de nat. Virg. inquit, *est virgo ex sterili matre, ut non ex carnis concupiscentiâ; sed ex divinâ gratiâ mirabiliter oriretur. Voluit natura in conspectu Virginis, gratia cedere, ut ejus conceptio non natura, sed gratia viribus tribueretur.* Rectè igitur igneus ille Hispaniæ Ecclesiastes Vincentius Ferrariensis: ANNA, Vincent. Ferrar. serm. 2. de nativ. B. Virg. TERRA SANCTA, & promissionis *dicitur, quia fructifera, secundùm influentiam, quam recipit à cælo, & potest exponi de eâ illud Psalmi: Benedixisti Domine terram tuam: quia primò erat sterilis, & sequitur: Dominus dabit benignitatem, & terra nostra,* S. Anna terra promissionis, Matia vitis, Jesus botrus. *scilicet* BEATA ANNA NOSTRA, *dabit fructum suum, scilicet Virginem Mariam.* Ut autem sciatis ex hac cælesti gratiæ influentiâ, quanta fertilitate, & ubertate floruerit, Damascenum audite: VINEA UBERRIMA EX ANNA, velut terrâ fertilissimâ *pullulavit, atque uvam suavissimam protulit, nectar mortalibus fundentem in vitam aeternam.* Damasc. orat. 1. de nat. B. V. Quo unico palmite, & fructu, omnes omnium matrum fœcunditates, etiam in mille generationes, infinito intervallo superavit. Peracutè B. Petrus Chrysologus: *Sterilitas ista* Chrysolog. serm. 89. *non erat maledicta, sed mystica, in qua partus non ablatus, sed dilatus, ut in filiâ singulari, tota fœcunditas pensaretur: quando in una nascebatur numerositas congesta virtutum.* Terra illa benedicta, quando illam vitem protulit, quæ botrum protulit, qui in torculari pressus, vinum germinans virgines propinavit. Terra iterum, iterumque benedicta, ex quâ, ut Gregorius ille Thauma-Gregor. Thaumat. serm. 1. in annunt. turgus, prodiit MARIA VITIS *semper vigens, qua animas glorificantium se exhilarat.* Terra illa bene-

benedicta, quando per hanc vitem, botrum protulit dulcem Jesum, qui, ut Oleaster ait: *ab ubere suæ matris pendens fuit, sicut botrus à vite.* Accedit Cardinalis Damiani auctoritas: MARIA VINEA SANCTA, *cujus* BOTRUS *est Christus*, ex quo divinum illud mustum expressum, seu candidum, id est, *lachrymæ Christi*, seu rubellum pretiosissimi cruoris Domini. De hoc agens Richardus à S. Laurentio, hanc dignam cedro protulit sententiam: *Hoc vinum* BOTRUS *ille protulit, qui allatus* E TERRA PROMISSIONIS, *in vecte ligneo pependit.* Quòd si VITIS MARIA, & JESUS BOTRUS, *quæ* TERRA PROMISSIONIS, nisi *Anna* designatur? Vultis uberiùs Christum Botrum, in uvâ terræ promissionis præfigurarum demonstremus? occurrit cumprimis Augustinus: *Christus*, inquit, *ipse est* BOTRUS, *quem duo exploratores in phalanga ad filios Israël propriis humeris detulerunt. Quod quidem factum jam tunc præsignabat Adventum Domini Salvatoris: nam* BOTRUS *in phalanga suspensus, in cruce Christus appensus ostenditur*, &c. Confirmat idipsum Nyssenus: *Racemus ex ligno dependens, quisnam alius erit, quàm is, qui in novissimis sæculis ex ligno pependit, Mose id ænigmaticè prædicante: Sanguinem enim uvæ bibebant, qua ex re salutaris passio Christi prænuntiabatur.* Denique nelongior sim, Richardus à S. Laurentio: BOTRUS (ô Maria) *vindemiabatur in filio comprehensione, quando quodammodo* BOTRUS *et* (quasi viti) *tollebatur, & ad prælum, id est pressorium crucis deportabatur, & inde exprimebatur pretiosum mustum redemptionis nostræ, ut filii Passionis biberent* SANGUINEM UVÆ MERACISSIMUM: *Tunc enim venerat hora illa, de qua prædixerat filius matri vinum postulanti in nuptiis:* NONDUM VENIT HORA MEA; *quasi diceret: Nondum venit uva ad torcular*; ubi se manifestè uvam, seu Botrum declarat. Verùm enimverò parum hactenus fortasse cuilibet ad laudem tam augustæ matronæ attulisse, parum aptè ad commendationem genitricis Deiparæ dixisse visus ero, cùm eam terræ Promissionis adæquavi. Libet, & ut spero quibusdam arrifetit, *si S. Annam viti, Mariam palmiti, aut Botro, Jesum vino assimilavero*, quæ altera pars erit hujus panegyricæ, ut ex fructu arborem, meliùs quàm ex fundo terræ cognoscere valeatis.

Oleaster in c. 79. Levit.

Rich. à S. Laur. de laud. B. V. hom. 6.

Aug. ser. 1. de nativ. Christi.

Nyssenus in vita Mosis.

De laud. B. V. Rich. à S. Laur. de laud. Virg. l. 12. de arboribus.

Deut. 32.

Ioan. 2.

§. III.

Ego quasi vitis fructificavi. Eccl. 24.

INter omnia ligna silvarum, nullam arborem, aut plantam reperire est, quæ gratiorem, excellentiorem fructum proferat, quàm vitis, cujus vinum lætificat Deum & homines. Unde inter tria miranda, quæ ænigmaticè proponuntur, unum est: Optimam volucrem nemo jaculatur, id est apem, ex qua mel & cera. Optimum florem nemo carpit, id est flos frumenti, quod nutrimentum hominis. Tertiò, Optimum lignum non cæditur, id est vitis, ex qua botrus, & vinum gignitur divinum, ut infra videbimus. Hæc inter arbores *tantum caput extulit* OMNES, *inter ligna solent quantum viburna cupressi.* Prodigiosas ad stuporem fertiles, exteræ terræ vites, & ex eis longè maximè portentosos botros germinasse, probati tradunt Historici. Madera insula inter Canarias profert è vite uvas longiores quatuor palmis. Strabo testis est de butris bipedalibus, & bicubitalibus. Recentiores, qui orbem novum lustrarunt, mirantur uvarum magnitudinem. Leonius tradit, in Africâ tantæ esse magnitudinis uvarum acinos, ut ad quantitatem ovorum gallinaceorum propiùs accedentes, gallinacea ova passim nuncupentur. Apud Stephanum in libro de urbibus, Metrophanes narrat, in Eucarpia, minoris Phrygiæ oppido, singulos racemos justa singulis curribus esse pondera, unusque tantùm vecturâ confractum quandoque conceidisse currum. At hæc, quantâ & frugum ubertate, & botri exuberantiâ, ac vini præstantiâ, vitis nostra Anna exsuperet, gravissimorum Auctorum loquentur encomia. Memini, quod præsenti argumento favet, Astyagem somniasse, quòd ex visceribus filiæ Mandaves nascebatur vitis, quæ suos palmites per totam Asiam diffunderet. Somnium eventum habuit in Cyro nepote, ex filiâ suâ genito, qui universam Asiam sibi subjugavit. Præcellentiùs hoc in beatissima Anna impletum est, ex quâ ortum habuit palmes, qui non Asiam dumtaxat, sed totum terrarum orbem complexus; ut jure meritissimo sanctissima mater Anna usurpare queat illud Ecclesiastici: *Ego quasi vitis fructificavi.* Divinus hic interpres, ac disertissimus in laudem D. Annæ Ecclesiastes Lanspergius, sic vocem suam ad suos exaltat, & in Carthusiæ deserto clamat: *Non otiosum putemus, fratres charissimi, quòd* ANNA BEATISSIMA *comparetur* VITI, *quandoquidem non modicam habet* ANNA *vitis similitudinem, præsertim in Ecclesiâ, cui illa fructificavit*; ut enim ex vite botrus, ex botro vinum, ita ex Anna, Virgo Maria, & ex Maria dulcis Jesus prodiit. Ex quibus pretium hujus vitis, supra omne quod in orbe pretiosum est, facilè licet cuivis æstimare. Non frustra à Poëtis, & oratoribus *vitis gemmare* dicitur, ut cecinit Virgineus Vates:

Inter omnes arbores, gratissima vitis. Anna vitis, Maria palmes, Jesus vino comparatur.

Virg. ecl. 1.

Maiol. canic. tit. plantæ.

Leon. in hist.

lib. Numer. c. 13. v. 24.

Strabo l. 2. 15. & 17.

Leonius p. 2. Africæ apud Maiol. & Lern.

Pierius Valerianus lib. 53. verbo Felicitas.

Eccl. 24. v. 23.

Lansperg. serm. de S. Anna.

Virg. ecl.

- - - - *turgent in palmite gemma.*

Et Cicero l. 3. de Oratore, vites gemmare dicit, quare ut Latini testantur, ab hujus similitudine, gemma vocatur omnis lapis pretiosus. Juverit, ut vitem nostram, suo pretio æstimemus, cum iis quæ usquam in orbe pretiosissimæ extiterunt, appendere. Athenæus refert, Darium Regem Persarum *vitim auream* habuisse, quæ velut pergula, regio cubili obtendebatur; *acinos* autem ex pretiosissimis lapillis gemmasse. Celebratur Herodis item vitis aurea, ad ornatum templi Salomonici, sic enim Josephus: Fecit Herodes *vitem auream*, ex auro mundo, & posuit eam in summis columnis portarum templi, cujus erat pondus mille talentorum aureorum, operis artificiosissimi, *granis & acinis ex pretiosissimis lapillis.* Additque, racemos hominis fuisse magnitudine; atque ut profana mittamus, Anastasius in vitâ Leonis III. Papæ, scriptura

Vites ex auro & gemmis.

Athenæus l. 12. c. 3.

Bisciola hora sub. l. 11. c. 2.

Joseph. l. 5. hist. Iud. c. 25.

Idem lib. 15. c. 14. & 6. de bello Iud. c. 6.

Anastasius ibidem theoricarum in vi a Leone. V. Serlogum tom. 2. v. ſ. 474. Sap. 7. v. 9. Miechovien. Lan. rer. diſc. 135 n. 16 Chryſog. mundi Mariani p. 749.

prum reliquit: hic beatus Pontifex ſuper altare beati Petri fecit *vitem ex auro puriſſimo, & gemmis pretioſiſſimis, & margaritis*, quæ pro botris, & uvis, ac acinis dependebant. Quæ omnia fidem propè humanam exſuperant; at non divinam, *Annam* exſtitiſſe *vitem* ſupra omne aurum pretiosiſſimam, quæ talem botrum, talem uvam protulit, *cui non comparavi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua*. Mechovienſis, Scriptor illuſtris, Ordinis S. Dominici refert ex Fulgoſo, in Panuonià, juxta Sirmium urbem repertam vitem, cujus pampini ex auro puriſſimo. Hujus prodigii cùm indagarent cauſam curioſiùs, vitem illam in venâ auri radicatam repererunt. Quid ni Anna, vitis aurea exiſtat, quæ in gratiâ, & aureâ charitate radicata erat? Vos matresfamilias, ſi vites aureæ eſſe, & filios ac filias velut lapillos & gemmas pretioſas producere velitis, ſatagite, ut in aureâ charitate ſitis radicatæ: *Si radix ſancta*, inquit Apoſtolus, *& rami*. Theodoretus ad mores aptè expouit: *Si parentes ſancti, & filii*. Si mater pietati dedita, indies ſacrificio divino interſit, prolixas preces veſperi & mane fundat, feſtis & dominicis euchariſtico epulo reficiatur, verbum Dei avidè excipiat, vitas Sanctorum, alioſque pios libros volvat, in pauperes profuſa; verbis & moribus honeſta, ac verecunda, &c. Denique *ſi radix ſancta, & rami*, à teneris, ſuis quoque pietatis & virtutis exercitiis filiam inſtituet, & velut rem ſacram exemplo S. Annæ, Deo conſecrabit. Sic vetus illa Anna, uxor Elcanæ, ut Regum narrant annales, Samuelem ſuum parvulum obtulit Domino, ut in templo inter ſacros myſtas degeret, & inſtrueretur, *nihil poſtea profanum attrectaturum*, ut cum Philone loquar. Præclaram hujus matronæ oblationem extollens D. Hieronymus, ſic ait: *ANNA obtulit Samuelem, qui in æternâ ſanctitate permanſit*. Ut autem vitis hujus pretium æſtimare, & ponderare poſſitis, juxta ſcopum mihi præfixum, ex fructibus cognoſcetis, qui *fructus honoris, & honeſtatis*, quia omnes filiæ, ac nepotis, in matrem & aviam redundarunt. Præclarè Antiſtes Novellanus, ſi honor ſit matri filium habere in militiâ clarum, in togâ illuſtrem, equitem Auratum, quis non fructus honoris, ex Angelorum Reginâ, & Dei matre, Annæ acceſſurus? *Cujuſlibet civis matrem eſſe, dignitas eſt; equitis matrem eſſe, majoris; Regis verò, majoris. Angeli, ſi matrem habere poſſent, majorem non eligerent* Deiparæ matrem. *Peperit filiam*, inquit Damaſcenus, *qualis nec ante fuit, nec poſt futura eſt*. Longè autem majorem honorem ex ipſo divino nepote conſecuta eſt. Ubi nos pſalm Canticorum 6. v. 2. legimus: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*, Matthæus Catacuzenus vertit: *Ego meo nepoti, & nepos meus mihi*. Id eſt, inquit hic Imperator: *Ego ei carnem præbui, & ipſe mihi divinitatem*. Quod S. Anna jure uſurpaſſe poſſe videtur: ſicut ego nepori meo, filia mea mediante, carnem dedi, & humanitatem; ita ipſe per exuberantem eximiæ liberalitatis exceſſum, me divinitatis ſuæ participem fecit. Abraham, aliique priſci Patriarchæ & Prophetæ, quanto deſiderio anhelarunt, & flagrarunt,

Ad Rom. xi. Theodoret. ibid.

V. Feſtum Præſent.

Philo lib. de ſomniis. Hieron. in cap. 44 Ezechiel.

Eccl. 24. v. 23.

S. Thomas de Novo.

Damaſc. orat. de dormit. Virg.

Catacuzenus in Cant. c. 6. v. 2.

ut viderent diem, quo *verbum caro factum*, humanis oculis contemplari liceret; longè quid ſublimius, ac divinius Annæ conceſſum eſt, quæ & ulnis excepit, gremio fovit, oſculata & amplexata eſt; ſic Dorlandus Carthuſianus: *Filium Dei ex filiâ incarnatum agnoſcere, amplecti, atque adorare meruit*. Dixerit olim Chriſtus: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis*; Anna pluſquam beata dici poterit, dum parvulum brachiis ſtringere, baſia figere, collo illius caput ſuum reclinare, atque intuiti datum eſt. Ingens quoddam explicatur prodigium, & inſolens ſtupor cæleſtes mentes occupavit, ex mulieris cujuſdam aſpectu, quæ *deliciis affluens*, illi, quem potenter amabat, dilecto ſuo innixa erat, unde attoniti clamant: *Quæ eſt iſta?* Quænam illa, quæ licèt in hujus mundi deſerto degat, ubi lachrymæ, ærumnæ, inſidiæ; ipſa tamen *innixa ſuper dilectum ſuum*, gaudiis, & deliciis affluit? Mulier hæc S. Anna: nam ubi vulgata legit: *Innixa ſuper dilectum ſuum*, Theodoricus apud Giſlerium in Cant. vertit: *Innixa ſuper nepotem ſuum*; cùm Anna Chriſtum nepotem habuerit, Angeli videntes eam huic dilecto oſcula figentem, os ſuum ejus corallinis labris apprimentem, ejuſque lacteo collo innixam, extatico quodam ſtupore, crediderim eos exclamaſſe: *Quæ eſt iſta?* Ingens gratia, & favor conceſſus fuit *beatæ Benevenutæ*, virgini Fotolivienſi. Hæc cùm quondam ad Virginis matris natalem celebrandum, impenſius ſe comparaſſet, & ardentius poſtulaſſet, hanc Paradiſi infantulam coràm contueri, & amplecti; ipſâ oativitatis ejus nocte, Angeli, *Gabriel & Raphaël*, cælitùs ſubmiſſi ſunt, ut exauditas ejus preces nunciarent, ſimulque edocerent, quantâ cum veneratione mox adventura *parvula virgo*, *calorum Regina* eſſet excipienda. Ubi eam plenè imbuiſſent, adfuit extemplo *S. Anna*, puellam ſpecioſiſſimam ulnis geſtans, quæ ad *Benevenutam* brachia protendens, ioq; ejus ſinum migrare geſtiens, mirificam erga ipſam prætulit charitatem. *Benevenuta* ut ab Angelis edocta erat, venerabunda toro corpore, humi ſe proſternit; tum aliquanto poſt erecta, etiamnum geſtientem, ſibique adblandientem puellam, ulnis excipit, dulciſſimiſque *per horæ ſpatium* ſtringit amplexibus, totaque matris pulchræ dilectionis felicisſimis ardoribus colliqueſcit. O planè felicem, ac beatam hanc animulam! cui datum eſt vel ad horam, ſuaviſſimæ hujus infantulæ perfrui dulcedine. Atprofectò, hac Virgine *Anna* multò beatior ac felicior, cui *non ad horam*, ſed per plures annos huic dolcedini licuit immorari, roties quoties libuit ſino fovere, alloqui, amplexari potuit; ex eo autem omnes beatiſſimam prædicabunt, quòd nobilioribus longè deliciis affluens fuerit, cùm ejuſmodi blanditias à nepotulo ſuo accipere, & reddere valebat. Unde perappoſitè expedit Lanſpergius: ſi mulier illa Hemorrhoiſſa, ſe capere non potuit, quòd fimbriam veſtimenti Salvatoris contigerit, atque ex eo virtutem elicuerit: *Quis exprimet, quos radios, quos ſtimulos, quæ jacula illuminationis, devotionis, amoriſque, in cor S. ANNÆ, AVIÆ SUÆ JESUS IPSE, EIUSDEM NEPOTULUS conjecerit?*

Dorland. de S. Anna

Luc. 10.

Cant. 8. v. 5.

A S. Cyrillo in vita S. Annæ pag. 279. Chryſogonus mundi Mariani tom. 2. diſcurſ. 3. n. 25.

Lanſperg. ſerm. 2. de Annunc. Virg.

Hujus sanctissimæ matronæ dignitatem & excellentiam pergit extollere D. Fulbertus: *In utero Virginis tota divinitas cum humanitate versara est; ideo mater hujus sancta* (Anna) *superavit omnes matres, generando eam, qua suum generaret creatorem.* Aliæ matres, dote priùs locupletes sunt, quàm prole; sed sanctissima Dei genitricis parens, dotem maximam, ut ditissimam in prole habuit, ut disertè idem Doctor adstruit de ortu Virginis: *Felix partus, de cujus substantiâ assumpta est talis Virgo, qua orbem concussum relevaret. Tali dote donata es, ô ANNA, quâ nulla ante te, vel post, meruit antecellere.* Gaude, & lætare de tali filiâ, quoniam totius vestræ domus splendor, non est gentilitia ab orbe condito majorum vestrorum nobilitas, sed filia Deipata, & Christus nepos; quâ dote nihil illustrius, nihil ditius potest dari aut excogitari: quia *venerunt omnia bona pariter cum illâ*; adeo ut quæ filiæ Mariæ, ac nepotis Christi sunt, singulari quadam prærogativa huic matri, & aviæ communicata, & potestas quodammodo transcripta videatur; sicut probati Auctores tradant, velociùs quandoque esse auxilium invocato patrocinio *Annæ*, quàm ipsius Virginis *Mariæ*.

S. Fulbertus serm. de ortu Virg.

Ibid.

Sap. 7. v. 11.

Scio inter sanctos Patres, & Ecclesiæ Doctores, quæstionem hanc variis inter se discrepantibus sententiis ventilatam esse, quid homini mortali non flagitiuso dumtaxat ad veniam; sed & viro pio, ac religioso ad gratiam, aliaque cæli beneficia impetranda magis expediat, ad Christum suppliciter recurrere, an ad matrem ejus Mariam? Quam si velociorem, ac promptiorem ad opitulandum ostendero, præsentius nobis auxilium à sanctâ matre Annâ, quàm à filiâ ejus (utpote quæ matrem suam honorari vult, & omnem omni reverentia potestatem tradidit) facilè comprobatero. Ne cui hæc disceptatio insolens videatur, indubitatum est divinum *Iesu* nomen præstantiâ, dignitate, & virtute longo intervallo *Mariæ* nomen superare; sed illud dumtaxat quæritur, utrùm in actu secundo, seu exercito (ut Theologi loquuntur) *Mariæ* nomen efficaciùs operetur, quàm nomen Jesu? Ad cujus controversiæ enodationem advertendum est, universum Dei imperium, potentiâ, ac misericordiâ, velut duplici cardine niti, ac circumvolvi, juxta illud Psaltis Regii: *Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia*; verùm quia divisum imperium cum matre filius habet, dimidiam partem principatus, clementiæ scilicet, ac misericordiæ in eam veluti transfudit. Quod eleganter expendit Cancellarius Parisiensis: *Magnificata est hodie B. Virgo, ut Regina cæli, imò & mundi, jure vocetur. Principatum habet dimidii regni Dei, si sic dici potest, sub typo Esther & Assueri. Regnum quippe Dei consistit in potestate, & misericordiâ, ut Psaltes ait. Potestate Domino remanente, cessit quodammodo misericordiæ pars, Christi matri, sponsaque regnanti; hinc ab Ecclesiâ totâ, REGINA MISERICORDIÆ appellatur.* Quare invocato nomine JESU, Patrem & Judicem interpellamus; quò fit, ut nostris postulatis, Judicis æquitas non statim annuat; at cùm *Maria nomen* Deo objicimus, ac filii auribus insonamus, nil est

Mendoza viridar. lib. 2. problem. 2. Vega Theologia Mariana. palæstra 18. certam. 3. n. 1378.

Si quandoque præsentius auxilium invocato nomine Mariæ, quàm nomine Jesu, idem dici posse, præsentius invocato nomine Annæ, quàm nomine Mariæ.

Psal. 61. Gerson tr. 4. super Magnificat.

quod postulata retardat ille, *quia totum nos habere voluit per Mariam.* Richardus à S. Laurentio lib. 1. de laudib. Virg. c. 2. alludens ad illud Senecæ:

Bern. serm. de nativit. Mariæ.

> *Regis superbum est nomen, & nimium potens,*
> *Nostros humilius nomen affectus decet.*

Seneca.

Sic ait: *Sicut nomen Jesu mel in ore, in aure melos, in corde jubilus; sic & nomen MARIÆ, & etiam amplius, si dicere audeamus. Jesus enim quasi superbum nomen est, & nimium potens; nostros humilius nomen decet affectus; ut si in Jesu, aut Deitatis, aut sexus virilis austeritatem aliquis vereatur, recurrat ad MARIAM, in quâ nihil horum suspectum. MARIA nomen muliebre est, mansuetudinem præferens, & commendans; hæc est enim, quæ Jesum peperit, remedium attulit, salutem propinavit.* Nomen Iesu venerandum, sed & formidandum, quia *sanctum & terribile nomen Domini*; Dominæ verò totum dulce, & mansuetum. Unde sic sibi objicit Petrus Abbas Cluniacensis: *Si nomen Domini sit terribile peccatoribus, quomodo nomen Dominæ erit mansuetum & pium eis? Fortiusne est nomen Mariæ? Estne efficacius? Estne robustioris virtutis? Quid erit, quod spe istius consequitur, quod alterius denegatur? Licèt scribatur Proverb. 18. Turris fortissima nomen Domini; ad ipsam confugiet justus & salvabitur. Et in psalmo: Domine, refugium factus es nobis; tamen quê ponebant tunc refugium, etiam nec loquentem poterant audire: non loquatur, inquiunt, nobis Dominus, ne moriamur. Isaiæ 21: Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, & gravis ad portandum. Horrenda quidem dulcedo nominis tanto furore respersa: ideo David ait: Sanctum, & terribile nomen Domini. Quod ergo relinquitur peccatori refugium? certè turris fortissima nomen Dominæ, ad ipsam currat peccator, & salvabitur. Ad MARIÆ NOMEN confugiat, ipsum solum sufficit ad medendum. Nulla pestis tam efficax, quæ non continuò ad MARIÆ NOMEN cedat. Si tentatus ultra vires, timeas insidias, recordare quòd turris fortissima NUMEN DOMINÆ.* Quid aptius, & opportunius in rem nostram excogitari poterat. Ex quibus concludo authentico & aureo Divi Anselmi testimonio: *Velocior est nonnunquam salus memorato NOMINE MARIÆ, quàm invocato NOMINE JESU unici filii ejus; & id quidem ideo non fit, quòd ipsa major, & potentior eo sit, neque ipse magnus & potens est per eam; sed illa per ipsum. Quare ergo potentior salus in recordatione ejus, quàm filii sui sæpè percipitur? Dicam quid sentio: Filius ejus Dominus est, & Iudex omnium, discernens merita singulorum; dum igitur ipse à quovis, suo NOMINE invocatus, non statim exaudit, profectò id justè facit: invocato autem NOMINE MATRIS, etsi merita invocantis non merentur, ut exaudiatur; merita tamen matris intercedunt, ut exaudiatur.* Quòd si hæc Deiparæ gratia collata, & *data omnis potestas, ut nihil ei impossibile sit*, nihil auctoritati, ac potestati filii deroget: nimium etiam nemini videbitur, si & potestatem suam Maria, matri suæ Annæ ita communicatit, ut præsentius sæpè auxilium per illam, quàm per se miseris mortalibus

Richardus à S. Laur. lib. 1. de laud. Virg. c. 2.

Psal. 110. v. 9.

Petrus Cluniac. serm. 3. de Annunc.

Psal. 110. v. 9.

Anselmus lib. de excellent. Virg. c. 6.


V. Mendoza viridar. lib. 2. problem. 2.

Nierenb. favores Jesu. Quintanadvenas lib. de sanctissimo nomine Mariæ.

talibus contulerit, & illam præ se invocari & honorari voluerit. Mirandum, quod in hanc rem refert ex P. Nierenbergio P. Antonius de Quintanadvenas. Vixit annis prioribus mulier pia, ac religiosa, quæ pridem assueta duo festa, unum in honorem *nominis Mariæ*, alterum in honorem *S. Annæ*, peculiari cultu quotannis celebrare. Acceptâ verò jam rei familiaris gravi jacturâ, & calamitate, ac tantum non rebus omnibus exuta, utriusque celebritati servandæ se imparem advertit. Dubia proinde utram è duabus festivitatis (alterutram enim retinere statuerat) missam faceret, eam sibi de cælo mentem injici sensit, ut binos æqualis ponderis cereos eodem tempore in arâ Virginis accenderet: uni *nomine S. Mariæ*, alteri *nomine* S. Annæ affixo, ejusque solennitatem annuâ pietate recolendam servaret, cujus cereus diutiùs ardens superesset. Atque ita factum. Cùm statim, quo cultu, ac veneratione, *maternum Annæ nomen, Maria filia* etiamnum prosequeretur, ostendit: longè porro citius candela Mariano nomine inscripta, præ alterâ, cui *Annæ* nomen inditum suerat, consumpta est. Quare seposito Mariani nominis festo, in matris Annæ cultu, filiâ sic volente, constanter fœmina perseveravit. Verè ô Anna, *mater honorificata*, non modò à matre Dei, sed & à nepote Christo, omni honore & laude decorata. Quare concludo cum Trithemio Abbate doctissimo: *Quicumque* ANNAM *in Patronam elegerit, quicumque in servitio ejus devotus perseveraverit, hic & in æternum salvus erit: omnia enim quæ Dei Filius per dilectam genitricem suam mortalibus beneficia solet concedere, meritis* AVIÆ *non potest denegare. Imò majora interdum per eam condonat, ut nos ad memoriam ejus diu neglectam, quasi muneribus inducat: neque suos parentes, Dei filius nuquam potest despicere, qui alienos tam seriosè præcipit nobis honorare.* In omni ergo quâ corporis, quâ animi infirmitate, ac necessitate, ad S. Annam recurramus, quia *meritis Aviæ suæ nil potest negare*: omni studio ejus festa, & gesta celebremus, omni cultu ejus aras, & imagines exornemus, in ejus denique servitio constanter perseveremus, *ut in æternum salvemur.*

Eccl. 15.

Trithem. cap. 1. de laudib. S. Annæ.



OCTAVA

31. Julii. **SANCTI IGNATII**

DE LOYOLA

SOCIETATIS JESU FUNDATORIS.

MOYSEN *Deus Principem & Redemptorem misit.* Actor. 7. v. 35.



Dux *ego vester ero.* Virg. Eccl. 8.

ARGUMENTUM.

ALterum vobis *Moysen* hic *Ignatium* exhibeo; qui ut ille *Dux* à Deo constitutus, populum Israëliticum è servitute Ægypti liberavit, ita Dux noster *Ignatius* a Deo electus, è graviori dæmonis tyrannide animas vindicavit. Ille summum Imperatorem consulturus, ex consortio sermonis Domini, totus coruscus apparuit; *Ignatius*
Matth. 17 quoque ubi ore ad os Deo locutus est, *resplenduit facies ejus sicut Sol.* Atque ut *Moyses* fidelissimus extitit, quod nihil mirabilium sibi adscripserit, ita *Ignatius* omnia ad majorem Imperatoris sui gloriam direxit. *Moyses* se pro populo victimam Deo obtulit; *Ignatius* etiam, quod generosi Ducis est, posthabita cælesti gloria, se pro animarum salute offerre non dubitavit. Tum quæ in Duce requiritur, lenitas & mansuetudo, in utroque enituit; sic tamen ut & virga ad ordinem & disciplinam servandam adhibita sit; qua & ille Regem Ægyptii, & *Ignatius* tartareum Pharaonem domuit. Denique quod de uno, hoc de altero recte prædicatur: *Dilectus Deo & hominibus.*

Exod. 3. 10. §. I. MOYSES *Dux populi eligitur:* VENI ET MITTAM TE AD PHARAONEM, UT EDUCAS POPULUM MEUM DE ÆGYPTO. IGNATIUS *nova militia* Dux *statuitur, ut homines educat è graviori servitute.*

§. II. MOYSES *gravissimis in rebus ascendit in montem, Dominum consulturus, ex cujus colloquio non solum intus illustrabatur in animo; sed &* FACIES EJUS CORNUTA ERAT EX CONSORTIO SERMONIS DOMINI. *Quod &* IGNATIO *accidit.*

[Nu]m. 12. 7. §. III. SERVUS MEUS MOYSES IN DOMO MEA FIDELISSIMUS EST, *qualis & Ignatius.*

Exodi 32. v. 32. §. IV. *Quemadmodum generosissimus Dux Moyses pro populo suo se victimam obtulit, dicens:* AUT DIMITTE EIS HANC NOXAM, AUT SI NON FACIS, DELE ME DE LIBRO VITÆ *ita* IGNATIUS, *cum salutis suæ periculo, ad salutem animarum.*

Num. 12. 3 §. V. ERAT MOYSES VIR MITISSIMUS SUPER OMNES HOMINES, QUI MORABANTUR IN TERRA. *Fuit &* IGNATIUS.

Exod. 4. v. 17. §. VI. VIRGAM HANC SUME IN MANU TUA, *qua populum Israël regas & dirigas; uti* IGNATIUS *suum.*

§. VII. IN QUA (*virga*) FACTURUS ES SIGNA Exodi 4. v. 17. *Fecit &* IGNATIUS *in baculo suo.*

Eccl. 45. 1 §. VIII. DILECTUS DEO ET HOMINIBUS MOYSES. *Dilectus ille & ille* IGNATIUS.

OCTAVA

OCTAVA
31. Iulii. # SANCTI IGNATII
DE LOYOLA.
SOCIETATIS JESU FUNDATORIS.

Nova bella elegit Dominus. Iudic. 5. v. 8.



Vix ſe ſub ipſis mundi cunabulis infinita Bonitas *ad extra* in creaturas effuderat, & nobiliſſimas illas mentes, naturæ & claritudinis præcellentes, humanæ nil fæcis habentes, ex nihilo condiderat, cum ſubitò, in ipſo divini Numinis regno: *Fa-*
Apoc. 12. *ctum eſt prælium magnum in cælo.* Verè prœlium magnum, ne dicam maximum, ſive conſide-
1. Prœliũ Angelorum. res locum in quo: ſive perſonas à quibus: ſive cauſam ob quam: ſive præmium pro quo, hoc
S. Ignatius in lib. Exercit. hebdom. 1. prœlium fuerit commiſſum. Locus in quo hoc prœlium exortum, fuit omnium locorum digniſſimus, ipſa ſanctiſſimæ Trinitatis Curia, ipſa ſupremi Domini Regia, ac auguſtiſſimum palatium, Cælum empyreum. Perſonæ erant ut tempore, ſic & dignitate inter omnes primæ, puriſſimi & immortales Spiritus. Cauſa erat maxima, ut quem Deus miſerationibus æternis præviderat Filium, Verbum Patris æ-
Fernandez in Gen. cap. 1. sect. 2. n. 5. terni, ad reſtaurandum genus humanum, incarnandum, adorarent, ſupplici poplite venerarentur, & ſic cœleſtis gloriæ præmio potirentur.

Hic Dux rebellionis *Lucifer*, Princeps tenebrarum ingenii ſui perſpicaciâ, ac excellentiæ propriæ extollentiâ, hiſce nebulis, & altâ caligine mentem involvit: cur Deus homo (cujus naturæ imbecillitatem & miſerias penetrabat) & cur Deus non Angelus? ut quid ad eam ſervitutem nos redigit, ut homini mortali ſubjiciamur? Cœpit & ſeipſum magnificè circumſpicere, & intra ſe indignationis tumidæ venenum concipere: nempè meritis emendum, quod jam antea tam inſignibus ornamentis deberetur: aut ſe condi non debuiſſe, aut ultimam ſimul manum fœlicitati imponendam: quid poſſe jucundum accidere, quamtumvis magnum, nullúmque ſe habere ſuperiorem, niſi unum & ſolum, à quo conditus fuerat, Deum; ſi homini ſe ſubſternere cogatur? Quam inter ſe malè congruere, ſimul & Angelum eſſe, & mendicum? Principem Angelorum, & Dei mercenarium? Eſſe ſummum, & habere ſe ſuperiorem? Regni collegam, & adhuc tamen vectigalem? Legionum cæleſtium Imperatorem, & Imperatoris alterius ſtipendiarium? Dominum, & interim ſervum? Donec per infimi obſequii pretium, labore meritorum emanciparetur. Enimverò non ferendam hanc abjectionem nobiliſſimæ menti. Si conſummatè beatus aliter eſſe nequeat, niſi præſtito infami homagio, & per gratiam alienam, ſe ſibi ſatis, in ſe ſolo repetturum, quidquid in Deo quæſiturus, & ab eo expectaturus erat: non invenire ſe ſibi parem, cui cederet: ſe conſcenſurum in ſupremum cæli culmen, ſupra aſtra Dei, ſolium erecturum, ſeſſurum in monte Divini teſtamenti: recubiturum in lateribus Aquilonis, & ventorum ſuper pennas ambulaturum: aſcenſurum ſuper altitudines nubium, & elementorum, ac cæli: Denique ſimilem fore Altiſſimo.

Talia primum tacitus ſecum; ſed planiſſimo voluntatis decreto, ſpiritus jam planè nequam volutabat. Et parum eſſet, ſi illud unicum rebellionis caput in omnipotentem ſe armaſſet; ſed perfidiæ ac ſeditionis Dux & Anteſignanus, ut quisque ei proximus, aut obvius erat, eum ad defectionem concitare cœpit: & ſtantium pariter ac fluctuantium animos ſolicitare: multum exemplo, plurimum autem verbis (quæ locutio Angelica per mutuos conceptus, & mentis ratiocinationes invicem patefactas, potentiſſima eſt) Deum ſimul, & adhuc Dei filios Angelos, veterator Lucifer adoritur, & in partes ſuas trahit.

Hic modo oritur prælium magnum in cælo, & ſcinditur in factiones, & ſtudia contraria, univerſa Angelorum militia. Fidus æterno Numini, ſummo ſuo Imperatori Dux *Michaël*, ſuis factis, & divino zelo incenſis turmis inſtructus, peracriter in Luciferianos, Deo tantiſper liberum agendi jus partibus permittente, & veluti per ſactum otium ſpectatore ſedente, invectus eſt: dúmque adverſæ partis legiones in eo vel maximè ſunt, ut Luciferum Altiſſimo ſimilem, parem & æqualem Deo prædicarent, *Michael Princeps militiæ ſacræ* cum ſuis è regione ſtans, intonuit: *Quis ut Deus?* Tu quis, impie, proterve, turbulente, ſacrilege deſertor? Ingrata conditori tuo bellua? Draco virulente? Devotum diris & execrandum caput? Simul Angelorum ſocialium fida de ſtationibus omnibus, ordinibúſque ſuis agmina circumfunduntur Duci ſuo: vociferan-

 tique

tique Michaëli (undè æternum nomen fortitus) *Quis ut Deus?* paribus per omnes cuneos, & vasta cælorum atria vocibus inclamant: *quis ut Deus?* Atque hâc amabili, hostibusque formidabili vociferatione (quâ pugnæ initium dari solet) commiscentur, & colliduntur inter se, prœlio animorum, multo quam unquam armorum humanæ ullæ legiones truculentiore. Hoc est quod ait D. Joannes: *Factū est prælū magnum in cœlo: MICHAEL, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus.*

Apoc. 12. v. 7.

Superest jam prælii successus, quem den describit sacer scriba: *Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo:* continuò enim fulminante Numinis decreto, in morem fulguris præcipitatur cælo Lucifer, spectantéque supremi Patris verbo, devolutus in tartarum, fit calamitosorum extremus ille, qui momento prius desideraverat esse Deus. Felicior fuisset ipsius infelicitas, si solitaria perstitisset; sed iste quos conjuratos habuerat culpæ, socios traxit & pœnæ: *Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur satanas, qui seducit universum orbem, & projectus est in terram, & Angeli ejus cum ipso missi sunt* 10 profundum inferni.

Apoc. 12. v. 9.

Quibus ita peractis, finito gloriosè prælio, Angelorum in divino obsequio permanentium uno temporis momento, simul & militia finitur, & via: firmatóque gratiæ statu, invictissimo duci, ejúsque commilitonibus, à supremo Imperatore, gloriæ confertur immortalitas, bene gestæ rei merces, atque stipendium. Hæc est illa Luciferi, sociorumque famosissima, cunctísque fæculis decantata ruina, prorsus miseranda, semper adhuc, & posteris memoranda, nec unquam satis ploranda.

Luc. 21. 9. Sed *nondum statim finis*, desertor ille cum suis, de statione dejectus, cælo non minus quàm inferno exardescens, & præ invidia excandescens, primum hominem in auctorem Deum concitavit, dum in loco deliciarum communis omniū parens, funestissimi illius dissidii princeps fecialis, fatalem sceleris hastam in cælum contorsit, suóq; conditori bellum indixit: quo universos posteros, ejusdem militiæ, an malitiæ dixero, commilitones conscripsit: ut morte geniti, Marti destinati, Numinis hostes nascerentur, & vix dum in lucem editi, arietem cælo agni admoverent. Denique in hunc orbem, ceu campū Martium ingressi, tam vero, quàm severo argumento Cadmæa soboles, omni flagitio, priusquam istiusmodi arma tractare nosset, armata prodiret. *Sicut enim* (ut à magno Origine fontem ducamus) *sunt quædam arma Dei, in quibus esse dicatur lorica justitia, & gladius spiritus, & scutum fidei; ita etiam sunt arma diaboli, quibus indutus homo peccator* sine fronte in caput suum rebellare non erubescit. Testis purpuratus Vates, qui sic stylum suum exacuit: *Qui cogitaverunt iniquitates in corde suo, tota die constituebant prælia;* dum divina & humana jura violantes, ex corde suo faciunt quandam velut armorum officinam, quibus vulnetur pietas, stillet animi cruor, salus intereat, cælum impetatur, & ipse Deus quasi ad singulare certamen provocatur. *Tetendit* (impius) *adversus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.*

1. prælium diaboli cum homine, & hominis cum Deo.
S. Ignatius in exercit. hebd. 1.
Origines in psalm. 36. hom. 3
Ps. 193.
Iob. 15.

Quæ bella non solùm ferri acie, sed & numine mentis: non domi duntaxat, sed & in foro, & palàm geri, Psaltes Regius execratur, dum ait: *Gladium evaginaverunt peccatores:* in quæ verba pretiosam Originis Adamantii doctrinam juvat observare: *Quomodo*, inquit, *putandi sunt peccatores evaginare gladium?* Ad quæsitum respondet: *Dum jam impudenter, & absque ullo verecundiæ velamento, iniquitates suas perpetrant, nec erubescunt, aut reverentur: nec tanquam in vagina nequitiam suam recondunt, & contegunt; sed sub superbo & elato Spiritu, velut gladium quendam denudant;* dum palàm juvenes & pharetrâ sagittas sulphureas emittunt, & puellæ follibus ignem accendunt: (*Omnis quippe caro corruperat viam suam.*)

Psalm. 36. Orig. hic
Gen. 6. 12.

Ad quod perduellionis incendium restinguendum, non universi orbis cataclysmus satis fuit, oportuit ut filius Altissimi illud suo sanguine restingueret.

Ingressus itaque summus Imperator, & Dux noster, in similitudinem hominis factus, palæstræ hujus miserrimæ arenam, & *hujus sæculi cāpum pugnaturus intravit*, extemplo ad nutum habuit innumeras cælestium militum phalanges, & decies centena millia levis armaturæ velites advolare coëgit: *Facta est multitudo militiæ cælestis.* Causam nostis? *quia Dux ad prælium natus est.*

S. Fulgent. serm. de S. Stephano.
Luc. 2.
Ludolphus de saxonia serm. de nativ. n. 18.
HugoCard in Luc. cap. 2.

Hugo Cardinalis ex hac multitudine ordinatissimum militum exercitum, qui ducem suum sequerentur, conflatum scribit: *Hæc multitudo*, inquit, *exercitus nominatur, qui sequebatur militia ducem.* Sub hoc duce, qui docebat manus ad prælium, Apostoli militarunt, contra principes, & potestates tenebrarū, contra tyrannos & contra omnia scelerū monstra, duce Christo fortissimè decertarūt, & gloriosissimè triumpharunt.

Dum labentibus sæculis cœpit refrigescere charitas multorum, & ruptis habenis tartareæ hydræ capita repullulascere: bella civilia, odia intestina, homicidia, seditiones, fraudes, luxus & luxuria dominari, & quos tyrannorum arma & catastæ non fregerant, luxus, ut Hannibali accidit, enervavit.

Stella de cælo cecidit, cùm Doctor Lutherus, ut alter Lucifer, de Ecclesia, inquit Bellarminus, è cælesti Religionis vitâ, repentino, & horribili casu in terram decidit: factus è sacerdote profanus, ex monacho apostata, ex cœlibe & continente, sponsus & maritus, infamis scurra, & ad diaboli castra profugus, Ecclesiæ, omnique Religioni, honestati, ac sanctitati bellum indixit. De quo vates ille Apocalypticus, in libro quem scripsit de rebus, quas in Ecclesia eventuras acceperat, vidisse se, ait, stellam de cælo cadentē, cū quintus Angelus tubâ cecinit. Hinc aliquot ante sæculis, velut in re minimè dubiâ, minimè obscura, S. Thomas Aquinas, aut, ut alii, Anglicus: quatuor Angelis, quatuor Prædicatorum Ordines, qui suâ ætate florebant, designatos ait. De quinto sic interpretatur dicā, an vaticinatur: *Alium, ait, Prædicatorum Ordinem excitatum iri, cùm alia fuerit hæresis exorta.* Quidquámne vel à nobis, qui prædictionem eventu comprobatam vidimus, dici posset apertius? Orta est hæresis cùm *stella cecidit è cælo*, dum Lutherus ab Ecclesia defecit. Vaticinio fides stetit, dum hæc coram sanctissimo D. Gregorio XV. in con-

Apoc. 9.
Bellarm. præf. ad tom. 3.
Defectio Lutheri qui Christiano orbi bellum indixit.
In Apoc. cap. 9.
Vaticiniū de S. Ignatio.

consistorio publico de Ignatio sententia pronuntiata est: cùm tenebrarum Princeps suprà
,, astra Dei solium exaltare, atque in Aquilone
,, sedem figere studens, *novis hæreticorum armis*
,, *cœlum adortus, Catholicæ Religioni exitium minitaretur, peropportunè sanè* IGNATIUS, *animum gerens mundo majorem*, & ultra unius ævi terminos opera suæ pietatis extendens, *Legionem in Ecclesia Dei fortissimam conscripsit*, quæ vitam pro divini cultus incremento paciscens, in Romani Pontificis verba juraret.

Imago 1. secul. pag. 389.

Ignatius à divina providentia Luthero oppositus.

In actis canonizat.

Hic vir, hic est, quem novæ rebellionis capiti, misericors ac miserator Dominus strenuum ducem opposuit: ut enim primis Ecclesiæ temporibus Simoni Mago, Simonem Petrum: Nestorio Cyrillum: Ario dignum magno nomine, magnum Athanasium: Joviniano, Helvidio, Vigilantio Hieronymum opposuit; atq; in tempore opportuno, contra Manetem, Pelagium, aliásq; pestes, Augustinum in campum eduxit, qui non sine Numine Divû, eodẽ die, quo hic in Anglia, in Africa monstrorũ domitor nat⁹ est. Sic Tanchelino Norbertus restitit. In Albigẽses nobile illud par Dominicus & Franciscus arma movit.

Ita novissimis hisce temporibus contra Lutherum, & Calvinum, aliósq; Ecclesiæ perturbatores, singularis Dei providentia Ignatium, atque ab eo institutam Societatem excitavit, & quasi in pulverem, ac aciem vocavit.

Judic. 5. 8

Verùm enimverò novum & insolens hoc pugnandi genus: *Nova bella elegit Dominus*, in quibus non tubarum clangores Martem accendunt, nõ tormentorum emicant fulmina, telorum volant procellæ, fulgurant gladii: nec implicata inter se acies, pulvereæ nubes, trucidantium clamores, cadentium gemitus, noctem, lucem, luctũ, corpora, arma, mortes, horrendâ confusione permiscent: aut quibus in cineres oppida; Reges & populi in vincula rapiuntur; non hæc bella elegit Dominus. Belluarum est ista rabies, nõ hominum; quamquam nulla belluarum feritas tam immanis, quâ crudelior non sit humana.

Nobile & novum pugnandi genus.

Aliud igitur bellum Societas sub Imperatore Christo, Duce Ignatio gerit, non in perniciem eorũ quos aggreditur, domátq;, sed ad salutẽ: quo non corpora vulnerat, sed animos: nec vitã eripit, sed adfert: quo non muros & oppida, sed humanã voluntatem; tanto majori gloriâ, quo hæc arx, ut ita dicam, omni arce & castello munitior est, expugnat. Quippe voluntas humana, sub quocumq; dominatu, sui juris est: nõ ferro, non flammâ, ad deditionem cogi potest; nec libertatem amittit in vinculis, neq; sub jugo patitur servitutem. Itaq; labor est operosior, augustior gloria, vel unius hominis vicisse animum, quam populos omnes solâ vi armorum in parendi necessitatem compulisse. Utque hoc opus humano majus, ita ejus scientia omnis ex alto petitur: Vires & arma suppeditantur è cælo, quæ nihil aliud sunt, quam scutum fidei, gladius verbi Dei, & catapulta charitatis, nunquam cessura, donec orbem expugnarit.

Talibus præsidiis satis instructa ad bellandũ bella Domini, inermis hæc militia, quæ orbem pro campo habet, orientem, meridiem, occidẽtem felicissimè invasit; plúsq; terrarum, quam unquam Græcorum simul & Romanorum Imperatores, qui circum ipsam matrem suam cum finitimis per annos ferè trecentos luctati sunt, victoriis suis brevi peragravit. Sed qui victi sunt, non ducuntur in pompa catenati, neq; miserabili, dejectóque in terram vultu sortem suã accusant; sed eodem, ut ita dicam, cum victoribus curru divinæ gloriæ vehuntur, lætissimè triumphantes, quia Christo subacti sunt.

Quanti autem sit sub Dei signis militare, sibiq; persuasissimum habere, non sine singulari ipsius numine prælia committi, nemo vestiûm ignorat, qui prima militiæ nostræ rudimenta atq; tirocinia, memoriâ recolit: quo omine, quibusq; prodigiis, vanitatis castra deseruerit, & in hanc Jesu militiam adscriptus sit Primipilus noster Ignatius, quibus ostentis commonitus, istam Ecclesiæ auxiliarem conscripserit Legionem;

Ut è multis pauca adferam: quam isthæc, amabo, felicia fuere portenta, quando adhuc tironem agens Minoressæ, octo ipsos dies abductus à sensibus, & ut alter Moyses cum Domino sermocinans, à summo Imperatore Jesu, nova militandi hausit documenta: quis militum delectus habendus, quæ copiæ colligendæ, in quas oras, & regiones ablegandæ. *Tum etenim*, ut ex ore Parentis nostri commemorare solitus erat R.P. Everardus Mercurialis, IV. Societatis Generalis, *duorum vexillorum oblata ei fuit species*, meditationis typo, in aureo exercitiorũ libello deinde expressa; sub altero in patentium camporũ æquore propè Jerosolymam; altero propè Babylonem erecto: hinc humani generis capitalissimus hostis *Lucifer*, in igneo fumosóque solio, fastu turgidus, formâ horribilis, vultu truculentus; inde clementissimus humanæ salutis assertor *Christus*, humili quidem, demissóque insistens loco; sed augustissimâ, pulcherrimâque formâ, incredibilem in modum amabilis conspiciebatur. Utrimq; autem copias pro se quisq; suas cogebat: coactas in omnem terrarum orbem quaquaversus immittebat: immissas in hominum perniciem alter, alter in salutem, excitis utrimque suis antesignanis & copiis, ac inflato classico accendebat;

Ignatius ut alter Moyses mira à Deo docetur.

P. Lud. de Palma in praxi de duobus vexillis.

Visio de duobus vexillis Ignatio exhibita.

Non frustra militaris homo Ignatius in primis suis commentationibus Luciferi prælium, & hunc in Luthero quasi redivivum cum vexillo suo, contra eos qui sub vexillo Christo militant, in campum induxit.

Libet, imò pudet meminisse illius temporis, quo per orbem universum jam alteram Babylonem, Stygius Imperator castra sua disposuit, de quibus illud Bernardi verissimè pronuntiato serm. 2. ad milites templi: *Malitia, non militia, cujus stupendus error, furor non ferendus, pudendus furor, impudens stupor: ad mortem in sceleribus cum pompa properant.*

Quæ facies Ecclesiæ ante Ignatium.

Bern. serm 2. ad milites templi

Quis fidem dicenti abroget, In conspectu tot sacrarum ædium dirutarum, direptarũ, incendio absumptarum? Non egent ista longo commentario, cum constet totâ propè Germaniâ, Galliâ, & Belgio, aliisq; in oris, ubi hæreticorũ invaluit violentia, sacra vasa direpta, atque in profanos & turpes usus conflata: pretiosissimũ iis contentũ sacrosancti Corporis ac Sanguinis Christi thesaurum, equis pabulum appositum: Quódq; & auditu horrendum, sacras personas, fœdè abductas, inediâ ad mortem usque maceratas, sacrilegè contaminatas, membris dirũ in

modum mutilatas, quódq; omnem vel Juliani desertoris tabiem & barbariem superat, ventres Virginum sacratam, post violentam inquinationem (horresco referens) feralibus cultris dissectos, *& alveos versas in alveos, ad immittendam avenam & hordeum, queis admota sues, pabulum captantes, horrificè discerperent vitalia ancillarum Christi.*

Raynaud. tom. 8. pag. 471.

Hæc sunt non Barbarorum, non Turcarum, sed desertorum, & transfugarum à vexillo Christi, inaudita feritatis facinora; quos inter (quod legenti heterodoxo, quàm dicenti è pulpito magis congruit) Bricomotius Calvinista usque adeo truculentus erat, referente Spondano, ut non contentus sacros Sacerdotes exscindere, è didymis dirè avulsis torquem contexeret, quo ad pompam utebatur; non supra condignum multatus Lutetiæ anno 1572. cum abruptis à reliquo corpore per plebem partibus, in altam lethi informis trabem actus, pependit eviratus.

Spondanus annal. anno 1572. Raynaud. cit.

Repetantur threni Salviani in opere de Providentia. Audiantur denuò Gildæ sapientis de excidio Britanniæ, næniæ, deplorantis omne caput languidum, & omne cor mœrens. Bernardus de consideratione, & in apologia iterarò expostulet, vulnus in ipsis Ecclesiæ visceribus truculenter infixum. Vastitas ubique & clades obversatur: attrita, eversa, & corrupta sunt prope omnia. Etiam Ordinis monastici elegantia subruta: *Obscuratum est aurum, mutatus est color optimus: dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.*

Thren. 4. v. 1. Raynaud. tom. 8. pag. 453.

Liberabit longâ oratione dicentis fidem, qui apud Concilium Lateranense sub Julio II. & Leone X. perorabat Ægidius Viterbiensis, Ordinis Eremitarum, Urbicorum Generalis, dum tam multa de turbulento, & horrido eâ ætate per omnes gradus & Ordinis statu Ecclesiæ, in theatro amplissimo elocutus est, ut nescias horrorem potius majorem, an miserationem moverit.

Chrysostomum Menæa Græcorum 5 Septembris inde commendant, quòd tenebras ignorantiæ, ac noctem scelerum, illato splendidissimo scientiæ, ac sanctimoniæ jubare dispulisset, tantâ operæ navatæ necessitate, *ut NISI FUISSET HIC SANCTUS, Christum terras secundo, ante ultimum, adventu revisere oportuisset.*

Idem pag. 479.

Ingens sancti Chrysostomi elogium S. Ignatio accommodatur.

Idem propè de Ignatii adventu dixerit, si quis audientius loqui velit, eamque de Chrysostomo hyperbolem, pro portione ad Ignatiũ transferre; nam & tunc pejora fuête sæcula; quæ ut prosequamur, cultus divinus, reverentia Sacerdotum, Religio, sacrorum usus, quàm exiguo tum temporis in pretio? Quàm rara & infrequens Sacramentorum usurpatio? Quàm neglecta in sanctissimo Eucharistiæ cultu veneratio! *Nauseabat anima*, ut Israelitæ Moysi dicebant, *super cibo isto levissimo*. Argumento sit, quod religiosissimus ac litteratissimus Scriptor, ad declarandam miserrimi illius status faciē, commemorat. In Ecclesia urbis Romæ nobilissimâ, cùm pro more, certis anni diebus exponeretur divina hostia, accendis sacri Ciborii furibus, alligabatur molossus ad altare, catenæ protensiotis interpositu; addit, vix uno, aut altero lumine ad tantæ majestatis præsentiam testandam apposito, dilapsis planè omnibus, quotum erat adstare venerabundis, & ad res suas intentis. Hoc in urbe Româ, in Ecclesia Metropoli, unde Religionis decus, & fidei vigor expectandus erat, in æde sacrâ nobilissimâ gestum, testes jurati confirmarunt.

Num. 11. v. 5. Raynaud. tom. 8. p. 454.

Summa olim erga SS. Eucharist. injuria, & irreverentia.

Inibi Romæ (quid alibi fieret) participatio cælestis mensæ ad eam devenerat infrequentiam, ut Christophoro Madridio, & aliis tunc viventibus, certandum fuerit libris editis adversus nimium quantum supinam, crassamque ignorantiam, contendentium peccare, & violare sacra instituta, qui plusquam in anno semel, divinâ illâ escâ vesceretur.

Et quia cum divinâ Eucharistiâ, panem verbi divini componere non dubitavit Origenes, vix attinet commemorare, quàm pretiosus eo tempore fuerit sermo Domini; quàm, inquam, esset panis ille animarum attactus, & parvulis poscentibus, quàm pauci essent qui frangerent eis.

Origenes hom. 13. in Exod.

Ad hæc divinorum mysteriorum, sacrarum litterarum supina ignorantia: *Non est scientia Dei in terra.* Ad sobrium Doctorem appellare non licebat. Vulgò illud Erasmi ventilabatur: *Monacho indoctior*, sola hæresis suo prava dogmata venditabat: *Corruit in plateis veritas.*

Osea 4. v. 1.

Isa. 59.

Morum integritas, honestas, justitia, fides divina & humana inter ipsos Catholicos sub pedibus jacebat. Ea denique monstra in Ecclesia insurrexête, ea prælia exorta sunt, ut *nisi hic sanctus fuisset*, numquam ea de hostibus victoria: numquam rantus potissimùm in capite Religionis Romã, erga sancta Sanctorum veneratio: tanta in quibusdam religiosis ordinibus disciplina, zelus, templorum nitor, Sacramentorum frequentia, & sancta in omnibus æmulatio extitisset. Quare si divino credimus oraculo: „Ducem Ignatiũ Deus singulari providentiâ „hisce temporibus dedit, ut tanquam alter „Atlas, humeris suis doctrinæ & pietatis, Ec„clesiam sustentaret; ut fusiùs ex dicendis patebit, ubi eum in Moyse adumbrato.

Essobar. tom. 5. pag. 174. ita in Provinciali Taracon. Cel. a. 1612.

§. I.

Moyses Dux populi eligitur: VENI, ET MITTAM TE AD PHARAONEM, UT EDUCAS POPULUM MEUM DE ÆGYPTO. IGNATIUS *nova militia Dux statuitur, ut homines educat è graviore servitute diaboli.*

Exodi 3. v. 13.

Quid conferat, quid valeat, quanti momenti & emolumenti sit Dux exercitus, & antiquorum annalium vetustas, & recentiorum auctoritas satis superque testantur. Curtius: *Militarem SINE DUCE TURBAM, corpus esse sine spiritu*, sine animâ, sine vitâ, sine capite affirmavit. In eundem sensum floridè nec minus solidè Florus Historicus pronuntiavit: *Tanti esse exercitum, quanti Imperatorem.*

Quanti momenti sit Dux exercitus.

Curtius lib. 10.

Florus lib. c. XVIII.

Nôrat hoc supremus rerum omnium moderator & Imperator Deus; sed quem mittet? Aut quis iturus est?

Sub

Sub diabolicâ servitute, & immani Hæreticorum tyrannide, Ægyptiacâ longè crudeliori gemebat qui supererat pusillus populus Dei, lamentabantur in antris & speluncis, qui se abdiderant, viri Religiosi ac mulieres: alii ex carceribus: multi ex ipsis, quibus distentabantur catastis & equuleis (ut in theatro crudelitatis Anglicanæ videre est) clamabant ad Dominum:

Virg. 1. Æneid.

Quem finem statuis Rex magne laborum?

Dolorum, & miseriarum? Quis hisce infernalibus furiis, quis hisce Luciferi asseclis obsistat? Quis tartareum illum Pharaonem frangat, ejusque vires retundat? *Ille siquidem*, ut Divus Hildebertus eum describit, *ille hostis est, quem nec Filius Virginis intentatus transivit. Ipse hostis ille est, qui cum lædere non possit, semper velit. Ipse hostis ille est, de quo rara, & numquam secura victoria. Si confisi viribus nostris cum eo congrediamur, sub eo cadimus, quia leonibus fortior est. Si speramus in fugâ, facile nos consequitur, quoniam aquilis velocior est. Si quærimus eum fallere, fallimur, quoniam serpentibus astutior est.*

S. Hildebertus in festo Cathedræ S. Petri de fetio Domini excelso.

Non est qui resistat, non est qui castra ejus perrumpat, non est qui manus effugiat. Domine, adjuva nos.

Sic olim populus Israeliticus, cum durissimam sub Pharaone (* qui viva & vera diaboli figura fuit) servitutem, & immanissimam tyrannidem paterentur, clamaverunt ad Dominum, & exauditi sunt: vocavit enim Dominus Moysen, cui ait: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, & sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terrâ illâ in terram bonam & spatiosam*, in terram quæ fluit lacte & melle. Ubi Seleuciensis Antistes sub Dei nomine sic disseruit: *vidi ovile Dei abiisse in dæmonum diversorium: vidi gregem à dæmonibus, haud secus quam à lupis laniatum, & quæ conspexi, non despexi.*

Augustin. feria 3. post. dom. 3 in quad.
Exodi. 3. v. 7.
Moyses Dux eligitur.
S. Basilius. orat. 16.

Tum rursus ingeminat misericors & miserator Dominus: *clamor ergò filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum, quâ ab Ægyptiis opprimuntur.*

Exodi 3. v. 9.

Quid ad hæc remedii, quid solatii, quid consilii, & auxilii? Moysen Ducem populi sui constituit contra Pharaonem, omnemque vim Ægyptiorum, dicens: *veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israel de Ægypto*. Procopius hic: *ego ad hoc honoris fastigium te proveho*, UT FUNGARIS DUCIS MUNERE, *in asserendo in antiquam libertatem populo Israelitico.* In eundem sensum Tostatus, Antistes Abulensis: TE CONSTITUO DUCEM, *ut dirigas eos, & educas de Ægypto*. Disertè Actorum 7. v. 35. *constituit principem* populi sui.

Exodi. 3. v. 13.
Procopius hic.
Tostatus hic.

Majus quid & magnificentius divina providentia per Ignatium, quam per Moysen machinabatur, dum per illum non è servitute Ægyptiacâ, sed diabolicâ & æternâ liberavit. *Fuerunt omnis numerus filiorum Israel, qui poterant ad bella procedere, sexcenta tria millia virorum, quingenti, & quinquaginta*; quibus si mulieres cum parvulis annumeres, conficiet populus Hebraicus, quem generosissimus Dux Moyses è tyrannide Pharaonis eduxit, facile tricies centena millia hominum, ut Salianus noster supputat.

Applicatio sancto Ignatio.
Numer. cap. 1.
Salian. anno mundi. 2545.

Nunc si animo Lustraris tres orbis partes, Asiam, Africam, Americam, quot centena hominum millia plusquam Ægyptiacis impietatis, idololatriæ, ignorantiæ tenebris sepulta, sub gravissimo Cacodæmonis jugo tenebantur, plures sub auspiciis Ducis nostri Ignatii, in libertatem filiorum Dei assertos, & non in terram fluentem lacte & melle (quo duo duntaxat penetrarunt) sed in cælestem Paradisum ubi sunt torrentes veræ voluptatis, deductos comperies, quam per Moysen.

Quis hic humanâ & politicâ sapientiâ ductus, non attonitus hæreat, & divina consilia imprudentiæ arguat? Moysen hominem rudem, ignarum, militiæ inexpertem, Ducem tanti exercitus filiorum Israel, contra valentissimum totius Ægypti, ejusque innumerabilium militum ac Ducum Imperatorem constituit? Nam ut inquit Augustinus, tenuitatem & incapacitatem suam exposuit, dicens: *Domine, non sum eruditus, & tardus sum ad loquendum. Et ait illi Dominus: ego aperiam os tuum, & instruam te quæ oportet loqui.*

Sicut Deus Moysen rudē & ignarum, ita & Ignatium elegit.
Augustin. serm 86. de temp.

Sic Deus piscatores & publicanos elegit, ut confundat sapientiam sapientum. Sic elegit Ignatium. O rem admiratione dignissimam! O arcana & suspicienda æternæ mentis consilia! Si excidium impietatis, si dæmonum tyrannidem, & flagitiosum illum triumviratum è voluptaribus, avaritiâ, superbiâque conflatum contundere: si furorem atque amentiam eorum hominum frangere, qui ex illo ganearum suarum nidore, atque fumo prorumpentes, bellum omni scelere & odio instructum, contra aras & sacra omnia comparaverant: si Romanæ Religionis signa ad sola terrarum ultimarum inferre, pulcherrimosque triumphos in cælum evehendos summus Imperator Christus moliebatur, quid ad illum rerum gravissimarum cursum conficiendum, *Ignatium* elegit? Cujus si vitæ rationem inspexeris, inarmis erat enutritus: si ingenii culturam, non humanis, non divinis disciplinis instructus: si ætatis progressum, ad latini sermonis ponenda rudimenta vix idoneus esse videbatur. Ut si olim Moyses dixerit ad Deum: *quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel ex Ægypto?* potiori jure Ignatius queri potuisset: *quis sum ego* ut cum copiis meis vadam contra tartareum illum Pharaonem, contra immanissimos tyrannos, & *populum* non Ægyptiacum, *sed terribilem, post quem non est alius?*

Exodi. 3. v. 11.
Isa. 18.

Verumtamen nixus ejus præsidio, qui Moysi dixit: *ego ero tecum, & hoc est nomen meum*, generosam ad quævis certamina expeditam Legionem, non militari tantum cingulo, sed etiam nomine Ducis sui JESU munitam, ornatamque eduxit in solem ac pulverem præliorum, totique Erebo bellum indixit.

Exodi. 3. v. 12.

Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis.

Virg. lib. 6

Hanc belli faciem, & truculentam pugnæ speciem, oculis objecisse videtur Chrysostomus, dũ aureâ fandi copiâ, sic ferreas acies vel ipso „ auditu horridas inducit: ponito, inquit, ante oculos exercitũ ex militibus tum peditibus, tũ equitibus, tum nauticis viris constantem, ac mare quod obtegat triremiũ numerus. Rursum ipsas camporũ planities, ipsis montiũ vertices, hinc peditũ, hinc equitũ phalanges cõtegant: æs item armorũ expositum soli, splendorẽ reddat, atque à solaribus radiis, & galearũ, & clypeorum coruscatio vibretur: hastarũ fragor, equorumq; hinnitus in cælũ feratur. neque mare, neque terra appareat, ubique æs, ubique ferrum. *Instet jam conflictus tempus.*

Chrysosto. de sacerdotio lib. 6 sub fine.

„ Postea rapiat quis derepente Adolescentẽ aliquem in agro educatũ, ac qui nullius prorsus artis alterius gnarus sit, quam lyræ pastoritiæ, ac pedi (qualis Moyses exstitit, *qui pascebat oves Iethro*) eundemque per totũ illum exercitum circumiens deducat, ostendatque hostiũ procinctam aciem universam, missiliũ nubem, jaculorum, nivis instar ingruentium impetum, sanguinis torrentes, cadentium gemitus, stantium clamores, jacentium acervos &c. Ac post hæc omnia, jubeat illum continuo in equum ascendere, *universique illius exercitus Ducem agere.*

Exodi. 3.

„ Hic tu Adolescentem illum censes vel nudæ harum rerum narrationi sustinendæ parem esse posse? ac non potius vel à primo statim aspectu, animo defecturum?

Norat Moyses potentiam Pharaonis, copias militum, robur & ferociam Ducum, equitum ac curruum multitudinem: metuebat horrendam populi sui cladem & internecionem. Sciebat se pastorem, belli ignarum, inermem, resistendo parem non esse. Unde ait: *quis sum ego*, quem ducem constituas? ut tantum oneris, humeris meis imponas, Domine? Respondit Dominus: *tu eris Ductor*, ut populum in libertatem asseras; ne dubites, *quia ego ero tecum*, ego tibi feram auxilium.

Barradius Itinerarii Israeliticum lib. 1. c. 15 n. 6.

Hæc ubi Chrysostomus bella descripsit, longè atrociora, quæ à tartareis hostibus moventur, exponit: videas, inquit, eo prælio longè majus & horribilius. Si tibi caliginosam illam diaboli aciem, bellumque contra nos instructum, oculis illis cernere liceat; videres utique non sanguinis torrentes, neque corpora mortuorum, sed animarum lapsus tam multos: vulnera tã gravia, ut tibi statim belli universa illa pictura, quam modo expressi, puerorũ delectamenta, & ludicrum potius, quam bellum videri possit: tam multi certè, ac frequentes sunt, qui in singulos dies feriũtur: quorũ vulnera non idẽ mortis genus pariunt; sed quantũ inter se dissidẽt anima & corp⁹, tantũ est inter mortẽ hanc, atq; illã discrimen.

Chrysost. cit.

Quæ omnia ut Ignatius manifestâ visione cognovit, meritò verba illa aurei Oratoris usurpare potest: *in hoc campo voluisti me Christi militibus* DUCEM ESSE; *cum verò, qui ceteros debet in ordines partiri, ac militaribus armis instruere, omnium infirmissimus, simul & imperitissimus sim* QUOMODO DUCEM AGAM?

Chrysost. cit.

Sed & Jgnatius audivit: *ego ero tecum*, ego tibi propitius ero, *ego adiutor fortis.* Quam hæc ex vero, confirmat summum Christi Vicarii oraculum; sic etenim Urbanus VIII. Pontifex Maximus, in bulla Canonizationis S. Jgnatii: *vir verè, quẽ praelegerat Dominus,* UT EORUM DUX FORET, *qui portarent ejus sanctissimum Nomen corã gentibus & populis: & infideles ad veræ fidei cognitionem inducerent, ac rebelles hæreticos ad illius unitatem revocarent, suique in terris vicarii auctoritatem defenderent.*

Psal. 70. v. 7.

Bartolus. initio vitæ.

At quibus auspiciis novæ militiæ præfectus, & belli Dux inauguratus sit, videamus.

Moyses *in monte Dei Horeb*, Ductor populi Jsraelitici constituitur; Jgnatius in monte Serrato. Hic ipse sub Jesu vexillo militaturus, sese exarmare, gladium & pugionem, emeritæ militiæ symbola, quibus mundo meruerat, novæ militiæ Dux suspendere. Tum detractis sibi splendidis ac sumptuosis vestibus, mendicum quemdam ac lacerum, ibi forte adstantem induit: ipse jumento, reliquisque impedimentis clam à se abactis, sacco indutus, fune præcinctus, baculo, ceu virgâ armatus, Moysi per omnia similis, in campum progreditur.

Exodi. 3.

Tirocinia Ducis nostri Jgnatii.

Habet saccum pro loricâ, funem pro militari baltheo, baculum pro telo, cucurbitam pro commeatu, ut nudus & inermis cum nudo congrediatur; nam ut inquit Magnus Gregorius: *quicumque ad fidei agonem Venimus, luctamen contra malignos Spiritus sumimus. Nihil autem maligni Spiritus in hoc mundo proprium possident; nudi ergò cum nudis luctari debemus: nam si vestitus quisquam cum nudo luctatur, citius ad terram deiicitur: quia habet, unde teneatur; quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Qui ergò contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat.*

S. Greg. hom. 32. in Evang.

Procede Jgnati ad bellandum bella Domini, jam miles Christi: de te enim, mutato nomine mihi dictum videtur, quod S. Paulinus epist. 17. ad Victricium, qui relicto militari baltheo, Christo dixerat Sacramentum: *passus est militare te Cæsari, ut Deo disceres militare; ut cũ labore castrensi, corporis robur exerces, spiritualibus te praemiis roborares, confessione Spiritum firmans, & passione corpus indurans. Quod Divina providentia circa te fuisse consilium ingens, postea exitus tuus à militiâ docuit; militiæ sacramenta permutans. Arma sanguinis abiecisti; ut arma spiritualia indueres, contemnens armari ferro, qui armabaris Christo.*

S. Paulin. epist. 27. ad victricium.

Sic armatus procede Jgnati, tu primus, tu Antesignanus, tu Dux, tuorumque Imperator invictus. Congredere cũ tartareo humani generis hoste, atque omnis perfidiæ capite. Non tibi cum uno Pharaone, immanissimo tyranno, sed & cum horrificis gentilitatis, hæreseos, omniumque scelerum monstris, quæ non ut ex Æthnæo monte gigantes, sed ex orci cavernis prodierunt, decertandum est.

Nil te Duce, & auspice Christo, sub cujus signis militas, cujus gloriæ stipendia meres, formidandum; sed optimè de victoriâ sperandum est. Age, signa explica, militem in campum educe.

Solent

Ignatii acies explicata. Solent belli Duces quandoque respectare, & incredibili animi voluptate affici, explicatâ aperto campo, lectorum militum, ac centurionum aciem contemplantes; at nemo quisquam Imperatorum, non Augustus, non Pompeius, non Scipio, talem, tam potentem, tot illustrium heroum exercitum in campum produxit, qualem militiæ Christianæ Primipilus & invictissimus Ductor Ignatius. Iuvat hodie tibi, Sanctissime Patriarcha, ex cæli arce prospectâti, has copias sapientiâ, virtute, constantiâ, dignitate cōspicuas lustrare, ac tã inusitato spectaculo oculos tuos, nostrosq; animos oblectare, atque ad eorũ sectanda illustria facinora mentes vestras excitare; nã si Ismacho apud Xenophon tẽ credimus: *exercitus probè ordinibus suis distinctus, res una est, amicis quidem ad intuendum, omnium pulcherrima; hostibus autem longe molestissima, atque terrifica.* Xenophon. in Oecon. cap. 14.

Formosum enimverò spectaculum! Hinc cōsistere visa est Apostolicorum virorũ, antesignano Xaverio, fulminatrix legio: inde explicare se aligera Doctorum, ac scriptorum phalanx, quæ pennis orbem pervolavit: eminentiori loco sese ostentare sacrorũ Oratorũ cohors: mediâ in acie, purpurea fortissimorum Martyrum agmina: dextrũ cornu cataphracta generosorũ pugilum occupare caterva, omnes inflammatis animis; hi ut uno impetu Indiã, Japoniam, Americam, Abassiam, Monomotapã, atque innumeros sub cacodæmonis jugo, ac servitute vinctos in libertatem restituant: illi ut suis calamis & stylo hostes configant: isti ut esurientibus parvulis panem verbi Dei frangant, & vitia detonent: Alij ut suo sanguine sterile ericetum irrigent, & sementem animarum metant: Alii denique, ut contra omnes hæreticorum insidias & insultus, velut murus aheneus, consistant, eorumque spicula retundant, ac retorqueant. V. Alegam. in Biblioth. Soc.

Hæc si quis mentis oculis contemplati, quos, qualesve viros (quos enumerare infinitum esset) voluerit, nonne sacro quodam stupore defixus in has voces erumpet: *castra Dei sunt hæc.* Gen. 32. v. 2.

At quo ardore, quo robore, quo fructu hæc acies ordinata sese in hostes effuderit, cum justum sibi volumen postulet, qui volet, Bzovium, Florimundum Remondum, Imaginem primi sæculi consulat.

Illud unum dixisse sufficiat, quidquid à singulis & universis Ignatii Sociis per universum orbem fortiter toleratum, aut feliciter perpetratum est, in Auctorem ac Ducem Ignatium jure redundare: illud etenim tanquam certissimum placitum, & sacrosanctum veritatis axioma, rota semper Justiniani scholo venerata est, in eamque sententiam, velut in quoddam concilium manibus pedibusque, cum sacro, tum profano jure Consulti ambulant universi, quæ canone 82. expressa est hisce ipsissimis verbis: *qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum.* Canone 82.

Unde omnes qui sub Cæsaris Aquilis stipendia merent milites, Cæsari vincunt si hostem cædant; Cæsari cadunt, si ab hoste cædantur. Labor omnium, unius est gloria. Nec immerito: cum enim milites Cæsar vel cogat imperio ut debeant: vel juvet auxilio ut valeant: vel alliciat præmio ut cupiant confligere, jam per illos pugnare Cæsar ipse, propter quem pugnant illi, censendus est. Idem de Ignatio. De quo ne propria magis fortè desideretis, sit

§. II.

MOYSES *gravissimis in rebus ascendit in montem, Dominum cōsulturus, ex cujus colloquio non solum intus illustrabatur in animo; sed &* FACIES EIUS CORNUTA REDDITA EST EX CONSORTIO SERMONIS DOMINI. *Quod & IGNATIO accidit.* Exodi 34. v. 29.

HOc principium militare Salustius, Livius, Lipsius, primum ac præcipuum ponunt: *ut Duces belli nil aggrediantur sine consilio Imperatoris,* à quo ordines progrediendi, congrediendi, sistendi, aut resistendi hostibus, accipere debent; quia ut ait sapiens: *cum dispositione initur bellum, & erit salus, ubi* MULTA CONSILIA. Duces belli nil aggredi debent nisi Imperatore consulto. Proverb. 24. v. 6.

Ita Dux ille Israëlitici populi Moyses, cum suos à fortissimo, ac ferocissimo Pharaone opprimi videret, cum seditionem in castris metueret, cum quid sibi agendum hæreret, recurrit ad Dominum exercituum, consilium & auxilium imploraturus, nec quidquam eo inconsulto aggressus est; ut patet lib. Exodi variis locis.

Quanti autem id momenti sit, Divus Basilius observavit in illud Pauli: *consilium autem do*, ubi ait: *quanti emolumenti eveniat* EX ACCEPTO CONSILIO, DECLARAT QUAM MAXIME MOYSES, *qui omni sapientiâ Ægyptiorum eruditus, familiari colloquio cum Deo congreditur*, ut quid sibi agendum, intelligat. Basilius. in 1. cor. 7.

Quod si Sapiens sapienter moneat: *fili,* SINE CONSILIO *nil facias, & post factum non pœnitebit,* quanto magis in negotio bellico, ubi de salute militum; maxime verò in conflictu, ubi de salute animarum agitur, nil agendum sine consilio divino. Eccli. 32. v. 24.

Quod Duci nostro Ignatio adeò sacrosanctum erat, ut quid in hostes contra se, contra suos, contra totam suam legionem armatos agendum esset, ad summum Imperatorem per orationem recurrere, eumque consulere in omni negotio soletet: ná ut P. Ludovicus Gonxales in Diario vitæ, & P. Oliverius Manaræus in epist. testantur: *suos identidẽ admonere solebat, ne quid inconsulto Deo aggrederentur, subjungens: numquam se ausum esse ullum cujusquam ponderis, aut momenti negotium auspicari, nisi prius recursum haberet ad Deum: & hic erat solennis eius sermo.* S. Ignatius in omni negotio Deum consulit. Ribadin. in vita. lib. 5 cap. 1. in Diario vitæ.

Idipsũ Ecclesiasticus identidẽ inculcat. CONSILIARIUS *sit tibi unus de mille*, haud dubiè non alius est ille, quã qui ab Isaia magnifico hoc titulo Eccli. 6. Isa. 9. v. 6

tulo condecoratur:*admirabilis Consiliarius*, vel ut 70.Interp.*magni Consilii Angelus*.

Psal.54. v.18.

Patet ubique ejus oraculum, patent aures, patet accessus: expertus Psaltes Regius:*Vespere, & meridie narrabo , & annuntiabo* (omnia negotia mea) *& exaudiet vocem meam*; Secus ac in aulis Principum fieri consuevit. Vidit hoc veræ lucis expers Epictetus , qui pulcherrimum illud monitum reliquit : *magno animo Deos ut* CONSILIARIUS *accedito: deinde si* QUID CONSILII DATUM FUERIT, MEMENTO QUOS IN CONSILIUM ADHIBUERIS ; quibuscum dum agis in sacro otio, maxima negotiaris,ut rectè Seneca:*mihi crede, qui nihil agere videntur, majora agunt: humana , divinaque simul tractant*.

Epictet. in Enchiri. cap.39.

Seneca. epist.8.

Sed hæc potius à facto , quam profano lubet excipere. Rex David, de quo memini, bellis intestinis & externis implicitus , omne suum consilium à Numine capiebat , pro quo feliciter omnibus actis, & ex voto succedentibus,quotidianas illi gratias agebat , dicens:*Benedicam Dominum , qui tribuit mihi intellectum*. S. Hieronymus vertit : *qui dedit mihi* CONSILIUM; quo si Reges , si Duces belli uterentur,quam faustos , & felices omnium rerum successus ac exitus sortirentur ? Testis Europæus ille Alexander, Carolus V. invictissimus Imperator,qui hactenus inauditas Victorias consecutus est,non Marte, nec milite; sed consilio summi Imperatoris;quia ut domi, ac militiæ de eo palam ventilabatur : *Carolus cum Deo sæpius , quam cum hominibus loquebatur*. Contra Ottomanicam lunam lunavit arcus, sexcentas in eum Turcarum chyliades Deus allisit , ut frangeret. Bis conspectu suo Solimannum ante Viennam,velut prænuntiâ fulminis luce , sic perstrinxit , ut nunc trecentis , nunc propè sexcentis suorum millibus armatum , obsidionem solvere , & fugere compulerit. Nostis quo consilio , & auxilio ? *quia Carolus cum Deo sæpius , quam cum hominibus loquebatur*. Septuaginta bella Divino consilio auspice , fortiter suscepit , & feliciter confecit ; hujus bellatrici manu relatæ manubriæ fuerunt , decies octingentæ urbes, & totidem naves spolia : castella supra centum millia : numquam acie , aut prælio victus: *quia Carolus cum Deo sæpius , quam cum hominibus loquebatur*.

Psal.15. v.7.

Carolus V. in omnibus consuluit Deum.

Scribanius in politico-Chr.l.2. cap.2.

Scribani. cit.

Plus ultra hunc orbem, in orbe novo metam fixit , ubi octodecim prælijs , totidem Reges debellavit , è quibus Aralipa, ultimus Cuscorum Regum , septuaginta aureorum milliones , intra dies 70. appensurum se spoponderat, si libertate donaretur.

Denique nil aliud hunc Carolum Imperatorem , invictissimum, tot urbium triumphatorem , ac orbis domitorem effecit, quam quod *sæpius* cum *Deo* , *quam cum hominibus loqueretur* ; per omnem quippe vitam , divinæ rei , oraculum consulturus , intererat. Quotidie per duas horas primo mane cælestem aulam mente adibat ; duas item sero vespere cum Deo loquebatur ; ut de illo , jure prædicarint , quod Augustinus de Theodosio : *magis orando , quam feriendo pugnavit*. Atque hinc illa in rebus gerendis felicitas,hinc hostium clades, hinc tam insignes partæ victoriæ.

Ita Moyses faciebat,in cujus schola eruditus Josue,exemplum licet magni Magistri, ubique tamen sectatus non est; unde à Gabaonitis fuit deceptus:*quod os Domini non interrogasset*.

Iosue.9. v.14.

Romanus Philosophus Lucilio percunctanti,an sapiens deliberaturus sit , an aliquem in consilium vocaturus? sapienter respondit: *Sic illi* OPUS ESSE ALIENO CONSILIO,*quomodo medico,quomodo gubernatori,quomodo advocato, & litis ordinatori. Proderit ergò sapiens aliquando sapienti:suadebit enim:impetum illi dabit: occasiones actionum honestarum commonstrabit*.

Seneca lib. 19. epist. 110.

Tum alia addit commoda non levia: *præter hæc,aliquas suas cogitationes exprimet: docebit quæ invenerit , & quò animus eius excurrat. Præterea, quarumdam illi notitiam tradet: non enim omnia sapiens scit ; etiamsi sciret , breviores vias rerum , aliquis excogitare possit , & has indicare , per quas facilius totum opus circumfertur. Atque ita incipiet alter sapere securior, & extra metum positus,feriari* : PLUS ENIM HOMINES IN ALIENO NEGOTIO VIDENT, QUAM IN SUO.

Prudenter quis alium consulit.

Quod si sapiens à sapiente consilium petat magno suo documento.& emolumento; quam potiori jure nos in rebus nostris, potissimum salutis, ignari , à summi Consilii Angelo, consilium postulare.& expectare debemus.

Qui hoc non faciunt, gravissimo se discrimini exponunt,& non rarò , consilio humano decepti, perniciem sibi, & exitium accersunt.

Quare rectè monet Gregorius Nazianzenus, ad eruditum quemdam scribens , nobili genere oriundum, sed mundi vinculis irretitum:CUM DEO CONSILIUM CAPE, *& ab officio minimè aberrabis*.

Greg. Naz. epist.120.

Et tu,quisquis es , in negotiis perplexis, & perturbatis, CUM DEO CONSILIUM CAPE, *& ab officio* boni superioris , boni Pastoris, Judicis,patrisfamilias *non aberrabis*,nec voto, nec successu secundo frustraberis.

Nos in negotiis nostris, maxime salutis, Deum consulere debemus.

Tu Adolescens,adolescentula, de statu vitæ, de negotio salutis,unde æterna animæ & corporis felicitas pendet, deliberatura,*cum Deo cōsilium cape*,non tecū,juxta illud sapientis monitum: *ne innitaris prudentia tua* ; idque propter amorē proprium, metum, cupiditatē, & affectus inordinatos, qui rationem excœcant; unde peracutè Bernardus:*qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit*.

Prov.3.

Bern. epist 87.

Non etiam consiliū à parentibus, aut propinquis petat. Ecquid porrò in negotio salutis, sani cōsilii sperandū ab homine carnali & animali, *qui non percipit ea, quæ sunt spiritus*;non magis quā si quis ædificare volens, sutores cōsulat, vel aurifices:& qui ęgrotat, jurisperitos advocet. Quo spectat ironica illa locutio Eccl.cap.37 *cum viro irreligioso tracta de sanctitate cum injusto de justitiâ*.

Non consulendi parentes aut propinqui.

1.Cor 2.

Sed hic non humanum, sed Angelicū Doctorem audiamus:*ab hoc*, inquit, *consilio* (de statu vitæ, de Religione amplectendâ) *primo quidem amovendi sunt carnis propinqui: quia inimici hominis, domestici eius*; nemo autem ab inimico consilium

S.Thom. opusc.17. contra retrahentes à Relig. cap.10.

filium petit. Nec mirum si domesticos ipse Christus inimicos dixerit, quando pravo suo consilio, ab obsequio divino avocant, retardant, & in æternam mortem præcipitant. Unde S. Bernardus, spiritualis doctrinæ Magister, planè asserit, propinquorum consilium præponere: *Vetat*, inquit, *magni consilii Angelus, quod aliena consilia præstolaris? Quis enim fidelior, quis sapientior illo? Deduc me Domine, & deducar.* Ac tandem concludit: *amicos consultat, qui non legit: inimici hominis domestici ejus.*

Bern. ser. ecce nos reliquimus omnia.

Quod si divina consilia satis perspecta quis non habeat, Confessarium, virum perfectionis peritum, virtutum magistrum, per quem Deus, ut olim per Angelum Moysi locutus est, consulat.

Confessarius, aut peritus vir spiritualis consulendus.

Quod si Gentilis Philosophus dixerit: *Vivere omnes beatè volunt; sed ad pervidendum quid sit, quod beatam vitam* (qualem ipse sibi imaginabatur) *efficiat, caligant. Decernatur itaque & quò tendendum, & quà:* NON SINE PERITO ALIQUO, *cui explorata sint ea, in qua procedimus;* quanto magis, ut quis ad verè & æternum beatam vitam perveniat, perito aliquo Consiliario opus habet, cui explorata sint omnia, quæ eò securissimè perducant? Dei voces apud sapientem id comprobant: *Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes inexcelso ad speculandum.*

Seneca lib. de vitâ beatâ c. 1.

Eccl. 37. v. 18.

Et de hujusmodi quidem homine intelligebat comprimis oculatus, & mysticis luminibus elarè videns Tobias, eum suum filium ad præstantem vitæ rationem imbueret: CONSILIUM *semper à sapiente perquire.* Quot verò, & quanta ex eo commoda percipiantur ad felicem negotiorum cursum, non modo hominis particularis, sed urbium ac familiarum moderatorum, magnificè expressit Clemens ille Alexandrinus: *Sanctorum virorum* CONSILIIS *civitates rectè administrantur, rectè & domus.*

Tob. 4. v. 19.

Clem. Alex. lib. 2. Strom. pag. 196.

Nunc eò unde paululum digressi sumus, revertamur; & si viri sancti, viri prudentis consilium, velut oraculum consulendum, ac rerum agendarum felix auspicium, & felicior exitus ex eo speretur, ac impetretur; quis non felicissimum sibi meritò spondebit, qui cum Moyse Israelitarum Duce, & cum Ignatio Jesuitarum Ductore, in omni negotio ad os Domini rogandum, divinum oraculum, & *magni consilii Angelum* consulendum recurrerit?

Quod quo fructu fiat, ex eo patet, quod ex consilio & *consortio sermonis Domini*, mens consulentis ac colloquentis cum Patre luminum, planè illustretur, & quæ dicenda, quæ agenda, quæque omittenda sint, quasi illapso solis radio resplendeant. Quæ lux interior, quo manifesta fieret omnibus, in ipsum corpus redundavit.

1. Qui Deum consulit, intimis animæ illustratur, et exterius corpore splendor apparet. Patet in Moyse.

Exodi 34. v. 29. *Cumque descenderet* MOYSES *de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, & ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.*

Ubi Cornelius ait, quod Deus in Sina loquens Moysi, quasi Sol radiantissimus, Moysi suam gloriam, id est, suæ Lucis radios afflavit, (primo mentem illustrando, inde in faciem derivando) adeò fulgidos, ut Hebræi in faciem Moysis, quasi in alterum solem, intueri non possent; sed ab eo facies suas avertere cogerentur.

Cornel. in exod. cap. 34. v. 29.

Metaphoricè autem sumitur, faciem Moysis cornutam fuisse: non enim duo radiosa cornua habebat in fronte, ut ei affingunt pictores; sed ita lucida erat facies ejus, ut radios luminis undique evibraret. Unde Chaldæus vertit: *Ignorabat Moyses, quod multiplicatus esset splendor vultus ejus.*

Gregorius Antistes Nyssenus, Basilium fratrem suum in obitu laudaturus, eum ipsi Moysi, viro incomparabili conferre non dubitavit: *Præterire*, inquit, *magnam historiæ partem convenit, ne si quis omnia plenè & exactè velit exponere, at quibus cum* MOYSE ET BASILIO SIMILITUDO FUIT, *haud leviter Auditoribus obtundat, iisque tædio sit.*

S. Greg. Nyss. orat. in obitu Basilii.

Quod cum & ego imprimis verear, pauca quædam ex ipso ad rem nostram delibabo: *Reliquit Moyses Ægyptum, deinque interim sitam ipse privatim egit.* Reliquit hic (nempe Basilius) *etiam Urbanos tumultus, ac terrenos hosce strepitus, eratque in solitudine Deo vacans.* Tum sic pergit: MOYSI *lumen ex rubo affulsit. Non deest aliquid affine huic visioni, quod etiam de* BASILIO *dici posit: nam cum nox esset, illum domi orantem lux micans circumfulsit. Erat porrò lux illa quidpiam immateriale, divinâ vi domicilium illustrans, quam nullus terrenus fomes accenderet.*

S. Basilius Moysi comparatur.

Gregor. Nyss. cit.

Hæc illustria Divi Basilii cum Moyse parelia, quam verè mutato nomine, de Ignatio narrentur, & deprædicentur, paucis advertere, docebo.

Non semel, sed sæpius Ignatii facies miro fulgore radiare visa est. Ita Barcinone dum fæci plebis immistus concionem audiret, ab Isabellâ Rosellâ insolito splendore conspectus est. Ita Romæ à S. Philippo Nerio spectatus est non semel fulgentibus radiis, multoque capitis nitore coruscans.

Ignatii facies instar Moysis, cutis luce visa.

Bartol. gloria S. Ignatii.

Nec minus mirabile, ac memorabile, quod Alexandro Petronio, medico Romæ celebri, & inter Ignatii amicos singulari accidit: decumbebat ille gravi dejectus morbo, in cubili valvis ac fenestris obseratis perobscuro; hunc ut invisit Ignatius, relucere locus novis splendoribus est visus. Ad hoc stupere æger, ac sciscitari ecquænam, & unde tanta lux? compertumque non aliunde quam ab Ignatio, qui *domicilium illustrans*, unà etiam ægrum sanitate donârat.

Bartol. in vita lib. 4 n. 31.

Magnum illud Pauli de Moyse tabulas accipiente testimonium: *Quod si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus fuit in gloria; ita* UT NON POSSENT INTENDERE FILII ISRAEL IN FACIEM MOYSI, *propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur; quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloriâ?* Quæ ad propositum nostrum D. Remigius aptè exponit: *Si Moyses*, inquit, *radios quosdam emittebat splendoris sicut Sol, & non possent intendere filii Israel, quando legem dedit populo, quæ ministra erat mortis; quanto majorem gloriam habebunt Ministri Evangelii, qui vitam æternam, & justitiam ministrant?* Quanto majorem gloriam Minister Evangelii Ignatius habere meretur, qui legem novam, vitam æter-

1. Cor. 3. v. 7.

S. Remig. hic

nam,

Pictor ocquit præ splendore faciem Ignatii depingere. *Bartol. in vita lib. 4. n. 35*

nam,& justitiam per se,& suos,toto orbe diffudit? Unde & illi accidit, *ut in faciem ejus*, solis instar fulgentem, *intendere non possent*: factum enim ut Cardinalis Paciecus pio dolo pictorem adduceret, qui per rimam Ignatium in tabulâ exprimeret, quod nullâ arte assequi potuit, quod & acies ei deficeret, *& in terrâ deessent colores, quibus reddi ex vero posset celestis illius pulchritudo.*

Ribadeneira, gloria Ignatii Lancic.

Quid, quod diviniores omnis perfectionis ac sanctitatis tabulas, ipsas, inquam, Regulas ac Constitutiones conscribenti, Spiritus sanctus ignis specie illapsus est, quâ lucebat, ardebatque Ignatius: erant illi radii, quiâ Dei digito emanabant, facem præferebant, & scribentis manum dirigebant.

Bolland. 9. Januar.

Mirentur alii, S. Filani in Scotiâ Abbatis, coocobiâ nocte, densisque in tenebris, manum scribentis, ad instar facis lucidissimæ resplenduisse; mirabor ego *Dei digitum*, id est, Spiritum sanctum in hujus vitæ tenebris Regulam scribenti, facem præluxisse, ac manum duxisse.

Sed amabo vos, ecquando, ubi, & unde, Moysis facies tanto splendore refulsit, ut radios undique, solis instar, ejacularetur? An hoc ei vitæ austeritas, an prolixa jejunia contulerunt? Minimè; sed *ex consortio sermonis Domini*; in quem locum Chrysostomus ait: *Deprecatio hoc ei præstitit*, quâ homo cum Deo loquitur, & solem illum divinum fixè contemplatur, in eumque transformatur, & transfiguratur.

Exod. 34. v. 29. Chrysost. de fide Anna.

Morale oratio hominem transfigurat.

Quo sensu juxta 70. Interp. universa per orbem terrarum, festo Transfigurationis Christi, cantat Ecclesia: *Glorificata est* FACIES MOYSI. Quâ verò ratione homo instar Moysis transformari, ac transfigurari queat, tradit Paulus 2. Cor. 3. *Nos autem revelata facie, gloriam Domini speculantes, transformamur de claritate in claritatem*; quod per contemplationem, & orationem, seu ex consortio sermonis Domini fieri, docet S. Thomas in hunc locum, ubi ait: *Speculantes, non sumitur hic à speculâ, sed à speculo; id est, ipsum Deum gloriosum cognoscentes per speculum rationis* (seu mentis) *in quâ est quædam imago ipsius; & sic homo transformatur in Deum*; quemadmodum enim, si sol in speculo reluceat, alterum solem speculum refert; ita animus orantis, qui lucem illam æternam speculatur, in eam totus transformatur *de claritate in claritatem*: *Iudæi autem videbant quandam gloriam* IN FACIE MOYSI, *ex hoc quod locutus est cum Deo.*

2. Cor 3. v. 7.

S. Thom. hic

S. Thom. ibid.

Tertull. lib. 5. contra Marcion. Cornel. in 2. Cor. 3. v. 18.

Ad rem Tertullianus, qui illud Pauli: *In eandem imaginem transformamur*, vertit: *transfiguramur*; quasi alludat Apostolus, ut Cornelius "interpretatur, *ad Christi transfigurationem in* "*monte Thabor*, qua Christus sua gloriâ, & luce "coruscans, eâdem Moysen etiam, & Apostolos "aspersit, *& quasi transfiguravit*. Id autem per orationem fieri, disertè docet, dum dicit: *Qui cum Deo versantur, & ORANTES cum eo sæpe colloquuntur*, INSTAR MOYSIS, RADIIS DEI AFFLANTUR, *fiuntque* LUCIDI IN ANIMA, ET SUBINDE IN FACIE, ET CORPORE; quo spectat illud Ambrosii in Psal. 118. *Illuminat Dominus Sanctos suos, & lucet in corde justorū.*

Cornel. in exod. 34. v. 29.

Hæc autem illustratio io corpore & animo, totiusque hominis transfiguratio, quomodo per orationem fiat; pluribus exponemus.

Commemoratio transfigurationis ter in anno celebrata.

Ecclesia tertio in anno celebrat commemorationem Transfigurationis Domini. Ipso Sabbato ante Dominicam secundam quadragesimæ; atque eâdem Dominicâ; propriè autem 6. Augusti, quo die, ut docet Suarez, Cornelius, aliique, Christus Redemptor noster annum agens 33. in monte Thabor transfiguratus est. Ad cujus mysterii celebritatem Calixtus Papa III. festum instituit, ob maximè mirandam de Turcis victoriam, quam anno Christi 1456. de Mahumete reportarunt, qui captâ Constantinopoli & omnibus Christianis deletis, quadringentis militum millibus excidium universæ Christianitati minitabatur; sed Joanne Capistrano Minorita Duce, crucis vexillo armato, quadraginta millibus Christianorum, cruce quoque signatis, in campum egresso, innumerabilis hostium exercitus, omnibus impedimentis relictis, cæsus, fusus, fugatusque est. Quo insperatæ victoriæ nuntio accepto, lætum hoc per orbem Christianum epinicion decantatum: *Exultemus omnes in Domino*, DIEM FESTUM TRANSFIGURATIONIS *celebrantes.*

Suarez. de vita Chr. Spondan. an. Christ. 1456. n. 11.

Hoc festum, quod in Octavam hanc S. Ignatii incidit, nos quoque peculiariter celebrabimus, adnitentes participes fieri hujus tam gloriosi mysterii, ut generosâ de tartareis hostibus, de vitiis & concupiscentiis obtentâ victoriâ, in novos homines transformari, ac transfigurati possimus; quod non aliâ methodo, aut modo, quam per internam orationem, meditationem, & *ex consortio sermonis Domini* fieri, demonstrabo; qua Sancti prius per divinas illustrationes in animâ, deinde etiam in facie & corpore, ac homine exteriori transfigurati sunt; ut triplicem hanc transfigurationem in nobis exprimere valeamus.

Triplex transfiguratio per orationem.

Unde Moyses super omnes Prophetas arcana Dei consilia, & maximè abstrusa mysteria cognovit? nam ut ipse Dominus testatur Num. 12. v. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei* (per Angelum) *vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus* MOYSES, cui manifesta in luce, ipsemet apparui, recondita aperui, & ad capienda mentem illustravi: *Ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras, Dominum videt.*

1. Perillustratio nem in anima.

Moyses ageos cum Deo super omnes Prophetas illustratur.

Quid Ignatius capere, quid sapere poterat, cui omnia divina, ænigmata erant; nisi cum Deo ore ad os loquens, cælesti radio cælitus illustratus fuisset: cum enim die quadam Manresâ abiisset, & in viâ ad flumen, quod levi lapsu fluebat, se in preces dedisset, aperti sunt ei mentis oculi, ut quæ ad Religionis ac fidei nostræ arcana pertinent, intelligeret. Et hæc mentis illustratio usque adeo copiosa, & perspicua fuit, ut etsi nec scripturæ fide, nec Ecclesiæ auctoritate, nec Sanctorum oraculis, imo nec aliis revelationibus ea mysteria credenda proponerentur, se tamen ex iis, quæ in illo mentis excessu didicerat, firmissimè iis adhæsurum sanctè profiteretur.

Ignatius ne arcana Trinitatis & fidei mysteria clarè cognoscit.

In vita lib. 1. c. 6.

Divina ostenta visus est Romanus Philosophus naturali quodam eventu adumbrare voluisse: *Historici*, inquit, *soles vocant, & binos, ternosque*

Seneca lib. 1. natural. quæst. cap. 11.

nosque apparuisse, memoriæ tradunt, Græci parelia vocant, quia accedunt ad aliquam similitudinem solis; sunt autem magines solis in nube spissâ & vicinâ, in modum speculi.

Lib. 1. vitæ c. 7.

Sic revera non fallaciter sed veraciter sol ille unus & Trinus in Loyolæ animo, velut in purissimo divinitatis specolo resplenduit: nam stabat forte in ædibus S. Dominici, & SS. Trinitati (cui mitè addictus erat) preces & vota de more reddebat, cum repentè animus illius divina luce collustratus, ingenti cum gaudio SS. Triadem cœpit intueri, & amabilem tantæ rei imaginem, quoad licuit, felicibus oculis usurpare. Quæ tum illi lux in animo, quis fulgor etiam corpori affulserit, is facile viderit, qui attenderit à tribus solibus, hoc est, à tribus SS. Triados personis illuminari; patuitque hoc ineffabile mysterium sic menti ejus impressum, ut illo ipso tempore, homo legendi, scribendique tantum sciens, de eo librum scribere sit aggressus ad stuporem & miraculum.

Bartolus in vita lib. 4. n. 30. Imago 1. Sæc.

Omnia complexus Franciscus Maria Cardinalis à monte, in Relatione coram Gregorio XV. Pont. Max. *Compertum esse, ei plus tricies aut Christum, aut Matrem ejus virginem* INTER PRECANDUM *apparuisse*; quæ ex horum consortio & colloquio, divina lumina, quæ documenta & sublimes sensus hauserit, non meæ, nec Angelicæ linguæ est enarrare. Unum illud addidisse sufficiat, Ignatium singulari ac raro privilegio, ipsam divinitatis (ut Theologi loquuntur) essentiam vidisse, ut patet ex divinis tabulis, in quos diebus singulis referebat cæli, Deique in le beneficia. In his autem (vir ceterum dimississime de se sentiens) hoc reliquit disertis verbis: *Vidi ipsum Divinum esse, ipsammet divinam essentiam.*

Imago 1. Sæc. l. 5. cap. 1.

Quod ne cui mirum ac insolens videatur, sciendum est non infimæ notæ Theologos docere, id gratiæ & propè gloriæ, datum esse Moysi, ut *Deum facie ad faciem viderit*: datum D. Paulo in suo ad paradisum raptu: datum D. Benedicto, quid ni & Ignatio?

1. Timoth. 6 v. 16.

Quod autem passim objici solet: *Deus lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, intelligendum est de lege & viâ ordinariâ permanenter, & ad modum habitus, ut Theologi loquuntur; verum de potentiâ Dei absolutâ, per transennam, & ad modum actus transeuntis, quid ni fieri possit?

S. Greg. l. 4. Dial. cap. 33.

Quo posito, occurrit illud Divi Gregorii: *Quid non videt, qui videntem omnia videt?* Remillustrat Ludovicus Blosius, qui refert Divæ Getrudi, è monialibus virginem sacram à morte visam, quæ mira, ac stupenda arcana paodebat; cui fidentius Getrudis: & unde, inquit, hæc tibi omnia, utpote quæ inter simplicissimas habebatis? Cui iterum illa: *Deum semel vidisse, omnia didicisse est.* Moysi, Paulo, Ignatio, *Deum semel vidisse, omnia didicisse est*, omnes mortales sapientiâ vicisse, omnia scivisse est.

Blosius in monili Spirit. cap. 12.

s. Transfiguratio corporis.

Ex hac interiori collustratione, quasi dos claritatis, in ipsum corpus redondavit, dum sæpe sæpius, quod in transfiguratione accidit: *Resplenduit facies ejus sicut sol.*

Sancti Patres, ac sacrarum litterarum Interpretes varias rationes adferunt, quare Christus transfiguratus sit. S. Leo dicit: *Vt ex discipulorum cordibus scandalum crucis tolleretur*, eumque Dei filium crederent, dum inter latrones è cruce pendentem cernerent. Venerabilis Beda: *Transfiguratus Salvator gloriam futuræ, & nostræ resurrectionis ostendit*; quia corruptibile hoc induet incorruptionem. Quo sensu Augustinus, Christum quasi cortinâ remotâ, radium Divinitatis suæ declarasse, & stillam cælestis gloriæ prælibandam tribuisse docet.

V. S. Th. in Catena Luc. 9. & Matt. 17.

Cornel. in Luc. cap. 9

In rem nostram Euthymius & Cornelius, Christum hic spiritualem transfigurationem nobis præfigurare & præsignare voluisse; quemadmodum per orationem, & colloquium cum Deo, in animâ & corpore transfigurari, & in divinos homines transformari valeamus. Unde rectè observant, eum non transfiguratum cum de civitate in civitatem proficisceretur: aut dum in naviculâ sederet: nec etiam dum in domo Pharisæi, aut Zachæi, mensæ accumberet; sed dum oraret; quam notabilem circumstantiam Divus Lucas Evangelista solus observavit, & annotavit: *Et facta est*, inquit, DUM ORARET, *species vultus ejus altera.*

Christus transfiguratur dum oraret.

Luc. 9.

Sic *dum orarent* complures sancti, transfigurati sunt, resplenduit facies sicut sol, & facta est species vultus altera.

Sancti in oratione transfigurati.

Sic Agnes Agno nupta, in ipso lupanari, orationi intenta, cælesti luce circumfusa, divini solis æmula videbatur.

Bolland. 21. Ian. & 20.

Sic Sebastianus cum oraret, inusitato splendore corpus collustratum est. Ita S. Antonii in oratione pernoctantis facies assiduè splendebat, ut ex sola vultus luce, & lætitiâ, inter tot millia monachorum agnosceretur Antonius: videbatur enim esse quasi quidam sol inter stellas. Ita S. Franciscus oratione ferventi sublatus in aëra radiabat, & fervebat, adeoque ex se flammas & ignes vibrare videbatur, *ex consortio sermonis Domini.* Ita radiabat facies augusta beatissimæ Virginis ex assiduâ conversatione cum Deo, & verbo Incarnato, ut Dea quædam esse videretur teste Dionysio.

Cornel. in exodum cap. 34. v. 29. Corn. cit.

Quod ut aliis pluribus, S. Patri nostro Ignatio concessum est: nam in ipso Loyolæ oppido, cum illic ex Galliis rediisset, & relictâ paternâ domo, in hospitalem sese recepisset, in ipso orationis æstu, visus est à Joanne Paschali, altiori quadam luce conspicuus.

Sed numquam magis transfiguratus est, quam dum in montem Domini & tabernacula ejus, ac Sancta Sanctorum admissus, sub sacrificium Missæ, *loquebatur facie ad faciem*; vicissimque *loqueretur ei Dominus in medio ignis.* Aderat facienti die quodam Nicolaus Lanojus, & erectis fortè in eum oculis, post solenne *memento* Deo dictum, videt insidentem capiti ejus flammam, & periculi specie territus, ad extinguendam illam accurrit; sed advertens Sanctum abalienatum à sensibus, & dulcibus lacrymis placidè diffluentem, damni ex eâ nihil pati, rem esse divinam credidit. At introspicere animum si daretur, præter ignem certè, unde hæ faculæ obsistebant, nihil in eo vidisset.

Exod. 33. v. 11. Deuteron. 5 v. 4. Bartol. lib. 4.

Verum enim verò ne tam mirandis, quam imitandis diutius inhæreamus, quâ ratione & nos

3. Transfiguratio, quæ nos spectat: quomodo homo terrestris in cælestem, per orationem transfigurari queat.

nos per orationem, in cælestes homines, divinâ quadam metamorphosi, transmutari, ac transformari possimus, videamus,

Non tam mirandum, quod Poëtæ gentiles fabulati sunt, homines per belluinos mores, in bestias transformari, quam hominem rapacem ut lupum, iracundum ut leonem, sordidum ut porcum, liberalitate, mansuetudine, castimoniâ, in cælestem ac divinum commutari, quod per orationem fieri, Auctor est Chrysostomus: *Dum oramus*, inquit, *similitudinem & societatem, quam cum brutis habemus, procul effugere & exuere videmur.*

Chrysost. de orando Deo lib. 2.

Transfiguratio Pauli per orationem. Act 9.

Paulus erat lupus rapax, siriens sanguinem Christianorum, spirans minarum, ut gregem Christi perderet. Ad eum mittitur Ananias, ovis ad lupum; hæret, stupet, tergiversatur: *Domine, audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit.* Ne timeas Anania, ne timeas, Paulus totus est mutatus in virum alterum: lupus ille jam instar agni, mansuetus est, non est, qui fuerat. Quid hic? unde hæc tanta, tamque repentina transmutatio? *ecce enim orat*; quæ verba expendens Speranza, exclamat: O effectum orationis! *quæ animalia in hominem* TRANSFIGURAT. Paulus paulò ante tam ferox, tam ferus, tantus Christianorum osor & persecutor, subitò tam mitis, tam mansuetus, tantus Christi zelator, ut portet nomen ejus ad extremum terræ? Non aliam hujus tam sanctæ, tam stupendæ transfigurationis causam adfert S. Augustinus, quam illam: *ecce enim orat*, dum ait: ORATIONE, *Saulus fit Paulus*; oratione lupus fit agnus: oratione persecutor fit propugnator, &c.

Ibid.

S. August. serm. 22. ad fratres in eremo.

Operæ pretium huc adferre duxi, quales ac quantæ animorum metamorphoses, morum mutationes, ac hominum transfigurationes per mentalem orationem, per octo, aut etiam paucorum dierum exercitia, à S. P. Ignatio tradita, factæ sint: quot profligatæ vitæ per plures annos, è cœno libidinis emerserint, inveterata odia deposuerint: deliciis, divitiis, ac vitiis renuntiantes, sæculo spreto, ad meliorem vitam, ad religiosa claustra convolarint.

Qualis animorũ transfiguratio per exercitia S. Ignatii. Imago 1. Sæc. lib. 3. cap. 10. Bartol. l. 1. n. 18.

Quis à sæculo tantam, tam miram metamorphosim audivit, quam historia Societatis posteris reliquit?

Sacerdos scenicâ levitate, tota urbe Senensi notissimus, scribebat ingeniosè comœdias, multitudini mox edendas, ad captandos risus, aureisque poscendas; jam & sacerdotalis dignitatis oblitus, semet in theatrum sæpe dabat, Mimum agens exhausto pudore, tantoque nequior actor, quanto Poëta præstantior.

Histor. Soc. part. 1. l. 1. n. 70.

Cum tandem ut à publico populi scandalo desisteret, & superiores castigaret insanias, seque tempori, in tuto reciperet, induci se passus est, ut in secretiori cubiculo exercitiis spiritualibus animum excoleret; quo autem fructu id factum, attendite. Die quo è Franciscanâ familiâ urbis Concionatori, ad confertissimam concionem verba facturus, in sacro illo suggestu, Scenicus ille Sacerdos apparuit, jamque aliâ in scenâ, alium gestum agebat, suspenso de collo reste, ore exangui, dejectis in terram luminibus, totoque vultu ad modestiam, humilitatemque composito, excussit ilicè multitudini lacrymas, qui risus, & cachinnos solebat.

Mira mutatio Sacerdotis Scenici per exercitia S. Ignatii.

Non hic stetit; sed è cathedrâ descendens, ad Capoccinos transiit, ubi reliquam vitam summâ religione traduxit, multo utique lætior horrido illo, contemptoque sacco, morte appropinquante, quam molli & vano perseverasset ornatu. Tum subdit historicus: *Quis tam eloquens potuisset orator, aut tam acer, ardensque concionator, id homini dissoluto persuadere, quod exercitatio illa spiritus persuasit?*

Sacchin. in hist. Soc. cit.

Ejusmodi innumera, eaque propè quotidiana suppetunt exempla, è quibus non unus miles mundi, Veneris procus, diaboli servus, mutatus in virum alterum, usurpare potuit, quod de adolescente, turpi amori diutius implicito Divus Ambrosius refert: qui cum resipuisset, seque in solitudinem recepisset, ubi in urbem tegressus, *& veteri occurrisset dilectæ*, nec oculo eam dignatus fuisset, miranti ac sciscitanti, num se non nosset, se illam esse; respondit: *Sed ego non sum ego*, non sum ille, quem existimas me esse, non sum qui fueram.

Ambr. lib. 2. de pœnit. cap. 10

Nec solum in obduratis, aut impudoratis hominibus hæc transfiguratio per mentalem orationem facta est; sed & in principibus viris, in Religiosis Prælatis, & totam suam familiam collapsam pristino vigori ac fervori restituentem; tum si qui è suis dissolutioris vitæ essent, planè in novos homines, illapso in eos spiritu, reformarent.

Testis Maria Bonaventura, Romæ Sanctimonialis in monasterio S. Franciscæ Romanæ, Ordinis S. Benedicti, quæ vanitati, & sæcularium contubernio impensius dedita, atque à spiritualibus rebus prorsus aliena, per exercitia spiritualia, quæ Pater Lancicius ei tradidit, derepente ita transfigurata est, ut non vulgaris, sed magna & eximia Sancta evaserit. De qua cum alias dixerim, vide Lancicium.

Lancic. tom. 1. pag. 514. Pantheõ. testo S. Marci sub finem.

Miram hanc animorum, ac morum mutationem ab ipso exordio prævidit, & invidit cacodæmon, unde libellum hunc per se & suos hæreticæ pravitatis administros, anathemate damnati, ac flammis aboleri satagebat. Ex his Gabriel Lermæus Calvinista stylum strinxit in exercitia non tam satyricum, ut maxime ardebat, quam panegyricum, quod minime volebat:

Exercitia à dæmone & malevolis impugnata.

Bartol. in vita lib. 1. n. 18.

Quid hoc, ait, incantamenti est, quæ fascinatio, quâ Jesuitæ, homines dementant? Si quædam illos extra frequentiam ædium in conclavia inductos, illic meridianâ in nocte, luce omni exclusâ, profundo mœrore obruunt, tristique horrore consternunt. Miseri quos ea sors prehenderit! ut qui olim in antrum Trophonii descendebant, sic dicant hi ab ipso limine, lætitiæ ac voluptatibus longum vale. Illuc enim homines ingressi, indidem stipites prodeunt stupidi, & amentes, vitæ deliciis funditus mortui, unisque impost-rum lacrymis & lætitiæ victuri. Iis cavis sepulto nec datur videre, nec videri, nisi imaginum illorum ab aliquo bis illuc de die submissâ voce, vultu attonito, magica carmina inferente, quæ paucis in chartula lineis infelici tradit, ut iis apud se versandis gravius fascinetur. Quas verò illic chimæras fingant,

quas

"quas forment imagines, quæ visa somnient, "quis satis enarret? Flent, exclamant, irru-"giunt, velut jam fumo ignis tartarei morderi "oculos sentiant, & anticipatis urantur flam-"mis. Jurant quotidie se ita victuros, tan-"quam sub noctem morituros, neque caduca "hæc nisi puncto individuo tacturos. Cum "autem inde se efferunt, quasi syderati mun-"dum hunc intuentur, non iisdem quibus an-"tea oculis, sed perinde ut scenam interea ver-"tisset, spectant illum ut mare tempestatibus "horrendum, & naufragiis infame, ubi navi-"gare non sit facilius, quam perire; unde ad "quemlibet ingressum, videntur sibi aut allidi, "aut transversum ire: quare in portum quan-"tocyus subducere sese deliberant, tandemque "monachismo sedicant.

Ad hæc Jesuitæ, si forte quod habeant emoti "jam cerebri caput, in hac illud fornace ali-"quatum recoquunt, & recudunt, tamdiuque "malleo contundunt, quoad edomitum, suum "ad morem, formamque redegerint. Ex mol-"liore vivendi habitu ad durum: ex obediendi "duritie ad docilitatem: ex pigro actuo-"sum: firmum ac stabilem ex fluctuante effi-"ciunt.

Ita de exercitiis Lermæus, veris fabulas intexens. Sed quantò illa deprimere voluit, tantò apud illos qui experti fuêre, magis commendavit.

Hist. Soci. part. 1. l. 5. Sed mirandum est ab ipsis Catholicis divinum hoc inventum, libellum digito Dei conscriptum, & Vicarii Christi diplomate consignatum, in suspicionem vocatum fuisse. Sparsum Conimbricæ in vulgus, iis qui se apud Patres Societatis exercerent in loco deserto ab arbitris remoto, spectra nescio quæ, & horrenda visa objici. Calumniæ fidem adstruebat, quam detrahere debuerat, ut repentina, ita ingens & crebra morum, vitæque mutatio. Denique adeò invaluit hæc fabula, ut Cardinalis Henricus, fidei quæsitor de totâ re cognoscendum statuerit. Hoc dum ejus imperio dissimulanter facit Jacobus de Murcia, Academiæ Rector, Fratresque nostros de objectis visis legitimè interrogat, unus apertè fatetur se visa vidisse, & quidem fetalia, atque horrenda. Et quænam illa? inquit Rector, simulque scribam admonet, ut quæ narrarentur, exciperet.

Calumnia sparsa de exercitiis, pulchrè eluditur.

Ille verò, memetipsum, inquit, vidi, quem numquam antea satis perspexeram, monstrum sanè tetrum, quo turpius, mihique magis timendum nunquam vidi. Hoc responsum ab ipsa veritate petitum, calumniam potentius discussit quam fortasse potuisset studiosa & animosa defensio.

O quot ex hic stantibus, intra tenebrosum animi specum terrifica tegunt monstra, quæ si in sacro Exercitiorum recessu, illapso divinitus radio, intuerentur, ad tam inmanem speciem, ipso cacodæmone tetriorem, totis ossibus contremiscerent, horrore summo execrarentur, omni studio, & nisu expellerent, atque in has amarissimas voces prorumperent: *Clamat ad te, Domine, mea monstrosa vita: ego sum quadam chimæra mei sæculi.* Nonne chimæra, nonne monstrum est, virum Religiosum, galeatum: (*Bernard. epist. 249.*)

sanctimonialem cristatam, aut cum plumâ in capite incedere? Majus in conspectu Dei monstrum est, subditum contra superiorem rebellare: virginem Deo sacratam, inane cerebrum, vanitate, inani gloriâ, & ambitione plenum circumferre.

Monstri quoddam genus est, capiti insistere, aut incedere; majus in Dei oculis monstrum est, suo contra parentum, aut superiorum jussa, stare judicio, procedere cerebro, &c.

Quare ut alius sis, non differas de die in diem hanc monstrosam vitam exuere, & in novam ac cælestem transformare. Locum apud vos hodierna die habeat monitum Augustini, quod olim apud Marcianum, antiquissimum suum amicum valuit: *Nunc hic dies vitam aliam affert, alios mores postulat*; qua verò ratione aliter vivere, castè vivere, religiosè vivere, rectè & sanctè vivere possitis, paucis verbis tradit: *Verè novit rectè vivere, qui* NOVIT RECTE ORARE. Passim dicitur, ille adolescens, illa filia morata est, novit rectè vivere (*sy weet wel te leven*) quid miri? hic in aulâ enutritus, illa apud magistram morum educata; & mirum videbitur, qui curiæ cælesti in dies assistit, aulæ summi Imperatoris interest, quæ Mariam, magistram omnis probitatis & honestatis habet, ex consortio & colloquio assiduo, rectè, id est piè, sanctè, ac beatè norit vivere? Aureè Chrysostomus: *Nam si illi qui sapientibus viris familiariter utuntur, ex assiduâ consuetudine, illorum prudentia celeriter participes fiunt; quid de iis dicendum, qui divina consuetudine fruuntur? Quantâ sapientiâ, quantâ virtute, prudentiâ, probitate replet eos* ORATIO *& obsecratio? Ut non aberrarit à vero, qui* ORATIONEM AFFIRMARIT ESSE CAUSAM OMNIS VIRTUTIS.

Augustin. epist. 155.

Id hom. 4 ex 50.

Chrysost. lib. 2. de orando Deo.

Quid igitur Ecclesia, & populus omnis Christianus non debet divino illi magistro Ignatio, qui hanc artem orandi divinitus haustam, in orbem è cælo detulit, qua tales ac tantæ transfigurationes coruscârunt? Ut fusè de hujus libelli præstantiâ videre est in imagine 1. Sæculi lib. 3. cap. 10.

§. III.

SERVUS MEUS MOYSES IN DOMO MEA FIDELISSIMUS EST. *Qualis & Ignatius.* (*Numer. 12. v. 7.*)

NOn frustra magnus ille Paterfamilias quærit & quæritur: *Quis putas est fidelis servus?* Quis putas est fidelis famulus, fidelis famula? In omni domo, & familiâ, hæc maxima cura & solicitudo: *Ut fidelis quis inveniatur.* Herus & hera solent inquirunt, indagant, sciscitantur, prius, quàm servum aut ancillam in domum admittant, unde, cujas, ubi commorata, qualiter morata, ac comprimis, an fidelis sit. Et ex millibus vix unum aut unam reperias: nam ut inquit S. Thomas in illa

Matt. 25.

1. Cor. 4.

Rarus fidelis servus & ancilla qui in omni familia solicitè quæritur.

S. Tho. in Matth. cap. 25.

verba Matthæi: *Quis putas est fidelis servus?* ait: *rarus est fidelis servus*, ut quotidiana experientia, & justæ querelæ indices testantur.

Idipsum confirmat Titus Bostremus in Lucam cap. 12. *Non ignorans dixit: quis putas est? sed ut* QUOD RARUM *est, & multo honore dignum, demonstraret, si fidelis quis inveniatur.*

Fidelis servus qui nihil de bonis Domini furatur.

Hinc enim tot in plerisque familiis abusus servorum, & ancillarum, qui Dominis suis infideles, qui hinc inde eleptitant, nunc esculenta, nunc poculenta, clam Dominis, absumunt, nunc egenis parentibus, propinquis, aut caris elargiuntur: strenui ac impigri sunt, ad oculum servientes; hero absente, otiantur, potitant, lasciviunt.

S. Th. cit.

2. Qui non servit propter mercedem.

Rursus quæro: *Quis putas est fidelis servus?* Respondet idem Doctor Angelicus: *Qui Domino, propter Dominum servit*; non turpis lucri gratiâ. Quære ex omnibus famulis, & ancillis, quare serviant? Ut stipendium annuum 4. 5. librarum: subinde bibale, aureum in strenam, donatium nuptiale, aut mortuale recipiant: famuli insuper, ut ad officium aliquod, aut honestum matrimonium promoveantur.

Inter tam paucos & raros fideles servos, Moyses unus à Deo inventus est, inter omnes fidelissimus, qui rem Domini sui sic administravit, ut ne hilum illi detractum voluerit, nihil è bonis Domini, sibi adscripserit, aut reservarit: *Noris enim, ô homo, quidquid favoris captas, quod ad Deum non retuleris,* IPSI FURARIS.

Bernard. serm. 13. in cantic.

Ibid.

Moyses fidelis servus qui nihil de bonis Domini sibi usurpavit.

Exclamare, & acclamare hic Moysi libet cum mellifluo Bernardo: FIDELIS *revera famulus es, si de multa gloriâ Domini, non exeunte de te, sed tamen transeunte per te, nihil tuis manibus adhærere contingat.*

Moyses omnia sua divinæ gloriæ attribuit.

Exod. 15. v. 1.

Moyses elementorum domitor, omnium Dominus, & Deus Pharaonis, tanta, tamque mirabilia prodigia patravit, ut suam Deus omnipotentiam contulisse videretur. Nihil ex his fidelissimus servus sibi adscripsit, nihil gloriæ transeuntis per se, suis manibus passus est adhærescere; sed omnia, cujus erant, Domino fideliter tribuit: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.* Et post recensita præcipua à se patrata mirabilia in exitu Israel de Ægypto, protestatur omnia illa à Deo, & potenti ejus brachio profecta, non ab humanis viribus & meritis, dicens: *Fortitudo mea,* ET LAUS MEA *Dominus: iste Deus meus,* ET GLORIFICABO EUM; precaturque ut Hebræi secum, ipsum unum & solum tantarum rerum auctorem, & effectorem agnoscant, ac illis bonam mentem, conservet, *ne unquam arrogent sibi gloriam propter bona, quibus præstant, excellantque supra ceteros; sed adscribant, & transferant totam in illum.*

Ibid. v. 2. Lorin. hic

Norat enim quidquid perpetrasset, à Deo emanare, & in illum redundare; *quemadmodum qui per alium facit, perinde est, ac si ipse per se facit.* & victoria ducis, gloria est Imperatoris.

In jure can. 82.

Joab fidelis servus gloriam Davidi tribuit.

2 Reg. 12. v. 28.

Ejusmodi fidelis servus fuit Joab Domino suo Davidi; cùm enim civitatem Rabbath cinxisset, jam jam occupandam, misit ad Regem suum, ut ipse cum copiis suis veniret, & interciperet urbem: *Ne, inquit, cùm à me vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria.*

Ignatius servus fidelissimus, qui omnia ad majorem Dei gloriam direxit.

Quis putas talis est fidelis dux Regi suo, fidelis servus Domino suo? *Fidelissimus* IGNATIUS, cujus non est major gloria, quam quod semper & ubique in se & suis quæsierit non solam, sed *majorem Dei gloriam.* In profanâ militiâ erat ei, ut profano militi tessera: major sui gloria; in sacrâ: *major Dei gloria*; cujus non tantum conservandæ ambitiosus, sed & propagandæ fuit impensè studiosus. Servus adeò fidelis, ut in omnibus mirabilibus, quæ patravit, in omnibus donis, in omni gratiâ, & gloriâ, *non exeunte à se, sed transeunte per se* (& suos) *nihil ejus manibus adhærere contigerit*, sic ut sibi elabi siverit: *A nullo vitio se minus timere, sibique magis cautum, quam à vanâ & inani gloriâ, ejusque ne minimam se titillationem sentire.*

Bern. cit. Ribad. Bartol. imago 1. Sæcli pag 690.

Quam rarum & prope impossibile carere vanâ gloriâ, à qua Ignatius immunis.

Quæ ne quasi per transennam leviter dicta videantur, quanti momenti sit, hoc blandissimo propriæ laudis & gloriæ favonio non afflari, & qualis ac quantus Ignatius in domo Dei *fidelissimus* fuerit, ex hoc colligere est, quod laude hominum non duci, gloriâ humanâ non delectari, aut titillari: virtutibus, bonis operibus, inanem gloriam, & appetitum propriæ excellentiæ non admisceri, illud Augustinus *difficile*; Gregorius *rarum*; Bernardus *mirabile*; Hieronymus *propè impossibile* dictitarint: sic etenim Hipponensis Antistes ad Aurelium: *Sicuti quam facile est laude carere, dum denegatur;* DIFFICILE EST *eâ non delectari cum offertur.* Atque ipse de se fatetur (etsi præ modestia) quam difficile sit huic malo resistere: *Vehementer cum adversario dimicans, sæpe ab eo vulnera capio, cum delectationem propriæ laudis mihi auferre non possim.*

Lanuza tract. part 2. tract. 1. §. 2.

August. epist. 64. ad Aurel.

Ibid.

Vana gloria etiam sanctissimos afflat.

Hoc porrò malum ut perniciosissimum, sic & subtilissimum est; alia vitia homines sceleratos, hoc etiam sanctissimos infestat: unde non injuriâ S. Thomas, expendens illud: ATTENDITE *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, &c.* nos admonet quanta curâ & cautelâ inanem gloriam fugere debeamus: *Præ omnibus enim vitiis carnalibus,* inquit, *periculosius hoc esse in hominibus* (Dominus) *intellexit: cum enim omnia mala servos diaboli vexent, concupiscentia vanæ gloriæ magis vexat servos Dei*

S. Th. in Matth. cap. 6.

Ex ipsis virtutibus nascitur.

Ab ipso gloriæ contemptu persæpe inanis gloria enascitur, & eos quandoque qui omnem mundi gloriam jampridem conculcasse videntur, insidiosè aggreditur. Disertissimus Præsul la Nuza hac de re sic disserit: fit sæpius ut cultissima fœmina ex omni mundo muliebri: eques torquatus ex omni suarum vestium splendore, tantopere sibi non complaceat, quantum monachus pauper, pannosus, in pauperrimi monasterii angulo delitescens, è pannis & cucullo lacero: è nudis pedibus, & incultâ barbâ, & vacuâ cellâ, sibi vanitatis, inanis gloriæ ac æstimationis vel à suis vel à vulgo emendicet. Unde Augustinus, *tentationem periculosissimam ab amore laudis* asserit; quia ut alibi: *Sæpe homo de ipso vanæ gloriæ contemptu gloriatur*; ut si olim Philosophus Philosophum promissâ barbâ, ac scissâ tunicâ se ventitantem, verè sugillarit:

La Nuza cit. cap. 34

Aug. tom. 1. lib. de quantit. animæ. cap 34. Id lib 10. confess. cap 38.

gillarit: *Per scissuram pallii, inanitatem tuam conspicio*, timendum sit, ne per externam austeritatis & sanctitatis speciem, sese quid vanitatis, & inanitatis ostenteret. Apposite Chrysostomus:

Chrys. in Matt. cap. 6. D. Tho. ibid.

Cum omne malum ex malo nascatur, sola vana gloria de bono procedit, atque ex ipsis virtutibus hoc virium erescit, & vires sumit. Omnia insecta, ranæ, mures, glires, vermes, lendes ex putri materiâ gignuntur; at fœdissimus hic vermis vanæ gloriæ, semine recenti prodit, & generoso: ex largâ eleemosynâ, è rigido jejunio, ex aspero habitu, è prolixis precibus & lacrymis, ex concione fervidâ, quin & ex raptu, & signis mirabilibus; quod malum ut nulli sexui, aut ordini pareat, religiosis tamen, sanctis viris, ac fœminis maxime, infestum est, ut rectè observavit in hac materia nimium quantum oculatus Divus Bernardus:

Bern. ser. 13. in cantica.

Religiosis maximè, & spiritualibus viris insidiari solet. Et mox addit: *Magna, & rara virtus profectò est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico.*

Ignatius quantum vanam gloriam oderit.

Hæc magna & rara virtus adeò splendidè *in fidelissimo* Dei servo Ignatio eluxit, ut magna & mirabilia operantem, se magnum nesciverit, sed peccatorem gravissimum, palam detectis etiam *juventutis* suæ delictis fateretur, ut contemptibilis ac mortalium vilissimus appareret, adeòque corpus suum feris & volucribus vorandum, aut in fimetum abjiciendum dictitaret. Suam verò sanctitatem tam studiosè latere voluit, ut cum Pater Jacobus Eugia, vir septuagenarius, qui ei à confessionibus erat, illum magnis Sanctis comparasset, hanc ei pœnitentiam inflixerit, ut per tres dies ter quotidie se flagellis cæderet; eumque ne sic à laudando Ignatio desisteret, amplius ei confiteri noluit, vetuitque præterea sub pœna excommunicationis, & dimissionis à Societate, ut ab omnibus suis laudibus deinceps abstineret. Mitto alia complura, quæ eum ab omni propriæ laudis, & inanis gloriæ titillatione, omnino alienum fuisse, manifestò testantur; *quam maculam non habere*, si ipso teste Augustino, *aut paucorum, aut nullorum est*, qualis, quantusque Ignatius exstiterit, facile apud vos ipsos taciti existimabitis.

Bartol. lib. 3 n. 40.
Bartol. cit. n. 46.
Biderm. Lancic. opusc. 18. cap. 14.
Augustin. serm. 59. de temp.

Bern. ser. 13. in cant.

Fidelis profectò servus, IGNATI, *qui de multa gloria Domini sui, si non exeunte de te; sed tamen transeunte per te, nihil tuis manibus adhærere passus es.*

Fidelis ille quæstor Regius, si de mille millibus, ne teruncium suis manibus sinat adhærescere; sed quis est hic, & laudabimus eum.

Histor. Societ. lib. 15. Imago I. Sæc. p. 207

Id gloriæ indultum Ignatio, ut viderit Societatem toto orbe diffusam, splendidumque illud à Marcello II. Pont. Max. adscriptum suffragium: *Ut inter omnes, quorum operâ in instituendis ordinibus divina sapientia usa est, nemo dum viveret, tantam familia sua, quantam ille, dilationem viderit*; at de hac tantâ gratiâ, & gloriâ Domini, nihil suis manibus sinit adhærescere.

Moyses præ gloria mundi elegit contemptum.

Moyses gloriam omnem mundanam glorioso pede calcavit, majorem Dei gloriam per improperium & contemptum sectando; sic enim de eo Apostolus:

Ad Hebr. 11. v. 25.

Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem: MAIORES DIVITIAS ÆSTIMANS THESAURO ÆGYPTIORUM, IMPROPERIUM CHRISTI. Ubi Cornelius:

Cornel. hic

"*Hæc summa est hominis fidelis perfectio*, ut exemplo & imitatione Christi, adamet, sitiat, quærat opprobria, irrisiones, persecutiones, calumnias, infamias, illaque cuivis honori, famæ, nomini, gloriæ etiam regiæ præferat.

Similis Moysi in contemptum sui Ignatius.
Reg. 11. consil.

Quæ *summa fidelis servi perfectio* in S. Ignatio singulariter enituit, dum spretis mundi titulis, honore, & gloriâ, mutatis cum mendico vestibus, elegerit ad Dei gloriam, abjectus esse in domo Dei, *contumelias, falsa testimonia, & injurias pati, ac pro stulto haberi & existimari*; ut in se expressit, & suis præcepit. Hinc non absque idoneâ, & certâ ratione de eo nos, quod olim de magno Baptista scripsit Guerricus Abbas, pronuntiare possumus:

Guerric. serm. 3. de S. Ioan. Bapt.

Fidelis amicus sponsi, magis amator Domini, quam sui; se minui, ut ille cresceret, optabat, ET DE MINORATIONE SUI, GLORIAM EIUS AUGERE SATAGEBAT. Tum subdit: *Ideò nimirum magna est gloria in salutari tuo, in Iesu tuo, Domine, cujus justitia & bonitatis est diligentes se diligere, & glorificantes se glorificare. Magna prorsus gloria ejus in Iesu, magna à Iesu, qui & apud se glorificavit eum consortio gloriæ suæ, & apud homines testimonio vocis suæ*; quod luce clarius patuit in Ignatio, dum in omnibus contemni, despici, & minui voluit, *ut de minoratione sui, gloriam Dei augeret.*

Bartol. lib. 4 num. 26.
Suarez tom. 4. de Relig. lib. 8. cap. 6. num. 1.

Hunc unicum & solum scopum, *majorem Dei gloriam*, sibi semper in omnibus præfixum habebat, ad eum omnia dirigebat, ut Hieronymus Natalis testatur. Sensere hoc idem Romanæ Rotæ cognitores, dum in causis à se approbatis, collectisque Actis: "suas, inquiunt, omnes ad Deum cogitationes, verba, factaq; retulit, velut eorum finem, *in ejusque honorem & gloriam direxit*: habemus ex ipsius scriptis, fuisse hoc tesserarium ejus signum in ore ipsius assiduum: *ad majorem Dei gloriam.*

Ibid.

Hanc & exquisivit, & consectatus est ubique, hanc suis agendi, & patiendi regulam esse voluit: hanc in omnibus studiis, concionibus, functionibus, persecutionibus, præ oculis habendam, toties in suis Constitutionibus inculcavit, ut centum & septuaginta septem locis illud *ad majorem Dei gloriam*, ad majus Dei obsequium, &c. expressum reliquerit. Quem scopum ut & vos in omnibus operibus vobis præfigatis, quantumque utilitatis vos etiam famuli & ancillæ abjectis vestris ministeriis consequi valeatis, alias diximus.

V. Pantheon. festo S. Ignatii. § 6. Sub finem.
Quo fructu omnia ad Dei gloriam fiant.
Bern. ser. 13. in cant.

Exploratum erat Ignatio illud Ecclesiastes cap. 1. v. 7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat*, atque ita quæ ex perenni gratiarum fonte, & immenso Divinitatis oceano hauserat, rursus in originem derivabat; quo fiebat ut uberiori flumine redundaret. Ad quã utilissimam praxim Doctor mellifluus sic suos & nos suavissimè adhortatur: *Origo fontiũ & fluminum omnium, mare est; virtutum & scientiarum* (& gratiarum) *Dominus Iesus Christus. Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo* (virtus omnis)

omnis) *ex illo fonte manat. Non solum autem; sed & si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est. Quid casta consilia, justa judicia, sancta desideria, nonne rivuli fontis illius sunt?* Tum similitudinem Ecclesiastes prosequitur: *Quod si copia aquarum secretis, subterraneisque recursibus incessanter aquora repetant, ut inde rursus ad visus, usûsque nostros jugi & infatigabili erumpant obsequio; cur non etiam spirituales rivi, ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude, & sine intermissione reddantur? Ad locum unde exeunt, revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant.*

Apta similitudo

Exempla D. Virginis & aliorum Sanctorum.

Sic sanctitatis omnis mater & magistra Maria, uberrima gratiarum fluenta in se largissime effusa, fonti suo, origini suæ refudit. Mater Domini nominatur, Benedicta inter mulieres prædicatur; at quid illa? *magnificat anima mea Dominum*: ad quod divinum canticum, ut alios Patres mittam, S. Thomas de Villa nova: *Quam venustè, inquit, quam pulchrè senioris cognata palinodiam canit! Quam piè, quam humiliter impensas sibi laudes, in bonorum omnium largitorem Deum detorquet?* Quidquid virtutis, quidquid gratiæ, quidquid dignitatis & excellentiæ in Mariâ, id totum in suum refudit auctorem, unde uberiori copiâ, omnia in illam redundarunt.

Hanc matrem suam, an nutricem dixero, dilectus ejus filius, & Christi collactaneus Bernardus æmulatus est, dum hoc Deo dixit Sacramentum: *Abjuro gloriam prorsus; ne forte si usurpavero non concessum, perdam merito & oblatum.*

Bern. serm. 13. in cant.

B. Magdalena de Pazzis exercitiis S. P. Ignatii exculta, hoc altè imbiberat, & identidem suis inculcabat: *Vt omnes etiam minimas actiones facerent purè ad placendum Deo,* ET AD GLORIAM EIUS, *eas offerendo, si fieri posset etiam nictus oculorum, & minimos motus membrorum, dicens: qui sic faceret, eum post mortem rectâ iturum ad cælum sine purgatorio.*

Ceparius in vita cap. 44.

Quid, quod amore exstatico in has voces prorupit: si in Seraphinum mutati posset, nec foret ex Dei gloriâ, se malle in titionem inferni commutari. Adeo huic dilectæ Christi sponsæ erat cordi, Domini sui gloria.

Sic Theologorum Princeps Aquinas, omnia sapientiæ suæ flumina in mare illud magnum Divinæ Sapientiæ refudit: *Memoria enim proditum est, S. Thomam, nunquam suam puram animam, inani gloria levi peccato infecisse*; sed omnia divinâ intentione, ad unicam Dei gloriam direxisse; quod vel ex eo manifestum est, quod pro omnium studiorum, ac illustrium lucubrationum summâ, *non aliam mercedem* non plausum populi, non oblatas infulas, non mundi gloriam spectarit, aut postularit, *quam te, Domine Iesu*; non sibi, quâ per orbem universum claret Angelicâ puritate & scientiâ laudem, sed nomini tuo dans gloriam.

Lancicius opusc. 16. cap. 1. n. 94.

In hanc rem refert doctissimus Lorinus noster, exponens illud Psaltis Regii: *Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam*, ad commendationem sanctissimi Dom. Grego-"rii XIII. memini, inquit, anno 1584. audire "me optimi, Maximi Pontificis, optimèque ac

Lorin. in Psal. 113. v. 9. vel 1.

"maximè de Ecclesiâ universâ, tum de Socie-"tate nostrâ meriti, postquam in aulâ schola-"rum, quas non magis nobis, quam Urbi, & or-"bi, publicæque omnium utilitati, verè Ponti-"ficiâ magnificentiâ construxerat, ab Oratore "nostro Stephano Tuccio exceptus est, has "collacrymantis pias, & modestas, raucas li-"cet ac exiles, ex Christiano & magnanimo "profectas corde: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Nihil ille suæ munificentiæ, ac magnificentiæ, nihil Oratoris aut populi acroamati tribui volebat; sed uni Deo, à quo acceperat facultatem ut posset, & voluntatem ut vellet, & in cujus honorem ac gloriam hanc molem exstruxerat, referebat.

Hic vos paucis compello, Auditores: si quid cælestium, aut naturalium donorum: si quid suavis dulcedinis, & liquidæ voluptatis in oratione: si quid in adversis consolationis: si quid in rebus divinis perspicaciæ: si quid gratiæ, virtutis: si quid insuper temporalium bonorum, nobilitatis, opulentiæ, venustatis, felicitatis, solertiæ, benignus Dominus vobis, ac vestris elargitus est, ne quis evanescat in cogitationibus suis, ne hæc sibi quasi propria ducat, & glorietur quasi non acceperit, testante & obtestante Paulo: *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti,* QUID GLORIARIS *quasi non acceperis?* Quæ verba Patriarcha Venetus perappositè tractavit, dicens: *Inaniter laborat, qui laudem captat humanam; quoniam de alieno, non de suo laudari concupiscit. Quid enim habes, ait Paulus, quod non accepisti? supervacnè siquidem, damnabiliterque te extollis, cum temporalibus, sive naturalibus, seu spiritualibus* GLORIARIS *bonis. Agnosce in cunctis universorum conditoris gratiam,* EIQUE DA GLORIAM, QUATENUS POTIORA MEREARIS. Omnia ad suum recurrant principium: rivuli, fontes, flumina in mare revertantur, ut iterum fluant; sic augmentum consolationis, gratiæ, virtutis: sic incrementum fortunarum, felicitatis, ac bonorum omnium consequemur.

Moraliter in operibus nostris vanam gloriam devitemus.

1. Cor. 4.

Laurent. Iustinian. serm. in Nativ. B. Virg.

O vesaniam! ô insaniam mortalium, qui de nobilitate, divitiis, pulchritudine, ingenio, eloquio, imo & de sanctitare, quasi sibi propriâ gloriantur, quasi eam sibi compaverint, quasi non acceperint. Ejusmodi stolidum ac stultum Bernardus percunctatur: *Tibi unde gloria, putide pulvis? Tibi unde? De vita sanctitate? sed spiritus est qui sanctificat; spiritus dico, non tuus, sed Dei. Et si prodigiis, aut signis effulgeas, in manu tua fiunt; sed virtute Dei.*

Quam stultum sit operari pro vana gloria captanda.

Bern. serm. 13. in cant.

Eleganti hæc similitudine illustrat: *Quis credat parieti; si se dicat parturire radium, quem suscepit per fenestram? Aut si glorientur nubes, quod imbres genuerint, quis non rideat?* Si truncus in elegantem statuam effictus, & splendidè adornatus, de formâ suâ & habitû glorietur, *quis non rideat?* Si tabula Zeuxidis aut Apellis manu scitè depicta, de elegantiâ, & artificio sibi applaudat, & glorietur, *quis non rideat?* sic ridendi, & ut stulti explodendi, qui talentis naturæ aut gratiæ à Deo sibi collatis, gloriantur quasi non acceperint.

Ibid.

Ridendi planè, & omnium sannis exponendi,

di, qui in his omnibus, nil aliud quàm suam gloriam captant, & aucupantur: qu omnium laborum, omnium studiorum, omnium operum etiam spiritualium non alium fructum, non aliam mercedem, quam inanem populi plausum, & evanidam gloriam sectantur.

Iuvenal. sat. 7.

Amabo vos:

Gloria quantalibet, quid est, si gloria tantum est?
Planè vacuum quid, & inane, ac muliebre vitium:

Laus, fraus, muliebria sunto.

Seneca epist. 123.

Hoc inter Gentiles Romanus sapiens rectè sensit: *gloria, vanum & volatile quiddam est, aurâque mobilius*; quod vel inde conjicere est, quod nemo artificum tam stolidus, qui rem vel minimam ob solam laudis humanæ mercedem conficere, aut vendere percuperet. Sartores, sutores, pictores adi, & eorum opera ac operam, mercede laudum etiam ingentium emere tenta. Præclarè Paschasius in illud Matthæi: *ut videantur ab hominibus*, sic ait: *dic quaso, quis unquam agricola, quamvis rusticus, ideò colit agrum, & seminat, tantum ut videatur* (& laudetur) *ab his qui transeunt? vel quis unquam, nisi stultus sit, finem laboris sui collocat in conspectu hominum, ut nihil ex eo aliud requirat?* Quâ stultitiâ utinam non gentiles, sed & Christiani, & omne genus hominum laborarent!

Paschasius lib. 4. in cap. 6. Matth.

Exemplũ Ignatii humanam gloriam contemnentis. Imago. 1. sac. p. 690 Ribaden. Bartol. in vita.

Ab hac tineâ virtutum, & blandâ deprædatrice bonorum omnium (ut eam Basilius, & Bernardus appellant) tam alienus erat Ignatius, ut apud animum statuerit, *haud illibenter se nudum, & sordidatum, cornibus indutum, habitu quantumcumque ridiculo, per vicos obambulaturum risui se omnium, ac sannis expositurum; siquidem id ad Dei gloriam, quam solam spectabat, & spirabat, pertineret.* Adeò, quæ mortalibus tanto in pretio, & æstimatione est inanis gloria, illi nauci, flocci, & despectui erat; sola Dei gloria in oculis, curæ ac cordi erat.

Theophylactus in 1. cor. 4.

Euge serve bone, & fidelis, qui ut Theophylactus ait: *bona Domini tui administrasti tanquam herilia, non tanquam tua.* Qui, ut S. Thomas, servum fidelem, eumque ratum describens: *Domino propter Dominum servivisti: qui nihil quod Domini tui est, tibi proprium fecisti: nihil etiam de rebus Domini tui vanè, & inutiliter consumpsisti.*

S Thom. in Matth. cap 6.

Quid superest? nisi ut audias: quia non tantum supra pauca, sed super multa fuisti fidelissimo *fidelissimus: intra in gaudium Domini tui.*

(⁂)

§. IV.

Quemadmodum Generosissimus Dux MOYSES *pro populo suo se victimam Domino obtulit, dices:* AUT DIMITTE EIS HANC NOXOAM, AUT SI NON FACIS, DELE ME DE LIBRO VITÆ: *Ita Ignatius cum salutis suæ periculo, ad salutem animarum se obtulit.*

Exodi. 32. v. 32

THeologorum Aquila Aquinas *non usitatâ pennâ*, sed angelicâ, de Regimine Principum, sic ait: DUCES *à ducatu populi dicti sunt: sed præcipuè in castris: est enim ipsorum officium, exercitum dirigere, & ipsum in pugnâ præire. Unde cum filii Israel impugnarentur à Cananæis, quæsiverunt à se invicem; quis ascendet ante nos contra Cananæum, &* QUIS ERIT DUX *belli?*

S Thom. opusc. 20. de Regimine Princ. lib. 3. cap. 21.

Ubi disertè tradit, officium Ducis esse, non solum *exercitum dirigere*, sed & generoso ausu *præire*, & cum periculo capitis sui, ad salutem populi, aut patriæ, etiam vitam exponere, & gloriosè perdere.

Hoc Romanum, & ut verius dicam, Christianum est, fortiter pro suis vitam ponere, nam ut inquit Seneca: *fortitudo est virtus, pericula justa contemnens, aut scientia periculorum repellendorum, excipiendorum provocandorum; quæ in fortissimis ducibus eluxit.* Hinc enim triplex laudis genus ducitur.

Seneca. lib. 2. de benef. c. 14 Generosi Ducis est vitam exponere pro suis & patria.

Primum, debetur animo impavido, & omnia contemnenti: secundum repellenti & frangenti: tertium in eadem sese pro salute suorum immittenti, eademque fortiter excipienti.

Talis Alexander, cui parvitas orbis magni nomen dederat, oppidum Oxydraearum " hostile aggreditur, admoveri jubet scalas, " cunctantibusque cæteris, solus evadit in mu- " rum; atque incidentia undique tela, clypeo " propulsans, rem ausus est incredibilem, at- " que inauditam: In urbem hostium plenam " præcipiti saltu sesemet immisit, & forte ita " corpus libraverat, ut se pedibus exciperet; ita- " que stans, init pugnam: jam ingentem vim " telorum exceperat clypeo, jam galeam saxa " perfregerant, jam continuo labore gravi " genua succiderant, atque ad omnes ictus ex- " positus, ægrè jam exceptum poplitibus cor- " pus tuebatur; donec Indus, duorum cubito- " rum sagittam ita excussit, ut per thoracem " paululum super latus dextrum infligeretur; " quo afflictus, magnâ vi sanguinis emicante, " remisit arma moribundo similis, adeoque " resolutus, ut ne ad evellendum quidem te- " lum sufficeret dextra.

Curtius. lib. 9. cap. 10.

Exempla gentilium.

Iaces fortissime heros, sed stabit nominis fama immortalis, è cujus vulnere plus gloriæ, quâ sanguinis profluxit. Hinc Famianus Stra-

Fam. Strada à de bello Belg. lib. 7. sub finem.

da de bello Belgico ait: vulgatem inter milites vocem: *ducem belli, si bonus sit, haud posse diu vitalem esse.*

Valerius Maxim. l. 3. c. 2.

Unus homo quandoque pro mille, & periculo vitæ, ac objectu sui corporis, totum exercitum servavit. Exemplum ingens, generosissimus Romanorum dux, Horatius Cocles, qui Etruscis in Urbem, ponte sublicio, irrumpentibus, extremam ejus partem occupavit, totumque hostium agmen, donec post tergum pons abrumperetur, & suorum salutem vindicasset, nullo sibi evadendi relicto effugio, infatigabili pugnâ sustinuit. Unde illud ab hostibus acroama emanavit: *Romanos vicimus, ab Horatio victi sumus*; qui unus scuto corporis sui, plus Urbi Romanæ munimenti attulit quam Tiberis alveo. Vivit, & vivet Horatius memoriâ apud mortales immortali, quod unus præsenti vitæ suæ periculo, pluribus illam servavit.

Scio in Constantino aliisque ducibus improbari, quod contra belli principia, totum exercitum capitis sui periculo exposuisset; quod ego non temeritati sed timiditati in plerisque adscribendum censeo. Sic panegiristes, dum Constantinum amicè, laudabiliterque increpat, maximè commendat; Laudare me existimas, Imperator, cuncta quæ in illo periculo feceris? ego vero iterum queror. Prospexeras omnia, disposueras universa, summi Imperatoris officia compleveras, cur ipse pugnasti? cur te densioribus hostium globis immiscuisti? An nescire nos putas, quod dum nimio raperis ardore, in media hostium tela deveneris? Illos pugnare fas est, quibus cujusque fato aut vincendum, aut cadendum; tu, cujus ex vitâ omnium fata pendent, ad ullum discrimen accedas? Quis hoc à te exigit? Quod exemplo aliorum ducum, qui pugnantes eminus, extra teli jactum positi securi spectarunt, comprobat. Spectat, inquit, ex editomonte Xerxes navale certamen. Augustus aliquid ageos vincit apud Actium. Fuit etiam qui sublatus in scalas invicem nexas, concurrentes eminus vidit exercitus *ut non interesset periculo, & adesset eventui.* Ad quæ, sic magnanimum Imperatorem respondentem inducit: *ignava sunt inquies, hæc exempla sed tuta, gravior que metus est pericli tui, quam lætitia victoria.*

Pacatus.

Temeritatis quidem, & audaciæ insimulandus Dux videri posset, qui fidos & copiosos milites, ac aciem hostibus terribilem nactus, se ipsum inimicorum telis objicit, & vitam exponit. At si suos ignavos, seditiosos viderit, seque ab omnibus quasi in solitudine desertum animadverterit, quis non illum virum in cælos efferendum duxerit, qui si ita sors, aut Cælum tulerit, ut commilitones ausu suo ad sequendum incitet, vel ut cives, ac patriam servet, seipsum in hostium cuneos immittit & victimam pro populo suo immolat? Ejusmodi heroica virtutis exempla nos Christiani ad rubore nostrum à gentilibus emendicare debemus.

Valerius Max. lib. 5

Rex Atheniensium *Codrus*, cum ingenti hostium exercitu Attica regio debellata, ferro ignique vastaretur, diffidentiâ humani auxilii, ad Apollinis Delphici oraculum confugit. Ex quo, ut intellexit *bello finem fore, si ipse hostili manu occidisset* Quo audito, ut suâ morte, suis vitam, & salutem conferret, depositis imperii insignibus, familiarem cultum induit, ac palantium hostium globo se iniecit; cujus interitu, ne Athenæ cum suis civibus occiderent, effectum est. Hujus insolens & inauditum magnanimitatis facinus, & in suos ardentissimi amoris testimonium, omnium veterum historiarum, & oratorum encomia deprædicaverunt.

Magnanimitas & charitas gentilium à illa Moysis superatur.

Verum enim verò, quæ generosissimi hi Duces pro nominis sui gloriâ fortiter gesserunt, vel ut vitam suis non segniter cadendo, morte suâ servarent, ausi sunt, parva aut nulla videbuntur, si cum iis quæ dicturus sum componantur.

Ducem enim vobis copiosissimi exercitus inducturus sum, qui cladem omnium cervicibus certò imminentem non solum objectu corporis sui amovit, sed & se charitatis victimam per exquisitissima tormenta immolando, adeò exercitum non destituit, ut vitam omnibus (non illam brevi perituram, quam cum muscis communem habemus) sed æternam, non ad sui nominis, ut illi fingebant, immortalitatem, sed divini nominis gloriam pepererit.

Exodi. 3. v. 9.

Hic est inclytus ille Hæbræi populi ductor *Moyses*, populi contumacis, *dura cervicis*, perfida duci suo, & rebellia summo Imperatori Deo capita; quæ cum ad internecionem delenda essent, nec deprecationi locus, in eum zelum exarsit, ut solus salvus esse, nisi cum suis voluerit, caput suum oppignorando, paratumque se victimam charitatis occumbere, modo sic se perdendo, servare posset.

Cornel. in exod. c. 32. v. 32.

Unde Cornelius noster: *Moysis* charitatem & zelum imitati sunt Heroes gentilium: sed eam minimè assequi, & adæquare potuerunt. Quia corpus tantum pro populo, & patriâ ad temporalem mortem devoverunt, ut pluribus exemplis ostendit.

Psal 105. Hugo. Card. hic. Lorinus hic.

At Moyses, cum jam in procinctu esset, ut tot centena hominum millia Deus disperderet, *stetit in confractione*, id est, *in plagâ, qua Dominus comminabatur eos confringendos.* Alii vertunt, *in ruptura*, cum jam pateret irato Deo aditus per scelera apertus *quasi hosti per muri rupturam*; de salute omnium actum erat, nisi Moyses occurrisset, & jam patiente ruinam muro, se murum opposuisset, & irrumpentis quodammodo Dei, cum stricto gladio, ictus excepisset, furorem sustinuisset.

Psalm 105. v. 23.

Unde Psaltes regius: *dixit ut disperderet eos, si non* MOYSES *electus ejus stetisset in confractione, in conspectu ejus*; quo in suos incredibili charitatis ardore, & divino in Dei gloriam zelo, omnium Romanorum gesta obscuravit, ut ex hisce verbis, mysteriis plenis manifestum erit: *obsecro Domine, aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro vitæ.*

Exodi. 32. v. 32.

Hieronymus ad Algas. Greg. l. 10 mor. c. 7. Corn. hic.

Hieronymus & Gregorius accipiunt de libro viventium non in Cœlo, sed in præsenti vitâ, quasi dicat, aut dimitte, aut occide, & tolle me de hac vitâ; quod ut magni, & ge-

nerosi

nerosi animi esset, non tamen ita excelsum ut pares non habuerit duces, quos supra commemoravimus. Verum hæc non satisfaciunt incensæ charitati Moysis: nam liber vitæ, aut liber Dei, ubique in scripturis significat conscriptionem eorum, qui electi sunt ad vitam æternam, sic ut eum jacturâ vitæ æternæ, & salutis suæ, eam suis procurare paratus fuerit. Ita Augustinus, quæst. 147. Liranus, Abulensis, Rupertus.

Quibus accedit D. Amadæus Lausanensis homilia 5. *quomodo*, inquit, *divinus ille zelator Moyses stetit in confractione in conspectu Dei*, & pro populi salute rogaturus, salutem suam longè proiecit, dicens, *aut dimitte illis hanc noxam*, AUT DELE ME DE LIBRO QUEM SCRIPSISTI: *optabat anathema esse à Christo pro fratribus, & aliorum, suam reputans salutem, alieno quam suo damno magis affligebatur: neque enim sibi fore integrum credidit, si aliis morientibus ipse viveret, & aliis periclitantibus solus regnum intraret.*

Ad hanc ram æstuantem in Moysis pectore pro suis charitatem imitandam, quam magis mirandam duxero, hortatur sanctus Asterius, Amaseæ Episcopus dicens: MOYSIS *curam & sollicitudinem imitare: imitare illius erga populum, animi affectionem: qui Deum obsecrans ne populo, qui peccaverat, irasceretur, cum reus longius duci, nec sibi id quod petebat concedi animadverteret, supplicabat ut sibi saltem liceret se pro suis victimam immolare. Sed operæpretium est, ut verba ipsius in medium proferamus: obsecro*, inquit, PECCAVIT POPULUS PECCATUM MAGNUM, FECERUNTQUE SIBI DEOS AUREOS ET NUNC SI DIMITTIS EIS PECCATUM HOC, DIMITTE; SIN MINUS, DELE ME DE LIBRO *quem scripsisti.*

S. Asterius serm. de S. Maria Magdal. 9.

Tum subdit sanctus Antistes: *cernis quomodo propria, salutem multitudinis anteponit, cui nisi impetret impunitatē, flagitat ut ipse deleatur*, & ex albo electorū eradatur. Sed qui hos animos Moysis æmulari audeat, aut imitatus sit, ut eū jacturâ salutis propriæ, & privatione visionis Dei, salutem proximi emere paratus fuerit? Quod in paucis, illisque planè illustribus sanctis me legisse vix memini; in sanctissimo tamen Patriarcha nostro Ignatio præclarissimè eluxisse comperio, cujus incomparabilis viri ardor, & zelus animarum, usque eo efferbuit, ut Jacobus Bidermannus accuratus rerum ab Ignatio gestarum scriptor, vel eo testatum reliquerit: sub annum 1541. mense quintili, pro re nata dicentem audivimus, & in relatione ipsius canonizationis, post præmissam longam multorum juratorum testium inquisitionem, ab auditoribus Rotæ, & Cardinalibus sacrorum Rituum, Apostolici commissarii ac Judices hæc de Ignatio pronuntiaverint: *dixit aliquando: se si optio daretur, vellepotius vivere cum incertitudine Beatitudinis, & interim servire Deo* (ac lucro animarum intendere) *quam cum certitudine tunc obire; & judicare sibi magis durum, & penale futurū audire blasphemias in Domini nomen, quam pœnas infernorum, si unquam ad inferos detruderetur.* Quis ad hæc divini zeli, & amoris incendia, quæ per has bicmes grassari non consueverunt, sancto stupore defixus non hæreat? plusque Moysen, ac Ignatium apud Deum, & ho-

Ignatii Charitas & zelus cum illo Moysis confertur. Biderm. l. 2. c. 3. Lancitius opusc. 18. c. 12 pag. 606.

mines, venerationis & sanctitatis, quam in omnibus mirabilibus quæ narrârunt, acquisivisse cuivis diligenter consideranti non probetur? Parum erat Ignatio etiam pro unius animulæ salute vitam mortalem exponere; ardorem ejus aquæ multæ extinguere non potuerunt. Adolescentem amarorem vesanæ muliterculæ, amor ita urebat, ut ab illa divelli nullâ amicorum monitione posset; ergo cum verbis solis parum inesse virium intelligeret Ignatius, ea ausus est, quæ omnis posteritas admiratur. Observatâ stagnantis aquæ lacunâ, propter quam perdito adolescenti nocturnum ad amicam, iter erat, nudum se gelidæ (nam hyems tunc Parisiis erat sævissima) totum immergit, tacitusque veluti salutatibus ex insidiis prædam operitur. Nec mora in prætereuntem tonitruine vocis dicam, an fulmine charitatis detonans, se interim gelido in stagno victimam divinæ justitiæ futurum, dum ille impuris flammis veneri perlitaret inclamans, hominem perculit, atque à designato facinore avertit in pudicitiæ castra. Quam multa miscent ignari artifices, ut flammas in aquis excitent; se ipsâ felicius charitas inardescit, quæ lucro apponit vitam temporalem exponet, ut æternam animæ lucretur.

Ignatius pro salute proximi sæpe vitam exponit.

In vita. Ribad. P. Ioan. Rho. varia virtute hist. lib. 1. cap 3. nostro. §. 1.

Igneum hoc illi votum: *ut per summos cruciatus quotidie superet emori millies.* Hoc zelo inflammatus, iter in Palestinam suscepit. In nosocomiis infimum famulatum ægris corporibus, ut animis mederetur, non sine præsenti vitæ suæ discrimine impendebat. Ut quisque maximè purulentus, & graviori nausea avertendus, ita hic maximè Ignatio carus; nec solum tractandis, ferendisque inter brachia ægrotis, lavandis, purgandis, sternendis eorum lectulis gaudebat; sed non semel eum ulceribus labra admovisse, famemque illorum forti naturæ violentiâ suxisse, publicis testimoniis probatum legimus, ut vel sic, ad exequenda charitatis opera, sese ad plures Deo animas lucrandas, redderet peridoneum. Inde gravioribus tabe, & ardentiori luxuriæ febri laborantes, impendio vitæ suæ curare non dubitavit, erectis publicis ad resipiscentes, & pœnitentes cœnobiis.

Maffeius. lib. 3. cap. 3. Barto'us. l. 1. n. XI. pag. 17. Bartolus. lib. 1. n. XI.

In hac classe referendum Virginum quoddam collegium (cujus nomen consultò reticetur) solutâ admodum disciplinâ, corruptisque moribus; quod ad veterem sanctimoniam ac sobrietatem omni studio Ignatius, dum Barcinone Grammaticæ operam navaret, revocare conabatur, suadebatque illis præcipuè frequentem usum sacræ confessionis, & Eucharistiæ. Quam ad rem, temporibus illis insolitam, quo facilius eas adduceret, præter ipse met illis palam decrevit, adhibito ad id privato sacerdote, quo ipse ad confessiones utebatur, spectatæ sanctitatis viro.

Maff. in vita. lib. 3. c. 4.

Igitur ex ejus manu Corpus Domini cùm subinde sumpsisset, fœminis ex Odæo spectantibus, tam præclato exemplo, & assiduis adhortationibus incitatæ, pleræque ad salutarem pœnitentiam, officiumque traductæ sunt; quod nefarii quidam amatores, ut sensere, aditumque sibi ad optata flagitia magis indies

obsep-

obsceptum vidêre, in extremam efferati rabiem, *Ignatium*, & *Puialtum* ex insidiis adoriri constituunt, ac die quodam è templo redeuntem, utrumque fustibus ita malè exceperunt, ut *Puialtus* paulo post è vulnerum dolore fit mortuus; *Ignatius* verò dies aliquot in lecto jacuerit. Sed vixdum receptis viribus, nec alterius nece, nec suo malo perterritus, ad instituta charitatis officia redit alacer: cumque eum vulgò monerent, ac per Deum obtestarentur amici, ne denuo in capitis discrimem se daret; *quid mihi optatius, inquit ille, quàm pro Christo Domino, meisque proximis emori.*

Maff. l. 3. c. 3. in vita. Quid, quod *votum in amante novum*, & prorsus heroicum: *per summos cruciatus ut supra diximus, quotidie cupi... emori nullies.* In hoc genere sibi similes forte plures Ignatius habet, qui ut animam suam, id est vitam temporalem, quâ majorem charitatem nemo habet, pro salute proximi posuere; quam Nirenbergius narrat in Patre Joanne Gonzales exarsisse, qui videns peccatorem sine sensu, & absque peccatorum confessione animam acturum, obtulit inter celebrandum vitam propriam pro animâ moribundi, fitque voti compos. Peracto sacrificio certus divinæ acceptationis, ad hominem revisit, reperitque mentis compotem, & quod plus est, cum detestatione scelerum. Audit confessionem, & impertitâ absolutione, Joannes domum reversus, lethali morbo corripitur, brevique inflammatam charitate animam Deo in holocaustum pro peccatore converso obtulit. Mitto alios, unus mihi instar omnium, Doctor Seraphicus Bonaventura: *qui non unam vitam dare, sed tot mortes subire, optabat, quot sunt animæ creatæ, ut vel unicam perituram Christo lucri facere posset.*

Nierenberg. de doctrina ascetica. doct 6. ca. 60 in fine. illustre charitatis exemplū.

Valer. Max. Cesset Romana vetustas deprædicare *Curtium*, qui, cùm in mediâ parte fori, vasto ac repentino hiatu terra subsideret, unde pestilens mephitis exhalabat, responsumque esset, ea re tantummodo compleri posse, qua populus Romanus plurimum valeret, *Curtius* & animi & generis nobilissimi interpretatus, virtute armisque præcipuè antecellere, militaribus insignibus ornatus, equum conscendit, eumque vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit. Super quem, honoris gratiâ, manibus plenis lilia sparsêre, & memoriæ immortali statuam erexêre.

At quoties *Ignatius* in apertam luis voraginem, quoties & quot Societatis victimæ charitatis in immanem hanc præsentis mortis abyssum, ad eripiendas æternæ morti animas, abiecerint, patet vasto volumine Patris Nadasi de victimis charitatis.

Hæc oblatio vitæ temporalis, pro salute proximi, ut nobilissima sit; longè tamen altius, stupendo amoris excessu, eos conniti, qui fruitionem vitæ æternæ, ac summæ beatitudinis, unius peccatricis animæ conversioni postponunt, seque inferorum flammis, ut eam illis eripiant, voluntarias victimas litare parati sunt, apud omnes in confesso est.

Sic divinus ille zelator Moyses oblatam sibi beatitudinem respuit, exclusis tot millibus populi sui, quem ut patet sinu foverat, & diligebat, ut melleo flumine Bernardus, qui super illud Exodi: *si dimittis, dimitte; sin autē, nō dele me de libro vita*, viri huius ardentissimum zelum considerans, exclamat: *O verè hominem unctum unctione misericordiæ! loquitur plane parentum affectu, quem nulla possit delectare felicitas ex orbibus quos parturivit.* Ea erat hujus Ducis erga populum suum charitas, ut ipse potius à cælesti gloriâ, & visione Dei se excludi, quam suos cerneret; quod eleganti similitudine materni amoris plenâ ostendit: *verbi gratia*, inquit, *si dives quispiam mulieri paupercula dicat: ingredere tu ad prandium meum; sed quem gestas infantulum, relinque foris, quoniam plorat & molestus est nobis. Quid faciet? Nonne magis eligit jejunare, quàm exposito pignore charo, sola prandere cum divite? Ita nec Moyses sedet, solum se introduci in gaudium Domini sui, foris scilicet remanente populo, cui licet inquieto, & ingrato, vice pariter & affectione matris inhæret.*

Bernard. serm. 12. in cant.

ibid.

Quæ viscera charitatis, ut Ignatius per omnem vitam etiam erga flagitiosissimos exhibuerit; numquam tamen efficacius ostendit, quā dum etiam cælesti sua Beatitudine post habitâ, in salutem animarum laborare ad defatigationem & ad sanguinem prælegit, quod non timidè, nec dubitanter asseruisse aliquando auditus est: *si eius sibi fieret optio, vel e vestigio ad beatam Domini conspectum hinc emigrandi: vel diutius hic ad Dei honorem, proximique utilitatem remanendi, etiam cum incertitudine propriæ salutis, hoc se præ altero nullâ interposita mora electurum esse*; in quo non Moysi solum, sed & magno illo Turonensium Antistiti Martino, atque ipsi Gentium Apostolo Paulo adæquandus videtur.

Bidermann Laur. epist. 18. c. 12. Ardens Ignatii charitas cum illa D. Martini confertur.

Divus Martinus, gemma sacerdotum, jam extremum spiritum trahens, & oculis ac manibus in cælū erectis, commiseratione suorum motus, in has ardentissimas preces cum lacrymis erupit: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.* Consistebat in meta beatæ æternitatis, laboris sui bravium, & certaminis coronam prensurus, cum suorum charitate ductus, se ad novos labores exantlandos offerre non dubitavit; quod admirans universa per orbem terrarum decantat Ecclesia: *O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum! Qui nec mori timuit, nec vivere recusavit.*

Breviar. Rom.

Hunc excelsum animum ad quævis ardua, & ardentem zelum amplificandæ divinæ gloriæ extollit Doctor mellifluus, dum ad prædicta verba Sanctissimi Præsulis: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius* &c. non se continet quin exclamet: *O verè Sanctissimam animam! O inæstimabilem Charitatem! O obedientiam singularem!* Cum fortissimus hic miles Christi confecto prælio laureâ donandus, & coronâ triumphi decorandus, eâ spretâ, ad gloriam Imperatoris, optat redire in campum, manus conserere, in pericula & mortem ruere: *bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti, de reliquo superest tibi corona justitia, quam reddet tibi Dominus noste justus Iudex. Et adhuc dicis, non recuso laborem.* Quem actum immolationis sui non dubitat idem Doctor cum sacrificio Abrahami conferre: *obtulisti planè Isaac, unicum illum quem diligis, quod in te est, jugulasti: immolasti singu-*

Bern. serm. de S. Martino.

Bern. cit.

ibid.

singulare ... tuum piâ devotione, paratus rediturum ... innovare certamina, denuò subire ... tribulationem prolongare tentationem ... adhuc ab illâ tanta felicitate ... societate spirituum Beatorum, atque ... talitatis ærumnas ab ipso introitu ... revocari. Postremo (quod maximum est) ... pro tuo peregrinari diutius, si modo ipse voluisset.

Quam charitatem, & gloriæ Dei zelum vix in beatis ... mentibus Seraphico amore accensis credit reperiri: *nam quod pace dicere audeam vestra, sancti Angeli, nescio an inveniatur in vobis qui quam paratus in tale aliquando ministerium mitti, in quo necesse habeat non videre faciem Patris.*

Pergit porrò ulterius idem Doctor Mellifluus: *magnum est Petre, quod Dominum secuturus, omnia reliquisti; sed audivi te in monte dicentem, ubi transfiguratus est coram vobis: Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula. Non est hoc fidelis populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Paratum cor tuum Martine, paratum cor tuum sive manere in corpore, sive dissolvi, & esse cum Christo.*

Nunc verò, si non inferiora, imo excellentiora de sancto Patre nostro Ignatio deprædicentur, quis non Martino, quis non Angelis, atque ipsi Apostolorum Principi, in hoc merito æquandum judicarit? Quod ut pro rei dignitate expendere, & justâ trutinâ appendere ... possitis, ardentissima videndi Deum desideria, quibus eximii sancti ac ferventissimæ Christi sponsæ sic exarserunt, ut tormenti genus gravissimum, & ipsâ gehennâ acerbius fuerit vel modico tempore ab eius conspectu & amplexu privari, exponamus.

Purpuratus vates cæli gaudiis obiter præbatis, ad hæc altum suspirans dicebat: *quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Tam potenter cælum ardebat, ut vel ipsa atria mente penetrando deliquium pateretur.

Certè ut alter Paulus cupiebat ardenti corde *dissolvi* Augustinus, *& esse cum Christo*, ac proinde omni morte acerbiorem vitam ducebat: *fortè dicis, non videbit me homo, & vivet? Eia, in quit, Domine, moriar ut te videam: videam ut hic moriar: nolo vivere, volo mori, dissolvi cupio, & esse cum Christo: mori desidero ut videam Christum: vivere renuo, ut vivam cum Christo.* Talia suspirabat Anselmus, talia Bernardus, talia Franciscus. At ne his viris desideriorum, inferiores ac ... iores sanctas Virgines existimetis, nonnullas sanctimoniales, ac desponsas Christo ... nes in exemplum adducam.

... ta Catharina Genuensis tanto desiderio ... abat in regione vivorum contueri & ... Sponsum suum, ut quoties officio d... orum interesset, numquam gravius ind... tur, & amaris lacrymis quereretur, quam ... n patentari, ac justa persolvi, quæ ... jure sibi debita arbitrabatur.

Seraphica Virgo Theresia divino jaculo saucia, impatiens amoris & doloris, ad singulas horas exclamabat: *eia age, jam una hora propinquior es dilecto, quo in æternum fruêtis*; nec continere se poterat, quin instantissimis precibus mortem à Deo flagitaret, ut ex epist. eius patet, ubi sic scribit: *& quodnam quæso, Charissima Filia in hac vita bonum reperimus, cum tam magno, excellentique careamus bono, & ab ipso absentes simus? Libera me Domine ab hac umbra mortis.* Mox verò in amoris canticum effusa, cuius hoc exordium cygnæa voce modulabatur: *videant te oculi mei, suavissime Iesu.* Atque inter hæc, animo linqui, ut exanimis cubiculo efferenda, & in strato reclinanda esset, consuêrat. Desiderium videndi Deum, genus Martyrii est.

Quis hæc amantium deliquia, & tormenta, non ipsa morte & martyrio acerbiora dixerit? Ita sane sensit Beticæ provinciæ gemmula, digna felicis æternitatis annulo inseri, *Saucia Carillio*, quæ divinitùs accepto nuntio intra annum se cum Sponso futuram, cælique gaudiis fruituram, usque eò moram illam impotenter ac impatienter ferebat, ut nulla res eam oblectare, nulla dolorem levare posset, unde hos questus, & ejulatus identidem ingeminabat: *O carcer! O captivitas!* O VITA, QUANTUM MIHI ES MARTYRIUM! O infinitæ bonitatis abysse! quando me demergam in te? Currite tempora, ite veloces dies, ut hora illa appropinquet, ut fruar te. *P. Martinus de Roa in vita.*

Hoc amoris martyrio quotidie moriens Joannes Baptista Sanchez Societatis nostræ, lentè excarnificatus est, qui ut refertur in vita Patris Alvarez, tanto desiderio flagitabat videndi Deum, ut si quis illi affirmasset, in vesperam esse victurum, eo die præ amoris magnitudine, mortuus concidisset. *P. de Ponte in vita Patris Alvarez. c. 7.*

Quæ omnia ut indubitata expertus comprobat Bernardus, dicens: *quæ anima semel à Domino didicit, & accepit Dei præsentiam suspirare, & quærere faciem eius semper, talis anima nescio an ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius, pœnaliusve ducat, quam à gustata divina dulcedine separari.* *Bern. serm. 35. in Cant.*

Quis ergo eos potius purpuratorum Martyrum Albo inscribendos, & laureâ redimendos non duxerit, qui, quo diuturniori amoris incendio vivi concremarentur, hic in terris inter pressuras & ærumnas lentè mori ad Dei gloriam & lucrum animarum maluerunt, quam oblatâ sibi gloriâ frui.

Sanctum planè desiderium cupientis dissolvi & esse cum Christo, nec mortem metuentis; sed nobilius quoddam martyrii genus, fruitionem Dei, animarum lucro posthabentis, nec vivere renuentis. Ita sensit de sancto Turonensium Præsule S. Bernardus: *magna quidem*, inquit, *in morte securitas, magna in visione Christi desideranda, perfectio reperitur*; SED IO QUIDEM LONGE AMPLIUS *per omnem modum: quod qui mori non metuis, imò qui tanto desiderio præsentiam Domini* (oculis ac manibus in cæ- *Bern. serm. de S. Martino.*

in cælum sublatis) *concupiscis, vivere quoque non tenuis & expectatione molestissimâ fatigari.* Unde sic sermonem hunc in editione Parisiensi concludit : *licet ratio temporis non potuerit præstare* MARTYRIUM, GLORIA TAMEN MARTYRIS *non carebit: quia voto atque virentibus,* & POTUIT ESSE MARTYR, ET VOLUIT.

Hoc desiderio fruendi Deo Ignatius lentum Martyrium patiebatur, ut ardentia ejus in cælum emissa jacula satis testantur; sed longè nobilius animarum salvandarum incendium, & ardur illum depascebatur, nihilominus eo diutius uri & consumi elegit, modo animarum lucro ad Dei gloriam incumbere posset.

Si quis vitæ ac mortis suæ arbiter, ad solatium & auxilium ferendum, vel inopiam sublevandam dilectæ conjugis ac charorum pignorum, eam prorogare posset, nonne illam gratiam libenter præstiturus esset? Imo ut inquit Seneca : *interdum etiam, si premunt causæ, spiritus in honorem suorum, vel cum tormento revocandus, & in ipso ore retinendus est; cum bono viro vivendum sit, non quamdiu iuvat, sed quamdiu oportet. Ille qui non uxorem, non amicum tanti putat, ut diutius in vita commoretur, qui perseverat mori, delicatus est. Hoc quoque sibi imperet animus, ubi utilitas suorum exigit: nec tantum sibi vult mori; sed si capit, intermittat, & suis se commodet.*

Seneca. epist. 104.

Quod ipsum Plinius in Aristene, viro forti ac egregio deprædicat, qui cum in suorum gratiam, deserere vitam noluisset, ex sensu eius dixit : *dandum enim precibus uxoris, dandum filiæ lacrymis, dandum etiam nobis amicis ne spes nostras voluntaria morte desererem.*

Plinius. lib. 1. epist. 22.

Tum subjicit de suo : ID EGO ARDUUM IMPRIMIS, ET PRÆCIPUA LAUDE DIGNUM PUTO. *Nam impetu quodam & instinctu procurrere ad mortem, commune cum multis; deliberare verò, & causas eius expendere, ut qua suaserit ratio vitæ, mortisque consilium suscipere, vel ponere,* INGENTIS EST ANIMI.

Quod si fortis viri, ac ingentis animi est, ad solatium uxorculæ, ad filiæ lacrymas, velle in statione manere, & vitam extendere; quanto excellentioris virtutis, & divinioris instinctus est, pro subsidio & salute animarum aliàs pereuntium, vitam per innumeros labores & ærumnas prorogare velle? quod unicè S. P. nostro Ignatio in votis fuit.

S Ignatii charitas, cum illa Moysis & Pauli cóparatur.

Superest ut Paulum cum Moyse, & cum utrisque Ignatium de charitate contendentem videamus. *Moysi sanè oblatum est à Deo,* (ut Bernardus loquitur) *si prævaricatorem populum vellet dimittere, & divina exponere ultioni, ipsum quidem fieri posse in gentem magnam* (& gloriam Domini contemplaturum) *sed ille renuit. Quare? Ob nimiam profectò dilectionem, qua illi fortiter devinctus populo tenebatur, & quoniam non requirebat quæ sua sunt, sed Dei honorem;* potius optabat de libro vitæ, seu beatorum Albo expungi, quam ut suus in æternum corporis, animique exitium dari cerneret.

Bern. serm. 30. in cantica.

Quid ad hæc Paulus, non inferiora secutus? Eâ charitate flagrabat, ut neque tribulatio, neque angustia, neque mors, neque vita, à Christo separaret, ad quem adeo ardenter suspirabat, ut cupiens dissolvi, & esse cum Christo; indies præ desiderio moreretur.

Paulus tamen optione datâ ut confestim cælo & Christo frueretur, vel cum incertitudine (ut Chrysostomus scribit, salutis, animarum lucro subserviret, postremum generosissimâ mente elegit. Ipsum audire : *coarctor*, inquit, *è duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium fidei.* Ubi autea sui fandi copiâ Chrysostomus : *nihil Pauli anima beatius, quoniam nihil etiam generosius.* Mortem quam omnes horremus, partim multitudine peccatorum gravati, partim vitæ cupidi, ille optabat, dicens : *dissolvi multo magis melius, & quid eligam ignoro.* Quid ais? Cum hinc abiens ad cælum sis migraturus, & cum Christo futurus, ignoras quid eligas? Quis nostrum, cui si hæc offeratur conditio, non illam quamprimum arripiat? Quid eligam, inquis, nescio; neque hoc tantum, sed etiam hic manere eligis: manere inquam in carne Quid ita? Nonne acerbam vitam ducebas in vigiliis, in naufragiis, in fame, & siti, in periculis fluminum, periculis latronum? Et adhuc moribundam hanc vitam desideras?

Philipp. 1 v. 23.

Chrysost. in epist. ad Philip. cap. 1. hom. 4.

Tum aliis ad captum rationibus idem argumentum prosequitur : tametsi autem nihil horum tibi accidisset, sed quietè & cum voluptate vitam egisses, *nonne tamen oportebat incerta futuri temporis pertimescentem, ad portum aliquem contendere? Ecquis mercator navi vectus innumerabilium thesaurorum plenâ, si liceat subire portum, ac requiescere, mari adhuc jactari malit? Ecquis pugil cum coronam possit accipere, malit rursus in certamen descendere, & caput offerre? Ecquis Dux qui cum Regem aulâ quietus degere, seque oblectare queat, adhuc sudare & in aciem redire praoptet?* Quomodo ergò tam acerbam vitam vivens, adhuc vis in terris manere?

Tum fortissimum arietem admovet de incertitudine salutis : an non tua ista verba : *timeo ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar?* Si nihil aliud præterea causæ fuisset, hæc satis est.

Sed cum nihil hæc adamantinam Apostoli mentem concuterent, in has voces aureus Orator erumpit : *O Pauli animam! Nihil illi par aut fuit, aut futurum est. Recuso,* inquit, *apud Christum esse, idque propter Christum;* ut quos illi paravi servos, firmius in ipsius amore stabiliam : ut ex agro quem

Chrysost. cit.

quem plantavi, fructus exstare faciam. Non audisti, me non quærere quod mihi utile sit, sed quod proximis? *Non audistis mihim optatis fuisse* ANATHEMA FIERI A CHRISTO PRO FRATRIBUS? *Qui illud elegi, non multò magis hoc eligam, ut damnum ipse ex hac mora & dilatione faciam, quo illi aliqua ad salutem accessio fiat?*

Ad hunc Divini amoris excessum efferveſcens, & ebulliens Pauli zelus pervenit, ut Moysi non inferior, optarit à Christo, quem ardentissimè amabat separari potius, quàm ut anima periret. Quod Chrysostomus, qui Paulum Magistrum habuit, rursus expendens, sic differit: *quid ais Paule, à Christo? Illo inquam Christo, qui à te desideratur: à quo te nec calorum regnum, nec gehenna separabat: neque ea quæ videri, neque ea quæ cogitari possunt? Ab hoc nunc precaris anathema esse?* Et carere æterna beatitudine, imò & inferni tormentis addici? *Optabat*, inquit, *in gehennam mitti, & judicium obire perpetuum pro eorum salute, à quibus fuerat lapidatus.*

Quorsum hæc tam luculenta de Paulo encomia? Nisi ut qui Ignatium coarctatum quid eligat: vel statim ad conspectum Domini, quem ardentissimè suspirabat, evolare? vel in terris cum incertitudine salutis (etsi hæc charitas Pauli, & Ignatii numquam excidat) animarum lucro insudare, postremum amplectentem, Magni hujus Apostoli, quales paucos in hoc genere reperio, æmulum exstitisse; quæque de Paulo dicta sunt, Ignatio propriissimè convenire, digito intento ostendam.

Fuit tamen qui quasi imprudenti huic zelo obstrepere ausus est: & quæ, inquiebat, hæc foret prudentia, Pater, tanto teipsum, propter alienum commodum, periculo exponere? Cui sedato imprimis animo Vir Sanctus reposuit: *quis mortalium est Princeps, qui oblata videns stipendia tantisper à milite differri, quo ad pluribus illa titulu promereatur, non obstrictum se vicissim credat ad eadem illi vel rutò conservanda, vel etiam duplicanda? Et Principes igitur nostri hoc soleant; negligeret Deus? Aut Beatitudinem utique suâ causâ dilatam pateretur amitti? Alius hac deliria somniet. Animum ego, ut hac de Deo, Principe tam facili, ac munifico credam, inducere non possum.*

Multo minus timendum est, ne tam accensa divini amoris flammis anima, ad inferni tormenta detrudatur, quæ vel ipsa charitatis incendia restinguerent, & cùm [illegible] eum secum habeat, in paradisum convertet.

[illegible] liceat ergo mihi Magno Parenti nostro Ignatio Pauli æmulo acclamare: *Benedictus Deus*, QUI TALEM VIRUM ORBI OSTENDERIS. *Laudarint te omnes Angeli uno animo, cum astra fabricatus es, & solem; sed non perinde atque eo tempore, quo nobis, totique orbi Paulum* (liceat mihi dicere & Ignatium) *ostendisti. Hinc terra facta est splendidior calo, pulchrior hic solis lumine, splendidiores emisit fulgores, latos radios effudit, quibus hominum corda inflammavit, & in sui imitationem pellexit.*

Ad hanc imitationem comprimis Duces gregum, & Pastores animarum conniti debent, ut scabiosas oves à se non repellant, & perdant; non aversentur, sed curent, complectantur, & pro ijs animam ponant. Rectè enim observat Arnobius Moysen & Paulum non superasse misericordiâ & charitate Deum, qui per se populo misereri poterat; ut quid ergò tales, & tam potentes intercessores habere voluit? Causam subdit, ut quibus regimen animarum incumbit, discerent exemplo excitati, non facile suos damnare; sed pro iis apud Dominum deprecari: *putasne tu, O Moyses, plus misericors es, quam ille qui blasphematus manna pluit, qui contemptus de petra produxit aquas? Non tu plus misericors; sed voluit Dominus affectum tuum Ducibus populi recitari*, UT SIC AGANT CIRCA PECCANTES, SICUT TE FECISSE COGNOSCUNT; *non cito damnent; sed volentem Dominum condemnare, suis precibus flectant*; se murum opponant, non execrentur, non diris devoveant, non in desperationem agant.

Quod Divus Asterius, ubi charitatem Moysis extulit, in quibusdam deplorat & damnat: *nunc autem qui acerbiores se peccatoribus præstant, eos ad se accedentes propellunt supplices, prostratosque fugiunt: à lacrymis oculos removent, & se totos avertunt.*

Alter imitationis fructus referendus est, ut in nobis eiusmodi flagrantia amoris desideria pro salute proximi excitemus.

Talem nobis Annales Minorum proponunt virum præcellenti religione ac charitate præditum, Antonium Gonsalvium, genuinum Seraphici Patris filium, qui tanto animarum zelo efferbuit, ut dicere solitum ferant, cælesti se paradiso si pedem intulisset, quantocius elaturum, ut unius peccatoris exomologesim excipere posset.

O bonum, sanctumque desiderium! Gratum, acceptumque Deo, uti ac quæstuosum desideranti vorum! *menti namque*, ut rectè Gregorius, *Sponsum suum fortiter amanti, una solet esse consolatio, si per hoc, quod ipsa à Dei visione differtur, aliorum animæ ad cælestem Sponsum, amoris facibus inardescant.* Quin & devotus fæmineus sexus, sanctimoniales conclusæ, hunc Pauli & Ignatii zelum valent æmulari.

Has inter Sponsas, Venerabilis Maria Dratia, S. Matri Theresiæ filia peculiariter dilecta, recensenda est, quæ pro summis à Deo acceptis patiendi desideriis, cum esset octogenaria, morbis plurimis, gravissimisque exercita, longiorē optabat vitam, ut plura pro amabili sponso suo Christo pati, & mereri posset, cùm in alterâ vitâ non nisi præmia manerent, satisque temporis per totam æternitatem ad fruendum Deo, superfuturum esset

Rom. 9. 3.

Chrysost. hom. 16 in epist. ad Rom.

[illegible] S. [illegible] deotæ arguit.

Chrysost. cit. Laus Pauli Ignatio accommodatur

Arnobius apud Lorinum in psalm. 105. v. 23

S. Asterius serm. de S. Maria Magd.

Wadingus Annal. tom. 2. ad ann. 1248

S. Gregor. hom. 15. in Ezechiel.

Lancic.

Quare æquum videri, ut hic multa patiendo & agendo gratiam ac gloriam augeamus, ac consequenter dilecto gratius occurrere & arctius adstringi valeamus.

Quod & indies, dum quis hic longis molestiis, & diuturnis morbis exercetur, locum habere potest, ut non dissolvi cupiat, sed ad majus meritum, ad suæ, aliarumque animarum salutem, hic vitam in doloribus, & cruciatibus prorogari postulet.

In vita 4. part. c. 98. Lanc. opusc. 11 lib. 3 c. 2. n. 341.

Talis zelus eluxit in S. Magdalenâ de Pazzis, quæ desiderio magno iuvandi animas, „ præter ordinarias afflictiones, & pœnitentias, quibus se propè enecabat, petebat à Deo infirmitates, pœnas & tribulationes & *omnia mala pœnalia, quæ peccatores merebantur, & obtulit se Deo etiam ad ferendas inferni pœnas*; si hæc eius esset voluntas, pro animabus. Eamque Deus sæpe exaudivit, immittendo graves dolores, & infirmitates quæ per hebdomadas, & menses durabant, & dicebat, hæc pati, sibi esse solatio, & vocabat pœnam gloriosam: *adeòque optabat pro animarum conversione pati, ut quavis horâ, & quovis momento, si esset possibile, potuisset pati Martyrium pro animabus, imò mille mortes. Et se felicem reputasset, si hoc sibi à Deo concederetur, & tunc Martyrium non foret sibi Martyrium, sed paradisus. Alias dixit quod vellet posse mori millies, & totidem vicibus redire in vitam, & toties vitam perdere pro salute animarum.*

Quis eam non Martyrem, & plusquam Martyrem dixerit? Quadam vice cum oraret pro conversione quarumdam animarum, existens in exstasi, dixit: *Domine, si non facis mihi hanc gratiam, dandi mihi istas animas, quas à te peto, dicam etiam ego, me nolle venire ad possidendam gloriam quam mihi præparasti.*

Ibid.

Non est itaque, O Christi Sponsæ, quod viris Apostolicis Paulo, Ignatio & Xaverio, aliisque ad lucrum animarum in ultimas mundi oras excurrentibus, vitam & sanguinem pro iis fundentibus invideatis. Audi anima, quod de S. Martino (quod & S. Ignatio congruit,) Beatus Laurentius Justinianus pronuntiavit: *audi sine ferro Martyrem, ex solâ charitate morientem. Quotidie morior propter gloriam vestram, & gloriam Domini mei.*

B. Laur. Iustinian. serm. de S. Martino.

§. V.

Erat MOYSES VIR MITISSIMUS *super omnes homines qui morabantur in terra.* Numeror. 12. v. 3. *Fuit &* IGNATIUS.

Mansuetudo decet imperatores & belli duces.

GRavissimè errant, & crassissimè hallucinantur, qui mansuetudinem, lenitatem, clementiã, animositati bellicæ repugnare, ducibus, ac imperatoribus minimè convenire, & adversari arbitrantur, cum illa virtus in omni qui præest, inter cæteras egregias & regias, ut in annulo gemma, luceat & efflorescat. Gobryas vir sapiens apud Xenophontem, cũ Cyrum in bello animadverteret ut fulmen horrificum atque igneum, ubique hostes proterentem, illum magnum ducem, heroem divinum, ac quolibet imperio dignum judicabat; sed cũ illius vidisset humanitatem, ut scintillantem in auro gemmam, ubique suâ luce blandientem, exclamat rei miraculo obstupefactus: *illum longè clementiâ, quam imperatoriâ laude præstare*, & è regii animi mansuetudine, plus laudis, honorisque mereri.

Xenophon. lib. 8. Cyropæd.

Atque hujus virtutis pulchritudinem paucis verbis in Aureliano, sed ex mente & opinione humani generis Vopiscus expressit, qui nõ dubitavit asserere: *clementiam esse primam dotem imperatorũ*, qui ut supra vulgus sunt, debẽt omnes perturbationes infra se habere, ut recte Cyrillus ille Alexandrinus ad Theodosiũ Imperatorem: *decet supremas excellentias ut sereno sint & placido animo*. Huic addere libet D. Ambr. oraculum, breve quidem, sed majestate venerandũ: *morum*, inquit *mansuetudo in Rege præcipuum.*

Vopiscus in Aureliano. Cyrill. Alex. apolog. ad Theod. Imp. Amb. lib. 5. hexam. c. 21.

Exemplum inducit Romanus Philosophus à brutis animalculis: *iracundissimæ*, inquit, *ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeum in vulnere relinquunt. Rex ipse sine aculeo est*; cui hoc præclarum documentum subiungit: *exemplum hoc Regib⁹ magnis ingẽs est. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, cum tantò hominum animus moderatior esse debeat, quantò vehementius nocet.*

Seneca. lib. 1. de Clement. cap. 19.

Ita summus Dux & Rex noster Christus *venit Mansuetus*, qui efficacissimũ ad hanc virtutẽ excolendã, superioribus incitamentum reliquit. In quos ille promptius quam in Judæos exercere aculeũ potuit! erant duræ & indomitæ cervicis, adversa & rebellia cælo capita, & tamen ad eos *venit mansuetus.*

Matt. 21.

Christus omni imperanti exemplar mansuetudinis.

Excoluerat illos per annos omninò triginta tres, & quà vivæ vocis oraculis, quà sanctioris vitæ exẽplis edocuerat, & tamen ei pertinacius resistebant. Nec ideò abit, illis iratus & durus, sed potius ad illos *venit mansuetus*. In eorũ oculis ingentia patrarat miracula, ut suæ doctrinæ fidem adstrueret; & tamen eam negant perfidi, & contumaces Judæi; nec ideò decedit ab illis iratus, sed *venit mansuetus*, & se mitis ut agnus, victimam charitatis immolat.

Tales Deus Reges, duces, & omnes qui præsunt desiderat, quibus potissimũ hanc legẽ tradidit: *discite à me nõ mundum fabricare, non cuncta visibilia & invisibilia creare, non mortuos suscitare; sed quia mitis sum, & humilis corde*; nam ut omnes hæc animi lenitas & mansuetudo condecorat ac amabiles facit, maxime tamen quibus imperiũ in alios est, ut recte S. Thom. opusc. 20. lib. 2. de Regimine Principũ c. 8. agens de Romanis: *quadam igitur placabilitate animi ut natura requirit subditorum illius regionis, & incessu humili, Rempublicam gubernabant: quia ut tradit Tullius in Philippicis: nullum majus armatorum præsidium charitate & benevolentia civium, qua oportet Principatem munitum esse, non armis.*

Aug. serm. 10 de verbis dom.

S. Thomas opusc. 20. de Regim. Principũ. lib. 2. cap. 8.

MOYSES, qui vivũ Christi typũ expressit, ERAT VIR MITISSIMUS *super omnes homines qui morabãtur in terra* quâ regiâ ac planè divinâ virtute præditus, innumerabili Israelitarum exercitui Dux præfectus est; sic porrò Divus Hierony. *Dux ille Israe-*

Numer. 12. v. 3. Moyses mitissimus. Dux populi creatus est.

Israelitici exercitus, ad cujus imperium cælum, terra, & maria serviebant, inter cunctos homines, quos tunc terra generavit, mansuetissimus prædicatur; ET IDEO *per quadraginta annos obtinuit Principatum: quia potestatis superbiam lenitate, &* MANSUETUDINE TEMPERABAT; quâ solâ Reges, ac superiores sibi regnum ac regimen stabiliunt, & amplificant.

S.Thom. opusc. 20 lib. 3. c. 6.
Valer. Max. c. 5.
Mansuetudine Romani regnum stabilivetunt.

Hinc divinè ut solet S. Thomas tradit: *Quod subjugarunt Romani mundum, & meruerunt dominium, fuit singularis pietas, ac* CIVILIS BENEVOLENTIA: *quia ut tradit Maximus Valerius: Humanitatis dulcedo, barbarorum ingenia penetrat.* Unde Proverb. 6. dicitur: *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos: cujus quidem ratio* (non ex ignaviâ, & imbecillitate, sed) *sumitur ex generositate animi, ut dixit Seneca, qui magis ducitur, quam trahitur. Habet enim mens quiddam sublime, & altum, ac impatiens superioris; sed delectatione cujusdam subjicitur reverentiæ,* SEU LENITATI.

Valer. Max. l. 4. Lipsius monita & exempla politica.
[illegible] de [illegible]

Quod exemplis gentilium Ducum, ac Imperatorum probare pergit: *Quantum autem antiqui Romani in hac excelluerint virtute, unde exteras nationes ad suum traherent amorem, seque iisdem sponte subjicerent,* exempla ipsorum deducantur in medium. Primo quidem de Scipione, qui "cùm esset Dux Romani exercitus, & Carthaginem in suam redigisset potestatem, in ipsâ "virginem cepit eximiæ venustatis; quam ut "desponsatam agnovit, & nobilem, ipsam in"violatam parentibus reddidit, & aurum quod "in redemptione ejus traditum fuerat, doti "ejus adjecit. *Ex quo facto ad amorem, Romanorum hostes adduxit, admirantes de tam castâ moderatione dicti Principis.* Addit ex Tito Livio ejusdem Scipionis, *quadam benevolentiæ inductiva, in prædictâ victoriâ. Cùm enim misit obsides Romanis, primum quidem hortatus est universos, bonum habere animum: venisse enim vos in Romanorum potestatem, qui beneficio, quam metu obligare homines mallent, exterasque gentes fide, ac societate junctas habere, quam tristi subjectas servitio*; quâ lenitate, & humanitate, sibi potentissimas nationes subjecêre, quas multis annis, & ancipiti marte, ac multo fuso suorum, ac hostium sanguine, superare non potuissent. *Patet igitur, quod Romani antiqui meruerunt dominium ex civili ipsorum benevolentia, qua cæteras nationes ad sui amorem trahebant, & pro merito virtutis, divina bonitas videtur principatum assignasse.* Sacris hæc historiis confirmare libet. David vir bellator, ab hac virtute apud Dominum gratiam, & benevolentiam captat.

D. Thom. [illegible]

Davidis Regis mansuetudo.
Psal. 131.
Ambr. lib. 2. offic. cap. 7.

Memento Domine David, & OMNIS MANSUETUDINIS EIUS. Ubi Mediolanensis Antistes regum hoc affabilitatis exemplum ingerens: *Rex David, inquit, quam mitis, quam blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu* (nihilominus nem[illegible]m & mansuetum, segnem & socordem æstimes) *fortis in prælio,* MANSUETUS IN IMPERIO, *patiens in convicio, ferre magis promptus, quam referre injurias.* Quid hac miti, & mansueta agendi, ac regendi ratione consecutus est? Ideò, subdit, *tam charus erat omnibus, ut juvenis ad regnum etiam invitus peteretur, & resistens cogeretur. Senex ne prælio interesset à suis rogaretur: quod mallent omnes pro ipso periclitari, quam illum pro omnibus. Itaque parentes eum filiis, filii parentibus præferebant.*

Tam potenter in animos hominum irrepit, & in divinam mentem irrumpit, affabilis moderantis mansuetudo. Ex hac bonorum omnium scaturiginem promanasse, idem regius Vates testatur, dicens: *Mansuetudo mea multiplicavit me*, auxit, promovit res meas, opes, honores, regnum contulit, & Principatum, & præ his omnibus copiosam Dominus gratiam impertivit. Hanc promissionem: *Mansuetis dabit gratiam*, à sapientissimo filio Salomone prolatam, expendens Chrysostomus, ait: *Mirabile Salomonis promissum.* An iis nihil dabit gratiæ, qui jejuniis, qui castimoniâ, qui eleëmosinis, qui virtutibus aliis, suo conditori sese commendarint? Imò verò dabit, sed mites erunt primi, qui optimam partem, qui totos Principatus auferent in præmium.

Lib. 2. Reg. c. 22.
Proverb. 13.
Chrysost. hic

Cum igitur spiritu lenitatis, & mansuetudinis, sanctissimus Patriarcha *Ignatius* præditus fuerit, ut velut alter Moyses: *Vir mitissimus* extiterit, eum rectè militiæ Christianæ à divinâ providentiâ præfectum, ac ducem constitutum, nemo quisquam refragabitur.

Num. 12.

Quæ virtus in eo, quam in Moyse mirabilior, quod militari ingenio, & genio præservido esset.

S. Ignatius mansuetudine Dux Christianæ militiæ esse meruit.

Abbas Igniacensis sermone 4. de S. Benedicto, quem Moysi confert, & præfert, sic & ego *Ignatium*, cum utrique aptissimè conveniat, sic ait: *Moysen quidem scriptura prædicat* MITISSIMUM: *numquid tamen exacerbatum spiritum ejus negat? numquid non iratum, & valde iratum adversus æmulos* (& rebelles confractis tabulis) *memorat? Hujus autem magistri nostri* (ac ducis nostri) *mansuetudinem, non solum erga maledicos, sed etiam erga maleficos, mirabilem me legisse memini; iracundum non memini.*

Guerric. serm. 4. festo S. Benedicti.

Quis non mirabilem, ac mansuetissimum in maledicos ac maleficos *Ignatium* crediderit? de quo legisse me memini, quod neminem unquam contristarit, aut alieno animo à se dimiserit. Plus est: cum Lutetiis operam litteris vacanti, contubernalis peculiolam in victum magno labore corrogatam surripuisset, adeò non exarsit in iras, & diras, ut eum Rotomagi morbo afflictum quam primum inaudiit, iter tridui tantâ celeritate confecerit, hominique pessimè de se merito, tanto affectu subvenerit, ut à morbo recreatum blandè complexus litteris in Hispaniam datis, familiaribus, notisque commendarit.

Exempla mansuet. in S. Ignatio.
Ribad.
Bartol. in vita.
Imag. 1. Sæc. pag. 639.

Illud verò quantæ mansuetudinis est, cum tactus invidiâ nonnemo dignitate primarius, *Ignatio* Ordinis à se fundati jam Præsidi, renuntiari jussit, omnes se Societatis homines, quotquot in Hispaniis, Perpiniano Hispalim usque invenirentur, flammis esse traditurum; reposuisse *Ignatium* (etsi pupilla oculi tangeretur) animo placido, & pacato, miti ac mansueto: *Optare se vicissim, ut eum cum omnibus quos haberet per orbem charos,* divinus ignis inflammaret.

Quid, quod illum ipsum quem in mortem suam juratum; sicâ instructum, domicilii sui scalas conscendisse noverat, *in cum, iracundum*

non memini; sed in convictum, societatemque omni affabilitate, & lenitate, inmemor iojuriæ, aggregavit.

Ita profectò, exemplo *mitis, humilisque magistri*, ex milite impotente, sui Dominus, ut nihil uoquam pristini fervoris in publicum prorumperet; adeò ut medici eum lentioris jam, ac lenioris animi judicarent. Quam lectiooem suis inculcatam volebat.

Hinc Bulla Julii III. & Regulâ 5. Præposito Generali (& in ea omnibus Superioribus) præscribitur: *Vt in prælatione suâ, benignitatis ac mansuetudinis charitatisque Christi, Petri, Pauli formula sit memor.* Tres personas superioribus imitaodas proponit: imprimis Christum Dominum, quem scimus Petrum, & Thomam, post eorum lapsus, tam paternè tractasse: Magdalenam quoque, & alteram mulierem in adulterio deprehensam, quia compuoctas vidit, benignè excepisse, & suaviter dimisisse; quo facto docuit, quales esse cupiat moderatores animarum.

Petri quoque & Pauli formulæ, Superiores in benignitate ac mansuetudine vult esse memores, quia utriusque regimen benignum ac mansuetum. Ideo Petrus admonet: *Pascite qui in vobis est, gregem Dei; providentes non coactè, sed spontanè, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

S. Petr. 5. v 3. Mansuetudo Petri ejusq. monito.

Hinc ipse non imperans, sed rogans suos allocutus est: *Charissimi, obsecro vos, abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* Sic Paulus in regendis aliis, totus spirabat Christi benignitatem, & mansuetudinem; ex hoc enim fonte processerunt mitissimà ejus monita, & exempla; ideo etsi essent *insensati Galatæ, & non obedientes veritati, stulti, & carne consummati*; instruens tamen superiores eorum, ita monet: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite* IN SPIRITU LENITATIS, *considerans teipsum, ne & tu tenteris.*

v.11. Et mansuetudo Pauli superioribus Societ. proposita. Ad Galat. 5.v.1. Ad Galat. 6.v.1.

Quæ verba ponderans Chrysostomus: *Vt ostenderet* (inquit) *eos* VEHEMENTER MITES ESSE OPORTERE, *non dixit in mansuetudine, sed in spiritu mansuetudinis: declarans hæc etiam placere spiritui, imo hoc ipsum doni sit spiritualis.* Hoc etiam Paulus suis confirmavit exemplis, rogantis oon imperantis amore suos regendo; hinc ad Romanos scribens de re magni momenti, & ad salutem necessaria: OBSECRO VOS FRATRES *per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem sanctam, Deo placentem.* Et ad Corinthios: OBSECRO VOS FRATRES *per nomen Dn. IESV Christi, ut non sint in vobis scismata.* Sic & ad Ephesios scribit: OBSECRO VOS *ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate,* ET MANSUETUDINE. Perspectè & dilucidè ad Philemonem: *Multam, ait, fiduciam habens in Christo IESV,* IMPERANDI TIBI, *quod ad rem pertinet; propter charitatem magis* OBSECRO; quasi dicat, inquit Theodoretus, *cum possim tecum audacter agere, & jubere, hoc non facio; sed adhortationem adfero*; quem imperandi modum potentissimum, ad quævis impetrandum, extollit Hieronymus Epist. 62. ad Theophilum:

Chrysost. hic in comment. Rogando plus impetratur, quam imperando. Ad Rom. 12.v.1. 1.Cor. 1. v.10. Ad Philemon. v. 8.

Nemo plus impetrat à libero, quam qui servire non cogit. Ita S.P.N. Ita Mutius, ita Claudius, ita Scribanius, superiores instituit, si quidvis à suis impetrare velint. Hac prudentiâ David excelluit, dum dixit ad populum Israel: SI PLACET VOBIS, *& à Domino Deo nostro egreditur sermo, quem loquor, mittamus ad fratres nostros, &c.* Ad quem locum Carthusianus ille Dionysius: *Ille*, inquit, *quam humiliter loquitur subditis & ministris, non procaciter jubet, nec per se absolutè determinat; sed sub conditione loquens, inferiorum judicio verba sua committit Præpositis.* In quâ parte adeò peccat superior contra prudentiam, aut quidquam de authoritate deperdit, ut ipsa sapientia Patris, & Dominus noster Christus, ascendens in navim Simonis, non imperârit, sed ROGARIT *eum à terrâ reducere pusillum.* Ubi Theophilactus: VIDE, inquit, MANSUETUDINEM, *quomodo obsecrat Petrum, ut à terra abducat. Vide & quomodo Petrus morigerus fuerit*; quia nullum tormentum potentius ad quidvis impetrandum humanitate & lenitate.

1. Paralip. 13. Luc 5.

Quæ sanctus Pater noster noo solum suis præscripsit, sed & in se expressit, de quo Maffejus. *Hunc mansuetudinis tenorem diligenter in omni vita servavit. Ac satis constat annis ipsis triginta, quibus Christum secutus est, neminem prorsus fuisse ab eo contumeliosè tractatum, sed ne appellatum quidem acerbius.* Tum subdit: *Si quid præciperet,* ROGANTI *erat proprior, quam jubenti.*

Maffejus in vita lib. 3. c. 5.

Sed ad alia solidiorâ mansuetudinis argumenta veniamus. Sanctus Ambrosius, magnum illum populi Israelitici ducem commendat, & hac mirabili lenitate magis amabilem, ac venerabilem, quam suis stupendis prodigiis, & miraculis, deprædicat. *Quantas*, inquit, MOYSES *à populo Dei illatas absorbebat contumelias? & cum Dominus insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter, ut indignationis divinæ plebem subduceret. Quam miti sermone, post injurias appellabat populum, solabatur in laboribus? & quamvis cum Deo constanter loqueretur, homines tamē humili & grata appellatiōe affari solebat. Qua benignitate & lenitate obduratos & efferatos animos leniebat, & sic totius plebis mentes devinxerat, ut plus eum pro mansuetudine diligerent, quam factis admirarentur.*

Ambr. lib. 2. de offi. cap 7.

Quod si nunc *Ignatium* inducamus, aptè in illum verba Guerrici Abbatis cadere comperiemus, qui illud Ecclesiastic. cap 45. exponens: *In fide & lenitate ipsius, sanctum fecit illum*, sic disserit: *hæc quidem de* MOYSE *dicta sunt; sed hodie* B. IGNATIO, (quod ille Benedicto) *non incongruè arbitror aptata sunt; qui cum omnino plenus fuerit Spiritu sancto, multo magis de spiritu* MOYSIS *credendus est habuisse non minimum.* Hic porrò dum inter obtrectantium linguas, calumniantium sannas, malignantium insidias, hostium imposturas, quibus ut seductor, hæreticus, dæmoniacus, ad tribunalia protractus, in vincula & carcerem conjectus fuit, *mansuetudinem ejus non solum erga maledicos, sed etiam erga maleficos mirabilem me legisse memini, iracunum non memini*, nec legi; sed illud legi; ter Compluti non magno temporis intervallo in illum habita quæstio veneficii, atque hæreseos, ad quadraginta dies in publicam missus custodiam. Inde

Guerric. serm. 4 de S. Benedicto. Ibid in fine.

digres-

[illegible] Salmanticâ, nihilò mitius excipitur: etiam ill[illegible] in tetrum carcerem, iterum suspe[illegible] reseos, injectâ collo prægravi catena[illegible] minor tempestas in eum Parisiis de[illegible] Novum dedecus, publicum virgarum [illegible] illi comparatur; inter hæc omnia, [illegible]tudinem ejus mirabilem me legisse memini, [illegible] aut leviter commotum) non memini; [illegible] placidè vultu illud solum reposuit, non tot [illegible] carceres & vincula esse, quin Christi causâ plura expeteret.

Jam Venetias priusquam adveniret, sinistra fama prævolarat, hæreticæ pravitatis aliquoties in Hispaniâ convictum, elapsum è custodiâ, profugisse in Galliam: effigiem ejus ab Hispanis Inquisitoribus publicè concrematam. Parisiis quoque, quod juventutem perversâ do[illegible] inficeret, ad sacra tribunalia delatum, [illegible] prævertisse magistratuum consilia. Ad [illegible] acerrimas criminationes, & calumnias, mansuetudinem ejus mirabilem me legisse memini, iratum non memini, aut verbum aliquod asperius reposuisse non legi. Romæ cum apud nobiles quosdam, ut solebat, de divinis rebus familiariter ageret, trepidus à domo nuntius, ei repente in aurem insusurrat, lictores in domesticam suppellectilem à creditoribus immissos, cuncta miscere, & evertere. Quid ad hæc Ignatius? placidè respondit: *Strata si abstulerint, humi pro nostrâ paupertate cubabimus*; qua lenitate, & animi tranquillitate ita omnium odia in amorem & benevolentiam versa sunt, ut quod supra de Moyse diximus, *plus enim pro mansuetudine dilexerunt, quam pro factis admirarentur.* Venerari & admirari illum poterant elementis imperantem, cæcis lumen, claudis gressum, ægris sanitatem, duodecim mortuis vitam impertientem, de cacodæmone, & orco triumphantem; sed plus eum & amandum & admirandum *pro mansuetudine*, qua homo proximè Deo assimilatur dixero. Quod priusquam probare aggredior, paucis vos compello; si hæ [illegible]riæ, calumniæ, vobis inurerentur, si appa[illegible]tores in domum vestram involarent, omnia diriperent, quibus oculis, quo animo, qua man[illegible]tudine hæc spectaretis? an non in diras, & [illegible] excandescere, totam viciniam concire, omnia clamoribus complere, mille execrationes [illegible] scurras, nebulones evomere, capillos vellere, furias infernales Medeas ac Medusas induere occiperetis? quantum hæc ab homine maximè aliena, & belluis, imo ipsis furiis tartareis simi[illegible]ora sunt; ita inter opprobria, & omnia adver[illegible] tranquillum ac pacatum virum cernere, divinæ naturæ imaginem referre compertum est.

Ipsius Numinis mansuetudinem in tolerandis [illegible] injuris perfectissimè in se expressit *Moyses*, [illegible]orat & expertus fuerat in tantâ Pharaonis [illegible]ciâ, & contumacis populi protaciâ, [illegible]tè Dominus *longanimus, & multæ miseri[illegible] suavis, & mitis est.* Quam virtutem inte[illegible] divinæ naturæ perfectiones, velut Deo propriissimam æmulando, ad eum dignitati & sanctitatis apicem evectus est, ut alter Deus in terris haberetur: *Ecce, ait Dominus, constituo te* DEUM PHARAONIS; in quem locum Oleaster: *Expende quæso, quanta sit dignitas Moysis, quem Deus sic evexit, ut* DEUM *Pharaonis constitueret; & similiter quanta sit prudentia, & misericordia, ut non eum statim occiderit, sed patientiâ quasi Dei tulerit, & admonuerit: quis enim hominum habens Dei potestatem, in inimicum suum tam sævum* (quis vestrum) *ad momentum ullum ferret?* Hac solâ virtute homines proximè ad Deum accedere, & in terris deos esse, Themistius testatur oratione 5. cur Licurgus ab Apollinis oraculo Deus vocatus sit: *Quid in Licurgo*, inquit, *tandem animadversum, cujus gratiâ Deum potius, quam hominem appellandum censuerim? facultatem nimirum, atque pietatem, harumque principem omnium humanitatem; cujus unius beneficio Reges* (Prælati, patres familias) AD DEI SIMILITUDINEM ACCEDUNT. Non potuit hujus virtutis excellentiam altius attollere, quam dicere hominem mansuetudine Deum fieri. Quod S. Gregorius Nazianzenus affirmavit, nam cum publicè concionem haberet, audiente Præfecto, quem iratum lenire cupiebat: *Nihil*, inquit, *tam divinum homo habet quàm benignitatem ac beneficentiam; licet tibi nullo labore* (nullis jejuniis, nullis eleëmosynis) *Deum fieri. Noli divinitatis consequendæ occasionem abjicere. Alii opes suas effundunt, alii exhaustam carnem spiritui mancipant, & propter Christum emoriuntur: alii charissima pignora Deo consecrant, nec tibi Abrahæ sacrificium inauditum est. Horum nihil à te postulamus; pro omnibus hoc unum offer, benignitatem, quâ Deus magis, quam cunctis rebus in unum collatis delectatur.*

Nunc si ea quæ de benignitate, & mansuetudine Ignatii diximus, animo recurrant, nonne eum propius ad Deum, quam per emendicatâ etiam stipem in pauperem erogatam, per plurium dierum inediam, ardua in pane & aqua jejunia, cruentam corporis in singulos dies verberationem, accessisse, mecum omnes fateamini necesse est?

Superest, ut paululum ad mores excurramus, & quam non Regibus & ducibus, sed & Superioribus, patribus, ac matribus familias, fratribus & sororibus ac omni homini & maximè cummunitati mansuetudo, lenitas, affabilitas, humanitas necessaria sit videamus.

Doctor Angelicus sic tradit: *Mitis humanitas, seu affabilitas, est quædam specialis virtus, secundùm quam inter se homines benè disponuntur simul convirentes.* Petit omnis non Religiosa dumtaxat, sed & humana societas, ejectâ è cætu hominum hac virtute. Non homines, sed feræ sumus, quæ mutuis in se morsibus ruunt, si hanc virtutem secludimus. Idem & prisorum Sapientum sensus: naturali debito, ac jure, hominem obligari, teste Macrobio, *ut aliis delectabiliter convivat.* Ejusdem sententiæ Seneca: *Nullam ex omnibus virtutibus magis homini convenire, cum sit nulla humanior, constet necesse est.* Hæc comitas, & suavis humanitas, maximum amicitiæ vinculum est, nec ullum potentius ad animos nobis conciliandos philtrum reperitur. Hoc Siracides testatur: *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos*, quantumvis efferatos. Inter stupenda prodigia quæ *Moyses* perpetravit, refertur: *Moyses verbis suis monstra placavit*, leones, & tigrides humanâ disciplina imbuit,

Margin notes (left): [illegible] — Maffeius in vita lib. 3. c. 9. — Orl. lib. 4. n. 9. — [illegible] — Ex. 4. 10[illegible] — [illegible]

Margin notes (right): Mansuetudo hominem Deum facit. — Nazianz. orat. 17. — Morale, mansuetudo omnibus necessaria maximè Superioribus. — S. Th. 2. 2. q. 114. art. 1. & 2. — Macrob. lib. 3. Saturn. — Senec. lib. 1. de clement. c. 3. — Eccl. 6. — Eccl. 45.

imbuit, id est efferos ac indomitos populi mores, suo mellloquio cicuravit, & verbis blandis, velut jaculis amoris, sibi subdidit. Quare
Aug. in Psal. 44. elegantet Augustinus in illud: *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula*, sic ait: *molliti sunt, non virtutem amiserunt, sed in jacula sunt conversi: molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi molliti sermones, ipsi sunt jacula*; nec mirum quod lenis, ac mansueta orationis ea sit vis, & potentia, nam lenia verborum jacula amorem
Aug. in Psal. 44. excitant. Quod in Psal. 44. idem Doctor confirmat: *Sagitta tua acuta potentissime. Verba*, inquit, *cor transfigentia, amorem excitantia; unde dicitur in canticis canticorum, quia vulnerata charitate ego sum*, id est, *amare se dicit, æstuare se dicit, suspirare sponso, unde accepit sagittam verbi*. Ita non rarò Superior subditum, Magister discipulum, Dominus servum, qui ante oderat, in amorem sui, sagittâ verbi, sermone leni inflammabit, & quidquid per rigorem extorquere nequiverat,
Cicer. lib. 2. offic. ad hoc mansuetudine, velut alis instructum, volare compellit; nam ut inquit Tullius: *Difficile dictu est quantopere conciliet animos hominum, comitas affabilitasque sermonis*; qua S. Ignatius
Mansuetudine S. Ignatius monstra placavit. *monstra* hominum *placavit*, & infestissimos hostes, leonum instar minas spirantes, ejusque exitium, ac Societatis excidium machinantes, mitigavit, sibique adeò amicos reddidit, ut supra
Bartol. in vita lib. 3. n. 46. vidimus, & pluribus Bartolus in vita agit. In nostros, hoc singulare est. Petrum Ribadeneitam, adolescentem ferocioris ingenii, atque
Rib. vita viri. hist. lib. 7. cap. 13. §. 1 à summâ quam habuerat *Ignatii* veneratione, malo dæmonis instinctu, in aversionem datum, ut ne conspectum quidem ferre posset, ideoque discessionem à Societate meditatetur, blandissimè mitigavit, animumque illius serenavit: erenim & languenti assidere, & ferocienti blandiri, & multa falsò quærenti, factorum mirâ lenitate, & affabilitate, rationem reddere, quamquam penè pueto, quem ipse Iosiuu suo
Bartol. ex. educaverat, non dubitavit. Quæ omnia de ipso Ribadeneira sæpius audita, atque in libris de ejus vitâ posteris consignatâ, nos ipsi legimus.

Ita alterum tironem Balduinum de Angelo vacillantem familiari colloquio, & suavi, quæ sibi obvenerant, narratione stabilivit, aliosque plures, qui obstinaverant ad regustandos Ægyptii cacabos, & iter beatæ æternitatis quod cœperant, prosequendum, delinivit, ut ad pedes ejus prostrati, lachrimis profusi, ex leonibus agni redditi sint.

Hac sermonis lenitate utantur parentes in filiis, Domini in servis, & ancillis, imo & in inimicis suis, & idem experientur. 1. Regum cap. 24. fregit David viros sitientes sanguinem hostis sui Saulis, molli sermone eos compellans,
1. Reg. 24. 8. ne manum suam mitterent in Christum Domini: *Et confregit David viros suos sermonibus*; ipsum quoque Saulis animum, ferro & silice duriorem flexit, ac fregit; ut qui suum prius sanguinem sitiverat, ejus mansuetudine victus, la-
v. 18. chrymas dederit: *Levavit Saul vocem suam, & flevit*; quam repentinam mutationem admi-
Chrysost. hom. de David, & Saule. rans Chrysostomus, ait: *Non persuade*, inquit, *admiror Moysen, quod è saxo prærupto fontes eliciat aquarum, ut admiror Davidem* (& ego Ignatium)

quod ex oculis lapideis, fontes eduxit lachrymarum. Prov. 15. v. 1.
Hoc est quod filius Sapiens inculcat: *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem*. Silicem super silicem non confringes, sed ignis assistet; in molli pulvino facile comminuetur; nam & fertur communi paræmiâ, *met sachte te sprecken, sit hart te breken*. Sic uxor maritum aut iracundiâ inflammatum, aut alio infortunio, injuriave perturbatum, aut concubiâ nocte crapulâ & temulentiâ furibundum, blandè ad lectum, ut pulvino mollitet requiescat, deducat, jamque jejunum verbis byssinis, & salutaribus monitis aggrediatur; profectò franget furorem, sedabit turbas, & à poculis revocabit:

Frangitur in tacito fœmina sæpe viro. Tibull. 1. eleg.

Scriban. Superior. Religios. lib. 1. c.
Denique ne hic longior sim, Carolus Scribanius in suo quem inscripsit Superiorem Religiosum libro, hæc salubria tradit monita: expendat omnis Superior illud Trajani: *Imperatorem privatis esse oportere, quales privatus sibi optat habere*. Sic dicam, Superiorem inferioribus talem esse oportere, qualem ipse inferior, superiorem in se esse desiderat, comem, benignum, & humanæ conditionis memorem, memoremque sui, votorumque suorum ante imperium. Humanissimos imperantes optabat? expleat olim sua, nunc suorum vota: talem se præbeat, quales spetabat. Ejusmodi præcepta gentilis Philosophus, optimus morum magister tradidit, libro de cle-
Senec. l. de clementia cap. 3. mentiâ: *Illius domus* (Religio, Collegium) *mansuetudine stabilis, fundataque est, quem omnes tam supra se esse, quam pro se experiuntur: quo procedente, non tamquam malum aliquod, aut noxium animal è cubili prosilierit, diffugiunt; sed tamquam ad clarum ac beneficum sidus, certatim advolant: objicere se pro illo mucronibus insidiantum paratissimi, & substernere corpora sua*.

Ubi è contra, domus sævi, ac severi Superioris, in pace fundata non est, sed plena fumo, amaritudine, indignatione, murmuratione pasquillis, cavillis, qui etiam foras erumpunt:
Senec. l. 1. de clementia cap. 16. *Nonne pessimus pater videbitur*, quærit idem Seneca, *qui assiduis plagis liberos etiam ex levissimis causis compescet? uter autem præceptor liberalibus studiis dignior, qui excarnificat discipulos, si memoria illis non constiterit, aut si parum agilis in legendo oculus hæserit; an qui monitionibus, & verecundiâ emendare, ac docere malit? Tribunum, centurionemque da sævum, desertores faciet*.

Tum subdit, quam intollerabile hoc dispo-
Ibid. situm imperium: *Num quidnam æquum est, gravius homini, & durius imperari quam imperatur animantibus mutis? Atqui equum non crebris verberibus exterret domandi peritus magister: fiet enim formidolosus, & contumax, nisi cum tactu blandiente permulseris*.

Fit subinde ut Superior subditum, Dominus servum velut equum generosum nactus sit, qui ut impetus suos primos & umbras habeat, non assiduo calcaribus regendis ne effetatur, & indomitos evadat, sed mansuetus & domandi peritus magister, tactu blandiente popismi & offendiculo sublato sessim sibi subdet alios, & equum & equitem perdet.

Leni-

Lenitatis ac mansuetudinis petitus Magister Ignatius hoc exemplum singulare ostendit, ne lignum fumigans exstingueret. Ducebatur Romæ humilis paries, quo discluderetur à vico publico Domus nostra, & adhibebatur adhoc tironum opera. Erat tunc in tirocinio ex æque forsitan ex causâ præ cæteris spectantium oculos & admirationem curiosius trahebat. Hic nescio quibus humanæ gloriæ umbris, pertranseuntium conspectum verecundatus, hærebat à foris quoad longissimè poterat, obversisque ferè in publicum humeris. Descendebat subinde *Ignatius* operas visitus, contigitque, ut circumspiciens, & tironem à reliquis seorsim videns, pudorem in ore illius, & superbiam in mente legeret, ex illum in vultu pudorem spirabat, in pejus erupturum. Quid hic *Ignatius*? ut erat scipione armatus, illum cum cæteris ad opus compellere, palam perstringere? minimè, sed paululum subduxit se, ac post brevem in observandis operariis motulam, tironi velut fortuitò occurrit, vultuque ac verbis placidè compellans, dixit: *Et tu etiam ad hoc opus? abi quæso te, domum, non facit ad valetudinem tuam hic labor.* Addit Historicus: sic semianimem excitavit, ut captatâ ex debilitate corporis medicinâ, animum sanarit; jam enim tiro alias meditabatur fedes, ut ipse postmodum narravit.

Lovanl. lib. 1. c. 46.

Ignatius lenitate novitiũ tentatum servat.

Quantum ab hac paternâ mansuetudine distant, qui quadam animi, aut corporis infirmitate correptos, in apertam utriusque mortem præcipitant, & lignum fumigans extinguunt? atque ut est in proverbio:

Helpen imane vaut Bedt, op Stroy.

Memor esto humanitatis, non te Tartarorum Regem existimes, qui neminem infra se hominem, nisi mancipium reputet, ita nec se observari à suis existimet, nisi plura prementem, quam diceotem: lentius loquentem quam euntem: nisi denique plus de statuâ, quam de homine præ se ferat, & totam authoritatem in oegationibus sitâ esse arbitretur. Austerior vultus, vox elatior, aut etiam morosum superioris silentium, omnem subditi ad se recursum præcludit, omnem fiduciam præscindit, & hunc, & illum, omnesque suos à se alienos, ad justas querimonias, rixas, calumnias, & in suum, suorumque exitium concitat. Compone, obsecro, Isaiæ oraculum cum sententia Philosophi. Isa. cap. 3. dicitur: *Non sum medicus, nolite constituere me principem.* Quid habet commune princeps cum medico? Audi Senecam: *Non minus principi sunt turpia multa supplicia, quam medico multa funera.* Ita turpes Superiori frequentes subditorum non modo mulctationes, sed & mutationes, & alio commigrationes. Quare falsæ ... quorumdam opinioni occurrit Scribanius, qui lenitatem, animi mollitiem quandam effœminatam, quâ authoritas Superioris conculcetur: benignum, mansuetum, ignavum ac inglorium ducunt. Tales, inquit, eandem de "Christo, Apostolis, Sanctorum reliquis sen-"tentiam ferent. Generositatem laudo, cui "prudentia, non furor imperat; aut genero-"siorem quis dicat Catilinam Christo, Petro, "Paulo, Laurentio, Stephano? dæmone & inferno: non Deo & cælo magistris, generositas" illa nata est, quæ contumeliam contume-" liâ, verbum verbo, imo & verberibus re-" pellere ducuit, sanguinem sanguine diluit." Aut erravit mansuetissimus Dominos, &,, peccavit in generositatem, aut inglorius Deus" qui nostras infirmitates & scelera tollerat," parcit hostibus, nec in vindictam insurgit, quibus parcendo, mitis & misericors Dominos vel maximè osteodit potentiam suam. Adeò ut mansuetudinis ac modestiæ lenitas, non modo adversetur fortitudini, sed nullus vir fortis esse possit, nisi idem sit mansuetus atq; moderatus.

Senec. lib. 1. de clem. cap. 24.

Scriban. in politico Christiano lib. 1. c.

Quæ fusè prosequitur Chrysostomus: *Hoc enim certissimum signum, quo internoscatur vir ratione præditus, si mansuetus fuerit, si lenis, si mitis, si modestus & quietus: si non quasi servus ducatur, aut trahatur aut abirâ, aut ab aliis affectionibus; sed ratione vincat illos incompositos motus nobilemque suam generositatẽ* (auditis) *servet, ne in brutorum ferociam degeneret.*

Chrysost. hom. 85. in Matth.

Hoc itaque statuat Superior, paterfamilias, quod nihil de authoritate deperdet, si se non modo levem, sed comem præbeat, nec ad leves catellorum latratus (ut passim illi qui parum authoritatis habent) totam depetdi autumet; sed potius quod generosi est animi, exporrectâ fronte, risus & jocos in domesticis ferat, & quasi à pueris dictâ blandè excipiat, aut etiam magni Patris nostri exemplo, applaudat, qui Venetius Patavium cum iter faceret, domesticâ æque admodum attritâ lacernâ indutus, Jacobo Lainio comite, pecuarius quidam puer, qui à viâ non longè armenta pascebat, conspectis peregrinis, ad eos repente advolat: habitusque fortasse novitate permotus, defixis procaciter in *Ignatium* oculis, cachinnos tollere, eidemque licentius cæpit illudere; cumque *Ignatius* vultu, animoque placidè substitisset, conversus ad eum comes: quin, ait, acceleras gradum Pater, teque illius pueri petulantiæ subtrahis; Imò vero, inquit ille; levissimè rendens, cur puerum oblatâ sibi præter spem, hac tantâ oblectatione fraudemus? itaque consultò etiam diutius hæsit in iisdem vestigiis, ac se curiosius intuendum, ridendumque affatim protervo adolescentulo præbuit. Plus nimirum ex hoc qualicumque sui contemptu, ac ludir rio hauriens voloptatis, quàm alii ex vulgi plausu, faustâque acclamatione percipiunt, quin & hac blandâ indulgentiâ magis puerum compescuit; quam si acerbius corripuisset, actinis incitasset.

Maffei. l. 3. c. 5.

S. Ignatius puerorum petulantium sibi insultantem placide audit.

Quid quod subinde etiam colludendo, nil Superioris gravitati, aut reverentiæ decedat, sed plurimum benevolentiæ subditorum accedat, eorumque animos etsi adversos devinciat: nec enim id alienum à se, tantæ venerationis & sanctimoniæ vir duxit Ignatius.

Hic Parisiis per jocum invitatus à nobili quodam, vellet ne trudiculis ludere (quibus in oblongâ mensâ per angustum fornicem ehurneâ pilâ trajicitur) ego verò ludam, inquit Ignatius. At enim quâ sponsione subjicit alter, qui pecuniâ careas? tũ Ignatius, hac sponsione respondit, ut certo utiq; dierum numero, tibi serviam arbitratu tuo, si viceris tu; meo autem tu, si superior ipse discessero. Cum ei conditio placuisset, in certamen descenditur, cumque nihil

Maffei in vita lib. 3. cap. 5.

Ignatius nobili colludit.

hil minus calleret *Ignatius*, divinitus factum est, ut in singulos omninò trajectus victor evaderet: exclamante adversario, se meritò plecti, qui Ignatium provocasset. Peracto deinde certamine, victum victor ab inanibus curis, & occupationibus, per aliquot dies abductum è sponsione, spiritualibus exercitiis diligenter excoluit: torpentemque situ ac deliciis animum ipsius, ad salutarem Dei metum, æternæque vitæ cogitationem excitavit; tantam vim habet etiam Eutrapeliæ virtus, qua studio etiam perdendo, alium vincet: unde S. Thomas: *Circa ludos potest esse aliena virtus, quam Philosophus Eutrapeliam nominat.*

S. Thom. 22. q. 168 art. 2.

Arist 4. Eth. c. 8.

Senec. de tranquill. cap. 15.

Ab hac virtute laudat Seneca viros præclarissimos: *Magni viri,* inquit, *sibi menstruas certis diebus ferias dabant, cum pueris Socrates ludere non erubescebat. Et Scipio triumphale illud & militare corpus movit ad numeros, & antiqui illi viri, ludo vacabant, non facturi detrimentum etiamsi ab hostibus spectarentur.* Ita Superiores quosdam suis ferias, patres familias liberis, servis & ancillis relaxationes, & ludos indulgeant, si coli & amari velint.

Superior suis recreationes indulgeat.

Contra verò docet, vitiosum esse, ludum & honestam relaxationem improbare, se tetricum, & morosum præbere, nam contra rationem est, ut aliquis se aliis onerosum exhibeat, puta dum nihil delectabile exhibet, & etiam delectationes aliorum impedit; *qui in ludo deficiunt nec ipsi dicunt aliquod ridiculum, & dicentibus molesti sunt, quia scilicet moderatos aliorum ludos non recipiunt*, TALES VITIOSI SUNT, ET DICUNTUR DURI, *& agrestes.*

S. Thom. cit. art. 4.

Atque hæc satis, & plusquam satis, ut hanc virtutem à Christo miti humilique magistro traditam: à Moyse & Ignatio, ut vidimus, expressam, omni nisu, & affectu complectamur, qua instructos, velut filios suos dilectissimos, *exaltabit mansuetos in salutem.*

Psal. 149.

§. VI.

Exod. 4. v. 17.

VIRGAM HANC SUME IN MANU TUA, *qua populum Israel regas, & dirigas; uti* IGNATIUS *accurata disciplina suum.*

Virga in manu Moysis, Ducis Hebræorum, imperii ac potestatis signum est: virgâ, inquit Gregorius, *divina potestas* notatur, quæ illi à Deo collata, ut populum suum regeret, corrigeret, & hostes percuteret. Ita Religiosus ac "ingeniosus Interpres: *Symbolicè hac virgâ significabatur Ducatus, & summa potestas,* quâ Hebræ"os rexit, & duxit, ac gubernavit; Ægyptios "percussit & punivit: virga enim hæc fuit "Moysi instar sceptri, quod Ægyptiis formida"bile fuit & exosum instar serpentis; Hebræis "verò amabile instar virgæ pastoralis. Quod ad mores Augustinus: *Portamus* BACULOS *per quos* INTELLIGITUR DISCIPLINA, *sub quâ semper parati esse debemus.*

S. Greg. apud Liran. hic

Cornel. à Lapide in Exod. c. 4. v. 2.

Per virgam disciplina significatur.

Aug. ser. 27. ad Fratres in Eremo.

Hac virgâ, hoc sceptro, militiæ Dux instructus esse debet, ut ordinem & disciplinam servet, delinquentes plectat ac puniat; nam ut rectè Lipsius de militiâ Romanâ observavit: *Virtus assurgere non potest, ubi vitium libero passu comitatur. Unde tot rebelliones hodie ac tumultus, mina ant arma in suos Duces? Ab impunitate & licentia. Coerceantur, & uno verbo, plus Ducem miles timeat, quàm hostem.* Errat autem gravissimè & turpissimè hallucinatur, qui severam Ordinis ac disciplinæ observantiam, lenitati ac mansuetudini repugnare arbitratur, nisi Ducem aut Superiorem, fungum, torpidum, aut timidum esse velit. Quod disertè Guerricus Abbas sermone de S. Benedicto, in ipso & in Moyse annotavit; quos cum à lenitate animi, & mansuetudine plurimùm commendasset, subjungit: *Quanquam nec in ipso,* NEC IN MOYSE *præconium sancta lenitatis præjudicet, si justus zelo contra peccantes fervet, sine quo, lenitas torpor, aut timiditas est.*

Lipsius de militia Rom. lib. 5. dial 20. in fine.

Severitas disciplinæ non repugnat mansuetudini.

Guerric. ser. 3 de S. Benedicto.

Ad disciplinam militarem servandam, & ad totius exercitus incolumitatem, non raro leves defectus, modica licentia, promptitudo moroda, exiguæ rapinæ, graviter punita; quod non severitati sed prudentiæ adscribendum est.

Sacri Regum annales referunt Saulem Regem edictum evulgasse quo toti exercitui inediam indixit, ne quid gustarent ante vesperum; causam dat Abulensis: quia tunc habebat "copiam persequendi hostes: & si modicum "moraretur (miles comedendo) omnes hostes "fugissent; ideo jussit ne discederent ad cibum, "sed solicitè persequerentur hostes usque ad "vesperum. Accidit autem ut Jonathas filius Regis, leviter mandatum transgressus sit, & reus mortis fuit: *Gustans,* inquit, *gustavi in summitate virgæ paululum mellis, & ecce morior.*

Rigida disciplina militaris.

1. Reg. 14.

Tostat. hic quæst. 19.

Manliana hæc edicta, & barbara mandata videri possent Saulis; quæ tamen, si ratio spectetur, illum pium & mansuetum extitisse, convincunt; sic enim Tostatus prosequitur: etiam in hoc erat maxima utilitas, quia tunc plenè "consequerentur hostes; si autem diverterent "ad sumendum cibum, omnes effugerent. *Ideo* "*quilibet Princeps* QUANTUMCUNQUE PIUS ET "MOLLIS EST, *visa tanta utilitate, imposuisset* "*hunc parvum laborem,* ad summam prædam, & opima, quæ retulerunt, spolia consequenda.

Tostat. cit.

Ex quibus patet, minima, ob emolumenta maxima, in militiâ gravi pœnâ mulctata fuisse.

Hæc perspecta erant Duci nostro *Ignatio,* qui in levibus erratis gravia interdum exempla statuebat: nam in nonnullos, qui ad afflictam ex morbo valetudinem confirmandam, pilâ palmariâ in vineâ luserant, severè animadvertit: in Novitium quoque sapone lavantem, & in alios etiam qui vel pomum, vel acinum carpsissent, magnas nonnunquam pœnas & flagellationes instituit; ne videlicet ex minimis magna fierent; quo factum ut Purpurati Patres stuperent decidua in horto poma jacere, ne uno contacto. Idque tanti fecit sanctissimus Fundator noster, ut in Regulis manu propriâ conscriptis, inter casus reservatos posuerit: si quis acceperit rem aliquam ab aliquo, vel aliquid ad domum pertinens, valoris etiam unius pennæ, vel aciculæ. Atque etiamnum

S. Ignatius levia delicta graviter punit.

Ribaden. lib. 5. c. 7.

Bartol. l. 3.

Nigron. tract. 10. part. 2. argum. 7. n. 30.

Lancic. opusc. 2. c. 6. n 118.

hæc

hæc viget disciplina, ut ne minimum sine potestate Superioris detur aut accipiatur sine peccato.

Lips. monita & exempl. politica lib. 2. c. 9. Rectè Justus Lipsius: *Iustitia & disciplina militaris* ETIAM IN PARVIS REBUS, AUT INIURIIS ADMINISTANDA, ut omnis licentia velut in radice prædicatur, & innoxiè in castris, haud aliter quam in urbibus vivatur; sic ut gloriari liceat in eo, quod temporibus *Gulielmi* in Angliâ ventilatum est: *Totum regnum puellam onustam auro posse pervadere*; ut posset, fecit disciplina, & justitia; quam, idem refert, *ab Andronico Comneno*, Imperatore Byzantii adeò ad amussim observatam, ut nullo discrimine nobiles aut novos: tenues vel divites: suos aut alienos, culpæ etiam non gravioris coovictos damnaret. In his *Theodorum* quemdam è suis caris, quem agricolæ detulerant divertisse apud se cum servitiis, nec in discessu quidquam solvisse. Res erat (ut hodie) non mious nova, aut insolens palatinis; tamen Imperator hominem statim corripi, fuste duodecies in publico cædi jussit: tum agricolis damnum largiter rependi.

Ibid. Exempla disciplinæ militaris in minimis.

Si hæc io virum nobilem, Duci suo carum tam severa animadversio, quid miri si nemo è gregariis quid simile attentarit? *Sic*, inquit Tacitus, *apud Romanos olim virtutis, modestiaque, nunc procacitatis, petulantiaque certamen est.*

Tacit. lib. 3.

Ibid. Hujus unius defectu milites *per omnia municipia desides, hospitibus tantum metuendi.* Militia hæc nostra est: *Exercitus prædator è sociis, & ipse præda hostium.*

Salust. in Iugurth.

Hanc licentiam militum & ipse Historicus Romanus Livius annotavit, & exaggeravit: *Quibus ut ad populandos finitimorum agros, tectaque urenda, & capienda pecora, aliqua vi sit; itam acie, ac signis collatis nulla est,* Qualia non sine gemitu & lachrymis Belgium spectavit.

Livius lib. 28.

Lips. cit. His ut occurreret *Alphonsus* Rex Hispaniæ, insignis æqui justique cultor, norat exempla paucorum, salutem esse multorum. Nobilis quidam in Galæciâ stirpe suâ fisus, & temporum perturbatione confisus; rusticulum bonis omnibus spoliavit. (quid nunc in castris familiarius?) Prætorem ille adit, hic nobilem monet desistere, & restituere: non audit, Rex aditur, qui ceteris omnibus omissis, privati habitu, quo tes occultior esset, Toleto in extremam Galæciam pergit. Militis ædes obsidet, dilapsumque comprehendi è fugâ, & pro ipsis foribus laqueo suspendi, & cum ignominiâ strangulari mandavit.

Ibid. Leve nunc haberetur vitulum aut vaccam misello rustico eripere; *at Balduinus*, septimus Flandriæ Comes, ne disciplina, quæ tunc in nostrâ Belgicâ vigebat, collabasceret, non leve duxit: oam *Petrum* virum nobilem & *Orscampi Toparcham*, ob duos boves pauperculæ viduæ reclamanti abductos, subitò arripi jubet, & ut lebes forte olei seu aquæ ferventis in medio Brugensi foro erat, falso monetario puniendo destinatus, in hunc sine morâ conjici præcepit, sic ut erat, ocreatum, vestitum, gladio accinctum. Quid ais? Sic calidè? An oon temerè? Nihil. Meo animo, inquit Lipsius, rectè & salubriter.

P. Ioan. Rho. varia virtut. hist. lib. 4. c. 2. §. VI. Hujusmodi videtur fuisse *Francisci à Lotharingiâ, Gusii Ducis* factum, qui militem ob Gallinæ unius furtum, cum copias in Italiam duceret, egit in fuicam. Quo cautum ne mili graviorib us manus injiceret.

Fulgos. l. 2 cap. 8. Beyerlinck. Theat. lit. P. pag. 432. Eodem principio nixus *Tamberlanes Tartarorum Imperator*, qui cum exercitum per minorem Asiam duceret (quæ nunc Turcia est) eique lachrymabunda mulier occurisset, & conquereretur ab ejus milite, nullo dato pretio, lac parumq; casei sibi erepta esse: statim consistere jussit exercitum, atque inde agmen ordinatim incedere, ut mulieri facultas esset eum agnoscendi, qui vim fecerat. Ego agnito Rex se præsente pectus aperiri jussit, in cujus stomacho lac quod mulieri eripuerat, inventum fuit. Hoc severitatis exemplo assequebatur, ut copiæ, quas habebat immensas, cum tutus ad castra omnibus esset accessus, omni commeatu semper abundarent.

Tanti est, ot omnibus consulatur, uni vel leve crimen severius vindicare. Incredibile est quantum inde boni exoriatur, & quantum mali ac damni impediatur.

Strad. decas 1. an. 1567. Duce Albano cum exercitu ab Italiâ in Belgium usque movente, non modo oppidorum nulli, sed ne uni quidem rusticorum casæ illata vis â quopiam, si facinus unum excipias, quo equites sclopetarii tres in aditu Lotharingiæ, totidem verveces è grege vicino abegere; qui statim à Duce, re compertâ, suspendio damnati, & pecudes remissæ sunt. Quo fructu? Haud scio, inquit auctor, an ullus unquam exercitus tantum itineris majori disciplinâ confecerit.

Ignatius in suâ militiâ disciplinam etiam in minimis servat. Bartol. cit. Hanc etiam in minimis duxit *Ignatius* in sua *Iesu* militiâ servandam. Argumento est, quod dimissionem comminatus sit Joanni Baptistæ Borellio, quo tamen diu usus fuerat vitæ privatæ administro, quod ex scriniolo viri sancti piacularem globulum furtim sublegisset, paulò venustiorem, substituto io ejus locum minus eleganti. Fratris causam adjuvit, quod is tale tunc primum peccasset, & ultrò tem fassus, acerrimâ correptus reprehensione, uberes lacrymas dedisset.

Subdit Auctor vitæ ejusdem generis exempla complura, quæ ne quis à summâ Ignatii mansuetudine, & paternâ lenitate aliena arbitretur, cum in totius corporis commune bonum cederent; amabo vos, an de bonitate & benignitate Dei quis vestrum dubitare potest? Ille tamen misericors & longanimis Dominus, non semel pro levi culpâ, maximis sui amicis ac fidelissimis servis gravissimum supplicium inflixit. Nonne Moyses & Aaron ob levem inobedientiæ culpam, terrâ promissionis lacte & melle manante exclusi? Idque ut Basilius, Augustinus, Nicenus, Abulensis non nisi ob venialem noxam tentantur. Unde exclamare lubet cum Basilio: *Cum video Moysen illum Dei servum, illum inquam, magnum, qui tali ac tanto à Deo dignatus est honore, propter hoc solum non intraturum in terram promissionis, ob illud breve verbum; revera judico, quam nulla qua in Deum admittitur culpa, levis ducenda sit.* Revera video, quam nulla etiam quæ in Regulas ac in disciplinam

Deus etiam levia peccata graviter punit.

plinam religiosam culpa admittitur, levis ducenda, & non graviter punienda sit, quam benignus Deus etiam piaculari igne tam horrende vindicabit.

Minima linguæ licentia, præsertim in Concionatore graviter a S. Ignatio punita.

Alterum est, quod gravissimè cavit beatus Pater, ne quis nostrûm peccaret in verbo, potissimum verò ne sacri Ecclesiastes è suggestu quempiam, multo minus Christos Domini vel leviter perstringerent. Ut fusè Lancicius opusc. 12. cap. 5. n. 45. Nam ut rectè Bernardus: *Verbum leviter volat, leviter penetrat, sed leve vulnus infligit.*

Bern. ser. 6. in psal. qui habitat.

Barthol. in vita lib. 3. sub finem.

Dicebat Romæ ad populum Hieronymus Ottelius, zelo animarum flagrans, & in iis ad Christum reducendis non minus industrius; quem, ut in Siciliam mitteretur, ereptum sibi sic Roma doluit, ut *Ignatio* ad aram facienti, ad illud: *Mea maxima culpa*, succlamaret à tergo vetula: tunde, tunde sis Pater Ignati, & culpam agnosce, qui Romam viro Sancto & maximè utili orbasti. Hunc pro concione, ardore solito adversus effrenem peccandi licentiam abreptum, eò impetus tulit, ut diceret: quando illam nec Dei amor, nec metus æterni supplicii sisteret, *intentandas esse à Pontifice pœnas; atque ab eo, ex loco sancto abligendos flagello sceleratos.* Post concionem à S. Ignatio advocatus, interrogatusque quot essent in orbe Pontifices? Cum respondisset, unum qui Romæ esset. Audes ergò, subinferit vir sanctus, nominatim non designare solum privatos è pulpito, sed ipsum Pontificem; neque id tantum, sed ei etiam gubernandi dictare regulas? Abi, & ante noctem, scripto huc ad me referas quid in pœnitentiam commentus sis. Tristis admodum, supra quam dici possit, & conturbatus recessit Ottelius, ac suum errorem subtili diu examinatione perscrutatus, ad pedes Ignatii procidens, chartam ei tradit, quâ partem eorum descripserat, quæ sibi ob culpam deberi statuisset. *Nempe aliquot dies publicâ verberatione per Urbem se ipse caderet: nudis pedibus peregrinaretur Ierosylymam: annos aliquot jejunans in pane & aquâ transigeret, & quod his insuper adjiciendum pœnis Ignatio videretur;* norat enim quanti hæc levis linguæ licentia à sancto Patre penderetur. Verum hac satisfaciendi tam amplâ voluntate, emollitus Ignatius, in aliorum eruditionem, certum ei numerum dumtaxat flagellorum præscripsit.

Morale, in licentiam Concionatorum.

Iuven. Sat. 1.

At nunc, ô tempora! ô mores! Invenire est, qui leve ducunt, imo sibi laudi tribuunt, & plausum captant, dum præsentes intento digito perstringunt, absentes configunt: publicos Magistratus, & integras Religiones de crimine pessimo infamant. Est qui è cathedrâ (quod ut publicum est, *non audeo dicere nomen*) est inquam, qui dixit ad populum: Jesuitas Urbanum PP. in suburbanum invitasse, atque adeo genialiter habitum, ut ebrius Bullam pro fidelibus defunctis subsignarit. *Parcius ista viris*, potissimum Religiosis, in quos Vaticana fulmina jure evibrata sunt. Clementina 1. §. 1, de privileg. *Religiosis omnibus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ districtius præcipitur, ne in sermonibus suis, Ecclesiarum Prælatis detrahant*; hic verò Prælatorum capiti, & toti Religioni. In Concilio autem Lateranensi sub Leone X. universis Prædicatoribus dicitur, & severè inhibetur, ne unitatem Ecclesiæ scindant: *Pacem ac dilectionem mutuam à Redemptore nostro tantopere commendatam, ubique foventes, non scindant vestem inconsutilem Christi; sed ab Episcoporum & Prælatorum, ac aliorum Superiorum, eorumque status scandalosâ detractione, quos coram vulgo & laicis non modo incautè, sed etiam intemperanter reprehendunt, & mordent, & ab eis male gestorum, expressis quandoque nominibus apertâ & manifestâ redargutione absterreant.*

Verum enim verò ab his gravissimis censuris & comminationibus nonnulli se indemnes arbitrantur, dum sub cortice fabulæ, vel apologi de corvo & vulpe, tela sua recondunt, & hoc præfantur se neminem velle ferire; dum interim hi versipelles ita rem exponunt, ut digito tangantur, quos designant.

Utinam qui Ignatio fuit, Superioribus rigor & vigor esset, in linguis suorum frænandis, & delictis ejusmodi plectendis! ô quot insontes respirarent, quot sontes in carcere, in pane & aquâ meritò ingemiscerent & resipicerent? Suffecerit salubre illud Divi Bonaventuræ monitum addidisse: *Correctioni & ædificationi tantum debet intendere Doctor fidelis, non confusioni vel infamationi alicujus præsentis vel absentis.* Et infra: *quem confundendo exasperas, hunc tardius ædificas, & sermonis aculeo vulneras.* Quæ fusius Suarez de ministerio verbi Dei & aggerat, ut facer omnis Ecclesiastes illud Hieronymi usurpare queat: *Neminem speciatim sermo meus pulsavit, generaliter de vitiis disputatio est: Qui mihi irasci voluerit, ipse quod talis sit, confitebitur.*

Bonav. apud Suarem. de Relig. lib. 9. c. 1. de ministerio prædicandi verbi Dei.

Ibid.

S. Ignatius immorigeros exautorabat, & dimittebat.

Dux noster Ignatius ut à militiâ profanâ ad sacram se contulit, in castris Dei minus obsequentes, aut disciplinæ observantes, à vexillo secedere jubebat, & exauctorare solebat. Hoc Suetonius in Augusto notavit, qui decimam legionem contumacius parentem, cum ignominiâ totam dimisit; item alios immodestè missionem postulantes exauctoravit. Sic enim Maffejus: carcerem & compedes in Societatis " mores induci non permisit, negans qui vinculis " constringendi forent, eosdem esse ad no- " strum institutum idoneos. Unde custodiæ " loco, januam ostendere consuerat: accidit- " que aliquando ut justâ de causâ complures " adolescentes exauctoratos unâ dimiserit. " Quam dimissionem multi quidem calumniantur aut vellicant; sed ignorantia ferè carpit, quod non capit: hinc enim totius Ordinis fama, & corporis integritas servatur, quæ apud omnes jam invaluit, putridum membrum præscindi, ac pravos humores expurgari; quod enim de totâ Ecclesiâ Augustinus, pulchre in nostrum Ordinem cadit: *Sunt*, inquit, *in corpore Christi quodammodo humores mali; quando evomuntur, tunc relevatur corpus: sic & mali quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur. Et dicit, quando eos evomit atque projicit corpus: ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, non erant ex me? Non de carne meâ præcisi sunt; sed pectus mihi premebant, cum inessent. Ex nobis exierunt; sed nolite tristes esse, non erant ex nobis*; non tristitiæ sed gaudii

Maffej. lib. 3. c. 6.

August. tract. 3. in Epist. 1. Ioan.

Integritas Societatis, ex dimissione.

marc-

materiam esse satis B. Franciscus Borgia indicavit, cum dicit: tria sibi ex nostris læta acidere: primo, cum ingrederentur Societatem. Secundo, cum in eâ obirent. Tertio, cum ex eâ expulsi recederent; quasi jam corpus respiraret. Hinc factũ ut Reginæ Lusitaniæ admiranti aliquando perennem illũ, perpetuumque Societatis florem, & causam roganti, aptissimè responderit Collegii Rector hanc esse: *quia venam sibi aliquando Societas incidit:* corruptus enim sanguis levi vulnere opportunè emissus, totius corporis est valetudo.

Bartolus. lib 3. n. 20.
Imago. 1. Sæc. p. 100

Eodem spectat illud, quod Jannes Clarius, nobilis in Academia Lovaniensi quondam Theologiæ Professor usurpare solebat, cum celebris quidam Concionator esset dimissus, mirantibus pluribus dixit: *Iesuitæ non solent aquam mundam effundere.* Majus testimonium censeri posset, quod universim Humbertus Ordinis PP. Prædicatorum quintus Generalis censuit: *oportet ut Religio despumetur ad hoc, ut in sua puritate servetur. Vbi nulla est despumatio, est impuritas multa*, nam ut vinum fece turbidum, hanc ejiciendo, se limpidum reddit & clarum, ita Religio se purgat ejectâ fece. Quod innuere Christus visus est, dum Judâ è cœtu Apostolorum egresso, subjunxit: *nunc clarificatus est filius hominis.*

Humbertus de eru. dit. Relig. lib. 5. p. 2. c. 3.
Joan. 13.

Denique hanc utilitatem Societatis, & ipsorum qui exauctorantur, ne infames inter suos, aut inter compedes degant, ad hostium castra confugiant, Gregorius XIV. summè laudavit, approbavit: *eam* inquit (de dimissione agens) ratam & intactam esse volumus, *tamquam rem magni momenti, ad Societatis puritatem, & conservationem retinendam.*

Greg. XIV in Bulla. datæ. a. 1591 de confirm. Societ.

Hac praxi, viros novi togâ & militiâ claros uti consuevisse, qui si quem famulum minus morigerum, aut potum, aut cum altero sexu liberius agentem animadvertissent, non conviciis, aut verbis acrioribus, nedum verberibus impetebant; sed ostensâ januâ exauctorabant, & manumittebant, quo spes & res omnis ipsorum evanescebat, quæ pœna erat gravissima. Hac Deus ipse Saram uti jussit, dicens: *ejice ancillam, & filium ejus.*

Morale, famulos & ancillas ob defectus ex familiis dimittendos.
Gen. 21. v. v. 10.

Quam in militiâ, eandem domi honestatem & moderantiam *Claudius* Lotharingiæ Dux exigebat. Itaque cum reliqua omnia, tum ebrietatem imprimis oderat, latâ lege, ut quicumque eâ mentem obruisset, *familia ejiceretur*, nullâ cujusquam ratione habitâ. Quasi nimirum qui rationem sponte perdunt, fidem servare Domino non possint.

P. Ioan. Rho. varia virtut. hist. lib. 5. cap. 10. §. 3

Heriles servi & ancillæ, de stercore in familiam honestam adlecti, subinde conditionis suæ immemores, dum diutius in domo commorati, supra filios & filias, imo supra Dominos sese efferentes, eò unde venerunt amandandi sunt; quemadmodum in sacro epithalamio expressum habemus: *si ignoras te, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos;* ubi Augustinus vide, quomodo comminetur: *nisi cognoveris temetipsam,* EXI, *ut sis inter eos qui ex nobis non exierunt.*

Cant. 1. v. 7
August. hom. 50. de verbis Domini.

Idem argumentum Bernardus acu tetigit: *dura increpatio,* inquit: *hoc quippe verbum, servi & ancillæ audire solent à valdè irascentibus Dominis:* EXI HINC, EGREDERE E DOMO.

Bernard. Serm. 34. in cantica.

Recipis ancillam in domum tuam, filiam bubulci, aut lanionis, incultam, ignaram, agrestem: instruis, excolis; mores induit civiles, rerum peritiam acquirit, fit pedissequa, fit à cubiculis, administrat familiam; tandem insolescit, fit incorrigibilis, contumax, ut nec Dominum, nec Dominam revereatur. Quid agendum? Non multis clamandum, aut jurgandum, sed, *exi egredere è domo*, & revertere unde veneras, ut pascas pecora.

Ne longior sim, ut in minimis vindicandis *S. Ignatius* magnus exstiterit, & plurimos exauctorarit; in iis tamen quæ Angelicam puritatem, nobis præscriptam, spectant, longè major & laudabilior fuit, ut ne materiam parvulam quidem dari hic censuerit, aut in suis permiserit.

In Materia castitatis S. Ignatius in suis ne minimũ nævum toleravit.

Duce ac gubernatore Ignatio, hac in parte quis rigor & vigor castæ ipsius militiæ fuerit, quàm carù steterit Angelicæ integritatis violatio, ex ipsis quas de transgressoribus etiam in minimis pœnas sumpsit, recognoscite.

Accidit aliquando vivente *S. Ignatio*, ut quidam bonus, fervidus, & exemplaris, ac antiquus Frater, qui ex officio hospites excipiebat, dum unius, de more, lavaret pedes, illius plantam sic fricaret, aut titillaret, ut ad risum provocaret. Conscius rei *Sanctus Pater*, statim jussit expelli è Societate fratrem illum; cumque à Patribus omnibus rogaretur, ut parceret illi, quoniam valde observantem, laboriosum, & religiosum se semper exhibuerat, in pœnitentiam illi injunxit peregrinationem in Compostellam, in qua octingentas leucas pedes mendicaturus erat.

Nierenbergii doct. Ascet. lib. 5 doct. 4. cap. 33.

Priscas Ecclesiasticæ disciplinæ leges scimus rigidissimas in hujus virtutis contemptores. Adulterum viginti trium annorum pœnitentiâ plectebatur. Si quis in sacris lapsus esset, usque ad mortem pœnitens degebat, servitio Ecclesiæ, & illi verrendæ destinabatur, ut ex S. Dionysio, & Concilio Ancirano constat. Quin & pro parum virili resistentiâ cogitationum immundarum, non tres salutationes Angelicæ, sed decem psalmorum recitationes de genu imponebantur.

Leges antiquæ contra castitatẽ peccantes.

Castimoniam porrò Angelicam S. Ignatius ut pupillam oculi sui, ab omni vel minima festuca, ac infestatione illæsam volebat. Dixerit olim Seneca: *non diminutionem* (vitiorum) *in vero bono intelligo, sed vacationem; nulla debent esse: non parva. Quomodo oculos major & perfecta suffusio excæcat, sic modica turbat.* Sic sensit & sanxit Ignatius, ut nulla omnino, ne parvâ quidem pupillam vitia conturbent.

Seneca epist. 85.

Quare ne quis in hac materiâ vel levissimum nævum contraheret, & famæ suorum consuleret, summâ cautelâ & vigilantiâ omnes aditus obstruxit.

Non cursim hic prætereundum quod de Alexandro Magno Curtius, elegans apophtegma memorat, quod ad milites suos dicturus non semel usurpabat: *in bello nihil tutò in hoste despici posse,* QUANTUMCUMQUE MINIMUM: NIHIL PARVO DUCENDUM, EX QUO GLORIÆ

Curtius lib. 6. & 9

MAGNÆ LAUS QUEAT ORIRI; quod cum Duci nostro in militia exercitato perspectum esset, nihil *quantumcumque minimum* in hoste despici posse sentiebat: *nihil parvo ducebat*, potissimum in hac materiâ, ex quâ *gloriæ magna laus oriri queat*.

P. Ioan. Rho. varia virt. hist. lib. 4. cap. 2. §. 1. nostra. Bartolus.

Cautela Societatis ne quis solus solam conveniat.

Seneca. epist. 25.

Sanciverat *Ignatius* ne nostri homines, matronas incomitati aut adire, aut alloqui auderent. Eam legem cum bonus senex supinâ violasset simplicitate, quamvis minimè dolo malo id ausum esse constaret, gravissimè tamen vindicavit. Coactis in unum septem octove sacerdotibus, hominem productum in medium tam diu in se flagellis animadverrere jussit, quamdiu orsi à quinquagesimo, singuli psalmum unum recitassent. Leve malum quibusdam, & in hac parte Societas nimis religiosa ac scrupulosa censebitur; sed si periculum attendatur, nemini nimia cautio videbitur; quod vel gentilis Philosophus vidit, cum dixit: *omnia nobis mala, solitudo persuadet*. Luculentius hic Angelici Doctoris testimonium est, qui consuetudinem Religiosorum de socio secum terioendo adeò collaudavit, ut eum dicere solitum ferant: *monachum solum, esse dæmonem solitarium*.

V. Nigronium Reg. 43. n. 22.

Cantipratanus. lib. 2. apum. sect. 1.

Quud eiusdem venerabilis Ordinis Antistes Thomas Cantipratanus verissimum comprobavit, dum hæc palam fassus est: quam vera sit hæc senteotia Eccl. 4. *va soli*, ego novi, qui triginta annis & eo amplius vices Episcopi in diversis Provinciis & Diœcesibus habui, qui in hoc articulo, quo Religiosi vel soli vaduntin viis, vel soli manent in curiis, horrenda mala, horrenda scandala, horrenda pericula sæpius audivi, quæ numquam sustinuissent adjuncto socio, vel fecissent (nisi aves concolores fiot) ut pluribus Nigrooius; nam ut rectè Seneca: *magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat*. Experientiâ quotidianâ id exploratum est. Compello vos etiam conjugatos, si soli cum alienâ, an quandoque occasio oon ad flagitium invitet? uxor Putiphari, infamis lupa, ansam nacta, cùm sola cum solo ageret, & oisi castissimus Joseph fugam cogitasset, actum erat. Quoties accidit, ut ancillam cum famulo solam: filiam clauso ostio cum lascivo proco committitis, toties columbam accipitri, ovem lupo exponitis.

Nigron. Reg. 43. n. 15. 26. Seneca. epist. 11.

Chrysolog. serm. 169.

Satis sit autem ipsius Chrysologi testimonium: BINOS *mittebat, ne destituta singularitas aut negaret ut Petrus, aut fugeret ut Ioannes*. Magna innuit singularitatis discrimina, ubi Principes Apostolorum apostatarunt: *citò cadit fragilitas humana, quæ de se superbè confisa, socios despicit, non vult habere collegam, dicente scripturâ va unico, si ceciderit, non est secundus qui erigat eum. Quantum autem alter alterius roboretur auxilio, eadem scriptura testatur, cum dicit: frater qui adiuvatur* (& servatur) *à fratre, quasi civitas firma*.

Sugillent, qui volent, rigidam hanc in lubricâ materiâ Societatis censuram, & in ea deliberatè non nisi graviter peccari; justi rerum æstimatores vel sic Societatem supra mortales efferunt, & ut Angelicam suspiciunt.

Ex quibus omnibus illud epiphonematis loco subjicio, Ignatium maximum fuisse in minimis, cum minima non sint, sine quibus maxima consistere non possint, quibus servandis minima Societas hactenus insistens semper floruit & florebit.

§. VII.

IN QUA (*virgâ*) FACTURUS ES SIGNA. Exodi cap. 4. v. 17. *Fecit* & IGNATIUS *baculo suo*.

Moyses omnia signa in baculo faciebat.

QUis crederet virgâ Moysi, re exiguâ, futili, & quasi ad omnia iouutili, tam magna ac mirabilia perpetrari, tantamque ex eâ virtutem exire posse? Hoc Deo proprium per minima, maxima operari.

S. Antonius. epist. 16.

Raynaud. tom. 8. pag. 402.

Aug. feria 3 post dom 3. in quadrag.

Abbas Antonius, cui semper contra stygiũ canem, baculus erat in manu, sic de virgâ Moysis disserit: *præcepit ei Dominus*, UT BACULO, *quem in manu tenebat, signa & mirabilia perpetraret. Et omnia quidem signa & mirabilia fiebant à Domino, mediante baculo*. Hoc solo armatus, contra Pharaonem, & exercitum ejus in arenam descendit. *Pharao*, inquit, Augustinus, *in diaboli typum accipitur*.

Miracula quæ sancti virtute baculi fecerunt.

Quam vim ac virtutem Deus olim virgæ aut baculo Moysis indidit, non dissimilem Christus sanctorum baculis ad tartareum Pharaooem domandum & flagellandum: ad stygios dracones & serpentes, in quos virgæ Ægyptiorum magorum versæ erant, devorandos & profligandos, inesse voluit: juxta illud Exodi 7. *devoravit Virga Aaron* (quàm à Moyse acceperat) *virgas eorum*, quæ versæ erant in dracones, per quos cacodæmones designantur.

Raynaud. cit. pag. 403.

Bernard. in vita S. Malachiæ.

Gyraldus. topog. Hybernia. 3.

Quæ noo signa, & prodigia S. Antonius suo baculo patravit? quot victoriæ de immani tyranno reportatæ? quot edita divinæ magnificentiæ specimina, io tantulâ servi Dei reculâ? Hunc verè illi fuisse *baculum Iesu* dixerim, cujus meminit S. Bernardus in vita S. Malachiæ, & volunt Hiberni eum à Christo S. Patricium accepisse: *quem nominant*, inquit BACULUM JESU, *eo quod ipse Dominus* (ut fert opinio) *eum sui manibus tenuerit, atque formaverit*; tantæ autem virtutis fuisse scribit Gyraldus Cambrensis, priscus Hiberniæ topographus: *ut per eum vulgari opinione S. Patricius venenosos ab Insula serpentes eiecerit*, quod alii complures testantur, & de facto oculati testes daclarant.

Raynaud. cit.

Tam præcellens charisma pellendi serpentes, locum habuit in baculo S. Antonii, coi virtus Jesu inerat; quo instructus à vastissimâ & incultâ eremo serpentes propulit, dum Satanam, & bestialia eios agmina omnis virulentiæ referta exegit, & quod meritò demiratur Chrysostomus, cubilia draconum, & cujusvis generis venenatorum serpeotum per tot sæcula inibi principantium, commutavit in habitacula saoctorum. *Tanta fuit*, ioquit Theophilus Raynaudus, *vis* ANTONIANI BACULI, CUM THAUMATURGO MOYSIS BACULO, *ex hoc capite conferendi*.

Liceat mihi hæc, verbo dumtaxat immutato,

Baculus S. Ignatii, virgæ Moysis confertur.

to, usurpare: *tanta fuit vis* IGNATIANI BACULI, *cum* THAUMATURGO MOYSIS BACULO *ex capite conferendi.*

Cornel. in exod. cap. 4. v. 2. Bartolus. lib 3. n. XLVII.

Baculus Moysis Pharaoni & Ægyptiis, *formidabilis fuit & exosus*: nec minus principi tenebrarum, ejusque asseclis baculus S. Ignatii, *quo semper dum vixit, crus ægrum sustinuit*; eo non semel dæmonem serpentis specie, formâ supernò spectabili & amabili adrepentem e vestigio abegit, pessimè excepit, & in orcum amandavit; ut, cui divina virtus inerat, verè *baculus Iesu* nuncupari posset, quam etiam cælo receptus non semel ostentavit.

Bartolus. lib. 5. n. 4. sub finem.

Anno 1598. degebat Mutinæ inter Urselinas nobilis virgo, *Livia* nomine, quam ut à pio cæpto deterreret, non unus Dæmon invasit: indicium sui fecêre insanis vocibus. Ad hæc, vultum virginis, & crines lacerant, ac linguis variis desperabundè multa *in Ignatium*, ad quem confugerat, deblaterant. Cohabitabat in hoc sacro parthenone cognata propè adhuc infans, quæ Dæmoni furenti, ut *Liviam* vexare desisteret, *Ignatii nomine* imperabat, statimque obtinebat: veste quin etiam prehensam circumducebat, quo libitum erat; quod ridens ex dæmonibus alter: *elephantem jocabatur à formicâ trahi*; at negare superbus se infanti parere, sed ejus custodi Angelo, quẽ destinarat ad hoc *Ignatius*.

Livia verò sibi crebrò adstate sanctum virum vidit, specie gravi, & majestatem præferente, *qui flagello terreret Dæmones, cujus sustinendis ictibus impares aufugêre*; ipsaque corporis & animæ quieti restituta est.

David baculo congreditur cũ Goliath. V. 4. V. 40.

Libro 1. Reg. cap. 17. Goliath monstrum hominis, gigas *sex cubitorum & palmi*, undique cataphractus insultavit, *& exprobavit agminibus Israel*, quasi non sit qui secum audeat in singulare certamen descendere. Quid factum? David minimus ex filiis Isai, relicto grege ovium, TULIT BACULUM *quem semper habebat in manibus*. Hunc juvenem sic armatum *cum inspexisset Philisthæus, & vidisset David, despexit eum*, & dixit: *numquid ego canis sum, quod venis ad me* CUM BACULO? Abulensis hic: putavit enim quod da-„retur vir fortis pugnaturus cum eo. Cum au-„tem vidisset eum, puerilem, & inermem, de-„spexit eum, *putans non esse pugnam, sed irrisionem.*

Tostatus. hic.

Hugo. Card. in Psal. 34. v. 2.

Haud aliter tartareus Goliath (*per quem diabolus designatur*) congredientem secum Ignatium cum baculo, ludibrio non semel exponere conatus est, dum ab energumenis, quas diu insed erat, exire, & de statione discedere jussus, probrosa in eum convitia glomeratim jactavit: quod nefas esset, *uni claudo, depili, semicæco cedere se cum agminibus suis debere*; ita Ignatii crus claudum, calvitiem, & exesos lacrymis oculos notabat. Non semel tamen devictus, has voces usurpare compulsus est: *numquid ego* CANIS *sum*, QUOD VENIS AD ME CUM BACULO?

Bartolus. cit.

Ab hoc rabioso cane ne & vos timeatis morsus ejus, miram solertiam, & certam fiduciam præstat Hipponensis Doctor in hac arenâ versatissimus: *diabolus*, inquit, *alligatus est tanquam innexus* CARNIS *catenis: & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortiferâ securitate conjunxerit.* Quantæ autem hoc temeritatis, & amentiæ sit, mox subjungit: *jam videte, Fratres, quàm stultus est homo ille, quem* CANIS *in catena positus mordet*; sicut ergo insanus est, & risui, ac sannis excipiendus, qui à cane ligato se morderi sinit: Ita & illi ridendi, qui latranti stygio cerbero, non solũ à longè insultare, à se abigere, sed propius accedere, eique adblandiri cõsueverunt.

Augustin. Serm. 197 de tempore. Diabolus ut canis ligatus, latrare potest, mordere non potest, nisi accesseris

Quare non est quod quis queratur, angustietur, & reformidet tot se latrantibus blasphemiæ, luxuriæ, iracundiæ, insidentiæ, noctes & dies inter turbari: *latrare potest, solicitare potest, mordere omninò non potest nisi volentem*, itaque ab eo cave, & propius accedere time; quod qua ratione fiat, exponit: *tu te illis per voluntates, & cupiditates sæculi, noli coniungere, & ille ad te non præsumet accedere.*

Ibidem.

Hæc qui audis, quid turbaris, quid angustiaris? morderi non potes, nisi velis: sed si tu per suggestiones pravas, nimiâ fiduciâ & petulantiâ, ac carnis nescio quæ blandimenta & lenocinia accesseris, tuque te illi (id est administris ejus, & sociis) *per voluntates & cupiditates sæculi conjunxeris, stultus es*, & morsui, ac lanienæ meritò pates.

Unde non est quod quis dicat: *serpens decepit me*, canis momordit me; hanc etenim vocem retundit Augustinus: *non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet à nobis consensum, sed petit.* Et alibi: *suadere, & solicitare potest, cogere omninò non potest.* Concludo aureâ Chrysologi sententiâ: *cavendos esse dæmones, non timendos.*

Gen. 3. v. 13. August. iis. Idem lib. 50. hom. 12. Chrysolog. serm. 16.

Quis eos timeat, quos Ignatius velut insanè oblatrantes molossos fuste suo abegit?

Sed parum hoc, etiam inter vivos, ac dein inter Divos degens, in quo Moyse major videri posset, non umbrâ dumtaxat corporis sui, ut Princeps Apostolorum, sed adumbratâ sui imagine, *signa magna fecit*, Pharaonem tartareum ejusque vires confregit.

Non solum baculi sed & corporis sui imagine vo lut umbra tartareum Pharaonem domuit

Senis notam sibi anno prioris sæculi sexagesimo primo puellam asserit Petrus Ribadeneira, quæ cum ipsis duodecim annis dæmonum non jam præstigiis, sed quotidianis verberibus fuisset obnoxia; tandem assumptâ, velut clypeo contra tot ictus, *Ignatii imagine*, sic eos à se abegit, nemo ut accederet ad illam propius auderet, vanis tantum clamoribus, cassisque in Sanctum minis impunè latrantes & sævientes. Subiit inter illa, cogitatio, puellæ animum experiri, amotâ tantisper à se imagine, hæcne, an quæ alia vis occulta tam validè comprimeret inferorum hostium potestatem. Experta est; sed malo profectò suo, & honore majori Ignatii defensoris sui: vix enim illud à se munimen abjecerat, cum toto in eam impetu facto, diu jam prohibitas ab infligendis miseræ verberibus manus, ditissimorum ictuum gravitate pensarunt. Ad suum ergò contra eos, non dubium ultra jam sed certissimum præsidium, serò quidem sed seriò confugiens, omni deinceps improbissimorum dæmonum oppugnatione liberata est; quamvis illi irritis etiam tum ictibus circumstantem sæpe aërem, mutosque ferirent.

Ribaden. Imago. 1. sat pag. 619.

De sancto Petro Apostolorum Principe referunt eorum Acta, umbrâ illius adeo nascenti Ecclesiâ medicam fuisse, ut *afferentes agros &*

vexa-

Act. 5. v. 15. & 16.

vexatos à spiritibus immundis, in plateas exponerent, *ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum; qui curabantur omnes.*

Ignatius non umbrâ corporis, sed vel solius umbræ, rudi adumbratione, id est sui imagine, infernales spiritus pellebat, aliosque innumeros morbos & infirmitates curabat.

Bartolus lib. 5. n. 4.

Horrendum dictu, quod & visu fuit. Quatuor illustri domo natæ, quas inter duæ sanctimoniales, à pluribus dæmonibus obsessæ, miserum in modum excruciabantur. Vexationis præludia fuere pertinaces morbi, & ignoti, qui medicorum consultationes, & sumptus ingentes in cassum exhauserant. Hodie sanæ & alacres, cras in extremis, & mortuis similes.

Ad has corporis molestias accedebant incentiva turpitudinum, & acres stimuli, quibus honestissimæ fœminæ quoslibet corporis cruciatus ferebant tolerabilius; cum autem intactæ ab omni labeculâ cælitus servarentur, quod unum poterant dæmones, earum linguas in verba lasciva, & turpia fingebãt. Orare, quod olim tam suave & proclive, tunc supplicium erat, multo gravius Sacro interesse: id cũ inciperet, animo linquebantur, erantque aliò deportandæ, ut spiritum resumerent. Obmutescebant apud Confessarium, & exertu linguarum deformi, eidem illudebant. Sed quod erat maximè timendum, tanto sui necandi rabie furebant, ut se interdum clam solæ segregarent in penetralia domus conclavia, illic parieti caput allideret, terram toto corporis pondere ferirent, atque ita se tam diu sævirent ictibus, dum eorum strepitu acciti familiares accurrissent. Atque ex his *Ludovicam* nomine, semel repentina insania in summas ædes abripuit, ut se præcipitio perderet, quod suspicatus maritus, eamque consecutus, tempori adfuit. Sed quia eam in exitium agebat hostis, solo tunc tantâ vi allisit, ut pro mortuâ jaceret.

His malis cum consuetis Ecclesiæ remediis nil opis adferretur, P. Hieronymus Bondinarius, confitentes audire solitus, clam nullâ earum advertente, *imaginem S. Ignatii* parieti affigit. Hic verò maligni spiritus coacti prodire: futere, exagitare miseras diris modis; *cessit mox sua cum turmâ ex ducibus unus, non valens vel* PRIMUM IMAGINIS CONSPECTUM *sustinere*, pellâ seroianimi concidente, quæ brevi restituta, confirmatam se *ab Ignatio præsente & aspectabili*, narravit.

Quo & aliæ in spem erectæ, ut in pauca contraham, omnes liberatæ sunt: Ipsi namque maligni spiritus CORAM SANCTI IGNATII ICONE *terram lambere coacti, asserebant se ab* IGNATIO *ad inferos retrudi.*

Contra malignos spiritus imago S. Ignatii in ædibus habenda & Colenda.

Si olim Gentiles Deos Lares coluerint, eorumque statuas postibus præfixerint ad tutelam: quin & vos, si sanctiori præsidio ædes vestras, ac domesticos ab omni infestatione malignâ immunes esse velitis; hujus tam potentis contra malignos Spiritus Patroni imaginem in atriis, in cubiculis, in abacis exponite, eamque cultu & veneratione studiosè prosequimini.

Plus dico, non solum viri sancti effigies, sed vel sola invocatio, & nominis umbra, aut lectæ, applicitæque eius litteræ, complures à tam infesto hoste liberârunt.

Andreas Lucas in vita. Lib. 7. cap. 12.

Illustrius illud etiam quia recentius, majoribusque clarum indiciis est, quod anno hujus sæculi sexto patratum ab eodem Ignatio est in Excellentissimâ Principe de Mirandulâ. Hæc contra integram, qua obsidebatur, dæmonum catervam, sacris Ecclesiæ carminibus frustra adhibitis, ipsâ tandem *invocatione Ignatii* tam subitò, tam prodigiosè convaluit, ut rem sive ex personâ patientis, seu agentis miraculo, tam inusitatam tam novam, duo à sede Apostolicâ delegati, Mutinensis & Rhegiensis Episcopi suo approbatam calculo, ipsi Clementi VIII. Maximo id temporis Pontifici certam testatamque transmiserint.

Dæmones invocato Ignatii nomine, & eius litteris fugantur.

Quid non turbatum, molestiarum, noctes & dies inquietudinis, terroris & pavoris iis est, qui ædes inhabitant, quas lemures, & spiritus variis & horrendis formis apparentes, & horrendo strepitu perterrentes infestant? Qua non prece ac pretio has expiari, & iis liberari percuperent; non aliò vobis recurrendum quã ad Ignatii auxilium & patrocinium. Exemplo sit, ut plura præteream: Cum Lauretanum Collegium gravissimè infestaretur à Dæmonibus, in variis humanis & belluinis formis sese spectandos obucientibus, & adhibiti usitati exorcismi, aliaque his adhiberi solita, terrores illos nequaquam depellerent; Rector Collegii per epistulam ad sacrificia & preces *S. Ignatii* confugit. Ille re cognitâ suis precibus & epistolâ non modo in præsens, sed & imposterum ab illis dæmonum terriculamentis liberum reddidit, ut fusè, & miris circumstantiis Bartolus in vita. lib. 5. c. XVI.

Biderman gloria S. Ignatii. Lancicius. opusc. 18. cap. 16.

Unde non mirum vivente adhuc & mortuo Ignatio, exclamasse non semel, nec ullo loco aut tempore malignum spiritum è mortali corpore quod occupabat, si quando huic etiam secretò admoverentur aliqua ad Ignatium quomodocumque spectantia: *Urise, & exuri* AB IGNATIO *igne terribili, illo inter sanctos sibi maximè inimico, & summè metuendo.*

Andreas Lucas. lib. 7. cap. 12. Lancic. opusc. 18. c. 7. in fine

Quod si quis vestrûm interiorem domum ab infestationibus, & tentationibus dæmonum, quæ animæ timenti Deum molestissimæ & acerbissimæ sunt, liberari, & malignas suggestiones exurere desideret, norit S. Ignatium illud tam ingens beneficium non solum P. Eleuterio Pontano per duos annos horrendum illis divexato, sed & pluribus aliis contulisse; de quo Bernardus in re simili: *illud ego*, inquit, *suscitata miraculo mortua censeo præferendum; quod exterior quidem homo ibi, hic verò interior revixit homo.*

Lancic. opusc. 18. cap. 16. Ribaden. Andreas. Lucas.

Ex dictis patet quam despoticum vir Dei Ignatius in tartareum illum Pharaonem, in infernales serpentes, & stygium canem exercuerit imperium; quod ut ad mores transferamus, paucis expendendũ est, diabolum, quem adeò terribilem vobis fingitis, non magis quàm canem ligatum, ut supra diximus, nec plus quàm muscam aut formicam, justis ac Dei gratiâ præditis formidandum, imo sanctis ac teneris etiam virgunculis risui ac ludibrio fuisse.

Morale. dæmonẽ piis & sanctis non timendum.

Quis

Quis eos non vani timoris arguat, qui ne soli solarium noctu conscendere, caveam petere, hortum intempestâ nocte inambulare audent, nec prece nec pretio adduci queunt? vel soli in cubiculo, suli in strato dormire pertimescunt, veluti pueri trepidantes; in quo illustri documento P. Balthazar Alvarez fuit: qui invisens Mariam Diatiam, quâ S. Mater Theresia perquam familiariter & assiduâ sociâ utebatur, conspexit in angulo cellulæ, præter lectum eius, aliud parvum stratum; quærit cui lectulus ille serviat? Confessa ingenuè metum suum, dixit, ubi semel à Dæmone verberibus excepta fuisset, posthac semper timuisse, nec ausam in cellâ solam pernoctare, ideoque se puellulam secum sumpsisse. Quod acriter reprehendit P. Balthazar: post tot divinæ bonitatis testimonia, post tot æternæ providentiæ signa, qua ligat tartareos spiritus, quibus non plus potestatis, quam illis concedat, tam exiguam esse fiduciam ac fidem de præsentiâ & auxilio Dei: quo si destituatur, quid infans opitulabitur? Quare non prius è cellâ pedem extulit, quam lectum hunc tolli & ejici conspexit, hoc factum illi munitum pro clypeo relinquens: *qui timet Dominum, nihil trepidabit*, nihil hunc stygium canem, nec omnes dæmonum catervas formidabit.

In vita Patris Alvarez. cap. 10.

Eccli. 3.

Expendant timidissimi lepores, & pavidæ feliculæ, sanctos Anachoretas solitarios inter lustra ferarum, inter dæmonum infestationes, & inferorum spectra, securos degisse: S. Ignatium, Xaverium deserta ac solitaria templa noctu adiisse. S. Docium Archipræsulem Mediolanensem (Auctor est Gregorius) dum Constantinopoli Corinthum profectus, nusquam aptum sibi hospitium comperisset, ad ædes divertisse, per plures annos spiritibus & dæmonum lusionibus infestas: evenit quippe concubiâ nocte, viro sancto conquiescente, hi nocturni lemures emergerent: extemplo latratus canum, sibilos serpentum, rugitus leonum, aliorumque animalium inconditis tumultus cierent. Experrectus ad has dæmonum vociferationes venerandus Antistes, omnes securus irrisit: & miseros vos, inquit, qui Altissimo similes esse contendistis; sed ut video, jumentis comparati estis. Vel exemplo vestro edoctus sum, non altum sapere, sed Deum timere. Hac animi præsentiâ, modestiâ, ac securâ conscientiâ, ilicò omnes abesse jussit.

Greg. lib. 3 Dial. cap. 4. Bolland. 14. Ian.

His qui præditus, non est quod expavescat. Omnem animis terrorem excusserit Divus Bernardus, qui de leone infernali agens: *mugire potest, ferire non potest: rugiat quantum vult, tantum non fugiat ovis Christi. Non simus bestiæ, ut nos prosternat vacuus ille rugitus. Vera bestia, vera rationis expers, qui tam pusillanimis est, ut solo timore cedat, qui ante conflictum non telo, sed tubâ prosternitur.*

Bernard. serm. 13. in psal. 90. qui habitat.

Talis ovis Christi *sancta Euphraxia* exstitit, in cujus actis refertur, Virginem hanc insistentem liberationi mulieris energumenæ, cominatam esse diabulo, nisi quamprimum excederet, *se baculum Abbatissæ assumpturam*, & illi impacturam, quod denique fecit, & satanam ejecit.

Raynaud. ... 401 templa ... quæ

Talis ovis Christi *B. Gratia*, tertii Ordinis S. Francisci de Paula, quæ etiam baculo hunc canem abegit.

dæmone superantur.

In vita.

Talem se oviculam probavit *B. Magdalena*, quam *Angelique*, seu Angelicam nuncupabant, ex Ordine S. Dominici, hæc angulum sibi delegerat, in quo preces & lacrymas suas fundere consuerat; à quâ piâ consuetudine stygius hostis ut eam deterreret, immanis ursi specie angulum occupat, sed quam mox illa dilecto suo questa, Euro ocius monstrum se proripuit, atque in eo ipso angulo illi apparens Christus, suavissimè ad consuetum contemplationis locum invitavit, dicens: *veni, accede amica mea. quia ego hic sum*; quo in angulo, ut postea Confessario suo exposuit, liquidissimis cæli deliciis perfruebatur, ac S. Vincentium Ferreriensem se istic visitasse, ac solatum fuisse affirmavit.

Barrit. L'Annee S. part. 3. cap. 7. pract. 12.

Hoc æternæ Veritatis oraculum est: *apprehendit draconem*, ET LIGAVIT EUM; in quæ verba Rupertus Abbas Tuitiensis: *Si ille à Christo ligatus non est, quomodo tam imbecillis jacet? Quomodo à tam multis non dico grandævis, ac sapientibus viris, sed* A PUERIS, TENELLISQUE PUELLIS ILLUSUS *est: Consideremus quæ & qualia in eum per infimas ætates sive conditiones facta sint.*

Apocal. 20. Rupert. hic. La Haye hic.

Diabolus ut canis ligatus, à pueris & puellis illusus.

Hieronymus in vita sancti Hilarionis narrat Dæmonem ab amasio in puellam quam deperibat, immissum, cum S. Hilarion eum expelleret, exclamasse: *O cruces! O tormenta, quæ patior! exire me cogis, & ligatus subter limen teneor: non exeo nisi adolescens me dimiserit.* Tunc senex: *grandis est fortitudo tua, qui licio, & laminâ strictus teneris.* En ut ironicè dæmonis fortitudinem irridet? qui sub limine quod ab omnibus conculcatur ligatus tenetur; quo dæmonum infirmitas & vilitas manifestò patescit. Nec minus illa perspecta fuit imbelli sexui: Franciscam Romanam inclusam ad contemplationis exercitium, dæmon Confessarii specie accesserat, jubens eam aperire suas revelationes. Sed illa fraudem subodorata, facessere eum jussit, addens ut ipse eas divioaret, utpote cui à cælis delapso, accuratius eæ sint perspectæ. His efferatus dæmon, hastâ Franciscam configere tentavit; sed illa eludens ictum, cuspidem hastæ subduxit, quam deinde ostendit Confessario, *& cuspis papyracea apparuit.* Ejusmodi innumera in actis Sanctorum & paradiso puerorum ac puellarum, qui dæmoni terrori fuerunt, eumque ut canem vincierunt & abegerunt, videre est.

S. Hieronym. in vita S. Hilarionis

Lib. 3. vitæ c. 13. Mancinus de Passione. lib. 8. differ. 2. punc. 2.

At erit non unus, qui illud Augustini opponat: *si alligatus est, quare adhuc tantum prævalet?* cui aptam reddit solutionem: *verum est, Fratres charissimi, quia multum prævalet; sed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur*: illis insultat, illis imperat, illis ut mancipiis abutitur: illis draco, illis serpens, illis Leo est, qui fervidis, sed utilis, ac Deum in veritate diligentibus, simia, musca, formica est.

Augustin. serm. 197. de tempore.

Dæmon tepidis & negligentibus metuendus; non fervidis ac Deum tementibus.

Hinc Dæmon apud Job. c. 4. v. 11. juxta 70. Interp. appellatur *mirmicoleon*, vocabulo composito ex formicâ & Leone: quo spectat illud

S. Greg. lib 5. mor. cap. 17.

Gregorii, quod timidis, desidiosis, & animo pusillis tanquam formicis, Leo sit; fortibus, strenuis, & animosis, formica appareat: *formicis enim* LEO *est; volatilibus* FORMICA *: quia nimirum antiquus hostis sicut contra consentientes fortis; ita contra resistentes debilis: si enim eius suggestionibus assensus prabetur,* QUASI LEO *tolerari nequaquam potest; si autem resistitur,* QUASI FORMICA *atteritur.* ALIIS ERGO LEO EST, ALIIS FORMICA; *quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant; spirituales verò infirmitatem illius pede calcant.*

Hoc S. Ignatius obvia similitudine contumacis ac pervicacis fœminæ adumbrare visus est, quæ si marito prædominetur, leænæ instar intolerabilis evadet; at si illi in faciem resistatur, & verbis ac verberibus probè excepta subdatur, instar ovis mitis, & mansueta serviet. *Sic maligni spiritus, servi sunt Sanctorum hominum* (qui illis viriliter resistunt) *sed in hac vitâ servi perpetui, in illâ verò* (cælesti) *servi sempiterni. Servi quoque victorum sunt, testante veritate 2. Petri 2.* A QUO QUIS VINCITUR, EIUS SERVUS EFFICITUR: *nam cum prælia contra eos qui victuri sunt excitant, serviunt eis qui inde coronantur.* Sic sibi dæmonem servientem & ad omnia obsequentem habuit Puella nobilis Burgunda, quæ cum de eo gloriosè triumphasset, ita cum sibi subiecit, ut ad quævis ministeria ceu Dominæ suæ inserviret: sic enim ipse fassus est: *habeo mandatum à Domino, ut quodcumque mihi praceperis, cum festinatione sine mora subire.*

S. Greg. in 1. Reg. cap. 9.

VVadingus in annal. Minor. a. 18.

Sancti dæmonē risui & ludibrio habuere.

Denique non famuli ac vilissimi mancipii loco, Sancti dæmonem habuere, sed & risui ac ludibrio exposuêre: quo spectat illud psaltis Regii: *draco iste quem formasti* AD ILLUDENDUM EI, id est Diabolo. Liranus exponit: *ad illudendum in eo.* Alibi: *ut illuderet ei aliquis:* atque ita Lorinus ait: *illusionem sumi passive*, UT ILLUDATUR DRACONI. Illustre in hoc genere est, quod de S. Juliana Virgine & Martyre narratur; quæ dæmonem transformatum in Angelum lucis, prava & impia suadentem, manu sua apprehendit, & jussum fateri quis esset, *ligavit illi post tergum manus, & posuit in terram, & apprehendens unum è vinculis, quibus ipsa fuerat ligata, cadebat ipsum Dæmonem.* Dum autem Juliana duceretur ad Præfectum, *trahebat secum per forum dæmonem clamantem: dimitte me, jam amplius* NOLI HOMINIBUS ME RIDICULUM FACERE: *& dum diu rogasset eam, projecit illum in sterquilinium.* Ita draco ille infernalis datus est virgunculæ ad illudendum ei.

Psal. 103. Lorin. hic. & in Isa. cap. 11. Bollandus 16. Ian. tom. 2. pag 875. 876.

Quid ni & tu illudas? scis quomodo? quoties tu illius suggestionibus resistis, quoties fœdis ejus lusionibus & blasphemis tentationibus resistis, toties cum victum ac vinctum non solum tibi subdis, sed & ludibrio habes. Sic sentit Magnus Augustinus cujus commentariis in psalmos, nihil simile invenire est.) Hic in illud Psalmi 103. *draco iste quem formasti ad illudendum* ei, sic disserit: *jam tu illude draconi; ad hoc enim factus est draco. Si ad illudendum; quomodo Deus illi illudit? An tradit illum ad illudendum,* HOC EST, UT ILLUDATUR? Imo verò; nam Sanctus Dunstanus etiam num puer, stygios canes pietatem suam allatrantes virgulâ compescuit. ac grandior factus, dæmonem nunc senis, nunc pueri, nunc lascivæ puellæ specie petulanter gestientem, ardenti forcipe per nares arripuit, nec quidquam vociferantem & miserè eiulantem naso suspendit adunco.

August. in psal. 103. Conc. 4.

Surius in vita 19. Maii.

Nec minus facetè S. Patriarcha Dominicus emersæ ex orco simiæ illusit, quam unguibus candelam tenere, sibique prælucere jussit, donec ea jam prope consumptâ, ungues eius immani cruciatu, quem magnis clamoribus testabatur, probè adussit. Quæ aliaque sanctorum gesta, satis testantur quod tradidit Deus draconem istum, *ad illudendum, id est ut illudatur.*

V. Angelinum Gazæum in piis hilariis.

Sicut ergo, ut initio diximus, virgâ suâ signa, & mirabilia Moyses perpetravit, atque inter ea illud maxime mirandum & deprædicandum, quod ubi virga sua mare percussit, Pharaonem cum exercitu suo demersit in profundum; ita Ignatius suo baculo tartareum Pharaonem in stygа demersit.

Quæ signa & prodigia ne vobis magis miranda quam imitanda & supra vires ac virtutes vestras videantur, mellifluum Doctorem audite, qui animam spiritualem, Deum timentem & diligentem, divino auxilio fultam, asseterit gloriosius de dæmone & agminibus eius, quam Moysen de Pharaone triumphare posse: sic enim ait: *inter Sanctam, spiritualemque animam, & equitatum Domini planè comparatio est, & inter Pharaonem, & diabolum, amborumque exercitus. Nec miraberis unam animam equitatui multitudini similatam, si advertas quanta in ipsa una, qua tam sancta anima sit, virtutum acies habeantur: quanta in affectionibus ordinatio, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror, quanta denique ipsi cum hoste conflictuum assiduitas,* NUMEROSITAS TRIUMPHORUM. Anima his munita (qualis eminenter fuit illa Ignatii) nonne ut acies ordinata, diabolo, totique erebo terribilis est?

Anima spiritualis potest tartareū Pharonē superare, & de eo triumphare.

Bernardus serm. 39. in cantica.

Talis anima S. Ig[illegible].

Sic porrò pergit: *Angelicis fulta ministeriis, & superno stipata agmine Sponsa incedens, similis est equitatui Domini, qui quondam in curribus Pharaonis, tam stupendo divini adiutorii miraculo triumphavit:* imo illa Moysis de Pharaone victoria, vix umbra fuit, spiritualis hujus triumphi: *si enim diligenter advertas: cuncta quæ ibi miraris magnificè perpetrata, invenies hic nihilominus admiranda, nisi* QUOD IN EO NUNC MAGNIFICENTIUS TRIUMPHATUR: *quod quæ illic corporaliter præcesserunt; hic spiritualiter adimplentur:* multo profectò magnificentius de vitiis & concupiscentiis, de principibus tenebrarum, quam de Pharaone & exercitibus eius triumphatur: quod sic solidè evincit Bernardus: *an non tibi multo fortius, longèque gloriosius esse videtur, diabolum prosternere, quam Pharaonem: atque aereas debellare potestates, quam currus Pharaonis subvertere? Ibi pugnatum est adversus carnem & sanguinem, hic adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia, Et prosequere modò mecum singula proportionis*

Ibid.

portionis membra. Ibi populus eductus de Ægypto, hic homo de sæculo. Ibi prosternitur Pharao, hic diabolus. Ibi subvertuntur currus Pharonis, hic carnalia & sæcularia desideria, quæ militant
Exodi. 14. *adversus animam, submuntur.* PUTO ET NUNC CLAMITARE DÆMONIA: FUGIAMUS ISRAELEM, QUIA DOMINUS PUGNAT PRO EO.

Si hæc de spirituali ac religiosâ animâ Claravallensis Abbas, quid ni de Sanctissimo viro Ignatio? *puto & nunc clamitare dæmonia: fugiamus* IGNATIUM, *quia Dominus pugnat pro eo.*

§. VIII.

DILECTUS DEO, ET HOMINIBUS MOYSES. Eccl. 45. v. 1. *& illi & illis* IGNATIUS.

Difficile, imo propè impossibile Deo & hominibus placere.

QUam difficile, & propè impossibile sit, Ducem exercitus Regi suo, aut summo Imperatori, ac simul satrapis, suisque militibus placere; quantò autem difficilius, Deo, & hominibus placere, tam veteris, quam recentes historiæ testantur, & murmuratio, & indignatio Israelitarum contra Moysen satis loquuntur, ut vir mitissimus clamare ad Do-
Exodi. 17. v. 4. minum compulsus sit: *quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me.* Unde illud præclarum, sed, & rarum inclyti
Eccli. 45. Ducis eloquium: *dilectus Deo, & hominibus* MOYSES, multis Paradoxum, imò adynaton videbitur: nam qui Deo placent, passim hominibus displicent; & vice versâ, qui hominibus placere student, Deo displicent. Hoc sacræ paginæ non obscuris dumtaxat typis, sed disertis verbis expresserunt: nam cùm olim filii Israel Pharaoni servirent, Regem placatum habuere; at cum renuntiare, & Deo suo sacrificare voluerunt, iratum
Exod. cap. 5. v. 4. Origenes. hom. 3. in Exod. sensere; sic etenim Pharao: *quare Moyses, & Aaron sollicitatis?* seu, ut vertit Origenes: *pervertitis populum ab operibus*, quem post hæc gravissimis oneribus oppressit; quod Origenes expendens; ait: *Pharao donec secum est populus, non putat esse perversum; si verò dicat, volo ire, & servire Domino, perverti populum dicit;* quod morali doctrinâ eleganter illustrat: & hodie, inquit, *si Propheticus, & sacerdotalis sermo animam sollicitet ad servitium Dei, invitatque eam exire de sæculo, renuntiare omnibus, quæ possidet, operam dare divinæ legi, Christum sequi, &c. continuò audies ab his, qui Pharaonis unanimes, & amici sunt: videte quomodo seducuntur homines, & pervertuntur, ne laborent, ne militent, ne agant aliquid quod eis prosit: rebellis rebus necessariis, & utilibus, ineptiis sectantur, & otium.* Hoc indies videre est, eos sæcularibus risui, & despectui esse, ipsis etiam parentibus ac propinquis odio esse, nec leves difficultates, iras, & ditas in illos concitari, qui sæculo exire, & Christo servire statuerunt.

Hujus rei typum habemus Libro Josue. cap. 10. vix enim Gabaonitæ se ad amicitiam, societatemque Josue adjunxerunt, quin ilicò odium, & inimicitias Amorrhæorum incurrerunt, adeò ut quinque Reges Amorrhæorum contra eos conspirarint, è quibus Rex Adonisedec sic alios hortatur: *expugnemus Gabaon,* Josue. 10. v. 4.
quare transfugerit ad Josue & ad filios Israel? Josue idem sonat, quod *Jesus*, ut iisdem Hebraicis litteris exaratur. Ad mores rursus perappositè velificatur Adamantius: *cum*, inquit, *anima hu-* Orig. hom. 11. in Josue.
mana verbo Dei se sociaverit, dubitare non potest, statim se inimicos habituram: & eos, quos habuerat ante amicos, in adversarios esse vertendos. Ex quibus manifestò concluditur, eum qui relictâ pravâ sociorum ac scelerum consuetudine, se sanctiori vitæ dederit, ludibriis, sannis, ac injuriis patere: qui è castris sæculi, ad vexillum crucis convolarit, ac contubernio Jesu se sociarit, dubitare non potest, statim se externos, & domesticos inimicos habiturum; ut impossibile sentiat, Deo simul & hominibus placere; sic enim subdit: *qui amicitias expetit* JESU, *multorum* Orig. cit.
sibi sciat inimicitias tolerandas.

Placuit olim David adeò Regi Achis, ut de eo hoc illustre ferre testimonium non dubitarit: *vivit Dominus quia rectus es tu & bonus in con-* 1. Reg. 29. v. 6. & 9.
spectu meo. Et mox: quia bonus es tu in oculis meis sicut Angelus Dei. Tostatus hic: *id est, juro per De-* Tostatus hic.
um, quod ego de te nihil suspicor, quia in omnibus videris mihi bonus, & rectus, scilicet non invenio in te aliquid mali, nihilominus etsi tam gratiosus Regi sit, additur: *sed satrapis non places.* Cur quæso v. 6.
non placet satrapis, sive aulicis? nisi quia nimium placuit Regi, & ut sub hac imagine exprimatur, qui Deo, summo Regi placent, eo ipso non esse hominibus placituros; quod & in aulis Principum, & sacris, ac profanis familiis familiarissimum est, ut qui fidditate, probitate, pietate Regi, Prælato, parentibus placeat, satrapis, dissolutioribus sociis, fratribus, & sororibus displiceat, & sancta, ac pia filia Deo dicata, omnium peripsema fit.

Divinam benevolentiam sibi conciliarat Josaphat, dum erga Deum multa exhibuit pietatis obsequia, ut patet 2. Paralipom. 19. sed statim sibi hominum conflavit invidentiam, & malevolentiam; mox enim subditur: *post hæc congregati sunt filii Moab &* 2. Paralip. 20. v. 1.
filii Ammon, & pugnaverunt contra eum; ubi emphaticum est illud: *post hac*, Ut adno- "
tavit Liranus, qui ait: POST HÆC secundùm Liran. hic.
illud, quod scribitur 2. Timoth. 3. *omnes qui* "
piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem "
patientur; & ideo postquam Josaphat po- "
pulum suum ad Domini servitutem revocare "
studuerat, & ad faciendam justitiam honos "
homines instituerat, mirum non fuit, ma- "
los homines, & in magnâ multitudine con- "
tra eum insurgere, quasi post amicitiam "
cum Deo initam, statim inimicitiæ cum hominibus consequantur, & ex pace cum Deo stabilitâ, bellum cum hominibus exoriatur.

Hæc, aliaque, quæ in figuris contigerunt, eadem disertis verbis prima Veritas pronuntiat

Joan. 15. v. 19. nuntiat: *quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus*; perinde ac si proborum pietas, impiorum manus ad injurias inferendas armare videatur, & ideo totus mundus persequatur probos, & pios, quia Christum sequuntur; sic ut qui Deo placent, hominibus placere non possint; in quo sibi Divus Hieronymus applaudit: Hierony. epist. 99. ad Asellam. *gratias, inquit, ago Deo, quod dignus sim, quem mundus oderit*, tacitè innuens, idex eo oriri, quod placeat Deo.

AdGalat. 1. v. 10. Disertè Doctor Gentium: *si adhuc hominibus placerem, servus Dei non essem*, asserens impossibile, & incompossibile esse, ut quis & illi, & illis placeat.

Id Moyses, intimus Dei amicus, rebelli, & tumultuanti populo exosus: id David, aliique de quibus egimus, experti sunt: id Christus exemplo suo, & Discipulorum: id omnes Martyres, & Confessores, amici Dei, quos mundus oderat, comprobarunt; quos inter, *dilectus Deo Ignatius*, Lancicius. opusc. 17. c. 5. Bartolus lib. 2. n. 7. 8. & c. Imago 1. sæc. lib. 4. quantas ab hominibus, à dæmonibus persecutiones, opprobria, vincula, verbera perpessus sit, apud vitæ Scriptores, & compendio in Imagine primi sæculi libro 4. videre est. Quæ cum ita sint, quo pacto magnificum illud æternæ Veritatis oraculum; *dilectus Deo, & hominibus* MOYSES, quod Bernardus, Guerricus S. Benedicto: Gregorius Nyssenus S. Basilio: Ecclesia sanctis Fundatoribus, & nos Patriarchæ nostro *Ignatio* attribuimus, intelligendum sit, videamus. Eccl. 45. v. 1.

Dilectus Deo non potest hominibus pravis placere. Hoc ergo primò sancti Patres exponunt, Deo dilectos, hominibus pravis, & sceleratis, inimicis Dei placere non posse, quod luculenter Hieronymus in Paulo demonstrat, qui dum Christianus persequebatur, apud Judæos in amore, & honore erat: at ubi servus Christi factus est, omnium in eum odia concitata sunt: *placuerat* PAULUS *aliquando Judæis cum æmulator existens paternarum traditionum, sive querelâ ante in lege versatus est, & tantum habuit in majorum ceremoniis ardoris, & fidei, ut in Stephani nece particeps fuerit, & Damascum pergexerit, ad eos, qui à lege desciverant, vinciendus.* Tune Paulo applaudebant, & laudibus in cœlum extollebant; *sed postquam in vas electionis, de persecutore translatus est, & cœpit prædicare fidem, quam quondam expugnarat, cœpit pariter displicere Judæis, quibus ante placuerat. Hoc est ergò, quod ait: numquid quæro Judæis placere*, QUIBUS DISPLICENDO, DEO PLACUI: *si enim illis placerem, adhuc Christi servus non essem.* Hieronym. in epist. ad Galat. cap 1. v. 10.

Ut Paulus Judæis, & Christo simul placere non potuit, ita nec ullus Sanctus, aut vir bonus, malis: castus impuris: temperans temulentis: liberalis avaris: fidei defensor, ac propagator, hæreticis; quo infallibili axiomate Magnus Gregorius, *Maximum*, Episcopum Salonitanum animavit his verbis: *hoc certissimè scito, quia* S. Greg. lib. 8. Registr. epist.

placere Deo & pravis hominibus, nullus potest. In tanto se ergò, existimet fraternitas tua, omnipotenti Deo placuisse, quantò se perversis hominibus displicuisse cognoverit; quod ita moraliter, sedut physicè impossibile, quam sit placere Deo, & Dæmoni Infallibilis hoc Veritatis effatum est: 36. ad Maximū. *nemo potest duobus Dominis servire*; quemadmodum fieri non potest, ut quis duobus navarchis obtemperet, quorum unus tendat in orientem, alter in occidentem; cujus utriusque genium, & ingenium dispar, Seraphicus Doctor scitè depinxit: *O quam dissimiles, ait, sunt isti Domini* (Deus, & Diabolus) primus enim suavissimus, juxta illud Psal. 144. *suavis Dominus universis.* Alter crudelissimus, teste Propheta: *tradam Egyptum in manu Dominorum crudelium.* Matth. 6. v. 24. Bonav. serm. 1. Dom. 24. post pent. Isa. 19.

Hic pulsimus, & suavissimus; ille pessimus, & nequissimus: *Deo servitur flendo, per pœnitentiam; Diabolo ridendoper lasciviam. Deo servitur vigilando in custodiâ contra Diabolum; Diabolo servitur dormiendo in negligentiâ contra Dominum. Deo servitur ascendendo de virtute in virtutem usque in cælum; Diabolo, descendendo de vitio in vitium usque ad inferurum.* Ita administris Diaboli, qui studia in contraria tendit, servire, & simul Deo placere, nemo potest: *aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet.* Bonav. ibid. Matth. 6. v. 24.

Deo & invidis quis placere non potest. Secundò, quod mirandum, Deo, & hominibus cæterum bonis, ac religiosis; sed invidis, æmulis, ac zelotypis, aut calumniantibus nimis incredulis, nemo placere potest. Quid præcipui Ordines monastici hac in parte non passi, quam graves hostes experti, Doctor Angelicus, & Seraphicus, ut alios sileam, contra impugnantes Religionem, doctè, & disertè tradiderunt. Hieronymus quoque Epist. 99. ad Asellam, indignissimè ferebat Sanctissimas fæminas, *Paulam, & Melaniam* carpi, sugillari, mordert ab iis, qui quandam probitatis speciem præferebant: *si Gentiles, inquit, hanc vitam carperent, si Judæi, haberent solatium non placendi iis, quibus displicet Christus. Nunc vero, proh nefas, homines Christiani lacerant sanctum propositum.* Hierony. epist. 99. ad Asellam.

Quid *Ignatius*, & minima Societas non ab sceleratis, ab Hæreticis, schismaticis solum, sed ab invidis, & æmulis sustinuerit, in Imagine primi sæculi toto libro 4. videre est. Atque hoc sensu verissimum est, neminem dilectum Deo, & hominibus esse posse; atque hoc ipsum argumentum est, aliquem Deo placere, dum pravis, ac malignis displicet, ut scitè Divus Bernardus ad Eugenium, sperans Prælatum in Ecclesiâ Volentinâ nuper electum, egregiè munere illo functurum, quod bonis omnibus gratus, & acceptus; improbis verò ingratus, & despectus: *scire vultis,*

vultis, inquit, *unde id sperem? Boni hoc volunt: nec potest bonus non esse, qui bonis placet*; sicut è contrario subdit: *nec minus validum argumentum mihi videtur, quod bonus sit, si malis è regione displiceat.*

Resolvitur quomodo quis dilectus Deo & hominibus esse possit, nempe probis & sanctis.

Sic itaque divinum illud encomium: *Dilectus Deo, & hominibus*, accipiendum est, ut de hominibus probis, piis, & sanctis intelligatur; neque enim fieri potest, ut, qui placet Deo, displiceat servis ejus, ut de ejusmodi rectè dici possit, quod olim de Davide: *Ecce places Regi, & omnes servi ejus diligunt te*; quod si placeat temporalibus servis, qui placet Regi; quo pacto, qui Deo Domino placet, ejus servis, seu potius amicis, & filiis displicebit, ut innumeris exemplis manifestum est: Sic enim *dilectus Deo, & hominibus* MOYSES. Sic 1. Reg. 2. v. 26. SAMUEL *placebat tam Domino, quam hominibus.* Sic Lucæ 2, v. 53. *Christus proficiebat sapientiâ, ætate, &* GRATIA APUD DEUM ET HOMINES. Sic, & *Ignatius*, quem Moysi hactenus comparavimus, *dilectus Deo, & hominibus fuit*, ut jam demonstrabimus.

1 Reg. 18. v. 22.

Quinam Deo, & hominibus dilecti.

Abbas Igniacensis ubi in laudem *sancti Benedicti*, hoc sibi, quod de Moyse prædicatur, argumentum sumpsit: *dilectus Deo, & hominibus*, primam quidem virtutem ponit, *ut sit dilectus Deo*, à quo, velut ex fonte, in proximum dilectio derivatur. Unde sic ait: *Quam beatus in die illo* (extremo) *quicumque erit ille* DILECTUS DEO? *quam laudabiles, quibus tunc laus erit à Deo? quibus dicet evidenti rerum argumento: vos amici mei estis, si quod feceritis, quæ præcipio vobis. Hæc quidem prima virtus.*

Guerric. serm. 3. de S. Benedicto.

Sed cardo, & difficultas in eo versatur, ut & simul sit *dilectus hominibus*, ut rectè subdit, dicens: *jam verò si post hanc, & per hanc summam, causamque bonorum, gratiam etiam promerueris, ut* DILECTUS A DEO, ETIAM DILECTUS SIS AB HOMINIBUS, quæ consolatio est illa *in miseriis hujus vitæ? quæ requies? quod gaudium? quæ deliciæ? Præsertim si didiceris favore gratiæ humanæ non evanescere, sed exardescere ad diligendum Deum?*

Probatur primo S. Ignatius dilectus Deo.

Quod primum spectat, dilectum Deo Ignatium fuisse, ex gratiis, & donis tam internis, quam externis ei cœlitus effusè collatis, colligi potest; nam ut divinè Doctor Angelicus *quamlibet Dei dilectionem, sequitur aliquod bonum in creaturâ causatum.*

S. Th. 1. 2. quæst. 110. art. 1.

Unde consideranti, quam magnifica, quam munifica, ac multiplicia, divina bonitas *huic sancto* contulerit, facilè eum *Deo dilectum*, & specialiter dilectum fuisse videbitur.

Argumenta dilectionis Dei in Ignatium.

De internis quid dicam? quæ vix homini licet loqui, vel quia tam excelsa, vel tam arcana, ut nonnisi Deo, & ipsi nota: *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Ipsemet ea optimè novit, ipse de se loquatur, & ipsiusmet testimonio intelligamus; nam hic locum habet Angelica doctrina Divi Thomæ dicentis, ac docentis: *Illi, qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere, secundùm illud Apostoli: accepimus spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis; & ideò absque præjudicio humilitatis, possunt dona, quæ ipsi acceperunt, præferre dona Dei, quæ aliis apparent collata.* Sic beatus Pater noster, ex occasione, sanctè affirmavit: *se cum nullo Sanctorum, post Apostolorum tempora commutaturum dona divina à cælesti fonte hausta, si ii quorum vitæ leguntur majora non habuerint, quam de ipsis vulgata sunt.*

1. Cor. 2. v. 12.

S. Thom.

Gloria S. Ignatii. Lancic. opusc. 18. cap. 7.

Quam autem hæc eximia, & ineffabilia fuerint, quæ non licet homini loqui, ex eo colligere est, quod Joanni Polanco, viro gravissimo, qui ab epistolis erat, cum quædam de se, ad Polanci instructionem enarrasset, ingenuè, fassus sit: *Scias, Polance, me ex mille partibus Dei donorum, mihi divinitus concessorum, ne unam quidem narrare, ob incapacitatem eorum, qui me audire possunt*, & tamen nimis compertum est, *S. Ignatium* habuisse socios, & familiares præclaro ingenio, judicio, doctrinâ, & sanctitate præditos, magnaque rerum divinarum scientiâ imbutos; qui si non erant idonei ad intelligenda Dei dona S. Ignatio infusa, hoc ipsum raræ, & propè inauditæ sanctitatis indicium est. Quæ autem, & qualia illa fuerint, ex iis, quæ signa notata foris, rudi, & agresti ingenio, ut cumque adumbrare conabor, rusticum illum æmulatus, qui cum elegans, & affabre viri nobilis horologium auro vermiculatum è collo pendens conspexisset, stetit attonitus, imperceptibili motu indicem horas, quas extus clarè recernebat, signare: quamque, pulso campanulis, quod intus latebat, significari; unde affirmabat, credere se animam, aut genium in eo delitescere, cujus miras operationes se assequi non posse, externa duntaxat signa, & lineamenta sibi nota, dictitabat.

Ibid.

Ita hujus mirabilis machinæ internos motus, & abditæ reconditæque divinæ illius animæ operationes, cum me lateant, nec capere valeam, externa duntaxat 12. signa, quæ *dilectum Deo Ignatium* specialiter probarunt, quasi per tot horas percurram.

12. Signa ex quibus colligitur aliquem Regi terreno & cælesti dilectum esse.

Ac primò quidem, ut in aulis Principum dilectionis, & amoris argumentum habetur, si Princeps, aut Rex, erga unum aliquem aulicum singularem suum affectum exterioribus signis contestetur, familiarius, ac sæpius cum eo agēdo, donis, privilegiis, favoribus cumulando. V. G. si ægrotanti suum medicum ad illum curandum miserit; ut Deus ægrotanti Ezechiæ amico suo, Isaiam.

1. Signũ.

2. Signũ.

2. Si ad solatium, musicos aulæ suæ ad illum destinet; ut à cœlesti Rege, submissis è cælo cytharædis, S. Franciscus Seraphicus, & Nicolaus Tolentinas, aliique recreati sunt.

3. Signũ.

3. Si curet illum vehi suâ rhedâ, & equis; qui favor concessus Eliæ; aut commodâ lecticâ ad amœna viridaria, quemadmodum Enoch, in paradisum, & Paulus in tertium cælum raptus est.

4. Signũ.

4. Si ipsa Imperatrix, aut Regina mater, ædes illius favoritæ adeat, & illum invisat; quod benevolentiæ signum Regina cæli S. Bernardo, ac Dominico exhibuit.

5. Signũ.

5. Si peregrè profecturo, selectum viæ ducem assignarit; ut filiis Israel Angelus in colũna nubis, & ignis; Tobiæ, Raphael datus est.

6. Signũ.

6. Non minora gratiæ, ac amicitiæ argumenta sunt, si revelet arcana cordis, ac Regni sui secreta, ut Deus celare non voluit Abraham, & Davidem, cui *occulta, & incerta sapientiæ suæ manifestavit.*

Psal. 50. v. 8.

7. Signũ. 7. Si educeus eum in speculam, acceptâ familiariter dioptrâ, aut tubo optico, osteodat ad oculum res procul dissiras; ut ostendit Elizæo furtum Giezi absentis, & agentis cum Naaman Syro, aliisque Prophetis ostendit longè futura.

Lib. 4. Reg. c. 5. v. 16.

8. Signũ. 8. Si miranda quædam spectacula, & amœna ac pretiosa oculorum lenocinia illi objiciat; ut Deus Jacobo ante oculos posuit scalam in cælum protensam ac aperta cæli atria. S. Benedicto, velut unico solis radio totum orbem oculis subjecit.

9. Signũ. 9. Si in honorem illius curet exhiberi tragedias, & comœdias, ut in gratiam Israelitarum Deus terribilem egit tragediam cum Pharaone, & Ægyptiis per decem tragicos actus, quos catastrophe excepit, involvens Regem cum exercitu in mari rubro, ubi teste Josepho, quinquaginta millia equitum, & ducenta millia peditum, quasi scenâ versâ derepentè perierunt. Comœdiam egit, dum in signum sanctitatis Ezechiæ Regis, jussit decem lineis solem, lunam, cælos cum suis stellis retrocedere, tantâ celeritate, ut decem horis confecta sint miliaria ad tres milliones, sexcenta quinquaginta duo, millia ducenta triginta.

10. Signũ. 10. Pluris forte quis fecerit, si post alios favores exhibitos, nomen, aut regia insignia, ipsi ac familiæ Rex communicarit, & in eum contulerit; ut post insignem visionem Deus mutavit Jacob in Israel, quod & toti ejus familiæ posthac hæreditarium fuit.

11. Signũ. 11. Si ostendat omnes divitias & thesauros absonditos regni sui, ut Deus Moysi, & omne bonum: ac discipulis in monte Thabor divitias gloriæ suæ.

12. Signũ. 12. Si non transeuntem gratiam præstet, aut dignitatem elargiatur, sed cum perenni amore, & honore permansuram: ut cum Deus Moysen gratiâ stabilitum, Principem ac ducem constituit supra sexcenta millia virorum.

Omnia hæc dilectionis Dei signa Ignatio collata.

Hæc omnia sigillatim eximia divini amoris, ac favoris argumenta, ac dona cælestia, *uni Ignatio* fuêre concessa, atque ea, quæ tot diversis dilectis, & electis sparsim data sunt, collectim Patriarchæ nostro specialiter dilecto, & electo collata sunt.

1. Si benevolentiæ signum sit, medicum Regium ex aulâ Regem submisisse; ægrotanti Ignatio missus è curiâ cælesti Princeps medicus, omnium morborum archiatrus, Divus Petrus, qui ægrum sanavit.

2. Si favor est, cælestis aulæ musicos delapsos, ad oblectandos Deo dilectos non internis tantum, sed & externis sensibus; sæpissimè concentus Angelicos, dum Constitutiones scriberet, aliàs cæli bipatentibus valvis audivit; qua divinâ harmoniâ totus in lachrymas colliquescebat.

3. Rhedam fortasse, aut sellam Regiam, aut equos requiritis, quibus illum Rex voluit honorare? & nubes lucida non semel à terrâ sublimem in aëra pendulum evexit; quæ ut de Elia Tostatus, *in modum currus igniti condensata fuit.* Aut, ut in rem nostram Chrysostomus, exponens illud Actorum 1. de Christo resurgente: *Et nubes suscepit eum*, sic ait: *Quemadmodum* CURRUS REGALIS DECLARAT IPSUM *Regem, sic ad illum missum est* REGALE VEHICULUM, *in quam formam nubes efformata illum in cælum evexit.*

Bartol. lib. 1. nu. XXVII. Tostat. in lib. 4. Reg. c. 2. quæst. 4. Chrysost. apud Lyran hic in Acta.

Sic non semel, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit, raptus est Ignatius, & extra se toto octiduo, in paradiso fuit, quæ tunc audivit, & vidit, non licet homini loqui.

4. Fuit insuper favor eximius Reginæ matris illum visentis, & Dei mittentis, quæ non semel cum delicioso filio suo, Principe Infante, illi è cælesti curiâ adfuit, mentisque integritatem ab omni deinceps immunditiâ immunem contulit. Quin & Constitutiones in cubiculo, Deo revelante scribenti, adstitit, & dictavit.

Bartol. lib. 1. n. VI. Bidermann. Lancic. opusc. 18. cap. 5. Imag. 1. Sæc. p. 584

5. Nec est, quod viæ ducem cælitus missum desideretis; non ille aliquis è beatis illis mentibus centurio; sed ipse Rex gloriæ, *Ignatio* se ducem præbuit. Quis Rex id honoris ulli unquam subdito? Dum Venetias contendens à comitibus itineris destitutus esset, Christus se illi, ut aliàs, videndum obtulit, recreatum mirificè intra ipsa Patavina mœnia primum, inde Venetias sine errore, & offendiculo, comes, & dux perduxit. Neque terra solum, sed & mari adfuit: in navigatione enim Jerosolymitanâ sese illi plus vice simplici exhibuit, & in portum Palestinæ perduxit. Hierosolymis quoque cum ab homine barbaro dirè percuteretur, mira consolatione Christum Ducem præeuntem, seque animantem spectabilem habuit.

Bartol. l. 1 n. XVIV. Imag. 1. Sæc. cit.

6. Scire vultis, quam arcanorum Dei conscius fuerit Ignatius? quædam, Deo revelante, partim abdita, & secreta cordis aperuit; partim etiam multo post futura, sine ullo errore prædixit. Ut prodigiosis exemplis, quæ longum esset enarrare, Maffejus in vita lib. 3 cap. 14. Bartolus lib. 1. num. XXX Bidermannus, & Ribadin. ostendunt.

Maffej l. 3 cap. 14. Bartol. l. 5 in initio. Lancic. opusc. 18. cap. 3.

7. Non diopteris, aut tubo optico illi opus erat, ut distantia, & longè à conspectu remora intueretur; uno sibi, à cælesti Rege, immisso radio, ut præsentia intuitus est. Sic mortem Agnetis, nobilissimæ matronæ, quæ Barcinone obierat, Romæ existens cognovit. Sic Simonem Roderigium, Bassani gravissima febri correptum absens vidit, & sibi restituendum prædixit. Leonardum Kesselium, Coloniæ Agrippinæ tactum desiderio videndi, vel semel Ignatium, momento præsens Ignatius coram invisit.

8. Ostenta forte quædam mirabilia, & illustria amœnitatis spectacula, quæ hominis raptum, sensumque excedunt, cupitis? Talia non

Ribadin. l. 2 cap. 6. Maffej. lib. 2. c. 11. non rara sancto Patri objecta: dum in Cassino monte orationi intentus, absens vidit animam Hosii, & Joannis Codurii, clarissimâ luce radientem conglomerantibus Angelis in cælum ferri: nec semel bipatentibus cæli valvis Divorum atria & gloriam Domini spectavit.

9. Neque tragœdiæ, neque comœdiæ defuere, quibus summus Imperator eum dignatus est: tot enim extitisse censendæ sunt, quot cacodæmones expulsi sunt, quot patrata miracula; quam acerbus quippe, & tragicus stigiis monstris ex habitaculo humano egressus, tam grata, & optata liberatis, ac omni morborum genere persanatis, atque à morte resuscitatis fuit comœdia. Quæ verò rerum omnium amœnissima scena fuit, ipsam Divinarum personarum, modò simul omnium, modò singularum, atque ipsius divinæ essentiæ visionem, mentis oculis objectam fuisse, Scriptores vitæ affirmant. Bartol. l. 1 num. 14. Maffej. Biderm.

10. Sed præ his omnibus, in perpetui signum favoris, & pignus amoris, ut suam familiam, *Iesu* summi Regis nomine indigeraret, ei divinitus concessum, & revelatum est, quod in omne ævum permansurum.

11. Nonne illi Deus cælestium gemmarum, tot divinarum gratiarum fontem apperuit, & omnium divitiarum thesaurum ostendit, dum in sacra hostia, se ipsum omne bonum ostentavit? Bartol. cit.

12. Denique, si non transeuntia dumtaxat, sed perenniabeneficia consideres, eum non solum in supremi Regis gratiâ stabilitum, sed indies magis in eâ incrementum consecutum, ac tandem ad id muneris, & dignitatis assumptum, ut fortissimi, & gloriosissimi exercitus Archistrategus, semperque duraturæ phalangis, auctor, & Ductor constitutus sit, atque adeo, ut Deo peculiariter dilectum extitisse, fatearis necesse est.

s. Pars. Ignatius dilectus etiam hominibus probatur. Nunc ad alteram partem veniamus, quâ non Deo tantum, sed & hominibus dilectum fuisse Ignatium comprobemus.

Quod olim Syracides de Moyse: *Dilectus Deo, & hominibus.* Syrus interpres vertit: *Dilectus etiam in oculis hominum*, id est, magni habitus, æstimatus, & amatus ab omnibus. Eccl. 45. v. 1.

Hoc autem discrimen est inter dilectionem Dei, & hominum, teste Divo Thoma, quod Deus diligendo quempiam, illi bonum aliquod donet; homines vero, ut alterum diligant, supponunt in eo bonum. Audite illum Angelicè disserentem: *Est differentia attendenda circa gratiam* (sive dilectionem,) *Dei, & hominis*: quia enim bonum creaturæ provenit ex voluntate divinâ, ideò ex dilectione Dei quæ vult creaturæ bonum, profluit aliquod bonum in creatura. Voluntas autem hominis movetur ex bono præexistente in rebus; & inde est, quod dilectio hominis non causat totaliter rei bonitatem, sed præsupponit ipsam, vel in parte vel in toto. S. Th. 1. 2. quæst. 110 art. 1.

Ex hac doctrinâ patet S. Ignatium mirificè dilectum, & æstimatum fuisse ab hominibus, quia magna dona, gratias, & eximias virtutes, ut sui amoris, & honoris fundamentum, adverterunt; quod inprimis de illo censuête domestici, qui oculati morum, actionumque omnium testes extitere. Certè Pater Ludovicus Gonsalvus, quo ministro utebatur, testatus est, se nullo piæ lectionis, vel orationis tempore taotopere commoveri, & ad amorem Dei accendi, quam quo intuebatur, vel agebat cum *Ignatio*. Franciscus Xaverius ita Ignatium in Christo *Patrem* complectebatur & venerabatur, ut etiam tum viventem non appellaret nisi *sanctum*. Hinc illi, & submisso interram genu scribere, & ad se ab illo data etiam de genu legere solitus erat. Quin, & in thecâ sua Reliquiarii nomen litteris præcisum obserarat, servabatque reverenter. Ignatius 1. dilectus domesticis. Lat. cit. 10. 1. p. 181 Imag. 1. Sæc p. 588

Jam Petrus Faber, Ignatii primogenitus, non alio unquam, quam uno illius exemplo visus est ad exprimendam in se, & sociis suis speciem consummatæ virtutis.

Franciscus de Borgia etiam tum Dux Gandiæ, videndi solum Ignatii causâ, ab ultimâ Hispaniâ, difficillimis itineribus, Romam venit, ubique contubernium sancti viri prætulit aulæ Pontificis, sibi ad hospitandum etiam ab ipso sanctissimo Domino sæpius oblatæ. Idem adscriptus deinde Societati, & sacris initiatus, non alibi quam in Loyolæâ domo primum fecit; & ipsum ejus solum, quod vel olim profano etiam tum pede presserat *Ignatius*, sæpe fuit demissis in terram osculis veneratus.

Atque hæc pauca è multis filiorum de Patre testimonia, non eò rejicienda, vel minoris habenda quod à domesticis prodiere: *Sanctorum enim judicia*, ut rectè Chrysostomus: *Nec ad gratiam nec ad amicitiam fiunt.* Chrysost. hom. 1. ad popul.

Alia longè illustriora Summorum Pontificum, Purpuratorum Patrum, Regum, ac potissimum Sanctorum hominum de Ignatio encomia, ne prolixior sim, qui volet, videre poterit apud Bartolum, Bidermanum Imag. primi Sæculi, &c. S. Ignatius ipsis Pontificibus, Cardinalibus & Regibus dilectus.

Quæ omnia manifestò comprobant Ignatium dilectum hominibus, ab usque in summo more & honore habitum fuisse.

Hoc itaque, quo cœpi acroamate concludo: *Dilectus Deo & hominibus* IGNATIUS, *cujus memoria in benedictione est*; idque jure longè meritissimo. quia summam virtutum & beatitudinis consecutus est, ut scitè Guerricus Abbas; *Paucis expressit scriptura bonum ac beatum virum. Paucis, inquam, comprehendit summam perfectionis, plenitudinem gratiæ & virtutis, simulque & beatitudinis perennis.* Quod sic prosequitur: *Quid enim deesse potest ad æternam felicitatem illi,* Eccl. 45. Guerric serm. 3. de S. Benedicto.

qui

QUI A DEO DILIGITUR ? *Quid ad præsentem consolationem illi*, QUI AB HOMINIBUS DILIGITUR ?

Miseri, qui ut hominibus placeant, Deo displicent.

Quæ potest major obtingere felicitas, quam ut quis *dilectus sit Deo & hominibus* ? quod non præstat nisi vera sanctitas ; à quâ quantum distat humana perversitas ? Qui ut hominibus placeant, Deo displicent : ut favorem, gratiam, amicitiam hominum, malè agendo, & bona omittendo, aucupentur, illam Dei postponunt, & horum ac illius amittunt : qui ob respectus humanos, ne à libertinis exsibilentur, quod animos non habeant ad vindictam, ad duella procurrunt : quod scrupulosiores ac verecundiores sint, ad popinas & prostibula se induci sinunt : quod Religiosiores ac magis pii in templis, in frequentatione Sacramentorum, omnibus neglectis, & Deo spreto, se pravis adjungunt. Qui respectus humanus etiam in viris Religiosis, & sanctimonialibus causa est non semel, ut à Sancto proposito desistant, liberioribus consuescant, ac Deo gravissimè displiceant, dum hominibus placere student.

Alii hominibus placere conantur, quia lucrum, officium, favorem, filiis aut nepotibus promotionem sperant, quorum gratiâ ne excidant, potius illam Dei contemnunt. Quid Pilatum induxit ut Christum morti traderet, cujus innocentiam perspectam habebat ? quid enim mali fecit ; *nullam causam invenio in homine isto* ; & conabatur eum ex manibus Judæorum liberare.

Ioan.18. v.38. Luc 23. v.14.

Optimè affectus erat ; sed quid animum ejus immutavit ! quid ineorem pervertit ? nisi diabolica hæc Judæorum vociferatio : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Hæ solæ voces bonam illam Præsidis indolem immutarunt, justum judicium perverterunt, & iniquissimam hanc sententiam extorserunt : VOLENS POPULO SATISFACERE, *tradit* IESUM *flagellis cæsum, ut crucifigerent.* Volens populo satisfacere, volens populo & Cæsari placere, Christum tam horrendæ lanienæ tradidit, & Auctorem vitæ morte condemnavit. *Nescitis* vos quotquot estis Pilati asseclæ, *quia amicitia hujus mundi, inimica est Dei ; qui ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Nescitis quid Regii Psaltis oraculo Deus ex alto detonet ? *quoniam Deus dissipavit ossa eorum* QUI HOMINIBUS PLACENT ; qui potentum favore & amicitiâ, velut ossium robore fulti, illi se & eorum subsidio, & Dei præsidio destitutos ac turpiter deceptos invenient ; ut pessimo illi duorum latronum accidit, qui post immania patrata flagitia non cessavit in ipso mortis articulo, ubi Christum Redemptorem patis supplicii comitem habebat, horrendis blasphemiis lacessere, non alio intuitu, quam ut placeret Judæis, & eorum gratiâ forte morti eriperetur. Hanc rationem reddit Cardinalis Gotfridus : *In passione nostri Salvatoris latro ille qui in sinistris positus fuerat*, ET ADULABATUR JUDÆIS, *& convitiabatur Christo* ; confisus hac adulatione captare eorum gratiam, ut morti eriperetur. At secus accidit : nam & horum & Christi gratiâ excideos, corpus & animam perdit : *Et malam vitam pejori morte finivit, & recepit sicut meruerat.*

Ioan.19. v.12. Marc. 15. v.15. Iacob.4. v.4. Psal.52. v.6. Gotfrid. serm. de Latrone. Ibid.

O quisquis es, qui hactenus gratiam & favorem hominum tam putidè emereri, imo obsequio & servitio instar mancipii aucupare conatus es, hæc tecum attentè perpende, atque hoc pulcherrimum ac saluberrimum Guerrici Abbatis monitum usurpa : *Longè fac, Domine, à servis tuis gratiam illam, quæcumque sit, quæ adimere, aut imminuere gratiam tui possit.* Nam ut subjungit : *Quid est favor humanus, nisi ventus urens, aura corrumpens, latrunculus spolians, homicida insidians ?* qui quidquid bonorum operum, orationum, jejuniorum, eleëmosynarum perpetrasti ut hominibus placeres, evertat, & aufert ; quin & opes, & favores, & amici, in quibus habebas fiduciam, cum maximè auxilio esse deberent, destituent, & Deus, quem contempsisti, spernet. *Facit divitias*, inquit, *non in judicio : in medio dierum suorum derelinquet eos, & in novissimo suo erit insipiens*, CUM OMNES AMICI EIUS SPREVERINT EUM, PRO QUIBUS SPREVIT IPSE DEUM. *Tunc fiet sermo qui scriptus est* : QUONIAM DEUS DISSIPAVIT OSSA EORUM QUI HOMINIBUS PLACENT.

Guerric. serm 3. de S. Benedicto. Guerric. cit. Psal. 52 v.6.

O verè insipientes, & stulti corde, *miserabiliores omnibus hominibus*, & illi, qui dum mundo & Deo : carni & spiritui, duobus dominis servire & placere volunt, utrique displicent.

1. Cor. 15.

Hanc insaniam Divus Basilius apud Cassianum amarissimè deplorat in viro senatore *Syncletico* nomine, qui spreto sæculo & senatoriâ dignitate, Ordinis sui habitum assumens, quædam sibi è sæculi bonis clam reservârat : *Et Syncleticum*, inquit, *perdidisti, & monachum non fecisti.* Vide mortalium infelicissime, quid egeris, quò deveneris ? quia conditionem senatoris perdidisti, & illam monachi non acquisivisti : officio & dignitate senatoria excidisti, & veri ac pauperis monachi meritum, ac gloriam æternam amisisti : *Syncleticum perdidisti, & monachum non fecisti.*

Basil. apud Cassian. lib.7. c.19 de spiritu philarg.

Quod, proh dolor ; locum habet in iis etiam qui in Religiosâ disciplinâ, sub habitu monastico vitam degunt, Deo serviunt ; sed & mammonæ, sed & vanitati & sensualitati suæ, sed & gratiæ humanæ & oculis hominum servire satagunt. Talis exstitit sanctimonialis illa in monasterio S. Mariæ, cujus miserandam sortem sic lamentatur Bernardus : *Volens sub habitu, & nomine Religionis, instar unius de sæculo conversari, sola Deum à te voluntate repuleras ; non autem valens, quod stultè volebas, non tu quidem mundum, sed te mundus repulerat. Deum ergò repellens, & à sæculo repulsa, inter duas, ut dicitur, sellas corrueras. Nec Deo itaque vivebas, quia nolebas : nec sæculo, quia non poteras.*

Berard. Epist. 115.

Hoc

Hoc itaque agamus, ut si dilecti esse hominibus studeamus, Deo in omnibus, & per omnia placeamus; inter proximos exemplariter, & sine offensione vivamus, nec ob respectus humanos quidquam, quod Dei oculos offendat, committamus: Breviter sanctus Paulinus: *Beata esset nostra conditio, si aquè Deo, ut hominibus vel displicere timeremus, vel curaremus placere. Si tantum praecepta Christi, quantum populi sibila veremur: & si tanti laus quae ex Deo est, quanti ille de vulgo plausus emeretur.*

S. Paulin. epist. 33. ad Alethium.

Quo fieret ut, etiam vel ipsis improbis, & sceleratis, venerationi & admirationi, imò & amori essemus; uti Moyses, Ignatius, aliique Sancti, vel ipsis Dei, & Ecclesiae hostibus. Hæc non mea, sed aurea Chrysostomi doctrina est: *Bonos, nemo est adeò impudens & sceleratus, qui non laudet & admiretur: hujusmodi enim res est virtus, ut etiam ab his qui illam non sequuntur, laudetur.* In eundem sensum Bernardus: *Pseudo Prophetam Balaam recolite. Et ipse iniquus, justorum mortem optabat, & novissima sua horum similia fieri precabatur. Tantus est pietatis fructus, tanta justitiae merces, ut ne ab ipsis quidem non desiderari queat impiis & injustis.*

Chrysost. in Psal. 11.

Bernard. serm. 7. in Psal. qui habitat.

Sic & Ignatius *dilectus Deo & hominibus*, probis, summis ac imis, ipsis etiam hæreticis venerationi, admirationi, & terrori fuit: *Nec facile dixerim, quid virum adstruat sanctiorem, horum favor, aut pavor illorum.*

V. Imag. 1i saeculi l. 5.

Bernard. serm. de S. Victore.

* *
*



FESTUM
SANCTISSIMI PATRIARCHÆ
DOMINICI,
CELEBERRIMI ORDINIS PP. PRÆDICATORUM FUNDATORIS.

4. Augusti per Octavam.

Collocavit ante Paradisum voluptatis CHERUBIM.
Gen. 3. v. 24.



Custos es divitis horti. Virg. Eclog. 7.

ARGUMENTUM.

DE Paradiso, an, ubi, quando exstiterit, hallucinantur Theologorum, & Patrum ingenia, sic etenim Ambrosius: *quidnam sit Paradisus, & ubi sit, qualisve sit, cum ne Paulo innotuerit, nec eloqui licuerit*, quæstio difficilis habetur, sicut fuerint, qui metas allegorias, aut fabulas de horto illo deliciarum, etiam graves auctores commenti sint; qui non nisi mysticè, ac moraliter, Paradisum, Ecclesiæ, plantas verò ac flumina, virtutum germina ac gratiarũ fluenta intelligi voluerint. Quos solidissimè Theologorũ Phœnix, Doctor Angelicus refutat; ex quò, ubi terrestrem Paradisum, locum voluptatis, artifici Dei manu plantatum ostendero, tum spiritualiter Paradisum Ecclesiam, ante cujus fores *Cherubim*, Sanctissimus Patriarcha *Dominicus, custos divitis horti*, romphæa ignea, & gladio ancipiti verbi Dei, adversus omnes hæreses, & hostes Ecclesiæ (quos Domini canes allatrare, & admordere non cessant) constitutus est, patebit. *Amb. post lib. Hexam. lib. de paradiso cap. 1.*

Cælestem autem Paradisum in terris, quem condidit *Sanctus Dominicus*, ipsum Sanctissimum PP. Prædicatorum Ordinem esse, è quo quatuor flumina, 1. divinæ scientiæ. 2. lacrymarum. 3. Sanguinis. 4. cælestium deliciarum emanavit, deducemus; ac tandem Rosas, ac Rosaria, nec non Lilia hujus Paradisi semper florentia describemus.

§. I. *Eximius Patriarcha* DOMINICUS, *à cælesti scientia lumine, quo hæresum noctem, & altas scelerum tenebras discussit*, CHERUBIM *exstitit*.

§. II. S. DOMINICUS *Alter* CHERUBIM, ANTE PARADISUM, *id est, Ecclesiam*, POSITUS, FLAMMEUM GLADIUM ATQUE VERSATILEM VIBRANS Gen. 3. v. 24.

§. III. *Florentissimus* S. DOMINICI *Ordo, Paradiso comparatur, & longè supra terrestrem per omnes proprietates extollitur.*

§. IV. *Paradisi* DOMINICI *Rosaria, colore & odore fragantia.*

§. V. *Hujus Paradisi illibatæ virginitatis* LILIA, *mentis oculis delibanda proponuntur.*

FESTUM

FESTUM SANCTISSIMI PATRIARCHÆ DOMINICI, CELEBERRIMI ORDINIS PP. PRÆDICATORUM FUNDATORIS.

Collocavit ante Paradiſum voluptatis CHERUBIM.
Gen.3.v.24.

An, & ubi exſtet Paradiſus.



Olers mortalium ingenium hactenus ſtudioſè iodagavit, & diſceptavit, quis locus fuerit Paradiſus, & cur nullo adhuc tempore ab hominibus repertus ſit? deniquean etiam nunc exſtet hortus ille deliciarum, & omnis amœnitatis viridarium, quo Henoch & Elias tranſlati dicuntur?

V. Ambr. 4 lib de Paradiſo cap.1.

Ac primùm quidem, Theologorum Princeps Aquinas hanc quæſtionem movet: *Au Paradiſus ſit locus corporeus?* in quo magnorum virorum ingenia hallucinata ſunt, qui totam illam hiſtoriam de Paradiſo voluptatis, de fluminibus, plantis, meras allegorias eſſe voluerunt. Sie ſenſit Philo Sudalus, quem ſecutus Origenes in Geneſim, Paradiſum ponit noo in terrâ, ſed in tertio cælo, in quem raptus eſt Paulus; per arbores autem Paradiſi, virtutes Angelicas; per flumioa verò, aqoas quæ ſupra firmamentum ſunt, interpretatur. S. Ambroſius quoque Philoois, & Origenis veſtigiis inſiſtens, tradit hortum quem plantavit Deus; *Paradiſum ipſum non terrenum videri poſſe, non in ſolo aliquo, ſed in anima virtutibus, & infuſione ſpiritus Dei; ligna plena vigoris, ſpirautia eſſe, & rationabilia;* quos ſolidè refutat Doctor Angelicus, fundamento ex ſacris litteris petito: *Quæ commodè dici poſſunt de intelligeudo ſpiritualiter* PARADISO, *nemine prohibeute dicautur; dum tamen & illius hiſtoria fideliſſima veritas, rerum geſtarum narratione commendata, credatur.* Quare licet myſtico, ac morali ſenſu hæc accipi poſſint; *hiſtoria tamen veritas tuenda eſt,* Paradiſum verè à ſummo orbis artifice conditum, corporeis plantis, fluminibuſque exornatum *in parte orientali, nobiliſſimo loco totius terræ couſtitutum,* quod qui negant, & ſimilem illis Elyſiis poëtarum campis eomminiſcuntur, merito ridendi, & explodendi ſunt, ut aureè Chryſoſtomus: *Ideò Moyſes deſcribens* PARADISUM, *& nomeu loci Heden, & plagam orientalem, & nomina fluminum, ferè nota omnibus, tam ſubtiliter, & accurate enarravit, ut non liceret uegari, volentibus decipere ſimpliciores, diceudo nullum fuiſſe in terrâ* PARADISUM, *ſed in cælo;* *& alias fabulas, ſuaque ſomnia jactando;* quæ à ratione, à veritate, & ut Auguſtinus loquitur, ab orthodoxâ fide aliena ſunt; unde & Hieronymus: *Conticeſcant eorum deliramenta, qui umbras, & imagines in veritate quærentes, ipſam conantur evertere veritatem: ut flumina, & arbores, &* PARADISUM, *putent allegoriæ legibus ſe debere ſubruere.*

S Th 1. par. quæſt. 102. art. 1

Ambr. Epiſt. 42. ad Sabinum.

S Th. cit. ex Aug l. 13. de civit. c. 21.

Ibid.

Chryſoſt. hom. 13. in Gen.

Auguſt. l. de hæreſ. num. 59.

S Hieron. in Daniel. cap. 10.

Quibus poſitis, verum vobis, ac genuinum Paradiſum terreſtrem, atque omnis amœnitatis viridarium, paucis depingam, ejuſque delicias, omniumque ſenſuum oblectamenta, ubi mentis oeulis delibaveritis, alterum animis veſtris paradiſum cæleſtem Eccleſiam, longè exeellentioribus plantis, ac fluviis ſpectabilem, longè amœnioribus deliciis affluentem, quem divinus Cherubim *Dominicus*, flammeâ verbi Dei romphæa, contra omnes Hæreticorum incurſus, ac malevolorum inſultus tuetur, hodiernâ luee contemplandum proponam. Tum denique florentiſſimam magni Patriarehæ familiam, Paradiſum eſſe, & rectè nimeupari poſſe, contendam: *Ibi porrò non terrenarum tibi commendatur arborum copia; ſed virtutum atque ſpiritualium jucunda, decoraque plantatio.* Ibi flumina ſapientiæ, quæ irrigant univerſam terram; ubi Religioſæ modeſtiæ violaria, illibata virginitatis lilia, & ſine ſpinis Mariani cultus Roſaria, ut ſuo loco uberius deduccmus.

§. I.

Eximius Patriarcha DOMINICUS *à cæleſti ſcientiæ lumine, quo hæreſum noctem, & altas ſcelerum tenebras diſcuſſit,* CHERUBIM *exſtitit.*

MUlta ubivis gentium, ae terrarum, viſuntur illuſtria oculorum, ſenſuumque irritamenta; multa, magnaque nativæ pulchritudinis miracula; ſpectantur nemorum amœniſſima viridaria, & hortulorum gemmantium prata: : celebrantur Adonidis, Aleinoi, Heſperidum horti, ac præ his in admirationem, & ſtuporem rapiunt, Semiramidis iſti penſiles, in quibus conſtruendis trecenta millia hominum deſudaruot; verum hæc omnia humanæ induſtriæ

Raderus in Martial.

duftriæ miracula, cucumeraria sunt, si cum horto deliciarum, cum paradiso voluptatis, quem supremus omnium rerum opifex Deus, omnipotenti sua manu condidit, conferantur; imò tantum deliciosissimos principum virorum hortos, qui fuisse memorantur, vel & hoc ipso tempore visuntur, antecellit, quantum requirebat is ipsius paradisi artifex, cujus est infinita sapientia, bonitas, & potentia: & illi, quibus hæc habitatio, sanctitate & innocentiâ Dei filii, Principes universæ terræ, & omnibus naturæ, ac gratiæ donis cumulatissime locupletat; quantum denique Paradisus ille æternæ felicitatis postulabat, cujus specimen aliquod, atque adumbratio, hoc ectipo parabatur.

S. Basil. hom. 30. de Paradiso. Unde Selucienfis Antistes, in illa verba: *Plantavit Deus Paradisum*, sic ait: *cogitemus dignam Deo plantationem, nempè* PARADISUM, *incomparabilem & eximiam pulchritudine, calu ac tanti opificis: locum admiranda pulchritudinis, nullas tenebras habentem propter altitudinem. Illic plantavit Deus, ubi non est ventorum violentia, non aeris intemperies, non grando, non fulmina, non hiberna congelatio, non æstivi calores*: sed ut Poëta haud dubiè è sacris paginis edoctus:

Ovid. lib. 1. Metam.

Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:
Nec renovatus ager, gravibus canebat aristis.

T Pier. in Gen l. 3. q 3. Capacitatem hujus viridarii Tostatus ad quadraginta milliaria in circuitu extendit; alii universâ Europâ ampliorem tradunt, montibus, & fluviis inaccessum, ac tandem communi orbis diluvio haustum, ac planè destructum. Chrysostomus, quem refert Eugubinus *aquarum illuvie, inquit, arbores amœnissimas eversas esse, terram autem qua suaves herbas pareret, verticibus rapidissimis dissipatam fuisse, alioqui locum delicatum concidisse, eque oculis mortalium evanuisse, ut post diluvium ne vestigium quidem appareret.* Juxta illud: Gen. 7. v. 19. *Aqua prævaluerunt super terram: opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo quindecim cubitis*; Ergò & paradisum involverunt, cujus omnis amœnitas, cultore suo distituta, etiam tempore defluxit.

At paradisum, de quo hic agimus, Ecclesiam, non modo divina manus plantavit, sed & orbis Redemptor pretiosi sanguinis sui imbre rigavit; Nec Adamus aliquis prævaricator, sed Christus humani generis Salvator, eum immenso cum labore excoluit, & in sudore vultus sui, per plures annos in eo operatus est. Quare ut ad mores veniamus, & argumentum propositum aggrediamur, illud cum Divo Thoma ex mente Augustini præmittendum est: Aug. l. 8. de Genes. ad lit. c. 1 *Non ignoro de* PARADISO *multos multa dixisse; tres tamen de hac re, quasi generales sunt sententiæ. Una eorum qui tantummodo corporaliter* PARADISUM *intelligi volunt. Alia eorum qui spiritualiter tantum. Tertia eorum, qui utroque modo* PARADISUM *accipiunt: aliàs corporaliter, aliàs spiritualiter. Breviter ergò ut dicam, tertiam mihi fateor placere sententiam*: atque hoc sensu spirituali *Ecclesia qua nos congregat charitatis sinu, Paradisus dicta est*, præ cujus foribus cælestis ille Cherubim DOMINICUS à Deo positus est.

Probat idipsum, quo nullum illustrius, æterni Patris ad Catharinam virginem Senensem oraculum: S. Catharina Senens Dialog. c. 158. DOMINICUS *dilectus filius meus, & tuus Pater, ordinavit naviculam suam ordine perfecto; ut videlicet attenderet solum ad honorem meum, atque ad salutem animarum, cum lumine scientia, ad extirpandos errores, & hæresi illo tempore pullulantes*. Elogium illud cælestis Patris breve quidem, si verba spectes; at prolixum, si rem ipsam expendas.

DOMINICUS, inquit, *dilectus filius meus*; quid de illo Sanctorum dici potest excelsius, quid excellentius, quam quod de *filio Dei* aliquando pronuntiavit? *Dilecti* nomen amabile, & *filii* æterni Patris, naturæ vox, & simul indulgentiæ, atque beneficentiæ singularis, prorsus admirabile.

Argumento illud manifesto est, quod eadem virgo Senensis in excessu mentis viderit *Dominicum* in ipso Patris æterni corde, unà etiam cum *Iesu*, Patris æterni filio; vidit inquam, & simul audiit: *ô filia*, vides in corde meo hinc *Iesum*, inde *Dominicum*; ille mihi naturalis, hic adoptivus est filius. Illum ab æterno genui, hunc in tempore: & quia in hunc peculiari ferebar amore, volui esse in corde meo simul cum IESV, ut sic mihi essent quasi gemelli filii; naturalis ille, hic adoptivus. S. Dominicus filius æterni Patris, & cum Iesu in corde ejus spectandus proponitur. Hactenus Catharinæ Pater alternus; qui fortè ad eam amoris scenam, corpus assumpserat, & in suo corde DOMINICUM habebat, ostendebátque; quid ergo mirum, si etiam Patri æterno fuerit *dilectus*, si & filio fuerit in amoribus, & intimè amicus? Appello Divæ Theresiæ, imo & Christi fidem, atque auctoritatem. Servator optimus pro eo quo erat in *Theresiam* amore, ei se spectandum dedit, una cum Dominico, de quo adjecit & illud: *Iucundare cum amico meo*; ecce *amicum* appellat, quod amantis est, est amati.

Hic vero partes amici omnibus numeris cumulatè implevit: cujus officium primarium, scitè & erudite tradit D. Thomas, dicens: S. Th. 2. 2. quæst. 184 a. 7. ad 2. *Hoc esse majoris dilectionis signum, ut homo propter amicum etiam alii serviat, & opituletur, quam si soli amico velit servire.* Hoc quam ardenter præstiterit DOMINICUS, paucis attendite. Cum Hispaniam totam, imò & propè Europam occupasset valida fames, etiam Palentiam, in qua tunc studiis vacabat, mæsta illa civitatis facies, extremaque pauperum indigentia, adeo divinum hunc virum permovit, ut primo quidquid in usus suos habebat pecuniæ, in illos effuderit; atque hac consumptâ, suppellectilem omnem suam, dein & bibliothecam erogarit. Ad eum, tanquam ad commune miserorum perfugium, venit paupercula, cujus frater miserabili casu à Mauris captus duram trahebat servitutem, venit inquam, petitque lytrum in parata pecuniâ, qua eum redimeret. S. Dominicus amore dilecti sui Jesu, omnia sua in amicos ejus, id est, pauperes effudit. Quid hic *Dominicus*? pecunia omnis in pauperes effusa, supellex divendita, oppignoratum licet amplum patrimoniū, reliquum omninò nihil. Quid igitur? seipsum obtulit

lit in servum, in mancipium, & hoc, loco fratris, loco amici sui Jesu, quem in illo agnoscebat.

Suspexit aliquando, & stupuit idipsum in Divo Paulino omnis ætas, quod hic fecit in insula, jamque ætate maturâ, & ingravescente; at *Dominicus* adhuc sæculo mersus, nec sacris initiatus, primoque ætatis flore, sed & secundo, & quoties sese obtulisset occasio: Idem enim iteratò præstitit Catholico à fide naufrago, cujus calamitatem ut sublevaret, & à peccati, dæmonisque servitute redimeret, spontaneæ servitutis suæ pretio, se Jesu exemplo captivum obtulit, ut pretium animæ rediineret.

S. Thom. opusc. de beatit. c. 7. Norat ille, quod postea genuinus tanti Patris filius D. Thomas docuit: *Christus ad nos servitute eximendos, factus est quasi servus emptitius.*

Ab hoc perfectissimo charitatis exemplari, docentur illi in luxum, in voluptates effusi, & prodigi, mancipia cupiditatum, aureis vinculis colligati, homines in egenos ferrei; in quus ore quidem aureo, sed sermone super omnem chalybem acuto, sic fulminat Chrysostomus: *Dicunt, rodat tinea, & non comedat pauper: absumat vermis, & nudus non induatur.* Quibus ita sunt sua curæ, quomodo se oppignorarent? Canibus inhumaniores sunt, qui & Lazaro ablandiri, & ulcera lambere visi sunt. Chrysologus: *Miser dives! si panem non dedisti, quare vel abigere canes noluisti? sed mitiores-te, canes tui, imò tu sævior canibus tuis; nam te saviente, illi parcunt, qui non ad morsum dentes, sed linguas ad obsequium protulerunt, ut in modum spongiæ, non vexent vulnera, sed detergant. Canes lambendo semper curant vulnera sua. Canes ergò curant pauperem magisterio natura, & homo negligit hominem, ipsa graviter accusante naturâ.* Non sic canis ille cælestis Dominicus, qui pauperum ulcera linxit, & vulneribus ac ulceribus medicatus est.

Chrysost. hom. 37. ad pop.

Chrysol. serm. 121.

Damian. ex hort. ad charit.

Hic *ordinavit* Religionis suæ naviculam, probè compactam, *dilectionis bitumine*, adversus fluctus, & tempestates, ictus & extus munitam, exercitatis omni rerum scientia epibatis, acargonautis, ne quidquam frendentibus calumniarum turbinibus, hæreseosque procellis, instructam, quæ huic mundo, ceu vasto mari supernatet, & libero cursu, aspirantibusque melioribus auris efferatur super undas ævi hujus mortalis, usque dum intret in portum æternæ beatitatis, in quem & suos alumnos importet, & alios inoneros, eâdem navi, iisdemque remis adjutos; quod ut faceret eventu non minus certo, quam feliei, atque optato, voluit id fieri *ordine perfecto*, ut primum *Dei honor*, dein *animarum salus* spectetur, qui est finis divinorum omnium perfectissimus, ac divinissimus, vitam mixtam complexus; de quâ orbis lumen, & Ordinis columen Doctor Angelicus, ubi acri quo pollebat ingenii acumine expendit, utrum perfectius sit per vitam contemplativam ardere, an verò per activam lucere, præclarè concludit, utrumque longe præstantissimum: *Quia Re-*

S. Th. 2. 2. q. 188. a. 2.

ligiosus status ordinatur ad perfectionem charitatis, quæ se extendit ad dilectionem Dei, & proximi. Ad dilectionem autem Dei directè pertinet vita contemplativa, quæ soli Deo vacare desiderat; ad dilectionem autem proximi, directè pertinet vita activa. At sicut majus est illuminare, quam lucere solum; ita majus est contemplata aliis tradere, quam solum contemplari. Quamquam vitæ mixtæ rationem, nudæ activæ, aut soli contemplativæ præferendam, communis omnium Doctorum sententia est, ut apud Suarem videre est; ut si quis, inquit, nunc exerceatur in amore Dei; alter vero simul æqualem amorem exercendo, actu prædicet; sine dubio hic posterior magis merebitur: quia habet totum meritum amoris, & ultrà prædicationis. Quod paucis nervosè expressit Bernardus: *Est*, inquit, *tantum lucere vanum: tantum ardere parum: ardere, & lucere* PERFECTUM. Et patet eumprimis in absolutissimo omnis perfectionis exemplari, Christo Jesu, ut docet S. Isidorus: *Quibusdam*, ait, *sola contemplatio proficit; aliis verò sola activa est consolatio; his media, utriusque composita*, UTILIOR *est. Nam quod Salvator per diem signis & miraculis in villis coruscabat, activam nobis commendabat vitam; quod verò in nocte per orationes tam diu pernoctabat, vitam contemplationis significabat. Idcircò Dei servus, juxta imitationem Christi, nec actualem vitam omittit, & contemplativam agit; aliter enim incedens, offendit: sicut enim per contemplationem amandus est Deus, ita per actualem vitam amandus est proximus; ac per hoc non possumus esse sine utrâque vitâ, sicut sine utraque dilectione.*

Vita mixta, solâ contemplativa, aut activa perfectior.

Suarez. de Relig. tom. 4. tract. 9. lib. 1. c. 6. n. 8.

Bern. ser. in nativ. S. Ioann. Bapt.

S. Isidor. lib. differ. apud Suarem cit.

Utar & ego eisdem S. Isidori verbis, & dicam: *Idcirco Dei servus* DOMINICUS *juxta imitationem Christi, filii Dei, ipse filius æterni Patris indigetatus*, per sublimem contemplationem exarsit in amorem Dei, & per actualem vitam effusus ad dilectionem proximi, se, suosque impendit.

Ac primum quidem altissimam cælestium contemplationem ab ipsâ Dei matre edoctus, modo à sensibus penitus alienus in extasim rapiebatur: modo sublimis à terrâ, & cælesti quadam luce conspicuus apparebat: modo totus fundebatur in lacrimas, & singultus animæ colliquescentis: modo felices catholicis armis successus oratione impetrabat: modo peccatorum, ac Hæreticorum, ad meliora conversionem deposcebat, obtinebatque. Quid, quod in omnia elementa, in inferos, in mortuos imperium exercuerit, ut velut omnipotens aliquando dicere auditus sit: *Senihil unquam à Deo petiisse, quod non impetrasset.* Excepit has voces Sociorum aliquis, & continuò subjungens: mi Pater, inquit, pete obsecro, ut ille celeberrimus Doctor Conradus in tuam adscribi velit familiam; cui *Dominicus*: difficile id quidem; si autem id petam, futurum confido ut impetrem. Proximam noctem totam orando traduxit: sequenti mane, Doctor Conradus in Ordinem admitti postulavit.

S. Dominicus vitâ contemplat. & activâ.

S. Dominici oratio omnipotens.

Surius in vita.

Qui fit hodiernâ die tam raros ejusmodi divinos oratores inveniri? tam multa à multis indies

Morale.

indies rogari, nec impetrari? paucis Apostolus causam exponit, dicens: *petitis & non accipitis, quia malè (& mala) petitis*, quæ negare, majus beneficium, quam dare. Idipsum Paulus Romanos edocuit: *quid oremus, sicut oportet, nescimus*; in quæ verba S. Thomas, qui Paulum meruit habere Doctorem: ab eoque illustre hoc retulit testimonium, *tantum subtilem Pauli doctrinam penetrasse, quantum quidem assequi potest quisquam in mortali corpore*, sic ait: *considerandum est, quod duo dicit nos Apostolus nescire: scilicet quid petamus, & modum quo petere oporteat, ita, inquit, aliquis desiderat bonum temporale, quod tamen sibi vertitur in periculum mortis.*

Iacobi. 4. Ad Rom. 8. Elogium S. Thomæ Cornel. in in proæmio ad Epist. Pauli. c. 5. S. Thom. in epist. ad Rom. 8.

Quo ad modum verò, docet: *orationem fore efficacem, si ad sint conditiones: scilicet ut piè, & perseveranter, & ad salutem.* Quid stulti mortales à Deo postulant? divitias, honores, fluxa & caduca, pro his Deum invocant; alterna, cælestia, quæ animæ salutem, quæ Dei gloriam spectant, non curant: *plerumque negotiator venit ad orationem*, inquit Ambrosius: *& avarus de pecuniâ cogitat: alter de lucro, alter de honore: alter de cupiditate; & putas quod eum Deus potest audire:* Hic orat, ut merces secure in portum appellant; alter ut opulenta ad se hereditas perveniat; alius ut pace firmatâ mercatura vigeat: *quotunes Deum invocant: sed non in veritate: quia aliud ab ipso quærunt, non ipsum quærunt.* Deum summum, & unicum bonum non invocas; regnum Dei quod primò petendum, non invocas, ut veniat ad te: gratiam cælestem, ex quâ omnia emanant, ut veniat ad te, non invocas.

Idem in epist. Iacobi. c. 4. Ambros. lib. 6. de sacram. c. 5.

Stultæ matres, & patres, invito cælo, ac repugnante naturâ, prolem calidis precibus, & magnis votis efflagitant, de prole spirituali, de fructu virtutum, de fœcunditate bonorum operum, parum soliciti. Plerosque invenire est, qui sibi, filiisque longiorem vitam, corporis valetudinem à Deo, prospera omnia postulant; nec tecogitant quod plura millia damnatorum, cælo fuissent recepta, si minus diu vixissent, aut gravius ægrotassent.

Quis vestrûm liberis suis valetudinem animi, vitam immortalem in cælis, media ad illam per religiosam disciplinam postulavit? si hæc cum DOMINICO, *piè, perseveranter ad salutem* petieritis, pia vota, & sancta desideria Deus exaudiet, & oratio velut omnipotens, omnia impetrabit, elementis, brutis, hominibus, vivis, mortuis, inferis, superis, imperabit.

An non omnipotens oratio, exclamat Bernardus, *cui omnia possibilia?* quod ut omnibus manifestum sit, ostendam *D. Dominicum*, qui fuit *filius æterni Patris*, admiranda & stupenda prodigia, quæ Salvator noster, omnipotenti virtute, sibi communicatâ perpetrasse, ut quod primis Apostolis, & huic viro Apostolico promisit Ioan. 14. v. 12. *opera qua ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.*

Miracula S. Dominici, cum iis quæ Christus fecit, cõparantur.

Christus clausis januis ad discipulos ingressus est, *Dominicus* oratione clausis templi ac monasterii januis, cum Religioso ordinis Cisterciensis in tempestâ nocte, ad filios suos penetravit.

Surius. in vita. lib. 1. cap. 3.

Christo super aquas ambulanti, Petrus quoque ambulans occurrit: *Dominicus* cum socio etiam undas calcavit. Christus *imperavit ventis, & mari*; DOMINICUS ad quadraginta fluctibus haustos, ubi se in preces dedit, conversus ad fluvium, submersis imperavit, & dixit: *præcipio vobis, ut omnes ad littus evadatis.* Mira res! confestim ad eius vocem, omnes qui tamdiu sub aquis pressi latuerant, cunctis cernentibus, qui ad illud spectaculum confluxerant, *super nudas emergerunt*, Laudes Domino, & Dominico celebrantes. Verum, quor animas stygiis undis eripuerit, & de profundo lacu liberarit, quod beneficium altioris est ordinis, infra dicemus.

Idem lib. 4. c. 3.

Christus paucos panes multiplicavit, & pavit esurientes; *Dominicus* sæpius: cum frater Rudolphus exiguum panis frustum quod superêrat, Religiosis apponeret, S. Patris meritis augebatur, ut omnibus sufficeret. Eiusdem cœnobii Procurator, dolens retulit, non nisi duos panes in domo esse, & *quid hæc inter tantos* cum magna esset fratrum multitudo; jubet vir Sanctus panes in minutas partes confringi, easque *Benedicens* distribui, & *manducaverunt omnes, & saturati sunt*, ut fragmenta superfuerint.

Surius. lib. 3. cap. 11. Ibid.

Christo jam fame & jejunio propè exhausto, Angeli ministrarunt; idem & *Dominico*, nec semel, nec soli, sed Religiosis omnibus, panem & vinum ministrarunt.

Quid mirum, Auditores, in vestris familiis, tales famulos desiderari, panes deficere, non multiplicari? non est qui cum DOMINICO, *jactet cogitatum suum in Domino*, ut se enutriat: non est qui fiduciâ plenus in Domino, panibus Benedicat; quod si fieret, eundem contestante Chrysostomo, fructum referretis: *nam mensa*, inquit *ab oratione sumens initium & in orationem desinens, nunquam deficit: sed fonte largius, omnia nobis afferet bona.*

Chrysost. hom. 79. ad pop.

Filum pertexo: *Christus* varios energumenos curavit; servus Dei, dæmonia plurima ejecit, & sibi obtemperare ad unguem fecit. Audite quam in pius Hilarius an œnus Poëta ad vivum depinxit piam comœdiam.

Imperium in dæmones.

DOMINICUS, illud aureum caput sacri
Ter, & colendi, terque venerandi Gregis,
Quam gratus astris, tam fuit, si quis fuit,
Invisus orco, invisus orci principi. &c.
Factum est in orco ut cum suis tribulibus,
Certaret imi quispiam subsellii,
Pro mille cyathis igne mixti sulphuris,
Centumque plagis dedolando tergori,
Si non DOMINICUS ruere in casses suos,
Saltem leviculasset minoris noxia,
Dumque ille noctis in pio silentio
Vigil exararet rem suo bonam Gregi,
Sensim nigellus in beati cellulam,
Et per caminum labitur damunculus
(Nigros nigra decent ostia) & mox simiæ
Vestitur ora, tamque turpis simia,
Risum ut cieret, & cieret nauseam:
Mediâque cellâ cæpit instar histricis,
Nunc dexterorsum, nunc sinistrorsum in caput
Volvi, & revolvi, more nunc hinnulluli,
Aut lusitantis sphærulâ feliculæ.
Videbat, & tacebat, interim pia

Pia Hilaria. Angelini Gazæi ex vita S. Dominici. lib. 2. c. 7.

scri-

Scribens DOMINICUS. *Inde mirus morio,*
Figmenta mira factitat miris modis:
De ventre tumido, molle tympanum creat,
De nare bifidâ tibiam, mox cum sua
Tripudiat umbra satyricè, ac jonicè.
Super ergò mensam scriptitantis involat
Ardelio nugax. Hic repentè DOMINICUS
Nutu sinistra luminumque fulgure
Mandat, ut eodem restet in vestigio.
Age, inquit, istoc ne pedem ex aduc loco,
Et hunc velis, nolisve, cereum gere;
Paret misellus, & novus jam Lucifer
Fronte caperata restat, & cum cerde
Ardente fixus ingemit; pergit tamen
Divo facessens, quà licet negotium
Stridore grandi dentibus dentes molit. &c.
Interim pia
Scribit DOMINICUS; *interim ardens cerei*
Edacis ignis damna tandem sentiens,
Morti propinquat & propinquat unguibus.
Vicinus ardet, ole, res agitur tua.
Hic Panto-mimus vertit Histrioniam:
Exuere tentat simiam; non est potis.
Comœdus esse desiit: tragœdus est,
Reapse flammis ustulatus pollicem,
Reapse frendet, ululat, implorat Stygem,
Stygem universam. Scriptor interim pius,
Ioco pudenti, sub cucullo, lugubres
Ridere questus, lacrymasque simul.
Is abire tandem jussus ictu virgula,
Celerior Euro se recipit ad suos,
Ubi mille pateras astnantis sulphuris,
Ictusque centum compluendo tergori,
Conventa juxta pacta, victus pertulit
Vivat DOMINICUS, *& triumphet, dæmonem*
Qui versipellem in pelle multavit sua.

S. Dominicus innumera omnis generis peccata ex animis expulit, dæmoniis peiora.

Sed quæ lingua explicet, aut quis animo complectatur, quot millia cacodæmonum sanctissimus hic Patriarcha animis expulerit, & fœdo luxuriæ, iracundiæ, invidiæ, iræ, temuleotiæ dæmone liberarit? tot inquam, quot peccata mortalia, omni dæmone atrociora, fugavit, eliminavit, extinxit. Possem hic afferre, quam gloriosè alter *Dominicus Anadonus*, tanti parentis filius de dæmone triumpharit. *Anadono* ad Valeotini cœnobii fores excubanti de more, mendicabili habitu, lacera in veste, Satanas se obtulit, ac stipem infimis precibus institit eblandiri. *Anadonus* & suopte ingenio in pauperes facilis, & importunis precibus impulsus, jusculi patinam dedit. Hic verò proprius bonorum hostis, patinam ipsam in os benefici senis adeò violenter est ejaculatus, ut annis, ac laboribus imbecillum, humi affligeret quidem; sed tamen victoriam, quam eâ perebat injuriâ, non reportaret: nam *Domini* patientia, contumeliam æquo animo dissimulantis, superbissimam belluam in fugam egit, non sine rubore, & fœtore.

P. Ioan. Rho. varia virt. hist. lib. 6. cap. 3. §. 3.

Morale. peius esse peccatū in animo, quam dæmonem in corpore habere.

Misereri eos dum energumenos à dæmone infessos, horrendum torqueri, ac discruciari cernimus, at longè majori commiseratione digni sunt, quorum animos peccatum mortale occupavit, quod præcellentes illas Angelicas intelligentias, in fœdissimos dæmones solū commutavit. Augustinus: *Deus creavit Angelum bonum, & rectum* (creaturam nobilissimam) *at ipse vitio suo, diabolum se fecit*, ipsa prima Veritate de Juda proditore testante, *unus ex vobis* DIABOLUS *est*. Ex quibus verissimum patet illud Chrysostomi: *non ita magnū est à Dæmone liberari, quam à peccato*: PECCATUM DÆMONE PEIUS EST. Exemplo, & probationi servit, quod legitur in vitâ S. Hilarionis: cum juvenis quidam vicinam virginem deperisset, eamque in partes suas pelliceret, effecit philtris, & magicis artibus, ut ab immundo spiritu obsessa fuerit: *quæ perducta à parentibus* (ut refert Hieronymus) *traditur, seni* (Hilarioni) *ululante statim, & confitente dæmone; vim sustinui, invitus sum adductus. O cruces! O tormenta, quæ patior? non exeo, nisi Adolescens, qui ligavit, dimiserit.*

August. lib. 11. de genesi ad litt. cap. 16.

Chrysost. in Acta. hom. 41.

Hierony. in vita Hilarionis

Tum senex: dic, quare ausus es ingredi puellam Dei? Ut servarem, inquit, eam virginem. Tu servares proditor castitatis: cur non potius in eum, qui mittebat, ingressus es? ut quid, respondit, intrarem in eum, QUI HABEBAT COLLEGAM MEUM, AMORIS DÆMONEM? quem solum in animo habere, hoc est ipsum luxuriæ peccatum, peius est, quam centum, imò millia dæmonia habere in corpore.

Quare ingens beneficium fuit, quod Benignissimus Redemptor, mulieri peccatrici contulit, dum ut Marcus ait, ex ea *septem dæmonia eiecit*; ubi ad propositum nostrum S. Gregorius: *quid per septem dæmonia Maria habuit, quæ universis vitiis plena fuit*. Quid ergo beneficii miseris mortalibus Thaumaturgus noster non contulit, dum non septem dumtaxat, sed innumera ejusmodi dæmonia eiecit? Sed non hic sisto, ad alia festinat oratio.

Marci 16. S. Greg. hom. 33. in Evang.

Ad *Christum* adducti omnes, qui quacumque infirmitate tenebantur, & sanavit omnes. *Dominicus* imperavit febribus, nec solum corpora fœda tabe putrescentia curabat, sed etiam vermes inde scaturientes in gemmas convertit. Longè tamen plures à morbis animi, quorum *febris avaritia, febris superbia, febris iracundia, febris luxuria erat*, salubriter curavit.

S. Dominicus æterni Patris filius, Christo filio Dei in aliis miraculis confertur.

Lib. 2. vitæ cap. 9. & 14.

Christus denique tres mortuos in vitam revocavit, *Dominicus* quoque, etiamnum in vivis tres mortuos suscitavit: è quibus Adolescens *Napuleon*, cujus cadaver miserandâ concussione horribiliter fædatum, hisce verbis Sanctissimi Patris. *adolescens in nomine Domini tibi dico surge* evestigio surrexit.

Nihil prope tantam mortales in admirationem rapit, quam mortuorum resuscitatio, at longè altioris virtutis, scelerum, quam morborum curatio: sublimioris potestatis est animarum, quam corporum à morte resuscitatio, quia ut rectè Chrysostomus: *præstantius est anima mederi peccatis mortua, quam iterum revocare ad vitam mortua corpora*, iterum moritura; quanto autem mors animæ, acerbior morte corporis (ut alibi diximus) tanto etiam vita ejus, præ alterius, longè præstantior, & excellentior. Atque adeò in sanctissimo hoc Patriarcha completum illud: *Majora eorum faciet.*

Morale, de resurrectione spirituali.

Chrysost. in cap. 14. Ioan.

Lux Evang. part. 1. Dom. 15 post pent.

Ioan. 14.

Majora illa exponit primo Origenes, hæc esse, quòd homines fragiles vincant carnem, dæmo-

Origen. hom. 7. in Numer. Cornel. in Ioan. cap. 14.

dæmonem, & mundum. Secundo, Augustinus, majora hæc esse censet, conversionem omnium gentium, factam per 12. Apostolos. tot millium gentilium, & Hæreticorum per Apostolicum virum *Dominicum*; Christus enim longè pauciores convertit, scilicet quingentos dumtaxar tot enim numerantur 1. Cor. 15. v. 6. *quæ sunt ista majora?* inquit Augustinus: *an forte quod* (Petrus) *ægros umbrâ sanabat? majus est enim quod sanet umbra, quam fimbria. Discessit ab ore Domini, dives tristis; & tamen postea, quod ille tunc non fecit, fecerunt multi* qui ab ore *Dominici*, ad Christum, ad Evangelica consilia, ad vitam Religiosam accurrerunt. Subdit tandem majora hæc perpetrari per justificationem: *Et hoc majus esse dixerim, quam creare cælum, & terram: hæc enim transibunt, prædestinatorum autem salus, & justificatio permanebit.*

Corn. hic.

Augustin. tract. 72. in Ioan.

Aug. cit.

Dominicus majora miracula quã Christus, patravit.

Ex quibus rectè conficitur Thaumathurgum DOMINICUM majus aliquid in centenis millibus, per ipsum divinâ gratiâ justificatis perpetrasse, & mundum reformasse, quam si cœlum & terram ex nihilo creasset.

Principes inter Theologos ea quæstio ventilatur, an majoris virtutis sit aliquid ex nihilo creare, quam jam in facto esse, conservare. Quidam sentiunt difficilius esse, rem ex non esse, trahere & elevare ad esse, quam modo extractam, in esse conservare.

Contra, cum communi SS. Patrum, & Scholasticorum sentit S. Thomas: *dicendum est, quod conservatio rerum à Deo, non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis, quæ dat esse: sicut continuatio luminis in aere: est per continuatum influxum à sole*, qui non majorem debet præbere influxum ut lumen in aliquo loco tenebroso producat, quam ut productũ conservet.

S. Thom. 1. p. q. 104. art. 1 ad 4 Lessius de summo bono. lib. 3 cap 4. n. 3 34 Idem de perfectionib. divin. lib. 10. cap. 4. Augustin. lib 4. de gen. ad litt cap 12.

Suffragatur Cajetanus, Durandus, Gregorius Ariminẽsis, Scotus, aliique è Patribus. August. cũ *Dominus ait, Pater meus modò operatur, cõtinuationem quandam operis eius, qua universam creaturam continet, & administrat, ostendit. Si conservatio*, est continuatio operis, idest operationis divinæ, ergò non distinguitur à primâ operatione, quâ creatura est producta; subditque: *si ab hac operatione cessaverit, eas continuo perituras*, & in nihilum abituras. Chrysostomus hom. 2. in epist. ad Hebræos: *portetque omnia, id est gubernet omnia; siquidem cadentia, & ad nihilum tendentia continet: non enim minus est continere mundum, quam fecisse; sed si oporteat aliquid admirandi dicere, adhuc amplius est* (nempe conservare) *nam in faciendo, rerum quidem essentia producta sunt, in continendo verò, ea quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur*. Huic doctrinæ subscribit Ambrosius, dicens: *amplius esse, mundum continere & conservare in suo esse, quam initio creare, & dare esse.*

Aug. cit.

Probatur plus esse mundum conservare, quod *Dominicus* fecit, quam creare.

Lessius. cit.

Sed quorsum ego hæc nunc, & hic apud vos disputo? nisi ut intelligatis, si *Dominicus* orbem servando ne periret, ne mortalium genus ad æternos inferi cruciatus devolveretur, amplius quodammodo patrarit, quam si è nihilo creasset, eum velut omnipotentem admirari ac venerari debeatis.

S. Dominicus orbem ruentem servavit.

In æde principe D. Petro sacrâ, in Vaticano, vigilem in oratione noctem exigebat DOMINICUS, cum ecce visum aperiri cælum, & in eo Christus, irato vultu, scintillantibus oculis, vindiceque manu; armata scilicet tribus lanceis, quas in scelerata mortalium capita, & mundum perditum, jam jam erat vibraturus, nisi derepentè supervenisset Augusta cæli Regina, Dei mater, quæ ad Filii pedes supplex accideos, pronam in fulmina manum sustinuit, adiiciens illud miserentis: tantisper siste Fili, manumque cohibe vindicem, neve genus humanum perde, pretium utique tui sanguinis. Sit illi modo locus misericordiæ, cui aliquando amoti fuit, & dolori tuo: amoti inquam dum in terris viveres: dolori, dum in cruce moriens expirares.

Cui Christus, ceu amans filius: an non despicis, O Mater, quam immania mundum involvant scelera? ea certe, quibus finem, modumque ponere tandem debeat hæc ipsa vindex manus, & fulmina. Jamque genus humanum & Orbem universum perdidisset, nisi hæc ad eum misericordiæ Mater: juste vindictam in scelesta capita exereres, nisi spes esset vitæ aliquando melioris. At unde ea spes, O Mater? cui illa: duo mihi sunt in terris famuli, iique in paucis fideles: ii pro mundo perdito interpellant, hi qui verbo, qui exemplo facient homines pœnitere.

Dixerat, & DOMINICUM manu prensans, filio exhibuit, ostentavitque: tunc etiã FRANCISCUM. Et hic & ille ad Christi pedes accidit, itaque positæ cælestium iræ, atque hi orbis jam ruituri, & generis humani in æternum perituri conservatores, & firmæ Ecclesiæ columnæ extitere. Non tales, quales in aulis Regum, ac principum, utinam non in domo Dei, in Ecclesia Atlantes, & telamones apparent, de cujusmodi, severo supercilio Romanus Philosophus: QUANTUM COLUMNARUM EST, NIHIL SUSTINENTIUM: *sed in ornamentum positorum, impensa causâ?* ad ornatum & luxum. In caminis sic vides effictos è marmore satyros, & telamones, suis veluthumeris gravissimo oneri succollantes: cum interim tota ædificii moles, parietis alicuius fulcro, quod à tergo est, innitatur. Quot hac tempestate, *columnarum, nihil sustinentium?* dum ad sæcularia, aut Ecclesiastica munia, ad Cathedras sacras, ad curias politicas, ad magistratus, illi assumuntur, qui nec virtute, nec zelo, nec scientiâ, nec prudentiâ, quidquam virium, roboris, ac constantiæ habent, ut onus sibi impositum sustentent, Ecclesiam rempublicam labentem fulciant: sed in aliorum humeros reiiciunt. Atque hæc hactenus de efficacia orationis, & amabili gratiâ, quo apud Omnipotentem valuit dilectus Deo, & hominibus *Dominicus*. Ausim ex eodem fonte deducere orbem Christianum plus debere *Dominico*, quod mundum per se suosque prædicando, virtutum exemplis illustrando reformarit, quam si crearit: de ipso etenim adhuc infantulo, hoc exstat oraculum: cum luce quadam solenni sacerdos sacris operaretur, & ad populum conversus, de more dicere debuisset usitatum illud: *Dominus vobiscum*, extulit illud ad puerum præsentem: *ecce reformator Ecclesiæ*: moxque

Morale.

Seneca. epist. 86.

In Bulla can. 12.

S. Dominicus reformator Ecclesiæ.

moxque cognito errore & lapsu linguæ, ut rebatur, iterum conversus ad circumstantes, dum nititur pronuntiare: *Dominus vobiscum*, iterum edit illud: *ecce reformator Ecclesiæ*; idque tertio protulit, oculo voceque ad puerum conversus: *ecce reformator Ecclesiæ*; quod vaticinium effectus comprobavit, dum per se, ac suos, Italiam, Hispaniam, Angliam, Brittaniam, orbem universum peragrans, prædicatione verbi Dei, vitia exstirpavit, virtutem inspiravit, moresque depravatos reformavit: ad quod munus ab æterno Patre peculiariter delecti sunt, dum ait: *Maria dedit illis habitum, & ego officium*; quod vobis omnibus, tanti parentis Filiis est donatum, ut essetis prædicatores, hoc est cælestis verbi præcones, Evangelicæ tubæ, organa divini Spiritus, cæli linguæ, satores æternitatis, mysteriorum Dei dispensatores, & orbis universi Reformatores; quos inter, ut dignitate, sic officio primus est *Dominicus*, qui illud Pauli, cujus spiritum hausit, usurpare posset: *positus sum ego* PRÆDICATOR. Lubet illius me minisse temporis, quo infans jacebat in cunis, cum ecce illi examen apum advolare, atque in ore parvuli *Dominici*, velut in alveari mellificare visum est. Prognosticon fuit, quod futura aliquando eius melle dulcior oratio, & mens cerea, mens Virgo, quæ conciperet, aleretque ignem divini amoris, & lucem undequaque spargeret exempli, vitæque sanctioris.

Vita activa Filii S. Dominici divinitus electi ut sint Prædicatores Evangelii per orbẽ universum.

1 Timoth. 2. v. 7.

Jactarit olim Augustus se Romam lateritiam reformasse, & planè marmoream reddidisse; longè meliori titulo gloriari potes, O magne Heros *Dominice*, quod multo augustius opus molitus sis, dum non Urbem sed orbem luteum, & scelerum colluvie cænosum; divinæ gratiæ fulgore, ac virtutum præstantiâ, aureum, reformando reddidisti.

Fuit hæc utraque contemplativa & activa, non Salvatoris nostri dumtaxat, sed & omnium Apostolorum, atque eorum sectatorum vita, ad quàm vos Religiosissimos viros, & *Prædicatores* verbi Dei incitare potest, brevis, sed efficax divi Basilii adhortatio: *quid Apostoli, nonne quoque Dominum suum imitati, nonne assidui in laboribus erant? Animadverte Paulum indefessè laborantem, contentique itinera facientem, navigantem, pericula adeuntem.* Interim etiam *sine intermissione orantem, cum lachrimis, & gemitibus Deum obsecrantem.* Et infra concludit: *quamobrem praeclarè is facere existimandus est, qui cum Domini, & discipulorum, atque adeo discipulorum ipsius, animi virtutem, & corporis exercitationem sibi imitandam proposuerit, haud quaquam otio marere corpus sinit; sed in optimis assiduè officiis illud continet.*

S. Basil. constit. monast. cap. 5.

In quo Joannem Baptistam, qui ote divino, *lucerna ardens, & lucens*, appellatus etiam imitandum proponit; *qui cum aliquando ex arcano quodam Dei consilio, se in solitudine illa tenuisset; in loca culta postea egressus est, ibique praedicando, illa sua demum apud Herodem intrepidâ animi libertate certaminis sui finem invenit.*

Habet & Prædicatorum Ordo Baptistas suos, qui ex orationis, & vitæ arctioris deserto, quasi ex umbrâ in solem, ad prædicationem, ad perfrictas Regum, & Principum frontes, *intrepidâ animi libertate* proruperunt. Talis exstitit, de quo agimus, Maximus Patriarcha *Dominicus*: talis exstitit *S. Petrus Martyr* Veronensis, qui ab infantiâ, spiritu Dei afflatus, hæreticorũ dogmata impugnabat; unde cum semel à scholis reversus, à patruo Manichæo rogaretur, quid à magistro didicisset, confessus est Deum visibilium, & invisibilium esse conditorem, quod execrandis Manichæorum dogmatis repugnabat. Quare ipse patri persuasit, ne illum ad scholam mitteret, prophetans ut alter Caiphas, quod ad provectiorem ætatem perveniens, hæreticorũ futurus esset gladius. Talis exstitit S. Vincentius Ferrerius, antiquâ Ferrariorum familia in Hispaniâ natus, qui cum sibi, ac Deo totus arderet, flammas suas in proximum sparsit, vi tantâ, ut satis constet Judæorum viginti millia eidem reconciliata, publicis flagitiis infamiũ, quadraginta millia ad innocentiam reducta. Ardorem prædicandi inde intelligas, quod capitalia ausos, cum ad furcam comitaretur, oratione primum effervescere mox colliquescere, denique in cineres redegerit, felicissimo supplicio amoris extinctos.

Ad hunc tam nobilem finem, infudit Deus Dominico *lumen scientiæ*, quæ singularis prærogativa solis Cherubinis propria est. CHERUBIM, inquit Augustinus *sedes est gloria Dei*, & *interpretatur plenitudo scientia.*

S. Dominicus Cherubim fuit scientiâ.

Augustin. in psal. 79 qui sedes super Cherubim.

Cum orbis Christianus densis ignorantiæ tenebris, aliâ scelerum caligine, & horridâ errorum, hæresumque nocte consepultus jaceret, Dominus pietate motus, illum voluit reformare: elegit *unum Cherubinum, alterum Seraphinum*, DOMINICUM, & FRANCISCUM (de quo suo loco) duo corpora, sed unam animam. Cherubinus hic *plenitudine scientiæ*, tenebras fugavit, caliginem discussit, noctem dissipavit, atque omnes errores, & hæreses illo *tempore pullulantes extirpavit*; qua in re, inquit Eruditissimus scriptor Wadingus, primas eum sustulit *Dominicus*. De *Simone* sacerdote magno extulit illud Ecclesiasticus: *quasi stella matutina in medio nebula.* Nimirum ut illa nebulam sua luce dispergit, sic & Simon, Oniæ filius, & Altissimi sacerdos, in medio populi, quasi nebulæ, ab erroribus & vitiis perobscuræ, illuxit, quà doctrinæ, quà sanctitatis luce, ac fulgore, & tenebras dissipavit. Quod Simoni Ecclesiasticus appinxit elogium, hoc ego D. *Dominico*, qui vel ab ipso baptismi fonte: *quasi stella matutina in medio nebula: sic ille effulsit in templo Dei.* Porrò cum sacris aquis elueretur infans, matrona nobilis quæ eum suscipiebat, vidit ex illius vultu radios emicare, qui deinde in illius fronte coaluere, & *stellæ* figuram expressere, non sine amabili prodigio. Unde in Sacro eidem accinitur:

Corn. Mu?us. n. n. 2. post Pascena VVadeng. Annal Min. in apparat n. 18.

S. Dominicus toto orbe hæreses & errores exstirpavit.

S. Catharina Sen. Dial. cap. 158.

VVading. cit n XIX

Eccl 50.

S. Dominicus stella fuit in medio nebulæ.

Stella micans in fronte parvuli,
Novum jubar præmonstrat sæculi;

Quod splendore suo universi tenebras dissipatet, diemque rederet meridianum, atque sublimes inter Doctores, velut stella fulgeret in perpetuas æternitates. Has enim verò omniũ voci-

vocibus, hodierna luce, Deo laudes decantat Ecclesia, quod *gloriosis* D. DOMINICI *meritis, & doctrinis illuminare* orbem Christianum dignatus sit; unde & Doctor Angelicus, per apositè *solem omnia illuminantem* indigetavit, cujus fulgore caligo scinditur, & infetorum monstra fugantur.

S. Thom. serm. de S. Dominico.
Ovid. trist.

Cum subit illius tristissima noctis imago, Et tetra illa orbis facies, immanisque tempestas, longe gravior quam credi possit, & qualis non fuit ab initio, illo insurrexit tempore. Multis modis persecutus est Ecclesiam diabolus; sed numquam ferè gravius, quam tunc; quia numquam fuit major perditio Christianorum, nec liberior, nec securior transgressio divinorum præceptorum. Ecclesiam incipientem persecutus est per tyrannos: proficientem per hæreticos, & jam lætam atque florentem per utrosque voluit opprimere. Carnem cruciavit in martyribus, rationem perturbavit in simplicibus; at tunc & corpus gladio, & animam lethiferis occidit doctrinis. Undique horror, undique periculum, foris gladius, intus dolus, & corruptorum morum iniquitas.

Tempore S. Dominici gravissima Ecclesiæ persecutio, & status miserrimus.
VVading. cit. n. 1. 2. &c.

Quæ hæreses grassatæ.

Grassabatur tunc, & latè serpebat infesta illa Waldonis civis Lugdunensis secta, ab eo Waldensium dicta, miris stultitiis, & pudidis hæresibus satis famosa, quæ obedientiam negabat summo Pontifici, imo totum Ecclesiæ Romanæ statum damnabat, potestatem corporis Christi conficiendi, & à peccatis absolvendi, Laicis tribuebat, aliaque hujus generis dogmata, in magnam Christianorum perniciem undique spargebant.

His perniciosior, & salvior illuvies Albigensium, quos alii Albigesios, Albianos, Albienses, & Albios, ex Albiâ Cadurcarum u…be in Galliâ, indiscriminatim vocant. Diaboli invidiâ, sub Innocentio. III. ut author est Cæsarius, horum hæreses cæperunt pullulare, vel ut verius dicatur, maturescere. Multos errores ex Manichæis hauserunt, alios prompserunt ex Origenistis, plurimos ex insano suo cerebro confinxerunt. Brevi temporis spatio usque ad mille infecit *hæc pestis civitates, & nisi Cherubim Dominicus*, ut infra dicemus, romphæâ suâ bis acutâ, & flammeo verbi Dei gladio stetisset ante Paradisum, id est Ecclesiam, timebatur ne orbis, ut tempore Arrii, se ingemuisset hac hæresi depravatum, ac perditum. Mitto sub idem tempus exortos Almaricanos, quoium Almaricus, natione Gallus, patria Carnotensis, & auctor & fautor fuit? Prærereo alias pestes Maronitarum, Georgianorum, Catarorum Pateronorum, aliasque sequaces.

Cæsarius l. 5. illust. mirac. c. 21. 22.

Longum esset recensere diras Ecclesiæ persecutiones, gravissima Regum ac Imperatorum inter se, & adversus Christi Vicarium, prælia, & seditiones. Fredericus I. Alexandro III. ita adversari cœpit, ut eum ad Francos fugere compulerit, & quatuor Antipapas, Victorem, dein Paschalem, mox Calixtum, denique Innocentium in ejus odium sacrilegè crearit. Fredericus III. prædecessores vicit nequitiâ: favit Saracenis, spoliavit templa, persecutus est Ecclesiasticos, & summum Ecclesiæ caput. Cardinales in vincula conjecit, factiones Gibellinorum, & Guelforum, ad Italiæ exitium conciravit, & auxit. Quid quid denique mali suus genius suggerebat, effreni suâ potentiâ perpetrabat. Reges quoque inter se dissidebant, Philippus Galliæ, & Joannes Angliæ Reges, mutuis se peruntarmis. Nec his pacatiores Sanctius Navarræ, Alphonsus Castellæ, alius item Alphonsus Legionis dynasta, qui alterna invadentes Dom…, omnia vastabant, expilabant, evertebant. Nulla fides, nulla pietas, ubique fraus, rapina, cædes, sacrilegia, scelera tam latè dominabantur, ut domus Dei concuti, & ruinam minitari videretur, nisi Atlantem, in tempore opportuno, qui validis lacertis succollaret, invenisset. De Simone Oniæ filio & sacerdote magno, pronuntiavit illud Ecclesiasticus: *in vitâ suâ* SUFFULSIT *domum, & in diebus suis corroboravit templum*; quæ propriissime ut supra attigimus, congruunt *D. Dominico*; hic etenim vitæ suæ sanctimoniâ, cælestis doctrinæ efficaciâ *suffulsit* Ecclesiæ *domum*, & solidis virtutum, cælestiumque prodigiorum portentis *corroboravit* Dei *templum*.

Bergom. l. 12. Suppl. ad ann. 1153. VVading. cit. n. 8.
Marian. lib. 11. Bonfin. decad. 2. lib. 7.
Eccl. 50.

Ita futurum, aliquando ostendit oblata summo Pontifici visio. *Innocentius* hujus nominis *tertius*, Romam evocarat Concilium Generale, ut de gravissimis Ecclesiæ rebus, ac nominatim de extinguendâ Albigensium hæresi ageretur; in hoc, cetera inter decreta, emanarat etiam illud, ut nullus imposterum alius Religiosus Ordo admitteretur, & si quis de novo exsurrexisse visus esset, is ad antiquiores revocaretur. Cujus etsi conscius esset DOMINICUS, divinâ tamen spe nixus, Pontificem adiit, comite Episcopo Tolosano, qui pro illo, & nervosè, & copiosè peroravit; sed repulsam passus est, Pontifice & suo & Concilii decreto tenacius insistente. Dum illa humano concilio agitantur in terris, alia divino nutu, jussuque parantur in cælis: nã dum Pontifex propositam sibi novi Ordinis formam, fortè animo recolit, nocte concubiâ, objecta illi hæc species. Ecclesia Lateranensis visa illi concuti, quassari, & immanem minari ruinam; dum scilicet in unam partem suâ mole inclinat, & inde collabascit. Dum hæc inter, stupet, dolet, timetque Pontifex, & ruinæ jam impendenti, ingemiscit; ecce ex adverso accurrit DOMINICUS, & Ecclesiæ jam in casum inclinanti, validos supponit lacertos, sustinet, imò & erigit.

Bergom. l. 12. suppl. ad ann. 1153. VVading. cit. n. 8. Eccl. 50.

Hic sibi & vigiliæ redditus communis Urbis, & orbis Pater, intellexit non humanis typis inpressam eam somni imaginem; sed planè divinis, & quidem ejusmodi, ut in iis legeret eum aliquando futurum Ordinem, qui Ecclesiam ab hæresi, & erroribus propè labentem, & depravatis Catholicorum moribus fatiscentem, sustineret, erigeretque. De quo imprimis certus, Episcopum Tolosanum, & DOMINICUM ad se ilicò revocavit, & *Prædicatorum* Ordinem admisit, confirmavitque.

Nec mirum, quia cæli typis impressum legerat etiam illud de D. DOMINICO: *in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum.* Agebat DOMINICUS annum quartum supra vigesimum, cùm igneâ verbi Dei romphæâ, per omnia propè Italiæ, Galliæ, Hispaniæ

S. Dominicus variis regnis hæreses extirpat.

niæ regna, hostes Ecclesiæ invadere, ac delere cœpit, tum etiam quidem Mauros, qui tum temporis eius partem longè maximam occupabant: deinde Albigenses, qui eas provincias longè, lateque sua hæresi, erroribusque infecerant.

Primarios hæreticos convertit. Ex his & illis innumeram propè multitudinem veræ fidei luce illustravit, atque eorum præcipua capita, imprimisque *Raimerum*, Episcopum Albigensem, & illius sectæ principem, quem non solum Ecclesiæ, sed deinde etiam Ordini suo addidit. Tunc etiam *Alphonsum*, hujus nominis VIII. utriusque Castellæ Regem, tum etiam *Alphonsum alterum*, Leonis & Galiciæ Regem. Ceteros in suis erroribus pertinaces, quos verbo flectere non potuit, scripto, divinoque prodigio fregit, ac vicit.

Quæ fuerint præcipuæ hæreses Albigensiũ. Præcipuæ Albigensium hæreses erant: 1. duos esse Deos, bonum unum, malum alterum. 2. antiquo Testamento, eique soli habendam fidem; novo autem minimè. 3. Baptismum infantibus nequaquam ad salutem esse necessarium. 4. coniugatos non posse, nec debere debitum petere, si salvi esse vellent. Contra hæc, aliaque, & verbo, & scripto, & lingua & calamo certare invictus pugil *Dominicus*, scripta sua cælitus dictata, Albigensibus legenda consignavit. Legunt porrò, & perlegunt contenta in iis Catholicæ fidei documenta, & valida contra infandos suos errores argumenta, tum inter se conveniunt ut jacerent ignem (cui forte tunc assidebant) si arsissent ista, atque in cineres abiissent, falsa Catholicorum fides probaretur; sin autem illæsa, intactavæ; omninò vera habenda. Placuit conditio. Igitur Albigensium unus, ceteris ferocior, eam luculentum ignem coniicit, in eo durant aliquamdiu, flammâ demum ea evomente, ac rejiciente. Tum iterum in ignem rejecta, & iterum illæsa. Denique & tertiò immersa, & ecce tertio integra evasere. Quid inde? crederes eo miraculo permovendos, edomandosque pertinaces animos; at minimè permoti, minimè edomiti, si unum eiusdem sectæ militem (qui fortè tum aderat) exceperis. Imò conveniunt inter illos, ne cui id miraculum proderent; at prodidit bonus ille miles, & DOMINICO aperuit, qui inde totus abut in Dei laudes.

Scripta S. Dominici in igne illæsa. Quod primo inter domesticos parietes ab *Albigensibus* factum, hoc deinde publicè, apertâque luce, ut publica foret fides. Cum designatus esset commodus dissertationi locus Catholicos inter & Albigenses, adfuit DOMINICUS, eoque verborum, & rerum pondere dixit, ut penitus obmutescerent hæretici, è quibus tum unus aliquis auditus exclamasse: non verbis certandũ esse, sed miraculis; his certe probanda fides seu Albigensium, seu Catholicorum: & horum, & illorum scripta, dogmataque tradantur igni; quæ illæsa eruperint, eorum proberetur fides. Hæc ille: DOMINICUS spe, atque fiduciâ in Deum plenus, annuit. Itaque à Judicibus, qui tum disceptantibus assidebant, primo Albigensium infanda dogmata in ignem luculentum immissa, quæ illicò flamma corripuit, atque in favillas, & cineres redegit. Tum S. DOMINICI scripta, in easdem flammas iniecta, è quibus evasere illæsa, intactaque, flammâ ea revertente, imo respuente; quod enim mireris, valido impetu rejecta in transversam trabem, in qua non sine miraculo, vestigia libri impressa, tribus in locis etiamnum videre est.

Hic primum stupuere Albigenses, tum indignari, ac furere, eademque DOMINICI scripta rapere, atque in flammas abjicere, & hoc secundo, ac tertio, è quibus semper innoxiè excessere, flammâ ut dixi, respuente. Id prodigii valuit plurimum ad confirmandos Catholicorum animos, & infirmandos Albigensium, è quibus prima Albigensium capita centum quinquaginta, manus victori *Dominico*, & veræ fidei dederunt.

Parum hoc, insuper plusquam centum hæreticorum millia Religioni Catholicæ reddita, damnatis prius *Albigensis sectæ* erroribus. Quare, dixerit olim de S. Hilario Pictaviensi Antistite augustum illud Hieronymus: *Hilarius inter procellas mundi, magnus* SUSTENTATOR *Ecclesiæ*, eo scilicet loci ac temporis, quo ingemuit totus orbis, & Arrianum se esse miratus est; dicam ego nominus verè: DOMINICUS *inter procellas mundi, magnus* SUSTENTATOR *Ecclesiæ*; sed & evertor Synagogæ Satanæ; perversi etenim Albigenses, signis & prodigiis convicti, manus dederunt. Indies his similia, & majora Dominicus, in Soriano perpetravit. *Hieron. in psal. 58.*

Sed nec moderni nostri novatores his commoventur. Universa Ecclesia *Hyacinthum*, nullo navigio Vandalum fluvium, sociis quoque expanso super undas pallio traductis, feliciter traiecisse decantat. Cum Christus Joannis 9. cæco à nativitate; visũ restituisset, & ipsi Pharisæi eum cæcum fuisse, & jam videre, diffiteri non possent, & in Synagoga rem discussissent, & parentes super eo interrogassent, pervicaces, ac pertinaces, quod oculis suis videbant, & omnium ore patebat, negabant & pernegabant dicentes: non est hic homo à Deo. Ita Matt. 12. v. 24. Marci 3. v. 22. Lucæ 11. v. 15. videntes signa & prodigia, arti magicæ, aut Diabolicis præstigiis imputantes, blasphemabant: *in Belzebuth Principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia.* In hos, & huiusmodi, cadit illud Augustini. *Magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Magnum inquam, & Diabolicum prodigium, & quis adeo perfrictæ sit frontis, & animo obfirmato, ac judicio pertinaci, ut contra torrentem Doctorum, omnium gentium, & nationum, Ministellus, textor, aut sutor, delira anus, suæ opinioni mordicus adhæreat, ac pertinaciter insistat; quibus cum Pharaone Exodi. 10. v. 2. Balaam Num. 22. v. 28. Achabo 3. Reg. 18. v. 38. 44. & Jeroboamo 3. Reg. 13. vindex Dei manus & æterna mors præparata est. Hæretici moderni miraculis non moventur. *August. l. 22. de civ. c. 8.*

Merito Augustinus de utilitate credendi, c. 17. & lib. contra epist. fundamenti. c. 4. dicit se teneri in Ecclesiâ vinculis miraculorum, & Richardus de S. Vict. l. de triu. c. 2. audet dicere: Domine, si error est, à te decepti sumus. V. Bellarm. tom. 2. l. 4. c. 14. p. 86.

§. II.

D. Dominicus *Alter* Cherubim ante Paradisum, *id est Ecclesiam*, Flammeum gladium, *atque* versatilem *vibrans*. Gen. 3. v. 24.

Ecclesia paradisus. Ecclesiæ hic degentis in terris, quod fingi potuit simulachrum vel formâ aptius, vel colore expressius, vel artis lenocinio spirantius, quam illud divina satum manu viridarium? ille hortus: ita quondam Divus Ephrem existimavit, magnitudine æquabat orbem, Ecclesia in omnes partes fusa, ubiq; gentium dominatur. Ille, si creditis Damasceno, cultore homine, contentus, errantes belluas procul omnes excludebat; hæc Apostolicorum virorum cincta comitatu, Ethnicorum, & Hæreticorum greges in exilium cogit sempiternum. In illo tandem, ut egregiè Basilius, puri sine defectu soles; in hac, perpetua sine defectu fides splendescit, Christo Servatore annuente: *Luc. 22. v. 32.* *ego rogavi pro te Petre.* (Græco transfero ex archetypo quæ sequuntur) *ne eclipsim patiatur fides tua.* Unde rectè Hipponensis præsul: *Ecclesia* *Aug. de gen. ad lit. l. 12. cap. 28.* *quæ nos congregat charitatis suæ*, Paradisus *dicta est*; quidquid porrò in hoc, in illâ longè excellentius repetire est: hic flumina, hic ligna fructifera, hic fructus uberrimi, hic lignum vitæ, lignum quoque scientiæ. Sic etenim idem Doctor Augustinus: *Aug. lib. 13. de civit. c. 21.* *possunt hæc etiam in ecclesia intelligi*, Paradisum *scilicet* ipsam Ecclesiam; *quatuor flumina, quatuor Evangelia; ligna fructifera; sanctos fructus autem opera eorum. Lignum vitæ, Sanctum Sanctorum, Christum. Lignum scientiæ boni & mali, proprium voluntatis arbitrium.* Præ foribus verò, primoque in aditu terrestris Paradisi, collocavit mundi opifex, & molitor Deus *Cherubim*, ancipiti gladio armatum: hic, ut præclarè *D. Dionysius*, viros sapientes, Apostolicos, zelo Dei plenos designat; qui ab Ecclesiâ, hostiles hæreticorum impetus amoliontur. Ad hoc tam excellens munus, delegit Summus Pontifex *Innocentius III.* Dominicum, quem omnium primum esse voluit, fidei *Inquisitorem*, quod & Confirmavit *Honorius* III. Quo in officio ita zelum pro domo Dei exeruit, ut quos nec rationum pondere, nec argumentorum convincentium robore à pertinaciâ abducere poterat, tum, quamvis invitus, patiebatur ut à brachio sæculari & ferrum admoveretur, & ignis, quo urerentur malesana corpora, ubi à meliore flammâ, igneque cælesti calere, ardereque animi recusassent. Neque is concitati zeli rigor, alienus fuit à Christianâ mansuetudine: uti nec alienus fuit unius Moysis zelus, itaque (à quâ ex idololatris ferro periêre viginti tria millia) nec magni illius Eliæ, quo octingenti & quinquaginta falsi Prophetæ ferro trucidati sunt. Quin & invocata à Dominico de cælo fulmina, quæ in adversa Deo capita, rebellesque animos evibraret; & ita evibravit aliquando cum Tolosæ esset; cum enim vidisset eos nec metu vinci, nec amore flecti, nec minis terreri, celo imperavit, & romphæam igneam, itaque fulmina in eos convertit, & flammâ vindice absumpsit? Quam utinam romphæam, Principes ecclesiastici, & sæculares in teterrima Ecclesiæ monstra evibrarent, quibus à Deo data authoritas, vis armorum, ensisque fulgor, ac tormentorum bellicorum fulmina, quibus meliùs arderent rebelles cælo, Deoque hæretici, quam hoc ævo Catholici.

S. Dominicus Cherubim ante Paradisum Ecclesiæ.

Ubi Psaltes Regius exclamasset: *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum*; zelo Dei incensus subiecit. *Psal. 78.* *effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt. &c.* & Psal. 82. cum Ecclesias Judæorum ab infidelibus cerneret acriter impeti, compellat Dominum, dicens: *ecce inimici tui sonuerunt, super populum tuum malignaverunt consilium. Disperdamus eos de gente, & nomen eorum non memoretur amplius.* Non minus Christi Ecclesiæ, eiusque gregi sunt infesti hæretici. Vel una Lutheranæ pestis eluvies, omnem propè Europam infecit, vastasset forsan Hispaniam, nisi Angeli (hoc enim nomine dignos Inquisitores hæreticæ pravitatis Auctor nomi nat,) se huic malo opposuissent, & ignem hæreseos, piaculari igne repressissent; Similes profectò Aaroni, qui *Lopez. epitom. SS. Patr. tom. 4. conc. tima. pag. 292.* postquam sensit, quod incendium multitudinem vastabat, tulit thuribulum, & accepto igne de Altari, Dei iram moderatus est, & plaga cessavit, & ignis ignem fugavit, Deo sic providente; dumque flammis traduntur pertinaces *Numer. 16.* hæretici, innumeri, quos seducere student, æterno eripiuntur incendio. Quam Hæreticorũ punitionem expressam censuit Doctor modernus illis verbis Eccl. 16. v. 7. *In Synagoga peccantium exardebit ignis.* (Per peccantes, *Lopez. ubi in fine.* antonomasticè intelligens hæreticos ob gravitatem suorum criminum) *& in gente incredibili exardescet ira*; in vexillo fidei, sic habet Hispania: *exurge Domine judica causam tuam*, cujus nomine *1 Mac. 6. & 1. Machab.* Inquisitores, Eleazari, & Malachiæ imitantes zelum, consurgunt, ut acerrimos Ecclesiæ hostes vel perimant, vel fugent. Hi sunt Angeli, *Exodi 14. 3.* qui populum ex Ægypto egressum ab hostibus tuentur, *cum ense versatili in Paradiso sunt* *Lopez.* *Ecclesia*, ut populum Dei propugnent, & inimicis adversentur. Quare hoc testamenti loco, *Magnus Pater Dominicus* extremo Spiritu filiis *Idem S. Petri Mart. pag. 93.* Prædicatoribus legavit, ut sanæ doctrinæ æmulis impugnarent; Patribus autem tertii Ordinis, qui de militia Christi dicebantur, instar Ordinum Militarium, ut armis debellarent, vel perderent quos alii gladio linguæ, ad frugem reducere, & sibi subdere non potuissent. Atq; ut olim Paulus, prævidens lupos ovile invasuros, cõmonet Timotheũ: *Prædica verbũ, insta opportunè, importunè: ego enim jã delibor, & tempus resolutionis meæ instat?* Unde necesse est, ut me *2. Timoth. 4.* discedente, substituaris. Quod & fecit Timotheus, qui in defensionem fidei mortuus est. Haud aliter jam morti proximus *Dominicus*, cum hæreses undique grassantes cerneret, Paulino certè Spiritu Filios suos ad hoc munus subeundum adhortatus est; quo in munere

nere filii, per varias orbis partes, à summo Pontifice Gregorio IX. destinati, se adeò strenuos præstiterunt, ut innumeri Martyrii palmam (de quibus postea dicemus) consecuti sint.

Moralc. cuiusque anima parad. sus diligenter custodiendus. *Ambros. lib. 1. de paradiso. cap. XI.*

Sanctus Ambrosius, ut ad mores excurramus, Reges Regnorum, præsides Republicæ, Prælatos subditorum, Patresfamilias domesticorum custodes esse vult, quorum animas Paradisum meritò appellat, summa cura, & solicitudine à feris, & harpiis custodiendum: *plerique*, inquit, PARADISUM, ANIMAM *hominis esse voluerunt, in qua virtutum quadam germina pullulaverint; hominem autem ad operandum, & ad custodiendum Paradisum, esse positum; hoc est, mentem hominis, cujus virtus animam videtur excolere, nec solum excolere, sed etiam cum excoluerit custodire. Bestiæ autem agri, & volatilia cœli, quæ adducuntur ad Adam, nostri irrationabiles motus sunt; eo quod bestia, & pecora, quadam diversa sint corporis passiones; volatilia autem cœli, quid aliud existimamus, nisi inanes cogitationes, quæ velut volatilium more, nostram circumvolant animam.*

Huic Paradiso vos custodes adhibiti, ut noxia avertatis; Symbolum, non sine numine divum, Sanctissimus hic Ordo præfert, canem, in viso Matri parturienti objectum, eum accensâ in ore faculâ, *qui custos est divitis horti*, Paradisi Ecclesiæ; canem quidem, qui & dentes adhiberet, ubi latratus non excitarat: *faculam* denique, & rogos, quibus temporaliter cremarentur, *quos sermo eius, ut facula accensus*, in amorem divinum non inflammarat.

Virgil. Eclog. 7.

Eccl. 48.

Palavicino. Prædicatores Dominicanes. *Senec. epist. 76.* Prophetæ teres canum, Dominica appli- antur.

Inde gravis Theologus, & scriptor acutus, Venerandos Patres *Dominicanos*, non ineleganti elogio *Domini canes* appellavit, qui omnia quæ Philosophus in cane requirit ad ferasindagandas & captandas; ipsi ad animas luctandas expresserunt: IN CANE, inquit Seneca, *Sagacitas prima est, si investigare debet feras: cursus, si consequi: audacia, si mordere, si invadere.* DOMINI CANES omnia antra, speluæa, lustra, per ardentes arenas, per altas nives, per inaccessas spinis & tribulis vias, sagaciter animarum prædas indagant; tum cursu celeri urbes & orbem pervagando, insectantur, ac tandem latratu, & sanctâ audaciâ excutiunt ex cubilibus feras, scorta è prostibulis, hæreses è conciliabulis, Idola è fanis, immanes omnium scelerum belluas ex antris, & speluncis, hoc est ex obscuris cujusvis peccatoris, & peccatricis animis. *Domini canes* vigiles sunt, noctu, diuque excubando pro grege suo, ne lupus invadat. *Domini canes* fideles sunt, vestigia Domini per invia & avia sequendo, eique semper adhærendo *Domini canes* non muti, sed latrantes sunt, ut ab omnibus injuriis Dominum, & omnia quæ ejus sunt, neminem timendo, aut reverendo, etiam per mille discrimina, tueantur.

At ne quis nomen canis, abiectum reputet, quam insigni encomio hic vigilantiæ, solertiæ, fidelitatis typus sit, ex primis Ecclesiæ Patribus haurire. Gregorius Magnus in illud Job: *quorum non dignabar patres ponere* CUM CANIBUS *gregis mei*, sic diserte exponit: *grex sanctæ Ecclesiæ est fidelium multitudo;* CANES VERO SUNT DOCTORES SANCTI, *qui eorundem fidelium (contra lupos) custodes exstiterunt: qui dum pro Domino suo diurnis, nocturnisque vigiliis intenti clamaverunt, magnos ut ita dicam latratus prædicationis dederunt.*

Job c. 30. S. Greg. Canes significat Doctores sanctos

qui liberè latrent in peccatores.

Hujusmodi latratus prædicationis dedit præcellens S. DOMINICI sectator, Thomas de Turrecremata hujus florentissimi Ordinis Theologus, qui ut cellâ, ac libris abditus, ubi de Dei gloriâ agitandum animadvertit, in publicum prodiit, & pro officio quo fungebatur, hæreticæ pravitatis *Inquisitor*, ac Catholicorum Regum confessarius, *intrepidâ animi libertate* peroravit. Etenim cum Reges conclusissent Judæos Regnis suis detinere, ob magnam vim pecuniæ, quam Judæi, ne expellerentur, offerebant; vir zelo Dei incensus, imaginem Crucifixi, sub habitum Religiosum absecondit, & intrepidè ad Reges ingressus, latratu ingenti, ut tinnirent ambæ aures, sic exorsus est: triginta Argenteis Judas semel Dei filium vendidit; Celsitudines vestræ, pro triginta millibus eum vendere cogitant. Ecce ergò, eum vendite. Quo inopinato veritatis oraculo, & horrifico latratu contertiti, obaudierunt, nec canem hunc pro domo Dei, & grege Christi latrantem, diutius ferre sustinuerunt. Hauserat hunc spiritum ab optimo suo parente, & fido domus Dei custode *Dominico*; legerat quoque quam potenter divus Hieronymus latrarit contra lupos Dominici gregis, contra hostes Ecclesiæ.

Possevinus in apparatu. tom. 2. in Thomas de Turrecrem. Basilius. consilit. monast. cap. 5.

Hic non clam, sed palam, Vigilantium, eversorem cultus, quem exhibent Sanctis Christiani: Jovinianum, qui intemperante calamo, veluti falce, lilia virginitatis in transalpinis florentia demetebat, adlatrare: Rufinum quoque, aliasque hæreseos belluas admordere, etiam vita & sanguine interposito, veritus non est. Itane verò, aiebat hic vir zelo plenus, canes omnium antres obtundunt latratibus, ut minuta olufcula, & fruges pauperis horti à furibus tueantur; ego autem pro domo Dei non latrabo in eos, qui vasa aurea Ecclesiæ, per hæreticæ pravitatis ministros diripere conantur? CANES, inquit, LATRANT *pro Dominis suis, & tu non vis me* LATRARE *pro Christo? In uno tibi consentire non potero, ut parcam hæreticis;* MORI POSSUM, TACERE NON POSSUM. Hæc ab extremis Nitriæ finibus Hieronymus exclamabat; ego dissimulem injurias Deo factas, qui sempiterni Regni me hæredem scripsit? ego credam contumeliosos in eum, molestos non esse? qui sceleribus suis, eum rursus crucifigunt? cum video canes, mucidi panis frusto adlectos, hosti adlatrare, ferrum excipere, irruere in persecutorem, herum suum mordicus defendere, ac tutari?

Hierony. l. 3. adversus Rufinum.

Ego Divino toties refectus epulo, Dei Filio carnem & sanguinem in cibum & potum pocillante, non loquar, cum eum pereussum videro? Ego tacebo, cum violant eum verbis lascivis, injuriosis, blasphemiis nefariis, & factis impiis? Ego eos linguâ meâ allatrare, aut etiam calamo lacerare non desinam? Ecclesiæ custodes animarum Pastores, non cedunt *canibus, aut pecudum custodibus. Canes latrant pro Dominis, & tu non vis me latrare pro Christo? mori possum, tacere*

Hieron. cit.

tacere non possum. Hæ voces, hi spiritus, hi animi fuere viris Apostolicis. Admirationem, utinam & imitationem moveat R.P. F. Joannes Hurtado, ex eâdem celeberrimâ Dominicana familiâ, vir hoc major, & excelsior, quod Insulas Granatensem & Tolosanam ab Imperatore Carolo V. oblatas, sub pedibus habuerit. Hic ut zelo Dei flagrantissimus, militem forte blasphemas voces impudenter jactantem, & Dominum suum procaciter lacessentem audierat, ad quem conversus, sic hominem salubriter allatravit: *mentiru maligne, Deus non est, qualem tu eum blasphemo ore fingis; sed bonus est, Iustus est, & misericors.* Quo latratu alter efferatus, pugionem stringit, ac mille diris Joannem aggressus: tibi inquit sacrilege incumbit mea dicta lacessere? quid tibi mecum, O porce! O bestia! ad hæc adeo crassa in se convitia, Hurtado in genua provolutus, Martyrii palmam avidè exspectabat, hæc sereno vultu, ac renidenti ore subiiciens: jam, amice me, verum dicis, jam rectè loqueris: quidquid in me evomueris, infra condignum est; sed pro Domino meo locutus sum. Hæc & tu æmulare, & vel sanguinis pretio, & vitæ periculo, Dei gloriam tuere. Non me, sed altiori ex loco Chrysostomum audi: *Si quempiam Deum blasphemantem audieris, accede, increpa, etsi verbera infligere oporteat, non recuses: ipsius faciem alapâ percute, contere os illius, & percussione manum sanctifica.*

Annal. Dominic. P. Pennoquin. amour divin part. 3. c. 2.

Chrysost. hom. 1. ad popul.

Verum enimvero, hoc Pastoribus Ecclesiæ, hoc Præsulibus, hoc patribus fam: ac plerisque superioribus, hoc corruptissimo sæculo exprobrandum, & deplorandum, tam paucos canes latrantes, plurimos mutos reperiri. Quot fraudes, ac perfidiæ adornantur, quia nescio quo metu panico, *canes muti non volentes latrare.* Fiunt furta in honore, in famâ per detractiones, per calumnias; auditores, *canes muti*; Infertur damnum pudicitiæ, arx castitatis, ut Romana duce Brenno, expugnatur, dormiunt canes, parentes, propinqui, vicini, dissimulant, *canes muti.* Enormia optimates inter, gravi cum scandalo, grassantur flagitia, sacri Ecclesiastes, Côfessarii, ne gratiâ excidant, ac alio pœnitentes divertant, *canes muti.* Sacræ Aræ incultæ iacent, Augustissimum Missæ sacrificium persunctoriè & præcipitanter peragitur, hæc spectant *canes muti*, nec audent latrare.

Isa. 56.

Morale. quinam canes muti.

Non sic vitæ sanctimoniâ celeberrimus vir Ordinis vestri Joannes Baptista Cromensis, quo domestico Sacrorum administro cum uteretur Isabella Taurellâ, & pro tanti mysterii dignitate, & sua in illud pietate, diutius divinis operaretur, de eo ab Isabella admonitus, exarsit animo vir Religiosissimus, tantoque ardore de rei divinæ Sanctitate, Christianique hominis officio liberè disseruit, ut Matronam nobilissimam obortâ novâ luce, sui puderet, conversisque studiis, pietati, per omnia virtutum exercitamenta hac unicâ salutari monitione tacta, velificaretur. Doctores Medici, ne hominem lethali morbo correptum, gravios affligant, uxorem & liberos non deiiciant, præsentis periculi, quo de æterna salute animæ agitur, commonere non curant: *canes muti.* Tales profecto non canes Domino fideles, non vigiles, non in hostem, fauces, & dentes exercentes; sed ovina mihi cerebella videntur: balare potius, quam latrare assueti.

P. Ioan. Rho. varia virtut. hist. lib. 3. cap. 1. §. 30.

Ingeniosus Itali Oratoris conceptus est: Psaltes Regius quodam Spiritu raptus, terrificum vidit sibi obiici spectaculum, immenso nempe hiatu terram sub pedibus aperiri, & in fetorum chaos mirando, damnatorum ad aures allapso eiulatu, teferari Horrore conterritos horrendum illum tormentorum locum, teterrimaque monstra contuitus, exclamat: video, quæ me numquam visurum putassem. Video improbos, sub bestiarum figuris excruciatos. Inter ignes bestiæ? at quænam illæ in hoc igneo specu belluæ? An pardi? non. An Tygrides? minime. An dracones? an ursi, & leones? nequaquam. At quæ, obsecro, bestiarum monstra tartareis flammis excruciantur sitam perniciosæ mortalibus non torreantur? Ego ad levam Luciferi video animantia, quæ prævideo ad dextram Christi adducenda. Aspicio cruciari æternis incendiis non gryphes, non hyænas, non dracones; sed exagitat sulphureus ignis, (qui in æternum ardebit,) pecudes, quis crederet? lana vestitas, inermes, unguibus destitutas, herbis solis pastas, lacte plenas, & morsibus innoxias. Itane verò? vidi, inquit, eas in inferno, vidi: SICUT OVES *in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Quod ita in rem nostram à Godefrido Abbate expositur OVES *ubi, non propter veram innocentiam, sed propter inhonestam simplicitatem, quâ* MALIS RESISTERE NOLUNT, VEL NESCIUNT, *eos Appellat; quos fine fine perituros esse denunciat. Videò reiecto simplicitatis velamine,* PALAM LOQUAMUR VERITATEM, *cum Propheta dicentes: quis consurget nobis adversus operantes iniquitatem?*

Ioan. Paulus oliva. com. 1. conc. 36. pag 47.

Psal. 84. v. 15.

Godef. Abbas. lib. 4 c. 8.

Quot Causidici, quot viri rogati: *canes muti non valentes latrare*, quia offa aurea, vel argentea eis objecta est? Quare opportunè cælestis ille Pastor Christus, gregi fidelium, alios Dominicani Ordinis canes præfecit, quos *non usitatâ penna* Hipponensis Præsulis vobis depingam: LINGUA CANUM TUORUM *ex inimicis ab ipso, hoc est*, inquit, *eosdem ipsos, qui usque ad sanguinem fuerant pro fide evangelica certaturi, Psaltes Regius* CANES *vocat, tamquam pro suo Domino latrantes.* CANES *qui edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* CANES LAUDABILES, *non detestabiles: fidem servantes Domino suo, & pro eius domo contra inimicos latrantes.*

Horat.

Augustin. in Psal. 6

Canem nobis hero suo perquam fidum S. Ambrosius in exemplum adducit, ut ab eo latrare, & in vitia insilire condiscamus. Antiochiæ, sub vesperam, civis solo cane comitatus, domo egressus, à latrone ex insidiis confoditur, & omnibus exutum, nudum, ac saucium cadaver destituitur; non tamen herum mortuum canis deserit, sed fidus custos totam noctem ei adhæsit, viciniam omnem immani eiulatu, & latratu infestans. Dum Sole exorto, ingens hominum turba confluxit, qui hominis adeò truculenter occisi, miserati, insuper incredibilem canis illius fidem, qui loco dimoveri nequibat, satis demirari non poterant; cæteros inter, quò suspicionem à se dimoveret, homicida quoque accurrit: cum è vestigio, mox

Mira canis in dominum fides.

mox ut hominem conspexit, leonis instat ferocite, atque hunc horrendum, ac incessanter allatrare aggressus est. Nec hoc satis: *sed cauu sequestrato pauluper doloris sensu*, (ut Ambrosius loquitur) arma ultionis assumpsit, inque eum toto impetu irruit, dentibus apprehendit, prensumque mordicus tenens, horribiles dabat latratus. Quo spectaculo tota adstantium corona attonita, de homine, quod suberat, suspicari, & de facto in carcerem duci jusserunt, nec multo post, justas homicidii pœnas persolvit. *Mirabile factum*; exclamat S. Præsul, *quid nos dignum nostro referimus creatori, cuius cibo vescimur & dissimulamus injurias?* proscinditur, & laniatur, nam ut Augustinus: *non minus peccant, qui blasphemant Christum regnantem in cælu, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris*; nec tamen insurgimus, non involamus, non illud os contundimus? Gregem Domini invadunt lupi rapaces, domum Dei busturarii incendunt, & silemus. Profectò in publico patriæ incendio, Mardochæus vel eum capitis periculo, Reginæ non silendum duxit: *si nunc*, inquit, *silueris, tu, & domus patris tui peribitis!* Civitas funestis veneris flammis conflagrat, *si nunc silueris*, tu Pastor, tu prætor, tu paterfam: tu vicine, tu tutor, tu pædagoge *tu, & anima proximi peribitis*. Hetodoxi ovile Christi vastant, & dilaniant, utinam Pastores animarum, in hos lupos inquiterent, eos à grege suo, omni humano respectu seposito arcerent! utinam gladio ancipiti, commonitione & comminatione starent pro foribus paradisi, id est, Ecclesiæ, quemadmodum stetit *S. Dominicus*, cum sui Ordinis Apostolicis viris PP. Prædicatoribus, ad hoc munus peculiariter à Deo electis: nam cum in Basilicâ S. Petri Dominicus oraret, conspexit videre Principes Ecclesiæ, Petrum & Paulum ad se venientes, è quibus Petrus scipionem, Paulus librum ei tradere videbatur, simulque dicere ad eum: vade, concionare, divinitus ad id ministerium electus. Mox temporis momento, vidit filios suos toto orbe dispersos, binosque & binos verbum Dei populis annunciantes; quod quam validum Ecclesiæ præsidium, expressit Doctorum Princeps Aquinas: *majus est spiritualibus armis contra errores hæreticorum, & tentationes dæmonum, fideles defendere, quam corporalibus armis populum fidelem tueri; & ideo convenientissimum est, ad prædicandum, & alia hujusmodi, quæ pertinent ad salutem animarum, Religionem institui.*

Hactenus audîstis, quam potenter Cherubim versatili gladio in pestes Ecclesiæ, & obstinatos fidei hostes fulminarit; nunc quemadmodum gladio hoc bis acuto, in depravatos Catholicos, & gravissimos peccatores usus sit videamus. Replicare memoriâ quâ quondam fraude usi fuerint in Hebræos Philistini. Curant ut omnes omninò ab urbe gladii removeantur, caventne qui in urbe denuò fabricentur; eò res ducta fuit, ut Hebræi juvenes de nihilo minus, quam de bello cogitarent, languerent otio, studerent voluptati, vitiis ac deliciis diffluerent. Hæc ita erant, cum Philistinus triplici armatus cuneo, ad urbem properat; Sonant litui, clangunt tubæ, perstrepunt tympana, ingruit armorum horror, bellum inclamant. Oppidani insolito stridore commoti, convolant ad præsidia gladiorum, qui nusquam repetti. Fabriles adeunt officinas, nusquam arma; vetera excutiunt armamentaria, nequidquam secretiorum domorum explorant latebras, inessum labor totos se fundunt ac refundunt per urbis angulos in quæsitionem gladiorum, irrita omnis opera. Quis hortor, quæ turbatio, quod periculum civibus inermibus impendebat? Philistini urgebant, Hebræi trepidabant; illi insultabant, isti ad Angustias cotbant. Quid plura? nisi miraculo res acta foret, de Hebræis nihil illo die nisi favilla, & cinis super esset.

Unde hæc calamitas? quia gladiis destituti erant; victus verò si inermis sit, imbellis est. Nunc quæso, attendite, quam similem fraudem Christianæ fidei desertores, quas machinas ad subvertendam Religionem, humani generis hostes Cacodemones excogitarint. An aperto marte fidem abolere decreverunt? tentatum id sæpe, sed frustra. An per cædes acerbissimas fidem profligare aggressi sunt? imo ab his etiam tyrannos avocarunt, ipsum Martyrii decus, ut acuitè Nazianzenus, Christianis invidentes. An exiliis, an flagris, an tormentis Christianam Religionem subruere tentaverunt? in vanum omnia: nam ut egregiè Theodoretus, *cruor cæsorum corporum, irrigatio quadam erat, qua nova in Ecclesia planta nascerentur*. Quid ergo tartarei hi Philistini machinati sunt, ut extremam ubi Christiano perniciem crearent?

Sane inventum stygiis conflatum in officinis: GLADIUM SPIRITUS, *quod est verbum Dei*, non unâ jam urbe, sed Regnis, ac Regionibus, acorbe propè universo proscripserant; donec *Dominicus* hoc gladio versatili dexterrimè usus, Lernææ hydræ septena capita truncavit: hoc scelerum monstra supetavit, hoc stygem illum Philistæum prostavit. Testimonium vobis adferam ejus, qui ex altero orbe redux, *à Sancto* ad vivos revocatus: qui, cum varii Cisternensis Ordinis contra hæreses verbum Dei prædicatent, rogatus ab uno eorum, quid vidisset? Respondit: vidi Dominam nostram, virginem Matrem triduo integro flexis genibus pro populo deprecantem; cui filius beneficia, quæ ipse mundo contulerat, & maleficia, quæ ab eo acceperat, commemorans, ait: & quid porrò mundo tam ingrato faciâ? ardentibus tandem Matris precibus victus, hoc increatâ suâ sapientia consilium excogitavit: *mittam eis* PRAEDICATORES, *qui eos ad pœnitentiam adhortentur.*

Est porro hoc salutis animarum propositum, ut doctissimus noster Suarez asserit, adeo ingenitum huic sacro Ordini, ut videri possit in hunc solum finem institutus. Primo, quia *S. Dominicus* hinc planè sumpsit occasionem illius instituendi, quod videret Christi Ecclesiam à desertoribus hæreticis magna indies pati detrimenta. Secundo, quia Pontifices dictum Ordinem vel primum approbantes, vel deinde confirmantes, nomen *Prædicatorum* (quod munus proximi bonum

Ambr. lib. 5. Hexam. c. 4.

Ibid.

Augustin. in cap. 26. Matth.

Esther. 4.

Surius. in vita l. 2. cap. 21.

S. Thom. 2.2 quæst. 188. a. 4.

S. Dominicus alter Cherubim versatili gladio, dum hæreses extinxit, in gravissimos peccatores usus est.

Reg. c. 13 v. 19.

Quanta est defectu gladiorum Israelitis imminet calamitas.

Applicatio de gladio spirituali verbi Dei.

Ephes. 6.

Surius. in vita S. Dominici. lib. 2. c. XI.

Suarez. de Relig. tom. 4 tract. 9. l. 1. c. 6. n. 5.

Dist.1.c. 15.

„ bonum respicit) appropiatè donarunt, ut in „ prologo ipsarum Constitutionum, & latius „ in earum declarationibus.

„ Eundem quoque Ordinem variis Privi„legiis munierunt Pontifices, hoc allecti mo„tivo, *quod ad* PRÆDICANDI *officium, fratres* „ *destinarentur*. Unde hujus finis, tamquam u„nici, mentio fit in bullâ confirmation. & in „ dicto prologo Const. n. 3. his verbis : *Ordo* „ *noster specialiter ob* PRÆDICATIONEM, *& animarum salutem ab initio noscitur institutus, & studium nostrum hoc debet principaliter intendere, ut proximorum animabus possimus utiles esse*. Quæ omnia tam illustria, tam divina, ut nihil addi posse videatur.

§. III.

Florentissimus S. Dominici Ordo, Paradiso comparatur, & longè supra terrestrem, per omnes proprietates extollitur.

S. Antonin 3. part. tit 16. cap. 10. §. 11. Religio Paradisus

SAnctissimus juxta ac Sapientissimus Florentinorum Præsul Antoninus, ubi multa copiosè, & ingeniosè de statu Religioso disceptasset, inter varia ejus encomia similimum Paradiso, horto voluptatis, omniumque deliciarum, artifici ipsius Dei manu plantato, affirmare non dubitavit.

Ad Relig. Bernardus festo. S. Nicolai. & Pet. Damian. eodem festo.

Sic expertus loquitur D. Bernardus, cui sua Claravallis terrestris., imo cælestis paradisus videbatur: *verè Claustrum*, EST PARADISUS. *Hic prata virentia scripturarum, præterfluens lachrymarum undositas, quam de purissimis affectibus, amor ille cælestis eliquat. Hic sunt arbores erectissimæ, Chori Sanctorum, nullaque est, qua non multa fructus gaudeat ubertate*. Ac in illo quidem primo horto, atque elegantissimo viridario: *plantaverat autem Dominus Deus omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave*, ne quid ei, in omni delectationis genere, deesset. Hic verò sua quoque est spiritualium fructuum copia, qui multò jucundius oculos, ac palatum mentis, longè suavius permulceant. Unde non minus solidè quam floridè hunc locum depingit Bernardus, dicens: *nec verò locum reputes* CORPORALEM PARADISUM *hunc voluptatis internæ. Non pedibus in hunc hortum, sed affectibus introitur. Nec terrenarum tibi commendatur arborum copia, sed virtutum utique spiritualium jucunda, decoraque plantatio*. Neque verò deest lignum vitæ, quod D. Antoninus, gratiam interpretatur, quia status hic non ex naturâ, sed ex gratiâ, fluit, qua vita animæ incrementum sumit; suntque in eo tam multæ, ac faciles viæ ad gratiam hauriendam & quotidie magis adaugendâ. Quin & illud convenit, quod Augustinus tradit: *vivebat homo in* PARADISO, *fruens Deo, nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in* PARADISO *nullus æstus, aut frigus, sic in eius habitatore, nulla ex cupiditate, vel timore, accedebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omninò triste, nihil erat inaniter lætum; gaudium verò perpetuebatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. Quæ si ad Religiosum statum transferantur, respondet in eo divina cum Deo familiaritas, ab omni vitiorum morbo sanitas, omnium perturbationum, omniumque cupiditatum tranquillitas; gaudium verò plenum, & juge convivium, ex conscientiâ bonâ possidetur.

Bern. de conversione ad Clericos.

Gen. 2.

Aug. lib. 14 de civit cap. 26.

Greg. lib. 10. mor. Ordo Sancti Dominici Paradiso, cōparatur

Denique quatuor flumina, quæ ex illo Paradiso erumpebant, cujusmodi sint, docet Gregorius, qui quatuor virtutes significari putat: *quia dum illis*, inquit, *cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur*. Quæ omnia quam aptè elegantissimo vestro, magne pater *Dominice*, Paradiso conveniant, videamus.

S. Catharina sen cap. 158. dial.

Primum, & irrefragabile hoc æterni Patris testimonium est, qui sic ad Virginem Senensem, post multa perillustria in laudem dilecti filii sui Dominici enarrata, concludit: *est itaque laudabili modo, Religio ab eo fundata, larga, totaque jucunda per totum, & in omnibus odorifera*: EST ENIM UNUM VIRIDARIUM OPTABILE IN SE, ET DELECTABILE; quo nomine, quid aliud, quam paradisum exprimere voluit?

In prolog. Constit. Prædicator 2. parte. c. 11.

Summum verò in terris primæ Veritatis oraculum hoc protulit Alexander IV. Pontifex Maximus: *Cælestis iste agricola* SACRUM FRATRUM PRÆDICATORUM *Ordinem, quasi lignum fertile* IN ECCLESIÆ PARADISO *inseruit, ut delectaret amœnitate, ubertate satiaret, & fructuum suavitate mulceret &c.* HIC EST ORDO SACER PRÆDICATORUM, *honestate floridus, præclarus scientia; virtute fæcundus &c.*

Quæ omnia summi Pontificis elogia, cælesti huic paradiso propriissime congruunt.

Bern de conversione ad Clericos. cap 10.

S. Basil. serm de paradyso.

Illud autem amœnissimum celeberrimi Ordinis viridarium excoluit non Alcinous aliquis voluptuarius; sed *Dominicus*, industrius virtutum sectarius; non mollis aliquis Adonis, sed generosus Heros, Deo unicè in amoribus. Hoc potest animos, mentesque, florum varietate, divite frugum gremio, fœcundo eruditionis sinu, & omnium virtutum ubertate locupletare; ut quisque vestrum, Religiosissimi Patres, jure gloriari, atque illud Bernardi usurpare queat: *inveni hortum pulcherrimum, & amœnissimum locum: bonum est illic nos esse*; ubi securi à venenatis pravæ conversationis serpentibus, à ferocibus invicem laniantibus belluis, ab æstu carnalium cupiditatum, ab elatæ superbiæ turbinibus, ab instabilis mundi plenilunii, & ab inerti & pigro gelu, quo refrigescit charitas multorum, immunes. Istic enim, ut cum Basilio loquar: *non solis ardor comburit, non ventorum violentia exolvunt, non novilunia tabefaciunt, non glacies congelat; sed in quo deliciæ animæ, & pulchritudo virtutis, & multifaria sapientia initium habet*; quæ quam subtilis, quam sublimis in divinis hujus gloriosissimi Ordinis Doctoribus, iisque innumeris, extiterit, quanta profundissimæ Theologiæ, ac cælestis eloquentiæ flumina, ex hoc paradiso emanarint, non humanæ est facundiæ enarrare, nec capacitatis nostræ enavigare; sufficerit vel digito ipsius fontes,

fontes, seu scaturigines judicare, atque ex his quospiam rivos sectari.

Ex horto deliciarum, quatuor flumina egrediebantur, quæ arbores, ac virgulta, omnemque locum voluptatis irrigabant; Ambrosius etiam teste Josepho, *locum dicit refertum arboribus virgultisque plurimis, irrigari flumine, qui dividatur in quatuor fluvios, collecta etenim in unum congregatione aquarum, non se penitus exinanivit terra, & fraudavit irriguo suo; sed & hodie in fontes prorumpit, & deducit meatus fluminum, quibus pignora sua, quasi pia mater, plenis lactat uberibus.*

Amb. epist. 42. ad Sabinum.

Huic, quem Doctorem, & parentem suum agnoscit, consentit Augustinus: *exibat ergo flumen de Heden, id est, de loco delitiarum, & irrigabat paradisum, id est ligna omnia pulchra, atque fructuosa, quæ omnem terram regionis illius opacabant*; quæ ad mores velificando, sic disertissimè excurrit: *quatuor flumina, quatuor virtutes significant: prudentiam, fortitudinem temperantiam, justitiam; ligna eius, omnes utiles disciplinas: & lignorum fructus, mores piorum; & lignum vitæ bonorum omnium matrem sapientiam*; iisdem prope verbis Ambrosius: *in his ergo fluminibus quatuor, virtutes principales quatuor intelliguntur*; quæ cum & aliis Religiosis, ac viris probis communia sint, quatuor ex hoc Dominicano paradiso flumina derivari ostendemus; flumen videlicet cælestis sapientiæ: flumen dulcium lacrymarum: flumen sanguinis pro Christo effusi, flumen denique divinarum consolationum, lacte, & melle redundans. De primo, lacteo suo flumine Bernardus: *hortus conclusus, ubi fons signatus, in quatuor capita derivatur, & ex una sapientiæ venâ,* innumeri rivi deducuntur.

Augustin. de Gen. ad lit. l. 8. c. 7.

Idem. lib. 22. de civit. cap. 30.

4. Flumina Paradisi, Ordin. S. Dominici.

Bern. de convers. ad Clericos cap. 21.

Ex infinito illo, & inexhausto divinæ Sapientiæ fonte hausit S. Dominicus (ut supra diximus) scientiæ flumina, quibus omnia ligna universi paradisi Ecclesiæ irrigavit. Verappositè eiusdem Ordinis Antistes Monopolitanus Joannes Lopez. IN PARADISO ORDINIS PRÆDICATORUM, *fluvius Doctrinæ veræ, lucidaque Doctrina positus est; ut homines fontem, & venas aquarum viventium quærerent, nec foderent cisternas dissipatas, in quibus mortiferæ essent aquæ, & putidæ*, nec è lacunis codicum hæreseos, Veneris, omnisque immunditiæ veneno infectis haurirent.

1. Fluvius cælestis sapientiæ

Ioan. Lopez. epitome SS. Patrum tom. 4. festo S. Petri Marty. pag. 94.

Orbem universum unum sublimioris scientiæ flumen irrigare potuisset, de quo sic è Petri Cathedrâ, sanctissimus Pater Clemens VI. *Hic Ordo IN HORTO plantatus Ecclesiæ, & in germen ineffabilis spiritualis utilitatis succrescens, illum præclucidum ac fructuosum palmitem dedit, B. videlicet Thomam de Aquino, confessorem, & Doctorem egregium, ex cuius sapientiæ, & doctrinæ scriptis, & traditis, universalis Ecclesia, multiplicis ubertatis spiritualis fructum colligens, ipsius odore reficitur incessanter.* Possem de D. Thoma, omnium Doctorum coryphæo, quod Ambrosius de Adamo pronuntiare: *posuit enim IN PARADISO, sicut solem in cælo*; quippe in arcanis scientiis, ac reconditis mysteriis, orbi lucem affudit, ut irrefragabili sanctissimi Domini nostri Pii. V. oraculo, (quem dum nomino, aliud ejusdem Ordinis lumen induco:) *doctrinâ sua universam Ecclesiam illustravit.* Et ex eadem veritatis Cathedra Joannes. XII. *quot articulos scripserit, tot miracula D. Thomam patrasse* pronuntiavit; hanc sui clarissimi elogii rationem subnectens: *quia scilicet omnes resolvit lumine plusquam humano*; quod ubi Deaponte noster, gravis Theologus adduxit, sic in laudes Angelici Doctoris excurrit: conscientiam unius cujusque super hac appello " veritate: reflectet quando ea legit, intendit, " inspicit, discutit, & quo se persenserit afflari " lumine, non neget, sed confiteatur humiliter, De me, inquit, fateor, numquam articulum " percurrisse, quin nova mihi ilico affulserit " lux, novaque intelligentia; ut quod Religio- " sorum nonnemo vidit, splendidissimos ex ore radios emicare, eos per calamum in *summam* collegisse videatur; quibus illustris Parisiensiũ Schola perstricta, illum *universalis Ecclesiæ lumen præfulgidum; universitatis Parisiensis speculum clarissimum, & candelabrum insigne, ac lucens, per quod omnes, qui vias vitæ, & scholas doctrinæ sanctæ ingrediuntur, lumen vident claritatis*, compellare non dubitavit. Quæ omnia, quamtumvis splẽdida laudum encomia, hoc unum transcendit, quo ab ipso Doctorum omnium Magistro, præclaram sententiam audire meruit: *bene scripsisti de me Thoma*; tantusque splendor paternæ gloriæ, nescio quo divinorum radiorum repercussu, in pectus Thomæ redundavit, ut jam nemo longius disquirat, cum solem io pectore gestare perhibeatur. Ab hoc sole, voluit S. P. N. Ignatius, ut Societas in scientiis suis lucem mutuaretur. Quare Regula Professoris Philosophiæ texta, sic statuit: *nulli sectæ Averroistarum, Alexandreorum, & similium, vel se, vel suos addicat, contra verò de S. THOMA nunquam non loquatur honorificè: libentibus illum animis quoties oporteat, sequendo.* Professores verò Theologiæ, sic admonet: *sequantur nostri omninò in scholastica Theologia Doctrinam S. Thomæ, eumque ut Doctorem proprium habeant: ponantque in eo operam, ut auditores erga illum optimè afficiantur.* Et Reg. 13. *non satis est Doctorum sententias referre, & suam reticere; sed defendat opinionem S. THOMAE, ut dictum est, vel quæstionem ipsam omittat.* Quod adeò severe cautum esse voluit, ut ab hoc Angelico Doctore dissidẽtes, à cathedra removere, Provinciali præcipiat: *illud autem imprimis meminerit, non esse ad Cathedras Theologicas promovendos, nisi qui erga S. THOMAM bene affecti fuerint; qui verò ab eo alieni sunt, vel etiam eius parum studiosi, à docendi munere repellantur.*

Lib. privilegiorum.

Laus S. Thomæ.

Amb. lib. 1 de paradiso. cap. 1.

Deaponte in apicem ... 9. n. ... 9. hom. 13

Deaponte cit.

Reg. Profess. Schol. Theol. 2.

Reg. Provincialis. 2. de ratione studior.

Denique congregatio Generalis quinta decrevit. *primo loco, & unanimi omnium consensu statuit, doctrinam S. Thomæ in Theologia Scholastica tanquam solidiorem, securiorem, magis approbatam, & consentaneam nostris Constitutionibus sequendam esse Professoribus nostris.*

Decreto 41 Congreg. V.

Quod si omnes hujus Ordinis Doctores, ac celeberrimos Scriptores, qui lucent sanctimoniâ, & doctrinâ, velut *stellæ in perpetuas æternitates*, adducere voluero, stellas cæli numerare visus fuero; cũ vel soli illustres viri, *Thomæ nomine* in bibliothecam amplam, tomis editis excrescant, quorum nomina Possevinus noster recenset. Quæ *Albertus Magnus & Thomas Aquinas* scripsere, vita hominis est, ea legere. His

Viri eruditione, & doctrina celebres.

accedit Thomas de Vio, Cajetanus, Cardinalis sancti Sixti.

Thomas Badia. Card. S. Silvestri. Thomas Cantipratanus, Alberti M. discipulus. Thomas Boninsignins, Theologiæ Professor. Thomas Cassanus. Thomas à clavibus. Thomas Donatus, Venetiarum Patriarcha. Thomas Fazellus, Theologus. Thomas Fyle. Thomas Anglus. Thomas de Laiza, Theologus. Thomas Languefrodius. Thomas Lombardus. Thomas Matthæi, de Sardis. Thomas Nerius. Thomas Radinus. Thomas Ryngstede. Thomas Sperman. Thomas Stella. Thomas Suetonius. Thomas Teuro. Thomas Thomasius. Thomas Toletanus. Thomas de Trigillo. Thomas Tolentanus, Thomas de Trugillo. Thomas de Turrecremata. Thomas de Valentia. Thomas Viglevaniensis. Quotum exore, & calamo, uberrima omnium scientiarum fluenta profluxerunt. Dicta hactenus, liber splendido gravissimi Theologi, è Societate nostra confirmare elogio, qui de Doctoribus, ac viris Ordinis Dominicani, doctrina celeberrimis agens: Ex *eo ordine, inquit, tanquam è Trojano equo, vel potius arce instructissima, ad destructionem munitionū, ut Paulus loquitur, ab Ecclesiæ hostibus oppositarum, prodierunt strenui propugnatores fidei, quam vel editis libris illustrem fecerunt.* (inter quos S. THOMAS TANQUAM INTER RELIQUA MINORA LUMINA FULGENTISSIMUM ASTRUM, LONGE, LATEQUE CORUSCAT.)

Suarez. de Relig. tom. 4. tract. 9 l. 2. c. 6. n. 12

„ Vel ab eâ deerrantes revocarunt; vel certè „ in pertinaces à sede Apostolicâ, Inquisitores „ delegati, animadverterunt. Sed piget omni„ um catalogum retexere, cum facile constare „ possint ex ipsius Ordinis monumentis: ino „ & constare, quot, & quales prodierint, Ec„ clesiæ Prælati; sacri Palatii Magistri: Monarcharum Hispaniæ confessarii. Quot in celeber„ rimis Academiis Professores. Ut facile cre„ das, omnia hæc, jure penè hereditario, huic „ Illustri Ordini obvenisse, adeò ut per annos „ non paucos, rari fuerint in Republicâ litteraria alicujus nominis viri, in doctrinâ sacrâ „ conspicui, qui Dominicanæ familiæ non essent alumni.

Abripior nunc æstu alterius fluminis lachrimarum, quæ è luminibus Sanctissimi Patriarchæ ubertim profluxerunt. Ubi eum Hipponensi Præsule solerter cumprimis observandum: *quam minuta sunt gutta pluvia, nonne flumina implent?* nonne ut Poëta canit:

2. Flumi nis lacrymarum.

Flumina magna vides, parvis de imbribus orta?

Augustin. lib. unico de cant. novo. cap. 2.

Demonstratione certâ compertum est, mediocrem pluviam, quæ quadrantis horæ spatio per Belgium decidit, si collecta foret, implere posse alveum fluvii alicuius, qui latus sit centum pedes; profundus triginta; longus verò centum, quatuordecim milliaria Belgica.

Sicut è pluviæ guttis, sic è lacrymis flumina nasci.

Pluviam verò delapsam per Belgium horæ spatio, collectam excrescere in fluvium eiusdem latitudinis, & profunditatis; sed longum quadringenta quinquaginta sex milliaria; ut ex hoc facile colliges: tectum quodvis ponatur declive, cujus basis horizontis, sit quadratum triginta pedum, implere pluviâ mediocri per canales derivatâ, unius quadrantis spatio, cubum unum pedalem, quod fieri quotidie, nemo negabit. Habet Belgium, quâ longissimum est, 88. leucas horæ itineris; quâ mediam habet latitudinem 56. ergò Belgium complectitur quater mille, nongentas, viginti octo leucas quadratas.

Sed una leuca, seu milliare horarium quadratum, continet centum quinquaginta sex milliones, ducenta, quinquaginta millia pedum quadratorum; ergo quater mille, nongentæ viginti octo leucæ quadratæ, continebunt septingenta septuaginta millia millionum pedum quadratorum. Cum ergo nongenti pedes quadrati, qui continentur in basi horrizontali triginta pedum in quadro, unius quadrantis spatio dent unum cubum pedalem aquæ, dabunt septingenta & septuaginta millia millionum pedum quadratorum, quos Belgium complectitur, unius quadrantis spatio ex mediocri pluviâ, pedes aquæ cubicos octingentos quinquaginta quinque milliones, quingenta quinque, quæ aquâ collectâ repleret alveum 114. milliarium Belg. ut supra dictum. Hæc, ne cui mirum videatur, dum SS. Patres Davidem, Petrum, Paulum, Magdalenam, lachrimarum flumina emisisse, lectitarit. S. Dominicus *sacrificium indies offerebat immenso perfusus lachrimarum imbre;* non per horæ quadrantem, aut horas integras, quibus sacrificio vacabat; sed per dies, & noctes, quas per annos plures non modico, sed immenso lachrimarum imbre perfusus, in summo orationis æstu, insomnes ducebat, quem testabantur effusæ lachrimæ, fontiū adinstar, profundi gemitus, singultus assidui, imò clamores, & ferè rugitus, quibus è dormitorio excibantur etiam remotissimi quique, non sine stupore, & commiseratione, quod sentirent hæc omnia effundi, exardentissimo in Christum amore pro salute pœnitentium animarum. Liceat mihi hic usurpare, quod Chrysostomus de Pauli lachrimis, quas fluvium paradisi excedere affirmavit, *ex quonam fonte*, inquit, *tanta emanarunt fluenta, ut ex illius oculis lachrimæ?* & paulo post: *quemnam fontem vis comparare cum his lachrimis? eumne qui est IN PARADISO? qui irrigat universam terram? sed nihil dicis aquale.*

Surius. lib. 2. c 6.

Chrysost. hom. 12 in epist. ad Coloss.

Quis lachrimarum flumina, velificante ingenio enavigare valet, quæ Florentinus Præsul Antoninus, Raymundus, Hyacintus, Bertrandus, Henricus Suso, aliique ejusdem sanctissimæ familiæ viri, aut ebullientis Spiritus fervore, aut mortalium pereuntium commiseratione effuderunt? Jacobi Apostoli, & magni Pachomii, orandi studium, lacrymandi donum, in uno Thoma à Rosario, S. Dominici alumno renovari video: etenim qui abjectus in genua, fronte humum tangens, diutissimè in precibus, divinisque commentationibus perseveraret; callum tum in fronte, tum in genibus obduxit: quodque ad rem facit, tâto lacrymarum imbre eodem in opere perfundebatur, *ut madida ubi aliquamdiu orasset humo, manifesta vestigia deprehenderetur.* Quantum hic corpore obdurescebat ad laborem, tantum animo liquescebat ad voluptatem: nam ex durissimis silicū, limpidiores fontium erumpunt perennitates.

P. Ioan. Rho verâ virt. hist. lib. 3. c. 8. §. 19.

Hunc

Idem cit. §. 20. Huic alterum ardentissimæ orationis, & constantissimæ pietatis virum ut nomine sic re *Seraphinum Cavallium* Ordinis hujus Generalem Magistrum induco: tres ipsas horas, latè dispansis brachiis, fluentibus ubertim ex ocolis lachrimis quoodam in orando pernoctabat, quem corporis habitum vix per semihoram à paucissimis tolerari posse credidenim.

Sed ut beata illa Seraphim perpetuo alis librata, Deum circumstant, sic iste, ne nomine videretur iodignus, immoto corpore, animum altissimo volatu explicabat. De his, verissimum Bernard. tract. de interiori domo. cap. 41. illud divi Bernardi usurparo: *solent de parvu, & minimis guttis, immensa flumina crescere.*

Nunc verò, quæ fluenta ex ocolis virginum sanctimonialium fluxerunt, in Vitis earum, eleganter vernaculè duobus tomis conscriptis legere, & colligere est. Una instar omoium vobis sit Catharina illa Senensis, quæ sois precibus, & lachrimis (votum omnibus exoptaodum) Raymundo Confessario uberem fontem lachrimarum, & veram ac sinceram omnium peccatorum contritionem impetravit; quodque à sæculo inauditum, obi matrem inexpiatam obiisse intellexit, flere non destitit, dum eam inferorum flamminis eteptam, vitæ restitutam cerneret. Hoc possunt piæ lachrimæ. Non rivi, non flumina, non ipsum mare Athlanticum inferorum flammas valent extinguere, nedum scintillam attemperare; hac tamen virtute pollent è contrito corde pet oculos effusæ lachrimæ: sic porrò Petrus Cellensis: *Lachryma portas refringit inferni,* CARBONES EXTINGUIT FERREÆ FORNACIS.

Lacrymarum flumina Catharina Senen. Surius in vita. l. 3. c. 10. Lancicius. opusc spirit. tom. 2. pag. 141. n. 48.

Petrus Cellen. de panibus. cap. 12. Flumen lachrimarum tibi concessum, & semper in promptu est, ut noxas eluas, ut hortum animæ irriges, ut inferorum flammas extinguas, ut mortem animæ defleas; at tu illas aliò derivas, tu illas effundis super defunctum filium, uxorem, maritum Quid, quod reperti, qui equum extinctum amarissimis, uberrimisque lachrimis prosecoti sunt. Hortensius murænam flevit: Vlysses canem; & nos in morte animæ ridemus! Heu quot, & quantæ *lachrimæ volvuntur inanes!* Petrus Cellensis hunc fletum, sterilem imbrem vocitare solebat, dicens: *sterilis est omnis effusio lachrimarum, quæ non effunditur propter regnum cælorum,* steriles, & inanes dicuntur, quia rem deperditam, temporalium rerum jacturam oon valeot restaurare: de quibus Ecclesiasti c. 30. *multos occidit tristitia, & quæ est utilitas in ea?* notaoda hic aurea Præsulis Antiocheni sententia: *tristitia nobis data est, non ut in morte, aut alia re doleamus; sed ut deleamus peccata. Tristitia peccatum tollit, non alias agritudines. v. g. Pecunia quis mulctatus est: doluit, non recuperavit. Filium amisit: doluit, non resuscitavit mortuum. Contumeliis affectus est: doluit, famam non revocavit. Infirmatur: dolet, morbum non aufert, sed auget. At peccavit quis, tristatus est: peccatum delevit Ergò tristitia tantum facta est propter peccatum, à quo nata est;* quod sancti viri ac mulieres in alis peccatoribus gravissimè deflerunt. Narrat, Philo, & ex eo Hieronymus, lachrimas Davidis, & Jonathæ collectas, vas, seo dolium replevisse, & in terrâ repositum fuisse. Quod si tum temporis, amore Jonathæ, tantum lachri-

Morale de lacrymis. Petrarcha lib. 1. dial. 26. Virgil. 4. Æneid. Pet. Cellens. cit. Chrysost. hom. 5. ad pop. Philo lib. 4 Antiquit. Iudaic.

marum fuderit David, quid ni *illa in rivos, & juge profluvium* (ut Ambrosius loquitur) proruperint, quo detestandum suum peccatum expiaret? quibus, ut loquitur Chrysostomus, tartareos inferorum ignes extinxit: *lachrima Davidis, ipsum gehennæ incendium norunt extinguere.*

Amb. serm. 17. in psal. 118. Chrysost. in cap. 10. Luca. hom. de Lazaro

Puerorum more nos flemus, qui ob somnum interruptum, ob pomum ereptum, inaniter lachrimantur. Dum illos flentes ridemus, nos viros ob canem deperditum, equum mortuum, aliamve rei periturae jacturam, longe magis ridendos, an flendos dixerim, non considerámus. Unde Bernardus: *nec parum distat inter lachrimas devotionis, & ætatis utique virilis, atque eas, quas primæva ætas inter infantia vagitum emisit; lachrimas utique pœnitentia, & confessionis.* Tum ad sanctissimas lachrimas pœnitentum, qoæ vinum sunt Angelorum, his mellifluus verbis hortatur: *verumtamen longè amplius utrisque procedunt alia quadam lacryma, quibus & infunditur* SAPOR VINI: *illas enim lacrymas verè* IN VINUM *mutari dixerim, quas fraterna compassionis affectu in fervore prodeunt charitatis: pro qua etiam ad horam tui ipsius immemor esse, sobria quidem ebrietate videris;* quâ sanctissimus hic Patriarcha Dominicus ejusque alumni, & alumnæ ebrii fuere.

Bern. serm. 5. in Epiphan. sub finem. Ibid.

Tertius fluvius, qui ex hoc paradiso egreditur, totus purpureus est, è nobilissimis venis virginei corporis S. DOMINICI, eiusque sectatoribus, sanctis monialibus, ac generosissimis Atletis, pro Christi fide universam irrigans terram, late se diffundens. Annos natus oon amplius decem *Dominicus*, ex illustrissima Gusmannorum familiâ, flagellis in corpusculum ita dirè sæviebat, ut totum illud proscinderet, atque excoriaret.

3. Fluvius sanguinis. Lib. 4. vita. cap. 14.

Quæ ipsius laniena eò gravior fuit, quo ætas provectior; diceres unà cum annis etiam crescere studium mortificationis; & reipsa etiam erescebat: vix enim attigerat annum decimum tertium, cùm noctibus singulis seipse sic excruciare cœpit, rivos sanguinis fudir, qui in flumina deinde redundarunt; cumque à flagellis lacerum, & cruentum totum esset corpus, duriore cilicio vulnera refovebat.

Austeritas S. Dominici in affligendo corpore.

Nec illo tantum contentus; sed & ferreâ catenâ ad renes accinctus, dies totos exigebat & noctes: non in molli ansere, plumâque, sed in nudâ humo, & plerumque in suppedaneo altaris, quod illi erat pro cervicali, ubi deficiens ab oratione corpusculum reclinabat. Quid ad hæc vos

Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoique,
In cute curandâ plus æquo operata juventus?

Horat. l. 1. epist. 2.

Quibus omne studium est, *pelliculam curare,* molliter vestire, lautè farcire, caute custodire, ne acus puncturam, ne morsus pulicis tolerare valentes. Interim *te pinguem & nitidum benè curata cute* compello, quid tunc tibi animi, & corporis seosus erit, cum rursus indues pellem tuam, quæ quantum hic in deliciis fuit, tantum sobibit tormentorum? Non sic per semitam arctam, & portam augustam, in vitam æter-

Idem lib. 1 epist 4. Morale in eos qui nimium cuti curandæ. Ibid.

æternam intrandum vir oculatus ex summâ speculâ prospexit. Quo ex altiori loco lux incidit pingentibus, eò felicius colores duci, vultusque effingi traditum est; eadem exemplorum ratio est: nam quæ à Principibus viris eduntur, valent plurimum ad imitationem: & gaudemus eos virtutibus anteire, quos dignitate videmus antistare. Quare ut hic Ordo rara sanctæ severitatis laude floret, ita caput & Generalis Magister *Seraphinus Cavallus*, omnibus præcelluit. Hic porrò setosam runicâ ciliciam ad genua usque pertinentem perpetuò induit; & quasi ea levior esset, pertusam ferri laminam adversis aculeis pectori appressit, *spreto, vel dissimulato stomachi dolore*, qui vicino à frigore satiscebat.

P. Ioan. Rho. varia virtut hist. l. 7. c. 5. §. 23.

Levia ad hæc flagella videbantur, quæ copiosè sanguinem elicerent. Istis tandem epiphonematis loco Auctor subjungit: *nemo umquam bene corpus, & virtutem, famamque curavit.* Quid non homines seipsos amantes, in excusationem adducunt? hic jejunium somno, ille orationem cerebro, hæc disciplinam oculis, illa cilicium pectori, aut stomacho obesse prætexit, cum multo teneriores viri, & virgunculæ, austeriora per plures annus generosè exantlarint. Rem tetigit Ambrosius: *cadimus aeræ potestates, si nos ipsos noverimus castigare; contra verò cadimur ab illis, & vapulamus, si nimium carni nostræ blanditi, ejusmodi exercitationibus abstineamus.*

Ambros. Serm. 12. in psal. 118.

Quare ne quis flumina desideret, continenter in se sæviebat *Dominicus*, dum tria Rosaria decurreret, ad singula in iis *Ave Maria*, ictu valido sanguinem eliciendo, adeoque in universum ictus quinquaginta supra quadringentos; quod cum singulis noctibus, pro suis, qui nulli, aut lenissimi erant nævi: pro peccatoribus, & fidelibus defunctis, tertio quandringentis quinquaginta plagis inflictis, non sine immani corporis laniena continuaret, censebuntur spatio octidui, tria millia ictuum, & sexcenti; mense verò unico, quatuordecim millia octingenti. Anno autem uno, centum septuaginta millia & sexcenti: quod annis omnino triginta, quibus duravit ea flagellatio, & tam horrenda corporis dilaceratio, videlicet ab anno 21. ad 51. quo terris vivere desiit. Qui hic vel guttas collegerit, facile flumina inveniet.

Nec hoc satis, omnem qui in venis latebat, non semel, sed sæpius profundere, amore Jesu ardentissimè expetebat.

Pet. Damian. lib. 6. epist. 27 ad Petrum cerebrosum.

Quid, quod B. Petrus Damianus, eos qui in se flagellis ad sanguinem sæviunt, martyribus annumerandos pronuntiarit; *porro dum manus carnificis nunc ab infligendo Martyribus verbere cessat quid obestsi sancta devotio ipsa sibimet, unde sanctis Martyribus particeps fieri mereatur, exhibeat? Nam cum sponte meo proprius manibus ante conspectum Dei verbero, devotionis ingenua desiderium, si carnifex accurreret, promptus ostendo: quia si pro amore Christi, tam dulcis est mihi pœna cum deest, quo susciperetur animo, si persecutor efferret?*

Argumento illud est, cum die quodam latrones evasisset, atque ex eo quispiam quæsivisset, quid fecisset, si in eos incidisset? respondit intrepidè: hoc unum petiissem etiam supplex, ut non uno supplicio, eoque breviore daretur mori, sed longe pluribus, & lentâ, longâque morte; præcisis sigillatim membris, accisis auribus, erutis oculis, detractâ cute: & postquam nihil à ferro amplius detrahendum esset, tû ad extremû caput minui. Tantus erat ardor patiendi, tanta cruciatus fames, sitisque. Nec mirum, cui pro exemplari erat Christus, in quo à planta pedis, usque ad verticem capitis non erat sanitas; hunc nimirum spectabat, hunc amabat, & ad hujus instar, vitam omnem exigebat.

Discite mortales, ab hoc generoso pugile non cuticolam curare, non madere vino, non cibo distendi, non cubare in rosâ, non deliciis innatare. neque enim hæc ad superos via; aliam certè *Dominicus*, aliam nobis Redemptor noster sanguinolentis signat vestigiis. Chrysostomum hic audiamus non Religiosos, sed populum Antiochenum adhortantem: *non hic remissionem quaramus: nullus enim Athleta generosus in stadio balnea quærit, aut mensam cibis, & vino redundantem: hoc enim non est Athleta, sed aulici delicati. Hoc est certaminis tempus, & pugna. Igitur & vulnerum & cruoris, & doloris.*

Chrysost. hom. 67. ad popul

Hoc optimè norant, & imbiberant ab optimo parente Filii *Dominici*, de quibus sic Cornelius noster: *rarò Ecclesia vacabant orantibus fratribus: quippe qui ab illis non discederent, die ac nocte precibus intenti: vidisses ibi pœnitentia gemitus & suspiria, sua que & aliorum peccata plangentes: nodosis lorum corpora sua dirè lacerabant, alii subprecibus inter cælum & terram visi sunt manere suspensi. &c.*

Corn à Lapide in threm. 4. & 7. ex Annalib.

Optem hic mihi adesse, & vero sunt, qui dies in deliciis, noctes in libidinibus transligunt, & hæc minimè ad se spectare deridiculo jactitant, tales profectò autes ad sacra claustra hujus sanctissimi Ordinis per 40. esuriales ferias, aliasque sanctiores advertere pervelim, dum omnia flagellantium strepitu personant, ut vel hoc sanguine tam largiter fuso erubescant. Unum vobis Ludovicum Granatensem, virum calamo, & linguâ qualem, in exemplum adduco: multâ jam nocte tam acriter in se flagello animadverrebat Ludovicus, ut non cubiculum modo, sed via ipsa, propter quam erat, validis ictibus resonaret. Forte illac ibant juvenes duo, veneri devotam noctem malè perdituri, cum auditus flagellorum crepitus tacitos advertit. Subsistunt, aurem que propius admovent; nec mora, subit animos salutaris pudor, voluptati per flagitia obsequi, se maximorum criminum reos, cum viri sanctimoniæ primi mactos, se supplicius Deo immolarent. Ergò adnotatâ diligenter fenestrâ, ex qua sonitus acciderat sibi salutaris, pedem referunt certi, primâ statim luce apud eum hominem peccatorum conscientiam, criminumque deponere, animosque arcanâ expiare confessione. Nec segniter executi sunt, quod destinaverant: nam ubi diluxit, editis janitori cellæ indiciis, accersiri jubent, qui eam incoleret, excepti que pet humaniter à Granatensi, eius ductu, vitæ longè alias rationes inierunt.

P. Ioan. Rho. cit. lib. 7. cap. 5. §. 22. Rarum exemplû.

Hæc flagella, utinam & vos ad currendam viam mandatorum exstimulent, ut æterna,

ab

ab inferni tortoribus infligenda evadatis.

Volo etiam sexum imbellem, ad ruborem virorum, & adolescentum huc advocare, (quę à mollitie, seu molli aere) nomen mulieris traxisse nonnulli grammaticautur) ut pudore suffundantur viri, mulieribus mollitudine superiores, cantaotes nostram in his sæculorum fæcibus imbecillitatem. Cadit in hunc locum opportunè illa Chrysostomi concitatio: *ubi nunc illi sunt, qui querulo semper animo, corruptibile hoc corpus, atque passibile, impedimento sibi esse ad virtutem putant? Audiant B. PAULI facta præclara, & ab hac obtrectatione malignâ conquiescant.*

Chrysost. hom. 5. de laudib. Pauli.

Quid enim virtutem, corruptio corporis impedivit, ubique nobis intentione animi, ac promptâ opus est voluntate, quæ si affuerint, nihil erit quod nos possit à virtute prohibere. Nonne erat ille mortalis? nonne corpus habuit cunctis naturæ necessitatibus subjugatum? quid ergò, num vetuit illis, quibus floruit splendere virtutibus? profectò nihil. Sanctissimum parentem æquis passibus, & calcaribus secuta prædilecta filia *Catharina Senensis*, quæ quàm severè flagellis, urticis & clavibus corpus dilaceravit, & sanguinis rivi, & Scriptorom calami satis expresserunt.

Pœnitentia Virginum.

Eiusdem Ordinis Virguncula, *Agata Delacroix*, nocte præviâ ante participationem divini pabuli, quo frequenter reficiebatur, tertio in se flagellis ad sanguinem acerrimè animadvertebat. Huic accenseri posset *B. Eleonora*, tertii Ordinis *Sancti Dominici*, quæ pane arcto, & frigidâ vivebat, & cupediarum loco, diebus solemniotibus, herbas adhibebat; nuda humus, substrato pro cervicali, saxo, erat. Parum hoc, pectusam acerbis aculeis laminam, assiduo appressam pectori gestabat, non sine sanguinis ex eo profluentibus rivis. *Eiusmodi, de Maria à Spiritu sancto, & altera Maria de purificatione*, idem auctor commemorat, & Arias noster de virginibus S. Dominici in se sævientibus; quæ si enarrare velim, in volumen excrescetem. Saltem quæ dicta sunt, non uni sed plutimis Octavis diserto oratori servire poterunt.

Barry.

Sed quid venas, & rivulos sectarem; ubi Martyrum sanguis in flumina, & maria tedundavit? Frater Nicolaus de Ungaria, vivus instar Bartholomæi excoriatus est. Frater Joannes Ungarus velut alter Stephanus saxorum imbre obruendus traditus. A. 1591. die 23. Nov. in Germaniâ tribus continuis diebus exquisitissimis tormentis ab hæreticis laniatus Frater Jacobus faber, Lector Lovaniensis, Frater Eduardus de Bergomi, Prior S. Jacobi, Parisiensis, post acerrima supplicia, ad caudas quatuor indomitorum equorum ligatus, ut quondam Hippolytus, in quatuor partes distractus est.

Flumina sanguinis ex corporibus Martyrũ.
Lopez. opt. tom. SS. Patrum. tom. 4. fe. sto S Petri Martyris.

Dies me deficiet, si vel elenchum purpuratorum Martyrum, quem Ferdinandus de Castillo, Regius Prædicatorum Ordinis Concionator contexuit, referre voluero. Vel solo Inquisitionis munere functi, ducenti & octoginta crudelissimè ab hæreticis pro fide excarnificati sunt. Innumerabilem horum pugilum exercitum satis testatur ingens volumen, quondam S. Theresiæ cælitus exhibitum, in quo horum omnium nomina exarata cernebantur, sic enim narrat Ribera: *vidit orans ante SS. Eucharistiam quemdam ex Ordine S. Dominici, magnum volumen in manu habentem, qui & eam ad legendum invitavit, quæ hæc exprimebant: futuris temporibus. (non solum priscis) quibus maximè) hic Ordo florebit, multos habebit Martyres (& innumeros jam habet) Ejusdem ordinis 6. vel 7. vidit districtos gladios in manibus habentes. Ex quo intellexit (etiam post sua tempora) hos pugiles fidei futuros. Etiam aliàs orans in spiritu rapta, campum amplissimum vidit: multi præliabantur, & viri eiusdem Ordinis ferventer manus conserebant: vultus eorum miram pulchritudinem, & propemodum ignitam speciem pro se ferebant. Intellexit hoc certamen contra hæreses susceptum, ab iis qui secti sunt, lapidati sunt, laniati sunt, vivi excoriati sunt.* Liceat hic mihi illud Poetæ non fictè, sed verè usurpare:

Ferdinand de Castillo lib. 2. hist. Ord. c. 63.
Innumeri Martyres Ord. S. Dominici.
Ribera in vita S. Theresia. lib. 4. c. 5. Lancicius. opusc. spirit 1. c. 19. pag 77.

Clamanti cutis est summos direpta per artus
Nec quidquam nisi vulnus erat, cruor undique manat,
Detectique patent nervi, trepidaque sine ulla
Pelle micant venæ; salientia viscera posses,
Et pellucentes numerare in pectore fibras.

Ovid. 6. metam.

Superest quartus fluvius ex hoc Paradiso suavissimè emanans:

Flumina nunc lactis nunc flumina nectaris ibunt.

Hic de quo David, *fluminis impetus, lætificat civitatem Dei*, id est animam.

Psal. 45.

Alibi *torrens voluptatis* nominatur, quem qui vel semel delibavit, omnem mundi dulcedinem, ut merum fel, non modo aversari, sed & acerbissimos cruciatus subire mallet quam hac cælesti dulcedine frustrari. Excurrit hic melleo suo flumine Bernardus: *quæ enim anima semel à Domino didicit, & accipit intrare ad seipsam, & in intimis suis præsentiam suspirare; talis nuquam animam, nescio an vel ipsam gehennam, ad tempus experiri horribilius, panaliusve ducat, quam post spiritalis studii hujus gustatam semel suavitatem, exire denuò ad illecebras, vel potius molestias carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem.*

4. Fluvius cælestiũ consolationum.
Bern. serm. 35. in cant.

Hæc flumina nectaris, & ambrosiæ bibit virgo Senensis, quæ postquam è fœdo ulcere plus suxisset, alterom haustum, imò nectaris flumen meruit, quem ex latere suo dilectæ Christus propinavit. Illa ab hac Ambrosiâ jam ebria, porrò ausa est petere, cor suum, amans sibi haberet. Superi? quis fidem daret, nisi amoti hominum tam obnoxium, te Jesu scitemus. Aufert Catharinæ cor Christus, & suum repoνit.

Surius. in vita.
Christus cor suum cum corde Catharinæ cõmutat.

Tunc profectò, expleto amantium voto, Christum Catharina, cor s[illegible]m: suum Christus Catharinam vocare potuit.

Quis delicias alterius *Catharina Riccia*, animo capiat, quibus illa perfundebatur, dum suavissimâ ac familiarissimâ dilecti sponsi sui consuetudine, id quod sæpissimè fruebatur?

Aliarum virginum deliciæ.

Cælestium deliciarum fluenta, ac torrentes voluptatis, quibus religiosi, ac religiosæ in hoc paradiso perfunduntur, nemo nisi expertus valet explicare.

Probè id noverat *Maria Magdalena de* Ursinis, Ordinis *S. Dominici*, quæ ovitiis præfecta, dicere solebat se libenter videre suas religiosas ridentes, ac hilares; & si quam ridentem compertisset, his verbis animabat: *eia, ride libertimè filia, & hoc terrestri paradiso fruere, non fecit taliter omni nationi.*

Paulus. Barri Solitud. die 9. extr. 2.

Paradisum certè in terris habuit *B. Agnes de mõte Politiano*. Hæc nono ætatis anno, quo puellæ aliæ totæ pendent à matribus, *S. Dominici* institutum in sacro pathenone amplexa est: quindecim annis pane & aquâ victitavit; sed celesti rore pasta, qualis Hebræis in deserto annona fuit. Aliquando visa est, duio Christi crucifixi pedibus supplex basia figeret, ab ipso sustolli in amplexus & osculuio oris. Exclamare hic lubet cum Augustino: *O mens sancta*, PARADISUS DELICIARUM, *variis bonorum operum virgultis consita, variisque virtutum floribus purpurata, & suaviter celesti gratiâ irrigata! hæc est, fratres mei*, PARADISUS, *in quo plantavit lignum vitæ cælestis Sapientia: hæc est thalamus Dei; palatium Christi, habitaculum Spiritus sancti: hæc est thronus Salamonis, lectus sponsi cælestis, in quo ipsa conscientia bona delectat, & requiescit cum sponso suo.* Propterea crediderim eiusmodi animas à S. Bernardo his verbis excitari *delectationes non perdimus, sed mutamus: de corpore ad animam, à sensibus, ad conscientiam,*

Augustin. lib. 3. de nat. & grat. cap. ultimo.

Bern. ad fratres de monte Dei

Declaravit hoc aliquando Reginaldus, inter primos *S. Dominici* socios, ac præcipuos: hic enim in sæculo opulentus, vitæque molli, ac sybariticæ assuetus, cum laboriosum, ac grave illud Institutum suscepisset, qui eum prius noverant, sæpe cum admiratione quærebant ab eo, num monasticæ disciplinæ rigor illi non intollerabilis videretur? quibus & animo, & vultu alacri respondere solebat: scitote ita mihi hæc omnia jucunda, ac suavia videri, ut subtimuerim, quod tantis hujus veluti paradisi, deliciis affluens, nullum in hac vita meritum consequi possem. Quam omnem jucunditatem D. Hieronymus ex amoris, & charitatis efficaciâ oriri affirmavit: *cum charitate claustra sunt paradisus, & habitatores sunt Angeli.*

Plaus de bono status Relig.

Hieronym. in Reg. Monast.

In quo falluntur parentes, qui suis condolent, & lacrymantur, dum ad religiosum claustrum confugiunt, quasi vivæ sepulræ ad monumentum efferentur: similes Judæis, ut disertissimè, & ingeniosissimè Lanuza. de Magdalena, de qua dicebant: *vvit ad monumentum, ut ploret*; cum apud Jesum, vitam animæ suæ, suavissimè deliciaretur. Quam cæca sunt, & hallucinantia in divinis, mortalium judicia! vident nobilem, nubilem, speciosam filiam rudi habitu indutam, angustiis cellæ claustris conclusam, & sortem eius miseram plorant; ignari, quod quoties libuerit, animo spatientur, & deliciis paradisi, cum *Asella* petfruantur, de qua Hieronymus: *num inclusa cella angustias, tota cæli latitudine fruebatur.*

Ioan. 11.

O si sæculares filiæ, in asceteria religiosorum, ac sanctimonium sedem, & penitius animum penetrare possent, in has voces cum *B. Magdalena de Pazzis* erumpetent: si saperent, & cognoscerent filiæ, & filii hujus sæculi, sealis monasteria conscenderent, ut in eo paradiso, securè, & deliciosè degere possent. Idem experta duduio *ante Scholastica*, palam profitebatur, nemioem in mundi hujus sterili ericeto, & spineto permansurum, qui delicias paradisi monastiei vel extremis labris degustasset, quas filiæ *S. Dominici* plenis torreotibus hauriunt.

Hieronym. epist. 15. ad Marcellam.

Nunc ad Paradisi Roseta, & venantia liliis viridaria expatiemur.

§. IV.

PARADISI DOMINICI ROSARIA, *colore, & odore spirantia describuntur.*

Hortensius Palavicino.

QUid jactas Thessalia, florida tua Tempe,
Quid cælo confinem Olympum,
Regem montium coronas?
Admirabiliora Tempe in tempus habemus.
Ubi *roseis corollis* cælum,
Vetus Olympus redimitur,
Humilitatis tamen prodigium est, quod *Maria.*
Sole paludata, lunâ calceata, stellis coronata
Nostras non reiiciat ROSAS.
Sed hæ *Rosæ*, stellæ verius terrarũ sunt
Quam stellæ dicantur, *cæli Rosæ.*
Prima Eva nocens spinas invexit,
Quibus mundus miserè laceratur
Secunda Eva innocens felicius magno vulneri
Medicas adhibet *Rosas.*
O Utinam innoxiæ illæ, sine spinis *Rosæ*
Ubique vernent!
Inter hæc *Rosaria*
Primi horti reflorebit amœnitas,
Imò reflorescente cum aureis diebus
Innocentiæ sæculo,
Totus mundus, ex eremo spinarum
Amabili metamorphosi
In Paradisum deliciarum revirescet.

Rosæ, & lilia, quæ in hoc paradiso florent.

Quid latras in cælum, voluptatis amator? quasi cæli collis angustus sit, & septus! Falleris; amœnissima est ad cælũ via, inter gemina semper *Rosaria* itur, sed alterum calcandum est pedibus; alterum capiti inferendum, ubi flavescentes veneris Rosas protriveris, ubi æternas Mariæ *Rosas* capiti imposueris, tuto ad cælum ibis, etiam antequam adverteris, coronatus.

At ne quis tam nobiles Rosas violaret,
En eiusdem familiæ, sacri Roseti auctor,
Et fautor, eiusque filii *Dominicani* custodes,
Prudentiæ non minus maturitate,
Quam innocentiæ candore adhibentur;
Nisi velis fidos *Domini canes* esse,
Non terrestres, sed cælestes:
Qui dum adversus fidei hostes latrant,
Suis splendoribus orbem illustrant.

Certè

Certè ore semper stellanti caniculæ charitatis,
Amoris divini æstatem secum ferunt.
Quis vos inter homines
Suavissimos divinorum Prædicatores esse neget?
Floridè loquentes, *sacras utique spargitis Rosas,*
Et inter cælestia vestra *Rosaria*
Coronati Oratores ubique triumphatis.
Magna vestra felicitas,
Posse omne humanum genus juvare;
Habetis adversus omnes morbos antidorum,
Medicas in manibus vestris ROSAS:
Si capiti imponantur
Superbiæ tumentis delirium difflaunt
Si inferantur cordi,
Luxuriæ æstuantis febrim extinguunt.
Prodigium est, ab illis
Compungi corda, nec vulnerari,

Imo geminato beneficio cumpuncta, sanari. Eia ergò cælestium florum, ex horto concluso, cultores, immortalia vestra Rosaria circumferentes, manibus rosas spargite plenis. Numquam felicius celebrabitis natalia virtutum, vitiorum funera, Mariæ floralia, quam sparsis vestris Rosis.

Ita Deus terrestrem paradisum, cum suis Rosaris, Angelis flammei gladii custodibus, nimirum verbi Dei Prædicatoribus concredidit. Hæc enim terris educit, cælo educat venus, omnium deliciarum paradisus *Maria*.

Encomia Rosæ

Hieronym. in cap. 6. Matth.

Rosa hortorum purpura, & florum regina, à sacris, & profanis Auctoribus merito indigetatur. Hieronymus: *quod sericum, quæ regum purpura, quæ pictura texericum potest floribus comparari?* QUOD ITA RUBET UT ROSA? Ambrosius in paradiso voluptatis, dum prima innocentia vigebat, *Rosam* ait à celesti colono, & conditore Deo, sine spinis productam: *surrexerat ante*, inquit, *floribus immixta terenis, sine spinis* ROSA, *& PULCHERRIMUS flos, sine ulla fraude vernabat: postea spina sepsit gratiam floris, tanquam humanæ speculum præferens vitæ.*

Amb. lib. 3 hexam. c. XI.

Plinius. lib 21. cap. 4.

Ex veteribus Plinius: ROSA *mundi odoris: germinat omnis, primo inclusa granoso cortice, quo mox intumescente, & in virides alabastros fastigiato, paulatim rubescens dehiscit,* Anacreonte judice:

ROSA *honor, decusque florum:*
ROSA *cura, amorque verum:*
ROSA *cælitum voluptas.*

Pierius. lib 23. pag 243.

Nec minus illustre Pierii elogium: *nullum meo judicio*, inquit, *florem pleniorem, & elegantiorem vidit hæc nostra ætas;* cuius decor, cujus odor, cujus valor, cunctis floribus antefertur, ut loquitur Berchorius.

Berchorius tom. 3. pag. 276. Alexander ab Alex. lib. 1. de Laric. ... clesoph.

Omnia paucis complexus Rosæ encomia *Alexander ab Alexandro, dum ait: si regem floribus constituere Iupiter voluisset, non alium certò quam* ROSAM, *eiusmodi honore dignatus esset: hæc terræ ornamentum est, plantarum splendor, oculus florum, prati rubor, flos omnium pulcherrimus.*

Rosa oculorum pellex est, quos suâ facit ardere formâ; verum non hic tantum oculi; sed & manus, & nares, & hæ quidem studiosissimè. O Rosa, aiebat, floris, & odoris amantissimus, quam velim, cum te olfacio, cum catuli fabullo totus fieri nasus. Parum hoc; tu, o Rosa, horti purpura, veprium sanguis, corollarum ostrum, murex ruborum, valetudinis antistita, morborum fugatrix, reparatrix sanitatis, mensæ amœnitas, capitis ornamentum, narium delicium, illicium oculorum, Regina florum, flos florum omnium.

Verum enim verò, quantum terrena cælestibus, humana divinis, caduca æternis cedunt, tantum Rosæ omnes, ac *plena Rosarum atria*, Marianis Rosis, colore, odore, præstantiâ, concedere, paucis comprobabo.

Quare, cum aureo Oratore exordiri placuit: *volo vos in pratum inducere virtutum: pratum, inquam, non quot* ROSARIA *plura profert, aut alios flores, qui marcescunt, sed quod orationem, fidem* castimoniam, aliaque virtutum germina; *siquidem hæc longè sunt vernis floribus redolentiora, ut quæ non aquarum fontibus; sed quæ lacrymarum imbre rigantur.*

Chrysost. hom. 3. de fine Anna.

Rosæ, quas *Sanctissimus Pater Dominicus* in paradiso Ecclesiæ plantavit, Marianæ sunt, lectæ ex stirpe, quæ est *Rosa mystica*, ut cantat ecclesia: *Maria*

Maria, Rosa.

Nomen, cum violis, ROSISQUE *natum.*

Martial. l. 9. epig. 8.

Hæc est, inquit Abbas Latiensis, ROSA VERNANS CÆLICÆ AMŒNITATIS, quæ nunquam deflorescens, aut marcescens, sed vernans, ac fragrans in æternum; secus ac rosa terrestris, humanæ fragilitatis speculum, quæ vix oritur, & moritur: unde Poeta

Blosius. in proc.

Quam longa una dies, ætas tam longa ROSARUM *est.*

Hæc Rosa, primæ Rosæ in paradiso plantatæ æmula, omnis spinæ nescia, ut in encomia Mariæ excurrens Doctor Seraphicus: *recens* ROSA, *sine spina.*

Bonav. in laud virg.

Hugo à sancto Victore, moraliter & doctrinaliter: *dicamus quomodo* MARIA PER ROSAM *significetur: in* ROSA *quatuor discerni posse videntur, scilicet natura, forma, color, & odor. Naturâ est* ROSA *frigida, formâ lata, colore rubra, odore grata. Per naturam ergò significat vitiorum extinctionem, per formam, charitatem: per colorem, passionem, vel certè compassionem: per odorem. bonam opinionem. Quæ cuncta,* MARIÆ *certissimè congruunt.*

Hugo. de sancto Victore tom. 2. institut. monast. serm. 65. in nat. vir. B Virg.

Tales Rosæ, ad quas sinu pleno legendas, & offerendas, adhortor vos hodie, quæ nulla temporum vetustate deflorescent, nullis mortalitatis humanæ, aut invidiæ spiculis septæ. Tales,

Necte ROSAS *generosa,*
Flecte flores VIRGO ROSA,
ROSARUM *pulcherrima.*

Opto, ut cæptum persequar, quæ dicturus sum, Rosæ fiant, juxta tritum illud: Rosas loquitur, & ut nasutus Poëta loquitur *vernas efflat ab ore Rosas.* Hoc verissimè testati sunt, è quorum ore, Rosæ prodiere, etiam hiemali aurâ vernantes,

Ovid. 5. fast.

nantes,& toto anno fragrantes, munus certè dignius,quam olim ipsi Augusto Cæsari oblatum.

Romani domesticas, & inquilinas Rosas, quas verno tempore in viridariis, summâ copiâ habebant,flocci pendebant; sed intempestivas,aut hiemales,raras & caras, ut fit, summo in pretio,omnibus divitiis comparabant, & in deliciis habebant;ita qui luxui Romanorum interfuit Martialis:

Martial. lib. 6. epig. 80.

Ut nova dona tibi Cæsar,nilotica tellus
Miserat, HYBERNAS *ambitiosa* ROSAS.

Hinc multorum ingenium,& solertia desudavit,ut vel Rosas apricas,magno laboris impendio accelerarent,aut in hyberna tempora servarent:sic enim Seneca: *non vivunt contra naturam,qui hieme concupiscunt* ROSAM? *fomentoque aquarum calentium, & calorum aptatmitatione brumalium,florem verum exprimunt.*

Seneca. epist. 123.

Ut nullo nô tempore,suam Virgini,Rosarum corollam,calidis lactymarum aquis aspersam, nectere possis,Mariane,ecce tibi Rosas hieme etiam suggerimus. Capesis,& hortum ex quo illa veniunt,nobiscum mirare.

Molanus. in vita. 30. Novemb.

S.Iossio,Monachus apud Audomarenses,& Mariæ cultor eximius,qui inter reliqua amoris argumenta, Mariæ nomen peculiari cultu venerabatur:Rosam hanc lingua loquebatur, digiti exarabant, cor suspirabat, & ut numquam animo dulce illud nomen *Maria* excideret,quinque sibi quotidie psalmos dicendos prælegit,quibus initium optimi ominis, litteræ primæ capitales ejusdem sacrosancti nominis dederunt, *Magnificat. Ad Dominum Retribue servo tuo. In convertendo. Ad te levavi.*

Saluantes Mariam,Rosas loqui, Exemplis probatur.

Et vide sis, quomodo hoc studium Maria probaverit,moritur Jossius hiemali tempore, 30. Novembris,& ecce, geminæ, & purpurâ tinctæ *Rosa* ex oculis,totidem ex auribus, ex ore denique (ut Rosas locutum intelligas) altera pullulavit:singulæque litteris suis *Maria* nomen loquebantur;& quaternæ quidem ad primum contactum,& ipsæ mortuæ, cum corpore sunt tumulatæ;at illa quam ex ore prodiisse diximus, quamque decerptam Episcopus crystallo inclusit,vivit hodie etiam credo, ut & nos Rosas Marianas loqui, & germen esse doceret,atque iis prodigiis Virgo Maria,*Rosa Mystica*,manifestè probaret,quot salutationes Angelicas,tot cultui suo devotos, Rosas cælesti odore fragrantes, & nullo ævo interituras progerminare;quod sperandum, & certò impetrandum ab iis,qui non solum Augustum Mariæ nomen semel indies, per quinque illos psalmos invocant,sed & per Rosarii psalterium centies & quinquagies,quot psalmi Davidici, indies hoc sanctissimo nomine salutarint, mente & ore sacra Mysteria volvendo, Rosas locuti sunt.

Pictæ tabulæ loquuntur, in silvâ juvenem devium,*ignarum hominumque, locorumque*, ad Marianas preces confugisse, atque latrones qui ei insidiabantur, ad singulas salutationes Angelicas,conspexisse ex ore eius *totidem Rosas* prodire, quas Virgo Mater legebat, & in corollam plectebat;quo viso sibi vitam, & illis salutem peperit.

Et dubitamus adhuc,an quis Rosas loquatur,dum Virginem salutat?Si testem mortuum inducam,credituros confidam, ex ore B. Joannis,Ordinis Cistercensium, cum rudis litterarum,hæc duo verba singulis horis pio affectu in Virginem ingeminaret : *Ave Maria*,à morte lilium ex tumulo prodiisse.

Unde quid est,quod vos horter, ut has Rosas Marianas in æternû vernâtes,legatis,& colligatis, ubi Nymphæ hujus sæculi,pleno sinu flaccidas,ac fluxas Rosas,ram avidè, non sine aculeo spinarum decerpunt?

Filiæ hujus sæculi fluxas Rosas legunt.

Ovid. lib. 1. fast.

Prada puellares animos oblectat inanis,
Et non sentitur sedulitate labor.
Hac implet lento calathos è vimine nexos,
Hac gremium,laxos degravat illa sinus.
Illa legit caltpas,huic sunt violaria cura,
Illa papavereas subsecat ungue comas.
Has hyacinthe tenes,illos amaranthe moraris:
Pars thyma,pars rorem, pars melilothon amant.
Plurima lecta Rosa est.

Quam studiosè Rosæ Marianæ legendæ, & his sinus complendus, Virgo *Benevenuta Austriaca*, lectissima *S.Dominici filia* edisserat. Vix credi potest,quod teneris adhuc annis inceptavit, nisi pietas supra ætatem esset : septennis centies quotidie oratione Dominica, ac iterum centies salutatione Angelica SS. Triadem venerabatur:millenis item quotidie Angelicis salutationibus,Virginem Deipatam colebat. Septima quaque luce , ut eidem sacra, alterum tantum salutationum superaddebat , & solenni Angelicæ ad Virginem Legationis die ter mille.

P. Ioan. Rho. varia lib 3. c. 10. §. 10.

Colligant alii violas modestiæ , lilia castimoniæ,Amaranthos patientiæ &c. huic virgini *plurima lecta* ROSA *est:*

Utpote colore,odore,& sapore gratissima: nam,ut inquit S.Innocentius:ROSA *præ cæteris floribus,colore delectat,odore recreat,sapore confortat:delectat visu,recreat olfactu , confortat gustu, sacchara condita.*

S. Innocent. serm. 1. in Dominica lætare.

Sed ad alias,colore,odore,decore , sapore longè nobiliores,fragrantiores,& præstantiores Rosas,ipsa *Rosarum pulcherrima* MARIA clientes suos invitat:sic porrò accidisse tradit Wadingus , Annalium Minorum Scriptor præclarus.Seraphicæ hujus familiæ tiro , Virginem Matrem eo peculiari studio , & cultu venerabatur,ut lectissimas illi Rosas ex horto decerperet,& in corollam plexas sacræ ejus statuæ vertici imponeret.Interim dum in arduâ tirocinii disciplinâ langueret,juvenili levitate, ad sæculum redire statuit; jamque discessurus, dum Virginem per transennam salutat,ejusque patrocinium deposcit,ex ipsâ arâ vox elapsa,& virgo visibilis sic ad eum: noli contristari ob" dimissum aut impeditum , quod mihi præ-" stabas,florum obsequium: docebo quomo-" do in præclarius convertas, & coronam " mihi compingas serto illo Rosarum multo " pulchriorem: "

VVading. ad ann. 1422. n. 6

Singu-

Deipara docet mysteria in Rosario rumi-nanda.

Singulis diebus Coronam mihi texe non ex floribus, qui cito marcescunt, neque semper haberi possunt; sed ex piis precibus, quas tu potes, & Angelus docuit recitare. Profer decies salutationem Angelicam & semel orationem Dominicam in memoriam gaudii, quo ego exultavi de concepto Verbo æterno. Secundo eadem repeto, propter illud, quo perrexi cum festinatione in montana Iudeæ, cognatam Elisabeth, invisura. Tertio, propter summam lætitiam, qua Christum Dominum absque dolore, integro pudore sum enixa. Quarto proter eam, qua Magos infantulum adoraturos, excepi. Quinto ob repertum in templo Filium, quem prius deflebam amissum. Sexto, ob gloriosam eius Resurrectionem; & hæc si singulis diebus dixeris, certò scias, fertum mihi gratum, & tibi meritorium te compacturum.

Erexêre hæc suavia, & salubria denique Matris monita dejectum adolescentis animum, & huic devotioni pertinacitet intentum, in vocatione, singulari pietatis sensu confirmarunt. Donec eo commigravit:

Propert. lib. 4.

Mulcet ubi Elysias aura Beata ROSAS.

Sed non alinnde, quam è divi Dominici paradiso, mihi Rosæ legendæ sunt. Offert hic sese lectissima, recens in album cælitum relata, BEATA ROSA, *procul & de ultimis finibus terræ pretium eius*, quæ Reginæ Rosarii studiosissima.

P. F. Leonard. Hansen. in vita B. Rosæ. cap. 10.

Hæc parentes importunis precibus, & lacrymis, cum frustra togasset, ut in extremo horti angulo exiguam cellulam, unicæ dumtaxat staturæ suæ capacem, cum fenestellâ extruere sibi liceret, statuit pio munusculo reginam Rosarii, eiusque filinm, Sponsum suum eblandiri, ut parentum animos flecterent. Habebat in paupere thesaurō coronam precariam ex corallis; hanc ptompsit, ut in facello S. *Rosarii*, imaginem divinæ Virginis speciosus hic torques adornaret: Ergo notum Religiosum adiit, coronam porrexit, collo imaginis quantocius immittendam, velle se hoc pretioso vinculo captivare Virginem Matrem, ut ita Filiolus vadem se, ac fidei jussorem interponat. Quæ corallina cotona, ut jusserat *Rosa*, collo imaginis imposita est.

Et ecce cæleste prodigium: adfuit statuta dies, quâ *Rosa* obtentæ gratiæ fidejussorem intuitura, festinavit ad Ecclesiam *S. Dominici*; vixque *sacri Rosarii* facellum ingressa, vidit coronam suam à collo Divæ Virginis solutam, pendere palam de manu parvuli JESU. Idem viderunt in editâ aræ imagine, ad quam nonnisi per scalas ascendi poterat, quotquot promiscue aderant in facello. Sacrista prodigii admonitus, venit, vidit, obstupuit, certus nec se, nec suorum ullum attigisse coronam, à die, quo collo D. Virginis circumducta fuerat; *sola Rosa* conscia miraculi, signique tacita interpres, exultabat arcano jubilo: nam exinde legatione ad parentes factâ, pro exædificandâ cellulâ, extemplo voti compos facta est.

Nimirum hic fidejussor, JESUS, *Rosæ* in Matrem suam affectum rependit, qui non minus parentum cor, quam corallium filiæ, in manu gestabat.

Ex hoc indies major crevit *S. Rosæ* in Deipa-

ram amor, & ardentius studium, quod vel in eo etiam enituit, quod toto anno per omne Sabbatum ad facellum *Rosarii* flores, quos ipsa excoluerat, mittere, aut deferre consuerit; mirati sunt, quicumque *Rosæ* hortulum norant, eius areolis numquam deesse flores quos aræ dedicaret; sive enim æstus aut hiems omnes undique flores decoxerat, semper in modico *Rosæ* viridario intacti vernabant flosculi, quos in proximum Sabbatum cælesti Antophoræ consecraret.

In horto B. Rosæ toto anno flores, quos Deiparæ offerebat.

Longè tamen præstantiores Rosas, Virgo *Rosa*, mille, & mille salutationibus Marianis, Virgini Matri ardentissimè dedicavit, ut in vita legere est.

Amabile quidem ac laudabile studium est, virgineis aris, ac statuis flores imponere, roseis fertis redimire; sed vel unica salutationis Rosa, quæ puro cordis fundo, & ferventi precantis ore profertur, Virgini Matri, præ iis, quos pleno sinu, & confertis calathis profunditis, nimium quantum antecellit, &

Fragravit ore, quod ROSARIUM PESTI.

Martial. lib. 5. epig. 58.

Ejusmodi vos Rosas loqui, idem auctor irrefragabilis testatum facit. Constiruerat vir Religiosus, Ordinis Minorum, Rosas has mane ante prandium legere, & corollam hanc Marianam Virgini persolvere. Accidit ubi mensæ assedit, hujus se consuetæ pietatis immemorem fuisse cum, nescio quid causatus, facultatem assurgendi postulat, & properè se ad templum confert, ubi ante Deiparæ aram, quod solebat, pensum suavissimis lacrymis perfusis, persolvebat. Huic suæ pietati dum forte diutius immoratur mittit Guardianus, qui in hominem inquirat quid ageret, aut quo abierit; & visus est genuflexus orans, & Angelos duos per brevia intervalla *excipere ex eius ore Rosas*, ac post decimam quamque, lapidem pretiosum; atque ex his contextam coronam capiti adstantis B. Virginis imposuisse.

VVading. cit. n. 9.

Hæc hactenus dicta satis, stimulo, & exemplo esse confido, ut tam formosas Rosas corde, & ore proferatis, & de quoque vestrûm usurpari queat:

Dum loquitur, *vernas efflat ab ore* ROSAS.

Ovid. 5. fastor.

Suas hic laudes, ipso cognomine designat *Thomas* à Rosario, Ordinis vestri lumen, ac columen, nec magnificas spes lusisse dici potest, qui per Mexicanas oras incredibili quondam pietatis incitatione, frugiferas has generi humano *Rosas Marianas* pangere numquam cessavit. Hoc illi studium præclarissimum fuit, rudes barbarorum mentes, *hac Roseâ in Deiparam pietate*, ad omnem Christianæ Religionis cultum emollire. Ipsi quidem nihil gratius accidere poterat, quam si *Maria mancipium* appellaretur; hac ille in appellatione, quasi summo in honoris atque amplitudinis titulo, acquiescebat: neque ulla tam gravis hominem urgebat mœstitudo, quam *Mariæ nominis* usurpatione, in lætitiam, hilaritemque non daret.

P. Ioan. Rho varia virtut. hist. lib. 3. c. 1. §. 14. Thomas a Rosario in Indias usum Rosarii invexit.

En Rosas, ad ultimas Mexici oras deporta-

P. Hazart. hist. Indic.

tas, & pretio habitas; ubi etiam parvula puellula potius in exilium ablegari, quàm Rosarium sibi eripi passa est, dum interim has Rosas hic præ copiâ, apud illos qui earum virtutem æstimare non norunt, vilescere, & velut porcis objici, non sine stomacho cernere debemus. Agebat etiamnum parvulus, decimum ætatis annum *Dominicus*, utque ad omnem pietatem fictus erat, & formatus, maximè verò ad Virginis cultum, ac venerationem; noctu, diuque, sine lege, sine numero repetebat Angelicum illud *Ave Maria*. Probata Virgini oratio, probatus & pueli animus, quem ut virgineâ luce, seu doctrinâ perfunderet: illi se spectandam dedit, docuitque ex tunc *Rosarii* leges, modumque, quem deinde *Dominicus* aliis, ipsique orbi universo tradidit.

S. Thomas, Aquinatum Comitum sanguis, infans oblata forte io schedâ, verba, quibus Mariam salutamus, ilicò ne manibus eriperentur, avido ore hausit, & intra corculum suum condidit, bellaria omni infantiæ danda.

Ejusdem horti conclusi alumna, *Catharina Senensis*, ut primum fari potuit, gradus petreptaus, ad singulos, Angeli verbis Mariam salutavit. Quid jam mirum, si his gradibus ipsum sanctitatis culmen conscendit?

Parvulis Salutatio Angelica instillanda.

Hæ Rosæ, præ aliis crepundiis, parvulis in sinum spargendæ, & teneris labellis applicandæ, ut potius lallare discant χαῖρε MARIA: quàm edocta olim psittacus, pronuntiare *ave Cæsar* de qua illud poetæ:

Martial. lib. 14. ep. 72.

Hoc didici per me dicere: CÆSAR AVE.

Macrobius Nierenberg. hist naturæ. pag. 59.

Molto etiam utilius, quam corvus, qoi Augustum Actiacâ victoriâ triumphantem, hisce verbis salutavit: *Ave Cæsar. Victor Imperator*, qui officiosam hanc avem admiratus, viginti millibus nummorum emit. At vel unicum *Ave Maria*, omnes Regum thesauros, & mundi opes, pretio transcendit.

Lalaing. part. 2. c. 5

Has Rosas, ubi vix in terris vernabant, à stirpe parentum, quasi per traduces, in teneras puerorum plantas inoculari, & inseri volebat *Dominicus*, eo fructu, ut in Hispaniâ duo conjuges, pietare magis, quam *Comitum* titulo illustres, ac opibus affluentes, unicam quæ eis erat, filiolam, quam & unicè in deliciis habebant, in timore Domini, omni sanè virtutis, & devotionis exercitiis, ac potissimum tenero in Deiparam affectu imbuebant, eumque ex Rosarii recitatione imbibendum, identidem inculcabant, eam certum, ut à *Dominico* edocti fuerant, esse fæcunditatis conjugalis, omnis felicitatis humanæ, ac Divinæ præsidium. Filiola ad has Rosas indies Mariæ offerendas, blanditiis, bellariis, crepundiis, suaviter inducebatur, quod si officio pietatis defuisset, minis, & flagris, flexo poplite, & junctis manibus ad pensum Marianum persolvendum urgebatur.

Hæc semina jacta, eas radices in teneræ puellæ animo egerunt, ut corollam Marianam ter de die, priusquam ientaculo reficeretur; moxà prandio, ac tandem ante cubitom, piissimè persolveret, eo in virginem affectus incremento, ut & qoot diebus tertio in se flagellis acetrimè sæviret, flagris pro numero orationum Dominicanarom, & salutationum Angelicatum Rosarii repetitis; quo autem fructu, ex hoc colligere est; quod jam viro nobili nuptui tradita, nil de consuetis pietatis exercitiis remittens, jam decem fæcunda prolibus, iisdem filialem *in Virginem Matrem, & Mariam corollam*, pietatem cum lacte instillarit. Quo factum ut pleoa dierom, & booorum operum meritis cumulata, amabili Dei Matris præsentiâ recreata, de borâ exitus admonita, adstante Virgine, mitâ luce coruscantem animâ, in cælos emisetir: Hæc si fors aurea, & mors rosea, vobis parentibus attideat, pietate in Virginem, & institutione prolis vestræ in amorem Rosarii, excellere cooamini. Stimulo & incitamento vobis esse poterit, res ut credo multis auditu nova, & eventu incognita. Infans Aona Almaida gravissima postea Virgo, & sanctimonialis, dilapsis aliò, quæ puellam in fenestrâ ludentem curabant ancillis, in subiectâ caveam, in qna miræ magnitudinis leo asservabatur, magno decidit infortunio: nam & casus ipse puellam affligere debuit, parumqoe leonis interetat, vivam ne, an mortuam vocaret: sed magnæ Dei Matri devoram, sibi non fine miraculo servavit infantulam: nam undiqueoccurrentes domestici, ac feræ magister caveam ingressus, injecto à puellâ in leonis collum Rosario piaculari, blande illam mulcentê leonis jubas, vident, eaque verba ingeminantem audiunt *Leo, ne me comede, qua olim in Castella monialis futura sum*: hærebat immanis bellua, & hoc sancto Rosarii vinculo, quasi colligata, magnum Virginis imperium, in clientulâ venerabatur. Hæc ad teneram ætatem, hac Rosarii pietate inflamandam dicta sunt satis. Quo autem in pretio, & hoopre, hæ Rosæ habendæ siot, videamus.

P. Ioan. Rho. variæ virtut. hist. l. 3. s. 6.

Quo in pretio, & honore Rosæ habitæ.

Quanto in pretio Rosæ habitæ sint, patet ex luxu Cleopatræ, quæ ut Antonium exciperet, talenrum auti, id est, viginti quatuor millia aureorum, in Rosas, mensis, abacis, pavimento, lectis inspersas profudit. Athenæus ait: *talenti sumptu convehendas Rosas, & ad altitudinem cubiti, consternum pavimentum curavit.*

Athenæus l. 4.

Aresius. festo Epiphan.

Parum hoc, Rex Iodiarom Bisnaga, solitus ex Rosarum tributo annuè colligere quinque aureorum scutorum millia, quæ nostro calculo conficiunt, quindecim florenorũ millia; & hæc ex Rosis uno die florentibus, altero marcentibus. Alio in pretio superis habentur, ac vobis habendæ sunt Rosæ Marianæ, quarum vel una, Rosaria Pesti, omniumq; horrorum exsuperat: fidem faciet ex altero orbe testis, omni exceptione major. Sic etenim Religiosus auctor refert, sanctimonialem fuisse lethali morbo correptam, quæ per septem supremos vitæ dies, acutis doloribus, convulsionibus, & angustiis adeo conflictata est, ut vel spectantibus commiserationis lacrymas exciret. Hæc ubi è vivis excessit, præsentiam

Barri. in Annee Sainct. part 4. §. 4. 1. de Novemb.

tiam suam declaravit Superiori, & de salute sua non modo certiorem fecit; sed edocuit tantam Deum operibus justorum etiam minutissimis mercedem conferre, ut si copia fiert ad vivos redeundi, id unicum in votis esset; atque indubitatum habere, quod libens omnes dolores corporis, animique cruciatus, quos extremis vitæ diebus perpessa sum, libens denuo subirem, hac sola spe, ut vel tantillum ex iis omnibus gratiæ, ac gloriæ referrem, quantum quis consequitur *vel unicam dumtaxat salutationem Angelicam, etiam cum mentis evagatione recitando*. Quis nunc pretium, & præmium æstimare valeat eorum, qui indies integram cæli Reginæ, & animo attento, Rosarii corollam pertexunt? In quo studio Mariano, idem Scriptor, hominem Societatis prorsus eximium se novisse commemorat, qui tribus supremæ vitæ annis, cæcitate percussus, recitavit *supra triginta duo millia Rosariorum*; solenne illi erat indies, trigesies pensum illud Marianum persolvere, mortuus Avignione, anno. 1628. Qualem verò hic thesaurum alio in orbe repererit, sciturus ille, qui tribus annis ad *quindecies centena millia salutationum Deiparæ* censuerit. Habent quidem salutationes singulæ, sine ordine expressæ, vim suam, uti & margaritæ, ac Rosæ; sed in unum filum collectæ, ac in Rosarum corollam contextæ, nescio quid non majoris venustatis, & virtutis complectantur. Quod eruditissimus Doctor, *Malvenda* vestet, solidè & floridè pertractat, dum hoc ex Plinio refert, Rosarium, seu Rosetum, esse multorum Rosetorum, seu Rosarum collectionem: Ro- SARIUM, inquit, *dicitur multitudo fructuum uno loco* ROSAS *progerminantiū*; Sic ait hic Doctor, Angelicæ salutationes, velut tot Rosæ, in quindecim decades collectæ, *Rosarium* dicuntur: *quasi fasciculus, ex pluribus suaveolentibus Rosis aptè concinnatus*: qui longè majori amœnitate suâ oculos demulcent, & cor hominis, cælique Reginæ exhilarant, ac lætificant, quam seorsim sparsæ. Huic argumento favet Augustinus, solerter expendens de singulis, quæ rerum omnium Conditor Deus creat, hoc elogium tulisse: *& erat bonum*; at postquam omnia jam creata erant, aliud longè illustrius encomium subiecit: *vidit cuncta quæ fecerat, & erant* VALDE BONA: ut quid illud, *valde bona* omnibus, & non singulis subtexuit? Respondet Augustinus: *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Septies numeravi scriptum esse eo vidisse, quia bonum est quod fecisti, & hoc octavum est, quia vidisti omnia quæ fecisti*, ET ECCE NON SOLUM BONA; SED ETIAM VALDE BONA. Quid causæ, inquit S. Doctor, quod postquam singula creasset, & laudasset ut bona, creaturas omnes simul majori emphasi deprædicarit? nam *singula tantum bona erant; simul autem omnia, & bona*, ET VALDE BONA. Quantum capio, & sapio, non adeò res singulæ creatæ seorsim consideratæ placuerunt, quemadmodum omnes simul collectivè sumptæ quæ eminentiori quodammodo bonæ, & longè gratiori spectaculo fiunt: nam, ut rectè Nazianzenus: *pulchritudo totius, ex pulchritudine singularum partium efflorescit*.

Lucre cit. part. 4 lib. 3. devot. 5 pag. 72.

Salutationes Angelicæ plus virtutis & venustatis habent in Rosariū collectæ, quam seorsim recitatæ.

Malvenda centur. 1. de Rosario. Thomas. l. 4 1. cap. 11

Gen. 1.

Augustin. lib. 13. confess. cap. 28. lib. 4. de Genesi. ad litter. cap. 6.

Ibid.

Nazianz. ... 3.

Hæc de pretio Rosarum cælestium, quod ut quis etiam in necessitate corporali, & rerum omnium penuriâ, sibi emolumentum, & lucrū afferre posse confidat, eventu raro, ac præclaro demostrabo. In regno Cantabriæ, vir fuit *Virginis Deiparæ* studiosissimus, qui ædem Virginis ibidem loci primariam frequenter adire, & fervidas ante eius statuam, monilibus pretiosis, & argenteis crepidis ornatam, preces fundere consuerat. Hic ad incitas redactus, cū panis deficeret in citarsiis, nummus in crumenis, nec suppeteret, quo se, suosque liberos, jam per plures dies famelicos sustentaret, confugit *ad Matrem Misericordiæ*, atque illic dum solitam suam corollam Marianam ardentibus votis, ut extremæ penuriæ succurrat, persolvit; inter hæc, videt statuam moveri, pedem porrigere, & in sinum ejus, argenteam crepidam projicere, ac nutibus indicare, hoc sibi pro Rosis suis argentum referret, & pretio esurientem familiam enutriret. Hic munere lætus, gratiis Virgini actis, confestim ad aurifabrum se confert, qui ut pronum erat, coniicere, crepidam hanc sacrilegâ manu ab ipso clepti tatam, hominem ad judicem defert; captus in carcerem conjectus, nec longâ deliberatione habitâ, laquo adjudicatus est. Iamque, nequidquam innocentiam suam contestans, ducebatur; dum propter Ecclesiam trāsiens, ubi hæc Deiparæ imago colebatur, à satellibus impetravit, hoc extremo vitæ articulo, ultimum illi vale dicere liceret; quod ut concessum, ante iconem ingeniculatus, gemitibus & lacrymis latè omnia complens, in has voces prorupit: O *Virgo Mater! en ut ad mortem opprobrio plenam ducor, ob amorem meum in te, & tuum in me; quodque liberaliter mihi largita es ad vitam, operatur ad mortem. Sed nunc Virgo potens, defende me: eripe animam meam de manu angustiæ, quoniam circumdederunt me dolores mortis, & non est qui adjuvet: tibi derelictus est pauper, misero tu eris adiutrix: ne ergo confundas me ab expectatione meâ.*

Maria Clientibus Rosariis in temporali necessitate auxilio est.

Cartagena. tom. 3. lib. ultimo 6. 52.

Hæc ubi miser homuncio in affusâ circumstantium coronâ perorat, en Deiparæ statua, alterum pedem illi protendere, & alteram crepidā argenteam ante pedes eius proiicere, inspectantibus, & attonitis omnibus, stupendo tei prodigio, quo ut innocentia eius luculenter cōprobata est, & judicis clementiam, & populi beneficentiā singularē expertus est, qui nubiles eius filias dotavit, & ipsi certum censum annuum, quo ipse cum suis de reliquo honestè vivere posset, assignavit. Ne autem tanti beneficii ipsum oblivio caperet, se Virgini Matri in perpetuum famulū, in æde sua serviturus dicavit, ut eum paradisum, ubi has Rosas legerat, & tantum lucri, ac emolumenti inde retulerat, ad extremum spiritum excoleret.

P. Ægidius de Lolatang de Rosario. part. 2. c. 6 miraculo 19 Episcop. Monopol. lib. 1. c 17 mirac. 14.

Nec minus illustre, quod in altero sexu contigit, duabus nobilibus domicellis, quibus Marianæ Rosæ magno pretio fuere. Virtute & sanguine nobilis Mattona, mortuo marito anxia & solicita maximè

Alphons. Fernand. l 4. cap. 14.

fuit pro duabus, quas habebat nubiles filias, formâ præstantes; sed familiâ ad eam penuriam redactâ, opere manuum sibi victum quærere cogebantur: cumque pro ingenitâ nobilitate supponderet vili lacernulâ in publicum prodire, sacras ædes frequentare, domum pro templo, cubile pro sacello, ab omni hominum contubernio semotæ, incolebant, ubi indies preces suas fundebant, & corollam Marianam pervolvebant. Affligebat Matrem non tam extrema, quicum luctabatur, paupertas, quam cura, ne hanc filiæ pertesæ, pudicitiam forte prostituerent, ut in pauperculis, quibus venustas gratiam contulit, passim fieri consuevit. Concepit itaque animo medium plenum pietatis, & prudentiæ, offerendi scilicet, & committendi binas suas filias curæ, ac tutelæ prædiviti, ac potenti Dominæ, ipsi nempe *Cæli Reginæ*, quæ numquam confugientes ad se deseruit. Hoc divino consilio comitata filiabus suis, ad templum, & sacellum *sacri Rosarii* properat, atque ante aram *Virginis Matris* in genua provoluta, sic eam ardentibus precibus, & calidis lacrymis compellat: O Benignissima Mater Dei, & potentissima Regina cœli, auxilium in te sperantium, destitutam me vides omni humanâ ope, nec modum, nec medium suppetere, ut integritati, & pudicitiæ mearum filiarum consulam; quare eas ex hoc momento, tuæ fidei, custodiæ, ac protectioni commendo, inque tuas misericordes manus eas trado, atque ut filias tuas, te vicissim in matrem habituras committo. His dictis ambæ filiæ osculum plantis sacræ imaginis reverenter fixerunt; unà cum matre domum reversæ, impensius se ejus cultui, & consueto operi manum se dedere. Cum ecce, pauco temporis intervallo, suavi Dei providentiâ, tantum lucri accessit, ut non victum duntaxat, sed & amictum, nobili suo stemmate dignum, compararint; sic ut in publicum prodire, templa, sacrum, ac conciones audire nô erubescerent. Verum hæc repentina mutatio, exquisitus ille vestium ornatus, formæ elegantiæ conjunctus, statim in malevolorum oculos incurrit, & non suspiciones solum, sed & publicas calumnias concitavit, quasi prostitutæ, hunc mundum muliebrem meretricio quæstu conquisissent. Sic igitur dænigratæ, longè acerbius hanc nominis, & pudicitiæ notam, quam veterem familiæ suæ inopiam plangebant. Quare die quadam Virgini Matri solenni, ad *sacellum S. Rosarii* se conferunt, ut quæ auxilio fuerat inopiæ, famæ, ac nomini, quod melius quam divitiæ multæ, consulere, omnemque infamiam amoliri dignaretur. Dum mirabili prodigio Beatissima Virgo Maria preces ratas se habere ostendit: in ipso sacello piè precantibus, ac omni populo spectante, hiberno tempore *delapsi è cælo gemini* ROSARUM FASCICULI *in sinum harum puellarum*: cunctis divino hujus cælestis favoris ostento attonitis, virginum innocentiam, integritatem, & sanctitatem palam deprædicantibus: factumque, ut opulentis undique donariis auctæ, viro nobili, ac potenti, in matrimonium utraque data sit. Nunc ad virtutem medicam, quæ *Rosis* inest, nos convertamus.

Scio Plinium, Theophrastum, aliosque peritos Scriptores, qui vim herbarum, ac florum indagarunt, ac pertractarunt, *Rosam* singulari virtute ad varios morbos curandos pollere, affirmare non dubitasse: sive *aqua sit Rosarum*, per alambicum eliquata: sive *Rosarum unguentum*, sive ipsæ Rosæ melle conditæ, &c. quibus multi malo remedium repererunt; at longè plures, quibus nulla humana medicina, aut medicorum industria opitulari poterat, morbis suis *per Marianas Rosas*, medelam consecuti sunt, quos si enarrare voluero, expediam citius, — *Virtus medica, quæ in est Rosis. Plin. lib. 21. cap. 4.*

Quod Themison ægros autumno occiderit uno, — *Iuvenal.*

Et in volumen excrescerem, ut videre est in Annalibus Ordinis, Alanum de Rupe, Carthagenam, Patrem Poirrè, P. Paulum Barry, & alios innumeros, eos recensentes, qui Rosarii virtute, à quavis corporis infirmitate curati sunt.

Nos hic dumtaxat, cum longè deterior febris, libido sit, & quævis noxa mortalis, præsens remedium morbis animæ, *ex recipe Rosarum* præscribemus. — *Rosæ Marianæ morbis animæ medentur.*

Hæ Rosæ medicæ, de quibus agimus, tantæ virtutis sunt, ut animam omni lue flagitiorum fœdam, per veram pænitentiam formosam; & Christo sponso sponsam dignam efficiant. Ubi illud Oseæ 3. mihi occurrit. Sanctus hic Propheta arduum, & maximè mirandum mandatum à Domino accipit, ut meretricem in uxorem ducat: *dixit, Dominus ad me: vade, & dilige meretricem dilectam amico, & adulteram*. Hieronymus Doctor Maximus advertit, Prophetam sine replicâ, sine ullâ repugnantiâ ilicò mandatis Dei obtemperasse: *Oseas audiens à Domino: accipe uxorem fornicariam, non frontem rugat, non mærorem pallore testatur, non verecundiam mutato genarum rubore demonstrat; sed pergit ad lupanar, & scortum ducit.* — *Osea 3.* — *Hierony. in c. 3. Osea.*

Induxerit forte Prophetam ampla, & opulenta dos, ex quæstu meretricio comparata? minimè: subdit enim textus: *& fodi eam* (id est, possedi, aut emi eam) *mihi* QUINDECIM ARGENTEIS. Quis non obstupescat infame scortum, cui non nisi quindecim argentei pro dote sint, à sacro Vate, connubio jungi? mysterium hic adnotavit Hispanus Orator Carthagena, hos quindecim nummos, adumbrasse quindecim *sacro Rosario* contenta mysteria: *Deus bone*, exclamat, *quoties Christus Dominus in Osea significatus, perditissimas animas, mediis* QUINDECIM SS. ROSARII DECADIBUS, SIBI *arctissimo amoris vinculo copulavit!* quoties fœdæ, ac prostitutæ peccatrices, hæc quindecim mysteria recolendo, ope Virginis, per pœnitentiam expiatæ, & hac velut dote ornatæ, Christo animarum sponso jungi meruerunt: Has inter, prima censenda *Catharina Romana*, de quâ fusè Annales Ordinis Prædicatorum, à Thoma Malvenda conscripti, aliique authores, qui referunt, quo tempore S. *Dominicus* Romæ ad populum verba faceret, scortum nobile, cui nomen *Catharina Romana*, Sancti viri concionibus frequenter adfuisse: & aliquando virum sanctum allocutam, monita salutis ab eo accepisse, ac — *Salazar de concept. cap. 31.* — *Carthagena hom. de Ro, arii* — *Raræ conversiones virtute Rosarii.* — *Annal. Prædic. Cent. I.* — *Raynaud. Maria Ægyptiaca, pœnitentia fordes extergens. dissert. 2.*

præter

præter cætera, ut in Deiparæ honorem, *Rosarium* quotidie percurreret. Paruit mulier, nec ita multo post, incidit in juvenem formosissimum, qui humanissimè salutatam rogat, ut se admittere vesperi ad cœnam velit.

Annuit *Catharina*, & inter cœnandum advertit, quoscumque cibos juvenis contingeret, sanguineis notis rubere, & tata transfixas ei aliquo vulnere manus esse, dedocta est à Christo, juvenis specie conspicuo, errorem suum. Monuit enim, omnes cibos probi Christiani, in Christi sanguinem esse intingendos; attonita insolitis sermonibus mulier, cum oculos defixisset in convivam, & eius vultum micare luce copiosâ deprehendisset, percunctata, ecquis ipse esser, responsum accepit, mox intellecturam. Itaque remotis mensis, cum in conclave secessissent, retectâ facie, & positâ personâ, Christus crucem humeris gestans, & spinis coronatus apparuit, corripiens fæminam, & ut finem peccatis faceret, seriò, ac vehementer adhortans. Post Christi digressum, mulier apud *Sanctum Dominicum* confestim cum cura evocatum, accuratè de peccatis confessa, conclusit se intra angustam cellulam, in qua reliquum vitæ, in fletibus, & sui afflictione, pœnitens egit. Adeòque Sponsus cælestis, speciosus formâ præ filiis hominum, hanc peccatricem, æthiopissam, jam dilectam suam sponsam adamavit, tot & tantis divinis sensibus, ac visis de cælo ditavit, ut ipsimet *Sancto Dominico* admirationi esset. Morientem sanctissimè, Christus benignissimè visit, & multis cumulatam divinis charismatibus animam excipiens, cælo intulit. Aliam meretricem Florentiæ, *Benedictam* nomine, exitialem multis formæ venustate, à *S. Dominico*, patrocinante Dei Matre, cui Rosarium indies persolvebat, ad vitam sanctam traductæ historiam, narrat Alanus de Rupe.

Alanus de Rupe de Rosario.

Referri hic posse videtur, quod Tertullianus de gentilibus, qui subitam eorum, qui ad Ecclesiam accesserant, mutationem admirantes, dicebant: *ibat meretrix, ibat amasius, & revertebatur Sanctus*; ibant impudici, & redibant casti: ibant adulteri, & redibant continentes: ibant ebrii, & redibant sobrii: ibant peccatores, & revertebantur sancti. Sic experientiâ compertum, qui se sodalitio Rosarii adjunxerunt, eius pietati dediderunt, repentè mutatos in viros novos, in homines alteros.

Tertullian in apolog. cap. 3.

Ejusmodi divinam metamorphosin juvat ex Alano, eximio Virginis cultore enarrare, quomodo leæna in aguellam conversa sit. Fuit in illustri domo, in Angliâ, nata Matrona, nomine *Helena*, non ut vetus illa fax Troiæ, sed animarum, quæ primos ætatis flores, & pudicitiæ Rosas, ab anno duodecimo, ad trigesimum fœdè prostituerat. Hæc ut fæmina curiosum animal, & ut formâ, ac mundo muliebri aucupium faceret, sacras ædes intravit, & dicentem ad populum eloquenter, nec minus ferventer *Ordinis S. Dominici oratorem* de utilitate, præstantiâ, ac fructu *Rosarii* disserentem audivit; ac concione peractâ, dum assurgit, frequens turba lascivientium nobilium salutant, prensant, educunt, comitantur: & eccum, in via institorem, seu circumforaneum obviam habuit, qui unà cum aliis mercibus, & quisquiliis, varii generis, & pretii, *Rosaria* circumferebat; quæ dum curiosius contemplatur, unum ex elegantioribus, lateri affigit, & domum reversa, ex scintillâ quam pro concione hauserat, quandoque volvere cæpit; vix hæc per quindecim dies exegerat, dum motus magnus in animo ortus est: divinæ vindictæ fulmina, mortis imminentis spectra, judicii divini ostenta, æterna inferorum supplicia obversari, ut nec interdiu, nec noctu ullam quietem capere posset, donec enormia, quæ corde fovebat scelera, sacrâ exomologesi expiasset, quam eâ mentis compunctione, spiritus confusione, & lacrymarum vi peregit, ut qui ei à confessionibus erat, attonitus, tantam, tam repentè in eâ morum, ac vitæ immutationem suspiceret, miraretur, ac veneraretur. Iam expiata, & planè altera, fortè injunctam Sacramentalem pænitentiam ante aram Virginis, *Rosarium* persolvebar, dum hanc ab icone vocem loquentis, & amarè querentis excepit: HELENA, HELENA, *dura filio meo, & mihi fuisti* LEÆNA, *deinceps cures, ut in mitem evadas* AGNELLAM, *teque participem meæ gratiæ faciam.*

Alanus de Rupe. rediviv. cap. 6.

Atque ita evenit: è vestigio enim erogatis in sinum pauperum, quas meretricio quæstu corrogarat, amplissimis facultatibus, mortalium oculis subducta, se cum Deo conclusit, ibidemque assiduâ inediâ, & inauditâ corporis carnificinâ, pro delictis satisfaciens, cælestibus deliciis cumulata, mirâ sanctitatis famâ, qua plurimos ad frugem reduxit, nova metamorphosis COLUMBÆ SPECIE *in cælos evolare visa est.*

Quis hæc non obstupescat, quis ad has medicas Rosas non recurrat, ut ab infirmitatibus suis convalescat? sed quid si peccator morbo incurabili, febri immedicabili delineatur? fidem do, & me vadem constituo, nullum peccati morbum adeò inveteratum, nullam libidinis pestem adeo lethalem existere, de nullius salute ita conclamatum, & desperatum, imo Dæmoni devotum, quin ex his medicis Rosis, ope magnæ Mariæ, medelam reperturus sit, & si mortuus fuit, vivet, & vivet in æternam.

Hoc evincunt Sanctorum Patrum testimonia, hoc loquuntur desperatorum exempla.

Primus mihi occurrit, è purpuratorum Patrum senatu, Petrus Damianus, qui sic Virginem alloquitur: *data est tibi omnis potestas in cælo, & in terrâ, & nihil tibi impossibile est; cui possibile est* DESPERATOS *in spem salutis revocare.*

Damian. Serm. 1. de Nativit B.V.

Dicta confirmat exemplo *Theophili*, qui è gradu honoris, ab æmulis deturbatus, ad magum, cum hoc, ad juratum humani generis hostem recurrit. Deum, Deique matrem eiurare non tirubat lingua impudens, non erubescit sanguine firmare calamus impius, sustinet obfirmare fœdus infandum gemma perfida. Verbo, Jesu, ac Mariæ libertus, dæmonis abit mancipium. Sed sequitur & nocentem flagellat conscientia. Quid faceret? quò fugeret impius transfuga? ad magnæ Matris ubera, quæ sacrilege spreverat? ad filii vulnera, quæ despectui habuerat, & Matrem impetiverat.



Ausus tamen ad Matrem confugere, memor semper matrem facilius flecti, quam judicem.

Itaque ad Marianæ ædis limina, quadraginta dies, noctesque perstare; sed magis ipsam cæli portam, Virginem ambire.

Hanc lacrymis mollire, hanc gemitibus pulsare, hanc precibus, & jejuniis frangere. Cedit itaque vim facienti, facilis aliàs janua. Admittitur per matrem, ad filii gratiam Theophilus, extortosque infami hosti codicillos aufert.

Hos ubi palam igni dedit, post triduanam febriculam, per notam sibi & jam apertam portam, viâ Rosis stratâ, cælum ingreditur. Sic quæ aliis angusta cæli porta describitur, Marianis certè laxa, & ampla ostenditur, dum vel maximè sceleratis, & desperatis patescit. Sic etenim idem Doctor: *quid tibi negabitur* MARIA, *cui negatum non est* THEOPHILUM *de ipsis perditionis faucibus revocare? Infelicem animulam, totum illud quod in te factum est, proprio charactere denegantem, de luto faeci & miseria sublevasti.* Ac tandem concludit: *nil tibi impoßibile, cui poßibile est desperatos in spem beatitudinis revocare: accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans sed imperans, Domina, non ancilla.*

Domian. nus. cit.

Adeo ut certum prædestinationis signum habeatur, neminem adeò profligatæ vitæ peccatorem esse, qui si ad auxilium Virginis recurrerit, non salvetur, imo talem perire, impossibile esse: cui sententiæ subscribit S. Bonaventura: *sicut O Beatißima, omnis à te aversus & à te despectus, necesse est ut intereat: ita omnis à te conversus, & à te respectus,* IMPOSSIBILE EST UT PEREAT. Quod fusius apud Mendosam lib. 2. Viridarii probl: V. & IX. videre est.

Bonav. lib. 1. Pharet. c. 5. Anselm. de laud. Virg.

Sed hæc, ne generatim de omni cultu, & recursu Mariano, dicta intelligantur, scopus meus est demonstrare, signum prædestinationis manifestum esse, neminem qui corollam Marianam indies Virgini Matri persolvit, damnandum, & *impossibile esse ut pereat.*

Signum Prædestinat. indies Rosariũ legere.

Quid si quis omnem vitam in nefandis sceleribus traxerit? quid si Deum, & omnes Divos diabolico odio execratus fuerit? *impossibile est ut pereat.* Quid si nullam pœnitentiæ, sinceræ confessionis, ac Sacramentorum medicinam admittat, jamque desperabundus extremum spiritum ducat? *impossibile est ut pereat.* Quid si maligni spiritus, & tartareæ harpyæ moribundum circumstent, ut animam eius devorent? *impossibile est ut pereat.* Vel sola salutatione Angelica, uno *Ave Maria*, omnes cacodæmones in orcum ablegabit, & viam sibi per Rosas ad cælum sternet. Amœnum, & mysterio plenum est, quod ex Bernardino de Busto refert Vega noster, in Theologiâ suâ Marianâ: cum puella B. Mariæ addictissima passerculum per multos dies edocuisset pronunciare *Ave Maria*; eam satis edocta avicula, frequenter prædicta verba proferebat, non sine audientium admiratione, & plausu.

Avicula salutando Mariam, accipitri eripitur. *Vega Theolog. Marian. n. 1387.*

Accidit autem quodam die, ut fortè caveâ egressam, prætervolans accipiter arripuerit, & in altum unguibus sustulerit, mox devorandam; at miser passerculus notas sibi voces ingeminabat: *Ave Maria.* Mirum dictu, accipiter his verbis, velut jaculis confixus, mortuus corruit, avicula autem unguibus libera, læta, ac cantans *Ave Maria* ad sinum juvenculæ convolavit.

Profectò si rationis expers avicula, hæc pauca salutationis verba proferendo, ungues accipitris evaserit, potiori jure, qui piè, ac reverenter Virginem Matrem indies salutarint, à tartareis illis vulturibus, in extremo mortis discrimine, triumphum reportabunt. Id manifestum fuit in homine maximè nefario, qui omnium scelerum colluvione immersus, diabolico insuper in Deum odio, nova & in audita flagitia excogitabat, & perpetrabat, animo obfirmato numquam ea exomologesi expiare, dæmoni devotus, cujus unguibus præda jam jam voranda pendebat. Accessit, ne ullis umquam conscientiæ stimulis urgeretur, ut detrectaret concionatorum commonitiones, omniumque de rebus ad animæ salutem spectantibus, agentium congressum.

Nierenberg. in vita S. Ignatii. cap. 33.

Dum hoc scelerum luto infixus, fatali lectulo decumberet, de nocte adest *cæli Regina*, ingenti fulgore conspicua, benignoque eum oculo contuetur; quo aspectu discussa mentis caligine, solutaque cordis indurati glacie, fundit lacrymarum flumina, videtque tam clarè omnia anteactæ vitæ crimina, quam si millenos annos iis perscrutandis insumpsisset. Unde, moræ omnis pertæsus, die primum elucescente, evocat æger è Societatis Collegio Confessarium. Mittitur P. Joannes Eusebius Nierenbergius, cui omnia actæ vitæ scelera tam dilucidè & enucleatè, debitis cum circumstantiis exposuit, ut à Theologiæ peritissimo, nil perfectius desiderari posset. Tenuit horas tres peccatorum confessio, cui accessit tam vehemens eorumdem dolor, ut attonitus Nierenbergius, tantâ tam perversi hominis commutatione, ab eo exquisierit, ecquid tandem in vita præstitisset quo tantopere cæli Reginam sibi demeruisset, *ut per Cacodæmonum phalanges, undique iter æternitatis obsidentium*, aditum sibi ad cælum aperuerit? unica, inquit (quam aliquando audivi tessetam fore) Angeli Gabrielis, Dei Matrem salutantis formulâ usus sum. Ut autem accepti beneficii gratum animum testatum faceret, voto se obstrinxit si forte superstes foret, se vitam Religiosam amplexurum; sed indulsit ei Deus, ut per omnes sibi structas dæmonis insidias, in sinum Mariæ, quam indies salutarat, evolaret; sunt enim quinque hujus Mariani nominis litteræ, quasi quinque lapilli, non quibus ut alter David Goliathem, sed tartareum gigantem debellavit.

En quam hoc exiguum, ac modicum Deiparæ præstitum obsequium, homini perditissimo salutem æternam operatum sit, ut verissimè asserat Doctor mellifluus: *non posse sustinere repulsam qui quantumvis modicum gratissimis Mariæ manibus offerendum tradat.* Quid ni illi de salute suâ confidere meritò possint, qui non unam Angelicæ salutationis Rosam, sed integram Rosarum corollam indies Mariæ manibus offerendam tradunt.

Bern. serm. de Nativ. Virg.

Quare Mendosa noster in Viridario sacræ ac

pro-

profanæ eloquentiæ.lib.2.problemate 9. tractans utrum B. Virginis cultorem in æternum damnari,omninò impossibile sit, afferre non dubitavit:*periculosam non esse, sed securam hujusmodi locutionem:impossibile est damnari eum, qui B. Virginem colit*,quod confirmavit Divi Anselmi testimonio:*ipsa velit, & nequaquam salvi esse non poterimus.*

P. Leonardi. de Rosario.

Hæc autem æternæ prædestinationis tessera,potissimum Rosarii cultoribus propria est, ut ipsa Dei Mater aliquando Alano, sponso suo revelavit:devotionem Rosarii esse signum ,, divinæ prædestinationi;sverba Virginis sunt: ,,Dulcis sponse,secretum jam tibi pandam di- ,,vinæ providentiæ:scias,& securè intelligas, ,, quod & sine morâ aliis patefacias,quod sig- ,, num probabile, & propinquum sit æternæ ,, damnationis,horrere & attediari, & negli- ,, gere salutationem Angelicam, totius mundi ,, reparativam, habentibus verò *devotionem ad ,, hanc,signum est ordinationis, & prædestinationis ,,permagnum ad gloriam.*

Ibid. ex vita. S. Dominici.

Hac in re etiam inimici nostri sunt judices: nam sub *S.Dominico*, dæmon per os energumeni,jussu Virginis ibi apparentis, coactus est hanc veritatem palam edicere: NEMO, NEMO, *ejulans clamabat,qui in Rosarii cultu perseveravit*, ÆTERNIS ADIUDICATUS EST SUPPLICIIS. *Ipsa Virgo Beatissima summis etiam peccatoribus, in extremis miseriis misericordiam impetrat, & pænitentiam.*

Plus dico,etiam in peccatis mortuos, & in æternum damnandos,ad vitam revocat & gratiam,ac salvos fecit. Innumera in hanc rem afferre possem argumenta; sed ne multitudine vos obruam,uno,altetove contentus ero. Annis ab hinc circiter ducentis,*Sigismundus*, Romanorum Imperator bella trans Alpes magna & diuturna,nec ea semper incruenta gesserat; quibus in bellis miles gregarius, idemque vir strenuus,adverso vulnere sauciatus occubuit. Multis post annis (neque rem exaggero,inquit auctor) eodem loci cum armatis copiis *Sigismundus* reverteret, cum è viæ regiæ latebris, funereum murmur,ac nescio qui mœsti gemitus audiuntur. Neglecta principio,ut solet, floccique pensa lamentatiu. Post verò,ubi crebrescere quæstus,& vox mortualis cum gemitu obstrepere non cessabat, movet è manipulis aliquos,ut ad Imperatorem referrent.

Biderman... lib. 2. acroamate 4. Multos annos miles occisus ope Virginis confitetur.

Hic auditâ,cum rei novitate, tum pertinaciâ clamoris,dat negotium, ut unde funestus is gemitus existat,acriter indagent. Accepere mandata diversi:& continuo vepres, senticeta,arbusta perrupere. Longâ post indagatione, repertitur hominis jugulati cadaver, è quo gemitus illi, & suspirantes querelæ prorumpebant. Illud portentosum, & lugubre spectaculum,illam viscerum fluentium tabem, illam membrorum verminantium colluviem, cum nullus astantium sine horrore intueretur,ecce tibi rem dictu,visuque incredibilem: exorditur flebili murmure cadaver, sacerdotem flagitare,cui de sceleribus ante perpetratis, Christiano ritu confiteretur. Alii interea præsens ostentum persecuti, animos sumunt, & qua lege tot annis ibi spiraret infelix, percunctantur? Audiunt Virginis id nostræ beneficium esse, quo illa preces Marianas hominis decreverit remunerari: ut prius ad judicis tribunal animus ne traheretur, quam datâ sacerdotis copiâ,culpis exsolutum se videret. Quare properarent misericordes, copiamque rei tot annis desideratæ non negarent. Ita adducto sacerdote,cum vitam ei, vitæque errata magno cum dolore,prolixè recensuisset, noxis exemptus animus, ad cælum è statione miserrimâ commigravit.

Sed eum nos abire non ita sinemus, quin cogitationibus nostris aliquo usque comitemur. Et proderit,mihi crede,comitari:nam etsi plus admirationis tam sera pœnitentia meruit, quam possit habere imitationis, monstrat tamen eximium quid,ad animandos, excitandosque Virginis alumnos, ut eam *quotidiano Rosarii penso*,sibi devinciant, & præsens salutis suæ præsidium, ac patrocinium impetrent,

Cum verò *Rosarii Confraternitas* utrumque sexum complectatur,en alterum pietatis prodigium. Juvencula in partibus Bohemiæ corrupta, & impregnata, audit *Rosarii meritis* quosdam aliquando ab infamia reservatos. Credidit,nomen dedit,oravit. Quid deinde? Prolem enixa,suffocavit,tumulavit; nec sine vindictâ fuit tantæ crudelitatis facinus: proditur,capitur,convincitur, viva tumulatur. Post multas horas,de terrâ voces, gemitusque exauditi:vulgus attonitum concurrere,studiis contrariis dissentire, accito sacerdote maleficam effodere:illa viva, & incolumis egredi, Deum laudare, Mariam Virginem extollere, quæ jam jam condemnandam,per inferni pœnas duxerat,& reduxerat; sed *Rosario addictam*, condignæ pœnitentiæ reservarat. Pervixit in patrio solo,multo post tempore,vivum & illustre *Rosarii* testimonium. Mitto, quod omnem propè fidem exsuperat, stupendum quod de quadam *Alexandrâ* narratur miraculum, cujus abscissum caput,cum in puteum deiectum, illic per centum quinquaginta dies delituisset, ad *S.Dominicum*,divino monitu eò properantem, Angelicis manibus ad os putei planè recens elatum;Iamque confessione peractâ, facto viatico refecta,actis viro sancto gratiis, multis *de Rosarii præstantiâ* disseruit;quæ inter, hæc retulit:indubiè se fuisse æternis ignibus damnandam,nisi hujus meritis, & virtute servata fuisset: cum enim innumeri cacodæmones irruerent,benigna Dei Mater semper assistens, suo me præsidio defendit,& servavit.

Alanus.

Unum dumtaxat his superesse videtur disceptandum, utrum Deipara suo patrocinio, & & peculiari *Rosarii merito*, aliquem aliquando ab inferis eripuerit? quod solidè, & solerter disquirit gravis Theologus Mendosa noster in viridario lib.2. problemate 5. ad quem ne longior sim,lectorem remitto.

Illud coronidis loco subjungo,omnes *Rosarii cultores*,coronâ incorruptibili,& immarcessibili *Rosarum* in cælis coronandos. quod hujus sanctissimi Ordinis alumnis evenisse lego, ac comprimis B.Henrico Susoni,Virgini Deiparæ unicè dilecto,qui in excessu mentis, Virgini

Bollandus, 25. Ian. c.24.

gini Deo devotæ etiam vivus apparuit, redimitus *coronâ rubentibus Rosis*, albicantibus liliis pulchrè intertexta.

c.36.

Imò quod in eo mireris & imiteris, alteri Virgini visitur puellulus Jesus *in arbore Rosacea* bellè eminens, qui tenella manu *Rosas* carpit, in serta colligit, & format, quæ in Henricum Susonem effundit, & spargit, *sic ut totus esset* Rosis obsitus.

Nunc à Rosis, ad lilia transeamus, quæ suo odore, & candore invitant.

§. V.

Hujus paradisi illibata virginitatis Lilia, mentis oculis delibanda proponuntur.

Lilia virginitatis Paradisi Dominici.

SI in hoc *Divi Dominici*, eiusque sequacium, sudore, lacrymis, & sanguine largiter respersum, & Marianis Rosis purpurarum viridarium, penitius pedem inferas, varios omnium virtutum flores, numquam deciduos divinum quid animis exhalantes: spirantem quoque Marianæ integritatis fragrantiam contemplaberis, & cordis tui sensa explicabis in illam D. Basilii Sermone de Paradiso, facundiam: *illic florem non ad breve tempus fulgentem, sed durabilem jucunditatem habentem, gratum aspectu, indesinentem delectationem præbentem, insatiabilem fragrantiam reddentem & coloris præstantia insigniter coruscantem conspicies.*

Ad Sanctimoniales. S. Basil. serm. de paradiso.

Ex his candore suo totum me rapiunt, *splendidissima quæ mihi* LILIA vernant; Lilium porrò à Virgine Matre *Dominico*, eiusque Ordini pro insignibus, & in symbolum castitatis cælitus datum est.

Bern. de convers. ad Clericos c.21

Hoc jam olim prænuntiasse videtur Hipponensis Antistes, dum ait: *habet hortus* DOMINICUS *non solum* ROSAS *Martyrum*; SED ET LILIA VIRGINUM, *quæ* in paradiso Dominico, Virgineo auctore, & cultore, feliciter germinarunt; quot etenim Ordinis sui Sanctimoniales Virgines, tot lilia produxit: nam ut loquitur D. Ambrosius: LILIA *specialiter sunt sacræ Virgines, quarum est splendida, & immaculata virginitas*, quibus puritas mentis, & corporis, nitor in moribus, candor in vestibus intus, & extus castimonia virginitatis exprimitur. His albicant, & rutilant, florent, & redolent sacra Virginum vestrarum Asceteria.

Augustin. Serm 17. de sanctis.

Ambros. lib de institu virg. cap. 15.

Hæc inter lilia, pascitur Virginum Sponsus. *Quid* LILIO *speciosius? sic nihil formosius sponso.* LILIA *orta de terra, nitentia super terram, eminentia in floribus terræ, fragrantia super odorem aromatum.* Ergò inter hæc lilia *Sponsus*. Quæ ut in terris sint, nil terrenæ fæcis habent, corpore & animo candida sunt.

Bern. serm 70 in Cant.

Idem confirmat Gregorius, Antistes Nyssenus: *herba* LILII *à radice in altum sese porrigens, ita deinde florem à vertice profert: nam exiguo à terra intervallo distans, nimirum ut pulchritudo eius in sublimi pura maneat, à terra mixtione non contaminata*; à carnis sordibus illibata, nil adeò aversatur, quàm nitorem suum inquinari.

Nyssenus. hom 4. in Cant.

Illibatus huius paradisi flosculus *Maria Magnesia, Florentina*, nuptias ut spinas exhorrescebat, iisque compungi adeò reformidabat, ut si de nuptiis sermo haberetur, totis artubus contremiscere solitam ferant; cumque serio de illis pater eam compellasset, adeò exhorruit, ut perturbatis, subversisque humoribus, subito expalluerit languentis in morem, ut diro ab illa horâ, per annos quinque supra quadraginta, conflictata morbo, marcescente egregiâ formâ, ægram, & soli virginitati tuendæ opportunam vitam traduxerit; morbi beneficio, nuptias merita immortales.

P. Ioan Rho. varia virt hist lib.7.c.1 n.15.

Plura Paradisus cælestis lilia germinaret, si plures virgines, nuptias ut spinas aversarentur.

Cùm de liliis sermo est, nemo melius quàm Doctor Angelicus, qui lilium inter spinas, illibatum virginitatis candorem servavit, de hoc argumento dissereret, qui sic ait: *Virginitas propter puritatem, seu speciositatem,* LILIO *comparatur.* Cant.2. *sicut* LILIUM *inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ibidem dicitur de sponso: *qui pascitur inter* LILIA: puritate enim virginali delectatur.

S. Thoma. lib.5. opusc.64. Virginitas Lilio comparatur.

Tum hujus candidissimi, ac vetustissimi floris proprietates prosequitur: super hunc florem Spiritus Sanctus requiescit. Non est Virgo arbor sterilis, & maledicta, sed terreno fructui proponis cælestem, & carnali spiritualem. Hieronymus: nuptiæ terram replent, virginitas autem *Paradisum* (ut in tot Sanctimonialibus patet) & notandum quod *lilium* habet sex folia candida. In virgine sunt sex quasi folia, quæ valent ad conservationem incorruptionis.

Primum est sobrietas, quod folium, lacerat excessus in cibo & potu, quasi quædam spina, quæ est via ad luxuriam. Gen.19. Lot inebriatus perpetravit incestum & Proverbiorum 20. *luxuriosa res est vinum.*

Secundum est labor; & quasi spina lacerans, est quies ignaviæ, vel otiositas. Ezech. 16 *hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodoma, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium:* Poëta.

Quæritur Ægistus quare sit factus adulter,
In promptu causa est, desidiosus erat.

Tertium est, habitus asper, & humilis. Bernardus in epistolis: non ætatem teneram Ordinis asperitas terreat; sed memento quod asperitas cardinis (ut indies in fullonibus videmus) pannum facit leniorem, & conversatione conscientia. contra, velut spina lacerans, est superbus habitus, vel mollis, quia via est ad luxuriam, & filii Israel fornicati sunt cum mulieribus Moabitarum, quæ se ornaverant.

Quartum est, custodia sensuum, præcipuè illorum, qui nobis remota ostendunt, ut est visus, vel auditus. His opponitur spina lacerans, curiosè videndi vana, vel audiendi nova, quæ est via ad luxuriam, ut patet in Dina. Gen. 24.

Quin-

Quintum est modestia sermonis; velut spi-,, na lacerans est loquacitas, vel turpitudo ser-,, monis. Seneca: *à verbis turpibus* abstineto, quia ,, licentia eorum, impudentiam outrit. Et Pro-,, verb. 7. ecce mulier occurrit illi ornatu me-,, retricio, præparata ad capiendas animas, garrula. 1. Corinth. 15. *Corrumpunt bonos mores, colloquia mala.*

,, Sextum est, fuga occasioonum peccandi. ,, Velut spina lacerans est nimia domesticitas ,, seu conversatio doméstica in colloquiis, conviviis, tripudiis &c. Opportunitas peccandi via est ad luxuriam nt patet in Thamar corruptâ ab Ammoo fratre suo, *quia solus cum sola fuit*. 2. Reg. 13. Hæc ooo tam sanctimonialibus, quæ ejusmodi pletisque spinis explicitæ sunt, quam virginibus sæcularibus, quæ sicut lilia inter spinas versantur, stimulo esse poterunt, ut se iis extricent ut ad Paradisum, ubi florent, ubi vigent, nbi cum sponso qui pascitur inter lilia illibatæ degunt, se consecrant; de quibus juvat candore lactis manantem Doctorem audire *quantâ laude putas esse digna* LILIA NOSTRA, *quæ hic habent tam in corpore quam in anima puritatem? Hoc etenim virginibus summopere considerandum, quæ* LILII PULCHRITUDINE DELECTANTUR, *quod* FLOS LILII *tam interius, quam exterius albus est. Turpe esset, imò non esset* LILIUM, *quod vel interioris, vel exterioris candoris sui puritate careret.* Quot in sæculo, *corpore incorrupta*, *sed mente corrupta*, carnales nuptias ambieiunt? de quibus Augustinus: *quia nequaquam Virgo aspirans ad nuptias, melior est muliere nuptias adepta, cum ea qua iam nupsit, uno fit viro contenta: nuptura verò quærem per omnem populum, cui adhæreat, cum pluribus necesse est fornicetur animo: placet enim illi hodie unus, cras alter, deinde tertius, & quartus, & forte plures: quomodo si talis moritur, meritum obtinebit virginitatis incorruptæ?* Unde ex mente Augustini, minimè virgo corpore, & animo censenda, quæ, ut communi paræmia fertur: *par faute de Barou, fille de Sion.* Vos Virgines, sæculares, vos adolescentes, lilia inter spinas, iis undique implecti, nec configi, aut compungi, propè impossibile habetur.

Virgines in sæculo lilia inter spinas.

[illegible]. tract. de passione. cap. 12.

August. [illegible] à Bernard. [illegible]

Sicut in numerosâ familiâ, ubi plures filii, & filiæ sunt, si parens pauca virginitatis lilia protulerit: *erit mihi magnus Apollo.* Hic Divi Bernardi sensus est: *magnus est, qui tria, vel quatuor* LILIA *ædificare potuerit in terra sua; tanta densitate spinarum & tribulorum, quæ sunt germina inveterata maledictionis antiquæ.*

[illegible] serm. 70. in cant.

Terra nostra non nisi spinas germinat, mundus spinetum, & rubetum est, unde pungimur, & coofigimur: hinc rectè Doctor mellifluus: *plenus est mundus spinis, in terra sunt, in are sunt, in carne tua sunt: versari in his, & minimè lædi, divina potentia est, non virtutis tua.* Inter carnis delicias, inter amasii illecebras, inter prati blanditias, *minimè lædi, divina potentia est, non virtutis tua.*

[illegible] serm. [illegible]. in cant.

His ut sese spinis, mundi veprete, & calore meridiano expediret, tot lilia in domo Domini, in horto cóclusọ traosplaotata sunt; de quo Ambrosius: *Paradisus Græcè, Latinè hortus dicitur. Hortus conclusus Religio, ut virgo habeat claustra sua,* ut adversus spinas, & punctiones hujus sæculi munita, delectet se cum sponso, qui pascitur inter lilia. *Ubi adversus æstum corporis, & carnis flagrantiam refrigeretur virtutum umbraculis.* Invitat me quidem Claravallensis Abbas his verbis: *quia* IPSA LILIA SPIRITUALIA *demonstranda à nobis sunt;* sed copiâ eorum vel legendo obruor, simul candore, decore, & odore langueo, unde vos ad eos remitto, qui plenis calathis, hoc est integris voluminibus, ea collegeruot, ut sunt vitæ sanctarum Ordinis S. Dominici, lilia Mariana Maraccii, Bollandus ac Henschenius in actis sanctorum. &c. Uuicum hic Sanctissimi Patriarchæ *Dominici*, virginitatis studium omittere non possum, quod non solum illum candorem in se, suisqne amaret, sed & aliis ejusdem virtutis odorem afflaret, quo lilium etiam luto immersum, pristino nitori restitueret, ut in quam plurimis per vitam spatsis exemplis videre est.

[illegible] epist. ad [illegible].

Bern. serm 70. in cant.

Hoc fortè novum, quod *Dominici Alumnus* solerter excogitavit, & parravit commentum, nt castimoniæ candorem in se servaret, & in scorto extingueret.

Ingeniosius amor, & ut nebulonum maximus in fœdis libidinibus, ita & illo in divinis amotibus solertia multò præcellétior. Iste multas defloravit nequitiæ rudes, & in casum pronas; hic nullum, nec ullam non volétem, fœdari passus est. Docuit hoc *Andreas* vester *Mognerius*. Hic io casses ab inimicis paratos, qui hominis virtutem, quam oderant, perdere, ac sanctimoniæ nitorem protetere statuerant, cú incidisset, expeditissimi consilii vim oportunè exprompsit, ac periculosissimo è prælio victor evasit.

P. Ioan. Rho varia virtut. hist. lib. 7. c. 1. §. 10.

Advocaverat *Audream* fæmina formæ eximiæ, sed petulans, & flagitiis non insolens, ut simulatâ ægritudine, ad libidinem provocaret, & blanditiis, ceu spinis innecteret, observantibus occultò, qui ancipitem commenti dolum fuerant, inimicis. Ubi procax mulier solitas per artes pugnare cœpit, sibique creatum periculú *Moguerins* intellexit, hærere, ac dubitare, ac demum labascere se simulans, religione se vel maximè impediri dixit, quod reliquiarum thecam, sanctorum pignoribus gravem, de cervice suspensam gereret: nefas sibi videri, sanctisque cineribus injuriosum, inde prius non asportaris, de voluptate condicere. Pupigit fæminæ animum eadem religio; Itaque Socium, cui simulatâ aliquâ causâ traderentur, intrò vocari non ægrè tulit. Ejus itaque præsentiâ jam securus *Moguerius*, delusam relinquens, *unde se integer è spinis, quibus propè implexus, evolvit,* & CASTITATIS LILIUM LONGE VERNANTIUS EXTULIT.

Quot Lilia, quot Rosæ, quot violæ non violarentur, si custos adesset, si solus cum sola non ageret! de quo aliàs egimus, excurrendi campum, digito indicasse suffecerit.

Altius, & audacius quid tentavit, ut sordibus mersum lilium, & pedibus protritum, vitæ etiam & sanguinis impendio elueret, vir Ordinis vestri, zelo Dei, & castimoniæ amore incensus. Numquam robustior elucet charitas, quam cum illam nostris commodis omnibus præhabemus; quod quam luculenter fecerit *Christophorus de Lugo*, lepra illa, quâ post tredecim

Idem. l. 1. cap 36. 25.

cim annorum cruciatus, tandem extinctus est, solidissimè demonstrat.

Mulierem excellentis formæ, ac fortunæ principalis, in ipso adolescentiæ flore, morbus, mortis satelles occupaverat, & supremæ admonuerat necessitatis; quam illa, formæ ac vitæ amantior, quàm christianam deceret, cùm impatientissimè sibi doleret imminere, aliena loqui, & veluti emotâ mente, Deum ipsum lacessere, ac desperatissimè agere; frustra *Christophorus*, qui eò fuerat evocatus, cum multa tentasset, vinceretque medicinam omnem spirituale obstinatior animi morbus, audendum cū Deo ratus, omnium illius criminum pœnas soluturum se libentissimè offert, modò illi sanior rediret mens; nec mora, illa sapere incipit; dirissimè hic, ac diutissimè laborans, exeso demum corpore, magnæ integer charitatis victima, ad eum qui Charitas est, evolavit.

Quid illustrius, quid divinius dici, aut excogitari potest?

Idem ardebat in *Catharina Riccia*, hujus Paradisi, lilio, virginitatis amor, ut vel in altero

Idem. cit. §. 7. luxuriæ sordes, suo ipsa sanguine eluere parata fuerit. Luctabatur cum morte magnus Italiæ Regulus, vitamque ceteris principalis fortunæ vitiis fœdam, par exitus terminabat: nec dubium, quin æternis mactandam cruciatibus animam expueret. Sed obstitit *Catharinæ* pietas, exorato magnis precibus Deo, ut in se iram verteret; illi ne implacabiliter vellet irasci. Voti rea, ilicò decubuit; reddita simul ægro sanior mens, & inopinâ luce depulsæ tenebræ, quæ propemodum supremæ vitæ utriusque. *Catharina* interim cruciatibus torqueri, & 40. dies acerbissimis doloribus excarnificari.

Utinam tantus ardor virginibus foret, ut in se fœdas libidinis faces extinguerent, quantas huic *Dominici* Sanctimoniali, ut in altero sopiret!

Hujus denique paradisi lilia, & per orbem sparsa Rosaria, quemadmodum universi Ordinis in Mariam cultum, & venerationem testantur, ita nemo demirabitur ejusdem Dei Matris in hanc sibi addictissimam Familiam favores; quos probat cumprimis longè jucundissimum spectaculum in Lombardiâ cuidam virgini exhibitum: dum Virginem Matrem regio suo paludamento latè expanso, Venerandos Patres Prædicatores amabili umbrâ complexam vidit; ut hi religiosissimi viri magnæ Matris, magnæ Virginis clientes, jure illud Psaltis regii usurpare possint: *protegar in velamento alarum tuarum*, quibus suos protegit, ac tuetur; Ordo S. Dominici sub pallio Deiparæ. Psal. 60.

estque altioris virtutis hæc Mariæ umbra, quam olim Petri fuerit, ut rectè Augustinus: *si tunc opem ferre poterat umbra corporis, quanto magis nunc (O Maria) tua plenitudo virtutis? si tunc supplicantibus proderat aura quædam transeuntis, quantò magis nunc gratia permanentis?* Ad hanc saluberrimam umbram & vos confugite, sub hac requiescite, hic tuti delitescite. Hæc ab æstu effervent is libidinis proteget: hæc ab ardore diei illius extremi, qui lethalem sudorem exprimere solet, vos defendet. Augustin. serm. 29. de Sanctis.

Juvat & alterius in hunc Ordinem Virginei favoris meminisse. B. Rho, è primis D. *Dominici* socius, dum nocte quadam orationi vacat, conspexit è cæli regiâ in dormitorium illabi Deiparam, insigni Beatorum coronâ septam ac singulis Fratribus jam sopitis solenniter benedicere, atque ad beatos comites conversam, maternum, hoc aureo effato, affectum demonstrasse: *Hi sunt filii mei dilecti, in quibus mihi complacui.*

Tandem ut concludam, hic Dominicani Ordinis Paradisus est, *ubi arbor vitæ, malus illa de cantico, cunctis pretiosior lignis sylvarum, cujus & umbra sponsam refrigerat, & fructus dulcis gutturi ejus. Ibi continentia nitor, & sinceræ veritatis intuitus, oculos cordis irradiat. Auditus quoque dat gaudium, & lætitiam vox consolatoris interni. Ibi quibusdam spei naribus influit jucundissimus odor agri pleni, cui Dominus benedixit. Ibi avidissimè prælibantur incomparabiles deliciæ charitatis, & succisis spinis ac vepribus, quibus antea pungebatur* (in sæculo) *unctione misericordiæ perfusus animus, in conscientiâ bona feliciter requiescit. Quæ quidem non inter vitæ æternæ præmia, sed inter temporalis militiæ stipendia deputantur: hoc enim est centuplum quod in hoc sæculo, sæculi contemptoribus exhibetur.* Hæc Bernardus! quorum vel sola commemoratio, quem non moveat, ut ex sterili mundi ericeto, in hunc se locum deliciarum recipiat, ut tantis bonis in terris, & cælestis quodammodo paradisi felicitate frui queat? Quæ ut pro meo in Illustrissimum illum Ecclesiæ Patriarcham, & totum Ordinem affectu prolixius; brevius tamen pro dignitate complexus sum. Bernard. de convers. Clericor. cap. 21.

FESTUM

FESTUM SANCTI LAURENTII MARTYRIS.

10. Augusti

Extinxerunt impetum ignis. Ad Heb. XI.



Compescuit ignibus ignes. Ovid. 2. Metam.

ARGUMENTUM.

NAturæ illud arcanum est cùm lux luci, flamma flammæ addita, lucem & calorem augere videatur, ex placitis tamen Philosophorum, experientiâ comprobatis, lumen majus, minus extinguere, sole exoriente sidera evanescere, ac omne vehementius agens, minori prædominari perhibetur. Ex quibus ad propositum deduco, non mirum videri, majorem vim gratiæ, quam naturæ esse, ut cœlesti flammâ, quâ arsit Laurentius, flammas carnificis, & quo ustulatus est, restinxerit incendium, ut rectè Augustinus: *hoc igne* BEATUS LAURENTIUS *accensus, flammarum non sensit incendium.*

S. Aug. Serm. 30. de Sanctis.

Hic ardor divinus, si mentes nostras occuparet, quàm facilè flammas libidinis accensas à gehennâ, eo sopire & extinguere possemus!

Hic ardor craticulam Laurentii, in lectum roris, & dulcoris convertit, qualem eo incensi, in morbis & cruciatibus suis, lectum doloris experiuntur.

Bonav: dom. 18. post Pent. Serm. 3.

Triplices autem lectos Doctor Seraphicus assignat justorum: quorum 1. *Patientia.* 2. *Pœnitentia.* 3. *Bona conscientia*; in quibus vera quies, corporis animique solatium, dulcedo omnis invenitur. Econtra verò tres improborum lectos describit, in quibus peccatores miserè volutantur, & ad igneos gehennæ lectos devolvuntur.

§. I. LAURENTIUS *craticulam supplicii,* LECTUM QUIETIS *putabat.* Chrysologus. Serm. 135.

Bon. cit.

§. II. *Doctor Seraphicus tres Justorum lectos describit.*

Ibid.

§. III. *Triplex improborum lectus: 1. Pigritia 2. Concupiscentia. 3. Æterna miseria.*

FESTUM
SANCTI LAURENTII
MARTYRIS.

Extinxerunt impetum ignis. Ad Heb. XI. v. 34.



Irabile illud, sed & amabile naturæ arcanum est, cum calor calori, flamma flammæ, lux luci addita, eandem fovere & augere videatur; contra vero, scintillantes illas cæli faces, lucidissimum lunæ globum, ad fulgidum solis jubar, ilico ex oculis velut evanescere, & quodammodo tenebris involvi. Cujus rei causam non aliam Philosophi, & optici adserre consueverunt, quam *quod lumen majus, obfuscat minus*, illudque aximinatis lucem haberi volunt. Sic in ipsâ meridie, *in magnis solis defectibus*, inquit Galenus, *stellæ apparent, quod & suis temporibus accidisse Thucydides memorat*. Rationem vero adinvenire, ob quam id contingat, subtilioris, loquit Aquilonius, est inquisitionis. Equidem eandem hujus effectus causam esse asserit, ob quam oculus insigni colore imbutus, obscuriores colores, qui foris sunt, non dignoscit; & cur ingens sonus, ut puta tympanorum, aut campanarum, humanam vocem absorbeat; & cur compositorum mixtilia ex odore, aut sapore, distingui nequeant, uno præ ceteris eminente; & cur majore dolore membrum unum lacessente, minor dolor alterius partis vix percipiatur, & cur demum in ceteris omnibus, minus à majore obruatur.

Galen. lib. 10. de partium usu. Aquil. in opt. l. 5. prop. 19. Qua ratione majus lumen obfuscat minus.

Solerter ut solet in problematis suis quærit Aristoteles, cur qui ante extenuatus, multum inde merum hauserit, morte occumbat? Et respondet: *quomodo ab igne nimio, aut sole, exiguus ignis extinguitur*, sic intimum corporis calorem, à vini calore superari, & extingui. Idipsum quotidianâ experientiâ compertum habemos, si generosum vinum Creticum, aut adustum, liberalius sumatur, calorem naturalem extinguere, ut concoqui, & in substantiam aliti converti nequeat.

Arist. sec. 3 probl quæst. 34. Casius. de mineralib. p. 395.

Ad propositum autem nostrum, plurimùm facit similitudo, quam adducit: *Ab igne nimio, aut sole, exiguus ignis extinguitur*. Quod si calor homogeneus, seu ejusdem rationis dum inteosior est, si ignis sublunaris, & terrestris à solari extinguitur, experimentò per speculum causticum comprobatum candelam in meridie extingui, aëre vicino, ut quidam volunt, nimis rarefacto, quis inficiabitur eam vim cælesti calori, divino amoris igni inesse, ut calorem humanum, & ignem materialem non modò temperet, sed extinguat, & iororem, ac refrigerium fortissimo Heroi nostro *Laurentio* convertat, ut innumera SS. Patrum evincunt testimonia. S. Ambrosius: *Divino Laurentius igne succensus, flammarum non sensit incendium, & dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœnâ non ardet: Corporali enim dum Laurentius laborat incendio, hinc amore Christi succenditur, inde persecutoris flammâ torquetur; sed divinus Salvatoris ardor, materialem tyranni restinguit ardorem.* Alterum primæ Veritatis, è cathedrâ Petri aureum oraculum est divi Leonis Papæ, qui sic tyrannum alloquitur: *flammis tuis, superari charitatis Christi flamma non potuit: Segnior fuit ignis qui foris ussit, quam qui intus accendit.* Missiles è cælo materiales ignes, fulgura, aut in sphærâ igneâ accensas exhalationes, vi suâ rupes, & ferrum faciunt colliquescere; quibus sublunares nostri compositi, instar stuppæ sunt, ac propè frigidi; longè adhuc sublimioris, ac subtilioris virtutis sunt, divinæ è fornace S. Spiritus in pectus nostrum emissæ faces, dicente ac docente Hipponensi Præsule: *Esse autem Salvatoris ignem legimus in Evangelio, dicente Domino: nescitis quia ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur? Hoc igne B.* LAURENTIUS *accensus, flammarum non sensit incendium.* Id experimento comprobasse refert antiquissimus Tertullianus Discipulum, quem diligebat Jesus; qui cum jussu Domitiani in vas bullienti oleo plenum immergeretur, calore quem hauserat è Christi pectore, nil ardoris sensit & ignis amoris victor evasit: *flamma*, inquit, *pectus comburens, ignis actionem qui in lebetem agebat, suspendit: ibique duo erant ignes inter se prælio dimicantes; tandem ignis amoris superior evasit, victoriam reportans.*

Arist. cit.

S. Ambr. Serm. Ignis vin... La... tio ... luna ... extin...

S. Leo in natal. Lau...

S. Aug. serm. 3 de San...

Te... lib. de ... scrip. 36.

Hoc nemo quisquam vestrûm demirabitur, qui vel in ipso amore vano, & insano, eas vires attenderit, ut dum hic intus, vel inanis gloriæ, vel lasciviæ, vel avaritiæ ignibus bullit, omnia quæ extus urunt, non sentiat. Propositum insigni Romanorum militũ exemplo probat Ægesippus, quos ardor gloriæ ad expeditionem Jerosolymæ exciverat: *Cum muro Romanus miles succederet; sicut erant conserti; Iosephus oleo ferventi perfundi Romanos jubet, quod facile à verticè ad ima defluebat vestigia. Nec minor incendio flamma candentis, olei fervor omnes artus depascebatur; & quamvis hujusmodi olei natura sit, ut cito calescat, & sero conceptum deponat calorem; tamen*

Æges... exped... Jeros... l. 3.

victoria

victoria studio, abscondebant injuriam. ARDEBANT ANIMIS, UT NULLUM CORPORIS SENTIRENT INCENDIUM, *nec tanti æstimabant pœnæ ferventis dolorem, quanti dispendium, si bello desisterent.* E[t] quantus, quam vehemens in militum pe[cto]ribus inanis gloriæ, & temporalis victoriæ flamma exarsetit, ut injectas delibutis oleo corporibus faces, vivosque ustulantes, non persentiscerent. Aliud non minus firmum à gentili Philosopho, ad ruborem nostrum, suppetit argumentum; sic enim Seneca ep. 66. ubi ad omnia adversa fortem, & immotum animum requirit: *Scio quid mihi hoc loco responderi possit. Hoc nobis persuadere conaris, nihil interesse, utrum aliquis in gaudio sit, an in equuleo jaceat, & tortorem suum lasset. Poteram respondere, quod Epicurus ait: sapientem,* SI IN PHALARIDIS TAURO PERURATUR, *exclamaturum:* DULCE EST, ET AD ME NIL PERTINET. Sapientem hic vocat, qui omnia ardore gloriæ, & posterorum memoriâ incensus agit, & agitur, qui ignis adeo coolumens est, ut nec in Phalaridis tauro vivus ustulatus, sentiat, sed dulce sibi ducat tormentorum omnium extremum, ignem tolerare, nec ad se pertinere. Tum subdit cruciatus omnes, & corporis tormenta, *virtute obrui,* & hac quidem fucatâ, nullâ divinæ gratiæ, ac cælestis luce nixa: *quemadmodum,* inquit *minora lumina, claritas solis obscurat; sic dolores, & molestias, injurias, virtus magnitudine suâ elidit, atque opprimit, & quocumque affulsit, ibi quidquid sine illa apparet,* EXTINGUITUR; *nec magis ullam portionem habent incommoda, cum in virtutem inciderint, quam in mari nimbus,* aut nix, aut grando delapsa. Et dubitamus adhuc, ubi vera virtus, ubi amor divinæ gloriæ, ubi ardor cælestis victoriæ animos occupavit, *nullum corporis sentiri incendium?* Testes habemus magni Laurentii æmulas, tot teneræ ætatis virgunculas: ferocissimus tyrannus Julianus, *Christinæ* ubera resecat, quibus non eget virgo: dum sagittis petit, pennas addit, quibus in cælum evolet: dum fervens oleum corpusculo affundit, operam perdit: dum picem ingerit, tenacius Christo adhæret: dum fornacem parat, quasi in roscidâ aurâ, cum tribus pueris Babylonicis cantantem audit; unde hoc, nisi quia interiori flammâ ita ardebat animus, *ut nullum corporis sentiret incendium.*

Seneca epist. 15.

Seneca cit.

Ex Martyrologio Rom. Sanctæ 24. Julii.

Vultis alteram invictam viraginem? Romulidum gloria, *Martina* martio pectore puella, verberibus, uncis, ungulis ferreis lacerata, membratim concisa, adipe ferventi peruncta, in ardentem rogum conjecta, ita intus Christi flagrabat amore, ut prorsus illæsa *nullum corporis sentiret incendium.* Hæc vobis, ô teneræ virgines, miranda, non imitanda videntur, dum interim ignis libidinis accensus à gehennâ, in quarundam cordibus ita exæstuat, ut quævis etiam acerbissima tolerare, illis volupè sit. Dum homo avarus, iracundus ita inflammatur, ut per enses, & rogos ruat, nec sentiat. Hæc vera, & severa D. Cyrilli sententia est: CONCALESCIT *spiritus tuus in spectaculis circi, in certaminibus theatri:* CONCALESCIT, *cum te repleverit iracundia, cum te* INFLAMMAVERIT *furor:* URERIS *interdum amore carnali, & turpissimis libidinis jactaris incendiis;* quæ flamma adeo potens est, ut quæ fortunis, quæ corpori, quæ nomini, ac famæ, injuriæ, jacturæ, adversitates inurantur, non sentias: nec si tartarei ignes proponantur, *ne te exurat flamma vitiorum,* scelus non perhorrescas; quo fit, ut etiam exigua quæ supererat in animo, divinæ charitatis scintilla, hoc tam exitiali incendio, penitus absorbeatur, & restinguatur. Hoc amarissiè queritur Patriarcha Venetus D. Laurentius Justinianus: *Viget* inquit, *in nobis, ô quoties, cupiditatis flamma, æstus libidinis, & furoris* INCENDIUM, *quantus igniculus nostræ charitatis excutitur?* Quod & hoc sensu accipi potest, ubi tam luculentum in nobis vitiorum latè grassatur incendium, indignum esse, ut è cordibus nostris, quamtumvis saxeis, non exiguus saltem charitatis divinæ excutiatur igniculus? qui si exardescat, & in incendium erumpat, omnes fœdæ libidinis faces, ac tela diaboli ignea, ilico velut injectâ frigidâ, restinguentur, ut præclarè D. Maximus: *ubi Christi ignis operatur, diaboli necesse est vincatur incendium: & ubi Dei spiritus fervet, frigida est flamma mortalium:* frigida fit flamma ardentium procorum, frigida incentiva dæmonum, frigida fit flamma tyrannorum. Quid, quod ignis materialis præter, & supra naturam, ita à divino charitatis igne, qui in martyrum pectore, ac potissimum Divi Laurentii flagravit, vim suam perdat, ut frigidæ naturam, aut Zephyri leviter flantis qualitates induisse perhibeatur: *ardebat,* inquit Augustinus, BEATUS MARTYR, *Tyranni sævientis incendiis; sed major illum intrinsecus Christi amoris flamma torquebat: & quamvis Rex improbus ligna subjiceret, incendia majora supponeret, tamen* LAURENTIUS *has flammas, fidei calore non sensit, & dum Christi præcepta cogitat,* FRIGIDUM *est illud quod patitur.* Prodigium consimile, tres pueri in fornace Babylonicâ experti sunt, quibus flammæ fuere instar venti roris flantis; ubi in rem nostram perappositè Mediolanensis Antistes: *merito Hebræi pueri in fornace ardenti non sentiebant* IGNIS INCENDIA, *quia* CHARITATIS EOS FLAMMA REFRIGERABAT. Pulchrè accinit Sedulius:

Martyrolog. Rom. 30. Jan.

Cyrill. lib. 3. in Levitic.

D. Maximus. hom. 2. de S. Laur.

Augustin. serm. 31. de Sanctis. & Amb. eodem festo.

Daniel. 3. v. 50.

S. Ambro. lib. de Isaac. c. 8.

Medios traduntur in ignes,
Nil ardente rogo, tantoque ardore calentes
Cordis, imaginea vincunt incendia pœna.

Sedulius. lib. 1. Pasch.

Ita Sanctus Victor, re & nomine laureâ dignus cùm in catasta, velut in refrigerii lectulo recumberet, & tortore, qui nervos equuleo distenderat, tenerioribus naturæ partibus fervens oleum infunderetur, quasi frigidâ refectus esset, tranquillo animo, vultuque sereno, hoc in tyrannum jactavit: *O quam suave est hoc! sicut aqua sitibundo.* Libet hæc irrefragabili Doctoris Hipponēsis cōfirmare suffragio: *Legimus,* inquit, *Ananiam, Azariam, & Misaelem, beatissimos pueros in camino ignis inclusos, in prunarum suarum deambulasse flammis, & igneos globos pedibus conculcasse; unde & B.* LAURENTIUS *non minori est gloriâ præferendus: Siquidem illi in pœnarum suarum flammis ambulabant; hic in ipso supplicii sui igne discubuit. Illi vestigiis pedum conculcarunt incendia, ille laterum suorum diffusione extinxit.*

Augustin. serm. 10. de Sanctis.

Eleganter velificatur hic ad mores spiritu

Baeza. Christus figurat. tom. 2. c. 15. §. 15. Hispanico, Didacus de Baëza, filius Israel increpans, qui cùm viderent *lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem, perterriti, ac pavore concussi steterunt procul;* non erat, inquit, tanta montis procella, quanta fuit postea fornax Babylonica; & tamen inventi sunt pueri Hebræi, qui non verentur mitti in fornacem ignis ardentis, quæ illis refrigerio fuit. Inermes pueri nô timent exundantes furnace flammas; armatus exercitus vel ad lampadis visionem, & sonitum buccinæ, se procul continet. Cur hi fumo terrentur, cum pueri flammas non refugiant? causa subditur: *perterriti, ac pavore concussi steterunt procul;* tenebat eos timor, non amor: nullus erat in eis ardor divinus, sed pavor frigidus; quos autem Dei amor invasit, nullæ flammæ, nec totus inferni ignis tremefaciet; imo pectus hoc divino, quo Laurentius flagravit, igne incensum, ipsos inferorum rogus, in rorem, in rosas, in ipsum converteret Paradisum. Floridè Theodoretus in c. 3. Danielis: *tantum intus* pietatis præcones *Serenitate, Deum colentes fruebantur, ut per ignitos carbones, quasi per quasdam rosas incederent.*

Ardor divinus vertit ignem in rorem, & rogos in rosas.

Eodem igne intus accensi, altet *Laurentius, & Pergentinus* fratres germani, ardentes prunas calcarunt, *& gloriosi Martyrum pedes*, ut ait Damianus, *tanquam* SUPER CANDENTIA LILIA, VEL CROCEOS ROSARUM FLORES, *mollis sunt vestigio delectati*; quod & innumeris aliis Sanctis divinitus concessum est: Flamma porro charitatis tantæ energiæ, & mirandæ activitatis est, ut vel ipsos tartareos rogos in rosas, imo in amœnissimum viridarium, & cælestem Paradisum valeat commutare. Expertæ credite vel uni animæ, hoc igne accensæ, B. Magdalenæ de Pazzis, quæ in has voces quandoque erumpere audita est: Cur meum tottum ardore consumi sentio: O si, quod in eo versatur, eloqui possem! Rogantibus ut aliquid proferret, respôdit: desunt verba tam ignito amori convenientia, *quod vobis narrare possum, hoc est: unica guttula de eo, quo cor meum plenum est, in infernum delapsa, mutaret illum planè in Paradisum*, tantusque ibi foret amor, ut dæmones in Angelos, flammas in rosas, rogos in rorem, tormenta in oblectamenta verteret: cum Dei etenim amore, non potest consistere cruciatus: *ubi amor est*; inquit Augustinus, *labor non est, pœna non est*; intimus qui fervet in medullis, in corde ignis, externos omnes cruciatuum non sentit aculeos. Perspexerat id Psaltes Regius, unde sic Deum precatur: *ure renes meos, & cor meum*; non reformidat si renes exurantur; dummodò & cor divinis intus ardeat incendiis, quod & in gloriosissimo pugile nostro deprædicat Augustinus: *ure, inquit, renes meos, & cor meum: duplici se postulat igne comburi: nam si de solo igne mundi loqueretur, sufficeret renes tantum exurendos obtulisse; cor autem nisi flamma Christi non urit; atque ideo ad comprobandam devotionem suam, geminum sibi ignem postulat, ut Inflamine habito, ostendat in se plus posse amorem Christi, quam pœnam tyranni*. Duplex illud incendium in Laurentio observat Chrysologus: *urebat in carne, ardebat in corde.* Hæc divini amoris flamma, quæ in corde Laurentii flagrabat, ardorem exteriorem restinxit adeo, ut craticula illi lectulus esse videretur, quemadmodum & variis Sanctis, omnis crux, & adversitas, instar lectuli, solatio & refrigerio fuit, ob amorem quo intus incensi erant. Doctor Seraphicus serm. 2. de S. Laurentio: *in tantum amor eius excrevit in corde, ut vix sentiret ignem, qui externus ardebat in corpore.*

B. Petrus Damian. serm. 22. de SS. Laurentio & Pergentino.

In vita.

Psal. 25.

August. serm. 30. de SS.

Chrysolog. serm. 135.

§. I.

Laurentius craticulam supplicii, LECTUM QUIETIS *putabat.* Chrysologus. serm. 135.

Craticula Laurentio quietis lectulus & crux omnis, & quævis adversitas SS. pro lectulo.

REdemptor noster per acerbissimos dolores, omnibus membris dirissimè laniatus, crucem suam lectulum ad quietem, & somnum captandum ducit, juxta illud Prophetæ: *consolabitur me* LECTULUS MEUS. Job. 7. Pro cubiculo, Golgotha; pro cervicali, spinæ; pro lectulo, crux fuit; frustra sponsa eum in molli lectulo, & eburneo strato quærit, dicens: *In* LECTULO MEO *per noctes quæsivi quem diligit anima mea, quæsivi illum, & non inveni*, qui in lectulo crucis inveniendus erat; ibi eum quærat, & inveniet fidelis anima: *Indica mihi ubi cubes in meridie*; in illo nempe meridie, in æstu charitatis cubat, & requiescit in cruce, ut in amoris lectulo. Amor sternit cruces, & ardentes craticulas, & igneas sartagines, & rotas, & rogos, in lectulos roseos ad quiescendum, & suaviter indormiendum, hoc de Laurentio nostro, sermone aureo deprædicavit Ravennatium Antistes Chrysologus: *Craticulam supplicii*, LECTUM QUIETIS *putabat*; portentum, prodigium, insolens miraculum, ardentes rogos in rosas: prunas, in leves plumas; ferreas crates in molle stratum: luculentas flammas in commodissimum lectum, & velut regium thalamum commutari; scire vultis unde hæc Laurentio vita: *quia plus ardebat quam urebat, urebat in carne ardebat in corde.*

Cant. 3.

Cant. 1.

Chrysol. serm. 1

Ibid.

Habuit Laurentius Hispanicæ virtutis, sui æmulum S. Vincentium, cui thorus igneus *in lectum quietis*, & pyra ipsa nobilem cessit in Pyramin. Quin & teneræ virgunculæ, pueri, inuptæque puellæ, idipsum expertæ sunt. Maluit Agnes vellere cruento esse, quam aureo: adnletur Agna nondum adulta duodecennis virguncula, quæ ut rogum conspexit, quid senseri, exponit D. Ambrosius: *non sic ad thalamum nupta properaret, ut ad supplicii locum, læta successu, gradu festina Virgo processit.* Quid ad hoc, vos molles, & delicatæ filiolæ? in quas cadit illud suavissimi Doctoris: *Illius ætatis puella, torvos etiam vultus parentum ferre non possunt, & acu destricta solent puncta flere, quasi vulnera*; quomodo hæ ad flammas, quasi ad thalamum nuptialem properarent? Dorothea post atrocia tormenta, sen-

S. Ambr. 1. de virgin. post medium.

Amb.

sententiam mortis excipiens, ait: benedico te Domine, caste amator animæ meæ quod me immeritam ad nuptias Agni, & ad thalamum tuum vocare dignatus sis.

Properavit & altera Virgo Alexandrina Apollonia, quæ comprehensa ut combureretur è carnificum manibus elapsa, alacris in ignem, quasi in thalamum sibi præparatum *majori Spiritus sancti flammâ intus accensa*, concitato insiliit saltu, & de supplicio fecit tripudium. Quod è cellâ suâ, sacroque silentio contemplatus Sanctus Bernardus Sermone. 6. in Cant. *stat*, inquit, *Martyr* TRIPUDIANS, *& triumphans toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modo fortiter, sed alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Vbi tunc anima Martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus* JESU; *neque mirum si exul de corpore, dolores non sentiat corporis: neque hoc facit stupor, sed amor.* Audistis in Laurentio, in Vincentio, ut alios mittam, in quorum venis ferbuit sanguis Hispanus, audistis in tenellis virgunculis Romanis, & Alexandrinis, ut ad tædas quasi ad thalamum; ad supplicium, quasi ad tripudium properarent, *neque hoc fecit stupor, sed amor*: Non enim tenera Martyrum membra inter acerbissimos cruciatus, quodam veluti stupore insensibilia fuere; sed flagrantissimus Christi amor, hos animos dabat, ut omnia tormenta perferrent, omnes corporis afflictiones leves ducerent, ac suaves, in quibus non secus ac molli lectulo requiescerent.

Ita testatur Beata Angela de Fulginio, quæ inter excessus orationis, & anhelantis cordis pia suspiria, hos ad Christum amores suos jactare solita: *Laudo te dilectum, & in* TUA CRUCE HABEO LECTUM MEUM; hunc porro ita componebat, ut pro cervicali paupertatem, pro culcitrâ dolores, pro stragulis despectum haberet, & confusionem, quo se cooperiret: his enim, inquiebat, dilectus meus sibi lectulum stravit; in his quievit, jacuit, expiravit: & ego in eodem quiescere, jacere, atque emori volo. Hæc illa. Quæ & tu si sapis, dices, & cum Bernardo ingeminabis: *dulcis mihi lectulus crucis tua*, si veram requiem hic, ac dein æternam secteris. Religiosam observantiam, monasticam disciplinam, viti ascetici, perpetuam crucem nuncuparunt; eam tamen Spiritus Sanctus, si Bernardo credimus, lectuli & quidem floridi vocabulo descripsit, dum dixit: LECTULUS *noster floridus est*, quia ut nullus locus in quo suavius homines requiescunt quam in lecto; ita & in monasterio. LECTUM *in quo quiescitur, claustra existimo esse, & monasteria, in quibus quietè à curis vivitur saculi, & solicitudinibus vita: atque is* LECTUS FLORENS *demonstratur exemplis, & institutis Patrum, tanquam quibusdam floribus.* Obedientia multis ardua, & aspera crux esse videtur; extra eam tamen B. Ægidius nullam requiem capescere voluit, aut valuit: de eo enim scriptum legimus, cum Sanctus Franciscus propter singularem ipsius sanctitatem, eundi & manendi ubi vellet, ei facultatem fecisset, vix quatuor diebus ille in ea libertate exactis, animadvertit *spiritum suum nullam requiem invenire*, nec somnum capere posse, quare ad Franciscum rediit, orans, & obsecrans ut certam sibi locum, mansionemque definiret, *quoniam in illa libera & laxa obedientia planè* CONQUIESCERE *non posset.*

Sic ex omnibus, quæ in Religione ardua, & aspera occurrunt, mollis culcitra efficitur ad quiescendum, Bernardo teste qui ait *dulcis mihi lectulus crucis est.* Ast illud viri Religiosissimi ac sanctissimi testimonium, si sæculares ad seminimè spectare fortè arbitrentur, audiant hi hominem Philosophum, eumque gentilem, Hiarcham nomine, qui nec in lecto aureo, nec in molli ansere quietem invenit, quæ in sola cruce & afflictione quærenda est. Quis credat dum homo vexatur, agitur, quod tunc inducatur ad quietem, ad suaviter indormiendum; & tamen si vis ut infans in cunis altum dormiat, securè quiescat, à fletu & ejulatu abstineat, cunæ agitandæ sunt; cui rei ingeniosus Poëta scitè subscripsit:

Parit irrequieta quietem.

Quod ut stilo sanctiori confirmem, divus Hilarius, cujus sermone nihil habuit concinnius comata Gallica, in cap. 11. Matt. sic disseruit: *nunquam dulcius sancti* REQUIESCUNT, *quam dum laboribus fatigantur*, numquam securius indormiscunt, quam dum vexationibus, morbis, tribulationibus, adversitatibus agitantur: quia amor qui intus ardet, omnia ardua & quamtumvis dura, difficilia, levia ac suavia facit, teste Augustino, *ubi amor est, labor non est.* Gestientem in prunis, & quasi in rosis se versantem, ac volutantem Laurentium mihi videor audire exclamantem: LECTULUS *noster floridus.* Quam floridus, ô Levita? Arbitror me in paradiso florido, rosarum & liliorum areolis recumbere. Bernardus Serm. 40. in Cant. *de craticula Laurentius vocatur ad hortum, & dum in craticula erat, ab horto non aberat.* Idem complures invicti Christi pugiles experti sunt: Sanctus Tiburtius, tantum abest ut candentium carbonum lectulum exhorruerit, ut tyranno Fabiano insultarit, dicens: *Carbones tui, mihi* FLORES *videntur*; quod eminentius in sancto Laurentio deprædicat Ambrosius: *nec eum potest visceribus, ignium tormenta sentire, qui sensibus* PARADISI REFRIGERIA *possidebat*; Libet id irrefragabili Doctoris Angelici confirmare testimonio, qui lib. de veritate q. 13. a. 3. *dicendum*, inquit, *quod Martyres in tormentis existentes, percipiebant aliquid de divina gloria, non quasi eam in sui fonte habentes, sicut illi qui Deum per essentiam vident; sed aliqua illius gloria aspersione refrigerabantur.* Cujus vel una cœlestis illius aspersionis gutta sat est, ut etiam inferorum flammas refrigeret, & in suavem rorem convertat. Hac dulcedine aspersa S. Macra Virgo & Martyr, jussa ab impiissimo tyranno super prunas volutari, *eas instar* RORIS SUAVISSIMI *persensisse visa est.* Una gutta dulcedinis, omnes spinas in rosas, rogos in rorem, catastas in molle stratum, craticulas in plumeos lectulos commutat. Hipponensem Antistitem audite: *tu Domine es dulcedo inæstimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur: Tua enim dulcedo, Stephano lapides torrentis dulcoravit:* tua

Marginalia: Petrus Nat. l. 2 [?]. Rom. 9 Feb. — Bern. serm. 6 in Cant. — Bolland. vita 4 Ian. — Cant. 1. — Bern. in Cant. serm. 46. — Platus de bono sta[tus Relig.] l. 3. c. 9. in fine. — S. Hilarius in c. 11. Matt. — Cant 1. — Bern. serm 40. in Cant. — Amb. serm 1. de S. Laurent. — S. Thomas lib. de veritate q. 13. a 3. — Bollandus 6. Ianua. vita. — Aug. soliloq c. 22.

tua dulcedo, craticulam LAURENTII *dulcem fecit: pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii. Ibat Andreas securus ad crucem, & gaudens; quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque gustanda, venenι poculum intrepidus Ioannes potavit.* &c. Et quid tu Adolescens, tu puella, tu mercator, tu ædilis, & vir nobilissime in cute curanda totus, pro hac dulcedine emenda & fruenda dedisti, aut pertulisti? Aures tibi aliter vellicandæ sunt.

§. II.

Bonaventura. dom. 12. post pent. serm. 3.

Doctor Seraphicus tres Iustorum, & totidem improborum lectos describit.

Triplex justorum lectulus.

TRiplex Justorum lectus: *primum patientiæ:* secundus *pænitentiæ.* Tertius *bonæ conscientiæ.* Quod primum spectat, *lectus patientiæ* non modò omnes morbos, dolores, cruciatus febrium, calculi, dentium, capitis, tenium, chiragræ, podagræ, aliasque calamitates orbitatis, paupertatis, jacturæ filiorum, propinquorum, fortunarum lenit, levigat, mitigat, emollit; sed in multis etiam sensum omnem doloris sustulit, sed & malorum omnium unicum extitit remedium, ot inter diuturnos, & acutissimos cruciatus gestirent, ac riderent. Alterum est quod *lectus patientiæ,* sit virtutis, & meriti gymnasium, ac Christianæ fortitudinis, & veræ gloriæ theatrum. Contraria vero omnia illis accidunt, qui in *lecto doloris* se impotenter, & impatienter jactant: morbos, & miserias suas augent, imbelles animas, & effrenes motus produnt, atque pro merito, & præmio, per tormenta, sibi nova ingne piaculari, aut etiam infernali tormenta accersunt. Christianè de his philosophatur gentilis Seneca: *Tria hæc in omni morbo gravia sunt: metus mortis: dolor corporis: intermissio voluptatum. De morte hoc unum dicam, non morbi hunc esse, sed naturæ metum. Morieris non quia ægrotas, sed quia vivis. Ista te res & sanatum manet. Cum convalueris, non mortem sed valetudinem effugies. Magnos cruciatus habet morbus, sed hos tolerabiles intervalla faciunt: Nam summi doloris intensio invenit finem: nemo potest valde dolere, & diu. Sic nos amantissima nostra natura disposuit, ut dolorem aut tolerabilem, aut brevem faceret. Sed molestum est inquis, carere assuetis voluptatibus, abstinere cibo, sitire, esurire.* Sed hæc ipsa affert & sua commoda habere, atque adeo in votis esse debere: *duo sunt genera voluptatum; corporales morbus inhibet, non tamen tollit; imo si verum æstimes, incitat. Magis juvat bibere sitientem: gratior est esurientibus cibus: quidquid ex abstinentiâ contigit, avidius excipitur. Illas vero animi voluptates, quæ majores, certioresque sunt, nemo medicus ægro negat: has quisquis sequitur, & bene intelligit, omnia sensuum blandimenta contemnit.* Quis Chrysostomus, Chrysologus, aut sanctorum Patrum disertissimus Orator, alia quam talia suis christianæ fortitudinis præcepta, aptiora, aut acriora argumenta proponeret? temperare mihi nequeo, quin adhuc pauca ex hoc fonte delibem: *O infelicem ægrum, exclamat, quia non nivem diluit, quia non rigorem potionis suæ, quam capaci scypho miscuit, renovat fracta insuper glacie: quia non ostrea illi Lucrina in ipsa mensa aperiuntur: quia non circa cœnationem ejus, tumultus coquorum est, ipsos cum obsoniis focos transferentium. O infelicem ægrum! Quid tibi mali factum est? cœnabis tanquam æger, imo aliquando tanquam sanus* &c. Atque ut hæc omnia contemnat, fortiter, patienter & non muliebriter ferat, hoc aureum Propyleo Apollinis dignum oraculum subnectit: *Est, mihi crede, virtuti etiam in* LECTULO *locus; non tantum arma & acies dant argumenta alacris animi, indomitique terroribus.*

1. Lectus patientiæ

Seneca Epist. 78.

Ibid.

Seneca cit.

Quare essent vanæ istæ, & insanæ querelæ: *nihil agere sinit morbus, qui me omnibus abduxit officiis. Corpus tuum valetudo tenet, non animum. Quid porro? nihil agere te credis, si temperans æger sis? si patienter æger sis? Est, mihi crede, virtuti etiam in* LECTULO LOCUS. Est qui dicat non possum ire ad templum, jam tanto tempore non audivi sacrum, concionem, non possum orare, vitam duco animalem, imo brutalem: *Est mihi crede virtuti etiam in* LECTULO *locus.* Aliæ Religiosæ animæ se cruciant & vexant, seeum reputantes, quod consuetas pænitentias, preces, aliaque pietatis exercitia obire nequeant: *Est mihi credite virtuti etiam* IN LECTULO *locus;* adeo ut numquam sanctiores simus, quam dum in lectulo patientiæ, variis morbis, & doloribus corpus cruciatur. Voltis hujus rei luculentum vel ab ethnico testimonium: nuper, ait Plinius, me amici cujusdam languor admonuit, optimos esse nos, dum infirmi sumus: quem enim « infirmum aut avaritia, aut libido solicitat? « non amoribus servit, non appetit honores, o- « pes negligit, & quantulumcumque ut reli- « cturus, satis habet. Tunc Deos esse, tunc ho- « minem se esse meminit. Invidet nemini, ne- « minem miratur, neminem despicit. Imposte- « rum si contingat evadere, innoxiam beatam- « que destinat vitam. Possem ego, quod pluri- « bus etiam voluminibus Philosophi docere « conantur ipsis breviter, tibi, mihique præci- « pere, ut tales esse sani perseveremus, quales « nos futuros profitemur infirmi.

Seneca cit.

Plinius. lib. 7. ep. ad Max.

En quot, & quantis vitiis, ac flagitiis morbus remedio est. Idē sensit ille qui dixit: *Ago gratias senectuti (morbo incorabili, podagræ &c.) quod me* LECTULO *affixit. Quidni gratias illi hoc nomine agam? Quidquid debebam nolle, non possum.* Debebam nolle temulentiam, in multam noctem pergræcari *non possum.* Debebam nolle carnis lasciviam, in luxum & venerem effundi, *non possum,* & sic de ceteris; hæc omnia mihi optimus, vitiorum medicus, morbos abstulit. Sed his missis, Doctorem gentium audiamus 1. ad Cor. 12: *Virtus,* inquit, *in infirmitate perficitur,* ut etiam Religiosissimos austerrimæ vitæ viros, sanctissimos Confessores, fortissimos Martyres, virtutum ac meritorum cursu prævetterint, Deumque suo in lectulo spectatorem, & admiratorem habuerint. Non pauci vestrum, sanctum illum in viris, ac fœminis religiosis rigorem suspiciunt, & venerantur, quem si consecuti, aut æmulati essetis, vos magnam vitæ sancti-

Seneca.

2. Cor. 12

sanctimoniam adeptos jure arbitraremini; & verò consequi vos posse comprobabo. Celeberrimus in regiâ Academiâ Madritensi, sacrarum litterarum Professor, & virtutum Doctor egregius, inediam, vigilias, corporis afflictationes, rigorem vitæ, quem ægroti ex variis morborum cruciatibus in lectulo patientiæ tolerare consueverunt, cum austerrimâ quorumvis religiosorum, aut etiam Anachoretarum vivendi disciplinâ comparari posse, affirmare non dubitavit. Ecquis porro Carthusianus ita claustro continetur, ut æger, cui non modò per cubile inambulare, sed ne pedem lectulo efferre concessum est? morbus illi cippus est, quo velut compede tenetur juxta illud Jobi: *Posuisti in nervo pedem meum*, per podagrã. Quis eremi incola ita frugi victitavit? quis palatum adeo insulsis aut insipidis exacerbavit? quis observantiæ sanctæ Religiosus eam inediam toleravit, quam ægrum per menses, & annos quandoque perferre cognovimus? quibus exquisita etiam fercula non modò insipida, & nauseam moventia; sed & insuper amarissimæ potiones exhauriendæ sunt. Quis monachorum suas vigilias (quas quietus somnus per intervalla excipit) diuturnis ægrotum lucubrationibus multum concedere non fateatur? quis vel in storeâ vel durâ humo cubando, ciliciis, flagellis, aliisque afflictationibus ita corpus divexavit, ad eam maciem, & debilitatem redegit, quemadmodum morbus omnia membra, ac interiora viscera excruciando, ad ossa usque hominem miserè depascitur, & consumit? Adde hæc in ægro reperiri citra indiscretionem, aut vanitatem, ut Paulinum illud meritò usurpare queat: *libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Quod brevis sed gravis viri D. Salviani sententia confirmat: *Si sani erunt, sancti non erunt.* Sed parum hoc, *tanta virtuti etiam* IN LECTULO *locum esse*, ut etiam omnes Religiosos, & priscos anachoretas exsuperent, quin ipsos ægrotantium cruciatus, Martyrio adæquari posse contendo, Oratoris aurei nixus suffragio qui spiritu ferventes, & desiderio patiendi queritantes, nunc Martyrii tempus non esse, sed deesse passionum materiam, sic animat atque ipsum patientiæ lectulum, in quo Job exercitus, velut palæstram ad prælium arenam designat: *quid ais non adest Martyrii tempus? nunquam profectò hoc abest; sed ante nostros semper est oculos, si vigilemus: non enim in ligno suspendi solum* HOC MARTYREM *facit; nam si hoc esset, extra tales coronatos Job poneretur: nec enim ante tribunal fuit constitutus, nec Iudicis vocem audivit, non vidit carnificem, neque suspensus in ligno, vel sublimis positus circa latera laniatus est; attamen* MULTIS MARTYRIBUS *graviora passus est.* Tum ubi acerbissima, quæ eum excruciarunt, tormenta enumeravit, infert: *cui non itaque dignus hic sit* MARTYRI *comparari?* Et porro quis non vestrum mallet gladios Pauli, cruces Petri, lapides Stephani, equuleos, & rotas Martyrum brevi tempore perpeti, quam per 10. 20. 30. annos, colicæ, calculi, podagræ doloribus excarnificari? *cui non itaque dignus hic sit Martyri comparari?* Cui non digna Martyri comparari *Clara* nomine, & re etiam fortiter gesta clarissima? eam totos viginti octo annos alii ex aliis morbi, iique gravissimi excepere; sed ostendit etiam *virtuti in* LECTULO *locum esse. Cui non itaque digna sit Martyri comparari* Lydwina, exemplar sanctitatis, & patientiæ prodigium? in quam, tanquam in scopum incurrere morbi propè omnes, facto velut cuneo; atque heroicæ fortitudinis spectaculum non minus præbuit in lecto, in quo ad 38. decubuit, quam alii in circo, vel amphitheatro. *Cui non itaque digna Martyri comparari* Virgo Culeta, quæ ipsos Martyrum cruciatus in se experiri ardenter expetiit, & votis annuens benignus Salvator, ad quinquaginta annos illam in lectulo patientiæ exercuit. Ecquis non brevi Martyrum supplicio vitam abrumpi mallet, quam mille mortes, inter acutissimos podagræ dolores tolerare? quemadmodum D. Gregorius Pontifex Maximus expertus est, qui sic ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum scribit: *Ecce jam biennium expletur, quo* LECTULO *teneor, tantisque podagræ doloribus affligor, ut vix in diebus festis usque ad horarum trium spatium surgere valeam, missarumque solennia celebrare. Mox autem cum gravi compellor dolore decumbere, ut cruciatum meum possim interrumpente gemitu tolerare. Qui dolor interdum mihi lentus est, interdum nimius; sed neque ita lentus ut recedat; neque nimius ut interficiat. Unde fit, ut qui quotidie* IN MORTE SUM, QUOTIDIE REPELLAR A MORTE. *Nec mirror quia peccator gravis, talis corruptionis carcere diu teneor inclusus*, qui tot mortes exantlavit, ut cum Apostolo dicere posset: *quotidie morior, cui non itaque dignus Martyri comparari:* Optimus morum magister Seneca, podagræ dolores acutissimos asserit: *Maximi dolores,* inquit, *consistunt in macerrimis corporis partibus: Nervi, articulique, & quidquid aliud exile est, acerrimè sævit, cum in arcto vitia concepit.* Nec huic malo ullum aliud remedium, quam delinimentum adinvenit: *Delinimenta,* inquit, *magis quam remedia, podagra mea compono.* At delinimenta ac remedia non alia à nobis adhibenda, quam patientia, cum Dei voluntate resignatio, & christianæ fortitudinis exercitatio; vel ipsa gentilium exempla, quibus inter morbos, & cruciatus ridere placuit, nos exstimulent: *Tunc tibi fortissimus quisque, & victor doloris occurrat. Ille qui dum varices exsecandas præberet, legere librum perseveravit. Ille qui non desiit ridere, cum ob hoc ipsum irati tortores omnia instrumenta crudelitatis experirentur. Non vincetur dolor ratione, qui victus est risu?* dicam ego, non *vincetur dolor* à christiano Dei gratiâ adjuto, qui ab homine ethnico *victus est risu?* quidni omnes morbos, & cruciatus rideant, quibus ipse Deus lectulum doloris, vertit in lectulum consolationis? de quo Psaltes regius: *Dominus opem ferat illi super* LECTUM *doloris eius.* Divus Hieronymus vertit. *Dominus confortabit eum* IN LECTO INFIRMITATIS.

Hoc innumeri Sancti, & Sanctæ experti sunt. S. Ambrosius alludens ad illud Cant. 3. IN LECTULO MEO *per noctes quæsivi &c.* Lectum doloris, infirma corporis membra intelligit: *quis est,* inquit, ILLE LECTUS, *nisi corporis nostri species?* unde & David Psal. 40. *Dominus opem ferat* illi

Margin notes: *Eusebium Nierenberg Theopolit. p. 2. l. 1. c. 11.* — Dolores ac miserias hominis ægri, austeritates omnes superare. — *Iob. 13.* — *2 Cor. 12.* — *Salvian. lib. 1 de Provid.* — Patientiæ lectulus in morbo, Martyrio cōfertur. — *Chrysost. hom. 25. ad pop. & hom. 1. in ep. 2. ad Corint.* — *S. Greg. l. 8. Epist. 35* — *Seneca. Ep. 78.* — *Idem lib. de vita beata c. 17.* — *Seneca. Ep. 78.* — *Psal. 40. v. 4.* — *Amb. de virgin. l. 3.*

illi SUPER LECTUM DOLORIS EIUS: *Nam lectus doloris esse qui potest, cum dolere non possit, qui non habet sensum?* Lorinus in hunc sensum; mysticè ait, lectus animæ, caro infirma est, de quo dicitur paralytico: *Tolle grabatum tuum.* Deus vires suppeditat ad externam imbecillitatem ferendam, ad ejusdem libidinem frænandam, ut Augustinus, & alii exponunt, juxta illud Job: *Increpat quandoque per dolorem* IN LECTULO. Tum ne diffidat quis, ne Dominus opem ferat illi super lectum doloris, subiungit: Super durum, flammeumque, & *acerbissimi doloris lectum Laurentii*, opem tulit Deus: Inspersit in hoc sacrificium craticulæ, oleum quo ignis devotionis vehementius arderet, & hilarius, alacriusque tormentum tantum pateretur; quomodo non *Dominus confortabit te in* LECTO INFIRMITATIS? Suggerit Lorinus varias historias eorum, quos Deus recreavit in lectulis ægros jacentes, & suis ipse manibus servitium exhibuit, juxta illud Davidis vaticinium: *universum stratum eius versasti in infirmitate eius*, adeo ut invictus Christi athleta, *craticulam supplicii* LECTUM *quietu putaret*; & ostendens quam quietè jaceret, tyranno insultaret. *Assatum est satis, versa, & manduca.* Unde Ambrosius: *in infirmitate versari stratum dicit præcipue Martyris.* Quod qua ratione in ægris faciat, exponit Lorinus: sensus est, inquit, ut Deus tanquam diligens famulus, componat, sternat, vertat, latera & angulos ventilet, & explicet strati, aut aliud substituat, ut mollius æger cubet. Hunc è cælo favorem experta est *Beata Angela de Fulgineo*, quæ cum jaceret in lectulo, prostrata à morbo viribus, ei se Christus viciendum dedit, dixitque: *Ego veni ad serviendum tibi, & sacris manibus meis ministrare.* Scio hunc amabilem favorem uni Angelæ, aut forte tatis & præclaris sanctis obtigisse, ut visibili specie, suis ipse sponsus Virginum, sanctis manibus, & brachiis, lectulum in infirmitate verterit, & composuerit; at non semel, si rectè expendatis, idem filius Dei stratum vestrum, in quacumque infirmitate, paternæ consolationis suæ manibus vertit, & mollem ac suavem lectulum, in morbo & cruciatu quovis teddidit. Denique Mediolanensis Antistes sic ad mores in hunc locum Psalmi. 40. excurrit: *Possumus ipsa membra nostra* LECTULOS *nostros proprios nuncupare, in quibus animæ nostra veluti in strato suavissimè demorantur. Quod quidem Sanctum Prophetam sensisse arbitror, cum dicit: universum stratum eius versasti in infirmitate eius. Beatus enim est ille, cujus stratum Dominus in ipsius infirmitate convertit, ut qui fuerit paulò ante adulter, iracundus, petulans, & cunctorum scelerum infirmitatibus plenus, fiat castus, humilis, & modestus.* De quo strato spiritualiter ad paralyticum dictum est à Domino: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Si hodierna die vobis non est animus cum Laurentio in lectulo flammeo jacere, inque eo versari; hunc saltem fructum referre potestis, ut universum stratum vestrum, in infirmitate animi jacentes, vertatis, ut *qui paulò ante adulter*, lascivus, fœdæ libidini immersus: *qui paulò ante iracundus*, diras in Deum, & homines spirans, inveterata odia pectore volvens: *qui paulò ante* petulans in omnes vanitates, & insanias effusus, ac cunctorum scelerum gulæ, temolentiæ, invidiæ, injustitiæ *infirmitatibus plenum, fiat castus, humilis, modestus*, & stratum omnium vitiorum, vertat in floridum stratum omnium virtutum. Quod fiet si quisque vestrûm illud purpurei Patris consilium secteturː *versasti*, inquit, *stratum meum, id est carnem, quæ prius spiritui præerat, versasti ut spiritui subdita esset.*

Ab eo laudat, & commendat Heliodorum S. Hieronymus Epist. 1. *super nudam metuis humum exesa jejunio membra collidere? Sed Dominus tecum jacet.* de quo S. Lucas: *vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Et tu in storeâ stramineâ, in durâ humo jacere detrectas? Exstimulet te militaris hominis animus, de quo sacri Regum annales referunt, cum David jussisset Uriam de viâ fessum, descendere in domum suam, & in stratum suum ad requiescendum se recipere, respondit: *Dominus meus Ioab, & servi Domini mei, super faciem terra manent, & sub dio humi recumbunt, & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc*; indecens omnino ducens, non parem cum duce sua fortunam, & incommoda sortiri; & tu ea cum Duce tuo Christo subire recusabis? quod purpuratus Martyr Cyprianus expendens, ait: *Humi jacent fessa laboribus viscera; sed pœna non est cum Christo jacere.* Multi è sanctis hoc exemplo ducti, ultrò per annos aliquot voluerunt incommodè cubare, & malè, parcissimèque dormire.

Certè S. Germanus, Antisiodorensis Episcopus lectum suum cilicino sacco stravit, ut non lectum, sed luctum, & doloris potius quam quietis locum diceres. D. Bononius Abbas, pro culcitrâ plumeâ terram, pro lodice cilicium, pro cervicali saxum habuit. S. Lupus Episcopus viginti annis, S. Edmundus Archiepiscopus triginta annis extra omnem lectum dormierunt. Taceo Nicolaos, Basilios, Udalricos, aliosque quam plurimos, quibus operæ pretium visum non est, talibus deliciis somnum paucorum annorum foveri. Smaragdus in regula Sancti Benedicti: LECTUS *sit aut nuda humus, aut certè storea, vel est matta super humum*; quod & aliæ insignes matronæ, & teneriotis sexus, ac complexionis puellæ imitatæ sunt, quibus pœna non fuit *cum Christo humi jacere.*

Has inter excellunt Gorgonia, sancti Nazianzeni soror, quam ait, mirabilem exstitisse in chamenuiis (id est humi cubationibus) *statione integras noctes agnante, genuum qua occalueruant, & inclinatione. Ac de ipsa non minus verè, quàm magnifice prædicari potest, quod virtutum aliis imitata sit, aliarum exemplar fuerit.*

Sic Hedvvigis, Ducissa Poloniæ, quæ ut pretiosum stratum in cubili, & regia pulvinaria haberet, semper in durâ cubabat; quid de S. Clara Virgine dicam? Non hoc in prodigiis numerandum, quod Umbria protulit Claram; sed quod Clara fugerit lucem, amarit umbras, & quo clarior esset, pro lecto eburneo, & molli pulvillo, in terrâ recubuit, & ligneum truncum

Margin notes (left): Lorin in Psal. 40. v. 4. — Luc. 5. — Iob. 33. v. 19. — Hierony in Psal. 40. — Psal 40. — Chrysol. serm. 135. — Amb. in psal. 72. — Lorin. cit. — Bolland. 4. Ian. — Amb. serm. 28. de adv. — Marc. 2.

Margin notes (right): Hugo. Card. in Psal. 40. — S. Hierony. Ep. 1. ad Heliodor. — Luc 9. 5 8. — 2. Reg. 11 v. 11. — Cyprian. l. 5. Epist. ult. — Sancti qui terram pro lecto habuerunt. — Greg. Naz. orat. 11. de pace.

com[illegible] jecit. Hoc jam olim in Asella depræd[illegible] Hieronymus, dum dixit: *unius cellulæ clausa [illegible] latitudine Paradisi fruebatur. Idem terræ [illegible] lum, & orationis locus extitit, & quieti.*

Hi omnes docuere in cælum, sine plumia evo[illegible]. In terrâ, velis, nolis, cubandum est, quæ [illegible] mmunis omnium lectus est. Ambro[illegible] LECTUS *quidam noster communis est terra, hujus amplissimum solum, in quo corpora nostra deposita, tutissimâ sede requiescunt.* Inhoc autem LECTUL[illegible] *ille mollius dormit, quisquis durius in vitâ se gesserit.* Qui hic cum Hieronymo, *si quando repugnantes somnus imminens oppressit, nudâ humo vix ossa hærentia collidunt,* eorum tam molliter in lecto terræ ossa quiescent. Norunt hoc vel ipsæ illustrissimæ Matronæ, ne solas Virgines videar adhortari. Paula illa Romana, *Gracchorum stirps, soboles Scipionum, Martiæ Papiriæ matris Africani vera & germana progenies, mollia etiam in gravissima febre,* LECTULI STRATA *non habuit; sed per durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat.* Tum subdit Doctor maximus: *si tamen illa quies dicenda est, quæ jugibus penè orationibus dies noctesque jungebat, illud implens de Psalterio: Lavabo per singulas noctes* LECTUM MEUM *&c. in qua fontes crederes lachrimarum; ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream.* S. Brigitta ab obitu mariti, triginta annis & hispido cilicio assiduò succincta, & numquam nisi in durâ somnum captavit.

Et quid veteres narramus? Quot viri Religiosi, & Sanctimoniales etiamnum semel [illegible] straminibus libenter, aut saxo suaviter indormiunt? ac ne nostra transeamus: B. Franciscus Borgiæ nulla dies sine pænitentiæ linea, dicare consuetus, vitam sibi sine solatio fore, si sciret se moriturum eo die, quo nil perpessus fuisset. Hic adhuc Catalauniæ Prorex, nudo asseri, tapete instrato incubabat. Quid Albertum Laertium senem, secundò ab Indiâ redeuntem Procuratorem memorem? ille quadraginta totos annos lectulo abdicato somnum ceperat sedens, cum tertiò ad Indos rediit. Vix narrantibus nos crederemus quæ in Joanne Baptista Lucerna nos ipsi (scribit auctor) vidimus, ingenti cum admiratione. Primum lectulo abdicato, assere contentus fuit; mox quasi jacentis [illegible] habitus pigritiam saperet, sedens importunum hospitem somnum excepit; quod ipsum cum mollius, quam destinavarat videretur, stans in angulo cubiculi, ac scipioni ni[illegible]ens, non dormivit ille quidem, sed cum somno luctatus est. Josephus Arriaga & ipse India[illegible] Apostolus, modò nudâ in tabulâ projectus, [illegible] unco aliquo pro cervicali usus; modò arbori innixus paululum quiescebat, elephant[illegible] morem; cui tamen arbore cæsa non time[illegible]; adeo enim levi, suspensoque pede [illegible] adrepebat, ut subito passis alis evolaret. Notant hi *filium hominis non habuisse ubi caput reclinaret,* quem ut quoquo modo æmularetur Simon Bucerius cilicio semper accinctus, per 34. annos asseribus incubans, trunco pro cervicali usus est. Demum auditis illis ex Evangelio verbis: *filius hominis non habet, ubi caput reclinet,* ardore imitandi succensus, scabello accl[i]vi insidens, ac nullâ ex parte fultus, ut vim naturæ, non animi inertiam agnosceres. Iniquiores sunt, qui homines ex tunicâ æstimant: levissimo cortice amari sunt salices, & duris è quercubus fluunt mella. Haud magna fuerit Josephi Anchietæ laus, si ejus humi cubatus, detractis, capitique subjectis calceis recenserem.

Illud novitate sua animos excitabit, spinarum fascem quondam pro cervicali habuisse, Redeptoris nostri qui in spinis caput reclinavit, imitatione. Ad hæc video vos exhorrescere, & consimiles lectos pœnitentiæ avarsari, at si animo assequi posseris, quantum consolationis, & cælestis illustrationis hic lectulus habeat, quivis è plumis suis quantocius evolaret. S. Chrysostomus: *miles dormit non in* LECTO, *sed humi. Pastor subdio stans noctem consummat. Operarius ille Iacob, lapidem ad caput sibi posuit dormiens.* Quàm vero illi divinus super lapidem dormienti somnus fuerit, sacræ paginæ loquuntur, & Clemens Alexandrinus disertè prosequitur: *Iacob,* inquit, *humi dormiebat, & lapis erat ei pulvinus; atque visum videre dignus est habitus, quod captum hominis superabat.* Erat Sanctissimus Patriarcha noster Ignatius in durâ dormiens, dum totius Societatis per orbem universum ideam in spiritu edoctus est. Parantem æmulatus filius, Joannes Ruiz, saxo pro cervicali usus, atque in eo summis se animi deliciis affluere dictitabat. Plura qui volet, videat Nierenbergii ascetica. Haberent hi nobiles Athletæ, plures sui imitatores, si illud ascetici Doctoris animo volverent, quod apud inferos, super lectos illos igneos, *erit gravior una hora in pæna, quam hic centum anni in amarissima pænitentiâ.*

Quare si invictissimum Martyrem nostrum Laurentium imitari non possitis cubando in candenti craticulâ, poteritis in durâ culcitrâ. Ad quod suos olim Hipponensis Antistes inflammasse videtur his verbis: *Nos verò si ad consortium Martyris pervenire volumus, debemus fortium Martyris cogitemus: Debet enim in nobis* S. LAURENTIUS *aliquid de suis virtutibus recognoscere, ut pro nobis dignetur Deo supplicare.* Ruborem Christianis incutiat gentilis Seneca ep. 108. *Laudare solebat Attalus culcitram, quæ resisteret corpori. Tali utor etiam senex, in qua vestigium apparere non posset.*

Quid ad hæc Heterodoxi, novatores nostri, de quorum antesignano Fausto, planè infausto, idem Augustinus: *longè dissimiles fuerunt* PLUMÆ FAUSTI, ET CAPRINÆ LOQUES, quam Christi lectus, & cervical, quam storeæ Pauli, & Antonii. Unde in Epicureos illos, & Sardanapalos, sic invehitur Divus Ambrosius: audio homines, qui dicunt nullum esse abstinentiæ meritum, nullum frugalitatis, nullam virginitatis gratiam, pari omnes æstimari pretio: delirare eos qui jejuniis castigant carnem suam, ut menti subditam faciant. Quod nunquam fecisset, numquam scripsisset ad instruendum alios, Paulus, si deliramentum putasset. Gloriatur itaque dicens: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* An quidquam tam reprobum, quam quod ad luxuriam, ad corruptelam, ad lasciviam provocat? Quam incitamen-

Marginal notes (left): Hieron. [illegible] 15. — Amb. serm. 18 de Adv. — Hieron. [illegible] — Hieron. ep. 27 ad Eust. de [illegible] Paula — in vita l. 4. c. 3. — P. Ioan. [illegible] — Ibid. — Ibid. — ibid.

Marginal notes (right): Chrysost. hom. 22. ad pop. — Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 9. — Nierenb. ascetica. p. 86. — Thom. A Kemp. de imitat. Chri. lib. 1. c. 24. — S. Aug. serm. 30. de sanctis. — Seneca ep. 108. — Augustin. lib. 5 contra Faustum. — Amb. epist. 82. — Refutantur hæretici, qui pœnitentias execrantur. — 1. Cor. 9.

tamentum libidinis, incontinentiæ fomes, incendium cupiditatis: quæ istos Epicureos nova schola misit, non Philosophorum, ut ipsi aiunt, sed imperitorum, qui voluptatem prædicent, delicias suadeant, castimoniam nullius esse dicant utilitatis. Ac tandem concludit: *Exierunt nobiscum, sed non erant ex nostris*, dum sic sentiebant, viam ad cælum latam, & spatiosam, & rosis stratam astruentes; quæ ut plenius, ac planius comprobentur.

Chrysost. hom. 22. ad pop. 2. Lectus pœnitentiæ. *Alter* LECTUS EST PŒNITENTIÆ, de quo juvat D. Chrysostomum audire disserentem: *vis videre*; inquit, LECTUM REGIUM, *virtutibus plenum? Respice* LECTUM DAVIDIS, *in quo tanquam margarita, per singulas noctes erant congelata lachrimæ Prophetæ*; ubi vides lachrymas, quibus aspergebatur lectulus Prophetæ pœnitentis, pretiosiores esse, quam gemmas, quibus eburnei regum lectuli exornantur: quia hic LECTUS *virtutibus plenus*. Si quis vestrûm primo juventutis œstro abreptus, aut etiam matrimonii vinculo adstrictus, lectum conjugalem transgressus; per singulas noctes cum Propheta, de præteritis noxis ex animo doleat, lectum suum lachrimis veræ pœnitentiæ aspergat, atque à vetitâ delectatione se sese retrahat. Ad hoc hortatur Hipponensis Præsul, expendens illa verba

Aug. in psal. 6. Psaltis Regii: *Lavabo per singulas noctes* LECTUM MEUM *&c.* ubi sic ait: *Lectus est hoc loco appellatus, ubi requiescit animus ager, & infirmus, id est in voluptate corporis, & omni delectatione sæculari; quam delectationem lachrymis lavat, qui se se ab illâ conatur extrahere.* Rex iste pœnitens dormivit in

L. 2. reg. c. 12. cilicio, & cinere, & IACUIT SUPER TERRAM. Qui hic in vitâ sibi parant lectulum pœnitentiæ, ubi mors advenerit, suavissimè in illo requiescent. Testem habeo Doctorem Seraphi-

Bonav. Dom. 18. post Pentec. cum: LECTUS PŒNITENTIÆ, inquit, *est quam vates Regius vocat* LECTUM DOLORIS; *beatus homo qui instar magni illius Patriarchæ Iacob colligit pedes suos super hunc* LECTUM, *& diem suû obit. Beatus inquam, qui non in patibulo superbiæ, non in igne avaritiæ, non in lecto luxuriæ; sed in* LECTO POENITENTIÆ *moritur*. Est & lectus pœnitentiæ, in quo quis non modò pro admissis delictis satisfacit; sed candidissimæ mentes, imitatione Christi, Sanctorumque, corpus affligunt. Joannes

Luc. 1. Baptista, quo *inter natos mulierum*, primæ Veritatis testimonio, *non surrexit major*, sanctificatus in utero, quem scimus ante vixisse Deo, quam mundo, ante pervenisse ad cælum, quàm tangeret terram: ante rapuisse cælestia dona, quàm corporis membra. Prima erant hæc Joannis rudimenta, quæ aliorum esse poterant excelsa fastigia. Sed quis cursus? Quinque annos natus, quærebat re se quasi Nestoriam ætatem intra domesticos lares consumpsisse. Itaque matre ovâ domo se aufert, parentum benevolentiam eludit, omnium eripitur è conspectu, abdit se in silvas, horrentia sese implicat in dumeta, solitarios penetrat in recessus. Horrentem saccum, hirsutam pellem humeris circumdat, nudis plantis, aperto capite, manibus in crucis ritum decussatis, tota solitudine vagatur.

At in hac vivendi asperitate, numquid deliciarum oppetebat? Quis victus, quis lectus, quod tectum? Res mira! *non tecto usus*, NON LECTO, inquit Chrysostomus; nihil adhibebat in cibum, præterquam nescio quæ arentis naturæ, & torridæ cartilaginis insecta: nihil in potionem, nisi roris garrulas aëri, quas è summis frondibus stillatas hianti ore excipiebat: lectulum horrida præbebat humus, non mollissimis culcitris substratum, sed quà saxis, quà vepribus contextum: solis, frigorisque appulsus non umbraculis propulsabat, sed in aperto æquore nudis artubus sustinebat. Ingruebant imbres, sæviebant turbines, verberabat grando, macerabant nives, gelu omnia cohorrebant, Joannes omnia perferebat: *Sudavit, & alsit*: & quorsum hæc omnia: nullos iracundiæ, superbiæ, lasciviæ motus senserat; jam ne insurgant, *nescientis labem nivei pudoris*, in fomite elidit: prius medicamenta quærebat, quam vulnera: prius palmam, quam pugnam: prius victoriam, quã congressum: non resipiscere post culpam: non surgere post ruinam: non sanari post ægritudinem, satius esse arbitrabatur; sed ne unquam rueret, ne unquam ægrotaret, præcavebat. Id olim B. Ægidius ingenioso responso hominem sæcularem edocuit, dum rogatus ut quid tam à in austeritate, non tam vitam, quàm animam ageret, tolerandâ quidem in gravissimis peccatoribus, ut pro commissis delictis satisfaciat, sed supervacaneâ in viro sancto, qui primam innocentiæ stolam servasset: respondit laconicè: *carnes non saliendas dum fætent sed ne fæteant.* Sic S. Nicolaus quem B. Petrus Damian. vocat *electum ab utero, sanctum à puero*, in fasciis sanctus apparuit, prius novit agere pœnitentiam, quam peccare: prius Deo vivere quam mundo. Quod & in B. Aloysio, Stanislao, atque innumeris sanctis adolescentibus, & virginibus, manifestum est. S. Carolus Borromæus Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis, innocentiâ vitæ clarissimus, lecto vendito, & pretio pauperes erogato, in nudâ humo cubare solitus. Quod & Hieronymus in Demetriade virgunculâ deprædicat: *noctibus, & secretò, confessus tantum virginibus Dei, numquam linteaminum, plumarum usam mollitie: sed cilicio solum in nudâ humo habuisse prostrato.*

3. *Lectus bonæ conscientiæ*: Ascendente Domino in naviculam, facta est tempestas magna, *& erat ipse in puppi* SUPER CERVICAL DORMIENS. Euthymius, & Theophylactus, cervical illud ligneum fuisse volunt; alii sunt nauticos: sed Barradius ad miores in rem nostram ait: molle, ac blandum pulvinar, cui Christus suavissimè dormit *esse bonam conscientiam*; in qua, dum vir probus quiescit, etiam inter oceani minas, & exundantes undique tempestates, immotus, & pacatus indormiscit. Unde illa perappositè lectulo cælestis Sponsi, à Salomone, Rege pacifico comparatur: LECTULUS *noster floridus*; qui typum bonæ conscientiæ exprimi, melleus Doctor disertè docet, dicens: LECTULUS *respersus floribus*, BONA CONSCIENTIA EST, *bonis referta operibus*. Huic cervicali, huic lectulo Petrus indormiit, qui inter duos milites, vinctus catenis duabus, postero die ad supplicium rapiendus (quis non obstupescat) tam altum dormiebat, ut Angelus eum trahere, ac vellere

[Right margin notes, partly cut off:] Chrys. hom. ... Damian. serm. ... S. Nic. ... In vita ... 4 Nov. ... Hieron. ep. ... Demetriad. ... 3. Lectus bonæ conscientiæ. Marc. ... Barrad. hic. Bern. in Cant. ... Act. ...

ellere debuerit, *percussoque latere Petri*, à somno excitare. LECTULUS *Petri, respersus floribus*, BONA CONSCIENTIA *erat*. Apud Athenæum legimus, Reges Persarum eo prolapsos deliciarum, ut ad caput cubilis Regii conclave haberent, medio pariete distinctum, ea capacitate, quæ quinque lectos contineret: In eo semper ... ne millia talentum auri asservabantur; ... nostro calculo, trigesies, & bis millies millena, septingenties quinquagies mille coronati, seu triginta tres milliones (non florenorum, sed aureorum) & septingenties quinquagies millena coronati. Hoc autem conclave, *cervical Regium* appellabatur. Sed num huc pretiosissimum cervical, num hos aureos lectulos, Regi somnum conciliare potuisse arbitramini? Potentes sæculi, ac viros divitiarum percunctamini, num cistis suis auro oppletis, num saccis, ac crumenis pecuniâ refertis, securi indormiant. Animus quietus, & bona conscientia, aureo lectulo præferenda, quod vel Pythagoras apud Stobæum censuit, dum ait: *Satius est* HUMI CUBANTEM *vivere, &* BONO ANIMO ESSE, *quàm perturbatum* IN AUREO LECTO. Similem sententiam è nostris profert S. Nilus in parænesi: *ubi inquies animi est, nihil ad requiem refert, in* ARGENTEO, AUREOQUE LECTO *quempiam jacere*. Augustus certè de se fassus est, quod inter regias gazas, inter aureos acervos, inter gemmeam supellectilem, somnum capere non posset; unde Macrobio teste, cum ob ingentes curas, ... as noctes duxisset insomnes, per diem forte ... auctionem venit, ubi comperit lectum ... culcitrâ vendi equitis Romani, quem multo licet ære alieno obstrictum, in multam ... em, altum indormire acceperat.

Athen. lib. Dyn. ... *de comp. serm. 5.*

Hanc itaque sibi emi voluit, experturus num hæc ad quietem conferret; sed frustrà. Aptiùs ad hanc captandam torum, mundam conscientiam offert Hugo Victorinus: *Hic est* LECTULUS: *hic in candidissimis munditia linteaminibus &* IN LECTULO CONSCIENTIÆ, *vera pacis somnum capies*. Lustrate, si libet, dormitoria Religiosorum, ac Sanctimonialium, & quàm securos, ac placidos post decantatas Deo, vigiliâ noctis, laudes, somnos capiant, ac in *candidissimis munditia linteaminibus, &* IN LECTULO CONSCIENTIAE, etiam sine plumis, suavissimè te... cant, mirabimini; ubi filii, & filiæ hujus sæculi, in eburneis, & aureis stratis vigilant. Expressit hoc melleo suo flumine Ambrosius, ... ubi luxum mundanorum exposuit, sic ait: *Sed* EBURNEIS LECTIS *accumbere, pretiosum putas; & non consideras pretiosiorem esse terram, quæ pauperi toros graminum sternit: in quibus dulcis requies suavis est somnus, quem ille aureâ compositus spondâ, tota pervigil nocte quærit, nec capit*. Tum ... amat: *O quanto, te, ille beatiorem judicat vigilans*, DORMIENTEM! Quanto pauperes opiliones, ... messores, in viridi cespite, aut fasce stramineo, altos somnos capientes, potentes sæculi se ipsi, in plumis & aureis thoris vigilantibus, si rectè sentiant, longè beatiores judicabunt, quos nullus curarum, aut invidiæ, aut conscientiæ stimulus exagitat. Similitudinem inducit magnus Gregorius ab iis, qui laboribus fessi, statim ubi, ubi, corpus reclinarint, in

... de ... animæ ... 10.

Am... lib. 6 in hexam ... Pauperes, & laboribus defatigati, melius ... somnum capiunt ... cespite, & humi, quam alii in eburneis stratis.

somnum incidunt: *Sicut, inquit, laboribus pressi*, IN LECTO *quiescentes, reficimur; ita dum mundi hujus adversitatibus premimur, in* BONA CONSCIENTIA *interius delectamur*; quam refectionem, & quietem, nec pauperies, nec fames, nec ulla adversitas inquietat; sed potius conciliat. Lucianus in Cynico: *Aurei illi, &* EBURNEI LECTULI, *somnum suaviorem non præbent; imo videbis frequenter* IN EBURNEO LECTO, *sumptuosisque stromatibus, beatis illis* (qui tales se prædicant, & vulgò prædicantur) *somnum contingere non posse*. Urit inquietæ conscientiæ lectulus, etiamsi supra Sardanapali plumam, supra Smindyridis rosam, sit mollis. Smindyridem Sybaritam nemo non novit, mollitie vitæ infamem juvenem, quem cum mollissimæ plumæ inclementius fodicarent, experiri voluit, molliusne, meliusve indormiret solutis rosarum foliis; sed hic etiam odoratissimus juxta, ac mollissimus torus, rigidus nimium erat, & asper, in tenerrimum latusculum.

S. Greg. in Psal. 6.

Ælianus l. 9. var. hist. c. 24.

Nam bonus Juvenis questus, per proximam priorem noctem adeo sibi dura fuisse lectisternia, ut etiam cicatriculas, pustulasque intractabilis strati argumenta possit monstrare, idque ut asserunt, quod bina, aut trina folicula conduplicata, non solum somno, sed valetudini graviter offecissent. Sed hæc rosacei lectuli duities, non tam à teneritudine membrorum, & mollitie corpusculi, quam ab ægro animo oriebatur. Homo peccator, tametsi cubet in culcitris, quæ vel pilo leporino, vel plumis perdicum, vel rosis turgeant; tamen, ut in Proverbio; *en saluet slaepen, gelyck een roosken*, rigidum dicet accubitum, & noctes ducet insomnes. Hugo Card. in 2. Cor. c. 1. CONSCIENTIA LECTO *comparatur, in quo, qui est in ægritudine peccati mortalis, quiescere non potest, sed mutat se de hoc loco ad alium*. Subinde hos oblatrantis conscientiæ morsus nonnihil distinemus, aut arte fallaci eludimus, aut certè delinimus, nunc legendo, nunc deambulando, nunc colloquendo, modo hilarius commessando, aut huc, illucque commigrando; at quando nox occupat, & ad lectulum, cubitum conceditur, fugit somnus ab oculis, nulla quies capitur, quia gehennam suam secum fert; ita Augustinus: *seipsum quò fugiturus est homo? quocumque fugerit se, talè trahit post se, & quocumque talem traxerit se*, CRUCIAT SE. *Ipse est pœna sua*, QUEM TORQUET CONSCIENTIA SUA. *Deus scit tantam pœnam animæ*, tantas cruces, tantas gehennas; quid mirum si in mollissimo *lecto quiescere non valeat*: Ipsæ noctes huic laboriosæ, & dum medium silentium tenent omnia, conscientia obmurmurat, & scelerum larvæ, ac simulachra conturbant; unde Cyprianus: Suspirat ille in convivio, bibat licet gemmis: *Et cùm epulis marcidum corpus* TORUS MOLLIOR *alto sinu condiderit vigilat in pluma, nec intelligit miser, speciosa sibi esse supplicia*. Hoc ipsum animo ægris evenire solet, quod corpore morbidis; nusquam quiescere possunt, sed de loco in locum, de lecto in lectum commigrare volunt, suum ubique malum circumferentes. Vidit hoc ocellus Belgii Justus Lipsius, qui lib. 1. de constantia c. 2. *ut ii qui febriunt, jactant se inquieti*, LECTUM *mutant; ita nos qui somtem*

Aug. in Psal. 45.

Cyprian. ep. 1. ad Donatum.

rem mali circumferimus, & telo affectuum percussi, frustra illud motu, & discursu sanare volumus: nam velut dama saucia, sic anima infixo telo conscientiæ fugit, sed non effugit; hinc subdit: cura ut alius sis, non ut alibi. Nam

Horat. epist. XI. *Cælum non animum mutat, qui trans mare currit.*

Plut. mor. tit. de tranq. animi. Audivi sæpè, inquit Plutarchus, neque podagram calceo repando, neque aureo annulo reduviam, neque pretioso diademate, capitis dolorem; multo minus molli lectulo, inquietum animum curari.

Quare qui hactenus in lecto perversæ conscientiæ, tam inquietè, tam miserè jacuisti, hodierna die, dico tibi, & si vis efficaciter dico: *Tolle* LECTUM TUUM, *& ambula.* S. Ambrosius l. 5. in Luc. c. 5. ad illa verba: TOLLE LECTUM TUUM, sic differit, *hic lectus, qui tolli jubetur, quid est aliud, nisi quia humanum jubetur corpus attolli,* LECTUS DOLORIS, *in quo anima nostra gravi conscientia ægra cruciatu jacebat; sed si quis secundùm Christi præcepta se gesserit, jam non* LECTUS DOLORIS EST, SED QUIETIS.

§. III.

Triplex improborum Lectus. 1. *Pigritiæ.* 2. *Concupiscentiæ.* 3. *Æterna miseriæ.* Bonavent.

1. Lectus pigritiæ. Proverb. 26. v. 14. DE primo, aureum illud Salomonis effatum est: *sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger* IN LECTULO SUO. Ostium semper in cardine volvitur, tum cùm aperitur, & tum cùm clauditur. Non dissimili ratione piger in lectulo, modò in hoc, modò in aliud latus volutatur; quam sapientissimi Regis similitudinem

Bonavent. serm. 20. post Trinit. sic Doctor Seraphicus expouit: *Ostium, quando vertitur, cardine non exit; sic & piger non abit à* LECTO, *à desidiâ, à torpore suo, etsi in illo se vertat, & verset.* Vecte ferreo, trochleis, & machinis opus est, ut ostium è cardine evellatur; non minori mole & molimine utendum, ut piger à lecto suo, à torpore, & desidiâ moveatur. Quod si altè indormientem, & ronchos edentem, clamore valido excites: si stertentem ad surgendum provoces, trahas, vellas, è pigritiæ lecto extrahatur, stridet, murmurat, in iras, & diras insurgit, & furor arma ministrat. Argutè & acutè id purpuratus Pater observat: *Sicut ostium*

Hugo Card. in Prov. c. 26. v. 14. *in cardine versatum huc & illuc, murmurat; & tamen non exit à loco suo: ita piger, id est amator voluptatis,* (& acediæ, ac socordiæ) IN LECTULO VOLUPTATIS *movetur, & murmurat in conscientia; & tamen numquam exit à peccatis, licet displiceant;* ubi adducit illud Eccl. 33. *præcordia fatui, quasi axis versatilis cogitatus illius.* Nec tantum intus conficta, sed & foris murmurat contra omnia, ut id Divus Ephrem rectè expressit: Pi-

S. Ephrem. Parænes. 22. „ ger assiduè obmurmurat. pigro semper ex- „ cusationes in promptu sunt: si quod ei opus agendum injungitur, obmurmurat, & alios „ mox etiam pervertit, dicens: Et quorsum „ hoc? cur istud, & illud? non expedit illud fieri. Si aliquo mittitur, damnum, inquit, ex illo „ itinere proveniet. *Si ad Psalmos decãtandos* (ad „ scholam, aut negotia) *excitetur: si ad vigilias,* „ *stomachi vel capitis sibi dolores prætexet.* Si illum „ admoneas; teipsum, inquit, admone, de me „ erit sicut Deo placuerit. Ac tandem conclu- „ dit: *sicut ostium à cardine pendet, ita piger* A LECTO DESIDIAE; *in eoque volutatur, licet inquietè & molestè.* Quæ vero pericula, & peccata hic lectus pigritiæ pariat, paucis explanabo, ubi prius hoc monstrum acediæ, suis coloribus expressero: S. Thomas. 22. quæst. 35. art. 1. *Acedia,* inquit, S. Thom. 22 [illegible] art. 1

est quædam tristitia aggravans, quæ scilicet ita deprimit animum hominis ut nihil ei agere libeat. Non orare, non psallere, non legere, non sacrum audire, non conciones frequentare ei libet. Unde subdit: *Ideo accedia importat quoddam tædium operandi: Et à quibusdam dicitur quod accedia, est torpor mentis.* Et gravis sopor, ac lethargus, quo qui pressus, non facile expergiscitur: fures ædes infestent, domus ardeat, aut ruinam minitetur, fabulas credit, & assurgere non lubet.

Appositè Hugo Cardinalis: *Sicut ostium vertitur in cardine &c; hoc dico, quod revera piger est, qui in domo ruinosa habitat, & videns ruinam, præ pigritiâ non vult exire:. videt ignem appositum undique, & non vult clamare, nec aquam proucere;* SED JACET IN LECTO. *Domum ruinosam dico mundum, carnem:* LECTUM, *divitias, & delitias: Ignem, vitia, vel tentationes: aquam, pœnitentiam.* HugoCar din. in c. 25. Prov. v. 14.

Instent latrunculi, dæmones: pateat inferni barathrum, & flammas suas ejaculetur; intus peior flamma libidinis animum depascatur: Corporis infirmitas ruinam denuntiet, *piger jacet in lecto,* nec surgere, nec aquam lachrymarum affundere, nec præsens periculum, nec ignem æternum effugere satagit. Quæ verò incommoda, & quanta pericula ex hac inerti socordiâ, hujusmodi anima incurrat, vel in pigritante sponsâ (quod & Religiosæ observent) describitur, quæ ne assurgat, aperiat, & Sponso occurrat, è lecto clamat: *Expoliavi me tunica* Cant. v. 3.

mea, quomodo induar illa? Sed carò illi stetit hæc cunctatio, & pigritia: nam quando in lectulo suo, velut in cardine, diu voluta, & morata surrexit, ut à aperiret dilecto suo, *ille declinaverat, atque transierat.* In quem locum rectè Theodoretus: *quantum detrimentum pigritia pariat, &* Theodoret. hic.

quantum laboris afferat ignavia, hinc perdiscamus: Dum enim (hærens in lecto pigritiæ) *excusat se sponsa, nec statim sponso vult januam aperire, cogitur paulo post, non solum ad januam usque progredi; sed civitatem percurrere, & plateas circumire, atque in custodes incidere: à quibus vulnera etiam accepit, & vix sponsum invenit exoptatum. Quod si statim vocanti paruisset, hæc omnia incommoda evitasset.* In eandem classem veniunt quinque, imo innumeræ virgines fatuæ, quæ dormitaverunt, & dormierunt, ac januam clausam invenerunt. Hæc si sponsæ Christi, pericula, & æternæ salutis exitia incurrant, quod pigritiæ lectulo nimis adhæserint, quid de iis sentiendum, qui nunquam solem occumbentem, aut lucem surgen-

surgentis auroræ conspexêre; sed in strato suo pigritantes, & lascivientes, omnia pietatis officia, ac Dei præcepta neglexere? qui quasi paralytici, in lecto pigritiæ jacentes, nec oculos in cælum levare, nec manum in pauperem extendere, nec pedes in templum efferre, nec opus aliquod Christiano dignum exercere conantur. Quæ nemo sanæ mentis mirabitur, si attenderit, receptam illam communi experientiâ parœmiam: *otium pulvinar diaboli*, in quo omnes nequitiæ foventur. Hoc lego virum omni exceptione majorem, Antonium Caracciolum è Trithemio tradidisse: *otiosus est mollissimũ pulvinar diaboli*. Proinde dixero ego dæmonem, in otiosè stertentis corde quiescere latentem, excubâre molliter, præsto esse, ut in centro telæ residet araneus in insidiis, quò facilius muscas prætervolitantes capiat, & devoret. Gravius quiddam protulerunt prisci Monachi apud Cassianum communi consensu: *Hac est*, inquit, *apud Ægyptum, ab antiquis Patribus sancita sententia, operantem Monachum, Dæmone uno pulsari; otiosum vero innumeris spiritibus devastari*. Vos ipsi testes esse potestis, dum studiis, operi manuum vacatis, & intenditis, diem citra ullam molestiam, & infestationem, aut tentationem transigi; at in lecto pigritiæ decumbentem, quasi agmine dæmonum facto, tentationes gulæ, invidiæ, iræ, vindictæ, zelotypiæ, luxuriæ, & vehementissimas titillationes carnis irruere. Quod si hanc dæmonum turbam, ubi expertectus fueris, lectum circumstantem, circumcursantem, insufflantem conspicere daretur, quam fulmine ocior, te è strato proriperes? usuvenit enim in lecto pigritiæ stertentibus, quod Seneca Epist. 10. adducit: *Tunc mala consilia agitant: tunc aut aliis, aut ipsis futura pericula struunt: Tunc cupiditates improbas ordinant: Tunc quidquid aut metu, aut pudore celabat, animus expromit: Tunc audaciam acuit, libidinem irritat, iracundiam instigat*.

Caracc. const. Cleric.

Cassian. lib. 10. c. 21.

Seneca, Epist. 10.

Alterum damnum torpor hic in lecto pigritiæ, quibusdam etiam sanctis animis infert, dum seosim subrepit tædium, ac nausea quædam rerum spiritualium; sapienter sapiens: *pigredo immittit soporem*, quo Psaltes Regius oppressus ait: *dormitavit anima mea præ tadio*; quæ verba exponens Cassianus, *propriè satis*, inquit, *non corpus dixit, sed animam dormitasse. Verè enim ab omni contemplatione virtutum, & intuitu spiritualium sensuum dormitat anima*, quæ huic lecto pigritiæ fuerit affixa, in quo ut corpus foveatur, incalescat, & in libidinem exardescat, & despumescat; anima, ut in periculosè febricitantibus fieri consuevit, intus tepet, friget, & alget, omni calore destituta; hujus ægritudinis quam desperatus sit exitus, peritissimus animarum medicus, Doctor mellifluus exponit: *hoc frigus, si semel animam incuriâ spiritus dormitantem pervaserit, & ad interiora ejus pervenerit, mox (ut in corpore solet evenire febritantibus) subit quidam animi rigor, & vigor lentescit, languor fingitur virium horror austeritatis intenditur, sopitur ratio, spiritus extinguitur, defervescit novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, revocat consuetudo*. Homo etenim hoc torpore oppressus, cùm spiritualia desipiant, in rebus creatis solatiola quærit, & mens interna consolatione destituta, absque ullo timore, se ad exteriora effundit. In cibo, in potu, in veste, in cellâ, in supellectili, superfluitatem amat, & non quæ necessitati, sed quæ voluptati serviant, inquirit. Ad vitam otiosam aspirat, & omnem religiosum laborem intolerabilem ducit: suæque ætati, aut suis laboribus debita esse seniorum privilegia, & omnem vacationem existimat. Quod si Prælatus aliquid faciendum injungat, conqueritur: Infirmitates, & corporis imbecillitatem imaginatur, quæ ipsum communibus laboribus eximant, & illum omni religioso ministerio, & omni cura, si illa honorem & splendorem adjunctum non habeat, vacuum ac liberum derelinquat. Disciplinam tandem religiosam intolerabilem, Prælatum imprudentem, & fratres sibi vitâ dissimiles, difficiles, morosos, hypocritas judicat. Hæc ubi enarravit quam horrenda consequantur, attendite: *Quid plura? Inquit, dissimulatur lex, abdicatur jus, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Datur postremò impudentia manus, præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominiâ, & confusione saltus, de excelso in abyssum: de pavimento in sterquilinium: de solio in cloacam: de cælo in cœnum: de claustro in sæculum: de Paradiso in infernum*. Hic exitus, hoc exitium, hoc præcipitium manet pigros, somnolentos & in lecto acediæ distentos. Misera sane horum sors, & ut Paulus loquitur, ii qui omnibus mundi divitiis, & carnis deliciis vale dixerunt, seque in claustro, arctiori disciplinæ addixerunt, *miserabiliores sunt omnibus hominibus*; quia nec hic abundant consolatione, nec postea; nec solum è miseriis ad miserias sempiternas devolvuntur; sed & inferni tormenta adhuc in carne viventes, hujusmodi circumferunt; ubi fervidis, ac spiritu Dei plenis, jugum Domini suave, replentur consolatione, superabundant gaudio. Experto credite: *nimirum advertere potes, in omnibus ferè religiosis Congregationibus, viros repletos consolatione, superabundantes gaudio: jucundos semper, & hilares, ferventes spiritu, die ac nocte meditantes in lege Dei, crebro suspicientes in cælum, & puras manus in oratione levantes, solicitos observatores conscientia, & devotos sectatores bonorum operum, quibus amabilis disciplina, dulce jejunium, vigilia breves, & labor manuum delectabilis, & universa denique conversationis hujus austeritas, refrigerium videatur*. A qua mentis lætitiâ, & vero gaudio, quam longè distent pigri, & tepidi, inerti tristitiâ, ac torpore obruti, mox subjungit: *Contra sanè invenire est homines pusillanimes & remissos, deficientes sub onere, virgâ, & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est: quorum brevis, & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio: quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione, quos denique* (ut videmus) *vix gehenna metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coercet*. Tum in has amarissimas voces erumpit: NON TIBI HORUM VITA, INFERNO PENITUS APPROPINQUARE VIDETUR? *dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum ad opera*

Prov. 19. v. 15.

psal. 118.

Cassian. lib. 10. c. 4

Ad Religiosos, & sanctimoniales ut exiliant è lecto desidiæ.

Bern. serm. 63. in cant.

1. Cor. 15.

Bern. serm. 6. de ass. Dom.

opera fortium, qui cibo fortium minimè sustentantur: Socii planè tribulationis, sed non consolationis. Quibus gravissimis incommodis, & periculis, ut te eximas, clamat, sapientissimus mortalium: *usquequò piger dormies? quando consurges de somno tuo?* Quando exilies è lecto pigritiæ tuæ? Intonat & tuba Evangelii Paulus: *Surge qui dormis*, & tolle lectum tuum, & ambula, ac curre viam mandatorum Dei.

Prov 6. v. 9.

2. Lectus concupiscentiæ. Bonav. dom. 18. post Trinit.

2. LECTUS CONCUPISCENTIÆ. Doctor Seraphicus describens varios improborum hominum lectulos: *alius, inquit, est* LECTUS CONCUPISCENTIÆ, *& hic contexitur funibus, hoc est triplici cogitationum, consensuum, & operationum.* Omnibus sensibus sua tribuuntur oblectamenta, ut sint fomenta, & incensiva luxuriæ; his immersos depingit duos Romanus Philosophus: *Aspice* NOMENTANUM *&* APICIUM, *terrarum ac maris (ut isti vocant) bona conquirentes. Vide hos eosdem* E LECTIS *suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes, mollibus, lenibusque fomentis totum lacessitur eorum corpus: Et ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse, in quo luxuriæ parentatur. Et hos in omnibus, ne gentilis quidem illos beatos ducit. Hos esse in voluptatibus dices: nec tamen illis bene erit, quia non bono gaudent.* Imo vero non benè, sed malè illis, & pessime erit.

Seneca. de vita beata. c. XI.

Audi comminantem Prophetam, exorc Seraphici Doctoris: *In hoc lecto luxuriæ, inquit, jacent homines per insaniam, & immanem lasciviam, in quos jacitur illud fulmen Prophetæ: væ qui dormitis* IN LECTIS EBURNEIS, *& lascivitis in stratu vestro*; multo fœdius, ac deterius in his volutamini, quam sus in volutabro luti, hoc insignis pietate fœmina *S. Ethelburga*, Regii sanguinis & animi docuit; quæ dum *suæ* Regis, viri sui antibus crebrò instillaret, ut vitæ licentiori, mundi ac carnis illecebris, vel extremis annis valefaceret, & ille de die in diem differret, astu tandem vincere parat, ut è cœno vitiorum, in quo velut sus in volutabro luti volutabatur, eum extraheret. Cùm enim in suburbano ingenti strepitu regales luxus explicuisset, & in stratis eburneis, ac damascenis lectis lascivisset, postera die sub discessum, mandat Regina villico, ut regium cubile fimo pecorum, ac omni qua potest fordium deformitate compleat: *atque* IN IPSO LECTO, *ubi cubuerant, porcam noviter enixam collocaret.* Dictum, factum. Interea, cum iam milliario processum esset, illa maritum uxoriis delinimentis aggreditur, rogans ut illuc, unde abierant, pedem referant; necessario sibi redeundum, magni discriminis rem fore, si non exaudiar. Re non difficulter impetratâ, Rex videns locum pridie Sardanapali deliciis parem, nunc omnia sordibus, ac fœtore plena, miratur, & indignatur. Tum illa occasionem aucupata, lætumque subridens: Et ubi sunt, ait, Domine conjux, hesterni strepitus? ubi aulæa Sidoniis succis ebria: ubi patafitorum discurrens petulantia: ubi Dædala vasa pondere metallorum mensas ipsas onerantia: ubi terra, marique exquisita ad gulæ lenocinium obsonia: Nonne omnia transierunt: Cogita, quæso quam miserabiliter defluent carnes, quæ modò in deliciis nutriuntur, & ac vita homine digna, quæ hic in libidinis sordibus, multo fœdius, quam porci in cœno luti; ducitur: Nunne qui hic ingurgitamur uberius, putrescimus miserius. Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instabit cruciatio. Nec plura locuta, maritum compulit in sententiam exemplo, & hoc fœdo porci spectaculo, quam multis annis frustra insusurraverat verbo ac mundo & carne valere jussis, in magna sanctitate, ac miraculis clarus, cum Æthelburga vitam instituit. Subiungit auctor: *Tanti Dux fœmina facti.* Hanc stropham, ut uxores maritis suis fœde lascivientibus, struere non audeant; optandum tamen, ut & viri, & Adolescentes, ac adolescentulæ, qui in eburneis, aut saltem mollibus stratis lasciviunt, vitam suam porcinam, imo multo fœdiorem, ac deteriorem, mentis oculis intueerentur, seque ipsi erubescerent, & exhorrescerent. Aliud quoque remedium ad manus est, ex ipso strato, in quo dormiunt. Volunt quidam à rabido cane morsos, lecto suffocari, ne noxium halitum aliis afflent. Consimili medio, & mitiori remedio juvandi, qui à tartareo cane, & trifauci Cerbero læsi, virulento tartareæ Veneris veneno complures inficiunt, si vivâ lecti mortualis recordatione, & fatalis strati meditatione suffocentur: omnis in iis libidinis furor, & rabies extinguetur, & qui aliis auram pestilentem, nunc salubriorem spiritum afflabunt. Hujus consideratione tradit Beatus Climacus, quod qui optimam vitæ partem stertendo, & lasciviendo in lectis eburneis malè perdunt, ilico omnem socordiam, omnemque lasciviam, animo excutient. *Cum, inquit,* IN LECTULO *decubas, sit tibi ipse jacentis habitus,* FIGURA *in* SEPULCHRO CLAUSI, *minusque dormies*, plus vigilabis, plus orabis, & non amplius lascivies. Hoc præsens ad restinguendum, ac sopiendum incendium à lectis remedium, quot homines molles, & libidinis flammis incensos, immaculatos & illæsos servat, si in iisdem corpus suum, aut scorti quod depereunt, aliquando exangue, ac deforme cadaver jacere debere expenderent. Experientiam quæritis? Nobilis Adolescens, ut est apud Baldesanum, cum voluptatibus corporis eò usque esset immersus, ut nullum peccandi finem, nullam resipiscendi spem faceret; hoc tandem à viro Ecclesiastico accepit suave, & prorsus salutare monitum: ut apposito ad caput ardente cereo, ad pedes crucifixi imagine, ubi in lectulum decubuisset, brachiis in crucis formam compositis, quartam dumtaxat horæ partem poneret in hac cogitatione: Aliquando diem ad fore, quo tali situ, dum animus ad domum æternitatis se receperit, in eodem strato mortuus jacebit. Admisit facile consilium Adolescens, & paruit; cum ecce tanta illum hominis moribundi, & fetalis thalami consternatio, ac pavor incessit, ut postridie bene mane ad Confessarium viserit, ac multis lachrymis, quam ante rejecerat, pœnitentiæ medicinam ultrò depoposcerit, atque ex hoc vitam impuram castigarit, castissimèque deinceps vivere instituerit; ut stratum libidinis, in gymnasium sanctarum cogitationum, omniumque virtutum illi versum fuerit.

Bonav. ut supra. Amos c. 6. v. 4.

Bolland. 6. Feb.

S. Ethelburga maritum insigni stratagemate è cœno libidinis avocat.

Virg. 1. Æneid.

Consideratio lecti mortualis à libidine revocat.

Clim. gra. du. 7.

Balde. ... l. 2. ... c. 19.

Quod

Quo[d] ut & vobis eveniat, quoties cœmiterium transitis, scitote juxta ethymon, hoc dormitorium Græcis nuncupati, & uti in dormitorio plures lectos videre est, ita & in cœmitorio, quorum tumuli, tor thalami: Sunt enim & thalami tetrei, & lecti pulveris, & atcolæ in hortis lectuli, *Beddekens* vocantor; quò Propheta allusisse videtur, dum dixit: *Ecce nunc in pulvere dormiam*; ubi illud observatione dignum occurrit:

Iob. 7. 21.

Angli, BED, LECTUM vocitant, Cambrique sepulchrum:

Nrvarco. theologi. pag. 318.

LECTUS *enim* TUMULI, *mortis imago sopor.*

Vivam mortualis lectuli repræsentationem, ad libidinis flammas sopiendas, exhibet Beatus " Ephrem: Magnom, inquit, & occultum est " mortis arcanum, & nullus enarrare illud po-" test. Horrenda, & formidabilia sunt, quæ " tunc anima subibit; sed nemo nostrûm ea no-" vit, nisi solum, qui illuc permearunt, nisi " soli qui ibi periculum eorum fecerunt. non " vides apud morientes, & (in fatali lectulo) " animam agentes, quam terribilia tunc eis ac-" cidere cernantur? Quomodo perturbentur, " & quo pacto suspitientionon aspicis eos sudo-" ribus frigidos, & amarulentos, imitar messo-" rum in agro, quomodo oculos huc illucque " retorqueant? quomodo alii dentibus strido-" ant: quomodo expavescant, tumultuarieque " agant? & quo pacto multi etiam capillos suos " evellant: quo pacto ex lecto exiliant, fugere " volentes, licet nequeant, &c. quam hic lectus mortualis, à ouptiali thalamo differt? quam omnis ignis ille concupiscentiæ qui arsit in venis, restinctus est? tum ad ipsos mortuales cineres, & ad sepulchra, in quibus velut lectulis dormierunt hos Veneris procos adducit, & sic mortuos loqueotes facit: *Hic qui vestros ante oculos in sepulchro cernitur pulvis: iste quem conspicitis cinis, hic fœtor: ista putrefacta ossa: immundi hi vermes, corpora illorum sunt adolescentulorum, & puellarum, quorum amore, ac desiderio flagrabatis olim: hic cinis, illa est caro quam complectabimini: Hæc tabes, & fluxio immunda, illa est caro, inter cujus amplexus sæpe peccabatis. Ideo scitote dum in lecto vestrarum conjugum, puellarumque jacetis, vos tunc fœtorem, & putredinem amplecti. Nolite seduci, ô juvenes, & juvenculæ insipientes, nolite decipi in vana juventutis vestræ pulchritudine; nam & nos qui vestros ante oculos putridi jacemus mortui, in vita olim sicut vos apparuimus, & ecce ut videtis, in cœnum, ac cinerem, fœtoremque gravem, universa illa omnia jam reciderunt. Si quis ergo post dicta audita depravatam fornicandi consuetudinem quam habebat, praeciderit, bonus hic revera auditor fuerit.* Et certò erit, si hosce cineres, flammis suis asperserit. Fecerunt id non pauci, quìa in sepulchris, *& in tenebris straverunt* LECTUM SUUM: referr enim Cassianus, puellam Alexandrinam duodecim annos in sepulchro latnisse, ut libidinem restingueret. Sic Guido Presbyter Nivellensis, dum mortuam adhuc arderet, noctu sepulchrum adiit, & inter vermes, ac putidas carnes, velut in nuptiali thalamo, se volutans, victor evasit; vetustimum illud Gregorii expertus: *Caro dum concupiscitur, pensetur quid sit exanimis, intelligetur*

S. Ephrem. serm. in eos qui in Christo obdormierunt

Iob. 17. 13. Cassian. de spirit. fornic. c. 23. Cantipra. tan l. 2. c. 3 n. 11. S. Greg. l. 13 mor.

quid ametur. Hoc si juvenes, ac juvenculæ nuptorientes penssitare, & vivâ imaginatione recogitare velint, ignis omnis concupiscentiæ, quo ardent in thalamum nuptialem, ilicò restinctus erit, & ad illibatum cœlestis sponsi lectulum floridum convolabunt. Alterum vivacius, & efficacius remedium ad lectum concupiscentiæ deferendum, erit, si lectus ferreos, & igneos, apud inferos sibi paratos, oculis mentis objecerint.

3. LECTUS ÆTERNÆ MISERIÆ. Bonav. cit.

3. Lectus æternæ miseriæ.

Monstrum illud hominis Og, Rex Basan, de genere giganteo, lectum habuit ferreum novem cubitorum in longitudine, & quatuor in latitudine, quod prodigii loco servatum, & ostentatum: sic enim de eo facet textus: *Og Rex Basan, de stirpe gigantum. Monstratur* LECTUS EIUS FERREUS, *novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis.* Io quem locum ad mores disertè excurrit Lyranus, & Abulcusis: *moraliter Og significat peccatorem*, turpitudini deditum. *Lectus* ejus, sunt allicientia ad peccatû, & delinentia in ipso, *sicut in* LECTO, *in quo jacet prostratus.* Habet autem novem cubitos longitudinis, & quatuor latitudinis. *Exemplum in peccatore carnis.* 1. cubitus longitudinis est in escis. 2. in poculis. 3. in spectaculis. 4. in cantilenis dissolutis. 5. in suavitate aromatum. 6. in *mollitie lectorum.* 7. in plausu sociorum. 9. *in turpi usu mulierum.* Latitudinis verò. 1. cubitus est delectatio. 2. est consensus. 3. operatio. 4. consuetudo. Et quando intervenit incorrigibilitas, & obstinatio, TUNC EST LECTUS FERREUS; in quo dum hic lasciviunt, ad lectos ferreos æternis flammis subtus accensis candentes detrudunrur, in quorum comparatione, omnes Martyrum, ac reorum equulei, catastæ; rosæ, molles culcitræ, & regia pulvinaria, habendæ sont. Horum ut vel umbram spectetis, attendite ad ea quæ subjicio. Supplicium olim de Christianis horribilissimum sumebant Persæ, quod *scaphismus* dicebatur. Nâ Christianus excarnificandus geminis scaphis, velut cistâ oblongâ, & arctâ includebatur, in qua velut in angustissimo strato supinus jacebat, capite solum, manibus, ac pedibus exstantibus. Pro cibo mel, & lac, vel invito infundebatur protrahendæ vitæ, & augendis cruciatibus immanissimis. Interdiu enim ardentissimo soli opponebatur inclusus, oculi vi deducebantur, caput insuper, manus, pedésq; melle ac lacte perungebantur; hinc culicum, ac muscarum ingentia examina partes illas, velut atro panno tegebant; porus autem ingestus vitam quidem servabat, quia verò perfluebat, fœdam in ipsa cista putredinē, & inde vermes generabat. Ita hominem in lectulo jacentem, foris crabrones & vespæ, intus lumbrici & vermes miserrimè laniabant. Hinc fiebat, ut cû mortui corpus aperiretur, fœdè à vermibus exesum inveniretur. Atque hoc inauditum tormentum ad quindecim, & septendecim, ad plures etiã dies producebatur, cum immanissimo Martyris in hoc lectulo recumbentis dolore. Hunc mihi lectû, ô peccator lascive, in deliciis enutrite, hoc martyrium cubile, heu miserabile, & cruciatibus plenissimum considera.

Deuter. 3. v. 11.

Liran. Abulen. hic.

Antonius Gallonius de Martyribus. c. 1.

dera. O quam suaves sunt dolores hi, ad illos inferorum! quam mollis hic lectulus, ad lectum illum ferreum, substratis æternis flammis candentem! Hunc feralem lectulum, & nulli hic mortalium ad horam tolerabilem ionuit oculatus ille apocalypticus Joannes: *Ecce ego mitto eam* IN LECTUM; quis autem ille, Hugo Card. exponit IN LECTUM INFERNI, *de quo Iob. 17. in tenebris stravi* LECTULUM MEUM. Quid est hoc, sepeliri cum epulone IN LECTO INFERNI? Quæ hic sepeliuntur cadavera, parum refert marmoreis tumbis, & aureis loculis includantur; sublimi è patibulo pendeant, an humi computrescant; sed vivos mortales ad inferos descendere, & igneis lectis tumulari, *ubi valdè, & diu,* quia in omnem æternitatem torquebuntur, hoc enim verò considerantibus, quod de fide est, omnem sensum libidinis extinguit, & molles veneris thalamos, in durum stratum pœnitentiæ facit commutare. *Hoc solatium* (hic calida febri, calculo, aut nephritidis doloribus divexaris) *vasti doloris est, quod necesse est, desinas illum sentire, si nimis senseris.* NEMO POTEST VALDE DOLERE, ET DIU. At in igneis inferorum lectulis jacentes, torquentur *valde, & diu;* Et quam diu? non mensem, non annum, non lustrum, non sæculum; sed in æternum; æquè vivo semper in omnibus membris & nervis, doloris sensu; quem nulla quies, nullus somnus, nullum solatium lenire, aut levare dabitur. Hæc vobis, si aliter non vultis, dum in plumis stertitis, per horæ quadrantem attentâ mente, meditanda, & ruminanda, sumite. Levis pœna, & levis pœnitentia videri posset, quam sacer Vates Ezechiel subiit, jussus trecentis sexaginta diebus cubare in latus sinistrum; quale tamen illud tormenti genus, etsi in molli ansere, edisseret historia quam subjungo: Lydubina Schiedamensis Virgo gloriosissima, patientiæ, omnisque sanctimoniæ speculum, triginta & octo annis, morbos pertulit sævissimos; non minor tamen patientia illius fuit, quam dolor. Adhuc ut viveret, ægrè persuaderi se passus est homo flagitiosus, quem nemo unquam eò potuit pertrahere, ut apud sacerdotem crimina accusaret; hoc demum ab eo quamvis ægerrimè impetratum, ut apud Lydubinam tumbæ proximâ conscientiæ suæ vulnera nonnihil aperiret, & iis medelam peteret. Ille, quod ejusmodi pecora solent, id jocum interpretatus, ad ægrotam virginem visit, atque ut promissis staret, scelerum suorum ingentem catalogum ridendo percensere orsus est. Illa per omnes cælites rogare hominem, sibi ea narrare omitteret, has tales conscientiæ labes sacerdoti aperiendas, ab aliis ea audiri nefas esse. At ille prout cœpit, narrationem pertexuit, & longam flagitiorum seriem explicavit; de his enim inter sodales gloriari non ei fuerat insuetum. Lydubina cum negare aures non posset historiæ tot sceleribus contextæ, demum quæsiit, an eum ejus venia hæc sacerdoti velut interpres, aperire possit? cui ille subridens: veniam do inquit, modò ego ipse harum virtutum meatum non cogor præco esse. Lydubina homini juvando prudenter hoc execnta, narratas sibi noxas, non aliter quam suas, ingenti dolore animi explicavit. Ille ad ægram revisens: puto te, inquit, mea pro me scelera sacerdoti exposuisse, quid jam pœnarũ injungis? Hoc unum ait illa, *ut nocte unâ, sed totâ in tuo* LECTULO *cubes supinus, nec in ullum te latus moveas.* Fac hoc & mihi committe cetera. At ille lætũ cachinnans: nil, inquit, amplius imperas? hæc tota moles meæ pœnitentiæ! aures tuas laudo, tam clementes mihi judices; si tam facilè est vitæ maculas eluere, faciam quod jubes. Sed vesperi vix in lecto se collocavit, cum nescio quid molestiæ sentire: grave erat in neutrum se latus vertere; itaq; putare se nunquam tam rigidum habuisse lectum: Et quia movere vetitum, supina hæc quies, visa est difficillima. Dum ita cubat, secum ipse cogitans: En ajebat, sanus sũ, & incolumis: Lectus mollissimus est, modo liberũ esset, meo me more, huc illuc versare. Sed quid hoc curas? dormi tu, dormi, dum clarum mane fenestras intret, dormi securè in utramque aurem, & in utrumque oculum; non potest. Alia super aliam, cogitatio subnascitur. Quid deest, ait, ipse sibi? nox unica sic dormienda est, & fidem tuã liberasti. Verum, quid si tres, quatuorve noctes sic dormiendum? mori malim, mori? Tantam certè molestiam huic rei subesse non credidissem. Prò me miserum! quã exigua, quam nulla in me patientia, quem tam leve vincit tædiolum. Lydubina in quantis doloribus, quàm patiens: Quid si in assere sit dormiendũ, idq; per plures hebdomadas? Quid si cholica, vel podagra, vel calculus, aut dolor capitis accedat, uratq., angatq;? Hæc ad inferos spectant. Et quo tu spectas? quo tua te ducent scelera, tot tantaque? sexcenties, aut millies capitalia es ausus, jam pridem meritus gehennam. Sed *qui lectus illic jacentium, quod stragulum, quæ lodicula?* An tantum eis libertas adempta in utrumque latus se vertendi, & ubi quibus illic incubant plumæ? An non loco plumarum, lectus prunarum ardentissimus? Et quot mensibus, quot annis in illis lectis igneis stertent? Æternùm (si fides prima Veritati,) ita prorsus, æternùm. Ergo hoc fine? revera sine omni fine. Ergo post centies, millies millena millia annorum, non tantum non finem hi cruciatus invenient, sed nec ullam spẽ finis? Quid ergo agimus, qui cum æternitate ludimus? Imo non ludere hoc est, sed in re seria insanire. Agedum, deinceps alius ero, aut nullus ero. Dixit, & fecit: Et ô quantũ mutatus ab illo? Ad sacram confessionem jam paratissimus, cui antea mors fuerat seipsum accusare. Sed & hoc ipsum nos perpendamus, verè, & in mollissimo lecto jacere; sed semper jacere, & æternùm jacere, supplicium foret inexplicabile. Quid erit in lectis illis ferreis, substratis carbonibus desolatoriis, flammis inextinguibilibus, ubi ut loquitur Bernardus, *ardebunt miseri igne æterno, in æternum;* ubi ut ait Cyprianus: *in proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines flammeas, miserabilia corpora cremabuntur.* Mi Deus, quàm molestus est nobis calor æstivus, ut etiam in molli strato nos vertimus, languemus, & anhelamus? tegetes excutimus, huc illuc impatientissimè nos volvimus? urit lectus, nec quidquam amabilis præbet frigoris, aut refrigerii. Sed quid hoc, ô Deus, ad candentes illos thalamos, ubi non solũ refrigetationis nihil est,

sed

Apoc. 2. *Hugo Car. hic.* *Seneca ep. 78.* *Seneca cit.* *Ezech. c. 4 v. 4.* *Surius 14 April.* Conversio mirabilis pec-[catoris] qui una nocte in lecto supinus jacere non potuit. *Bern. ... Cyp. ... de ...*

sed nec fore spetandum est. Non frigidulus vesper, non gelida nox, non rorans mane ardores illos temperat. Ægroto, qui in molli strato sterrens, nil somni possit capere, molestissimum est, nullum audire horologium, nec posse oculis periodos discernere, nec momentum somni capere. Hinc unicus ei quadrans, pro ... a, hora unica pro nocte est; & tamen ibi sex, septemve horulæ abierint, aviculæ cantilando salutant auroram, Sol paulatim emergit, æstus remittit, somnus plerumque adrepit, omnia fiunt mitiora: breve aderunt quæsituri, quî valeat, nec verbis tantum, sed & fomentis variis recreaturi ægrotum: *Magnos cruciatus habet morbus*, inquit Seneca; *sed hos intolerabiles intervalla faciunt.* Nihil horum, ô Deus, apud inferos est. Jacent illi, æternúmque jacebunt in stratis suis igneis, nihil diei, aut Solis, aurora nulla, nullæ aviculæ, nisi nocturni dæmones, fomenta nulla, nihil roris, aut somni, per dies, menses, annos (hoc expendite) ne millenis annis, oculum claudere poterunt, nec tota æternitate.

Seneca ep. 78.

Hæc ur altius in animum dimittantur, libet cum S. Augustino exclamare: *Quis nolit ad horam uri* LAURENTII *igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium?* Quis nolit ad pauculos labiles vitæ annos in cespite, aut duriâ cubare: vel saltêm lectum suum fornicationibus, adulteriis, stupris infamem tollere *ut æternum gehennæ non patiatur incendium?* Pergo idem argumentum urgere, & quam ferales inferorum lecti sint, quia non capitis, nec sapitis, ad sensum vivum oculis subjicere. Solymannus Turcarum Imperator, proditori, ut insulam Rhodum sibi traderet, filiam suam cum amplissima dote in matrimonium condixit. Insulâ potitus tyrannus, filiam regio cultu, gemmis & auro ornatam adduci; eique immensam dotem assignari jussit; cui dum proditor gaudio gestiens, ac se beatum dictitans, inhiaret, & ad nuptialem thalamum explendæ libidini anhelaret, Solymannus ad eum conversus: Vides, inquit, me promisisse stetisse, verum, cum tu sis Christianus; filia autem mea, sponsa tua, uxor futura, sit origine & professione Mahumetanâ, procul dubio, parum inter vos conveniet, neque mihi placet gener, nisi intra, & extra cutem Musulmannus, vel Mahometanus fias. Neque sufficit verbis, ut quidam vestium, Christum ejurare; sed in novum hominem mutandus es, & ... illa baptizata & circumcisa, deponenda ... His dictis, mandavit, ut suo geneto, in... proditori, cutis vivo detraheretur: De... IN LECTUM SALE CONSPERSUM, *pro nuptiali thalamo tam diu volutaretur, dum per atrocissima tormenta miseram animam exhalaret.* Exhorruisti? Et tamen *quis nolit ad horam* in hoc lecto salis vivus excoriatus jacere; *ut æternum gehennæ non patiatur incendium?* Umbratilis porrò hic Solymanni lectus est, ad illos inferorum tyranni, ubi, ut Divus Marcus: *Ignis non extinguitur: omnis enim igne salietur*, id est, juxta Maldonatum, aliosque interpretes, igneus hic sal, ut semper urat, incorruptos servabit damnatos, ut halcces igne medio, seu sale compactos. Quis ad has flammas, quantumvis ferteus sit, non colliquescat? Quis quamtumvis libidine ardeat, ad hæc inferorum incendia non totus horrore, & frigore obrigescat? Medicorum scitum est, ignem igni remedio esse: nam cum digitus, aut manus ustulata est, glscenti foco, aut vivis carbonibus admovetur, ut ignis ignem extrahat; sic incendia tormentis bellicis petuntur, ut lentiorem flammam, vehementior domet; & quoties in strato lascivientes, ignis libidinis inflammarit, ignis inferni eam domare non poterit? Lectos hos inferorum igneos, in lecto ex ignitis carbonibus nostris, insignis Athleta S. Dominicus, magni Patriarchæ filius, vir morum integritate celebris, ad exemplum proposuit. Hic Rege Castellæ connivente, per quosdam ad flagitium pellectus fuit, qui pellicem adornarunt, quæ cum salaciter, & alacriter instaret, ut ad sacrilegum thorum admitteretur, ei tempus, locum, & opportunitatem omnem condicit. Adest illâ nocte concubiâ, à monacho clam intromittitur; sed clam ipso, testes ex insidiis rei eventum operiebantur.

Aug. serm. 1. de S. Laurent.

...erlinck ... ... 678 tragicû ... ...

Lectus igneus S. Dominici, quo scorti libidinem extinxit. Cantiprat. l. 2 c. 3. n. 45.

Dum ecce ad cubile venit, in medio pavimento, ex succensis carbonibus, ad mensuram corporis sui, flammeum lectum exhibet: nec mora, super illum se nudum conjicit, sic eam compellans: *Veni, hic* LECTUS *dignus, ubi libidinem tuam expleas.* Accurrunt ex insidiis proceres, hominem attollunt, sed citra adustionem, & ni hic intercessisset, ipsam pellicem ignibus addixissent; sed suffecerat sibi, ignem ignibus extinxisse. Si ea vis sit igni nostro materiali, qui teste Augustino. pictus est, ad flammas inferorum, quis ad lectos igneos non refrigescat, & in amarissimas lachrymas colliquescat? *Quid metuet*, clamat Bernardus, *si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur?* Sed ut damnatos in lectis ferreis candentibus jacentes attentius oculis contemplemur, spectaculum hoc imaginationi effingendum est. Unusaliquis in profundissima subterranea cella, lecto ferreo, catenis ac cte adstrictus est; manus, collum, pedes annulo chalybeo, alligati. Infra lectum hunc prunæ, & ignis, sed nec aliud lecti operimentum. Solatium hic unicum est illud: cum miser iste primum alligaretur (ita ponimus) hoc illi denunciatum est, millesimo quoque anno venturum aliquem, qui è candentium carbonum strue, eâ quidem vice unicum sit ablaturus. Post mille tamen annos hunc ipsum rediturum, & alterum è carbonibus ab eo auferendum. Atque hâc ratione, singulis millenis annis aliam atque aliam è prunis tollendam, dum tandem omnis prunarum congeries auferatur. Cogitemus, ah! cogitemus quot annorum milliones, seu myriades sint transituræ, dum igneus hic lectus sic minutim ablatus cesset urere. Sed ô mitissimum hunc infernum, ô mellissimum lectulum, ad desperatissimam, & cruciatibus pleissimam æternitatem! Durante hâc, ejusmodi flammei lecti, decies, vicies, centies, sed & millies, dictâ ratione auferri poterunt, & necdum finis erit ullus cruciatuum iis, qui in illis ustulabuntur in æternum. Quare, ne post hac in molli lecto lascivias, subeant animum ignei, & ferrei infe-

Bern. de compunct. cordis c. 10.

Marc. 9.

inferorum lecti, atque illud quod saluti fuisse Bernardinus de Busto commemorat: etenim cum prostitutæ nequitiæ adolescentem, è Dominica familia Religiosus conveniret, admissus ad colloquium eâ lege est, ne de Religione, aut vita monastica mentionem faceret, statuisse se catnis vinculo obstrictum, in sæculo vivere. Hoc pacto Religiosus exceptus, unum pro aculeo abiturus injecit, ut decubiturus recordaretur, quo lecto, quibus stragulis, quo cubili apud inferos in æternum usurus esset. Atque hæc per noctem ruminans, ita hâc ferrei illius, substratis flammis, lectuli meditatione inhorruit, ut benè manè ad monasterium advolarit, omnem venerem animo excusserit, & castitatem professus sit. Idipsum & vobis inculcat Isaias Vates, dum quærit, & piè queritur: *Quis ex vobis habitare poterit cum igne devorante, & ardoribus sempiternis?* Quis ex vobis, Nobilissimi, Amplissimi Domini, qui hîc epulamini quotidiè splendidè, qui hic enutriti in deliciis, in lectis eburneis in multam lucem indormiscitis, quis ex vobis quiescere poterit in lecto ferreo candenti? Quis ex vobis, consultissimi, clarissimi Domini, jurisperiti, medici, qui hic vel levi podagræ, aut calculi doloribus divexati, quamtumvis plumeo in strato resupini, de lectuli duritie conquerentes, ne tenuem tegetem ferre, nec somnum capere potestis, quis ex vobis quiescere poterit in strato illo igneo? Quæ ex vobis, ô matronæ, ô filiæ tenellulæ, molliculæ, quæ hic adeò cilicia, flagella, jejunia, vel ignis scintillam reformidatis, *habitare poterit cum igne devorante, & ardoribus sempiternis?* Hæc nunc cogitate, Veneris thalamos vitate, ut igneos inferorum evadatis, & ad lectum floridum cælestis Sponsi, & thalamum Agni admitti valeatis.

Bernardin. de Busto. Valedict. in Adventu Jabatho 2. hebd.

Isaia 33.

* * *



FESTUM

FESTUM
ASSUMPTÆ VIRGINIS
MARIÆ.

Signum magnum apparuit in cælo. Apoc. 12.



Virginis os, habitúmque gerens. Virg. 1. Æneid.

ARGUMENTUM.

NOvum hâc festivissimâ luce, & insolens argumentum propono, *Signum magnum*; sed ut mo- Apoc. 12.
net Hieremias Vates: *A signis cæli nolite metuere*: non enim omnia mali augurii portentosa, Hier. 10.
& sinistri infortunii ominosa sunt; cum hodie nobis *Signum in bonum*, MULIER AMIC- Ps. 85.
TA SOLE, omnis felicitatis, ac beatitatis causa illuxerit, quæ omnium oculos, animosque, in-
credibili suæ pulchritudinis fulgore in sui contemplationem & admirationem rapit; *Luna* verò
quam *sub pedibus* habet, docet terrena omnia, quæ ut luna mutantur, à nobis calcanda. Terri-
fica, fateor, in tremendo illo extremo judicii die signa apparebunt, atque hæc inter & SIGNUM Matt. 24.
FILII HOMINIS; sed *his fieri incipientibus, nolite terreri; sed levate capita vestra*: nam & SIGNUM Apoc. 12.
MAGNUM, *mulier amicta Sole* apparebit, quæ clientes suos ab ardore illius diei proteget, &
ut patrona defendet: ad hoc etenim à nobis assumpta est ADVOCATA NOSTRA, *Judicis*
mater, & mater misericordiæ, ut apud Filium *efficaciter salutis nostræ negotia pertractet*. Denique Bern. ser.
non denos destituit, quin pretiosissimas non vestimentorum & capillorum dumtaxat, sed & cor- 1. de Assumpt.
poris sui ac sanguinis in Eucharistia Reliquias usque ad consummationem sæculi nobis relique- B. V.
rit; ut non tam plangendum quàm plaudendum de ejus absentia videatur.

§. I. *Mulier amicta Sole.* Apoc. 12. v. 1.

§. II. *Et luna sub pedibus ejus* Ibid.

§. III. SIGNUM IN EXCELSUM SUPRA, MARIA *in judicio apparebit, clientibus suis* Isa. 7.
Patrona, quando SIGNA MAGNA ERUNT. Luc. 21.

§. IV. *Maria assumpta in cælum pretiosissimas nobis* IN EUCHARISTIA RELIQUIAS *reliquit,* Psal. 75.
quæ DIEM FESTUM AGENT TIBI.

FESTUM ASSUMPTÆ VIRGINIS MARIÆ.

Signum magnum apparuit in cælo. Apoc. 12.

Signa cœlestia sæpe boni ominis prognostica. *Seneca lib. 7 natural qu. c. 1.*



On leviter hallucinantur mortales, qui omnia cæli signa, funesta, fatalia, ac feralis eventus prognostica augurantur. Si novus orbi Cometes in summo syderum theatro, tanquam è scena proludit, *omnis vultus in cælo est*; nec meticulosum dumtaxat vulgus, *pueri, innuptæque puellæ*, sed & viri toga, ac sago insignes, ipsique observatores siderum Astrologi, hanc repentinam in cælo facem, veluti prodigiosam, fatalémque suspiciunt, & perhorrescunt, Reges ac regna mutantem, ac multa, quæ sanguine potiùs humano, quàm terrestri quâdam exhalatione pascatur, sinistra minitantem. Ita, quem silentio præterire non possum Cornelius Tacitus, nomen illud, ac prope numen politicæ disciplinæ, censor, castigatórque morum, libro Annalium quartodecimo, populum auctorem facit ejus credulitatis, & famæ: *Cometes*, inquit, *visus est, de quo vulgi opinio fuit, tanquam mutationem Regis portendat.* Neque à Tacito Suetonius, ut prudentia, & auctoritate, sic ejus rei confirmatione discedit, in vita Neronis, crinitum affulsisse Romanis sidus; adjungit protinus: *Summis illud potestatibus exitium portendere vulgò putari.* Hæc, ut verè fatear, præpostera, & popularis opinio, non ab eruditis olim viris in pulvere mathematico radium agentibus, sed ab incitissimis aniculis in cinere domestico fusum versantibus, dimanasse videtur.

Tacitus. lib. 14. Annal.

Sueton. in vita Neronis.

Non rarò etenim, quæ Deus dedit *prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum*, fausti ominis nuntia, & futuræ felicitatis præsagia extitêre. Profectò magnis heroibus, & nascendi, & imperandi fortunam, sidus cæleste, *signum in bonum*, sæpe protendit.

Actor. 2. v. 19.

Psal. 85.

Alexander cui terrarum parvitas magni nomen invenit, non priùs hanc vitæ lucem aspexit, quam ei prætulerit facem Cometa, *signum in bonum*, qui eodem tempore Macedonum regno præfulsit, Regisque magni natalibus gratulatus est. Hoc est quod divinus Vates prænuntiavit, & præmonuit: *nolite timere* à SIGNIS.

Ierem. 10.

Mithridatem quis nescit, Armeniæ potentissimum Regem, qui non sui tantum ævi dynastas, ac Principes, sed superioris etiam ætatis o[illegible], imperii majestate, ac gloria superavit: *Hujus futuram amplitudinem*, inquit Justinus, *etiam* COELESTIA SIGNA PRÆDIXERANT: *nam & quo genitus est anno, & quo regnare primum cœpit, stella cometes per utrumque tempus septuaginta diebus ita luxit, ut cælum omne conflagrare videretur.* Quod SIGNUM IN BONUM, multis è popello, aliisque curiosis, ac minimè religiosis exploratoribus planè inauspicatum visum est.

Iustinus.

Quid ego hic plura commemorem? Non deest argumentum causæ, sed dies. Illud satis, abundeque videatur indicasse tantummodo ex Romana historia, cùm Julius Cæsar conjuratorum manu in senatu cecidisset, signum in cœlo fulgentissimum, ac felicissimum adfuisse. Vidit illud Augustus, sibique faustissimum salutavit: & quamquam in publicum sparsit, non facem illam esse, sed Cæsaris animam inter deorum Numina receptam; in sinu tamen suo, *atque interiore*, ut ait Plinius *gaudio, sibi cometam natum, seque in eo ad imperium nasci interpretatus est. Et si verum fatemur*, addit Plinius, SALUTARE SIDUS IN TERRIS FUIT.

Quàm porrò *signum* hoc *in bonum*, ejusque flammæ, velut ignis triumphalis splendor, felicitatem contulerit, Quintus Curtius historiæ Macedonum libro decimo edocebit: *Proinde*, inquit, *jure, meritoque populus Romanus salutem se Principi suo*, (Augusto) *debere profitetur, cui noctu, quam pene supremam habuimus*, NOVUM SIDUS ILLUXIT. *Hujus herculè, non Solis ortus, lucem caliganti reddidit mundo. Quot ille tum extinxit faces? Quot condidit gladios? Quantam tempestatem subitâ serenitate discussit?* Quamquam, si cætera deessent, ille mihi satis instar omnium foret splendor innoxiæ lucis, *Cæli lingua*, ut cum Augustino sapientissimæ sanctitatis viro loquar, *signum* illud *in bonum*, quod tres Orientis Reges ad cunabula Christi duxit, ac præluxit, quódque delicias generis humani, & auctorem vitæ, omnisque salutis, suo lumine veluti consignavit; qui & pastoribus in terra puer Deus, cælesti illo augurio declaratus est: HOC VOBIS SIGNUM: *Invenietis infantulum pannis involutum*, qui *positus* IN SIGNUM, *cui contradicetur*; sed non nisi ab imperitis, imo ab impiis.

Q. Curt. lib. 1

Luc. 12. & 34.

Verum enimverò hâc augustissimâ luce, sacrum Vatem audio mihi intonantem: *Pete tibi* SIGNUM *à Domino*, signum mirabile, signum amabile, quod impius Rex Achaz ut terribile, ac formidabile petere detrectavit. Divus Hieronymus hic: *Pete tibi* SIGNUM, *nequaquam ab idolis, quorum errore retineris, sed à Domino Deo tuo,*

Isa. 7

Hier.

qui

qui tibi auxilium pollicetur. Et ipsum SIGNUM *optionis tuæ est unde postules, sive de profundo, sive de excelso.* At malesanus Rex omnia tuta timens, dixit: *Non petam.* Ubi rectè subdit Doctor maximus: *Non humilitatis est, sed superbiæ, quod non vult* SIGNUM *à Domino postulare.* Non erat, quod inde sibi metueret, quod Dominus in salutem omnium postulandum mandabat, ut doctè & disertè Doctor Angelicus: *Dicendum, quòd Deus volebat* SIGNUM *dare Achaz non pro ipso solùm, sed pro totius populi instructione, & ideo reprehenditur, quasi impeditor communis boni, & salutis, quod* SIGNUM *petere nolebat. Nec petendo tentasset Deum* (ut Pharisæi dicentes: *Volumus à te* SIGNUM *videre*) *tum quia ex mandato Dei petiisset, tum quia* PERTINEBAT AD UTILITATEM COMMUNEM; cui infinitâ suâ bonitate & clementiâ consulere volens, *Dominus dedit ipse nobis* SIGNUM, quod teste Hieronymo, *novum & mirabile*, signum quod Isaias in ortu: *Virgo concipiet*, Joannes in occasu: Isaias in terris, Joannes in cælis vidit: *Signum magnum*, verè *signum in bonum*, quod non uni Regi, & regno, sed omni populo *utilitatem communem, & salutem* attulit. *Salutare sidus, quod caliganti mundo lucem reddidit*, quod faces iræ divinæ restinxit, fulgurantes vindictæ gladios vaginæ recondidit, tempestates serenavit. *Verè magnum, & magnæ rei fuit* HOC SIGNUM, inquit Rupertus.

Hieron. ibid. — *S. Thomas 2.2. quæst. 97. art. 2. ad 3.* — *Matt. 12.* — *Hieron. cit.* — *Apoc. 12.* — *Rupertus in Apocal. cap. 12.*

Ecquod illud? Sol in Virgine, *Mulier amicta Sole, signum magnum, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra.*

Compello te cum Hieronymo: *Vis ut scindatur terra, & grandi hiatu inferi pateant, aut ut aperiantur cæli?*

Hieron. in Isa. cap. 7. v. 11.

Hoc *signum magnum, mulier amicta Sole* præstitit, dum etiam ab inferis, ut videbimus, damnatos evocavit.

Signum verò *in excelsum supra*, Leonem inter & Libram *Virgo* apparuit, dum iram Leonis de tribu Juda temperavit.

Propositio.

Denique ubi Sol & Luna non dabunt lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & signum Crucis apparebit in nubibus aëris, & videbunt in quem pupugerunt, hoc signum magnum, benignum ac beneficum, *Mulier amicta Sole*, Solem Justitiæ exorabit. Quod probare aggredior.

§. I.

Mulier amicta Sole. Apocal. 1. ℣. 1.

AUspicor non meis, sed gravissimis ac disertissimis Cardinalis Damiani verbis, quibus ad hoc *signum magnum* contemplandum, mirandum, ac prædicandum, præacutam ingenii aciem, omnium Oratorum solertiam, & aureæ eloquentiæ flumina jure meritissimo deposcit; sic etenim ait: *Hîc totum decurrat ingenium, & aureus sermo totâ reluceat majestate. Voluntaria oris nostri beneplacita faciat sibi Genitrix Dei, domina mundi, cæli Regina. Ipsa sensum acuat, dirigat stylum, & linguam pauperis venustiori respergat eloquio. Illustret lucem hanc lumine clariori,* dum signum magnum, mulier amicta Sole, ipso Sole, & astris serenius cælo refulget. Unde subdit: *Sublimis illa dies, & splendidiore cælo refulgurans, in qua Virgo regalis ad thronum Dei Patris evehitur, & in ipsius Trinitatis sede reposita,* NATURAM ETIAM ANGELICAM SOLLICITAT AD VIDENDUM.

Petr. Damian ser. in Assumpt. B. Virg.

Ad hoc siquidem tam ingens miraculum, tam insolens spectaculum, tota se cælestium aula effudit: *Tota conglomeratur Angelorum frequentia,* UT VIDEAT REGINAM *sedentem à dextris Domini virtutum in vestitu deaurato, in corpore immaculato, circumdatam varietate, virtutum multiplicitate distinctam.* Omnia quæ olim sub Augusto, sub Nerone splendidissima dedit Roma spectacula, ad quæ supra decies centena hominum millia confluxerunt: omnia, non dicam septem, orbis miracula, intuitu hujus unius pompæ viluerunt: ea enim est pulchritudo, is splendor, ea gloria Virginis, ut non solùm omnem venustatem humanam, ac rerum sublunarium, florum, gemmarum, lapidum pretiosorum, Solis & lunæ, ac stellarum omnium; sed & Angelicam pulchritudinem infinito exsuperet intervallo; adeo ut si nullum in cælo aliud objectum foret beatitudinis, quàm hæc perfectissima divinitatis imago, omnes sancti Martyres, Confessores, Virgines, optimè suos sudores, labores, sanguinem collocatos ducerent, quò hoc tam amabili & mirabili spectaculo frui contingeret: *Hæc enim est pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum, pulchrorum omnium summum ornamentum;* In quam si vos hodie oculos, animósque attolleritis, Megeræ ac Medusæ videbuntur omnes, quantumvis venustissimæ formæ humanæ, quas insanè deperitis; quod fateamini necesse, si vel unicam Angelicæ intelligentiæ speciem conspicere vobis liceret, ad quam omnis fallax & vana pulchritudo sordesceret. At plus gloriæ singularis, *Mulier amicta Sole* in se continet; ac plus gaudii & voluptatis sola confulit, quàm ex omnium sanctorum ac cælestium spirituum contemplatione haurire queat: *Ipsa inter animas Sanctorum, & Angelorum choros supereminens, & evecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit; siquidem maternitas Dei naturalis superat collectivè filiationes omnes adoptivas hominum & Angelorum. Unde verba Apostoli ad Hebr. 2. in Virginem Deiparam rectâ cum proportione quadrant: tantò melior Angelis & hominibus effecta, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.* Tota illi festivo acroamate applaudit cælestis curia: *Multæ filiæ congregaverunt divitias; tu supergressa es universas;* quæ Doctor Seraphicus etiam ad secula Virginem secutura extendit: *Filia Agnes, filia Lucia, filia Cæcilia, filia Agatha, filia Catharina, & multæ aliæ filiæ, & multæ aliæ virgines sanctæ, & multæ animæ justæ congregaverunt divitias virtutum & gratiarum, divitias meritorum & præmiorum; sed* MARIA *universis divitiis supergressa est excellentissimè universas;* quod etiam ad supremas & Seraphicas illas mentes extendit cap. 10. *Supergressa est* MARIA *cunctas filias, supergressa est in natura, supergressa est in gratia, supergressa est in gloria universas filias, id est, universas animas, &* UNIVERSAS INTELLIGENTIAS ANGELICAS.

Ibid. — *Mulier amicta Sole miraculum pulchritudinis.* — *Pet. Dam. serm. 1. in Nativit.* — *Georg. Nicomed. in oblat. B. Virg.* — *Petr. Damian cit.* — *Prov. 31.* — *Bonav. in speculo cap. 8.*

Adeo

Adeò ut accidentalis gloriæ plus ex hac muliere amicta Sole resplendeat, quàm ex splendoribus omnium Sanctorum; qua super re mellifluum Bernardum audiamus, qui sermone lacteo de Assumpt. MARIÆ *præsentia totus illustratur orbis, adeò ut & ipsa cælestis patria* CLARIÙS *rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore*, actantò *clariùs*, ut nullâ humanâ, ne Angelicâ linguâ effari possit: nam ut inquit Asceticus ille Doctor Dionysius Carthusianus: *In regno cælorum, Virginis præsentia & aspectus*, INEFFABILITER *auget accidentale præmium Beatorum.*

S. Bern. serm. 1 de Assumpt. Virg.

Dion. Car. opusc. de vita solit. art. 29.

Idem confirmat divus Bonaventura opusculo de laudibus Virginis, dicens: *Gloriosum gloria* MARIÆ *privilegium est, quòd post Deum major nostra gloria, & majus nostrum gaudium ex Maria est. Gloriosum gloria Mariæ privilegium est quòd quidquid post Deum* (nullis omnibus Sanctis, *pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius in gloria est, hoc* MARIA, *hoc in* MARIA, *hoc per* MARIAM *est.*

Bonav.

Hinc factum, Cælites moram Virginis in terris quodammodo impatienter tolerasse, ejusque præsentiam impotenter exoptasse; de ipsa enim illud purpurati Vatis exponunt: *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.* Sed quid est, quòd cælestes spiritus tam ardenter quærunt & deprecantur Virginis faciem, cum jam visione Dei perfruantur, si credimus divo Ildephonso: *Hanc Angeli desiderabant, & cælum ipsum de ejus Assumptione querebatur*; ac si diceret, si in cælo locus esset querelis, Cælites utique de absentia hujus luminosæ Virginis quererentur, ac terrigenis inviderent, *signum* hoc magnum loco naturali, in ipso cælo Empyreo non refulgere; quod ubi apparuit, omnes cæli incolæ, quos Huslæus Vates *Astra matutina* appellat, non modò in amorem & admirationem rapti sunt, sed ad *mulierem* hanc *Sole amictam* quasi extincti sunt.

Psal. 44.

S. Ildeph. serm. 6. de Assumpt. Virg.

Scio hanc mysticam ac mirabilem mulierem, quam Apocalypticus ille Scriba depingit, nonnullos sacræ paginæ Doctores Ecclesiam interpretari, veriùs cum communi aliorum sententia Dei Genitricem expressit Virginis amatius Bernardus: *Putasne ipsa est* SOLE AMICTA MULIER? *Esto siquidem, ut de præsenti Ecclesia Prophetica visionis series ipsa demonstret; sed id planè non inconvenienter* MARIÆ *videtur attribuendum*; ipsa est, quæ totam cælestem aulam attonitam habet, ut rectè divus Epiphanius: *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum* IN STUPOREM *deduxisti. Stupendum est* MIRACULUM *in cælo*, MULIER AMICTA SOLE.

Bernard. serm. Sig. num mag num.

S. Epiphan. serm. de laud. Virg.

Signum magnum, quod splendidas illas super Solem nostrum, cælestium mentium intelligentias sua luce obfuscat, ut in comparatione ejus obtenebrescant, & sint, quasi non sint. Ita Cardinalis Damianus: *In illa inaccessibili luce perlucens* (Maria) *sic utrorumque spirituum hebetat dignitatem, ut sint, quasi non sint, & comparatione illius nec possint, nec debeant comparere.*

Pet. Dam. serm. de Assumpt. B. Virg.

Ipse Dei & Virginis filius, Mariatæ gloriæ irradiante fulgore, divinos oculos quodammodo perstrictos lucis immensitate fatetur, si divo Ambrosio credimus, qui illa Sponsi verba Cant. 6. *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt*, ita disserit: *Averte*, ait Sponsus, *oculos tuos à me, eò quòd plenitudinem dignitatis & splendorem veri luminis sustinere non possit*, quo nihil ad Marianam gloriam exaggerandam illustrius dici, aut fingi potest; ipse enim filius *splendor paternæ gloriæ*, *Sol justitiæ* cùm in Virgine, veluti in lucidissimo speculo refulgeret *stupendum miraculum*, & sibi, & Angelis, & hominibus spectaculum divinissimum, ac dignissimum exhibuit.

Ambros. Cant. 6.

Epip. cit.

Quod quâ ratione factum sit, Abbas Claravallensis exponit, dicens: *Mulier amicta Sole: planè amicta lumine tanquam vestimento*; Maria quidem filium vellere nostræ mortalitatis induit; at filius Matrem stolâ gloriæ: *Vestis eum* (ô Maria) *substantiâ carnis, & vestit ille te gloriâ suæ majestatis*; *vestis Solem nube*, ET SOLE IPSA VESTIRIS.

S. Bern. serm. signum magnum.

Date mihi hìc veniam, Auditores, ut dum hunc splendidum Virginis amictum libet contemplari & admirari, etiam non pigeat imitari, ut & vos mores virgineos in vobis exprimendo, splendidos oculos, splendidum os, splendidas manus & pedes referendo, ex omni parte *amicti lumine sicut vestimento*, in aula gloriæ cum illa splendescere valeatis.

Mores

Ad hoc ardenter vos hortatur Bonaventura: MARIAM *induite, quotquot diligitis eam: hæc luceat in moribus, splendeat in actionibus*; splendido Mariæ vestimento induunt, & velut Sole amiciuntur, qui illustres sanctissimæ Virginis virtutes æmulantur. *Quis non gaudeat*, inquit Richardus Victorinus, *se vestiri posse de vestitu vellere* (aureo) *B. Virginis* MARIÆ?

Bonav. in psalt.

Richard. Victorin. in psal. 7.

Hoc luminis vestimentum, quo mulier amicta est, nullo eget artifice, labore, aut sumptu; sed naturali Sol fulget decore & splendore, uti & astra cætera; quod Ennodius expressit:

Nil juvat externo componere membra nitore,
Lux naturalis sidera nobilitat.

Ennodius dist. 14.

Ornatus corporis, & luxus vestium, excrementa vermium, & opera hominum, non leve deformis animi argumentum sunt, ut verissimè Bernardus: *Forma hæc vestium, deformitatis mentium indicium est.* Solent hoc vitio mulieres laborare, nec leviter peccare. Hinc Chrysostomus hom. 13. in epist. ad Ephesios: *Est genus mulierum, nescio quomodo, sui ornandi studiosum: & hoc est ejus delictum*, ut fusiùs festo sancti Martini deducemus.

Bernard. lib. 3. de consider.

Chrysost. hom. 13 in epist. ad Ephes.

Quid, quòd mulier hæc *amicta Sole*, eodem semper stabili, & immutabili vestimento resplendeat: *In Sole nimirum*, inquit Bernardus, *& fervor, & splendor* STABILIS; *in luna solus splendor, atque is omnino* MUTABILIS ET INCERTUS, *qui numquam in eodem statu permanet.* An non modernæ puellæ mutabiles, instabiles, Lunæ similes, quæ cùm à Latonâ matre sibi vestem aptari petiisset, nullus sartor repertus est, qui congruentem faceret, quòd indies, & in horas mutaretur. Qui apologus scitè inconstantiam puellarum expressit, quibus semper nova forma, novi modi,

Bern. ser. Signum magnum.

Plutarch. in convivio 7 sapient.

nova

modi, nova norma placet, nec unquam in eodem statu permanent.

Nos animo candidam & calidam Mariani moris & amoris vestem induamus, quæ nulla unquam labe sordescat, aut à fervore tepescat: *Candidissimus sanè, & calidissimus hujus mulieris amictus est, cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea, non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum; sed nunc tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum liceat suspicari.* Bern. cit.

O si animam intueri liceret consimili vestimento amictam! Omniū in se oculos, animósque ingenti stupore converteret: & quidquid venustatis, ac pulchritudinis in formis humanis reperitur, sordesceret. *Quid namque cœtum, quæ in facie lucent, si interua cujusquam sancta anima pulchritudini comparetur, ne vile ac fœdum recto appareat æstimatori? Quid, inquam, tale in se ostendit ea, quæ præterit figura hujus mundi, quod æquare speciem animæ possit illius, quæ exuta terreni hominis vetustatem, ejus qui de cælo est, DECOREM INDUIT, ORNATA OPTIMIS MORIBUS PRO MONILIBUS, ipso purior, sicne & excelsior æthere, SOLE SPLENDIDIOR?* S. Bern. serm. 27 in Cant.

Nunc, unde paululum digressi sumus, revertamur, & propositum prosequamur, ad quod conferent proprietates hujus mulieris Soleamictæ, quas idem Doctor quasi in meridie illustrantis, & calefacientis, adducit: *Omnibus, inquit, misericordiæ sinum aperit, ne de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam: denique tota Trinitas gloriam: Filii persona, carnis humanæ substantiam; UT NON SIT, QUI SE ABSCONDAT A CALORE ejus:* quæ etiam clementiæ, ac misericordiæ suæ radios ad ipsum profundissimum inferni barathrum, quò Sol non penetrat, diffundit. *Nimirum ipsa est, quæ velut ALTERUM SOLEM INDUIT SIBI. Quemadmodum enim ille SOL SUPER BONOS ET MALOS INDIFFERENTER ORITUR, sic ipsa quoque præterita non discutit merita; sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu.* Bern. serm. inter signū magnum. Ibid.

Quisquis es peccator, pete tibi signum à Domino, in profundum inferni: Ecce SIGNUM MAGNUM, MULIER AMICTA SOLE, *omnibus sese exorabilem præbet*: Mariæ etenim imperium se in superos, mortales & ipsos inferos extendit: *Ei*, inquit S. Bonaventura, *competit tanta imperatrix, quæ revera Domina est cælestium, terrestrium, & infernorum*. Apoc. 12. Bonav. in Speculo, lect. 8.

Hæc potestas & imperium in inferna loca declarari potest primò; quia innumeri æternis addicerentur inferni suppliciis, nisi Virginis Matris patrocinio, divino lumine illustrati resipuissent, & æternæ mortis faucibus erepti fuissent. Signum in profundum inferni: Maria ipsa servat ab infernis.

Hujus sententiæ testis & arbiter, divinissimus Ecclesiastes Bernardinus, qui sic Virginem loquentem inducit: *Penetrabo inferiores partes terræ, scilicet quæ sunt frigide, & obscura, & adspiciam, scilicet oculo misericordiæ omnes dormientes, id est, cæcos, & negligentes, & illuminabo omnes sperantes in* Bernar. tom. 3 art. cap. 3.

Domino, id est, illuminatione mea faciam, quòd agnoscant Deum, & sperent in eo; quasi homines scelestibus obrutos, ac gehennæ addictos, sub patrocinio, dispulsis scelerum tenebris, suâ illuminatione, ac luce benevolâ erigat in spem salutis. Huic consentit, idemque confirmat sanctus Germanus in encomio de Virginis zonâ: *Tu cum habeas maternam apud filium tuum fiduciam, & potentiam, nos QUI SUMUS CONDEMNATI, & non audemus intueri cæli altitudinem, tuis interpellationibus, & intercessionibus, Deo nos effices familiares, DAS SALUTEM, ET AB ÆTERNO LIBERAS SUPPLICIO;* hinc curiosa illa observatio Galatini, aliorumque, die lunæ, quo conditus est infernus, Mariam Virginem fuisse conceptam, quæ in eum proruentes sisteret, & ab æterno liberaret supplicio; quo in genere innumera extant Mariani præsidii, ac patrocinii exempla. Unum instat omnium est, quod gravissimis auctoribus Metaphraste, D. Antonino, B. Petro Damiano, meridianâ luce clarius habetur; hunc audiamus: *Quid tibi negabitur, Maria, cui negatum non est, THEOPHILUM de ipsis perditionis faucibus revocare;* S. German. Galatin. lib. 3. de arcan. Cath. verit. c. 13. S. Antonin. part. 2. tit. 12. c. 6 § 1. Petr. Damian. ser. 1 de nativ. Virg.

Hic animam, signatâ sanguinis suo syngraphâ, dæmoni devoverat, Deum, Deiparam, divosque omnes ejurarat, jamque portis inferni appropinquabat, dum per te, o Maria, *de ipsis perditionis faucibus revocatur.*

Lucæ 7. efferebatur olim defunctus in civitate Naim, filius unicus matris suæ, ac Christo appropinquante nemo quisquam quasi in te desperata, pro mortuo precabatur: sola mater, si non in preces, saltem in lacrymas solvebatur, & quod loquendo verbis dolore interclusis petere nequibat, tacitis gemitibus, & fletibus postulabat. Cum illicò jussu Domini: *Hi qui portabant, steterunt*, mortuum inclamans reducit ad vitam, *& dedit illum matri suæ*. Mortuus non unus adolescens, non corpore, sed animo, à dæmonibus effertur; Sed tua misericordia, ô Dei-para, cujus hæc vidua typum gessit, talis fuit ut tartareos portitores stiterit & defunctum vitæ gratiæ, ac æternæ gloriæ reddiderit. Unde purpuratus Pater verissimè exclamat: *Nihil tibi impossibile, cui possibile est, desperatos in spem salutis revocare.* Luca 7. Mendoça tom. lib. 3 § 14 annot. 17. Petr. Damian. ser. 1. de nativ. B. Virg.

Quis ergo desperet peccator, quantumvis gravissimorum & multiplicium per omnem vitam flagitiorum saginâ gravatus; quamtumvis sacrilegis confessionibus, diabolicis præstigiis, necromanticis artibus, divinæ majestatis læsæ reus, non habet quod desperet: Quia *nihil impossibile* MARIÆ, *cui possibile est desperatos in spem salutis revocare.*

Magna valuit olim apud Salomonem Bethsabee mater apud filium gratiâ, cui nihil impetratu difficile videbatur, vix enim illa hæc pauca effata: *Petitionem unam parvulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam;* cui confestim filius matri obsequentissimus: *Pete, inquit, Mater mea: neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Quis hic ambigat, quin verbo Regis fisa, etiam in te maximè desperatâ, mater voti compos futura sit? Pergit igitur Bethsabee, & pro Adonia, Regis fratre, deprecatur. Ad quam Salomon: *Vivit Dominus, qui firmavit me, & collocavit* 3. Reg. 2 v. 20. Ibid. n. 24.

cavit me super solium David patris mei, & qui fecit mihi domum, sicut locutus est: quia hodie occidetur Adonias. Quis non meretur tantam, tam subitam Regis etiam fide datâ inconstantiam? Ut non modo matri se præbeat inexorabilem; verum etiam pro beneficio quod postulat, supplicium, idque de facto inferat, Adoniâ tollendo. Causam hanc Mendosa cum aliis adfert: quia non erant tam efficacia apud Regem matris merita, quam fratris demerita, & enormia flagitia. Unde hæc facilius Regem ad vindictam, quam illa ad misericordiam impellebant.

Mendosa lib. 1. Reg. c. 14. annot. 17.

Sed tua, ô beatissima Virgo, gratia, & auctoritas apud filium tanta est, ut non solû pro illius fratribus, verum etiam pro infestis illius hostibus intercedas, & quidquid postules, non modò impetres, sed velut imperes: quia ut loquitur Anselmus: *Te Deus, ô Virgo, sic exaltavit, ut omnia tibi secum possibilia esse donarit.*

Anselm. de laud. virg. cap. 12.

Sensit olim improbus Aman paratum sibi à Rege Assuero malum, ut de salute sua conclamatum. Ut igitur à suo capite exitium propulsaret. *Surrexit ut rogaret Esther Reginam pro anima sua*; adeoque efficaciter rogavit, ut dicatur ante lectulum Reginæ, sive adorabundus, sive tremebundus corruisse. Sed quid ei profuit supplicatio? Certè nihil: nam statim ab ipsis Reginæ pedibus, quibus advolutus jacebat, abreptus, in patibulo suspensus est. Scilicet non ea erat Reginæ Esther alioquin sanctissimæ, pietas & humanitas, ut suo vellet adversario, etiam in preces & lacrymas effuso patrocinari. At verò tua misericordia, ô vera misericordiæ mater, ab omnibus etiam infestissimis hostibus, morte æterna damnatis, se exorari sinit. Sceleratissimus quisque precator, peccator accedat, & exorator recedat: *Sicut enim, ô beatissima Virgo, omnis à te aversus, & despectus, necesse est ut intereat: ita omnis à te conversus, & à te respectus impossibile est ut pereat*, sit potator, sit scortator; *Impossibile est ut pereat.* Sit adulter, sit perjurus, sit blasphemus; *impossibile est ut pereat*: si quis subitò paroxismo, apoplexia, peste, phrenesi correptus, mente, confessario, & omni humano auxilio destitutus, imò inexpiatus sine Sacramentis è vivis excesserit; Mariam verò amaverit, coluerit, aliquod ei indies pietatis pensum aut honoris obsequium persolverit, *impossibile est ut pereat.* Audax, sed verax dictum, si Richardo de S. Laurentio fides sit qui ait: *Quâ justitiâ, vel quo jure ipsa salvet damnabiles, & SINE POENITENTIA DEFUNCTOS, quis sufficiat enarrare? Constat autem quod ita facit*; exorando nempe judicem ne extremam in eos damnationis sententiam fulminet, sed in priorem vitæ statum in quo agant, pœnitentiam, intercessione suâ reducat.

Esth. 7. 7.

Anselm. de laudib. Virg.

Richard. à S. Laurentio lib. 4 de laudib. Virg.

An Deipara mala morte defunctos, ab inferno liberarit?

Constat autem quod ita facit, magnis Auctoribus ex quibus hoc referam, non ad præfidentiam ab eo sumendam, sed fiduciam in Virginem Matrem habendam.

Vincent. lib. 7. cap. 117.

Matrona quædam religiosæ valdè conversationis, licet maritali vinculo teneretur, jejuniis tamen, orationibus, eleëmosynis, cæterisque pietatis exercitiis insistens, vitam regularem in habitu sæculari, quodammodo ducere videbatur. At crimen aliquod occultum in adolescentia commissum præ nimio pudore, mulierculis nimis familiari, nemini confiteri ausa, ita specioso titulo confessionem claudebat: *De omnibus peccatis meis, quæ modo protuli, & quæ non protuli, culpabilem me fateor coram Deo, & vobis.* Quæ verba cum in singulis confessionibus iteraret, trahebat ex imo cordis longa suspiria, ac tota in lacrymas solvebatur; quod cùm per annos plures continuasset, accidit ut in sacerdotem tractandarum animarum peritum incideret, qui aliquid maligni in corde latere suspicatus, multis argumentis, & motivis id ab ea elicere conatus est; sed frustra. Non multò post, lethali morbo correpta, & minimè confessa, infelicem animam exhalavit; corpus verò inhumatum jacuit, donec filia è remoto vico ad exequias evocata adesset; quæ cum festina accurrisset & ad conspectum cadaveris domum lamentis, & ejulatibus compleret; ecce tibi mortua revixit, & filiæploranti dixit: noli timere filia, quoniam misericordia Domini, quod non sum consumpta, ac mox Sacerdote accito, turbâ domesticorum tumultuante emissâ, occultum virus per confessionem evomuit. Tum famâ tanti prodigii in vulgus sparsâ, confluentibus undique ad reducem ex altero orbe populis, totam rei seriem exposuit. Ego, inquit, misera peccatrix, ne speciem sanctitatis, qua apud homines valebam, amitterem, fœdum scelus quod clam admiseram, nunquam aperire ulli mortalium ausa fui; sed hoc domestico carnifice agitata, indies ante aram matris misericordiæ admissum scelus lacrymis & gemitibus acerbè plorabam, ejusque gratiam implorabam. Postquam autem hoc in statu è vivis excessi, tartarei spiritus infelicem animam, ad inferna raptabant, & sui prædam jactabant. Has inter extremas desperationis angustias subiit, quam toties profusis lacrymis rogaram, Virginis Matris opem implorare. Nec mora, in regione umbræ mortis, signum magnum, mulier amicta sole apparuit, ad cujus conspectum, cacodæmonum turba conterrita aufugit, prædamque ex unguibus dimisit; sicque luci restituta, tempus pœnitendi, & animam expiandi per te, ô Maria, cui nihil impossibile, mihi concessum est. Atque his dictis, rursus satis concedens, ex faucibus orci erepta, æternam salutem consecuta est.

Bensonius in magnificat exposit. Psalmi 86. p. 112. Spinellus de B. Virg. c. 36 p. 555

Plures patrocinio B. Virginis post mortem, ne æterno addicerentur supplicio, in priorem vitæ statum, in quo pœnitentiam agerent, revocatos, innumeræ testantur historiæ; quibus ut fidem adstruam, argumento est, hoc aliorum Sanctorum precibus concessum: quis enim dicar ex tanta multitudine non solùm fidelium, sed etiam infidelium, qui Sanctorû intercessione ad vitam redierunt, omnes in gratia obiisse? Præsertim cû ex Patrû historiis oppositû omnino colligatur. Nam D. Ambrosius, & D. Maximus narrant S. Agnetem excitasse à mortuis juvenem idololatram, quê diabolus occiderat, cû actuali peccandi desiderio æstuaret. Sic in vita S. Catharinæ Senensis legimus, ejus precibus animam matris ejus in peccato mortali mortuâ, fuisse revocatam ad vitam, & ab inferno liberatam.

S. Ambr. serm. 90. D. Max. serm. 2. In vita lib. 3. c. 10. Lancicius tom. 1. opusc. 2. c. 2 n. 48.

tam. Et D. Greg. lib. 1. dialog. cap. 12. scribit à S. Severo excitatum virum pessimum, qui à dæmonibus ad inferuum deducebatur. deinde Enodius lib. 1. de miraculis S. Stephani, narrat puerum ante baptismum mortuum, ad reliquias sancti Stephani revixisse. Hinc rectè cum Bernardo concludo: *Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, non est fas suspicari tantæ virgini fuisse negatum.*

Bern. epist. 174.

Hæc ea cautelâ populo exponenda sunt, ne præsumptione pessimâ de misericordia Dei Matris post mortem confidant, sed si quæ etiam maximè pudenda in vivis flagitia admiserint, quibus se æternæ mortis reos cernunt, non desperent.

Huic fiduciam præbebit alterum à fortiori argumentum, an ea sit potestas Virginis, ut animam de facto in inferno conclusam, suspensa tamen decretoriâ æternæ damnationis ex Dei providentia, sententiâ, aliquando liberarit.

De fide est, lege ordinariâ, judicis Dei sententiam irrevocabilem, ignem æternum; quod Julius II. Pontifex Max. in argumento non satis serio comprobavit. Jusserat ille Michaëlem Angelum celeberrimum Urbis, & orbis pictorem, pingere pro Vaticano tabulam extremi judicii. Quidam Cardinalis curiosior, sæpius ad hoc rarum & præclarum opus videndum excurrit: cumque re infecta varios spectatores, & censores adduceret, pictor indignabundus illum in inferno inter damnatos ad vivum depinxit. Ubi tabula exposita, Cardinalis de injuria apud Pontificem questus, hoc responsi accepit: si in purgatorio pinxisset, inde te liberare possem; sed in inferno nulla est redemptio.

Mendosa viridariū lib. 2. probl. 5.

Drexelius tom. 1. pag. 531.

Non tamen de fide, numquam in ea lege dispensatum: uti de fide, lege ordinaria omnes mori, & peccare, ac cum originali concipi, non tamen de fide, has leges omnia privilegia, ac dispensationes excludere.

Ausim itaque cum Isaia iterum inclamare: *Pete tibi* SIGNUM *in profundum inferni,* ubi Lyranus, & Abulensis exponunt: pete Achaz ut quicumque mortuus sive ex inferno, sive ex purgatorio tam parvulorum quam damnatorum suscitetur, & protinus resurget. Itaque si petiisset ut excitaretur Cain, aut Saul, aut Pharao, quos omnes constat tunc fuisse in inferno, planè inde sceleratissimi Regis intercessione extracti fuissent. Quis ergo dubitet de intercessione Virginis? Quam D. Ephrem Syrus sic meritò compellat: *O sacratissima desperantium spes, & damnatorum patrocinatrix!* quæ Mendosa fusius prosequitur, mihi sat est, ex his inferre & concludere, si *nihil tibi, ô Maria, impossibile, tui possibile est desperatos, & damnatos in spem salutis revocare,* quanta cum fiducia peccator ad misericordiæ ejus sinum confugere: quanto eam quisque nostrum amore, honore, & cultu prosequi debeat, ut salutem suam certam faciat: nam ut piissimè, & verissimè Richardus de S. Laurentio: *Subtracto nobis adjutorio* MARIÆ, *statim labimur in peccatum, indeque in infernum;* hujus verò auxilio, patrocinio & præsidio muniti, prædestinationis suæ signum certissimum, *signum habentis bonum;* nam ut ait Abbas Igniacensis: *Non est majoris felicitatis & gloriæ habitare in sinu Abrahæ, quam in sinu Mariæ: quia nempe cum per amorem & honorem es in sinu Mariæ,* TAM CERTUS ES DE CÆLO, QUAM SI ESSES IN CÆLO.

Isa. 7.

Mendosa cit.

S. Ephrem in lament. Virg.

Damian. serm. 1. de nativit. Virg.

Richard à S. Laur. l. 2. de laud. Virg.

Guerric serm. 1. de Assumpt. B. Virg.

§. II.

Et luna sub pedibus ejus. Apoc. 12.

Mulieres passim lunulis delectari, eas inter mundum muliebrem in deliciis habere, lunam toto corpore, ejus nempe varietatem circumferre, ac passim lunam in capite gestare, satis vulgare, & pervetustum est; verum scilicet ac vivum omnis inconstantiæ simulacrum: nam *varium ac mutabile semper fœmina;* ut supra attigimus.

Mulieres lunam in capite gestant.

At signum novum, *signum magnum: mulier amicta Sole, &* LUNA SUB PEDIBUS EJUS. Quo viso cælestis Aquila Joannes irretortis oculis mulierem contemplatus, per lunam, omnia terrena, fluxa, & caduca, pedibus ejus subjecta dilucidè designavit. *Mulier amicta sole,* omnia sublunaria, orbis miracula, Marcelli theatra, Augusti spectacula, Neronis aurea palatia Regum omnium splendidissima Mausolæa in cineres redacta: & quæ etiamnum incolunt potentes hujus sæculi, superba ædificia, brevi peritura, virgo in cælum Assumpta ut vilissima mapalia, & nidos hirundinum ex alto despiciens, hoc apocalyptico mysterio declaravit.

Luna sub pedibus designat terrena omnia calcanda.

Sic Hugo Cardinalis illa verba, *luna sub pedibus ejus,* exponit: *Per lunam intelliguntur temporalia, quæ crescunt: & decrescunt, nihil habentia stabile.* Unde quidam argutè inferunt omnia hujus mundi gaudia, plausus, honores, esse festa Neomeniæ, sive novi lunii, celeriter videlicet crescentis; paulò verò post diminuentis Lunæ. Cornelius à Lapide cum è Belgio in urbem profectus, Romam Orbis Dominam accuratè contemplatus esset: Miratus sum, inquit, Romæ me nullum vestigium palatii " Cæsaris, Augusti, Tiberii nullam domum, " monumentum Scipionum conspicere; imò " nullum ex hisce, aliisque gentilium familiis, " vel nominis tenus superesse: periit omnis me- " moria eorum. Quo omnia, ut instar lunæ creverunt, sic decreverunt, & in nihilum reciderunt. Rectè itaque Maria lunam sub pedibus habet, in contemptum vanitatis, & instabilitatis humanæ. Richardus à sancto Laurentio: *Maria paupertatis fuit amatrix, & in lege, ubi temporalia promittebantur dicitur de ea Apoc. 12. quod* HABEBAT LUNAM SUB PEDIBUS, *id est,* OMNEM GLORIAM MUNDI.

Hugo Car. in apoc. cap. 12.

Bonart. in Eccl. c. 27. v. 12.

Cornel. à Lapide in cap. 24. Isaiæ.

Richard à S. Laur. lib. 4. de laudib. Virg.

Olim apud Romanos nobilium filii lunulas in calceis gestabant in signum nobilitatis. Cælius Rhodiginus lib. 20. lectionum Antiq. cap. 20. rationem reddit: *Ut taciti velut ambagibus commonerent, non insolescendum, nec prosperiore successu efferendos animos, inconstantiæ rerum semper memores, quâ humana conflictantur, cui argumentum præbet* LUNA.

Plutarch.

Vulgi voces sunt, ista structura æterna est, hoc monumentum immortale; sed Eheu! ubi nunc saxea illa æternitas? Audi hic Justum Lipsium ad Albertum Archiducem inclamantem: *Heu res mortalium vel maximorum parva! Heu validissimorum* INSTABILES! Quam vanæ illæ voces: jam res meas, jam familiam, jam fortunam meam stabilivi? Cùm fortuna, ut luna mutetur.

Lipsius de magnitud. Rom. in dedicat.

Quod si vos filii Mariæ, Matri cælum ascendenti subsequi velitis, super omnia terrena efferri, & lunam sub pedibus habere debetis, quo unico studio eam proximè imitari, & honorare potestis; sic enim Encomiastes ejus egregius, in illud Psaltis Regii: *Fac mecum signum in bonum*, his verbis disseriit: *Mysticè: si dignè volueris Matrem, & filium honorare, terram habeas sub pedibus, temporalia bona, & terrena desideria suppeditando, & carnales affectus vilipendendo, & conculcando; ut sis sicut mulier illa*, quæ *describitur* LUNAM *habens sub pedibus: aliter enim non poteris vestiri Sole* (gratiæ) *in præsenti, nec habere* (in futuro) *coronam stellarum duodecim. Sursum ergo erigaris cælestia appetendo.*

Psal. 85. Richard. à S. Laurent. de laudib. Virg. lib. 2 part. 4. in fine.

En quæ, & quanta dignitas, ac sublimitas animæ sit, humana omnia, lunæ instar, maximè varia, & instabilia, generoso pede calcantis, ut veste gratiæ, ac gloriæ amiciri, & coronâ stellarum duodecim rediniri mereatur.

Verùm enimverò miratur & indignatur Tuitiensis Abbas inconsiderantiam, aut potiùs insaniam quorumdam, qui fluxis hisce, & brevi perituris bonis, quasi luna convestiri, & cælestia illa & æterna, solem ipsum, Deum, inquam, omnium bonorum fontem, sub pedibus habere deprehenduntur; quo sensu illud Apoc. 12. *& luna sub pedibus ejus*, exponit: LUNA *namque pro sui mutabilitate, rectè mundi hujus bona mutabilia significat, quibus stultus servit, sapiens imperat. Neque dici rectè potest de anima ejus, quod sit mulier amicta Sole, &* LUNA SUB PEDIBUS EIUS; *sed nimis perversè* AMICIRI LUNA, *Soléinque nititur habere sub pedibus.*

Apoc. 12. Rupert. in cap. 12. Apocal.

Verè magna perversitas, & execranda fatuitas, lunam in capite gestare, & solem pedibus calcare, id est, terrena cælestibus, caduca æternis, creaturas creatori anteferre. De hac Bernardus: *Solet* LUNA *non modo defectum corruptionis, sed &* STULTITIAM MENTIS, *nonnunquam verò Ecclesiam hujus temporis designare; illam quidem propter mutabilitatem: quia* STULTUS UT LUNA MUTATUR; *hanc sanè propter susceptum aliunde splendorem.* UTRAQUE VERO LUNA SUB MARIÆ PEDIBUS CONGRUE SATIS PONITUR.

Bern. serm. signum magnum.

Hâc stultitiâ primus humani generis parens, homo verè lunaticus laboravit, dum pomum paradiso prætulit: hinc Augustinus dictum Sapientis: *Stultus sicut luna mutatur*, expendens, ait: *ducuntur semper ex rebus visibilibus invisibilium congrua similitudines. Quis est ergo ille stultus, qui* TANQUAM LUNA MUTATUR, *nisi Adam in quo omnes peccaverunt?*

Eccl. 27. v. 12. August. epist. 119. ad Ianuarium c. 5.

Anima quippe recedens à Sole justitia, eumque velut pedibus cunterens, & vires suas ad terrena convertens ex statu beatissimo prolapsa, defectus & ecclipses immanes incurrit.

Hâc insaniâ correptus fuit supremus ille spiritus, quem mulier amicta sole sub pedibus habet, ut Doctor mellifluus sermone super signum magnum solerter annotavit: INSIPIENTIA OMNIS SUB PEDIBUS EJUS EST, *ut penitus absit hac ab insipientium mulierum numero, & collegio virginum fatuarum. Imò verò, &* UNICUS ILLE STULTUS, ET TOTIUS STULTITIÆ PRINCEPS, *qui* VERE MUTATUS UT LUNA *sapientiam perdidit in decore suo*, SUB MARIÆ PEDIBUS CONCULCATUS, ET CONTRITUS, *miseram patitur servitutem.*

Bern. serm. sup. signum magnum.

Quin, & quod lunæ proprium, quidquid humanæ labis, & corruptionis est, *Maria* longè sit supergressa: *Defectus omnis sub ea, & quidquid fragilitatis, seu corruptionis est, excellentissimâ quâdam sublimitate pra cæteris omnibus excedit, & supergreditur creatura; ut meritò sub pedibus* EIUS LUNA ESSE DICATUR.

Bern. ibid.

Nunc unum vos rogo, ut cum Maria, quæ lunam, id est, omnia humana habuit sub pedibus, & vos graviores animæ, quam lunæ defectus supergredi, & pedibus proterere, omnemque mundum, & ornatum ejus calcare velitis; à quo Divus Fulgentius laudat Eugipium: *Multum gaudeo* QUOD MUNDUM CONTEMNENDO CALCAS, *à quo, cum eum diligeres, calcabaris.*

S. Fulgent. ep. 6 c. 1.

Quod quàm generosum, & gloriosum sit, S. Ælredus, vel potiùs Divus Bernardus edisserit: *Quid gloriosius quam mundo contempto,* MUNDO SE CERNERE CELSIOREM, *ac in bonæ conscientiæ* (& sanctimoniæ) *vertice consistentem,* TOTUM (*dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, &c.*) HABERE SUB PEDIBUS.

Bernard. opusc. de charit. c. 18. Iudith 10 v 3.

Sed quam multas reperire est quæ mundum non sub pedibus, sed in capite, & super caput gestant? Quam multæ nihil aliud quam de mundi vanitate interdiu cogitant, & noctu somniant: Quot puellæ lunâ instabiliores, mundum in capite gestant, dum tot cirris, cincinnis, lemniscis, unionibus exornant, imò omni corpore *mundum muliebrem*, qua nomenclatura totum earum choragium nuncupatur, circumferunt.

Filiæ Babylonis miseræ, hodiernâ luce exemplo Mariæ, mundo excelsiores, specula, pectines, calamistra, unguenta, acus, inaures, mundum omnem muliebrem pedibus calcate, & sic expeditæ, in has voces quæque vestrûm prorumpat: *Iam te Mater misericordia per ipsum sincerissima tua mentis affectum*, TUIS JACENS PROVOLUTA PEDIBUS LUNA (id est Ecclesia, & nostra, ut verius dicam inconstantia, & stultitia) *mediatricem sibi apud Solem justitia constitutam, devotis supplicationibus interpellat, ut in lumine tuo videat lumen, & solis gratiam tuo mereamur obtentu, quàm verè amavit pra omnibus, & ornavit stolâ gloria induens, & coronam pulchritudinis ponens in capite tuo.*

Bern. serm. super signum magnum.

* * *

§. III.

§. III.

Esa. 7. Luc. 21.

Signum in excelsum supra, *Maria in judicio apparebit, clientibus suis patrona, quando* signa magna erunt.

Sophon. c. 1. Matt. 24.

Extremi judicii signa terribilia.

IN illo maximè tremendo totius orbis excidio: in illo tragico mortalium omnium spectaculo, in *die illa magna & amarâ valde*, quando *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum:* quando *stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur:* quando ante tribunal districti judicis omnes apparebimus, quò fugiet peccator à ventura ira? cum viri sanctimoniâ vitæ eximii, vel ad recordationem hujus funestæ catastrophæ totis ossibus trepidarint, atque ipsam irati Judicis faciem reformidantes, in ipso inferni barathro abscondi exoptarint. Hussæus Vates *vir rectus, ac timens Deum, qui*, ut Augustinus loquitur, *divino sic laudatur eloquio, ut quod ad justitiam, pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur.* Job patientiæ, ac omnis sanctitatis speculum, qui teste Chrysostomo, *multis martyribus graviora passus est*, hic ad diem illum tenebrarum, & caliginis, tanto horrore percellitur, ut exclamet: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* ipso cum inferno, quo damnati extre perhorrescent, multo acerbius erit vultum irati judicis, ac patentem illam damnatorum sententiam intueri.

Job c. 1. Aug. lib. 18 de civit. c. 47 Chrysost. hom. 5. ad popul. Job 14.

Sanctissimi viri extremũ judicii diem formidarunt

Psal. 142.

David vir secundùm cor Dei, qui adimplevit omnes voluntates ejus, timens ac tremens loquitur: *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Non intres in judicium cum servo tuo.* Nec immeritò, inquit Magnus Gregorius, *cujuslibet anima terretur, quando post pusillum hoc, invenit quod æternum mutare non possit. Quis enim nostrûm vitam præcedentium Patrum valeat vel superare, vel assequi? Et tamen David dicit: ne intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? Aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur.*

Greg. lib. 24 moral cap. 7.

Tales columnæ, tales cedri, Pachomii, Hilariones, Hieronymi, qui corpore egredi timuerunt, & ad sonitum novissimæ tubæ semper auribus insonantis expalluerunt. Talis Augustinus, cujus hæ doloris & tremoris voces plenæ sunt: *Noli quæso, pie mi Domine, scribere adversum me amaritudines meas, ut intretis in judicium cum servo tuo; sed secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Væ mihi misero, cum venerit dies judicii & aperti fuerint libri conscientiarum, cum dicetur de me:* ECCE HOMO, ET OPERA EJUS.

Aug. meditat. c. 39.

Quid verò tu, ô peccator, ô scortator, ô adulter in occulto? Quid tu mercator, tu Senator, tu Prætor, tu Pastor acturus? *Cum dicetur de te:* ECCE HOMO, ET OPERA EJUS.

At numquid religiosi, sanctimoniales, post exactam in solitudine, summâ austeritate vitam hic securi & intrepidi adstabunt? Prodigium sanctitatis D. Bernardum audiant: *Væ mihi misero*, inquit, *cum venerit dies illa judicii, & aperti fuerint libri, in quibus omnes mei actus, & cogitationes Domino præsentandæ recitabuntur. Tunc demisso capite præ confusione malæ conscientiæ in judicio coram Domino stabo trepidus, & anxius, utpote commemoratus scelerum commissa meorum; cum subductu è medio omnibus, hoc inveniet, quod in perpetuum mutari non poterit.*

Bern. medit. cap. 2.

Innumeri alii, ac innumeræ etiam albo cælitum adscriptæ, extremum hunc diem reformidarunt, quas inter, ne longior sim, Princeps Lusitaniæ Joanna, quæ post exactam in monasterio omni virtutum genere sanctissimè vitam, cum in morte luctaretur, & anxiaretur, monialis ei intima accedens, sic illam affata est: *Ergone nunc Domina amittis tuam de Deo confidentiam, & quasi desperata loqueris?* Cui illa verè sancta sic respondit: *Charissima soror, non de Deo despero, neque de sua infinita misericordia; hoc tamen tibi dico, quod non est hoc ad domum Regis patris ire,* SED ANTE TRIBUNAL DEI TREMENDUM.

Deaponte in Matth. cap. IX. nu. marg. 38

Ex quibus rectè concludo cum Divo Gregorio Pontifice Maximo: *Perpendamus quanta debemus formidine venturum judicem semper expavescere, quando & illi, qui à judice laudati, adhuc securi non sunt.*

S. Greg. lib. 13. moral. c. ultim.

5. Nec hoc cuiquam mirum videbitur, si attenderit; quis temor, & pallor reum occupet, dum è carcere vinctus judici sistitur; vos ipsi, qui spectastis non semel, testari potestis. Quâ similitudine usus Chrysostomus, ait: *Sicut illi, qui è carceribus educuntur, unà cum ipsis catenis ad judicium protrahuntur; sic omnes animæ, cum hinc emigraverint, variis peccatorum catenis implicitæ ad terribile illud ducentur tribunal.*

Chrysost. in cap. 4. Matth. hom. 14.

Hoc itaque tam terribili, & amaro die, *quando* ERUNT SIGNA *in Sole & luna, &* SIGNA MAGNA *erunt*, quæ Gregorius fusè describit; *Indicatmo Domino*, ut loquitur Hieronymus ad Heliodorum, *lugubre mundus immugiet. Tribus ad tribum pectora ferient, potentissimi quondam Reges nudo latere palpitabunt*; tunc, quod terribilium omnium signorum terribilissimum, *apparebit* SIGNUM FILII HOMINIS *in cælo.*

Luc. 21.

Gregor. hom 35 in Evang

Matt. 24. v 10.

S. Tho. hic

Ubi sanctus Thomas: SIGNUM CRUCIS *intelligamus, ut videant juxta Zachariam, in quem pupugerunt. Apparebit autem* SIGNUM CRUCIS, *ut Iudæorum inverecundiam confutet: advenit enim Christus in judicio, non vulnera solum, sed mortem exprobratissimam ostendent*; quo signo conspecto conscientiâ urgente, & convincente, seipsos damnabunt: nam ut inquit Orator aureus: *Crux apparebit Sole luculentior, & non opus erit accusantibus, cum crucem viderint.*

Signum crucis in judicio peccatoribus terrificum.

Chrysost. hom. 77. in Matth.

Quin & alia quoque Dominicæ Passionis signa illic exhibenda gravissimi Auctores censuerunt. Salmeron noster sic ait: credunt " Doctores Ecclesiæ cum cruce etiam colum- " nam, flagella, spineam coronam, clavos, spongiam, lanceam, & reliqua Passionis instrumenta apparituras in die judicii. Sic sensit Doctor

Cornel. in Matth. cit Salm. hic.

S. Thomas opusc. 2. cap. 244.

Angelicus: *Adveniente Domino ad judicium,* SIGNUM CRUCIS, ET ALIA PASSIONIS JUNCTA *Demonstrabuntur; ut impii videntes in quem confixerunt, doleant, & crucientur, & contra seipsos irascantur.*

Ubi hæc, quæ modo enarravi, tam tremenda, tam horrenda signa apparebunt: quid peccatores acturi? *Quid sum miser tunc dicturus, quem patronum rogaturus?* Clamabo ad Dominum: *Da mihi* SIGNUM IN BONUM.

Psal. 85.

Confidite, quotquot estis, insperatò, & inopinatò spes ac salus apparebit. Mysterio non caret, quod in hac rerum omnium perturbatione, scena mutanda sit, & omnium auribus lætum celeusma insonet: *His autem fieri incipientibus, levate capita vestra: quia appropinquat redemptio vestra.* Quæ, & unde hæc tam exoptata vicissitudo? ubi damnatio timebatur, salus appropinquat, & redemptio: ecce *signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole,* quæ iram judicis frangat, ardorem solis justitiæ mitiget, libram justitiæ in misericordiam inclinet.

Luc. 21. v. 28.

Apoc. 12.

Cælum illud tam splendidè belluatum cinxit zona duodecim signis zodiaci; quæ inter, ne tibi fortè inauspicata scorpionis, leonis, libræ signa occurrant, virgo media relucet.

Ardor solis temperatur, dū signum Virginis ingreditur.

S. Antoninus part. 4 tit 15. cap. 22.

Divus Antoninus, Florentinus Antistes, scitè observat, dum sol leonis signum ingreditur, insolitis terram ardoribus ustulari, homines & jumenta æstu emori; ubi ad propositum nostrum sic moraliter excurrit: *Sol materialis per mundum* EX SIGNO LEONIS, *quando est perfectissimus calor ejus super terram,* INTRAT IN SIGNUM VIRGINIS. *Ad innuendum quod* SOL JUSTITIÆ CHRISTUS DEUS NOSTER *(tempore veteris testamenti, quando Deus. Ut* LEO RUGIENS, *erat Deus ultionum, puniens terribiliter peccata; ex ferventissimo amoris calore intrans in uterum virginis, totus factus est benignus, suavis, & humanus.* Hoc signum magnum, munificum omnē fulget in cælo, quod pulcherrimo ac saluberrimo documento Illustris ille Italus Mutius Manfredi sibi in gentilitiam tesseram assumpsit, dum in scuto virginem inter leonem & libram circumgestavit, hoc ingenioso lemmate subjecto: *Temperat iras.*

Aresius sacre Impreseᵃ tom. 1 lib. 4. impresa 69.

Ad hoc hodie Virgo in cælum assumpta est: ad hoc signum magnum, mulier amicta sole, erit in cælu, cum Dominus ad judicandum venerit, ut judicis iram temperet, ac misericordiæ suæ radios ad nos reflectat: nam hâc augustissimâ festivitate, locum quidem mutavit, sed non naturam: humanam exuit miseriam, sed non memoriam, *facta,* ut loquitur Damianus *impassibilis, non incompassibilis,* addo quod olim ad Ruth dixerat Booz: *Priorem misericordiam posteriore superavit,* quam exhibet immortalis; in quem locum Divus Bonaventura: *Magna fuit misericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo; sed major est misericordia ejusdem regnantis in cælo,* ubi coram judice causam miserorum ac reorum patrona & advocata nostra potenter perorat, & exorat, ut Mellifluus Bernardus testatur: ADVOCATAM *permisit peregrinatio nostra; quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater misericordiæ, suppliciter, & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. Quidni? si quidem nec facultas ei deesse poterit,*

Damian. serm 1 de nativit. Virg.

Ruth. 3. v. 10.

Bonavent. in speculo cap 8.

Bern ser. 1 in Assumpt Maria in judicio advocata.

nec voluntas. Regina cælorum est, misericors est: denique Mater est unigeniti Filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis ejus, seu pietatis magnitudinem commendare; nisi fortè aut non credatur Dei Filius honorare Matrem, aut dubitare quis possit omnino in affectum charitatis transiisse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas, novem mensibus corporaliter requievit.

Scio legibus cautum, ne mulier in judicio causas agat, & patrocinetur, ut festo Virginis Natæ fusiùs comprobabimus, quod & olim tam sanctè observatum, ut Plutarchus tradat: *Cum mulier aliquando propriam causam in foro dixisset, misisse senatum Deos consultum, quidnam civitati ea res portenderet?* Quasi portentum illud insolens æstimantes, & malum Reipublicæ omen.

Plutarch. in comparatione Lycurgi & Numæ

Quæ lex ut ad omnes fæminas se extendat, in Dei matre vim non habet, quæ dum apud filium advocatam agit, & causas nostras pertractat, optimi ominis signum, & portentum est.

Hoc in figura Estheris expressum cernimus. Assuerus Rex tremendi Judicis speciem referens, *residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, eratque terribilis aspectu,* edicto edito ne quis se sub pœna capitis accederet, aut interpellaret, non esse locum clementiæ. Ingressa est nihilominus Esther, stetitque contra Regem, qui ubi illam vidit, *convertit Deus spiritum Regis in mansuetudinem, & his verbis blandiebatur: quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est:* & hic voti compos fieri, & aliàs perorans, audire meruit: *quæ est petitio tua Esther ut detur tibi, & quid vis fieri? Etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Consimile quid Salomon Matri suæ, causam pro reo agenti respondit.

Esther. cap 15. v. 13.

Cap. 7. v. 2.

At longè potentius, & efficacius Maria in judicio apud filium perorat, & exorat.

Causidici, & Advocati quantumvis periti causas tractant, sed non pertractant: agunt, sed non satagunt: perorant, sed non exorant, & passim causâ cadunt. Verum ADVOCATA NOSTRA *Iudicis mater, & mater misericordiæ,* EFFICACITER *salutis nostræ negotia, pertractabit.* Nulla tam mala, tam desperata causa, quam pro cliente suo non evincet.

Bern. serm 1. de Assump. B. V.

Quare eam nobis tam potentem patronam omnibus studiis, pietatis exercitiis, amoris obsequiis emereri, ac devincire studeamus.

Sapienter Licurgus in mortis confinio, judicibus sistendus, ad Deorum matris tutelam confugit, rationem rerum à se gestarum exhibiturus: *cum verò,* inquit Photius, *instare mors videretur, se in Matris Deorum delubrum, ad senatum deferri jussit, cupiens rerum à se in Republica gestarum, rationem reddere, ubi cum accusaret nemo, domum relatus est, ac mortuus.* Quam securè, quam placidè, à nemine in minimo accusatus, tutelâ Matris Deorum confisus?

Photius. in sua Bibliotheca folio 1486

Disce, ô Christiane, ab homine gentili, antequam supremum subeas judicium, ad veri Dei Matris tutelam confugere, ejusque opem precibus implorare, ejus patrocinium egregiis devincire obsequiis: sic te accusare audebit nemo.

Non

Non eſt quod timeas, ô peccator, ne hoc extremo judicio à ſiniſtris inter hœdos conſtituendus ſis: favet ſponſus in Canticis, qui ſponſæ ſuæ, hœdos commendat, dicens: *paſce hœdos tuos juxta tabernacula paſtorum*; quaſi dicat, ut curam gerat præcipuam de peccatoribus, qui hœdorum nomine deſignantur. In quem ſenſum aptè Guilielmus Anglicus dictum locum exponit: *Attendite* MARIÆ *addicti ex toto corde, ait enim ſponſus: paſce hœdos tuos, ſuos quippe vocat, quia non hœdi omnes vocantur* MARIÆ; *ſed qui* MARIAM *colunt, ac venerantur, licet ſceleribus contaminati: qui enim peccatis irretiti ſunt, nec B. Virginem ſpeciali aliquo obſequio proſequuntur, nec preces aliquas in ipſius cultum fundunt, ut vel tandem aliquando reſipiſcant, hœdi profectò ſunt; non verò Mariæ; ſed ad ſiniſtram judicis ſiſtendi, æternas pœnas ſubituri.*

Cant. 1.

Guilielm. Anglic. ubi.

Jure igitur vocantur ſui, qui cum ſcelerati ſint, patrocinio Mariæ ex hœdis in agnos, & oves transſeeuntur, ad dexteram Judicis conſtituendi; qui tametſi flagitiis obnoxii; pertinent tamen ad curam & tutelam Mariæ, quia illi ſe devovent, ipſius feſta pio cultu venerantur: jejuniis ſabbathinis, quotidianis precibus, cereis, eleëmoſynis ejus gratiam demerentur; quâ destituti, inter hœdos à ſiniſtris conſtituendi, tartareis lupis tradendi, & devorandi fuiſſent.

Divinæ juſtitiæ romphæa innumeros à ſiniſtris ſtantes perdidiſſet, niſi miſericordia Matris damnationi eripuiſſet, ut rectè Chryſoſtomus: *Ideo tu Mater Dei praelecta es ab æterno, ut quem Deus ſalvare non poteſt per ſuam meriſſimam juſtitiam, tu per tuam ſalvares pietatem, & miſericordiam.*

Chryſoſt. hom. in Hyp. dom.

Narrat Appianus lib. 4. hanc hiſtoriam. Servus accuſaverat Dominum ſuum furti: capitur, ligatur, adducitur Bruto Imperatori: convictus, tanto pudore ſuffunditur, ut nec verbum, nec linguam inveniret, qua ſe excuſaret. Quod ut mater intelligit, accurrit, & ad tribunal proruit: arripit illa ſilentium filii pro argumento ingenuæ innocentiæ: Diſſerit ingenioſè, clamat animoſe: ego, inquit, furti rea, me rapite. Servus irritatus, eò impudentiæ prorupit, ut & matrem mendacii convincere auſus ſit. Brutus miſeratus ſortem nobilis, condonat matris affectui crimen filii, quæ ſe oppignorarat, ut vitam filio daret. Filio ergò & matri vita datur, & ſervo pœna. O Deus! qualis fortuna talis filii, & qualis matris, & Judicis? An non omnibus tribus debetur immortalis memoria?

Hoc modo ſe opponit mater Judici, tamquam piiſſima mediatrix, & potentiſſima Advocata, & jam pridem periiſſemus, niſi illa ſe opponeret.

Conclamatum erat de Innocentio III. Pontifice, qui poſt celebratum Concilium Lateranenſe ex hac vita migravit. Ingentis tragœdiæ felicem exitum, habes in vita S. Lutgardis per Cantipratanum apud Surium; Ego paucis expediam.

A morte apparuit ſpecie viſibili, & maximè terribili Divæ Lutgardi, undique flammis cinctus; rogatuſque quiſnam eſſet, reſpondit ſe eſſe Innocentium Papam.

Surius in vita S. Lutgardis

Quid hoc eſt, inquit illa, communem Patrem noſtrum tam dirè cruciari? Tribus inquit de cauſis (quæ ſubticentur) jam ferenda erat ſuper me ſententia æternæ damnationis, niſi Virgo Mater, in cujus honorem monaſterium condidi, cauſam apud filium ſalutis meæ efficaciter egiſſet, potenter peroraſſet, & contritionem ante mortem impetraſſet. Salvus quidem nunc; ſed reſervor piacularibus flammis uſque ad extremum diem judicii. Hunc autem reditum mihi quoque benigniſſima Advocata Maria, à ſuo benedicto Filio impetravit, ut ſuffragiis veſtris juvari poſſim. Quibus dictis evanuit.

Iſaias videns cladem populi ſui, & aſſidua Deum vindicem flagella ingeminare, exclamat: *Ecce tu iratus es, non eſt qui conſurgat, & teneat te.* Alius erit furor ejus in die illa tremenda: quis ſtabit ad videndum eum? Quis ſe opponet, quis defendet? Richardus à S. Laurentio: *non eſt qui conſurgat, & teneat niſi Maria; ipſa facta eſt Advocata noſtra*, ipſa mediatrix noſtra, ipſa iraſcenti Numini fulmen eripit, vindici dextræ gladium iræ extorquet. Alcuinus ſermone de Nativitate: *Ecce coram tremendo judice aſſiſtimus peccatores, cujus manus terribilis, gladium iræ ſuæ vibrat ſuper nos, & quis avertet eum? Nemo ſanè, Domine, tam idoneus eſt, ut gladio Domini, manum pro nobis objiciat*, UT TU DEI AMANTISSIMA, PER QUAM PRIMUM IN TERRIS SUSCEPIMUS JUSTITIAM, ET MISERICORDIAM. Nemo Patriarcharum, nemo Prophetarum, nemo Angelorum, aut ſanctorum ſe opponere divino furori auſus eſt: *ante Mariam*, inquit Bonaventura, *nemo ſanè fuit, qui ſic detinere Dominum auderet.*

Iſa 64.

Rich. à S. Laur. lib. 2. de laud. V.

Alcuinus ſerm. de nativit.

Bonavent. in ſpeculo.

Bonfinius refert, quod Childericus Franciæ Rex, cum de plurimis reis ſupplicium ſumere vellet, portas areis clauſit, & vetuit ne Genoveva pro iis peroratura admitteretur. At illa tactis foribus, & miraculo apertis, admiſſa ad Regem, omnes ſuâ divinâ ſuadâ morte liberavit. Quovis etiam adamante, & ferreo juſtitiæ peſſulo, janua cæli peccatori clauſa ſit, omnis ad judicem aditus interclusus, nullus ſanctorum acceſſus habeat; audiat peccator quid dicat Cardinalis Damianus: tu, ô Maria, Mater Dei, Advocata noſtra, *accedis ad illud aureum divinæ majeſtatis tribunal, non rogans, ſed imperans: Domina, non ancilla: quomodo enim poteſtati tuæ obviare poteſt illa poteſtas, quæ de tuis viſceribus traxit originem?*

Bonfinius lib. 5. Dec. 1.

Pet. Damian. ſer. 1 de nativ B. Virg.

Exemplo res illuſtrior evadet: Birgitta Suedica, ſanctiſſima vidua in Palæſtinam iter ſuſceperat, unà cum filio ſuo Carolo, qui in via mortem obiit. Mater Birgitta Hieroſolymam pervenit, ubi aſſiduis precibus arcanam cum Chriſto familiaritatem iniit, anxia interim & ſolicita, filii ſui jam demortui ſtatum quàm maximè noſſe deſiderabat. Quapropter ei vigilanti ac precanti hæc ſpecies objecta eſt.

Viſa ſibi eſt videre Dominum Jeſum pro tribunali ſedentem innumerabili Angelorum exercitu ſtipatum. Huc ingreſſa Virgo Mater, ad latus judicis ſtabat peragendo judicio intenta, Ante Judicem Caroli defuncti anima erat timoris ac pavoris plena, ſententiã decretoriam expe-

expectans: pessimum lateri adhærentem habebat accusatorem diabolum, qui illum, Judicis fidem interpellans, suum esse affirmabat: & en, inquit, acta hominis illius in tabulas relata, en peccatorum catalogum ingentem! En molem, & acervum infinitarum cogitationum malarum, è quibus si solum obscœnæ, aut superbæ puniantur, meus erit. Decalogi præceptum sextum *non mœchaberis* non nescit; sed illud millies iterumque millies transgressus est. Taceo cetera. Nec ille quidquam horum negare potest, testes produco mille, propriam ipsius conscientiam.

Quæ, & quanta in hoc tetrum articulo, Caroli consternatio, trepidatio, ac propè dixerim, desperatio? Quæ Birgittæ, matris pro filio lamenta?

Dum huic accusationi Maria Advocata se opponens, ait: maligne spiritus, hic adolescens dum vixit, me, uti matrem filius, amavit, illud sæpius expendens, quanto me Deus honore sit dignatus. Hinc tantus in ejus pectore in meamor exarsit, ut paratus fuerit potiùs æternis ignibus torqueri, *quam committere ut aliquid honori meo, suâ culpâ decederet.* Hoc io meanimo diem suum obiit. Num igitur iniquum fuit, io meam illum tutelam, & clientelam asseruisse? Quibus dictis, judex accusatorem jubens facessere, optatissimam hanc tulit sententiam: *meus hic servus æternum vivat.* Quis hic filii, quis matris gaudia explicet?

Hæc dum audis Mariane, qui in sodalitio Virginis perpetuum dixisti sacramentum: *te nunquam aliquid dicturum aut facturum, neque permissurum ut à tuis subditis contra ejus honorem aliquid unquam agatur;* quomodo non in spem firmam assurgis, si hæc servaris, fore ut & *Mariam* tibi in judicio *advocatum* habeas, teque in clientem suum asserat.

Bern. serm. de nativit. Virg. Nutrat hoc suavissimus Bernardus, qui omnem suam in hac matrona spem repositam habebat: *ad Patrem,* inquit, *verebaris accedere, solo auditu territus ad folium fugiebas. Iesum tibi dedit mediatorem; quid non apud Patrem talis filius obtineat. Sed forsam & in ipso majestatem vereare divinam; quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus.* Quid consilii? quid auxilii? quid patrocinii? aut unde? *Ad Mariam recurre: exaudiet utique matrem filius & exaudiet filium Pater.* FILIOLI, HÆC MEA MAXIMA FIDUCIA, HÆC TOTA RATIO SPEI MEÆ. Non jejuniis, non prolixis precibus, lacrymis, vigiliis, miraculis, aut visis cælestibus confidit, sed in ea, quam ut fidus servus Dominam, clieos Patronam, filius matrem per omnem vitam summo honore & amore prosecutus est, spem certissimam repositam habet.

Quare, ut concludam, omnes Mariam colite, Mariam dicite, Mariam scribite, Mariam canite, Mariam diligite, Mariam in Patronam & Advocatam diligite: ipsa enim est quæ repulsam ferre non potest; dum demonstrativo, eoque potentissimo, quo unquam oratores usi sunt, perorandi utitur argumento, de quo Arnoldus Carnotensis: *securum accessum jam habet homo ad Deum, ubi mediatorem causæ suæ Filium habet ante Patrem, & ante filium* MATREM. *Christus nudato*

Arnold. Carnot. tract. de laudib. Virg. &

latere [Patri OSTENDIT LATUS ET VULNERA; MARIA CHRISTO PECTUS ET UBERA; *nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt, & orant omni lingua* (Oratorum, & Causidicorum) *disertius hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia.* *Bern. serm. de nativit. Virg.*

Nemo itaque causæ suæ quantumvis malæ diffidat, sponsorem ac fidejussorem habes Bernardum suaviter monentem: *Quid ad* MARIAM *accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est. Revolve diligentius Evangelicæ historiæ seriem universam, & si quid forte increpatorium, si quid durum, si* QUID DENIQUE SIGNUM *vel tenuis indignationis occurrerit* IN MARIA, *de cetero suspectam habeas, & accedere verearis.* *Bern. serm. super sig. num Magnum.*

Tum subdit: *quod si, ut verè sunt, plena magis omnia pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ, quæ ad eam pertinent, inveneris, age gratias ei, qui talem tibi Mediatricem benignissimâ miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum.*

Hac ergo triumphali luce, in spem vivam erecti: *amplectamur Mariæ vestigia, & devotissimâ supplicatione beatis illis pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus eam, donec benedixerit nobis.* *Ibidem.*

§. IV.

MARIA *Assumpta in cælum, pretiosissimas nobis in Eucharistia* RELIQUIAS *reliquit,* QUÆ DIEM FESTUM AGENT TIBI. *Psal. 75.*

Spectastis triumphum Assumptæ Virginis, omnium oculos, animosque intentos vidi in signum illud magnum, ad contemplandam mulierem amictam sole, luna calceatam, eamque redimitam coronâ stellarum duodecim; nec immeritò, nam & ipsa coronavit filium diademate humanitatis, *& vicissim ab eo meruit coronari: Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua.* Atque ibi hunc in diademate suo contemplati, & admirati fueritis *ingredimini magis* (cæli atria) *& videte Reginam in diademate, quo coronavit eam filius suus. In capite, inquit, ejus, corona stellarum duodecim.* Quod ubi dilectus Virginis Bernardus effatus est, in has voces prorumpit: *dignum planè stellis coronari caput, quod & ipsis longè clarius micans, ornet eas potius, quam ornetur ab eis.* *Bern. serm. super signum mag.*

His tamen omnibus Virginis Matris honoribus, ac triumphis enarratis, anceps hæreo, an uberior nobis flendi, an gaudendi: plorandi, an exultandi materia suggesta sit. Quid ni filii lacrymis parentent ereptæ sibi matri tam amabili, & admirabili, in qua vita, & spes omnis collocata est? Quæ ut D. Bonaventura loquitur: *est Mater mundo desiderabilis.* Quomodo pupilli, & orphani, misericordiæ ubera non requirent, nec se ablactatos amarissimè quærentur, quia *Bonav. in psalter. Min.*

Ernas in ...anem in ... S. German. erat. de Nativit. B. Virg. Bern. serm. 1. in Assumpt. Virg.

ſublata eſt. *Mamilla parvulorum, & orphanorum*, ut idem Doctor eam appellat? Quomodo non tota terra lugeat, ubi *decus eximium, & ornamentum orbis*, & ſi Divo Germano credimus, *gaudium commune mundi*, & cauſa noſtræ lætitiæ ex oculis ſublata ſit? Hæc ſecum diſputando, & volutando Doctor mellifluus, ſic reſolvit: *plangendum nobis, quam plaudendum magis eſſe videtur; quantum enim de ejus præſentia cælum exultat, tantum non conſequens eſt, ut tantum lugeat hic noſter inferior mundus ejus abſentiam?*

Ceſſet tamen querela, inquit, *quia Advocatam præmiſit peregrinatio noſtra*, ut jam audiſtis, & ſupra demonſtravimus.

Reliquiæ B. V. Capilli, zona, lac, &c. Ubi aſſerventur.

Sed & *ceſſet querela*, non ab inteſtato diſceſſit: certiſſimum ſuæ dilectionis argumentum, opulentiſſimum nobis teſtamentum, pretioſiſſimas, quæ in orbe ſunt, ſuper omnes gemmas & uniones, reliquias in terris reliquit: quæ Reliquiæ ut aſſiduâ recordatione, & cogitatione, diem feſtum agant nobis, earum veritatem, virtutem, & pretium expendamus.

Raynaudi Diptycha Mar. ano. part 2. punct. 10.

Nullæ uſpiam corporis Mariani exſtant exuviæ, aut ſacra lipſana præter nonnullos capillos, quos Ulyſſipone aſſervari teſtatur Fernandius in Gen. c. 13. ſect. 9. n. 14. alioſq; quos vidi in Divi Bertini Audomari. Alii quoque Carnoti & Oveti viſuntur.

Vega Theolog. Mar. an. a. 1351. Balinghem Calendar. Marian. 20. Aug.

Lactis Virginei reliquiæ Pariſiis, & in Apulia ſumma in veneratione, & benedictione ſunt, de quibus refertur, cum in Apulia, ſupra ducenta millia capita ingenti terræ motu oppreſſa eſſent, ad numen placandum, ſolennem inſtituere ſupplicationem; in qua ampullam cum lacte ſanctiſſimæ Virginis detulêre. In templum regreſſi, omnes elata voce Matrem miſericordiæ invocarunt; atque illicò viſa ſunt ejus patrocinantis ſigna: Lac quippe & ſpumare, & augeri, & ampullam implere cœpit. Imo ipſa lilia aræ ſuperpoſita, omninò arida, ſtatim refloruêre, & vigore, viroréq; priſtino reſumpto, adeò crevere, ut totum penè altare, ſtupentibus omnibus occuparent, & ornarent.

Vega cit. V. Ferrandum diſquiſit. Reliq.

Tuga Romæ, calceus Sueſſione, annulus pronubus Perusii ſummo cultu & reverẽtiâ habentur; ſed quæ propius virgineũ corpus contigere plus venerationis merentur. Unde Carolus Magnus Aquiſgrani templum erexit, in quo indusium B. Virginis aureâ arculâ repoſitum collocavit. Pulcheria Auguſta Conſtantinopoli in honorem Zonæ Virgineæ, & linteaminum, quibus Marianum corpus involutum, magnifica templa conſtruxit.

Eadem ſanctiſſima Imperatrix à fundamentis templum exſtruxit *Virgini Deductrici*, in quo fuſum Deiparæ repoſuit, ut tradit Nicephorus lib. 15. c. 14. ſic & in Oppido Huenſi glomus fili, quem textrix Maria inter alios manuum labores diduxerat, & alter apud Herbipolenſes in veneratione eſt.

Vega cit. n. 1979. Novarin. Agnus myſt. lib. 5. n. 459.

Et ut propius ad præſtantiſſimas & pretioſiſſimas reliquias ſenſim accedamus: Patres noſtri Ulyſſiponenſes mappam ſacram, quâ Chriſtus Dominus in ultima cœna uſus eſt, B. Mariæ manibus elaboratam, & liliis mirâ dexteritate intertextam aſſervant, & venerantur, quod indicant carmina hæc pervetuſta:

Hac in Mappa diſpoſuit ſua fercula, & artis
Pro pretio, Maria ſat mihi noſſe manum.
Admirans aliquis textum admirabile, dixit:
De Maria eximia texuit arte manus.
Quam bellè depinxit acu, qua lilia nectit
In Chriſti veſtes ingenioſa manus.

Audiſtis, quem Virgo Mater excedens terris, theſaurum nobis in ſacris lipſanis dereliquit: felices urbes, quibus hæc contingere datum eſt: at nos miſeri, dicetis, qui nulla ex tam ſanctis exuviis portione gaudemus. *Ceſſet querela veſtra*, alias vobis non in terras longinquas quærendas, longè præſtantiores, & pretioſiores reliquias, non crines, non zonam, non annulum; ſed quod miremini, ipſius corporis Mariani, nobiliſſimam ſanguinis, & carnis portionem hac in urbe colendam, venerandam, & adorandam in Euchariſtia relictam habemus. *Bern. ab.*

Per Virginem Matrem cibus Euchariſticus nobis exhibitus

Novum quid, & inſolens multis fortaſſe dixiſſe videbor, niſi dicti mei rationem reddidero, pro qua ſtat irrefragabilis Doctorum, & Patrum auctoritas, qui primò probant per Mariam nobis Euchariſticum cibum exhibitum: ait enim ipſa, interprete Vega, Proverb. 9. *venite, comedite* PANEM MEUM, *& bibite vinum quod miſcui vobis*; quem locum plures è Patribus, Mariæ tribuunt. S. Auguſtinus ſerm. de Annunt. *lacta, ô Virgo, panem noſtrum*; quaſi à B. Virgine nobis iſte panis, melle, ac lacte ſubactus, in clibano cordis ſui decoctus, nobis edendus propoſitus. Quo ſpectat illud B. Petri Damiani: *De intemerata carnis ſua viſceribus, cibum nobis protulit animarum; eum videlicet, qui de ſemetipſo perhibet: ego ſum panis vivus.* *Damian. ſerm. de Nativit. Virg.*

Ratione etiam naturali probatur, Mariam rectè vocare Euchariſtiam *panem meum*: quia ut docet Ariſtoteles, filius eſt pars ipſius patris, ac matris; quanto magis Filius hic, qui ſolius eſt Matris Virginis? Hinc dicere potuit Deipara, in Euchariſtia non ſolum Filii ſui, ſed ſuammet carnem, ac ſanguinem, vel certè magnam partem ineſſe; ſicut qui dignè hoc pane vivifico reficitur, non ſolum unus quodammodo cum Chriſto, ſed etiam cum Virgine Deipara efficiatur. Præclarè Purpuratus Pater Damianus ſerm. 45. de Nativit. Virg. *manat aliquid ex uberibus Virginis, & in carnem vertitur Salvatoris: illud inquam abſque ulla dubitatione, non aliud, de ſacro altari percipimus, & ejus ſanguinem in Sacramentum noſtræ redemptionis haurimus.* Illa quoties lac divino Infanti inſtillabat, cogitabat illud in carnem, & ſanguinem vertendum, ad delicias generis humani. *Ariſtot. lib. 5 Ethic. cap. 4. — In Euchariſtia carnis & ſanguinis Mariæ nobis reliquiæ relictæ.*

Lac Virginis in Euchariſtia ſugimus.

Compello hic vos, ſi is favor, hoc privilegium huic urbi, aut templo obtigiſſet, ut guttæ aliquot lactis virginei deferrentur, quid non honoris, devotionis, venerationis tali, tantoque theſauro exhibendum exiſtimaretis? Quantus ad eum contemplandum, quid ſi etiam ad quid participandum, hominum confluxus foret? Aliud vobis, & ſingulis multò excellentius conceſſum, & ſupra id quod Bernardo, Lutgardi, rariſque ſanctis indultum, ut lac Virginis haurire valeatis: Nutricem ſe Maria præbet in Euchariſtico epulo. Appoſitè in rem noſtram dixit S. Germanus: *crateres ſanguinis Chriſti,*

S. Germanus in Theoria rerum Eccl.

interpreterit, MAMMAS DEIPARÆ, *salutare lætitiæ poculum, ac conservatorium totius generis humani.* Profectò qui accedit ad Eucharistiam, Deiparæ mamillas sugere censendus est.

Cant. 5.

Juxta plures Interpretum usurpat Maria illud Cantic. 5. *Comedi favum cum melle meo: bibi vinum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.*

Augustin. in psal. 33. Conc. 1.

LXX. Interpretes, non favum, sed panem legunt. At cur hic lac pani, & vino additur? Acutè Augustinus respondet: *sicut quia minus aptus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humiditatem mamillæ, & lactis succum, de ipso pane pascit infantem.* Quare quoties Eucharistiam sumis, non tam panem comedere, ac vinum bibere, quam lac sugere, ubere de cælo pleno B. Virginis te existimes. Quâ similitudine usus Chrysostomus, eâ aviditate nos ad hanc cœnam accedere debere, uti infantes ad ubera matris edocet. Ipsum audite:

Chrysost. hom. 60. ad pop.

nonne videtis quantâ promptitudine PARVULI PAPILLAS CAPIUNT, *& quanto impetu* LABIA UBERIBUS INFIGUNT? *Accedamus nos quoque tantâ alacritate ad hanc mensam, &* AD UBERA POCULI *spiritualis; quin imo cum longè majori trahamus tanquam infantes lactantes spiritus gratiam: & unus sit nobis dolor hac mensa privari,* uti infantibus à mamilla arceri. Atque adeo in te cadent illa verba Isaiæ: *Mamillâ Regum lactaberis.* Hoc est, ubere Reginæ Mariæ, ut Vega in Theol. Mariana exponit.

Isa. 60.

Origen. tom. 1. in Ioan. in profat.

Ergo verè est Mater, & nutrix nostra: nam ut inquit Origenes: *De quolibet dici potest Mariæ: ecce filius tuus.* Et D. Augustinus lib. de S. Virginit. cap. 6. *Plane Mater est membrorum Salvatoris.*

Machar. hom. 12.

Ubi illud observandum occurrit, nullam esse partem Christi in Eucharistia, in qua aliqua pars sive sanguinis, sive lactis Mariani, jam in carnem versi non reperiatur: si enim verum est quod S. Macharius docet his verbis: *Ab omnibus membris maternis lac proficiscitur,* uti & peritissimi medici tradunt, nulla sanctissimi corporis pars est, in qua non lateat aliquid, quod pars extiterit capitis, cordis, uberum, ac viscerum Mariæ. *Si ergò* inquit Theodoretus, *sectis Sanctorum corporibus, integravit & gratia perseverat,* TENUESQUE AC TANTILLÆ RELIQUIÆ *toti, nullasque in partes Martyri dissecto, parem habent virtutem,* quid ni reliquiæ lactis, carnis, & sanguinis Mariani tantam vim, ac virtutem, imò infinitè majorem habeant, quia divinitati conjunctæ? Ex quo consequens est, longè sine comparatione, excellentiorem thesaurum nobis in his reliquiis à virgine concessum, quam si totum suum sanctissimum corpus, quod Filium Dei portavit, genuit & lactavit, hoc in loco nobis reliquisset.

Theodoret lib. 8. de Martyr.

Superest probandum materiam lactis sanguinis, & carnis Deiparæ permanere in Eucharistia; atque adeò nullas esse Sanctorum reliquias ita certas quoad identitatem, & veritatem, quales sunt materia lactis, carnis, & sanguinis Virginis Matris conversi in carnem, sanguinem, & ossa Christi Domini, in Eucharistia existentis, ut ex Patrum ac Theologorũ doctrinâ patebit.

Eo aliqui devotionis erga Mariam progrediuntur, ut disceptent, utrum Eucharistiæ Sacramentum quis venerari possit, quasi Mariani corporis reliquias aliquas superstites? Huc adducendus præstans Theologus Franciscus Suarez, qui in 3. part. sic docet: *Facilè credi potest, illam substantiam carnis, quam Christus assumpsit ex Virgine, numquam fuisse omnino dimissam, aut continua caloris naturalis actione resolutam; sed eandem omnino fuisse semper servatam, & verbo Dei unitam.* Quod adductâ philosophicâ, ac medicâ complurium auctoritate, & ratione, docet Vega in Theologia sua Mariana num. 1481.

Suarez. tom. 2. in 3. part. disp. 1. sect. 2.

Accedit SS. Patrum communis sententia, asserentium Christi Domini carnem eandem esse, cum carne Deiparæ. Primus ad manum est Doctor Hipponensis, qui ait: *Caro Christi, caro est Mariæ, & quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen remansit, quæ de Virgine sumpta est.*

Aug. ser. 3. de Assump.

Adoratur itaque (qui cultus nullis Sanctorum reliquiis adhiberi potest) in Eucharistia, Verbo conjuncta caro Deiparæ. Habent & Marianæ reliquiæ, ac prorsus divinæ, illud singulare præ aridis ossium Sanctorum, quod semper vegetæ, vividæ, animâ Christi informatæ, & divinitati unitæ.

August. in psal. 98.

Eadem inculcat in illud Psalmi 98. *Adorate scabellum pedum ejus;* quod scabellum non aliud quam carnem è Virgine sumptam asserit: *De carne* MARIÆ, *carnem accepit, & in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit.*

His satis comprobatis, ne longius immorer, eò hic collimat oratio nostra, ut Matri nostræ in cælos Assumptæ, quas possumus, non quas debemus, pro tantis, tamque divinis reliquiis nobis relictis, gratias persolvamus.

Tum, ut quoties sacræ mensæ accumbimus, recogitemus non exosculandas illic reliquias capillorum, zonæ, vestium, aut fusi; sed corporis Mariani partes, ab ipso Filio incorporatas, nobis delibandas, & intimè communicandas exhiberi.

Sacræ reliquiæ Marianæ in Eucharistia, quibusdam figuris exponuntur.

His autem, quis cultus, quæ veneratio, & adoratio debita, quis fructus ex iis colligendus, paucis, velut intento digito, demonstrabo, fusius à sacris Oratoribus, pro cujusque spiritu, & suadâ exponendus.

Ut hæ divinissimæ RELIQUIÆ, *cogitationis diem festum agant tibi.* Psal. 75. Succurrat animo, quandocumque, & ubicumque splendidum convivium instruitur, tantum primo die ferculorum, ac bellariorum superesse, ut reliquiæ plures dies festos agant. Instituit Redemptor noster *cœnam magnam,* & Doctor Angelicus loquitur, *pretiosum convivium, & omni suavitate repletum;* cujus *reliquiæ,* ut *cogitationis,* devotionis, venerationis, adorationis jugem *diē festum agant tibi,* Eucharistici convivii præclarum typũ Matthæi 14. & Joan. 6. habemus, dum quinque millia virorum, cum mulieribus & parvulis ut Cornelius computat, ad 30. millia, quinque panibus saturata sunt; & ut jussi erant discipuli, TULERUNT RELIQUIAS *duodecim cophinos fragmentorum.* Has reliquias Hugo Cardinalis cælestis mensæ interpretatur, dicens: *Hæ*

Matth. 14. v. 20. Hugo Car. hic.

sunt

sunt micæ, quæ cadunt de mensa, quas catelli id est humiles comedunt. Hæ micæ supra omnes stellas micantes, hæ reliquiæ supra omne aurum, & lapidem pretiosum præstantes, continent in se carnem & sanguinem Mariæ, quæ eadem cum carne Filii Dei; quod attentâ meditatione ruminans S. Pater noster Ignatius, *incredibilis ajebat esse solatii, diligenter secum expendere, quoties divinis epulis accumbimus, non Christi Domini solum, sed & Matris ejus Deiparæ* MARIÆ CARNIBUS NOS VESCI, AC CIBARI. Quis hæc recogitet, ut illo solatio vivâ fide fruatur, & hæ reliquiæ diem festum, saltem quo illas delibavit, agant illi? Quin & in Diario suo S. Pater scriptum reliquit, *mirificam animi voluptatem rapere solitum, dum mente volveret, unam Christi, & Mariæ carnem esse*; ac proinde dum sacratissimo Christi corpore reficimur, non solum cum Christo, sed etiam cum Maria eandem nos carnem fieri, juxta commune Philosophorum pronuntiatum: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se.*

Lyræum apophth. S. Ignatii. pag. 111.

Vega Theol. Mariana n. 1478.

O homo, cogita quali sis insignitus honore, qui Eucharistici cibi, ac potus sumptione, consanguinitatem intimam, & arctissimam cum Dei Matre inis, & contrahis. Quis jam posterum tantæ cognationis avidus, ad has cælestes divitias, ac delicias, ad has divinissimas reliquias non toto animo, toto corde, totâ mente feratur, & exardescat? his epulis veluti Matris uberibus, & Christi vulneribus inhiet, & inhæreat, cum Dei Matre affinitatem, & consanguinitatem contracturus? Quod prius Auctor apud Novarinum verissimè tradidit his verbis: *Nullus homo propinquior est affinitate alteri, quam est tibi conjuncta B. Virgo: qui enim corpus Christi suscipit in Eucharistia, unione quâdam reali fit una caro cum Christo, ut non sit unio alia, & conjunctio tam propinqua, & similis inter homines, etiam inter virum & uxorem. Quare etiam te debes reputare affinem Matri ipsius Christi, ac æstimare te habere eandem carnem cum illa. Major item est conjunctio physica, & realis inter Deum & te, quam inter te & patrem tuum; qualis ergò erit affinitas, quam contrahis cum Matre ipsius Dei?*

Novarin. Agnus Eucharisticus n. 461

O quam virgineos mores, quam castos amores nos imbibere, & imbuere par est, qui carne ac sanguine Mariæ pasti, in eam quasi transmutamur, & transformamur! Quam castos oculos, aures, os, manus, pedes: quam casta desideria, cogitationes, nos habere par est, qui unum cum Maria efficimur. Hæ RELIQUIÆ *cogitationis diem festum agant tibi* in æternum.

Psal. 75.

* * *



FESTUM

SANCTI BERNARDI

20. Augusti per Octav.

MELLIFLVI DOCTORIS

CLARÆVALLENSIS ABBATIS.

Favus distillans labia tua. Cant. 8. v. 11.



Miscuit utile dulci. Horat. de arte.

ARGUMENTUM.

Apis artifex mellis, omnium Poëtarum calamis, Sanctorum Patrum encomiis, atque imprimis sacrarum literarum oraculis collaudata, amplam mihi materiam suggerit, ut quæ in apibus excelluot naturæ proprietates ad stuporem admirandæ, *in mellifluo Doctore Bernardo*, heroicarum virtutum prodigia, & divinorum operum miracula demonstrem. Quare si sapientissimus mortalium te ad apem ableget, dicens : *Vade ad apem*, ego vos
Prov. 6. ad Apem Claravallensem remitto, *sub cujus lingua lac & mel*, & disce quomodo hæc præ humilitate, ut Hugo ex-
Eccl. XI. ponit, *brevis in volatilibus apis*, opus suum in abscondito facit, quotque religiosorum ac sanctimonialium ascete-ria condidit, tot cælestibus apibus, & divinis favis alvearia complerit.

Sed ne more Apum longius evagemur, duo, quibus omnia complectar, sectabor: apem præ cæteris floribus, li-
Virg. 4. Georg. liis & rosis pasci, atque ex iis *æthereos haustus* delibare; *Bernardum* verò ex ubere virginis, & latere Christi, lacteos ac purpureos fontes sugendo, dilecto suo persimilem, totum *candidum & rubicundum* extitisse. Ubi qua ratione Filii ac Filiæ hujus sanctissimi Parentis, castimonia vitæ, jejuniis, vigiliis, aliisque corporis afflictationibus, pallore candidi, nec non suo sanguine purpurei extiterint, ex dicendis patebit. Unum mihi denique votum est, non ut Philosopho isti olim fuit, qui vitreum alveare secum, in desertum contulit, ut artificium apis, quo mellificium conficit, assequeretur, sed ut illa Claravallis, cæleste alveare, Sanctorum domicilium, totum crystallinum, quot-
Seneca. que in orbe Divi Bernardi, velut alvearia, exstant cœnobia, vitreis cellis, & parietibus, omnium oculis paterent! *O quam formosum foret spectaculum*, si hæc rimari & mirari contingeret!

§. I. *Mel & lac sub lingua ejus.* Cant. 4.
§. II. *Brevis in volatilibus est* APIS, *& initium dulcoris habet fructus illius.* Ecc. XI. v. 3.
§. III. *Vade ad* APEM, *& disce operationem quoque suam quam venerabilem facit.* Prov. 6. ex vers. 70.
§. IV. *Clara Vallis Alveare describitur.*

FESTUM

FESTUM SANCTI BERNARDI MELLIFLVI DOCTORIS CLARÆVALLENSIS ABBATIS.

Favus distillans labia tua. Cant. 4. v. 11.

Cicero de Oratore.



Randis ille è stoa Sophos, ut disertus apud Athenienses orator Isocrates, quē Tullius ab eloquentia, ut mirâ sermonis dulcedine commendat, illud propyleo Apollinis dignum oraculū protulit, *neminem unquam, qui* APICULAM, *laudare voluerit, verba defecerunt*: hanc divina commendant oracula, hanc Philosophorum mirantur ingenia, hanc Poëtarum canunt carmina, hanc Oratorum deprædicant pulpita, hanc Sanctorum Patrum extollunt encomia. *Brevis*, inquit Sapiens, *in volatilibus est* APIS, *& initium dulcoris habet fructus ejus.* Aristoteles aliquid etiam divinitatis apibus tribuit. Romanus Philosophus: *Non vides quanta subtilitas sit* APIBUS *ad fingenda domicilia? quanta dividui laboris obeundi concordia?* Plinius ubi pluribus in laudem ejus excurrit, nec satis industriam rimari potest, hoc nobile effatum scriptum reliquit: APIBUS *principatus, & jure præcipua admiratio debetur.* Poëtarum Princeps sic aureum suum de apibus poëma exorditur:

Isocrates in laudatione Helena.

Eccl. 11. v 3.

Aristot. lib. 3. de generati cap. 10. Seneca epist. 121. Plinius lib. 11. c. 5.

Virgil. 4. Georg.

PROTINUS AEREI MELLIS, CÆLESTIA DONA.
Exequar. Hanc etiam Mæcenas aspice partem.
Admiranda tibi levium spectacula rerum,
Magnanimosque Duces, totiusque ordine gentis
Mores, & studia, & populos, & prælia dicam.
IN TENUI LABOR EST; AT TENUIS NON GLORIA.

Tum eorum fabricam, rempublicam, œconomiam, quæ omnem humanam superat, prosequitur: hanc enim si consideres, plus miraberis, quàm Regina Saba Salomonis familiam: neç enim tam admirandus fuit Salomon in suo solio, cum omni gloria sua, quàm apicula in suo mellificio cum omni dulcedine, & artificiosa fabrica sua. Advocat omnes architecturæ magistros, symmetriæ peritos, principes ingeniarios Tertullianus, & eorum quemque percunctatur: *Imitare, si potes,* APIS ÆDIFICIA. Una apes *dædalea arte* omnes nimium quantum exsuperabit.

Tertullian adversus Marcionē. lib. 5.

Dixit olim, & verè Horatius

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Virg. 4. Georg. Horat. de arte

Apiculæ hanc propriissimè laudem deberi, nemo diffitebitur: sic etenim suavissimâ suâ facundiâ. D. Ambrosius: *Vides quam laboriosa, quam grata sit. Fructus ejus ab omnibus desideratur, & quæritur nec pro personarum diversitate discernitur; sed indiscretâ sui gratiâ Regibus pariter, ac mediocribus æquali suavitate dulcescit.* Pergit porrò, quæ humano generi, melle, & cerâ præstet, commoda enarrare: *Nec solum voluptati, sed etiam saluti est: fauces obdulcat, & curat vulnera; internis quoque medicamentum infundit ulceribus:* dulcissimam præbens omnium morborum panaceam.

Ambr. lib. 5. hexam. cap. 21.

Vtilitas apis.

Ænigma illud quondam viris asceticis villicus suburbanus proposuit divinandum: *Optimum lignum non cædi: optimum florem non carpi, optimam volucrem nullo jaculo feriri.* Quòd cùm peritioribus etiam peregrinum, ac paradoxum videretur, sic exposuit. Optimum lignum vitis, quæ suavissimos fructus profert, in usus humanos non cædi: optimum florem frumenti non decerpi: optimam volucrem, nempe apem, neminem jaculari; idque non immeritò, quod summam mortalibus utilitatem conferat; unde aureus Orator Chrysostomus, eam pulcherrimæ omnium volucrum, pavoni præferre non dubitavit, dicens: *Quid abjectius* APE? *& quid pavone pulchrius? uter autem præstantior,* APISNE, AN PAVO? *Non dubium quin* APIS. *Pavonem de medio tollere, nihil detrimenti attuleris;* APEM *de medio tolle, & ingens utilitas adempta erit.* Plus dico, tolle omnes illas nobilium plumas, & cristas: tolle variegatas puellarum, quasi pavonum, caudas, & picturata syrmata; *nihil detrimenti,* sed plurimum emolumenti attuleris; TOLLE APEM, teste Plinio, *succum dulcissimum, ac saluberrimum, & ceras* MILLE AD USUS VITÆ *abstuleris.* Sapidissimum illud mel, quo tot cibi condiuntur, quod tot ægris medicinæ est: cerâ illa candidissima, quâ Regum mensæ, quâ sacræ omnes aræ, & publicæ supplicationes collucent: quâ testamenti tabulæ, contractus, Codicilli, Principum, ac Pontificum diplomata signantur, è medio tuleris. Vitem è medio tuleris, & omnium malorum, ac morborum matrem sustuleris: nam quantum apis viti, mel vino præstet, ingenioso, & religioso apologo Divus Cyrillus exposuit. Apem inquit, mellis stillicidia in floribus legentem, bibio, seu po-

Ænigma

Chrysost. in psal 50.

Morale.

Plinius lib 11. cap. 5.

Cyrillus lib. 4 apolog. mor. cap. 5.

 tator

“ tatot reperit, & quid ibi quæreret, exquisivit? Cui illa respondit: mel sitibunda quæro, mel colligo de florum profundo. *At ille hoc audiens, cum risu dixit, bene scripsit Aristoteles in problematis suis: fatuos esse dulcium amatores.* Putaveram certè te lenitatam fore ex Regis gubernatione, & arte; sed, ut cerno, operatione minor est res tua: nam nondum nosti quid sit mel, & vitalis suavitas, quæ de radice, & de fructu, & flore stillat: attamen quia compatior siti tuæ, veni mecum & dabo tibi cellarium mellis plenum. Ut quid tota die sitibunda, & anxia in aridis floribus tempestuaris. Egredere, ecce te ducam ad fontem dulcedinis. At verò cum illum credula sequeretur, *deductam ad vitem*, sic allocuta est eam: hic est flagrantia vitæ, abundantia gratiæ, dulcedo lætitiæ, valetudo mirificæ medicinæ. Illud est mel suavissimum, cor sustentans: hic liquor balsamiticus substantiam salvans: hic ros nitidissimus humiues, deosque lætificaos. Bibe mecum tu sitibunda satis, & cum jucunditate recumbe. *Ad hæc sagax illa*, vini odorem sentiens, mox ita fertur dixisse: certè hæc dudum audiveram; sed experientiâ nesciebam quod amatores vini essent ebrii: idcirco quia vino mades, semper ebrius es, & rationis lucernâ cares; atque de proprietate vini corruptissimè es locutus. Tum damna vini à conglobatis exaggerat: *Nam vinum ori quidem est mel, sed capiti venenosum fel*: sapit in ore, ardet in ventre, fumat in capite, obtundit sensus, tollit mentem, visum obnubilat, nemos laxat, gressus inordinat, & totum corpus vastat, ita ut à planta pedis, usque ad verticem capitis, non sit in ebrio sanitas. Quod variis exemplis demonstrat. Ac tandem concludit *ô amabile, & dulce venenum: submergis te sectantes, occidis perfruentes, novi te melleum venenum. Quibus dictis recessit.* Nihil horum habet mel apis, saluberrimum ad mille usus. Tum quod in ape præcipuum est, eam tolle, & pulcherrima morum, ac saluberrima virtutum documenta cessabunt: ut præclarè Mediolanensis Antistes: *Nam cum sit infirma robore* APIS, *valida est vigore sapientiæ, & amore virtutis. Unde meritò quasi bonam operariam Scriptura prædicat, dicens,* VADE AD APEM, *& vide quomodo operaria est.* Ac tandem suavi parænesi concludit: *Audis quid dicat Propheta? Mittit utique te ut* APICULÆ *illius sequaris exemplum, imitern operationem.* His tam luculentis mirandi hujus animalculi encomiis enarratis, nemo quisquam jure demirabitur *sanctissimum hunc Patriarcham, ac suavissimum Doctorem Bernardum* API comparari, si præclaras ejus prærogativas, ac divinas propè excellentias expendens, Christum quoque, ejusque sanctissimam Matrem, passim à sanctis Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus api assimilari intellexerit. Ac primum quidem Origenes, illud Sapientis: VADE AD APEM, sic exposuit: *quod dicitur, vade ad* APEM, *istiusmodi est: est quadam* APIS SUPER APES. *Et quomodo inter* APES *Rex quidam est, sic* PRINCEPS APUM, *Dominus meus est* IESVS *Christus, ad quem mittit me Spiritus sanctus, ut comedam mel, bonum est enim, & favos ejus, ut indulcentur fauces meæ.*

Cornel. in Proverb. cap. 23. v. 34.

Ambr. lib. 5. hexam. cap. 21.
Proverb. 6 ex 70. interpret.

Prov. 6.
Christus api comparatur.

Eadem similitudine usus sanctus Gaudentius, Clemens Alexandrinus, Richardus à S. Laurentio; sed præ his mellisfluvium, *ipsum Bernardum* delibemus. qui sermone 2. de Adventu, agens de Christo incarnato, APIS, inquit, *est, quæ pascitur inter lilia: quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Unde ad civitatem Nazareth, quod interpretatur flos, advolavit, & ad suaveolentem perpetuæ virginitatis florem advenit, illi insedit, illi adhæsit, & ad nos veniens, solum mel attulit, non aculeum, id est misericordiam, & non judicium.* Quod filio, hoc gravissimi Doctores Matri Virgini, vivum, ac verum integritatis symbolum tribuere non dubitarunt. Divus Aldelmus, Saxonum Episcopus sacræ Scripturæ testimonio id manifestum declarat, dicens: A-PEM *propter peculiare castimoniæ privilegium,* PUDICISSIMÆ VIRGINIS TYPUM, *indubitatâ Scripturarum auctoritate adstipulamur.* Atque illud Ecclesiastici cumprimis: *Brevis in volatilibus est* APES; Richardus aptè Virgini Matri his verbis accommodat: *Quantò Virgo Maria est purior, magis fœtet illi luxuriosus: ipsa enim cum sit* APIS, *fugatur fœtore.* Ipse denique Augustinus, MARIAM, *beatam, ut mirabilem* APEM *nuncupavit.* Quare his iam præclaris Scripturarum, ac Sanctorum Patrum testimoniis nixus.

Raynaud. trias fortium David. pag 185.
Gaudent. in respons. ad Paul Diacon
Clemens Alexand.
Richard. cap. 12.
Bern. ser. 2 de Adv.
Virgo Maria api similis.
Eccl. 11. 3
Richard. à S. Laur. lib. 2. de laud Virg. particula 6.
Aug. serm de benedict. cere.

Hic equidem signis, atque hæc exempla secutus.

Virg. Georg. lib. 4.

Dulcius, ac utilius de mellifluo Doctore usurpâro, quam gentiles Poëtæ de apibus cecinere.

Esse apibus partem divinæ mentis, & haustus
Æthereos.

Esse huic *api Claravallensi* lac, & mel sub lingua, opus suum venerabile, mirabile, & amabile facere, tot alvearia, quot monasteria, &

Dulces distendere nectare cellas.

Virg. ib.

Hæc inquam, aliaque verius de mystica ape deprædicâro; sed ad hoc, melliflua ejus lingua, & os illud quod Divus Thomas *gemmeum* appellat, mihi necesseeit. Quid enim ego mihi assumam ejus laudes enarrare, ubi video septem ordines Prophetarum, Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, Doctorum, Confessorum, Virginum in chorum suum deposcentium, animosius, & gloriosius decertare, quàm olim septem orbes de Homero, civem suum asserentes. Imo non septem, sed & novem Angelorum chori, quique eum sibi vindicant irrefragabili Doctoris Angelici testimonio: Quia *habuit in se virtutes, & officia omnium ordinum, Angelorum,* Cherubim, Seraphim, &c.

S. Th. ser. de S. Bern.
S. Th. ibid

Itaque ut cum Poëta loquar,

Non mihi si lingua centum, sint oraque centum.

Aut potiùs, si ut Apostolus ait, *linguis Angelorum loquar* impar ero, ut hujus sanctissimi Patriarchæ, ac suavissimi Doctoris laudes enarrare, nedum adumbrare valeam. Hinc nihil mihi aptius visum fuit, quam ut ipsum *mellifluum Doctorem*

1. Cor. 13.

melleâ

mellcâ suâ facundiâ, variis ex alveari ejus collectis favis differentem audiatis. Porrò apis instat argumentosa ex ejus divinis sermonibus, declamationibus, sententiis, velut è suavissimis flosculis mella collegi, monentem Senecam secutus, qui ait: APES *debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde quidquid attulére, disponunt, ac per favos digerunt, & ut Virgilius noster ait,*

Seneca epist. 84.

> *Liquentia mella*
> *Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.*

Virg. lib. 4. Georg.

Nos quoque APES *debemus imitari, & quæcumque ex diversa lectione congessimus, separare: melius enim distincta servantur. Deinde adhibita ingenii nostri curâ, & facultate, in unum saporem varia illa libamenta confundere, ut etiamsi apparuerit, unde sumptum sit; aliud tamen esse, quam unde sumptum est, appareat.* Quod ipsum in præsentiarum facere aggredior.

§. I.

Mel, & lac sub lingua ejus.
Cant. 4. ℣. 11.

FOrtissimus ille heros Samson, ut libro Judicum refertur, forte à via declinarat, ut videret cadaver leonis, quem pridem dilacerârat, *& ecce* EXAMEN APUM IN ORE LEONIS ERAT, ET FAVUS MELLIS, quod cum omnibus clam habuisset, hoc ænigma convivis proposuit: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Samsonem, verum, ac vivum typum Salvatoris nostri expressisse, communis Patrum sensus, & consensus est. Divus Augustinus sic disserit: *Intelligamus, fratres charissimi, grandia hic latere mysteria. Samson Christum significabat: nam quæstio ipsa, de edente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo, quid aliud significat, quam Christum à mortuis resurgentem? de edente utique, id est, de morte, quæ cuncta devorat, atque consumit, exivit cibus ille, qui dixit ego sum panis vivus, &c. atque ab eo plebs gentium, vita dulcedinem conversa suscepit: ac sic de mortui leonis ore, id est Christi morte, qui accubans, dormivit ut leo,* APUM *id est Christianorum processit examen.*

Lib. Judic. c. 14 v. 8.
V. 14.
Aug. serm 107. de tempore.

Hugo Cardinalis in hunc locum, per leonem, qui circuit quærens quem devoret, intelligit diabolum, à Redemptore nostro occisum: *Samson, inquit, significat Christum. Samson leonem interfecit, & Christus diabolum occidit. Samson de faucibus leonis extraxit favum mellis, & Christus de faucibus diaboli, genus humanum, significatum per favum: cera enim corpus, mel spiritus est.* Sanctus Paulinus, Nolanus Antistes, non minus propriè ad rem nostram, mel in ore, Verbum Dei, super mel dulce, præfigurati asserit: *Nobis leo ille est, in cujus mortui ore, cibum mellis invenimus: quid enim dulcius Dei verbo? & quid fortius Dei dextera? aut in cujus mortui ore favus,* ET APIS, *nisi in cujus verbo, salutis nostræ bonum & congregatio gentium?* Ac tandem concludit: *Apostoli* VELUT APES *à rore cæli, & divinarum floribus gratiarum,* MELLA SAPIENTIÆ *condiderunt.* Hæc omnia mellifluo Doctori, celeberrimo Ecclesiæ Apostolo (ex cujus ore, dum eloquia Dei *dulciora super mel, & favum* emanarunt, apum, id est *Christianorum,* imò & Religiosorum *processit examen*) quam aptè conveniant, disquiramus.

Hug. cap. 13. Judicū.
S. Paulin. epist. 4. ad Severum.
Ps. 18. v. 11

Ac primum quidem, quæ *mella sapientiæ condiderit,* & unde ea legerit, videamus. Illustri gentilium Philosophorum, SS. Patrum encomio, ingenium, solertia, industria, sapientia, quæ in apibus elucet, commendatur. Dydimus, quem citat Constantinus Imperator, apem omnium animalium sapientissimam, & artificiosissimam pronuntiavit. Lucianus apem, sapientem divini mellis effectricem nominavit. Virgilius verò admirandas ingenii dotes, humano quid altius habere cecinit:

De sapientia & doctrina Bernardi cælitus hausta.
Dydim. l. 15. c. 3.
Lucianus in Alcyone.

> *Esse* APIBUS *partem divinæ mentis, & haustus*
> *Æthereos dixere.*

Virgil. 4. Georg.

Ingenium, & artem stupet Varro, quam nemo Philosophus, nemo Geometra, nemo Mathematicus assequatur. Plinius Trajanum amandat ad apiculam, ut sapientiam, & civilem prudentiam, ac descriptam per Maronem ejus œconomiam hauriat. Fuisse præcellenti ingenio viros, qui bonam ætatis partem in consideratione apis, ac mellificii contriverint, litterarum monumentis proditum est: *Ne quis miretur,* inquit solertissimus naturæ indagator, AMORE APUM CAPTOS, *Aristomachum, duos, & sexaginta annos nihil aliud egisse? Philiscum Thasium in desertis* APES *colentem, qui* relictis urbibus, sylvas, & solitudinem petierunt, atque omne studium in earum solertiam contemplando collocarunt. Quæ omnia solidius sanctorum Patrum firmantur suffragiis. Sanctus Ephrem sermone de vita religiosa eam laudem api tribuit, ut dixerit: *Si omnes sapientes terræ, cunctique orbis Philosophi congregati fuerint,* SAPIENTIAM APIS *ediscere haud quaquam valebunt.* Quis capiat, quis assequatur artificium, quomodo amussi, sine circino, sine regulâ opera sua hexagona regulariter construant? &

Varro lib. 3 de re rustica c. 46.
Plin lib. 11. cap. 9.
Plin lib. 11 cap. 9.
S. Ephrem. serm de vita Relig.

> *Dulci distendant nectare cellas?*

Virg. 4. Georg.

Disce, inquit magnus Basilius, *quomodo nec geometriæ inventionum rudis est* SAPIENTISSIMA AVIS: omnes enim cellæ sexangulæ sunt, & æqualia latera habent; hinc Lactantio visa est apum solertia, ut disertè affirmarit: APES *domicilia inenarrabili arte componere;* atque hæc omnia nullo prævio studio, aut magistro: *Quis enim artifex,* quærit Ambrosius, *eas docuit hexagona illa cellarum, indiscretâ laterum æqualitate componere, ac tenues inter domorum septa ceras suspendere; stipare mella, & intexta floribus horrea nectare quodam distendere;* Plus hæc opera admiranda, & deprædicanda, quàm excelsa regum palatia; quàm vastâ bellnarum monstra; sic Africanus Doctor sensisse videtur, dum dixit: *Illa plus habent admirationis, quæ molis minimum: plus enim formicarum,* ET AVICULARUM *opera stupemus, quam immensa corpora belluarum,* plus earum cellas, quam superba multo operarum laboa

Basil. in hexam. c. 8
Lactant. lib. 3 instit. c. 10.
Ambr lib. 5 hexam. cap. 21.
August. lib 22. de civit. c. 24

labore, & sumptu Principum Mausolæa. Omnis in apum industria assequenda artificum deficit industria, omnium ingeniorum succumbit solertia; unde idem sanctissimus Præsul Augustinus: *Philosophus Aristodemus annis multis insudavit naturam* APIS *investigare, nec finaliter potuit.* *Quomodo ergo nos*, ut rem aggrediar, apis nostræ Claravallensis industriam, solertiam, doctrinam, sapientiam, non aliunde quàm à cælo, magistro Spiritu sancto haustam investigare, quomodo opera illa *melliflui Doctoris* divino melle manantia, favos illos, epistolas dico, sermones, declamationes cælesti nectare plenas delibare, & suaves ex iis fructus, dulciores super mel, & favum degustare poterimus; Non si cum Aristodemo, aut Aristomacho ad 62. annos me in solitudinem conferam, mirabile illud mellificium ex floribus Scripturarum delectum, mellifluam illam doctrinam, investigare, nedum explicare valuero.

August. ad fratres in Eremo c. 13

Ne tamen nihil dixisse videar, eos adducam, qui cæleste hoc alvare vel pertinam prupius lustrati sunt.

Æterna Dei Sapientia mittit juvenem Salomonem ad apem, solertissimam magistram: VADE AD APEM, *& disce quomodo operaria est. Appetibilis est omnibus, & cum sit robore infirma, sapientiam honorans, evecta est.* Suavissimus Bernardus, velut apis argumentosa, non è libris, non è gymnasiis, aut Philosophorum lycæis, sed in pratis, & sylvis meditando & cælestes haustus participando, divinam scientiam, quæ illi cœlitus infusa, & Scriptura instar radii solaris exposita, consecutus est, quod hisce verbis universa decantat Ecclesia: *cum doctrinâ potiùs divinitus traditâ, quam labore comparatâ instructum fuisse.*

Ex bibliis juxta 70. Interp. auctoritate Sixti V. Pontif. Latinè redditis Prov. 6

Breviar. Rom. 20. Aug.

Hinc S. Antoninus, Antistes Florentinus Doctor egregius: BERNARDUS, inquit, *fuit puteus, seu fons profunditate divinæ* (non humanæ) *sapientia.* Quid, quod Abbas Igniacensis, tanti Doctoris discipulus hoc de eo tulerit elogium: Bernardus *Magister noster interpres Spiritus sancti.* Quis non Evangelistam dixerit; quod cœlesti prodigio confirmat Guilielmus Abbas libro 1. cap. 6. ubi refert mira luce puerum Bernardo apparuisse, ac præcepisse: *fiducialiter loqui, quidquid suggeretur, quoniã non ipse esset, qui loqueretur, sed Spiritus qui loqueretur in eo*; ut de eo verissimum illud deprædicatur: *in medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominus Spiritu sapientia. & intellectus*; cujus rei testem habeo ipsam primam Veritatem; sic etenim Dominus JESUS
" per manifestam revelationem ancillæ suæ
" Mechtildi: *in medio Ecclesiæ* S. BERNARDI OS,
" *singulariter à Deo in benedictionibus dulcedinis præ-*
" *venti, nominus aperuit, qua Spiritus sanctus afflu-*
" *enter, & superabundanter infundendo repleverat:*
" ejusque impulsu, ea *quæ sibi divinitus inspira-*
" *bantur*, charitate accensus effudit, *& Ecclesiam*
" *suâ doctrinâ multum illuminavit: nam impleve-*
" *rat eum Dominus Spiritu sapientiæ, & intellectus*
" *supra quam dici potest*; ut meritò *Doctoris mellifluæ* titulo honoretur; qui quam ipsi præ cæteris conveniat, mellea ejus facundia, & eloquia *dulciora super mel, & favum* satis testantur. Nota futuræ eloquentiæ præsagia, ex Apibus infantum labillis mel inferentibus Auctores quamplurimi tradidere. Hoc de *Platone, Hierone, Nestore*, cujus ex ore melle dulcior fluebat oratio, compertum habemus In ore *Pindari*, cum etiamnum adolescens obdormisceret in via, perspicuo melliex ejus facundiæ præsagio, mellificasse apes ferunt. Ægyptiis referrente Plutarcho, quâ die, Mercurii eloquentiæ Præsidis festa agitabant, mel esitare moris erat, quod eloquentia quid dulcissimum, ac sapidissimum omnibus haberetur. Nec abludit quod Rupertus exponens allegoricè favum mellis è leonis faucibus à Samsone lectum, symbolum id esse dixit Christiani Oratoris; qualis Ambrosius, in cujus ore adhuc in cunis vagientis, apes mellificarunt: qualis teste Ennodio, Ticinensium Antistes Epiphanius, cujus melleam eloquentiam inde celebrat, *quod nitida membra commendarent*, MELLA SERMONUM. Talis Olybius vir disertissimus de quo idem Ennodius: *Dum* FAVOS LOQUERIS, *& per* DOMOS CEREAS ELOQUENTIÆ NECTARE, *liquentis elementi* MELLA COMPONIS, *peregrinum labiis meis saporem epulis divitiis infudisti.* Verùm enimverò præ his omnibus non injuria, prærogativa singulari *Melliflui Doctoris* nomine, sanctissimum hunc Patriarcham indigetari, nemo quisquam, qui melleam ad promovendum, & persuadendum ac suavissimam ad penetrandum scribendi, & dicendi vim pro dignitate secum ruminarit, refragabitur.

S. Antonini 2. part. hist. tit. 17 cap. 5.

Guerricus serm. 3. festo SS. Petri & Pauli.

Guilhel. Abbas lib. 1. cap. 6.

S. Bernardus Doctor mellifluus dictus.

Lib. gratiæ spirit. cap. 91.

Privil. ord. 23.

Psal. 18.

V. Delrio in Cant. cap. 4. v. 11. n. 1.

Ennodius lib. 1. ep. 10

Doctorem Seraphicum, qui illius favos, quos scripsit, delibavit, testem habeo: *audite* inquit, *verba pulcherrima altissimi contemplantis, & orationis dulcedinem degustantis* BERNARDI: *rumines ea, si vis ut sapiant tibi.*

Bonav. in medit. vita Christi.

Hoc eum titulo insignivit Beatus Henricus Suso: *& tu, ait, inter omnes Doctores benedictus sis* BERNARDE MELLIFLUE; *cujus anima sempiterni verbi mirificè fuit illustrata splendoribus.* Qui MELLITO ELOQUIO suo, *ex cordis manante redundantiâ, humanitatis Christi Passionem dulcissimè deprædicas. Meritò sanè,* PATER SANCTISSIME BERNARDE *lingua tua* DULCISSIMA MANAT ELOQUIA, *quando cor tuum Christi* MELLIFLUA PASSIONE *adeò dulcoratur.*

Nemo tam profundè mundi salo immersus, quem suâ melleâ facundiâ non extraxerit. Incipio à domesticis, & maximè propinquis. Primus omnium *Galdricus avunculus Bernardi* abs-
" que dilatione, aut hæsitatione, pedibus, ut
" ajunt, ivit in sententiam nepotis, & consen-
" sum conversionis, vir honestus, & potens, in sæculo militari gloriâ insignis. Tum *Bartholomæum, & Andream* fratres de tironibus sæculi, milites Christi fecit. Tum quod stupendum, *Guido* fratrum senior juvenculæ nobili, ac potenti alligatus, ex qua parvulos filiolos susceperat, manus dedit, uxore tenellula, eodem sancto proposito incensâ: Cujus, vel Demosthenis, aut Tullii facundia: cujus quantumvis per plures annos disertissimi Oratoris eloquentia in ejusmodi tam mirabiles metamorphoses inducere posset? denique *Gerardum* secundo post Guidonem genitum, armis strenuum, & *Nivardum* fratrem minimum, Christi castris adjunxit. Nec hoc satis, Tiscelinus Parens ex familia

Guiliel. Abbas lib. 1 cap. 3. Annal. Cisterc. tom. 1. anno Christi 1112. N. 5.

Comi-

Comirum Castellionensium, omnibus filiis suis orbatus, statuit eos in Claravalle visere, quò ut advenit, divinâ mellifluı Bernardı eloquentiâ ita eommotus est, ut sub filio Abbate, ipse se tyronem instruendum tradiderit. Superat post sex fratres Deo conservatos unica soror *Humbelina*, quam ut tota domus sancta esset, oportuit & illam adducere, quæ unica hæres, nec fratrum, nec parentis exemplo permota, divitiis, & naturæ dotibus affluens, mille petita procis, nuptias virginitati prælegit. Quis mortalium hunc Sanctimonialem exspectet? Quid valeat mellisflua dicendi vis, divino Spiritu attemperata attendite: *Ergò in sæculo nupta, & sæculo dedita, cùm in divitiis, & deliciis sæculi periclitaretur, tandem aliquando inspiravit ei Deus, ut fratres suos viseret*; sed hanc venerabilis frater, tam superbo ornatu, & apparatu accedentem, ne conspectu quidem dignatus est, & non sine aculeo facessere jussit; quod illam graviter, sed & salubriter pupigit:

Annal. Cisterc. tom 1. anno Christi 1124. cap. 5.

Guilielm. Abbas lib. 1. vita, cap 6.

Ibidem.

„ uam in lacrymas soluta: si peccatrix sum, in-
„ quit, pro talibus Christus mortuus est: &
„ quia peccatrix sum, idcircò consilium, &
„ colloquium bonorum operum requiro.
„ Quòd si frater meus despicit carnem meam,
„ non despiciat servus Dei animam meam.

Veniat, præcipiat, quidquid præceperit, facere parata sum. Hisce sanctis promissis convenit sororem suam, quam suavissimis monitis ita instruxit, ut mutata redierit ab altera, quàm venerat, jamque obrentâ à marito potestate, mundo spreto inter Sanctimoniales sancta inter Sanctas vitam traduxerit. Istiusmodi non miranda, sed miracula non humanâ linguâ patrantur, sed *angelicâ*, qua illum fretum fuisse auctor vitæ scribit. Hinc factum, ut parentes liberos suos, mariti uxores, propinqui propinquos arcerent, ne Bernardum audirent, & se, ac sæculum, quod *plùs aloës, quàm* MELLIS *habet*, desererent; sic enim habet Guilielmus Abbas: *Eo publicè, & privatim prædicante, matres filios abscondebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant, quia voci ejus Spiritus sanctus tantam dabat virtutem, ut vix aliquem alius teneret affectus.* Quis crederet etiam capi potuisse leves volucres, quæ studiosè ipsius casses devitarent.

Guilielm. Abbas cap. 6.

Iuvenal. sat. 6.

Ipsis Bacchanalibus festis fortè in campo propè Claravallem ludebant insulsi, & petulci juvenes, qui inconditis clamoribus, viris Religiosis in choro psallentibus obstrepabant, nec moniti desistebant; donec tandem ad claustrum lustrandum humaniter invitati, in ipsum Abbatem inciderunt, qui quàm fortiter, & suaviter ad eos dixerit, ex hoc colligere est, quòd tota illa Nobilium cohors, relictis ludis, parentibus, propinquis insalutatis, mundo, & omnibus humanis longum valedicto, ibi pedem fixerint, ejusque sanctorum virorum albo adscripti fuerint. Sed hæc parva sunt, sic cum iis quæ dicturus sum, comparentur. Integra regna, ac regiones, imò orbem universum linguâ suà mellifluâ hæc apis pertraxit, & ad alveare Ecclesiæ adduxit. BERNARDUS in tetro illo schismate adversus *Innocentium* ita elaboravit, ita peroravit, ut verè dici possit illius unius operâ, & eloquentia tandem esse sublatum.

Primùm enim Gallias ei solus conjunxit, cùm Stampensis Synodus ad hanc rem ex omnibus Episcopis, & Rege, & Principibus conflata, omne suum judicium in ipsius arbitrium rejecisset. Deinde *Henricum* Angliæ Regem eidem conciliavit, & quidem renitentibus, & adversantibus omnibus Provincialibus Episcopis: inde Germaniam quoque omnem.

Postea venit ad Pisanum Concilium, quo omnes occidentales Episcopi convenerant, cujus actis de rebus gravissimis non solùm interfuit, sed quodammodo præfuit, cùm ad eum omnia referrerentur; exinde cùm Burdegalensis Ecclesia perditorum hominum factione agitaretur, & plurimis jam locis legitimi Episcopi pellerentur, ipse à Pontificis Nuntio Carnotensi Episcopo excitus, flammam illam melleo flumine, miraculis, & auctoritate extinxit. Post hæc Romam, publicis calamitatibus afflictam, Pontificis, pluriumque Cardinalium litteris evocatus, publica disputatione *Rogerium* Siciliæ Regem confutavit: tum *Petri Leonis* anti-Papæ partes ita suâ suadâ, ac sapientiâ debilitavit, ut ille ab omnibus desertus, misero fine diem clauserit. Habet & apis pro grege suo tuendo aculeum suum, quem nunquam vis irritata exerit. APIS *habet* MELLIS DULCEDINEM, *habet etiam* ACULEI PUNCTIONEM. *Petrum Abailardum* hæreseos monstrum, cùm vix esset, qui ei resisteret, sic illum priùs calamo depingit, & perstringit, quàm lingua: PETRUS ABAILARDUS *sine regula Monachus, sine solitudine Prælatus, nec ordinem tenet, nec tenetur ab ordine. Homo sibi dissimilis est, intùs Herodes, foris Ioannes, totus ambiguus, nihil habens de Monacho præter nomen, & habitum. Sed quid ad me? unusquisque onus suum portabit. Aliud est, quod dissimulare non possum, quod pertinet ad omnes, qui diligunt nomen Christi. Iniquitatem in excelso loquitur, integritatem fidei, castitatémque Ecclesiæ corrumpit*, scorto sacrilegè consuescens, & immane hæreseos virus spargens. Hunc primum in privato congressu, dein in Concilio Senonensi convicit, ac prostravit. Mox *Gilbertum Poretanum*, cujus item celebre nomen erat, in Concilio Rhemensi ita confudit, & confutavit, ut errorem suum palàm ipse condemnarit. Denique *Henricum apostatam*, qui Tholosanam diœcesim sua impietate infecerat, solus ipse fudit, ac fugavit.

Bern ser. 2. Advent.

Bern epist. 193.

V. Annales Cisterc. tom. 1. an Christi 1140.

Tandem ut schismatis Leunini flammas extingueret, Aquitaniam ingressus, Guilielmum Ducem monstrum informe, ingens, cui lumen rationis ademptum, aggressus est. Guilielmus non se Ducem Aquitaniæ putabat, nisi factionis quoque, quæ contra *Innocentium Pontificem* pugnabat, Dux esset. Mellea verba Bernardus ingesserat, fel merum referebat. Minas addiderat, graviores audiebat.

Ergo ubi verborum tonitrua non terruêre, ipso Numine armatus, cum Deo exercituum sub Eucharistica hostia latente ad eum progreditur, & voce plusquàm humana: *hunc etiam*, ait, *temnes improbe*: non erat hoc loqui, sed fulminate.

Sur. 10. Feb.

minare. Corruit humi ferox, & qui nulli antehac victas manus dederat, *Bernardo*, dedit: Jamque omnis populus casum miratur, unus Guilielmus negat se cecidisse, sed stare denique se credit. Mox nudum corpus, & caput lorica, & galea abscondit, longè maximum hostem se expugnaturus. Talis *ad Innocentium Pontificem*, inde Jerosolymam tendit, ibi antrum lacrymis implet, & gemitibus. Exinde vitam mira austeritate, & sanctitate exegit; frementibus ne quidquam, ac frendentibus Centuriatoribus Magdeburgensibus, qui linguas suas ut serpentes *in Bernardum* exacuerunt, firmantes sibi sermonem nequam, ob sanctam hanc, totique orbi stupendam Ducis conversionem.

Bern. lib. 2. de consideras. ad Eugeniū. At hic alter Ecclesiæ Apostolus, tam inflammato fidei, & divini honoris zelo accensus erat, ut se clypeum, qui omnia inimicorum tela exciperet, objicere non formidarit: *Bonum mihi*, inquit Bernardus, *si dignetur me Dominus meus uti pro clypeo; libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, & venenata spicula blasphemorum, ut non ad ipsum perveniant. Quis mihi det gloriari in voce illâ: quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam?* Quid alias pestes toto orbe profligatas, & vexillum crucis erectum, sanam fidei doctrinam stabilitam commemorem? *Hic est*, inquit *Theobald. in vita S. Gulielmi.* Theobaldus Episcopus, *qui in diebus suis hæreses extirpabat, hæreticos confundebat, schismaticos revocabat, erroneos instruebat, discordes concordabat*, &c. ut jure merito primum veritatis oraculum, eum columnam vocitarit, quæ Ecclesiam labantem fulciret: sic etenim universalis Ecclesiæ Pastor, ac Pater Alexander III. inter *Bulla Annal. Cisterc. tom. 3. pag. 3.* alia BERNARDI encomia, his verbis: *Qualiter ipse singularis gratiæ prærogativâ suffultus non solùm in seipso sanctitate, & Religione præfulserit, sed etiam in universâ Ecclesiâ Dei, fidei, & doctrinæ lumine radiarit. Fructum verò, quem in domo Domini, & verbo operatus est, & exemplo, nullus ferè terminus sanctæ Christianitatis ignorat: cùm usque ad exteras quoque terras, & barbaras nationes, sanctæ Religionis instituta transmiserit; specialiter verò sacrosanctam Romanam Ecclesiam persecutionis turbine laborantem, tam vitæ merito, quàm data sibi cælitùs sapientiæ studio sustentarit.* Huic irrefragabili testimonio, suffragatur Petrus Abbas Cluniacensis, epistolâ, quam sic *Inter epistolas Bernardi 264* inscribit: *Forti, ac splendida Monastici Ordinis, imò totius Ecclesiæ Dei*, COLUMNÆ, *Domino* BERNARDO ABBATI.

Nec per se solum dum vixit, sed & per suos, Ecclesiam fulsit, ac etiamnum sustentat.

Juvat id sanctæ Mechtildis confirmare testimonio: Beatis jam additus erat *Bernardus*, cùm luce illi sacrâ caneretur solennis ille in Missam ingressus: *In medio Ecclesiæ aperuit os ejus.* Quæ dum apud se tacitâ cogitatione perpendit, piâque indagine quærit, quod illud Ecclesiæ medium? audit illud à Christo: *Medium sanctæ Ecclesiæ* EST ORDO SANCTI BERNARDI, SUSTENTANS ECCLESIAM, VELUT COLUMNA, CUI TOTA DOMUS INNITITUR.

Quid ad ejus Ordinis laudem præclariùs? quid ad dignitatem dici, vel cogitari potest illustriùs?

§. II.

Brevis in volatilibus est APIS, *& initium dulcoris habet fructus illius.* Eccle. XI. 3.

SI quis Interpretum, hunc locum excellenter, & luculenter ad mores exposuit, is est Hugo Cardinalis, qui in brevi, & tenui animalculo, magnum excellentissimæ virtutis mysterium ostendit: *Brevis in volatilibus est* APIS; *mysticè*, inquit, *de Christo intelligitur, qui fuit brevis*, id est, *humilis: habens* MEL *in ore, id est, primo adventu dulcedinem in prædicatione. Fructus ejus dulcis, humani generis redemptio.* Tum illam cælorum Dominæ, Angelorum Reginæ, quæ se humilem ancillam deprædicat, conferre non dubitavit: *Item de beatâ Virgine, quæ comparatur* API, *quia brevis per humilitatem. Fructus ejus dulcis. Lucæ 1. Benedictus fructus ventris tui.*

Apis humilitatis magistra. *Hugo Car. in Eccle. cap. XI. v. 3.*

Tertiò applicat Joanni Baptistæ, quo licèt non surrexerit major, humilitate minimus, se indignum judicat, ut solvat corrigiam calceamenti Christi. *Item de* JOANNE BAPTISTA, *qui brevis fuit sui reputatione. Joan. 3. Me oportet minui. Et in volatilibus, id est, inter eremitas, quorum primus post nativitatem Domini ipse fuit*, cui contemptu, & despectu humillimus exstitit. Horum altissimam humilitatem, cùm Apis nostra Claravallensis proximè æmulata sit, illud Ecclesiastici de eo rectè usurpari videor: *Brevis in volatilibus* (quæ alibi sanctos nuncupat) *est* APIS: in qua hæc virtus? & quo *fructu dulcoris* excelluerit, mox patebit.

Est humilitatis adumbratio non exigua in ape, quæ in arcano ejus opificio elucet, teste Plinio, qui intimas animalium naturas scrutatus est: APES, inquit, primum, quod agunt, *alveum ipsum intus totum ut quodam tectorio illinunt*, nimirum cereo, ut operatio ipsius abscondita maneat, & humanis oculis incognita; insigni nobis documento relicto: *Ne faciamus opera nostra, ut videamur ab hominibus.* Quod divus Gregorius Nazianzenus in hoc solerti animalculo observavit, dicens: *In caliginosis alvearibus, obscurisque figmentis, quæsitas studiosè* AB HUMILI ANIMO LATEBRAS, ET OBSCURITATEM PRODIT.

Plin. lib. XI. cap. 6. *Naziana. orat. 34. n. 35.*

Humilitas Bernardi. Has latebras, Apis illa Claravallensis humili animo spectavit, atque umbras in hac *Clara Valle*, præ fulgidis illis in Sole titulis, præclaris toti orbi thiaris, & splendidis muniis amavit, & ambiit. Honores Ecclesiasticos, quos ipse sibi, aliisque, & imprimis Eugenio Papæ oblatos, horrores ducebat, & *onus*

Angel-

[illegible] *humeris [illegible] rmidandum*; unde eos ad- [illegible] consectatus, ut obtrusos, & in- [illegible] qualescumque, sed pinguissimos [illegible] constanter respuent, quantum- [illegible] uteretur. Quot Ecclesiæ, ait Ab- [illegible] æ Vallis, destitutæ pastoribus, eum [illegible] piscopum elegerunt? elegit eum do- [illegible] ingonensis Ecclesia: elegit Cata- [illegible] cis. [illegible] tra Italiam civitas Januensis; & [illegible] iolanum, Metropolis Ligurum. Hunc [illegible] erunt præsulem, & Pastorem Rhemi [illegible] llum. Franciæ civitas. Sed *dulce later*. cum [illegible] Unde in laudem viri exclamat [illegible] boldus Episcopus, Auctor vitæ sancti [illegible], agens de Bernardo: *O ammi purita- [illegible] jentes publicum! Deus meus! quot, & quan- [illegible] cathedrales, propriis orbatæ Pastoribus, [illegible] ncipem elegerunt? sed non plus illum de- [illegible] mithra, & annulus, quam rastrum, & far- [illegible].* Hæc quanta, & quam excelsa sit humi- [illegible] perfectio, quam rara & præclara virtu- [illegible] commendatio, ipse loet sibi testimonium [illegible] bens, quod in altero prædicat, testetur: *non me locru revera* inquit, *humilitatis insigne, nec [illegible] gloria oblivisci humilitatem. Non magnum [illegible] humilem in abjectione,* MAGNA PROR- [illegible] T R RA VIRTUS, HUMILITAS HO- [illegible].

Bern. hom. 4. super miss. [illegible]

Cap. 2.

R[illegible] prorsus hoc corruptissimo sæculo hu- m[illegible] honorata, &

Corvo quoque rarior albo.

[illegible] damantissimè sanctissimus hic Archiman- [illegible] deplorat: *O abusio filiorum Adam! quia cum [illegible] difficillimum sit, descendere autem facilli- [illegible]; ipsi & Levitæ ascendunt, & difficilius descen- [illegible] parati ad honores, & celsitudines graduum Ec- [illegible] fficorum, ipsis etiam Angelicis humeris formi- [illegible] os.*

At palpare se, & ambitum palliare solent il- [illegible] postoli oraculo: *si quis episcopatum deside- [illegible] bonum opus desiderat*; ejusmodi pulcherrimè [illegible] futat, & confundit Doctor Angelicus: *Ex [illegible]* inquit, *sumpserunt aliqui occasionem ambitio- [illegible] atuum, sed non rectè intelligunt, quod hic [illegible] aliqui eum prouciunt forte oculum ad ea, [illegible] stant eum, scilicet quod qui præest, honora- [illegible]* conjiciont in thedas, in famulitium, [illegible] mensam, in promotionem nepo- [illegible] *qui propter ista desiderat episcopatum, nes- [illegible] Episcopus.* Dum dicitur *bonum opus desi- [illegible]* omit *utilitatem plebis*, curam anima- [illegible] dum præest, prodesse debet, ut [illegible] D. Anselmus, fidelis Apostoli interpres: *qui [illegible] bonum desiderat, non dignitatem; laborem, non d[illegible]: Episcopus enim. est nomen operis, non [illegible] ut intelligat se non esse Episcopum* (Abba- [illegible] uperiutem, *nec etiam præsidem, prætorem, [illegible] præesse dilexerit, non prodesse: nec desi- derare episcopatum existimandum esse, qui suum desi- derat lucrum, vel honorem, & non salutem plebis*, curam animarum, pro quibus vigilare debet, rationem redditurus. Sub hoc opere, & onere, sine honore audi gementem, & prope fatiscen- tem humillimum Bernardum: *Accedit ad solitu- dinis cumulum, & pondus timoris, quod cum meam,*

[illegible] dica con

1 Timoth 3

Ibid

Bern. [illegible] 9 de [illegible]

& proximi conscientiam servare necesse sit, ututra mihi satis est nota, utraque mihi nox est, utraque im- perscrutabilis est abyssus; & nihilominus exigitur à me utriusque custodia, & clamatur: custos quid de nocte? custos quid de nocte? & non est mihi dicere cum Cain: numquid custos fratris mei sum ego? enim u- no custos sum, & hinc timor, hinc mœror, hinc auxia cura, & solitudo; quæ excelsas mentes ab infula & pedo abhorrere, & longissimè profu- gere fecerunt. Sic S. Alexander Acœmetus Abbas, cleri suffragiis, & voce populi ad epis- copatum electus, clausis ne effugeret urbes portis, altâ nocte, profundisq; tenebris, in sporta dimissus à discipulis, mœnibus excessit, eru- pit, evasit. Sic S. Sylvester monachus ad infu- lam, & pinguem Abbatiam vocatus, è mona- sterio in aviam solitudinem profugit, seque ab- didit, ut & innumeri alii, de quibus aliàs egi- mus. Quæ illis mens fuit, & animus, idem & Bernardo, qui infulas omnes sub pedibus ha- buit, & in Claravalle, velut in alveari apis la- tere, cellam sibi cælum præoptavit.

Bolland. 15. Ianuar

Id. 2. Ian.

Hunc Regem suum, tot apum examina utri- usque sexus secura sunt, nobiles, & non infe- riora secutæ animæ, quæ, juxta purpurati Vatis consilium, elegerunt abjectæ esse, & humiles in domo Dei magis, quàm habitare in palatiis Re- gum, & tabernaculis peccatorum, quæ non mithras dumtaxat respuerunt, sed & Regum sceptra, ac diademata, & ducum titulos abje- cerunt, & in clausis cellis sibi cum apibus cæle- stem potiùs dulcedinem, quàm in domibus Re- gum amaritatem legere studuerunt. Tales è regibus *Alphonsus* in Lusitania: *Ericus* in Dania: *Gusmarus* in Sardinia. E Regum filiis *Petrus & Henricus* in Francia: *Henricus & Ferdinandus* in Portugallia: *Alexander David, & Gualterus* in Sco- tia, & quod mirere alter *Bernardus* in Turcia.

Reges ac Principes Ordinis Cister.

Quid memorem Principes fœminas? huic Ordini sead junxerunt quatuor Reginæ, altero tanto plures Regum filiæ, formâ, ac sanguinis nobilitate ex omnibus regnis conspicuæ. Ex his fuere, *Agnes, Catharina, Elizabetha, Mechtildis,* Germanicæ. *Christina, Vda, Margaretha, Ozalia,* Belgicæ. *Hemelina, Maria, Osildis, Emergardis,* Gallicæ. *Margaretha, Britanna, Mafalda, Gratia, Beatrix, Lucia,* Hispanicæ. *Aleydis, Gertrudis, Hedwigis,* Polonicæ. Aliæ ex alia illustri prosa- pia innumeræ. Qui omnes calcato sæculi fastu, & abjectâ regni purpurâ, *de contemptu gloria, glo- riosius sublimati, & sublimius gloriati sunt.* Ex quo illa sunt, quæ S. Bernardus ad turbam quan- dam nobilium tironum, qui in Cisterciensi in- stituto recens se tradiderant, in epistola qua- dam scribit: *Legeram,* inquit, *non multos nobiles, non multos sapientes, non multos potentes elegit Deus. At nunc præter regulam, mirâ Dei potentiâ, talium convertitur multitudo; vilescit gloria prafens, juven- tutis flos conculcatur, non reputatur generositas. sa- pientia mundi stultitia judicatur, non acquiescitur carni & sanguini: parentum & carorum renuncia- tur affectibus, favores & honores, & dignitates re- putantur ut stercora, ut Christus lucrifiat.*

Reginæ, ac Regum filiæ.

Bern.

Bern. epist. 109 ad Illustrem. iuvenem Gaufridū.

Quis non stupore defixus hæreat, & cujus non acies ad splendorem tantum hebescat, ubi tam rata virtus præfulget, *humilitas ho- norata.*

Bern. hom. 4. super missus.

Rara virtus, non solum honores fugere, sed quod & vobis omnibus admirationi, & invitationi esse poterit, ad laudes, & plausus humanos non se extollere, sed humiliter de se sentire; audite quid de sanctimonia, & doctrina sua, altè & verè sentientibus, respondeat: *qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Dico vobis ego, qui de me loquor non ex conjectura, sed ex scientia: non sum talis, qualis putor, vel dicor, quod tam securus fateor, quàm certus experior. Sed orate ut talis fiam, qualem me prædicatis.* Verissimè Bernarde, non es talis, qualem te putas, abjectus & humilis in oculis tuis: nec es talis, qualem te putant, & deprædicant sinceri æstimatores, sed longè adhuc sanctior, longè major, quo tibi vilior.

Bern. epist. 11.

Ejusmodi de se humiliter sentientis actibus, refecta sunt hujus sancti viri opera. Sermone de S. Benedicto, quem dum sibi à suis imitandum proponit, in alterum cadunt, quæ de se sola, & summa animi demissione pronunciat: *Delector quidem & ego ex ipsius memoria, licet non sine rubore, Beati hujus Patris nomen audeam pronuntiare: est enim mihi de ipsius imitatione vobiscum sæculi abrenuntiatio, & monastica professio disciplinæ; sed singulariter fine vobis, cum eo participo nomen Abbatis. Abbas fuit, & ego. O Abbas, & Abbas! nomen unum, ministerium unum, sed heu me! quam dissimiles ministri? quantum ministratio ipsa dissimilis? va mihi, si tam longè à te fuero, ô BEATE BENEDICTE in futuro, quam à tua vestigiis sanctitatis longè esse reperiar in præsenti.* Quæ dum lego, eum mihi ruborem incutiunt, ut omnia minio exarandà optarim. Ille tantâ sanctimoniâ eximius, duplici spiritu, & suo, & Benedicti præditus, tam humiliter sentit de se? quid tu ô Monache, aut sanctimonialis de tua sanctitate superbis, & inflaris? similia invenies serm. 54. in cantica, aliisque locis innumeris. *O utinam nos illam haberemus utilitatem in peccatis nostris, quam verè sancti habuere in virtutibus suis!* utinam qui habitu religioso Monachi, Sanctimonialis, & austeritate vitæ glorantur. Utinam Christiani, qui sibi de jejuniis, eleëmosynis, quotidianis precibus, aliisque pietatis exercitiis applaudunt, vitia linguæ, injustitias, concupiscentias, prava desideria, & inferioris hominis belluinas passiones attenderent, seipsos ut syrenes, satyros, centauros, Lycantropos, ut immania monstra, ut chimeras, superiori parte homines, inferiori bellúas, despicerent, & potiori jure, & veriori, ac sanctiori sensu de se profiterentur, quæ integerrimus Abbas singulari modestiâ de se dixit, & scripsit: *Clamat ad vos mea menstrosa vita, mea ærumnosa conscientia: ego enim quædam chimara mei sæculi, nec clericum gero, nec laicum: nam monachi jam dudum exui conversationem, non habitum.* Verissimè hoc, solo nomine & habitu clerici, ac religiosi usurpare potestis: quin & vos adolescentes, & adolescentulæ: *ego quædam chimara mei sæculi,* quæ speciem honestatis, pietatis, castimoniæ extus præfero, & intus in animo, mè vanis & fœdis imaginibus oblecto. Ego *quædam chimara mei sæculi,* qui nomen habeo viri probi, liberalis, sodalis Mariani, & injustitiâ, perjurio, adulterio me fœdè commaculavi.

Bern serm de S. Benedicto.

Guarricus serm. 1. in Purificat. Virg.

Bern epist. 249.

Qualis chimæra ecclesiastes in cathedra veritatis, in corde plenus vetitatis, monstrosior quàm si cum pluma in capite compareret. *Ego quædam chimara mei sæculi,* quæ mane per plures horas ante aram Dei preces fudi, ac sponsum Virginis complexa sum, vesperi lascìva verba cum sponso carnali miscui. *Ego quædam chimara mei sæculi,* quâ plures orationes fundo, eleëmosynas distribuo, pia opera exerceo, sed injuriam illatam animo eradere nequeo. Si in hoc conscientiæ suæ speculo quis deformitatem suam contempletur, non habebit quod seipsum efferat: sed despiciat, & humiliter sentiat. Bernardus in humili valle, sanctitate sublimis, raptibus, visitationibus divinis, ac cælestibus signis, atque prodigiis, orbi venerandus, ne inaniter extolleretur, velut saburram, aut saccoma, delicta juventutis suæ (quæ etsi minima) iis opponere, hæc meditari, & lamentari ut gravissima solebat; quin & ea aliis ad sui confusionem, & eruditionem manifestare, & exaggerare non erubescebat. Narrat hic de seipso de interiori domo. c. 37. familiare sibi fuisse verecundis pœnitentibus collacrymari, eorumque delictis, sua peccata propè similia fateri, & hisce verbis illos compellere: *Confessio tua, fili, ad lacrymas me commovit, tum propter me, tum propter te. Propter me fleo, quoniam* QUÆCUMQUE DE TE DIXISTI, *eadem ferè, aut similia reperio in me.*

Alibi verò vitam innocenter transactam, quasi innumeris, itsque gravissimis sceleribus contaminatam palam deplorat: *Exigunt à me,* inquit, *præterita peccata mea futuram vitam meam, ut faciam fructus dignos pœnitentiæ, & recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Peccavi super numerum arenæ maris, & multiplicata sunt peccata mea, & non sum dignus videre altitudinem cæli.* Quis filius prodigus, quis latro pœnitens, alia enormium flagitiorum lamenta proferre queat?

Bern. de domo. c. 37.

Bern. ... de quadrag. ...

Tum subdit: *Quomodo satisfaciam, cum cogar reddere usque ad novissimum quadrantem?* sicque se allocutus concludit: *Paulò ante vitam tuam pro vita sua reddideras, & nunc iterum eam totam præcedentium exigit recordatio peccatorum.* Et erit inter vos, qui si fortè cælestes favores, uberiorem gratiæ influxum, suavem lacrymarum imbrem in se experiatur, non dicò peccatorum suorum recordatione, quasi mole quâdam depressus, non alta sapiat, nec inaniter extollatur? ipsæ apes hic nobis documento sunt: *pudeat,* inquit Seneca, *ab exiguis animantibus non trahere mores.* Aptissimè dixit, pudeat: nam pudor est, homines rationis compotes, à tam exiguo animalculo moribus vinci: & tu quicumque es.

Seneca ... de cle- mentia ...

Illum adeo placuisse apibus mirabile morem.

Virg. ... 4. ...

Imo illam potiùs imitabere.

Observat Plinius, apes, ne volatu nimis elatæ, ventorum turbine præcipites agantur, lapillos quasi saburram circumgestare consuevisse, ut Poëta Maro in apiario suo scitè describit:

sæpè

Virg. tu. — — — *ſæpe lapillos,*
Ut cymbæ inſtabiles, fluctu jactante, ſaburram
Tollunt. his ſeſe per inania nubila jactant.

Qu... ad humanitatis curam, & jactantiæ fugam pertinere, docet Ambroſius, ſic ſacras ... es affatus: *Illecebroſa jactantia eſt, quam etiam Paulus veretur. Lubrica, quæ etiam Paulo caveret, ſed non illi facile mobili caſu; qui revelationibus tantis conſtabat. Et ideo quaſi fortis Athleta latatur, quod vulnere corporis emere didicerat ſanitatem. Ergo & tu, ſi munera divina ſuperfluere in te, & redundare cognoveris, tuam metire virtutem, gratiam Deo redde, contemplationem corporis* (quod aggravat) *veluti navis ſaburram ſuſcipe, ne in tantis mundi fluctibus, jactantiæ alicujus aura circumferaris.* Aptam verò ad propoſitum ſimilitudinem inducit: *Apis illa ſapiens, cum aëris motus ſuſpectos habet, lapillis ſæpo ſublatis, per inania ſe librat nubila, ne leve alarum remigium, præcipitent flabra ventorum. Paulus & Barnabas putaverunt ſe gravari, cum cernerent ſe adorari, & tu cave virgo* ILLIUS APICULÆ MODO, *ne alarum tuarum volatum, aura hujus mundi tollat.* Sanctiſſimus Abbas Claravallenſis putavit ſe gravari, cum cerneret ſe in toto mundo honorari, & quodammodò adorari. Vir præcellentibus naturæ, & gratiæ dotibus clarus, Pontificum Romanorum veluti lingua, Antiſtitum inferorum cortina, in ſumma apud Reges, ac Principes admiratione & venerationes; divinis prodigiis, ac ſtupendis miraculis ubique illuſtris, populorum plauſu quaſi cælo del... pſus, honorificentiſſimè exceptus, ſibi uni, & ... li deſpectus, vilis, & ingloriosus, id eſt *brevis*, & humilis *in volatilibus apis*. Et tu cave, Religioſè, tum è ſuggeſtu te perorantem denſâ magnatum coronâ circumſtat, & applaudit: dum principes viri, ac fœminæ, conſilii cauſâ, velut oraculum conſulunt, dum palpum obtruduot, doctum, verſutum, oaturum, imò & beatum te deprædicant, noris quod tede... cipiant:

Ambr. lib. 3. de virgin.

Ibid.

Laus, fraus, muliebria ſunto.

Bern. ſerm. ... in cant.

Fortiter & ſuaviter Bernardus: *Verus humilis, ... vult reputari, non humilis prædicari: gaudet contemptu ſui, hoc ſolo ſanè ſuperbus, quod laudes contemnit*; & tu virgo, cave, dum nullos carnis ſtimulos perſentiſcis, ne alias gravius ſubinde iis d... exatas contemnas: dum in oratione cæleſtibus deliciis affluis, & quaſi lacte nutritis, alias ſolido cibo, & athletico aſſuetas præ te deſpicias, & teipſam devotiunculis tuis circumſpicias, & decipias: audiant illæ, & illi, qui ejuſmodi ſunt, ſanctiſſimum parentem ſuum: *Y des aliquem frequenter in oratione devotum, cujus oculi ſunt ſicut piſcinæ in Heſebon, præ multitudine lacrymarum; ſed recuſat ferre jugum obedientiæ; ſuam plangit in oratione ſuperbiam; ſed horâ compunctionis tranſactâ, ita ſuperbus eſt, ſicut ante: vel ſi lanſis moribus, poſt orationis ſuæ devotionem, in eandem incidit levitatem.* Hic ad mores campus pater excorriendi, & perſtringendi eos, quæ per muliebres ſpaſmos, raptus, & extaſes turpiter lodificantur, unà humilitatis ſaburrâ, ne efferantur, deſtitutæ. Unde ſicrectè monet: *Magna & ra-*

Bern. ſerm. de duobus diſc. ep. in Emaus.

ra profectò virtus, ut magna licèt operantem magnum te neſcias: & manifeſtam omnibus, tuam te ſolum latere ſanctitatem: mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare. Hoc ego ipſis virtutibus mirabilius judico. Idem ſerm. 13. in Cantica.

Huc confert altera proprietas apum, ut dicere cœperam, quod non ſolum latere, ſed & in occulto operari, ac mellificium ſuum occultis hominum ſubducere ſtudeant, quod Religioſis intra monaſterii ſepta, velut alvearia concluſis, propriiſſimum eſt.

Proverb. 6. *Vade ad* APEM, *& vide, quomodo operaria eſt*; ubi operum occultatio commendatur, ut S. Antiochus rectè obſervavit, dicens: *Vir intelligens ingenioſam, & ſolertem imitatur* APICULAM. *Quos externè ſelegerit floſculos, deſerit in alvearium: internè mellificium, ſavumque operoſius conficit; ne labores tuos, humanæ iſti gloriolæ exponas.* S. Antiochus hom. 43.

Vanus profectò, ac inſanus inſtitor eſt, qui quos virtutum flores collegerit, aut virtutum actus expreſſerit, ſuaviſſimæ pictatis mella, & cæleſtia dona elicuerit, in apertum producat, & choraberis fucis, furibus, favos ſuos exponat. Is araneæ, non apiculæ ſimilis, quæ ſe quodammodo eviſcerat, ut inane reticulum, omnium oculis, nulli uſui futurum expandat.

Hic aranea, & Apis, proclivam ſuppetunt excurrendi materiam, audi ſapienter hortantem & ſuaviter invitantem Salomonem Proverb. 6. juxta vulgarem 70. Interp. *Vade* AD APEM, *& diſce, quomodo operationem ſuam venerabilem facit*; diſce, ô Chriſtiane ab Ape Claravallenſi operationem tuam venerabilem facere; ſi nempe *opera tua in abſcondito facias*: Apis enim *operitur, dum operatur*, ut quidam ſcitè alveari inſcripſerat. Tunc venerabilis oratio tua, *ſi oraveris patrem* IN ABSCONDITO: ubi ſanctus Thomas: *Qui ſic orat, ut ab hominibus videatur, non Deum aſpicit, ſed homines*; quales illi, qui palam pectus tundunt, pronos ſe proſternunt, terram lingunt, altos gemitus emittunt, ubertim lachrymas fundunt. Matth. 6. S. Tho. hic V. Pantheon feſto S. Nicolai §. 3.

Tum venerabilis tua eleemoſyna, *ſi neſciat ſiniſtra, quid faciat dextera tua, ut ſit eleemoſyna tua* IN ABSCONDITO; quæ ſic Auguſtinus exponit: *Siniſtra videtur ſignificare delectationem laudis; dextera verò intentionem rectam, quæ ſolum Deum reſpicit*, non plauſum populi, quod vel à geotili Philoſopho improbatur, & ſugillatur, dum beneficium cum jactantia datum, pro nihilo ducit: *Quia ſuperbè dedit, quia circumtulit, & placere non ei, cui præſtabat, voluit, ambitioni dedit, non mihi.* Matth. 6. Auguſtin. ſerm. in monte. Seneca lib. 1. de benef. c. 7.

Tum venerabilis pœnitentia, cùm in ſecreto cubiculo, clauſis cellis, in abdito angulo, aut vaſta ſolitudine ab omnibus arbitris, ſolo Deo teſte peragitur. Apes non mellificant in Regum atriis, in excelſis palatiis, ſed in receſſu, in deſerto tugurio, humili mapali; unde à S. Paulino, APIS, *ruris animal* vocitatur, ut operationem ſuam in occulto venerabiliorem faciat; quod mellifluo Patri ita cordi, ac curæ fuit, ut illud quaſi magnum, & neceſſarium conſilium, ex ipſa Servatoris noſtri vita ſcriptum reliquerit, duobus quidem verbis, ſed efficacibus expreſſum: AMA NESCIRI; quæ

Bern. serm. 3 in natiu. Dom.

obscuritas ita gloriosa est, ut multò præstantiùs sit hoc modo delitescere, quàm ab hominibus celebrari, & in hominum ore, ac laudibus versari: nam hoc ipso, quo ab oculis mortalium quis remotior, & contemptibilior mundo est, hoc Deo, & Angelis gratior, & illustrius de se præstat spectaculum. Quod sacræ paginæ innuere videntur. *Deridetur*, inquit Job, *justi simplicitas, lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.*

Iob. 12

Quem locum magnus Gregorius aptè interpretatur: *Bene justi simplicitas, & lampas esse dicitur, & contempta lampas, quia interius lucet: & contempta, quia exteriùs non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria resplendet decoris. Lucet ergo, & despicitur qui flagrans virtutibus, abjectus æstimatur.* Quis non igitur tanto bono proposito, malit esse ex illis contemptis, ut intus luceat apud Deum, quàm ex iis, qui foris lucent, & intus obscuri sunt? sic ut Religiosus quisque veteri illi tabernaculo, ex Dei mandato, & typo fabrefacto rectè conferri posse videatur; quòd cum intus inauratis tabulis, & cortinis hyacinthinis, ac purpureis, aureisque annulis niteret; exteriùs tamen ejus operimentum ex ciliciniis sagis, arietúmque pellibus, vile quiddam ac sordidum etiam ostentabat; quò fit, ut etiam pretiosa quæque vilibus contecta, meliùs asserventur, nec latrunculorum insidiis pateant; hi autem latrunculi sunt præter alios, ipsi oculi, & linguæ hominum, qui eo ipso, quod vident, & laudant opera nostra; sæpe vel omninò, vel magna ex parte evacuant gloriam nostram. Jure igitur Bernardus sanctas ac salubres latebras in se, & suis spectavit, & amavit, dicens: *Necesse est abscondere, si quid habemus boni; quoniam thesaurum regni cælorum qui invenit, longè abscondit; propter quod etiam corporaliter in claustris, & in silvis abscondimur: & si scire vultis, quantum in hac absconsione lucramur, credo nullum hic esse, qui se quartam partem eorum, quæ facit, in sæculo actitaret, non adoraretur ut sanctus, reputaretur ut Angelus; nunc autem quotidie tanquam negligens arguitur, & increpatur. Parúmne hoc lucrum ducitis, quòd non reputamini Sancti, antequam sitis? An non timetis, ne fortè hic vili hac mercede recepta* (laudis humanæ) *in futuro mercedem non habeatis? Necessaria est ergo* HÆC ABSCONSIO, *non solùm ante oculos aliorum, sed etiam multò magis ante seipsum.*

S. Gregor. lib. 10. mor. c. 17.

Bern. in psal. Qui habitat. serm. 4.

Nunc verò, cùm humilitas virginitatis comes sit, & utraque in apibus singulariter eluceat, pauca de virginitate dicamus; nam ut scitè Blesensis Abbas: *Et collectanea virtutes sunt* VIRGINITAS ET HUMILITAS.

* * *

§. III.

Vade ad apem, & disce. Operationem quoque suam quàm venerabilem facit. Proverb. 6. ex vers. 70.

Hieronymus legit: *Quàm opus suum castum faciat.*

APES *de quibusdam floribus cibum dulcissimum sugendo colligunt*, unde mella conficiunt, & in alvearia recondunt; at ex omnibus floribus, *liliis & rosis* potissimùm pascuntur, & delectantur. Nam *Albaque circum* LILIA *conglomerant, purpureosque metunt flores.* Maximè verò Apis nostra Claravallensis Bernardus, *liliis* Marianis, & purpureis Christi sanguinis *Rosis* jugiter inhærere, & dulcissimum cibum ex his divinis floribus colligere, ac cælestia mella elicere consuevit, quò dilecto suo totus candidus & rubicundus appareret, quem sic depingit: *Dilectus tuus* CANOIOUS & RUBICUNDUS: *formosus plane, quem circumstant flores* ROSARUM, & LILIA *convallium, hoc est Martyrum, Virginúmque chori.* Hos inter, Jesus pascitur, speciosus forma præ filiis hominum: *Qui medius*, inquit, *resideo utrique non dissideo choro, virgo, & martyr. Quomodo denique* CANDIDIS *non congruo virginum* CHORIS *virgo, virginis filius, virginis sponsus? Quomodo non* ROSEIS *Martyrum, causa, virtus, & forma Martyrum?* Huic quàm dilectus noster ex dilecto similis fuerit, mox videbimus. Inter omnia humani visus oblectamenta, & gratissima oculorum lenocinia, quæ ex admirabili colorum varietate capiuntur, duo sunt, quæ præ cæteris hominem rapiunt color candidus, & rubicundus, qui si in unam formam conveniant, amabilissimum quoddam spectaculum, aut potiùs miraculum pulchritudinis existat, necesse est. Hoc omnium ore decantatum; ut si quis formæ venustatem in summo deprædicandam susceperit, non aliis quàm hisce coloribus depingere consuerit. Ab his virgineus Vates Laviniam commendat:

Bern. serm. 28 in Cant.

Indum SANGUINEO *veluti violaverit* OSTRO
Si quis EBUR; *vel mista rubent ubi* LILIA MULTA
ALBA ROSIS: *Tales virgo dabat ore colores.*

Sic Pelignus Poëta Naso speciem venustæ depiogit:

Hic color apricâ pendentibus arbore pomis
Aut ebori tincto est, aut sub candore ruben[illegible]

Alius autem geminam hanc tincturam deprædicat, dicens:

niveos infecit purpura vultus,

Per

Cl[illegible] fuga [illegible] serp.

Per liquidas succensa genas, castique pudoris
Illuxere faces. Non sic decus ardet eburnum,
Lydia Sidonio quod fœmina tinxerit ostro.

Nôrant itaque adolescentes, ac adolescentulæ, pulchritudinis amantes, quanta ex hac suavi coloris candidi & rubicundi temperatura, venustas existat.

Testis illa in cælesti epithalamio sponsa, quam Salomon inducit, quæ ut sponsum suum *speciosum forma præ filiis hominum*, summis laudibus in cælum extollat, eum non à lacteo collo, eburneis digitis, vivacibus oculis, proceta corporis statura; sed in quo omnis pulchritudinis laus continetur, hoc solùm de eo deprædicat: *Dilectus meus* CANDIDUS ET RUBICUNDUS. At quâ ratione? Edisseret Ambrosius lib. 1. de Virginib. *Est enim* CANDIDUS, *quia splendor Patris* RUBICUNDUS, *quia partus est* VIRGINIS, cujus carnem & sanguinem assumpsit. Vel ut alibi: RUBICUNDUS *ex incarnatione*; CANDIDUS *ex Divinitate*. Nec minùs doctè, ut disertè Rupertus Abbas: *Unde* CANDIDUS, *& unde* RUBICUNDUS? *Nimirùm* CANDIDUS SANCTITATE, RUBICUNDUS PASSIONE; idque à primo, quo orbem hunc ingressus, exordio: dum agnus immaculatus, & innocens ovis, octavo die suo sanguine rubicundus apparuit; prodigium divinum, quod cælum & terra obstupescat præ illo, quod Spartianus refert: dum Antonius Geta Imperator, Mediolani natus est, eodem tempore agnum purpurato vellere in lucem editum fuisse.

Cant. 5. v. 10. Ambr. lib. 1. de Virginib. Idem de obitu Theodosii. Rupert. hic in Cant.

In hac stolâ candidâ & rubicundâ, dilectus sponsæ magis formosus, & gloriosus apparuit, dum ab Herode *veste albâ*, à Judæis verò *chlamyde coccineâ* indutus: ut scitè Mediolanensis Antistes observavit: *Non otiosum, quòd* VESTE ALBA *induitur ab Herode, immaculata tribuens indicia passionis, quòd agnus Dei sine maculâ, peccata mundi susciperet*, & dilueret. Quid non palloris, & ruboris hinc plurimi contraxetur? dum secum ruminaor, quot pœnis digni sint, qui filium Dei crucifixeruot; quàm erubescendum sit sub spinoso capite membrum fieri delicatum: O quot castæ animæ, & sponsæ Christi hac amabili contemplatione dilecti sui, sic candidi, & rubicundi, super omnes venustates humanas captæ, quasi apes, ex liliis & rosis suavissima hic mella legerunt! sed præ his unus electus è millibus *Bernardus*.

Ambr. l. 10. in Lucam cap. 23.

Paucis mihi percunctari liceat: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* id est, inquit Jacobus Pintus ex Hebræo, inter dilectos eximius, & præ dilectis omnibus *dilectus* BERNARDUS; at *qualis ille* ex dilecto? Dilectus totus *candidus, & rubicundus*. Quibus coloribus ne temerè illum depinxisse videar, Ambrosium habeo me stantem, dum hisce in laudem Valentiniani Imperatoris usus est: *Valentinianus*, inquit, *meus*, CANDIDUS ET RUBICUNDUS. *Nec injuriam per hoc putes fieri Christo Regi: charactere enim Domini inscribuntur & servuli*; gaudetque suos hisce insignibus Domino assimilari. Dilectus noster *candidus* illibato in Virginem Matrem, Reginam Virginum amore; *rubicundus* æstuanti in Christum crucifixum, sponsum sanguinis ardore, quo hominibus, & Angelis formosus apparebat:

Pintus Christus Crucifix' lib. 3. tit. 4. loco 12. Ambr. de obitu Valentiniani.

Ut color in niveo corpore purpureus. Tib. l. 3. eleg. 4.

Super nivem candidus virgineo lacte, ex uberibus Mariæ perfusus: *rubicundus* minio sanguinis è vulneribus Christi respersus.

Ut Mæotica NIX, MINIO, *si certet Ibero,*
Utque ROSÆ *puro* LACTE *natant folia.* Propert.

Candidus, & pallidus perpetuâ corpusculi inediâ & maceratione, inter nives volutatus, continuisque morbis, & infirmitatibus: *Rubicundus*, diris in se flagellis ad sanguinem usque sævicodo:

Indum SANGUINEO *veluti violaverit* OSTRO
Si quis EBUR; *vel mista rubent ubi* LILIA *multa*
ALBA ROSIS. Virg. lib. 12.

Positus in medio, quò me vertam, nescio: dum enim attentiùs contemplor inter vulnera Christi, & ubera Virginis pendentem, quò me primùm convertam, ignoro.

Candor imprimis me rapit virginitatis, quia Apibus congenita; sic enim Aristoteles: *Est* APIS *animal omnium mundissimum*; usque eò, ut & Varro experientiâ edoctus affirmavit: nulla harum assidet in loco coinquinato, aut eo, qui malè olet: Arist. l. 6. animal. cap. 4.

Aut ubi odor cœni gravis. Virg. 4. Georg.

Consentit Plinius, solers naturæ speculator: *Odere fœdos odores, proculque fugiunt; sed & infectos* hac lue. Plin. l. 11. c. 16.

Origo earum & ortus, supra communem naturam est, non nubunt, neque nubuntur, quod melleâ suâ facundiâ Mediolanensis Antistes expressit: *Integritas corporis virginalis omnibus* (Apibus) *communis, nec partus quatiuntur doloribus.* Ambr. l. 5. hexam. c. 21.

Ut castimoniam religiosam, & virginalem pudicitiam (quâ, ut mox videbimus, dilectus noster candidus, ejusque ordo enituit) apes referre, sacri ac profani auctores jure meritissimo testentur. Ambros. l. 1. de Virg. O DIGNA VIRGINITAS, QUÆ APIBUS COMPARETUR. *Sic laboriosa*, SIC PUDICA, SIC CONTINENS. *Rore pascitur apis, nescit concubitum, mella componit.* Generationem earum quis enarrabit? Ruffinus pro Conceptione, & Nativitate Christi ex Virgine intemeratâ, ab Apibus sumit argumentum: APES *nescire conjugia, nec fœtus nixibus edere, omnibus palam est.* Quo etiam modo argumentatur S. Gregorius ad illud Psalmi: *Scribantur hæc in generatione alterâ.* Et ne steriles putes, *subitò*, inquit citatus Ambrosius, *maximum filiorum examen emittunt è foliis & herbis, ore suo prolem legentes.* Ruffin. ad 3. symb. artic. S. Greg. in Psalm. 5. pœnit.

Quare religiosum Virginum claustrum, suis cellis intus distinctum, aptè alveare dixeris, cui rectè inscripseris:

Virg. 2. Georg. *Casta pudicitiam servat domus.*

Philipp. Abbas de gestis S. Amandi, c. 24. Unde non vano augurio sanctus Amandus Mauronrum, B. Rictrudis filium, conjecit ad Religionis alveare brevi advolaturum, *visâ Apes*, tempore sacrificii, Mauronti caput circumvolitante: *Quia mutistra dulcoris est, & mater castitatis* APICULA.

Chrysost. hom. 15. ad Eph. Hunc ionatum castimoniæ amorem, ipse quoque Chrysostomus deprædicat: *In vas, & vestimentum quodvis* IMMUNDUM, *nunquam se immiserit* GENUS APUM; nitidissimos pedunculos, pellucidas alas suas inficere verentur.

Columella l. 9. c. 5. Columella curatorem Apum sedulo admoner, ne venereâ aliquâ labe redoleat; nisi enim castus sit, & à fœdâ illâ illuvie alienus, dedignatæ apes avertentur; imò, quod Ælianus ait: *Hominem impurum agnoscunt, atque illum sicut hostem insequuntur*, & aculeis suis configunt; quem utinam tam validè pungant, ut per pœnitentiam salubriter compungatur.

Raynaud. Trias fortium David. Sic è contrario, à castis, pudicisque corporibus nequaquam refugiunt, quod narrant Veroox deprehensum, ubi ad duarum virginum cadavera adrepserunt apes per rimas continentis parietis, ibique copiosum confecere mellificium, quod anno pòst sexto incurrit in oculos, dissiliso per fulmen tumulo.

O filiæ hujus sæculi, si vos Apes exhibere velitis, fugite homines impuros, qui halitu suo inficiunt, fugite loca

Virg. 4. Georg. *Ubi odor cæni gravis.*

Epiphan. hæresi 41. Nam ut rectè monet D. Epiphanius: *Apibus graveolentia mors est.* Apem vobis Claravallensem imitandam propono, quæ qualem non ex herbis, & foliis, sed è candidissimis virginitatis liliis, sibi, & Agno prolem legerit, ex dicendis patebit.

Amb. lib. 5. hexam. c. 21. Ut ordine rem prosequar, assumo illud, quod subdit Ambrosius, notavit: *Ab his præsepibus* (seu alveatibus) *fucus* (castitatis hostis) *arcetur.*

Bernard. cand dus castitate angelicâ. Libet pleniùs enarrare, qualis *integritas corporis virginalis* etiamnum à puero *Bernardo* inhæserit, & ab animo ejus, & arctissimis Claravallis præsepibus, omnem impudicitiæ *fucum*, ut teterrimum, & tartareum hostem, arcuerit. Fortè dilectus noster, ut erat insigni corporis specie, *candidus & rubicundus*, cum sociis ad matronæ cujusdam ædes diverterat *Bernardus*; cum illius amore capta est, surgénsque intempestâ nocte, ad jacentis lectulum accessit. Procacis mulieris insidias ut primùm persensit ille, exclamat ilicò: *Latrones, latrones!* Hac voce inopinatâ perculsa mulier, fuga se subducit.

In vita l. 1. c. 3. Interea à somno excitatur familia tota, famuli, famulæque, lucerna accenditur, quæritur latro, nusquam comparet. Igitur redeunt universi cubitum, & altum indormiscunt. At non indormiscit impudens mulier, quam libido, & inceosus ab ea ignis excitabat: Redit igitur ad Bernardi lectulum, & hic ad consuetos clamores: *Latrones enim, latrones* ingeminat; rursus exciti accurrunt domestici. Nec destitit salax

Virg. scortum, tertium iosultum intentare; sed & magis contentâ vociferatione Bernardus: *Latrones, latrones*, qui non alii, quàm castitatis; quam dum suffurari desperat mulier, excessit, erupit, evasit. Hinc die sequenti rogate, imo & damnare socii, quòd toties importunè per inanes somniorum imagines, & terrores inclamasset horrendum illud: *Latrones, latrones.* Quibus ille ingenuè aperuit, dixitque: Verè latro erat, sed virginitatis, quam mihi hospita impudenti ausu, nisúque eripere parabat; ne porrò eriperet, & in ea mihi repositum ingentem thesaurum, conclamare visum fuit, *latrones, latrones.* Quid enim potius? nam si fur, & latro est, qui arculam reserat, qui vestem, qui aurum, qui thesaurum auferre nititur: non erit latro, qui candidam castitatis vestem, qui charitatis aurum, qui pretiosissimum virginitatis thesaurum eripere tentat? Exploratum erat Angelico huic juveni illud Apostoli: Habemus *thesaurum istum in vasis fictilibus*, nempe *in corporibus fragilibus*, ut inquit Hugo Cardinalis, thesaurum virginitatis; & expressiùs ipse Bernardus: *Vas fragile, quod portamus, in quo & crebrò periclitamur*, TENET CASTITAS *insanctificatione*; quæ omni auro, & thesauro longè pretiosior, ut rectè virgini Demetriadi inculcat Hieronymus: *Divitiæ tuæ, virginitas tua, thesaurus tuus est*; quem si latro abstulerit, recuperari non potest: *Thesaurus irrecuperabilis est, postquam semel amissus est.* O si, qui hæc legunt, vel audiunt, nostri juvenes, ac puellæ ad conspectum salaeis proci, aut procacis mulierculæ, cum Bernardo exclamarent: *Latrones, latrones*, & thesauri tam pretiosi jacturam, à voluptatibus carnis imminere prospicerent, quod vel gentilis Philosophus expressum reliquit, dum sic hortatur: *Age, voluptates exturba, & invisissimas habe*, LATRONUM MORE, *quos philetas vocant: in hoc enim nos amplectuntur, ut strangulent.* Divino hæc probantur oraculo: sic enim Salomon de fœmina: *Insidiatur in viâ* QUASI LATRO, *& quos incautos viderit, interficiet.* Tigurina vertit: *Hac etiam perinde ut* PRÆDONES SOLENT, *insidias struit.* Cornelius noster: *Insidiatur* QUASI LATRO: primò enim sicut latro latet, inquit, in cavernis, antris, & silvis, & ferè in tenebris, ac nocte grassatur; unde latro dictus à latendo, vel ut Festus, quod à latere adoriatur: sic petulans, & procax mulier occultè insidias struit, ac ferè noctu prædam rapit, dum in obscuro cubili lascivitur, & nocturnæ choreæ aguntur.

2. Cor. 4. v. 7. Hugo hic. Bernard. epist. 42. Hieron. epist. ad Demetriad. Seneca epist. 51. Prov. 13. v. 28. Corn. hic.

Rursus eadem excæcat, & dementat, spoliatque luce rationis, & gratiæ. Audi Chrysostomum: SICUT LATRONES, *& fossores, quando volunt aliquid pretiosum capere, lucerna extinctâ hoc faciunt: ità etiam in nobis facit libido: est enim in nobis perpetuò ardens lumen rationis. Illo igitur spiritibus nequitiæ* (nempe luxuria) *magno impetu irruens, flammam extinguit, & protinus diripit, spoliatque omnia, quæ sunt recondita.* Tum subdit citatus Interpres: Quod autem facit libido, hoc facit libidinosa mulier; quæ thesaurum virginitatis incomparabilem aufert, & *interficiet in æternum, morte culpæ, & gehennæ*, ut rectè Lyranus.

Chrysost. hom. 11. ad Corinth. Cornel. Lyran. hic.

Insidias autem ejusmodi latrones primùm oculis ftcrount, quibus paulatim incautos in pedicas pertrahunt, & perdunt. Hic commonis fau-

Basil. de vera virginit. Greg. l. 1. moral. c. 2. Hieron. Cyprian. de cælo. & invidia. Thren. 3. v. 5.

sanctorum Patrum sensus & consensus est. Divo Basilio oculi *sunt libidinis pronubi.* Magno Gregorio *raptores ad culpam.* D. Hieronymo *moriturae virginitatis principia.* D. Cypriano *destructores castitatis.* Nimirum ex suo genio malus dæmon *offert formas* (mulieris) *illices, ut visu destruat castitatem.* Ita destruxit in Davide sanctissimo, in Samsone fortissimo, aliisque sexcentis. Hoc queritur in threnis suis Jeremias vates: *Oculus meus depradatus est animam meam;* quo testatur minus timendum ab insidiis prædonum, quàm pellicum oculorum. Nam quò latrones vi penetrare non queunt, eò per angustas oculorum fenestras, latrunculi castitatis irrepunt; unde illud Jeremiæ: *Oculus meus depradatus est animam meam,* S. Antonius Paduanus optimè exponit: *Latrunculi sunt oculi, qui furantur animam;* fieri enim assolet, ut ubi fures, & latrones in amplas ædes irrumpere nequeunt, parvum latrunculum per angustas crates, aut cancellos immittant, qui amotis pessulis, aperto ostio illos admittat, qui omnia vasa pretiosa diripiunt. Quò spectat illa versio S. Hieronymi ex Hebræo: *Latrunculus latrocinabitur,* & omnis damni, ac jacturæ auctor erit. Quod in opulentis ædibus, in magnificis palatiis, hoc enim verò in divite animæ domo locum habet, dum per unam patulam oculorum fenestram, omnibus virtutum pretiosissimis gazis, & meritorum thesauris spoliatur: sic porrò Gregorius: *Oculus meus depradatus est animam meam: concupiscendo visibilia, invisibilia, nempe virtutes amisit,* quemque per 30, 40, 80, annos in omni austeritate, & vitæ sanctitate exactos, virtutum ac meritorum cumulum congregavit, uno jactu oculorum deperdit.

Thren. 3. Anton. de Padua. Dom. Quadrag. — S. Gregor. lib. 21. moral. c. 2.

Nôrat hoc, de quo agimus, dilectus noster Bernardus *totus candidus.* Hic fortè incautiùs oculos in fœminam conjecerat, cùm erubuit totus, & seipse damnavit; nec damnavit solùm; sed acerrimè mulctavit: mox enim cælo perfrigido in stagnum aquæ gelidæ se collo tenùs immersit, ibique tam diu hæsit, dum penitus à frigore, geluque extremo totus pallidus, scintillas, quas in animo persenserat, extinxisset. Quin & exinde eas animi fenestras tam probè obseravit, ut nulli non dicam vanitati, sed distractioni paterent: nam quam inhabitabat cellulam, an tectum fornicatum, an concameratum, ignorabat, & unam dumtaxat in templo fenestram esse credebat. Rato, & præclaro exemplo, quod mirati omnes, amare quàm plurimi, imitari visi sunt.

Surius in vita.

Totus virginitate candidus vivebat in corpore, ut purus spiritus, humanæ nil fæcis habens, illudque vix ossibus hærens, assiduâ mortificatione, quæ comes, & custos virginitatis est, ità jejuniis, atque aliis macerationibus subigebat, ut spirans cadaver esse videretur; probè conscius illius Hieronymi: *Ardentes diaboli sagittæ, jejuniorum, & vigiliarum rigore extinguenda sunt.* Ad alimentum quasi ad tormentum accedebat: omnem propè saporem amiserat. Hinc sagimen crudum per errorem illi oblatum, multis diebus & sumpsit, & pro butyro habuit: & oleum pro aquâ (quâ ferè contentus erat) non semel exhausit: pane quoque non tam furfureo, quàm terreo, unà cum fratribus suis usus, ut hospes quidam inde frustum sibi auferens, pro miraculo aliis ostentarit, inde vitam sustentari posse; minima siquidem, aut nulla ei erat corporis cura, qui totus spiritus erat: nam ut inquit Hieronymus: *Nonne castitas vita Angelica est, sine corporis cura expedita, libera & pura? Transcendit siquidem homo carneus & luteus ad statum angelicum, dum beneficio castitatis singularis, fit natura sicut spiritus cælestes sunt.* Tales omnes suos filios esse præoptabat: hinc, quod in se expresserat, hoc iis, qui ad monasterium adventabant candidati, seu tyrones, inculcabat, ut sua corpora foris relinquerent, solum spiritum illaturi, ut non homines carneâ mole graves, sed puros, putosque spiritus, non quidem naturâ, sed castimoniâ, & abstinentiâ, & severa religionis disciplinâ in Claravalle suâ degere vellet, ut omnes mente candidi, & corpore pallidi apparerent: nôrat enim illud Hieronymi: *Pallor & macies Monachum decet.*

Hieron. ad Eustoch. — Hieron. de Assumpt. — Hieron.

Sed habet, quod miremini, & spiritus malignus suos candidos & candidas, qui non inediâ solùm, sed inhumanis cibis, aceto, sale, crudo frumento, adustâ papyro, imò & carbonibus, ut pallidæ appareant, vescuntur; quin & cutem fuscam, & subnigram dealbent, per mille cruciatus se vivas quodammodo excoriari sinunt; miseræ Martyres mundi, & diaboli. Non hic candor, & pallor, qui sponso Virginum probatur.

Morale.

Quin & dilectus noster lacteis labris, mente niveâ adhuc longè candidior, amore Virginis Mariæ, ejusque lacte potus nobis exhibetur. Ardens illud, & audax votum fuit sponsæ, ut Christi frater esse, & matris illius ubera sugere mereretur; *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ?* Hoc mellifluo *Bernardo* concessum reperio: hic etenim, quia *non est mortale, quod optat,* singularem supra mortales prærogativam consecutus est, ut Christi frater collactaneus, & cohæres, ac filius Virginis exstiterit. Favet hic Hugo Cardinalis, qui illud Canticorum cap. 1. *Quis mihi det te fratrem meum,* sic exponit: *Id est, ut sis frater meus. Moraliter verba sunt fidelis animæ,* (cujus potius, quàm Bernardi?). *fratrem optat Christum, ut cum eo sit regni cohæres.* Et quod subditur: *Sugentem ubera matris, beatæ scilicet Virginis.* In Affligemensi monasterio visitur etiamnum statua D. Virginis, & vidi: cui cùm de more *Bernardus* filiali affectu salutans dixisset: *Ave Maria;* eadem Deiparæ statua maternè illum his verbis resalutavit: *Salve Bernarde,* rei novitate, & miraculo attonitis omnibus, qui aderant, ipsoque imprimis *Bernardo;* quæ ad has amoris plenas voces: *Monstra te esse matrem,* in filium, eumque charissimum adoptans, lac virgineum, ubere de cælo pleno, in os ejus, ceu filii effudit, omni vino, omni nectare, & ambrosiâ dulcius. In cujus fidem hæc leguntur in vetustis manuscriptis monumentis Ordinis Cisterciensis: *Divus Bernardus lactatur à beata Virgine decima tertia Maji.* Quod sic eleganti carmine lusit Bidermannus:

S. Bernardus candidus virgineo lacte. — Cant. 8. v. 1. — Ovid. l. 2. met. — Hugo Car. in Cant. cap. 8. v. 1.

Navarini umbra virginea, n.414.

Virgineo stabat signum venerabile templo,
Indita cui magna forma parentis erat.
Hic solitam BERNARDUS *opem dum sedulus optat,*
Tergeminumque levi murmure dicit AVE:
Ter vocat atheria portam blandissimus aula,
Ter stellam aquorea cernuus orat aqua.
Denique Mater, ait, magni fœcunda Tonantis,
Incipe te Matrem, Virgo, probare meam:
Sic ait, & nivei respexit ad ubera signi,
Vbereque è niveo lacteus imber iit.
Cui medium flexo, postquam aëra transiit arcu,
Arida BERNARDI *fluxit in ora liquor.*

Et in antiquo Cisterciensium Missali hæc de hac re leguntur:

Splendet ut ante alias cæli VIA LACTEA *partes;*
Cisterti ante alios sic nitet Ordo sacer.
Hausit enim BERNARDUS *opem, &* CUM LACTE NITOREM.
A Genitrice Dei, quo suus Ordo micat.

Neque id semel, cùm satiari non posset, sed iterum, atque iterum suavissimo huic Patriarchæ accidisse legitur.

Plutarch. de educandis liberis. Solertem naturam laudat Plutarchus, quòd duo matribus ubera concesserit, ut, si gemellos peperisse contingeret, duplices ad eos alendos fontes haberent. Habet & gemina cælesti lacte Virgo turgentia ubera, quorum uno filium suum Jesum, altero, quem adlegit, lactavit *Bernardum*. Quem dum Virgo Mater enutriit, & lactavit, teneriori præ omnibus aliis suis clientibus affectu complexa est: experientiâ enim compertum est, & D. Ambrosii testimonio comprobatum: *Eos plus amare filios solent matres, quos ipsa suis uberibus lactaverunt*, suam illis indolem cum lacte instillando. *Ambros. lib 1. de Abraham* Quid ni Marianos amores, & virgineos mores ex hoc ubere suxerit *Bernardus*: juxta illud Lactantii: *Nutrices mores suos vel bonos, vel malos, in pueros, quos alunt, transmittunt.* *Lactant lib. 5. de provid.*

Porrigit & vobis, quotquot estis filii ac filiæ hujus sæculi, *Maria* sua ubera, ut cum lacte castos mores, & amores imbibatis: cujus vel stillicidium degustatum, vos ab uberibus mundi ablactare poterit. Vos castæ animæ, ac filiæ mellifui Patris, quæ expertæ estis, fidem perhibere, ipsius ore, ac calamo Bernardi stabilitam; qui super illud Canticorum 1. *Meliora sunt ubera tua vino*, sic suavissimè disserit: *Carnis voluptatem, qua paulò ante tamquam vino ebria tenebantur, vincunt hæ qua tua nobis ubera stillant, delicia spirituales.* Sed ut quid ubera dulciora vino? *Pulchrè vino comparant carnalem affectum: ut enim uva semel expressa non habet, quod ampliùs sundat, sed perpetuâ ariditate damnatur: sic caro in pressura mentis, ab omni sua delectatione siccatur.* *Bernard. serm 9. in Cant*

Verùm ubera Virginis non sic: hæc enim inexhausta, de fonte materni pectoris jugiter suppeditant, quod sugentibus largè propinent. Meritò igitur meliora carnis, sæculive amore, offeruntur *ubera sponsa* (Virginis Mariæ) *qua nullo unquam lactentium numero arescunt; sed semper abundant de visceribus charitatis, ut iterum fluant*; etsi *Bernardus* ea suxerit, patent & vobis, ô filii, & filiæ *Bernardi*, quibus *Iesus* frater est, & *Maria* mater est, quam toties diurnis, nocturnisque horis à sanctissimo parente vestro edoctæ, amantissimè salutatis. Quid ni idem favor vobis sperandus sit, qui Parthenico juveni obtigit? Hic quam in scholis edoctus fuerat, brevem hanc precatiunculam: *Beatus venter, qui te portavit, &* UBERA, QUÆ SUXISTI, quoties Deiparæ ædiculam prætteribat, flexis genibus recitare consuerat: dum gravi ægritudine dejectus, & mente motus, linguam, ac labia sibi mordicùs dilanians, jam depositus haberetur, visus ad clientuli lectulum adstare custos Angelus, simul & auditus misericordiæ matri supplex, sic perorare: Recordaretur hoc esse os illud, hæc labia, hanc linguam, quæ virgineæ ejus ubera quotidie nõ semel salutassent. Persuasit. Et ecce exerto virgineo ubere, Virgo virginũ, tenero lactis castissimi rore in os clientis infuso, dixit: Accipe, & fruere præmio ab hoc pectore, quod toties salutasti. Atque è vestigio sibi restitutus, totus mente & corpore sanus, ac candidus surrexit. Tale quid refert Petrus Damianus lib. 6. cap. 29. *Vincent. lib. 7. cap. 84. Nadasi Annus Angelic. p. 157.*

Hæc utinam juventus capiat, & Mariæ uberibus, *cum Bernardo*, candidissimis liliis apis instar inhæreat, & lac virginitatis sugat. *Est etenim*, ut loquitur Ambrosius lib. 1. de Virgin. *Ambros. lib. 1. de virgin.* DIGNA VIRGINITAS, QUÆ APIBUS COMPARETUR. *Rore pascitur apis, nescit Venerem, mella componit. Ros quoque virginis, est sermo divinus: quia sicut ros, Dei verba descendunt. Pudor virginis est intemerata natura. Partus virginis fœtus laborum, expers amaritudinis, fertilis suavitatis. In commune labore communis est fructus.* Tum elegans illud epiphonema solidè inculcandũ, & exaggerandum subjungit: *Quam te velim, filia,* IMITATRICEM ESSE HUIUS APICULÆ (Claravallensis) *cui cibus flos est*, florum omnium pulcherrimus Maria. *Hanc* APEM *imitare tu filia*, quæ adhuc carnalibus mundi uberibus adhærescis. Vobis autem religiosissimis Viris, & Sanctimonialibus stimulo opus non est, ut vos filios Mariæ comprobetis, satis illa se matrem demonstravit, dum ut gallina pullos, sic vos sub alis suis protegendos suscepit, ut ex iis, insidiante accipitre, non perdat quemquam.

Rarum illud, & paucis communicatũ quod à magna Matre indultum privilegium, & favor eximius, quo B. Alberico, secundo Cisterciensium Abbati à Virgine cælitùs denuntiatum est: *Ego Ordinem istum usque in finem sæculi protegam, & defendam*; sic ut ex innumerabili *Bernardi* familiâ per totum orbem dispersâ, ex mille millibus, (ubi è familia sæculari, utinam nõ indisciplinata religiosa, ex 8, 10, 20, pereunt plures) non perdat vel unum. *Bolland. 26. Ian.* Hoc in ioentis excessu, non per somniũ, sed manifestâ visione ejusdem candidissimi Ordinis Monacho, miro spectaculo manifestatũ est. Viderat hic in cælesti curiâ Angelorũ, Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum choros. Inde Martyrum, Cõfessorum, ac Virginum turmas: cũ & Religiosorũ ac Sanctimonialium catervas: quibus dum animum, oculosque pascit, subit stupor, mœ-

rorque,

rótque, quòd in tota illa Beatorum serie, ne unum aspiceret è candida sui Ordinis familia. Dum Virgo mater simul ut vidit anxium ac afflictum, his eum solatur: Filii *Bernardi* jam plurimi cælis inserti sunt, & qui in terris degunt, quàm mihi dilecti, ex hoc disce: & pallio suo latè expanso, sub illo eopiosam utriusque sexus hujus Ordinis multitudinem ostendit.

Henriq. de SS. Ordin. Cister. l. 1. dist. 1. c. 1. Denique ut in perpetuum illustre candoris vestri omnibus testimonium exstaret, quem mente geritis, etiam exteriori habitu Mater vestra *Maria* exprimere voluit; nam *S. Alberico Abbati*, Monachis in choro laudes, & matutinas cantantibus adsuit cum Angelorum comitatu Deipara, præferens manibus candidam supra nivem cucullam, quam capiti *Alberici* imposuit, simulque miro prodigio, aliorum, qui in hoc choro erant, omnium Monachorum cucullæ ex nigro colore (quales ex Cluniacensi monasterio extulerant) repentè in candidissimum colorem mutatæ sunt. Ubi hoc virgineo amori datum est beneficium, mortalibus omnibus oculis illa se subduxit, relicto candidæ huic familiæ, beneficentiæ in eam suæ monumento, & eo odoris, ac miræ puritatis, qua nitebat, symbolo.

Huc credo respexisse Gregorium XI. Pontificem Maximum, dum hujus Ordinis religiosissimos viros, *candidos Nazaræos*, nuncupare non dubitavit: *In vestitu deaurato Ecclesia sponsa Christi, à dextris astitit Cisterciensis Ordo, divinæ mancipatus obsequiis, & inter Religiones ceteras* VIRGINI SINGULARITATE DEVOTIONIS ADSCRIPTUS, *rutilat charitate, gaudet castimoniâ, & pulchritudine conversationis elucet.* HUJUS ORDINIS CANDIDI NAZARÆI *dicti, &c.* Vos, Venerandi Patres, in spiritu præviderat Jeremias Propheta, dum dixit: *Candidiores Nazaræi ejus* (id est, Dei) *nive.* Ubi Hugo Cardinalis: NIVE CANDIDIORES *per conscientiæ puritatem, & castitatis munditiam: & benè per nivem castitas designatur, quia nix candorem habet, & refrigerium; quorum contraria sunt in peccato luxuriæ, scilicet turpitudo & ardor:* Illud verò, quod sequitur: *Nitidiores lacte*, ad pallorem, qui ex abstinentia redundat, & custos est castitatis, refert, dicens: *Nitidiores lacte propter carnis munditiam, sicut candidi dicti propter abstinentiam.* Tales in eumdem sensum vos describere videtur S. Bonaventura; & Lyranus hîc: *Religiosi intelliguntur per Nazaræos: dicit ergo candidiores esse nive per mortificationem carnis, & repressionem noxii caloris, per spiritualem frigiditatem: & benè nivi comparatur carnis munditia, quia faciliter solvitur, nisi frigus continuetur.*

Lancicius opusc. 1. cap. 9. pag. 74.

Thren. 4. v. 7. Hugo hîc.

Lyran. hîc. Bonavent.

Accedit & aliud non vulgare encomium, dum Ordo noster non candido lino, aut bysso, sed nivi comparatur; hæc enim nunquam, ut linum, nigredinem contraxit; nec Religio vestra lapso temporis denigrata, umquam debuit dealbari: sed ut pila per nivem voluta, sic & ipsa, *traxit volvendo nitorem.* Hoc nobile elogium Clementis Papæ IV. *Cisterciensis Ordo prælucidus, est fons amœnus varietate virtutum, præclarus* MUNDITIÆ PURITATE, *pietate patens*, INDEFICIENS SANCTITATE; *cujus processus de virtute in virtutem*; ubi alii commixti inter gentes, & pedibus conculcati, nive solutâ, in lutum platearum degeneraverunt.

Hactenùs dilectum virgineo candore, religioso pallore, & lactis rore candidatum conspeximus, superest, ut illum etiam proptio & sacro Christi sanguine prætextatum, obtentâ jam gloriâ, videamus: nam ut monet vetustus auctor: CANDOR PERPETUUS *non probatur, nisi* RUBOR *admistus illi decus junxerit.* Lucianus in dialogo Doridis, & Galatheæ.

Et Cornelius Gallus:

> CANDIDA *contempsi, nisi quæ suffusa* RUBORE
> *Vernarent* PROPRIIS *ora serena* ROSIS.

Corn. Gallus eleg. 1.

Erat JESUS dilectus sponsus, vel ipso candore suo pulcherrimus; sed sanguinis ille pretiosissimus rubor toto corpore diffusus, mirabile decus adjunxit.

Nunc ergò, qualis *dilectus* noster Bernardus, *ex dilecto* rubicundus factus sit, disquiramus. Bernardus rubicundus proprio, & Christi cruore.

Nazaræos Propheta dixit: CANDIDIORES NIVE; sed & illos simul depinxit, RUBICUNDIORES *ebore antiquo*; quod, inquit Cornelius, tale *naturâ, vel tincturâ.* Lyranus exponit: CANDIDIORES *per castitatem*; RUBICUNDIORES *per charitatem*, quam dilectus noster flagellis in se sæviendo ad sanguinem testatus est. Hugo Cardinalis: RUBICUNDIORES *ebore antiquo; quod non* ROSEUM *habet colorem; sed* PALLORI MISTUM; *per* AURORAM *fervor charitatis: per* EBUR, *quod est frigidum, castus homo significatur, ut possit dici de illo:* DILECTUS MEUS CANDIDUS, ET RUBICUNDUS. Cuique alta contemplatione ruminandum relinquo, quàm hic dilectus Christi Crucifixi, charitate accensus fuit, à primo flore ætatis, quo tribus Religionis clavis arctissimè illi confixus est, ut illud Pauli jure usurpare potuerit: *Christo confixus sum cruci.* At quis satis animo assequatur quàm totus rubicundus, & Christi sanguine tinctus fuit *Bernardus*, dum Christus in cruce cruentis brachiis illum complexus est. Composuerat sanctus ille Claravallensium Abbas hymnum sequentem:

Thren. 4. v. 7. Cornelius à Lapide hîc.

Lyranus. Hugo hîc.

Ad Gal. 2.

> *Salve mundi salutare,*
> *Salve, salve IESU chare,*
> *Cruci tuæ me aptare*
> *Vellem verè: tu scis, quare,*
> *Da mihi tui copiam.*

Ieper. in vita cent. 7.

Quem dum coram imagine Christi ligno affixi recitaret, atque ardenti animo in eum raperetur, ilicò patientis imago avulsis à cruce brachiis, *Bernardum* suavissimè amplexa est, & hianti lateri labia ejus admovit; è quo apis melliflua:

PURPUREO *bibit* ORE NECTAR.

Horat. 3. Carm. Ode 3.

Quo quis non videat Christum majori illum favore dignatum, quàm dilectum discipulum, cui supra pectus dumtaxat recumbere concessum fuit. Hinc in hoc latere, in vulneribus Christi, velut in suavissimis cellulis nidificare solitus; ipsum in æstu suo, à se, ab humanis raptum, quid clamet, & amet, audite: *In his (cellis) multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectióque virtutum. Ibo ad illa sic referta cellaria, atque ad admonitionem*

Bern. ser. 61. in Cant.

tionem Propheta, relinquam civitates, & habitabo in petra. Ideircò audio: Columba mea in foraminibus petra, quòd in Christi vulneribus tota devotione versetur. Non sic infans matris visceribus, non sic apis purpureis rosis inhætere, & lac, & mel sugere consuevit, ut *mellifluus Bernardus* vulneribus Salvatoris; hoc ejus ardentia desideria, hoc mellea colloquia, hoc nectare & ambrosia scripta volumina testantur. *Ibid.* *Ego* (inquit) *fidenter quod ex me mihi deest, usurpo ex vulneribus Domini, quoniam misericordiâ affluunt. Per has rimas licet mihi sugere* MEL DE PETRA, *oleumque de saxo durissimo, id est, gustare & videre, quàm suavis sit Dominus.* *In vita 16 Junii.* Hanc dulcedinem gustavit & filia Bernardi, Christi sponsa *Ludgardis*; quæ pridem Crucifixi amoribus dedita, cum die quodam pro more, summâ animi submissione veneraretur, ille laxato è cruce brachio, totus ut erat sanguine perfusus, eam complexus est, ac plagæ lateris sui appressit; quam illa castissimè suaviata, tantam cælestis suavitatis dulcedinem hausit, ut deinceps saliva ejus quovis melle dulcior videretur. *August. tom 4. lib. de substant dilect & amoris, c. 3.* *Suge,* O APICULA, *suge, suge, & bibe dulcoris tui inenarrabilem suavitatem, immergere, & replere: quia ille deficere nescit, si tu non incipias fastidire. Adhære ergò, & inhære, sume, & fruere; si sempiternus gustus fuerit, sempiterna quoque beatitudo erit.*

Quam velim vos omnes hanc apiculam æmulari, & ex hisce cellariis mella sugere suavissimè, qui gustavit, invitat Bernardus, ut & nos apes imitemur, & mel, ac nectar è vulneribus Christi sugamus: *Bernard. de passione cap. 44.* *Convenit enim,* UT APES SIMUS, *quæ sciant* SUGERE MEL DE PETRA: *idem enim est hortus, & petra, id est, Christus.* APIS *inter volandum non conticescit, donec intra florem intraverit,* UBI MELLIS OPTATI DULCEDINEM COLLIGIT, ET EXSUGIT. *O quàm felix eris, si postquam intra florentis paradisi nostri* FLORES SANGUINEOS, VULNERA DICO, *fueris intromissus: ab hujus mundi strepitu, & tentationum incursibus per dimidiam saltem horam omninò valeas liberari, & soli ei, ad quem introisti, vocam,* GUSTARE ET INTELLIGERE POSSIS, QUAM BONUS, QUAM DULCIS EST DOMINUS. A qua dulcedine longè evagantur scarabæi isti, qui mundi cœno, & carnis sordibus inhiant, & inhærent.

Quid ni *dilectus noster* totus *rubicundus*, qui sanguinolenta Christi patientis instrumenta in fasciculum collecta, jugiter in suo corde gestavit? dicens: *Cant. 1, 13* *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur;* qui præ omnibus floribus mihi charior, & pretiosior est, & ab adolescentia mea crevit circa eum dilectio: *Bernard serm 43 in Cant.* *Ego, fratres, ab ineunte mea conversione, pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam,* HUNC MIHI FASCICULUM COLLIGAVI, ET INTER UBERA MEA COLLOCARE CURAVI; ut numquam ab oculis, numquam recedat à corde; hunc fasciculum exoptat omnes filios & filias sibi colligare, & inter ubera portare; sic quamque compellans, & adhortans: *Ibid.* *Tu quoque, si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ* TAM CHARUM FASCICULUM, *de principali tui pectoris, nec ad horam patieris avelli: amara illa omnia, quæ pro te protulit, semper in memoria retinens, & assidua meditatione revolvens, quò possis dicere & tu:* FASCICULUS MYRRHÆ DILECTUS MEUS MIHI, INTER UBERA MEA COMMORABITUR. Sic *Aligdem*, sic *Lutgardem*, sic alias filias *Bernardi* factitasse legimus, quæ & exemplo iis sunt, quæ fasciculos anemonum, rosarum, aliorumque florum inter ubera gestare solent.

Æneas Sylvius, posteà Pontifex Pius II. de juvene quodam, Pachoro nomine, commemorat, eum sponsæ suæ Lucretiæ, quam deperibat, fasciculum florum misitasse, amatorio epistolio inserto, hisce paucis verbis: *Cogita tu de me, & ego de te.* Hæc tibi, ô anima, à dilecto sponso tuo Christo dicta, attenta aure accipe, qui ab omni æternitate, & omni momento memor est tui, & cogitat de te, ac si sola esses in mundo. Cogita & tu de illo, & omni die, ac horâ, memoriâ memor esto cruciatuum, quæ pro te pertulit, eosque in fasciculum collectos, ne umquam cordi excidant, assiduâ meditatione revolvens, inter ubera tua portare non desinas; ut sponso tuo similis, pretioso sanguinis ejus ostro tincta, rubicunda appareas.

Denique, dilectus noster *Bernardus* totus *rubicundus* ardenti desiderio martyrii apparuit. Perappositè S. Gregorius, ex eo *Nazaræos* RUBICUNDIORES *ebore antiquo* describit: *dum enim* RUBORIS PULCHRITUDO LAUDATUR, FLAMMA DESIDERII SANCTI EXPRIMITUR. *Greg. lib. 33. moral. cap. 13. Liran. hic. Cornel.* Uberiùs Rupertus hunc locum de Martyribus exponit, dicens: *Rupertus de SS. Patriarchis, cap. 85. Gislerius in Threnos c. 4. v. 7.* IN NIVE SOLA EST ALBEDO; *sed cùm candidi, & nitidi essent, passionibus superadditis,* QUEMDAM PURPUREUM TRANSIERUNT RUBOREM: *nam & ludibria, & verbera experti sunt, lapidati sunt, secti sunt, &c.* hos inter purpuratos (quorum turbam, quam nemo numerare poterit, ex hoc Ordine extitisse, mox dicemus) martyrii palmâ decoratus, censendus est *Bernardus*, idque è cathedra veritatis oraculo: sic etenim Alexander Papa III. tit. Canon. *Annal. Cisterc. tom 3 p. 1.* *In afflictione corporis sui, usque adeò sibi mundum, sesesque mundo reddidit crucifixum, ut confidamus* MARTYRUM QUOQUE EUM MERITA OBTINERE SANCTORUM, *quem confessionis ordine, & parsimoniâ vitæ, tam* LONGUM CONSTAT DUXISSE MARTYRIUM. *Hilarius orat. de S. Honorato.* Vita ejus religiosa, quæ teste S. Hilario, *quotidianum martyrium est:* carnis maceratio, & perpetua mortificatio, multò sanctorum Martyrum tormenta exsuperavit. Erat *Bernardus*, teste "Gaufrido, sibi asperrimus, & durus: erat tam "assiduus in oratione, vigiliis, jejuniis, & in "comedendo tam parcus, ut vix pedibus suis "posset sustentari, utpote cui alimentum, tor- "mentum erat. Ferebat asperrimum cilicium "ad carnem macerandam: admirabantur me- "dici videntes viri sancti asperitatem in victu; "& quòd tanta cibi tenuitate, tantaque aspe- "ritate vitæ, posset vel biduum sanus traduce- "re; verbo unico, tota Bernardi vita, crux fuit perpetua; sic ut meritò *confidamus*, MARTYRUM QUOQUE MERITA EUM OBTINERE: nam, ut inquit Hieronymus in epitaphio Paulæ: *Hieronym. epist 27. de epitaph. Paulæ.* *Non solùm effusio sanguinis* IN MARTYRIO REPUTATUR; *sed devota quoque mentis servitus immaculata, quotidianum martyrium est: illa corona de rosis texitur, ista de liliis; unde & in Cantico*

Cantico-

Canticorum scribitur: *Patruelis meus* CANDIDUS ET RUBICUNDUS, *in pace, & in bello eadem præmia vincentibus tribuens*; sed ipsum Bernardum audiamus: EST MARTYRII GENUS, *& quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione*, quæ certè diuturnitate temporis, breve per laqueum, aut gladium martyrium exsuperat: GENUS QUIPPE MARTYRII, ut alibi docet, *spiritu facta carnis mortificare: illo minorum quo membra caeduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius*; ut aliàs fusiùs demonstravimus. Jucundè hoc ipsum declaravit sanctissimus Doctor, qui, cùm in Theobaldi, Principis viri ditione, magnæ turbæ occurrisset, quæ insignem latronem ad patibulum deducebat, ad eum per medium agmen accedens, dedi sibi hominem postulavit, velle eum se propriis manibus suspendere. Inter quæ Theobaldus ipse de sancti viri adventu certior factus, cùm advenisset, ratus eum ignorare quis hic reus esset, ingentia ejus crimina commemorare cœpit, eum esse capitali supplicio dignissimum: tum verò *Bernardus*: Novi, inquit, atque ob hanc causam, quia non una, aut brevis mors ejus sceleribus par est, plures ei inferre statui: sic igitur solutum ac liberum, ad suum perduxit monasterium, in quo monachus effectus, per 30 annos quotidie, ut ait Apostolus, moriens, supplicium quod semel, & simul brevi compendio subiisset, multiplici, & diuturno quasi martyrio consummavit. Sic cælestis Sponsus hic Sanctos & Sanctas, præter communes religionis afflictiones, quodam genere martyrii exercuit, *illo quidem quo membra caeduntur mitius; sed diuturnitate molestius*. Unam è sexu fragili, Bernardi filiam induco, *B. Alcydem Virginem*, quæ in *Camera* propè Bruxellas requiescit; hæc leprâ gravissimâ, & incurabili infirmitate, usque ad vitæ terminum laboravit; sed & aliis multis morbis horrendùm divexata fuit: nam lumen oculorum amisit, & à planta pedis, usque ad verticem capitis non erat in ea sanitas: è toto corpore [illegible], & vermes germinabant; tamque acutis doloribus sæpè sæpiùs de die cruciabatur, ut vi doloris exclamare cogeretur: *Nunc in purgatorio torqueor, nunc crucior in inferno*. Ipsa interim contactu suo leprâ percussos sanabat; à ceteris Sanctimonialibus sejuncta, Christi [illegible] sui aspectu, & amplexu fruebatur.

Quòd autem martyrii palmâ decorata fit, idem Menologium testatur: nam cùm solenni S. Ursulæ, & sociarum festo, matutinas horas ab aliis decantari audiret, Deum ardentissimè precata est, ne se sicut à choro, ita ab earum consortio in cælo arceri sineret, Christus respondit: *Filia, non solùm in sodalitium B. Ursulæ numerum referetur, sed & altiori multo gradu super eas collocaberis*; quin & animam ejus cum Virgine matre accipiens, sic eam affatus est: *Bonum certamen certasti, propter quod vero, ut duplici coronâ, tum martyrii, quàm virginitatis decorata, in æternum requiem introducaris*. His veluti levioris velitationis præmissis, superest, ut *Ordo Bernardi*, similis dilecto suo Bernardo, totus *rubicundus*, & sanguine Martyrum purpuratus exhibeatur.

Apud Romanos olim in more positum, ut qui dignitatem ambirent, & ad summa honoris fastigia aspirarent, procederent induti togâ candidâ, essentque, ac dicerentur *candidati*: innocentiam videlicet, quam spondere eut animo, etiam corpore præferentes; qui vero publicum jam cum dignitate munus gererent, in purpuram prætexerent togæ candidæ; & ab ea *prætextati* dicerentur.

Fuerit ergo candor in toga, spectatæ signum gloriæ, purpura certè argumentum fuit obtentæ jam apud homines dignitatis.

Non est species ulla suavior, quàm conspirantis cum rubore candoris; ut si rosa puro lacte narent folia: nec illustrior unquam innocentia, ac virginitas, quàm cum sanguine tincta. Etiam Cælites admiratione defixi hærent in eos, qui *lavarunt stolas suas*, & DEALBAVERUNT EAS IN SANGUINE AGNI: candore simul & cruore conspicui, *Candidus*, inquit Bernardus, *in sanguine agni novelli*, SANGUINE LACTEO, CANDIDO ET RUBICUNDO.

At qua ratione Martyres, inclyti illi heroës, de quibus hîc agitur, *dealbarint stolas suas in sanguine*, sic tradunt Interpretes. Per stolas corpora designari, quibus anima quasi vestibus amicitur. Quæ fuso sanguine, animas, quas stolis albis gloriæ indutas describit Apocalypticus Angelus, quodammodo dealbarunt. In hunc sensum Cornelius ex Petro Fabro, & Alcazar: stolas albas Martyribus attribuit Joannes: quia hæc nivea, puraque vestis, olim Magistratuum erat, ac Sacerdotum, teste Plutarcho; quæ tamen purissimo sanguine agni tinctæ (cujus amore suum Martyres fundebant) inardescentem defæcatissimi veluti muricis ruborem imbiberant. Unde & Ecclesia decantat: *Te Martyrum candidatus laudat exercitus*: nam color rubens, inquit Alcazar, propter eorum corpora; quibus inhærebit, illis tribuitur, ut repræsentent, sanguinem à se effusum *mereri purpuram*: animas verò, *stolam gloriæ candidam*.

Nunc itaque in theatrum prodeat *Martyrum Cisterciensium candidatus exercitus*, & spectaculum formosissimum, quod mortales, omnes Cælites in admirationem rapiat, spectate.

Habuit hic candidus Ordo, purpurâ Pontificiâ, Cardinalitiâ, Regiâ illustres plurimos: Pontifices quatuor: patriarchas quatuordecim: Cardinales quadraginta sex: Archiepiscopos octingentos: Episcopos mille quingentos. De Regibus, Principibus suprà diximus.

Sed hanc scenam prætereo, & illos sanguinis sui purpurâ longè illustriores produco, qualis extitit Regis filius, Bernardus, quod miretis ex Turcia: qui baptismi lympha primùm candidus, candidam, quam in Cisterciensi Ordine (cui & duas sorores *Gratiâ*, & *Mariam* adjunxit) induit stolam, fuso pro Christo sanguine gloriosius Martyr rubescit. Tales purpuratæ Atlerhæ in Scotia duceuti; in Hispania bis mille: in Hibernia, in uno monasterio Benchornensi 900. in cœnobio Magiensi, ab hæreticis, post expilationem omnium, crudelissimè in odium fidei, & Religionis pridie assumptæ Virginis trucidati. Ubi id à sæculis inauditum accidit. Cellarius, seu Procurator peregrè à negotiis vespere redux, neminem suorum, omnia diripta, ac tandem in templo omnes immani laniena macta-

Marginalia (left): Bern. ser. in octav. Paschæ. — Idem serm. 1. in cœna Domini. V. Pantheon de communi Martyrum 6.3. fusiùs Plutarch. lib. 2 c. 12. — Henriquez menologium Cisterciensium, 11 Iunii. — Ordo S. Bernardi Martyrû sanguine rubicundus.

Marginalia (right): Apoc. 7. — Bern. ser. 1. in festo Paschæ. — Cornel in Apocalyp. 7 v. 9. Alcazar. ibid. — Henriquez in fascic. SS Ordin. Cisterc. l. 2 dist. 16. p. 36 & pag. 344.

mactatos, & in sanguine natantes reperit: quo cruento spectaculo in amarissimas lacrymas, & ardentes preces effusus, ad reliquam in ara Virginis statuam, has voces habuit: Tu o Virgo purissima, Domina & protectrix nostra, quanta sollicitudine, & devotione, hi famuli, & filii tui, semper tibi servierunt in hac domo, omnia tua Festa celebrarunt; ne quæso sinas hanc summam tuam solennitatem sine tuis laudibus præteriri: vix hæc precatus, audit, cùm nemo adesset, monasterii campanas pulsari, simulque videt Martyrum corpora è strato assurgere: & ut erant veste candidi, & sanguine rubicundi, ad sedilia se recipere, & decantatis Deo, ac Virgini laudibus, rursus in Domino quieverunt, & ad palmas, ac coronas è lapide pretioso, in cælum evolarunt. Si alios per Europam, in Polonia, Bohemia, etiam in novo orbe recensere voluero, dies me deficiet.

Morale. Quid ad hæc, vos Auditores, qui illa magis miranda, quàm imitanda jactatis? si sanguinem dare non potestis, saltem ad eorum exempla, aut certè ad propria vestra scelera erubescere, & vel sic ex consilio Doctoris Seraphici, rubicundi apparere non refugietis: *Notandum, quòd* RUBOR IN FACIE, *pudoris solet esse indicium.* RUBICUNDI *ergò sunt Nazaræi, id est, virgines & casti, calore devotionis fervidi, & reverentiâ honestatis* PUDIBUNDI, *quia ad omnem turpitudinem* ERUBESCUNT: PUDET *inhonesta videre*, PUDET *turpia audire*, PUDET *turpia dicere*, PUDET *turpia cogitare.* Si hâc purpurâ vos tincti & casto rubore rubicundæ virgines extiterint, *Martyres* proximè æmulantur; quod si & castitate, & vitæ innocentiâ candidæ, Christo dilecto, candido & rubicundo, ejusque suavissimo dilecto *Bernardo*, planè similes exhibueritis.

Bonavent. apud Gisler. in Threnos, c. 4. v. 7.

Ad hoc conducet, si duas in conclavi tuo elegantes imagines Christi Crucifixi, & Virginis Matris appensas habeas, quas inter te indies medium constituas, & cum *suavissimo Bernardo*, amores tuos vulnere & ubere pascas, ut totus candidus & rubicundus appareas, hæc cum eo decantans:

Franc. Remond.

> UBERA *me matris, nati me* VULNERA *pascent,*
> *Scilicet hæc animi sunt medicina mei.*
> *Nam mihi dum lacrymas amor exprimet,* UBERA *fugam,*
> *Rideat ut dulci mistus amore dolor.*
> *At me tentabunt dũ gaudia,* VULNERA lambam.
> *Ut me læta pio mista dolore juvent.*
> VULNERA *sic nati, matris sic* UBERA *sugam,*
> *Secura, ut varia sunt mihi sorte vices.*
> *Quis sine* LACTE *precor, vel quis sine* SANGUINE *vivat?*
> LACTE *tuo genetrix,* SANGUINE *nate tuo!*
> *Sit hoc pro ambrosia, suavi pro nectare sanguis:*
> *Sic me perpetuum* VULNUS ET UBER *alant.*

Poteris & candidus, ac rubicundus dilecto tuo assimilari, dum divino in Eucharistica mensa sanguinis vino, quod è lacte matris traxit, potatis, ut illud Sponsæ usurpare queas: *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Carthosianus hîc: *Bibi* SANGUINEM *sub specie vini, cum omnimoda puritate,* QUÆ NOMINE LACTIS *significatur.* Quale vinum! quàm dulce lac! Audeo dus Clemens Alexandrinus, qui tradit hanc mixtionem gratam, & salutarem: *Miscetur quoque* LAC VINO DULCI: *est autem utilis mixtio, velut contemperata affectione ad incorruptionem;* hæ deliciæ *Bernardi*, hæ quoque, qui mirificus *Bernardi* encomiastes est, Seraphici Bonaventuræ: *Non solùm procurabo convulnerari vulneribus; sed etiam uberibus allactari,* & MISCEBO LAC MATRIS, CUM SANGUINE FILII, *ut mihi faciam unam dulcissimam potionem:* hanc & vos sitite, & bibite.

Cant. 5. 1.

Clemens Alexand. l. 1. pædag. c. 6.

§. IV.

Claravallis alveare describitur.

INgeniosum inventum fuit prisci Philosophi, quem Doctor Angelicus refert, vastam solitudinem petiisse, secumque alveare vitreum asportasse, eo animo, ut apum opera, studia, mores, Rempublicam assequeretur; at irrito conatu: totum enim vitrum, apes primùm cerâ oblinierunt, ut quid, aut quomodo operarentur, humanis oculis non pateret.

Sanctus Thomas de Regim. princ. l. 1. c. 4. §. 1. in fine.

Felicius de Claravalle, ac religiosis claustris, & cellis vestris mihi augurari licet, cujus, quantumvis altos, & densos muros, morum splendor, virtutum fulgor, ac sanctitatis radii penetrant, & lucent omnibus, non solùm qui in domo, sed in orbe sunt; sicut quot florentissimi hujus Ordinis cœnobia, tot illustria alvearia mihi contemplari, & jure merito compellare posse videar. Testem habeo Hieronymum, qui exponens illud Sapientis: VADE AD APEM, *& disce quàm operaria sit*, vitæ monasticæ formas describit; Rusticum monens: *Monasteriorum ordinem, ac regiam disciplinam* IN PARVIS DISCE CORPORIBUS. Ubi mihi in mentem venit, quod olim Romanus respondit artifici, qui cùm illi obtulisset ita domum construere, ac fenestras collocare, ut à nemine, quid intus ageretur, conspici posset; duplex pretium obtulit, si domum, vitri instar, pellucidam, ac diaphanam facere posset, ut ab omnibus conspici posset: O si parietes vestri vitrei, ac pellucidi forent! quàm miranda *cælestium Apum opera*, quam non imitanda sanctis rigoris, ac fervoris, religiosæ disciplinæ, mutuæ concordiæ, omnisque sanctitatis prodigia cernere liceret!

Hieron. epist. 4. ad Rusticum.

Unam Claravallem propiùs rimemur, penitiùs contemplemur, & cellas cælum miremur. Ducem sequor Ambrosium: *Nunc age qua* APES, *velut quamdam Rempublicam curare videantur, expediam, atque vita hujus ætates agere sub legibus. Hic enim Reipublica usus est, leges omnibus esse communes.*

Ambros. l. 5. hexam. c. 21.

Hæc religiosa Respublica *inter Apes Claravallenses* mysticè gerebatur: non hîc nota illa cantilena:

> *Bonum vinum cum sapore,*
> *Bibit Abbas cum Priore,*
> *Datur aqua Fratribus.*

Nulli hîc Magistri nostri, aut Patres discreti à com-

communi victu & potu, à choro, à lege, & regulis exempti. *Amb. cit.* *Vno omnes* (apes) *teneri vinculo, non alterius esse* (dormiendi, evagandi, potitandi) *quod alius sibi intelligat non licere: sed quod liceat, licere omnibus.*

Pergit hanc communem vivendi rationem pertexere, quam à parvis animalculis, Claravallenses, aliique mellifluî Doctoris filii mutuare non erubuerunt: *Magna haec* (inquit) *sed quantò* IN APIBUS *præstantiora, quæ sola in omni genere animalium, communem omnibus sobolem habeat.* Dicam ego, quantò hæc in mysticis apibus præstantiora, quas inter, nulla nationum, conditionum, parentum, aut propinquorum distinctio, quasi omnes uno partu, & uno patre progenitæ. *Amb. cit.* *Vnam omnes incolunt mansionem:* nemo de angustiis cellæ, de habitatione queritur, de mutatione contendit: *Vnius patriæ clauduntur limine;* non hic de aëre infesto, calido aut frigido murmurant, non terrenam sed cælestem patriam omnes amant. *Amb. cit.* *In commune omnibus labor, communis cibus, communis operatio, communis usus & fructus;* refectio, jejunium, somnus, & vigiliæ, labor & quies omnibus communis: ut de apibus canat Virgilius:

Virg. 4. Georg. *Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.*

Videre erat omnes, seu domi operi manuum, stato tempore incumbentes, seu foris in messe, in sudore vultus laborantes, tam sanctè opus instituentes, ut ipsa Virgo mater filiis suis sudorem non semel deterserit; sic etenim Chrysostomus Henriquez, admirandam Claravallis perfectionem describens, ait: *Henriq. fasc. Sanct. Ord. Cist. l. 1. distinct. 41.* *Quæ favores, quæ dona, quibus purissima Virgo Deipara sanctam hanc congregationem prosecuta est, dicere queat?* QUOTIES A FACIE SANCTORUM HORUM MONACHORUM, CUM IN AGRIS METERENT, SUDOREM ABSTERSIT? *quoties eos visitavit, & amplexa est? quoties eosdem in Capitulo consolata est visibili modo, & ad amplexum suum admisit? quoties eos abstinentia debilitatos, suavissimo cibo propriâ manu juvit? quoties eis dormientibus dormitorium intravit, & benedictionem suam impertivit, ut eos à communi generis humani hoste tueretur? &c.* Ac tandem rectè concludit: O felix domus, in qua tam miranda contigerunt; ad quam tam familiariter Christus, ejusque sanctissima mater diverterunt: in qua tam floruit Evangelica paupertas, angelica castitas, monastica perfectio, vita Apostolica, & omnimoda sanctitas. Hanc sacro stupore attonitus ipse summus Pontifex *Innocentius II.* coram contemplatus, & admiratus est. Sic porrò refert Bernardus Abbas Bonævallis l. 2. c. 1. *Bern. Abbas Bonævallis, l. 2. c. 1. Ann. Cist. tom. 1 anno Christi 1131. c. 1.* *Rediens, Leodio,* CLARAVALLEM *Dominus Papa voluit visitare; ubi à pauperibus Christi, non purpurâ, & bysso ornatis, sed pannosis agminibus, bajulantibus crucem, affectuosissimè susceptus est.* Mirabile, & venerabile spectaculum, videre pallida jejuniis omnium ora, dejectos humi oculos, vultus hilares, divinum quid spirantes: *Flebant Episcopi, flebat ipse summus Pontifex: mirabantur Congregationis illius gravitatem, quod in tam solenni gaudio, oculi omnium humi defixi unsquam vagabundâ curiositate circumferrentur; sed complosis palpebris ipsi neminem viderent, & ab omnibus viderentur: gaudebant omnes in Domino, & solemnitas non cibis, sed virtutibus agebatur. Panis ibi autopyrus pro simila, pro rhombis olera, pro deliciis legumina ponebantur, si forte piscis inventus est, Domino Papæ appositus est, & aspectu, non usu in commune profecit.* Quid mirum, si summus Pontifex, & omnis comitatus exclamârit: *Castra Dei sunt hæc.* *Gen. 32. v. 2.*

Tales suos verbo, & exemplo instituerat filios *sanctus Pater Bernardus*, ut omnibus miraculo fuerint: quot enim Religiosi, tot virtutum spectacula, tot sanctitatis miracula: nam, ut inquit ipsemet de suis: *Bern. ser. 1. de dedicat.* *Quod majus miraculum, quando tot juvenes, tot adolescentes, tot nobiles, universi denique quos hic video, velut in carcere aperto tenentur sine vinculis, solo Dei timore confixi? quod in tanta perseverant afflictione pœnitentiæ, ultra virtutem humanam, supra naturam, contra consuetudinem? ipsi verò videtis,* QUANTA IAM POSSEMUS INVENIRE MIRACULA, *si perscrutari sigillatim liceret exitum de Ægypto, & deserti viam, id est, abrenuntiationem sæculi, introitum monasterii, in monasterio conversationem.*

Iterum exclamare lubeat: *Verè castra Dei sunt hæc:* *Gen. 32.* Sunt & sua apibus castra, ut ea Poëta describit; sed Ambrosium audiamus: *Ambr. l. 5. hexam. cap. 21.* *Opus ipsum suave de floribus, de herbis dulcibus* FUNDAMENTA CASTRORUM *prima ponuntur, quid enim aliud est favus, nisi* QUÆDAM CASTRORUM SPECIES, *quæ* CASTRA QUADRATA *tantum possunt habere artis & gratiæ, quantum habent crates favorum, in quibus minutæ, ac rotundæ cellulæ, connexione sui invicem fulciuntur?* quæ castra militaria, ita ordine disposita, ut hæc Claravallensis acies ordinata! ubi ad nongentos viros religiosissimus numerare erat, ordine sibi in choro centenos centenis succedentes, & divinas laudes canentes; *Henriqu. fasc. Sanct. Ord. Cisterc.* ea vitæ sanctitate degentes, ut quod de nullo Ordine me legisse memini, Bulla summo Pontifici oblata fuerit, ne ullos ampliùs solenni canonizatione in Album Sanctorum redigeret, ne copia vilescerent. Quis audivit unquam tale, aut vidit huic simile? Venerabilis Abbas Petrus Cellensis, meritò locum hunc Paradisum cælestem nuncupavit, dum sic scribit *ad Alexandrum III.* Pontif. Max. ne Henricus *Petr. Cellensis lib. 8. ep. 8.* è Claravalle ad infulas episcopales promoveretur: *Concedat Apostolica licentia hominem istum in* CLARAVALLENSI PARADISO *operari cibum, qui non perit. Habitat in medio lapidum ignitorum* (velut inter Seraphinos) *quorum contemplatione visus acuitur, torpor excutitur, vitalia nutriuntur, morticinia rejiciuntur, Religio perpetuatur; manna est ibi absconditum promissæ dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, & dabit diligentibus se.*

Verè Paradisus Ordo vester, *sanctissime Pater*, ubi rosæ, & lilia non desunt, ubi inhabitantes Angeli sunt, & diu, noctuque cælesti harmoniâ claustra resonant.

Nec à paradiso longè discedit, qui hoc Sanctorum domicilium, *Divûm domum*, cælestem Jerusalē nuncupavit; sed nemo quisquam illam Claravallē, & habitationē sanctam veraciùs, ac vivaciùs nobis describere, quid ve intus sanctæ jucunditatis, & jucundæ sanctitatis delitescat, expo-

exponere poterit, quàm ipse *sanctissimus Archimandrita*, oculatus testis, qui omnibus præfuit, & interfuit; sic etenim scribit Alexandro Lincolmensi Episcopo, de quodam profectionem in terram sanctam meditanti, qui decorem domus Dei, & quasi cælestem Jerusalem contemplatus in terris, mutato proposito, peregrina-,, tionis portum in Claravalle invenit. Hæc ,, ejus epistola est: Philippus vester volens pro- ,, ficisci Hierosolymam, compendium viæ in- ,, venit, & citò pervenit quò volebat, trans- ,, fretavit inbrevi hoc mare magnum & spa- ,, ciosum, & prosperè navigans, attigit jam ,, littus optatum, *atque ad portum tandem salutis appulit* (sic Claravallem nuncupat) *stantes sunt jam pedes ejus in atriis Hierusalem*, (quid enim hoc, aliaque religiosa vestra domicilia quàm cæli atria) *ingressus est sanctam civitatem*, Claravallem; *fortitus est cum illis hæreditatem, quibus meritò dicitur* : JAM NON ESTIS HOSPITES, ET ADVENÆ; SED ESTIS CIVES SANCTORUM, ET DOMESTICI *Dei* : *cum quibus intrans, & exiens, tamquam unus è sanctis* (congregatio quippe sanctorum erat) *gloriatur & ipse cum cæteris, dicens*: *Conversatio nostra in cælis est*. En cælum in cellis, & in terris: *Factus est ergò non curiosus tantùm spectator, sed & devotus habitator; & civis conscriptus Hierusalem; non autem terrenæ hujus, cui Arabiæ mons Sina conjunctus est, quæ servit cum filiis suis, sed libera illius, quæ est sursum mater nostra* : tum candidè animi sui sensum exponens : *Si vultis scire*, inquit, CLARAVALLIS IPSA EST HIERUSALEM, *et quæ in cælis est*; *tota mentis devotione, & conversationis imitatione, & cognatione quadam spiritus sociata*. Non hîc me contineo, quin exclamem: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*.

Bern. epist. 64. ad Alex. Lincol. Episcop.

Ephes. 2.

Philipp. 3.

Ps. 83. v.

Hæc quæ *de Claravalle*, de aliis innumeris *S. Patris* cœnobiis, sub eadem disciplina, primo suo rigore, & vigore constitutis, usurpare possem, ubi religiosæ illæ apes cælestia devotionis mella, & divinos virtutum omnium favos condunt, dulcedinem illam, quam abscondit Deus diligentibus se, jam prælibantes.

Epilogum mirabilium prodigiorum, quæ hic *alter Thaumaturgus* BERNARDUS, supra captum omnem humanum patravit, cùm infinita sint, non attingo; hoc unum dixero, adeò illum claruisse in vita, & morte miraculis, ut languentium, cæcorum, energumenorum, omnisque populi ad tumulum confluentis turba, cùm omnem cultum divinum, & ecclesiasticum officium impediret, mortuo imperatum sit, miracula operari desineret, quodque maximum, & inauditum miraculum, ibidem loci, & temporis obtemperavit: quæ dum dixi omnia, aut ut veriùs, pro dignitate nihil dixi.



FESTUM

FESTUM S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Laudate eum IN TYMPANO. Psal. 150. ℣. 4.



TYMPANA *tenta sonant.* Lucret. lib. 1.

ARGUMENTUM.

Quis placidum animal, non solùm Christi Redemptoris, sed & fortissimorum pugilum, quos inter Bartholomæus excelluit, verus ac vivus typus est; qui sicut *oves occisionis* ad victimam ducti, vivi excoriati, & excarnificati sunt. *Psal. 43.*

Sed cùm aliàs pluribus, de præclaris hujus Apostoli gestis dictum sit, hodiernâ die ex pelle tympanum, ad novos milites colligendos, & animos inflammandos, conflare & pulsare occipiam. Ac primùm quidem, Deum *in tympano* laudamus, dum exemplo *Bartholomæi*, aliorúmque Sanctorum, pellis carnis nostræ, flagris, aliisque mortificationibus contunditur; quo in genere teneræ puellulæ, insignes Tympanistriæ extiterunt. Hoc gratissimo Tympanistriarum concentu, ipsos Cælites delectari, Psaltes Regius declaravit: *Prævenerunt Principes* (id est, Angeli,) *conjuncti psallentibus, in medio juvencularum* TYMPANISTRIARUM; ubi Hugo Cardin. *In medio pœnitentiam agentium, in mortificatione carnis.* *Psal. 67. Hugo Car. hic.*

Tum, quod Tympanistis proprium est, classicum ad novos milites conscribendos pulsandum est; ubi prima occurrit *Virgo Maria*, quæ primum virginitatis classicum insonuit. Sic & in aliis virtutibus, quisque bono exemplo & verbo, velut tympano, alios ad sequendum animare, & incitare potest. Hoc integræ familiæ, integra regna per unum ejusmodi tympanistam, aut tympanistriam conversa sunt.

Illud autem deplorandum, & execrandum, plures diaboli tympanistas & tympanistrias inveniri, qui ad omne flagitium incentores, & inventores, impellunt. Unde quæ passim vel ignorantur, vel non curantur, peccata aliena gravissimè exaggerabo: quibus *tenentes tympanum*, & cytharam ad inferna descendunt.


§. I. *Laudate eum* IN TYMPANO. Psal. 150.

§. II. MARIA SUMPSIT TYMPANUM IN MANU SUA, EGRESSÆQUE SUNT OMNES MULIERES POST EAM IN TYMPANIS, ET CHORIS. Exodi 15. v. 20.

§. III. *Diabolus incentor ad peccatum, suos tympanistas, & tympanistrias habet, qui alios ad malum provocant, invitant, & impellunt.*

FESTUM S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Laudate eum IN TYMPANO: Psal. 150. ℣. 4.



Vis, animal innocens, victimæ natum, & consecratum: verum ac vivum benignissimi Redemptoris nostri symbolum, (qui *sicut ovis ad occisionem ductus est,*) innumera mortali generi adfert commoda: nos carne nutrit, nos lanâ vestit: nos quadruplici musicorum instrumentorum genere recreat, & oblectat: intestinis in chordas, cornubus in lituos, & tibias: pelle denique in tympanum adaptatis; ut proinde non ineleganter Hebræi pronuntiarint: *Animali vivo, vox una est; mortuo multiplex, & varia:* nam duo cornua, & ambæ tibiæ: intestina, & pellis, in totidem instrumenta musica animantur. Unde eruditione, & sanctitate eminentissimus Cardinalis, Petrus Damianus, tom. 3. opusc. 45. c. 4. *Ovis mortua* IN INSTRUMENTIS MUSICIS SUAVITER CANTAT. Quid, quòd ovis toti mundo imperitare perhibeatur, dum omnia Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, sacrorum Præsulum decreta, diplomata; contractus omnes civiles, ac politici, emptionis, venditionis, donationis, tabulæ matrimoniales, testamentales, ovinæ pelli inscribuntur: tot insuper milleni codices sacri, ac profani, eruditissimis, ac vetustissimis scriptis illi exaratis, ad nos usque devolvuntur, & reconditam scientiam loquuntur. Tantum bono publico utilitatis, ac jucunditatis, ovicula morte suâ confert.

Isa. 53. 7. Kircherus Musurgia lib. 6. cap. 3. pag. 528.

Ovis mortua servit variis instrumentis musicis, præsertim pellis tympano. *Pet. Dam tom. 3 opusc. 45. cap. 4.*

Ps. 103. 2. Ps. 44. 2. Et si *cælum extendat* Deus *sicut pellem*, & cælestes omnes intelligentiæ fiant *Scribæ velociter scribentes*, nemo adumbrare, nedum exarare, aut enarrare poterit, quantum Reipublicæ Christianæ utilitatis, & jucunditatis, inclyti Ecclesiæ heroës, invicti Christi discipuli, quos inter *divus Bartholomæus* enituit, pelle stylis ferreis aratâ, & instar tympani tensâ, contulerint; illud Psaltis Regii *in* TYMPANO, *& choro* cantantes: *Æstimati sumus* SICUT OVES OCCISIONIS. Hoc amabili vocabulo, supremus Pastor suos indigitavit, dicens: *Ecce, ego mitto vos,* SICUT OVES *in medio luporum*; in quem locum purpuratus Doctor: *Mirabilis*, inquit, *venator Christus, qui* OVES *mittit ad capiendos lupos*. Illud porrò quâ ratione factum sit, S. Thomas exponit, dicens: *Considerandum, quòd non simpliciter ad lupos; sed in medio luporum mittit; ut scilicet suam virtutem magis demonstrarent, cùm omnes lupos superaverint, etiam in medio luporum existentes, & plurimos morsus accipientes* (& pelle exuti, oves occisionis facti) *ab eis non solùm non consumuntur; sed illos convertunt; multò autem mirabilius est, & majus, transmutare mentes eorum, quàm interficere eos.* Sic gloriosus Apostolus noster *Bartholomæus*, in medio luporum, instar ovis occisionis crudeliter discerptus, ipsos lupos superavit, cujus heroica facinora, cùm aliàs pluribus enarrarim, & de pelle ejus luserim, sat erit, ut inde ad novos colligendos milites, & animos ad Christi castra, sub vexillo crucis sequenda, inflammandos, tympanum, quo per omnem terram gratissimus sonus diffundatur, & Altissimus laudetur, conflare, & pulsare occipiam.

Apostoli oves. *Ps. 150. 4. Ps. 43. 22. Matt. 10 v. 16. Hugo Car hic. S. Thom hic in Cat. V. Panthem.*

§. I.

Laudate eum IN TYMPANO. Psal. 150.

PEregrinum, aut paradoxum videri posset illud Davidis: *Extendens cælum* SICUT PELLEM, nisi cælos, ipsos Apostolos, & Martyres intelligamus, ut idem Propheta disertè innuit: *Cæli enarrant gloriam Dei*; nam, ut inquit Magnus Gregorius: *Eosdem cælos, videlicet sanctos vocat; quot enim sunt opera prædicantium, tot sunt ornamenta cælorum.* Idem dicit, & docuit melleâ suâ facundiâ Abbas Claravallensis: *Habet Ecclesia cælos suos, vitâ conspicuos, fide puros, spe firmos, latos charitate, pluentes pluviam verbi salutarem. Hi tonant increpationibus, coruscant miraculis, hi enarrant gloriam Dei.* At quâ ratione Dei gloriam enuntient, & in omnem terram exeat sonus eorum, ex eo liquet, quòd *extendit cælos illos* SICUT PELLEM; sic etenim Hugo hîc disserit: *Sancti Prædicatores* EXTENSI, *& diffusi sunt in omnem terram*: quos inter, quantum prædicando Evangelium, ad ultimas mundi oras *divus Bartholomæus* extensus fuerit, satis ex illustri Theodoreti, & Dionysii Carthusiani patet testimonio; dum enim Principi Apostolorum, qui totum orbem pervagatus est, conferre non dubitaverunt, dicentes: BARTHOLOMÆUS APOSTOLUS *æqualiter sicut* PETRUS *fœcundavit Ecclesiam*; in eundem sensum, ac sententiam doctissimus Origenes:

Psal. 103. v. 2. Ps. 18. v. 1. S. Greg. hom. 30. in Evang. Bernard. serm. 27. in Cant. S. Bartholomæus per orbē extensus.

Inter-

S. Petro comparatur. Dion. Car. serm. 1. de S. Bartholomæo. Theodoret. ibid. cit. Origen. ibid. S. Thom. in Matth. c. 10. v. 16

Incertum esse, quis majorem in mundo fructum fecerit, BARTHOLOMÆUS, AN PETRUS, facta enim inter Apostolos universi orbis partitione, Licaonia, quæ luporum regio dicitur, Bartholomæo obtigit, ubi *sicut ovis in medio luporum existens, & plurimos morsus accipiens*, omnes lupos superavit, & innumeras oves perditas, teste Chrysostomo, è dentibus lupi, ad Christi ovile addnxit. Inde ad ultimos Garamanthas, & Indos penetravit, ut Æthiopas sacro lavacro dealbaret. Tandem in Armeniam se extendit; qualem verò, omnes has regiones peragrando, laborando, & prædicando, animarum messem collegerit, testatur auctor vitæ, dum ait: *O beatos illos pedes, evangelicis gressibus speciosos, & ad* INFINITAM ANIMARUM ADEPTIONEM, *rectâ viâ progredientes!* Divini Vates, qui omnia futura, & præsentia, cælesti luce contemplati, hæc in spiritu præviderunt. Isaias quasi oculatus testis, hanc Ecclesiæ dilatationem, & Apostolorum per orbem extensionem his verbis prænuntiavit: *Lauda sterilis, quæ non paris, decanta laudem, quoniam multi filii desertæ magis, quàm ejus, quæ habet virum: dilata locum tentorii tui, &* PELLES *tabernaculorum tuorum* EXTENDE; quæ quàm aptè in rem nostram cadant, sigillatim expendite. Divus Hieronymus hîc: *Lauda sterilis, quæ non paris*, sic ait: *Sterilis gentilitas, quæ tunc filios non pariebat Deo; quia nec legem, nec Prophetas habebat: nunc autem Ecclesia plures generat, tam de Iudæis, quàm de gentilibus.* Prosequitur argumentum nostrum Liranus: *Quoniam multi filii*; cujus matris, & quinam hi? *nempe Ecclesiæ: quia ipsa Apostolos, & per eos genuit multos.* Atque ut propiùs in scopum nostrum collimemus, verba illa: *Dilata locum tentorii tui, &* PELLES *tabernaculorum tuorum* EXTENDE; eminentissimus Doctor sic exponit: *Tentorium est Ecclesia: tabernacula sunt plures Ecclesiæ:* PELLES *tabernaculorum sunt Prædicatores*; at qualiter hæ pelles non tantùm per oppida, & urbes, & orbem prædicando extentæ sint; sed quomodo & ardua exantlando, & verbera, & vulnera tolerando, velut oves occisionis, sanguine suo purpuratæ, imò & excoriatæ sint, his verbis innuitur: PELLES *tabernaculorum tuorum* EXTENDE, *nempe pelles rubricatas, scilicet Martyres.*

Auctor histor. S. Bartholomæi.

Isa. 54.

Hieron. hic apud Liranum.

Liran. in Isaiam, c. 54.

Hugo Car. hic.

Pelles tabernaculorum extensæ, sunt Prædicatores, & Martyres.

Liran. hic.

Hac pelle rubricata, supra omnes pelles Salomonis, Bartholomæum, cui pellis à toto corpore detracta fuit, cernere erit toto corpore ita illustrem, ut omnem purpuram, quantumvis pretiosam, superare videatur.

Si quis vestrûm hujus purpuræ sanctæ ambitiosos est, discat quibus, si non æquis passibus Apostolum æmulari; & aliquot saltem guttis, purpurei cruoris pellem suam tingere queat; præfert facem Hugo Cardinalis in illud Psalm. 103. *Extendens cælum* SICUT PELLEM, ubi ait: *Pellis à mortuo animali abstrahitur, per quam designantur Prædicatores, per mortificationem carnis, quam debent habere, quam habuêre Apostoli*: Frustrà enim vocis cymbalum concrepat, & pectoris tympanum pulsat, qui distento ventre, & benè curatâ cute, à lautis epulis assurgens, de jejuniis, humicubationibus, flagellis, aliisque corporis mortificationibus, populo prædicat; quod divus Hieronymus ad Nepotianum graviter monet: *Non confundant opera tua, sermonem tuum; ne cùm in Ecclesiâ loqueris, tacitus quilibet respondeat; cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat.* Non sic Apostolus noster, cujus pellis, instar tympani, flagris contusa, gratissimum prædicationis edidit sonum, quo innumeras animas Christo adduxit. Non sic Doctor gentium Paulus, qui priùs quàm cathedram conscenderet, in seipsum dirè sæviebat, ipsomet attestante: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*; quibus verbis, inquit S. Thomas, *primò tangit autoritatem vitæ. Secundò commendationem doctrinæ. Tertiò rationem vitæ utriusque*; ne aliud verbo, & linguâ, aliud moribus, & vitâ prædicet; unde dicitur:

Hugo Car. in Ps. 103.

Prædicatores pellem carnis mortificare debent.

Hieron. epist. ad Nepotian.

1 Cor. 9. v. 27.

S. Thom. hic.

Turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum.

Hugo Car. hic.

Pauli æmulator egregius Pater Sebastianus Barradius, Olyssiponensis, nobilibus ortus parentibus, ad omnem virtutis laudem, jam inde à primâ ætate tam diligenter educatus, ut in religionis ingressu, annum agens decimumquintum, diceretur non mores pristinos, sed domum, ac vestes permutasse. Hic postquam concionatoris partes aggressus est, eò increvit apud omnes viri reverentia, ut jam apud Lusitanos, non communi nobis nomine *Apostolus* dumtaxat, sed *Paulus* appellaretur: at ipse de se ita sentiebat, ut se primum esse peccatorum, hominum postremum ex animo diceret; quodque ad rem nostram facit, in corporis sui afflictione fuit prorsus inclemens, cibi, potusque parcissimus: castigabat cum Paulo corpus suum, ne dum aliis prædicaret, ipse aliter viveret. Quare intempestâ nocte, validâ se verberatione cruentabat, quam tertiò nonnunquam eâdem nocte repetebat, interpositâ horæ unius oratione, inter singulas verberationes; dum interim in has voces auditus erumpere: *Barraddi, Barraddi, sic oportet concionari*; nec aliter conscendit cathedram; unde eâ contentione de contemptu rerum humanarum detonabat, ut eos claustra non caperent, quos voce ipsius, Deus ad religiosa castra vocabat. Compertum anno uno, sexaginta, & in iis nobilissimos juvenes, & doctissimos cathedrarum candidatos, vel solum Franciscanum Ordinem ambivisse. *Hoc est*, (ut cum Bernardo loquar,) *dare voci suæ, vocem virtutis, cùm quod suades, priùs tibi cognosceris persuasisse.* Si concionatores ita cum Paulo sibi primùm concionarentur, quàm potenter auditorum animos moverent! Hoc est, laudare Deum IN TYMPANO, *& choro, in chordis, & organo*; dum cordis chorda, & cutis corporis, à vitæ carnalium illecebris abstrahitur, ut gratum hominibus & Angelis concentum reddat: hæc Cardinalis Damiani doctrina est: *Dicit Propheta: Laudate Dominum in* TYMPANO *& choro. Corium non sonat, nisi siccum relinquens, humor abscedat. Si ergò vis ut* TYMPANUM, *vel chorda tua, clarum in auditorum auribus sonum reddat, omnis*

Alegambe in Bibliot. Scriptorū Societ.

Imago 1. sæculi. Dontermam de Viris illustrib. Soc.

Bern. ser. 59. in Cantic.

Pet. Dam. opusc. 45. c. 4.

à tevita carnalis humor evanescat: mens tua ab omni fluxu luxuriæ prurientis arescat. Aliàs facet Ecclesiastes, & Paterfamilias, quantumvis acri commonitione, & comminatione, aërem verberat, & incassum ipse temulentus, ipse iracundus, ipse lascivus, ad domesticos suos de temperantiâ, mansuetudine, & continentiâ prædicat: nam ut aureo ore Chrysostomus: *Nihil Doctore frigidiùs, qui verbis dumtaxat philosophatur;* qui charitate frigidus, frustra suos inflammare conatur. Ideoque *Apostoli,* inquit, *priùs vitæ exemplis docebant, quàm verbis. Quin potiùs nec verbis opus erat, cùm clamarent opera.*

Chrysost. hom 1. in Acta.

Quare exemplo S. Bartholomæi, totque SS. Martyrum, per mortificationem carnis, *laudate Deum* IN TYMPANO, *& choro,* ubi de laudando Deo instrumentis musicis, S. Bruno egregiè disserit: *Hoc instrumentum,* (tympanum) *propriè Martyrum est,* TYMPANUM *enim verberibus sonat. Tales igitur* IN TYMPANO *Deum laudabant, qui carnem suam priùs jejuniis afflictam, & siccatam tyrannorum verberibus flagellandam tradebant.* De his Doctor gentium Paulus loquitur; experto credite: DISTENTI SUNT, *lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt;* in qua tam varia, ac violenta mortificationis laniena, duo illa Apostoli verba mihi ruminanda occurrunt: *Distenti sunt,* quæ ex Græco Chrysostomus, & Hugo Cardinalis propriè, & perappositè vertunt: *Tympanizati sunt;* idque ad exemplar Redemptoris, & consummatoris Christi Jesu, qui in ligno Crucis, omnibus nervis, & membris instar tympani expansus, & distentus est: cujus typum adumbrasse videtur David, qui ut Achim, Regem Jeth falleret, immutavit os suum, & velut mente captus, tympano arrepto, circumcursabat, illud pulsando, ut solerter Hipponensis Antistes observat: *David,* inquit, *significans, quòd crucifigendus esset Christus,* TYMPANIZABAT *ad ostia civitatis: quia* TYMPANUM *non fit, nisi cùm corium in ligno extenditur.* Tum subdit, quid hic divinus tympanista spectarit, dicens: *Quæ sunt ostia civitatis, nisi corda nostra, quæ clauseramus contra Christum? qui* DE TYMPANO CRUCIS *aperuit corda mortalium,* & tam diro flagrorum sono, de carne sua, quasi tympano resonante, nos ad sequendum excitavit.

Psal. 150.
S. Bruno serm 5. de Martyrib.
Ad Hebr. XI v. 35.
Christus in Cruce distentus instar tympani.
August. in psal. 33. *conc.* 2.

Hic non ad viros religiosos, & Sanctimoniales dumtaxat, qui per carnis mortificationem Christo confixi, & in Cruce extenti, sed & ad vos sæculares, juvenes, & virgines, viros ac fœminas mihi sermo est: *Laudate Deum* IN TYMPANO. Nôstis quomodo? Si de corpore vestro tympanum feceritis; sic eruditus interpres illud Psaltis: IN TYMPANO *& psalterio psallant ei,* aptè exponit: *Non igitur ære sonoro, & instrumentis lascivis divinas odas canis jubet; sed ut* CORPUS NOSTRUM TYMPANUM EFFICIAMUS, *mortificantes membra nostra, quæ sunt super terram.*

Quomodo omnes etiam sæculares per mortificationem carnis possint laudare Deũ in tympano
Heracleotes apud Corderium in psal 149. *v* 1

Sanctus Isidorus sic tympanum definit:
„ Est autem instrumentum illud sonorum, pel-
„ lis extenta, quæ bacillis feritur, seu musicâ
„ manu pulsa, è concordiâ gravi & acuti, sua-
„ vissimum concentum efficit; quem longè gratissimum Dei auribus reddit, qui *corpus suum tympanum efficit:* illud jejuniis, ciliciis, flagris, aliisque cruciatibus macerando, extendendo, *& mortificando membra sua, quæ sunt super terram,* ut Bartholomæo, aliisque Sanctis, atque ipsi Christo, in ligno Crucis extento, aliquo modo assimilari possit, quod primum orbis ingenium Origenes tradidit, qui *ubi benè, nemo meliùs;* hic quippe in illud Psalm. 199. IN TYMPANO, *& psalterio psallant ei,* sic ait: *Qui quidem mortificat membra sua, quæ sunt super terram, eáque in lignum agunt, ut simul cum Christo crucifigant principatus, ac potestates,* HI IN TYMPANO PSALLUNT DEO.

S. Isidor. lib 3 *etymolog.*
Origenes in psal. 109. *v.* 1.

Videor mihi plures videre, vel ad ipsum sonitum hujus tympani corporis sui, expallescere: sed nolite timere, priùs dabo illos & illas, quæ de suo corpore tympanum fecêre, ut dum de alieno corio agitur, de vestro minus timeatis. Agmen ducet fœmina, insignis tympanistria, quæ classicum canit, audite: *Tympana pulsa sonant.*

Demerso Pharaone, & exercitu ejus, cum equis & curribus in mari rubro, *cecinit Moyses, & filii Israel* canticum Domino, quibus accinuit chorus mulierum, quas ducebat *Maria Prophetissa, soror Aaron,* quæ *sumpsit* TYMPANUM *in manu sua.* Fuit autem Maria, soror quoque Moy-„ sis magno in pretio habita à populo, & om-„ nium mulierum illius populi præstantissima:„ *Egressæ* enim dicuntur, *omnes mulieres post eam* CUM TYMPANIS, *& choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est: equum, & ascensorem dejecit in mare.* Hæc tympanistria præcedebat & præcinebat choris mulierum, cum tympanis, & choris. Textum audistis, mysterium attendite. Canticum hoc Redemptori nostro, devicto stygio tyranno, & potestatibus tenebrarum triumphanti, meritò accinit Ecclesia, cujus typum hîc Maria gessit, non frustra tympanum manu tenens: decuit enim, ut victoria per crucem paranda, non sine tympano, id est, crucis symbolo decantaretur; sic sentit Abbas Rupertus: *Dicta est tympanistria hæc Prophetissa,* inquit, *quia futurorum prophetiam, canticum continet: & pulchrè sumpsisse dicitur* TYMPANUM, *quod modulationis instrumentum, corium est, in ligno extentum, significátque* CRUCEM, ET CARNIS MORTIFICATIONEM; *sine qua nulla potest anima* PROBAM SE EXHIBERE CANTATRICEM. Iisdem propè verbis Seleuciensis Antistes: *Virorum quidem chorus, duce usus est Moyse; at fœminarum, sorore ejus Maria,* TYMPANUM PULSANTE, *id est,* MEMBRA SUA PER CONTINENTIAM MORTIFICANTE. Nunc, ut ad rem, & praxim veniamus, placet illa fervens, ad Religiosos, & Sanctimoniales, B. Petri Damiani adhortatio, ut mundi hujus procelloso mari emerso, & tartareo hoste devicto, cum Maria tympana pulsent; sic enim ait: *Sumpsit Maria Prophetes soror Aaron* TYMPANUM IN MANU. *Nos quoque rubro jam mari transmisso, & hoste demerso,* TYMPANUM *cum Maria ferre debemus. Quid est autem* TYMPANUM *portare? Audi Dominum dicentem: Qui vult, inquit, venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me; qui enim carnem suam cum vitiis*

Exodi 15. *v.* 1.
Maria soror Moysis tympanistria.
Exodi 15. *v.* 20.
Barradius itinerarii lib. 7. *c.* 5. *n.* 4.
Exod. cit.
Pintus Christus Crucifixus lib. 1. *tit.* 8. *loco* 2.
Rupertus in Exod. hic c. 38.
Basil. hic.
Pet. Dam. tom 4. *collectaneor in vetus Testamenti cap XI.*
Religiosi è mari

& con-

& concupiscentiis crucifigit, ille verè cum Maria TYMPANUM PORTAT: Vultis vobis chorum virginum inducam, quæ præter alias carnis mortificationes, corpus suum tympanum effecerunt, horrendis flagris illud pulsando, & verberando? Celebriores illas virgines, Catharinas Senenses: Claras, Assisiates, & de monte Falco: Theresias, Ludgardes, Magdalenas Pazzias, aliásque innumeras, ut notiores prætereo, quæ, ut in vitæ actis legere est, corpus suum inediâ, humicubatione, vigiliis extenuando, urticis, aculeatis, flagellis, ferreis uncinis, hamatis catenis, immaniter pulsando, ac cruentando, tympanum effecerunt; arriserit fortè de iis audire, quarum fasti, & gesta ad manus, & aures vestras non pervenerunt. Ex amœnissimo viridario S. Dominici, illibatus flosculus *B. Eleonora*, quæ panem arctum, & aquam brevem in deliciis habebat, loricâ hamis exasperatâ, hæc Pallas semper armata, quæ à morte sine frustis carnis, exui non potuit, quam dum viveret ipsa, flagellis in frusta conscindebat.

Ejus mundi egressi ponunt mortificationis tympanū. Virgines, quæ horrendis flagris de corpore suo tympanum effecerunt. Barry. P. Ioan. à S. Maria in vita.

Ejusdem Ordinis *B. Agatha de la Croix* nocte prævia ante sacram Communionem, tertiò in tenerum suum corpusculum, ad sanguinem usque deſæviebat. *Ibid.*

Vereor, ne tenellis auribus, & molliculis animis puellarum horrorem incutiam; si quæ *B. Maria de S. Spiritu, Maria de Purificatione. B. Columba*, aliæque virgines Paradisi Prædicatorum enarrare, quorum fontes sanguinis hîc sisto, donec sanctissimum earum Patriarcham, *Seraphim*, & custodem Paradisi, ejusque quatuor fontes scaturire fecero.

Fuit & eadem vitæ, culúsque duritiès, tympani instar extenuandi, & duriter verberandi, virginibus S. Francisci non ignota, quas inter *B. Ioanna de la Croix, seu à sancta Cruce*. Lusus huic fuit consuetas per artes sævire; ingenti adhærebat cruci, apprehensísque prominentibus è stipite clavis, extensis latè brachiis, diu suspensa pendebat. Volutabatur inter spinas, vicinam insiliebat in paludem: uliginem: *sanguine, quem à columna, cui se alligarat, tenera catenis excusserat, macerabat*. Atque ut ingeniosè cum pietate jungeret cruciatus, descriptis ferrea in lamina Christi patientis insignibus, eaque pertusa, quâ parte laceranda corporis aperatur, pro cilicio utens, vivam Christi crucifixi imaginem, cujúsque mortificationem jugiter in corpore suo portabat. Ejusdem Ordinis & virtutis æmula *B. Elizabetha Sueva*, toto corpore verberibus contuso, tantâ copiâ per sacros Adventus, & quadragesimæ dies, sanguinem venis eliciebat, ut per cujus vestigia cælum peteret, viâ purpureâ signaret. Si omnes hîc omnis Ordinis ejusmodi tympanistrias inducerem, & integros flagellantium Sanctimonialium choros, ambæ aures vestræ tinnirent.

Antonius Dacus vita. Ioan. Rho. varia vir. tut. histo. riap. 779

Conradus Kiglus in vita.

Interpellantem me, & huic virginum choro applaudentem audio purpureum Vatem: *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum* TYMPANISTRIARUM; ubi Hugo Cardinalis, non alios *principes*, quàm cælestis regiæ, *ipsos Angelos* intelligit, qui ad hanc melodiam, deserris cæli sedibus devo-

Psal. 67. v. 26. Hugo Car. in.

lant; testis mihi erit B. Mechtildis, quæ dum precibus operam daret, concentum audivisse musicum scribitur, non chelis, aut cytharæ, percussis fidibus resonantem; sed flagrorum ictibus, quos Moniales sancto huic operi intentæ exprimebant, ad cælos usque pertingentem; quibus tympanistrius Angeli applaudere, lætari, & exultari visi sunt; sicut enim idem Doctor ad mores placidissimè velificatur: *In medio juvencularum* TYMPANISTRIARUM, *id est*, inquit, POENITENTIAM AGENTIUM, IN MORTIFICATIONE CARNIS; in qua ne Sanctimoniales spiritu ferventes excedant, & corium nimium extendant, hanc mensuram ut bonus phonascus, hisce tympanistriis dat, *sed nota, quòd ad hoc, ut* TYMPANUM *bene sonet, oportet quòd corium bene extendatur: si enim habeat rugas, non sonabit. Iob. 16. Rugæ meæ testimonium dicunt contra me. Rugæ hujus sunt: negligentia, pigritia, tepor, commoditas, amor proprius, & hujusmodi; si autem nimis extendatur, crepabit, & non sonabit, quia qui nimis se attenuant, etiam ad litteram psallere, vel cantare non possunt. Propter hoc bene temperavit hoc Augustinus, dicens in regula sua: Carnem vestram domate jejuniis, & abstinentiâ escæ & potus, quantum valendo permittit.* Sed hujus monitionis, ac moderationis fræno, credo eas minimè egere, quæ à teneris delicatè cutem suam nutrierunt, & *carnis curam habent in desideriis*, illud Apostoli, plenis buccis concrepantes: *Nemo enim umquam carnem suam odio habuit; sed nutrit, & fovet*, quasi verò Paulus, Bartholomæus, tótque SS. viri, & virgines, carnem suam oderint? Quasi verò Seraphica Theresia carnem suam uderit, dum eam acerrimis flagellis, urticis, & clavibus, quibus se ad sanguinis effusionem verberare solebat, plagas iteratis plagis nondum curatis infligendo, à quibus nec infirmitate dejecta, nec ex febri lecto affixa, desistebat, sed ad solitam aliis Monialibus flagellationem adrepebat; nôrat illa, quid esset amabiliter, & salubriter odisse carnem & animam suam: *Qui sic affligit carnem suam, ut subdatur spiritui; non odit eam, sed procurat bonum ejus: quia bonum ejus est, quòd subjiciatur spiritui; sicut bonum hominis est, quòd subjiciatur Deo. Sic intelligitur illud Pauli: Castigo corpus meum.* Quare molliculosillos sic confutat Augustinus, exponens illud: *Qui amat animam suam, perdet eam*, sic ait: *Magna, & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor, ut pereat, odium ne pereat. Si bene amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti: felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.* Sed quorsum hæc de sanctis Monialibus, apud eas delicatas, ac molliculas sæculi filias, & matronas, exaggeratiùs perstrado? cùm existimetis has merces fori vestri non esse, nec ejusmodi tympanistrias in choris, quos vos ducitis numerari. Quantum hallucinemini, ex dicendis discite, has rosas etiam inter spinas modum, & aulæ delicias vernare, ipsásque Regum, ac Principum filias, *Laudare Deum* IN TYMPANO, *& choro*; cujus non obscurum testimonium, *Eleonora* Ferdinandi primi Cæsaris filia, Gulielmi Mantuani conjux lectissima præbuit: hæc quot hebdomadis, tertiò renerum corpusculum dirè flagellabat, usque dū psal-

In vita. Hugo Car. in psal. 67 v. 26. Hugo Ibid. Ad Rom. 13. v. 14. Ad Eph. 5. Ex actis canoniz. S. Thom. in epist. ad Ephes. c. 5. S. August. tract. 51. in Ioannem. P. Ioan. Gans. in hist.

psalmus 50. cum oratione Dominicâ, & salutatione angelica finiretur; ita ut dorsum ejus à morte planè lacerum inveniretur. Nec hic cessit *S. Hedvvigis*, Poloniæ Ducissa, quæ non contenta plagis, quas suis ipsa manibus sibi inferebat, ut guttæ sanguinis de corpore in terram largiter defluebant; sed & familiares sibi fœminas, ut ipsam crebro etiam usque ad sanguinem flagellarent, permovit. Ita hæc pulcherrima, & tenerrima matrona indies corpusculum suum instar tympani pulsabat, à quo nec infirmitas, aut ipsi morbi retardabant. Ut alias innumeras in tenella etiam ætate prætercam, inauditũ fortè illud de Matrona Lusitana, *Hieronyma Carvallia*; quæ in amplissima, atque opulentissima domo matrem familias agens, Ascetas illos, quos adhuc admiratur Oriens, totius vitæ duritie provocavit: horrente ferreis, minutisque mucronibus tormento, pectus tam crebro ferire consueverat, ut non modò largo sanguinis imbre perplueret, cùm id faceret, sed perpetuis vulneribus intumescens, corrumperetur. Eadem tergus pari flagellorum sævitia proscindebat, ut perpetuis doloribus obarmantibus, inimici tela sustineret, & neq; à fronte, neque à tergo pugnantẽ timeret, undique tympanistria hæc, pœnitentiæ veluti loricâ munita, & quantũ effuso sanguine pallesceret, tantum de ea magis confusus hostis erubesceret; & necdum vos filiæ, ac matronæ erubescitis? Quin & hîc *prævenerunt*, & applauserunt cælestes *principes in medio* harum *tympanistriarum*.

P. Ioan. Rho. variæ virtut. hist. lib. 7. c. 5. §. 24.

Si nunc ad viros, Benedictos, Dominicos, Franciscos, Brunones, Ignatios, Xaverios, eorùmque æmulos, qui è corpore suo tympanum effecerunt, descendere voluero, immensum excresceret oratio: & ut prævideo, majori admirationi, quàm imitationi vobis erunt. Quare ad ea, quæ propius vos tangunt, & concernunt, veniamus: quâ ne imperatione, & filia herilis, & paterfamilias, & materfamilias, ac quisque vestrûm, instar tympanistæ, aut tympanistriæ, alios, & alias, ad virtutem, omnemque sanctitatem excitare, & animare valeat, videamus.

Viri sancti corpore pro tympano usi.
De hominibus Societatis vide Nierenbergii asceticæ lib. 1. doct. XI. c. 49. fol. 86.

§. II.

MARIA *sumpsit* TYMPANUM *in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum* TYMPANIS, *& choris*. Exodi 15. V. 20.

SI quo in regno, aut regione, bellum exortum est, ilicò *tympana pulsa sonant*; ad quorum sonitum in omni trivio, & vico concurritur, & milites conscribuntur, qui Regi suo, aut Principi, fidem Sacramento sanciunt, ad strenuè decertandum.

Usus tympani.

Habent & alios usus non parvos tympana, quòd in prælio, eorum rauco sonitu, militum decertantium animi accendantur, ut imperterriti in hostes, imo & in vulnera, ac mortem ruant.

Sic in militante Ecclesia, sacros tympanistas, ac tympanistrias reperire est, quæ virorum ac virginum choros, sub vexillo Christi militantium, congregarunt, animarunt, præiverunt, & ad fortia quæque aggredienda incitarunt.

Sacri tympanistæ, ac tympanistriæ.

Atque ut ab ipsa, quæ antiquis sæculis, & ab orbe condito abstrusa fuit, virginitate aspiciamus, figuram non obscuram Maria soror Moysis, manu tympanum tenens, & choros mulierum ducens, expressisse videtur: quæ etenim alia hæc Maria, quæ primò classicum virginitatis in orbe fecit resonare, quàm Virgo Maria, ut vir varia eruditione, & mirâ sanctimoniâ *Albertus Magnus*, præstanter, & eleganter annotavit, dicens: *Hæc est enim* MARIA, *quæ Exodi 15.* TYMPANO ASSUMPTO, *mortificatione carnis per* VOTUM CASTITATIS PRÆCINUIT, *& infinita mulieres in choris Deo psallentium egressæ sunt post eam*: QUIBUS IPSA PRÆCINUIT, *ut cantent Deo, qui in eis gloriosè honorificatus est: hæ sunt* JUVENCULÆ TYMPANISTRIÆ, (alias adducentes) *in quarum medio Benjamin, filius dexteræ Dei, in mentis excessu, seipsum excedens, ut interius appareat.*

Prima tympanistria Maria, soror Moysis.
SSma. Virgo & Mater Maria, primum classicum virginitatis insonuit.
S. Albert. M. tom. 10 in Lucam. cap. 10. Martha autem satagebat

Cælum suspice, & numera, si potes, multitudinem stellarum, plures in Empyreo coruscantes virgines, plures adhuc in terris castimoniâ scintillantes invenies, quibus omnibus Maria Virgo, TYMPANO ASSUMPTO, *per votum castitatis præcinuit*. Quam laudem primus, & summus Encomiastes, *Apostolus Bartholomæus*, teste Bonaventura, Virgini Matri tribuit: BARTHOLOMÆUS ait: *Maria inter virgines prima hoc constituit in corde suo, ut diceret Deo: Domine,* OFFERO TIBI VIRGINITATEM MEAM; *cùm hoc à nullo homine nec verbo didicisset,* NEC EXEMPLO *ad imitationem invitata esset.*

S. Bonav. lib. 1. pharetræ c. 5. Escobar. tom. 4. pag. 235.

Olim in lege veteri, hujus virtutis non solùm votum, sed etiam propositum exulabat, laudabatur fœcunditas, sterilitas, & cælibatus contemnebatur. Exodi 23. *Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua.* Deuter. 7. *Non erit apud te sterilis utriusque sexus.* Isaiæ 31. *Beatus, qui habet semen in Syon: & maledicta sterilis, quæ non parit.* Nil aliud audiebatur, quàm vox illa: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Peregrina erat vox castitatis, canticum virginitatis inauditum, insolens, & exosum; at in Ecclesia, inquit Bernardus, *vox turturis audita est, hoc est,* PRÆDICATIO CASTITATIS, *cùm beata virgo illud* INSONUIT: *quoniam virum non cognosco*; quod primum hujus virtutis exemplar, sine exemplo, ut innumeræ virgines ad imitandum sibi proponerent, & tympanistriam, ac principem ducem sequerentur, in quem sensum passim exponi solet illud psalmi 44. *Adducentur Regi virgines post eam*; sic etenim D. Ambrosius: *Maria* SUMENS TYMPANUM, *pudore virgineo choros ducit*; unde non immeritò *Regina virginum* à D. Bonaventura; *Virginum vexillifera*; à sancto Epiphanio *Princeps virginitatis* nuncupatur. Nec satis fuit, eam supra omni-

Olim virginitas ignota, & sterilitas contempta.
Bern. ser. 59 in Cantica.
SS. Virgo Maria prima virginitatis tympanistria.
Ambr. lib. 1. de Virginibus ad Marcellã sororem.
S. Epiph. hæresi 78.

omnes mortales, omnis fuliginis, ac fomitis inexpertem, castimoniæ laude enituisse; sed & inoumeros juvenum, ac puellarum choros post se traxit; nam ut testatur S. Ambrosius: *Maria virginitatis insignem attulit*, tædas conjugales, & ignes cupidineos in tot cordibus restinxit, & ad virtutis hujus pulchritudinem amandam, & amplexandam accendit; quod magni Alberti confirmare libet suffragio.

Amb. lib. de institu. virg. c. 5.

Albert. M. tom. 10. in Lucam. Mulier quadam Martha nomine.

Hac est, qua suâ æmulatione multos choros virginum ad cælibem vitam PROVOCAVIT. Hâc sanctâ æmulatione, & Virginis Matris exemplo, aliæ quoque tympanistriæ quasi succenturiatæ, in campum prodiêre, quæ & *tympano assumpto, choros virginum provocaruut*: qualis illa virgo, & choraga *Ursula*. Audio inter Britannus toto orbe divisos, tympana concrepare, legiones inusitatas, exercitus nunquam in campo spectatos, eosque ab una duce, & tympanistria, conflari, qui non viros catafractos, non galeâ, ac septemplici loricâ, & clypeo munitos; sed teneras, inermes; omnes tamen sanguine & virtute nobiles virgines excitavit, animavit; & tanti dux fœmina facti, URSULA: *Tympano assumpto per votum castitatis præcinuit*, & undena millia in campum eduxit, quæ *exemplum patrona, & domina sua secuta*, Regi immortali adductæ sunt post eam. In prælio, tympanis, tubis, ac lituis, militum animi acceuduntur, juxta illud Maronis:

Albert M. cit. Hieron. cit.

Virg. lib. 6. Æneid.

Ære ciêre viros, martémque accendere cantu.

Verùm ad animos accendendos, & inflammandos omni tubâ, & tympano potentiùs agit, illustre præeuntis ad castimoniam, exemplum. Hoc est, quod mellifluus Doctor observavit, hæc verba sponsæ, seu ferventis animæ, attentâ secum mente ruminans: TRAHE ME post te, CURREMUS in odorem unguentorum tuorum; petit ipsa sola trahi suavissimo odore dilecti sponsi sui; & mox subdit, ac si ipsa plures esset: *Curremus*, quomodo hoc? non sola curram, etsi solam trahi me petierim: *O pulchra, ô felix, ô beata, edissere nobis hujus distinctionis rationem. Trahe me, ais, quare me, & non nos? An hoc bonum invides nobis? absit: neque enim protinùs dixisses, adolescentulas tecum esse curfuras, si sola post sponsum iro voluisses. Cur ergò quendam pluraliter mox subjunctura*, CURREMUS, *trahi* SINGULARITER *postulasti*? Mysterium exponit Bernardus: *Non curram ego sola, etsi solam me trahi petierim: current & adolescentula mecum*: curremus pariter, CURREMUS SIMUL, EGO ODORE UNGUENTORUM TUORUM, ILLÆ MEO EXCITATÆ EXEMPLO, *& hortatu.* Nunc vos sermone ambrosiâ, & melle manante, fortiter & suaviter adhortor, ut contemptis ceptis sancti vestri tympanis, Mariam præcinentem, ac præcedentem sequamini; *Sumite ergo & vos filia, sicut sumpsit Maria soror Moysi, & Aaron*, TYMPANUM *in manibus vestris, & exite, dicentes: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est: equum, & ascensorem dejecit in mare; mortificate membra vestra* TYMPANI MODO, *nulla in iis carnis lascivia exæstuet, omnisque flagrantia corporalis sensus intereat. Nesciat tu sit, nisi in mortuis voluptatibus solus spiritus exultare.* Tum hæc monita virginibus salubria præscribit: *Versate manibus vestris Crucem Domini Iesu: calcate hujus mundi profundum, & pertransite, quocumque voluerit persequens comprehendere vos, demergatur.*

Cant. 1. 3.

Bern. ser. 21. in Cant.

Bono exemplo alii ad se quendum excitantur.

Ambros. exhortatio ad virginitatem.

Quin & tu materfamilias inter tuas filias, & ancillas: tu filia inter sorores, socias, & consobrinas, morum integritate, sermonis honestate, vitæ castitate, corporis animique puritate, illis præcinere, choros virginum ducere, & provocare potestis; quod à Demetriade factitatum D. Hieronymus deprædicat, & vobis commendat: *Cùm jam nuptiarum appropinquaret dies, & futuro matrimonio thalamus pararetur, secretò & absque arbitris, noctémque habens pro solatio, talibus se fertur armasse consiliis; quid agis Demetrias? cur pudicitiam tanto pavore defendis? libertate opus est, & audacia, qua sic in pace metuis, quid faceres in martyrio perpetiendo? qua tuorum vultum ferre non potes, quomodo sustineres tribunalia persecutorum?* Tum se alterius virgunculæ exemplo excitavit: *Si te* VIRORUM EXEMPLA *non provocant, hortetur, faciatque securam B. Martyr Agnes, qua & ætatem vicit, & tyrannum*; ac tandem sui, & mundi victrix, *hic & aliis compluribus inflammata stimulis, omnem corporis cultum, & habitum sacularem, quasi propositi sui impedimenta, projecit; pretiosa monilia, & graves censibus uniones, ardentesque gemmas redduntur scriniis: vili tunicâ induitur, viliori tegitur pallio, & inspersata avia genibus repentè pervolvitur. Obstupuit sancta, & gravis fœmina* (proba) *alienum habitum in nepte conspiciens. Mater* (Juliana) *gaudio stabat attonita.* Ubi nunc tales aviæ, tales matres? Ac ut noveritis, quasi assumpto & quasi ab illa tympano, plures ad vitam cælibem provocasse, sanctâ æmulatione domesticæ, ac externæ, insignes filiæ secutæ sunt, & ut inquit Hieronymus: *Iesu bone! quid illud in tota domo exultationis fuit? quasi ex radice fecunda, multa simul virgines pullularunt*, EXEMPLUMQUE PATRONÆ, ET DOMINÆ, SECUTA EST CLIENTUM TURBA, *atque famularum.* Sic nonnumquam accidisse memini, ubi una filia per votum castitatis præcinit, & vitæ castimoniâ præit, etiam alias sorores, & fratres, & famulos, & ancillas, imò & quibuscum agit, eodem exemplo provocari: subdit enim: *Per omnes domos fervebat virginitatis professio, quarum cùm impar esset in carne conditio, unum erat premium castitatis.* Huic deuique tympanistriæ, *cuncta per Africam Ecclesia quodam, applausêre, & exultavêre tripudio, quam sponsam hominis, una tantùm provincia noverat, virginem Christi totus orbis audivit.*

Hieron. ep. 8. ad Demetriadi, de servanda virgin.

Hieron. ib.

Elucescet aliquando illa dies, qua triumphantium more, tenentes tympanum & cytharam, ad cælestia regna Mariam sequemini, quando *adducentur Regi virgines post eam.* Expendite, ac animo prælibate, inquit Ambrosius: *Qua pompa illa, qua gratia? quanta Angelorum lætitia plaudentium, quòd habitare mereatur in cælo, qua cælestem vitam vixit in saculo.* Tunc in occursum vestrum, *Maria* TYMPANUM SUMENS, *choros virginales excitabit cantantes Domino, quòd per mare saculi, sine secularibus fluctibus transierunt*, (quibus tot

Psal. 44.

Amb. lib. 1 de Virginitat.

Marcellam devotam.

Idem lib. 2

tot obrutæ & immersæ sunt.) *Tot unaquæque quoque exultabit, dicens: Introibo ad altare Dei mei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam. Immolo Deo sacrificium laudis, & reddo Altissimo vota mea; neque enim dubitaverim vobis patêre altaria, quarum mentes altaria Dei confidenter dixerim: nam si corpus Virginis Dei templum est, animus quid est, nisi altare virtutum?*

Quod hactenùs de castitate diximus, unam tympanistriam, tot agmina Virginum ad Christi castra cogere, provocare, & excitare, hoc de omni alio virtutum genere, fidei, religionis, zeli, locum habere, in comperto est; ad quas, vel unus fervidus incentor, qui exemplo præit, una tympanistria, quæ præcinit, & quasi classicum sonat, innumeros post se traxit. Talem nobis exhibet discipulus, quem diligebat Jesus, non Virginem, sed in adulterio deprehensam, Samaritanam: & quis credat? ubi ad puteum, verba vitæ æternæ, ex ipso fonte hausit, Apostola facta, tympanum fidei per totam urbem sonare fecit: *Reliquit ergò hydriam suam mulier, & abiit in civitatem* (Sichar, sive Sichem) *& dicit illis hominibus*, incolis Sichem: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci. Numquid ipse est Christus?* Ubi Hugo Cardinalis, tympanistriæ hujus partes exponit, quàm potenter per urbem cursitando, & vociferando, omnes ad Jesum adducere conata sit: *Hæc mulier conversa*, inquit, *alios vult convertere, & qui audit, dicat: Veni: ita enim accensa erat, ut & hydriam suam, & necessitatem (bibendi) propter quam venit, derelinqueret, & currens in civitatem*, OMNEM PLEBEM TRAHERET AD JESUM. Unde illam Apostolis, primis Ecclesiæ tympanistis, conferre, & quodammodo anteferre non dubitavit, dicens: *Quod & Apostoli fecerunt, hæc fecit; illi retia, hæc hydriam reliquit, & Evangelistarum opera facit. & non vocat unum, vel duos, sicut Andreas & Philippus; sed* INTEGRAM CIVITATEM. In eundem sensum S. Augustinus: *Audito, ego sum, qui loquor tecum; parum illi erat quòd sola crederet: qui ergò faceret, nisi jam hydriam dimitteret, &* EVANGELIZARE CURRERET? ut secum plures, immò „omnes ad Christum adduceret, ac cives suos „ad Jesum pro Messia cognoscendum, co-„lendumque excitaret; quo Apostolico mu-„nere hæc mulier functa est, reste Chryso-„stomo: *Adeò*, inquit, *audito Jesu incensa est, ut relicta hydria, & aqua, cujus gratia eò concesserat, in civitatem properaret, & totum* UNIVERSUM POPULUM TRAHERET. *Venerat hauriendæ aquæ gratiâ, & cùm verum fontem invenisset, contempsit alterum, & supernâ veniente gratiâ*, APOSTOLICO MUNERE FUNGITUR, atque ut addit Cornelius noster, *præco Christi facta est*, imò & testis, quia martyr, cui nomen *Photina*, in sacros fastos 20 Martii relatum, atque ut noveritis, tympanistriam fuisse, & filios, & fratres, ac sorores convertit, ac secum ad fortiter pro fide occumbendum pertraxit, ut in Martyrologio Romano legere est 20 Martii: *Sanctorum Photinæ Samaritanæ, Ioseph, & Victoris*; FILIORUM: *itemque Sebastiani Ducis, Anatolii, Photii, Photidis, Parasceves, & Cyriacæ*, GERMANARUM: *qui omnes Christum confessi, martyrium sunt consecuti*: Ita Baronius, Lucius Dexter, & Jeremias Patriarcha constant. narrat Samaritanam hanc apud Carthaginem in Africa *prædicasse Evangelium Christi, & munere Apostolico functam*, ideoque cum duobus filiis, Victore, & Josepho, ac quinque sororibus, Anatoliâ, Photi, Photide, Parasceve, & Cyriacâ, ac cum Sebastiano duce, sub Nerone illustre martyrium subiisse; nam primò in carcerem teterrimum detrahi, inde in clibanum ardentem totis tribus diebus missi, à quo indemnes extracti, semel & iterum veneno potati fuêre, plumbo etiam & resina in liquorem redactis, in ore Photinæ, & in auribus cæterorum, sine detrimento susceptis, sæpiùs bovinis nervis cæsi, pectinibus quoque ferreis, capite in sublime suspensi, excarnificati, atque ardentibus facibus ad martyrum latera applicatis, exusti: oculis demum erutis, iterum in carcerem venenosis animalibus scatentem reducti; quo tandem sine cibo & medicamine, miserabiliter interirent; sed cùm illuc Christi luce ac visione perfunderentur, in pristinam sanitatem reducti, & oculorum beneficio restituti, ac miraculoso cibo totis tribus mensibus, & totidem diebus refocillati, rursus ad novum adducti certamen; denuò flagris sævissimè laniati, ad ultimum ac atrocissimum, simile sancto Bartholomæo supplicium condemnati: pellis toto corpore detracta, ut & posteris omni tympano sonotior, classicum sonet ad fortia pro Christo exantlanda: sic enim concludit Cornelius: *Videtur Samaritana hæc filios suos, item fratres ac sorores ad Christum convertisse, ac cum iis, martyrii palmam accepisse.*

Quid, quod una tympanistria, suis sermonibus, hortationibus, moribus, vita, zelo, integra regna ad Christum convertit: sic Clotildis Franciam, Hispaniam Indegundis, Italiam Theodelinda; Germaniam Ethelberga, Olga Russiam, Dambruca Poloniam, Gisella Hungariam, Cæsarea Persidem, totum denique Imperium Helena ad Christianos ritus impulit. Lætetur cœlum, exultet terra, atque ipsi cœli Principes gestiant & tripudient *in medio* harum *tympanistriarum*. Subnectit perappositè eodem capite sacer Evangelista, exemplum Reguli gentilis, de quo ait: *Credidit ipse, & domus ejus tota.* Liran. id est, *familia*. Repetebat domum suam Regulus, cui famuli læti, hilaresque occurrebant, acceptissima filii jam sani nuntia perferentes; quæ cùm accepisset, *interrogabat horam ab eis, in qua meliùs habuerat*, quærere hîc liber, quorsum hæc Reguli interrogatio? an fortè dubitavit, aut in fide vacillavit? minimè verò: quamprimùm enim audivit Christum dicentem: *Vade, filius tuus vivit*, extemplo *credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus.* Unde ergò factum est, ut tempus à suis sciscitatus sit, quo ægrè esse filio desierit? Respondet Glossa Interlinearis, à pietate in Christum, & zelo in domesticos, ut eos lucraretur, factam hancinterrogationem: *Non diffidit de misericordia Domini: sed desiderat, ut virtus divina, servorum confessione plurimis innotescat*, totamque familiam, aliosque plures Christo lucrifaciat; quod studium, & exemplum pientissimi Reguli, quàm saluti-

Ad omnes virtutes, unus qui exemplo, quasi tympano præcinit, satis est.

Ioan. 4. v. 28.

Hugo Car. hic.

Samaritana, velut tympanistria totam civitatem ad fidem pertrahit.

Corn. hic.

Martyrol. Rom 20 Martii Samaritanæ huius filii, & fratres & sorores illustres Martyres. Corn. hic.

Integra regna per unam conversa.

Ioan. 4. Exemplo Reguli, omnes domestici convers.

Glossa.

Simili

Simile.

salutiferum fuerit, mox sese prodidit: nam *credidit ipse, & domus ejus tota*: fieri enim assolet in virturibus animæ imprimendis, quod in typis chartæ: nam eum liber quispiam prælo subjicitur, si primum folium quod typis exit, omnis erroris, & mendi expers sit, cætera quæ illud sequuntur, absque virio & errore erunt.

Breviar. Rom 12. Mai. Flavia Domitilla cum domesticis suis martyrio affecta.

Hanc quoque laudem meruit è sexu fragili *Flavia Domitilla*, Virgo Romana, Titi, & Domitiani Imperatorum neptis, quæ cum sacrum virginitatis velamen à Beato Clemente Papa accepisset, ab Aureliano sponso delata, quod Christiana esset, in tetrum carcerem, ubi longum martyrium duxit, detrusa, demum Tarracinā deducta, & incenso ejus cubiculo, una cū *Theodora, & Euphrosyna*, virginibus, & collactaneis suis, ad sponsum suum evolavit, secumque duos domesticos *Nereum & Achilleum* in triumphum martyrii traxit; unde non sine mysterio, per orbem terrarum, festo Domitillæ, universa decantat Ecclesia: *Credidit ipsa, & domus eius tota*; eamque insigni panegyri ac sacra Lypsana, S. Gregorius Pontifex maximus celebravit, dicens: *Sancti illi, ad quorum tumbam consistimus, florentem mundum, mentis despectu calcaverunt; erat tunc vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fecunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace, & tamen cum in seipso floreret, jam in eorum cordibus mundus aruerat.* Ut & in cordibus vestris mundus arescat, & mortali sponso, vanitatibus sæculi, & insaniis falsis nuntium remittatis, una satis in familia *Flavia Domitilla* est, quæ verbis, moribus, pietate, animositate, domesticis omnibus exemplo sit. Quod in fide, hoc in moribus, aliisque virtutibus, valet unus author, & incentor; quod gratiosè & ingeniosè, Patribus purpuratis præco pontificius exposuit Romæ, eo pervenerat luxuriosa gulæ cupiditas, ut contemptus esset cibus, qui non ab alio orbe, camelorum dorso deportaretur. Nullus fructus, flos nullus tempestate suâ productus, placebat. Decembri *Rosa* expetebantur, *viola* Augusto, *uva* Martio, & desinente Novembri *ceresa*, perdices, gallinæ sylvestres, pavones, nisi cantarent dialecto Indica, dabantur canibus. Conscribebantur exercitus, qui in Propontide piscarentur, & venarentur in Colchide. Id totum Pacatus longè melius dixit: *Parum se lautos putant, nisi luxuria vertisset annum: nisi hiberna poculis rosa innatassent, nisi æstiva in gemmis capacibus, glacie phalerna fregissent: Eorum gula augustus erat nobis orbis. Nam appositas dapes, non sapore, sed sumptu æstimantes, illis demum cibis acquiescebant, quos extremus Oriens aut positus extra Romanum Colchus Imperium, aut famosa naufragiis maria misissent; quos in vita quodammodo, reluctantique natura, hominum pericula rapuissent. Ut taceam insami sæpe delectu scriptos in provinciis aucupes, ductasque sub signis venatorum cohortes, militasse conviviis.* Ad hunc populi luxum, ad hanc principum prodigam magnificentiam, & magnificam prodigalitatem eliminandam, quis Augustinus, quis Chrysostomus satis esset? unus Princeps, unus vir honoratus, qui exemplo præit, satis est. Excessus, de quo agimus, tam detestabilis, tot annorum spatio confirmatus, intra paucos dies evanuit; non legum severitate, aut tributorum gravitate, aut calumniantium dicacitate; sed subitò in omnes nobilium Romanorum mensas, & familias penetravit frugalitas, quod eam Cæsar *Theodosius* immisisset in suam. Cum Roma videret principis mensam instructam communibus fructibus, & obviis cibis, erubuit peregrinos adhibere conviviis. *sua, Imperator, epula, locorum ac temporum fructibus instruuntur; hinc certatim in omnes luxuria pudor invalevit: & quiescentibus legum minis, subit quandoque privatim sua pænitentia. Sic est enim, sic est, exasperat homines imperata correctio*, BLANDISSIME JUBETUR EXEMPLO. Poterant è suggestu concionatores detonare, poterant è plebe cauponarii, artocrearii, laniones, pistores de rationibus suis persolutis conqueri, poterant pœnæ, & censuræ, vectigalia esculentis & poculentis imponi, poterat ostendi indignatio Cæsaris in ejusmodi luxū: nil ejusmodi; sed præ omnibus vim habuit, & omnes velut tympano receptus sonante, in partes suas attraxit frugale exemplum Cæsaris, sine fulgetro legum, sine tonitru tributorum, sine fulmine pœnarum; sed ad unius mensæ parsimoniam, omnia urbis convivia, moderationis exempla facta sunt.

S. Greg. hom. 28.

Ioan. Paulus Oliva. tom. 1. conc. 127. pag. 615.

Pacatus paneg. Theodosii.

Luxus & prodigalitas Romanorum, uno Theodosii Imp. exemplo, exstirpatur, & exulat.

Unus solus in aula, in Academia princeps, aut nobilis adolescens, in quem irruit spiritus Domini, satis est, ut suis sermonibus, moribus, & vitæ exemplo, velut classicum canat, & ingentes copias spiritualium militum conscribat, atque ad Christi castra perducat. Ita Apostoli, ita prope omnes fundatores Ordinum Benedictus, Dominicus, Franciscus, Ignatius plurimos adolescentes divites, potentes, nobiles, *hujus mundi profundum calcare*, & sub vexillo crucis militare fecerunt, & ne singulis recensendis, diutius immorari videar, D. Bernardus non solū triginta lectos juvenes traxit, & militiæ Christi adscripsit; sed & hos inter, fratres omnes, & parētes, & propinquos; taceo viros, ac virgines principes, Reges, ac Reginas ex omni prope regno, quos ipse tractus in odorē unguentorum Christi, exemplo suo excitatos, secum currere incitavit; plura qui hic volet, exempla Sanctorum consulat. Ardeat ille zelus in vobis, ut plures vobiscum, ad Christū trahatis, nec satis sit, si soli cælum intretis; sed & filii, ac filiæ, ac domestici omnes, ut nullus ex iis pereat: ad hoc vos animet, & excitet elegans illa D. Bernardi parænesis: *Moneo te in Christo spiritualis amica*, UT DES BONUM EXEMPLUM DE TE, *omnibus hominibus in omni vita tua*: & iterum: *Venerabilis virgo, desidero ut luceas omnibus ancillis Dei, quæ tecum sunt in monasterio, bene vivendo.* Desidero & ego, ut mater familias, tu herilis filia *des bonum exemplum de te in omni vita tua*, in moribus, verbis, actionibus tuis, ut honestate, humilitate, mansuetudine, castitate, pietate, *luceas omnibus ancillis Dei*, sororibus, fratribus, qui tecum sunt in domo, imo & vicinis, & sodalibus, *bene vivendo*, te tympanistriam exhibens, alios tecum ad virtutem, ad cælum, ad Deum excitando. Mitto obvia; tatum illud, ac præclarum, quod Rosvveydus inducit, *S. Alberti* Comitis Austrobandiæ, & S. Reginæ, lectissimæ ejus conjugis exemplum, quo

S. Bern. de modo bene vivendi cap. 16.

Rosvveydus Annal. Eccl.

quo decem filias, formâ præstantes, ex illis susceptas, *bene vivendo*, morum honestate, ac mira pietate, ad perpetuum virginitatis votum, seu Virginum sponso consecrandum incitarunt, & inflammarunt: hinc enim amoris erga Deum ardor dignoscitur, si plurimos in illius castra pertraxeris, qui sub illius signis militent, & pro gloriâ nominis ejus fortiter dimicent. Propheta Regius ajebat: *benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*; vix hæc mente conceperat, dum occurrit illi, parum esse si solus Deum laudaret, unde mox subdit: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum*, quasi diceret: adeste huc omnes mortales, & me IN TYMPANO, *& choro*, in plectro & organo Deum laudantem, paribus vocibus sequimini, & augustum nomen Domini mecum celebrate; sic enim Augustinus: quod David ad Dei laudes decantandas, alios advocavit, & excitavit, idperinde esse, ac si dixisset, NOLO SOLUS *magnificare Dominum*. NOLO SOLUS *amplecti*; tanto divini amoris incendio, animus Regis flagrabat, ut parum, aut nihil duceret, si solus illum amaret, & laudaret, nisi quotquot essent in aulâ, in urbe, in orbe eû pariter amarent & celebrarent; Unde idē Doctor eodem Zelo incensus, pulcherrimum ac salubertimum hoc monitum suis, & nobis tradit: *excitate ergo in vobis amorem, fratres, & clamate unicuique vestrum, & dicite*: MAGNIFICATE DOMINUM MECUM. *Sit in vobis iste fervor. Si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei, qui vobis junguntur, &* OMNES QUI SUNT IN DOMO VESTRA. *Ergo rapite quos potestis, hortando, rogando, portando, disputando, rationem reddendo cum mansuetudine, cum lenitate*, omnibus bono exemplo præire, & præcinite.

Brusch. annno 761 avos pag 70. Decem filiæ, S. Reginæ exemplo, virginitatis voto se obstrinxerunt. Psal. 33. v. 2. V. 4. Aug. ibid. Idem ibid.

Sed alia terribiliora me tympana interturbant.

§. III.

Diabolus Incentor ad peccatum, suos tympanistas, & tympanistrias habet, qui alios ad malum provocant, invitant, & impellunt.

ANno Christi 1424. cum sex Hussitarum Germaniam latè vastaret, & depopularetur, omnium fax, & incentor Hussitarum, Dux Kisza, post templa incensa, aras eversas, Christianos pro vallo oppositos, ut per eorum corpora hostis primum in urbem irruptionem faceret, tandem monstrum hoc detestabile, crudele, horrendum, ingens, cui lumen ademptũ, vindice Dei manu, peste tactum est. Ferunt illum cū ægrotaret, interrogatum, quonā loco mortuus sepeliri vellet? *jussisse cadavert suo pellem detrahi*, carnes volucribus, ac feris objectari: *ex pelle*, TYMPANUM FIERI, *eoque duce, bella geri*; ut qui in vivis, toti Christiadum genti, terrori fuerat, à morte adhuc classicum sonaret, ad novas copias in Ecclesiæ perniciem conflandas; ita parum erat illi, si solus periret, nisi & integras legiones perditorum hominum secum in perniciem, & ad inferna pertraheret.

Spondanus tom. 1. anno Chri. 1424. n. VI. VII. Cranczius Æneas Sil. Ziska tympanū ex corio suo fieri curavit, quo pulso & alios post mortem hæretici ad partes suas pertraheret.

Ita primi omnium hæresum, & schismatum incentores, Arius, Nestorius, Pelagius, Entyches, Lutherus, Calvinus, Svvinglius, &c. qui etiam à morte suâ, falsis suis dogmatis, in perniciem Ecclesiæ, & suam, sequaces incitarunt.

At quis credat, inter Christianos, etiam diaboli tympanistas inveniri? Claravallensis, aculeum exerit in illos, qui pravo exemplo alios seducunt, eosque ipsis hæreticis nequiores, ac nocentiores dicit: sic etenim ad Pastores in Synodo congregatos: *vos invito, vos maximè, qui estis Vicarii Christi, qui estis pastores animarum, qui alios debetis instruere non destruere, vos inquam maximè*, QUI SOLI NON POTESTIS PERIRE, *qui praire debetis docendo, & operando*. Tum, quam vim exempla habeant, ostendit: *quod heretici faciebant per prava dogmata*, HOC FACIUNT PLURES HODIE PER MALA EXEMPLA; *seducunt scilicet populum, inducunt in errorem, &* TANTO PRAVIORES SUNT HÆRETICIS, QUANTO PRÆVALENT OPERA VERBIS. Plures hodie *per mala exempla*, gestus lascivos, verba obscœna, innocentes animas seducunt & inducunt ad peccatū, quā hæretici *per prava dogmata* pervertissent. Hæc delicta quis intelligit: Guielmus Peraldus, Lugdunēsis Episcopus, hæc verba, *spuma diaboli*, spumam cerberi rectè vocitabat, quâ candidissimas mentes, vel afflatu suo inficit, & interficit; qua super re, acerrimè Doctor mellifluus excurrit: *Unus est qui loquitur, & unum tantum verbum profert; & tamen illud unicum verbum, uno in momento, multitudinis audientium dum aures inficit, animas interficit*. In parthenone castarum Virginum, in cœtu honestarum matronarum, *unus est qui loquitur, unum verbum* lascivum *profert*, & illicò, velut scintillæ in arundineto, teneras mentes & vultus inflammat; nam teste S. Antiocho: *quisquis lasciva inter viventes in carne verba profert, is scintillas projicit libidinis*, quæ in Inculentum erumpunt incendium, ubertimis lacrymis, & sanguine vix restinguendum. Et quis hujus author, & incentor, hæc delicta intelligit, quis se tot animarum pereuntium reum accusat; cum hæc severâ, & maximè vera Divi Salviani sententia sit: *quia multos secum præcipitat in mortem; necesse erit, ut sit pro tantis reus, quantos secum traxerit in reatum*. Non communis illa Theologorum, Doctrina est, Bonacinæ, Filliucii, Sanchez, aliorumque, in confessione explicandum, quod exemplo, aut scandalo alios seduxerit; profectò, qui pro his omnibus pereuntibus pœnas solvere debet, *in pœnas non satis unus erit*.

Quibus tympanistæ & tympanistriæ diaboli. Bern. serm. ad Pastores in synodo congregatos. Psal. 18. v. 13. Bern. serm. 24. in cant. S. Antioch. hom. 18. in append. Biblioth. PP. Salvian. lib. 4. de providen. Ovid.

Fuit qui ahenum oriza plenum, veneno miscuit, & Eleemosynæ loco, ad moniales destinavit, tot mortibus dignus, quot interfecit: est quis in convivio, qui ad æquales haustus, alios non solum invitat, sed incitat, & ad temulentiam inducit; tot mortibus dignus est, quot animas interfecit; *delicta, quis intelligit*? Est quis incentor in Republica seditionum, in religione murmurationum, tot mortibus reus est; interim,

terim, *delicta, quis intelligit*? Divus Bernardus ejusmodi incentorem, ipso dæmone peiorem credit: *Utinam*, inquit, *soli impugnarent nos maligni spiritus cum suggestionibus suis, & nihil nocerent homines* PERNICIOSIS EXEMPLIS, PERSUASIONIBUS IMPORTUNIS, atque aliis modis: quia efficacius, ac sæpius ad peccandum prava exempla, lenonum importuna blandimenta, & promissa, quam dæmonum incitamenta perducunt.

Bern. serm. 1. in Septuagesima.

Horum autem scandala, eò graviora sunt, & ad pelliciendum praviora, ac potentiora, quò in dignitate politicâ, aut Ecclesiasticâ, altiori loco constituti sunt; ita Doctorum Phænix: *peccatum tantò in aliquâ personâ est gravius, quantò majorem obtinet locum.* Quod vel gentilis vidit dum dixit: *Omne animi vitium, tantò conspectius in se crimen habet, quantò, qui peccat, major habetur.*

S. Thomas. 2. 2. q. 100 art. 2. ad 7.
Iuvenalis. sat. 8.

Exemplum in ingens, rex Israel David, & homicidii, & adulterii crimen, verbo unico delevit, *peccavi*, quod Ambrosius expendens, ait: *en, quam tres syllabæ valeant: peccavi*, ut ilicò à Nathan Prophetâ audierit; *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.*

2. Reg. 12. Amb. lib. 2. de pœnitentia.

Quorsum ergò à Deo vindice, tam horrendæ intentantur plagæ? quid superest sceleris expiandum? *quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc*, omnia hæc mala eveniet tibi. Quod Salvianus accuratè observavit, dicens; *qui æternam pro offensionibus suis pœnam, per unam tantum confessionem meruit evadere: hujus tamen criminis veniam, nec per pœnitentiam patrocinantem potuit impetrare.* Gravissimi verò huius scandali enormitatem, ex aliorum damno expendit, dicens: *ex quo intelligi potest, quod nullum majoris piaculi crimen est, quam blasphemandi causam gentibus dare*: quod enim regi, quod principi liber, id omnes sibi licere arbitrantur: quod & Juvenalis Poëta expressit:

Salvian. lib. 4. de provident.

- - - Velocius, & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
dum subeunt animos auctoribus.

Iuvenalis. sat. 14.

Hoc ipsum, ore aureo confirmat Chrysostomus: *Vulgarium hominum delicta, veluti in tenebris commissa, suos authores solos perdunt: cæterum hominis illustris, & vulgo cogniti delictum commune, omnibus damnum adfert*: non aliâ de causa prostitutæ nequitiæ Poëtæ, olim Deos mæchos, adulteros, & fures induxerunt, ut si hæc divi, ac domini faciant, eorum exempla homines sectari non erubescant. Præclarè Seneca: *inde etiam Poëtarum furor, fabulis humanis errores alentium: quibus visus est Iupiter, voluptate Alcmenæ, duplicasse noctem. Quid aliud est* VITIA INCENDERE, *quam auctores illis inscribere Deos, & dare morbo*, EXEMPLO DIGNITATIS, *excusatam licentiam?*

Chrysost. lib. 6. de sacerdotio.
Seneca de brevitate vitæ. c. 16.

Atque adeo, & ideo Christianos, tum vel maximè Ecclesiasticos, de quibus prima Veritas dixit: *dii estis, & filii excelsi omnes*, gravius, suo pravo exemplo peccare, dilucidè ostendit Nigronius. Unus mihi Gregorius instar omnium est: *scire debeant qui præsunt, quod tot mortibus digni sint, quot ad subditos* PERDITIONIS EXEMPLA *trasmittunt: quia pereuntium animarum sanguis, requiritur de manibus eorum.*

Psal. 81. v. 6. Nigronius majest.

Quid porrò tu censes de Christi sanguine, sudore, lacrymis, morte, quâ anima cujusque redempta est? at quantus quantus est ille sanguis, tanti valebat anima, quam perdidisti, nec minoris reus es boni deperditi, quam magnum est divini sanguinis pretium, quo anima illi stetit, qui per te periit.

Jam verò, si sedulâ, & seriâ cogitatione vivus ad inferos descendas, videbis illic sempiternos illos flammarum vortices, divinæ sufflatu accensos iræ; hos inter contemplare animam volvi, & revolvi, per immensa illa, quæ numerari non possunt, annorum spatia: quære quamobrem hic ardeat, & tam horrendùm torqueatur: audi te maledictum in causa esse: audi quemadmodum te reum ad divinum tribunal provocet: provocatum aspice iratum judicem, qui tibi versus in crudelem, de sanguine suo, tam turpiter protrito, & perdito, rationem exigat, ut fatalem in te sententiam decernet, quod nisi tu hanc oviculam seduxisses, jam in beatis pascuis exultaret, quæ nunc in inferno cruciatur, cui te conjungat in pœnis, cui auctor fuisti in crimine.

Damnati gravissime puniuntur ex iis, quos secum ad inferos pertraxerunt, quod amarissimè lamentantur.

Quid ad hæc, patres familias, *qui tot mortibus digni sunt, quot ad subditos*, liberos ancillas, famulos, *perditionis exempla transmittunt?* Vir licentius, vel liberius, coram innocua filia, vel pedissequa, cum uxore gesticuletur, aut lascivos sermones effutiat, quandoque etiam de industria scintillas illecebræ conjugalis subministret, ut à Christo, & virginitatis proposito avertat, quod quam immane flagitium sit, Bernardus declarat: *horrendum penitus sacrilegium, quod & ipsum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas intulerunt*, quia & vos, sanguinis eius rei estis. Horrendum facinus, puerum innocentem, integrum, omnis nequitiæ inexpertem, ab ephebo, aut pravo socio corrumpi, lasciviæ ancillarum committi: *hæc delicta, quis intelligit?* Ambrosius exponit: *lapsus quis intelliget?* Purpuratus vates Patrem misericordiarum non sine causa ardentissime precatur: DELICTA *quis intelligit? ab occultis munda me*, ET AB ALIENIS, PARCE SERVO TUO. Si aliena sint, cur sibi veniam dari postulat, aut si veniam sibi dari petat, quo pacto sunt aliena? quod ut intelligere, & cavêre valeatis, quot modis peccata aliena vobis maximè propria sint, in quæ, ut tympanistæ, Auctores, & incentores alios inducitis paucis perstringam. Lorinus, Corderius, aliique interpretes, hunc locum exponunt de peccatis alienis propriè dictis; quæ ab aliis quidem committuntur, sed nobis interim auctoribus, incentoribus, vel quoquo modo adjutoribus, aut saltem non impedientibus, ut idcirco nobis etiam imputentur: qualia sunt, quæ juxta Catechismum Canisii nostri, novem potissimum committuntur:
" scilicet consilio, jussione, consensu, ir-
" ritatione, laudatione, seu adulatione, re-
" ticentia, vel indulgentia, rei alienæ parti-
" cipatione, vel prava facti alieni defensio-
" ne, quæ Theologi binis hisce versibus com-
plexi sunt.

Bern. serm. 2. de conversione S. Pauli.
Amb. in Psal. 50.
Psal. 18. v. 13.
Quot modis peccata aliena auctoribus, vel adjutoribus imponuntur.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus, participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Consilio suo Caiphas, & Herodias Joannem occidit. *Iussione*, David homicidii Uriæ reus factus est, & Pilatus necis Christi; *consensu*, mortem Stephani, Saulus inter lapidantes numeratur: *Irritatione & provocatione*, uxor Job, Tobiæ deliquerunt: *Laudatione*, *& adulatione* illi, quos Psaltes regius execratur, dicens: *avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi*: EUGE EUGE. Et Jsaias. cap. 3. v. 12. &c. *conniventiâ, vel indulgentiâ*, Saul, & Achab. Ezechielis 3. v. 18 *si dicente me ad impium morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur à viâ suâ impiâ, & vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem eius de manu tua requiram.*

Job. 1. v. 9 Tobiæ 2. v. 22 & Psal. 69. v. 4.

Rei alienæ participatione, ut in furto, adulterio; Jsaias. c. 1. v. 23. *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera: pupillo non judicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* & psal. 49. v. 103. *si videbas furem currebas cum eo: & cum adulteris portionem ponebas. Patrocinio, ac pravæ facti alieni defensione.* De quibus vide Jsaiam. c. 10. 6.

Hæc delicta, cum prope non sit, qui intelligat, & vix sit, qui cum Prophetâ exclamet: *ab alienis parce servo tuo*, utiliter populo exponantur; sed ne longior mea excurrat oratio, tympano receptui cano, & ex his dumtaxat eos persequar qui irritatione, & provocatione, seu instigatione, quique laudatione, seu adulatione, omniũ scelerum auctores, incitatores, & velut tympanistæ fuit.

Primus è cælo incentor, & incendiarius Lucifer, classicum sonuit, & ad defectionem, tertiam partem cœlestium spirituum pertraxit.

Primus incentor ad peccatum Lucifer, qui tertiam partem Angelorum irritavit, & provocavit.

Nobilissimas illas mentes, sublimes intelligentias, & naturæ, & gratiæ lumine adeo illustratas, à summo & increato bono, immanissimo rebellionis scelere apostatare fecit, totque Angelorum myriades, Seraphico ardore inflammatas, in titiones inferni commutavit.

Tum in Paradiso, serpens ille sinuosus, per mulierem virum, & cum illo genus humanum sibi militare fecit; mox per orbem universum, *malignissimi milites diaboli*, ut eos jure merito appellat D. Basilius, in psal. 61. v. 5. ubique tympana pulsarunt, ut ad omne flagitium provocarent, & incitarent.

Exodi. 32.

Exodi. 32. Aaron erecto vitulo aureo, *ædificavit altare coram eo, & PRÆCONIS VOCE clamavit, dicens: cras solennitas Domini est: surgentesq; mane, obtulerunt holocausta, & hostias*; ubi Moyses tot animarum interitum miseratus, in crudele illud Aaronis facinus, contra fratrem suum exclamat: QUID TIBI FECIT HIC POPULUS? *quasi dicat*, inquit, Tostatus, Antistes Abulensis: *quare ita fuisti* CRUDELIS *in istum populum?* INDUCENDO *in eum peccatum hoc maximum*, nempe idololatriæ quæ summa Dei injuria: cujus ipse, dum causa, reus fit: sic etenim rectè philosophatur: *qui inducit peccatum super aliquem, peccat; sed Aaron induxit peccatum contra Israelitas: ergo peccavit*, & alienum peccatum suum fecit, *propter quod maxima ei pœna infligi debeat.*

Tostatus. in exodum cap. 32. quæst. 13. Tostatus. ibid.

Aarone, multo sceleratior tympanista diaboli, Jeroboam, rex primus Jsrael, super Tribus decem, qui ut abduceret populum à cultu Dei, & ad dæmonia pertraheret: *fecit duos vitulos aureos, & dixit eis; nolite ultra ascendere in Ierusalem: Ecce dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti: posuitque unum in Bethel, & alterum in Dan. & factum est verbum hoc in peccatum; ibat enim populus ad adorandum vitulum usque in Dan.* unus omnium scelerum, totque millium Jsraelitarum relicto, ac spreto vero Deo, post signa, & mirabilia idolis servientium, Jeroboam auctor, dum ut Abulensis ait: *induxit populum ad adorandum*, unde & totanimarum pereuntium reus fuit. Quid, quod ad plures Reges posteros, ab ipso idem idololatrandi malũ promanavit, & integra regna afflavit. Unde lib. 3. & 4. Regum, iratus Dominus facile octies, & decies, amarissime queritur *eos non recessisse à peccatis Ieroboam*, QUIBUS PECCARE FECIT JSRAEL; disertè cõtestans, tactum se dolore cordis intrinsecus, quod ille populum ad peccata ista primus induxisset, cum tanta Dei injuriâ, animarum pernicie, & tandem totius regni ruinâ.

3 Reg. 12. v. 28. Tostatus. cit. 4. Reg. 10. v. 31.

Sed, quia nonnumquam mentes audientium plus exempla fidelium, quam dicentium verba convertunt (loquor cum Gregorio) *volo vobis aliquid de proximo dicere, quod corda vestra tantò formidolosius audiant, quantò eis hoc de propinquo sonat.* Ubi Henricus VIII. Angliæ rex, ab ecclesia descivit, manum sanguini admovit, viros Religiosos variorum Ordinum, in habitu sancto, ex arboribus suspendit, aliisque horrendis suppliciis excarnificavit: ministros statim suo furori, & libidini servientes nactus est, qui templa, & aras everterent, cænobia ad 376. expilarent, é quorum spoliis, in fiscum regium, annui census, ad centum, & viginti millia aureorum illata sunt, præter alia quadringenta millia, è mobilibus, iis prætermissis, quæ direptores sibi clepitarãt, ut libidini suæ indulgerent; Parum hoc: sed ut simul & animas perderet, visitare per nebulones monasteria jusserat, & omnes 24. annis minores exire, & ad sæculum redire compulit; majoribus quoque data facultas exeundi, si vellẽt: factumque, amarissimis lacrymis deplorandũ, ut religiosi utriusque sexus, supra decem millia ad sæculum redierint; & hæresis, fraudes, fornicationes, adulteria, omnia denique vitiorum monstra, ab uno hoc capite pullularint. Venio ad fœminas; quid non una fax, & fœmina Dux mali concitavit? Mitto Evam orbis incendiariam. *Iesabel*, inquit Ambrosius, epistola ad Ireneum: *Inimica veritati, & adversaria Prophetarum*, omnium malorum causa extitit: *Iesabel fuit* INSTIGATRIX omnium scelerum, ita Abulensis. Nostis ad quæ instigarit, & ad quam abominanda flagitia impulerit? sacri Annales satis testantur: erat illa turbulento ingenio, & sævo, in Prophetarum sanguine toties volutata quæ virum uinis uxorium, furiis instinxit, & in omne *sollicitavit scelus.* Mali deinde corvi, malum ovum, ipsius Achabi proles Athalia, Jorami nupta, perquam immania facinora, castam Josaphati domum contaminavêre? inde unâ hac tympanistriâ Jesabele, regem moribus jam perditum, defectio Provinciarum, Philistinorum incursiones, direptiones Arabum, morbi denique per cælestes plagas inflicti, longâ cum tabe cõsecêre. Hæc omnia, una *instigatrix* fœmina, mala concitavit. Ocholiam

S. Greg. in Evang. hom. 38. Spondanus Annal. Eccl. tom. 2 anno Chri 1535 n XIII. & XVI. Fæminæ tympanistræ diaboli. Idem anno 1559. nu. VII. Bzovius tom. 10. pag 27. Ambr. epist. ad Irenaum. Abulensis in 4. Reg. 9 pag. 165 Caussin de regno Dei. pag. 123. 4. Reg 8.

siam ejus filium statim mater pessimis artibus interfecit: consiliariosilli ex Achabi domo, per quos regnum administraretur, constituit; cuncta tui bidè, & violenter egit, dominandi libidine, & omnes in partes, & factiones suas pertrahendi; hæc omnia, una instigatrix fœmina machinata est.

Ibid. c. 11. Deinde filio immaturâ morte prærepto, regnum occupavit, ut cum regno omnes proceres in partes suas traheret: ac ferale classicum mox sonans, omnes masculos regiæ stirpis occidi jussit, præter Joam, ab uxore Jojadæ Pontificis de victimarus cultris ereptum. Quæ, & quanta, *una instigatrix* per suos, hoc est, per se patravit flagitia?

Ambros. epist. ad Vercell. Hinc illa divini numinis inaudita vindicta, *ut dilacerata canum morsibus, nullum ejus superesset vestigium; sed toto corpore suo, cum omnibus posteritatis suæ insignibus extingueretur.* Hanc autem pœnam non ex alio capite meruit, quam quod omnis mali auctor, & instigatrix extiterit; quâ ut & quisque vestrum hujus exemplo monitus

Chrysost. hom. 15. in epist. ad Rom. & 3 gran. cit. exercetur, Chrysostomum audiat; *serpens magis punitus est, quam mulier*; *& mulier plus quam vir, & JESABEL majores pœnas dedit, quam Achab, vineæ raptor, ipsa quippe universum illud negotium texuerat, Regique lapsus occasionem dederat.* Tum subdit: *Et tu quoque*, SI RELIQUIS PERDITIONIS CAUSA FUERIS, GRAVIORA PATIERIS, QUAM QUI PER SE SUNT SUBVERSI: *neque enim peccare, tantum in se perditionis habet, quantum quod reliquos ad peccandum deducuntur.*

Talis nova Angliæ Jesabel, impia illa & prostituta meretrix, Elisabetha regina exstitit, quæ non tantum peccasset, si per ditionis suæ tantum causa fuisset; sed & reliquos ad peccandum non induxisset.

Et tu quoque paterfamilias, nunquid Jeroboam imitaris, dum cultu veri Dei, à proposito sanctioris vitæ, filios & filias avocare, *& Veneri, ac Cupidini* illos immolare conaris? dum ad omnem lasciviam illos instigas, ad impudicas choreas, & mille carnis illecebras inducis: *Graviora patieris, quam qui per se subversi sunt.* Et tu homo potator, & scortator, non tantum peccas si teipsum perdas, & alios socios ad temulentiam non induceres: unde *graviora patieris, quàm qui per se subversi sunt.* Et sic de cæteris. *Delicta quis intelligit?*

Tympanistæ diaboli, laudatores scelerum & hortator. Alii tympanistæ ad omne peccatum classicum sonantes, pessimi quoque censendi sunt assentatores, laudatores, hortatores sceleris, & hoc ipso incentores nequissimi. Exclamet pro me propterea gravissimè, & appositissimè morum institutor Seneca: *Ubi testis, ac spectator abscessit, vitia subsidunt, quorum monstrari, & conspici fructus est*; quod eleganti, ad captum, similitudine exponit: *Quis enim, quam nulli ostenderet, induit purpuram? quis posuit secretam in auro dapem? quis sub alicujus rustica arboris projectus umbram, luxuriæ suæ pompam solus explicuit? nemo oculis suis cautus est, ne paucorum quidem, & familiarium* (nâ ut in dies in familiis videre est, domi nemo non frugi est) *sed apparatum vitiorum suorum, pro modo turbæ spectantis expandit: Itaque irritamentum est omnium*, ADMIRATOR, qui & maximus laudator, dum lautitias, cupedias, ferculorum raritatem, copiam, vini præstantiam, abundantiam, lances quibus porriguntur pretiosas, omnia denique, cum stupore admiratur: nam totum quod agit, est, ut insani luxus, & prodigæ suæ magnificentiæ admiratores, & præcones habeat; unde subdit: *Ambitio, & luxuria, & impotentia, scenam desiderant. Sanabis ista, si abscondèris.* Ex quibus patet, omnis luxus, purpuralitatis, temulentiæ, solos admiratores, laudatores, esse auctores, hortatores, & incentores: *Quia irritamentum omnium, admirator est.* Ut si quis eum, quod filiam corrupuerit, uxorem surrexerit in virum, filius in parentem, quod ille vindictam spirarit, ad duellum provocarit; laudarit, & animos admiratus sit, omnia hæc scelera aliena, propria facit: *Irritamentum est omnium, admirator*, & laudator: Item qui ad turpe factum exclamat, Euge, belle; ad quæ diabolica celeus ma

Proverb. ta, non solum qui fecerunt *lætantur cum male fecerint, & exultantur in rebus pessimis*; sed & ad alia graviora, & nequiora alii incitantur; quare

Senec. cit. *magna pars famitatis est, hortatores insania reliquisse.*

Consimiles prurientibus auribus, Propheta David, cane pejus & angue execrabatur; unde sic ardenter Deum precatur: *Avertantur re-*

Psal. 69. *trorsum erubescentes, qui dicunt mihi:* EUGE, EUGE, adulando, laudando, applaudendo, adhortando.

August. lib. 3. confess. cap. 8. Quid mali per pravos hortatores passus sit: de se fatetur Augustinus: *Quem fructum habui miser aliquando in iis, quæ nunc recolens erubesco? & tamen* SOLUS *omninò non fecissem. O nimis iniqua amicitia*, SEDUCTIO MENTIS! *sed cum dicitur:* EAMUS, FACIAMUS, &c. *pudet non esse impudentem cum impudentibus.*

HI seductores, sunt folles, quos tartarei Brontes, & Steropes, ad animos inflammandos adhibere consueverunt Job 41. v. 12. *Halitus*

S. Gregor. lib. 33. moral. c. 18. *ejus prunas ardere facit*; quod de stygio incendiario sanctus Gregorius interpretatur: *Toties Leviathan halitus*, inquit, *prunas accendit, quoties ejus occulta suggestio, humanas mentes ad delectationes illicitas pertraxit*; hoc autem quâ ratione fiat, alibi exponit; *dum mentem quam semel ceperit, malignis persuasionis suæ* FLATIBUS, *suppositis*

Idem c. 17. *ignibus accendit.* Ubi similitudinem Propheta à fabro ferrario, fornacem per folles sufflante, desumpsisse videtur: qui ubi prunæ primum accensæ, artificio follium nititur, quo modicus ignis, in luculentum fornacem, ad ferrum & chalybem, in quam vult partem flectendum, erumpat.

Isaia 54. v. 16. Huic illud Isaiæ congruere videtur: *Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas*; id est inquit, Hieronymus, & Hugo Cardinalis: *Tenta-*

Cornel. hic *torem diabolum*, omnium malorum artificem; « qui scilicet follibus suscitat ignem, quo candefcat ferrum; folles verò, ministros suos adhibet, ut per eos opus suum perficiat.

At scire vultis, quinam hi folles diaboli sint? (Duyvels Blaesbalcken) purpuratus Doctor exponet: *Hujus fabri* FOLLES SUNT: *omnes adu-*

Hug. Car. hic. *latores, detractores, lenones, & vetulæ mediatrices* ad flagitium, per quos longè plus mali, quam per diabolum sufflantem, id est, instigantem,



& exhurtantem, fieri consuevit. Sed de his satis.

Nequissimus, & omnium nocentissimus habetur scelerum auctor, & inventor, quia ab ipso velut è venenato fonte omne malum promanat; sic gentilis Poëta ut Ulyssem gravissimâ infamiæ notâ aspergeret, & sceleratissimum hominem turpissimè depingeret, puravit nullâ Rhetoricâ hyperbole, id aptius exprimi posse, quam si caput flagitiorum, auctoremque omnis nequitiæ vocitaret, dicens:

Virg. 2. Æneid

SCELERVMQVE INVENTOR *Vlysses.*

Ubi in rem præsentem scitè observavit Tiberius Claudius, Commentator Virgilii, Poëtam non dixisse Ulyssem hominem flagitiosum, improbum, vitiis contaminatum fuisse: *sed inventorem scelerum.* Ut quid hoc? *quia pejor est* INVENTOR SCELERUM, *sceleratis: quia ipse invenit unde ex innocentibus scelerati fiunt,* & omnium quæ fiunt, malorum auctor est, qui optimos quosque etiam in scelus inducit, & pertrahit. Tales sibi principes tenebrarum adhibent Tympanistas, & Tympanistrias, in quarum medio conjuncti exultant, quæ, ut Actorum 17. *novorum dæmoniorum,* à la mode, diabolicæ artis inventrices, omnes ad novos modos vestium, hactenus inusitatos, & honestis puellis pro meretricio ornatu habitos, inducunt; sed quia moris est, ab una inventrice, & tympanistriâ diaboli inventos, omnes sequuntur. Talis illa novi Testamenti Jezabel, quæ Saonæ, in Liguria extremum spiritum trahens, accito ad se *fratre Angelo* Capucino, viro sanctitatis eximiæ, exclamavit se damnatam, quod novam filiæ vestem, & materiâ, & modo nunquam in urbe conspectam, fieri curasset, quam omnes mox urbis domicellæ, æmulatæ fuerant; atque hæc vix effata à dæmone ad tabulatum sublata, ad terram corpore allisa, anima ad inferos detrusa est, ut fusius suo loco, dicemus. Sic novi novam Jezabelem, quæ ut honestum, ac modestum filiarum devotarum habitum pessumdaret, auctor, & inventrix fuit, ut calipτro deposito, caput eleganti peplo, quo sæculares domicellæ se exornare consuerunt, tegerent, quæ gloriata, se plures *à la mode* sectatrices habere. Aliæ, novas muscas, quibus faciem & imaginem ab artifice Deo creatam, deturpent, excogitarunt: aliæ scholas lusorias inter incentiva libidinis erexerunt, ubi patrimonia dilapidantur:

Tympanistriæ diaboli, inventrices novi modi, & luxus.

Annal. Capuc. an Christ. 1560. n. VI.

V. festo S. Martini.

In eas quæ primò emplastra, seu muscas in facie adhibuerunt, &c.

Aliæ choragæ, novos modos, choreas ducendi, & lascivè per impudica oscula tripudiandi adinvenerunt, & induxerunt: de his omnibus, ut concludam, rectè, illud Prophetæ usurparo: *Tenent* TYMPANUM, *& citharam ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Nam cum tympani, & citharæ cantus accesserit, quasi blandæ libidinis incitamentum, excitantur, & extra gyrum modestiæ, & pudicitiæ, facile effervescunt, atque ad inferna descendunt; ubi & choragæ, & auctores, & incentores scelerum, eò graviora supplicia luent, quò plures secum ad æterna tormenta rapuerunt. Nec est, quod quis existimet, damnatis, aut dæmonibus solatium esse, habere socium in pœnâ, quinponus inde longè acerbissimè torquentur.

Iob 17. v. 12. Corderius hic.

Testis ille flammarum purpurâ accinctus epulo, dum has ex igneâ scrobe voces emisit: *Rogo te, pater Abraham, ut mittas* (Lazarum) *in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Hæc non fratrum gratiâ, aut in eos misericordiâ optabat, & rogabat, sed in se; sic etenim S. Gregorius, & Bonaventura: *Carnalis erat illa petitio; quia hoc non faciebat propter vitandum supplicium alienum sed ne eorum adventu augeretur suum;* quibus luxu suo, temulentiâ, liceriâ, & pravâ vivendi consuetudine, scelerum auctor, & fautor extiterat. Ut disertè Lyranus hic: dixit hoc non charitate ductus, cum illam non haberet; sed timore servili, ne ipsorum consortio ejus pœna augeretur, qui fuerat eis occasio peccandi: tum ratione divitiarum, quas eis dimiserat ad abusum: tum exemplo malæ vitæ, quod eis dederat ad sequendum. Quod supplicium etiam parentibus manet, qui insano amore, suos à Christo abduxerunt, & æternæ perditionis causam præbuerunt: *Quia,* ut inquit S. Thomas in hunc locum, *de illorum pœnâ torquentur, quos inutiliter amaverunt* & perditè deperierunt.

Luc. 16. v. 28.

Vide Corn. hic.

Lyran in Lucam.

S. Thom. in Luc c. 16. v. 28.

Quare potius divinum tympanistam nostrū D. Bartholomæum audiamus, & sequamur, qui tympano pellis suæ, per barbaras regiones classicum fidei resonante, tot millia animarum secum triumphantium, ac tripudiantium more, ad regna cælorum perduxit, & vos Virgines Mariam, tympanum manu tenentem, præeuntem ac ducentem virgineos choros, cum tympanis & citharis lætæ, hilaresque ad nuptias agni sequimini, ubi *in tympano, & choro in chordis,* ET ORGANO laudetis Deum in æternum.

FESTUM
MAGNI P. AUGUSTINI,
ILLUSTRISSIMI ECCLESIÆ DOCTORIS, AC PONTIFICIS, SS. ORDINIS PP. AUGUSTINIANORUM FUNDATORIS.

Vulnerasti Cor *meum.* Cant. 4.



Telum flamma fuit. Lucan.

ARGUMENTUM.

AD Augustinum, virum incomparabilem, Doctorem Doctorum describendum, hallucinantur omnium Scriptorum ingenia; ut si linguis Angelorum loquar, laudes ejus ne adumbrare queam, ad quas enarrandas altero Augustino opus esset. Nonnulli illum, ob perspicacitatem ingenii, cum aquilâ: alii ob intecuratam non semel ob heterodoxis mortem, cum palmâ Martyrii, subjectis ad ejus pedes ac prostratis hæreticorum monstris, alii conspicuo sibi sanctissima Triade, alii alio symbolo depingendum, ac exprimendum voluerunt. Fuere qui & eum fonti, è quo omnes hauserunt: quidam etiam Soli urbem universum illustranti non immeritò compararunt. Quæ omnia si exiguo ingenii mei alveo complecti voluero, vereor ne vastum hunc laudum oceanum, cotila cum Augustino includere nisus fuero.

Unum itaque, in quo omnia confluentur, *cor illud Augustini*, Divinæ Sapientiæ sacrarium, omnium virtutum palatium, Seraphici amoris domicilium vobis exhibebo.

Extollant alii divina prodigia, cæcos illuminatos, surdos sanatos, mortuos resuscitatos, ego illis miraculum omnium maximum, cor Augustini induratum, colliquatum, contritum, humiliatum demonstrabo, idque ut ipse de se fatetur:
Lib. Solil. cap 3. *Intonasti voce grandi in interiori* AUREM CORDIS MEI, ET RUPISTI SURDITATEM MEAM, ET ILLUMINASTI CÆCITATEM MEAM, ac tandem totus colliquescens qui mortuus fuerat, revixit. Insuper dedit illi
Eccl. 3. Dominus adversus omnes hæreses *cor sapiens & intelligibile*, & scientiam super omnes divinam. Illud autem cor sagitta amoris transfixum perpetuum exstat eclamnum miraculum, & amabile spectaculum.

§. I. *Primum quod in* MAGNO PATRE AUGUSTINO *mirandum & imitandum, est* COR CONTRITUM. Psalm. 50.

§. II. *Alterum quod in* AUGUSTINO *depradicandum, & exaltandum, est* COR HUMILIATUM.

§. III. *Dedit Deus Augustino* SAPIENS COR, ET INTELLIGIBILE Eccl. 3.

§. IV. *Mirabile spectaculum, & spectabile miraculum* COR AUGUSTINI *divino jaculo vulneratum, & inflammatum ipso teste:* SAGITTAVERAS TU COR NOSTRUM CHARITATE TUA. Lib. 9 Conf. cap. 2.

FESTUM
MAGNI P. AUGUSTINI, ILLUSTRISSIMI ECCLESIÆ DOCTORIS, AC PONTIFICIS, SS. ORDINIS PP. AUGUSTINIANORUM FUNDATORIS.

Vulnerasti Cor *meum*. Cant. 4.

Sancti piugi soleni cum symbulis virtutū, quibus maximè excelluerunt.



Eteri Majorum more receptum, & celebri scriptorū, ac pictorum usu expressum, primos illos Christianæ militiæ principes, & inclytos heroas, eo potissimū symbolo adumbrare, quo vel inuicedibili fortitudis laude: vel invictâ animi constantiâ: aut insigni de Tyrannis reportatâ victoriâ: aut etiā præclarâ, stylo & linguâ, de infestis Ecclesiæ hostibus partâ gloriâ, prorsus eximii extitere, & præ cæteris omnibus excelluere. Sic Paulo fulgurantem gladium, Andreæ trabalem crucem, Stephano lapides torrentis, Laurentio candentes crates appinxerunt. Sic Joannem cum aquilâ, Gregorium cum columbâ humeris insidenti, Georgium cum dracone ad pedes prostrato, aliosque cum aliis heroicæ virtutis, ac divinæ scientiæ tesseris, & insignibus expresserunt. Sed omnia, quæ hacteous vel Scriptorum volumina, vel oratorum encomia, vel pictorum lineamenta, in uno Augustino adumbrando vel collaudando congesta, & à me studiose perlustrata sunt, eâ me moleobruunt, ut nec initium, nec exitum prope audeam sperare. Nam si arguitari lubeat, quæram ex pictore, cur hoc potissimum, quam alio, illum symbolo expresserit, in quo omnia sunt singularia, exquisita planè, & prorsus divinâ? Poterat illi divina commentanti, accælestia contemplanti, aquilam assidentem, & columbam cælitus advolantem appingere: quod enim de Joanne, Apocaliptico illo angelo magnus Origenes: *Vox spiritalu aquilæ auditum pulsat Ecclesiæ: vox altivoli volatilis, non aerem corporeum, vel æthera, vel totius mundi sensibilis ambitum supervolitantis, sed ultra omnia quæ sunt, & quæ non sunt citivolis intima Theologiæ pennis, clarissima, superneque contemplationis obtutibus transcendentis. Super volat itaque B. Ioannes Theologus, non solum quæ intelligi, ac dici possunt; verum etiam quæ superant omnem intellectum supervehitur, extraque omnia*, INEFFABILI MENTIS VOLATU *in arcana unius omnium principii exaltatur*; quo altius, non dico humanæ, sed nec angelicæ intelligentiæ valent conscendere. Nec minus magnificè de Joanne Augustinus: *Ioannes Apostolus non immeritò secundum intelligentiam spiritualem*, AQUILÆ *comparatur, lucis internæ & æternæ fixis oculis contemplator*, ut jure meritissimo aquilæ compararetur, & nuncupetur: quam non ita illi propriam gravissimi Scriptores voluêre, quin & summo Ecclesiæ Doctori *Augustino*, sine invidiâ, accommodari possedictitarint; quod enim inter universas volucres cæli, regina aquila, visus perspicacitate, & volatus pernicitate omnes transcendens; hoc inter acutissima, quæ umquam extitere Doctorum ingenia, perspicacissima mentis acie, & subtilissimo, *nō usitatā pennā*, volatu, *Augustinus aquila*: idque vero, & sincero D. Paulini *judicio*: AUGUSTINUS *subtilius omnibus volans, omnia restrarit*.

Laboratur quomodo D. Augustinus exprimendus.

Au cum aquila vel columba?

Origen. hom. 2. in diversis de S Ioanne.

Augustin. tract 36. in Ioan.

Florat. S. Paulin. epist. ad Valerium.

Quid ni aptè eum cum palma in manu expressisset, & inter purpuratos proprio sanguinis ostro martyres, recensuisset; namquod de Joanne, Martino, aliisque innumeris dicitur, qui martyrum albo adscripti, etsi sanguinem non fuderunt, palmam martyrii non amiserūt. Quoties ille invidorum dentibus, & impiorum ficis appositus sit, audite: hostes Ecclesiæ, *Augustinum*, pastorem bonum, pro grege suo excubantem, & animam ponentem, ut lupum insectabantur: Irati furiosâ loquebantur, atque " seductorem, deceptoreoque animarum *Au*- " *gustinum* esse, & privatim, & publicè conela- " mabant, *& ut lupum occidendum esse in defensio*- " *nem gregis, silucet fas, dicebant, & tractabant*; at- " que eum, citra peccatum, trucidari posseoc- " cinebant.

Possidius in vita.

Imò ut sciatis quam parum à linguâ manus distarent, *aliquoties vias armati adeò: heretici contra famulum Dei obsederunt*; dum, ut eum compellat D. Hilarius *Doctor excellentissimus*. AUGUSTINUS, *defensor fidei nostræ*, METU MORTIS, ad visitaodas, instruendas, exhortandasque commissas sibi oves, per vicos, & urbes excurreret.

Ibid. Hilarius epist. ad Aratum Diacon.

Hinc tanto in honore, & veneratione Augustinus Angelis & hominibus; Hieronymus certè de se fatetur: *Omni quidem tempore* BEATITUDINEM TUAM (jam adhuc existentem in terris quasi canonizabat) *eo quo decet honore veneratus sum, & habitantem in te dilext Dominum Salvatorem; sed nunc si fieri potest, cumulo aliquid addimus, & plane complemus, ut absque tui nominis mentione ne unam quidem horam praterire patiamur: qui contra flantes ventos (hæreticos) ardore fidei præstitisti Mallevirtute, in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquæ rursus fidei venerantur, atque suscipiunt: & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur, & me pari prosequuntur odio*, UT QUOS GLADIO NEQUEUNT, VOTO INTERFICIANT.

Hieron. epist. ad Augustinum.

Unde merito Cassiodorus, senator gravissimus,

mus, & Monachus eruditissimus hoc breve elogium attexit: *Doctor eximius* B. AUGUSTINUS, BELLATOR HÆRETICORUM; *defensor fidelium, & famosorum palmæ certaminum.* Quare ne quis ei palmam martyrii manibus eripiat, disertè asserit vitæ auctor Possidius, Calamensis Episcopus: AUGUSTINUS PAR MARTYRIBUS *in desiderando passionem.*

Cassiodor. lib. divin. lect. c. 20.

Possidius in vita

An prostratis ad ejus pedes hæresiarchis?

Poterat ejus pedibus devictos Ecclesiæ hostes Manetem, Pelagium, Donatum, Fortunatum, Faustum, Felicianum, Perilianum, Parmenianum, Adimatum, Cresconium, atque alia teterrima hæreseos monstra substernere, cui velut hydræ non septemcipiti, sed centumcipiti, divinus hic Alcides cervices demessuit, ut infra fusiùs dicemus. Poterat ei non solùm pro symbolo, *Regulæ suæ codicem,* quam 40. celeberrimi Ordines amplexi sunt; quosque ipse sanctissimis legibus constrinxit, deindè solidâ pietate confirmavit, tandem per omnes terrarum oras longissimè, latissimèque propagavit; sed & eorum, quæ Ecclesiæ bono scripsit, amplam voluminum Bibliothecam appingere, multò veriùs, saniùs, & sanctiùs, quàm quosdam depictos vidi, cum serie librorum, quorum unus salutarus fuit: *Salvete libri sine Doctore.* Denique, non insciтè apposuisset Augustino, Augustissimam unius Divinitatis Triadem, de qua ea vidit, eaque litteris consignavit, quæ summa ingenia meritò suspiciant, non capiant? nec his contenti; alii aliò collimarunt, dum hi illum flumini, seu fonti perenni adæquarunt, è quo omnes sublimioribus scientiis eximii, ac magistri nostri largiter hauserunt, & potitarunt: sacri Oratores è Christianis nostris spumantes, ora rigarunt, qui fons in flumina redundavit.

An cum libro Regulæ?

An cum ingenti librorum copia?

Cur non cum SS. Trinitate imago ejus depingitur?

Cur non instar fontis?

Omnium instar, Doctor Angelicus, qui hâc festâ luce ad populum verba facturus, illud Jobi pro argumento assumpsit: *Profunda fluminum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit.* Aurelius Cassiodorus, hoc de Aurelio nostro: *Doctor eximius, beatissimus Pater Augustinus debellator hæreticorum, defensor fidelium, decurrit* TANQUAM FONS PURISSIMUS; in quo reipsum contemplari potes, & liberaliter haurire; quam se jugiter sitisse testatur Paulinus, sic eum alloquens: *Os enim tuum, fistulam aquæ vivæ, &* VENAM FONTIS ÆTERNI *meritò dixerim: quia* FONS VIVÆ AQUÆ, *salientis in vitam æternam, Christus effectus est; cujus desiderio sitivit in te anima mea, &* UBERTATE TUI FLUMINIS, *inebriari terra mea concupivit:* huic accinit præclaro versu D. Prosper.

Iob. 28.

S. Th. ser. de S. Augustino.

Cassiod. de divin. lect. c. 22.

Paulin. epist. 41.

S. Prosper carm. de ingratis.

- - - - *Illius ore*

FLUMINA LIBRORUM, *mundum fluxère per omnem,*

Quæ mites humilésque bibunt, campósque animorum

Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

In eundem sensum Abbas Tuitiensis Rupertus lib. 7. epist. 5. cap. *Ille est Augustinus, columna & firmamentum veritatis, cujus ex ore non cessavit distillare* PLUVIA SALUTARIS; sed parùm hoc est: *Imò* FLUERE IMPETUS FLUMINIS, *contra flumen illud hæreticorum*, quod inundaverat & amaritudine suâ omnia corrupuerat super terram. In quem sensum Victor Uticensis, cùm appellasset Augustinum Pontificem omni laude dignum, eum vocat flumen eloquentiæ, quod ubertim per omnes campos Ecclesiæ decurrens, dulcedinem suavitatis dulciùs propinatam fudit; unde illud:

Victor Uticens. lib. 1. de persecution. VVandal.

Hæretici me fulmen habent, Ecclesia flumen:

Hoc peto quo pereant: hoc rigo, ne pereant.

Nec minus splendidiori elogio, alii eum *Vas* illud *admirabile, opus excelsi, Solem* appellarunt. Non sine mysterio Sol quartu ab incunabilis hujus orbis die creatus est. Jam rerum omnium molitor Deus terram ponderibus libratam suis suspenderat, herbis & frugibus exornarat: jam flumina & fontes, atque ipsos cælorum orbes, ex nihilo produxerat; *sed tenebræ erant super faciem abyssi*, nec ullus creatis splendor, aut venustas inerat: nam, ut etiamnum discernere est:

Alii illum Soli compararunt.

Gen. 1, 2.

- - - - *Nox abstulit atra colorem.* *Ovid.*

At ubi fax illa cæli accensa est, continuò caligo dissipari, tenebræ evanescere, nox atra fugere, herbis viror, rosæ rubor, lilio candor, cælis splendor reddi visus est, quo tam formoso & specioso spectaculo, beatæ illæ mentes, *omnes Angeli*, ut loquitur Chrysostomus, *cùm creares Solem, jubilarunt omnes filii Dei.* Unde sacro quodam stupore attonitus oculis in cælum sublatis, & hoc Dei splendidissimum prodigium mente contemplatus, jure exclamat Ecclesiasticus: *Vas admirabile, opus excelsi.*

Chrysost. serm. 4. in epist. ad Philipp.

Eccl. 43.

Verùm, ubi Deus Augustinum *de tenebris vocavit in admirabile lumen suum*, majori, ac diviniori stupore defixus hæreo, & beatæ illæ mentes, hunc Solem veneratæ sunt, & gratiæ largitiori *jubilarunt omnes filii Dei.*

1 Pet. 2.

Dixerit olim Hugo Cardinalis, exponens illud Ecclesiastici: *Vas admirabile, opus excelsi*, D. Paulum, Doctorem gentium eo assimilari: *Vas*, inquit, *admirabile B. Paulus, opus Excelsi: quia immediatè à Domino, sine ministerio hominis est conversus.* Idipsum verissimè de Augustino prædicato: qui paulò ante, vas abominabile, jam *admirabile*: qui vas fictile, & luteum, jam solidum & aureum; idque subitò, opus Excelsi effectus est; imò alter Paulus, verbis Pauli factus est. Profundo luto infixus hærebat Augustinus, & in tenebris, ac umbra mortis errabat, noctemque suam flagitiorum, ipsusmet exhorrescebat: cùm forte, quò figeret gressus, non videret, sub arbore fici abjecit se; & ecce intonuit auribus ejus: *Tolle lege, tolle lege*; arripit, aperit, quem penès se habebat, codicem, & illa sibi Pauli verba offerri vidit: *Non in commessationibus, & ebrietatibus: non in cubilibus, & impudicitiis; non in contentione, & æmulatione; sed induimini Dominum Iesum Christum*; quibus verbis derepentè tanta ejus animo lux suboriri visa est, ut è vestigio ab impudicitiis, ab hæresi, à noxis omnibus, ceu nocte criminum, in lucem fidei ambulare, divinæ doctrinæ, ac sanctitatis radios, jam *vas admirabile,*

Hugo Card. in Eccl. cap. 43.

Augustinus alter Paulus, qui Soli comparatur.

Rom. 13.

bile. opus Excelsi, id est, orbis universi Sol, usquequaque diffundere cœperit; ut quod de Paulo os aureum magnificè effatus est, rectissimè Augustino quadrare videatur: **Sol** *quidem est hominibus* Augustinus (non mutus, & eliinguis) *sed qui totum prorsus orbem fulgentibus linguæ sine radiis illustrans*, & scriptis illuminans, *sursum omnimodò* SOLIS *imitatus est*.

Chrysost. hom. 8. de laudib. Pauli.

Notum vobis est verus illud humanæ industriæ prodigium, naturæ miraculum, Memnonis statua, quæ Solis radiis, divino velut spiritu animata, humanas voces articulatè proferebat; sed parùm hoc, non humanas voces, sed divinas; tonitrua, & fulgura à Sole nostro emicare, ii qui præstricti, satis testari sunt, & quam calamo nobis facundiam conscripsit, conciones multæ loquuntur.

Scio autem illud æternæ Sapientiæ oraculum: *Vos estis lux mundi*, omnibus Ecclesiæ Doctoribus congruere; sed ut omnes velut stellæ in firmamento cæli refulgeant, in perpetuas æternitates Sol omnes suâ luce perstringit, & immenso suo fulgore nimiùm quantum antecellit; quod illustre encomium de clarissimo orbis Doctore, Patriarcha suo Augustino, S. Thomas, Præsul de Villa Nova pronuntiavit: *Hoc sibi justissimè vendicat* AUGUSTINUS: *hac pars Augustini in hac sapientia* LUCE; *sicut sol cætera astra, ita cæteros omnes, post Apostolos, superat* Augustinus. *Et meritò ad altos in Ecclesiâ, in hoc* QIAS. SOL AD SIDERA COMPARATUR. Unde illud consequitur, ut sicut ex Astrologorum placitis, & certis demonstrationibus compertum est, omnia minora luminaria, stellas, & lunam, à Sole, tamquam luminis fonte, splendorem mutuare, ita omnes, qui in Ecclesia fulserunt, doctrina & eloquentia conspicui, ab Augustino sibi radios participasse.

Matth. 5. v. 14.

S. Th. de Villa Nova conc. 1. de S. Augustino.

Omne sidus extinctum jacet: lucerna noctis luna, defectum patitur, & obscuratur, magis vel minus, prout umbra terræ, Solis lumen eclipsat; ut rectè Pierius: *Nisi sol esset, neque luna, neque stellæ ulla perspicua essent, ut & doctrina est Astronomorum, & res ipsa indicat.* Quod, quàm aptè Soli nostro conveniat, idem Antistes Villanovanus non invidioso elogio, de sanctissimo Parente suo, palam omnibus deprædicavit: A SOLE *omnia nostra* LUCENT: AB AUGUSTINO, *omnes, qui post ipsum fuerunt Doctores*, LUMEN SAPIENTIÆ, *accipiunt; ipse verè* PROPRIA LUCE LUCET, *quam à nullo hominum*, SED A DEO SOLO ACCEPIT, ut ab hac face Doctor Angelicus, Doctor Seraphicus, Doctor Mellifluus, omnes Patres sibi lumen accenderint. E multis paucos adduxisse sufficiat.

Pierius lib. 44.

S. Th. de Villa Nova cit.

D. Remigius jam dudum idipsum effatus est: *Sicut Sol in lumine excedit omnes Planetas, ita* AUGUSTINUS *omnes Doctores*. Et alibi: Sicut stellæ lumen à Sole recipiunt, sic Doctores scientiam recipiunt ex Augustino, *qui quasi sol refulgens, sic ille refulsit in templo Dei*; tantum omnia, quantumvis præclara Theologorum, ac Doctorum ingenia antecellens, quantum Sol sidera. Quod amœno spectaculo, viro in paucis religioso, & huic sanctissimo Præsuli impensè dedito exhibitum est: is enim dum Romæ in Basilica Principis Apostolorum orationi ardenter insisteret, divina quadam ecstasi, spiritu raptus, longam venerandorum Antistitum, & Ecclesiæ Doctorum seriem conspexit, quos inter, cùm suum, quem unicè colebat, & venerabatur, Augustinum sulicitè requireret, S. Gregorium amicè sciscitatus est; qui factum, ut in hoc tam illustri Patrum Senatu lumen illud orbis christiani, *Augustinus* non censeretur? atque illud responsi tulit: SANCTUM AUGUSTINUM *virum excellentissimum, de quo quæris, altior locus tenet*; longè altiori ordine, & eminentiori loco collocatum: unde *velut Sol luminare est, par non habens*, sic nullum illi comparandum. Omnia quidem minora sidera, suâ luce scintillant, & tenebras solantur; sed noctem non tollunt, solus pater luminum, & auctor diei, qui noctem dissipat, Sol est: unde Doctor Seraphicus: *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies?* tulle Augustinum, *qui illuminat mundum, ubi dies?* nil nisi spissa errorum caligo, & alta hæreseum nox; ast, ut inquit D. Prosper: *Eodem tempore, quo natus est in Britanniâ Pelagius hæresiarcha*, CEU CALIGO QUÆDAM IN TENEBROSIS ILLIS REGIONIBUS *exorta, natus est in Africâ* AURELIUS AUGUSTINUS, VELUTI CLARISSIMUS SOL, NOCTEM ILLAM ERRORES DISCUTIENS.

S. Remig. in 2. ad Corinth. Exposit. in Psal. Eccl. 50.

Iacobus de Voragine de sanctis, serm. 131.

Lobbetius gloria Patriarch.

Bonavent. in speculo Virg.

Ex quibus rectè concludit sanctissimus Præsul Valentinus, hujus Solis lucidissimum sidus: *Authore & magistro* AUGUSTINO, *ita omnia sunt lucida, ut errare non possit, nisi qui ex industriâ velit hallucinari.*

S. Th. de Villa Nova cit.

Quare dum in hoc præfulgidum Solis jubar imbecillem oculorum aciem intendo, illud Possidii mihi potiori jure usurpandum censeo: *Si cuncta corporis mei membra, verterentur in linguas, non essem sufficiens ad laudandum tantum Patrem & Doctorem, tantumque* FIDEI RELUCENTIS ILLUMINATOREM.

Possidius apud Iordan. de Saxonia serm. 2. de S. Augustino.

Hæc porrò omnia, si exiguo ingenii mei alveo complecti velim, videor mihi ad eas, cum Augustino, redactus angustias, ut vastum hunc laudum oceanum, velut corylâ concludere, aut exhaurire velle visus fuero.

Unum itaque hîc sectabor, in quo omnia continentur, & ostendere conabor, omnes oratorum, ac pictorum argutias, uno quo eum hodie ad oculum vobis exhibiturus sum, symbolo obscurari; cor inquam Seraphico telo transfixum, assistentibus undequaque divini amoris faculis: Cor illud celeberrimum divinæ sapientiæ diversorium, augustum prudentiæ domicilium, religiosum omnium scientiarum delubrum: ex quo reconditos primæ veritatis sensus palam educebat, eductos illustrabat, illustratos toti posteritati tradebat.

His omnibus omissis, nullam aptius ad laudem S. Augustini symbolum occurrit, quàm cor sagitta divini amoris transfixum.

Cor illud, regium omnium virtutum palatium, ubi omnes inter se splendore contendere, omnes vincere videbantur:

Cor illud stupendum sanctissimæ Triados sacrarium, è quo, tamquam è cælesti cortinâ, plena mysteriorum effata, & arcana, quæ non licèt homini loqui, oracula effundebat:

Cor illud ardentium sagittarum pharetra, charitatis fornax, *ubi ignis, qui semper ardet, & non extinguitur*.

Aug. lib. 10. conf. c. 2.

Hoc

Hoc inquam cor unicum, ac propriissimum ei appictum symbolum, quod me totum rapit; hujus meæ dictionis erit argumentum, quod ut perficiam ex voto meo, & tanti Patris, Præsulis, ac Doctoris Ecclesiæ gloria, cùm tenuitatis meæ conscius sim, illud de Augustino me usurpare posse confido, quod Theodoretus de Chrysostomo jam vitâ functo: *Da nobis illam immortalem linguam: sola enim tua lingua par est, ad narrandas laudes tuas:* sic ad laudes Augustini, ipso Augustino opus est, quem vobis ex ipso exhibebo.

Theodoret. apud Phot. num. cod. 273.

§. I.

1. Augustini cor contritū.

Primum, quod in magno Patre Augustino mirandum, & imitandum, est COR CONTRITUM. Psal. 50.

INter omnes perfectiones divinas, prærogativas, & excellentias, æterni, & increati Numinis, quas attributa Theologi nuncupant, nullum est, quod homines mortales, quin & immortales spiritus ad majorem sui tremorem, venerationem, & admirationem rapiat, quàm illud Regii Vatis encomium, sæpiùs ab eo, aliisque decantatum Psalm. 92. MIRABILIS *in altu Dominus.* Et Psalm. 71. *Qui facit* MIRABILIA *solus.* Obduratissimi Ægyptii, qui nec Dei æternitatem, nec bonitatem, nec sapientiam, aut providentiam agnovêre: obstupuerunt, timuerunt, mirati, & venerati sunt, *signa, & mirabilia*, quæ patravit, & vel ex digito potentiam ejus confessi sunt: *Qui facit magna, atque* MIRABILIA *sine numero*; quorum, si cui libeat numerum, aut computum inire, ad ea, quæ creata sunt, oculos, animumque intendat, ac verissimum compeciet illud Danielis: *Faciens signa, & MIRABILIA in terrâ.* Hæc ingens terrarum & aquarum moles ex nihilo educta, in aëre pendula, *ponderibus librata suis*, immota consistit: lucidissimus ille mundi oculus, *vas admirabile, opus Excelsi*: quod incredibili pernicitate, & perpetua tate volvitur: defectus lunæ, & influentias: æstus maris, ventorum turbines, quos *profert de thesauris suis*, & omnium ingenia exagitarunt, quomodo non in admirationem, & stuporem rapiunt? ut exclament: VALDE MIRABILIS *es tu Domine!* mirabilis in plantis, mirabilis in floribus, mirabilis in fluctibus, mirabilis in gemmis, mirabilis in variegatis volucrum plumis, ferarum pellibus, mirabilis in magnis, mirabilis in parvis, mirabilis in cetis, & elephantibus, mirabilis in formicis & apibus, mirabilis in astris, luna, & Sole: ex quibus omnibus hanc mundi machinam conflatam subtilissimus Augustinus maximè mirabilem spectavit, & prædicavit: *Quidquid*, inquit, MIRABILE *fit in mundo, profectò minus est, quàm totus hic mundus.*

Daniel. 14. v. 42. Ovid. 1. metam. Eccl. 43. Psal. 134. Esther. 13. v. 17.

Verùm enimverò super hæc omnia: MIRABILIS *Deus in Sanctis suis, in quibus*, ut inquit Hieronymus, Doctor Maximus: *Magis* MIRABILIS, *quàm in cæteris creaturis.* Mirabilis in cœlo Ezechias, eùm Solem quindecim gradibus retrò egit. Mirabilis Josue, qui tam præcipitem ejusdem cursum stitit.

Psal. 67. Hieronym. hic.

Mirabilis in aëre Moyses, dum serenum tonitruis & fulgetris perturbavit, palpabiles tenebras excitavit. Mirabilis in mari Jonas, ventre ceti triduo exceptus. Nec minus mirabilis, ubi Deus amabilis, & *valde mirabilis* in carne apparuit, majora per servos suos, quàm per se *signa & mirabilia* patranda commisit, ut olim prædixit: *Majora horum facietis.*

Daniel. 14 Joan. 14.

Sed quod de Christo non legimus, Petrus umbrâ suâ, Paulus hemicintiis suis ægros curavit: Xaverius Solem stitit, 50 mortuos excitavit.

Quæ omnia eò attuli, ut omnium mirabilium, quæ Deus infinita sua sapientia, bonitate & potentiâ in creaturis, & Sanctis suis operatus est, maximum & mirabilissimum ostendam conversionem peccatoris, in qua non solùm sapientiam & misericordiam suam; sed & *potentiam suam*, ut canit Ecclesia, *parcendo & miserando* maximè manifestat. Argumento nobis erit Augustinus, de quo illud D. Bernardi in nostram rem peraccommodatum occurrit: *Inter multa, magnaque miracula, maximum miraculum ipse fuit*, quod ex doctrinâ ejus infallibili manifestè patet, dum illud Joan. 14. exponens: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & MAIORA HORUM FACIET*; rem primâ fronte explicatu difficilem asserit: nam ut eximiis quibusdam Sanctis, iisque paucissimis, singulari favore, & gratiis gratis datis concessum sit, quomodo id de omnibus, ac cuique nostrûm, etiam perversissimo intelligendum sit? *Qui credit in me, &c.* quod ad omnes fideles loquitur; sic tandem resolvit, opus maximè mirandum esse justificationem peccatoris, ac cæteris omnibus excellentius miraculum: nam ut Christus, ac Sancti, aquam è silice scatutire, frumentum multiplicari, morbos fugari, mortuos suscitari fecerint, & omnia elementa nutui obtemperarint, minus est, quàm peccatorem convertere, cùm elementa omnia imperio Dei promptè sine ullâ obluctantiâ obtemperarent; sola voluntas propria, libertate ei concessâ, gratiæ obniti possit, si velit. Unde sicait: *Si hominem te fecit Deus, & tu facis teipsum* IUSTUM, MELIUS ALIQUID FACIS, *quàm fecit* DEUS; quia quod Deus per se non potest, salvâ tuâ libertate, hoc facit homo liberâ suâ voluntate, Dei gratiâ adjutus.

Omnium mirabiliū maximū conversio peccatoris.

Bern. de S. Malachia in vita.

Aug. serm. 15. de verbis Apostoli.

Unde loquens de conversione sua, enarrat mirabilia: *Quis similis tibi Domine? magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, & FACIENS MIRABILIA. Serò te amavi, lumen verum! serò te cognovi! erat autem nubes magna, & tenebrosa ante oculos vanitatis meæ.*

Aug. soliloq. c. 33.

Propone tibi omnia, quæ inexhaustâ suâ potentiâ ab orbe condito per se, vel servos suos patravit mirabilia, quæ Bzovius de signis Ecclesiæ stupenda enumerat; quin & ipsam, quæ

omnem captum humanum superat, *resurrectionem mortuorum*, hac, & illis, quibuscumque mirabilibus longè admirabilius est resuscitatio peccatoris, ut observat D. Eusebius Gallicanus, dicens: *Videamus quanto est, quod præstat gratia; ecce* VERA MIRACULA; *ecce prædicanda* MIRACULA, *stupendas immutationes, quas quotidie operatur Redemptor noster, quando de pessimis bonos facit, castos de luxuriosis, humiles de superbis*, DE SECTATORIBUS *sæculi*, AMICOS DEI; inter quos, quàm brevi temporis momento, uno veræ contritionis, & conversionis actu adscriptus sit, paucis illis, sed efficacissimis verbis testatur de se Augustinus, dicens: *Percussisti* COR MEUM *verbo tuo, & amavi te*; at qua ratione hæc mutatio dexteræ Excelsi facta sit, clarissimè illucescet, si mirandam illam Sauli, cum illa Augustini conversione inter se conferamus.

Eusebius serm. 2. Epiphan.

Aug. lib. 10. conf. c. 6.

Conversio Sauli & Augustini inter se conferuntur.

Paulus spirans minarum, & acerrimus Ecclesiæ persecutor, impius zelator paternarum traditionum, Christianos omnes exscindere, aut quos poterat, vinctos perducere Damascum satagebat; cùm derepentè terra tremere, cælum tonare, micare fulgura, & vox de cælo: *Saule, Saule*, (quasi surdo intonat) *quid me persequeris?* Et *circumfulsit illum lux*, qua ita præstrictus, ut *apertis oculis nihil videret*.

Actor. 9. v. 4.

Nunc qualis Augustinus extiterit, ab ipso confitente, quod deplorat, audiamus: *Quòd inflatus essem novitate hæresis illius, & nonnullis quæstiunculis jam multos imperitos exagitassem.*

Aug. lib. 3. conf. c. 11.

Et lib. 4. conf. cap. 1. *Seducebamur, & seducebamus: falsi, atque fallentes.* Sic spirans minarum, ut qui ingenio erat acutissimo, ita & perniciosissimo, persequebatur Ecclesiam, adeò ut in publicis Litaniis, jussu D. Ambrosii addi solitum esset illud: *A Logicâ Augustini, libera nos Domine*, ut in exemplaribus Mediolani adhuc videre est. Talis tunc cum Saulo zelator erat Augustinus, ut illapso in eum spiritu Domini, tantò ardentior esset Ecclesiæ propugnator; quem utinam illi æmularentur, qui judicii vim, ingenii acumen, velut arma nequitiæ, ad fraudes, & dolos contexendos, ad innocentes seducendos, ad viduas & pupillos proterendos usurpant, atque *è calice aureo*, quem Augustinus de excellenti ingenio exponit, *diabolo propinant.*

Rivius lib. 2. c. 1.

Hæc omnia quæ extùs in Saulo, intùs in Augustino agebantur, ut ipse fatetur: timor, & tremor venerunt super me: *Intonasti desuper voce grandi in interiorem* AUREM CORDIS MEI, *& rupisti surditatem meam, & audivi vocem*: atque ut non surdum dumtaxat, sed & cæcum noveritis, subdit: *Et illuminasti cæcitatem meam, & vidi lucem tuam*, (quæ illum circumfulsit,) sed quæ inde, cum Paulo, vitæ anteactæ detestatio, quòd persecutus sit Ecclesiam Dei, quòd quasi abortivus, &c. Quæ peccatorum contritio, & lacrymarum flumina è corde contrito scaturierunt, attendite: *Ego*, inquit, *sub quadam fici arbore stravi me, nescio quomodo, &* DIMISI HABENAS LACRYMIS, ET PRORUPERUNT FLUMINA *oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum*; quod in hunc modum prosequitur: & non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: *Et tu Domine usquequò? usquequò irasceris in finem? ne memor fueris iniquitatum nostrarum.* Et jactabam voces miserabiles: *Quamdiu? cras & cras: quare non modò, quare non hac horâ finis turpitudinis meæ?* Quem eodem in vestigio, eodem in loco, eadem hora per amarissimos, & amantissimos contritionis actus imposuit, & cum Saulo mutatus est in virum alterum: *Dicebam hæc*, inquit, *&* FLEBAM AMARISSIMA CONTRITIONE CORDIS MEI; quàm autem vehemens, & ardens, hæc Augustini contritio fuerit, suavissimæ amoris & doloris lacrymæ testantur, quæ in pluviam, & flumina resolutæ sunt: nam ubi à fundo arcano, alta consideratio contraxit, & congessit totam miseriam meam in conspectum *cordis mei, oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrymarum*; atque ut liberiùs, ac liberaliùs fletui, solo Deo teste, indulgeret, & cor contritum in sacrificium offerret; ut totum, inquit, effunderem cum vocibus suis, surrexi ab Alipio, *solitudo enim ad negotium flendi aptior videbatur.*

Aug. Soliloq. c. 31.

Lib. 8. Conf. cap. nimis.

Psal. 6.

Psal. 12.

Aug. lib 8. conf. c. 11.

Augustini perfecta contritio. *Ibid.*

O peccator! qui hactenus, non dico imbres, aut flumina lacrymarum; sed ne stillicidium è corde contrito expressisti, cujus oculi pumice sicciores, & cor adamante durius, quousque clamabis corvinum illud *cras, cras? quare non hodie, quare non hac horâ*, cum Augustino, finis turpitudinis tuæ, temulentiæ tuæ, iracundiæ tuæ, injustitiæ tuæ? experto crede: *Corvus de arcâ missus, non est reversus: non quærit Dominus dilatationem in voce* CORVINA, *sed confessionem* IN GEMITU COLUMBINO. At quàm frivola, quàm caduca mortalium cordibus suspiria & gemitus, oculis lacrymas exprimunt? lis evicta est, & fles: horrea incensa, sylva excisa est, & fles: uxor, filius unicus immaturâ morte ereptus est, & amarissimè lacrymaris: sententia contra te in supremo tribunali lata est, nec fles: æterna tibi bona periêre omnia, nec fles: anima mortua est, & vivum funus, illudque teterrimum ducis, nec lacrymaris, nec compungeris.

Morale.

August. in Psal. 101.

Hoc est, quod jam alter Augustinus potenter exaggerat & inculcat, dum sic ad suos perorat: *Audite me, Fratres: Christiani sumus, & tamen plerumque, si filius cujusquam moriatur, plangit illum: si peccet, non illum plangit. Tunc erat plangendus, tunc pejus mortuus erat luxuriosè vivens* (ut adolescens ille prodigus) *quàm moriendo vitam finiens.*

August. in Psal. 37.

Tunc quando faciebat illa in domo tuâ, non solùm mortuus erat; sed & putebat, hæc dolenda sunt. Ita de se sensit, cùm dixit lib. 4. conf. cap. 16. *Profectus sum abs te in longinquam regionem, ut substantiam dissiparem in meretricias cupiditates, &c. & pejor eram* MORTUUS LUXURIOSE VIVENS, *quam moriendo vitam finiens.* Si gentiles, si Athei, si Epicurei hominem peccato mortuum non plangant, tolerabile videri posset, cùm mortem animæ, privationem gratiæ, & gloriæ, mortem in cruciatibus æternis non apprehendant; at nos, qui *Christiani sumus*, vitam gratiæ, vitam gloriæ,

vitam

vitam animæ æternam, summum bonum esse, quo unicâ mortali noxâ excedimus, fide certâ tenemus, nec plangimus? filius submersus plangitur, & vino sepultus ridetur: frater cruentâ cæde trucidatus plangitur, & *frater qui odit fratrem*, cum *homicida* sit, (quia teste divo Thoma, *occidit animam suam*) non plangitur: Filia calidâ febri modò defuncta plangitur, & si luxuriæ incendio anima conflagret, non plangitur. Imò hæ juvenilis ardoris petulantiæ, parentibus dissimulandæ, & probandæ videntur; maturiori ætate, ubi vinculo conjugali filii adstricti, aut serâ pœnitentia corrigendi; quod insanum consilium, parens, animæ peremptor, filio suo Augustino: *sine vulneretur amplius: nondum enim sanatus est*, quod quid erat aliud dicere, quam qui sordidus est, sordescat adhuc? sic parentes non paucos hoc corruptissimo sæculo, digito monstrari possent, qui ubi filios lascivire audiunt, applaudunt, & familiæ suæ propaginem futuram gratulantur. Ita secum actum, queritur Augustinus: *quinimo ubi pater me vidit pubescentem, & inquietâ indutum adolescentiâ, quasi jam ex hoc, in nepotes gestiret, gaudens matri indicavit.* At ille ignem hunc libidinis, fontibus lacrymarum restinguere satagebat: *quotidiana*, inquit, *fornax est humana lingua; imperas nobis & in hoc genere continentiam. Da quod jubes, & jube quod vis. Tu nosti, & de hac re gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum.*

2 Thom. in 1. Ioan. 3

Aug. lib. 1 conf. c. 11.

Lib. 2. conf. c. 3.

Lib. 10. conf. c. 37.

Quis vestrûm hactenus vel unam lacrymulam fudit, ut illam fornacem extingueret? sed parum fuit Augustino, fœdas omnes anteactæ vitæ sordes, imbre lacrymarum, & *amarissimâ contritione cordis sui abluisse*, voluit cum Davide amplius, & amplius lavari, ac super nivem dealbari: unde nugis nugarum, mundo & vanitatibus, ac insaniis falsis nuntium remittens, *solitudo illi* arctior, ac diuturnior priori, *ad negotium flendi aptior videbatur*, ubi non per horam, aut paucos dies, & menses; sed usque ad extremum spiritum, vitam summam austeritate, Paulo per omnia similis, in fletu, in jejuniis multis, in fame, & siti, in laboribus pluribus, in gemitibus, & lacrymis, & confusione cordis perpetuò exantlavit: hoc etenim Deum ardenter rogavit, & impetravit: *rogo te, bone Iesu, per pretiosissimas lacrymas tuas, da mihi gratiam lacrymarum, quam multum desiderat, & appetit anima mea*, UT PLANGAM ME IN OMNI VITA MEA.

Lib. 8. conf. c. 12.

Lib. 8. conf. c. 12. Augustini … etua pœnitentia, & jugis lacrymæ.

August. in medit. c. 36.

De muliere peccatrice, & verè pœnitente ait Evangelista: *lacrymis* CÆPIT *rigare pedes ejus*: ubi, quod in se expressit, *omnium Ecclesiarum eximius Doctor* AUGUSTINUS, verbum illud expendit: *cæpit*; non solum in convivio; sed & per omnem vitam pertexit, nec umquam à lacrymis temperavit: *non solum*, inquit, *in domo Simonis, sed etiam post adventum Sancti Spiritus, hoc quidem ardenter perfecit*: SEMPER *enim dolebat*, SEMPER IN VITA SUA FLEBAT QUOD COMMISERAT.

… 7. … lib. … ratate … di.

… serm. ad Fra. … in ere.

Summus sacerdos Christus, plenam omnium criminum remissionem illi impertierat; injuriam tamen dilecto suo Jesu illatam, numquam obliterare potuit, & notas animæ justas calidissimis lacrymis irrigare non cessavit, ut ne cicatrix remaneret: *Mulier flevit, & in fletu perseveravit.* Idem testantur lacrymæ Petri, de quo Marcus: *cæpit flere*, suumque lapsum per omnem vitam in amaritudine animæ deploravit: ita ut teste S. Clemente canales in genis ejus, assiduo fletu, exstarent.

Aug. in medit. cap. 36.

Sic David *cæpit flere*, & etiam cùm à divino legato audisset: *transtulit quoque Dominus peccatum tuum*, à lacrymis per singulas noctes non cessavit; donec *exitus aquarum deduxerunt oculi ejus.*

2 Reg. c. 12

Psal. 118.

Nunc quæ de perenni fonte lacrymarum, & jugi ac amarissimâ contritione cordis Augustini dicturus sum, ea sunt, ut gratissimum superis spectaculum, illustrissimum mortalibus pœnitentibus speculum exhibere queant.

Ipsum audire, & quæ pro voto suo fluenta lacrymarum impetravit, attendite:

Da mihi, Domine, evidens signum amoris tui, irriguum lacrymarum fontem, *jugiter manantem*, ut ipsæ quoque *lacrymæ tuum in me testentur amorem: ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantum te diligit anima mea*, dum præ nimia dulcedine tua, *nequit se à lacrymis continere.* Non rivum aut torrentem postulat, celeriter prætereffluentem; sed *fontem*, eumque *jugiter manantem*; qui non ex dolore affectus humani, aut boni terreni jacturâ, velut è cœnoso lacu scaturiat, sed qui prodat, & loquatur *quantum te diligit anima mea.*

Ardens precatio S. Augustini pro lacrymis contritionis.

Aug. in medit. c. 36.

Et paulò post: præsta mihi hanc gratiam propter nomen sanctum tuum *ut quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, de te confero: quoties tui reminiscor, tibi assisto, preces, & sacrificium offero; toties* OBORTIS LACRYMIS, *in conspectu tuo copiosè, &* DULCITER FLEAM; *ita ut efficiantur lacrymæ meæ, panes die, ac nocte*, efficiarque in conspectu tuo, *per ignem compunctionis holocaustum pingue, & medullatum.*

Ibid.

Nunc quod praxim spectat.

In ferventissimo contritionis ejus actu, primo nobis serviet, ingens aversio, & detestatio peccati, quæ est conversio ad Deum, quam his verbis palam confitetur: erat tempus quando cognoscebam te. *Væ tempori illi quando non cognoscebam te: væ cæcitati illi, quando non videbam te. Væ surditati illi quando non audiebam te.* Cæcus eram, & surdus: per formosa, quæ fecisti, deformis irruebam, & mecum eras, & tecum non eram; & ea me tenebant longè à te, quæ non essent, nisi essent in te. *Illuminasti me, lux mundi, & vidi te.* ET AMAVI TE: *nemo quippe te amat, nisi qui te videt, & nemo te videt, qui te non amat.*

Contritionis actus includit detestationem peccati ex amore Dei.

Aug. Soliloq. c. 32.

Hæc verba, quasi tot contriti cordis jacula, si quis ruminet, & suo pectore ardenter, cum Augustino, ejaculatur, non est quod anxius ad pedes sacerdotis se adsternat, & de mensa Domini participet, aut in extremis judicem formidet, cui perfectissimæ contritioni inflammandæ, hos purissimi amoris, & perfectissimi doloris actus, ad praxim subnecto: *recordari volo transactas fœditates meas, & carnales corruptiones animæ meæ; non quod amem eas, sed ut amem te, Deus meus,*

Contritio est actus amoris, & doloris perfectissimi,

Aug. lib. 2 conf. c. 1. *amore amoris tui facio istud, recolens vias meas nequissimas in amaritudine* RECEPTATIONIS MEÆ, *ut tu dulcescas mihi, dulcedo non fallax, dulcedo felix, & secura.*

Tum in ardentissimas has flammas cum suavissimis lacrymis prorumpit: *serò te amavi pulchritudo tam antiqua, tam nova! serò te amavi! va tempori illi, quando non amavi te!* Aug. Soliloq. c. 31.

O si, & tu, & quidem in hac die, recordari velis transactas fœditates tuas; *non ut ames eas*, sed Deum tuum: & contrito corde exclames: *serò te amavi pulchritudo tam antiqua, tam nova! serò te amavi!* & in pulchra, ac formosa quæ fecisti, tam deformis irrui, tam fœdis desideriis, phantasiis, concupiscentiis, lascivis oculis, osculis, tactibus, tam turpiter me fœdavi. *Va tempori illi quando* non cognovi te, *quando non amavi te.*

Hos veræ conversionis, & contritionis actus, ut quis dolore cordis tactus intrinsecus, ferventer eliciat, & convertatur ad Dominum, non satis est, nisi cum Augustino sæpius per vitam, & usque ad extremum spiritum, citra recidivum, eosdem jugiter exerceat.

Actus contritionis sæpius exercendi ut habitum acquiramus

Quare in vita identidem actus contritionis exercendi, ut jam velut habitu acquisito promptius, ac perfectius in articulo mortis elicere valeamus; quod purpurati Patris, eminentissimi Bellarmini monitum est lib. 2. de arte bene moriendi, ubi ait: iis, qui ad bene moriendum se parant, *præcipue contritio necessaria est*: confessio enim sine contritione, vel attritione verâ non sufficit ad salutem. Satisfactio quoque vel sine contritione non prodest, vel ægrè ab ægroto præstari potest; contritio verò quæ charitatem includit, etiam sine confessione, & satisfactione, cum illæ præstari non possunt, ad salutem perducit: quia COR CONTRITUM, *& humiliatum Deus non despiciet.*

Bellarmin. de arte bene moriendi. lib. 2. c. 6.

Psal. 50.

Contritio igitur ægrotanti solicitè quærenda, cujus rei exemplum egregium habemus in sancto Patre Augustino, qui teste Possidonio, in ultima ægritudine, ex qua defunctus est, describi sibi jussit Psalmos Davidicos, qui ad pœnitentiam pertinent, ipsosque quaterniones, jacens in lecto, contra parietem positos, diebus suæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & jugiter ac ubertim flebat, & ne inteorio ejus à quopiam impediretur, cavebat.

Bellarm. cit.

Ante dies fermè decem, quam exiret è corpore, postulavit à familiaribus suis, ne quis ad se ingrederetur, nisi iis tantum horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cum ei inferretur refectio: nam omni reliquo tempore sibi, ac Deo vacabat.

O Beatissimum, & sapientissimum virum; post Baptisma susceptum, & peccata præteriti temporis ei dimissa, vixit annos tres & quadragiota, in quibus usque ad ultimam ægritudinem assiduè prædicavit verbum Dei: scripsit libros innumerabiles, Ecclesiæ universæ utilissimos, vitam duxit sine querela innocentissimè, & sanctissimè; & tamen in ultima senectute, & morbo, per dies plurimos contritioni, & pœnitentiæ ita vacavit, ut in legendis Psalmis pœnitentialibus *jugiter, & ubertim fleret.* Et planè, inquit Bellarminus, observanda sunt duo illa verba: *jugiter, & ubertim*; non enim una die, vel hora contritioni vacavit; sed per dies plurimos, sæpissimè, & copiosissimè peccata sua deflevit. At cujus generis peccata deflevit vir sanctissimus? opinor minima venialia tantum; ut non solum à flamma gehennæ, sed etiam ab igne purgatorio liber, recta sine mora, clave contritionis adhibita, cælos intrarit.

Quod si vir sanctus, & prudens delicta non dico venialia, sed infirmitatis humanæ nævos levissimos, per tot dies *jugiter, & ubertim deflevit*; Quid faciendum esset illis, qui non solum pro delictis venialibus, sed pro innumeris lethalibus, æternæ damnationis rei, siccis oculis, & corde minimè anxio, & contrito mortem præstolantur?

Quos ut ad Augustinianam contritionem excitem, suffecerit comprobasse, contritionem perfectam spirituale Martyrium esse, atque & hoc titulo sanctum Augustinum inter Martyres nuncupari, vosque recenseri posse.

Chrysostomus hom. 2. in Psal. 50. contritionem Martyrio conferre non dubitavit, dum ait: *dicam tibi quid valeant lacrymæ: Martyres sanguinem fundunt, peccatores lacrymas fundunt.* Tres hujus dicti rationes considero: Prima est, quia sicut Martyr gratissimum Deo sacrificium offert, ita & contritus; etenim quod potest esse majus holocaustum, quam ut Martyr in testimonium fidei, ac æternæ veritatis, suum corpus immolet? excedit ea res omnes hostias Abelis, & Noëmi, quinimo & Abrahami: quia isti pecudum carnes. Contritio Martyrio comparatur.

Hic alienum corpus obtulit; at Martyr propriam carnem. Verum quid de contrito dicam? est victima Deo accepta: SACRIFICIUM *Deo Spiritus contribulatus.* Psal. 50.

Isthic caro, hic spiritus immolatur: ibi in testimonium veritatis divinæ, hic in argumentum infinitæ bonitatis, odiique peccati, in signum Dei super omnia dilecti, ex puro ejus amore; cum interim verè Martyr esse possit, qui sese offert ex timore gehennæ, vel spei retributionis æternæ, & etiam dormiens; contritus autem non nisi ex amore impellitur. Quanta hæc virtus est? pergo porrò; quemadmodum Martyris corpus, ac caro secatur, ac inde profluit sanguis; ita pœnitentis cor ipsum scinditur, juxta illud Joelis: *scindite corda vestra*, indeque promanant lacrymæ, quæ sanguis animæ nuncupantur; sic etenim præcipuus pater, & optimus Doctor, ut eum Adrianus I. Pontifex Maximus appellat, divinissimè disserit: *ascendat homo adversus se tribunal mentis suæ: constituat se ante faciem suam, atque ita constituto, in corde suo, judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor.* INDE QUIDAM SANGUIS ANIMÆ CONFITENTIS PER LACRYMAS PROFLUAT. Joel. 2. August. hom. 50. lib. 50. homil.

Minusne arbitramur, si alicui cor, quæ nobilissima pars hominis est scindatur, quam si Martyri aliquod membrum, col-

lumque scindatur? minusne existimatis, aliquem mucrone, quam dolore peuertari? minusne dicendus Martyr, qui dolore, quam qui gladio transfigatur? sane dolorem gladio conferri, imo gladium vocari; indeque aliquem Martyrem effici posse constat. Testatur id senior Vares: *tuam ipsius animam pertransibit gladius*; cujus rei causa, Virgo, Martyrum Regina nuncupatur: quæ, ut Rupertus loquitur, LONGUM *præscia futura passionis filii pertulit* MARTYRIUM.

Luc. 2.

Quare dolor contritionis, gladio comparandus, aut gladius est, & Martyrii similem, aut Martyrem facit, præsertim cum illius cor non tantum scindi, sed conteri, & in minutissimas partes comminui dicatur. Quare à Deo numquam respui potest: *cor* CONTRITUM, *& humiliatum, Deus non despicies*.

Psal. 50.

Adde Martyri semel corpus scindi; at contrito sæpius. Denique docet Bellarminus: sicut Martyr sine purgatorio rectà volat in cœlum, sic pœnitens aliquando ex perfecta contritione, ardentique in Deum amore, odioque peccati, consequitur non tantum abolitionem culpæ, sed etiam omnis pœnæ, scilicet æternæ, & temporalis. Talis Martyr Petrus exstitit, dum flevit amarè: quam doleo, clamat, O mitissime Jesu, quod offenderim te! quam doleo! quoties plateas curiæ illius: quoties domum Caiphæ: quoties atrium Pilati: quoties summum Pontificem, quoties ancillam aliquam, quoties militem videbo, flebo. Ita Petrus; sed quid nos? O si tales Martyres simus.

Bellarmin lib. 2. de gemitu columbæ.

Dic mecum, quisquis es: O Deus meus: *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Anno 1. ætatis meæ, ad 12. ab hoc deinceps: cur tibi toties injurius fui? cur si non verbo, saltèm facto negavi, petnegavi? hæccine te tributio, pro tot, tantis, tamque benevolè effusis in me donis naturæ, donis gratiæ? utinam scindatur, conteratur cor meum, immani dolore? O si gladius ille transadigat penitissimè omnem animam meam, iterum, iterumque, & centies, & millies! quoties plateas illas obambulabo, ubi scelus meditatus sum, recogitabo scelus meum in amaritudine animæ, recogitabo omnes fæditates meas, quoties domum illam contuebor, quoties atrium, cubile ingrediar, *lavabo per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo*. Quoties illam ancillam, talem amasiam aspiciam, quoties scorti illius recordabor, ex intimo cordis contriti affectu exclamabo: *væ tempori illi, quando non amabam te, & in formosa deformis irruebam*.

Isa. 38. 15. Praxis ad contritionem veram de peccatis excitandam.

Psal. 50.

Aug. cit.

Ergone toties, & tam graviter læsi majestatem illam summam, bonitatem infinitam, quæ me ingratissimum, vilissimum, indignissimum ab æterno amavit, in tempore tot beneficia contulit: me toties augustissimo corpore, & pretiosissimo sanguine pavit: *serò te amavi pulchritudo tam antiqua, tam nova! serò te amavi!* O si rumpatur pectus, & cor, amarissima contritione! O si totus [illegible] in amoris victimam, & holocaustum spiritu contriti, & contribulati convertar! hoc Dei donum est, hoc ego vestro nomine, & vos meo postulate. Amantissime

Jesu, illum ego oculum peto, quo Petrum respexisti, quo Paulum, quo Augustinum illuminasti, non peto ut cœlo descendas: hoc iter nimis longum est, ut nova itinera in Ægyptum, aliòque initiatuas; hoc nimis molestum est: ut rursus jejunes 40. dies, & noctes, hoc nimis strictum est, ut subeas concionum & precum labores, nimia hæc defatigatio est: non peto ut iterum in hortum subeas, & sudes sanguinem, & aquam, tristitia illa nimia est: ut à Juda prodatis, à militibus vinciaris, hoc nimis indignum est, ut alapâ apud Annam, multis injuriis apud Caipham lacessaris, hoc nimis ignominiosum, ut toto corpore dilanieris, in crucem clavis ferreis configaris, hoc nimis crudele, nimis truculentum, & immane est: sed unicum peto, quod non negabis petenti, supplicanti, obtestanti, unicum illum nutum, & nictum oculi, quem ad Petrum convertisti, tunc fluent lacrymæ, tunc conteremur, tunc sacrificabimus tibi: *sacrificium Deo spiritus contribulatus*, COR CONTRITUM, *& humiliatum Deus non despicies*.

Psal. 50.

Immisce lamentis Petri votum, quo desiderat periisse fluctibus, aut naufragio, dum piscandi mechanicam cum patre, & fratre artem exercebat; tum saltem insons periisset. Vel ut in famulatu Christi mori licuisset, exoptat haustus fuisse illis procellis, quibus Christo dormiente agitabatur navis, & clamabant Apostoli: *Domine, salva nos, perimus*, tum & innocens, & Christi Apostolus occubuisset, vel ut felicissime suisset mortuus, cum mergi cœperat, Domino super aquas ambulante, tum enim in Christi gremio mori potuisset. Sed de contritione aliàs fusiùs egimus 1. parte cœli empyrei, festo cathedræ sancti Petri.

Matth. 8

§. II.

Alterum, quod IN AUGUSTINO *deprædicandum, & exaltandum, est* COR HUMILIATUM.

Psal. 50.

Maximus orbis Doctor, in suis oculis minimus Augustinus, saluberrimum ac pulcherrimum quod omnibus tradit documentum, ipseomnium virtutum, ac sanctitatis jecit fundamentum, dum ait: *Magnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de* FUNDAMENTO PRIUS COGITA HUMILITATIS: *& quantam quisque vult, & disponit superimponere molem ædificii, quanto que erit majus ædificium, tantò altius fodit fundamentum*. Magnum & excelsum Augustino exstruendum erat ædificium; sed & pro zelo suo, summum Ecclesiæ collapsæ instaurandum fastigium; hinc tantò altiùs, ac profundius humilitatis fodit fundamentum: quantò demissius in terram egit radices, tanto latiùs orbe toto, virtutis, ac doctrinæ suæ, suæque sanctissimæ familiæ propagines diffudit, juxta illud Maronis:

Aug. serm 10. de verbis Domini Deprædicatur D. Augustini Cor humiliatum.

Humilitas omnium virtutum fundamentū.

--Quan-

Virg. 4. Æneid. *- - - Quantum vertice ad auras Ætherias, tantum radice ad tartara tendit.*

Quod autem fundamentum est in domo, hoc cor est in ædificio mystico, quod *humiliatum*, teste Psalte regio, *Deus non despiciet*.

Ex corde hoc humiliato, quanta, quam stupenda, divi Augustini interior, & exterior demissio, abjectio, contemptus sui exstiterit, in tanto doctrinæ, dignitatis, & sanctitatis fastigio, ex hoc Bernardi colligere est: *Magna prorsus, & rara virtus humilitas honorata*: Eam in hoc omnium præsulum maximo, si non imitari, saltèm venerari poteftis, & in has voces io ecum prorumpere: *quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloriâ nescit!* in quo honores, ut passim fit, non mutant mores, ut nec ille, nec suos norint. Quibus illustri exemplo fuit S. Thomas de Villa nova.

Bern. serm 4. super Missus. *Bern ibid* Rara virtus humilitas in viro honorato. *P. Ioan. Rho varia virtutum hist. lib. 7. c. 10. §. 12.* Humilitas S. Thomæ de Villanova.

Hic, ut proxima honoribus est magnorum Principum, ac Regum familiaris quædam consuetudo, conspici in aula, admitti intra velum, amicum audire, fortunæ principalis partem arbitrantibus, timebat sibi Villa nova, nondum Archiepiscopus Valentinus ab hoc aulæ afflatu, ne corrumperetur. Itaque, cum post generales ad Carolum Cæsarem conciones, ne quidem salutato, ab aula discederet, ac monitus ab amicis Cæsaris, eum carum esse, non debere ab eo adeundo abstinere; nihil sibi cum Cæsare rei esse respondit, magnorum Principum breves horas, quas publicis negotiis vix pares habent, à religiosis hominibus, nisi velint in sua & publica peccare commoda, non deberé inanibus hisce officiorum adhuc accidi, ac contrahi; si quando, ipse reipubl. opus esset, posse Cæsarem evocare. Hanc hominis modestiam Archiepiscopatus non infregit, sed extulit, ut altiori è loco omnibus conspiceretur. Sedente illo in Episcoporum, ac nobilium coronâ, adsuit patria è villa patruus succinctus, & linteo, more gentis, caput obvolutus ridiculum in modum. Assurgens ilico Thomas, bonâ Præsulum veniâ atque in amplexus ruens, de patria, deque consanguineis nonnulla percunctatus, servos ei jussit adesse, ac fessum de via recreare, seque Præsulibus reddidit, admirantibus viris illis prudentissimis, magni Antistitis solidam modestiam, & ratam prorsus virtutem, virtutem honoratam, quæ vilem generis sui originem libentissimè profiteretur.

Bern. cit. *Non magnum est, esse humilem in abjectione*, mendicum, pauperculum: vilem ancillulam, non se efferre, abjectum etiam, aut stupidum monachum cathedras, aut infulas non ambire. *Sed magna prorsus, & rara virtus, humilitas honorata*; quæ duo, summus honor, & infima humilitas, ut valde rara, ita maximè præclara in hoc divinissimo Præsule excelluere; contra ac indies videre est, ubi homines viles, & ignobiles, vel ingenio clarescere, aut aliis naturæ dotibus eminere incipiunt, vilitatis, ac paupertatis suæ, originis, & conditionis veteris immemores ristulis & honoribus intumescunt ac adeptâ gloriâ iosolescunt: quod & in religiosis viris apis Claravallensis, non sine aculeo perstringit: *Videas*, inquit, *plerosque de ignobilibus nobiles: de pauperibus divites factos, subitò intumescere, pristinæ obliviscì abjectionis, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes. Audiant quotquot tales sunt*, Augustinum pontificia dignitate illustrem, naturæ, ac gratiæ dotibus florentem, summæ humilitatis sibi magistrum propositum.

Viles homines honoribus iosolescunt. *Bern. serm 4. super missus.*

Magna prorsus & rara virtus humilitas cum summa scientia, quæ passim inflat, copulata. Hanc in mirabili hoc viro mirare, & imitare: *Desiderium*, inquit, *charitatis vestræ à me exigit debitum sermonis officium; sed tanta sunt quæ me terrent, & revocant animum meum, ut fiyelimus parere desiderio vestro, non sit sine periculo nostro. Primum, quod juvenis loqui cogor præsentibus senibus: deinde temerarium esse arbitror* LOQUI VELLE IMPERITIAM, *inter eos, quos roboravit antiqua doctrina. Optabam ergo silentio præterire, & illum locum tutissimum eligere*, AUDIRE POTIUS, QUAM ALIQUID DICERE.

Rara virtus humilitas in viro summe docto, quæ in S. Augustino excelluit. *Aug. serm. 46. de tem pore Dom. post Octav. Epiph. & 4. ante cib bont. S. Aug lib. de 8 quaest. ad Dulcitium q 3.*

Jamque ætate grandior, omnis scientiæ peritissimus, potiùs discere gestit, quàm docere, ut ad Dulcitium suum disertis verbis scribit: *Ego, quod confitendum est charitati tuæ, plus amo discere, quàm docere*; quam utinam lectionem scioli nostri haurirent, qui ubi manum ferulæ subduxerunt, & jus à limine salutarunt, norunt tria verba latinè, se solos sapere arbitrantur, sepiæ cæteris omnia nosse, reliquos omnes, syndicos, causidicos, senatores, fungos, stolidos, bardos, blennos arbitrantur; audiant ejusmodi, quam longè, & remoti sint à prima veritate, & æternæ filii Dei sapientiâ: *Quoniam magnus es tu, Domine, & HUMILIA RESPICIS: excelsa autem à longe cognoscis: nec* APPROPINQUAS NISI OBTRITIS CORDE, NEC INVENIRIS À SUPERBIS.

Aug lib 5 Conf c 3.

Quàm autem appropinquarit Augustinus corde contrito & humiliato, ex dicendis patebit. Secesserat in interiora deserti, ut sibi, Deoque vacaret impensiùs, liberâ turbis, & strepitu populorum in ea solitudine, non tamen liber à pauperum cura, quos humili tecto, & angusta sua cella excipiebat, reficiebat, recreabatque. Probata cælo ea charitas, & tanti viri humilitas; probata & Christo Salvatori, qui ut eam experiretur, peregrini habitum induit, cellulæ fores pulsavit, excipi petiit, ac refocillari, velut itinere longo exhaustus, atque confectus.

Lancilot. in vita 4 cap. 15.

Hic opportunam occasionem nactus, hospitem illum suum benignè excepit, amplexu dignatus est; quin & suis sacris manibus pedes lavit, & exosculatus est, charitate magna, demissione majore. Et hæc, & illa, cum tanto hospiti (id est Christo) mirè placuisset, sic ad illum: MAGNE PATER AUGUSTINE, *filium Dei in carne hodie videre meruisti; tibi commendo Ecclesiam meam.* Dixit, & evanuit. Quæ io humili, pri-
varaque fortuna Augustinus, eadem, & majora in infula, pedoque. Nactus erat Episcopatum Hipponensem omnino pinguem, atque opimum: cujus scilicet annui reditus censerent quadraginta scutorum millia: è quibus nihil in sumptus aulicos, nihil in pompam inanem, nihil in amicos derivari umquam est passus; sed quid-

quidquid suæ, & suorum sustentationi superfuit, in pauperes effudit, ea profusione, ut cùm e paupere penu nihil pecuniæ superesset, etiam calices, & Ecclesiæ vasa conflari juberet, atque pauperibus erogari. Ita nimirùm altè in animum admiserat illud Ambrosii: *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget.* Nobile effatum, & dignum Ambrosio, cujus amans, observansque Augustinus, & illud jactare solebat: *Non est Episcopi servare aurum, & revocare à se mendicantis manum.* Hæc Præsul Hipponensis, quem utinam audirent infulati Patres; non ea esset in pletisque, vel auri fames, sitisque; vel in amicos, propinquosque effusio: vel in pompam, & ostentationem prufusio; sed ipsi, & nos doctrinam ejus quam tradidit, & à Christo hausit, sectaremur: *Ille*, inquit, *cui omnia tradidit Pater, non dicit: Discite à me mundum fabricare, non cuncta visibilia, & invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare; sed discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. O doctrinam salutarem! ô magistrum, dominumque mortalium! quibus mors poculo superbiæ propinata, atque transfusa.*

Ambr. lib. officior. 28.

Augustin. serm. 49. de divers.

Augustin. serm. 10. de verbis Dom.

Nôrat divinus hic Antistes, periculosum ex alto casum, & exitum magnorum exitium esse. Unde exstat hoc illius salutare monitum ad Valerium: *Ante omnia peto, ut cogitet prudentia tua, nihil esse in hâc vitâ, & maximè in hoc tempore faciliùs & latiùs, & hominibus acceptabiliùs, Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè, atque adulatoriè res agatur; sed nihil apud Deum miserius, aut tristiùs, & damnabiliùs. Item nihil esse in hac vitâ, & maximè hoc tempore difficiliùs, laboriosiùs, periculosiùs, Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio; sed apud Deum nihil beatiùs, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet.*

Aug. epist. 148. ad Valerium.

Quod profectò suo ipse exemplo docuit, maximè pertimescens, dum ordinationis suæ tempore, in amarissimas lacrymas prorupit: *Periculosissimum, inquam, judicabam hoc ministerium, & hinc erant lacrymæ illæ, quas me fundere in civitate, ordinationis meæ tempore nonnulli fratres animadverterunt.*

August. in sad epist.

Rara virtus, & raræ lacrymæ ab ordinandis effusæ. Memor quoque Evangelii: infimum locum elegit, ut scribit de communi vita Clericorum serm. 1. *Elegi*, inquit, *in domo Dei mei abjectus esse magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Ab eis, qui diligunt sæculum, segregavi me. Nec in convivio Domini mei superiorem locum elegi, sed inferiorem & abjectum: & placuit illi dicere, ascende sursum. Usque adeò autem timebam Episcopatum, ut* QUONIAM CÆPERAT ESSE ALICUIUS MOMENTI *inter Dei servos fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illò accederem, cavebam. Et hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili salvarer, nec in alto periclitarer*; quod utinam filii hujus sæculi, ambitione tumida, & superbia inflati attenderent, qui nequiter se humiliant, ut exaltentur: ad infima obsequia, pedum oscula se dimittunt, mille studiis, machinis, molestiis, vexis, etiam per aureos gradus, potentum sibi gratiam aucupantur: è quibus unum sic ironicè illudit Bernardus: *Age ergò, festina multiplicare præbendas: inde ad Archidiaconatum evola; deinum aspira ad Episcopatum, ne*

August. de com. vita Cler. serm.

Bernard. declamat. Escenes

ibi quidem requiem habiturus; quoniam sic itur ad astra.

reliquimus omnia.

Hæc ubi irrisoriè præfatus est, ita aculeata voce mellifluus Doctor ejusmodi hominem perstringit: *Quò progrederis miser? an ut ab altiori sit casus gravior? neque enim sic paulatim decides, sed tamquam fulgur, in impetu vehementi, quasi alter satanas, subitò dejicieris.*

Ibid.

Hæc secum, humili corde, seriò expenderat sanctissimus Præsul, unde velut à præcipitio sibi metuens, pertrahi violentè debuit, ut ad Valerium scribit: *Vis mihi facta est meritò peccatorum meorum* (nam quid aliud æstimem, nescio) *ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur*, (nempe post Episcopum) *qui remum tenere non noveram.* Planè rara virtus humilitas honorata.

August. epist. 18. ad Valerium.

Quid ad hæc, honorum cupidi mortales? an oculatum hunc Doctorem cæcutiisse putandum est, nec dispicere potuisse, quàm ancipiti loco Præsules, ac Magnates consistant? ex humili solo, æternos in cælis honores quærendos esse? *O perversitas! ô abusio filiorum Adam!* exclamat Bernardus: *Quia cùm ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi & leviter ascendunt, & difficiliùs descendunt, parati ad honores, & celsitudines graduum Ecclesiasticorum, ipsis etiam angelicis humeris formidandos.*

Bern. ser. 2. de Ascens. Dom.

Qualem autem se gesserit in Episcopatu, ad ruborem multis excutiendum, qui ad purpuram non erubescunt, & quærunt sericis, & attalicis vestibus magnificare fimbrias suas, sic pro suggesto, communitati, quæ pretiosas sibi vestes offerebat, palam eloquitur serm. 2. de vitâ Cleric. *Volo talia offerat sanctitas vestra, quibus quasi ego solus decentior utar. Offertur mihi, verbi gratia, vestis pretiosa; fortè decet Episcopatum, quamvis non deceat* AUGUSTINUM, *id est, hominem pauperem, de pauperibus natum. Si ea mihi datur, vendo, & erogo pauperibus: si hoc eum delectat, ut ego habeam talem, det, unde non erubescam: fateor enim vobis, de* PRETIOSA VESTE ERUBESCO, *quia non decet hanc professionem, hanc admonitionem, hæc membra, hos canos.*

August. de vita Cleric. ser. 2.

Quæ, & quanta non sunt, in hac brevi & publicâ celeberrimi Africæ Antistitis, & Ecclesiæ sublimissimi, ac subtilissimi Doctoris, humilis cordis argumenta? vestem etiam oblatam, quâ ipse Hipponensis Ecclesiæ Antistes, Doctor Doctorum, & celeberrimus per universum orbem Ordinis fundator, præ cæteris fratribus *solus decentior incederet*, non admisit.

Vestis pretiosa, inquit, *decet Episcopum, sed non Augustinum*; si decet Episcopum vestis honorata, si famuli, si rheda, si aurea peristromata, &c. *Cur non Augustinum?* causam nôstis? quia humilitati ejus non congruebat, qua etiam ad pretiosam vestem, non magis, quàm vir honoratus ad vilem lacernulam erubesceret; sic enim ad honestiorem sibi vestem oblatam exclamavit: *Det, de quo non erubescam: fateor enim vobis de pretiosa veste me erubescere.*

Ubi nunc Augustino similes Prælati? plures profectò nunc reperire est, in quos cadat illa divi Prosperi severa, sed vera censura: quòd nunc in Prælatorum domibus, Christus eludatur; quod liberè Patriarcha Venetus pro-

Laurent. Iustinian. lib. de triumphali Chr. agone c. 13

nuntiavit: *Vbi ergo, mutato habitu illusus est Christus? nonne in domo Regis Herodis, & Pilati præsidis? Iam attende palatia Præsulum: ponunt signa sua signa: sericis apparatibus ornantur, pretiosis vestibus induuntur, famulorum vallantur multitudine, & quod sine mœrore dici non potest* DOMUS QUÆ EGENORUM ESSE RECEPTACULA DEBENT, IMPERATORUM PALATIA IUDICANTUR; dum in domibus Prælatorum, quasi in domibus regum, luxus vestium, famulorum catetva, salutantium turba, convivantium frequentia dominatur, & pauper fame moriatur. Illud certè patet in illis, de quibus Hieronymus ad Eustochium: *Omnis his cura de vestibus, ut bene oleant, & pes laxa pelle non folleat; crines calamistri vestigio notantur, & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cum videris, sponsos magis existima, quam Clericos.*

Hieron. ad Eustochiũ.

Quis dicet non illudi Christum humilem, & contemptui haberi, in eo ornatu, quem describit Prælatus Claravallensis, in fimbrias, caligas, calceos, pileos, ad mores sæculi: *Inde, ut, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus: inde aurum in frenis, sellis, & calcaribus, &* UT PLUS CALCARIA, QUAM ALTARIA FULGEANT; sed de his satis, superest nunc non levis controversia.

Bern. serm. 30. in cant.

UTRUM D. AUGUSTINUS HUMILIOREM SE PRÆBUERIT IN LIBRIS CONFESSIONUM, AN IN LIBRIS RETRACTATIONUM.

Alegambe in Biblioth. Script. Soc. Iesu.

Franciscus de Mendosa, nobilis genere & calamo Scriptor, Orator disertus, Doctor eximius; cujus virtutum prima (quæ Sanctorum solet) humilitas fuit, & sui despicientia; hic solidè, & solerter hanc quæstionem discutit.

Inter alia felicissimi ingenii monumenta, quæ inter Doctores sanctissimus, & inter sanctos doctissimus Augustinus lucubravit, duo sunt librorum genera, quæ in primo ejus tomo circumferuntur; unum *Confessionum*, *Retractationum* alterum, sublimi & subtili scientiâ tot voluminibus, ad universam Ecclesiam illustrandam, elaboratum. In illis sublimitatem sui ingenii ostendit; in his humilitatem sui animi demonstravit: Quantum verò errorum, illa ingenii sublimitas ab Ecclesia dispulit, ac removit; tantum fortasse vitiorum hæc animi humilitas evulsit, ac extirpavit, quam, quis propè assequatur, aut dignè prosequatur non invenio: quid enim genio humano fortius obluctans, quam virum sanctum, Sacerdotem magnum, Pontificem toto orbe celeberrimum, delicta juventutis suæ, & fœdas adolescentiæ suæ sordes, palam confiteri? quid ingenio mortalium potentius repugnans? quam Doctorem, & communẽ omnium magistrum, suam profiteri ignorantiã, & errata revocare? & ne ulla pars humilitatis non solum maximè inter sanctissimos præclaræ, sed & inter doctissimos raræ, defuisse in utroq; genere videretur, tam publica, quam occulta, gravissima, & minutissima, juvenilis ardoris delicta, quam ignorantiæ errata, non quidem clam, & in aures sub sacro sigillo, sed palam & in tectis prædicavit. Imò non solum verbis, quæ prætervolant, sed scriptis & typis, quæ æternum

Stupenda Augustini humilitas in libris Confessionum & Retractation.

durant, suam confessionem, & retractationem evulgavit; ut non solum præsentes, sed etiam absentes; non solum jam ad natos, sed etiam ad nascituros illa pervenirent: & quamdiu in terris Augustini memoria vigeret, tamdiu & nequitiæ, & ignorantiæ Augustini haberetur; qua major excogitari, aut inveniri in ullo Sanctorum non potest humilitas: certe *ne ipsa quidem sublimitas ingenii, quá viguit Augustinus, majorem excogitaret*; sic ut duobus his libris Confessionum & Retractationum, non minus orbi Christiano, exemplo sine exemplo veræ & heroicæ humilitatis, & sanctitatis, quam luculentis suis voluminibus contra Hæresiarchas, & pestes Ecclesiæ, veritatis, & in concionibus suis inflammandis animis, charitatis contulerit. Nunc an ab hac, an ab illa magis mirandus, & deprædicandus sit, paucis videamus.

Probatur 1. humilior fuisse in libris Confessionum.

Ac primum quidem, humiliorem se præbuisse peccata sua palam confitendo, enormem se omnibus peccatorem declarando, exemplo Christi, *mitis humilisq; magistri*, probari poterit, qui ut profundissimam ab ipsis incunabulis, ad infamem mortis crucem in omnibus sectatus sit; nullam tamen majorem, acerbiorem, nec etiam subllimiorem, & excellentiorem exercuit, quam dum *cum iniquis reputatus est*; quia nullam majorem ignominiam, quam speciem peccatoris subire poterat; & consequenter, nullum majus humilitatis specimen præbere. Unde cũ D. Paulus ejus humilitatem admiraretur, quia *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*, Divus Bernardus quid amplius notavit: *Non solum formam servi accepit ut subesset; sed etiam* MALI SERVI, *ut vapularet.* Quæ ignominia mali servi, & peccatoris, ipsis truculentis flagris erat acerbior; quod turpissimum stigma ei jam, à prima ætate, in ipsa circumcisione inustum, supplex idem Doctor veneratur, & admiratur: *Ipsa die* (nativitatis,) *minoratus est ab Angelis, & habitu inventus ut homo; hodie verò mirabilius aliquid audio: jam minoratus est multo minus ab Angelis qui non solum formam hominis, sed* FORMAM HABET PECCATORIS, ET INFIGITUR VELUT QUODAM CAUTERIO LATRONIS; qua major sub cælo ignominia non potest excogitari; & consequenter, hæc est quasi extrema humilitatis linea.

Isa. 53.

Philipp. 2.

Bern. serm. de Passione

Idem ser. 3 in circumcis.

Probatur 2. major est humilitas, majores defectus confiteri: nam, si teste Divo Thoma, ad humilitatem spectet, proprios defectus cognoscere, unde homo utiliter erubescit, & sibi vilescit; quantò magis eos aliis manifestos reddere.

S. Thom. 2.2.q.161 art. 2.

Sed peccatum est major defectus, quam ignorantia, quia per peccatum homo magis deficit, à fine suo, quam per ignorantiam, cùm injustus salvari non possit, indoctus possit, ut ipse Augustinus testatur: *Surgunt indocti, & cælum rapiunt: & nos cũ doctrinis nostris sine corde, volutamur in carne & sanguine.* Ergò major est humilitas in confitendo peccato, quàm fatenda ignorantia. Hoc vel ipsis sacris paginis, & quotidiana experientia comprobatur, dum in excusatione peccati, passim ignorantia prætexatur. Sic videmus dum quis de peccato arguitur, plerumq; suam allegat ignorantiam, dicens: non putabam hoc ... esse

Augustin. lib. 8. Confess. cap. 8.

esse prohibitum, non sciebam hoc malum esse, ignorans feci; Sic primi parentes nostri se excusarunt, & Eva suam ignorantiam libens confessa est: *Serpens decepit me*; & Cain rogatus à Deo, ubi esset Frater ejus Abel? respondit, *nescio*. Ergo magis de suo peccato, quam de sua ignorantia confunduntur. &c.

Gen. 3.

Cum igitur bonum famæ, & boni nominis, etiam vita & sanguine, ut indies videmus, homines tueantur, quis satis aliè de profunda humilitate Augustini, disertissimi Oratoris; sanctissimi Præsulis, ac divinissimi Doctoris sentiat? quia omnia delicta juventutis, partim secreta solo Deo teste commissa, partim diuturnitate temporis è memoria ablata, & paucis nota; partim eximiâ posterioris vitæ sanctitate penitus cooperta, & quodammodo sepulta, cumq; jam non Hipponensi dumtaxat urbi, sed conciliorum Patribus, ac ipsis summis Pontificibus, totique orbi summa doctrinæ & sanctimoniæ fama floreret, omnia flagitia sua detexit, prodidit, manifestavit, non quidem ad memoriam tantũ temporis præsentis, sed etiam ad recordationem posteritatis, sempiternam. Certè adeò singulare fuit hoc humilitatis exemplum, ut nullũ aut esse, aut fingi posse excellentius videatur.

Omnes actus humiliationis, quibus viri sanctissimi excelluêre (& sacro Ecclesiastæ adducendos, relinquo) sive coquinam exercendo, sive stabularium agendo, sive pedum & mithram pedibus proterendo, unde & sanctitatis titillatio, & inanis gloriæ umbra etiã humani aliquid afflare potuisset, nihil ad hanc demissimi, & suavissimi Patris humilitatem conferri potest.

Una hic dumtaxat non levis objectio, contra politicos, & filios hujus sæculi, dissolvenda est.

An contra honorem Sanctorum, eorum vitia manifesta esse?

Admodum delicatæ sunt quorundam hac ætate aures non sæcularium dumtaxat, sed & religiosarum animarum; ita ut nolint sive inter dicendum, sive inter scribendum recenseri, quæ aliquando sanctis Dei, per prioris ignorantiæ desideria, aut humanæ fragilitatis lubricũ, delicta contigerint: id enim nõ aliud esse pronuntiant, quam cum Chamo, patris turpitudinem revelare & omnem eorum sanctitatem, fœditate anteactâ obscurare, ac præclaram quam de iis Catholici, imò vel ipsi heterodoxi, æstimationẽ habebant, contemptui & ludibrio exponere.

Hæc & Scripturæ testimoniis, & Patrum auctoritate, & Sanctorum exemplis solidè refutantur.

Deus ipse voluit in sacris paginis prostare plerosque ac gravissimos Sanctorum lapsus. Sanctus est Adam, & citra dubium, cælo illatus, ut Irenæus, Augustinus, aliique Patres. Idem de Eva, viventium omnium matre dicendum est.

Irenæus lib. 3. c. 24 Augustin. epist. 99.

Hoc igitur primorum parentum, quod ut D. Augustinus, & communis Ecclesiæ consensus habet, *non debet quis leve existimare, ac parvum fuisse commissum: nam præceptum Dei, tanto majore injustitia violatum est, quantò faciliore posset observantia custodiri*; quod Scriptura non tacuit, nec Patres presserunt, nec desinunt divini Verbi præcones è cathedris evulgare.

Aug. lib. 13. de Civit. c. 12.

Davidem quis ignorat, divino suffragio non semel ab insigni sanctitate collaudatum? Tanti tamẽ viri, & omni encomio Superioris peccata, nec sanè minuta, sed multa, & gravia, in scripturis expressa habemus. Mitto alios & alias.

In novo Testamento magister Spiritus sanctus, voluit insigniorum Sanctorum gravissima exarata delicta posteris exstare. Sic principem Apostolorum, caput Ecclesiæ, Petrum negantem, & pejerantem, turpissimum Apostatam inducit. Sic Thomæ incredulitas, & pertinacia, Zacchæi scelera, Matthæi publicani, & usurarii, boni latronis lattocinia, ac blasphemiæ in Christum, palam sacro textu enarrantur. Quæ cum acerrimè criminaretur Faustus Manichæus, & inde inferret, vetus Testamentũ non esse à Deo; quod Lothi, & Judæ Patriarchæ scelera in eo describantur. Sic eum redarguit Doctor irrefragabilis: *Non modò non decolorare scriptura veritatẽ, verum etiam laudandam, diligendamq; commendare, quod tamquam speculi fidelis intor, admotarum sibi personarum, non solum quæ pulchra atque integra, verum etiam quæ deformia, vitiosaque sunt, indicat.*

S. August. lib. 22. contra Faustum cap. 60.

Nunc quod magis mirum videbitur, sancti suas ipsi noxas, & linguâ, & calamo evulgarunt: Paulus vas electionis, cui iterum magnum Augustinum comparo, Paulus antea Saulus, non solum *lupus rapax*, & *spirans minarum* ab aliis describitur, sed & seipsum turpissimè depingit, dum se peccatorem, abortivum Apostolorum minimum, nec eo nomine dignum pronuntiat, & Ecclesiæ persecutorem palam prædicat, & scriptis litteris evulgat: *Venit peccatores salvos facere, quorum ego primus sum &c.* 1 ad Cor. 15. v. 9. *Novissimè autem omnium* TAMQUAM ABORTIVO, *visus est mihi: ego enim sum minimus Apostolorum,* QUI NON SUM DIGNUS VOCARI APOSTOLUS, QUONIAM PERSECUTUS SUM ECCLESIAM DEI. Alibi se blasphemum, & contumeliosum dicit: *Prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus.* Alias se reputat *Sanctorum*, id est fidelium, *minimum*.

Sancti sua delicta manifestarunt, & quis inde fructus?

1. ad Timoth. 1. 15

1. ad Cor. 15. v. 9.

1. Timoth. 1. v. 13.

Chrysostomus hic profundam Pauli humilitatem mirificis laudibus extollit: PAULUS *ille* HUMILIS ERAT, *cum diceret: mihi* OMNIUM SANCTORUM MINIMO *data est gratia hæc. Ego sum minimus Apostolorum*, QUI NON SUM DIGNUS VOCARI APOSTOLUS. *Cogita quisnam esset is, qui hæc verba proferebat. Paulus cælorum civis, Ecclesiarum columna, terrestris Angelus, homo cælestis.* Quàm magna, quàm præclara, quàm *rara prorsus virtus, humilitas honorata*, cum tanta dignitate, & sanctitate conjuncta? Optimè hoc prospexit agens de S. Cypriano quondam mago, encomiastes ejus Nazianzenus, qui sic præmunit expositionem nefariorum criminum, maleficiorumque Cypriani: *Dicam porrò quæ prior ipsius vitæ ratio fuerit, quæ salutis via, quæ vocatio, quæ in meliorem vitæ statum mutatio. Equidem eos admodum ignavi atque abjecti animi esse existimo, qui rerum minus laudabilium commemoratione, Martyri contumeliam inferri arbitrantur. Hac enim ratione nec magnus ipse Paulus laudem mereatur, & Matthæus in sceleratissimorum hominum numero habendus fuerit, ac noster etiam Cyprianus: quippe cum & ille pristinarum suarum persecutionum & & commutationis zeli mentionem faciat; ut videlicet ex utriusque collatione, Dei beneficentiam magis concelebret. Et alter in discipulorum enumeratione,* PUBLICANI *cognomentum sibi*

Chrysost. hom. de pœnit. & mœstitudine Achab.

Nazianz. orat. 18.

sibi ipsi, perinde ac aliud quoddam nobilitatis insigne, & ornamentum adjungat. Ac denique hic superioris vitæ turpitudinem longâ oratione proscindat, ut ipsam quoque scelerum confeßionem, Deo muneris loco offerat: ac multis eorum, qui ab improba & flagitiosa vivendi ratione animum revocant, ad melius sperandum, via existat.

Augustini humilitas cum ea Pauli cõparatur.

Hæc, quis non videt, vel me tacente, maxima humilitatis infimæ, Doctori nostro, divo Augustino propriissimè convenire, qui inter peccatores se primum, id est maximum: se Manichæum, & persecutorem Ecclesiæ: se dignitate pontificali indignum, se ad clavum positum, ne dignum sedere ad remum, palam omnibus fatetur: sic enim quàm demississimè de se sentit; *Vt ego peccator primus, & ultimus, insipientiorque cæteris, & imperitior universis, te, ut sanctitatis, & justitiæ viam pergas, crebrioribus audeam literis admonere, non sapientiæ peritia, non scientiæ gloria, sed sola tua charitatis causa compellit. Quæ me peccatorem, & ignarum pariter ad dicendum ita hortatur, & provocat, ut cum loqui nesciam, tacere non poßim.*

Aug. tom. 9. de vita beata in prologo.

Cogita nunc, *quisnam esset is;* Augustinus, *inter doctos sanctißimus, inter sanctos doctißimus,* & cum esset vir tantus, incidit velut probrorum suorum antiquorum columnam, quem Abbas Rupertus meritò appellat *columnam veritatis, columnam nubis, in quo thronum suum posuit divina sapientia.*

Ruper. l. 7 de operibus Spiritus sancti cap. 19.

Cogita, si hoc exemplum non moveat, qualis fuerit Thomas de Villanova, utique præsul dignissimus.

P. Ioan. Rho varia virt. hist. l. 1. c. 3. §. 1.

Hic Sacerdotem corruptissimæ vitæ, sæpius nequicquam monitum, domesticam in proseucham evocaverat, gravibusque verbis tunc maximè castigabat cum repentè obortis lacrymis succlamat: *Meum hoc crimen est profectò: meum est, qui tam diu sonti pepercerim.* Hæc ingeminans, abjecto cucullo, exertus tunica humeros, nudato tergore, prompto in id flagello, acriter se pulsare, sanguinemque crebrò cum gemitu, & lacrymis ciēre, ac preces ardentissimis vocibus ad Christum fundere, ante cujus cruci suffixam imaginem hæc agebantur. Dederat hominem in stuporem tam inopina Episcopi charitas, & rara humilitas, qui extorto illi è manibus flagello, vitæq; in melius commutandæ promissis ingentibus, ne in se ultrò sæviret, exoravit Et præstitit dictis fidem. Qui enim posset fallere illa tanti præsulis, aliena delicta sua ducētis demissione, illo fulmine orationis, illo flagellorũ tonitru perculsus, ut pallorem, trepidationemq;, sexto vix demum mense posuerit. Quin tu potius propria fatere delicta, & ea lacrymis, ac sanguine eluere satage. Appositè Guerricus: *Vtinam fratres mei: utinam nos illam haberemus humilitatem, in peccatis nostris, quàm verè sancti habuere in virtutibus suis!*

Rara per humilitatem S. Thomæ de Villanova, peccatoris conversio.

Guerricus serm. 1. in purif. B. Virg.

Alios eximios sanctos, qui sua scelera, & delicta juventutis propalarunt, vide apud Lanciciũ opusc. Spirit. l. 8. c. 4. de quærenda humilitate. Quanta verò ex hac manifestatione, & publicâ confessione criminũ utilitas, & fructus redundet, D. Ambr. eleganter edisserit, in priore Davidis Apologia c. 2. ubi ostendit, si nulli sancti lapsi fuissent, nos illos, ut divinos homines, & quasi alterius, à communi nostra massa concretionis, extitisse, nec ullam nobis spem post lapsũ esse resurgendi arbitraremur: *Nam,* inquit, *si inoffensum à vitiis, inter tot lubrica hujus sæculi, curriculum peregissent, dedissent nostris occasionẽ infirmitatibus æstimandi, cujusdam superioris eos naturæ, ac divinæ fuisse, ut delictum recipere, & culpæ consortium habere non possent. Quæ opinio utiq;, ut exortos nos illius substantiæ, ab impoßibili imitatione revocaret. Præteriit igitur illos paulisper Dei gratia, ut nobis ad imitationem, vita eorum fieret disciplina: & sicut innocentiæ, ita & pœnitentiæ ministerium de eorum actibus sumeremus.*

Utilitas & fructus ex manifestatione & publica confessione criminum.

1 Fructus ut ad spem, generandi, sanctorum exemplis erigamur. Ambr. in Psal. 50

Alter fructus est, ut eorum lapsu nos cautiores evadamus: nam si sancti, & quasi cedri Libani, lapsi sint, qui stat, videat ne cadat; ut rectè monet idem Doctor, agens de invidia fratrum erga Josephum: lib. de Joseph. c. 1. *Quod si invidia etiã sanctos adußit, quantò magis cavendum est, ne inflammet peccatores,* quod si temulentia Nœmum, virum justum, Lothum decepit, quantò magis cavendum est, ne symposiis, & temulentiæ addictos, de statu mentis dejiciat; si luxuria Samsonem, Davidem, Salomonẽ, *sanctos adußit,* quantò magis cavendum ne petulcos, lascivos inflãmet peccatores? Idẽ argumentum divinissimè more suo prosequitur Augustinus, de Davide palam professo: Quia *peccatum meum contra me est semper,* ubi sic ait: *Non cadendi exemplum propositum est, sed si cecideris, resurgendi; attende ne cadas. Ad hoc propositum est, ad hoc scriptum est, ad hoc in Ecclesia sæpe lectum, atque cantatum. Audiant qui non ceciderunt, ne cadant; qui ceciderunt, ut surgant. Tanti viri peccatum, non tacetur, prædicatur in Ecclesia;* ut qui cum Davide cecidēre, fateri culpam non erubescant, ut surgant.

2 Fructus est cautela: nã si Sancti lapsi sint, nos multo fœdius labamur.

August. in psal. 50

Ex quo tertius, & uberrimus fructus extitit, ut si Sancti sua delicta juventutis, aliaq; crimina, aut obliterata, aut paucis nota, toti mundo manifestarunt, qui gradus humilitatis difficillimus, & sublimissimus censetur, horum exemplo peccatorem exstimulari posse, ut peccata sua uni Christi Vicario, sibi etiam ignoto, sub arctissimo secreti sigillo, in aurẽ confiteri non verecundetur; priusquam veniat dies illa revelationis, qui revelabit abscondita tenebrarum, quidquid teste luna, clausis cortinis, in caveis, in solariis, in sylvis, in antris, intra quatuor oculos, imò & intra te solum, criminis admissum est. Quod attenta & ardenti meditatione ruminans, D. Augustinus, ita de se loquitur: *Ecce coram tot millibus populorum, nudabuntur iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt universa scelera mea: tot judicibus inops adstabo, quot me præcesserunt in opere bono: tot arguentibus confundar, quot mihi præfuerunt bene vivendi exemplo: tot convincar testibus, quot me moverunt proficuis sermonibus.* Unde satius & sanctius duxit, ea salubri pudore, & humili confessione delere, ne supremus judex Christus illum erubescat coram Angelis suis.

3. Fructus ut peccator uni, sub secreti sigillo in aurem confiteri non erubescat, quæ Sancti toti mundo propalarunt.

August. in medital. cap. 4.

Hic superest una quæstio non futilis, sed utilis enodanda: utrum etiam peccata electorum, quæ per pœnitentiã deleta & heroicis sanctimoniæ operibus restaurata, in die judicii ab omnibus sint conspicienda, & an nullis inde sanctis pudor, & confusio oritura? Respondet Lessius, lib. 13. de perfectionibus divinis c. 22. *hoc scriptura*

Peccata electorũ in judicio manifestanda, nõ pudori sed honori

[…]nctis […]erunt, & in ipsorū, ac Dei gloriam cedent.

ptura conformiùs: Matth. 10. *Nil opertum, quod non revelabitur: & occultum, quod non scietur:* Ecclesiastæ ultimo: *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium, sive bonum sit, sive malum.* Ubi nullum opus malum excipitur. Et Apostolus 1. ad Cor. 4. *Tunc Dominus illuminabit abscondita tenebrarum;* non quædam tantùm, sed omnia, ut de omnibus possit judicari. Quod & ratione probatur: quia omnia illorum bona opera sunt manifestanda, ac proinde eorum pœnitentiæ, & confessio peccatorum, & austeritas vitæ in satisfactionem pro peccatis suscepta; deinde manifestari debet misericordia, & gratia, quam eis Deus præstitit in hac vita, per quam datum est illis, à peccatis resurgere, & salutem consequi: hoc enim maximè spectat ad gloriam Dei.

„ Tum subdit Lessius: neque hinc aliquo
„ pudore Sancti officientur, (quia hunc beati-
„ tudinis status excludit,) sed magis seipsos
„ humiliabunt, & omnia sua bona, Dei mise-
„ ricordiæ adscribentes, immortales eidem
„ gratias agent.

Confirmat idipsum S. Anselmus, qui trádit, Sanctos potiùs, ob resultantem ex curatione vulnerum divinam gloriam, eximiè sibi gratulaturos: *Fateri audeo,* inquit, *ea quoque peccata cunctis electorum patere, pro quorum curatione, tu Deo gratiosus existis assiduè non ad tuam confusionem, sed ad magnam misericordia Dei glorificationem, tuámque congratulationem.* Quod aptà ad captum similitudine probat: *Non enim tunc pro peccatis tuis te major angustia cordis premet, scelerumque tuorum magis pudebit, quàm aliquem olim magnis vulneribus sanciatum, jamque ex omni parte sanatum, aboliti sanguinis molestia premit. Vel,* (quod quisque in se experitur,) *numquid eorum, quæ in cunis positus infans egerat, nunc grandævum pudet? tunc quippe, cùm integra sanitas, perfecta munditia, plena remissio, secura omnium offensionum impunitas, tibi certò arriserit; cognitio, vel recordatio peccatorum tuorum in nullo tibi magis horrori esse, vel confusioni valebit, quàm est modò B. Petro Apostolorum Principi abnegatio sua, vel B. Mariæ Magdalenæ* (vel divo Augustino) *peccata sua. Verùm super hoc agnitis delictis, velut in enormi, ac fæda infirmitate suâ, pietas, virtus, sapientia medici, qui te sanavit, sublimius à cunctis admirabitur, laudabitur, magnificabitur, laus autem, & magnificentia gloria Dei, tua, si bene advertis, gloria est.*

S. Anselm. serm. de beatit. & lib. simil. cap. 60.

Ex quibus manifestò concluditur, cùm summa *Divo Augustino,* ex profundissimâ humilitate, quâ delicta sua hîc hominibus manifestavit, in amplissimo illo orbis theatro gloria accessura sit, omnem possibilem laudem, & honorem, ei à nobis deberi, atque iis, qui ejus exemplo, saltem in arcano tribunali confiteri, & sincerè pœnitere non erubescunt, qui & ipsi Christi Vicario verè in honore sunt; Hoc insigni humilitatis exemplo docuit *S. Franciscus Salesius,* Episcopus, qui cùm diœcesim suam veste clericali obiret, statuit se quâdam in Ecclesiâ, in sede confessionali; ad quem cùm Ecclesiasticus peccata sua expositurus accederet, & suavi ac forti commonitione ejus tactus, totus in lacrymas colliquesceret, discedens, virum sanctum intuitus, advertit esse Præsulem suum; ad cujus pedes prostratus, cùm diceret nunc de se actum esse, quòd se hominem nequam agnosceret, Salesius amicè pœnitentem complexus, suo loco sedere jussit, habere se, quæ ipsi in confessione exponeret: ac delicta juventutis suæ repetens, hoc illi tandem pro solatio adjecit: multa quidem de eo se audivisse, & sparsa fuisse; sed nunc seipsum nosse hominem probum ac magno in posterum amore ac honore fore, qui talis jam esset apud Deum.

In vita.

Nunc, ne in immensum excurramus, alteram, quam proposui partem, quæ rariorem usum habet, perstringamus: *An* AUGUSTINUS *humilior in libris Retractationum,* ignorantiam suam detegendo, & errata revocando extiterit?

Profectò, si virum omni scientiarum genere præditum, doctoratus laureà insignitum, & alterum, qui juventute cum filio prodigo perditè transacta, in virum probum & pium evasit, inter se conferas, uter ille faciliùs inducendus, ut ignorantiam suam fateatur, & errores palam revocet; aut hic ut delicta juventutis enarret; nemo non videbit, ignorantiam quàm malitiam fateri, plus difficultatis, & ignominiæ habiturum; cùm scientia, communi opinione, bonitati passim præferatur, & major æstimatio, ac nobilitas ex scientia; quàm ex virtute proficiscatur, ut Tiraquellus de nobilitate cap. 5. ex utroque jure, latiùs confirmat: hinc enim est, quòd viri probi nulla habeant in Republica nobilitatis privilegia; cùm tamen ea Doctores, ac viri litterati non vulgaria assequantur.

An Augustinus humilior in libris Retract.

Probatur 2. quia magis erubescunt homines de sua ignorantia, quàm de sua malitia; ergò magis se humiliant, qui suam ignorantiam, quàm malitiam manifestant: hanc etenim excusationem prætexentes in peccatis, passim ignorantiæ velo palliant: & plerumque videre est, aliquem non ita commoveri, si aleator, potator, scortator audiat, quàm si stupidus, aut stultus. Imò multi sæpè de sua malitia gloriantur, se tot pocula evacuasse, per tot dies vino sopitos, nec uxorem, nec liberos, nec Deum suum agnovisse: non unam puellam corrupisse: ad tuendum honorem, se vindictam sumpsisse, hunc sauciasse, illum ad duellum provocasse, aut etiam trucidasse. Unde Davidicum illud: *Quid gloriaris in malitiâ, qui potens es in iniquitate.* Et illud Sapientis: *Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Et illud Isaiæ: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt.* Imò quæ numquam commiserunt, cum vana ostentatione, peccata mentiuntur, ne viliores habeantur; ut patet in illo juvene Amalecita, 1. Reg. 31. qui cùm ausus non fuerit occidere Saulem, nihilominùs jactabundus, & gloriabundus apud Davidem prædicavit, eum à se interfectum esse. Idipsum de se fatetur Augustinus: *Audiebam eos jactantes flagitia sua, & tantò gloriantes magis, quantò magis turpes essent: ego ne vituperarer, vitiosior fiebam; & ubi non suberat, quo admisso æquarer perditis, fingebam me fecisse, ne viderer abjectior, quò eram innocentior.*

Psal. 51. Prov. 2. Isa. 3.

Augustin. lib. 2. Confess. cap. 3.

Ex quibus patet, delicta malitiæ, judicio hominum licèt perverso, non tanto probro, & ignominiæ verti, quin & passim laudi, & gloriæ;

secùs ac inscitiæ, ac ignorantiæ resolutiones, quæ dum in consiliis, in publicis comitiis, voce vel scripto innotescunt, ab omnibus exploduntur, & auctorem reddunt infamem.

Hinc paucos invenire est, qui ignorantiam, inscitiam, errores suos fateri, & à sententia, quam mordicùs tennêre, discere, ac palinodiam cavere velint, ut etiam contra conscientiam, falsa propugnent: *Hinc fit*, inquit Ambrosius, *ut contentio multa retorqueat contra conscientiam; ut iniuis in animo perdat, foris victor evadat: nemo enim patitur se vinci, licèt sciat vera, quæ audit:* nam

Ambros. in 1 Timoth. 2.

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Martialis lib. 8. Epig. 18.

Hoc in quotidianis disputationibus, Philosophicis, Medicis, Juridicis, Theologicis cernere est, dum Professores impugnantur, ut ipse magister magistrorum Augustinus, in hac palæstrâ versatus, testatur: *Difficillimum omninò est non perturbari, cùm ea, quæ pronâ & proclivi approbatione tenebamus, contrariis disputationibus labefactantur, & quasi extorquentur è manibus.* Tum animi sui sensum, & mentis sententiam exponit: Esto difficillimum sit, sed & gloriosum, *& pulchrum vinci;* imò & *æquum est, benè consideratis, perspectisque rationibus, cedere.* Unde hoc salutari monito retractationes suas exorsus est: *Illius scripta summâ sunt auctoritate dignissima, qui nullum verbum, non quod revocare vellet, sed quod revocare deberet, emisit. Hoc quisquis nondum assecutus est, secundas habeat partes modestiæ, qui primas habere non potuit sapientiæ, & qui non voluit omnia non pœnitenda dicere, saltem pœniteat, quæ cognoverit dicenda non fuisse.*

Aug. lib. de Mag. cap. 10.

Aug epist. 7 ad Marcellinum.

Ex quo, an non major humilitatis excellentia, & sanctitatis laus, & gloria, Augustino, quàm ex delictorum confessione accesserit, ex argumentis adductis, cùm in utraque prorsus singularis extiterit, cuilibet decernendum relinquo; & virum tantum judicibus, sublimioris scientiæ Magistris, vobis omnibus, imò & heterodoxis, qui cum pertinacia tuentur errorem, imitandum propono.

Morale. S Augustinus in exemplũ omnibus proponitur, ne iniquæ sententiæ contra conscientiam pertinacius adhæreant.

Judex, Consiliarius, Advocatus, qui etiam bonâ fide causam defendit, quam ex allegatis & probatis dein cognoscit iniquam, tenetur in conscientiâ non solùm causam deserere; sed si sententiam tulerit, in contrarium revocare, ut communis est Theologorum senteoria, ne dum ipsi errant, alios errare faciant, & in damnum inducant:

Ego, inquit tantus vir, *fateor me ex eorum numero esse, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt. Unde si aliquid vel incautim, vel indoctius à me positum est, quod non solùm ab aliis, qui videre id possunt, meritò reprehendatur; verùm etiam à meipso, quia & ego saltem postea videre debeo, si proficio: nec mirandum est, nec dolendum, sed potiùs ignoscendum, atque gratulandum, non quia erratum est; sed quia improbatum est:* NAM NIMIS PERVERSE SEIPSUM AMAT, QUI ET ALIOS VULT ERRARE, ET ERROR SUUS LATEAT. Nec ullos in hac parte allectatores ferebat; quos utinam errantes, & peccantes, tam veros haberent, quàm amicos: *Quoniam non mihi placet, cùm à charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. Profectò non me, sed pro me alium, sub nomine meo diligunt.*

Aug. epist. 7 ad Marcellinum.

Ibid.

Sed quis est hic, & laudabimus eum? is fuit non minùs bellica virtute invictissimus, quàm justitiæ laude clarissimus Imperator, Carolus V. qui cùm sententiam tulisset, & manu propria subscripsisset, ubi aliter imbutus, eam intellexit justitiæ repugnare, syngraphen repetiit, & dilaceravit, dicens: *Malo meam lacerare scripturam, quàm animam.* Quàm pauci Caroli? Quàm multi Pilati, qui perversè illud usurpant: *Quod scripsi, scripsi*, quod dixi, dixi: quod sensi, sensi, & potiùs animam damnabunt, quàm scripturam, aut sententiam revocabunt. Quod quàm non dico, à Christiano tantùm, sed homine sano & docto alienum sit, præclarè tradit Ecclesiæ Doctor Augustinus, dicens:

Savedra symb. 65.

Ioan. 19.

- - - Romani maximus auctor
Tullius eloquii.

Lucan. lib. 7.

Nullum unquam verbum, inquit, *quod revocare vellet, emisit; quæ quidem laus, quamvis præclarissima videatur, tamen credibilior est de nimiùm fatuo, quàm de sapiente perfecto;* nam fatuos, & stultos, nullis rationibus, aut argumentis conviceris, ut quæ falsa, aut absurda dixerunt, revocent. *Illi*, inquit, *quos vulgò morionès vocant, quantò magis à sensu communi dissonant, magisque absurdi, & insulsi sunt, tantò magis nullum verbum emittunt, quod revocare velint: quia dicti mali, vel stulti, vel incommodi, pœnitere, utique cordatorum est.*

Aug epist. 7. ad Marcellinum.

Et etiamnum invenire erit, qui bonori, & existimationi suæ, graviter adversari judicent & dictitent, consilium malè conceptum, sententiam temerè pronunciatam, revocare: ignorantiam, vel imperitiam suam: passionem, quâ iniquam causam inchoarunt, fateri? quod quàm à ratione alienum, & homine, non dico Christiano, sed prudente indignum, ex dicendis patebit.

Non credo, quemquam vestrûm, pluris authoritatem suam facere, aut honori consulere debere, quàm ipse Nathan, Propheta Domini; quàm Thomas Apostolus, quàm Petrus, Princeps Ecclesiæ, quàm Augustinus, quàm Christus, filius Altissimi.

David Nathanum accersit, aperitque propositum templi à se Deo exstruendi, quò magnificentiùs, & augustiùs nihil hactenùs visum esset, Nathan aliquantisper sententiæ dubius, tandem veluti prophetico impulsus spiritu, consilium Regis probat: *Dixitque Nathan ad Regem: Omne, quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum est.* Vix egresso Prophetâ, statim advocantur architecti, & operæ, omnia ad domum Domini ædificandam celerrimè apparantur, & totâ aulâ, & Jerosolymâ ea fama vagatur. Jam in opus adscribebantur artifices, jam Tyri cedri, & marmora cædebantur, jam naves expediebantur, ebur, & ebenum ex India advecturæ, &c. Rumoris tam ampli, tam sancti, tam publici, Nathan Propheta author habebatur, sibique omnium plausum, ac venerationem comparabat.

2 Reg. 7.

Hæc dum geruntur, & fervet opus, Deus Prophetam alloquens, acerbè increpat, quòd

se

se inconsulto, opus illud approbasset. Jubet itaque quamprimum reverti ad Davidem, retractare quod dixerat, & Dei nomine significare, illum prohiberi à sanctuarii fabricâ, eamque filio servari, qui succederet.

Hic vobis considerandum relinquo,

Ovid. epist. 19. *Quis pudor ora subit?*

Dum tantus Propheta, palinodiam apud Regem, totúmque populum, ac universam posteritatem, canere jubetur? nihilominùs vicit pudorem virtus, & ignominiæ metum, Dei mandatum: in palatium redit, audientiam impetrat, nec ulla excusatione præmissâ, retractat consilium, fatetur oraculi falsitatem, ejurat temerariam sententiam, per quam sui animi arbitrium, pro divinæ voluntatis jussu, evulgarat, & Dei decretum, ne apice unmutato, Regi declarat. Quis hîc non existimet, probra conglobatim ab operariis, sannas ab aulicis, & omni plebe, in eum congesta, à Rege explosum, & aulâ exclusum? Hæc vulgi judicia; nam 3 Reg. 1. v. 32. sinceritas Prophetæ, ejusque in divinum Numen observantia, adeò existimationem in Regis animo non extinxit, ut gratiam auxerit: tantumque absuit, ut illi postea palatii fores occluderentur, ut in gravioribus negotiis semper à Rege accersitus, & pro oraculo habitus, & ad ungendum Salomonem, solioque imponendum delectus fuerit.

Sic exaltantur Regum ministri, quando à proposito discedunt, & sententiam mutant, quam divinis nutibus, aut legibus nôrunt repugnare.

Nisi quis fortè etiam dedecori vertat, quòd Thomas Apostolus in sua incredulitate contumax non fuerit, & perfidiæ suæ sententiam, Joan. 20. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in latus ejus, non credam*, conspecto Domino, ejúsque sacris dumtaxat objectis vulneribus, retractarit, emollitus ad pedes ejus affluxerit, suamque perfidiam, ac pertinaciam execratus, exclamarit: *Dominus meus, & Deus meus!* ubi, si Eusebio Emysseno, Euthymio, Bedæ, & ipsi Augustino credimus, cùm posset Thomas scrutari Christi vulnera, & apertum latus contrectare, ultrò abstinuit, & de prima sua sententia decessit; quo quantum sibi gloriæ apud Deum, & homines conciliarit, dum orbis stabit, deprædicabitur; ubi contumax, æternâ ignominiâ notatus fuisset.

Quis Petro, Apostolorum Principi, vitio vertat, aut ignominiæ ducat, postquam humi-[Joan.] 13. litatis magistro, pedes sibi lavare volenti, obfirmato animo restitit, & dixit: *Non lavabis mihi pedes in æternum*, quòd mox comminatione Christi permotus, opinione decesserit, pertinaciam animi detestatus, extemplo in has supplices voces erupetit: *Domine, non tantùm pedes, sed & manus, & caput*; quibus verbis dum applaudit Cyrillus [lib.] 9. in [Joan.] 13. sanctus Cyrillus, admonet, ut abscedamus à propositis malè conceptis, si justiores, & meliores causæ occurrant: *Tu tibi Petrum propone, qui etsi dixerit*: NON LAVABIS MIHI PEDES IN ÆTERNUM; *cedit tamen confestim. Et nos si quid exciderit, etsi probè dictum videretur, cùm tamen aliud meliùs appareat, quamprimùm illud amplectamur*; quantò magis si improbè, injuriosè quid dictum, ac statutum fuerit, quod melius occurrat, amplectemur, consilia mutabimus, opinionem conceptam deponemus, malè nos imbutos, si fateri palàm non velimus, amicitiæ ac reconciliationis signis contestabimur?

Ecquis probarit, aut laudarit superiorem, qui conceptam semel contra subditum ex falsa delatione, sinistram opinionem, & animi rancorem, numquam deponat, & quod semel contra illum judicium formavit, aut sententiam tulit, ad omnia ineptum, immutare & retractare detrectet? quis marito prudentet applauserit, qui zelotypiæ spiritu ductus, uxorem suam, ac sanctam, ex levi suspicione, ut adulteram aspernatus, & per omnem vitam exectatus fuerit, nec ullis uxoris sanctis contestationibus, lacrymis, nec amicorum rationibus, & claris in contrarium demonstrationibus à proposito dimoveri potest?

Hoc, quàm non fortis, & constantis, sed contumacis, & imbecillis viri sit, ingeniosè demonstrat disertissimus Orator Pontificius, similitudine sumpta ex vitro, & auro. Ut vitrum, inquit, formatum in draconem, aut serpentem quis immutet in agnum, aut aquilam, frustra vim aceti, aquæ fortis, ipsam limam, aut malleum, imò flammas fornacis adhibuerit; confringi quidem minimo lapillo, aut talitto poterit, emolliri, flecti, & in aliam formam fingi, nullo artificio valet. Nec hoc oritur, quòd hanc formam, scalpri impressio, fusoris peritia, aut vitrarii industria impresserit, qui modico halitu figuram draconis, numquam immutandam induxit. Contra verò accidit in massa aurea, è qua si statuam Nabuchodonosoris, aut etiam diaboli effinxeris, ubi licuerit, levi tonsione, aut igne admoto, formam Christi, aut Angeli induxeris. Unde hoc? quia vitrum frangi potest, flecti non potest; contra verò aurum ductile, ac flexile, omnem formam, ceræ instar, admittit, *utpotè cujus uncia in septuagenas bracteas spargantur*. Joan. Paulus Oliva, tom. 1. conc. 179. Plin. lib. 33. cap. 3.

Quod rebus materialibus, id ratione præditis, accidit, ut quemadmodum vitrum non mutatur, sed aurum; sic homines abjecti animi, & angustæ capacitatis, ab ea, qua semel opinione imbuti sunt, numquam dimoventur; at viri, amplissimæ sphæræ & mentis magnæ, toties consilium mutant, & aliam formam induunt, quoties recta ratio dictarit. *Prudentis est*, inquit Seneca, *pro vento mutare navigium*; stulti verò, adversò flumini & flamini, suo cerebro velle obniti, etsi in syrtes, & charybdes, & certum naufragium abripiatur; sed viri prudentes, æqui, *& boni, pro tempore mutantur.* Richardus part. 2. cap. 38. in Cant.

Ne diutiùs his immorer, omnis perfectionis, & sanctitatis exemplar, vobis Christum propono, qui dum mulier Cananæa vocem effetret, & importunis clamoribus sanitatem filiæ efflagitaret, nequidquam discipulis interpellanti-

Matth. 15. v. 23. pellantibus: *Domine, dimitte eam, quia clamat post nos*; minimè his flexus, beneficium pernegat, & rationes, quibus os obstruat, has adducit: *Non sum missus, nisi ad oves, qua perierunt domus Israel.* Et alteram: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Ad quæ, mulier, à clamoribus ad preces, & lacrymas, à querelis ad humilitatis argumenta conversa, ira peroravit, ut Christus mutatus precantis eloquentiâ, quod petebat, benignè concesserit: *O mulier! magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.*

Quis nunc ausit dicere, lædi famam, si sententiam mutare? Quis Augustino dedecori vertat, si quæ postea vidit, retractanda, revocarit? si Nathan tam clarus apud Regem, actus est gratia, quòd à sententia discessisset? si Thomas Christo tantis in amoribus? si Petrus in petram Ecclesiæ, & Vicarium Dei electus: si tandem ipse filius Dei, Rex Regum, Princeps Prælatorum, & forma regnantium, à proposito, dictis, rationibus stabilito discesserit?

Hæc tam illustria exempla secutus, an major Augustinus humilitate confitendo delicta, an recedendo à sententiâ, atque an ab hac, aut illa illi major gloria accesserit, mihi quidem difficilè, vobis decernendum relinquo.

§. III.

Dedit Deus Augustino, sapiens cor, & intelligibile. Eccl. 3. ỳ. 32.

Salomon olim, Domino per somnium nocte sibi apparente, non longitudinem vitæ, nec divitias, aut animas inimicorum suorum postulavit, sed: *Dabis servo tuo* COR DOCILE, seu, ut Liranus exponit: *Cor illustratum à te*, deditque illi Dominus, *cor sapiens, & intelligens.* 3 Reg. 3. v. 9. V. 12.

Hæc qui audit, fortè suspicabitur, & tacitus secum arbitrabitur, me doctissimum hunc Præsulem Salomoni conferre velle, de quo illud æternæ Veritatis exstat pronunciatum: *Dedi tibi* COR SAPIENS ET INTELLIGENS, *in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.*

Hinc, ne nimiùm dixisse videat, si in Augustino thesauros sapientiæ Dei reconditos assevero, juvat Tuitiensem Abbatem audire, qui ait: Augustinus *columna veritatis, columna nubis*, IN QUA THRONUM SUUM POSUIT SAPIENTIA DEI. Rupertus lib. 2. de operib. Spiritus sancti cap. 19.

Augustinum cor docile, cum illo Salomonis comparatur. Salomon scientiam habuit, ut fusè docet Abulensis, rerum naturalium, & regiminis politici; sed in Theologicis scientiis, mysteriis divinis, exstaticis raptibus, & arcanis verbis, cum Paulo in tertio cælo auditis, *quæ non licet homini loqui*, sublimiùs quid, & divin ùs in sanctissimo Patre Augustino invenio. Quid Salomoni umquam simile, de beatorum gloriâ, excelsiùs declaratum, quod Augustinus de se commemorat, dum ad ostia Tiberina consisteret, & de divinis cum matre sermocinaretur: *Loquebamur ergò soli valde dulciter, & præterita obliviscentes, quærebamus inter nos, qualis futura esset vita æterna Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, sed inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis tui.* Aug. lib. 9. confess. cap. 10.

Et erigentes nos altiùs, & altiùs super omnia terrena, super lunam, & solem: *Transcendimus, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israël in æternum veritatis pabulo; & dum loquimur, & inhiamus illi*, ATTIGIMUS EAM TOTO ICTU CORDIS.

Tum raptos se supra tertium cælum describit, dicens: *Rapidâ cogitatione attingimus æternam sapientiam super omnia manentem: si continuetur hoc, & subtrahantur alia visiones*, (omnium creaturarum) *longè imparis generis, & hac una rapiat, & absorbeat, & recondat in interiora gaudia spectatorem suum* (expertus loquitur) *ut talis sit sempiterna vita*, QUALE FUIT HOC MOMENTUM INTELLIGENTIÆ (quo Deo fruitus) *cui suspiravimus; nonne hoc est intrare in gaudium Domini tui?* Nunc, si vel momento *Deum semel conspexisse, omnia didicisse est*, ut loquitur Blosius; quid ni de Augustino, qui *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, quis jure asserverit: *& plusquam Salomon hic?* Nam ut disertè Gregorius: *Quid est, quod non vident, qui videntem omnia vident?* Blosius in mon. spirit. cap. 14. Greg. lib. 2. dialog.

Simile quid de se fatetur lib. 10. conf. cap. 40. *Et aliquando intromittis me in affectum multum insuetum introrsus, ad nescio quam dulcedinem* (quam non valet eloqui) *quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit?* c. 11.

Hæc sola, vel per transennam, visio Augustino objecta, omnes pulchritudines mulierum, & nugas nugarum fecit fastidire, in quas sapientissimus mortalium sordidè volutatus est, *& sapientia ejus devorata est.* Psal. 106.

Quid de abscondito illo SS. Trinitatis mysterio Salomon nobis tradidit? Quid verò Augustinus? *Plusquam Salomon hic.* Nam, ut inquit Consentius scribens ad Augustinum: *Tibi ille Pater, solus conscius secretorum, qui habet clavem David serenissimo cordis obtutu, calorum machinam penetrare concessit, & revelata, ut scriptum est, facie gloriam Domini speculari*, & arcana illa arcanæ Triados abscondita (quæ ejus amabile, & mirabile cor, ut mox dicemus, restatur,) trinari. Patronum, & præconem habeo Doctorem Angelicum, qui hac celeberrimâ luce, in laudem Augustini sic disserit: *Absconditâ produxit in* lucem, *scilicet cogitationes* ABSCONDITÆ TRINITATIS, *cælestis civitatis, & scripturæ veritatis.* Pollebat Salomon præter alios, arte medicâ, & scientiâ herbarum, *à cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete*; sed Avicenna hujus artis non mediocriter peritus, sublimiùs quid de Augustino sensit, & vim medendi animabus, ac contra quodvis lethale virus omne genus pharmaci & antidoti, non humanitùs, sed divinitùs ill perspectum deprædicavit: *Scientiam*, inquit, AUGUSTINO *cælum dedit, & super omnes homines, & quantum dare potuit, illi concessit, non Platoni, non Aristoteli*, addidisset Consent. inter epist. 1. ad Aug. S. Thom. serm. de Augustino. 4 Reg. 4. v. 33. Oserum tom. 3. conc. de S. Augustino.

differ nec Salomoni, si ut gentilis erat, novisset.

Quid, quòd Hieronymus æternam io Augustino sapientiam veneraretur, dum dixit: *Habitantem in te dilexi Dominum Salvatorem.*

Hieron. epist. 25 ad Augustin. Ex Chronico Dacii lib. 10. c. 1. Iacob. de Valentia in hymno Te Deum laudamus.

Confirmat idipsum S. Dacius, Mediolanensis Antistes: B. AUGUSTINUS, inquit, *à principio sui Baptismi, non solùm gratiam gratum facientem, sed etiam dona Spiritus sancti, ad intelligendas & exponendas sacras Scripturas, & per consequens habuit scientiam infusam, quia ex tempore confessus est profundissima mysteria* (Trinitatis) *in hoc cantico* (Te Deum laudamus) *imò prophetìcè locutus est.* Sic & Gennadius vult illum *introductum in cubiculum Regis, & decoratum veste multifariâ sapientia Dei.*

Denique, Augustinum naturæ miraculum, doctrinæ oraculum, utriusque prodigium, nemo condignè laudare poterit, nisi ipse Augustinus; quare, quæ ipse fecit, & dixit, & scripsit, per se loquatur: *Quàm illi* à primâ adolescentiâ COR SAPIENS, ET INTELLIGENS, ipso teste, rimare, & admirare: *Omnes libros artium*, inquit, *quas liberales vocant, per me metipsum legi, & intellexi, quoscumque legere potui. Quidquid de arte loquendi, & disserendi: quidquid de dimensionibus figurarum, & de musicis, & de mensuris, sine magna difficultate*, NULLO HOMINE TRADENTE, *intellexi.*

3 Reg. 3. August. lib. 4. conf. cap. 16.

Has omnes artes, quarum vel una, multorum annorum lucubrationes requirit, nullo adminiculo humani magisterii, & sine difficultate hausit.

De Varrone, quasi omnium litteratorum principe, hoc testimonium perhibet M. Cicero, in libris Academicis, ubi eum vocat: *Hominem omnium facilè acutissimum, & sine ulla dubitatione doctissimum.*

Augustin. lib. 6. de civit. cap. 2.

Et infra idem Augustinus: vir insignis, excellentisque peritiæ, & quod de illo etiam Terentianus elegantissimo versiculo breviter ait: *Vir doctissimus undecumque Varro:* probat ex eo, *quòd tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacasse miremur: tam multa scripsit, quàm multa vix quemquam legere potuisse credamus.* Tandem laudi ejus non levem maculam inurit: *Iste inquam vir tantus ingenio, tantâque doctrinâ, si rerum velut divinarum, de quibus scribit, oppugnator esset atque destructor, easque non ad religionem, sed ad superstitionem diceret pertinere, quantus foret?*

Hæc de Varrone, Augustinus sæculi sui litterato quidem grammatico, sed in sublimioribus scientiis, magno hallucinatore; quæ mutato nomine, quantò veriùs de Augustino prædicantur? qui tam multa legit, ut aliquid ei scribere, vacasse miremur: tam multa scripsit, quàm multa vix quemquam legere potuisse credamus.

Rupert. lib. 7. de opesc. S. cap. ult.

Fidem astruit Rupertus Abbas, qui sic de Augustino sensit, & loquitur: Est in quo jure, sanctum scientiæ spiritum laudamus, quia virum talem, & sic foris præparatum reddidit, & sic eo intùs dignatus est uti, *ut contra omnes hæreses tota vita depugnans, voce, & litteris tanta scriberet, quanta nemo in vita sua legere sufficit: unde & quidam non inaniter dixisse fertur: mentitur, qui se totum Augustinum legisse, fatetur.*

Ipsius calamo videtur scripsisse ipsa Theologia. Quot sunt in ejus solis syllabæ, tot sunt folia Sybillæ: quidquid pronuntiavit, fuit pronuntiatum: quidquid scripsit, effatum. Ceris ac studiis totus incubuit, chartis totus impalluit, & totâ ferè vitâ litteris assedit: scribendisque libris sic est immoratus, ut iis fuerit immortuus. Sic porrò Victor Uticensis lib. 10. de persecut. Wandal. tradit: Eum, usque ad obsessionem per Vandalos, ducentos, & triginta duos libros confecisse, præter innumerabiles epistolas, ac expositionem totius Psalterii, atque tractatus populares, quas Græci homilias vocant, *quorum numerum comprehendere satis impossibile est.* Fertiles ex iis fructus, tota retrò sensit antiquitas, tota & olim leget posteritas: vivet enim, spirabitque in omne ævum, in scriptis suis *Augustinus*, atque per ea etiam in scholis docebit, & detonabit in pulpitis, ita ut juxta receptam parœmiam: *Sicut nullum est convivium sine vino, sic nulla concio sine* AUGUSTINO. Quod & vernaculè sonat:

Victor Uticen. lib. 10 de persecutione VVandal.

Een sermoon sonder S. Augustyn,
Is ghelyck een maeltyde sonder vvyn.

Illustria Doctorũ ac Pontificum de Augustini scientia elogia

Eloquentiam ejus longè super Tullianam, & Tertullianam extollunt in cælum omnes Ecclesiæ Patres: *S. Gregorius Papa, Sedis Romanæ, & Apostolicæ Præsul*, sanctimoniâ vitæ, & eruditione clarissimus, scripta sua, illis Augustini tantum concedere affirmavit, *quantum æra lupinis*, & furfures puræ similagini; sic enim ad Innocentium Africæ Præfectum scribit: *Quòd expositionem sancti Iob transmitti voluistis, vestro judicio non gaudemus; sed si delitioso cupitis pabulo saginari, beati* AUGUSTINI *compatriotæ vestri opuscula legite*, ET AD COMPARATIONEM ILLIUS SIMILAGINIS, NOSTRUM FURFUREM NON QUÆRATIS.

S. Hildephonsus de viris illustr. cap. 1. S. Gregor. Regist. epistolarum lib. 8. epist. 37.

Haud aliter Hieronymus, iogenii sui vela contrahit, ubi Augustinum videt toto mundi oceano velificantem, ac frustra calamos se in Ecclesiæ hostes acuere profitetur, quos Augustinus confuravit, & scriptis suis obruravit; unde sic cootra Pelagianos: *Scripsit dudum vir sanctus, & eloquens Episcopus* AUGUSTINUS, *duos libros contra hæresim vestram, alios quoque cudere dicitur. Unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii.*

Hieron. contra Pelagianos lib. 3. c. 6.

In silvam ne ligna ferat.

Aut enim eadem diceremus ex superfluo; aut si nova voluerimus dicere, à clarissimo ingenio occupata sunt meliora. Ecce quàm sublimiter de doctrina hujus sanctissimi Præsulis sentiat, ut nihil addi posse videatur.

Et ad illum ipsum Augustinum: *Certè, quidquid dici potuit, & sublimi ingenio de Scripturarum sanctarum fontibus hauriri, à te dissertum est.*

Vultis è Petri cathedrâ, primæ Veritatis audire oracula? Ab Adriano I. Pontifice sancto,

& erudito : *Præcipuus Pater, & optimus Doctor* nuncupatur.

A Joanne X. *Magna authoritatis, & sanctitatis Præsul, dilectus Deo & hominibus, veluti gemmula carbunculi ignita charitatis, & flammea eloquentia.*

A Sixto IV. *Inter intemerata Ecclesiæ Doctores præcipuus, & subtilissimus Evangeliorum, & sacrarum litterarum perscrutator.*

Serm. de translatione S. Monicæ. Sed præ his omnibus, omnia complexus est quàm copiosissimè Martinus V. *Quicumque de Christo, de fide, de religione, aliquid saperent, omnibus in ore erat* AUGUSTINUS; *ut nihil penè ex sacris litteris posset, nisi eo duce intelligi, nihil nisi eo interprete explicari. Eo jam auctore factum, ut nec Philosophis sapientiam invideamus, non Oratorum eloquentiam desideremus, non studiosorum ingenia requiramus: non denique nobis acumen Aristotelis necessarium, non Platonis eloquentia, non prudentia Varronis, non gravitas Socratis, non authoritas Pythagoræ, non Empedoclis solertia, non cujusquam illius generis hominum scientia, aut virtus documento esse debeat.* Tum, quò altiùs ascendere non potest, eum extulit: *Idem nobis Prophetarum oracula, idem Apostolorum voces refert, idem omnium Scripturarum sensum exprimit. Unum postremò omnium Patrum, sapientiumque ingenia, ac studia exhibet.*

Si veritatem quæritis, si doctrinam, si pietatem, quis doctior, quis justior, quis sanctior AUGUSTINO? AUGUSTINI *tanta extant erga omnem Ecclesiam beneficia, ut nulli penè, ita dicam, Sanctorum majora merita debeamus: quidquid enim simul omnes Apostoli plantaverunt, quidquid Apollo, alii Apostolorum sectatores rigaverunt*, HIC CORONAVIT.

Quo encomio *Augustinum*, omnium, qui in Ecclesiæ vineâ desudarunt, labores, sudores, fructus adæquasse, ne exsuperasse dicam, manifestò declarat. Verùm, quam obsecro, hic Pontifex vim & emphasim innuit verbo illo CORONAVIT? Eximiam, procul dubio, summi hujus Doctoris indicare voluit excellentiam, quam Regi Catholico à concionibus, alter Hispaniæ Chrysologus, & Doctor egregius, Christophorus Avendagno hac similitudine exponit: Sit primogenita magni Regis filia minotennis, patte, ac matre orbata, adeoque orphana, cui jure debeatur regalis corona; ad quam tamen non possit pervenire, quòd potentes sibi habeat adversarios, & hostes. Tandem præpotenti Principe auxiliares sibi suppetias, & ingentem exercitum suppeditante, regno & coronâ potitur, omnésque subditi eam agnoscunt, & venerantur. *Avendagno de S. Augustino disc. 4.*

Haud secùs, inquit, accidit, in eâ, de quâ hîc agitur divi Augustini, quasi coronidis loco, supra Apostolos, & omnes Doctores, scientiâ. Doctrina, inquit, ab Apostolis tradita, primogenita Christi, filii Altissimi filia est, quæque sola in Reginam debet coronari: omnes enim aliæ doctrinæ, pedissequæ, mancipia mera sunt diabolicâ. Ubi verò Redemptor noster in cælos ascendit, atque ipsi Apostoli è vivis sublati, doctrina illa, ut filia minotennis, & orphana permansit. Interim acres in eam adversarii linguâ, & calamo, & ferro bella moverunt; at unus Augustinus, *validissimus malleus hæreticorum*, eorum linguas, & calamos, & arma tam validè retudit, ac confregit, ut totum hoc, quod Apostoli, eorumque successores, & verbo docuerunt, & opere expresserunt, ille coronaret. Id, inquit, est, quod sine dubio voluit dicere maximus & sanctissimus Pontifex Martinus, illo verbo, CORONAVIT. *Bernard. serm. 80. in Cant.*

Atque hæc est summa, quæ à divinâ Augustini doctrinâ, laus promanare potest, quòd non modò fideles flammeâ suâ eloquentiâ in fide, & sanctitate instruxerit, informarit, & roborarit; sed quòd & verbo, & scripto, pessimus hæresiarchas, teterrimas pestes, superarit, profligarit, conculcarit, & penitùs urbibus, & orbe exterminarit: delubra falsorum deorum, & fana idolorum destruxerit, quæ Salomon erexit, & innumeram populorum multitudinem in clarissimos, & sacrilegos errores induxit. Numquid *plùs quàm Salomon hic?* cujus operibus de Civitate Dei hi versus præfixi: *Augustinus malleus hæreticorum*

Hic AUGUSTINI *constratus* FULMINE *lingua,*
Jupiter, & falsi deperière dii.

Juvat meminisse illius temporis, quo non ferri acie, sed ingenii acumine decertavit, quàmque gloriosè de Ecclesiæ hostibus triumphavit. Ac primùm quidem *Faustum*, Manichæorum antesignanum refutavit, libris triginta tribus.

Hipponæ *Fortunatum* pessumdedit. *Adimantum* Manichæi discipulum, mali corvi malum ovum, scriptis acerrimis evertit, *Manichæos omnes* expugnavit.

Tum *Donatistas* aggressus, *Petilianum*, & *Parmenianum* Donatistarum Episcopos, tribus libris, veluti triplici hastâ confixit. *Cresconium*, hominem argutum, & astutum convicit, ejus argutias detexit, & publicè exsibilandas dedit, eâ ingenii vi, eâ subtilitate argumentorum, eo masculæ eloquentiæ nervo, ut *Donatistæ* passim AUGUSTINI dialecticam, quasi arietem omnia subvertentem, formidarent.

Et hæ quidem velitationes in umbra exercitæ sunt; in Sole tandem, ac publico Concilii luce, pleno die congressus est. Fuit illud Carthaginense primò coactum ad *Donatistas* à fide devios, ad eam revocandos: deinde etiam secundò celebratum, ad collationem publicam authoritate Imperatoris habendam. Ea porrò habita est Carthagine, ubi ex parte *Donati*, stetère ducenti septuaginta novem Episcopi; ex Catholicis autem ducenti octoginta sex: ex illis electi septem, qui concurrerent, ac decertarent. E Catholicis, omnium calculo delectus Augustinus, isque unicus, qui eo rationum impetu, ac verborum vi deronuit, ut *Donatistæ* convicti, atque prostrati, hoc est,

est, ipsa cognitoris sententiâ his verbis expressâ, damnati sint: *Confutatos à Catholicis* DONATISTAS *omnium documentorum manifestatione*, quam publico plausu Concilium quintum Generale Augustino gratulantur, ejusque doctrinam unanimis suffragiis complexi sunt his verbis: *Sequimur per omnia* S. AUGUSTINUM, *& suscipimus omnia, quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum exposuit.*

Hisce tam infestis Ecclesiæ hostibus subactis, cornu sinistrum *Pelagianorum* invasit, & totis viginti annis pro gratiâ, contra *Pelagium*, ejusque asseclas decertavit, & sic orbem universum servavit.

Appello fidem, authoritatémque trium Synodorum, Palæstinæ, Milevitanæ, Carthaginensis, quibus contra hos acerrimos orthodoxæ fidei impugnatores, sic se objecit, ut omnem propè controversiæ molem sustineret ipse solus, solus ipse opima de hostibus spolia, transfugarum animas sub signis Ecclesiæ revocaret. *Thimasium* quippe, & *Iacobum*, à *Pelagio* seductos, in veræ fidei viam reduxit. *Ioannem Ierosolymitanum Episcopum*, Pelagio adhuc faventem, libro de naturâ & gratiâ, velut clypeo objecto, ab hæresi præservavit; uti & *Albinam*, *& Melaniam*; atque ipsum *Leporium ac Vitalem*. Mitto cætera, quæ (obtritis *Manichæis*, *Donatistis*, *Pelagianis*) contra *Arrianos*, *Priscilianistas*, *Origenistas*, *Marcionistas*, *Nestorianos*, illustria pro fide gessit prælia, meruit trophæa: ut jure longè meritissimo piissimus Imperator Theodosius, Augustinum ad Concilium Ephesinum encomiasticâ epistolâ invitans, sic ad eum scribat: *Nunc igitur te, qui rebus in omnibus* LUMEN ES ORBIS CHRISTIANI, QUIPPE IDEM TERROR ES, ET HOSTIS OMNIUM SECTARIORUM, *qui sub oculis tuis comparere verentur; te, inquam, rogamus, quàm possumus, studiosissimè, ut Ephesi te sistas, quæ in urbe locus est Concilio designatus.*

Epist. Theodosii Imp. ad Augustin. apud Lancellottum in vita, lib. 3. cap. 43.

Tanti parentis non degener filius, Cornelius Bye, Indiarum Apostolus, sexaginta supra centum barbarorum millia, ad Christi castra perduxit; ex Belgio in Americam transvectus, viginti annos in illa barbarie colendâ egregiè consumpsit, cultu asperrimo, ciliciná tunicâ indutus. Præcipua hujus opera fuit Ciapulvacarios, & Tamarios, qui fidem exuerant, gentes nominibus, ac moribus asperas, ad eandem revocare. Tantaque erat hominis fama, ut à circumjectis regionibus audituri eum harbari, ad 800. quondam convenerint. Talem se præbuit Alexius Menesius, Archiepiscopus Goanus, ut fidei desertores, Nestorii, ac Macedonii peste afflatos, salubriori Ecclesiæ cælo redderet. Quin & Malaboricam, Socotoram, Bengalam, Bomboveram, proximam Euphrati regionem, ac Persidem ipsam, viros navos, Ordinis sui Apostolos, omnia pro Evangelio pati, & audere paratos dimisit, qui superstitioni, ac vitiis bellum inferrent, & lucta reportarent animarum.

Ioan. Rhovar. virtut. hist. lib. 2. cap. 5. 17.

Idem lib. 7. c. 5. 5. 1.

Idem lib. 1. c. 12. § 11.

Lib. 1. c. 3. § 25.

Regibus longas manus esse, dictum olim fuit, sed longioribus utitur charitas, si modò quas habet, velit explicare.

Tales innumeri generosissimi pugiles exstitêre, qui vitam, & sanguinem posuêre, ut oves errantes, excelsô illo S. Augustini spiritu afflati, ad caulas Christi revocarent.

Hoc itaque, viro immortali, epitaphium positum lege viator:

Nihil in te AUGUSTINE *non monstro majus,*
Nempe in Africâ natus es.
Nihil majus cœpit habere novum,
Quàm quòd Africa desinens monstra parere nova,
Domitorem peperisset monstrorum etiam veterum,
Et novorum.
Hannibal duro fregit aceto alpes,
Tu amaris fractus es lachrymis:
Plus materuis debuisti oculis, quàm uberibus.
Hannibal venenum hausit ex annulo, tu antidotum præbes calamo.
Numquam visus es mente constantior, quàm cùm castra mutasti.
Numquam insignior, quàm cùm deseruisti Manichæi signa.
Miles transfuga, acclamatus es Imperator.
Ostendisti jam sanior MANETEM, *& nomine, & re insanum.*
Xerxes perculit infestum ferro Pelagum,
Sed acutiùs tu stylo PELAGIUM.
Nemini tam felix fortuna fuit in bello, quàm tibi;
Cùm Felicianum, Fortunatum, Faustum, triumphatos,
Inominata fecisti nomina.
Victricis gratia libera suspendisti trophæa,
Sed nullum nobilius, quàm teipsum.

Sed quid hæc, quasi mortuo, brevi panegyri parentamus? vivit, & vivet, memoria posterorum sempiternâ *Augustinus*, mortuus, vivus contra omnes etiam subnascentes hæreses Doctor, & Catechista egregius.

S. Franciscus de Sales Episcopus Gevenensis l. 7. epist. 59. narrat, venisse ad se aliquando summo mane virum quendam benè doctum, multos annos ministri officio apud hæreticos functum, & conversionis suæ causas referentem dixisse, usum se Catechista, seu instructore in fide, *Episcopo totius orbis doctissimo*. Expectabam, inquit Salesius, celebre aliquod inter hodiernos Præsules nomen; quando mihi *Augustinum* nominavit. Est verò D. Augustinus insignis hæreticorum Catechista, dux & lux, cùm locis passim omnibus, ubi ætatis suæ errores exagitat; tum iis præsertim, ubi de Ecclesia disputat, germanisque ejus notis, quod illi frequentissimum lib. contra epist. fundament. c. 4. rationem reddens, cur Manichæos, in quorum hæresi educatus fuerat, deseruerit, & ad Ecclesiam Catholicam reversus, constantissimè in illa manere statuerit, quater-

nas Ecclesiæ notas adfert, pro fidei suæ fundamento: *Multa sunt*, inquit, *quæ in ejus gremio me justissimè tenent: tenet consensio populorum, atque gentium. En unitatem. Tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutritá, caritate auctá, vetustate firmatá, en sanctitatem. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum. En Apostolicam Ecclesiam. Tenet postremò ipsum Catholica nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. En Catholicam Ecclesiam.* En brevem, sed super omnia volumina aliorum, efficacem rationem. Vivet in æternum, & spirat etiamnum, post tot sæcula ardens illud, & inflammatum seraphico igne cor, miraculum & spectaculum perpetuum.

§. IV.

Mirabile spectaculum, & spectabile miraculum COR AUGUSTINI, *divino jaculo vulneratum, & inflammatum, ipso teste:* SAGITTAVERAS TU COR NOSTRUM CHARITATE TUA. lib. 9. conf. c. 2.

Cor Augustini charitate vulneratur.

UT cor hoc, pharetram illam ardentium jaculorum, officinam charitatis, fornacem ignis ardentis, qui non extinguitur, vobis describam, opus est, ut unus de beatis Seraphim, mihi pennam ex alis suis velociter scribentem excutiat. Nam telum, quo Augustini cor transfixum est, non fuit *obtusum, quod habet sub arundine plumbum*; sed, vulnus *quod facit, auratum est, & cuspide fulget acutá*, ut penetret ad interiores recessus, & omnia seraphico ardore, & amore inflammet.

Ovid. lib. 1. metam.

Cælestis ille Cupido, divinus amor, qui sagittarius, jaculator, & venator animarum est, pharetram variis sagittis instructam habet:

Déque sagittifera promit sua tela pharetra.

Variæ sagittæ divini amoris.

Quibus nonnullos, tribulationis, alios timoris sagittis; quosdam sagittá *potentis acutá cum carbonibus desolatoriis configit.* Sed præ eis, totæ igneæ, quibus prædilectas sponsas, & eximios planè Sanctos sauciavit, sunt sagittæ seraphici amoris. Nec mirum, inquit Hieronymus ad Principiam, *si sponsus tuus habeat plures* SAGITTAS.

Hieron. ad Principiã, epist. 140.

Simili ferè ratione Mythologi, & Poëtæ, fictos deos, arcu, jaculis, & sagittis instruxerunt; sed hæc saniori, & sanctiori sensu in sacris symbolis, Deo vero tribuuntur.

Hus læus Vates telis tribulationis, valido arcu, à potenti Dei manu immissis, planè saucius, exclamat: *Quia* SAGITTÆ DOMINI IN ME SUNT, *quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me.* Quid mirum, inquit Job, si lamenter, & verba mea dolore sint plena? siquidem sagittæ Domini, quæ sunt ingentia, & portentosa mala, à Deo illata, me ita sauciant, atque discruciant, ut respirare nequeam: ipsa nimirum testata prodigiis indignatio Dei, eripit mihi halitum, & terrores, qui oriuntur è prælio Dei tela vibrantis, exanimant; cùm adhuc arcus ejus intentus sit ad plagam ulteriorem. Hæ plagæ Domini acutæ, tribulationis, & correctionis sunt, ut homo convertatur ad Deum: *Quis enim est spiritus hominis, nisi spiritus elationis?* SAGITTÆ *autem Domini, spiritum hominis ebibunt, cùm superna animadversionis sententia, inflictam mentem ab elatione compescunt.* Hîc Davidem spiritu elatum, & hæc præfidenter jactantem: *Dixi in abundantia cordis mei, non movebor in æternum*, subitò percussum, ad se, & sobriam mentem redire compulerunt, ut exclamâtit: SAGITTÆ *tuæ infixæ sunt mihi*: ubi D. Basilius: *Quemadmodum Iob* DIABOLI SAGITTAS, *ulcera corporis permissione Domini facta,* DOMINI SAGITTAS *nominavit; sic verosimile est etiam Davidem, hic* SAGITTAS DOMINI *dixisse, quoniam permissione Dei, adversarius ipsum impugnabat, ut disceret non dicere:* NON MOVEBOR IN ÆTERNUM.

Iob c. 6. 4.

Corderius hic.

Sagittæ tribulationis.

Greg. in Iob. lib. 7. mor. c. 5.

Ps. 37. 2.

Basilius hic.

His correctionis, & animadversionis sagittis, plures electos, ad cor redire, à terrenis & exterioribus, ad interiora, & Deum recurrere fecit: hos, ut Jobum, plagis immissis velut sagittis acutis, paupertie, jacturâ bonorum, fame, quà nullum telum acerbius; illos morbis, morte charorum, aliisque calamitatibus sauciando, *ut in tribulationibus positi, omnes recurrant ad te.* Nam, ut rectè summus Pontifex, & Doctor Gregorius: SAGITTÆ DOMINI, *spiritum hominis ebibunt, quia intentum exterioribus, introrsus trahunt:* intentum terrenis, trahunt ad cælestia: intentum carni & sanguini, trahunt ad spiritualia: intentum flagitiis, & peccatorum sordibus, trahunt ad lavacrum pœnitentiæ, ut velut cervi saucii, *recurrant ad te*, fontem aquæ vivæ. Talis cervus saucius Augustinus: *Punctus tribulatione,* inquit, *cæpi quærere refugium, cæpi pœnitere, & confiteri nomini tuo.* Unde sic rectè concludit Gregorius: SAGITTARUM *ergò indignatio, justi spiritum ebibit, quia superna sententia electos, quos in peccatis inveniunt, dum vulnerant, immutant, ut duritiam suam transfixa mens deserat, atque ex salutifero vulnere, sanguis confessionis currat.*

August. in Psal. 55.

Greg. cit.

August. in Psal. 93.

Greg. cit.

Ejusmodi telo se primò saucium fatetur Augustinus: *Inhiabam honoribus, lucris, conjugio; & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio, tantò magis, quantò minus sinebas mihi dulcescere, quod non eras tu.* VIDE COR MEUM *Domine, qui voluisti ut hoc recordarer, & confiterer tibi. Nunc tibi inhæreat anima mea, quando de visco tam tenaci mortis exuisti. Quàm misera erat, &* SENSUM VULNERIS TU PUNGEBAS, *ut relictis omnibus, converteretur ad te, & sanaretur?* Quàm multis hoc accidit, qui dum de statu dejecti, ad incitas redacti, periculis expositi, morbis afflicti, morti vicini, adversæ fortunæ telo saucii, ut ex salutifero

fero vulnere ad medicum recurrant, & *sanguis confessionis fluat?*

Ejusmodi sibi meritò cum Propheta gratulari possunt: SAGITTÆ TUÆ *infixæ sunt mihi*; illi verò conqueri, & lamentari, quos sagittæ Domini prætervolant: sic etenim Corderius " noster hîc: nec caret mysterio, quod eas in " se esse dicat, ac cordi infixas, quod boni omi- " nis esse, ex Jonathæ jaculatione colligitur. " Jaculabatur scilicet arcana significatione sa- " gittas, in gratiam Davidis, intimus ejus ami- " cus Jonathas; & hic quidem sagittarum scopus, sensusque erat: *Si dixero puero: ecce* SAGITTÆ INTRA TE SUNT, *tolle eas, tu veni ad me; quia pax tibi est, & nihil est mali, vivit Dominus. Si autem locutus fuero, ecce* SAGITTÆ ULTRA TE SUNT, *vade in pace, quia dimisit te Dominus.*

Corderius in Iob. cap. 6. v. 4.

1. Reg. 20 v. 22.

Aptissimè hoc, mysticum loci hujus sensum illustrat, & enim si Dei sagittæ ultra " peccatorem sunt, actum est de illo, & dimi- " sit eum Dominus secundùm desideria cordis " ejus. At si sagittæ intra illum sunt, si percus- " sus, & tribulationibus vexatus est, pax illi erit, & nihil est mali, vivit Dominus. Sic sensit Hugo Cardinalis: *Citra illum dicuntur esse* SAGITTÆ DOMINI, *quem vulnerant ad pœnitentiam, ultra illum sunt, quæ non movent, & talem dimittit Dominus profugum, & exulem.*

Hugo Car. hic.

Ejusdem rationis censentur sagittæ timoris, & terroris *cum carbonibus desolatoriis*: nam ut observat Seleuciensis Antistes: SAGITTAS POTENTIS ACUTAS *in remedium exquirit: quærit item carbones sibi adesse desolatorios, ut quorum corda ob duritiem*, SPIRITUALES SAGITTÆ *non contingant, his paratum sit supplicium, quod carbones desolatorios appellavit.* His sagittis non solum peccatores; sed & Hieronymus, Hilarion, Theresia, aliique sancti saucii, in Seraphicos ignes exarsere.

Sagittæ timoris.

Basilius in psal. 44.

Hisce telis, cum Psalte regio, configi optabat Augustinus, dum sic in meditationibus suis exclamat ad Dominum: CONFIGE TIMORE TUO *carnes meas* (id est carnales concupiscentias) *lætetur cor meum*, UT TIMEAT DOMINUM: *Utinam te sic* TIMERET *peccatrix anima mea, quomodo ille vir sanctus, qui dixit: semper enim, quasi tumentes super me fluctus*, TIMUI DEUM.

Aug. medit. c. 34.

Has sagittas Deus indies in obduratos peccatores, & corda inimicorum Regis, contra ipsa tela æquissimi immittit: *Quia plures sunt potentissimi Regis inimici, qui vulnerati fuerant* IGNITIS SAGITTIS DIABOLI, *& quasi cervi*, SPICULO PERCUSSI *in jecore*; SAGITTÆ DOMINI *mittuntur ignita, cum carbonibus desolatoriis, ut quidquid vitii in corde inimicorum Regis fuerit, excoquant, & salutari igne, ignem ejiciant perditorem.*

Hieron. ad Principiā epist. 140.

Aliæ sagittæ sunt divini eloquii, & cælestis sermonis, penetrabiliores omni gladio ancipiti, de quibus ipse Augustinus: *Solemus verba Dei*, SAGITTAS *accipere, verba enim Dei* TANQUAM SAGITTÆ EXCITANT AMOREM, *non dolorem.* His sagittis sponsa vulnerata est, *ut dilectus locutus est*: his Paulus vulneratus est dum vox Domini de cælo delapsa; his Augustinus se confixum fatetur: PERCUSSISTI COR MEUM VERBO TUO, *& amavi te, &* GESTABAMUS VERBA TUA TRANSFIXA VISCERIBUS. Dum hæc jacula infixa hærent cordi, quid non alterationis, commotionis, mutationis operata sunt? ipsum audite: SAGITTÆ, inquit, *potentis acuta, verba Dei sunt, ecce jaciuntur, & transfigunt corda. Sed cum transfixa fuerint corda* SAGITTIS VERBI DEI, *amor excitatur, non interitus paratur. Novit Deus* SAGITTARE AD AMOREM: *nemo pulchrius* SAGITTAT AD AMOREM, QUAM QUI VERBO VERE SAGITTAT; *imo* SAGITTAT COR AMANTIS, *ut adjuvet amantem*; SAGITTAT, *ut faciat amantem.*

Sagittæ verbi Dei

Aug lib. 10 conf. cap. 6.

Idem in psal. 119.

Sed jaculo verbi Dei confixi, sic amant, ut vulnerati adhuc doleant, quod eo careant, quē amant: cum enim dixisset *sagittas has excitare amorem, non dolorem*, mox subjungit: *quamvis ipse amor non possit esse sine dolore: quidquid enim amamus, & non habemus, necesse est ut doleamus; nam ille amat, & non dolet, qui quod amat, habet; qui autem non habet quod amat, necesse est ut gemat. Inde verba Dei sunt* SAGITTÆ CORDI INFIXÆ; *quia inde fit ut amemus, & donec habeamus, salubriter doleamus.*

August. in psal. 37.

Huic dolori medendo supersunt aliæ sagittæ aureæ amoris, quæ sine dolore vulnerent, & dum Deum ipsum, qui *Charitas est*, in cor ejaculantur, totum in Deum inflammant, & foras pellunt omnem timorem, & dolorem.

Sagittæ amoris.

Hieronymus illud Psaltis exponens: SAGITTÆ TUÆ ACUTÆ, POTENTISSIMÆ, POPULI SUB TE CADENT, Principiam, nobilem genere, & virtute matronam collaudat, dicens: *Hic versiculus tibi potissimum aptus est, quæ* JACULO DOMINI VULNERATA, *cum sponsa in canticis canis*: VULNERATA CHARITATE EGO SUM.

Hieron ad Principiā. epist. 140.

Hic versiculus aptus est Paulo, etenim de cælo EMISSA EST SAGITTA: *corde percussus est Saulus, nondum Paulus. O sagittam acutam potentissimam, quâ acceptâ cecidit Saulus, ut esset Paulus.*

August. in psal. 44.

Quid amoris, quid ardoris ex hac sagitta eruperit, leges in codice Pauli; sed melius ex corde ejus intelliges, de quo Chrysostomus aureum illud extulit elogium: COR PAULI, *tabula Spiritus sancti*, VOLUMEN CHARITATIS, ex quo hæc ignea jacula emisit: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Charitas Christi urget nos. Quis nos separabit à Charitate Christi?*

Si nobis daretur, quod beatis in cælo mentibus concessum est, introspicere cor illud Augustini amabile, & mirabile, daretur & istud videre ac legere, ingens *volumen charitatis*; in quo, quid non leges? quam ardentia desideria ex hac fornace eructabat, quibus ignem suum ventilabat, dum in hæc vota erupit, quæ utinam & nos in meditatione nostra accendant: *Rogo te per illa salutifera vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es*: VULNERA EAM IGNEO ET POTENTISSIMO TELO TUÆ NIMIÆ CHARITATIS. TU SA-

August. in medit. c. 37.

GITTA ELECTA, *quæ scutum* HUMANI CORDIS *penetrare tuâ potentiâ vales;* CONFIGE COR MEUM JACULO TUI AMORIS, *ut dicat tibi anima mea,* CHARITATE TUA VULNERATA SUM. Meritò, *amor vulnerans* à Richardo de S. Victore nuncupatur. Dicitur autem cor amore vulneratum, quando amoris sagittâ transfixum, intimè gemit, suspirat, ardet, & æstuat, & omnia in se hoc igne consumi exoptat, ut solus, & totus cor occupet, & inflammet. Quo spectant hæc ignea missilia: *Totum cor meum flamma tui amoris accendat, nihil in me relinquatur mihi, nec quod respiciam ad meipsum, sed totus ad te, tamquam inflammatus à te.*

August. in psal. 127.

Inter hæc amoris fomenta, & cordis fornace eventilata desideria, proponite ob mentis oculos, quod fidi auctores opinantur, unum de beatis illis Seraphim advolasse, & igneo Seraphici amoris telo, *cor Augustini* transfixisse, ut piè, & verè de seipso: SAGITTAVERAS COR NOSTRUM CHARITATE TUA: Ita Lancellotus, Joannes ab Angelo, & Emanuel Carea tradidere, qui sic cecinit:

Aug. lib. 9 conf. c. 2.

Gentis Eremitica Pater Augustinus amore
Divino accensus, Christum meditatus, ab illo
Fonte capit plagas, & ab illo fonte SAGITTAS.

Quo spectat illud Rabadineiræ in vita: AUGUSTINUS *Doctor Doctorum, inter doctos sanctissimus, inter Sanctos doctissimus, Cherubim per scientiam,* SERAPHIM PER AMOREM. Amor autem unius Seraphim, omnes alias amoris faculas, quæ umquam in pectore Sanctorum exarserunt, utpote longè sublimioris ordinis, longè exsuperat.

Sed non hoc satis; parum Augustino fuisse videtur, ut cor suum unus de Seraphim vulneraret; nisi ipse amor divinus, cælestis ipse cupido, seipsum pro jaculo in amantem conjiciat, ut Anacreon in profano, & insano amore lusit.

Iaciebat ipse tela; vertebam & ipse terga,
Tandemque missili omni, cum destitutus esset.

Penetrans & in cor usque, ita æstuans, *jecit se in me.* Hoc disertè innuit, dum ut supra diximus, exclamavit: VULNERA COR MEUM IGNEO, ET POTENTISSIMO TELO TUÆ NIMIÆ CHARITATIS: TU SAGITTA ELECTA, *quæ scutum humani cordis penetrare tuâ potentiâ vales.* Nec hoc mirum, si Hieronymo credimus, *cum patris ipse sit* JACULUM, *& loquatur cum in Isaia: posuit me* QUASI SAGITTAM ELECTAM, *in pharetra abscondit me.* Sic, ut ubi divinus amor cordi ejus arctissimè coaglutinatus est, cor unum, & anima una, igne charitatis, quodammodo facta sit, unde augustum illud Augustino convenit encomium, quod Chrysostomus Paulo tribuit: *Cor Christi, erat cor Pauli.*

August. in meditat. c. 37.

Hieron. ad Principiâ. epist. 140.

Chrysost. hom. 32. ad Rom.

In talem animam, dicit Gregorius Nyssenus, ipsum Dei Filium se quasi jaculum immittere, dum sic eam loquentem inducit: *Deus in me sponsam suam, tamquam in scopum Unigenitum filium suum jaculatus est, de quo per Prophetam dictum est: posuit me quasi* SAGITTAM *electam,* SAGITTA *autem illa me penetrans, secum simul adduxit* SAGITTARIUM.

Greg. Nyss. hom. 4. in cant.

Hortatur & vos, sponsas Christi, & quotquot, adestis, ardentes animæ, qui spiritu Augustinum genuit Ambrosius: *Nudemus corda nostra bono vulneri, nudemus* SAGITTÆ ELECTÆ, *quæ Christus est. Bonum est hac vulnerari* SAGITTA, ex qua salus, & vita: sic etenim alibi disertè: *Bona vulnera Charitatis, quæ non sunt timenda, sed optanda: cum in illis sit vera salus, & vita;* quæ non sauciant, nisi ut sanent, & frigido secordiæ lethargo insensibiles, divino calore animent, & inflamment.

Ambr. in psal. 118.

Amb. in Apolog David. cap. 18.

Ita de his sagittis magnus Gregorius: *Corda nostra malesana sunt, cum nullo Dei amore sanciantur; sed vulnerantur ut sanentur: quia* AMORIS SUI SPICULIS *mentes Deus insensibiles percutit: moxque eas sensibiles per ardorem Charitatis reddit.*

Greg. lib. 6 moral.

Christus è terris in cælos abiturus, primum explorat quam in se ardens esset Petri voluntas, quam flagrans amor; deinde tum agnos, tum oves committit: sic enim ad illum: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Cui Petrus: *etiam Domine, tu scis, quia amo te.* Dicit ei: *Pasce agnos meos.* Tum iterum: *Simon Ioannis diligis me?* ait illi, *etiam Domine, tu scis quia amo te.* Dicit ei: *pasce agnos meos.* Denique dicit ei tertiò: *Simon Ioannis amas me?* cui Petrus subtristis ait: *Domine tu omnia nosti: tu scis, quia amo te.* Tum illi Dominus: *Pasce oves meas. Ecce,* inquit Augustinus, *ut interrogatur amor, & imperatur labor.*

Ioan. 21. v. 15.

Quod olim D. Petro Servator optimus, hoc deinde D. Augustino; hanc enim vocem, velut è cælo delapsam audiit: *Augustine amas me?* cui ille: *Domine tu nosti, quia amo te.* Ad hæc Christus: *Age dum edissere quantum me ames?* Tum in ardentissima illa suspiria, & vota prorupit: *Domine, si omnia corporis mei ossa forent lampades, & sanguis omnis per venas, perque membra diffusus, balsamum foret, & lampades arderent, & balsamum consumeretur, tu tui solius honorem, sicque totus in holocaustum tibi conflagraret Augustinus.* Cui deinde Christus: *an ne quidquam faceres amplius?* excepit Augustinus: *Si venæ omnes meæ, & nervi vincula forent aurea, te utique illis cordi meo alligarem, & æternùm quidem.* Ad hæc, terriò illi Christus: *Majorem insuper à te exigo amorem, & illum mihi dona;* Cui Augustinus reddidit illud paradon, & adynaton: *Tanta te:* (ô amor mi) *dilectione prosequor, ut si, quod fieri numquam potest, ego Deus forem, & tu Augustinus esses, omninò vellem ego fieri Augustinus, ut tu fieris Deus.* Dixit, & amore victus obticuit: quid enim amplius aut cogitare, aut eloqui potuisset? cum supra omnia possibilia, amor etiam impossibilia tentasset; nec vanè, sed sanè, non otiosè sed religiosè; quia ut inquit Rich. Victorinus: *Etsi plus posse suo, non tamen plus velle suo.* Amantium vota, & desideria etiam impossibilia, Deo maximis in deliciis, sunt possibilia. Hæc tu, ô devota, ô religiosa anima imitare, meritò super omnes actus amoris, summè meritorio. Etenim si peccatores, si dæmones voto, ac desiderio suo impossibili, actum odii Dei gravissimum elici-

Lancellot. l. 3 c. 42. Valderama in theatro. Vega serm. in dom. 11 post pentec.

Richard. Victor. in psal. In mandatis ejus cupit nimis.

unt,

unt, vos impossibilia optando actum charitatis nobilissimum exercebitis.

Arist. lib. 3 Ethic. c. 2. Princeps Philosophorum Aristoteles, verissimè pronuntiavit: *Voluntatem esse impossibilium, ut mortalitatis*; quam ille impossibilem ducebat; nec dubium, quin voluntas velit impossibile, intentione efficaci, non absolutè, sed ex sua. *Lessius opusc. posthum. q. 13 de electione c. 25.* Ita, inquit Lessius, possum velle ut parens non sit mortuus, ut nunquam peccaverim, & seriò pœnitens, intendit efficaciter destructionem peccati, etiam quoad esse præteritum; quæ ex suppositione impossibilia, ut quidam impii optant & volunt Deum non esse, quo impunè peccent, teste Bernardo: *Bern. serm. 3. de Resurrect.* *Ipsum quantum in ipsa est, Deum perimit voluntas propria: omnino enim vellet Deum, peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire; vult ergo eum non esse Deum, quæ quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum, aut insipientem.*

Blasphema prorsus, & planè execranda malitia, quâ Dei potentiam, justitiam, sapientiam destrui desiderat. Ita omnes damnati, efficaciter ex parte sua, destructionem Dei, & sui volunt. Consimili ratione juxta Scotum, Gabrielem, aliosque Doctores, peccatum primi Angeli fuit, quo affectavit esse æqualis Deo, secundum substantiam; quæ sententia, inquit Lessius est probabilis.

His positis, quis inficiabitur sanctas, ac sublimes mentes, piis votis, ac fervidis desideriis ad impossibilia committi? Dum in amore extatico ad Deiparam Birgitta: *Sic amo te, Maria, ut malim me Birgittam numquam natam, imò damnatam, quam ut Maria filia Ioachim, non fuerit mater Dei.*

Ejusmodi sunt hæc animantium vota, Moysis: *Si non dimittis, dele me de libro vitæ*; & Pauli: *optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Theresiæ, quæ optabat ad extremum judicii diem flammis piacularibus torqueri, modò vel sic unam animam lucrifaceret: Catharinæ Senensis, quæ optabat collocari super os inferni, ut sic eum aliis occluderet; petiitque à Domino, omnia tormenta, quæ peccatores, propter sua scelera merebantur, pati, quò sic veniam perciperent, ipsaque pro eis persolveret.

Quæ ardentissima desideria ex parte sua efficacia, Deo non minus grata, quam si absolutè effectum sortita.

Alterum hinc fructum decerpamus, ut sibi quisque persuadeat, has Christi voces ad aures cordis sui, ut olim S. Augustini, adlabi: Petre, Paule, Joannes, Anna, Agnes, Catharina: *amas me*: Quid tu hic aptissime, consultissime Domine respondeas? O Domine, *sic amo te*, ut propter nullum lucrum terrenum, propter nulla quantumvis pretiosa munera, à rectitudine justitiæ, vel latum unguem deflectens, te supremum judicem offendam.

Quid tu adolescens, adolescentula: *sic amo te*, ut omnes delicias carnis, & fœdas voluptates, malim mihi in cruciatus æternos commutari, quam ut iis me contaminans, amori tuo excidam.

Quid vos conjuges, patres, matresque familias? *sic amo te*, ut cum sancta Blanca optem millies filium ante oculos funus videre, quàm noxam mortalem admittere.

Hoc denique apud se quisque statuat: *sic amo te*, mi Jesu, ut malim vivus ad inferos deturbari, quam ullo umquam graviori scelere infinitam tuam majestatem offendere.

Sic amo te, ut in me omne agmen morborum, ac dolorum immitti postulem potius, quàm vel veniali peccato immensæ tuæ bonitati displiceam.

Ac tandem exclamet quisque ardenti corde cum Augustino: *August. soliloq. c. 18.* *O amor, qui semper ardes, & numquam tepescis! accende me, & accendar totus à te, ut totus diligam te solum: minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*; minus te amat, qui tecum fluxas divitias, honores amat: qui tecum mundi delicias, epulas amat, qui tecum hortos, flores, felem, canem amat. Aliter Hipponensis præsul, de quo S. Prosper: *August. in psal. 65.* *Unus, & SOLUS Deus erat illi cibus, vita, requies, voluptas, amor, & honor.* Unde ipse de se fatetur: *totum me consumit ignis tuus, nihil mei remaneat mihi, totum sit tibi.*

Hic ignis consumpsit in Augustino affectum spectaculorum, consumpsit vinculum pravorum sodalium, consumpsit sermones omnes obscœnos, amorem omnem carnalem, & voluptates sæculi: Hoc vestrum omnium, hodierna die, votum sit, ut *Deus noster*, qui *ignis consumens est*, vos totos in se convertat, & quidquid vanum, quidquid limosum, quidquid fæculentum, ardoris sui radiis consumat, ut in dilectione solius Dei constanter, & sine cessatione ardeatis. *Deut. 4.* Quâ super re disertissimum Oratorem, iterum, iterumque audite: serm. 60. de tempore: *Aug. serm. 60. de tempore.* *In reliquis operibus bonis, potest quis excusationem prætendere; in habenda vera dilectione nemo potest se excusare. Potest mihi aliquis dicere, non possum jejunare, numquid potest dicere non possum amare?*

Potest quis dicere, propter infirmitatem, non possum vino, carnibus abstinêre, *numquid potest dicere, non possum amare?* Ab amando ubique, & semper, nemo excusatur, nec juvenis, nec senex, nec vir, nec mulier, nec dives, nec pauper. Potest juvenis operarius, mulier gravida, vir æger dicere, non possum jejunare, servus, ancilla, legitimè impediti: non possum sacrificio interesse. Homo tenuioris fortunæ: non possum eleëmosynam elargiri, *numquid dicere potest, non possum amare?* profectò numquam ignis ille divinus in corde nostro extingueretur, si, ut olim cor Augustini, ignem jaculo transfixum, inflammatis desideriis, veluti lignis foveretur; cujusmodi sunt illa: *August. in solil. c. 34.* *Quid est hoc quod sentio? quis est ignis qui calefacit* COR MEUM? *quæ est lux quæ irradiat* COR MEUM? *(& quid in angulis latet, manifestat) O ignis qui semper ardes, & numquam obscuraris, illumina me. O utinam arderem ex te. Ignis sancte! quam dulciter ardes, quàm secretè luces, quàm desideranter aduris! væ iis qui non ardent ex te.*

Væ iis, qui ardent alio igne, & *non ex te!* væ iis, qui ardent luxuriâ, irâ, invidiâ, zelotypiâ, & *non ex te!*

Videor mihi cor illud amabile, & admirabile D. Augustini, quod ipsa charitas, & cor Christi occupavit, rectè nuncupari posse, quod sit *thronus Trinitatis, arca lata Charitatis*, in qua, ut mysteria omnia recondita sunt, ita in corde Augustini maximè mirabilia operata est. Cor illud, in quo ignis ille ardet, qui non extinguitur, in cineres redigi non debuit, aut potuit; sed etiamnum inaudito prodigio amat, & clamat, quam hic in terris, lingua, & calamo venerati, & in cælis contemplari solet SS. Trinitatem.

Bern. hymno de passione Dom.

Audire miraculum, idque perpetuum, ab orbe condito insolens, & inauditum, quod Joannes Ferrandus noster, & Ludovicus de Angelis, de Corde S. Augustini, sui in Christo parentis sanctissimi exaravit.

Ferrandus disquisitio Reliquiaria lib. 2. pag. 419. Lud. de Angelis. lib. 6. de vita & laud. lib. S. Augustini Lancellot lib. 3 c. 43.

Sigibertus, Episcopus Lugdunensis, divi Augustini studiosus in paucis, in multis à Deo votis, precibusque supplere expetierat, aliquas illius Divi Reliquias, (exuvias utique magnæ mentis) quas dum ambit, amatque, sub horam primam in oratorio suo de more, dum eadem vota, precesque animo explicat, subitò indormit. Et ecce sopito, & dormienti adest Angelus, qui manu præfert vasculum crystalinum perelegans, cujus pedunculus ex auro obrizo, circuli circumquaque aurei, pixis autem ipsa gemmarum luce, nitoreque spectabilis: quam cum in ipso sacelli altari reposuisset; sic ad Episcopum: *Ecquid dormis Sigiberte?* dixit, & Sigiberto somnum excussit, qui sibi redditus: *Ecquis*, inquit, *es?* Cui ille: *ego sum Angelus*, AUGUSTINI *quoudam tutelaris, qui & illius in vita curam habui, & à morte etiam* CORDIS, *quod Deus in cineres redigi non est passus: qui enim in cineres iret cor illud*, QUOD ADEO ARSIT DIVINIS AMORIBUS: *quod Dei sedes: quod officina altissimorum de* SS. TRINITATE *& sensuum, & effectionum? exurge igitur, & quod tibi cælum donat munus, accipe.*

Dixit, & evanuit. At Episcopus assurgens, altarique jam proximus, in eo conspicit velut urnulam vitream, & in ea cor D. Augustini, adeò recens, integrum, vividumque, ac si modo eductum è pectore. Vidit, & obstupuit, ac convocato populo, ac Clero, ubi in gratiarum actionem accini jussit solemne, lætumq; acroama, *Te* DEUM LAUDAMUS: *mira res! & supra naturam mirabilis; cum ad eum versiculum deventum est:* SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS, *ecce* COR *palpitare, exilire, exultare, & quasi os ad laudem Dei aperuit, tamquam diceret:* O SANCTA TRINITAS *te dictando, prædicando, scribendo, canendo laudarem, si in corpore meo viverem. Quo viso, totus Clerus, & populus Dei, laudem clamaverunt, &* BEATUM AUGUSTINUM, *dignis præconiis extulerunt, dicentes:* O SANCTE AUGUSTINE, *lumen Ecclesiæ, ora pro nobis.*

Stupenda & perpetua miracula de corde S. Augustini

Necdum satis: ut enim certioribus argumentis constaret posteris, flagrantissimum illud cor, esse verum, germanumque tanti Doctoris: singulis quoque annis (ut refert idem auctor) in festo *sanctæ Trinitatis*, cum Missa canitur, & *Cor* super altare ponitur, mox omnibus intuentibus, se *Cor* movere incipit, quasi piscis in aqua; & sic inolevit ex institutis Romanorum Pontificum, quod semper in festo ejus canitur præfatio de *sancta Trinitate*. Atque, ut ulterius miraculum hoc Sanctorum maximum cognoscatis, cor ipsum evidentibus signis loquitur. De quo Jordanus de Saxonia, vir non eruditione minus, quam vitæ sanctimoniâ clarissimus in hæc verba: *Secundùm probatissimorum virorum auctoritatem, in tota Ecclesia fide digna, famatum est, quod* COR *istius Doctoris inclyti, in urna crystallo inclusum, quoties* SANCTA TRINITAS *coram eo nominabatur, vel liber ejus* DE TRINITATE *expandebatur*, COR IPSUM *quasi vitaliter, & intellectualiter exultabat, cujus simile de nullo alio sancto dicitur.* Unde videre est, nullum aptius symbolum excogitari potuisse, quam ut divinissimus hic præsul, cum corde ardente depingeretur.

Ferrandus cit.

Iordanus de Saxonia serm. 149. Ferrandus cit. Hieron. Romanus Annal. Aug. cent. 6. ad ann. 50.

Vultis aliud prorsus singulare, prodigiisque maximis, majus miraculum? *notandum ex historiis illustrioribus, ac veris, numquam in Ecclesiam, ubi* COR S. P. N. AUGUSTINI *erat, ingressum fuisse hominem hæreticum: vel enim intus moriebatur, vel in limine cadebat. Hac de causa pingi solet* COR *in vase pulchro super altare, ante quod multi jacent hæretici consternati, & emortui.*

Ubi nunc, qui clamant: AUGUSTINUS *nullum patravit miraculum*, cum stupenda, & in vita ediderit prodigia, ut apud Lancellotum, Nævium, aliosque videre est. Sed his omissis, maximum Augustinus ipse miraculum fuit.

At hoc ipso, quo nullum diceretur perpetrasse miraculum, illo quo *non surrexit major, Ioanne Baptista*, non minor est, de quo illud primæ Veritatis exstat oraculum: *Ioannes nullum signum fecit*; ita maximè mirandum, & deprædicandum divinæ benignitatis in Augustino prodigium, quod vir adeo divinus esset, & ea apud homines, omnis sanctitatis, & doctrinæ famâ fulgeret, ut citra miracula, alter quasi Joannes Baptista in veneratione, & honore apud omnes esset, unde jure merito Simplicianus à S. Martino de ipso pronuntiavit: *totus* AUGUSTINUS *miraculum est*, sicut de illo verè affirmare possim, quod D. Bernardus de S. Malachia, Ordinis sui viro Religiosissimo: *inter multa magnaque miracula, maximum quod fecit*, IPSE MIRACULUM EST.

V. Anti-dogmatis S. Augustini.

Simplicianus in vita n. 73. Lippoman. in vita S. Malachiæ.

Augustinus in prodigiosa sua conversione *miraculum est*: in ingenii subtilitate, & perspicacitate *miraculum est*: in eloquentiæ suavitate, *miraculum est*: in profundissima humilitate, & sui contemptu, *miraculum est*: in librorum, quos & multitudine, & omnis scientiæ admirabili eruditione conscripsit, *miraculum est*: in triumphis adversus hæreticos reportatis, *miraculum est*: in flagrantissimo Dei, & proximi amore, quo potenter exarsit, *miraculum est*: omnium virtutum maximè illustrium splendore, *miraculum est*: Cor illud amabile, & mirabile, sedes ac domicilium divinitatis, sacrarium SS. Trinitatis, fornax divini amoris, etiam palpitans, & quasi spirans, stupendum, & *perpetuum miraculum est*: Denique *totus* AUGUSTINUS *miraculum est*. dicta, scripta, facta, vita omnis *miraculum est*: his omnibus enarratis, unum me amabili stupore de-

defixum tenet *magne Pater Augustine*, pulcherrimum operis tui, id est, Ordinis tui, tot magnorum Heroum sanctimoniâ, doctrinâ, prodigiis, stellarum instar, in perpetuas æternitates micantium, spectaculum, & miraculorum *maximum miraculum*.

Certè Ticinensis in suo propugnaculo celeberrimi hujus Ordinis hoc adstruit, quod mirè facit ad splendorem, honorem, & admirationem illustrissimæ familiæ, Canonicorum Regularium: ex eo prodiisse *Romanos Pontifices* quatuor supra quinquaginta: *Cardinales* autem mille quingentos, sexaginta septem. Et hæc à tiara pontificia majestas fuit; ille à purpura nitor, decorque. Sed audeo dicere major ab illis, quos Beatorum fastis adscriptos suscipit universus terrarum orbis. Fuerunt autem illi sedecim mille, ducenti: *Breve elogium; sed prolixum totius laudationis, quæ nulli unquam religiosæ congregationi attributa, suffragium*, inquit; idem Ticinensis.

Et hæc divi Augustini instituto à Canonicis Regularibus addita lux, & claritudo. Suppar illi alia à Monachis, & Eremitis; quorum splendorem, cùm ferre non posset Petilianus, dente Theonino, & morsu Leonino proscindere non dubitavit. *Perrexit*, inquit Augustinus, *ore maledico in vituperationem monasteriorum, & Monachorum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit institutum*. Sed stabunt sub hoc duce, gloriosa Dei castra inconcussa, sub cujus signis idem institutum, Regulamque complexi Ordines religiosi, omninò quadraginta militant, gratissimo, Deo, & Angelis, & hominibus spectaculo: & perpetuo divinæ potentiæ, ac providentiæ miraculo. *Augustin. contra Petilian.*



FESTUM
SANCTISSIMÆ VIRGINIS
MARIÆ NATÆ.

Ab æterno ordinata sum. Proverb. 8. ℣. 23.



O NATA *mecum!* Horat.

ARGUMENTUM.

Cum nondum essent abyssi, ante montes & colles, hæc stella hodie nata, ab æterno ordinata est, quam Sibyllæ prædixerunt, & singula sæcula, ut Damascenus loquitur, optaverunt: Nam ejus Nativitas gaudium attulit universo mundo. Unde hæc moralis quæstio exoritur: An parentibus magis lætandum in nativitate filii, quàm filiæ? Quod variis in utramque partem argumentis disceptatur, ac tandem in nativitate filiæ magis gaudendum comprobatur: *Maria* etenim culpam & notam omnem Evæ, ad gloriam sexus fœminei, feliciter restauravit, cùm hactenus purus homo repertus non sit, qui fuerit Pater Filii Dei incarnati, hæc autem Mater exstiterit; quæ vel hoc titulo, omnium progenitorum prosapias infinitè antecellit. Quare non est, quod patres in filiis exultent, qui togâ vel sago nomen familiæ amplificare queant, cum filiæ suis & heroicis factis, & linguæ facundiâ, ac potissimùm vitæ sanctimoniâ familias illustrissimas reddiderint. Sed ne his longiùs immorer, omnes ad stellam ortam ex Jacob, in omnibus periculis recurramus, ad illam velut stellam polarem cor nostrum magnetis instar convertamus, hortante quemque nostrûm mellifluo Bernardo: *O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio, magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne avertas oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis.*

Bernard. hõ. 2. super missus.

§. I. *Quæstio moralis, quid conducat parentibus: Filium genuisse an filiam? cùm filia* MARIA GAUDIUM ANNUNTIARIT UNIVERSO MUNDO,

§. II. *Facta est* MARIA RESTAURATRIX FOEMINARUM, *quæ mulierum infirmitatem verè gloriosam reddidit, & lapsam Evam erexit.* Epiphan. serm. de laudib. Virg.

§. III. *Probatur mulieres familiam nobilitasse, nomen propagasse fortitudine bellicâ, maximè autem christianâ. Tum sacra ac profana scientia illustrasse, ut ex ea, quæ hodie filia nata est, omnibus perspectum erit.*

§. IV. *Orta est* STELLA *ex Iacob.*

FESTUM SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ NATÆ.

Ab æterno ordinata sum. Proverb. 8. ℣. 23.



Andem aliquando, post diuturnum 40. sæculorum luctum, atque squallorem, post crebra beatorum mentium in cælis vota, post inquieta miserorum hominum in terris desideria, post ardentium captivorum Patrum in lymbo suspiria, post summam demq; universitatis expectationem, dies nobis divinitùs illuxit, aurora Solis æterni mox orituri illustris, & fortunata, quæ cæcæ noctis pulsâ caligine, cælum, terramque incredibili gaudio cumulavit. Ut autem quanta sit hujus diei celebritas, quanta nobis eâdem collata felicitas omnibus sit perspectum, hoc mihi erit orationis argumentum, ostendere, omnes jam inde à primis mundi nascentis incunabulis ætates, (quæ sex numero recensentur) pro hodierna die, tanquam omnium dierum, quæ olim eluxerunt, & porrò in consequentes omnes ætates elucescent, sacratissimâ, atque jucundissimâ, certavisse contendisse. Cujus rei probandæ fundamentum nititur D. Joannis Damasceni auctoritate, qui, quod ego totius orationis curriculo fusissimè exponam, ille brevissimè verborũ compendio perstrinxit, dum hæc de hodiernæ diei solennitate magnificè pronũtiavit: *Certabant sæcula, quodnam Virginis ortu glorietur.* Hoc porrò certantium sæculorum spectaculum, eò erit vobis jucundiùs visu, nisi faciliùs relatu, si cogitatione vestrâ, Virginem necdum natam, advenisse fingatis; sed nascituram ab hominibus expectari persuadeatis. Quod, quia me vobis persuasisse confido, ecce progreditur orto, quam exitu felicior, *prima mundi ætas*, ab omnibus omnium ætatum hominibus, ob infaustissimum primi parentis casum, nunquam satis deploranda. Enimvero Adamus (tristè posteris omnibus nomen) postquam in amœnissimo voluptatis horto, in quo deliciis omnibus circumfluebat, motsu vetiti fructus (ô amarum fructum, quo hodièque dentes nostri obstupescunt) divini præcepti jura, quasi pertæsus felicitatis suæ, violaverat, repentè tanquam turbine aliquo, ac subita tempestate ex amplissimo felicitatis gradu, ac dignitatis fastigio eversus, in eas calamitates prolapsus est, ut quipaulò antè cunctorum animantiũ oomnius suòq; voto major, ac peromnia fortunâ hominis egressus fuerat, retineret subitò vestigium nullum pristinæ dignitatis, vel felicitatis. Ut prinsinè felicior, an postea miserior fuerit, non sit pronum interpretari: sed tollerandũ esset, si qui unus est auctor culpæ, solus esset particeps pœnæ. At nunc, unius calamitas, facta est omnium hæreditas; nemo quippe est compos vitæ, qui non sit reus mortis, ut jam crimen sit concipi, criminis pœna, nasci. Quis enimverò nostrũ est, qui à parentibus scelus, & cum scelere ærumnas non accepit? Quis parentum, qui ab avis non hausit? Quis avorum, qui à proavis non suxerit? Quis proavorum, qui ab atavis non imbiberit? Atque ita continua quadam successione, in hæreditarias quasi ærumnas devoluti, miseriorem morte vitam agitamus. Et quod indignius, hujus quod deploramus, dux fœmina facti. Quid? an ergo singularis fœminæ culpa, erit communis omnium pœna? An unius scelus, erit universorum interitus? Mortẽ subeat, quæ morti aditum prima aperuit, vitæ clausit, non tam viventium, quàm morientium omniũ mater, Eva. O infausti uteri fœmina, quæ quos effundis ad vitam, protrudis ad mortem! Satiùs fuisset semper fuisse miserũ; cũ in omni adversitate fortunæ, infelicissimũ genus sit infortunii, fuisse felicem. O Adam! bona commemorem, quæ perdidisti, an mala defleam, quæ reperisti? Eras Dei animatum simulachrum, eras mundi suspiciendum miraculum, eras omnium Dominus, eras universorum hæres; & cùm dicam toties eras, necesse est toties ingemiscas, quia non es, quod eras. Sed quid ego ploro? Quid næniis & lessibus funus humani generis prosequor? Mediocris calamitas solatium accipit, magnitudo calamitatis, sletio honoratur. Hæc mundi nascentis ætas, quo se Virginis nasciturae beneficio dignam ostenderet, præter indignitatem, & calamitatem, quâ opprimebatur, aliud non habebat; ut enim tempore erat prima, ita patiebatur malorum ultima. Sed tamen ut baberet illa ætas, quo suam leniret tristitiam, mitigaret luctum, ac mœrorem moderaretur, divina clementia aliam olim nascituram Evam promisit, cujus præsidio amissam invidi serpentis astu, cælestis gloriæ hæreditatem, Evæ filii denuò adirent. Deus enim ad serpentem conversus: *Inimicitias ait, ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum.* Quæ demum est mulier illa, nisi ea, cujus hodie auspicatissimam Nativitatem omnium generum, ætatum, ordinum homines omnes tantâ gratulatione celebrant, ac si non unius Virginis, sed omnium hominum, dies hæc esset natalis? Hoc æternæ Veritatis seu pollicentis promisso, seu prædicentis vaticinio, prima mundi ætas, doloris sui magnitudinem non mediocriter temperabat.

Damasc. de ortu Virg.

Prima ætas.

Gen. 3. 15.

2. Ætas. Interim in primâ mundi ætate expirante, *aspirare visa est secunda ætas*, ad tam secundum Virginis promissæ adventum. Hujus ætatis auspex Noëmus, gemini mundi spectator, per immensam aquarum diluvionem, prodigioso illo arcæ navigio, quo totum genus humanum (nolite mirari, 8. non plures erant homines) continebatur, non sine gemitu oceani velificatur. Hæc fuit ætas omnium, quæ unquam fuerunt, ætatum, sordidissima, & iniquissima, qua nimirum gigantes illi, corporum proceritate vastissimi, virium magnitudine valentissimi, membrorũ firmitate robustissimi, fractis humanarum, ac divinarum legum repagulis, in quævis scelera præcipites ferebantur, & in omnium turpitudinũ colluvie, pecudum ritu, volutabantur. Hæc itaq; ætas, cùm in omnia mala, tum potissimùm in luxuriam fluens, quæ mersum magis sceleribus, quàm fluctibus, quasi sentina universum orbem pessumdabat, tantum beneficium, quantum erat Virginis divinitùs promissæ ortu gaudere, non tantùm non sperare, sed nec optare quidem audebat. Quid enim? Tunc illa nasceretur, quæ futura esset castissima, quando nullum erat hominibus cum castitate commercium? imo qui castitati perpetuum indixerant bellum? Illa scilicet ætate se spectandam exhiberet Virgo; qua hominibus ne quidem de facie nota erat virginitas? In illis spissis nubibus, ac tenebris, ac cæca mundi caligine, illa prodiret in lucem, quæ lucem mundi erat paritura? Germinaret lilium inter spinas, volaret columba inter accipitres, commoraretur ovis inter lupos? appareret Virgo, inter libidinis monstra? Tamen ausa fuit & hæc ætas pro Virginis Nativitate contendere, non quòd tanto digna esset beneficio, sed quòd non indigna videretur patrocinio. Cùm illic soleat propior esse misericordia, ubi major est miseria. Esto, nefandis flagitiis ad iracundiam provocaverint filii terræ, rerum omniũ parentẽ; ideo totius mundi naufragio ipsius iracundiæ est parentatum. Fuerit mundus tanquam omnium libidinum, ac turpitudinum sentina, sed nunc est exhausta. Si illic solet properare pietas, ubi major est necessitas, hæc est maxima. Sed quia ætas illa, qua nascitura erat Virgo, debebat non tantum purgari vitiorum sordibus, sed etiã exornari clarissimis virtutibus, quam noluit Deus tantæ lucis splendore, voluit illius umbra non obscura, inter tot tenebras illustrare. Qua illa? *Columba*, quæ ex arcæ fenestra evolans cum virentis olivæ (quæ pacis est symbolum) ramo, ad arcam denuò advolavit. Hæc columba, de
Cant. 6. qua divinus Sponsus: *Una est columba mea*: non adumbrata, sed expressa Virginis fuit figura; quæ dum Principem pacis peperit, ramum olivæ, id est, pacem ipsam mundo attulit. Adhuc densissimæ tenebræ mortalium animis erant effusæ, & passim homines in latè patentes errores, cæcas precationes spargebant, inania deorum simulachra colentes; cum ecce grato, &
3. Ætas. jucundo introitu *tertia mundi ætas* illabitur, clarissimorum Heroum (quos Patriarchas appellant) splendore, conspicua, & in omnem partem commendanda. Hos inter tenet principatum, fidelium omnium princeps, cujus sanguis illustrium imaginum serie, per plurima sæcula deductus, tandem in ipsum fontem salutis, Messiã inquam confluxit, maximus omnium Patriarcharum Abrahamus. Hæc demum ætas, tantâ tot præstantium Procerum sanctimoniâ, ac dignitate, dignam se non tantùm sperabat, sed cõfidebat, quæ dignissimæ illius Virginis gauderet ortu, frueretur aspectu, in tanto præsertim virtutum apparatu. Quæ enim pro Virginis ortu faustissimo requiri poterant virtutes, quæ in hac ætate non tantùm apparebant, sed eminebant? Exigebatur fides? Abrahami fides est supra omnem fidem magna. Si obedientia? Isaaci est sine exemplo maxima. Si in rebus perpessu arduis constantia? Jacobi in rebus etiam fractis, fuit semper infracta. Si castimonia? Josephi fuit ad omnium gentium stuporẽ admiranda. Si mansuetudo? Moysis tanta fuit, ut vel ipse ex mansuetudine, vel ex ipso mansuetudo, nata posset videri. Hæ tot, tantæ, tamq; exquisitæ virtutes, promissam Virginem non tantùm ne tardaret, orare, sed ut acceleraret, exorare videbantur. Sed ut ætas illa fuit virtutibus, quibus virginis nascentis merebatur adventum, fertilis, ita Virginis nasciture typis, atque figuris nequaquam fuit sterilis. Quæ enim clariùs Virginem unquã adumbrarunt, quã Sara, quæ Abrahami? quàm Rebecca, quæ Isaaci? quàm Rachel, quæ Jacobi fuit uxor? Ut nil dicam de Maria Moysis sorore, quæ cùm electus Dei populus, dilatatis hinc, atque inde rigentium fluctuum marginibus, non sine rubore rubri maris, siccis plantis transivisset, prima omnium gratulationis carmen modulabatur. Sed dum ego illustria opera, ac præstabilia virtutum exempla, quibus tertiæ ætatis Heroës, & heroinæ, totum orbem terrarum repleverunt, studiosè evolvo, volvitur intereà cælum, & cum eo annus ab orbe condito, ter millesimus, & simul oritur *quarta mundi ætas*, 4. Ætas.
quam nobilissimi Principes sanguinis claritate, præstantissimi Duces rerum gestarum amplitudine, sanctissimi Vates, oraculorum multitudine, spectatissimæ matronæ, virtutum dignitate mirificè illustrarunt. Quid hæc ætas non egit, ut quæ Virginem promissam excipere digna erat, dignam se ostenderet? Quoties David, ut Virgo tandem veniret, sacrâ lyrâ, divinisq; metris concinendo invitabat? Quid te, ô David, movebat, eò re modestiæ dimittere, ut militare, ac triumphale illud corpus ante arcam ad numeros moveres? Nisi quod probè intelligeres, arcam Virginis nasciture esse umbram? Et tu Salomon, cũ tot victimas ac piaculares hostias in augustissimo, ac sumptuosissimo illo delubro, octavo mundi miraculo, litabas, quid aliud agebas, quàm Virginẽ, ne tardaret, sollicitare? Quid dicam de Josaphat, qui à Davide pietate erat alter David, non ipse precibus? Josias quoc votis? Ezechias lacrymis, ne nasci differret, Virginem flagitabant? Jam verò quantum omniũ animi erecti sunt, ad illud testatissimum oraculum, non ab Apollineè tripode, vel à Pythio è cortina, vel à Sybilla ex antro fusum, sed à Spiritu S. suggestum, à Veritate prolatum, ab Isaia expressum: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, &* Isa. 7. 14.
vocabitur nomẽ ejus Emanuel. Hic enim vero exultare omnes animo, triumphare gaudio, incedere omnibus lætitiis, quasi virginẽ jam non nascituram,

ram, expectarent, sed natam possiderent. Inter hæc, Sol princeps siderum, ac temporum omnium dispensator, qui irrequieto motu cæli curriculum metitur, post multa sæculorum volumina, tandem *quintæ ætati aditum patefecit.* Hæc ætas verè fera, & ferrea fuit; ubiq; enim ferrum, gladii, clypei, hastæ, lanceæ, & alia dira Martis instrumenta, omnium oculos sævo fulgore perstringebant, mœsta erant omnia, plena horroris, plena immanitatis, ubique luctus, ubique pavor, ubique clamor mulierũ, ejulatus senum, morientium gemitus, viventium desperatio, ut miseros dicerent, qui superstites viverent, beatos, qui vivere desierant. Jerusalem, magnifico Jeremiæ elogio appellata, Domina gentium, facta jam erat ancilla gentilium. Nabuchodonosor homo effetatæ barbariæ, immanitate truculentus, velut effusa tempestas, quacunque incubuit, cuncta prosternebat. Omnium Hebræorum jugulis crudelitatis suæ sicam intendebat. Intendebat dico? Imò immergebat; cui sola finem sæviendi faciebat, Hebræorum, in quos sæviret, inopia. Tamen in hac temporis caligine, fulsit illustrissimum par mulierum, in quibus nil muliebre præter formam fuit; altera Judith, altera Esther; ambæ nascituræ Virginis simulachra, non vanis adumbrata coloribus; sed vivis expressa pigmentis. Illam, cùm Holofernes, hanc cùm Assuerus lenocinantibus oculis intuerentur, sic stabant attoniti illâ formæ dignitate, oculorum fulgore; illa venerandâ pariter & gratâ majestate, quæ perstringebat simul, & invitabat aspectum intuentium, ut non mulieré aliquam pulchram; sed ipsam contueri pulchritudinem viderentur. Esther, dum Ammani jugulum laqueo interclusit; Judith, dum Holofernis caput gladio sustulit, utraque spem attulit, brevi nasciturum illam, quæ caput serpentis contereret. Sed dum ego ætatũ omnium pro Virginis ortu contendentium certamina, & in illis ætatibus hominum, ad Virginem orituram suspiria, oratione complector: dum inter obscuras Virginis nasciturae umbras, & figuras versor, & occupor, tandem post cæcam noctem, quæ cymmeriis tenebris, & atra caligine circumfusa, per 40 sæcula, toti mundo, mœsto horrore incubuerat, tenuis ex alto lucis radius oculis affulger, quæ magnæ illius auroræ felicissimum crepusculum, *& simul sexta*, id est, auteæ ætatis curriculum auspicatur. Nos ritu Romanorum, qui superstitiune illusi, manè ad Orientem se vertebant, pii cultus, & religionis gratiâ, & divinum jubar auroræ orientis splendore refulgens, pronis in terram capitibus honorabant, nos inquam, hujus auspicatissimæ diei orientem divinitùs auroram, cum qua, cuivis è cælo in terram felicitas dilabitur, & salus, salutemus. O felicem, & ter ampliùs ætatem, quæ ad illam gloriam, cui nulla unquam ætas est finem allatura, aditum patefacis! O lucem, quæ omnium sæculorum luci caliginem inducis, dum illam, quæ mundi paritura est lucem, in mundum adducis! O dié, pretiosissimâ gemmâ consignandam, quæ mortalibus omnibus non unius diei congratulationem, sed æternitatem, immortalitatemque impertiris! O diem, tot expectatam sæculis, tot adumbratam typis, tot expetitam votis: quâ dum nascitur Virgo, nascitur simul in puellis virginitas, in viduis castitas, in juvenibus pietas, in omnibus felicitas: nascitur in civibus concordia, in militibus fiducia, in magistratibus justitia; nascitur in legibus æquitas, in pactionibus fides; in amicitiis perpetuitas; nascitur in miseriis constantia, in divitiis parsimonia, in morbus observantia. Hæc est illa dies exspectatissima, ad quam aspirans tot annis, & mensibus, tot diebus ac noctibus, irrequieto, & indefesso studio, ac labore mundus ingemiscebat. Hæc est dies, qua ex matris utero, tanquam è sponsi thalamo, progreditur Dei filia, sponsa, parens, tota pulchra sine nævo, intacta sine maculâ, speciosa sine labe, perfecta sine ruga, serena sine nube. Hac die primùm elucescente, totum genus humanum, quod tot sæculis cum divina justitia luctabatur, tandem ut insignis ille cum Angelo luctator Patriarcha Jacob, exclamat: *Dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Jam tandem facessant Virginis nasciturae figuræ, & umbræ, evanescant nubes, proscribantur tenebræ: *Ascendit aurora.* Exultet cælum, gaudeat terra, modulentur Angeli, lætentur homines; *aurora est.* Gestite qui ploratis, plaudite qui plangitis, respirate qui suspiratis: *Aurora est.* Non jam ampliùs resonent litui, non clangant buccinæ, condantur gladii, claudantur portæ Jani, non circumstrepat armorum fragor, militum clamor, bellorum strepitus: *Aurora est.* O Adam! progredere tandem ex tenebroso ergastulo, ô Eva! occurre Virgini, quæ tibi, tuisque posteris succurret. O Abraham! Jacob, David, vos inquam æternæ gloriæ candidati, mittite lamenta, levate capita vestra: *Aurora est.* Jam sperent peregrinantes patriam, naufragantes tabulam, navigantes portum, laborantes mercedem, pugnantes stipendium, vincentes coronam, currentes bravium: *Aurora est.* Denique ut semel, & simul proferam, quod cedit in maximam Virginis laudem, hujus diei lætitiam, cæli gloriam, mundi felicitatem, anno à creatione mundi, quando in principio Deus creavit cælũ, & terram 4037. sextæ ætatis 522. Imperii Romani 32. Augusti 27. Olympiade 190. Urbis conditæ 736. ante Christum 16. cùm jam venisset plenitudo temporis, placeretque divinæ misericordiæ, ineffabili charitate universum genus humanũ à diuturna dæmonis servitute vindicare; nascitur in Nazareth intemerata Dei incarnandi Mater, & Virgo Maria, *de qua natus est Iesus*; quod cùm dixi, omnia, quæ in Virginis laudem, vel ab homine fingi, vel ab Angelo concipi, vel à Deo conferri possunt, explicavi.

Divinis hisce Vatibus, celeberrimum illud Sibyllarum genus accedit, quarum insigne cùm virginitas fuerit, effecit iis virginitatis in præsumum, divinatio, ut ait Hieronymus, hæ & inter se decertarunt, quæ verissimum, quæ clarissimum de Virgine nasciturâ proferret oraculum, ideoque Æoles in Græcia, quasi divina consilia, Sibyllas dixerunt, & Vates Deo plenas Diodorus Siculus, aliique nominarunt. Lactantius ex Marco Varrone, & S. Hieronymus ejusmodi Vates, atque poëtrias virgines, decem fuisse affirmat, ex totidem civitatibus oriundas: quarum

Marginalia: 5 Ætas. — 6. Ætas. — Gen 32. v. 26. — Quænam è Sybillis præclarissimum de Virgine nascitura ediderit oraculũ? — Hieron. lib. 1. adv. Iovinian. cap. 25. — Varro apud Lactantium

Ab 1. cap. 6. divin. Instit. Hieron. cit. rum anctoritas apud Romanos olim tanti momenti videbatur, ut relata in libros oracula, sanctè ac religiosè asservarentur; imò inconsultis nihil aggredi liceret. Inter cętera, quæ prædixerunt, pauca conferam, quæ ortum Virginis, ejusque encomia concernunt. Sybilla Persica, sive Chaldæa, magnæ Virginis natalem, Deum pariturę, antemulta sæcula vaticinata est, *castámque Virginem parentem* fore prædixit. Sibylla Lybica, quam aliqui Elisam vocant, *Reginam mundi* præcinuit, ejusque gremio numen reclinandum. Delphica hoc illustre dedit oraculum, eximium Vatem, *virgineâ conceptum ab alvo*, sine viri contactu, in lucem proditurum. Samia, *matrem ventuti Regis inviolatam* prędixit, *humano sinu divinum pignus excepturam*. Hellespontica *eximio condecoratam honore, cælesti numine dignam* prædicavit. Phrygia, *prolem eccinit, ab ipso Deo, Virginis demittendam in corpus, almaque Matri ab Angelo nunciandam*. Tiburtina, *sanctam puellam* appellavit, *à conceptu Nazareno, partúque Bethlemitico, & Matrem dignissimam, ob filium sacro ubere nutriendum*. *Erythræa* huc vaticinium protulit: *Vltima mundi ætate de Virgine Hebrææ stirpis, Deum nasciturum ad ærumnas, pœnásque mortalium subeundas.*

Damasc. hom. de iis, qui in fide migrarunt. Damascenus docet, hanc Sibyllam inter cæteras, apertè Mariæ numen prænuntiasse, cùm *novam lucem exoream de Maria Virginis alvo*, salutare visa est. Sed ne pluribus immoret, Cumana, eaque celeberrima mulris oraculorum libris, non unum Christianæ Religionis arcanum, & præcipuè clarissimum de Virgine Deipara mysterium aperuit. Illam dicunt ignotâ facie ve-

Sabellius. tulam ad Tarquinium Superbum Romæ regnantem novem protulisse libros, emendósque multis aureorum millibus æstimasse. Hinc ut delira anus explosa, confestim tres in proximum ignem conjecit. Deinde Regem iterum percunctata est, num sex reliquos eodem pretio emere vellet: at effusiùs ridente Tarquinio, tres alios libros pari ratione combussit. Postremò, dum reliquos tres eodem, quo omnes novem, nec minori pretio emendos offerret, demiratus Rex aniculæ sive pertinaciam, sive constantiam, libros qui supererant, ex constituto mercatur; cùmque illa post hæc subitò discessisset, credita Sibyllarum una, adhibitique Duum viri, qui eos libros diligenter inspicerent, & custodirent; quare tantâ deinde apud omnes in veneratione fuerunt, ut cùm unum M. Attilius temerè vulgasset, jussu Regis bubulo curio insutus, in mare projectus sit. Ex his libris præclarissimum hoc ferebatur oraculum: *Toto gaudent orbe composito per commune pacis fœdus Regem novum terris affuturum, Deum nempe humanâ carne vestitum, oriturum ex matre Virgine, eádemq́; pulcherrimâ, ætatem auream, & aurea sæcula revocanda.*

Augustin. orat. contra Iudæos. Eusebius in vita Constant. lib. 4. Virgil. eclog. 4. Huc spectat Virginei Poëtæ vaticinium, quod Augustinus, Eusebius, aliique de Christo, & Virgine exponunt:

Vltima Cumæi venit jam temporis ætas;
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo:
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna:
Iam nova progenies cælo demittitur alto.

Sic ethnicæ mulieres sola virginitatis laude præstantes, cælestem heroinam, Virginum ducem, spectasse, mentis oculo visæ sunt, antequam terris nata puella, aspici coram ab ullo posset: sic etiam ejus elogia texere maturè cœperunt, cujus eximias dotes, post sæculorum orbes evolutos, futuras, nonnisi instinctu, afflatuque Numinis divinabant, dicentes palam, aut scripto consignantes, illustri eam loco, regiisque progenitoribus proditurum in lucem: formacorporis, animiq; dotibus, supra omnes mortales condecorandam. Itaque antelucanû, veluti jubar, priusquam totum in Oriente se proderet, spectatum eminùs *sola nosse potuit*, (ut ait Hieronymus,) *& cæteris evulgare virginitas*; *Hieron. cit.* hæc omnia complexus Bernardus, serm. *Super signum magnum*, ubi nobilem Dei Matris stirpem describit: *Quòd ex Regibus orta Virgo, quòd gentrosâ stirpe David; quòd generationi illi ob singulare privilegium sanctitatis, divinitùs noscitur esse concessa; quòd longè ante eisdem Patribus cælitùs repromissa: quòd mysticis præfigurata miraculis: quòd oraculis pranuntiata Prophetarum.* *Bern. ser. Signum magnum.*

Ortus hic Virginis ab ipso orbis exordio, Angelis Deo revelante, non latuit: statim atque cæleftis aulæ proceres nobilissimi, *humanæ nil faciè habentes*, mortalis expertes concretionis, divinâ manu sunt editi, adhuc in via constitutis, ad æternæ vitæ beatitudinem consequendam, divinitùs apertum esse mysterium incarnandi Verbi Dei, docent gravissimi Theologi.

Ex quâ ostensione factum præterea volunt, ut Angelorum plurimi, fidei memores, supremo Principi debitæ, ultrò se Christo subjecerint; alii verò in superbiam, aut invidentiam abrepti, obsequium homini Deo spondere noluerint; quamobrem consequens fuit eorumdem Theologorum opinio, Angelos omnes rum primùm de Sacramento edoctos, æterni Verbi, quod proponebatur in carne venturum, atque cum Angelorum, tum hominum Princeps & caput, ad Virginem quoque tanto partu destinatam, aliquatenùs respexisse; bonos quidem unà cum Rege, Reginam spontè venerantes; malos verò amborum principatum aversantes, indignantesque.

At non Angelis modò *viatoribus*, ut appellant, sed multò magis ad statum gratiæ in patriâ confirmatis, Deiparæ mysterium innotuisse dicendum est; quoniam illis futurorum notiones intueri datur *in Verbo*, tamquam in speculo exprimente quascumque rerum ideas, idque ad mensuram luminis, quo sunt divinitùs illustrati ad Deum videndum. Inter cætera verò, quæ beatę mentes ibi pro eo statu jucundissimè contemplabantur, Dei filius erat humanitate vestitus, ejusque pariter integerrima patens, quam ut supremam cælestium spirituum Dominam sejungere à veneratione, cultuque filii, Principis omnium ac Domini non licebat. Tunc ergò plenius, uberiùsque quàm priùs, beatis Angelis datum est nosse in Deo, virginei partus miraculum, unaque reducto veluti lucis inaccessæ sipario retectum sibi præstantissimum intemeratæ Matris ac Virginis mysterium. Unde jam natæ, ad ejus cunas advolasse, omne obsequium obtulisse, ac gaudium toti orbi nunciasse, refert S. Brigitta, serm. Angel. c. 7. & Lancellotus Annal.

rectè D. Anselmus ait: *Magna quadam & mira divinorum signorum indicia, natalem Virginis præcurrisse*, ad notandum diem, sæculis memorabilem universis. Cùm itaque de puellâ, de Virgine nascitura, adeò omnia hactenùs disceptarint, ac decertarint sæcula, Sibyllarum vaticinata sint oracula, Angelorum ab ipso mundi exordio puellam hanc venerata sint agmina;

§. I.

Quæstio moralis est, quid conducat parentibus: filium genuisse, an filiam? cùm filia MARIA, GAUDIUM ANNUNTIARIT UNIVERSO MUNDO?

ARrectas hîc omnium aures credo; sed & animos pacatos, & placatos postulo, dum nequitias fœminæ, imbecillitatem, incapacitatem, inhabilitatem, ex Scripturis, Patribus, ac probatis auctoribus exaggeraro. Nihil in his omnibus de me dicam, ne sexum muliebrem contempsisse videar, qui quanto in honore, & amore, ab omnibus habendus, ex dicendis patebit, dum per unam fœminam, hodie natam, sanctissimam Virginem *Mariam*, omnes mulierum labes detersero, & supra viros, in virtutum omnium triumphum deduxero.

1 Causa, quare expediat filium genuisse quam filiam, est malitia mulieris.

Prima causa, quæ sexum muliebrem Angelis & hominibus contemptibilem, ac odibilem reddere posset, fuit omnium malorum artifex, & machinatrix fœmina, quæ & virum, & orbem universum nequitiâ suâ perdidit; de hac manifestum primæ Veritatis oraculum est Ecclesiastici 25. v. 33. A MULIERE *initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* Nemo non sanctorum Patrum in hanc orbis incendiariam stylum acuit. Chrysologus acutissimè de Herodiade agens: *Hac est* MULIERIS *antiqua malitia, quæ Adamum ejecit è Paradisi deliciis: hac cælestes homines fecit terrenos: hac humanum genus misit in infernum: hac vitam abstulit mundo: hac pueritiam perdit, juventutem allicit, & inquietat mortuam senectutem.*

Chrysolog. serm. 127.

Apis illa Claravallensis, quantumvis melliflua, in hanc etiam aculeum suum exerit: *De manu* EVÆ, *duplicis mali semen terra nostra suscepit, & concepit, & peperit nobis spinas, & tribulos iniquitatis in anima: calamitatis in corpore, mortem utrobique.* Grandiori cothurno, & severiori calamo, libro de habitu mulierum, ubi sic mulierem primam alloquitur: *Tu es diaboli janua: tu es arboris illius resignatrix: tu es divinæ legis prima desertrix: tu es, qui eum invasisti, quem diabolus aggredi non potuit. Tu imaginem Dei, hominem tam facile elusisti: propter tuum meritum, id est, mortem, filius Dei mori habuit.*

Bernard. ad Mariã Virg. deprecatio. Tertull. lib. de habitu mulier. c. 1.

Ex quibus verissimum patet viri Ascetici pronuntiatum: tria D. D. D. sunt hominis ruina: *Dæmon, Denarius, Domina.* Hac diabolus ut nequissimo instrumento utitur ad omne scelus, & quos per se superare non potest, per nequitiam mulieris expugnat. Unde Chrysostomus: *Quare uxorem Iob cum liberis non extinxit diabolus?* Respondet: *Quoniam viderat magna se cum illa operaturum* (quæ per se non poterat) *si enim*, inquit, *paradiso ejeci Adam, multò magis à sterquilinio Iob supplantare potero.*

Dæmon utitur fœmina pro pessimo instrumento.
Chrysost. hom. 5. in Iob.

Nec mitiùs argumentum hoc pertractat Basilius Magnus, oratione de patientia: *Cùm hosti nihil jam relinqueretur, quod deinde faceret, ad veteres suas insidias descendit:* UXORIS QUE *ejus mentem ad insaniam, ac nefandam sententiam adducens,* ILLIUS OPERA *athletam frangere conabatur;* quæ eò perfidiæ processit, ut virum Adamantinum frangeret, & ut sibi manus inferret, aut ad desperationis laqueum provolaret, persuadere conata est: *Ac sanè,* INQUIEBAT ILLA, *longè honestiùs, & convenientiùs esset,* SI TEIPSUM E MEDIO TOLLERES. Sed cùm varia suppetant ad homines perdendos instrumenta, controversia superest, an pro gladio, acinace, hastâ, romphæâ bis acutâ, diabolus muliere uti consuerit? quibus ut cominùs partes, & artes suas in perniciem hominum, non tatò exerceat, scopum nostrum attigisse videtur Chrysostomus, dum cacodæmonem, fœmina pro telo venenato, & igneo jaculo uti solere, ore aureo pronuntiavit; rogo, ne animo ferreo, à probis, & piis, ac sanctis fœminis accipiatur: *O malum! summum malum, &* ACUTISSIMUM TELUM DIABOLI, MULIER; quo &, ut quidam sancti Patres referunt, ipsos rebelles angelos, filios Dei, longè dissitos: & primos parentes in Paradisi solitudine, Davidem in solatio exspatiantem, Petrum in prætorio militum versantem confixerit? Ipsam tubam auream intonantem audite: PER MULIEREM *Adam ab initio, in Paradiso cecidit,* MULIER *ipsum exterminavit. Per mulierem mitissimus ille David suum militem innocentem Vriam, epistola dolo, occidendum hostibus præsentavit.* MULIER *sapientissimum Salomonem in prævaricationis sacrilegium præcipitavit.* MULIER *fortissimum Samsonem rasit, rasumque excæcavit.* MULIER *castissimum Ioseph vinculis alligatum in carcerem detrusit.* MULIER *Ioannem Baptistam, totius mundi caput, capite truncavit. O malum summum, &* ACUTISSIMUM TELUM DIABOLI, MULIER!

Basilius orat. de patientia.
Basil. ibid.
Chrysost. serm. de Decollat. S. Ioan. Bapt.
Idem.

Eadem graphicè Hieronymus: Nec hoc satis; ipsum Apostolorum Principem, caput Ecclesiæ apostatare, & anathematizare fœmina fecit. Ita S. Maximus: *Fideles non nisi* PER MULIEREM *oppugnare diabolus consuevit: ibi Adam* PER EVAM; *hic Petrum vincit* PER OSTIARIAM: *fuit enim, sicut legimus, in paradiso deliciarum diabolus: nec defuit, sicut intelligimus, in prætorio Iudæorum.* Unde ille versus:

Hieron. epist. 22. ad Eustoch. S. Maxim. serm. de pœnis. Petri.

Adam, Samsonem, Petrum, David, Salomonem,
Decepit mulier, quis modò tutus erit?

Et quasi hæc pauca, & parva videantur, adjicit Chrysostomus majora: *Quid dicam de hominibus,* CUM MULIER ANGELOS DE CÆLO DEPOSUERIT. *Mulier malitiâ omnes prostravit, omnes jugulat, omnes interficit.* Sed quis credat,

Chrysost. cit.

credat, mulieres, Angelos apostatare fecisse, purissimas illas intelligentias decepisse, pellexisse, ac seduxisse? existimem Chrysostomum allusisse ad locum illum Geneseos cap. 6. *Videntes filii Dei*, FILIAS HOMINUM, *quod essent pulchra, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant*, in quæ verba S. Justinus martyr: *Deus, eorum quæ sub cælo sunt, curam commisit, dignam ad hanc functionem Angelis: qui ab officio decedentes*, VICTIQUE FOEMINARUM AMORE, *susceperunt ex iis progeniem, quam vulgus vocat genios.* In eundem sensum D. Clemens Alexandrinus, lib. 3. stromatum: *jam verò Angeli quoque, cum fuissent incontinentes*, VICTI CUPIDITATE *huc è cælo descenderunt.* Tertullianus apertius hoc dicit libro de habitu mulieri, & de velandis virginibus.

Gen. 6. S. Iustinus in 1. apologia pro Christianis. Clemens Alex. lib. 3 stromat.

Ejusdem sententiæ videtur fuisse S. Ambrosius, libro primo de virginibus in hunc modum scribens: *Castitas Angelos fecit, qui eam servavit Angelus est:* QUI PERDIDIT, DIABOLUS; & mox subdit: *quam præclarum est*, inquit, ANGELOS PROPTER INTEMPERANTIAM SUAM *in sæculum* CECIDISSE DE CÆLO: *virgines propter castimoniam suam, in cælum transisse de sæculo.* Et alibi verba Mosis explanans cum 70. vertit: *videntes:* ANGELI DEI, *filias hominum.*

Amb. lib. 1. de virginibus. Idem lib. de Noe. cap. 14.

Denique hæc doctrina adeo placuisse videtur Severo Sulpicio, ut eam non solum apertis, disertisq; verbis, sed magna etiam asseveratione prodiderit, ita scribens: *Quâ tempestate cum jam hominum genus abundaret, Angeli, quibus cælum sedes erat*, SPECIOSARUM FORMA VIRGINUM CAPTI, ILLICITAS CUPIDITATES APPETIERUNT, *ac natura sua, originisque degeneres, relictis superioribus quorum incolæ erant, matrimoniis se mortalibus miscuerunt.* Atque hæc, inquit Pererius, fuit multorum antiquitatis, doctrinæ, ac sanctitatis laude præstantium virorum sententia: proximo tamen paragrapho refutanda.

Si itaque ea sint nequitiæ, vafriciæ, illecebræ, technæ, & insidiæ fæmineæ, ut ipse cacodæmon quos per se in flagitium, & interitum pertrahere non valet, fœmina pro acutissimo telo utatur; quid ni fœmina ipso dæmone deterior, tetrior; ac terribilior habeatur? ut fuerit qui fœminam in versum Angelum Michaëlem dixerit, utpotè quæ gestaret in capite, quem ille habet sub pedibus.

Rem adumbrasse videtur Sapiens, Ecclesiastici 25. *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira supra iram* MULIERIS; rationem reddit Hugo Cardinalis: *quia in capite colubri, est totum venenum ejus*; ut autem malitiam mulieris perspicias, addit: *Mysticè, coluber est diabolus*; quo mulier deterior censetur, ut ex sequenti historia patebit. Multo tempore laborarat humani generis hostis, & discordiæ seminator, cacodæmon, ut inter duos conjuges, quibus cor, & anima una, dissidium excitaret. Opera omni deperdita, sibi fidelem anum instigavit, ut illa suam industriam exereret; audientem dicto habuit, & addixit, si par novorum calceorū, premii loco, promitteret cacodæmon; promisit. Tum Megæra, nunc viro, nunc uxori varia mentiens, ac suspicionem super suspicionem ingerens, intra breve tempus effecit, ut post tam diuturnam malaciam, horrida repentè tempestas exorta sit, nec solum male illis conveniret, sed etiam quotidiana inter illos bella, & pugnæ existerent. viro cum fustibus, muliere rem clavibus agente, quibus jam non cistas & arcas, sed mariti caput aperiret, sanguiniq; viam faceret, per multas janus erumpenti. Conspecto hoc victoriæ signo, ut pactis staret stygius prædo, jussit anum ad rivum exire, ibi ex altera parte stanti, par calceorum in adversa ripa consistens, ex pertica longa suspensum dicitur porrexisse, cum dicto, se ad eam proprius accedere nonausum, eò quod videret, eam omnibus dæmonibus esse nequiorem, plusque posse mali efficere, quam ullus veteranus artifex malorum; ac proinde sibi ab ea timendum, ne penitus corrumperetur. Ex quo vel vero facto vel ficto apologo paret verissimum illud: *non est caput nequius, capite colubri* (id est diaboli) *& non est ira super iram* (& nequitiam) MULIERIS. Hinc fit, ut vir scientia, & religione clarissimus, Abbas, Joannes Trithemius asserere non dubitarit bonos Angelos numquam in specie mulieris apparuisse, sic enim ait: ad octo curiosas quæstiones à Maximiliano I. Imperatore sibi propositas, quæst. 6. de potestate maleficarum num. 4. ad propositum nostrum.

Hugo Car. in Eccl. 25 v. 22. Historia, qua probatur fœmina pejor diabolo. Stengelius de judiciis divin. tom 3. c. 45. n. 4.

Eccl. 25. v. 22. Angelos numquã comparuisse in forma muliebri, dæmones sæpe. V. etiam Theologiã tripartitã, Bartholemæi Sibylla, lib. Trithem. Testati Laurentiũ Venetum in mulier.

Quartum genus dæmoniorum nuncupatur aquaticum, quoniam se humoribus immergens, circa lacus & fluvios habitat, irâ plenum, turbarum, inquietum, & fraudulentum; quod in mari tempestates concitat, navigiaque demergens in profundum, multis vitam aufert in aquis: *& isti dæmones quoties assumunt corpus visibile, in* SEXU FREQUENTIUS APPARENT FOEMINEO, quod in locis humidis versentur, & meliutem vitæ ductum sequantur. Unde Naiades, Nereidasque, aquarum Nymphas, non masculino, sed fœminino dudum sexu nominavit antiquitas. Diversarum quoque species assumunt bestiarum, prout variis tanguntur affectionibus. *Sancti autem Angeli, quoniam affectione numquam variantur, uniformiter semper apparent in forma virili: nusquam enim legimus scriptum, quod bonus spiritus in forma sit visus* MULIEBRI, *aut bestiæ cujuscumque; sed* SEMPER IN SPECIE VIRILI.

Hæc ne acerbius, & exaggeratius dicta videantur, quid sacræ paginæ, quid prima Veritas, quid Ecclesiæ Patres tradiderint, senserint, & scripserint, audiamus: Salomon divino Spiritu afflatus ait: *Commorari Leoni, & Draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* Quis vir non tormenti genus sibi ducat, cum vipera, leone, vel dracone, eodem antro includi, & commorari deberet? ab iis tamen minus periculum, quàm à fœmina timendũ, solerter docet Chrysostomus: *Quis dicat, ut quomodo quis enarret mulierem illam crudelem, & malitiosam* (Herodiadem) *ego quidem existimo nullam esse in hoc mundo bestiam comparabilem mulieri malæ*, quod studiosissimè probat, dicens: *Quid inter quadrupedia leone sævius? sed nihil* HAC *ferocius: quid inter serpentes, dracone acrius? nec hic quidem* CUM

Eccl. 25. Chrysost. serm. in decoll. S. Ioan.

CUM MULIERE MALA *conferri potest: nam leo & draco in malo inferiores sunt.* Dictum suum exemplis confirmat: *Danielem leones in lacu verati sunt justum verò illum Naboth,* JEZABEL *interfecit. Cetus Ionam in ventre custodivit,* DALILA *Samsonem dolis & illecebris, raso etiam ejus capite, deformatumque, alienigenis tradidit. Ioannem Baptistam in deserto viventem, dracones, & aspides, subdita feritate tremuerunt;* HERODIAS *verò eidem caput abscidit, & tanti viri mortem, in pretium solationis accepit.* O malum summum! & ACUTISSIMUM TELUM DIABOLI, MULIER!

Fœminæ pejores leone & dracone.

Quid, quod viri passim jactitent, dæmonem in maleficiis suis, passim fœminas sagas, & magas adhibere, in patrocinium suum adducto Hieronymo, qui in c.13. Ezechielis: PONE FACIEM TUAM CONTRA FILIAS POPULI TUI, QUÆ PROPHETANT, &c. sic ait: *Prophetissa alia dæmoniaco spiritu inspirabantur, Prisca, & Maximilla. Hebræi dicunt has, de quibus Ezechiel loquitur, maleficis artibus vaticinatas, per necromantiam, & pythonis spiritum qualis illa, qua visa est suscitasse animam Samuelis, & qualis illa cujus divinatio multos Dominis reddit mercedem acquirebat, de qua ad Apostoli Pauli imperium, immundus ejectus est spiritus.*

Hieron. in Ezech. c.13.

4 Reg 21

1.Reg.28.

Sed, quod vos viros propius concernit, est illud Divi Maximi, serm. 39. ubi ex quodam de septem Sapientibus, mulierem sic definit: MULIER *est quietis impedimentum, domus tempestas, viri naufragium;* non minus enim in domo rixosa mulier, quàm in cælo effusa tempestas debacchatur: nam ut procella tonitruis pariter & imbribus desævit, ita & fœmina dictis pariter & factis furit, ac lymphatur. Unde D. Hieronymus lib. 1. adversus Jovinianū, refert celebre illud dictum Socratis in uxorem Xantippen: *Cum Socrates, inquit, infinita convicia ex superiori loco ingerenti Xantippe restitisset, aqua perfusus immunda, nil amplius respondit, quam capite deterso; sciebam futurum, ut ista* TONITRUA IMBER SEQUERETUR.

Hieron. lib. 1. adv. Iovinian.

Ex quibus omnibus sapienter Sapiens conclusisse videtur: *Melior est iniquitas viri, quam quam mulier benefaciens.* Eminentissimus eruditione, & vitæ sanctimoniâ, Bellarminus Cardinalis tomo 1. controversiar. *de verbo Dei,* scribit: cum mulier quædam in Anglia, novi Evangelii fabulam, hanc pro concione tudius exponere audisset, quasi pessimus vir, esset melior optimâ muliere, æstro quodam repentè agitata, exclamavit: *hoccine est verbum Dei? potius credideram esse verbum diaboli.* Stentor ille Calvinista hunc locum sanius exponere debuerat, quemadmodum D. Augustinus. Emanuel Sa, Jansenius Jansenius, & alii, in hunc sensum: minus „ periculosum esse conversari cum viro pravo, „ iracundo, amaro, &c. quàm cū muliere blan„ dâ, benevolâ, gratiosâ, &c. Sic & Cornelius noster: melior est vir austerus, & durus, quam mulier blandiens, & suis lenociniis pelliciens.

Eccl. 42. v.14.

Bellarm. tom. 1. controv. de verbo Dei.

Bonavent. in Eccl hic.

Corn. hic.

Epilogi loco, malitiosè sed ingeniosè quidam mulieres per omnes casus nequam descripsit, dicens: *Vocativos oculos, ablativos loculos habent mulieres: si fis dativus, fies genitivus: sed vide ne nominativus fiat accusativus:* oculis quippe advocant, & pelliciunt; pellectis nummos, & annulos auferunt: quod si munera dare inceperis, facilè corrumpes, & prolem gignes: idque ut clam celatum cupias, timendum ne proles, quæ tuo nomine nuncupabitur, accuset parentem suum ganeonem vel adulterum, & toti mundo reddat infamem.

Sed de his satis, & multis, credo, plusquam satis, patientiam habetote in me, & omnia vitia, ac convitia, longè illustrioribus encomiis refutabo, & restaurabo.

Altera ratio, ob quam, non dico tristis, sed & minus grata est parentibus nativitas filiæ, quā filii, est, quod sciant nomen familiæ nō sic propagandum: cum passim non per uxores in populis sed per viros, filii suum cognomen sortiantur, & stirpem suam propagare soleant. Unde priscis illis Patriarchis olim benedictionis loco à Domino concessum, ut prolem masculā nanciscerentur: sic porrò Hieronymus: *nullus Sanctorum,* NISI RARO, FOEMINAS, *genuisse narratur: solusque Salphaad, qui in peccato mortuus est,* OMNES FILIAS GENUIT, *ut patet num.* 29. verſ. 33. *at Iacob inter* DUODECIM PATRIARCHAS, *unus filiæ Pater est & ob ipsam periclitatur:* dum nomini, & familiæ, turpi flagitio, indelebilem notam inussit. Alibi verò sic prosequitur: *Denique Abraham & Isaac* MASCULOS *habuere liberos: &* Jacob MULTORUM FILIORUM *Pater, unam genuit filiam, pro qua dura perpessus est.* Hinc ardentia illa sanctarum mulierū vota, & suspiria, ut prole masculâ à Deo donarentur. Ita legimus lib. 1. cap. 1. Regum: quod Anna *votum vovit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ* SEXUM VIRILEM: *dabo eum* Domino omnibus diebus vitæ ejus.

2. Ratio, quod gratior sit nativitas filii, quam filiæ, quia nomen famil æ per eam non propagatur.

Hieron. comment. in Ecclesiast. c. 8. & Liran. hic.

Sancti viri masculos genuerunt.

Hieron. in Isa. ca 66. v.7.

1.Reg 1. v.10.

Quærit eruditissimus Interpres Franciscus de Mendoca hic, qua de causa masculum pertierit, & respondet: quia *parentum nomen, ac genus,* PER MASCULUM PROPAGATUR, NON PER FOEMINAM. Unde veteres Patriarchæ potius filiorum, quàm filiarum natalitia celebrabant: ut patet Gen. 29. verſ. 32. & cap. 30. verſ. 6. nec fœminæ in feudos familiæ succedunt, si masculus etiam hæres remotus superſit, ut habent varia jura, atque ita ad exteros, bona magno labore & sudore parta, devolvuntur: ut autem ex lib. numer. cap. 27. dicat Hieronymus: *Si filiæ Salphaad Dei sententiâ recipiunt hereditatem Patris, hoc considerandum est, quod Pater earum, in peccato suo mortuus fit, qui nullum filium genuit:* illud ne quidem multis in regnis & regionibus nunc admittitur.

Mendoca hic. num. XI exposit ad lit.

V. Bassi flores Theol tit. feudū.

Hieron. cit

Hinc tradit Theophilus Raynaudus: quia plerisque perinde videtur prole carere, ac destitui masculinâ, ut est in vita S. Stephani junioris, " nominatim ad hoc prolis masculinæ benefi- " cium exorandum, à multis cum fructu inter- " pellatur S. Franciscus Paulanus: & nominatim " constat ab eo exoratum fuisse prolem mascu " lam Ludovicæ à Sabaudia, ejus parenti, qui " regium nomen intulit in gentem Valesiæ. Un- " de in animi grati monumento, impositum "

Theoph. Raynaud. pietas spe. cialis. punctio VII

Ope S. Francisci de Paula mascula proles impetratur.

„ est infanti nomen Francisci, ab ipso sancto „ qui eam sobolem impetrarat. Per simplicita„ tem tamen admodum ineptam, mulierculæ „ quædam, in aliqua provincia gallicana (& „ etiam alibi) existimant fœtum post quindec„ cim dies edendum, voto ad sanctum Francis„ cum emisso, futurum masculinum, quasi vi„ voti sit refingendus, si fortè fœmella sit; quæ simplicitas, discussa est in heteroclitis ejus spiritualibus paneg. 1. de votis simpl. Sed parum est nomen parentis, familiæ ac nobilitatis, per filias non propagari; multos alia ratio movet, impotenter filios à Deo flagitandi, & exultandi in nativitate prolis masculæ, quod filius, ut Sol, familiam illustret; unde *eenen Sone, als een Sonut*, & hæc tertia causa est, quod puella non possit sibi fuam, ac familiæ fortunam augere, nec domum amplam, potentem, nobilem, ac illustrem reddere, quod per ingentes divitias, vel per dignitates civiles, militares, aut ecclesiasticas fieri consuevit; ad has autem gradus sternunt militia, & virtus bellica, vel studia, & varia litterarum ac scientiarum, tam politicarum, quam divinarum peritia.

3. Causa, quod filia non possit familiam amplam, nobilem & illustrē reddere.

Fœminæ natura imbecilles & timidæ, ad bellum.

Quod arma, & militiam spectat, ad hæc tractanda, imbecillis & imbellis puellarum natura, non solum inepta, sed ita aliena videtur, ut ad nudi fulgorem gladii expallescant, ad inanem etiam bellicæ machinæ tonitru in terram pronæ, velut fulmine ictæ collabescant: quomodo inter fumantes bombardarum, & tormentorum nimbos, inter armatas acies consistent, ferrum & vulnera adversò pectore excipient, quæ ne candelam digito emungere audent; ad fumum extinctæ, abortum patiuntur, ad conspectum sanguinis ex alterius vena apetta perfluentem, deliquio cadunt, nec tanguntur? unde princeps Apostolorum tam tenerè, tam cautè, tam delicatè mulierem tractari vult, ac si vitrea esset, dum tamen *infirmiori vasculo*, duriorem manum adhibendam non esse commonet; fragilitatem ejus elegantiori typo exprimere non potuit; quam & Philosophus Romanus his verbis indicavit: *Vt exulcerata, & agra corpora, ad ictus levissimos gemiunt* (vociferantur) *ita* MULIEBRE MAXIME, *& pueris vitium est*, & alibi: *infirma, se lædi putant, tum tanguntur*.

1. Petri 3. v. 7.

Seneca lib. 1. de ira. cap. 16.

Qnomodo fœminæ sub Jove frigido excubare, hostile vallum tranare tentarent, quæ ne aquâ frigidâ vultum lavare audent? Hoc Salianus probat judicio Salomonico, qui inter varia ænigmata sapientissimo Regi à Regina Saba proposita adducit: Ter quinos pueros & totidem puellas togulis, ac crispis capillis ornatos in conspectum venisse, ut de iis inter sexum dignosceret. Rex ephebo lympham adferre jusso, ut omnes faciem lavarent, voluit; quam cum pueri prolixè perfricarent; puellæ verò timidè, & vix extremis digitis hinc inde attingerent, divinè inter utrumque sexum discrevit, & horum masculos animos, illarum verò effœminatum genium declaravit. Infinitus sim, si imbecillitatem, fragilitatem, ac pusillanimitatem mulierum prosequi velim. Unus mihi Hieronymus suffecerit, qui ex Osea

Salian. Annal. Eccl. An mundi. 3047. n. 27.

Osea. 1. 6.

cap. 1. n. 6. tradit, quod Gomer, uxor Oseæ *concepit & peperit filiam*: idque in malum omen, & præsagium captivitatis decem Tribuum, quasi filiæ quæ domicellæ vocantur, & ad servitutem natæ, per se, & virtute suâ numquam sperarent, Israelitas, aut genus humanum è servitute liberandum, sic enim Hieronymus: *Postquam contritus est, atque fractus arcus Israel*, NEQUAQUAM MASCULINI SEXUS FILIUS NASCITUR, SED FILIA; IN EST., FOEMINA FRAGILIS sexus, *& quæ victorum pateat contumeliæ: quia usque hodie Persarum Regibus serviunt, & numquam est soluta eorum captivitas*.

Hiero. hic.

Confirmat idipsum Strabus, nil umquam masculum ac virile à fœmina expectandum esse, dum in cap. 5. Gen. ubi Seth unum dumtaxat filium Enoch, & nullam filiam genuisse dicitur, sic ait: *Notandum, quia in generatione Seth*, NULLA FOEMINA PONITUR NOMINATIM, *sicut in generatione Cain: justorum est enim omnia* VIRILITER *agere*, NIHIL FOEMINEUM, NIHIL FRAGILE USURPARE

Strabus Gen. 5.

Ex hactenus dictis patet, quod nulla sit fœminis animi præstantia, non corporis nervi ulli, aut fortitudo; sed potiùs mollitudo ingens, adeo ut Adami costam, quam erant primogenito opificio consecutæ, mutasse in pulpam, & spongiam videri possint.

Cresoll. ant. part. 1. XI. p. 4..

Unde hæc non levis inter SS. Patres exorta controversia; *an fœmina sit imago Dei?* ad ejus similitudinem creata? nolim huc adferre quod malignè aliqui jactitant viros solos, gallicè, *hommes* appellari. Insisto Ecclesiæ Doctoribus. S. Ambrosius in illud Pauli 1. ad Corinth. 11. *Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro*, sic ait: *mulier non est imago Dei*. Augustinus in Genesim, aliique; sed præ cæteris luculentissimè Hugo Cardinalis in epist. Jacobi, c. 3. v. 9. *Sicut à Deo tamquam ab uno principio omnia sunt, sic ab uno homine, omnes homines exierunt*, ETIAM MULIER. *Et hoc modo* MULIER NON EST FACTA AD IMAGINEM DEI, SED SOLUS HOMO; quod probat illo Pauli, 1. Cor. 11. *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam* IMAGO, *& gloria Domini est*: MULIER AUTEM GLORIA VIRI: *non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro*: in quæ verba magis disertè Hugo: *Vir est imago Dei: quia sicut ex Deo omnia &c.* ITA ET IMAGO *dicitur similitudo, in ratione principii*, & ET HOC MODO MULIER NON EST IMAGO DEI, quod quàm parum subsistat, postea videbimus.

An fœmina sit imago Dei. Ambr. in 1. Cor

Hugo in epist. Jacobi c. 3. v. 9.

Venio nunc ad alteram ineptitudinem fœminarum, eas litterarum studiis, ac altioribus scientiis imbuendas non esse: atque adeò per eas gradum non esse, ut ad subsellia medicorum, Jurisperitorum, Senatorum, Doctorum &c. conscendant. Hinc Plato jure Diis gratias amplissimas referebat ob tria: quod natus homo græcus, quod Socratis tempore, addit Lactantius lib. 3. cap. 13 *quod vir, non fœmina*. Hoc Paulus, quasi tuba exaltans vocem suam, omnibus Ecclesiis intonat, dum mulieres docere prohibet, sed

4. Fœminæ inhabiles ad litteras & scientias.

Plat. in Marso

discere

1. ad Timoth. 2. v. 11. & 12.

discere præcepit. 1. ad Timoth. 2. *docere* MULIERI *non permitto*; idque honestatis, pudoris, infirmitatis, ac loquacitatis mulieris causâ, inquit Chrysostomus.

S. Thomas hic. *Mulier discat.*

Aliam rationem, magis congruam, adfert Doctor Angelicus, defectum rationis, quo magis illis competit discere, quàm docere, ex præscripto Apostuli: MULIER *in silentio discat, cum omni subjectione.* Ubi sic ait: *Quia eorum qui deficiunt ratione, proprium est addiscere.* Mulier in silentio, & domi discat, quomodo viro subdita sit, quomodo familiam administret, filios & filias instituat, aptè nuptui tradat, famulos & famulas ad pietatem excolat, domesticorum curam habeat, omnibus morum honestate, vitæ probitate, & integritate præluceat. *Si quid autem*, inquit Paulus, *volunt discere, domi viros suos interrogent.*

1 Cor. 14. v. 34.

indies qualem, quàm utilem, quàm prolixam lectionem non audient? dum maritus *thoro sic orsus ab alto*, Apocalypsim suam clarissimè aperire incipiet; non est quod longius evagentur, ut plura discant, quemadmodum illæ, quas Apostolus, severiori stylo, jure perstringit: *quæ otiosa* DISCUNT *circuire domos; non solum otiosa, sed & verbosa; & curiosa, loquentes quæ non oportet.*

1. Timoth. 5 v. 13. & 1. Cor. 14.

Expendat hic Orator verba singula, *discunt circuire*, inquirunt, quo evagari, quo rhedâ suâ expatiari, quas visitationes instituere valeant, *otiosa, verbosa, & curiosa.* Deus bone! si ego hæc epitheta eis impingerem? ergo ex præscripto Pauli, *discant*, & habent quod agant; Liran. in 1. ad Timoth. 2. *Mulier in silentio discat, scilicet à prædicatore in Ecclesia, & à viro suo in domo: sed non doceat.*

Liran. in 1. Timoth. 2.

Satis edocti sunt mortales, quantum mali una fœmina dum docuit, mundo intulit: semel, inquit, S. Thomas, EST LOCUTA MULIER, *& totum mundum subvertit*; Eva docuit, & prædicavit in paradiso, & maritum seduxit, totumque genus humanum perdidit.

S. Thomas in 1. Timoth. 2.

Chrysostomus: *semel*, inquit, DOCUIT MULIER, *& cuncta pervertit*; cum scilicet, Scripturas nequiter interpretata: *ne fortè moriamur*, pomi vetiti esum marito persuasit; unde addit alteram rationem: *quia nimis loquax est hoc genus*, salax & fallax ad persuadendum.

Chrysost. hom. 9. in 1. ad Tim. 2. Hugo Car. hic.

Idem confirmat Gregorius magnus: DOCERE MULIERI NON PERMITTIT PAULUS: *quia nimirum aliquando* CUM DOCUIT, *à sapientia æternitate separavit.*

S. Greg. lib. 3 moral. c. 6.

Et Anselmus comm. 13. ad cap. 14. prioris ad Corinthios: *jure taceat inter viros, quæ cum loqueretur, viro suo suasit peccatum.* Atque utinam una Eva foret, & non sui sequaces, fallaces, doctrices, & deceptrices habere! omnes artes Mechanicæ, per præcepta, & longo usu discuntur; liberales longiori, & operosiori studio, mulierculas tamen invenire est, quæ nec legere, nec scribere norunt, & sine Doctore, de subtilissimis, & obscurissimis Scripturæ locis disputare, & viros litteratos, eruditos confutare præsumunt. Eleganter, & præstanter de ejusmodi Hieronymus: *taceo de grammaticis, rhetoribus, philosophis, geometricis, musicis, astronomis, astrologis, medicis; ad minores artes veniam, & quæ non tam lingua, quàm calamo administrantur. Agricolæ, cæmentarii fabri metallorum, lignorumve cæsores, lanarii quoque, & fullones, & ceteri,* ABSQVE DOCTORE NON POSSVNT ESSE QUOD CUPIUNT.

Hieron. epist. 103. ad Paulinum.

Tum subdit: quod nemini non peregrinum, & paradoxum merito videbitur: *Sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant.* Mulierculæ inverecundæ inquit, Cresolius, cum duas, tresve Pauli sententias didicissent, oblitæ modestiæ, & impudoratæ, non dubitarunt, viros graves, in Theologia principes, acri ingenio, studioque politos invitare, & provocare ad disputandum, atque adeo gloriari, quod in sacrorum codicum intelligentia, *de Sorbonicis Doctoribus, palmas, & triumphos retulissent.*

Cresolius. mystagog. pag. 538.

Hujus audaciæ, indignæque insaniæ specimen vidit, atque indoluit Hieronymus, *vir sicut maxima scientia*, (ut loquitur Cassianus) *ita probatissima, puraque doctrina*, dum epistola ad Paulinum, sic ad propositum nostrum peropportune delectione, & explicatione sacræ Scripturæ disserit: *Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant*, DOCENT, ANTEQUAM DISCUNT, hanc mulierculæ in curribus, in navibus deblaterant, hanc textrix è textrina, tonsor è tonstrina, coquus è coquina, aut potius ministelli, ex ejusmodi hominum fæce conflati, è cathedra deprædicant; in quos, & quas, rectè cadit illud Divi Basilii in coquum Valentis garrulũ: *Tuum est pulmenta coquere, non Evangelium exponere*: tuum est, garrula anus, fila nêre, non textum docere, *&c.*

Cassian. l. 7. de incarnat. c. 26.

Hieron. cit.

V. extract. Catholicã pag. 257.

Quæ utinam in hæc nostra tempora non caderent, quibus non solum viles mulierculæ, sed & nobiliores dominæ, imo & sanctimoniales, de subtilissima gratiæ materia, inter Theologos maximè ventilata, disputant, necessitatem gratiæ efficacis infallibilem, plenis buccis concrepant, seque cum Jansenio sentire, ac Jansenistas esse, cum non sciant, quid sint, palam profitentur, & ipsos viros in errorem inducunt. Quod quàm absurdum, & probrosum sit, idem Doctor graviter exaggerat: ALII DISCUNT, PROH PUDOR! à FOEMINIS, *quod viros doceant. Et ne parum hoc sit, quadam facultate verborum, imo audacia, edisserunt aliis, quod ipsi non intelligunt.*

Hieron. cit.

Quanta ex hac fœtidissima scaturigine, & fœminea lue scandala, pestes & hæreses in Ecclesia promanarint, Hieronymus ad Ctesiphontem, adversus Pelagium scribens, & hæreses ex mulierum occasione ortas, enarrans, non dubitat affirmare: *Simon*, inquit, *magus hæresim condidit*, HELENÆ MERETRICIS *adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor*, CHOROS DUXIT FOEMINEOS. *Marcion Romam præmisit* MULIEREM, *quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles* PHILOMENEM, *suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus, immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias*, PER PRISCAM, ET MAXIMILLAM. NOBILES, ET OPULENLENTAS FOEMINAS, *primum auro corrupit, deinde hæresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora transcendam. Arius, ut orbem deciperet*, SOROREM PRINCIPIS *ante decepit. In Hispania* AGAPE *Elpidium*

Hieron. ad Ctesiphontem adversus Pelagium.

Hæreses per mulieres, tricesvel auxiliatrices fœminas

dum, MULIER VIRUM, COECUM CÆCA DUXIT IN FOVEAM, &c.

Quare quàm stultum, quàm temerarium, ac periculosum sit, se fœminæ magistræ discipulum præbere, ex uno omnes discite. Rem verbis P. Josephi Acosta adscribam: fuit in hoc Peruensi Regno, vir magni pro illo tempore æstimatus, doctus Theologus, ac Theologiæ professor, idemque Catholicus & pius diu habitus, ac penè tunc hujus orbis miraculum. Is familiaritate mulierculæ cujusdam, quæ se edoceri ab Angelo, magna quædam mysteria jactabat, quæque extra se interdum rapiebatur, aut rapi simulabat, velut altera olim Philomene, aut Maximilla Montani, ita devinctus est, ut illam de summis Theologiæ quæstionibus sæpe consuleret: in omnibus pro oraculo haberet, magnis revelationibus plenam, & Deo valde caram prædicaret, satis alioquin sordidam, & perexiguo sensu præditam, nisi ad instruenda mendacia. Igitur sive à diabolo corriperetur (quod facilius est credere) cum ejusmodi ecstasim pateretur, sive callidè eam fabulam simularet, (quod nonnulli viri prudentes existimarunt) ille Theologus quod à muliercula, magna & mira de se audiret, ac multo grandiora futura conciperet, *libenter ei se discipulum addixit*, cujus patrem spiritualem agebat. Quid multa? eo adductus est homo, (sub hac magistra) ut miracula facere tentaret, & fieri sibi persuaderet; cum miraculi vestigium ne tenue quidem exstaret. Ob hæc, & quod propositiones aliquot ab illa prophetissa accepisset, à sensu Catholicæ Ecclesiæ alienas, à sanctissimæ inquisitionis Judicibus, toto hoc regno stupente comprehensus est. Ibi per quinquennium facilè auditus, toleratus, examinatus, ac tandem patefactus est homo superbissimus, divinus ac insanissimus. Cum enim Angelum sibi divinitus datum, à quo omnia quæ vellet disceret, ac deinde summa Dei ipsius familiaritate, & immediato colloquio sese potitum pertinacissimè dissereret, in eas nugas delatus est, quas nisi ab homine prorsus emotæ mentis dici, nullo modo sibi quisquam persuadeat. Erat verò ille tam integro sensu, quod ad cerebrum attinet, ut mihi integrior non sit. Itaque, & serio affirmabat, se & Regem futurum, & Pontificem summum, sede Apostolicâ ad hæc Regna translata, concessam quoque sibi sanctitatem super omnes Angelos, & choros cælestes, atque Apostolos omnes; quin etiam oblatam sibi à Deo unionem hypostaticam, sed ab ipso non esse admissam: datum quoque se Redemptorem orbis quoad efficaciam, ut ipse loquebatur; quod Christus solum, quoad sufficientiam fuisset; omnem statum ecclesiasticum liberandum; leges verò alias se editurum faciles, & apertas, secundum quas cælibatus Clericorum tolleretur: multitudo uxorum concederetur, confessionis necessitas excluderetur. Hæc atque alia, tantâ contentione affirmabat, ut nos tenerer attonitus, quod homo talia sentiens, non insaniret. Denique diu evolutis gestis illius, & plusquam centum propositionibus hæreticis, aut à sacra doctrina Ecclesiæ alienis condemnatis, jussi sumus, (ut habet de more sacrum illud tribunal) cum homine disputare, si forte ad mentem, & fidem, hominem revocare possemus; convenimus autem cum ipsis judicibus, & Episcopo Quitensi, tres alii. Eo introductus homo, eâ libertate, & facundiâ perditissimam suam causam defendit, ut ego in hodiernum diem etiam stupeam, & adigi posse meotis humanæ superbiam: professus est doctrinam suam non posse monstrari, nisi divinâ Scripturâ, & miraculis, quod esset superior omni humanâ ratione. Scripturæ autem testimoniis se apertius, atque efficacius probasse, quam probaverit Paulus Jesum Christum fuisse verum Messiam; miracula autem se perpetrasse plurima, eaque tanta, ut Christi Resurrectio non fuerit majus: nam & se verissimè esse mortuum, & resurrexisse, atque id evidentissimè (ajebat ille) esse ostensum. Scripturas verò proferebat memoriter (cum nullum librum haberet, atque ipso etiam Breviario spoliatus esset) ex Prophetis, ex Apocalypsi, ex Psalmis, ex aliis locis, tot, & tam longas, ut vel memoria esset admirationi; eas verò ita ad sua cômenta adaptabat, ita allegorizabat, ut quivis vel rideret, vel fleret. Postremò, si miraculis rem agere nobis placeret, se libenter ea exhibiturum. Hæc ita dicebat homo, ut vel nos insanos putare videretur, vel ipse insanire: nam & per revelationem sibi innotuisse jactabat, serenissimum Joannem Austriæ, bello navali à Turca esse superatum, & Regnû Hispaniæ à Philippo invictissimo, jam penè amissum: & concilium Romæ habitum, ut de Gregorio deponendo, & alio subrogando ageretur. Quæ ideo nobis significaret, ut quoniam erant nobis certis nuntiis certa, sciremus ei, nonnisi divinitus innotuisse. Quæ cum essent omnia adeò falsa, ut amplius esse non possent, ab illo tamen asserebantur ut notissima nobis. Denique cum nihil profecissemus per duos dies disserendo, & ad publicum spectaculum esset cum cæteris, ut in Hispania fieri solet, delatus, intuebatur semper in cælum, ignem in Inquisitores, & omnes grassaturum cælitus expectans, ut illi erat pollicitus diabolus; atque ignis quidem nos nullus ex alto corripuit: illum verò & Regem & Pontificem, & Redemptorem, & Legislatorem (ut se venditabat) ex imo flamma rapuit, atque redegit in cineres. Hactenus Pater Josephus.

P. Josephus Acosta de novissimis temporibus lib. 2. c. 11 Delrio disq. magic lib 4. c. 1. quæst. 3. sect. 3.

Quid, quod non solum docere mulieri prohibetur, sed nec testari, nec dicere, nec judicare potest. Quod testari non possit disertè Tiraquellus in d. lib. n. 71. ex fundamento, inquit: quia fœminæ non videntur integræ fidei testes: semper enim de sui natura, videntur mendaces, mutabiles, & fragiles, ac variæ. Idem confirmat Mascardus de probation. volum. 2. concl. 762. ubi id probat multis exemplis. Lex quoque jurisperitorum, est cod. de procur. lib. 8. *Alienam suscipere defensionem, virile est officium, &* EXTRA SEXUM MULIEBREM ESSE CONSTAT. Multa paucis complexus Augustinus: MULIER *nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dicere, nec judicare, quanto magis non potest imperare*, quæ seipsam servare, & tutari non potest; sed viro subdita esse debet, quomodo alios tutaretur? est porrò in fœminis non

Mulier non potest testari.

August. in quæst. de utroque testam.

non corporis dumtaxat, ſed & magna mentis imbecillitas, inſtabilitas, levitas: cogitationes ludicræ & pueriles, & iogenita ſtultitia, affectus animi indomiti, imporentes; quam ob cauſam *eximiâ prudentiâ Romani, quaſi totâ vitâ forent impuberes, ſemper tutores eas habere voluerunt*. Et patet ex lege D. de tutela lib. 18. FOEMINÆ *tutores dari non poſſunt; quia id munus maſculorum eſt.*

Nunc è profanis ad ſacra tranſeamus, num ad hæc fœminis gradus ſit, & aditus.

Dico primò: fœmina irregularis, & inhabilis eſt ad omnes res ſacras. Primò, non poteſt aliis benedicere, niſi benedictione privatâ. v. ſ. Abbatiſſas, eo modo, quo mater filium benedicit. Ita S. Thomas in addit ad 3. part. quæſt. 39. art. 1. Baſſæus, & ab illo citati. tit. *fœmina*. Secundò non poteſt tangere calicem, aut vaſa ſacra, nec corporalia, imò nec incenſum circa altare deferre. Sic glorioſiſſimus martyr & Pontifex maximus S. Soter ſtatuit, *ne etiam ſacræ Virgines vaſa ſacra, & patenas attingerent neque thuris miniſterio, in Eccleſia uterentur.* Tertiò à fortiori, jure cautum eſt, ne fœmina ad ſacrum miniſterium adhibeatur; cavetur Eccleſiaſtico Canone 15. q. in principio, & diſtinct. 23. Canone *ſacratas*: ne ulla fœmina ſacrorum Ordinum munus exerceat, neve ſacra contingat, quod priſcis Eccleſiæ temporibus ſancitum, & ſervatum ſcribit Tertullianus: *non permittitur,* inquit, MULIERI *in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tingere,* (id eſt baptizare) *nec offerre, nec ullius virilis muneris,* NEDUM SACERDOTALIS OFFICII *ſortem ſibi vendicare.*

Ita verò ſenſiſſe ſemper Eccleſiam, illud robuſtiſſimum eſt argumentum: quod ſi fœminæ jure divino incapaces non eſſent hujus Sacramenti, utique Chriſtus, digniſſimam Genitricem ſuam illo non privaſſet; cum nemo, neque ex Apoſtolis, neque ex aliis omnibus, qui hoc Sacramento cohoneſtati ſunt, æquè dignè, ac beata Virgo tanto munere fungeretur. Quo argumentandi genere utuntur, D. Epiphanius, Durandus, S. Thomas, Bonaventura, Dominicus, Sotus, Vaſquez, aliique, quos citat: quia nulla fœmina à primo naſcentis mundi exordio, ne ipſa Eva, legitur Deo ſacrificium litaſſe; ſed ex ſolis viris in lege naturæ, & ſcriptâ, Deus ſacerdotes elegit. Quare ex inſtitutione Dei, & Chriſti, ſexus muliebris, Sacramenti Ordinis omninò incapax eſt; ſicut ſanus, non eſt ſubjectum capax extremæ unctionis; & meritò: nam cū ſacerdotes, & Epiſcopi à Deo cōſtituti ſint in gradu ſublimiori præ reliquis omnibus, ac eos inſtruere, ac inſtituere oporteat cæteros, rationi deforme videtur, fœminas in hoc ſublimiori ſacerdotii faſtigio collocare, cū Paulus dicat: MULIERES *in Eccleſiis taceāt: nō enim permittitur eis loqui. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent, turpe enim eſt mulieri loqui in Eccleſia.* [1. Cor. 14.] Accedit fœminas non ſolum jure divino, naturali, & eccleſiaſtico incapaces eſſe Sacramenti Ordinis; ſed etiam tonſuræ, & quatuor minorum Ordinum, qui ut Sacramenta non ſint, tamen ad Sacramentum Ordinis diſpoſitiones ſunt. Unde nec ſummus Pontifex in eo diſpenſare poteſt, & invalidè mulier illos, & ſacerdotium ſuſciperet, ut docent S. Thom. Bonav. Scotus, Durandus, & Vaſquez cit. qui & variorum hæreſes enumerat, eorum, qui fœminas ſacris adhibebant. [...riano n. 1470. Vaſquez tom. 3. in 3 part. diſp. 245. cap. 4 n. 7.]

Illud autem quod adfert Æneas Sylvius in hiſtoria Bohemica cap. 16. de Milida, ſorore Boleſlai, Bohemorum Regis, in hæc verba: cum eximia ſpecie Virgo, ſacris imbuta litteris, & multa pollens eruditione, Romam pietatis cauſa petiiſſet, à Joanne Pontif. Max. benignè excepta, ipſius authoritate monaſterium ſancti Georgii, in Arce Pragenſi conſtruxit, *ibique ſacerdos conſecrata eſt.* Intelligendum illud, inquit, Barboſa, & alii Theologi, in Abbatiſſam fuiſſe benedictam; non verò, aliquo Ordine, aut charactere ſacramentali initiatam. [Barboſa cit. lib. 1. c. 37. n. 6.]

Ex quibus omnibus ſexus fœminei infirmitatibus, imbecillitatibus, inhabilitatibus, rectè inter matrimonii incommoda adfert Divus Chryſoſtomus: quod ego meo ore pronuntiare non auſim, niſi ſperarem è Virgine Nata, majus me encomium pro fœminis mox allaturum, *partu,* inquit, *edita eſt* QUÆDAM FOEMINA; *quod natus non ſit* MASCULUS, *tetricum maritus vultum gerit*; & forcipe ut catulum in flumen deferri cupit. Idem argumentum pertractans contra fœminas diſertus Eccleſiaſtes, quem audivi: Populo propoſuit immolationem Iſaaci, qui cùm ſub actu eſſet, Angelus è cælo Abrahami gladium tenuit. Jephte ſimiliter voto Numini adſtrictus filiā Deo immolare debebat, & capite truncavit. Cur, inquit, hîc non è regalibus ſedibus genius emiſſus, qui parentem ſtitit: niſi quòd filia eſſet, de quâ parum laborandum. Hæc & alia, non è cathedrâ, ſed inſultantibus fœminis, privato colloquio, cum grano ſalis ingerenda. [Chryſoſt. to. 1. hom. 72. de S. Tecla.]

Mitto curas, moleſtias, anxietates, ſolicitudines parentum, in filiâ educandâ, & cautè conſervandâ, cui centum oculi Argi vix ſatis ſunt: quare olim Palladem virginem non ſolùm lorica, caſſide, & ægide munitam, ſed & cum vigili dracone ad pedes depingere ſolebant. Alteram difficultatem prætereo, quæ eſt, ut filiæ benè nuptui tradantur, non ipſæ pro ſtulto ſuo affectu, à [illegible] infatuatæ, ſe tradant, & dolorem pro dote domum ducant; unde quanti momenti hoc ſit, Eccleſiaſticus expreſſit: *Trade filiam, & grande opus feceris.* [Eccli. 7.]

Nunc vela verto, & in Virgine nata, *filiâ Dei primogenita* MARIA, omne Evæ peccatum glorioſè triumphatum, omnem primævæ parentis, aliarumque mulierum malitiam, longè majori gloria, hujus filiæ gratia, ac ſingulari ſanctimonia, totiuſque ſexus fœminei, virtutum ejus inſigni exemplo æmuli, ſuperatam fuiſſe, atque adeo, *plus in nativitate filia, quàm filii exultandum contendam*; dum in fœminis multò præ viris, ardentiorem in Deum pietatem, frequentiorem in uſu Sacramentorum, in cultu templorum devotionem: teneriorem in opera charitatis affectum oſtendero. Tum quæ in contemptum, & deſpectum fœminarum argumenta imbecillitatis, imperitiæ, incapacitatis, inhabilitatis ad res ſacras allata ſunt, laudabiliter & plauſibiliter, ut ſpero, refutabo. Fundamentum ſumo ex divo Epiphanio *in doctrinâ Catholi-* [Idiota part. 14. cap. 4.] [Propoſitio in laudem SS Virginis Natæ, & ſexus fœminei.] [Auguſtin.]

tholica fidei laudabiliter famoso, ut loquitur Augustinus. — *lib. de hæresi.*

§. II.

Facta est MARIA *restauratrix fœminarum, quæ mulierum infirmitatem verè gloriosam reddidit, & lapsam Evam erexit.*

Epiphan. serm. de laud. Virg.

FErunt Reginam enixam fuisse filiam, specie decoram, ab omnibus corporis membris ad unguem expolitam; at non ex ardenti voto, ac summo desiderio Regis, atque universi regni, omniumque aulicorum, quorum omnis spes, & expectatio erat de prole mascula, & novo Principe. Hinc factum est, ut nullus Procerum hunc primum nuntium Regi deferre auderet; quod ut Archipræsul urbis, vir summæ prudentiæ, & auctoritatis, animadvertit, ipse Regem adiit, atque hisce verbis affatus est: est quòd plurimùm majestati vestræ graruler, ob adeptum hodierna luce novum regnum. Quæ hæc, inquit Rex, insolens gratulatio? quod illud imperio nostro subjectum regnum? maxima, reponit Antistes, nobis gratulandi, & tibi exultandi materia est, quia Regina uxor tua hodie in lucem dedit elegantem filiam, quæ Dei gratia, aliquando nubet Regi Angliæ, atque hoc regio connubio, corona illius regni, imperio tuo accessionem faciet, ac unietur, aditum tibi in hoc exterum regnum aperiet, totam Anglorum gentem tuo nutui habebis obsequentem. Quo audito, Rex cum suis miro gaudio, & lætitia exilivit, publica ubique gratulationis signa, & festivos ignes exstrui fecit, ob novam, quam hodie uxor ejus orbi Reginam parturiverat. Quid ad hæc auditores? Si Rex lætetur, & exultet, sola dumtaxat spe, aliquando fore, ut nata sibi filiola Regi jungeretur, atque adeo in dotem, florentissimum Anglorum regnum acquireret, qu[illegible]otiori nobis jure gestiendum, lætandum, exultandum, mihique vobis gratulandum est, eam hodierna die filiam mundo natam, *de quâ natus est Iesus, qui vocatur Christus*?

Per quem non regnum Anglorum, sed Angelorum; non terrestre, sed cæleste, non periturum, sed in æternum duraturum adepti sumus. Quare natæ regiæ proli omnia festivis ignibus reluceant, ubique signa extent lætitiæ, ac triumphi; quin & nos innumera ardentium desideriorum pyrobola in cælum ejaculemur: signa gratissimæ exultationis, & piæ gratulationis novæ Reginæ nostræ exhibeamus: quia nata est FILIA *Regum, mater Regū Regum*, ut loquitur Damianus: quia nata est FILIA *Sion, millies beata*, ut inquit Abbas Blosius, quia nata est FILIA *Ierusalem pulchra per amabilissimas virtutum pulchritudines*, ut eam deprædicat S. Bruno; quia *nata est filia*, quæ teste Hesychio, est *gloria luti nostri, quæ Adamum pudore, Evam commixtione liberavit*; quæ, ut idem ait: *Ornamentum præclarum natura nostræ*. Tu, ô filia, *ab æterno ordinata*, hodie nata, *honorificentia populi tui, tu gloria totius generis humani*.

Damian. serm. in Nativit. B.V. Blosius in serto spi rit. Bruno de laudib. B. Virg. Hesych. orat. 2. de Deip. Prov. 8 Blosius in præc.

Quare meritò in nativitate hujus filiæ totus mundus exultat, lætantur cæli, & exultat terra: quia *nativitas tua Dei genitrix, gaudium annuntiavit universo mundo*. Ad hoc nos excitet, & exstimolet, amœnum prodigium, quod fidi Historici de S. Cunegunde referunt. Hæc filia Belæ Regis Hungariæ, Boleslai Poloni castissima conjux, dum nasceretur, nullum vagitum, aut fletum emisit; sed gaudio enarrabili ridens, & gestiens, elatâ voce, & articulato Hungarico sermone, hæc verba pronuntiavit: *Ave Regina cælorum, mater Regis Angelorum*, quo non periturum regnum Angelorum, ejus regni nun erit finis, nobis reseravit. *Gaudeamus itaque dilectissimi*, clamat Cardinalis Damianus, *& exultemus in nativitate sanctissimæ Dei Genitricis MARIÆ: quæ novum mundo nuntiavit gaudium, & totius existitit humanæ salutis exordium*. Unde eam sic salutat Hierosolymitanus Antistes: *Tu genitrix omnensi gaudii, & auctoris lætitiæ*.

VVadding Annal. tom. 5. an. 1212. Raynaud. diptycha Damian. serm. in Nativ. B.V. Andreas Hierosol. orat. 1. de Nativit. B Virg.

Verùm enim verò, ut filia hæc prædilecta æterni Patris, hodie in lucem edita, sit omnium nostrum causâ communis lætitiæ, habent tamen filiæ Evæ, ac mulieres, quòd in hac solennitate, uberiori præ viris gaudio exultent, & nobiliori encomio triumphent. Primus in hoc argumento suavissimè occurrit Doctor mellifluus, qui in hujus divinissimæ filiæ natali, primæ fœminæ Evæ magis, quàm Adamo lætandum, & exultandum pronuntiavit: *Lætare tu pater Adam*; SED MAGIS TU, O EVA MATER EXULTA. *Ambo, inquam, consolamini* SUPER FILIA, ET TALI FILIA. *Si vir cecidit* PER FOEMINAM, JAM NON ERIGITUR NISI PER FOEMINAM. Adeo ut non tam turpe fuerit virum seductum esse â fœminâ, quàm gloriosum toti mulierum sexui, virum *à filia, & tali filia* erectum; sic etenim D. Augustinus Evam eum Maria componens, aut potiùs unam alteri opponens. EVA *pœnam intulit mundo*, MARIA *salutem edidit mundo. Auctrix peccati* EVA; *Auctrix meriti* MARIA. EVA *occidendo obfuit*; MARIA *vivificando profuit*; *illa percussit, illa sanavit*. Unde non est quòd viri crimen Evæ, fœminis exprobrent, cùm per fœminam non solùm fœminæ, sed & viri, sibi aditum ad salotem patefactum, fateantur necesse sit; dicti mei testes, & arbiter Bernardus: *Crudelis Eva, per quam serpens antiquus pestiferum ipsi viro, virus infudit; sed fidelis* MARIA, *quæ salutis antidotum*, ET VIRIS, ET MULIERIBUS PROPINAVIT; quare rectè inquit Damascenus: Hæc *fœmina, fœminarum etiam dissolvit*, nec earum dumtaxat opprobrium & ignominiam abstulit, sed & laudatissimum præconium, & gloriam contulit, & omnem culpam laudabiliter restauravit, ut ex divo Epiphanio præfatus sum, qui ait: *Facta est* MARIA RESTAURATIO FOEMINARUM: *quia per ipsam à ruina primæ maledictionis, probantur esse subtractæ*. Et paulò pòst: Angeli accusabant Evam: nunc verò MARIAM *gloriâ prosequuntur*, QUÆ MULIERUM INFIRMITATEM VERE GLORIOSAM REDDIDIT, *& lapsam Evam erexit*.

Bern. hom. 2. super missus. August. serm. 18. de Sanct. Assumpt. B. Virg. S. Bern. serm. 7. in B.V. Damasc. orat. 1. de ortu Virg. Epiphan. serm. de laud. Virg.

Sed

Laus ... lupra ... Beyerlinch ... pophe. pag. 386.

Sed fortissimus, qui pro laude, & gloriâ fœminarum, quibus viri concedere debent, Achilles est, quem sanctus Hugo Lincolnensis Episcopus, sacri Ordinis Carthusianorum inducit: *Quanti Deus sexum fœmineum fecerit, ostendit: dum nasci de fœmina voluit*, ET CUM VIRO CONCESSUM NON SIT, UT VEL DICATUR, VEL SIT *Pater Dei*; HOC TAMEN PRÆSTITIT FOEMINÆ, UT SIT MATER DEI; hinc gloria, quæ fœminis per Deiparam accessit, major est, quàm viris umquam Deus concedere dignatus: cùm enim nullus virorum, purus homo gloriari queat, super choros Angelorum se exaltatum; hoc tamen tribuit *Maria*, puræ creaturæ, de qua Ecclesia: *Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cælestia regna*; hoc, inquit alter Hugo Cardinalis, consideratione dignum: *Nota privilegium mulierum: pura mulier super choros Angelorum: sed non purus vir*: hic credo omnium virorum ora conticescere. Fuit autem hæc filia, in matrem Dei ab æterno electa, *imago divini Archetypi* perfectissima, & omnibus naturæ, ac gratiæ dotibus perfectissima. Ubi non possum, quin in eos calamum stringam, qui Evam, aliasque fœminas ad imaginem Dei creatas esse, in dubium vocare non dubitant; nam et dixerit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: non autem ut observat Gregorius Nyssenus: *Faciamus mulierem ad imaginem, & similitudinem nostram*: sed & eruditè sanctus Doctor respondet, cùm imago Dei non ad corpus, sed ad animam, & gradum naturæ intellectualis referenda sit, haud dubiè, ratio imaginis, æqualiter est in muliere, atque in viro: nam esse rationis, & intelligentiæ participem, immortali animo, & libero arbitrio præditum, & supernaturalium bonorum, ac felicitatis æternæ capacem, æquè inest utrique; unde idem Doctor: *Mulier perinde atque vir* AD IMAGINEM DEI *facta est: eundem honorem habent ambæ naturæ, pares virtutes, &c.*

Hugo Car. in cap. 3. ad Galat.

And. Cret. ... de Assumpt. Virg.

Mulier æquè ac vir, creata ad imaginem Dei, ... lib. 4. quæst. 4.

Greg. Nyssen. ... hom. creat. ... ad ... Fæminas ... hominem ... imagi... tem, &c.

Quod argumentum fusiùs prosequitur D. Basilius hom. 10. in Genesim super illis verbis: *Masculum & fæminam fecit eos*: ubi cùm dixisset, propterea hæc verba subtexuisse Moysen, ne quis fortè suspicatetur quod dictum fuerat: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, non ad fœminam, sed ad solum virum pertinere, subjungit: *Habet, inquit, & mulier nihilominus quàm vir, quòd ad imaginē Dei facta est: honor utriq. naturæ nihilo dispar, æquales virtutes, utrique in agone decertanti propositū par præmiū, cōsimilis utrique peccanti decreta dānatio. Nolim dicat mulier, imbellis sum, & infirma conditionis: istbac infirmitas carnis est: nam in anima sibi sedem fixit virtus firma, ac potens. Divina igitur imago hac, cum utroque sexu pera que honoretur, sit & compar in utroque virtus, qua per bona opera v.m suam exerat, & explicet.* Et post pauca: *Habet igitur bona mulier illud, ad imaginem*, &c. Addit Pererius: si Dei similitudo in viro ac fœmina consideretur, non secundùm dona naturalia, sed supernaturalia gratiæ & gloriæ, fœminas reperiri meliores, similioresque Deo, multis viris; atque imprimis Virginem hodie natam, longè perfectiorem Dei similitudinem in se habere, quàm ullus vir, purus

S. Basil. hom. 10. in Genesim.

homo. Detersâ nunc primæ mulieris nequitiâ, superest ut gravissimas, quas de malitiâ mulierum, viri à conglobatis, evomuêre calumnias, solidis à bonitate, probitate, benignitate, pietate, aliisque virtutibus mulierum rationibus petitis, refutemus; *unde in nativitate filia magis, quàm filii gaudendum.*

Refutatur calumnia de malitia mulierum.

Eruditus scriptor, ingenioso apologo sic fœminis patrocinatur. Tempore, quo sua bestiis erat loquela, fandi copia, & perorandi facundia, vulpes leonem in officinam pictoris induxit, eique ostendit in una tabula depictum Samsonem validis lacertis, ora leonis dilacerantem: in alterâ Davidem opilionem, & pumilionem, de urso, & leone enecto triumphantem: in tertiâ Lysimachum jussu Alexandri leoni objectum, dexterâ in fauces violenter ingesta, linguam evulsisse, & confecisse: atque ad hæc, aliaque spectacula, bis verbis leoni insultasse: *Ecce frater leo, superbissime animalium, quàm homines de te triumphent*. Leo conspectis illis tabulis, & sarcasmo vulpis audito, repressâ cholerâ, argutè & acutè respondit: Si nobis ars pingendi, aut licentia dicendi obrigisset, comprobare possemus, ubi homines vix unum, alterumve leonem superarunt, nos facile mille, & mille robustissimos viros, ut agnos dilacerasse. Haud aliter, inquit, si sua fœminis dicendi, & scribendi facultas esset in viros, quas non nequitias, iras, diras, in eorum temulentiam, violentiam, luxuriam, invidiam, zelotypiam, barbariem, aliaque vitia effunderent? Harum itaque hodie partes agam.

Dinet. theatre de la Noblesse de Franc. tom. 1. lib. 2. cap. 1.

Ac primùm quidem mulieres præ viris natura suâ benignas, misericordes, pias, ac cultui divino impensè deditas, probabo.

Mulieres præstant viris benignitate, misericordia, pietate.

Hæc in divina puellula hodie nata eminentissimo modo elucere, & SS. Patrum oracula, & universa decantat Ecclesia, quia nata est *mater bona, & benignissima*, ut eam deprædicat D. Bonaventura: nata est *mater misericordiæ, & clemens*, ut eam celebrat S. Ephrem, quæ ab infantiâ cum illâ crevit, ut aliàs fusiùs diximus: *Nata est consolatrix afflictorum, refugium peccatorum*, nata est *portus naufragantium*, ac desperantium: hoc innumera sacris artis loquuntur affixa trophæa, hoc cælo asserta ingentia, flagitiorum hominum, per misericordiæ matrem testantur agmina, quæ prosequi infinitum foret: hoc ad scopum meum dixisse sufficiat, si *Eva pessima*, quòd hæc fuerit *mulier mulierum optima*, quæ viscera misericordiæ, (in quibus ipsa, quæ ex Deo est misericordia, novem mensibus requievit) per omnia misericordiæ opera largiter effudit.

D. Bonav. Psalter. ... S. Ephrem orat. de laud. Virg. Idem ibid.

Cyril Hierosol. ... de B.V.

Hæc non solùm panem nobis de cælo detulit, ut loquitur Augustinus: *Lactat mater cibum nostrum, lactat panem cælestem, lactat cibum Angelorum*: sed & famelicos corporaliter pavit: nam teste Gregorio Turonensi, quando victum Angeli è cælo suppeditabant, illum, quem Sacerdotes submittebant, pauperibus erogabat. Deinde texturâ, & lanificio, aut acupictiâ manuum suarum, quidquid poterat, ad miserorum inopiam sublevandam, effundebat, nihil sibi superfluum reservando: ut D. Brigittæ lib. 9. Revel. c. 50. & lib. 3. c. 8. manifestavit: unde rectè

Augustin. serm. 2. de Assumpt. B.V.

Maria optima mulier, omnia misericordiæ opera exercuit.

Vlaga Theo... navu

vel Maria-na n. 1263
navis dicitur, *institoris*, *de longè portans panem.*

Prov. 31. v. 14.
Quin & sitientes recreat, ac reficit, longè erga nos, quàm Rebecca erga Eleazarum promptior, & bumanior, dum fontem aquæ vivæ salientem in vitam æternam produxit: dum in nuptiis Canæ Galileæ:

Bonav. in speculo.
Antequam fuisset invocata, compassa est verecundia convivarum: antequam sitirent, prævertit petitionem, & liberalitas anteivit inopiam: nullus sitit, ubi mariæ fons perennis emanat, ipsa etenim est *fons fontis vivi*, ipsa est *fons misericordia*, ipsa est *puteus aquarum viventium.*

Damian. serm. 3. de nativ. B. V.

Amedeus hom. 8.
Act. 9. v. 36. 39.
Nudos operit, quia ipsa est Tabita, plena operibus bonis, & eleemosynis; ad quam in urbe Joppe omnes viduæ confugiebant, *ostendentes tunicas, & vestes quas faciebat illis.* Nullus est servus in domo Virginis, quem semi nudum algere patiatur; sic porto illud Prov. 31. de illa interpretatur Mendosa noster:

Mendosa in viridario, lib. 2. prol. 1.
Prov. 31.
Non timebit domus sua à frigoribus nivis: omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus: amictu lineo, & laneo servos suos, contra aëris injurias protegit, atque defendit.

Hugo hic.
Rectè Hugo Card. *Vestis jusis est* MARIA. Et Epiphanius lib. 3. hæres. 78. *Eva datum operire corpus sensibile ob nuditatem sensibilem;* MARIÆ *verò datum est, ut pareret nobis agnum, ut ex gloria ipsius agni, fieret nobis velut à vellere sapientia, per virtutem ipsius, indumentum.* Imo ipsum Verbum operuit; nam ex visceribus Mariæ hoc Gedeonis vellere vestitum exivit: *Ex vellere isto* inquit Hugo, *facta est à Spiritu sancto*, VESTIS *filio Dei:* Insuper Auctore Metaphraste, duas tunicas, quas habebat in tegumentum corporis sui, pauperibus mulieribus testamento legavit.

Reliqua, qui volet, videre poterit apud Mendosam in viridario sacræ ac profanæ eloquentiæ lib. 2 problemate 1. paucis omnia complexus D. Anselmus:

Anselmus hom. de Assumpt. B. Virg.
„ Alii hospitem quendam in „ domo suâ suscipiunt: Virgo non quemlibet, „ sed proprium Dei filium, qui non habet ubi „ caput suum reclinet, non in domo, sed in utero suscipit. Alii nudum quemlibet veste mu„ tabili, atque corruptibili operiunt; illa Ver„ bum Dei eadem virgineâ carne, in unitate „ personæ assumpsit, quæ sine fine incommu„ tabilis, atque incorruptibilis permanet. Alii „ quemlibet esurientem & sitientem cibo, vel „ potu exteriori reficiunt; illa Deum & homi„ nem indigentem, non solum exterioribus ci„ bis, vel potibus pavit, verum etiam interiori „ suo lacte aluit.

„ Et ut breviter alia misericordiæ opera per„ curramus, illa non quemlibet ex minimis, sed „ summum Dei filium hospitem suscepit, nu„ dum carne, vel etiam pannis operuit; infir„ mum per infantiam, & jacentem non solum „ visitavit, sed etiam bajulando, fovendo, ge„ stando frequentavit: comprehenso, & cruci„ fixo, quasi in carcere posito adfuit: stabat au„ tem juxta crucem Jesu mater ejus: & in sinu „ suo mortuum recondidit.

Ut merito fœminæ gloriari possint, mulierem, *Matrem Misericordia* à Deo electam; patrē verò misericordiarum, præter Patrem æternum, virum nullum repetiri. Atque ut quidam, *viri*

Eccli. 44. v. 10.

misericordia reperti sint, longè plures fœminæ hac virtute præcelluêre, quibus teneriora misericordiæ, & compassionis viscera. *Non temere*, inquit, Gregorius Nyssenus, *mulieri data est mollitudo, ut ad humilitatem facilior sit*, AD MISERICORDIAM PROPENSIOR. Patet in vidua Sareptana, in Sunamitide in Sara, Rebecca, Estere, Respha, Tabitha, aliisque innumeris, ac comprimis in mulieribus, quæ Christo crucem bajulanti, amarissimis lacrymis compassæ, quæ eum fugientibus discipulis, secutæ, & mortuum aromatibus & unguentis, condire, & ungere venerunt Matthæi 27. v. 55. *erant autem ibi* (in funesta & extrema illa Christi patientis scena:) *mulieres multa*, quarum præcipua, mater Jesu, cujus aliæ comites & asseclæ, *qua secuta erant Iesum à Galilaa ministrantes ei; inter quas erat, Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedai.*

Gregor. Nyssen. orat. 2. in illud: faciamus hominem Misericordia & pietas mulierum.

Matth. 27. v. 55.

Corn. hic.
Cornelius hic: dicit hoc „ Matthæus, ut mulierum harum, præ viris, fi„ dem, constantiam, & pietatem in Jesum cele„ bret: quod spectantibus Judæis, Christi hosti„ bus, ausæ fuerint cruci ejus adstare, & com„ passionem suam in eum testari. Unde Euthi„ mius: *vide*, inquit, *conversum ordinem, discipuli siquidem fugerant:* DISCIPULÆ *verò permanentes assistebant.*

Hæc mulierum pietas Christo patienti & morienti, magno solatio fuit; non de illis, sed de viris queritur apud Jsaiam: *de gentibus* NON EST VIR MECUM. Solæ mulieres cum Virgine matre, crucem bajulantem, & sub cruce, non destituerunt: mortua, & sepulta omnia pietatis, doloris, & amoris officia extrema exhibuerunt. Illas sibi solas adhæsisse, illis Jobi verbis, innuisse visus est: *derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos:* ubi non ex meo, sed D Bernardi sensu, sexus ille laudatur: quia etiam discipulis fugientibus, mulieres Jesu patienti inter omnes Judæorum minas, fideles adhæserunt.

Isa. c. 63 v. 3.

Iob. c. 19. v. 20.

Ipsum audite cap. 2. de Passione D[o]mini, ubi sic Christum querentem indueit: de gentibus non est vir mecum, tanquam intelligendum sit, *solas mulieres cum illo remansisse: viris enim fortioris natura fugientibus pra timore*, NON FUGIT MULIEBRIS INFIRMITAS, *qua etiam bajulantem sibi Crucem, & in Cruce morientem non dereliquerunt, sicut in persona Christi conquerentis loquitur B. Iob: derelicta* SUNT TANTUMMODO LABIA CIRCA DENTES MEOS· *per labia quippe, qua ceteris sunt membris molliora, muliebris sexus mollis & infirmus, qui solus Christo, discipulis fugientibus adhæsit, figuratur.*

Bern. cap. 2. de passione dom.

Breviter, & nervosè Hieronymus, viris ruborem inducit: *sufficeret Dominum dicere resurgentem, primum apparuisse* MULIERIBUS, *& Apostolorum illas fuisse* APOSTOLAS, UT ERUBESCERENT VIRI *non quarere, quem jam fragilior sexus invenerat.*

Hieronym. in Sepulcrum ...

Et alibi: *sacerdotes, & Pharisai* (viri) *crucifigunt filium Dei, Maria Magdalena plorat ad crucem, unguenta parat, quarit in tumulo, hortulanum interrogat, Dominum recognoscit: pergit ad Apostolos, repertum nunciat: illi dubitant ista confidit.*

Idem epist. 140. ad Princip.

Marcus verò luculenter mulierum misericordiam expressit C. 16. *Maria Magdalena*, *&*

Maria

Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum.

Quæ vero hæc aromata, & unguenta, dilucide ad mores exponit Rupertus in illud Cant. 4. *odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Ubi sic ait: *quæ ergo sunt unguenta tua, soror mea sponsa? eleemosynæ tua, quas expendisti in unguenta pretiosa: esurienti cuilibet cibum dare, sitienti potum præbere, hospitem, sive peregrinum colligere, nudum vestire &c. Super omnia aromata est odor unguentorum tuorum, id est suavitas eleemosynarum tuarum.*

Rupert. in cap. 4. Cant.

Quæ eò frequentiores, & largiores à fæminis erogantur, quò teneriori in egenos, & miseros, affectu tanguntur, quos viri immotâ mente, torvo vultu, verbis acerbis, occlusis præ naribus foribus aspernantur, aut opitulari dedignantur; quo factum, ut Redemptor noster primum SS. Matri, ac mulieribus hisce à Resurrectione sua gloriosus apparuerit, & ad viros nuntias legarit: *ite, dicite discipulis,* S. Thomas hic: *dicitur ut nuntient Apostolis: quia per mulierem mors nuntiata est, per mulierem vita resurgens.* Additur, *& Petro*, ut quem fæmina fecerat negare, fæmina faceret confiteri. Quid ad hæc viri? habent quod de his, misericordiæ & compassionis plenæ mulieres triumphent? Hipponensem præsulem in laudes earum excurrentem audite: *benigna dispensatio Domini nostri Iesu Christi egit, ut primus illum* SEXUS FÆMINEUS *resurrexisse nuntiaret, quia per sexum fæmineum cecidit homo, per sexum fæmineum reparatus est homo; quia ergo virgo Christum pepererat, & fæmina resurrexisse nuntiabat, per fæminam mors, per fæminam vita.* Hæc firmantur Doctoris maximi sententiâ: *Dominus dabit verbum Evangelizantibus,* ubi sic ait: *in Hebræo est, quæ Evangelizantur, hoc est mulieribus, quæ Evangelizarunt Apostolis de Domini resurrectione: dicite fratribus meis.*

Aug. serm. 35 de tempor. festo Resurrect.

S. Hierony. in psal. 67

Nunc breviter pietatem & religionem fæminarum in cultum divinum perstringamus.

Pietas & religio fæminarum in cultu divino.

Exodi 35. v. 22. Tabernaculum, arca testamenti, velum, mensa panum propositionis, candelabrum aureum, altare holocausti, vestes sacerdotales, & quæcumque ad cultum divinum spectabant, conficienda erant; cum Moyses ad totam concionem filiorum Israel verba habuit, atque ad ea, quæ jam enarravi, zelo Dei plenus, multitudinem animavit, & efficaciter peroravit: *nam omnis multitudo filiorum Israel, obtulerunt mente promptissimâ atque devotâ primitias Domino, ad faciendum opus Tabernaculi testimonii. Quidquid ad cultum & ad vestes sanctas necessarium erat,* VIRI CUM MULIERIBUS *præbuerunt armillas, & inaures, annulos & dextralia,* cæteraque ex auro & argento, tum vasa, tum ornamenta.

Exodi. cap. 35. v. 22.

Santes Pagninus ea verba sic vertit: *viri post mulieres venerunt*, nam licet omnes, promptâ & devotâ voluntate ad pium illud opus conferre decrevissent; *viri tamen post mulieres venerunt*, quæ ilico ex auribus inaures, è digitis annulos, è collo margaritas, & quidquid pretiosæ supellectilis, ac mundi muliebris habebant, ne maritis quidem rogatis, obtulerunt: ubi enim de pietate certamen instituitur, mulieres semper viros prævertunt; id Oleaster his verbis affirmavit: FÆMINÆ PRIUS VENERUNT, *deinde viri: quoniam* PROMPTIORES SEMPER SUNT FÆMINÆ AD OPERA PIETATIS, ET RELIGIONIS, QUAM VIRI.

Oleaster. in Exodi cit.

Omnia templorum ornamenta, ac pretiosa donaria attendite, & comperietis quidquid in vasis pretiosum, in sacris mystarum vestibus artificiosum, in aræ cultum, vel nitore vel splendore exquisitum, à piâ mulierum liberalitate, & sacrarum Virginum opera, & artificio, Dei domui accessisse.

Quod si viros, quis mulieribus in prolixis precibus, in libellis piis, & horis, ac corollis Marianis, Litaniis volvendis, & persolvendis, in sacris, festis, & Dominicis concionibus audiendis, Sacramentis frequentandis, aliisque pietatis ac devotionis exercitiis conferre voluerit, *non poterit respondere unum pro mille,* ut ad oculum patet; nam ubi centenæ fæminæ templa, conciones, sacram synaxim, libenter & ferventer frequentant, rari viri, & ferè uxorum precibus inducti, aut præcepto divino compulsi, spectantur,

Iob. c. 9. v. 3.

Facit hic illud Exodi. 34. v. 23. ubi Dominus præcepit: *tribus temporibus anni apparebit* OMNE MASCVLINVM *tuum in conspectu omnipotentis Dei Israel.* Comiter hic eruditus Oleaster Dominum compellat: Itane verò suavissime Pater, mulierum obliviscetis, aut nullam earum curam geris? Quare non eis item præcipis, ut viros comitatæ, unà cum illis ad sanctuarium contendant? causam reddit: *non enim ignorabas* DEVOTVM SEXVM *hoc sine præcepto facturum;* quo illustri, eleganti, & præstanti encomio Divus Augustinus usus est, & universa decantat Ecclesia, dum sic Matrem misericordiæ compellat: *Sancta Maria succurre miseris &c. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede* PRO DEVOTO FÆMINEO SEXV; è quo longè plures salvandas, quam ea genere masculino, multis rationibus doctissimè probat Didacus de Ruia: mulieres enim, & domicellæ, domi desident; juvenes & viri foris vagantur, tricis, & litibus implicantur, mille periculis corporis & animæ exponuntur: mulieres templa frequentant, viri popinas: hæ domi jejunant, illi foris potitant: hæ naturâ mites, blandis ac byssinis verbis, virum etiam iracundum, turbulentum, ut & Abigail fecit, lenire, temulentum sopire satagunt, & post mille injurias, diras, & iras, pugnos & fustes referunt. Et adhuc erit, qui malitiam, & nequitiam fæminarum, quæ multis viris saluti fuêre, exaggeret, & ut Diaboli januam execretur? cum una nobis fæmina nata, facta sit janua paradisi; Damianus: *hodie nata est regina mundi, fenestra cæli,* JANVA PARADISI.

Oleaster cit.

S. August. serm. 2 de sanctis.

Damian. serm. 3. in Nativit. B. V.

Quin & plures fæminæ viris saluti fuerint, & aditum ad cœlum aperuerint? sic Cæcilia Valeriano, Theodora Sisinio, Clothildis Clodovæo, Jugundis Hermenigildo, Monica

Fæminæ quæ viris saluti fuerunt.

Patricio, Anatolia Adriano januam fidei viris aperuerunt, & verissimum illud Apostoli comprobatum: *Sanctificatus est vir infidelis, per mulierem fidelem.* Hac in parte excelluit Regina Persarum, nomine *Cæsarea.* Hæc, ut refert Gregorius Turonensis, quia apud Regem conjugem suum *Arnulphum*, videbat, se ad Christum transeundi, mille obstaculis impediri, statuit Persico Regno, regnum cælorum anteponere, & facinus vere regio animo dignum designare. Itaque opes, gynecæum, charissimum alioqui maritum, & omnem sæculi pompam, heroica virtute relinquens, Christum Sponsum secuta, ignoto habitu dissimulata, Constantinopolim profugit, apud Christianum Imperatorem *Mauritium*, religionis asylum habitura.

1. Cor. 7.

S. Gregor. Turon. lib. 11. cap. 9. hist. Franc.

Ibi, cum honorificè excipi, tractarique posset, maluit incognita latêre, minus inter ancillas, quam Dominas, reperienda.

Baptismo igitur tincta, è quo illam ipsa suis manibus suscepit Imperatrix, vitam cæpit communem agere, atque foris famulari, quæ domi imperare potuisset. Nimirum pro sceptro illi erat arundo, Christo, per ludibrium, in manus tradita; pro corona aurea, fertum è spinis contextum; pro gemmis annulisque, guttæ purpureæ, & lucidus sanguis Servatoris, clavique ferrei, per manus, pedesque illius adacti: Denique pro regio solio, templum, & aræ, ad quas identidem supplex versabatur. Hac vivendi ratione, se quamoprimè regnare existimabat. Nec Christo tantum fuit pretiosa; ea indole erat, ut Rex Persarum regnum, quàm reginam amittere maluisset. Desiderio igitur eius inveniendæ, legatos quaqua misit, cum litteris, mandans, rogans, flagitans, ut, si uspiam esset, ad se, cum honore, magnificisque promissis, remitteretur. Ventum est etiam Constantinopolim, rogatus *Mauritius* Imperator, nihil effectum. Nemo siquidem arbitrabatur, majestatem regiam, extra purpuræ splendorem, quærendam; vix tamen alibi quærendam, quam in magnâ aulâ, censuit Rex Persarum. Quare iterum, iterumque, misit ad *Mauritium Imperatorem*, rogitans, ut in Reginam, quacumque demum de causâ fugitivam, inquireret. Fecit ea solicitudo Persæ, etiam Mauritianos diligentiores.

Imperatrix igitur, tametsi ante nihil minus suspicata, cæpit Cæsaream curiosius observare; quæ vestium quidem vilitate fallebat conjecturas, modestiâ tamen incedendi, gestuumque, & oculorum, sermonisque moderatione, nihil vulgare promittebat intuentibus. Eam itaque ad se vocat Imperatrix, &, per alterius negotii speciem, diligentius consideratam, de teneritudine, ac lineamentis conicit, vel Regis conjugem, vel regio conjuge dignam esse. Sed rem in præsens dissimulatâ, à se dimittit, legatisque Persicis jubet significari, *mulierem quamdam è Persia advenam degere, servireque in aula, quæ nisi generis, originisque profiteretur obscuritatem, de ipso vultu, pro Regina haberi posset. In legatorum proinde arbitrio esse, ut explorent, quid fæmina illa sit, aut quale nomen, trita vestis tegumentum absçondat.* Non erat conveniens, ut mulier tam formosi vultus, nisi coram imperatrice, in examen Persarum veniret. Quocirca in unum locum convenium, Imperatrix, Legati, Cæsarea. Nec longâ opus fuit deliberatione, faciem illico legati, non vestem intuebantur; agnitâque reginâ suâ, *hec est illa, quam quærimus*, inquiebant; & cum dicto in genua, ante illam, procumbentes, quam poterant reverentissimâ demissione, illam rogabant, *ut domum reverti, ac regi Reginam, regno solatium restituere vellet.* Hic Cæsarea proditam se, deprehensamque videns, censuit nihil amplius dissimulandum, sed regiâ utens libertate respondit, *Christianam se esse factam, cum Christiano vivere, cum Christiano mori velle. Quare si ideò animus sit Regi Persarum, ut Christiana fide, ac lege vivere, Christianoque more, ac ritu, baptismum velit acceptare, nihil se morari, libentissimeque in Persiam reditnram; sin antem perstet in cultu idolorum, ignemque, pro Deo & conditore igni porrò adorare pergat, numquam se neque blanditiis, neque vi ulla adductum iri, ut consentiat domum reverti: satius esse patria, quam cælo excludi; malle se exulare cum Christo, quàm cum hoste Christi regnare.* Quæ verba non tantum regium, in vulgari tunicâ, animum patefecerunt, verum etiam palam demonstrarunt, Christianâ libertatem, omnihumanâ authoritate esse superiorè.

Attoniti ea acceperant legati, mirabatur Imperatrix, tota aula obstupescebat. Sed quid mirum? ipse Rex Persarum, postquam id tam generosum responsum legati retulerunt, tantæ virtutis extitit admirator, cæpitque secum cogitare, vim esse utique majorem, quæ Reginam impellat, ad tantas opes, ad Persicas gazas, ad dignitatem, & coronam regiam, ad summa potius in his terris mortalium vota, ac maximas delicias, quam Christi fidem deferendam. Quid exempla non possunt? quid non vel ipsæ mulieres in exemplis? *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem*: & tantus Rex, conjugis religione incensus, extemplo statuit, Christo se addicere, perinde legem eius, ac conjugem suam sanctam ratus. Novâ igitur legatione, à *Mauritio Imperatore* petit, ut ad se mittere Antiochiam velit, *D. Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum*, à quo sacro latice tingi, & Baptismi Sacramento Christo possit initiari. Excepit *Mauritius*, ingenti gaudio legatos, magnosque Antiochiæ fieri jussit apparatus, quo ipse quoque profectus, Regem Persarum è baptismo suscepit, Arnulphum appellatum. Quanti refert, principem præire? *si Regis ad exemplum totus componitur orbis*, cur non & regnum, pars orbis sequeretur? Illo igitur tempore, cum Rege, sexaginta Persarum millia, relicto gentis errore, ab idolis, ad Christianam Religionem, suscepto sacro baptismate, transierunt. Quis eius rei author fuit? primus quidem Deus, sed post Deum fœmina, & conjunx pia; ut jam illi tantam salutem meritò adscribere possimus. Et cur non velimus, qui tam proni sumus, ad Evam primam matrem nostram, tamquam omnis mali originem,

1. Cor. 7.

accu-

accosandam ; necunum dumtaxat hoc exemplum occurrit.

Alia fœmina,& virgo vel ambita, procum Christo est lucrata. *S. Lucia* Romani nominis Virgo, à barbaris capta, barbaros & ipsa cepit. Ea ob eximiam corporis venustatem, nobilissimosque mores, (velut olim Judith ad Holofernem) ad ethnicum Regem *Anzayam* est adducta. Captus est primo aspectu barbarus; jamque vim parabat, amore furens; cum illa heroidum fortissima, tota Christi openixa, in hæc animum verba effudit: *scito, O Rex, me jam Deo cæli nupsisse, illiusque Sponsam, in illius fide ac tutela esse: cui magna cura est, ut me sibi servet intactam, illibatamque. Quare nihil dubita; te ab illo graviter puniendum, interficiendumque, si quid impuri tentaveris: Deus enim, Deus zelotes est: nec æmulum potest, aut rivalem sustinere.* O quam potens est christiana, pro virtute, libertas! O si plures auderent, in foro, aut aliorum salutis causâ apertè loqui! quàm magnos sæpe fructus legeremus! Pauca hæc *Luciæ* verba, tantam vim habuerunt, ut vel barbarum Regem, Dei timore perculsum, à flagitio absterrerent, virginemque integerrimam conservarent; à cujus violatione non solum abstinuit Anzaya, sed etiam illam à virtute tanti fecit, ut eam in regiâ domo opiparè habitam, contra aliorum petulantias, ac libidinem, quam attentissimè custodiret. Nullũ opus pietatis, cælestis Pater relinquit absque remuneratione; quare etiam hanc *Anzayæ* humanitatem, abstinentiamque insigniter compensavit: siquidem per *Luciæ* virginis assiduas ad cœlum preces, & plus, quam ab homine excogitara utilissima consilia, multas, clarasque in bellus victorias Regi est largitus adeo castitas meretur triumphos. Neque satis fuit, per virginem vicisse, nisi etiam per eamdem rectè credere didicisset; siquidem castissimis ejus exemplis, atque sanctissimis moribus motus, eam legem amplexus est, qua tales mores faceret, Christique se jugo subjecit. Videtis virginis captæ, quanta fuerit potentia in capientem? si potuit hoc in procum, quem repulit, quid potuisset in sponsum, quid in maritum, nisi majori jam ante sponso enupsisset? Immò, quia nuptias carnis repudiavit, plus potuit. Siquidem Rex *Anzaya*, ad Christum conversus, ut regnum quæreret non periturum, cum stupore omnium, tegnũ caducum deseruit sponte, ac *Lucia* comitante, Romam est peregrinatus. Ibi ostendit, quid vir, quid miles, quid Rex, à fœminâ piâ possit discere. Quippe Christum confessus Deum; crudeli Diocletiani mandato, cum sanctissimâ Virgine *Lucia*, aliisque viginti, & uno Christianis, in carcerem conjectus, ac postea capite plexus, ad cælestem cotouam, æternasque cum Agno nuptias evolavit. *Tanti dux fœmina facti.* Plura & innumera ejusmodi exempla videre est apud Stengelium, aliosque. Nec solum ab hæresi, sed & à vitâ pravâ, juxta illud Sapientis: *Mulieris bona beatus vir.* Et alibi: *Beatus vir, qui habitat cum muliere sancta.*

Ex quibus patet, ut viri, per illecebras quarumdam falacium, ac fallacium mulierũ seducti sint, qui vel hoc ipso se effœminatos ostendetunt, non toti sexui, nequitiæ notam inutendam; cum plures indies integras ac innocentes filias, à lascivis adolescentulis, & inveteratis dierum malorum viris, corrumpi, experientiâ compertum sit.

S. Thomas 22. q. 163. art. 4. cum probasset viri peccatum Adæ, longè pravius, quam illud Evæ: Davidis quam Bethsabeæ; ut ex pœnis, quas Deus vitiis inflixit, cernere est, subjungit: virum insultare non debere fœminæ, si fortè lapsa sit: audiat Augustinum dicentem: *Cum vir à virtute nomen acceperit*, ET MULIER A MOLLITIE, *id est fragilitate; Quare contra crudelissimam libidinis bestiam unusquisque* UXOREM SUAM VULT ESSE VICTRICEM, *cum ipse ad primum libidinis ictum*, VICTUS *cadat?* Nam ut in arte amandi peritus Naso:

FOEMINA *quid faciet*, CUI VIR *sit turpior ipsa?*

Quid, quod eò impudentiæ, & impudicitiæ viri procedant, ut præceptum illud, *Non mæchaberis*, solis quasi fœminis, non sibi observandum impudorati arbitrentur; quod idem Doctor lib. de decem chordis, chorda 5. exaggerat: *Tanta est perversitas generis humani*, UT VIR *habeatur, à libidine victus; & vir non habeatur victor libidinis*; nec viros se probant, nisi in libidinem proruant, & Veneri succumbant: *Triumphantes exultant, & non sunt viri; jacent prostrati, & viri sunt.* Et tales viri, qui dicunt se continere nõ posse, à fœminis castimoniam exigunt, & thorum maritalem prætergressas, domo exturbandas, imò ferro interimendas decernunt: *Fœdum est fratres mei, turpe est, ut vir dicat non posse facere*, QUOD FACIT FOEMINA. *Quod* POTEST FOEMINA, *vir non potest?* CASTÆ UXORES *vestræ, ostendunt vobis fieri posse, quod non vultis facere, & dicitis fieri non posse.*

Surgent fœminæ in judicio, & de viris triumphabunt. *Pro pudor!* inquit Hieronymus ad Rusticum, epist. 46. *Fragilior sexus vincit sæculum, & robustior superatur.* Illud autem Genes. 6. *Videntes filii Dei, filias hominum*, de Angelis intelligendum, quasi in concupiscentias mulierum exarserint; quod in bonos Angelos, purissimos illos spiritus, corporeæ molis inexpertes, cadere, non posse, nec primum eorum peccatum fuisse Scriptura evincit: *Quid fabulosius*, inquit Chrysostomus *num hac ruina illorum causa fuit? verum scriptura nos aliter docet: antequam formaretur Adam, à sua dignitate excidisse diabolum.* Mox subdit, hominis stulti, ac insani esse, hanc sententiam asserere: nam quantæ dementiæ fuerit dicere, Angelos esse dejectos, ut cum mulieribus rem haberent, *& incorporea natura copularetur corporibus? an non audis Dominum dicentem de Angelorum substantia: in resurrectione, neque matrimonium contrahunt, neque elocantur: sed sunt sicut Angeli Dei?* Quam vitam Angelicam adhuc in terris longè plures fœminæ, & sanctimoniales, quam viros, ducere videmus! Unde Peretius noster, hæcque de Angelis, non modo falsa, sed pudenda, & absurda, indignaque tantorum virorum

Marginalia: S. Antonin. 3. p. tit. 8. c. 1. §. 37. — Eccl. 26. Eccl. 25. — Viri nequiores fœminis. — S. Thom. 22. quæst. 163. art. 4 — Ovid. — August. lib. de decem Chordis. — Ibid. — Hieron. ad Rusticum. epist. 46. — Refutatur & damnatur quod Angeli exarserint in concupiscentiam mulierum. — Chrysost. hom. 22. in Genes. — Pererius in Gen. c. 6. v. 2. lib. 8 disp. 1.

rorum ingenii & doctrinæ famâ, tum beatorum Angelorum puritatis, ac sanctimoniæ præstantiâ, asseverat.

His solidè de malitiâ mulierum refutatis, earumque bonitate, pietate, ac virtutibus comprobatis, adhuc ne etit, qui in nativitate filiæ duxerit non lætandū, immo verò; quia per filiam familia nobilitari, nomen propagari, domus illustrari non potest. Quæ quam gratis dicta, frivolè allata, temerè nullo fundamento nixa, ex dicendis patebit.

§. III.

Probatur mulieres familiam nobilitasse, nomen propagasse, fortitudine bellicâ, maximè autem Christiana: Tum sacra ac profana scientia illustrasse, & ex ea qua hodie filia nata est, omnibus perspectum erit.

Nobilitas Mariæ Natæ. SI nobilitas è serie illustrium majorum, splendidis avorum, & proavorum titulis, petenda sit, nascitur *Maria* de domo David, ex progenie Regum, & Sacerdotum; sed cum alia longe sublimior, ac divinior sit,

Iuvenal. Sat. 8. *Nobilitas sola est, atque unica virtus,*

Hac præ omnibus mortalibus præcelluit *Maria*, quæ ob virtutum omnium excellentiam, fuit NOBILITAS *omnium electorum*, quæ ob singulares gratias, & prærogativas, fuit NOBILITAS *populi Christiani*, quæ ob dignitatem *Matris Dei*, infinitè digniori titulo, quam *Maria Medicæa*, trium Regum terrenorum, *Regina Mater* à Divo Bonaventurâ, ab eodem *Regina Reginarum*, ab aliis Regina cæli, Domina mundi, *Imperatrix Angelorum, & hominum* jure indigetatur. Unde Divus Ambrosius, hujus Virginis dignitate attonitus, exclamat: QUID NOBILIUS *Dei Matre?* Num illustrior virorum, Ducum Florentinorum, Venetorum, Principum Austriacorum, Regum, Imperatorum, aut Pontificum nobilitas? Omnes hi, & titulos, & fasces, & sceptra, & coronas, & tricoronides infulas, ad cunas hujus puellæ, cæli terræque Dominæ, Matris Dei, flexo poplite subdant, necesse est. *Quid enim nobilius Dei Matre?* Sufficerit mihi unus è purpuratorum Patrum consessu Cardinalis Petrus Damianus qui sic ait: *In humano genere*, ILLE NOBILIS *dicitur, qui claris majorum titulis insignitur: Beata verò* MARIA, *licet de generosa sit Patrum stirpe progenita; ab illo tamen trahit* EXCELLENTISSIMÆ NOBILITATIS GENUS, *qui de illa est novo nascendi genere procreatus: & per clarissimam sobolem, omnem humani stemmatis* (virorum quantumvis illustrium, ac Principum) EXCEDIT NOBILITATEM. Epiphonematis loco subjungit: *Clara proavorum titulis, sed incomparabiliter* CLARIOR, GENEROSITATE PROLIS: FILIA SIQUIDEM REGUM; SED MATER REGIS REGUM: quæ quantum domum suam Nazareth illustrarit, Lauretum, & orbis testatur. Supereft nunc ut & alias mulieres, hujus Reginæ Regum, sanctitate æmulas, quæ veram nobilitatem non modo apud cælestes, sed & inter mortales acquisiverint, nomen suum dilatarint, ac familiam illustrarint, in medium producamus.

Greg. lib. 1. epist. 22. S. Anselm. alleg. 23.

Bonav. in spec. Mar. Gosfridus serm. 8. Ambr. lib. 2. de Virginib.

Damian. serm. de Nativit. B. V.

Fœminæ quæ familiam illustrarunt. *Hieron. epist. 27. de Epitaph. Paulæ.*

Sanctus Hieronymus epist. 27. ad Eustochium, de Paula Romana: NOBILIS GENERE; SED MULTO NOBILIOR SANCTITATE. *Potens quondam divitiis, sed nunc Christi paupertate insignior. Gracchorum stirps, soboles Scipionum, &c. Romæ prætulit Bethleem*; atque ut noris, quantum nominis sui famam, dum hic latuit, propagatit, subjungit: *Quæ unius urbis contempsit gloriam, totius orbis opinione celebratur: quã Romæ habitantem, nullus extra Romam noverat; latentem in Bethleem, & Barbara & Romana terra miratur, ac veneratur.*

Quantum familia, unius filiæ sanctitate illustretur, quæ Christo sponso nupta est, testatur irrefragabilis Doctor Augustinus epistola 179. qua illustrissimis ac præstantissimis filiabus, *Proba*, & *Iulianæ* gratulatur de Demetriade, quæ virginitatis velum acceperat: *Quis verbis explicet: quis digno præconio prosequatur: quantum incomparabiliter gloriosius, atque fructuosius habeat ex vestro sanguine fœminas Virgines Christus, quam viros Consules, mundus:* Rationem reddit: *Nam si voluminis magnum, atque præclarum est nominis dignitate signare, quantò est majus, atque præclarius, cordis & corporis integritate transcendere.* Tum sic sponsam Regis æterni (quæ habet, uti & familia, in qua glorietur) adhortatur: *Magis itaque gaudeat puella* NOBILIS GENERE, NOBILIOR SANCTITATE, *quod sit per divinum consortium præcipuam in cælis consecutura sublimitatem, quàm si esset per humanum concubium* (Principis, aut Regis terreni) *prolem propagatura sublimem.* Quæ omnia aptissime conveniunt, dicentio ad sponsam illustris familiæ, virginitatis velum suscipienti, aut castitatis voto se Christo sponso consecranti.

Augustin. epist. 179.

Morale ad nobilem sanctimonialem, & sponsam Christi.

Virgo Christi sponsa, recte titulo Dominæ nuncupatur. *S. Hieron.*

Scio filias, quamdiu innuptæ sunt, domicellas compellari, & unicum earum, ac parentum studium, & ambitum esse, ut viro nobili, atque illustri jungantur, per quem *Domina* queant appellari, & familia illustrari, quod quàm optima ratione fieri posse, si filia Regi Regum, ipsô Christo, æterno illibatæ virginitatis connubio jungatur, docet Doctor maximus; dum domicellam virginem, sanctam Eustochium, *Dominam* encomio jure compellavit, dicens: *Hac idcirco* DOMINA MEA *Eustochium, scribo*: DOMINAM *quippe vocare debeo: sponsam Domini mei.*

Filia communis conditionis, quæ illustri viro, ac Principi nubit, non modo ipsa omni honore, & dignitate condecoratur; sed & tota familiæ splendorem confert, ac domum illustrat. Et unde Paula, totaque ejus progenies, impensius condecorari posset, quam dum Eustochium suam cernit Christo Regi gloriæ, & immortali nuptam? unde sic matrem affatur:

Quid

Quid invides mater filiæ? indignaris quod voluit militis esse uxor, sed Regis? grande tibi beneficium præstitit: SOCRUS CHRISTI ESSE cœpisti.

Si quæ hic Mater, filiam habet sanctimonialem, aut Virginem Deo devotam, habet unde plus, quàm de filiis sago, aut toga illustribus glorietur, quia *socrus Christi*, Regis æterni *esse cœpit.*

Contra maritos qui prolem fœmineam execrantur. Audiant mariti, & ambæ eorum aures tinniant, qui plus quàm belluinâ barbarie execrantur uxorem, si filiam pepererit, ipsamque prolem aut aquis præfocandam, aut violenta manu, supra jactarunt è medio tollendam. *S. Perpetua*, virgo sanctimoniâ vitæ orbe toto notissima, quæ familiam totam illustravit, documento erit. Parens hujus virginis, vir antiquo stemmate prænobilis, ac dives, uxori prægnanti edixit: si puellam pareret, morte luituram. Quare secum paucis post diebus, filiam enixa esset, minarum, ac mortis metu, jussit infantem obstetricis manu occidi; quæ obtorto puellæ collo mortuam ut putabat, sub stramine occuluit; dum noctu Angelus patri puellæ in aula apparens, mandavit, ut actutum domum reversus filiam à Deo datam susciperet, susceptamque in monasterio montis Romarici sacris aquis tingi curaret, Pompejana in pattinam rogata, filiaque *Perpetua* nuncupata: addidit severam monitionem, & comminationem, ne uxori puerperæ quidquam mali ea propter inferret; filiam autem monasterio relinqueret educandam.

Alia Carina *Bollandus Corsw. 12. Septemb.* *Surgelius de Indicin divinis tom. 2. cap. 40. num. XI.*

Accepto mandato patens, illicò domum regressus, de nato infante quærit, ubi esset? Respondit uxor abortum se passam, eumque in cloacam abjectum esse: Institit maritus, coeque ante cessavit urgere familiam, quàm ei illi partus est oblatus. Quem sanè crudelis obstetrix, mortuum cum afferre vellet, reperit vegetum, & incolumè, digito ino os signantem. Adductam puellam pareos tenerrimè complexus, in dicto monasterio enutriendam, ac educandam tradidit, ubi mira pietate, morum probitate, Angelica puritate, & insigni vitæ sanctitate, non solum domesticis illuxit, sed & toto regno, urbe & orbe, famâ super æthera nota exstitit, atque unica hæc filia, familiam magis, quam decem filii vanis mundi titulis, & opulentis muniis insignes illustravit.

At ne pietate & sanctitate dumtaxat, quæ apud Deum, & homines, momenti summi esse debet, mulieres insignes extitisse, Politicis fortasse ad familiam illustrandam, & famam propagandam, non satis sit? illas quoque & robore, & fortitudine animi, viris superiores fuisse, SS. Patrum testimonia, veterum ac recentiorum Scriptorum monumenta loquuntur.

Mulieres quæ fortitudine illustres exstiterunt.

Scio passim illud Salomonis à viris in fœminas spiculum detorqueri: *Mulierem fortem quis inveniet?* Doctor mellifluus, non longè, aut ab ultimis finibus terræ quærendam duxit; dum de filiâ hodie natâ dixit: *Hanc requirebat Salomon, dum vehementer admirans, dicebat* MULIEREM F[illegible]RTEM *quis inveniet?* Hæc fortissima mulierum stetit, ubi omnes viri fugerunt, & columnæ cæli lapsæ sunt. Hæc fortissima mulierum *Maria, mulierum infirmitatem verè gloriosam reddidit, qua lapsam Evam erexit.*

Prov. 31. v. 10. Bern. ser. 2. super missus.

Sic ut fœminæ, viris sint fortiores; primum invicto animi robore, & ad ardua quæque tolleranda constantiâ, in quâ vera, & Christiana fortitudo consistit; unde Gregorius Nyssenus imbecillitati & infirmitati mulieris, hac distinctione occurrit; mulier infirma est quoad carnem, concedo; quo ad spiritum, nego: *Ne dixeris, sum imbecilla; imbecillitas in carne est, in animo autem, vis ac robur.* Hoc mollissimæ fœminæ, hoc tenerrimæ virgunculæ in catastis, & equuleis, in rotis, & rogis restatæ sunt, de quibus sanctus Ambrosius, ut gentilium Romanorum, ac comprimis Philosophi Calani ad Alexandrum magnum confundat jactantiam, dicentis: Philosophorum poteris corpora enervare, non pectora enervare, sic ait: *Præclara hæc fuisse verba; sed verba;* nec ad opera pervenisse. Porrò inter nos, non in solis verbis consistit summa fortitudinis; sed ad opera progreditur; & hoc, nedum in viris, corporis nervis, & robore præstantibus, sed etiam in puellis junioribus, & tenerioribus: sic enim ait: *Apud nos autem & puellæ, de mortis appetentiâ sublimes, usque ad cælum erexere virtutum gradus. Quid Teclam, quid Agnetem, quid Pelagiam loquor, quæ tamquam NOBILIA vitæ lumina, pullulantes, ad mortem, quasi ad immortalitatem festinaverunt? Inter Leones virgo exultavit, & prodeuntes bestias, spectavit intrepida;* ad quas robustissimi viri expallescerent, & contremiscerent. Quod si hæc magis miranda, quam imitanda, & longius petita videantur, occurrant animo quas fœminæ in conjugio, virgines in monasterio molestias, cruciatus, afflictiones, exantlare fortiter consueverunt, quibus viri succumbereot: non me, sed Antistitem Nyssenum audite: *In rebus autem quæ fortitudinem postulant: mulier* ROBUSTA *est, in vigiliis, in laboribus constans. Quando potest hominis natura, cum fœmina fortiter vitam agentis naturâ contendere? quando potest homo (id est vir) firmam mulierum in jejunio continentiam imitare? quando potest æquare sedulum in precationibus studium? piam ad lacrimandum propensionem, & pronam ad bene merendum facilitatem?* Atque ad hujus rei probationem, in exemplum adducit, quam probè noverat. Verum enim verò ad familiam illustrandam, ut sanctitas, & canonizatio unius Agnetis, Teclæ, Cæciliæ, Paulæ, Fraocisca Romanæ, Catharinæ Senensis, Bononiensis, supra omnes titulos, & Regum prosapiam conculerit; vulgari tamen, & sæculari judicio, virtute bellicâ fœminas fortes, ac viris antecelluisse, & heroicis facinoribus exsuperasse, tam sacræ quam profanæ tradunt Historiæ. Talis ad stuporem, & ruborem virorum, in sacris annalibus *Debora*, ad quam ipse dux exercitus *Barach: Si venis mecum, vadam, si nolueris venire meum, non pergam Qua dixit ad eum: ibo quidem tecum; sed in hac vice non reputabitur victoria tibi: quia* IN MANU *mulieris tradetur Sisara;* unde cap. 5. v. 6. illi accinitur: cessaverunt FORTES *in Israel, donec surgeret* DEBORA. Cujus fortissimæ, ac generosissimæ fœminæ, animos ac vires admiratus Ambrosius, exclamat: *Quanta* FOEMINÆ ISTIUS VIRTUS, *tui Dux dicio exercitus, nisi tu veneris non ibo!*

Laude à V. *Greg. Nyssen orat. 1 in illud. faciamus hominem.* *Nicephor. Callixtus lib. 7. hist. c. 12.* *Ambr. lib. 1. epist. 7. tom. 4. ibid.* *Nyssen. cit.* Mulieres bellica virtute insignes. *Lib. Iudic. cap. 4.* *Ambr. lib. de Viduis.*

Et Divus Hieronymus in Sophoniam cap.

1.respondet objectis,cur ad Paulam & Eustochium,fœminas,hæc commentaria potius miserit,quam ad viros: *Sciant* OLDAM *viris tacentibus prophetasse,&* DEBORAM *Iudicem pariter,& Prophetem,hostes Israel , Barach timente, superasse;&* JUDITH ET ESTER, *Israel de periculo liberasse.*

Hieron. in cap.1 Sophonia.

Iudic.c.5. v.26.

Talis bellicosissima illa *Iabel* , *qua sinistram manum misit ad clavum & dexteram ad fabrorum malleos*,& potentissimum hostem , clavo per tempora adacto,ad terram affixit.

Talis inclitissima illa *Iudith*, quæ Holofernis caput abstulit, & totum exercitum Assyriorum delevit. *Quod si tibi vis*,inquit Seneca,*exempla referri* FÆMINARUM (è gentilibus) *non ostiatim quæram* , tales in profanis historiis Amazones,Camilla,Semiramis,Rodegundis, Zenobia,aliæque innumeræ,de quibus jure usurpare possem,quod Xerxes olim , cum audisset quam fortiter,feliciterque *Artemisia* rem contra suos milites pugnâ navali gessisset: FÆMINAS SE VIROS PRÆBUISSE: *viròs autem quod segniter pugnassent,in fæminas degenerasse*. Mitto vetera; paucis abhinc annis Serenissimo Principe Austriaco Leopoldo, Belgii gubernacula moderante,duo milites in acie generosissimè decertantes, plures hostes superasse , & inter cæteros commilitones,heroicis factis eminere visi,fœminæ tandem deprehensi sunt. Nec ita pridem,super eodem argumento, Bononiâ scribitur.

Seneca. consol ad Marciam. cap.16.

Fatz. in cant. text. 11. annot. 2.

Illic inter milites Pontificios, duos natione Germanos,deprehensos in delicto aliquo militari,supplicio mortis damnatos fuisse : cùm eorum unus,nescio quo indicio , cognitus est esse sexus fœminei,& quidem pudicitiâ servata virgo. Super quo illa, quot annis meruisset, & super multis interrogata,cognita mentis , & morum antehac innocentia, benigniori Judicis sententia,gratiam mereri visa,ab omni pœna immunis proclamata est. Tum verò qui cum illa complex delicti fuerat,solus ne plecteretur, cogitatum fuit, qua ratione & ipsi clementer ignosci posset, Rogatur num arrideat in consortem matrimonii habere eam , quæ consors militiæ fuerat? Annuit ille ut qui maxime. Et illico copulantur conjugio,ac mortis apparatus,versi sunt in festivas nuptias , ac tumulus in thalamum: opus tamen fuit,ut sponsa tantisper resumpto virili , ac militari habitu instructa sclopo,ac gladio accincta,per urbem obduceretur.ad primariæ nobilitatis palatia, ubi corâ matronis,ac puellis nobilibus,ad spectaculum avidissimè effusis,arma tractare,singulaque strenui militis officia exercere oportuit:& hanc personam suam tam aptè exhibuit, ut ab illis largè donata abierit, & laudem , supra multos viros,mulieris fortis retulerit. Cõcludo hic cum Philosopho Romano: *quis dixerit naturã malignè* CUM MULIERIBUS INGENIIS EGISSE, *& virtutes illarũ in arctũ retraxisse? Par illis,mihi crede*,(cũ viris) *vigor: par ad honesta facultas. Laborem , doloremque ex æquo, si consuevere, patiuntur. In quâ illud urbe,dii boni,loquimur? in qua Clæliam,contempto hoste, & flumine,ob insignem audaciam,tantum non in viros transcripsimus. Equestri insidens statua* (ut Romæ spectatur) *in sacrâ viâ,celeberrimo loco,Clælia exprobrat juvenibus nostris,pulvinum ascendentibus, in eâ illos urbe sic ingredi , in qua etiam* FÆMINAS EQUO DONAVIMUS.

Seneca. consol ad Marciam cap.16.

Quod non in arctum virtutes fœminarum, natura retraxerit,ex eo patet,quod omnes virtutes,quasi fœminis congenitas,sexu,vultu, & cultu fœmineo expressas cernamus. Hoc Philo Alexand.lib.de fuga,solerter observavit: *virtutes omnes,inquit, habent appellationes* FÆMINEAS. Hinc Grammatici , hæc fides , hæc spes, charitas , fortitudo,temperantia &c. Ut cælestes Nymphæ pinguntur,& oculis, animisque proponuntur.

Quod si viri prolem masculam spectent,norint fœminas,etiam virgines,virtutes masculas parturire; Ut ad rem nostram ingeniosè Mediolanensis Antistes : *Mentis generationes , &* PROLES ALIÆ MASCULINÆ *sunt: ut castitas,patientia,prudentia,temperantia , fortitudo, justitia; quibus mens nostra,& caro ipsa firmatur , & ad impigrè obeunda virtutis munia,erigitur. Et ideo ait Isaias: in utero accepimus, & peperimus spiritum salutis. Masculum ergo parturit,& peperit, qui spiritum salutis effudit.*

Ambros. lib.1. de Cain. & Abel. cap.10.

Quis credat teneris puellis illud roboris animi,eas vires,& spiritus esse,ut pro pudicitia, & virginitate,divini spiritus gladio accinctæ, cum robustissimis viris decertent , & de iis triumphent? ut innumeris historiis comprobare possem; sed unum Hieronymum audisse sufficiat,qui sic virginem,vosque omnes adhortatur: *accingere gladio tuo super fœmur tuum : istum arbitror te locum optimè intelligere , &* ACCINCTAM CHRISTI GLADIO MILITARE. *Ut autem scias semper virginitatem gladium habere pudicitiæ , gentilis quoque error* DEOS VIRGINES FINXIT ARMATOS. Quæro à viris, à vobis adolescentibus,an illos animos, an illud robur mentis,à lascivâ , & lenocinante puellâ impetiti ostenderitis,& quo accincti estis gladio,pro pudicitiâ vestrâ tuendâ, cum in infame scortum stringeretis ? vereor ne in multos caderet illud magni Origenis ; quantæ EX MULIERUM SEXU *apud Deum in viris fortibus numerantur ? & quanti* EX VIRIS INTER REMISSAS, ET LANGUIDAS MULIERES *reputantur?*

Hierony. epist. 140. ad Principiam.

Origen hom. 9 in Josue.

Nolim, ut supra dixi , fœminas cum viris componere,fortitudine corporis, robustis lacertis,in quibus leones, & ursi , ut alias diximus,nobis fortiores sunt; sed robore animi, ad quævis ardua toleranda,& exantlanda.

His satis,superque dilutis,venio nunc ad alterum argumentum , quo viri de fœminis triumphare videntur,illas nec in sacris, nec profanis scientiis, Theologicis,Philosophicis,Medicis,Juridicis,aliisque,posse eminere,se,suamque familiam,per hujusmodi honorificas , ac opulentas functiones promovere; quibus etiam vilissimi,ad summas divitias,& splendidissimos dignitatum apices emersêre. Atque adeo in nativitate filiæ,quæ ad hæc omnia, ut inepta,supra rejecta est, minimè lætandum esse astruunt; qui quam longè à veritatis scopo , & toto cælo aberrent,ex dicendis patebit.

Refutatur altera objectio, de inscitia,& ignorantia mulierũ.

Filia,cujus hodie natalem celebramus , eâ scien-

Maria hodie nata omnes Doctores, & mundi Sapientes

scientiâ divinâ, & humanâ prædita fuit, ut *magistra Apostolorum*, teste Bonaventurâ, *doctrix Evangelistarum, magistra magistrorum, & omnium sapientissimorum Doctorum* extiterit. Unde B. Petrus Damianus æternæ sapientiæ sedem, & genitricem laudaturus, omnium Philosophorum, ac Oratorum linguas mutam & infantem dicit esse facundiam: *Ad virginis hujus digne efferenda praconia, non Rhetoricorum diserta facundia: non Dialecticorum subtilia argumenta, non acutissima Philosophorum apta reperiuntur ingenia. Et quid mirum, si hac ineffabilis virgo, in suis laudibus modum humana vocis exsuperet*, omnes omnium Doctorum linguas, scriptorum calamos, obtusos reddat, & elingues? *illam* nempè, ut Laurentius Justinianus sermone de nativitate virginis, *adhuc in matris utero decumbentem, adamavit Verbum*, SANCTI SPIRITUS MAGISTERIO *deputatam*; quo Doctore, facile didicit, quidquid per multa elementa, & longas, diuturnas, ac nocturnas lucubrationes, à viris doctis, qui in omni scientiarum genere, humanisticâ, historicâ, juridicâ, Theologicâ excelluere, comparatum est, ut in Theologiâ Marianâ Christophorus de Vegâ, doctè, & prolixè pertractavit.

Bonav. in hymnis Ludov. Gran. in cant. B.V. Gregor. hom. in Evang. Rupert. l. 1. in cant. Daman. ser de Nativit. B.V.

Vega Theologia Mariana palæstra 14.

Suffecerit illud Divi Ildephonsi adduxisse, qui ad Marianam scholam frequentandam invitat: AUDITE, inquit, *Matrem, prophetissam Dei, prophetissam dico, imo, ut ita dicam, Evangelistam.* Hoc gymnasium, hanc magistram adière Apostoli, quos Vega noster tres scribit frequentasse scholas, sive gymnasia. Primæ classi præsidebat Verbum, æterni Patris sapientia, à quo præceptore, tamquam rudes prima Theologiæ hausêre rudimenta; postea ad alteram classem assumpti, per S. Spiritum, qui docuit illos omnia, ab eoque orbis magistri gentiumque Doctores creati, igneis linguis, tamquam doctoratus laureâ donati sunt. Jamque omnem Christianam eruditionem edocti, ad supremam classem evehuntur, cui virgo Deipara præest, tamquam præceptrix, ac omnium magistra, quæ eos omni scientiâ, & sapientiâ imbuat, perficiat, ac elegantiori eruditione perpoliat, ut jure exclamet Rupertus: *O beata Maria, magistra magistrorum, id est Apostolorum*, cui opinioni favet Lucius Dexter in Chronico, ubi hæc habet: *Sacra Virgo, consilio, luce doctrina, & mirabili vita exemplo, prasidet collegio Apostolico, nihilque grave gerunt illi, quod non ejus consilio, ductuque gerant.*

Ildephons. ser. 2 de Assumpt. B.V.

Lucius Dexter in Chron. ann. 14. n. 7.

At fœminam Paulus docere prohibet; ego verò non solum fœminas utiliter, & laudabiliter docuisse; sed & qua ratione omnes docere queant, comprobabo, & ad docendum, vos filias exhortrabor.

Ac primum quidem, mulieres ingenio, scientiâ, eloquentiâ, viris non cedere sed & doctissimos, & disertissimos adæquasse, imò exsuperasse, veteres ac recentiores annales testantur; *nec fœmineus sexus* (ut cum Augustino loquar) *suis fraudatur exemplis.* In medium prodeat Amelia, capitis condemnata, quæ sic per omnes artes rhetorices peroravit, eos motus animorum concitavit, ut non solum omnium calculis absoluta; sed & quod viros animo, ingenio, dicendi facundiâ superaret, *Androgine, seu virago* nuncupata est. Quis ignorat Hortensiâ, Q. Hortensii filiam, quæ, cùm viri causam matronarum suscipere non auderent, repræsentatâ patris facundiâ, apud Triumviros causam evicit, *cuius si viri, dicendi facundiam sequi voluissent, Hortensiana eloquentia hereditas, una fœmina actione, abscissa non esset.* Quis non obstupescat Hypatiam, fœminam Alexandrinam? hæc teste Baronio, omnes Philosophos sui temporis superabat, nec modò in scholam Platonicam à Plotino deducta succedebat; verum omnes omnium Philosophorum præceptiones, & disciplinas, omnibus palam explicabat, & quotquot philosophiæ studio incensi, ad eam confluebant. Sic Hieronymus tradit, Diodorum Socraticum quinque filias dialecticas habuisse. Idem in Sophoniam. c. 1. *Plato inducit Aspasiam disputantem, & Alceo Themista inter sapientissimos Gracia Philosophatur. Carneades acutissimus Rhetor, non erubescit in privata domo, audiente matronâ, de philosophia disputare.*

Mulieres ingenio, & scientiâ excelluisse. probatur.

Aug. serm. 142 de temp.

Valer. Max lib. 8. c. 3.

Ibid.

Baron anno Chri. 303. n. XXXII. Socrates lib. 7. c. 15

Hieronym. lib 1. adversus Jovinian cap. 26.

Vultis fœminas altioribus scientiis, sacris litteris, latinè, græcè, hebraicè instructas, non ignobiles, nec paucas in medium proferre possem, quas inter eminet Blesilla, quam hisce verbis Doctor maximus deprædicat, dum *eius nitorem lingua, memoria tenacitatem, acumen ingenii* commendat: *si Gracè loquentem audisses, latinè eam nescire putares: si in Romanum sonum lingua se verterat, nihil omninò peregrini, sermo redolebat. Iam verò quod in Origene quoque illo, Gracia tota mirabatur, in paucis non dicam mensibus, sed diebus, ita Hebraica lingua vicerat difficultatem, ut in discendis, canendisque Psalmis, cum Matre contenderet.*

S. Hieron. epist. 52. de obitu Blesilla.

Quis hæc virorum non obstupescat? quis non conticescat?

Sic *Principiam* Virginem se magistro, latinè & hebraicè edoctam invenies, cui hanc litteratissimam super expositionem Psalmi 40. mittit epistolam: scio me, *Principia*, in Christo filia, " â plerisque reprehendi; quod interdum scri- " bam ad mulieres, *& fragiliorem sexum maribus* " *praferam*: & idcircò debeo primum obtrecta- " toribus meis respondere: *si viri de scripturis qua-* " *rerent, mulieribus non loquerer*: tum alias erudi- " tione, & sapientia eximias inducit: *Thecuites* " *mulier* Regem David interrogatione con- " cludit, ænigmate docet, exemplo Dei mitigat. " Legimus & aliam *sapientem fœminam*, quæ cum " obsideretur civitas, & propter unum perdu- " ellem, dux exercitus Joab muros quæreret, *lo-* " *cuta est ad populum in sapientiâ suâ*, & tantæ mul- " titudinis periculum, muliebri auctoritate (& " differendi facultate) sedavit.

Hieronym epist 140. ad Principiam.

Tandem *Principia*, alias ad inflammandum sacrarum litterarum studium proponit: *habes ibi in studio scripturarum, & in sanctimonia mentis, & corporis*, MARCELLAM, ET ASELLAM: *quarum altera te per prata virentia, & varios divinorum voluminum flores ducat.* &c.

His jungit Cantipratanus, in Campaniâ Galliarum provinciâ, in monasterio Ordinis,

Cantiprat lib. 2. apū.

quod

cap. 46. §. 5. quod Argensoles dicitur, Abbatissam se vidisse, quæ sine ullis grammaticæ rudimentis, non libros solum Theologiæ; verum etiam libros Augustini de Trinitate, plenissimè intelligebat: & difficillimas quæstiones eorum, lucidissimis solutionibus exponebat.

P. Henricus Lamparter. in vita l. 1. cap. 5. Vultis è recentioribus, Doctoris Theologici insignem magistram? *P. Ludovicus de Ponte*, cum in exponendo suis discipulis subtilissimo divinæ Eucharistiæ mysterio intentus esset, derepente ei oborta est, tam arra, densaque difficillimarum objectionum nubes præsertim circa controversiam de panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi conversione, ut in Cathedrâ bene longam, mutus & elinguis, traxerit moram; Auditoribus admirantibus, & aliquid humanitus ei contigisse existimantibus: nec ab eâ difficultate se tum expedire valuit; sed ab æditmo vocatus ad Virginis devotæ, gravi morbo afflictæ confessionem excipiendam, discessit. Erat illa ex iis, quas *Ludovicus* in vitæ perfectioris studio imbuerat: à qua rogatus, cui rei intentus esset, cum accerseretur: Respondit, se versatum in divino illo ruminando mysterio: subjunxit illa, sibi eâdem nocte cogitanti de illo, gravissimas difficultates objectas fuisse; quas etiam recensuit ordine, & erant ex ipsæ, quæ *Ludovicum* implexum tenuerant in scholâ. Adjecit illa, sed & multas, sibi occurrisse rationes, & argumenta, quæ omni dubio, & difficultate remotâ, rem totam sibi reddiderint planam, ac facilem: eaque retulit, ac sigillatim detexit omnia, quæ ejus menti in contrarium objecta fuerant.

Obstupuit ad ea noster Doctor Theologus, & omni nube animi detersâ, conversus ad Deum, sustulit manus, quod per mulierculam erudirus esset, magnoque cum sensu in hæc verba erupit: *confiteor tibi pater: quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.* Deposuit hæc apud Inquisitores Marchio de Villar, qui ex ore eius audierat.

Quid ad sexus muliebris commendationem illustrius: quid ad fæminarum laudem excellentius: quid ad ora dicacium Rhetorculorum obturanda potentius, ut meritò habeant quod parentes in nativitate filiæ lætentur & glorientur.

Nec hic sisto. At cælitus afflatas mulieres, & à Spiritu sancto edoctas, longè altiori, ac diviniori scientiâ præditas fuisse, nemo quisquam refragabitur, Talis exstitit *Samaritana*, talis *Magdalena*, talis virgo Alexandrina, *Catharina*, aliæque innumeræ Benignissimus Redemptor noster, populum illuminaturus, quo nullus densioribus immersus tenebris, contumaciot nullus, Samaritanos intelligo, primam Evangelii sui creat prædicatricem fæminam, & Apostolam, quæ, ubi omnes viri Samaritanorum, ingenio ac scientiâ summi hallucinabantur, mysteria fidei eis prædicavit, & pervicaciam, ac perfidiam expugnavit, & fidem quam docuit, illustri martyrio consignavit. De hac Am-

Amb. in c. 3 Eccli. serm. 1. brosius C. 3 Eccli. Serm. 1. *mulier quaad puteum Samariæ peccatrix advenerat, revertitur* PRÆDICATRIX *& qua hydriæ vasculum amiserat, Christi plenitudinem, & thesaurum cœlestis scientiæ reportabat.*

Idem de Magdalenâ tradit D. Bernardus: *Christum resurgentem vidit, & APOSTOLORUM APOSTOLA esse meruit*, & ut loqui tur Petrus de Natalibus, & Cornelius noster refert, non solum Resurrectionem Domini Apostolis nuntiavit, & prædicavit; sed & persecutione Ecclesiâ exortâ, Lazarus cum sororibus suis, navienla sine remo, & velo Massiliam appulerunt, UBI PRÆDICANTE MAGDALENA, ET OMNI PROVINCIA AD DEUM CONVERSA *&c. Lazarus Clero, & populo Episcopus Massiliensis constitutus est* Quis disertissimus oratorum, quis subtilissimus Theologorum, quis doctissimus virorum, suâ suadâ, motum argumentorum pondere, eam gentem, se è tenebris ad lucem fidei perducere potuisse, in animum induxerit? *Bern. de Mada lena. ... Petrus ... Natal ... Cornel in Ioan. cap. XI v. 44.*

Quare, O mulieres, erigite capita vestra, quia non propè deleta, sed planè deterfa est injusta vobis inique macula, & impacta calumnia; ut verissimè, & suavissime Ambrosius: *ne perpetui reatus mulier apud viros opprobrium sustineret, & quæ culpam viro transfuderat, transfudit & gratiam, veterisque lapsus compensat ærumnam Resurrectionis indicio. Per os mulieris mors ante processerat*; PER OS MULIERIS VITA REPARATUR dum Magdalena Apostola, mysterium Resurrectionis, discipulis ... credentibus declaravit, & annuntiavit Petro, ut supra diximus. *Amb. in ... Luc. cap. 24.*

Quid, quod Paulus fæminas zelo Dei plenas, in Apostolatus min isterium assumpserit, & illustri encomio commendarit, dum ad Romanos scribens, inter paucos, qui Romæ in fide Christi propaganda laborabant, longam texit mulierum sanctarum litaniam, quæ non minimam in hoc partem habebant; harum in numero primam statuit *Phaben*, quam vocat sororem suam, cui suas litteras deferendas; nulli autem tabellario, fidebat: *commendo*, inquit, *vobis* PHÆBEN, *sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, &c. Ipsa quoque assitit multis, & mihi ipsi.* Statim commendationem subnectit Priscæ, & Aquilæ conjugum: *Salutate Priscam, & Aquilam*, nec, ut Chrysostomus observat, ministerio caret, præponi uxorem viro, eo quod gnavior, ac fidelior in Doctrinâ, & prædicatione Evangelii: sic & alteram Mariam quamdam, fæminam Romanam commendat, *qua multum laboravit in vobis*, nec prætterit Triphenam, Triphosam, & Persidam charissimam, operarias Evangelii, *quæ multum laboraverunt in Domino* non solum necessaria viro Apostolico suppeditando, sed & exhortando, & quibuscumvirisac fæminis agebant, prædicando: sic etenim D. Thomas: *laborabant* EXHORTANDO *alios, & ministrando sanctis.* *Rom. 16. v. 1. ... Ad 18. S. Thom. in ep. ad Rom. c. 16 v. 12.*

Sicut divina Sapientia, fæminis adjutricibus, æquè religiose usa sit ad nuntiandum, prædicandum & contestandum vita, ac sanguine, Christi fidem, ac religionis veritatem: quàm dæmonis fallacia perversè fæminas traduxerit ad destructionem, & subversionem.

Ita

Magistræ catechumenorum Apostolæ. Ita in Ecclesia olim, & etiamnum invenire est nobiles, divites, honestas Matronas, ac domicellas, quæ teneram juventutem, pauperculam instruendo, ad pietatem informando, moribus & litteris imbuendo, sese Apostolas præbent; quas suo exemplo prævivit Maria, cœli ac terræ Regina, dum post Ascensionem filii, Hierosolymis ingentem turbam parvulorum catechesi imbuit. Præluxit hoc nostro sæculo illustrissima generis nobilitate & pietate, *Maria Carafa*, lectissima conjux Fabricii Carafæ, ducis Andriensis in regno Neapolitano. Hæc princeps fœmina ab obitu mariti, etsi gravi ære alieno oppressa, non destitit quot festis & Dominicis in aulam cogere ad 300. parvulos, & parvulas pauperculas, quas Christiana catechesi ad sesqui horam probè instructas mensæ adhibebat, & cum eleemosyna dimittebat.

Spinell. troll de B. V. Barry Off. cap. Ism.

In vita P. Carafa lib. 1. c. 1.

Talia etiamnum Antverpiæ, Bruxellis, Brugis, aliisque in locis Apostolica munia Filiæ devotæ exercent; ut liceat nobis cum Paulo dicere: *quæ nobiscum laborant in Evangelio*; quibus spero obventurum illud beatæ felicitatis, quod de Patre Edmundo Augerio refertur, eius animam à pia Matrona Nicola Orselino visam in cœlum evolare, cinctam innumerabilium globo pulcherrimorum parvulorum qui instructori, ac pædagogo salutis suæ, suavissimum pæana decantabant.

Imago 1. sæculi Societatis

Sed hactenus dictis, obiiciunt viri fœminis illud Pauli Apostoli: *docere mulieri non permitto*. Opponit D. Thomas: contra, Proverb. ult. *erudivit eum mater sua* & Judic. 5. *Debora erudivit populum Israel*. Unde respondet doctrinam Pauli esse distinguendam, dicens: *quod Doctrina alia est publica, & hæc non competit mulieri: alia est privata, & hæc mater erudivit filium. Secundo, illa eruditio Deboræ est per spiritum Prophetiæ: & gratia Spiritus sancti non discernit inter virum & mulierem; non tamen publicè prædicabat, sed instinctu Spiritus sancti, consilia dabat.*

Exponitur illud Pauli 1. ad Timoth. c. 2. docere mulieri non permitto. S. Thomas loco.

Sic privatim domi, Priscilla fidem Christi docuit virum eloquentem Apollo act. 18. vers. 26. & ad Titum 2. vers. 4. vult Apostolus ut matres familias, suas filias, & ancillas privatim doceant prudentiam, & modestiam. Et fidelis mulier infidelem virum convertere, & instruere jubetur 1. Cor. 7. vers. 16. sic S. Cæcilia fidem Christi docuit Valerianum sponsum suum S. Natalia Adrianum, S. Monica, Patricium, S. Martha Marium, Theodolinda Agilulphum Longobardorum Regem, Clotildis Clodovæum, Flavia Domitilla, Flavium Clementem: nam ut inquit Chrysostomus hom. 60. in Joan. *Nihil potentius est muliere bona ad instruendum, & informandum virum quacumque voluerit: neque tam leviter amicos, neque magistros, neque principes patietur, ut conjugem admonentem, atque consulentem: habet enim voluptatem quandam admonitio uxoria, cum plurimum amet* (vel ut alii legant, ametur) *quod consulit.*

Chrysost. hom. 60. in Joan.

Sic Sara, cum videret in familia sua, quædam non rectè agi, nec ludum sibi placere inter Isaacum & Ismaëlem parvulos, dixit: *ejice ancillam, & puerum, eius*: quod consilium prudentissimæ fœminæ, ut Abraham sequeretur, divino oraculo monitus est: *non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua*: OMNIA QUÆ DIXERIT TIBI SARA, AUDI VOCEM EJUS. Jubetur vir audire vocem & consilium uxoris, ab ea instrui, & doceri, quid factu opus sit.

Gen. 21.

Ibid. v. 12

Hieronymus hic: quis hoc non obstupescat? Abraham sapiens erat, & amicus " Dei, quales non multi; dicit nihilominus illi " Deus, *plus hac in re sapere mulierem quam ipsum*; cui & præcipit uxoris in omnibus obe-" diat voluntati: *omnia quæ dixerit tibi Sara, au-" di vocem eius.* O Domine Deus! quot, quæso, " maritis liceat hæc verba objicere, quibus " uxores duræ videntur, & incompositæ, & " quæ postulant molesta & aspera, quæ tamen rationi & religioni, ac Dei gloriæ maxime conveniunt! eruditioni viris serviet quod subjungo.

Hieronym. de quæst. Hebraic. Lannza. hom. 25. §. 4.

Mercator diu ab uxore non poterat adigi, ut rei divinæ & concionibus adesse frequentius vellet: & ad id eidem hortanti sæpius, respondere nil aliud assueverat, quam istud solummodo, *tu ito pro utroque nostrum*. Tandem is ipse ægrotus graviter, visus sibi est ad judicium cælestis judicis rapi cum aliis. Ibi cum uxor cum sanctis aliis, cælum ingrederetur, ille que eodem contenderet intrare, audivit à janitore, jam *uxorem pro se, & illo, intrasse*. Ad se exinde reversus, fertur vitam ad uxoris monita ulteriora seriò emendasse. Verum enimvero quomodo ultimum arietem repulsurus sum? fœminas nullis Ecclesiasticis beneficiis, aut dignitatibus, familiam illustrare posse: nedum sacerdotalibus muniis aut ministeriis adhiberi, cum vel vasa sacra illis contingere nefas sit.

Mancinus de passione Dom. lib. 5. dissert. 3 pag. 431.

Hinc mihi ex Virgine narrā fortissimum argumentum suppeditari gaudeo, quo arietem illum retundam, & supra omnes viros sacerdotali charactere, & pontificum dignitate illustres, Mariam, filii Dei, sacerdotis Magni matrem præcelluisse, ostendam.

Refutatur ultima objectio, fœminas inhabiles & ineptas esse ad res sacras.

Quod dignitatem sacerdotum, Dei mater æquarit, imò superarit, quis ambigat? si horum & illius munus attendat. Siquidem uno verbo *fiat*, & sanguine suo, fecit *Verbum divinum, hominem* in sinu suo: & quidem perfectiori modo: nam verbo & sanguine suo fecit Deum hominem, intimè sibi præsentem, & quasi sibi identificatum, cum ex eadem purissima carne, & sanguine virgineo, conflatus sit Christus. Secundo, in Eucharistiā nihil substantiæ panis superest; at in generatione Christi à beata Virgine manet aliquis sanguis ipsius Deiparæ.

Vega Theolog. Mariana n. 1468. Cancellotus Annal Marian. a. Chr. 71 pag. 497. Dignitas Matris Dei cum sacerdotis cõfertur.

Deinde accidentia panis permanent in Eucharistia; non vero inhærent corpori Christi, at plurima accidentia ex lacte, & sanguine Deiparæ inhærentia, in corpore Jesu remanserunt, quia eadem materia carnis & sanguinis, conservata fuit in Christo, atque adeo idem subjectum accidentium. Quare non

non modo digna fuit, quæ in intimis templi penetralibus degeret, sed & nobiliori & excellentiori sacerdotio fuit decorata. Ut piè & pereruditè Cancellarius Parisiensis agens de sacerdotio Deiparæ: *Maria*, inquit, *etsi non fuit insignita charactere sacerdotalis officii; nihilominus nunc, & antea, & postea, fuit in Regale* SACERDOTIUM, *præ consortibus suis, innecta; non quidem ad consecrandum, sed ad offerendum hanc hostiam puram, plenam, & perfectam in altari cordis sui.* Et alibi tradit, non habuisse *characterem sacerdotalem formaliter, sed eminenter*, atque omnia munia sacerdotalia sublimiori modo obiisse; ita ut habuerit sacerdotium in summo, id est, supremi sacerdotii gradum attigisse, ut docet Albertus Magnus; Sacerdos semel de die hostiam offert; illa multo nobilius, quam olim Martyr Lucianus, supra pectus & ubera sua, quibus nulla ara sanctior, pluties, imo centies per diem hostiam Deo patri offerebat.

Gerson. tract. in magnificat. Alphabeto 89. litt. B.

Alphab. 81. litt. Z.

Albertus M. in marial. c. 71.

Sed ut Deiparæ, filium suum contrectare, lactare, uberibus admovere licuerit; fœminis vel incensum dare ad altare, vel sacra vasa, nedum corporalia attingere, sacro canone cautum esse asserunt.

Quid Canonistæ, & juristæ de iis fœminis judicant, quæ non solum quot Dominicis, & festis, ac frequentius quam multi sacerdotes, tum longè puriori corde, & ardentiori affectu, in sacra hostia hospitem suum accipiunt: ut Catharina Senensis, Bononiensis, Angela de Fulginco, Clara de monte Falco, Theresia, Magdalena de Pazzis, &c.

Multæ fœminæ sanctius & purius sacram Eucharistiam participant, quàm multi sacerdotes, sanctius etiam corpus Christi tractant.

Sed & sanctis eiusmodi, Christi Sponsis, non semel se speciosum præ filiis hominum spectandum, contrectandum, & amplexandum præbuit; quod si exemplis illustrare voluero dies me deficiet. Plures verò virgunculas, ac pias Matronas, morum honestate, mentis & corporis puritate, vitæ sanctitate, multis sacerdotibus, quibus character sanctitatem non confert, præcellere, indubitatum est. Quæ omnia, in laudem mulierum solidè comprobata, & in Virgine hodie Nata, eminenter demonstrata, nobis omnibus argumento sunt, ut in nativitate Deiparæ exultemus, & cum universa Ecclesia canamus: NATIVITAS *tua Dei genetrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo.* Atque ipsis matribus in nativitate filiæ, causa lætandi & exultandi, quod eam pepererint, quæ morum honestatibus dotibus corporis & animi, naturæ & gratiæ, formâ, ingenio, prudentia; ac potissimum, vitæ integritate, illibata castitate, vitæ sanctitate, familiam, præ filius, vera nobilitate illustrare, & condecorare queant, ut ex jam dictis, omnibus patet.

Hæc hactenus pertractata, cum potissimum parentes spectent; superest, ut hac festiva Virginis Mariæ natali, quæ velut stella matutina in densis hujus mundi tenebris apparuit, ad Virgines, & sanctimoniales, imò ad vos omnes, pauca dicamus, & ad hanc stellam oculos, animosque vertamus: quæ omnem, omnium illustrium fœminarum, de quibus supra egimus, splendorem, lucis suæ radiis præstringit ut rectè Hieronymus: *taceo de Annâ & Elisabeth & ceteris SS. mulieribus velut siderum igniculos*, CLARUM MARIÆ LUMEN ABSCONDIT.

... in ... super Sophoniam.

§. IV.

Orta est STELLA *ex Iacob.*

NOcte quidem cælum, tot scintillantibus stellis, quot Argus ocellis, jucundissimum intuentibus præbet spectaculum; at sole elucescente, velati diffugiunt, & majori splendore obscurantur: unicam si stellam matutinam exceperis, quæ Soli prævia, & quasi pedissequa, diem accelerat, & Solem venturum declarat, ut jam olim Poëtæ cecinêre:

- - - - Diffugiunt stellæ, quarum agmina cogit
LUCIFER, *& cæli statione novissimus exit.*

Ovid. 2. metam.

Et alter: *Stellis aurora fugatis Exoritur.*

Virg. 3. Æneid.

Hanc stellam, oculatus naturæ indagator Plinius sic describit: *ingens sidus, æmulum Solis, & Lunæ*: PRÆVENIENS DIEM, *& ante matutinum exoriens*, LUCIFERI NOMEN ACCEPIT, *qui* UT SOL ALTER, *diem maturat, &* A SOLE NUMQUAM ABSCEDENS, *partibus sex atque quadraginta amplius magnitudine, alia superat sidera; & tanta claritatis, ut eius radiis umbra reddantur*: quodque illi soli proprium, nullum umquam, ut cætera, novit occasum. Quæ quam convenienter stellæ matutinæ, quæ *ab æterno ordinata*, & hodie nata applicentur, scripturarum oracula, & sanctorum Patrum testimonia diserte restantur.

Plin. lib. 2. c. 8.

Ac primum quidem sacer Propheta de hac vaticinatus est: *orietur* STELLA *ex Iacob, & exurget homo ex Israel*; quam eleganti sermone salutans Cardinalis Damianus, ait: SPLENDIDISSIMA VIRGINIS MARIÆ NATIVITATE, *universa per orbem* ILLUSTRATUR *Ecclesia.* Tum subdit: *hodie* APPARUIT STELLA IN MUNDO, *per quam sol justitiæ illuxit mundo. Illa videlicet, de quâ per Prophetam dicitur:* ORIETUR STELLA EX JACOB, *& exurget homo in Israel.*

Num. ...

Damian. serm. 1. Nativ. B. V.

Idem. serm. 3.

Hæc stella, *ingens sidus, & æmulum solis*, suo splendore cæteros omnes, sanctimonia vitæ illustres, sola obfuscat. *Considera*, inquit idem Doctor, *quam serena stellarum vibratio? quàm luminosus fulgor circularem orbem* TANTI SIDERIS (Mariani) *perfundat; ut alterum luminum claritatem non mediocriter obfuscet.*

1. Plinius cit. Damian. cit.

Nam ut omnes, quas supra memoravi, Virgines, ac viragines, ut omnes viti sanctimoniâ, & doctrinâ splendeant *sicut stellæ* in firmamento

m nto cæli, oorhuic fide concedere, & radi- o curati, fateam necesse est, quæ sua lu- ergressa est universas.

Hæc stella præveniens diem, & ante matutinum exorinens; ut sanctiori testimonio Richardus ... Laurentio: Maria STELLA MATUTINA lucens, antequam diescat: quia ortus praecessit ortum Dei, idest, Christi, qui est ... dies. Clarius, ac præclarius Petrus Damianus: Maria veri prævia luminis nativitate suâ, ... clarissimum serenavit, ut infra pluribus di... us. Hæc stella ante Luciferum genita, me... Luciferi nomen accepit: quia lucem, qua illuminat omnem hominem, sine sui virginei ... goris detrimento, sed maximo incremento parturivit: nam sicut radius processit A STELLA, stellâ integra permanente; sic filius ex virgine, inviolabili perdurante.

Sequitur hæc stella, ut sol alter, diem maturans, à sole numquam abscedens; quod Astronomis nobis omnibus, ad oculum, perspicuum est stellam matutinam, seu Luciferum, pri... ante elucescere, solem proferre, eique propius ac pari passu juxta illum, occiduum occasus, præcedere; quod vel tum maximè patuit, dum luminaria cœli, fidei eclipsim passa fuot, sola virgine, solitâ luce radiante.

Hæc etenim stella matutina, ut Richardus loquitur: semper fuit lu mane oriendi, & numquam tendebat ad occasum peccati; At, ut stella Bethlemitica, stella hæc cum sole lucebat, contra naturam stellarum omnium. Alterum è sacris paginis testimonium non obscurum, suggerit sapientissimus mortalium Ecclesiasticus Cap. 50. vers. 6. quasi STELLA in medio nebulæ; in medio tenebrarum, & noctis crassæ, ... ngæ; de quâ purpuratus Doctor sic dis-...: in meridiano lumine primus ille parens creatus est; at ubi præcepti divini prævaricator extitit, se cum posteritate suâ perpetuæ morti destinavit ET TENEBRIS. Ab illa hora tenebra factæ sunt super universam terram. USQUE AD VIRGINEM; quod confirmat illo Psaltis regii: POSUISTI TENEBRAS, ET FACTA EST NOX, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ; quæ autem illæ bestiæ sint, quæ nullo repagulo reperto, omnem terram pervagatæ sunt; mox exponit: quia crudeles, & indomiti spiritus, dimotu repagulis, humanum genus totis viribus obriere ...: sed NATA VIRGINE, SURREXIT AURORA. Hæc est STELLA MATUTINA IN MEDIO NEBULÆ, quæ in cœli cardine, ... mo splendore coruscans, orbem splendidioribus radiis incolebat. Hæc est aurora, quam sequitur, imò de qua nascitur sol justitiæ.

Mysticè, ac moraliter hic excurtendum, quæ, qualesque eæ tenebræ, & alta scelerum nox, quam hæc stella matutina beoignori lucis suæ radio discussit: Nota, inquit Richardus à Sancto Laurentio, quod IN ORTU HUJUS STELLÆ, scilicet quando gratia, & dilectio MARIÆ oritur in corde justi, fugiunt fures, idest, dæmones, quibus ipsa terribilis, ut castrorum acies ordinata: stellæ steterunt in custodiis, & hæc ut dux, velut inter ignes, Virgo minores: vigiles fiunt alacriores, id est Prælati, vel quicumque de sua salute solicitiùs operam vigilantiores: ægri animâ quiores. NOCTEM ILLUMINAT: ILLUMINAVIT ENIM NOCTEM ILLAM SOLITARIAM, nec laude dignam, qua AB EVA defluxerat ad ipsam: quia radiis suis terram illustrat.

Sic ut io hujus ortu sideris, depulsâ errorum ac scelerum caliginosâ generis humaoi nocte, & exanimis fidelium, mentis teoebris, tentatioonum, infestationum, scrupulorum nebulis, omnibus nubis, hisce B. Petri Damiani verbis gratulandum, & exultandum sit: Gaudeamus itaque dilectissimi, & exultemus IN NATIVITATE DEI GENITRICIS MARIÆ, qua novum mundo nuntiavit gaudium, & totius extitit humanæ salutis exordium.

Robertus Franciæ Rex, hac festiva natali Virginis Mariæ luce, qua stellâ orea ex Iacob, sub annum Christi 1022. ut Regni sui gubernacula felicius regeret, seque cum suis in portum salutis tutò dirigeret, instituit Ordinem equestrem Primatum, qui stellam è torque aureu variè vermiculatam è collo appensam, & acupictam vesti insertam gestarent, in quem illustrem Ordinem, ut habent annales Parisienses Jacobi Broulii, religioso & ingenioso invento, 30. è primaria nobilitate dynastas adlegit, ut ad Virginem Mariam, cui impensè deditus erat, omnes velut ad maris stellam, & regni, & familiæ, & animæ suæ navim dirigerent; quod ut & vos faciatis, hanc stellam è Jacob Bernardus navigantibus proponit: MARIS STELLA dicitur, & Matri Virgini valde convenienter aptatur; ipsa namque aptissimè sideri comparatur: quia sicut sidus sine corruptione emittit radium, sic absque læsione, virgo peperit filium. Ipsa est igitur, NOBILIS ILLA STELLA, EX JACOB ORTA, cujus radius illuminat universum orbem. Ea propter in turbido mundi hujus oceano, tot tempestatibus, & naufragiis infesto, nobis fluctuantibus, Maria stella maris effulsit. Atque ut densæ tenebræ, & atra nox, maximè oavigantibus formidolosa, & periculosa; ita stella hæc, unicè gaudiosa, & gratiosa, omnium ad se vultus, animosque convertit. Sic etenim Doctor mellifluus: tolle corpus hoc solare, ubi dies? tolle MARIAM HANC MARIS STELLAM, quid nisi caligo involvens, & umbra mortis, & densissima tenebra inveniuntur?

Navigium nostrum, corpus hoc fragile; & imbecillum est; anima ipsa ignorantiæ tenebris circumfusa, in cæca scelerum nocte caligat. Infestant nos undique io hoc mari, eminentes scopuli superbiæ, profundi gurgites avaritiæ, blandientes sirenes luxuriæ, horrida monstra invidiæ, immaoes voragines gulæ, sævi turbines iracundiæ, ooxiæ remoræ acediæ: fluctus perpetui mundanæ spei, & metus: gaudii in prosperis, tristitiæ in adversis. Obsident hoc mare, & incauti adoriuntur tartarei pyratæ, qui spoliatos, æternum salutis faciunt incurrere naufragium. Quid inter tot scopulos, & charybdes, inter tot discrimina rerum, nobis consilii, vel auxilii sperandum est: illud cuique nostrum præsto suggerit dilectus virgini Bernardus: O quisquis te intelligis, in huius sæculi profluvio, magis inter procellas,

Margin notes: Richard. à S. Lauren. ... | ... Epiphan. | Richardus | Damian. cit. | Eccli. 50 | Psal. 103. | Richard. à S. Lauren. lib. 1. c. | Damian. serm. 3 in Nativ. B.V. | Annal. Parisien. Jacobi Broulii à Christ. 1022. | Bernard. hom. 2. super missus. | Bern. cit.

cellas, & tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, NE AVERTAS OCULOS A FULGORE HUJUS SIDERIS, SI NON VIS OBRUI PROCELLIS. Libet id prius cernere in humani corporis periculis ut tantò confidentius oculos ad hanc stellam convertamus, in æternis animæ naufragiis. Refert Novarinus, litteratus Auctor, duos Juvenes cum aliis vectoribus scaphâ conscensâ, se rapido flumini commisisse, & periculi, ac tempestatis exortæ inexpertes, petulantius in navi lusitantes, submersâ navi, cæteris omnibus obrutis procellis, unum eorum super aquas ambulasse, ac feliciter portum tenuisse; qui fassus se indies ad fulgorem hujus sideris, dum cotollâ marianâ illam salutaret, oculos advertisse. Sic & tu in omni itinere, terrâ, marique, in omnibus periculis, *respice stellam, voca Mariam*; ad hanc certius & securius oculos, ac cursum tuum diriges, quam nautæ acum magneticam secutæ, ad syuosuram, seu stellam polarem, cujus intuitio omnes aliarum artium inventiones præcellit. Industria mortalium, & solertia ingeniorum, per recentiores anctores assecuta est, quæ nunquam ullus veterum Romanorum, vel Græcorum excogitavit.

Novarinus umbra virgin. pag. 484 Bern de Bustis. part. 12. serm. 1.

Iuventio acus magneticæ quæ semper respicit stellã maris, a ciborumalus artibus. *Beyerlinck l heat. tit. hnum.* *Licetus de Lucernis.*

Fateor usum lini, ab ipsis propemundi incunabulis, innotuisse; sed linum asbeston, seu incombustibile, quo mappæ, lodices, sudo, riola contenta, flammis incombusta purgantur, novum, & inaudium est.

Iuventio papyri, seu chartæ ex vilibus centonibus, quid non orbi utilitati attulit? dum veteres illi litteras suas in corticibus arborum describerent, unde tabellarii dicti sunt: sic erenim Hieronymus: *ante charta & membranarum usum, aut in dedolatis, in ligno codicillis, aut in corticibus arborum, mutuo epistolarum alloquia missitabant; unde portitores earum, tabellarios, & scriptores à libris arborum, librarios vocavere. Quanto nos, expolito jam artibus mundo, veteribus illis, & saculum nostrum beatius, quo tam expedita scribendi ratio; ingeniosè admodum inventa, & excogitata est.*

Sed non, ita sæculum Hieronymi artibus politum, quin longè abstrusiora, & utiliora in lucem postea protracta sint. Quis porrò artem libros imprimendi satis admiretur? sex millibus annorum nullus codex, nec sacræ, nec profanæ paginæ exstabat, nisi summo labore, & magnâ lucubratione, scripto exaratus. Donecanno Christi. 1450. Moguntiæ in Germaniâ Joannes Gaudenbergh, assumptis duobus sociis, typos primum fudit, digessit, & prælo aptavit, tanto omnium stupore, & boni publici commodo, ut præli machinæ inscripserit:

Imprimit illa die, quantum vix scribitur anno.

Herman. Hugo de Origine Scribendi. Beyerlinck tit. Typograph.

Tandem hæc ars in Italiam penetravit, & Romæ primus liber ab orbe condito impressus, fuit *Augustinus de civitate Dei, & Lactantius*, anno Christi 1465. prælo subjectus.

Sic veteres usum campanarum ignorarunt, quas Sanctus Paulinus, Nolæ in Campania Episcopus, primus in Ecclesiam induxit anno Christi 394. ut populus ad sacras ædes conveniret. Anno autem Domini 665. campanæ à Duce Venetorum, hactenus nunquam viso, & inaudito donario, ad Michaelem Imperatorem missæ sunt, ut refert Baronius.

Omnes Romanorum testudines, balistas, arietes, nunc puer puluere nitrico subverrit, quem Bartholdus Niger, Monachus, anno Christi. 1380. adinvenit.

Sic stapedes, sic tubus opticus, conspic[illa], aliaque innumera, à recentioribus inventa, humanis usibus, & commodis pernecessaria, antiquos latuisse, fusè probat Cabbæus de magnete, agens quæ antiqui ignorarunt.

Verum enimverò, præ his omnibus longè præstantior, excellentior, & toti generi humano multò utilior inventio acus magneticæ, quæ virture insitâ, se semper ad stellam maris, seu polarem convertens, nautis dux, & magistra est, quo in climate versentur, quo cursus dirigendus, quæ vada, syrtes, & charybdes vitandæ. Hujus inventionem plures tribuunt Melphitanis in regno Neapolitano. Ghilbertus putat eam ex Chinis ad has partes prius adnavigasse, per Paulum Venetum Anno Christi 1260. ut sit, res adeò Christiano orbi utilis, & necessaria exstitit, ut Cabbæus ex Gilberto dicat de acu nautica semper ad stellam maris, medias inter turbines, & tempestates obversâ: *hac nihil umquam humanum excogitatum artibus; humano generi magis profuisse videtur. Cum eiusmodi adminiculo, fides ad extremas terra oras feliciter navigarit, & nostra fiant alieni orbis opes.*

Ann. Eccle. 135

Cab de

Amor noster, cor nostrum fit instar acus nauticæ, semper & ubique hanc stellam [...]ciat, & in omnibus se vertat ad Mariam; a qua dum deflexerit, jactabitur, nec portum, nec quietem inveniet; sed verissimum illud experietur: *inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

Cor strum star a nau ter resp M A

Sanctus Bonaventura, Doctor Seraphicus & Virginis cultor, ac admirator eximius, *legitur* inquit, *& verum est quod nautarum mos est, ut cum in aliquam terram navigare disponunt, unum sidus eligant, cujus signo, luce radiante, in eam, quam desiderant partem, possint sine errore adduci. Talè certè officium est* STELLÆ NOSTRÆ MARIÆ; quæ naviganrium stella, & naufragantium salus, eos qui ad se corda flectunt, & oculos dirigunt, non finit obrui procellis, sed tutos littore sistit.

Mirandum, & imitandum est, quod subiicio. Refert Tursellinus l. 3. hist. Lauretanæ c. 26. cum Paulus Genuensis, Navarchus nobilis, è Gallia Narbonensi, Genuam peteret, subitò fæda exorta tempestas, naufragio interitato, jacturam omnium mercium facere eum coëgit. Cæterum procellâ navim pertinacius urgente, & obruente, ingens omnium animi terror incessit. Itaque vectoribus, nautisque dilabentibus, ut salutem natatu quærerent, solus ipse manstit in navi, quam æquè ac seipsum salvam

...am vellet, fortunarum scilicet suarum ca... Onerariam ergò illam suam plenam du...ibus cerneus, effusus in vota, oculos ... n...sque in stellam maris sublevat, *respi... stellam, ac vocat Mariam*, & sibi, ac navi ...retanam implorat virginem. Incredibi... ...u, ingenti vi moliens, velum solus ipse ...: ac veluti suas preces auditas esse sen... navigium undis exhaurire conatur. Inter ...e, tempestate sedatâ, navis vento secundo, ...lâ maris, face suâ beneficâ prælucen... in Genuensem portum devenit: haud mi... ipsius, quam aliorum stupore, quodo... nerariam ingentem, semiplenam fluctibus, uno navarcho, nautarum omnium munere excquente, ad portum appulsam videbant. Attamen Paulus voti compos, segnior quam ...erat, in voto reddendo fuit: sive aptius ...inde tempus expectans, sive alia huic ne... ...tio prævertenda ratus. Nec morâ diu im... ...ente anno, eo ipso die (ut tem... beneficii pariter, ac delicti eum admo...eret) eâdem vectus navi, cum parvo filio, ...naufragium. Perculit repentè ægrum a...nimum memoria vitati nupet, B. Virginis ope, periculi, & voti peregrinationis omissæ. Igitur effusè lacrymans, à Deo veniam exorat, experiamque tam benigni sideris, sibi, ac filio o...pem exposcit, veteris voti religionem, voto sanciens novo. Nec frustratæ sunt eum ...ces; filiolum inter undas quæritans, fal... ...um reperit, sublatumque in humeros, per ingentem agitati maris tractum natans, ad ter...am transvexit incolumem, cæteris vectoribus, nautisque inter fluctus obrutis, ut aliorum clades cæleste donum illustrius faceret. ...e igitur ut attigit littus, suâ, & filii, ex præ... exitio recepti salute, lætus, virgini Laure...æ, secundùm Deum, gratias agit, atque è vestigio, precario mendicato totum cibo, se, parvulumque filium sustentans, ad Lauretanam æ... pervenit.

...ot procellæ, ac tempestates bellorum, to... ...io incumbunt, & omnia orbis regna in...ut: tot sanguinei rubri maris fluctus, tot ...entorum tonitrua, incendiorum fulgura ...que perstrepunt: tot tectorum consilio... ...copuli, & syrtes minantur; tot blandæ ...ptelæ Syrenes, & horrida perduellionis ...festant: tam immania, haustis tot ...villis, territoriis, horreis, bobus. equis, ...nibus, fortunis omnibus, amplissi... ...myoparonum instar, familiis, ante oculos ver...ntur naufragia, quod medium, quod remedium? unde auxilium sperandum, aut postulandum? RESPICE STELLAM, VOCA MARIAM.

Maria ... stel... peri... ap... ...da &... Nec in jacturâ dumtaxat temporalium, aut d... vitæ, sed potissimum dum venti tentationum insurgunt, dum fluctus decumani calumniarum, calamitatum, adversitatum, cymbam animæ tuæ obruunt: dum scopuli ...ctarum, scrupulorum, pusillanimitatis, diffidentiæ, desperationis minantur: dum turbines superbiæ, luxuriæ, iracundiæ infestant ...um tartarei pyratæ, jam in nocte extremâ, cum morte luctanti, omnibus gratiis meritis, onerariam per tot pietatis opera optimè instructam prædari, & terribilissimum æternæ salutis naufragium minantur, *respice stellam, voca Mariam*.

Hoc pulcherrimum consilium, hoc saluberrimum mellifluì Doctoris monitum! *Ipsa namque est* PRÆCLARA, ET EXIMIA STELLA *super hoc mare magnum, & spatiosum, necessario sublevata, micans meritis, & illustrans exemplis.* *Bern. hom. 2. super missus.*

Si exurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, RESPICE STELLAM, VOCA MARIAM; *si undis superbiæ iactaris, si fluctibus ambitionis elevaris*, RESPICE STELLAM, VOCA MARIAM. *Non recedat à corde, non recedat ab ore.*

Ipsa quasi Pharos, iter tuum diriget, & in portum deducet. Est in celeberrima Venetorũ urbe, turris prominens, cujus summus apex adeò sublimis, ut fulgor auri, quo illitus est, ad ducenta stadia exaltro navigantibus, *velut saluberrimum quoddam occurrat sidus.* Addit Bordonius apud eundem: *sedentemque in summo vertice Angelum habebat versatilem.* Sic virgo, sidus optatissimum, nobis Pharos est, gestans in sinu Angelum novi Testamenti, ad nutum suum versatilem: est etenim *Maria Iesu*, nescio quo nominis omine: *visa è mari.* Quæ D. Bonaventura pulchrè prosequitur: *quibus auxiliis possunt naves inter tot pericula pertransire, usque ad littus patriæ? certè per duo, scilicet per lignum*, ET STELLAM: *id est, per fidem crucis, & per virtutem lucis, quam peperit nobis* MARIA, STELLA MARIS: Hæc scopulos peccatorum, hæc occasionum Charybdes facit declinare: hæc rectam, & tranquillam virtutum viam pandit. Nam ut inquit Richardus à S. Laurentio: SICUT STELLA *in mari navigantibus, recta via iudicium est, sic* MARIA *in hoc mundo tortuoso viventibus, aliis rectam viam humilitatis, alii castitatis, aliis bona operationis, aliis contemplationis, seu cuiuslibet virtutis ostendit.* *Sab. Ilicus. Majolus. dies canic. colloq. 13.* *Anagramma.* *Bonavent. in speculo. B. V.* *Richardus à S. Laurentio. lib. XI.*

Miserum sanè est, iter tetra, marique instituenti, à recto tramite aberrasse, nec scire quo tendat, quoque longius progreditur, hoc majoribus erroribus, & ambagibus, ac periculis involvi, ut solerter D. Augustinus observavit, dicens: *facenim hominem optimè gubernare navim, & perdidisse quò tendit. quid valet, quia artemonem optimè tenet, optime movet, dat proram fluctibus, &c. & dicatur ei, usque quò is? Et dicat, nescio. Nonne iste, quando sibi videtur in navi gubernanda agilior, & efficacior, tantò periculosius eam hic gubernat, ut ad naufragium properando perducat?* *August. in Psal. 31.* Morale.

Omne Regnum, omnis Respublica, omnis Religiosa & secularis familia, navis est, gubernatorem suum habet, sed si nesciat quò tendat, si æstu potentum abripiatur; si fluctibus & turbinibus obmurmurantium non obsistat, si favoriis privatorum, & aureis ac argenteis remis impellatur, se, & suos ad *naufragium properando perducit*: nec mirum, quia ignes fatuos sequitur, qui in Scyllas & charybdes abripiunt; nec stellam respicit, nec vocat *Mariam.*

Richardus à S. Laur. cit.

Ideo, ne longior sim, *quoties videmus insurgentes super nos fluctus huius maris, clamare debemus* AD MARIAM : *eripe me, & libera me de aquis multis : & emitte ad me manum tuam de alto.* Aut illud in extremâ cum morte, & potentatibus tenebrarum lucta: *Domina, salva nos, perimus.*

Ibid.

Audio Erasmum ingenii velificantis insano impetu longius aberrantem ; hæc irridere : *quid*, inquit, MARIÆ *cum mari, quæ numquam navigavit* ? Quasi verò Mariam hic nauticam exercere velimus, dum suam, qui ventis & mari imperavit, potestatem Filius Matri precanti non denegavit; nam, ut loquitur Damianus: *data est tibi* (*O Maria*) *omnis potestas in cælo, & in terrâ : & nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem salutis revocare.*

Damian. serm. 1. in nativit. B.V.

Si ergo nautæ unum, inter omnia, sidus observent, & ad illud navem suam in portum dirigant, quid ni Virginis clientes, in hanc stellam maris, oculos, animosque intentos habeant, hanc Ducem sequantur, ut ad portum salutis securi perveniant : *navigantes mare mundi spatiosum, ubi sunt reptilia absque numero, & animalia pusilla cum magnis, ipsam inter omnes stellas, id est, sanctos, præcipuè cognoscunt ? ad eam frequentius spiritualibus oculis respiciunt : perditam solicitius quærunt : secundùm eam, iter suum dirigunt: ipsa enim rectè vivere cupientes, exemplis suis dirigit, errantes ad viam reducit, periclitantes ad portum salutis deducit.*



FESTUM

FESTUM
SANCTI MATTHÆI
21. Septemb.
APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Avaro nihil est scelestius, Eccl.10.



Nil dat, quod abundat.

ARGUMENTVM.

PLerique mortales, non solum gentiles, sed & Christiani, omne bonum, & summum bonum in divitiis ponunt; ut mimus ille olim pronuntiavit: *Omnes vultis vili emere, & caro vendere*; quos Augustinus lib. de doct. Christ. cap. 1. salubri monito confutat: *Avarus es, pecuniam amas: beatus esse vis? Deum tuum ama* (summum & omne bonum) *pecunia te non facit beatum.* Quare cum hodie de Matthæo telonario mihi sermo sit, statui illos Euclliones perstringere, qui genium suum defraudant, seipsos exenterant, ut filios ac nepotes pingues & opulentos relinquant, qui magno labore & sudore parta brevi abliguriunt. Quid quod aurum suum pro idolo adorent, & ut *radix omnium malorum est cupiditas*, hæc parricidas, hæc necromanticos, hæc sacrilegos reddit, & ut cum Juda animam & Deum suum vendant, impellit, quod & Patrum testimoniis, & tragicis historiis comprobatur. Vitium autem avaritiæ, quo nihil est scelestius, ex eo maximè detestandum & execrandum habetur, quod ipso primæ veritatis oraculo, magis impossibile avaro sit cælum intrare, quàm camelum per foramen acus transire. Unde rectè concludam conversionem Matthæi, atque in eo omnis avari, esse summè difficilem, propè impossibilem, adeoque maximè miraculosam, quæ & suscitationem mortuorum antecellat. Erit fortè qui præ omnibus conversionem Pauli, opus dexteræ Excelsi, ut maximè prodigiosam extollat; at illa Matthæi, auditis Patrum sententiis, & Doctorum argumentis, an non præferenda sit, judicate.

Aug. l. 13. de Trin. cap. 3. & 4

Matth, 17

§. I. RADIX OMNIUM MALORUM EST CUPIDITAS. Matth.17.v.6.
§. II. AVARITIA IDOLORUM SERVITUS. Galat.5.v.20.
§. III. *Inter peccatores omnes maximè miraculosa conversio* SANCTI MATTHÆI *& hominis avari.*

FESTUM

FESTUM SANCTI MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Vidit hominem sedentem in telonio, MATTHÆUM *nomine.*

Matth. 9. v. 9. Omnes homines appetere beatitudinem. *Aug. lib. 10 de Civit. c. 1.*

OMnes homines appetere beatitudinē, & summi, ac omois booi fruitionem, experienria, & ratione constat: *Omnium*, inquit S. Augustinus, *sententia est, qui ratione quoquo modo uti possunt*, BEATOS *esse omnes homines velle.* Mimus quidam, ioquit idem Doctor in theatro piomisit, se proximis ludis dicturum, quid quisque veller; cumque ad diē constitutum convenirent plurimi, omniumque mira esser expectatio, prodiit mimus, jussitque esse attentos. Deinde dixit: *Hoc omnes vultis, vili emere & caro vendere.* Alius quidem dixit: *Omnes mortales se laudari exoptant.* Reprehendit hos Augustinus: quia multi inveniuntur viri justi, qui neutrum velint; utrumque enim vitiosum est, illud contra justitiam, hoc contra veritatem. *At si dixissent*, inquit, *omnes* BEATI *esse vultis, miseri esse non vultis; dixissent aliquid, quod nullus in suâ non agnosceret voluntate.* Cur verò omnes beatitudinem appetant, ex eo oritur, quod tota ratio, cur aliquid appetatur, est quia apprehenditur ut bonum, & conveniens appetenti: Ideo enim facultas appetendi oaturæ rationali data est, ut feratur in suum booum, & consequatur suam perfectionem. Unde, quo aliquid apprehenditur ut majus bonum, eo magis appetitur. Itaque cum beatitudo ab omnibus concipiatur ut maximum, (utpote omne in se bonū complectens) oportet eam quoque maximè ab omnibus appeti; ut scitè, & eruditè Lessius.

Aug. l. 13. de Trinit. c. 3. & 4.

Lessius de summo bono l. 1. cap. 2.

Sed plerique mortalium, vel mollitie quadam animi, difficultates ad veram beatitudinem obtinendam aversati: aut inordinatis, ac brutis affectibus ioservientes, ut caoes Æsopici, pro vero bono, umbram sectantur. Qua in re infinitam fascinatæ mentis insaniam demireris. Hipponensis Antistes: BEATUM *esse, tam magnum est bonum, ut hoc & boni velint, & mali. Nec mirum est, quod boni propterea sunt boni; sed illud est mirum, quod etiam mali propterea sunt mali, ut sint boni* (nempe beati) *nam quisquis libidinibus deditus, luxuria, stuprisque corrumpitur, in hoc malo beatitudinem quærit, & se miserum putat, cum ad suæ concupiscentiæ voluptatem non pervenerit. Et quisquis avaritiæ facibus inardescit, ad hoc congregat quovis modo divitias, ut* BEATUS *fit, &c.* qui cum spiritualia noo percipit, nititur tamen quantum potest oaturalem hic beatitudioem in terris adipisci, cumulando omnia hujus vitæ bona, opes, divitias, census, acervos auri, & argenti, quibus omnia, honores, voluptates, commoda comparentur. Ex horum coogerie, fingunt sibi quandam beatitudinis speciem: in quibus enim hæc omnia simul juncta reperiuntur, ii vulgo beati judicantur. Plurimis mortalium hoc altè judicium impressum, eos qui divitiis aflluuot, & boois temporalibus abundant, beatos esse, & nuncupari, in suam sententiam trahentes vaticinium Psaltis Regii: *Filiæ eorum compositæ sicut similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud: Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis. Boves eorum crassæ, &c.* Quæ omnia bona terrena, & opulentas facultates ubi enarravit, emphaticè subdit; BEATUM *dixerunt populum cui hæc sunt.* Augustinus hoc etiam sua tempestate observavit, dum sic avarum perstringit: *Pecuniam diligis, O homo, unde te putas* FIERI BEATUM. Aliud eorum argumentum adducit S. Thomas, disserens: *utrum* BEATITUDO *hominis, consistat in divitiis*: atque ubi germanam illam Boetii, de beatitudine statuit definitionem: BEATITUDO *est status omnium bonorum aggregatione perfectus*, sic illos subsumere ait: *Sed in pecuniis omnia possidere videntur; quia Philosophus l. 5. Eth. Ad hoc nummus inventus est, ut sit quasi fidejussor habendi pro eo, quodcunque homo voluerit.* Ergò. Ex quo idem Doctor sic conficit: *Avarus es, pecuniam amas:* BEATUS *esse vis: Deum tuum ama. Pecunia te non facit beatum.* Sed cum hodierna luce, de Matthæo, telonatio, nobis sermo sit, animus mihi est avaros illos Eucliones perstringere, qui cum beatitudinem suam in pecuniis ponant, eo sceleris, & amentiæ deveniuot, ut Deos suos aureos, & argenteos adorent, & in omne scelus præcipites ruant; unde rectè concludam conversionem Matthæi, atque in eo, omnis avari, esse summè difficilem, prope impossibilem, adeoque maxime miraculosam.

Plerique beatitudinem in divitiis ponunt. Less. ...

Psal. 143. v. 13. ...

Aug. lib. de doctr. Christ. ... *S. Th. ... q. 2. a. 1.*

Arist. l. 5. Eth. ...

Aug. de doctrina Christ. ...

(*,*)

§. I.

§. I.

Radix omnium malorum est cupiditas. Matth. 6. 17.

COmplures, quantum argutor, tum fœminæ, probitate, & sanctitate exmille; imò etiam & omnibus flagitiis sceleratissimi, prorsus ignorant, quodnam omnium flagitiorum summum sit, & maximè detestandum. Sunt qui gravissimè execrantur oppressionem pauperum: alii parricidium: nonnulli sacrilegium: quidam blasphemiam in Deum; multi hæresin, & apostasiam: plerique idolatriam, seu cultum falsorum Deorum. Quæ ut omnia summa sint, si in una avaritia, hæc universa contineri, eaque longè suâ malitiâ exsuperare, auctoritate, & ratione convicero, nonne peccatum maximum, & summè execrandum comprobaro? Theologorum Phœnix Aquinas, hanc quæstionem disceptans: *Vtrum avaritia sit maximum peccatum?* Hæc argumenta ad probandum inducit: Eccl. 10. AVARO *nihil est scelestius.* Et postea subditur: *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet,* idque per innumera, & enormia, quæ refert concl. ultima; *proditio,* inquit, *fraus, fallacia, perjuria, violentia, & contra misericordiam obduratio, avaritiæ filia sunt,* quantum itaque, quam exitiale avaritia malum sit, ex qua tot mala, imò omnia pullulant, quis non videat? Ut rectè senserit Alexander Angelus, in summâ, part. 6. cap. 33. dum illud Pauli: *Radix omnium malorum est cupiditas,* hisce quatuor capitalibus litteris expressit. R. O. M. A. *Radix Omnium Malorum Avaritia.* Alius in eundem sensum, hanc sententiam efformavit: *Rex Omnium Metallorum Aurum.* Quod jam olim vidit Romanæ eloquentiæ Princeps Tullius, oratione pro Quintio: *Nullum est officium,* inquit, *tam Sanctum, atque solemne, quod non avaritia comminuere, atque violare soleat.* Imò ut sibi faciat satis, iterum oratione in Vatinium exclamat: *Nemo tam firmum habuit præsidium, quod avaritia non infregerit, atque debilitaverit.* Ex quo colligas, nullam arcem vallis, aut propugnaculis ita munitam, nullam civitatem multorum millium præsidio stabilitam, *quod avaritia non infregerit, atque debilitaverit;* & quod amplius est, quod Cicero apud gentiles dixit, vero verius apud Christianos usurpare possum: nullum esse officium tam sanctum, tam sacrum, quod avaritia non violet; quod in orbe Christiano officium sanctius Sacerdotio, Episcopatu, Apostolatu? hoc Judas per avaritiam violavit. Quid urbes, & arces prodidit *avaritia?* Quid judicia, & jus omne pervertit? *avaritia.* Quid perjuria conflavit? avaritia. Quid tot puellarum pudicitiæ vim intulit? avaritia. Hoc verus, licet gentilis, olim Vates cecinit:

Auro pulsa fides, auro venalia jura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Quid parricidia perpetrare coegit? *avaritia.* Quid innocentes viduas, & pupillos oppressit? *avaritia,* Quid hæreses, & idolatriam invexit? *avaritia.* Quid sacra omnia, & humana violavit *avaritia:* quid justitiam, quid animam, quid ipsum justitiæ auctorem, & bonorum omnium largitorem, Christum vendidit? *avaritia.* Pro qua veritate, una instar omnium esse posset, beati Petri Damiani auctoritas *Eccl. 10. dicitur:* AVARO *nihil est scelestius. Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Dura certè, & nimis formidulosa sententia: Si enim nihil est* AVARO *scelestius, nihil iniquius, non ergo melior parricidis, non præfertur incestis, æquatur hæreticis, assimilatur idololatris. Unde & Apostolus dicit:* AVARITIA, *quæ* EST IDOLORUM SERVITUS. *Sit ergo quilibet castus, sit sobrius, jejunet, vigilet, diem nocti psallendo continuet; si tamen* AVARUS EST, *totum perdit, ita ut inter omnium criminum reos, nequiorem se invenire non possit: nihil est enim* AVARO *scelestius.* Ac tandem concludit: *Quid ergo proderit non occidere, non mœchari, non rapere, non denique pejerare, immunemque te prorsus à cunctis criminibus custodire? dummodò si à te* AVARITIA *non expellitur, nihil te nequius, nihil scelestius reperitur:* innuens, & frustra sibi quempiam blandiri de cæteris virtutibus, aut aliis vitiis immunem esse, si uni avaritiæ deditus sit. Hæc inquam, tam eloquenter explicata sententia, instar omnium esse posset; verum non desunt alia quam plurima, quæ propositæ veritati multum adferunt firmitatis. Imprimis autem illud testatur sanctus Leo, teste Facundo, *vir Apostolicus, & in doctrina veritatis, toto orbe notissimus,* qui hanc avaritiæ venenatam stirpem sic depingit: *Videte dilectissimi, quæ germina, & quales fructus de* AVARITIÆ *stirpe nascantur, quam ex merito, radicem omnium malorum esse definivit: quia nullum peccatum, sine cupiditate committitur. Amori pecuniæ, vilis est omnis affectus, & anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit: nullumque est in illo corde justitiæ vestigium, in quo sibi* AVARITIA *fecit habitaculum.* Omnia jura humana, & divina violat, ut lucro potiatur, huc omne studium, & ingenium confert, ut quibusvis dolis, technis, ac strophis, pecuniam, aut lautam hæreditatem alteri debitam, sibi conquirat, ut ex recentissima patet historia, quam Stengelius noster commemorat. Notissima inquit Italiæ civitas est, cujus nomen taceo, ne familiam notam inutam. Vir quidam pius, honestoque loco natus, æque Religiosorum, ac Religionis amans, defuncto cognato, luculentam atque opulentam aditurus erat hæreditatem; sed eam defuncti uxor, pecuniæ inhians, hac sutela conata est avertere. Finxit se utero, paonis tumido, prægnantem, & mortuo marito prolem posthumam esse parituram, ad quam patrio jure, ea hæreditas pertineret. Dominus ille, qui erat successurus, libenter annuit, se ut æquũ erat, facturum, si peperisset. Tum fœmina, per fidelem, diligenter indagavit, an alicubi repertam recens natam sobolem posset supponere. Distabat non longo itinere pagus, in quo colonus dicebatur filium acquisivisse, cõjuge insciâ, ex nescio quo pagi scorto, eumq; clã uxore, cupere procul inde amoliri ex pago. Cum hoc colono in silentio facilè conventum est, qui prolem suam à puerpera postulavit,

Avaritia omnium scelerum radix.

S. Th. 22. q. 118. a. 3.

Eccl. 10. v. 9. & 10.

S. Th. cit.

Propert. lib. 3.

Pet. Damian opusc. 31. c. 2.

Ad Coloss. 3.

Nil prodest virtutibus excellere, & aliis vitiis carere, si avarus sit.

Facund. lib. 5 c. 3.

S. Leo serm 9 de Passione Dom.

Stengelius tom. 3. de divinis iudicis c. 36. n 10 pag. 422.

Avara mulier ut injustam hereditatem adeat, miras fraudes texit, perjura simul, & sacrilega.

daturq; fictæ matri, quæ nunquam pepererat. Illa infante accepto, fingit se connubiâ nocte enixam hæredem, absente obstetrice. Fit clamor, & tumultus in vicinia, concurritur: Existit ingens gaudium, & gratulatio. Vix otto die, mittuntur, qui invitent amicos, & familiares, ut Baptismo infantis interesse velint. Quin is, qui in hæreditatem successurus erat, rogatur ut patrinus esse velit, neque detrectat. Tingitur infans lustralibus aquis, & solemnibus cæremoniis. Fœminæ præsertim undatim accurrunt ad puerperæ congratulandum, quæ partu suo defunctum, & sepultum maritum in vitam revocasset. Inter tot gratulantium turmas, præcipuè gestiebat, & in sinum suum ridebat scenica puerpera, etiam hoc sibi titulo plaudens, quod filium, cum lauta hæreditate, sine partus dolore acquisivisset. Sed hanc avaræ mulieris perfidiam, vindex Deus mirabili eventu, justè ultus est. Vagiebat in cunis infans, & sitiebat; ubi putata genitrix, conscia apud se frustra lactis fontes quæri, coacta est fraude fraudi nectere, & mendacia mendaciis assuere. Fingit igitur, se nolle eam molestiam subire, ut noctes & dies flentem lactaret. Itur ergo, & inquiritur in nutricem, quæ cum tota urbe non reperta, in illum pagum venitur, in quo vera puerpera mater, filio ablato, in lacte sistendo laborabat, totius fabulæ ignara. Comitatur non invita; sed quamprimum in conspectum infantis venit, eum agnovit, sanguine quoque ipso naturam prodente. Quin & ipse quoque infans, veræ matri videbatur adlubescere. Erumpit illico affectus maternus, & tota familia audiente, exclamat: *Hic meus est filius, quis te mi Ioannine huc, casuive, deusve apportavit?* Ad quam vocem omnes attoniti stetere; sed imprimis, quæ animo potiendæ hæreditatis, matrem mentita est; quæ dolum adhuc mendaciis tegere conata, nutricem mendacii insimulat. Ibi ergo lis, ibi rixa, ibi alterna mulierum convitia; donec advocato colono, fraus tota detecta est, nec solum avaræ hujus mulieris iniquitas patuit; sed ut ejusmodi animam venalem habent, & radix omnium malorum est avaritia, immane sacrilegium non abhorruit, Sacramentum Baptismi

S. Leo cit. iterando; & abutendo. *Videte dilectissimi, quæ germina, & quales fructus* DE AVARITIÆ STIRPE *nascantur.*

Horreot gentes, quamtumvis barbaræ, & efferatæ, parricidale facinus, & parentum aut filiorum sanguine manus cruentare; ad hoc tamen non semel avaritia impulit. *Age,* inquit illud aureum Os, *tibi ostendam, quo pacto cupiditas te odio habeat, quo pacto contra te ensem acuat. Ipsa parricidas, & matricidas efficit. Ipsa omnia vita mala induxit; quare radicem malorum Paulus eam appellat;* quam naturæ omnis oblitam crudelitatem, eventu prorsus tragico, enarrare aggredior.

Chrys/ost. hom. 13. in 1. ad Cor.

E martiâ Polonorum gente, homo militaris, complures annos paterna domo abfuit, seu prædis, seu stipendiis insigniter ditatus. Tandem sagum togâ mutare, ac postliminiò domū redire statuit, ut acquisita exoneraret, suasque opes cum parentibus communes faceret: sed quia diuturni temporis absentia, magnam in vultu habituq; mutationem induxerat, neque noscebat suos, neque noscebatur. Jam in conspectu urbis Patriæ erat, cum obviam habuit mulierem ignotam, ex negotio in rus egressam, quam datâ, acceptaque salute, interrogavit: An tales, & tales (& nominavit suos parentes, describitq;) adhuc in vivis essent, si forte eos novisset? Respondit mulier; Et novi, quia illorum sum filia, & superstites sunt, tectèq; valent. Ad quod verbum, lætitiâ plenus miles: quod bene vertat, ait, & ego illorum sum filios, ac proinde tuus frater. Cum in ambiguo staret illa, & intensum illū, quasi dubitans curiosiore aspectu consideraret, miles ex equo desiliens, renudato paulisper brachio, en, inquit, ut me fratrem tuū esse credas, signum mihi à natura, & matre impressum, domesticisque dudum familiare. Agnito signo, soror præ gaudio exilit, fratrique, ambabus manibus in collum injectis, faustum reditum gratulatur; quem multis quæstionibus fatigatum, & longo sermone detentum, tandem bonis avibus porrò pergere jubet ad parentes, qui illū nihilo magis essent agnituri; dum, peracto ipsa foris negotio, postera luce, eo esset, sicur majore, ita & jucundiore otio fruitura. Ita in diversum viam prosequuntur, illa ad pagum, ille ad urbem. Uti prædixerat soror, ita evenit. Nam ubi domum rediit miles, neq; à patre fuit, neque à matre agnitus. Hospitium nihilominus petiit, neq; negatum est, quamvis peregrino, erat quippe hospitiū publicum. Et libuit militi, ad augendum crastinum gaudium, sub peregrini nomine latere. Jubet tamen parari cœnam lautiorem, ad quam utrumq; parentem invitat. Edunt splendidè, bibunt largiter, vivūt jucundè, dum filius lætatur se esse apud genitores, & genitores nesciunt, à quo hospite tam lautè, liberaliterque tractentur. Ibat jam commessatio in seram noctem, & militis itinere, vinoq; fatigati oculi connivebant in somnum. Removetur mensa, surgitur, secundùm cœnam, antequam miles in lectum se projicit, sarcinulam profert, quā admodum gravem, ignotus adhuc parentibus diligenter asservandam tradit, existimans tandem spolium suum to bonas manus venisse custodiendum. Ita securè cubitum concedit. Huc usque omnia læta. Nunc de socco ad cothurnum transit narratio, & ostendit, quam verum sit illud S. Cypriani dictum: *Usq; ad mortem Domini amor lucri se ingerit.* Filio altum dormiente, primas egit curiositas. Nam sarcinulam è pondere æstimatores, aperiunt seorsim parentes, visuri, quantum ea auri, quantum argenti contineret. Reperiunt aurum esse, quidquid intus est. Heu quam facilè vitium unum, alteri viam aperit! præit curiositas; comitatur cupiditas, sequitur crudelitas. Vident auri summam esse grandem, atque avaritia cœci, non vident suam futuram, nisi impotenter appetissent. Ut itaque depositum non repeteretur, hospitem necare statuunt, cum quo paulò priùs hilariter erant epulati. Multa hic sese offerunt consideranda: nam & pecuniarum amatores, hîc discere possunt, quid ament, & an non verum sit, quòd vulgò dicitur, *hostem secum ferre, qui pecuniam secum ferant.* Deinde quale bonum sit, quod plus secum detrimenti affert, quam

Ant. Balingbem Zoopadia. tit. hospitalitas Stengelius de Iud. div. vin. tom. 3. c. 7. n 5.

quam lucri. Tum quam fluxũ sit bonum, quod multis annis, & magnis curis acquisitum, unâ nocte perditur. Denique quam suspectum debeat esse bonum, cum quo sæpe vita, sæpè etiam ipsa anima amittitur. Certè hujus boni possessores, quos insidiatores non alliciant, si paternas manus armant in cædem filiorum? Dormiebat jam somnum suum filius divitiarum, cum in exitiũ ejus consultarunt progenitores. Mulier verò audacior; & imbecillior sexus, fortior in impii facinoris crudelitatem, cultro manum armat, & intrepida mater intrat in cubile, filiumq; jam diu, numquam suavius sopitum, parricidali ferro contrucidat. I. nunc miles, hoste tot annorum superior, hæc militiæ tuæ coronis est, isti spoliorũ tuorum sunt triumphi, muliebri, imò maternâ tandem dexterâ cecidisti. Vitam inter tot enses, inque tot prælus servatam, aurum prodidit. Adhuc viveres, si ex bello nihil attulisses; tanto securior, quanto pauperior. Nunc pecuniam non sine sanguine partam, non sine sanguine, atque vita amisisti. Corpus adhuc in sanguine suo palpitans de lecto detrahitur, effossaq; humo, clam sepelitur, ab iisdem mundo sublatum, qui id mundo vivũ dederunt. Triumpha Plute, triumpha Pluto, ob aurum, hominem obtruncarunt iidem, qui genuerunt. Quamquam hominem sibi incognitum adhuc, ut postquã cognoscerent, acerbius lamentarentur. His enim in hunc modum perpetratis, nocte omnia tegente, quamprimum sol diem revexit, criminis quoque detecta est magnitudo. Vix enim lucem claram expectare potuit absens soror, cum, adhuc rubente cælo, ad urbem advolavit, fratris alloquendi desiderio, tota flagrans. Pulsat januam, aperitur. Prima vox fuit, *& ubinam est frater?* mirantur genitores, quæstionis novitatem. Instat illa: negant illi, nescii, quid sibi puella velit. Rogat denuò filia, *ubi frater?* neq; enim rem sibi jam notam, certamque, vel negandam, vel ultrà jocum dissimulandam. Ajunt illam delitia loqui, nihil enim sibi de fratre constare. Enimverò, ait, fratrem meum adesse scio, qui mihi heri, tali horâ, tali loco, tali habitu oris, & vestis, tali denique staturâ, in campis obviam factus est; fateor, multum mutatus ab illo, qui à nobis discessit, nec mihi quidem amplius agnoscendus, nisi sese natalitio brachii signo ostenso prodidisset, dixissetque rectà ad parentes diversurum. Dixisses fulmine cælesti percussos, ita ad hunc filiæ sermonem expalluerunt, obstupueruntque miserandi parentes. Facti enim conscientiâ exhorrescentes, capillos de capite evulserunt, sibique ipsis, ob immane parricidium, intolerabiles visi, inconsolabilibus lamentis, domum, urbem, cælum impleverunt, optantes nullum umquam aurum, in mundo extitisse. Et quamvis Judicis pœnam meruissent, ipsi tamen intemperiis agitati, carnificem prævenerunt, vindicesque manus in se converterunt. Tota itaque ea die pater in tristitia, inedia, ac desperatione transactâ, nocte proxima, urbem solus absque arbitro egressus, è publico se civitatis patibulo suspendit, ut è sublimi loco altius ad tartara descenderet; mater autem eodem, quo pridie filii fauces jugulaverat, cultro etiam suum guttur dissecuit; filiâ, inter tria cadavera, aurum cupiditatem, & divitias detestante. Ac ne hæc tragœdia, vetustate absoleta, & antiquata censeatur contigit ea nostro sæculo, Anno scilicet 1618. die 15. Maji. Exclamare hic lubet:

Quid non mortalia pectora cogis *Virg. lib. 3. Æneid.*
Auri sacra fames?

Quâ eò feritatis quæ belluinam longè exsuperat, mortales abripiuntur, ut parentes lucro inhiantes, proprios filios, per summam immanitatem, jugulare non vereantur. O crudelis mater! ô sæva Medæa! ô nova Progne, quæ Itiim ipsa suum concidit! Et prolem quem utero texerat, nunc ingestâ terrâ occultavit, ignata quid faceret; adeo est auri cæca cupido. Nec minus timendum parentibus à filiis, quos auri dira cupido exagitat: istorum enim longæva senectus, his molesta & intolleranda est, & ut hæreditate potiantur, etiam è medio illos tollere non reformidant. Talem vos unum S. Asterius his verbis depingit: *Video filium capiti genitoris imminentem, & absque ulla vel veneranda canitiei, vel auctoritatis Patriæ reverentiâ, longiorem senis vitam indignantem: cum enim copiam omnem domi largiter suppetere videt, cujus dominium penes ipsum non sit, eoque potiri ipse cupit, & sui quoque juris fieri, gravis illi Patria auctoritas, ac potestas. Et initio quidem intra silentium sese continet, altèque reconditum morbum tenet. Auctâ dein paulatim cupiditate, & animo tumente, repente malum prorumpit.* Hinc ad moralia, quæ indies videmus, & lugemus, nec aliundè petenda procedit: *Tum ille misero seni prorsus intollerabilis, vivumque tantum non effert, ac valentem. Si equum agiliter* (senex) *conscendit, miratur, & stupet* (optatque ut collum frangat) *si largius, & bene sanus cibum sumit, fert egrè, secumque murmurat,* hunc utinam postremum bolum voret. *Si famulos ad opera, & ministeria mane excitat, vigilantiam, bonamque valetudinem senis gemit,* edolet malletque ferreum somnum capere, & in æternam claudere sua lumina noctem. *Quod si aliquod cimelium alicui donaverit, aut servum manu miserit, tum nullius homo pretii, ac delirus audit: Tum quasi vivendi regulam, ac præscriptum transgressus, alienique prodigus, ac profusus, conviciis atque probris omnibus proscinditur, longioris heu vitæ, & spiritus non statim emissi, reus.* Miseri vos euclionnes, miserandi senes avari, qui quò plures hæredibus summo labore, & sudore, thesauros accumulastis, eò ardentiores in mortem vestram illos animastis. Quotidiana sunt quæ enarravit graphicè D. Asterius: Etenim quot hæredes, tot propè homicidas viri divitiarum habent; qui quidem non semper, ne infamiam, & judicis sententiam incurrant, violentas manus inferunt, sed mente, & animo apud supremum Judicem sunt parricidæ: idq; non semel vitam auferendo; sed centies, & millies mortem imprecando, hæc non mea, sed S. Valeriani sententia est; qui de ejusmodi filio agens sic loquitur: *parricidali animo, aut Patris vitam increpat, aut matris mortem expectat: nam quisquis parentum mortis expectatione, animam poscit, parricidali crimine in hæreditate succedit,* & mente, non manu parricida est.

Filii auri cupidi, parentum parricidæ

S. Asterius

S. Valerianus hom. 20.

Avarus dæmoni ſe devovet.

Sed parum hoc, ad majora gradum ſternit, cum avaritia in homicidia, & parricidia impellat, quis avarus furta, rapinas, falſas ſyngraphas, quis perjuria, ut etiam dæmoni animam devoveat, non confidenter admittat? in uno ſcelere patebunt omnia. Mirum, ter mirum, Martinus Delrio narrat hunc in modum: miles per Marchiam iter faciens, correptus morbo ad oppidum Spandach delatus eſt. Hoſpitium hic ingreſſus, quia æger lectum potius cogitabat, quam epulas, aut choreas. Ergo crumenam nummis turgentem hoſpitæ tradit aſſervandam, dum revaleſceret. Poſt aliquot dies, jam erectioris valetudinis, marſupii reddendi mentionem injicit; mulier auro capta, & ægrè hanc prædam amiſſura, deliberat cum viro, quid militi, ſua repetituro reſpondendum? de conſilii ſententia viſum eſt, conſtanter neganda omnia. Quare cum miles loculos ſuos repeteret, negavit hoſpita præfidenter, ſe quidquam accepiſſe, & vero mirari ſe hominis impudentiam, qui auſit flagitare commiſſam monetam, cum nihil penitus aſſervandum commiſerit. Miles indignitate rei motus, & ardeſcens bile, objicit viciſſim hoſpitæ perfidiam. Accurrens maritus, tanquam conjugem defenſurus, militem domo proturbat. Hic ante fores, hoſpitæ ſcelere irritatus, ſtringit gladium, velut facturus in hoſpitem, ſed occluſis foribus, in januam arietat. Hoſpes vicinorum implorat fidem, & ædes ſuas oppugnari queritur. Accurrunt lictores, & quod vim publicam feciſſet, abducunt in carcerem. Poſt aliquod dies ſenatus oppidi, aliò mittit facti narrationem, & ſententiam perſcribi petit. Conſtabat ædes publicè oppugnatas eſſe; quare fertur ſententia, militem ultimo ſupplicio afficiendum. Cumque jam feralis dies inſtaret, diabolus ad captivum in carcerem venit, & exponit quam ſententiam laturi ſint Judices, atque una operam ſuam pollicetur. Et quin tu, ait, te mihi dedis? ita ſpondeo, ſecuriſſimus exibis. Ego vero, inquit miles, mori malim, quam hoc facere, non primus peribo innocens. Sed cum non tam militem, quam cauponem auro captum, perditum veller, hoc ſaltem age, inquit, cum ad tribunal ſteteris: Dic te forenſium negotiorum imperitum, patrono indigere, ibi aſtabo opertus pileo cinericeo, & plumis ornato; roga igitur me jubeant cauſam tuam agere. Miles amans vitæ, & hoc ſibi licere ratus, ſatis oſtendit conſilium iſtud ſibi non diſplicere. Ita poſtridie reus in judicium ducitur. Adeſt etiam perſonatus orator cinereo pileo dignoſcendus; cumque accuſator jus dici, & reum ob publicam vim, capitali ſupplicio afficiendum poſtularet: miles hoc unum petere inſtitit, liceret ſuo illi Advocato pro ſe dicere. Annuunt Judices, diceret ſi quid juris haberet contra cauſam tā liquidam. Hic cauſidicus ex orco, eruditè, prudenter, nervosè pro eo diſputare, juris effata producere, explicare, etiā facias paginas ad teſtimonium citare, capitalique ſupplicio minimè afficiendum eum, contendere, à quo rixa, & tumultus, nullum habuerit initium: militem ab hoſpite prius ſpoliatum, dein vi extruſū: velle ut juberent judices quæri crumenam, litigii cauſam, & ſimul locum deſignat, quo reperiri poſſit, enimverò de ſalute, ac capite hic agi, cauponis perfidiam longè aliam eſſe, ſi penitus inſpiciatur. Hic caupo negare, & pernegare, pejerare, diris omnibus ſeipſum devovere: quin imo ait, hinc me diabolus abreptum peſſimè perdat, ſi quidquam à milite hoc acceperim, quas voces niger ille cauſidicus ex orco, acutè audiit, & diſputatione omiſſa, hoſpitem prehenſum per feneſtras, & medium forum, cum fragore abduxit, attonitis omnibus, diramq; tragœdiam perhorreſcentibus, nec uſquam amplius cadaver rapti hoſpitis inventum eſt. Habetis ex una avaritiæ radice, fertilem vitiorum ſegetem germinantem. Quod vel gentilis Poëta de avaro cecinit:

Delrio to. 2. diſq. mag. l. 3. p. 1. q. 7. ſect. 1. Drex. Phaeton. lingua Calum. c. 33. §. 4.

Falſus erit teſtis, vendet perjuria ſummâ
Exigua, Cereris tangens aramque, pedemque.

Iuven. ſat. 13.

Avaritia hæreticos, & magos facit.

Quid, quod per avaritiam homines in infidelitatem, in hæreſim & magiam prolabantur, de quibus Doctor Angelicus conſulendus: *Sciendum*, inquit, *quod omne peccatum formaliter conſiſtit in averſione à Deo, inde tantò aliquod peccatum eſt gravius, quantò per ipſum homo, à Deo ſeparatur; per infidelitatem autem maximè homo à Deo elongatur. Unde manifeſtum eſt, quod peccatum infidelitatis* EST MAJUS PECCATIS OMNIBUS, *quæ contingunt in perverſitate morum.* In quod infidelitatis flagitium, *majus peccatis omnibus*, avaritiam inducere, diſertè, & in omni verborum proprietate, tradit Apoſtolus; qui cum radicem omnium malorum, cupiditatem pronunciaſſet, mox ſubdit: *Quam quidam appetentes, erraverunt à fide.* Sic lib. numerorum cap. 22. Balaam, filius Beor, contra præceptum nomini ſtatuit maledicere filiis Iſraël, corruptus muneribus à Balac, Rege Moabitarum, qui miſerat *ad eum majores natu Madian, habentes pretium divinationis.* Hujus Balaam ſectatores, aculeato ſtylo, & maledictionis fulmine perſtringens Princeps Apoſtolorum ait: *Cor exercitatum avaritiâ habentes, maledictionis filii, derelinquentes rectam viam erraverunt, ſecuti viam Balaam, qui mercedem iniquitatis amavit.* In quæ verba, D. Thomas ſic diſſerit: *Erraverunt in via infidelitatis, & infelicitatis, ſecuti Balaam, qui motus cupiditate, ex certa malitia ivit, ut malediceret populo Iſraël, quem ſciebat benedictum à Domino; mercedem, id eſt munera ſibi promiſſa, & oblata acceptans pro iniqua promiſſione, quam intendebat adimplere contra Deum.* Ut autem conſtet, eum à fide veri Numinis defeciſſe, ſubjungit: *Meritò verò Balaam hæretici comparantur.* E quibus multi, ut pingue beneficium, ut opulentum matrimonium conſequantur, *erraverunt à fide*; Lutherana ſit filia, Puritanus ſit juvenis, ſi dos aliquot millium offeratur, non laborant. Hoc in Juda maximè, tanquam in hæreticorum novæ legis primicerio, aliiſque, ſuo ſæculo obſervavit è purpuratis Patribus Petrus Damianus, qui hujus mali radicem fuiſſe avaritiam contendit, his verbis: *Quid ergo mirum quod ſuperius diximus,* AVARO *nihil eſt ſceleſtius, cum dicatur omnium malorum radix eſſe cupiditas? In quo enim radix eſt omnium malorum, ille conſequenter omnium malorum reus eſſe convincitur: quia, quorum habet in ſui pectoris* agro

S. Thom. 22. q. 10. a. 3.

Raynaud. Metamorph. Apoſtoli in latronem cap. 6

1. Timoth. 6. v. 10.

2. Petr. 2. v. 15.

S. Th. hic

Petr. Damian. opuſc. 31. cap. 4.

agro radicem, non potest venenatam vitare propaginem. Nec prætereundum quòd ait: Quam quidam appetentes, erraverunt à fide. Nimirum, ficut proditor Salvatoris, qui ut exiguæ summæ perciperet quantitatem, sub venalitate distraxit rerum omnium conditorem, & pro vilis amore pecuniæ, auctorem tradidit vitæ. Sicut etiam Balaam filius Beor, qui dum ad pecuniam, quæ offerebatur, inhiat quæstum, Dei fide contemptâ, de Israelitici populi ruina dedit consilium. Qui Propheta fuerat, & spiritualis gratiæ revelatione pollebat; dum avaritia paulatim declinasset in vitium, de Propheta factus ariolus, de ariolo conversus perhibetur in magum. Tum epiphonematis loco concludit: *Ecce quid utilitatis conferat* AVARITIA, *quæ dum fidem hominibus tollit, Prophetam vertit in magum: Ex Apostolici culminis apice, mergit in tartarum.* Habetis hîc, quomodo *avaritia fidem hominibus tollat*, & de Apostolo fecerit apostatam. Hoc in tam multis, quos hodie cupiditas in hæreseos voraginem præcipites agit, deprehendere licet. Angliam, Hollandiam, totum Belgium animo pervagare, quot invenies, qui in heterodoxâ persecutione, ubi aut de patriâ, de bonis, de officio, de officinâ decedendum, aut à fide & Christianâ Religione recedendum: ubi vel vita periclitatur, vel anima; malunt fidem exuere, quàm facultatibus, & opulentis officiis privari: talis in Angliâ, sub Elisabetha, exstitit Christiani gregis Pastor, qui jussus fidem ejurare, aut ab officio decedere, transfuga factus, & animam venalem habens, hoc elogio ab infami Regina laudatus est: *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus.* Tales vidit Trajectum, tales Breda, tales Silvaducis, aliæque urbes, quæ ubi Regi Catholico, vi bellicâ ereptæ, plures perfidos ejusmodi detexere; atque utinam, si in hanc urbem ille turbo desæviret, exhîc stantibus non essent, qui citiùs veræ Religionis, animæ suæ, & cælestium bonorum, quàm fortunarum, & terrenarum opum jacturam facerent! Quid, quòd avaritia, ut de Balaam audîtis, Dei fide relictâ, magos, & ariolos, ac dæmonum ministros fieri compellat. Hactenùs, quæ ex venenatâ avaritiæ radice, mala pullularunt, non pro rei indignitate, sed pro temporis brevitate perstrinxi. Ex quibus facilè quod superest, ad scelus hactenus non commemoratum, ad sacrilegium, omnium scelerum maximè execrandum, ad idololatriam, & proditionem Judæ gradus est. Quod primùm spectat, S. Thomas 2.2. q.94. a.3. docet idololatriam esse gravissimum peccatorum, dicens *omne peccatum est immunditia animæ; sed idololatria maximè*, quod sic probat ex parte ipsius peccati: *Sicut in terrena Republica, gravissimum esse videtur, quòd aliquis honorem regium alteri impendat, quàm vero Regi: quia quantum in se est, totam Republicam perturbat ordinem; ita in peccatis, quæ contra Deum committuntur (quæ tamen sunt maxima) gravissimum esse videtur; quòd aliquis honorem divinum creaturæ impendat: quia quantum in se est, facit alium Deum in mundo, minuens principatum divinum.* Ibidem art. 4. esse gravissimum peccatum confirmat, *quia dicitur idololatria esse causa, initium, & finis omnis peccati: quia non est aliquod genus peccati, quod interdum idololatriam non producat, vel expressè inducendo per modum causæ, vel occasiones prætexendo, per modum medii, vel per modum finis.* Nulli vero peccato ea labes idololatriæ potiori jure tribuitur, quàm avaritiæ, si Nazianzenum audiamus:

S. Th. 2.2. q.94. a.3.

S. Thom. art. 4.

> *Multi licèt sint, & vocentur improbi,*
> *Idololatra dictus est solus tamen*
> *(Quo nullum in ævo gravius est usquam scelus)*
> *Qui præter aurum nil scit, aut nil cogitat.*
> *Factnrus ut qui hoc facilè sit, morbum ob suum*
> *Si tempus adsiet quidpiam lucri afferens,*
> *Vel execrandum quòd Chamos Plutum colat.*

Nazian. 2. Iamb. 22.

Populum Dei, ut sacræ paginæ Exodi 32. testantur, amor auri impulit vitulum adorare; sic enim Ravennatium Antistes, stylo, & sermone aureo: *Aurum judaicum populum, sic suo captivavit aspectu, vicit illecebris, specie decepit, ut hoc esse Deum crederent; & Deum verum, tot beneficiis cognitum denegarent. Sic convertit homines in jumenta, ut vituli caput, caput suum crederent, & omnium rerum capiti, caput pecudis anteferrent.* Sed hæc, in avaro, pluribus prosequamur.

Chrysolog. serm. 29.

§. II.

Avaritia idolorum servitus. Galat. 5. ℣. 50.

Roma orbis domina, sed & falsorum deorum hara, *cùm penè omnibus*, (ut D. Leo loquitur) *dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, & magnam sibi assumpsisse videbatur Religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Hinc nullæ scientiæ, nullæ artes, nullæ res creatæ, & quòd ampliùs, nulla flagitia, quæ suum non haberent numen proprium, quod colerent, & adorarent; adeò, ut magno teste Hipponensium Præsule, tot Deos, quot muscas Romani numerarent. Hos inter, supremus omnium Rex, ac Deus Deorum Jupiter eminebat, qui omnibus præesse, prædominari, atque omnibus prodesse, & opitulari dicebatur. Hunc autem Deum Deorum, non nisi maturo sapientum consilio, & communi omnium consensu, Deum pecuniarum indigitarunt, de quo libet authenticû D. Augustini audire testimonium: *Iupiter, in quit (cui antea infinita nomina affingi docuit) pecunia vocatur; quòd ejus sint omnia. O magnam rationem divini nominis! sed nimirùm, hoc* AVARITIA *Iovi nomen imposuit, ut quisquis amat pecuniam, non quemlibet Deum, sed ipsum Regem omnium sibi amare videatur.* Lascivi Deam Venerem, temulenti Deum Bacchum, iracundi Martem adorent, & venerentur; *at quisquis amat pecuniam, non quemlibet Deum, sed ipsum Regem omnium*, primam, ac supremam consecrat divinitatem; idque jure, inquit, longè meritissimo, *quòd ejus sint omnia*, atque *omne bonum*, quo se solum, & unicum divinum Numen compellat, in se complecti videatur: quia *pecuniæ obediunt omnia.* Unde Tiraquellus *de nobilitate*, l. 3. docet, pecunias, facultates appellari, quòd ad res omnes facultatem, adeoque facilitatem præbeant: nam quidquid in urbe carû, in orbe rarû, quid-

S. Leo ser. 1. SS. Petri & Pauli. Lanuza hom. 26. §. XI.

Inter omnes Deos, Romani Deum pecuniarum eligunt. Laur. cit.

Aug. l. 7. de civit. c. 12.

Pecuniæ obediunt omnia.

Exodi 33.

quid voluptati natum, voluntati gratum, id omne, insuper

Horat. l. 1. ep. 6.

Et genus, & formam, Regina pecunia donat.

Forum omne circumspice, quidquid humanis usibus commodum, & congruum, calcei, caligæ, pannus, panis, pisces, lana, linum, id omne pecuniâ venale est. Officinas ingredere, nundinas contemplare, quidquid oculis delectabile, quidquid cupiditati acceptabile, id omne pecuniâ comparatur. *O magnam rationem divini nominis!* Ad diversorium diverte, quidquid deliciarum, quidquid cupediarum, quidquid palato acceptum, id omne, etiam ex ultimis finibus terræ, ad nutum, ad tinnitum pecuniarum, ad tintinnabulum, quod in tabernis ad manum, advolat; Massica, Chia, Falerna, Mosella, Rubella.

Quidvis nummis præsentibus opta,

Veniet, & eveniet tibi, quia huic potentissimæ Deæ

Eccl. 10. v. 19.

Pecuniæ, obediunt omnia.

Si togas Consulares, cathedras Doctorales, infulas Abbatiales, gradus, dignitates quascumque spires, pecuniæ obediunt omnia:

Ovid. de arte, lib. 2.

Plurimus auro
Venit honos.

Philosophorum coryphæus Aristoteles, tradit priscis sæculis, mortales vixisse rerum variatum cambiis, & permutationibus: qui triticum habebat, ex eo dabat illi, qui abundabat vino. Sutor calceos dabat pistori, & hic panes præstabat. Sed hæ merces, cùm non semper distrahi possent, in eos, qui aliis affluebant, aut non invenirentur, qui eas acceptarent, ac alias refunderent, excogitarunt aliquid statuendum, quo omnia comparari queant: *Omnia*, inquit, *comparabilia oportet aliquo modo esse, quorum est permutatio: quam ad rem, nummus exstitit, & DEA PECUNIA* adinventa est. Hinc cœperunt homines suspicere, amare, & adorare pecuniam, velut quiddam, in quo omnia terræ bona continentur, ac sibi persuadere, quod is, qui pecuniam haberet, omnia haberet, ac nullius egeret. Quò spectat illud Augustini: *Pecunia est, quo uno nomine continentur omnia*; ut avarus, quas Seraphicus Franciscus in amabili mentis excessu, voces, noctes & dies identidem ingeminabat: *Deus meus, & omnia*, ipse de pecuniis, & crumenis usurpare non erubescat: *Deus meus, & omnia*, vobiscum omnia, & OMNE BONUM habeo. Non ferventiùs quisque vir sanctus cor suum, mentem, cogitationem, curam omnem in Deum figit, Deum cogitat, & somniat, quàm avarus de pecuniis, quod peracutè D. Ambrosius annotavit, sic avarum depingens: *Aurum respicis, aurum imaginaris, hoc tibi dormienti insomnium, & vigilanti desiderium: quæcumque vides, in aurum converti cupis, dasque operam, quoad possis, & liceat: quid enim rerum non*

Arist. l. 5. Ethic. c. 5.

Aug. l. 1. de libero arb. c. 15.

Pecunia avaro Deus est.

Exodi 3. 3.

Amb. ser. 61. & S. Basi. hom. 7. in avaros.

molieris, movésque, nimis auri gratiâ? Quò factum, ut pecuniæ præ cæteris Diis sublimiorem tribuerent divinitatem; ut porrò hic mari dominabatur, ille telluri, hic paci, alter bello præesset, pecuniam omnibus imperantem observabant; quo sensu periti sacrarum litterarum Interpretes, illud Pauli intelligendum: *Avaritia, quæ est simulacrorum servitus*, non inscitè arbitrantur; adeò, ut avarus soli pecuniæ eum tribuat honorem, quem infideles Baccho, Veneri, Neptuno, Marti, Mercurio deferebant. Idcircò loquitur Apostolus in plurali: *Simulacrorum servitus*, quasi diceret: Soli pecuniæ eum tribuit avarus honorem, & obsequium, quod reliquæ simulacrorum multitudini: quò fit, ut experientiâ comprobatur, longè faciliùs ab ebriosis Bacchum, à lascivis Venerem, ab iracundis Martem, aliosque deseri, quàm Deorum summum, pecuniam, quam supra omnes Deos impensiori cultu venerantur. Eodem penè revolvitur, quod copiosè de more, & scitè S. Chrysost. hom. 18. in 1. ad Cor. avaritiam Nabuchodonosori componens, qui statuam auream, imò & æream, & ferrum, & his viliora adorari jubebat. Pergit D. Augustinus verè cavillari, & severè execrari idololatriam, dum Jovi, Deorum summo, & Deæ pecuniæ, non solùm divinos honores tribuunt, sed & ejus filios, inter Deos computant, quos antiqui adoravêre, & ubi infantes in lucem prodiissent, istis diis, & Deorum filiis, & natis natorum commendari solebant. Ipsum audite: *Commendabant DEÆ PECUNIÆ, ut pecuniosi essent. Deo Æsculano, & filio ejus Argentino, ut habeant æream, argenteámque pecuniam: nam ideò Patrem argenti Æsculanum posuerunt, quia priùs ærea pecunia in usu esse cœpit, post argentea.* Quæ ut quàm maximè insana, & profana explodat, subdit: *Miror autem, quòd Argentinus non genuit Aurinum: quia & aurea subsecuta est; quem Deum illi si haberent, sicut Saturno Jovem, ita & Patri Argentino, & avo Æsculano, Aurinum præponerent.* Hæc videmus, uberrimis flenda lacrymis, quòd Christiani pecuniis, & auro inhient, illud ut idolum adorent, & illi, quæ uni soli ac vero Deo debetur adoratio, utpotè *à quo cuncta bona procedunt*, tribuatur, ac se in Deâ pecuniâ, Deo Argentino, & Aurino ea invenire dictitent, & adipisci posse confidant. Hanc idololatriam, à prima infantia liberis suis instillant, aureis, & crystallinis bullis, & pretiosis margaritis collo, ac inauribus, quas Israëlitæ in vitulum aureum conflarunt, auribus appensis: Gazophylacium in manus datur, vulgò *spaerpot*: ut discant à teneris acervare, nec frui partis, ut in vos veri Numinis cultores, illud cadat gentilis Poëtæ:

Lorin. hom. 18. Quadrag.

Avaritia idolorum servitus.

Avarus in pecunia se omnia invenire putat, quæ in vero Deo.

Aug. l. 4. de civit. c. 21.

Exod. 32. v. 4.

Prima ferè vota, & cunctis notissima templis,
Divitiæ ut crescant.

Hinc olim (utinam & non hodie) constat nutricum vota fuisse, optare infantibus, ac precari opes, honores, quam beatam vitam vocitabant. Divinum illud monitum, quod Christus potenter inculcat: *Quærite primùm regnum Dei*; idipsum & cacodæmon sui cultoribus commendat: *Quærite primùm regnum Dei*, id est,

Lorin. in Psal. 143.

id eſt, pecuniæ; hanc primò, & præ omnibus quærendam docet:

Horat. l. 1. ep. 1. *O cives! cives! quærenda pecunia primùm,*
Virtus poſt nummos. Sic Ianus ſummus ab imo
Perdocet: hæc recinunt juvenes dictata, ſeneſque.

Laureda- nus l'amo- tus, Deum æſtimant pecuniam, quia à *dando* nomen ſortitur; hinc Menander apud Stobæum:

Epicharmus eſſe dicit hos quidem Deos,
Ventum, ſolem, terram, ignem, ſtellas, aquam;
Ego utiles verò Deos eſſe arbitror
Noſtros, & ARGENTUM, ET AURUM maximè
Iſtos quidem, ſi deduces in domo tua;
Quidquid voles, roges, tibi omnia aderunt:
Ager, domus, ſervique, & argyromata ſupellex
Teſtes, amici, Iudices: tantum dato,
Ipſos habebis vel MINISTRANTES DEOS.

Deus rerum omnium conditor, dat hominibus animam, & vitam, & motum, & inſpirationem, quoniam *in ipſo vivimus, movemur, &* *Actor. 7.* *ſumus.* Eadem avarus ſe in pecunia habere dictitat, juxta illud Ariſtotelis: *Pecuniam animam eſſe hominibus*, in qua vivunt dapſiliter, in qua moventur, ſe verſant, & volutantur, ut Suetonius refert de Caligula. Deus omnia movet, & omnia in eo, idipſum de pecunia prædicatur: *An-* *Seneca in Thieſte.* *xius ſceptrum tenet, & MOVENTES CUNCTA DIVITIAS;* quibus toti, mente, & cogitatione immerſi; cùmque nemo ſine ſanguine vitam ducere queat, Stobæus ad Argyrophilos ſcribens: *Argentum*, inquit, *hominibus ſanguis, & anima eſt.* Et ipſe Hipponenſis Præſul, avarum ſugillans, *Aug. hom. 5 ex 50* ait: *Tantum amas pecuniam, ut eam appelles ſanguinem tuum*, qui ſi multùm detrahatur, non ſecùs ac apertâ per ulebothomiam venâ, deliquium non ſine præſenti vitæ periculo patiuntur; verbo, ut abſolvam, tota ipſorum ſubſtantia eſt pecunia, ut prodigo illi, qui omnem ſubſtantiam ſuam decoxerat. Quòd autem pecunia det eſſe, probant illo Horatii *l. 1. ſat. 1.*

Nihil ſatis eſt, inquit: quia tanti, quantum habeas, ſis.

Aug. in ſal. 51. Quod ita pervulgatum, ut S. Auguſtinus dicat: *Proverbium eſt avarorum, rapacium, innocentes* *Leſſius de perfectione divin. l. 5. c. 1.* *premeutium, res alienas invadentium, quantum habebis, tantum eris; id eſt, quantum habueris pecuniæ, tantò plus poteris.* Denique, divinitatem ,, ſuam Deus, maximè omnipotentiâ ſuâ mani-,, feſtat, eſtque hic articulus, inquit Leſſius, ,, fundamentum noſtræ Religionis, cùm præ-,, cipua ejus dogmata eò nitantur, ut dogma de ,, creatione mundi, deque ejus conſervatione, ,, & gubernatione; myſterium Incarnationis, ,, Euchariſtiæ, Reſurrectionis, beatitudinis, &c. Teſtantur eandem ſacræ paginæ: Matth. 19. *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt. Et Ioan. 1. Omnia per ipſum facta ſunt.* & Pſal. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt.* Nihil faciliùs verbo. Hæc ſumma facilitas, ſignum eſt ſummæ potentiæ, ac proinde omnipotentiæ Dei; de quo & illud prædicatur: *Sine ipſo factum eſt nihil.* Et alibi: *Sine me nihil poteſtis facere.* Nunc, quàm hæc excelſa, & eximia

omnipotentis Dei prædicata, idolorum ſervi, ſuis diis aureis, & argenteis accommodent, oſtendamus. Ac primùm quidem nihil hiſce diis impoſſibile aſtruunt, quòd aurum ſua vi, & potentiâ, omnia vincat, omnia poſſit. Coram Dario olim ea quæſtio ventilata fuit, quid in orbe fortiſſimum, ac potentiſſimum eſſet? Hic vinum, quod à vi dictum, robuſtiſſimos duces ſolo allidit. Alter Regem, eunɛta ſupercilio moventem. Tertius mulierem, quæ Holophernem, & Sampſonem ſtravit, fortiſſimam deprædicabat; ſed ſuper omnia, vicit veritas, & *fortior præ omnibus* habita eſt, ut Eſdras teſtatur. *Eſdras l. 3. c. 3.* Quod expendens D. Gregorius Nazianz. aliud adinvenit, quod & ipſam veritatem victricem vincit, dum his omnibus aurum, quid potentius aſſeverat.

Vinum aſſerebat quiſpiam omnia vincere; *Greg. Nazianz. in carm. de vita ſua.*
At fœminam alter: tertius palmam dabat
Vero, dediſſem aſt robur ego quàm maximum
AURO, arbitratu cuncta quod regat ſuo. *Cic. in Verrem.*

Confirmat idipſum veriſſimo M. Tullii teſtimonio: *Nihil eſſe tam ſanctum, quod non violari: nihil tam munitum, quod non expugnari PECUNIA poſſit.* Patetque vero illud verius Poëtæ:

Nil eſſe potentiùs AURO. *Ovid. l. 3. eleg. 7.*

Nulla arx ita excelſa, & inacceſſa: nulla urbs ita vallata, & munita, quin expugnatu facilis, *Cic. l. 1. ad Attic. ep. 15.* ſi, ut Philippus ajebat, aſinus auro onuſtus ſeſe penetrare queat; hauſerat hoc ex ipſo Apollinis oraculo:

Haſtis pugna argentatis, atque omnia vinces.

Ut via non ſit, vi faciet, namque:

AURUM per medios ire ſatellites, *Horat. lib. 3. Oda 16.*
Et perrumpere amat ſaxa potentius
Ictu fulmineo.

Secundò, *omnia per ipſum facta ſunt*: quidquid enim oculis gratum, auditui jucundum, palato ſapidum, quidquid in mundo ſpecioſum, pretioſum, *omnia per aurum facta ſunt.* Illa quæ ſuſpicis regia palatia, orbis miracula, opulentas civitates, quamque in iis miraris ornatam ſupellectilem, *omnia per ipſum facta ſunt*; ſine auro factum eſt nihil, & ſine illo *nihil poteſtis facere.* Accedit, qui ſic Deos ſuos aureos, & argenteos colunt, & adorant, hos idololatras, ſe, ſuoſque filios, & filias, immolare dæmonibus non vereri. Scio varias SS. Patrum expoſitiones, & morales conceptus, ſacris Oratoribus aptos eſſe, in illud Pſalmi 105. *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis*; ego hanc unam expendo, quòd illud ſatanæ ſacrificium, omne idololatrarum longè excedat: hi enim gentiles, & veri Numinis ignari, boves, & oves Diis ſuis, quos ſimpliciores pro veris adorabant, victimas immolabant; at Chriſtianos reperiri, qui non pecora, non corpora humana, ſed animas Diis immolant, hoc vobis Auditoribus, & inauditû, & inſolens

insolens fortassè videbitur. At ne sit, non mihi, sed ne prolixior sim, uni, qui instar omnium est, divo Chrysostomo credite, qui in avaros idolorum mystas, sic aureum suum flumen, ut obruat, & confundat, effundit: *Quid aliud est idolorum cultor? An non ipse vitiosam mentis affectionem sæpenumerò adorat? ut exempli gratia: cùm illis dicimus quòd simulachra adoret: non, inquit, simulachra, sed Venerem, sed Martem. Et cum rogamus, quæ est ista Venus: qui graviores inter ipsos sunt, respondent: Voluptas est. Et quis est Mars? Animus masculus, & vehemens. Ad eum modum, & tu Mammonam adoras. Quòd si dixerimus, quis est iste Mammon?* AVARITIA EST, *& tu illam adoras; nam ista potior est adoratio. Et ut rem ipsam cognoscas, considera, quinam Deum veriùs, ac magis adorent, an qui simpliciter adstant in precationibus, an qui voluntatem ipsius faciunt? Ita & qui Mammonam adorant, veriùs illum, ac magis adorant, qui voluntati ipsius obsequuntur.* Tum pergit animarum victimas, quas avari immolant, longè immaniores, quàm idolorum mystæ offerant, enarrare: *At non mactas illi oves? mactas verò homines, & animas rationales. Isto sacrificii genere, nihil est Bacchicum magis, nihil infamiùs. Quis vidit unquam animas mactari?* MALEDICTA EST AVARITIÆ ARA: *nam si ad simulachrorum accesseris aram, videbis eam caprinum, & bovinum olentem sanguinem; ad istam verò* AVARITIÆ ARAM *si veneris, humanum sanguinem videbis miserè, & crudeliter exhalantem. Hic videbis quosdam, qui seipsos in præcipitia conjecerunt; alios verò, qui laqueum applicuerunt: nonnullos etiam, qui ensem per ipsum guttur transadegerunt: vides hostias crudeles, & inhumanas? vis istis etiam sæviores videre? ostendam tibi jam non humana corpora illic, sed & hominum animas mactari; nam & animæ mactari possunt, & dæmonibus immolari.* Exemplum in ingens est, quod subnecto:

Chrysost. hom. 18 in epist. ad Ephes.

Hortigas flamma æterna, pag. 28.

Minister hæreticus dum animam pro pecunia oppignorat, a dæmone aufertur.

Genevæ mercator Francus in morbum lethalem incidit, qui ut præceptis Catholicis à puero imbutus erat, Confessarium acciri jussit; sed ut quandoque inimici hominis, domestici ejus, eccum tibi minister hæreticus vocatus adest. Hic æger omnem viam Sacramentis Ecclesiæ potiundi, præclusam cernens, omnem spem, ac fiduciam in Virginem Matrem collocat, cujus iconem hierothecæ inclusam circumferre solebat, quam manu prensam, cum lacrymis precari, & suaviari non destitit, nec quidquam hæretico illum idololatriæ insimulante. Jamque longam æternitatem animo volvens, mitè de salute sua anxius, amarè flebat. Quod ut Ministellus advertit, moribundum hoc pacto solatus est: quid mihi dederis, si animam meam pro salute tua obsidem ponam & oppignorem, ut quidquid apud inferos pœnarum reformidas, in me recipiam? Respondit mercator, quidquid sibi opum esset, libens cessurum. Ad hæc renidens minister, rogavit, quantum penès se nummorum haberet? Trecentos, inquit alter, dumtaxat aureos; his ille, qui animam venalem habebat, contentus: me, inquit, oppignoro, acciroque Notario, & testibus, contractus publicis tabulis consignatur, subscriptoque nomine, *Sebastiano Vtorgo.*

His peractis, eodem vespere mercator vivis excessit. Mox, res ubi inter Calvinistas increbuit, omnibus risum, & plausum movit, exstructisque lautis, & lætis exequiis, in multam noctem pergræcantur: cùm ecce importunus hospes, eques armatus, specie terribilis subingressus, convivas interpellat, num quis se obsidem pro tali mercatore stitisset? nec plura locutus, hominem arreptum equo imponit, & cunctis spectantibus eum corpore & animâ ad inferos rapit. Quo spectaculo plures pœnitentiâ ducti, errores suos execrati, salubriter resipuerunt. Sed minùs id mirandum, hominem perfidum, & heterodoxum animam suam dæmoni inferias dare, & immolare. At hoc in Christianos cadere posse, quis credat? Eò hominem devenire, qui verâ fide credit, *quòd nihil secum auferet*, qui cælum *& thesauros non deficientes sibi repositos*, & horrenda illa, eaque æterna inferorum supplicia, ni resipiscat, sibi novit subeunda, tam insano amore, Deo suo Pluto adhærere, ut in ejus complexu animam exhalare non reformidet? Horresco referens, quod probati auctores in hanc rem adducunt, de viro divitiarum, christianis præceptis à teneris imbuto, qui anima jam in extremis labiis hærente, nihil à Confessario audire voluit de Deo, nihil de cælo, nihil de inferno; sed eo exesse jusso, lancem auro oppletam, sibi ab uxore voluit apportari, eâque illatâ, manus immersit, atque inter aureos nummos, identidem illos volvens, exiliens exclamabat: Tu MEUM NUMEN ES, *tu spes mea, mea voluptas, & vita; quidquid aliud oblatrent Sacerdotes, à te unico opem expecto.* Post hæc, & caput in auro volutans, illudque hinc & inde deosculans, ac velut idolum suum adorans, exitialem animam ad tartara dimisit, & cum divite sepultus est in inferno. Omnia dixi, dum unum Judæ proditoris scelus, qui pecunia Deum, & Dominum suum prodidit, in memoriam revocaro. Non est quòd proditiones urbium, ac regnorum, quæ auro cesserunt, commemorem, cùm hæc unica perfidia tam sacrilegi discipuli, tam infamis à culmine Apostolico apostatæ, viris divitiarum, & aureorum idolorum suorum servitutem servientibus, plusquam satis sit; de quo purpuratus Martyr proprio sanguinis ostro, Carthaginiensis Antistes sic ait: *Judas ille proditor, venditurus magistrum, prætaxatum pretium à Principibus exegit Sacerdotum:* QUID MIHI, *inquit*, VULTIS DARE, ET EGO EUM VOBIS TRADAM? *usque ad mortem Domini, amor lucri se ingerit, nec vita Salvatoris, quæstus desiderium parcit.* Quis hoc immanissimum Judæ scelus, & maximè sacrilegum facinus non execretur, & exhorrescat? Nihilominùs, plures etiam hoc sæculo invenire est Christi proditores, & Judæ sectatores. Ut enim D. Chrysostomi verbis utar: *Ubi obsecro hodie non regnat proditio; omnes fermè proditores facti sunt, & Judæ sectatores,* quos vivis coloribus, ut oculis vestris innotescere possint, scitè depingit magnus ille Franciæ Cancellarius. Exprobramus, inquit, & detestamur " Judæ facinus, nec immeritò quidem, nihilo- " minus tamen quasi singulis diebus similia " peccata, qualia Judas perpetravit, hoc vel illo " modo committimus: Judas avarus fuit, quot " sunt hujusmodi in mundo? Judas ob avari- "
tiam

Execrandum magis, Christianos pro pecunia animam venalem habere.

Stengelius de judiciis divinis, tom. 3. c. 8. Dontermans pædag. christ. c. 7. §. 2.

Avarus moribundus aurū pro Deo adorat.

S. Cyprian. serm. de jejunio, & tentatione.

Avaritia Deū vendidit, ut patet in Juda.

Chrysost. homil. de pseudoprophet. & falsis doctor. tom. 6.

Ioannes Gerson parte 4. sub finem, litt. T.

vitiam magistrum suum vendidit, & Dominum, quoad humanitatem: & ob avaritiam, aut pro alio minori peccato quotidie nos Christum secundùm divinitatem vendimus, ipsum negamus, & prodimus. Judas eleemosynas, & bona pauperum surabatur, ut uxori suæ daret, & filiis. Quæro à vobis, si nonnulli testamentorum executores (& iniqui Judices) sic faciant, aut pejora? Judas noluit prædicatione Christi converti; quot audimus quotidie tam publicas quàm privatas prædicationes; nec tamen in ullo emendamur? &c. Quî igitur multis modis Judæ assimilamur, cur non metuimus, ne et fiamus in pœnâ & obstinatione similes. Proditores, & Judæ æmulatores omnes facti sunt, quicumque noxam lethalem, propter pecuniam, aut lucrum temporale admittere non verentur; sic etenim Ven. Beda: *Multi hodie Iudæ scelus, quòd Dominum, ac Magistrum, Deúmque suum pecuniâ vendiderit, velut immane, & nefarium exhorrent; nec tamen cavent: nam cùm pro muneribus, falsum contra quemque dant testimonium, profectò quia veritatem pro pecuniâ negant, Deum (qui veritas est) pro pecunia vendunt.* Omnes, qui justitiam pecuniâ vendunt, pretio Judices corrumpunt, lites protrahunt, innocentem supprimunt, *Deum, qui justitia est, vendunt*; ita vetus Origenes: *Omnes, qui pro temporalibus rebus justitiam deserunt, Deum, qui est justitia, vendunt.* Quin & in hac classe, sub Juda magistro censendi sunt, qui non solùm à justitia corrupti decedunt, sed etiam, qui pro justa sententia pronuntianda, pretium exigunt; quos meritò insectatur magnus Gregorius, dicens: *Quis non erubescat dicere, quid mihi dabis, ut tibi faciam justitiam? nónne simile est, ac si dicatur: Quid vultis mihi dare, ut abnegem, ut Deum vendam?* O Judas! ô proditores! famam, vitam, cælum, Deum, omnia vendunt, idque non semel ut Judas, sed sæpè, & sæpè sæpiùs. Talis illos exitus, ejusmodi pœnæ manent, qui hîc ita aurum, & Deum suum venerantur, præ reverentia illud attingere non audent, & auream, imò miserrimam, & pauperrimam serviunt idolorum suorum servitutem, ut verè, licèt gentilis Vates cecinit de avaro:

Beda in c. 14 Marci.

Avari testatores Judæ.

Orig. tr. 35 in Matth.

S. Greg. l. 11. mor.

Servitus avari.

Horat. lib. 1. sat. 1.

> Congestis undique nummis
> *Indormis inhians*, & TANQUAM PARCERE SACRIS
> *Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.*

Miseriæ, quibus hic etiam se cruciant avari.

Nam quemadmodum Gentiles idola non tangunt, Numinis reverentiâ, ita Euclioni illi, tangere verentur rutilantes in arca Deos. Colligunt, & coacervant pecuniam, non ut expendant, sed ut servent, & custodiant; eique ut sospitatrici deæ serviant; quam servitutem, ut omnes detestentur, paulò fusiùs prosequar.

S. Ambr. l. de Naboth. c. 4.

Copiosè & ingeniosè Mediolanensis Antistes: *Divites eripitis quidem pauperibus universa, nihil relinquitis; pœnam tamen pauperum, vos potiùs divites sustinetis. Illi jejunant, cùm non habeant; vos jejunatis, cùm habeatis. Vos igitur priùs pœnas exigitis, quàm pauperibus erogetis. Et pauperes quidem non habent, quo utantur; vos autem nec ipsi utimini, nec alios uti sinitis. Eruitis aurum de metalli venis; sed rursum abscondistis. Quantorum vitas in illo abscondistis auro? Cui illa servantur, cùm legeritis de avaro divite: Thesauros condit, & ignorat, cui congregat eos. Hæres otiosus expectat, hæres fastidiosus increpat, quòd serò moriatur. Et propter illum, totis mœstum diebus, toleratis famem: propter illum, diuturna adamatis jejunia.* Quæ quàm vera, & ipsimet exploravi, exemplo confirmar: *Novi ego*, inquit, *divitem in agrum proficiscentem, panes breviores urbe delatos numerare solere, ut pro numero panis æstimaretur, quos dies in agro futurus esset. Nolebat obsignatum aperire horreum, ne quid de condigno imminueretur. Panis unus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiare posset, comperi etiam viri fidem, si quando ei ovum appositum, queri, quòd pullus esset occisus*; hujus genii censeri posset, ut supra memini, qui cùm par ovorum elixum esset, aquam pauperi elargiri jussit. Concludit tandem: *Hoc ego scribo, ut cognoscatis vindicem esse Dei justitiam, quæ lachrymas pauperum, vestro ulciscatur jejunio, & siti divitis, apud inferos numquam saturanda.* Quem D. Ambrosius hîc Euclionem expressit, ut ovum ovo similem nostra ætas protulit, quem ad ruborem, & ad mentem saniorem ejusmodi reducendos, Tollenarius in speculo Ecclesiastico, ut se intueantur, oculis subjicit: "Novi ego, inquit, in Belgio virum, qui cùm hæredi futuro, centena aureorum millia congregasset, ipse seniculus frusto panis, & casei onustus, supra viginti milliaria Italica pedes conficeret. Cùmque meridie refectionis causâ ad hospitium divertisset, prolatis illis suis frustulis, hoc solùm in sumptum adjici voluit, ut caupo medium cerevisiæ poculum sibi promeret. Tum caupo: hoc saltèm, ô bone, genio tuo indulge, ut integrum promam poculum: nam filius tuus ante octiduum rhedâ magnificè vectus, cùm hac iter haberet, in se, suosque liberaliter vino refectus, decem aureos uno prandio expendit; tu saltèm tesqui assis sumptum facere, ne vetere. At ille: Filius meus, qui mundi fastum sequitur, faciat quod se decet, mihi mea sobrietas sufficit." An est quidquam insaniùs? de ejusmodi argutè & acutè quidam dixit:

P. Tollenar in speculo Eccl. l. 2. sec. 6. p. 113

Euclio genium defraudat ut filio bona relinquat, qui ea dilapidat.

Peri guardiru, fils guarderien.

Illud longè indignissimum, quod plerumque omnis laboris, & industriæ fructus, quo genium suum defraudant, & pauperrimam ducunt servitutem, ad ejusmodi devolvitur hæredem, quem ignorent, utrùm sapiens, aut stultus futurus sit; imò (ut ferè sunt heroum filii, noxæ) quem sciant jam fungum esse, ac fucum, stipitem, & caudicem, aut quod detestabilius, filium prodigum, & in omnia flagitia pronum. Hi tales, ubi in congestos acervos inciderint, cum Caligula in auro volutati fuerint, ac luxû, fastumque, & omne scelus paternis laboribus abutuntur. Cabrias, de quo Athenæus, apud Athenienses Princeps, victoriis clarissimus, opimam Cresippo filio hæreditatem reliquerat; ille tamen, postquam decoxisset, etiam lapides paterni sepulchri, in quod mille drachmas populus Athenensis impenderat, impiè prodegit;

Athenæus l. 4. c. 12.

nunc, & nocturnis, diurnisque laboribus corpus exhausti, ut ingrati hæredis luxuriam, sudoris tui, ac sanguinis impendio pascas. I. nunc, & curâ salutis posthabitâ, per fas, & nefas, ingentes thesauros congere, ne desit hæredi quod dissipet. Sic Sapiens vaticinatur: *Viro cupido, & tenaci, sine ratione est substantia, & in bonis illius alius luxuriabitur*. Et ut subdit: *Non jucundabitur in bonis suis*. Vel ipsi gentiles, hanc avari splendidam paupertatem, & miseram servitutem execrati sunt. Venusius Vates sic verè cecinit:

Eccl. c.14. v. 3.

> *An vigilare metu exanimem, noctésque, diésque,*
> *Formidare malos fures, incendia, servos,*
> *Ne te compilent, fugientes: hoc juvat horum*
> *Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.*

Horat. l.2. sat. 1.

Hæc est illa servitus idolorum, quam Deus minatur: *Servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte*; si vel levis ventus, vel musculus noctu murmur concitet, angi, sudare, aures arrigere, strato exilire, si fortè furem deprehendat, qui thesauros expilet, cæterum noctem insomnem docere. Si crebri imbres, si canicula ardentior, cura vexat, & edit, ne calamitas segeti illata sit, ne de messe conclamatum, &c. Has inquietæ mentis vigilias, & curas fusiùs explicat Augustinus: *Quales divitiæ sunt, propter quas latrones times? propter quas times servum, ne te occidat, auferat, & fugiat? Si vera divitiæ essent, securitatem tibi darent; cùm dormis, latrones somnias; in die solicitus, & nocte pavidus.*

Jer.16. 13. Anxia & inquieta avari vita

August. serm. 35. de verbis Dom.

Pecuniæ tortores sunt, & tortore acerbiores, ut cum Chrysostomo loquar, qui die, & nocte cruciant, nec sinunt interquiescere. quod effatum sancti Præsulis, & voce, & re ipsa probavit Sigismundus Imp. Erant illi ex Hungaria delata nummorum aureorum omninò quadraginta millia. De quibus dum sedulò cogitat coocubia nocte, somnum excutit ex oculis, & quietem ex animo: ubi luci redditus, ilicò in aulam Consiliarios evocat, & fortissimos quosque militiæ duces: ad quos apertâ arcâ nummos digito monstrans: *Ecce*, inquit, *crudelissimi hostes, ac tortores acerrimi, à quibus nulla mihi data requies, nullus oculis sopor*. Itaque proinde, eos è gazis educite, & vos inter, æqua sorte dividite. Illis porrò nova eum sarcina nec ingrata discedentibos, subjunxit Cæsar: *Recessit à me tortor, qui me flagellavit: securiùs modò quiescam.* Sed quis hæc avaro persuadeat? quem, ut è sacra sede, quasi è specula contemplatur D. Cyprianus, *inter divitias trepidum, solicitudo discruciat, nec intelligit miser speciosa esse sibi supplicia*. Insuper & nobilitas, & nominis fama, & splendor familiæ, & æstimatio vulgi, à sordidis istis pecuniæ posthabentur. Si tituli Comitis, Baronis, Equitis aurati, argento comparandi sint, quid clamaot: pro vanis titulis, & aliis nominibus quingentos, mille, bis mille Philippeos expendam, ut tantillum ceræ, & chartæ pergamenæ recipiam? nullus fecero. Houestas exigit convivium exstruendum, invitandos, qui te mensæ sæpiùs, & lautis epulis adhiboêre. At sordidus respondet, cras finitis epulis, veniet lanio, aderit caupo, pulsabit fores, qui aves, qui absonia, qui vina volet solvi. Non tanti emo inanem nominis gloriam, & amicorum plausum, ac palpum.

Chrysost. hom. de divite & paupere. Bilunus l. 4. in Alphonso.

Cyprian. epist. 2. ad Donatum.

> *At mihi plaudo*
> *Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.*

Horat. lib. 1. sat. 1

Pergit D. Asterius alios, eorum miserias, easque gravissimas coarrare, quòd morbo dejecti, & variis doloribus conflictati, omnia perpeti, etiam ipsam mortem malint, quàm in sui medelam, incolumitatem, aureum unum, alterumque insumere: *Multos*, inquit, *ipse novi, qui etiam cùm in morbo cubant, pecuniam salute suâ magis ament, & æstiment. Nam si fortè medicus remedium eis parabile præscribit, ac parvi pretii, ex apio puta, thymo, vel anetho, quæ passim obvia sunt, & parvo comparantur; sine morâ consilio obtemperant, si verò medicamentorum ejusmodi mentio, quæ ex pluribus componuntur, vel ex pharmacopolio, vel ex unguentaria, petenda sunt, animam potiùs exhalent, quàm crumenam solvant. Quid mirum, cùm mente, & cogitationibus terreni sint, terrestrium possessionem rerum, vitam & spiritum ducunt.* Sed nihil in hoc genere illustrius, volo dicere fœdiùs, quàm quod idoneus author, Joannes Nider, à fide dignis hominibus se intellexisse, suoque tempore Constantiæ accidisse refert: Quidam collectis multis nummis, iisque partim servandis, partim dissimulandis, in commune valetudinarium, ut pauperculus admitti postulavit, atque inter mendicabula ali impetravit, ubi velut Tantalus inter aquas, maluit carere delitiis, quàm divitiis. Itaque ne suos nummos cogeretur expendere, pulmentis atque olusculis victitavit; magis nummorum suorum clam aspectu, quàm ciborum usu pastus. Postquam satis diu hanc pauperem vitam, homo dives toleravit, tandem morbo afflictus, mortem sensit in foribus esse, dolensque, quam unicè deperibat, pecuniam deserendam, quâ neque ipse usus fuerat, nec alios gaudere volebat, mirabile ac misetabile consilium cœpit: *Siquidem de farina avenæ sibi pulmentum impatientissimè clamabat præparandum; quod cùm factum esset, sedit ægrotus solus, more solito in lecto, & loco micarum panis, minutatim spargere cœpit denarios, quos occultaverat in pulmentum avenaceum*, quasi panem interetet. Quis non exclamet: *O auri sacra fames!* ne aliis quod acervârat, relinqueret, ipse devoravit, sed non sine divina nemesi: nam ubi arrepto cochleari avidissimè argenteam offam cœpit ori inferre, ilicò suffocatus est, atque ita ad Plutonem, cum Pluto suo, divitiarum Deo, rectà descendisse timendum est. O detestandam! ô diabolicam avarorum hominum servitutem! Alia quidem flagitia fructum aliquem habent suæ nequitiæ: luxuriosus fruitur carnis deliciis: temulentus reficit palatum exquisitis massicis: superbus exultat titulis, & honoribus. At avari hîc, ut miserrimi ac pauperrimi, miserabiliores sunt omnibus hominibus. Quæ dæmonis mancipia, & martyres diaboli, graviora hîc martyribus patiuntur supplicia, & dein æternis cruciantur incendiis. Sanè Petrus Blesensis, habitationem avari describens, speciem inferni ob oculos ponit: *Est*, inquit, *quædam imago miseriæ infernalis in vita, & operibus tuis* (ô avare) *tota*

S. Asterius hom. de avaritia.

Joan. Nider. l. 5. c. Formicarum, &c. lib. de divitiis c. 7.

Pet. Blesens. ep. 91.

tota ferè facies inferni depingitur : nec enim deest tibi unda Tantali, Titii jecur, rota Ixionis, urna Danaidum, saxum Sisyphi, dum inter divitias esuris, dum sollicitudinibus anxiaris, dum cupiditate torqueris, dum ad illicita raperis, dum in saccum pertusum congregas, dum congregando divitias, labore continuo, & supervacuo te affligis. Quis autem Martyrium Christi ea pertulit, quæ inferi, quæ dives sepultus in inferno? Sed & Augustinus, avari tormenta, gravissimis Martyrum nostrorum rectè comparavit: AVARUS *dicit in corde suo, quia fortè non audet linguâ suâ, quis nos separabit à cupiditate auri? Tribulatio, an angustia: an persecutio? Possunt & AVARI dicere auro: Propter te occidimur tota die. Optimè ergò dicunt sancti Martyres in Psalmo: Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta. Discerne, inquit, tribulationem meam: tribulantur & AVARI. Discerne angustias meas, patiuntur angustias & AVARI. Discerne persecutiones meas, patiuntur & AVARI. Discerne mortem meam, pro auro moriuntur & AVARI. Quid est, discerne causam meam? Propter te mortificamur tota die; illi propter aurum, nos propter te; similes pœna, sed discreta causa.* Similes pœnæ; sed hi pro pœnis æterna præmia; illi verò post pœnas temporales, supplicia æterna. Hæc avari audiunt, hæc credunt, & non resipiscunt.

Aug. ser. 50. de Sanctis.

§. III.

Inter peccatores omnes, maximè miraculosa conversio S. Matthæi, & hominis avari.

Quomodo peccatoris conversio, omnium miraculorum maximũ censeatur.

EX nihilo aliquid fieri, infinitam ex se tequirit potentiam; sic ut solius Dei sit, creationis actio; atque ita solius, ut nec per divinam potentiam possit actio creandi alicui creaturæ communicari, sic ut sit principale agens creationis, ut vult S. Thomas 1. p. q. 113. a. 9. *Creare non potest esse propria actio, nisi solius Dei.* Quod probat ex Augustino: *Quòd neque boni, neque mali Angeli possunt esse creatores alicujus rei, multò minùs igitur alia creatura.* Confirmat idipsum egregiè S. Athanasius: *Administrare,* ait, *creaturarum & servorum est, condere autem, & creare, solius Dei, ejúsque verbi, & sapientiæ,* ut fusiùs apud Theologos videre est. Verum enimverò, aliud opus longè excellentius, multò potentius est, ipsa justificatio impii, & conversio peccatoris, quæ si non in modo, quia ex nihilo fit, certè in mole, & magnitudine, exsuperat ipsam mundi creationem; cùm hæc ordinetur ad bonum temporale creaturæ; opus verò justificationis, ad bonum æternum, ut cum Scholasticis disertè Doctor Doctorum Aquinas 1. 2. q. 113. a. 9. *Utrùm justificatio impii, sit maximum opus Dei?* Probat id primùm, quia in collecta dicitur: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas.* 2dò probat ex Augustino tract. 72. in Joan. c. 14. *Majora horum facies*; ubi sic ait: *Majus opus est, ut ex impio justus fiat, quàm creare cælum & terram.* Ex quibus concludit: *Quòd majus est opus justificatio impii, quia terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, quàm creatio cæli & terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis.* Et ideò Augustinus: *Cælum enim, & terra transibit; prædestinatorum autem salus, & justificatio permanebit.* Quod ex altero quoque capite manifestum erit, si attendas, quanta facilitate Deus mundum creavit: *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt,* paucorum dierum spatio, veluti ludens, Prov. 8. *Ludens in orbe terrarum*; at ut hominem justificaret, quantum laboravit? Hoc meritò expendit in Claravalle sua Doctor mellifluus, & cuique vestrûm ruminandum proponit: *Ipse dixit, & facta sunt. Memento jam te, etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia; at verò per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terræ.* O *quantum laboravit sustinens!* non modò ut nos redimeret; sed ut qui passionis ejus, & sanguinis particeps non erant, gratiam mererentur, qua ad se potenter peccatores pertraheret. Accedit, creationem cælorum, ac cælestium luminarium, extremis veluti potentiæ sua digitis peregisse, cùm sic clamet Psaltes regius: *Videbo cælos tuos*, OPERA DIGITORUM TUORUM, *lunam, & stellas, quæ tu fundasti*; ubi verò de sua, aliorumque justificatione agit, super omnia opera miserationes Dei extollens, in has voces prorumpit: *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Valido brachio, & potenti manu opus est, ut quis quercum ingentem, radicibus suis terræ infixam, stirpitùs evellat, non digitorum hoc opus est; ita potentis opus dexteræ fuit, quæ Matthæum terrenis radicitùs hærentem evulsit; qua similitudine usus est, è purpuratorum PP. Senatu, Petrus Damiani: *Dominus publicanum in contubernium proprii comitatus adlegit: Sequere me, inquit, me, & surgens secutus est eum.* QUAM FORTIS, ET VALIDA MANUS *hujus cælestis agricolæ, arborem terræ radicitùs inhærentem, & mundanæ concupiscentiæ tenaciter incubantem, mox ut concussit, evulsit, asportavit, & in terra viventium transplantavit, ubi videlicet justus ut palma florebit, idque per immutationem* DEXTERÆ EXCELSI. Hoc opus *dexteræ*, adeò potens, ut omnia veteris, & novæ legis miracula, illi concedere debere, Doctores omnes fateantur. Miramini, si lubet, & contemplamini, quæ Deus olim magnalia, & mirabilia patravit: *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Multa quidem in terra Ægypti signa & prodigia edidit; sed longè alia per gratiam: *Quod majus potest esse prodigium,* ait Cassianus, *quàm sub momento ex avidissimo, ex rapacissimis publicanis Apostolos fieri: ex persecutoribus truculentis, Prædicatores Evangelii patientissimos reddi? ita ut eam, quam persequebantur fidem, etiam effusione sui sanguinis propagarint? illa sunt opera Dei*, usurarium relictis omnibus, nudum Christum sequi. Hoc opus adeò divinum, adeò mirandum, ac prædicandum, ut Magnus Gregorius maximæ stupendæ suscitationi Lazari putet præferendum: *Majus, inquit, est miraculum peccatorem convertere,* quàm

De Ponte in Matt. c. 9. p. 246. Aug. l. 3. de Trinit. c. 8. Athanas. ser. 3. contra Arrianos.

S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 9.

Psal. 148. v. 5. Aug. l. 4. de gen. ad litt. c 11. Bern. in Cant. ser. XI. Psal. 8. 4. Psal. 76. Pet. Dam. serm. 51 de S. Matth. Psal. 45. Conversio peccatoris instanti. Cassian. coll. 2. c. 12 S. Gregor. l. 3. dial. c. 17.

quàm carne mortuum suscitare: rationem subdit: *In isto enim resuscitatur caro iterum moritura; in illo verò, anima in æternum victura.* Tum resuscitationem Lazari, & conversionem Pauli inter se confert: *Propono*, inquit, *duos, in quo horum existimas majori factum virtute miraculum? Lazarum quippe, quem jam fidelem credimus fuisse, carne Dominus suscitavit; Saulum verò resuscitavit in mente. Et quidem post resurrectionem carnis, de Lazari virtutibus tacetur: at post resurrectionem animæ, capere nostra infirmitas non valet, quanta in sacro eloquio de Pauli virtutibus dicuntur*; quas ubi paucis enarravit, sic concludit: *Ecce qualiter vivit, qui ab inferno, mente ad vitam pietatis rediit. Minus est ergo quempiam in carne suscitari, quàm mente.* Hactenùs summus Pontifex, & Doctor egregius, mirabiliorem, & excellentiorem conversionem Pauli, quàm resuscitationem Lazari probavit: nunc si conversionem Matthæi mirabiliorem, atque potentiorem Pauli demonstrato, nónne majus miraculum esse, quàm Lazarum mortuum in vitam revocari comprobato? Joannes de Turrecremata in quæstionibus Evangelicis disceptat: *An conversio S. Matthæi fuerit miraculosa?* & respondet, quòd mirabilis fuerit ex multiplici parte. Primò ex parte Christi vocantis, quia Christus vocavit illum adhuc à malis non desistentem, quia occupatum in telonio, vocavit ad gratiam, & hoc ideo, ut nullus desperaret. Aureæ eloquentiæ flumen Chrysostomus: *Per hoc*, inquit, *monstrat vocantis virtutem, cùm non desistentem à periculoso officio, ex mediis ipsum evulsit malis, sicut & Paulum adhuc insanientem.* Secundò mirabilis fuit ex parte vocati, quomodo ita subitò, ad unicum verbum secutus est Christum, sine viso miraculo. Ubi notandum, non solùm miracula in substantia, ut Theologi loquuntur, sed & in modo omnibus admirationi esse. Sic subitas, & instantaneas morborum curationes obstupescimus, & altiori virtuti meritò adscribimus: at subita telonarii conversio, & repentina salus, longè plùs admirationis, ac stuporis, sibi jure postulare videtur. Unde glossa in illud: *Statim secutus est eum*, in momento, in instanti, relictis omnibus chartis, codicillis, apochis, saccis, capsis auro & argento refertis, sic habet: *Matthæus vocationem suam refert inter miracula: magnum enim miraculum fuit, quòd publicanus factus fuit Apostolus.* Nam, ut dilucidè Doctor Angelicus, quando in instanti aliquis fit sanus, præter solitum curationis cursum, inter miraculorum genera censetur; ita repentina, & præter ordinem justificatio, erit miraculosa. *Est enim communis, & consuetus cursus justificationis, ut Deo movente interiùs animam, homo convertatur ad Deum. Primò quidem conversione imperfectâ, ut posteà ad perfectam deveniat.* Quo modo, quando sic procedit, *justificatio non erit* miraculosa; *at quando*, ait, *tam vehementer Deus animam movet, ut statim quandam perfectionem justitiæ assequatur, sicut fuit in conversione Pauli, tunc est miraculosa.* Tertiò fuit mirabilis ex parte officii, de quo vocatus est; nam vocatus est de telonio, sicut Petrus de piscatione, ut probat Chrysostomus à majori & fortiori: sicut piscatore nihil est utiliùs, sic telonii officio nihil est deteriùs & periculosiùs. Laurentius Justinianus Patriarcha Venetus, conferens S. Pauli, & Matthæi mirabilem conversionem, *opus hîc dexteræ Excelsi* agnoscit, alludens ad illud Deuteron. 32. *Ego occidam, & vivere faciam; percutiam, & ego sanabo*, ubi sic ait: *An non occisus, & vivificatus est Paulus, percussus, atque sanatus? Numquid ad vitam Matthæus non est erectus Apostolus, atque sanatus à crimine? nam quemadmodum persequendi crudelitas est extincta in Paulo, ita avaritiæ cupiditas occisa Matthæo deperiit. O felix hæc mutatio dexteræ Excelsi, quæ de persecutore Doctorem eximium, & de publicano fecit Apostolum.* Vides hîc Paulo Matthæum conferri, de cujus conversione, cùm D. Thomas senserit, & scripserit: *Conversio Pauli tanquam miraculosa in Ecclesia commemoratur celebriter*, probandum mihi superest, conversionem Publicani in Evangelistam, & telonarii in Apostolum, multò magis miraculosam exstitisse. Audiendus hîc cumprimis eruditissimus interpres in Matthæum, Laurentius Deaponte, qui asserit, magis miraculosam fuisse sancti Matthæi conversionem, quàm sancti Pauli, & ampliorem motionem fuisse, & divinum impulsum in Matthæum, quàm in Paulum, quia si officium Pauli tunc consideres, & negotium quod tractabat, zelum indiscretum contra rationem, & ex quo facilè reduceretur, dumtaxat invenies. At abstrahere cor divitiis deditum, & avaritiâ inescatum, & totum ad aurum conversum, imò tunc de illo tractantem, cogitantem, discurrentem, quod solum sonant illa verba: *Sedentem in telonio, non solùm plùs quàm Pauli conversio fuit miraculosa sanctissimi nostri Matthæi*; imò ampliùs Christi gloriosam, ampliusque ejus infinitam demonstrans potestatē, efficaciam, ac Deitatem. Quod secundò sic probat: ad convertendum Saulum, potentissima adhibuit motiva externa, quæ etiam, quamtumvis obduratum, permoverent: E cælo ipse Christus spectabilis descendit, altissimè intonuit, querelas addidit, circumfulsit lux, tandem potentissimè dejecit. Quis miretur Saulem contra tam potentem stimulum non recalcitrasse? At in conversione S. Matthæi, *vidit tantùm*, dulciter vocavit: *Sequere me, & statim secutus est eum*, verissima conversione; ut sic divitias, ac nummorum amorem deseruerit, vitamque Christi pauperem sit amplexatus, ut nec divitiarum memoria ampliùs apud eum steterit. Quod quàm prodigiosum sit, & longè super Pauli conversionem, & omnia Christi miracula deprædicandum, pluribus prosequemur, ubi ex ape Claravallensi, mella collegerimus: *Video*, inquit Bernardus, *Matthæum de telonio, ad Apostolatus culmen assumptum*: illumque cum Paulo conferens, subdit: *Sic de Saulo, factus repentè Paulus, repentè vas electionis, repentè Doctor gentium, in exemplum adducitur, hoc exempli enervat similitudinem, quòd ille ideò misericordiam consecutus sit, quia ignorans, ipso teste, peccavit, manens in incredulitate. Quamquam si tale quippiam, quandoque benè & utiliter factum fuisse agnoscitur (de quo veraciter dici posset*

Margin notes: Plùs est peccatorem convertere, quam mortuum suscitare. — Conversio Matthæi miraculosa. — *Joan. de Turrecremata, quæst. Evang. ser. in festo S. Matthæi.* — *Chrysost. hom. 11. cit. ad Th. in c. 9. Matth.* — *Glossa in Matt. c. 9.* — *S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 10.* — *Laur. Justinian. serm. de S. Matthæo.* — *Idem ibid.* — *S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 10.* — Conversio Matthæi magis miraculosa probatur, quàm Pauli. — *Deaponte in Matth. c. 9. annot. 97.* — *Bern. ep. 8. ad Brunonem.* — *1 Tim. 1. 13.*

hac

Psal. 76. *hac mutatio dexteræ excelsi) non tam exemplū, quàm miraculum afferri debeat*. Paulus cælo indiscreto, ignorantiâ peccavit; Matthæus, & omnis usurarius, propria contra naturam, & conscientiam malitiâ, atque ut antea probavimus, non modò infideli deterior, sed & idololatrâ, aurum & argentum, Plutum, ac Mammon adorans. Ejusmodi quàm prodigiosa, ac miraculosa, & propè impossibilis sit conversio, declaravit prima Veritas Marci 10. v. 17. accurrens adolescens, & ad genua Jesu se prosternens, ait: *Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam?* ubi solerter observat Victor Antiochenus, non simulato animo, sed sincero salutis consequendæ zelo, hunc adolescentem à Christo certum vitæ æternæ consequendæ modum, & methodum petiisse: *Ostendens se planè accinctum, ad id totum implendum, & servandum, quod ejus causâ præciperetur*. Quod & Christus non ignorans, promptam ejus acceptans voluntatem, sic ad illum: *Præcepta nôsti: ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem feceris: honora patrem tuum, ac matrem*. Ad quæ ille respondens, ait: Magister, *hæc omnia observavi à juventute mea*. Quod veraciter dixit, subdit enim Evangelista: *Iesus autem intuitus eum, dilexit eum*. Unde Origenes ait: *Quòd dilexit eum, vel osculatus est eum, videtur affirmasse professionem ejus, qui dixit se omnia illa implesse*. Advertit hic eruditissimus Interpres, adolescentem hunc in observatione mandatorum nullam difficultatem, luctam, aut tentationem à diabolo passum, ejusque caussam reddit, quòd diabolus illum vinctum, & astrictum teneret, vinculis avaritiæ, & morbo divitiarum velut incurabili laborantem, qui se aperuit, ubi Redemptor noster illum ad altiorem perfectionis gradum evehere volens, dixit: *Vade, quæcumque habes, vende, & da pauperibus*; quibus auditis, *contristatus in verbo abiit mœrens*; rationem subdit: *erat enim habens multas possessiones*, quas deserere ita illi difficile, & quasi impossibile videbatur, ut potiùs cælestes thesauros, & vitam æternam præ aliis despexerit, ac nequidem cogitationē ad eam obtinendā ampliùs adjecerit. *Vna enim illa voce ita consternatus fuit, ut de vita æterna, ne cogitare quidem potuerit; sed tristis, mœrensque statim abierit*. Atque ut cognoscas, quàm difficilè sit divitem intrare in regnum cælorum, subnectit: *Morbo tenebatur longè difficillimo*, quem curare magnum sanè prodigium, nec usitatum miraculum; liquet hoc, ipsius primæ Veritatis testimonio, nam ubi hic adolescens tristis, & mœrens abierat, admirantibus discipulis, majorem velut stuporem injecit, dicens: *Filioli, quàm difficile est confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire!* Observat venerabilis Beda, non omnes divites hîc redargui, nec divitias obicem, aut remoram esse ad regnum cælorum; sed iis dumtaxat, qui in iis confidunt, tanquam in Deo suo: *Inter pecunias*, inquit, *habere, & amare, multa distantia est. Vnde & Salomon non ait: Qui habet, sed qui amat pecunias fructum non capiet ex illis*. Abraham, Isaac, & Jacob terrenas divitias habuerunt. Chrysologus: *Abraham dives, dives Iob, David dives. Et quid Abraham beatiùs? quid fortiùs Iob? Quid David sanctiùs? Iob in ipsis divitiarum machinis diabolum vicit, & nobis vincendi reliquit exemplum. Abraham sic possedit divitias, ut eas sæpe oblatas contemneret, haberet eas ad largitatis materiam, non ad cupiditatis incendium*; nihilominus quàm difficilè sit divitiis uti, quemadmodum Sancti illi usi sunt, quàmque potenti Dei manu, & prodigioso miraculo opus sit, ut divites pecuniis onusti, regnum cælorum ingrediantur, adumbratum habemus Exodi 14. Exodi c. 14 ubi fecit mirabilia magna, ut filii Israël transirent in terram promissionis per mare rubrum, divisi sunt fluctus ejus, & velut muri crystallini, steterunt hinc inde montes aquarum. Cur divina sapientia tam stupendo prodigio electum populum ad optatas sedes traducere voluit? Cur non navibus transvexit? aut si tantæ multitudini nulli classes suffecissent, cur non undis solidatis super aquas ambulare jussit, ut postea Christus, & Petrus fecêre? Nimirùm Israëlitæ incedebant onusti divitiis Ægyptiorum, quæ illos gravi pondere premebant, unde solidum requirebant pavimentum, quod illis Deus in potenti manu, & brachio forti aperuit: Terra sancta, cælestis patriæ typus fuit, ad quam divites, auro & argento onusti, nequeunt venire communi modo, ac veluti navigando: nec more Christi, aut Petri imitatione, quia hi sine ullis divitiarum sarcinis incedebant: Christus enim *non habebat, ubi caput reclinaret*; Petrus autem dicebat: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Hinc facilè super aquas ambulabant. At qui se oneribus Ægypti gravant, & divitiarum pondere pressi, ad terram æternæ promissionis volunt pervenire, possunt quidē, ut D. Augustinus copiosè ostendit; attamen eget non vulgari, sed peculiari, ac potenti divinæ gratiæ auxilio, ut sese illis tot maria periculorum aperiant, per quæ tuti gradiantur, neque in scopulos impingant, aut fluctibus sæcularium curarum hauriantur. O quot hoc divitiarum mare non cum Israëlitis; sed cum Ægyptiis ingrediuntur, & merguntur! Gravant eos annuli in digitis, uniones in auribus, torques in collo, aurum in vestibus, argentum in crumena: gravant eos capsæ, & sacci nummis oppleti: gravant agri, & fundi, gravant vasta atria, & excelsa ædificia. Cum tot oneribus, ad terram benedictam viventium, sine grandi miraculo, & potenti dexterâ excelsi, non pervenitur. Adeò ut Carolus Scribanius, eâ quâ pollebat animarum tractandarum experientiâ, affirmare ausus sit: ex 100. luxuriosis, facilè 30. salvari; ex 100. superbis, bene 50. sed ex 100. avaris, vix tres, idque ob tenacitatem eorum, & difficultatem restitutionis. Plus dico, qui cor divitiis apponunt, non modò illis difficilè, sed ut Chrysostomus loquitur, Christus *dicens difficilè, ostendit impossibilè*, hoc est, humanitùs loquendo; nam altiori virtute, & potenti Dei gratiâ opus est, ut quasi miraculosè avari *confidentes in pecuniis* convertantur. Impossibilitatem autem illam declarat manifesta similitudine, & inculcat hisce verbis: *Iterum dico vobis, faciliùs est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum*. Hæc communis apud Judæos parœmia erat, ut volentes significare rem impossibilem, dicerent, faciliùs transiuit camelus per foramen acus, quàm ista res fiat. Similia vulgò proverbia jactantur: Faciliùs testudo leporem prævertet, lupus ovem ducat uxo-

Victor Antioch in Marc. c. 10

Origen. tract. 8. in Matth. Deponte in Matt. cit.

Quàm propè impossibilis, & maximè miraculosa avari conversio

Victor Antioch. cit.

Marci 10.

Beda apud D. Tho. in c. 19. Matt.

Chrysolog. serm. 28.

Matth. 8. 20.

Luc. 9. 58.

Matth. 19. 27.

Augustin. ep. 89. ad Hilarium.

Chrysost. hom. 64. in Matth.

Matth. 19 v. 24.

Corn. hic.

uxorem: Citiùs locusta bovem pariet, Aquilam testudo vincet: Priùs cælum ruat, & ut Poëta:

Ovid. in Ibin.

Desinet ipse priùs contrarius ignibus humor,
Junctaque cum luna, lumina Solis erunt:
Et ver autumno, brumæ miscebitur æstas:
Atque eadem regio, vesper, & ortus erit.

Idem lib. 1. Trist.

Terra feret stellas, cælum findetur aratro,
Unda dabit flammas, & dabit ignis aquas.

Jerem. 13. v. 23. Eodem spectat illud Jeremiæ: *Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malè.* Quæ certè nemo non videt, humanitùs loquendo, impossibilia esse. *Matth. 19 v. 25.* *Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit salvus esse?* nam sive camelus sumatur pro animali gibboso, sive ut Theophylactus, pro rudente, seu fune nautico, qui græcè κάμηλος dicitur, res omninò impossibilis habetur. Imò faciliùs camelus transibit per foramen acus, quàm dives per angustam portam cæli: nam, ut Hugo Card. in c. 10. Marci: *Hugo Car. in cap. 10 Marci.* *Camelus unum pondus habet, sed dives duo, unum terrenarum possessionum, aliud peccatorum.* Ut hoc igitur Redemptor noster, opus dexteræ Excelsi demonstret, & omnipotentiæ suæ reservatum: *Dixit illis, apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt:* quod expendēs Chrysostomus, sic ore aureo profatur: *Chrysost. hom. 64. in Matth.* *Ideo hoc opus Dei esse dixit, ut ostenderet, quàm multa opus est gratia, qui ad hoc à Deo dirigitur,* ut deposito gibbo pecuniarum, & onere divitiarum, Christum nudum, & pauperem, pauper, & nudus sequatur; aut saltèm cor, & animum à divitiis avocet: *Quàm difficulter dives intret in regnum cælorum.* *Quomodo,* inquit S. Thomas, *S. Thom. in Matt. c. 19* *in Evangelio Matthæus, & Joseph (& Zachæus) vel in veteri testamento, plurimi divites intraverunt in regnum Dei? nisi fortè quia pecunias pro nihilo habere, vel in toto relinquere, Domino inspirante, didicerunt?* Mysticè Cornelius, *Corn. in Matt. cit.* & ad mures, dicit camelos id est, divites hosce, opibus tumidos, & superbos, per gratiam Christi, deposito divitiarum gibbo, ingressuros Ecclesiam, quasi per foramen acus, id est, per angustias paupertatis, humilitatis, & aratam legis Evangelicæ viam, juxta illud Isaiæ c. 60, *Inundatio camelorum operiet te.* Quod scitè exponit Hugo Card. *Hugo Car. in cap. 60. Isaiæ.* *Per camelos,* inquit, *intelliguntur divites, vel omnes gibbo peccatorum, & divitiarum gravati; qui quando pœnitent à suis cupiditatibus, Ecclesiam in pauperibus suis, operiunt muneribus, & eleëmosynis copiosis.* Illustria in hanc rem exempla adducit S. Hieronymus, dicens: *Divites quomodo per foramen acus intrare possint regnum cælorum.* *Talis fuit, sanctæ memoria, mater tua Paula, frater que Pammachius, qui per foramen acus, id est, arctam, angustamque viam, qua ducit ad vitam, transierunt: latamque viam cum sarcinis relinquentes, qua ducit ad tartarum, quidquid habebant, in Domini dona portarunt, implentes illud:* *Prov. 13.* *Redemptio viri, propria pecunia: quæ enim apud homines impossibilia, apud Deum possibilia sunt.* *Redemptio animæ viri, divitiis.* Impossibile est, ut vas vinu oppletum, laxato epistomio, vel guttam fundat, nisi supernè respiratio detur, & aura cælestis succedat, idq; timore vacui, à quo natura abhorret, ut in præfixo emblemate patet, adjecto lemmate: *Nil dat, quod abundat,*

Virg. Georg. 3.

nisi *tractus ab alto spiritus,*

Non minus impossibile est, ut avarus, ex vasis auro plenis, ex capsis, & crumenis pecuniâ oppletis, idque solo timore vacui, vel unum teruncium effluere sinat, nisi divinioris auræ spiritus intrarit; qui, quæ humanitùs impossibilia, possibilia reddit, & omnia in sinum pauperum, & in gloriam Dei largissimè diffluere facit, ut in Matthæo videre est, qui ad vocem Domini, cælesti radio intus collustratus, relictis omnibus, secutus est eum. Hoc experta fuit, quæ de se Canticorum 5. fatetur: *Cant. 5. moraliter exponitur.* *Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est mihi:* ilico enim & manus, & digiti, & oculi stillarunt, atque ex omnibus membris fluxêre vanitates, divitiæ, & insaniæ falsæ ex digitis annuli, ex brachiis armillæ, ex manibus candidulæ chirothecæ, flabella specilla: ex collo uniones, colaria: è fronte & genis cerusa, pigmenta mutcæ: ex pectore fasciæ, monilia: ex capite, cincinni, lemnisci, acus, diademata, flosculi, pulvisculi: ex pedibus sandalia, rosæ gemmeæ, acupicti calcioli: ex toto corpore, omnes pallæ, & syrmata, & modi omnes maximè vani, & varii. Atque ita anima vana, & mundana, versa est in animam cælestem, ac divinam: *Non igitur mirum,* exclamat Doctor Seraphicus, *Bonav. stimuli amoris p. 1. c. 8.* *si ad verbum tuum liquescit cor meum, imo de cetero, totus accendar, & totaliter liquefiam: ut in te totaliter sim effusus.* Sic ex Publicano Apostolus, & Evangelista, in Deum effusus, ut nihil sibi reservarit.

Quid ad hæc, vos opulenti, viri divitiutum, quos frustra adhortatus fuero, ut exemplo Matthæi, omnes opes, facultates, & divitias relinquatis, & in pauperis sinus effluere faciatis, imitandis, cum Bernardo, libentiùs immoror, quàm admirandis; quare praxim suggero, qua per foramen, acus, in regnum cælorum intrare valeatis. Funis nauticus, qui camelus græcè dicitur, quamtumvis crassus, per foramen acus transire potest, si in tenuissima licia, aut fila resolvatur. Haud aliter, si & vos ex vasis vini, quibus caveæ: ex ingenti acervo frumenti, quo solaria, & horrea: ex cumulo auri, & argenti, cistæ, & capsæ vestræ redundant, pauperibus esurientibus, sitientibus, egentibus, diebus singulis aliquid affluere faciatis, per foramen acus, hoc est, per angustum mendicantium guttur, tractu temporis, integra dolia, & saccos, & crumenas transire comperietis (ut helluones indies experiuntur in se) atque ita per angustam portam intrare, & in cælum evolare poteritis, ut illud hîc Hieronymi usurpare possim: *S. Hieron. epist. 9. ad Salvinam.* *Didicimus quomodo camelus introire possit per foramen acus, & quomodo animal tortuosum assumat sibi pennas columbæ deposito pondere sarcinarum.* Vidit hodie Judæa, clarum & maximum inter pauca miraculum: camelum scilicet, per angustias acus se penetrantem. Juvat hîc exclamare cum D. Eusebio Gallicano: *Euseb. Gallic. serm. 2. in Epiph.* *Qua potest Deus majora exercere miracula, quàm quando hominem de substantia pulveris, in Angeli statum provehit?* Hæc eximia dexteræ Excelsi facinora, nemo desperet. Avari Euchones, qui in pulvere terræ, & pretioso luto demersi, angustam portam sedis confessionalis ingressi, per gratiam in sacra exomologesi, uno verbo, in Angelorum statum provehuntur. At ne verbis inhærere videar, praxim ostendo, modum exhibeo, methodum propono, ut quemadmo-

modum Matthæus, homo avarus, usurarius, per foramen acus transivit, & viam facilem, divitibus difficilem, in cælum invenit, & vos transire, & invenire quàm facillimè possitis. Disertissimus S. Pauli encomiastes Chrysostomus, illud solerti suo ingenio annotavit, animalia, qualia in arcam ingressa, talia egressa fuisse: *Ingressus*, inquit, *est milvus, egressus est milvus: introivit lupus, exiit lupus*. Et sic de cæteris. Paulus verò, *ut Ecclesiam arca præstantiorem: ingressus est milvus, egreditur columba: introivit lupus, exiit ovis: ingressus est serpens, egressus est agnus, non quidem immutata natura, sed exclusa malitia.* Sic ubi arcam Ecclesiæ Matthæus intravit, metamorphosim notavit Doctor Angelicus: *Ipse de Publicano in Apostolum est repentè mutatus.*

...ysost. ...om. in ...iam.

S. Thom. in c. 9. Matth.

Vincent. Ferrar. Dom. 3. post Octav. Epiph.

Sedes confessionalis, arcæ Noë comparatur mirabili metamorphosi

Ierem. 13. v. 23.

Nunc, quod vos spectat, divinissimus Ecclesiastes sanctus Vincentius, arcam Noë, Sacramento Pœnitentiæ, atque adeò sedi confessionali (quæ arca longè præstantior) conferre non dubitavit: hanc etenim ingressus milvus carnivorus, spirans vindictam, egreditur columba sine felle. Intrat lupus, aut leo, iracundiâ & rabie omnia devastans, & evertens domesticos suos, & exit ovis mansuetudine. Ingreditur serpens callidus, & versipellis, & exit agnus totus innocens, & sincerus. Subintrat porcus immunditiæ sordibus coinquinatus, & egreditur candidissimis castimoniæ pennis insignis cygnus. Ingreditur camelus, avaritiæ gibbo gravatus, & evolat omnibus spretis, avis paradisi. *Non quidem immutata natura, sed expiata malitia.* Sic potest *camelus transire per foramen acus, & æthiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas.* Quod irrefragabilis D. Hieronymi auctoritas, & ratio convincit, qui sic arguit eos, *qui hoc testimonio Ieremiæ utuntur adversus Ecclesiam, & tantam dicunt esse vel nigredinem, vel varietatem peccatorum, ut in candorem, & unius coloris pulchritudinem transire non possit: non attendentes hoc, quod sequitur (& vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum) quidquid enim desciitur, non naturæ, sed studii, & propria voluntatis est, quæ nimia consuetudine, & amore peccandi, quodammodo in naturam convertitur; sed hoc, quod hominibus impossibile est, Deo possibile est, ut nequaquam æthiops & pardus suam videantur mutare naturam; sed ille, qui in æthiope operatur & pardo, dicente Apostolo: Omnia possum in eo, qui me confortat.* Quod ipsum manifestiùs declarat, & confirmat commentar. in c. 3. Sophoniæ: *Si notaverimus*, ait, *in omnibus Scripturis, æthiopes eos appellari, qui penitùs in vitia sunt demersi, secundùm illud, quod in Ieremia legimus:* SI MUTABIT ÆTHIOPS PELLEM SUAM, *æthiopibus ad meliora conversis spes erit: nullumque qui voluerit agere pœnitentiam, à salute alienum fore. Unde & priùs anima polluta, & delictorum sordibus inquinata,* Cant. 1. *dicit: Nigra sum, & postea in fine Cantici Canticorum, de eadem jam purgata & lota per pœnitentiam, scribitur: Quæ est ista, quæ ascendit dealbata?* Quin & innumeræ pœnitentes animæ, quæ antea per enormia scelera æthiopissæ erant, mutarunt pellem suam, & sponsæ filii Dei adlectæ sunt. Sic *quod hominibus impossibile, Deo possibile est*, ut corvus in cygnum, lupus in ovem, milvus in columbam mutetur, & quod non minus impossibile, camelus per foramen acus

Hieron. in Ierem. c. 39.

transeat. Qui ejusmodi in Matthæo, in Zachæo, aliisque divinam metamorphosim, & mirabilem conversionem obstupescitis, in vobis ipsis, cùm lubuerit, hanc arcam ingrediendo, experiri potestis. Gratia Dei adjuti nimium omnem, & noxium erga divitias affectum exuetis, si quid per adulterinas merces, per fraudes, perjuria, falsas syngraphas conquisitum, à viduis & pupillis injustè extortum, restituendum audietis, & facietis.

Ioan. 14.

Inter miranda quàm maximè divinæ potentiæ opera, inter quamtumvis illustris, quæ usquam patrata miracula, nullum opus Excelsi, æquè mirandum juxta ac prædicandum, quàm conversionem peccatoris, disertè affirmavit Augustinus, ponderans quippe illa Redemptoris verba: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Primâ fronte hæc difficilia censet explicatu: quamvis enim umbra Petri, & hemicinctia Pauli, prodigiosa Christi opera admirabilitate excessisse viderentur; id tamen eximiis dumtaxat, iisque paucissimis viris, per gratias gratis datas, concessum. Christus autem ad omnes fideles loquitur: *Qui credit in me, &c.* Solvit igitur quæstionem D. Augustinus, dicens: Opus maximè admirandum à fidelibus patrari per justificationem, quæ omnibus cæteris excellentius miraculum est. Redemptor noster complures subitò curavit, mortuos in vitam revocavit, nihilominùs asserit hic sanctus Doctor: *Si hominem te fecit Deus, & tu facis teipsum justum, meliùs aliquid facis, quàm fecit Deus*: quia quod Deus per se non potest, salvâ tuâ libertate, hoc facit homo, Dei gratiâ adjutus, suâ propriâ voluntate. Redemptor noster & cæcos, & surdos, & claudos, & paralyticos, subitò curavit; *at dum tu* (potenti Dei gratiâ adjutus) *facis teipsum justum, meliùs aliquid* (& majus) *facis, quàm fecit Deus*, quam conversionem, & sanitatem, ac salutem animæ, Chrysostomus præponit præclarissimis quibusque Christi miraculis: *Etenim quid facilius sit dicere, dimittuntur tibi peccata tua; an dicere; surge & ambula*, ex eo manifestum est, quòd dimittendo peccata, evidentiùs inquit S. Thomas, *propriam declarat potestatem, dicens: Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem, &c.* Atque his præmittit: *Consolidare corpus facilius est, & quantò nobilior est anima corpore, tantò excellentior absolutio criminum*, excellentior quàm gratia sanitatum: longè altioris virtutis scelerum, quàm morborum curatio, sublimioris denique potestatis animarum, quàm corporum à morte resuscitatio, quia ut Præsul Antiochenus: *Præstantiùs est animæ mederi peccatis mortuæ, quàm iterum revocare ad vitam mortua corpora, iterum moritura.* Sic sensit de omni avaro Chrysologus serm. 28. de Matthæo agens: *Quod est dare vitam mortuo, hoc largitatem tribuere est* AVARO. Inter omnia sublimia, subtilia, recondita fidei nostræ mysteria, quæ captum omnem gentilium sapientum superat, est resurrectio mortuorum, ut corpora, quæ sex annorum millia in terra computruerunt, ambusta, in cineres redacta sunt, quæque à feris, à tyrannis in mille partes discerpta, à volucribus, & piscibus absumpta, aut à Brasilis antropophagis, in propriam substantiam aliti

Peccator qui cum gratia Dei se convertit, majus opus facit, quam Deus.

Aug. serm. 15. de verbis Apost.

Chrysost. tom. 5. serm. 47.

S. Thom. in Luc. c. 3.

Chrysolog. serm. 28.

Avarum convertere majus miraculū, quam mortuum suscitare.

con-

conversa, denuò viva, & vegeta resuscitanda; de
1. Cor. 15 quibus Doctor gentium agens, non injuria fatetur: *Mysterium vobis dico*, Atheniensibus adeò
Act. 17. exoticum, ut Paulum velut *semim-verbium*, blateronem, nugivendulum, alii ut magum, ariolum, *novorum dæmonorū aununtiatorem* exsibilârint. Quos inter
Act. 26. *Festus*, eum ut stultum, & phanaticum explosit, dicens: *Quid incredibile judicatur apud vos, si Deus mortuus suscitat?* Quod ita contra, præter, & supra omnem rationem hu-
Tertull. lib. de præscript. hæret. manam est, ut Tertullianus asserat: *Ve carnis restitutio negetur, de una omnium Philosophorum schola sumitur*, atque ipsis etiam fidelibus adeò
Vincent. Ferrer. Dom. in Albis, ser. 4. arcanum mysterium, ut *inter omnes articulos fidei, majoris difficultatis sie ad credendum*; illo tamen fidei articulo, quid longè admirabiliùs observat
Euseb. Gal Eusebius Gallicanus: *Videamus*, inquit, *quantò plus est, quod præstet gratia. Ecce vera miracula, stupendas immutationes, quas quidem in nobis operatur*
Ib. serm. 1 in Epip. *Redemptor noster, quando de pessimis bonos facit, castos de luxuriosis, humiles de superbis, de sectatoribus sæculi amicos Dei*: de telonariis Apostolos, atque ut veram resurrectionem, quasi è cinere ostendat, exclamat: Quæ *potest majora exercere miracula, quàm quando hominem de substantia pulveris, in Angeli statum provebit?* Hæc eximia dexteræ excelsi opera, avarus, qui profundo divitiarum luto demersus, qui in pulverem mortis quodammodo redactus, & jam plusquam quatriduanis, imò plusquam quadriennis fœtet mortuus, per gratiam in sacra exomologesi in se expertus, ilico *revivisc*it, *& in statum Apostolorum provehitur.*

* * *



FESTUM

FESTUM
SANCTI MICHAELIS
29. Septembr.

ARCHANGELI.

Super CUSTODIAM *meam ego stabo.* Isa: 21.



Cernis Custodia qualis? Virg. 6. Æneid.

ARGUMENTUM.

A Primo quo cælestis aulæ Principes divinam essentiam intuiti sunt momento, se post tot sæculorum volumina, nostræ curæ ac custodiæ deputatos cognoverunt, atque ad illum annum, mensem, diem, horam anhelarunt, qua nobis terris nasci, & ipsi è cælo delabi contingeret: ut vigili custodia, longè majori quam parentes, propinqui, aut Pædagogi, nobis semper adessent, quin & infima clientibus suis obsequia exhiberent: Habent civitates, Reges & Principes fidas sui vigilias, laudant alii fidam canum custodiam; sed nec hi Capitolium, nec illæ semper urbes aut Principes suos servare potuerunt. Sed cælestes illi vigiles, quibus mandavit *ut custodiant te in omnibus viis tuis*, non dormitant, neque dormiunt, & hi fortes sunt, qui lectum tuum dormientis ambiunt, & defendunt, tam in corporis, quam maximè animæ periculis. Pro hac autem tam constanti cura, & vigili custodia, ne nos ingratos præbeamus, jugis benevolentiæ acceptæ memoria recolenda est, ac beneficia beneficiis compensanda; quod fiet, si tria illa quæ D. Bernardus commendat, illis promptè exhibeamus: 1. *Reverentiam pro præsentia*, omni loco, sed potissimum in templo deferendo. 2. *Devotionem pro benevolentia*, præsertim de natali anniversario, in honorem ejus, animum sacra exhomologesi expiando, ad sacrum epulum Angelum convivam adhibendo, tot nummos, quot annos numeras, in egenos erogando &c. 3. *Fiduciam pro custodia*, quam in innumeris, quibus te eripuit periculis, comprobavit. *Bern. serm 12. in psal. 90.*

§. I. *Super* CUSTODIAM *meam stabo.* Isa. 21.

§. II. ANGELIS SUIS *mandavit de te*, UT CUSTODIANT TE *in omnibus viis tuis*: IN MANIBUS PORTABUNT TE, *ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* psal. 90. v. 11.

§. III. *Super muros tuos Ierusalem constitui* CUSTODES. Isaiæ 62.

§. IV. *Quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse ejus beneficiis?* Tobiæ 12.

FESTUM SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

Super custodiam meam ego stabo. Isa. 21.



Uamprimum rerum omnium conditor, & molitor Deus, nobilissimas illas intelligentias, purissimos ab omni humanæ fæcis concretione Spiritus, divinas illas militum chiliades procreavit, factum est prælium in cælo, & detrusis ad inferos rebellibus Angelis, *Michaël* signum victoriæ extulit, & immortali gloriâ, cum suis commilitonibus donatus est: qui mox mirabilem juxta, ac amabilem divinæ providentiæ scenam, quasi remoto sipario, sibi aperiri conspexerunt, fore ut certo tempore, mortalium genus, quorumdam illorum tutelæ esset in terris committendum. *Quid porrò Angeli, de his, quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia, sciunt?* Nec enim poterant hoc nescire, qui scientem omnia, & circa se futura, sine ulla mutabilitate sciebant; quod Africæ lumen Augustinus ttadidit: *Sanctis Angelis suis, in prima lucis conditione formatis, prius Deus ostendebat, quid esset deinceps creaturus*; atque ut humanæ imbecillitati & fragilitati consuleret, cælestes illos aulæ suæ Principes, fidos Achates, custodes, ac tutores perpetuos designavit. O quantum, quilibet Angelus, inter cælestes illas, quibus circumfluebant delicias, anhelabat ad illud sæculum, & illius sæculi annum, & illius anni mensem, & illius mensis diem, quo erat ille nasciturus, cujus, ipse curam erat suscepturus! Tandem, post multa sæculorum volumina, adeò sæculum illis optatissimum, nobis fortunatissimum, quo illi nostrorum curam cœperunt gerere, nos sub illorum tutela cœpimus vivere. Jam elucescebat nobis dies natalis, qui illis semper fuerat in votis. Et ecce eodem momento, quo nos egressi sumus de matris utero, ipsi descendunt de cælo empyreo. Vix ergo fueras natus (ut alibi ostendi, vix conceptus) & ecce adest tibi Angelus ad latus. Visâ jam tam nobili animâ, gratulatur sibi de imposita à Deo provincia: osculatur, diffuaviatur, amplexatur in corpore infantuli animam, & quo magis imbecille corpus, & infirmi, ac flexiles in malum sensus; hoc majus, & vigilantius tutelaris præsidii adhibet studium, impendit obsequium.

S. Greg. lib. 2. mor. cap. 2.

S. August. lib. 2. super Gen. cap. 8.

Sanctissimus & doctissimus Hieronymus ex eo probat singularem & eximiam quandam dignitatem esse animarum, quod æterno beneficio Deus earumdem curam & custodiam, beatis Spiritibus commendet: *Magna*, inquit, *dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum deputatum*; in hac vel Numinis sancti benevolentiâ inusitatâ, vel inexplicabili Angelorum humanitate, quâ miserorum hominum conditionem, sordesque non defugiunt, admiratione defixus hærebat, & quemquam nostrum, etiam mendicabulum vilissimum, ut rem totius mundi pretiosissimam omni curâ, custodiâ, vigilantiâ cordi habeant.

Hieron. in Matth. 18.

Eminentissimus & laudatissimus in Gallia Cardinalis, superiori sæculo gemmam habuit pretio inæstimabilem, quam propter mirificum candorem, magnitudinem, & pulchritudinem centum propè millibus aureorum plerique æstimabant. Dedit illam asservandam homini fido, è delectis familiæ suæ, qui câ curâ, custodiâ, & cautelâ eam asservabat, ut ne arcæ ulli, aut conclavium seris, aut pyxidi quavis machinatione, & artificio occlusæ, sed semper noctu, atque interdiu gemmam illam circumferebat, eamque sub axilla prope cor alligatam asservabat.

Cresolius Anthol. decad. 1. sect. 3. p. 100.

Gemmam, & margaritam, quam tanto studio quæsivit, tanto pretio emit, & redemit benignissimus Redemptor, concredidit Principi suo aulico, tutelam nostro, animam nostram, in cujus comparationem omne aurum, lutum est, & pro nihilo deputabitur: *Quoniam omne aurum in comparatione illius arena exigua est, & tanquam lutum reputabitur argentum in conspectu illius*; nec totus mundus uni animæ appendi valet: *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Cujus pretium, cælestes illæ intelligentiæ, cum longè acutius nobis obscuro corporis ergastulo involutis, perspiciant, ac filii Dei in nos amorem, ejusque pretiosi sanguinis, in salutem animarum, appretiationem infinitam, rectè ponderent, & perpendant, cujusque animam, ut margaritam supra orbis pretium æstimandam, sibi commissam quisque tutelaris, plusquam Argus centoculus, plusquam parentes, pædagogi, præceptores, propinqui, amici intimi, ab omnibus incommodis, periculis mentis & corporis custodit, conservat, ac tutatur. Sed ut in hoc de Angelo tutelari argumento ordinatè procedamus, hinc nobis omnibus fiet manifestum, quantum Angelo nostro debeamus, si ostenderimus, plura nos ab eo accipere

Anima margarita pretiosissima Angelis commissa. Sap. 7. 9.

Matth. 16. v. 26.

Angelus custos majori cura quâ parentes propinqui, aut præceptores, nos defendit, ac tuetur.

pere beneficia, quam ab ullis, qui nobis in hac vita sunt charissimi, ut sunt parentes, præceptores, amici, & quicumque alii, quibus mille titulis convincimur, obstricti.

Multum nos conciliat parentibus natura: præceptoribus, morũ, atque artium disciplina: Amicis vitæ consuetudo, societas, & beneficiorum acceptorum gratitudo; at quæ nobis cum Angelo custode, amoris, solicitudinis, tutelæ, instructionis, gratitudinis necessitas intercedit, huic longè omnium mortalium charitatem, necessitudinem, & beneficia concedere necesse est. Multum dixi, & quia fortassè quibusdam ad credendum difficile, iterum repeto, & quod paucis antea verbis indicavi, nunc pluribus, ut omnes intelligant, confirmabo. Nego ullum tam illustre, tamque inusitatum beneficii genus, quod vel communione sanguinis, & usura lucis *à parentibus*: vel conformatione, & eruditione doctrinæ *à magistris*; vel suavitate convictus, & officiorum multitudine, *ab amicis*: Nullum denique beneficii genus esse, quod proficiscatur ab iis, quin Angelorum studio, consilio, auxilio, præsidio, affectu & effectu exsuperetur.

Ordiamur à parentibus, si vim, & rationem paternæ dignitatis, & necessitudinis, apud nos obtinerent illi, propter quos è vili massa, Deo conditore, singulorum membra formante, hunc spiritum, lucemque hausimus, quis non plus custodibus Angelis concedat, qui simul ac maternis visceribus insedimus, sic evigilare, sic operam nostræ saluti impendere cœperunt, ut ne prius illis inclusi, tenebris extingueremur, quam lucem hanc aspicere possemus: ubi enim primum animulæ suæ clientelam suscipit amantissimus genius, nil est officii, vel operæ, quod vel mater, vel nutrix infanti bene velle possit, quod ipse, dum res fert, prolixissima voluntate, & proclivitate non amplectatur.

Itaque primò, latebras materni uteri subit quasi clientulum salutaturus: tum diligentius perscrutatur omnia, mollem organorum structuram, tenellos artus, fluxus nervos, primam corculi, hepatisque constitutionem, ne quod illis vitium adhærescat, quod quàm longè à parentibus impedire est?

Tum micantis corculi saltus, amabilemque in illa teneritudine exultationem, Deo commendat, atque offert primitias commissæ sibi custodiæ, & amoris in clientem suum: tum in ejusdem corculo, gratissimo amoris tribuno, quasi in specula, ut piè credi potest, sedem sibi poscit, ut caveat ne quid malignitas materni sanguinis, vel improbitas matris, aut tabies patris, aut veneficarum maleficia fœtui officiant.

Ubi dolores parturientis advenerint, supra omnes sapientes fœminas, seu obstetrices, custodes Angeli obstetricare, & opitulari, ac priùs ipsi suis manibus, quam obstetrices excipere, ut non semel compertum est. Unde nervosè, & ingeniosè Abbas Claravallensis: *parum est enim (Domine) si facis Angelos tuos spiritus, facis & ANGELOS PARVULORUM.* Quid mater, quid gerula facit cum parvulis, dum inter difficiles ambulandum viæ difficiles, & lutosæ occurrunt? in manibus & ulnis suis portant eos: ita, inquit, ANGELI, *ut manibus portabunt te: in tuis quidem viis custodient te, &* DEDUCENT PARVULUM, *qua potest parvulus ambulare*; *ceterum in* MANIBUS TOLLENT, UT PERTRANSEAT OFFENDICULUM. Tum epiphonematis loco subjungit: QUAM FACILE TRANSIT, QUI ILLIS PORTATUR MANIBUS? *quam suaviter* (juxta vulgare proverbium) *natat, cujus alter sustinet mentum,* quod in periculis parentes præstare non possunt. Ubi verò in auras tenellus pusio editus est, contaminatos patentum hæreditario crimine, cœloque invisus, quid agit piissimus Genius? Anxiè & solicitè tuetur, Baptismum ut potest, urget, ut cum infante recens renato, ac cœlestem vitam spirante, quodammodo respires. Tum committitur huic cœlesti pædagogo omnis cura clientis, ut comitetur, & custodiat eum in omnibus viis suis, semper, & ubique individuus socius: sive ambulamus, sive navigamus, sive comedamus, bibamus, dormiamus, pervigil semper, & in omnibus periculis custos perpetuus. Cujus amor, & in te affectus major est omnium parentum, qui sunt, fuerunt, & erunt, erga suos liberos; imo si omnium simul conflaretur, & in unius corde poneretur, incomparabiliter major est amor, cura, & tutela unius Angeli erga suum clientem: cùm nec mater semper, & ubique singulis adesse, nec periculis, quibus innumeris liberi expositi sunt, eripere, si velit, possit. Mater non rarò, parvulo adhuc lactante, & vagiente, è vivis excedit, qui alienis nutricis uberibus admovendus; at hujus etiam obsequio, clientulum suum tutelaris non destituisse compertus est. Nam cum S. Codratus adhuc infans in cunis matrem amisisset, Angelus illi nutritius fuit, qui è nube, cœlesti lacte eum pavit, & educavit ad illam indolem, ut postea per flagra martyrii, cantando iret ad mortem. Consolemini vos pupilli, & orphanæ, si pater & mater dereliquerunt vos, tutelaris suscipiet, & enutriet vos. Joannæ Urbevetanæ parvulæ orphanæ, Angelus matris instar fuit; unde cum nescio quis illam orphanam esse, ac matre carère diceret, illum ad familiarem sancti Angeli Custodis imaginem duxit, & dixit: *Scito hunc Angelum mihi in matrem esse*, à quo adhuc parvula, omnia pietatis, & fidei documenta percepi. Nunc à parentibus qui dederunt nobis *esse*, ad præceptores, à quibus habemus *bene esse* dilabamur.

Nadasi Annus Angelic. hebdom. 17. n. 6.

Nadasi Annus Angelic. in vita.

De dignitate magistri, qui volet, parænesim, & protrepticon Sachini consulat, & quantum litterarum trivialium ludimagistris, humaniorum, philosophiæ, jurisprudentiæ, Theologiæ, omniumque scientiarum præceptoribus unus ex intelligentiis divinis, nobis pædagogus & magister antistet; facilè concludet.

Quantũ Angelus custos præstet præceptoribus.

Quod honestatem, & utilitatem spectat; quot magistri, lucelli temporalis causâ scholas aperiunt? quot suos vanis, & profanis scientiis, politicis principiis, Machavelli dogmatis discipulos imbuunt? atque ut præceptis Aristotelis, in philosophicis: pandectis Bartholi & Baldi in juridicis: Aphorismis Hippocratis, & Galeni in

in medicis: demonstrationibus Tichobrae, & Copernicio Astrologicis: sublimioribus scientiis & subtilioribus speculationibus in Theologicis edocti fuerint, atque etiam in Baccalauros, Licentiatos, Doctores, ac magistros nostros, in omni scientiarum genere evaserint, nulli eorum, cum Angelo illo tutelari nobis magistro, & pædagogo præfecto ulla in scientia, aut docendi peritiâ, & facilitate, aut materiæ delectu comparari possunt; qui clientem suum libros de anima, & de cælo defendere: contraria contrariis; vitia virtutibus curare: cælum metiri, quam magna sit domus Dei, & ingens locus possessionis ejus, cujus intuitu terra punctum est, *quod inter tot gentes ferro, & igne dividitur:* denique non ubi *Angelicum*, an absolutum, an respectivum, locutionem Angelicam; sed ubi *æternum*, & sermones inter nos Angelicos, clientes suos edocere consuevit.

Libet hic cum mellifluo Doctore exclamare ad illud psalm. 19. *In manibus portabunt &c. quanta nobis, fratres, in hujus Scriptura verbis & eruditio, & admonitio, & consolatio exhibetur?* [*Bern. in psalm. 90. serm. 12.*] quem in omnibus psalmis tam magnificè pusillanimes consolatur, negligentes admonet, erudit ignorantes. An ex omni retro memoria celebratus aliquis, tam alicujus disciplinæ auctor nobilis, tam instituendæ juventutis studiosus, tam suorum utilitati intentus, ac deditus, qui se vel cum infimo Angelo docendi facultate, instruendi facilitate, exponendi charitate audeat conferre? quam multos sæpe vidimus sub clarissimo, eximioque magistro discipulos defendentes, summo suo rubore ad metam loqui redactos, omnium risui, & sannis expositos? Altum præsidem cujuscumque scientiæ studiosis, vobis Angelum tutelarem, qui cordi vestro pro cathedra insidet, assigno; hic in aurem vobis insusurrabit quid respondendum quid definiendum sit, ut supra docentes vus, etiam intelligatis. Testis *Ludovicus Frere-doux* Burgundus, Angelo custodi devotissimus, [*Nadasi Annus Angelic. hebd. 20. n. 2. Lacerda.*] qui excessit è vita anno 1620. illi de universa philosophia in examine respondenti, Angelus custos in aurem quid, quove loco respondendum esset, suggessit. Id quod ipse Patri rerum spiritualium præfecto fassus est, dum inexpectata illius responsa obstupescerent. Assidet & tibi legenti, scribenti, studenti, disputanti, ut in dubiis obscuris, implexis, illum consulas; in omnibus facem prælucebit, intellectum illuminabit, voluntatem inflammabit. Hi porrò cælestes spiritus non solum custodes, sed & præceptores, ac pædagogi ad nos instruendos assignati sunt: *ne quid,* inquit Bernardus, [*Bern. cit.*] *in cælestibus vacet ab opere solicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos mittit in ministerium custodiæ nostræ deputas, nostros jubes fieri* PÆDAGOGOS.

[*Angeli super omnes amicos infima etiam obsequia nobis exhibent.*] Ut ad tertium progrediar, si amicos diligimus, quibus ad utilitatem, vitæque suavitatem, ac honestatem utimur, quis Angelorum impensissimam in nos voluntatem, sine suavissimo pietatis, & amoris sensu recordari queat? nullus umquam amicus tot, & tam humilia amico exhibuit obsequia: tot honoris, amoris, benevolentiæ, imo & beneficentiæ præstitit officia, quot Angelus cuilibet suo clienti.

Luculento omnibus argumento vel unus Angelus Tobiæ est, cujus prolixa intimi amici beneficia sacræ paginæ, & ipsi SS. Patres manifestò testantur. Angelus Danieli, arrepto Abacuc per capillitium, in lacu leonum dapifer factus est.

Quin ad infima ministeria, quæ vel singulares amici per se obire detrectarent, *hi administratorii spiritus*, cælestis aulæ Dynastæ alacriter, & ardenter pro clientis sui etiam pauperculi, subeunda, seipsos promptos exhibent, & omnia fiunt omnibus. Sic B. Michaël Magottus, Ordinis [*Martyrol. Francisc. 14. Feb. Nadasi annus Angelic. hebd. 33. n. 1.*] Seraphici cocus, die quodam Dominico, in templo totus absorptus in Deo, culinæ suæ planè oblitus est. Ergo ingruente jam prandendi tempore vocatus, adit culinam; *sed virtute Divinâ cuncta manibus Angelorum reperit opportunè disposita, quæ cito fratribus dedit ad sustentationem.* Quam sapidi hi cibi manibus Angelorum excocti, quis explicet? Affine est B. Diodomi, Angelum omnia ad sacrificium necessaria parasse in [*Martyrol. Francisc. 6. Dec. ob Nadasi pag. 365.*] Ecclesia maximè deserta, eique inservisse; tum ad iter prosequendum equum, frenum, ephippia, sellam, stapedes, stabularii instar aptasse.

Nonne rectè ministri nostri nominantur, & sunt? *nonne* inquit Paulus, OMNES SUNT ADMINISTRATORII, SPIRTUS, IN MINISTERIUM MISSI *propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* [*Ad Hebr. 1. v. 14.*] ubi Hugo paucis: *omnia nobis ministrant*, & in omnibus, in ministerium quantumvis humile, & abjectum missi. [*Hugo Car. hic.*] Angelus ministrat Eliæ, & cibos quos corvi deferre solebant, hic cæli aulicus portat. Angelus Domini in languentium medelam descendit de cælo, & movet aquam. Undè rectè Athanasius: *Angeli sursum, deorsumque commeantes*, MINISTROS SE PRÆBENT. Quid famuli in gratiam potentis Domini, abjectissimi servitii præstare possunt, quod tutelares clienti suo, misero non exhibent vermiculo? Ruborem inflatis homunculis incutit, quod de P. Bernardino Realino refertur: qui [*In vita Nadasius.*] cum fortè baculum, seu cannam in domo, ubi confessionem exceperat, reliquisset, stupentibus domesticis, eam asservare volentibus, Angelus custos retulit, & sæpe loto infectam ipse repurgavit. Illustrius in hoc genere est, quod S. Wandregisilo accedit. Hic summus in aula [*Surius 22. Julii.*] Dagoberti Dynasta, cum illam asceterio posthabuisset, inde revocatus Regis Imperio ad ipsa palatii limina, currum rusticelli eversum, magno labore, majore sui contemptu, è luto sustulit. Ridere scilicet aulæ mancipia, cùm Principem animum, in cœnum abjicere se viderunt; at intempestivos cachinnos castigavit Deus censor, quando qui vestes purgaret Wandregisili loto aspersas, è cælo palam ephæbus adstitit, & servitia tam nobilia Rex ipse Dagobertus invidit. *Intelligite nunc*, clamat Ambrosius, *quantus honor nobis existit, ad quos sicut amicos, ita* MINISTROS ANGELOS SUOS DESTINAT DEUS. [*Amb. in epist. ad Heb. cap. 1.*]

B. Joannes, nomine, & re, Angelus nuncupatus, non familiarem solum, sed & famulantem [*In vita 24. Octob. Henric. de Angelo cust. pag. 180.*] tutelaris sui operam cum alias sæpe, tum æger, fidelem, diligentemque expertus est, quando medico ex incisa Joannis venâ sanguinem dimittente, lumen, ac alia necessaria ministrabat,

& eum

In vita. & eum, qui ex ægri Joannis vena fluebat, san-
guinem pelvi excipiebat. Elisabethæ Ritbæ,
dum ægra esset, Angelus valetudinarii præfecti
vices subiit, ministravit, lectum stravit, ut illud
Psal. 40. Psaltis usurpare possim: *Universum stratum ver-
sasti in infirmitate ejus.* Quis denique amicorum
Mautin. cit. pro te remigem agat, ut ociùs ac velociùs veli-
ficeris? hoc officii & Angelos præstitisse com-
perio; nam Basilides mare cum sociis trajectu-
rus, Christum ad clavum sedentem, guberna-
torem habuit; Angelos verò remiges, quibus
Petr. de Natalib. feliciter ad cælestem portum appulit. Miraris
Surius 25. Sept. remiges Angelos? etiam succolantes, accipe: S.
Ferreolum Martyrem suis alaris humeris per
Rhodanum novi Ariones devexerunt.

Amici denique, qui tua magis spectant,
Seneca epist. 95. quàm te, & *ut vultures cadaver expectant*, lecto
assident, morbum non levant; verum, & since-
rum solatium non præstant, & ubi maximè
amico opus est, moribundum, & ad Judicem
abiturum destituunt. Non sic amicus omnium
amicorum fidissimus Angelus, qui lateri adhæ-
rebit, verum & sincerum animi solatium præ-
bebit, adversus insultus cacodæmonis ultima
in lucta tuebitur, & ad Judicem deducet, & de-
August. in manuali, c. 24. fendet adversus præparatos ad escam, *qui cùm
subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit in die se-
pultura tua: cùm omnes amici tui recedent à te, ille
te non derelinquet, sed tuebitur à rugientibus pra-
paratis ad escam.*

Summum verò, quod mortalibus in eo arti-
culo exhiberi potest beneficium, & præstari
obsequium, & per Ecclesiæ mysteria moribun-
do succurrere, & adversus leonem rugientem,
qui circuit ad devorandum, munire; quæ præ-
cipua, & maxima tutelaris cura est, ut innume-
ris historiis compertum est: quid Enolphum
Cæsarius lib. 12. in vita. puerum commemorem? cui morti vicino, ex-
tremam Unctionem custos Angelus contulit.
Martyrol. Francisc. 26 Iulii. Notum est, Stanislao Viennæ ægro, panem An-
gelorum ipsos Angelos ministrasse. Illud fortè
inauditum, Angelum B. Joannem, virum san-
Nadasi annus Angelic. hebd. 45. n. 6. ctum, ad *Constantiam* Sanctimonialem in cella
animam agentem, cum sanctissimo viatico per-
duxisse, ut illam Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sa-
cramentis instrueret pro itineribus æternitatis.
Mortuâ *Constantiâ*, Angelus Joannem per 15.
millia passuum, domum reduxit. Ecce felicem
hunc Habacuc ad morientem illam, veluti ad
Danielem inter leones, ab Angelo ductum cum
prandio Angelorum.

Quis parentum, propinquorum, aut amico-
rum ad supremum tribunal abeuntem, & de-
cretoriam ambiguæ æternitatis sententiam ac-
cepturum comitabitur, quis patrocinabitur?
solus hic fidus à latere comes, ductor, & patro-
nus, coram tremendo illo Judice causam tuam
perorabit, contra nequissimum accusatorem
tutabitur, & patrocinabitur.

Ximenius lib. 5. c. 15. Dictis fidem præbet, quod subjicio. Affli-
gebatur dolore justo *Fulgentia*, Romana, cujus
superbiæ pœna, spurcitia fuit, de qua apud
Judices à personato dæmone accusata, testibus
etiam adductis. Hæc opem à B. Virgine Maria,
& custode suo Angelo, sensu magno petitam
obtinuit, quando pro *Fulgentia*, meliora omnia
jam spontè advocatus Angelus, pulcherrimus,
& dilectissimus adolescens, illam ad usque Ju-
dicum tribunal comitatus, dæmonem persona-
tum causidicum, & accusatorem, his verbis in-
crepans: Tune, ajebat, hanc accusas, bellua,
quæ jam pridem de cælo exul, turpissimè exci-
disti? disparuit accusator, & judices pro *Fulgen-
tia* pronunciarunt, advocati tanti, & qui pro
Fulgentia perorans, adversarium confudisset,
authoritate permoti. Quis amicorum tuorum
technas detegere, quis perorare, quis vel ad ju-
dicem in ea perplexitate te comitari præsume-
ret? quod & officii ad supremum Judicem, quod
omnes amici detrectant, genius tuus tutelaris
non subterfugit, sed lateri assistit, & causam
complectitur.

Hæc itaque satis testantur, quanto cælestes
illi Principes commissos sibi à supremo Impe-
ratore clientes studio, affectu, amore, bene-
volentiâ, supra omnem, quam parentes, præ-
ceptores, amicis suis conferunt, complectan-
tur; unde quasi è fonte, assidua illa horum pro
nobis vigilantia, cura, custodia, cautela pro-
manat, ut à periculis omnibus corporis & ani-
mæ eruamur.

§. I.

Super custodiam meam ego stabo. Isa. 21.

COmmuni more receptum est, ut urbes, *Excubiæ in custodiam urbium & Principum*
quamtumvis muratæ, vallis, ac propugna-
culis munitæ, contra inopinatos hostium in-
cursus, & insultus, potissimùm belli tempore,
vigiles suos in custodiis, seu excubiis habeant;
quod vel maximè, ubi dux aperto campo castra
metatus est, apud veteres & recentiores semper
observatum reperio.

Hinc teste Plutarcho, cùm Philippus Mace- *Plutarch. in apophtegm.*
donum Rex quodam tempore somno indulsis-
set, experrectus dixisse fertur: *Securè dormivi: e-
vigilavit enim Antipater.*

Sed nisi supremus Imperator, *nisi Dominus* *Psal. 126. v. 1.*
per vigiles suos Angelos, *custodierit civitatem,
frustra vigilat, qui custodit eam.*

Quot vigiles, quot custodes in excubiis ab
hoste trajecti, aut etiam in humeros asportari?
quot frigore enecti, quot somno oppressi,
dormitantes, & altum dormientes reperti sunt?
quot mille periculis, & miseriis expositi?

Anno 1605. Viennæ, ipsa nascentis Christi *Poggius de miseria hum. lib. 1.*
nocte miles excubitor in lignea ædicula frigore
obriguit: manè stans quidem, sed non vigilans
repertus est. Ita Poggius lib. de miser. human.
qui hoc à se visum ait. Ut hic frigore, sic alii
calori ferendo impares sunt. Hinc teste Livio,
stationum quoque morem Imperator mutavit;
nam æstivis caloribus, tot horarum æstu, ac
languore fessos, hostes integri sæpè adorti sunt;
unde usu receptum, vigilias non extra tres ho-
ras extendere, quod & Augustinus observavit.
Solent vigilia in castris ternarum horarum observa- *Aug. tom. 4. lib. qu. super num. q. 4.*
*tionem habere; unde scriptum est: Quarta autem
vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare, hoc
est, post nonam horam noctis, post tres videlicet vigi-*

lias. Plures ſnmno ſuccumbunt, etiam pœna capitis intentata, quam ut evitent, & evigilent, Seneca nulli rei vel leviſſimè inniti vigilem volebat : *Ut ſi neceſſe fuerit*, inquit, *ſtans etiam aliquando ſaucius pro vallo vigilet, & ne pilo quidem incumbat, quia ſolet obrepere interim ſomnus in aliquod adminiculum reclinanti*; ſed quamtumvis ferreæ leges ſint; ut quis per plutes dies & noctes pervigil in ſtatione maneat, bumanum nnn eſt. Unde de re militari ptudenter Vegetius: „ quia impoſſibile videbatur in ſpeculis „ nnn plures, ſed vel unam noctem vigilanres „ ſingulns permanere, ideò in quatuor partes „ ad clepſydram ſunt diviſæ vigiliæ, ut noo „ ampliùs quàm tribus bnris nocturnis neceſ„ ſe ſit vigilare; idque nunc uſu receptnm, ut *miles vigilias dividat*, ne ſomnus vel invitn nbrepat, qund aliquandn Epaminondas deprehendit, qui cùm cuſtodias, ſtationéſque ſuorum militum nnctu nbiret, ſnpitum, & nnu vigilantem in excubiis, gladio confodit, mortem ſomnn ſocians. Quàm inſignes urbis, ac ducis ſui cuſtndes, quibus dormientibus Rnma orbis caput, & Capitolium periclitatum eſt.

Seneca epiſt. 36.

Vegetius de re milit. lib. 3. c. 8.

Seneca de tranquill. cap. ult. Alexander ab Alex. lib. 1. c. 12.

Tales illi cuſtodes theſauri, qun nec terra, oec cælum pretioſiorem habet, SS. Chriſti Corpoti vigiles appoſiti, altum obdormierunt, quibus ſic meritò iofultat Auguſtinus : *Teſtes dormientes* adhibuerunt.

Auguſt. in Pſ 63. v. 7
Actor. 12.

Tales illi quater quaterniones militum, ad Petrum in carcere aſſervandum, quibus omnibus ſomnn ſepultis, Angelus ſemper pervigil eum eduxit, & liberavit è manu Herodis, & omni poteſtate Judæorum. Sic Angelus tuus *non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit te.* Ubi mellen ſermone Betnardus: *Qui cuſtodiunt te, non dormitant, neque dormiunt cuſtodes eu, Angeli ſancti*, VIGILES *tui, ſpiritus.*

Angelus ſemper vigil.

Bern. ſer. 77. in Cantico.

Non æſtu, nnn ſiignre ſrangitur, ſuper cuſtndiam ſuam ſtat, non ad tres boras, aut noctem integram, ſed perdius & pernnx per menſes, & annns, ne momento ſomno indulgens, pervigil excubat.

Dixerit olim Seneca loquens de Cæſare: *Omnium domos* ILLIUS VIGILIA DEFENDIT. Magna laus, ſed nnn ita vigil eſſe poteſt, ut non interdum dormiat. Quantò æquiùs de Angelo cujuſque urbis tutelari, in excubiis pernoctanti, & vigilanti pronuotiaro : *Omnium ſomnos illius vigilia defendit.*

Seneca conſolat. ad Polybium, c. 26

Quantò æquiùs quiſque noſtrûm illnd uſurpare poterit. Securè dormivi: *vigilavit enim* non Antipater, ſed *Angelus.* Hic te in utramque aurem, & in utrumque oculum tranquillè dormite jubet, & dicit: *Super cuſtodiam meam ego ſtabo*, vigilabn, & invigilabo, ne per nncturna phantaſmata niger ille genius illudat, ne terricnlameotis, & umbris infeſtet: *Super cuſtodiam meam ego ſtabo*, ne quis malignus humor in pectus decidat, ne catharrus cor opptimat, ne inſnmnia inquietent : *Super cuſtodiam meam ego ſtabo*, ne fures per pnſticum malè obſervatum, in domum irruant : ne candela neglecta incendium excitet, &c. quis mortalium vigilantiſſimus excubitor hæc prævideat, quis præcaveat aut arceat?

Iſa. 21.

Hæc itaque, & tanta cùm ſit vigilum incuria & ſnmnolentia, ut ſupra diximus, fideliorem & vigilantiorem multi canum, quàm hnminum cuſtodiam arbitrati ſunt ii; nec omninò à vero aberrarunt : nam, ſi ipſi Tullio, Oratori Romano credimus : *Canum fida cuſtodia eſt*; quam nos indies contra fures, & oocturnns latrones experimur.

Canum fida cuſtodia adhibita.

Cicero l. 2. de nat. Deor.

Oroſius, chriſtianus Sctiptor, vitâ & oratione pnlitus, in canibus magni Numinis providentiam agnoſcit, & præter promptitudinem eorum ſingularem, tria prædicat illuſtria cumprimis ornamenta: *Diſcernere, amare, ſervire*; hæ dotes, opinor, effecerunt, ut Ægyptii in arcanis ſuis litteris, atque hieroglyphicis, cùm Mercurium ſignificare vellent, canem pingerent: eſt enim animantis illius natura ad cuſtodiendum, & tuendum opportuna, in qua notetur vigilantia laudabilis, & prudentia, veluti lumen ad inveſtigandum, & diſcernendum, iotet hoſtem, & amicum, & judicandum quid opportuniùs videatur; quam ob cauſam, Deorum omnium doctiſſimn canem comparant, ait Plato. Vetus illa fuit cnnſuetudo, ut canes haberent ad cuſtodiam, nnn tantùm palatiorum, atque villarum, qui de die in catenis haberentur, de nncte liberi, fures, & nocere cupientes, generoſâ & fideli audaciâ prohiberent; verùm etiam ad tuendum ipſum herum, ac domeſticos ejus, & inimicam vim propulſandam, ſi quæ fortè inopinanti ingrueret. Ita Maſſaniſſam Numidiæ Regem *ſalutem ſuam cuſtodiâ canum vallaviſſe*, ptodit Valerius Maximus : & Ælianus auctor eſt, Gelnnem Syracuſium, canem *lecti cuſtodem*, ut dorypbnrum habuiſſe fidum & conſtantem. Oppnrtunè hîc mihi in manus venit hiſtoria Æthiopica Hiſpanicè conſcripta *por el padre Alonſo de Santoval*, qui ex oculari teſte rem oarrat ſcitu mirabilem, & auditu memorabilem. Acabar, magnus Mogorum Rex, qui & Soldann in regnum Cambayæ ſucceſſit, venatinni aſſuetus, nrſns & tygrides domi cicuratas ſecum trahebat, ut nos hîc canes venaticos, ad prædam ferarum : nullos enim Mauti, aut accolæ maris Erythræi canes patiuntur.

Oroſius præfat. hiſt.

Plutarch. de Iſide.

Valerius Max. lib. 9 cap. 13.
Ælian. variar. hiſt. lib. 6. c. 13.

P. Alonſo de Santoval hiſt. Æthiop. tom. 1. part. 3. lib. 2. c. 19. pag. 201.

Factum eſt, ut ex Luſitania præſtans & ferox, variis quoque maculis inſignis moloſſus ei regio dono miſſus ſit; qnod illi donum ut rarum, & præclarum, gratiſſimum accidit, ac novum hunc boſpitem in delitiis babuit, omnibus blanditiis fovit, ſibíque adſtrinxit. Evenit, ut hoc fido comitatus achate, de more ad venationem pergeret; cùm ecce omnibus deſtitutum, ſolo moloſſo lateri adhærente, rabidus fame leo ex ſaltu proſilit, jamqne io Regem impetum parat; Moloſſus collectis animis & viribus, in leonem irruit, jugulum petiit, in fruſta diſcerpſit. Hâc tam fidâ cuſtodiâ, tanto poſtea apud Regem in amore, & honore fuit hic canis, ut regiâ ſecum rhedâ, damaſceno holoſericn, & auro conveſtitâ, ſemper veheretur, ſtratnm illi eſſet ex mnlli gnſſipio, & pulvinus byſſinus ad quieſcendnm, inſuper reditus annuus ad lautam ſuſteotationem in omnem vitam conſtituit; eratque omnibus, quoties cum Rege procederet, & aulicis, & omni populo admirationi, & venerationi. Longè oobilio-

nobiliorem, & certiorem custodiam, cuique nostrûm apposuit Deus, dum non brutum animal, sed cælestem spiritum in omnibus viis nobis adesse voluit adversus tartareum leonem, *qui circuit quærens quem devoret.*

Æthiopia exinde undique canes conquirere, & ad custodiendum adhibere cœpit.

Ita memorans Cephalæ Regem, ducentos admodum magnos canes habere apud se, ut præsidium longè fidissimum, & amicum; cui plus fidat, quàm prætoriæ suæ cohorti olim Cæsar, aut Melophoris suis Darius, vel Argyraspidibus suis Alexander, nec immeritò, cùm nullt mortalium fideliores pro Dominis excubias, & vigilias agant: *Quid de canibus loquar*, inquit sanctus Ambrosius, *quibus insitum naturâ quâdam referre gratiam, & SOLLICITAS EXCUBIAS PRO LUMINORUM SALUTE PRÆTENDERE? sunt etiam canes, qui noverint latrare pro Dominis, noverint sua tecta defendere.* Unde hanc canum custodiam in communi Græciæ usu fuisse, ut opulenti, & magnates ad nocturnam custodiam canibus uterentur, ex doctissimo Gregorio Nysseno videor addiscere, qui divitibus, cùm periculum, aut damnum, quod imminebat, arcebant, & latratu denuntiabant; sic enim de beatitudine scribens, ait: *Ubi tum aurum? ubi supellex pretiosa? ubi CANES ad nocturnam custodiam?* Insuper video tanti factam eximiam hanc fidelitatem, robore etiam magno pollentem, ut non unius modò hominis; sed locorum etiam, atque urbium securitas, fortissimorum canum præsidio, & tutelæ committeretur: nam Dyctææ matris templum in Cretâ, divitiis multis abundans, canes de nocte servabant, ut Philostratus memoriæ prodidit.

Et etiamnum scimus, in America, sive Britannia Gallica urbem esse, quæ à sancto Maclovio nomen habet, vulgò S. Malò, fortissimis viris præstantem, & exoticis mercimoniis opulentam, quæ de nocte non alias habet excubias, quàm molossorum ingentium, & torosorum, quos interdiu domi continent; illi verò tantâ audaciâ gestiunt, & vicos, murosque circumeunt, ut neque milites cataphractos timeant, nec fulgentium armorum luce moveantur.

Nunc vos compello, (Consules, Magistratus urbis, cives omnes securi dormiunt: Principes, Duces exercitus tutò se quieti, & somno dant, dum miles in excubiis, dum aliquot prætorianos manipulares ante tentorium, imò dum vel canes excubant; & nos non agnoscimus, quantò divina bonitas nobiliorem, fortiorem, fideliorem, ac vigilantiorem custodiam Angelorum, nobis dormientibus apposuit. Canticorum tertio amœnum exhibetur spectaculum: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israël*; per fortes, qui lectulum Salomonis ambiunt, Guilielmus Abbas cælestes illas excubias intelligit, quæ circa uterum Virginis Mariæ pro novo Salomone excubabant: *Sanè*, inquit, *ex quo, in lectulo uteri virginalis per incarnationis mysterium Dei filius accumbere dignatus est, eundem lectulum sancti Angeli plurimi ambire cœperunt, & circa quiescentem in Virginis utero Deum, SACRAS EXCUBIAS AGERE.* Ex quibus patet, fortes illos Israël, custodes Angelos adumbrare; qui & lectulum tuum ambiunt, & dormientem vigiles custodiunt. Athanasius: *Fortes hi, Angeli Dei sunt*, quorum vel unus pro millibus est.

Cæsar Augustus ad custodiam suam, prætoriam cohortem noctu dinque se vallantem, & excubantem habebat; solus tui custos ex illis fortibus est, ex quibus unâ nocte, in castris Sennacherib ANGELUS DOMINI *percussit centum & octoginta quinque millia* Assyriorum.

Melchior Nunnez in litteris Chinensibus scribit, Regem istius regni habere pro guardiâ, seu corporis custodiâ, legionem quingentorum gigantum, singulos altitudinis quinque cubitorum, quos omnes ut pigmæos, unus Angelus *ex fortissimis Israël*, uno spiritu deflaret. Cælestes hujus militiæ vigiles, & velites sine tormentis, sine commeatu, sine impedimentis, sine copiis pugnant, custodiunt, arcent, & copias quantumcumque maximas levi difflant halitu: *Cùm esset Iosue in agro urbis Iericho, levavit oculos, & vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noster es, an adversariorum? qui respondit: nequaquam; sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Feliciter pugnat, qui vel unicum legionarium talem habet pro se excubantem, & præliantem.

S. Bernardus in illud Cant. *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem*, sic disserit: *Benè tecum agitur (ô sponsa) benè tecum agitur in loco peregrinationis tuæ: de cælo, de terra venit auxilium tibi, QUI CUSTODIUNT TE, NON DORMITANT, NEQUE DORMIUNT. CUSTODES TUI ANGELI SANCTI, VIGILES TUI SPIRITUS.* Hominem hoc Angelico præsidio munitum, velut turrim munitissimam, è qua mille clypei pendeant, describit Gregorius Nicenus hom. 7. in Cant. *Puto*, inquit, *eam turrim clypeorum multitudine significare ANGELICAM CUSTODIAM, qua circumsepti sumus*, & ab omni hostili incursu muniti.

Hactenùs vigilem Angelorum custodiam generatim perstrinximus. nunc quàm nos singulatim in omnibus viis custodiant, omniaque pericula corporis & animæ à nobis amoliantur, expendamus.

* *
*

§. II.

Marginalia: Allusor. in Æthiop. — Ambr. lib. 6. hexam. cap. 4. — Greg. Nyss. de beatit. orat. 5. — Philostrat. in vita Apol. l. 8. c. 12. — Cresollius mystagog. lib. 4. cap. 28. — His omnibus vigilantior Angelorū custodia. — Cant. 3. v. 7. — Guil. Abb. in Cant. 3. — Athan. lib. quæst. q. 122. — Bern. ser. 77 in Cant. — 4 Reg. 19. — Annal. Soc. anno 1556. — Iosue cap. 5 v. 13, 14. — Bernard. in Cant. serm. 77. — Greg. Nicen. hom. 7. in Cant.

§. II.

ANGELIS *suis mandavit de te, ut* CUSTODIANT *te in omnibus viis tuis* : IN MANIBUS PORTABUNT TE, *ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Matth. 4. ℣. 6.

Psal. 90. v. 11.

QUot verba, tot in nos divini amoris spicula: tot infinitæ bonitatis prodigaliter prodigæ argumenta : *Angelis suis*, tam sublimibus intelligentiis, aulæ suæ ministris, Majestatis suæ ephœbis, familiæ suæ œconomis, militiæ suæ antesignanis, *mandavit de te*; quod expendens flagranti corde Doctor Doctorum in suis soliloquiis, in has voces erumpit : *Magna sunt beneficia tua, Domine, quibus nos honorasti,* DANS NOBIS ANGELOS TUOS IN MINISTERIA *nostrorum. Dederas enim nobis, quidquid cæli ambitu continetur : & quasi parva reputas hæc, quæ sub cælo sunt, nisi adderes ea, quæ super cælum sunt.* Illis *mandavit*, non tantùm, quod amici est, commendavit.

Augustin. lib. soliloq. cap. 27.

Sed quid quæso, de quo? *Mandavit de te*, ac si tota, & infinita Dei sapientia ab æterno nulli alteri rei intenta, quàm tibi uni; *mandavit de te*, tam nobili genio, de tam humili vermiculo; mandavit, ut omni humanitate, longanimitate, patientiâ, cælestes illi proceres, curam susciperent *de te*, quamvis filio rebelli, contumaci, in Deum, & non raro in ipsum tutorem impio, & blasphemo; *de te*, quem, quantumcumque indocilem, & refractarium discipulum sit nactus, te tamen magisterio suo non excludit, sua ope non destituit, non subtrahit saluberrimos instinctus, diurnas, nocturnasque excubias non laxat, non subducit se. *Te*, quamtumvis improbum, & contumacem ad usque supremum halitum constantissimè tuetur; sic enim subditur: *Ut custodiant te.* Quidquid habet in intellectu perspicacitatis, in voluntate bonitatis, in viribus roboris, hoc totum impendit, *ut custodiat te.*

Itaque, si quis umquam fuerit bonus, ad bonum motus in voluntate; si quæ rara illustratio in intellectu; si quæ divina inspiratio in mente; si ardor cælestis in corde; si verecundia in fronte; si quies in conscientia; si exultatio in spiritu; agnosce esse beneficium cælestis illius spiritus. Verbo complectar omnia: si dixero; Angeli tui beneficio, te effugere omnia corporis, & animæ mala, consequi omnia utriusque bona. Ille tibi semper, & ubique individuus est socius, vigil semper excubitor, & custos, *in omnibus viis tuis*: exeuntem, ambulantem, proficiscentem navigio, vehiculo, pedibus tuetur, ne periculum incurras, *ne nunquam offendas ad lapidem pedem tuum*, præsens & præsto est. Quàm fidi sint hi cæli Principes, nostrorum custodes, quis est, qui non id expertus in rebus sæpè incertissimis?

Incipiamus ab iis, quæ corporis incolumitatem spectant, & inter mortales præ cæteris omnibus in pretio sunt. Quoties brachia, crura, cervicem fregissemus, si horum custodum nobis cura & tutela defuisset. Si rem benè perpendamus, ubique naufragium, & periculum, ubique mors est; *Quot pori, tot ostia mortis*, per quæ improvisa increpat; nec sudamus, nec algemus sine periculo; nec mensam, nec lectum à periculis securi, adimus: cibi avidum strangulat piscis spina, panis mica in transversas fauces, præfocat. In equis, in navi, in silvis, domi, foris, terrâ, marique, undique pericula, & sub omni lapide scorpius dormit. At vigilant in rem nostram custodes Angeli. Hi Jonam in ventre ceti: Paulum in undis pelagi: Danielem in leonum fovea, in scirpea fiscella Moysem, Juditham in hostium castris, Hebræos tres Juvenes in ipsis flammis servare nôrunt. Seipsum in exemplum inducit P. Hieremias Drexelius: absque horum ope fuisset, centies & nos periissemus. Testor ego, inquit, qui hæc scribo: volare me nunquam didicisse, sed præcipitem è scalis in saxa: præcipitem è clivo, & curru everso in Danubium, penitùs incolumem evasisse (ut alia pericula præteream,) non sine opitulante Angelorum manu: testor, præsentissimam Angelorum opem me sexcenties expertum. Idem & cujusque vestrûm, si omnia, quibus in vita periculis ereptus, expendat, confessione constare credo. Quæ omnia sermone lacte & melle manante Bernardus prosequitur: *Magna dignatio, & verè magna dilectio charitatis! quis enim, quibus? de quo? quid mandavit? studiosè consideremus fratres, diligenter commendemus memoriæ hoc tam grande mandatum*, & singula verba attentè ruminemus: *Quis enim mandavit? cujus sunt Angeli, cujus mandatis obtemperant, obediunt voluntati? summa Majestas mandavit Angelis, & Angelis suis mandavit; illis utique sublimibus, tam beatis, tam proximis sibi cohærentibus, & verè domesticis Dei,* MANDAVIT DE TE. *Tu quid es? Domine, quid est homo, quòd memor es ejus? quasi verò non sit homo putredo, & filius hominis vermis. At quid putas mandavit de te? ut* CUSTODIANT TE IN OMNIBUS VIIS TUIS. In hac vita vias ambulamus lubricas, mille casibus obnoxias, non pedem ponimus, quin ad mortem properemus: quàm multi ædibus mane salvi & incolumes egressi, vesperi funus delati, aut in aliud infortunium inciderunt? quæ omnia cùm ab æterno divinæ providentiæ perspecta, optimè nobis de custodia Angelorum prospicere voluit, ut divinè S. Thomas pertractat: *Dicendum, quòd homo in statu vitæ istius constitutus est quasi in viâ, quâ debet tendere ad patriam; in qua quidem via multa pericula homini imminent, tum ab interiori, tum ab exteriori, secundùm illud Psal. 141.* IN VIA HAC, QUA AMBULABAM, ABSCONDERUNT LAQUEUM MIHI. *Et ideò, sicut hominibus per viam non tutam ambulantibus,* DANTUR CUSTODES, *ita & cuilibet homini, quamdiu viator est,* CUSTOS ANGELUS DEPUTATUR. *Quando autem jam ad terminum viæ pervenerit, jam non habebit Angelum custodem, sed habebit in regno Angelum conregnantem; in inferno dæmonem punientem.* Innumera

Angeli custodiunt nos in periculis corporis. Seneca.

Drexelius Horolog. Angeli Cust.

Bern. in Psal. 90. serm. 12.

S. Thom. 1. part. quæst. 113. art. 4.

numera sunt corporis discrimina, è quibus in hac via ambulantes, custodes Angeli, clientes suos eripuerunt, & tutati sunt, ut sacræ ac profanæ historiæ testantur. Junior Tobias sua per viam, aliique ambulantes, navigantes, peregrinantes sua evarrare poterunt pericula; uno ego aut altero prorsus memorabili contentus ero.

Tobiæ 12. v. 15.

Anno 1604. (ut author est Alphonsus Andrada, aliique fide dignissimi,) vir Nobilis in Hispania (civitati, & nomini parcitur) Angelum suum tutelarem singulari amore, & veneratione prosequebatur; præter alia pietatis officia, indies in ejus honorem corollam Marianam pervolvebat; utque erat ad omnem quoque humanitatem excultus, illustrem Dominam ædibus vicinam, vel per fenestram prospectantem, vel in orchestrâ stantem, per transennam, quoties transiret, humanissimè salutabat. Movit hæc amica salutatio, principio ephebis, aliisque domesticis sinistri alicujus affectus, & transultorii amoris suspicionem; quæ ut ad aures mariti ejus delata est, idemque ex insidiis observasset, ut dura est sicut infernus æmulatio, zelotypiæ spiritu accensus, facinus concipit, plenum sceleris & amentiæ.

P. Alphonsus Andrada part. 2. itinerarii historial. Tragica histor. o[...]uditur [An]gelus cultos in summo vitæ periculo c[l]ientem servasse.

Dapsile convivium in suburbano suo exstrui curat, ad quod uxorem cum omnibus domesticis invitat. Huc ut ventum est, in penitius conclave uxorem solam adducit, ubi charta & calamo in promptu, mandat se spectante, epistolium exarari ad nobilem illum vicinum, quò significet, maritum aliò peregrè profectum, se solitariam, in villâ suburbanâ præstolari, accurreret quantociùs, ut se viseret.

Hîc illa, cui & sua, & Nobilis vicini innocentia, vitæque integritas perspecta erat, pallescere, trepidare, in lacrymas & singultus fundi, pedibus advoluta obtestari, ac deprecari cœpit, hanc sinistram ex animo suspicionem deponeret, quicum in omni vitâ nec verbo, nec scripto umquam egisset, omnemque se hactenùs amorem, & conjugalem fidem inviolabilem servasse, & ad tumulum servaturam.

Frustra omnia, stricto maritus pugione, aut jugulum uxoris petendum, aut calamum arripiendum ferociter minatur. Hæc itaque tremula manu, anxia mente, fluentibus lacrymis, quod dictabat maritus, charta excipit, quam ille per famulum citatis equis ad Nobilem destinavit.

Hic lecto epistolio, non minùs quàm illa consternatus, diu hæsit, nec concipere potuit, ea in tam honestam matronam incidere potuisse; ne tamen in leges urbanitatis, & sæculi impegisse diceretur, famulum nuntiari jussit Dominæ, se condictâ horâ, quæ erat vespertina, adfore. Famulus vero non Dominæ, sed Domino, à quo missus fuerat, responsum detulit; qui ilicò omnes domesticos in armis esse jussit, ut signo dato, & impetu facto, advenientem Nobilem trucidarent.

Hic omnis tragœdiæ ignarus, sub vesperam portis eques solus egreditur, dumque fortè ad patibulum, in quo reus recens suspensus pendebat, perventum est, audiit se hortendâ vociferatione suo nomine compellari, ut sisteret; conterrito iterum, iterumque inclamat, metum poneret, accederet, vivere se, & opem implorare. Quod officii, & misericordiæ opus ne negligeret, pavidus accessit, laqueum ense dissecat, & ecce recidivus in tergum equi ejus insilit, securum sui & viæ in villam reddit. Huc cùm propè devenissent, Nobilem descendere, sibique chlamydem suam dari postulat, insidias exponit, quas ipse exploraturus priùs esset, dum alter in latebris exitum præstolaretur. Dictum, factum. Ubi pedem in suburbanum intulit, confestim armati è latebris irruentes, variis vulneribus clamantem, ac miserè lamentantem confodiunt, ac intempestâ nocte cadaver è fenestrâ in altam fossam dejiciunt; è qua patibularius vivus exurgens, properè se ad Nobilem, qui clamores ejus audierat, contulit, trajectum chlamydem, & vulnerum stigmata in corpore exhibuit, addens ea ipsi infligenda fuisse. Tum ut venerant ambo, equo conscenso iter instituunt; at ubi ad patibulum ventum est, fidus ille Achates descendit, ac mysterium omne paucis Nobili exposuit: non se, sed Angelum ipsius tutelarem assumpto suo corpore, eum ab insidiis structis, & morte intentatâ liberasse, eni gratias, dum viveret, referret; ac mox iterum pependit. Nobilis verò domum reversus, rem suis clam habuit, ac primo mane indictis in honorem Angeli tutelaris sacris, se ad templum contulit; ubi dum per plures horas devotioni, & gratiarum actioni indulget, supervenit famulus à Domino de vindicta triumphante, ex suburbano in urbem missus, ut exploret, quis sermo apud dominicos de Domino suo esset, responderunt eum salvum, & incolumem reversum, ad templum se recepisse; quem cùm famulus flexum genibus, & orantem attonitus spectaret, Domino quæ viderat, retulit; qui è vestigio cum conjuge in urbem advolavit, vicinum Nobilem convenit, à quo mitam divinæ clementiæ, & Angeli tutelaris custodiam edoctus, in amplexus ruit, culpam agnovit, veniam rogavit, eumque deinceps, & uxorem suam summo in amore, & veneratione habuit.

Hæc P. Andrada Madriti se à celeberrimo Ecclesiaste pro concione audivisse, scriptis tradidit. Alterum in altero sexu non minùs ad stuporem adduxisse sufficiat.

Hildegundis virgo, ut refert Raderus, quo pudicitiæ suæ consuleret, sub viri specie, & nomine, iter ingressa, pro fure (quem oppidani quærebant,) comprehensa, fustibus acriter percussa, laqueo collo injecto, per devia & avia pertracta, tandem in furcam acta est. Quod, aut unde illi hîc remedium? ecce custos Angelus, ne laqueus fauces elideret, subvenit, ac sustentavit. Tum suavi melodiâ aëra complevit, quâ opiliones vicini aciti, eam deposuerunt, & custodis Angeli operâ, equo candidissimo imposita, Veronam ad suos incolumis devecta, atque in tuto collocata est. En numquam satis mirandam, & deprædicandam Angeli fidem, & tutelam. Quis hæc, & similia pericula prævideat

Raderus viridarii Sanctorum part. 1. pag. 12.

Itinerantibus Angelus custos invocandus, ut custodiat in viis. Cantipratan. lib. 2. apum. Fernerus de Angelo custode, serm. 20. Virg. 2. Æneid.

videat? quis, quæ per itinera etiam amœna, & tuta imminent, satis præcaveat? Quare, dum in terra, mari, pedes, eques, curru, navi ingrederis, Angelo tutelari brevi precatiuncula te commenda, ut peculiari curâ custodiat te in omnibus viis tuis, & te sanum ducat, ac reducat. Exstimulet vos Elizabetha de Graviâ, apud Nivellenses, virgo sanctissima, quæ cum alia sorore in itinere à recto tramite aberrantes, per devia, & avia, densâ in silvâ, eluctantes, nusquam exitum inveniebant.

Vertitur interea cœlum, & ruit oceano nox,
Involvens umbrâ magnâ terrámque, polúmque.

Quid hæ vagæ animulæ agerent? in lacrymas solutæ, humi prostratæ, tutelarem suum præsidem ardentibus votis, & spe plenæ invocarunt; cùm ilicò venustissimus juvenis, crispa, & crocea cæsarie, nivea tunica indutus adstitit, & amicè salutavit: atque ubi ex illis, unde, quò tenderent, sciscitatus, se viæ gnarum, illis sequi jussit. Vixque exigua interjecta mora, cùm ad locum destinatum, Angelo duce, pervenissent, utrique valefaciens, ex oculis momento evanuit; sed non ex animo, ducis & custodis hujus beneficium.

Verùm enimverò, omnia quæ hactenùs de diligenti, ac pervigili Tutelaris custodiâ, beneficia prorsus singularia enarravi, parva, & exigua sunt, si cum iis, quæ dicturus sum, componantur; quandoquidem ejus tutela, & cautela, innumeris periculis, non corporis, sed animæ: non fluxæ vitæ, sed æternæ: non temporalibus divitiis, sed summo, & omni bono deperdendo, non semel, sed sæpiùs eripti simus; unde in hoc luteo corpore, velut in speculâ, Angelos custodes constituit, qui noctu diuque hostiles aggressus, incendium exortum, certis signis denuntient, quod per Prophetam insinuasse videtur.

§. III.

Super muros tuos Jerusalem constitui CUSTODES. *Isa. 62.*

Angeli custodia in periculis animæ, & mortis æternæ. S. Bonav. serm. de S. Michaële.

DIvus Bonaventura hâc festâ luce sancti Michaëlis, pro concione disserens, & expendens illa Psaltis Regii verba: *Angelis suis mandavit de te, ut* CUSTODIANT *te, &c.* commendat, & extollit Angelorum custodiam in periculis animæ, quæ longè majoris momenti, quàm corporis. *Primò,* (inquit,) *nobis assistunt in malis, & peccatis, ponentes impedimenta: frequenter enim, tum ex natura corrupta, tum ex infirmitate contracta, tum ex malitia concepta, laboremur in multiplicia, & enormia peccata, nisi sancti Angeli obviarent nobis, & impedimenta opponerent. Quod optime signatum est Num. 22. ubi dicitur, quòd contra Balaam Angelus evaginatum habebat gladium, quem cernens asina, avertit se, &c. Protinus aperuit oculos Balaam Dominus, & vidit Angelum stantem in via evaginato gladio; cui Angelus: Cur tu verberasti asinam? ego veni, ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria. Breviter, quantum ad propositum: felix talis adversarius, quia in malis adversatur.* Si quis secum sedulò, & serió expendat, quibus in tentationibus, & occasionibus versatus, innocens & innoxius evaserit: quibus periculis non semel, sed sæpiùs lapsus, resipuerit; meritò usurpare illud poterit: Nisi quia Angelus Domini adjuvisset me, *paulò minus ab inferno habitaret anima mea.* Psal. 93. v. 17.

Per hujus vitæ peregrinationem, deducit nos Angelus ad beatam patriam, quod Exod. 4. adumbratum est in Angelo illo, qui populo Israël ducatum præbuit, quousque eum per tot ambages, & anfractus deserti, quadraginta annorum spatio duxit, donec in terram promissionis illum introduceret, de quo Dominus ad Moysen: *Ecce ego* MITTAM ANGELUM MEUM, *qui præcedat te, &* CUSTODIAT TE IN VIA, *& introducat in locum, quem præparavi.* Exod. 23. v. 20. Angelus ergò Domini populum Dei ducebat per vastam illam solitudinem, noctu columnam ignis, tamquam facem præferendo: interdium in columna nubis ducatum, cùm incedendum, præstando, & contra æstum umbraculum, & metandorum castrorum, ac quiescendi indicium ministrando.

Sic custos noster Angelus, per horridam mundi hujus solitudinem pergentibus in terram illam promissionis, cœlestis patriæ, per internas illustrationes facem præfert, intellectum illuminat, voluntatem inflammat: ab æstu carnalis concupiscentiæ defendit, & ardores iræ, invidiæ, libidinis temperat. Quoties evenire putandum est, ut non pauci æstu furientium animi perturbationum, in præceps jam jam ituri, subitò ut facem extulisset Angelus, ignis tartarei imaginem, vel fetalis tubæ clangorem objecisset, de periculo monuisset, ut gradum premerent, voraginem, in quam ruunt, attenderent, ut saniora consilia sequerentur? Si quando juvenis libidine inflammatus, perfractis honestæ verecundiæ, pudorísque repagulis impudenti ardore exultet, & flagitium meditetur; ecce prodit obviam Tutelaris, & insaniæ ejus turpitudinem bono in lumine collocans: quid agis, (inquit,) miser? quò ruis? quid animo designas? tu pro exigua usura voluptatis, Creatorem tuum, æterno te amore quærentem, pro nihilo pendas, leges violes, corpus tuum, quod facrarium esse debet divini Spiritus, indignè commacules, animam expolies gratia, & splendore virtutum, atque in æternum præcipites exitium?

Angelus internis monitionibus servat à peccatis.

Ejusmodi faustas cogitationes, & salubres motus suggerendo, non semel clientem suum periculo eripit, & dentibus leonis.

Daniele misso in lacum leonum, Angelus Domini missus est ad Habacuc, qui Judææ messoribus prandium deferebat, ut illud Danieli famelico asportaret, dicens: FER PRANDIUM QUOD HABES IN BABYLONEM DANIELI, QUI EST IN LACU LEONUM. Dan. 14. v. 33. Cui respondit Habacuc: *Domine, Babylonem non vidi, & lacum nescio. Et apprehendit eum* ANGELUS DOMINI *in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui,* v. 35.

sui, posuitque eum in Babylonem supra lacum, & dedit prandium Danieli, qui surgens comedit, & servatus à rugientibus ad escam, illæsus evasit. Excurrit hic scitè ad mores Speransa, dicens: " ac cum hunc Vatem cincinno capitis apprehen" sum, quia, inquit, bona cogitatio per Ange" lum immissa, nos sublevat, & unicum bonum " desiderium, è lacu leonum tugientium, in al" tum extollit. Quàm plurimi indies, ut in se quisque expetitur, in lacum leonum, & foveam tentationum immittuntur, ut exclamare exaudiantur: *Salva nos ex ore leonis.* Unicum hic effugium, ut bonus Angelus pilum, aut capillum inveniat, quo illos extrahat ac liberet, quam prædictus auctor ait esse cogitationem cælestium, & æternorum, qua illum apprehendit, & unguibus ac dentibus leonum eripit. Præclarè Africanus Antistes: *Facis, Domine, Angelos tuos spiritus super me, quibus mandasti, ut custodiant me in omnibus viis meis, ne forte offendam ad lapidem pedem meum. Hi sunt* CUSTODES *super muros novæ Ierusalem*, VIGILANTES ET CUSTODIENTES VIGILIAS NOCTIS *super gregem tuum: ne quando rapiat ut leo animas nostras, dum non esset qui eriperet, ille antiquus adversarius noster, qui quasi leo rugiens semper circuit quærens quem devoret.* Quæ majora fingi, vel excogitari possunt pericula, & pudicitiæ detrimenta, quàm ut fœmina incredibili pulchritudine, mundo muliebri ad omnem venustatem exornata, & calamistrata, se petulantium militum castris ingerat? ducem ferocientem, & libidine flagrantem convenire, mensæ assidere, benè potum in eodem conclavi solam solùm comitari, & clausis ostiis noctè intempestâ commorari posse, & intactam abire, quis credat? Hæc omnia pudicitiæ discrimina, generosa Judith incurrit, quæ exuta cilicio, *lavit corpus suum, unxit se myro optimo, & discriminavit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis jucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ornavit se, &c. ut incomparabili decore coram omnium oculis appareret.* Sic portis Bethuliæ obsessæ egressa, tendit in castra Assyriorum, ubi primùm incidit in vigiles, & exploratores, qui *tenuerunt eam*; quid hic non periculi? illa se profugam simulans, Duci Holoferni se sisti postulat, habere se secreta, quæ deferat; qui ut eam conspexit, *statim captus est in suis oculis*: & fecit cœnam *servis suis*, ad quam invitavit Judith, ut secum manducet, & bibat vinum in jucunditate. Quæ omnia, quis non videat, fomenta, & lenocinia esse libidinis? dumque eam jam vino incalescens, intueretur: *Cor Holofernis concussum est: erat enim ardens in concupiscentia ejus.* Quis huic columbæ, ab unguibus accipitris effugium speret? Aliud longè præsentius discrimen, ac periculosæ plenum opus aleæ incurrit: cubile ducis temulenti sola subiit, lectum accessit, stertentem reperit, & non solùm illa ab ipso illæsa, & inviolata recessit, sed & hoste obtruncato, gloriosum spolium, caput Holofernis deferens, victrix ad suos remeavit. Audistis attoniti ea, quæ numquam ulla puellarum incurrit animæ pericula; nunc cujus potenti, ac præsenti præsidio, & singulari tutelâ erepta sit, vel ipsa teste cognoscite: *Vivit Dominus, quoniam* CUSTODIVIT ME ANGELUS EIUS, *& hinc euntem, &* per castra petulantium militum: *& ubi commorantem in tentorio Holofernis temulenti, & libidine inflammati: & inde huc revertentem* cum capite truncati: ET NON PERMISIT ME DOMINUS ANCILLAM SUAM COINQUINARI; *sed sine pollutione peccati, revocavit me vobis gaudentem in victoria sua, in evasione mea, & in liberatione vestra.*

Speransa de oratione, puncto 85C

Psal. 21. v. 22.

S. August. sol. libro cap. 7.

1 Petr. 5.

Judith c. 10.

V. 16. Judith inter maxima pudicitiæ pericula ab Angelo servata.

Cap. 13. v. 20.

Cornelius hic: *Iurat Judith, se per Angelum custoditam ab omni Assyriorū petulantia, & libidine*: quia hoc Hebræis incredibile videbatur, ut fœmina tam speciosa, tam impudicorum manus evaderet. *Scivit Iudith, Angelum sibi tutelarem adfuisse*, sive quòd eum aspectabili forma viderit, sive quòd inspirationes ejus assiduè audiverit, quibus sentiebat se admoneri, & dirigi per omnia, ut sciret, quid qualibet horâ, & loco, sibi agendum foret, & dicendum: sive quòd alia præsentiæ, & directionis suæ signa *Angelus ei dederit*, ut tam heroicum facinus animosè aggrederetur, nec de felici ejus successu dubitaret, nec pudicitiæ suæ, cujus custos erat, timeret. Quæ, Judith pudicissima matrona, & invictæ heroina instinctu divino tentavit, hæc à nemine vestrûm periclitanda; sed si contingat, vos in ejusmodi pericula incidere, ubi contra mentem vestram pudicitiæ, & integritati insidiæ struerentur, lenocinia admoverentur, etiam vis inferretur, confidite, custodiet vos Angelus, & castimoniam vestram tutabitur. Sic & Agnetem virgunculam, contra impuros lenones illæsam servavit: *Nam ingressa* AGNES *turpitudinis locum*, ANGELUM DOMINI PRÆPARATUM INVENIT; non exspectavit, dum sola cum solo luctaretur, & periculum virginitatis incurreret; sed prævenit, eumque visibilem conspexit; unde ait: *Mecum enim habeo* CUSTODEM CORPORIS MEI ANGELUM DOMINI; cujus præsentiâ, & præsidio secura, nihil metuebat. Quæ facilior, quàm sub honesto connubialis thori titulo, virginitati labes inferri poterat? Valerius sponsus nuptiali thalamo parato, conclave *Cæcilia* solus; sed ad illam (præter opinionem) minimè solam ingreditur, quæ *primâ nuptiarum nocte, hunc cum eo sermonem habuit: Ego, Valeriane,* IN ANGELI TUTELA [illegible]M, QUI VIRGINITATEM MEAM CUSTODIT: *quare ne quid committas, quo ira Dei in te concitetur.* Quibus verbis commotus Valerianus, illam attingere non est ausus; sed Angelo conspectu, & ipse, & frater Tiburtius, lilius virginitatis rosas martyrii nexuerunt. Appositè divus Ambrosius, Angelicâ puritate nitentes virgines alloquens: *Neque mirum, inquit, si pro virginibus* ANGELI MILITANT, *qua Angelorum moribus militatis?* MERETUR EORUM PRÆSIDIUM VIRGINITAS, *quorum vitam imitatur.*

" Cornel. à Lapide in Judith c. 13. v. 20.

S. Agnes ab angelo servata. Breviar. Rom. 21 Ian. ad laudes.

Etiam S. Cæcilia angeli præsidio castitatē servat. Breviar. Rom. 22 Novemb.

Ambr. lib. 1 de virginib.

At ne hæc solùm ad puellas virgines dicta existimetis, juvenem vobis induco, stupendo Principis Angelorum præsidio ab illecebris carnis præservatum.

S. Michaël, Princeps militiæ cælestis, velut in custodiâ stabat, dum Galganus perditæ vitæ juve-

Ferrarius in Catal. SS. Decemb.

Hauuin. Angelus cust. c. 6. §. 1. n. 4. S. Michaël ado lescentis castitatē tuetur.

juvenis, non tam somno corporis, quàm gravi animę veterno oppressus jaceret; altum stertentem terrificâ voce tectiò excitavit, ut è lethargo flagitiorum surgeret, & excussis vitiis æterna cogitaret. Et tamen cùm ei mater & amici nuptias virginis, formâ & divitiis pollentis objecissent, equo conscenso, quasi ut celeriùs à monstrata cæli via abiret, ad eam iter contendit. Sed ô admirabilem, opportunumque benevolentissimi genii occursum! siquidem medio in itinere equus substitit, nequidquam calcaribus fodiente sessore: tandemque disertè cum Balaami asinâ negavit ultra se progredi posse, quem obvius Angelus prohiberet. Sensit hîc Galganus retundi sibi omnes, ab Angelo, voluptatis stimulos, & ad alia omnia cursum dirigi: damnatisque nuptiis, eo ipso in monte, (in quo & equi, & miraculi adhuc hodie vestigia visuntur) cellam extruxit, crucemque ex ense suo formatam, turi extulit, seu nobilissimum Angelicæ victoriæ trophæum. Dumque mater cum virgine sponsa profecta esset, ut ab instituto abduceret filium, ipse matrem, ut se Christo dederet: sponsam etiam, ut castitatem amplecteretur, potentissimis verbis impulit.

Quis non virtutem laudet, & amet Angelorum Principis, qui malesanum Galgani impetuosi cursum sistit? sic aliis sexcentis incitato cursu ad vetitos sibi hymenæos, imò ad incestos thalamos, aliaque flagitia ruentibus, cælestes genii se murum opposuêre, & clientes suos temerè se periculis exponentes, ut boni pædagogi censoriâ virgâ ad frugem reduxerunt.

Angelus utitur officio pædagogi. *Joan. Major. exemp. 15.*

Violensem adolescentem Joannes Major in exemplum adducit, quem è prostibulo, quo à pravis sociis seductus fuerat, in tenebris redeuntem, & periculi, à quo singulari Dei beneficio ereptus fuerat, magnitudine attonitum, primùm suo spectaculo custos Angelus recreavit, dum illi, radiante circum splendore, pulcherrimus apparuit; sed postea, ut pericula devitare doceret, tanta illi vi colaphum inflixit, ut humi dejectus provolveretur, dixitque: Disce jam, disce fugere semper consortia improborum: tetinuitque in genâ colaphi vestigium, ad finum, sinique sequacium ruborem.

Angelus vindex impudicitiæ.

Idipsum hodiernâ die omnibus, nisi omninò fronte exuerint, ex infami Veneris harâ prodeuntibus, aut turpi sceleri, vel solâ cogitatione succumbentibus, invisibiliter Angelus, non satanæ, sed Dei agere consuevit, [illegible] colaphizans, & ruborem illis ingenuum ex peccati turpitudine ingerens, & stimulos, ut iis tam turpibus, quibus adstricti sunt amoris vinculis, expediantur, subjiciens.

Actor. 12.

Actor. 12. ad Petrum vinctum in carcere, accessit Angelus: *Percussóque latere Petri*, dormientem excitavit. Tetigit latus, sedem cordis, princeps animi domicilium, fontem affectionis, quo ictu foras evocaret non cruorem purpureum, sed amorem purum & divinum; nostrum verò latus sospitator Angelus quatit, non manu, sed divino impetu, ut è vinculis non ferreis, sed nescio quibus philtris, & amatoriis liciis, quibus implexi sumus, exsolvamur.

Audîstis, quàm sedulus custos, ac propugnator illibatæ virginitatis, quæ Angelis propria est, tutelaris Angelus existat, & omnis impudicitiæ hostis, ac vindex fit. Talem se pro quavis virtute ostendendâ, & vitio avertendo præbere solet, ut saluti nostræ consulat.

Bideman matronal. 1. acroam. 6.

Hoc in Joviniano Imperatore, superbiæ spiritu elato, Dei ac sui oblito, mirabili catastrophe demonstravit. Jovinianum aulæ potentia, opum affluentia, hostium victoria, fortunæque favores altiùs extulerant, quàm ut capere jam ille, in sublimi fastigio se posset. Unde cœpit aliquid homine majus spetare, & mortalitatis propè oblitus, supra quam etiam Imperatori convenerat, tumere.

Angelus humilitatis custos, superbiæ vindex.

Videt, ridetque hanc hominis dementiam Deus, brevi putentem de solio depositurus.

In urbis regio suburbano lacus erat, amœnissimi nemoris viretum: inibi piscina salubris, aquæ declivi tepidine marginata, arborumque ambitu concinnè, velut aulæis quibusdam prætexta. Mediam hanc interluit limpidæ scaturiginis rivus. Ad has igitur Bajas (nam intepuetat à Sole) cùm Jovinianus, seu sorte, seu consilio delatus esset, abluendi corporis, æstusque minuendi desiderium concepit; nam & venatu plus æquo incaluerat. Igitur omnia confestim accurantur: chlamydem, tunicamque exuitur: cingulum, armillæ, diadema, cum reliquo corporis ornatu, subter vicinæ quercus umbram deponuntur. Comites, aulæque pompæ secedere jussi, & extra lucum tantisper præstolari, dum signo acciret.

Dum in hoc balneo Imperator, & alibi satellites, curis soluti, vagantur, prodit admirabilis ecce Mænechmus Angelus, Joviniano os, oculosque similis, ipsasque eas vestes, quas temerè incustoditas reliquerat, induitur, & raptâ personâ Imperatorem fabertimè assimulat. quo conspecto, (quamquam opinione citiùs aderat,) omnes continuò Comites occurrere, quique ad officium redire, ac in urbem, aulamque properantem deducere: nemo quod erat, suspicari: non oris dignitas, non orationis gravitas alludebat; gestus denique incessusque ad verum expressi, fucum texêre. Ita in regiam ingressus, haud segniter Rempublicam capessit.

At alter ignarus facti, de balneis inauspicatis, ad notam quercum recurrit. Visa ibi subucula (quam solam ei reliquam Angelus fecerat) perturbatus famulos instititit vocare. Cunctantibus primis, alios super alios frustra inclamat. Hîc ille commotior, cum rapta interula de luco demum procurrere, visum quid fieret, quave ignavia tot modò Comites torperent.

Ecce autem circùm undique solitudo. Tum verò jam furens ira, fringi, malumque desertoribus, & supplicium minari.

Quid consilii caperet? ad arcem eminùs conspectam se confert, ubi à toparcha, quidquid adferret, ut stolidè superbus, aut stultus exploditur, & foribus impatienter occlusis, facessere jussus; ad quæ sibi ægrè à lacrymis temperavit.

Secundùm hæc, iter instituit in urbem, regiamque petit, cujus vestibulum statarius miles obambulabat, qui advenam contemplatus,

mani-

manipuli mendicantis credit centurionem esse, aut ex Iri legione tribunum. Ideo ne quo stratagemate in palatium irrumpat, intra ipsas ejus portas opponit sese, hastæque cuspidem minax obvertit, sciscitans, quis & cujus esset? mirari jam ille, si suum satelles Principem non nosset, cujus tuendi custodiam acceperat. Sciret igitur apertè, Imperatorem se esse, qui nisi mox reciperetur, contumeliam atrocibus suppliciis esset ulturus. Simul vi custodiam perrumpere conatus, vi majori repellitur. Ita dum insistit hic, resistit ille, oritur clamor, excitantur aulici, concurritur, ubi rem omnes stultissimam audiunt: exulem ignotum, & trivii pannosum accolam, ad aulæ comitia candidatum venire, regnumq; petere. Cum multi insanum dicerent, pars dolum suspectarent, eòque trahendum in vincula, donec aut stultitiam edormiret, aut certè verum confiteretur. Vicit eorum sententia, quibus visum intro ad Principem perducere, ut regni sui rivalem, & competitorem rideret: cui enim dubium, quin ea res illi jucundum sit spectaculum editura?

Festinatur negotium, & nudum mendicabulum per turbam abripitur, ut Imperatori jocularis res sistatur. Ingredienti, suaque in aula circumspicienti, ingens (quod numquam exspectarat) miraculum objicitur. Hominem ibi videt, suum planissimè gemellum, aut alterum potiùs seipsum, regia in sella sublimem, & procerum suorum corona cinctum. Erat vox, & oratio una: erant vestes eæ ipsæ, quibus cum regnum in luco exuerat: Nihil denique diversum in diversis apparebat, præter unicum id discrimen, quod inter Menæchmos duos calamitas fecerat. Quare stupet attonitus, nescitque quis Amphitruonem sibi tam comparem subornasset; nihil tamen jam alios ausus percunctari, perpetuò flebat. Hinc novæ fabulæ tragicum argumentum. Anquiritur perduellionis in reum, ut quem libido invaserit regni capessendi: rogantur sententiæ, pars censet quæstionibus subjiciendum, cogendumque fateri verum.

Alii, qui illum pro fatuo habebant, morionem hunc retinendum, qui delicias faciat aulæ. Hanc ille sententiam, etsi miser Jovinianus haud magnopere probabat, priori tamen credidit mitiorem: quippe qui ridere pro motione mallet, quam insidiator torqueri.

Postremi judices, adductis variis suspicionibus, judicant non magis tormentis confessionem, quam suppliciis sanguinem exprimendum. Quo animo hanc sententiam exceperit, cogitandum relinquo. Prætor tandem capitalem sententiam pronuntiat; vita quidem condonari posse; cæterum ac stulti quidem itidem alii, regnum ambire, unius exemplo assuescant, hunc quisquis esset, ad equi caudam religatum, cum ignominia per urbem raptandum esse. Ita è judicio discessum. Confestim vilissimi quique aulicæ turbæ circumfunduntur, rapiuntque, feruntque, trahuntque, & in vestibulo humi distentum, craticque impositum, ab equi syrmate suspendunt.

Igitur, quando spes regni huc reciderat, ut de vita jam quoque periclitaretur, cælitum, hominumque fidem ejulans obtestatur: paratus Regem, regiamque æternum ejurare, atque exul de cætero vivere, dummodo pœna tam infami, gravique absolvatur. Quibus tantis precibus exorari se judices passi, vinctum exsolvi, dimittique, ab urbe jubent.

Nunc exul, vagusque, ne qua in publico pernoctaret, id perfugium habuit, ut ad casulam diverteret, quam haud longè distantem, Anachoretes, vir pius incolebat, à quo, ut auxilii nihil acciperet, hospitium tamen fortè, & consilium, certè autem solatium sperabat, quod & invenit, & accepit: nam ne diutius vos suspensos detineam. Anachoretes ab Angelo totius fabulæ seriem edoctus, & vestibus Joviniani receptis, ubi salutaribus monitis illum instruxit, regio cultu ornatum in aulam deducit, nemine, nisi cùm duo sibi simillimi in aula conspecti sunt, ludum hunc Angelum inter, & Imperatorem observante. Cum tandem depositâ persona tutelaris genius, Jovinianum non alta sapere, sed humiliter sentire docuit, & disparuit; documento ipsi, & nobis relicto, quàm longè cælestes illi spiritus clientes suos à typho superbiæ abesse, & deterrere conentur: cum experti sint, quantam ruinam consortes sui, Lucifer cum sociis hoc unico elationis vitio incurrerit. Quare ut ab Angelis castitatem, humilitatem, cæterasque virtutes hauriamus, & vitia detestemur, speculi in morem nobis proponendi sunt, in quo quid imitandum, quid emendandum sit, videamus: quippe non injuria S. Dionysius vocat cælestes illas intelligentias *lucidissima specula*, in quibus quid distortum, inconcinnum, fœdum, quid pietati, quid honestati contrarium, speculemur. Angeli specula, ad quæ mores formandi

Sancta Francisca Romana habuit custodem Archangelum Sole lucidiorem, ad cujus radios, volenti in luce meridiana, absque alio lumine, noctu legebat. Ad Angelicum lumen, & tu cordis libellum inspice, teque despice, ac conscientiam excute. *Vrsinus in vita lib. 2. cap. 14.*

Videbat Francisca in vultu sui Angeli erubescentis, aut beatam faciem obtegentis, si quis eorum, quibuscum erat Francisca, in Angelico vultu, *velut in parissimo speculo* suas vilitates, & infirmitates videre; visuram etiam defectus aliorum, si oculos in illum defigeret. Defige tu mentis oculos in Angelum tuum, & hodiernos enormes tuos mores, cum Angelicis compone. Illi ipsi cælestes spiritus, conatus tuos probabunt, adjuvabunt, & coronabunt, quod insonat clarissima Africæ tuba Augustinus: *Ambulant*, inquit, *nobiscum in omnibus viis nostris: intrant, & exeunt nobiscum, attentè considerantes, quàm piè, quamque honestè, in medio nationis pravæ conversemur, quantoque studio, & desiderio quaramus regnum Dei, & justitiam ejus. Adjuvant nos laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes,* CORONANT VINCENTES, *grandis est eis cura de nobis: Magnus affectus dilectionis eorum erga nos.* *August. Soliloq. cap. 27.*

His enarratis tam innumeris, & luculentis erga nos Angeli tutelaris beneficiis, non dico barbaris, sed ipsis belluis immaniores, & ingratiores

tiores essemus, nisi omni studio, obsequio & affectu tantum Principem, custodem, ductorem protectorem prosequamur.

§. IV.

Quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse ejus beneficiis. Tobiæ. 12.

Quæ gratitudinis officia & obsequia angelo custodi exhibenda.

1. Gratitudinis pars est, accepti beneficii memoria.

Seneca lib. 3. de beneficiis c. 1. S. Thomas 22. q. 107 art. 1.

RElegite omnia, quæ ab infantia huc usque subiistis pericula, seu corporis, seu animæ; hæc omnia, aliaque innumera, quæ vos latent, & quibus erepti estis, Angeli tui sunt beneficia. Hæc inde spenes vos attentâ mente recolite, quæ est prima grati animi exhibitio; uti hominis maximè ingrati est, beneficiorum acceptorum oblivisci. Hoc gentilis Seneca vel lumine naturæ conspexit, quem S. Thomas adducit: INGRATUS EST, *qui beneficium accepisse se negat*: INGRATUS *est qui dissimulat*: INGRATUS *est, qui non reddit*; INGRATISSIMUS OMNIUM, QUI OBLITUS EST, quod hisce probat argumentis: *illi enim si non solvunt, tamen debent, & exstat apud nos vestigium certè meritorum: & aliquando ad referendam gratiam converti ex aliqua causa possunt, si illos pudor admonuerit &c.* HIC NUMQUAM FIERI GRATUS POTEST, CUI TOTUM BENEFICIUM ELAPSUM EST. Talis profectò, qui numquam beneficii recordatus, planè oblitus est, multò minùs de eo reddendo secum cogitavit; unde subdit: *Quis tam ingratus est, quam qui quod in prima parte animi positum esse debuit, & semper occurrere, ita seposuit, & abjecit, ut in ignorantiam verteretur*: tum sic rectè concludit: *Apparet illum non sæpe de reddendo cogitasse, cui obrepsit oblivio.*

Quid minus benefactori gratitudinis exhibere potes, si redhibere non potes, quam ut sæpe recolas, ac recogites, quid beneficii acceperis? Manet in ipsis brutis, in canibus, in leonibus, obsequii sibi præstiti, vel offæ objectæ, vel spinæ evulsæ memoria, ut alias diximus; & tu ipsis belluis inhumanior, & ingratior, quæ à tutelari tuo nactus es, per menses, & annos, imò omnem vitam, numquam recogitando, oblivione omnia sepelies? Talem Doctor Angelicus hominem planè scelestum appellat, adducens illud Pauli 2. ad Timoth. 3. *Parentibus non obedientes, dicuntur ingrati, scelesti*; quanto ingratiores, & scelestiores, qui non solum parentibus non obediunt, sed quæ ab illis beneficia, quæque longè majora ab Angelo custode receperunt, sine ulla recordatione, & agnitione, ducunt in oblivionem: Prima itaque gratitudinis pars est, crebra & iterata beneficii accepti memoria ac jugis benefactoris recordatio, quâ junior Tobias omnium memor, & in se collata beneficia ad amussim commemorando excellunt. Altera est beneficii redhibitio, & alio quovis beneficio, aut obsequio compensatio: non enim inter Christianos

S. Thomas cit.

2. Pars gratitudinis, beneficii compensatio.

dumtaxat, sed & inter ethnicos & barbaros, *non referre beneficiis gratiam, & est turpe, & apud omnes habetur.* At ne hominis gentilis nitar suffragio, Doctoris Angelici nitar testimonio dicentis, ac docentis: *Gratiarum actio est quadam gratiæ recompensatio: quia naturalis ordo requirit, ut is ille qui suscepit beneficium, convertatur ad Benefactorem, & vicissim beneficium reddat.* Quod apta similitudine, in lusu pilæ expressum reperio: in quo lusori non solum laudi est, si ingeniosè pilam excipiat; sed si & gratiosè remittat. Idem, inquit Romanus Philosophus, in beneficiis accidit: *Qui accipit beneficium, licet animo benignissimo acceperit, non consummavit officium suum: restat enim* PARS REDDENDI. *Sicut in lusu est aliquid, pilam scitè, & diligenter excipere; sed non dicitur bonus lusor,* NISI QUI APTE, ET EXPEDITE REMISIT QUAM EXCEPERAT. Sic scitè, & expeditè lusit Tobias cum Angelo, cujus beneficia animo benignissimo accepit, & quomodo reddere posset, solicitè egit: sic enim senior ad juniorem: *Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum?* *respondens* Tobias (junior) *dixit Patri suo. Pater, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?* ut quid hoc? ut quid de beneficio reddendo tam sollicitus est? quia plurima accepit, quæ enumerat: *Me duxit, & reduxit sanum; me ipsum à devoratione piscis eripuit, bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dare?* Sed peto te, pater mi, *ut roges eum si forte dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata sunt, sibi assumere?* & hæc quidem dicebat ipse etiam tum, cùm ignorabat genii personam, & sola rei naturâ, beneficia æstimaret: nec enim sciebat Tobias eum fuisse Angelum; at ubi purissimum è cælesti regia Principem intellexit, à quo tot beneficiis esset cumulatus, tum verò eadem, pro eo ac poterant, ipse ac parens expendentes, *prostrati per horas tres in faciem*, (ut loquitur Sacer Historicus) *benedixerunt Deum, & exsurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus.* Non poterant scilicet capere beneficiorum acceptorum magnitudinem, nec excogitare dignam in reddendo obsequio gratitudinem, parumque videbatur, etsi dimidiam partem bonorum obtulissent. Quo omnibus nobis documento sunt, quod & tutelari nostro gratias referre debeamus; ut rectè observat Augustinus: *Per hoc autem quod pater, & filius medietatem omnium bonorum dare voluerunt* ANGELO, *docemur esse grati de beneficiis acceptis.* Officium verò gratitudinis à summo Theologo Leonardo Lessio quartuplex ponitur.

Seneca de beneficiis. lib. 3. c. 1.

S. Thomas 22. q. 106 art. 3.

Apta comparatio in reddendo beneficio.

Seneca lib. 2. de benefic. c. 32.

Tobiæ 12. v. 2.

August. serm. 226. de temp. apud Liram in Tobiam. c. 12. v. 2.

Quadruplex officium gratitudinis.

Lessius de just. & jure lib. 2. c. 47. dub. 1. n. 5.

Beneficii æstimatio, benigna acceptatio, " gratiarum actio, grata commemoratio, be- " neficii relatio. Quæ singula eleganti discursu serviunt, ut apud illum videre est, & brevitatis causa omitto.

Dici non potest, quot titulis simus omnes obstricti ad tutorum nostrorum tam illustrium propè immensam, ac continuam charitatem, & custodiam agnoscendam, atque apud nos reputandum, quantum illi debeamus, quantum per eos ad beatam vitam adipiscendam auxilium; quantum in eorum apud Deum gratia, habeamus præsidium repositum.

Pla-

Bernard. in psal. 90. serm. 12. Ut nos gratos exhibeam*, debemus angelo 1. reverentiam.

Placet mihi suavissimi Bernardi admonitum, quod impressum omnium mentibus, & expressum moribus pervelim: *Angelo nostro debemus reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia: fiduciam pro custodia.* Sanè ingrati, improvidi, insanoes, & supplicio digni sumus, nisi omnem illis cultum, & reverentiam tribuamus, atque intimo animi sensu eos vereamur, & revereamur; sic tamen ut fateamur omnes, & præ nobis feramus, nullis officiis, & religione, consequi posse, ut eorum erga nos studium, & præstantē voluntatem æquasse videamur. Quo nobis est providendum studiosius, ut saltèm memori mente inexplicabilem eorum benevolentiam, & illustria promerita versemus, & quotidianis votis celebremus.

Bern. serm 12. in psal. 90.

Ac primo quidem quod *Reverentiam spectat pro præsentia*, melliflui Doctoris in usum revocanda est sententia: *In quovis diversorio, in quovis angulo* ANGELO TUO REVERENTIAM HABE; in ejus luce, atque præsentia componendos est animus, & excitandus ad meliora, & vitiorum omne genus ac quidquid honestati adversatur, singulari diligentia vitandum: est enim illud naturæ imbecillæ frænum, cogitare nobis ad latus ubique versari illum testem, & amabilem vitæ socium; sed & vigilem censorem, qui acerrimè, usq; ad intimos aoimi recessus, oculos suos injiciat. Atque ita eveniet nobis, quod Seneca è clarissimorum Sapientum mente, esse optandum ajebat: *Accipe utilem & salutarem epistolæ clausulam, quam te affigere animo volo: aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tāquam illo spectante vivamus, & omnia tamquam illo videute faciamus. Pars magna peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat.* Addit paulò post: *O felicem illum, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat, atque ordinet; qui aliquem vereri potest, cito erit verendus.*

Seneca ep. 11.

Christianè à gentili, & quantò verius, si non modo aliquem virum booum, sed cælestem spiritum, supernæ illius regiæ Dynastam, mentem illam purissimam, ante oculos, ad latus, & intimè præsentem verā fide habeamus: Nam si discipulus io conspectu magistri, famulus præsente Domino, homo plebeius coram Principe, aut Rege, gravius impingere, aut flagitium admittere non audet, quid præsentia divini illius pædagogi, magni illius aulæ Domini, ac Principis, non efficiet? Job de se manifestò testatur: *Videbant me juvenes, & abscondebantur, Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.* Si quod animo conceptum,* aut inceptum facinus, ad præsentiam viri honorati disturbatur, dissipatur? Quomodo non mutabuot sermones, & mores, ubi illud animo occurrerit, *Angelus adest.* Convincit Bernardus argumento ad captum: *Tune audeas illo præsente, quod vidente me non auderes?* tu bacchari coram, tu lascivire, tu furere, superos hominesque perjuriis, & maledictis lacesserer tu illo censore, & inspectore comitatus, in gurgustia, in lustra, in ganeas, in lupanaria intrare oon erubescis? tu illum trahere in domicilium, & officinam tuorum libidinum non verecundaris? Tu illum fœdissimarum voluptatum testem adhibere non perhorrescis? si hoc spectante, & audiente, juvenes & proci cum puellis versentur, ac fabulentur, quàm castè quàm cautè! Nartat P. Suffren, à paucis annis personam magnæ dignitatis in aula Regis Franciæ sibi dixisse: si illi occurreret obscœna cogitatio, aut suggestio mali genii vehementius impelleret; conspectum, aut præsentiam cujusdā dominæ, integerrimæ vitæ in aula, quam nominabat, ita animum ejus à scelere avocare, ut pudore suffunderetur hac præsente vel cogitare, sed saniorem mentem reciperet. Et quisquā nostrum, scelus aoimo admitteret, aut actu perpetraret, qoi purissimum illum ab omni carnis concretione alienum Spiritum, sibi præsentem firmiter persuadet, & vivaciter contemplatur?

Iob. 29.

Bern. serm 12. in psal. 90.

L'Annee sacre P. Suffren. pag. 54.

Putabat certè S. Ambrosius ad omne peccatū vitandum hanc solam considerationem abundè sufficere, qui serm. 1. in ps. 118. sic ait: *Quamvis cum ancilla, vel meretrice vulgari, si quem fortè spectatorem cognoverit facinoris sui, pudore tamen inceptum deserit; quantò magis si quis allevet mentis oculos, & considerer* PLENA ESSE ANGELORUM OMNIA, *contepto potest renunciare peccato?* ac tandem concludit: si peccator usurpet illud Eccl. 23. *Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo conspicit me.* Cui respondet: *& non reveritus esses Angelorum præsentiam, si præsentes esse crederes? non metueres, non dicam facere, sed loqui, aut aliquid cogitare?* Quis non obstupescat hoc motivo genii præseotis, ipsos gentiles ad omnem honestatem exstimulatos fuisse?

Amb serm 1. in psal. 118.

Aristoteles in lib. de secretis secretorum ad Alexaodrum: nescis, inquit, qood teste Hermogene, duo sunt spiritus, qui te custodiunt, quorum unus stat ad dextram, & alius ad sinistram, custodientes, & scientes opera tua, & referentes factori tuo, quidquid feceris? *hoc solum in veritate debet te, O Alexander retrahere ab omni inhonesto opere.* Per quos genios Angelos intellexit, unum malum Angelum satanæ, qui stat ad sinistram; & alterum bonum à dextris, cojus præsentiam voluerit omni reverentia honorari.

Epictetus ad suam illam mille postea drachmis æstimatam lucernulam, aliquid vidit, dum in Enchiridio suo de Deo dixit: procuratorem unicuique addidit *genium, eumque illi custodiendum tradidit, & tali quidem qui nec dormiat, nec decipiatur:* cum *igitur fores clauseritis, cavete ne umquam dicatis vos esse solos: neque enim estis soli, sed Deus intus est, vester Genius intus est.* Non erubescamus ad has voces? hoc viderit Philosophus in illius ævi teoebris, nos Christiaoi, nos Virginis Matris clientes, tam insanâ libertate in vetitum toamus, ac si Deus, ac si custos Angelus remotissimi, nihil nostri sceleris arbitrarentur? O temeritatem furialem! ô impurè! ô libidioosè, quisquis es, quid impium illud: *solus sum*, in lascivam turpitudinem te animat? ah cogita ubicumque es, nusquam *solus es.* Quibuscumque vel tenebris, vel latebris tegaris, in silvis, in caveis, in solaribus, in cubiculis, clausis ostiis, fenestris, cortinis, numquam *solus es*; habes tui sceleris vel secretissimi spectatorem Deum, & testem Angelum, & eum quidem custodem, qui *nec dormiat, nec decipiatur.* Ergo attende tibi, & obscœnatū cogitationum vel primos aspectus

ex-

Omni loco debetur Angelo reverentia, sed maxime in templo. *Chrysost. hom. 36. in 1. ad Corinth.* *In vita lib. 3. cap. 9. Nadasi annus angelic. pag. 160.*

exhorresce. *Non solus es*, ubique deprehensus es; Quod si in quovis diversorio, in quovis angulo, in cubiculo, in foro, in campo, *Angelo tuo reverentiam debeas*; quanto magis eam in templo, in domo Dei, in loco sancto, ubi Divinæ majestati venerabundus adstat trementium Angelorum chorus? nam ut inquit Chrysostomus: *Est locus Angelorum, locus Archangelorum, regia cæli*, ubi vel oculis evagari, cælestis genius indignum ratus, severè ulcus est, ut beatæ Veronicæ Virgini accidisse legimus, quæ suis hæc candidè fassa: Sacerdote sacris operante, propè altare genuflexam sororem curiosiùs inspexi. (Ecce vigilantem ad re in templo Angelum tuum) Angelus Domini, qui mihi adesse consueverat, me tantâ severitate increpuit, ut penè diem extremum in clausura fuerim. Heu! quam ingens horror fuit ille arguentis Angeli! quam verba illa omni gladio ancipiti perterebrabiliora cor meum! quam terribilibus oculis, & vultu irato me intuitus est! hæc mihi exprobrando: sicciné egisti, cordi laxans habenas? *Cur oculis evagata es? cur sororem illam curiosius aspexisti?* addidit Virgo, per tres dies continuas, lacrymas fundens, sibi gravem pro illa oculorum evagatione impositam fuisse pœnitentiam. Similem levem ob oæ vum, S. Franciscæ Romanæ, ab Angelo alapa validè inflicta est. Quid is fier, qui oculis non solum in templis evagantur, sed & ipsis, *& animo fornicantur?* in quos Antiochenus præsul nō alapas pluere, sed Angelos è cælo fulgura evibrare hortatur: *Multi*, inquit, *ad formas mulierum aspiciendas, ad adolescentulorum pulchritudinem curiosius intuendam, in Ecclesiam veniunt. Tum assurgit: non miraru quomodo undique fulgura non deferuntur? Quomodo cuncta funditus non evertuntur? hæc enim non fulminibus solum, sed etiam gehennæ supplicio dignissima sunt.*

Bellarm. de gemitu columbæ l. 2. c. 12. Chrysost. hom. 14. in Matth.

2 Debemus angelo devotionem

Hæc de reverentia Angelo debita. *Devotionem pro benevolentia*: hanc inculcat, & meritò Divus Bernardus: *Simul*, inquit, *tantu custodibus* DEVOTI SIMUS: *grati redamemus eos, honoremus eos, quantum valemus, quantum debemus.* Quare, ut illum prosequaris officiis, qui re sibi tot obligavit beneficiis, unum alterum ve officii genus suggero. Imprimis ipsum tibi natalem, illius amori, & obsequio totum consecra. In promptu est causa. quia illa est ipsissima dies, qua propter te, & propter tuam salutem, Angelus descendit de cælo, ut tibi hic assisteret in terris: illa die te suscepit in suum clientem, cum promisso, numquam te deserendi, nisi assequereris tuam salutem. Quid igitur ages illa die, ut post Angeli tot beneficia, sis gratus tuo benefactori? primo pervigilio illius diei, jejunio, aut alia corporis maceratione, testare quod benefit corpori, illius deberi custodiæ. Corpus ergo ha&enus præservatum, in honorē Angeli præservantis, aliquod ei homagium præstet; quia verò præter corpus, etiam animum servavit, ipso die expiatum sacrâ exhomologesi, & divino epulo pastum, convivam mensæ Angelorum exhibe, & tutelarem Angelum ad panem Angelorum tecum invita; sed quia omne trinum perfectum est, ausim tertium hic adjicere pro Angelo, illo die, obsequium secuturum erit, ut spero, consilium. Faciunt hoc Cæsares, Reges, Principes, nobilissimi Proceres; itaque res est honorifica, quia familiaris viris tam honoratis. Imprimis, ne accersam, vel ex veterum annalibus, aut ex remotis regionibus, nobilium Satrapatum exempla, habemus domesticum hic in Belgio serenissimum nostrū Archiducem Leopoldum, qui, hoc, quod à vobis requiro, quotannis exoret. *Hic die sibi natali, in honorem Angeli tutelaru, tot in pauperes erogabat aureos nummos, quot numerabat annos*: ô, quam hoc gratum divinis illis spiritibus! quam non ingratum pauperibus! quam utile erogantibus! Aperi, laxa illo die tuam crumenam, quo Angelus te suscepit in clientelam suam, & offer per manus pauperum, si non aureos certè argenteos, vel saltem tot æreos nummos, quot annos sub tutela ejus vixisti. Et quid est pro tanti Angeli obsequio, offerre 30. 40. 50. asses? quantum interim exultabunt omnes hic præsentes Angeli, si hoc omnes hodie facere decernitis, ut primo die natali, quod decrevistis, exequamini. Sed quia vos credo jam accensos amore vestri præsidis, audeo adhuc aliud suggerere, quod ei afferatis, genus obsequii, quod ceteris omnibus, fateor, paulum difficilius, sed & multò utilius. Ut quisque die natali, firmiter statuat, vitium aliquod, in quod promior est, toto anno, in honorem sui Angeli, velis, remisque profugere. v.g. si te pronum ad iracundiam, si ad vindictam, ad luxuriam, ad perjuria, ad mendacia, aut aliud vitium præcipitem agnoscas, illud ipsum tibi vitandū propone, idque in honorem Angeli, quem tam pio conatu fautorem habebis; cui ut constantius velificeris, certam tibi pœnam, aut mulctā constitue, haud dubiè subeundā cum deliqueris. Fuere clientes Angelici, qui in gratiam sui tutelaris, sacramento se obstrinxerunt, ad fugā certi criminis, cui maximè adhæsce re solebant; cujus rei heroicum propono exemplum. Refert Ximenius, Patriarcha Jerosolymitanus, vixisse olim Constantinopoli juvenem quemdam, cui Falconomen, sanguine nobilem, ac multo amplius singulari studio in custodem Angelum: qui etiam in illius honorem votum nuncupavit, numquam mentiendi, ne pro vita quidem redimenda; audax votum, sed & pium! Habuit aliquando occasionem præclaram, arduum voti sui experimentum. Nam evenit exortis inter sermones rixis, districtisque gladiis, sodalem sine arbitris, nullo conscio confoderet. Cæde cognita, & per urbem promulgata, cædis auctor ubiq; disquiritur, & ex levi argumento suspicio mora in Falconem; ergò à judice accersitur, interrogatur de homicidio, quid consilii? fateatur? certæ morti addicitur; si neget, morti eximitur, nequit enim convinci. At negare vetat votum mentiri; sacramento, quod in Angeli honorem dixit, repugnat, tametsi in mendacio vita niteretur. Quid? Ergone tam perniciosa clienti Religio in custodem erit, ut ad mortem adigat? non est mens custodis, qui custodire suos amat, tantum abest ut sui causa velit exponi neci, Religio probari nequit, si crudelis est. Ita ipse secum ex ingenio naturæ, mortem amoliennis. Quod ubi primum animadverit, nimis diu deliberavimus, ait, quando de tutelaris honore agitur, dictaque illi fide. Egon ut illam prodam, prius hanc vitam perdam, fixum est,

Ximen. lib. 3. c. 1. de nat. Angel. Hamm. Angelus cust. pag. 471.

ut

ut vixi, moriar Angeli mei gloriæ devotus.

Fatetur igitur crimen, & ore suo jam reus criminis, damnatur capitis. Cùm dictus supplicio dies venisset, magna militum & satellitum manu stipante, ductus est ad fatale suggestum, intereaque dum Angelo se, suaq; committit in omnem exitum, nescio quid fiduciæ suggeri sibi sensit. Tum ita statuit: ut fidem servem, tui causa, mi Angele, libens cadam, submissoque genu, cervicem gladio exponit, mortem excepturus: jam librabat ferrum carnifex, cum ex adverso conspicuum videt juvenem exerto ense necem sibi interminantem, nisi destinatum ictum retineat. Ille quasi de cælo tactus, subitò pallere, tremere, gladiumque non tam abjicere, quam non sustinere manibus excidentem. Exoritur inde varium, ac confusum murmur attonitæ plebis. Judex seu inertiam, seu fraudem carnificis insimulans, alterum committit, qui judiciũ exequatur. At hic quoque terribili aspectu, rursumque consternatus labascit. Ferunt tertium adhibitum esse, eodem eventu, providente Numine, ut tanto cótestatior esset custodia tutelaris. Quin imò, necdum his portentis domita est ulciscendi rabies, qua flagrabat quidam interempti cognatus, homo pertinax odii: is enim obtenta à judice potestate, ut carnificem ageret, suggestum scandit, ferrum arripit, libratq;. At illum Angelus non minis modo deterret ab ictu, sed verbis admonet, ne pergat porrò: nefas esse eum capite mulctari, qui facinus in gratiam sui fassus sit; magnum eum brevi evasurũ. Acquievit continuò & ipse monitis armatis, trepidusque rem judici denuntiavit, qui cessit tandem inimici testimonio. Tum verò bonus Falco custodis gratia cumulatus, non tam se redditum vitæ, quam novæ ac meliori donatum existimavit. Atque ut tanti beneficii monumentũ, ipse vivus esset, cænobium ingressus, merito nomine *Angelus* vocari, sed magis esse studuit Angelica vivendi ratione.

Dic age, numquid hoc demum est, clientem tutelaris esse, pro illius gloria spernere vitam, vel tum, cum maximè pretiosa est, in flore juventæ? numquid & hoc est custodem agere, sub carnificis ictu servare sibi devotum, quando præter mortem nil posset sperari? Eadem ab eodem spera, si eidem devotus, eadem impendas obsequia, sed ne dumtaxat semel in anno, de natali, quem ego baptismi vestti opto, recolamus, aliæ praxes suppetunt, ut eum indies ob oculos habeamus, memoria recolamus, ejus suavibus monitis obtemperèmus.

Ad hæc primum ac plurimum conducet piam & modestam Angeli custodis imaginem in conclavi suo, seu oratorio appensam habere.

An non vidisti filios in conclavi habere, pro posthumo quasi mnemosyno, charæ matris imaginem? nulla facilè mater (ut supra demonstravi, tanta præstitit, quanta Angelus tuus tibi beneficia, avertit pericula. Appende ergò, quẽ oculis cernere non potes, cælestis illius in conclavi tuo imaginem, ut illum non tantũ in oculis, sed & in corde geras: & quia referre dignas illi grates non potes, ne unquam elabantur, ipsa ejus Angelica figura exstimulet.

Aristoteles Platoni magistro suo aram erexit, in animi grati testimonium, & pignus amoris, ac inscripsit: Platonem esse, quem probi omnes meritò deberent imitari, ac venerari. Quid tu magistro tuo Angelo? illi qui te à primis cunabulis, & ut sari posses, edocuit, & in omnibus studiis pædagogus à latere fuit? da te illi totum in minerval, ut suo olim magistro se dedit Æschines: De quo Seneca, magistro suo *Socrati, cùm multa multi, pro suis quisque facultatibus offerrent, Æschines pauper auditor; nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi possim, invenio, & hoc uno modo, pauperem me esse sentio; itaque dono tibi quod unum habeo, meipsum: Cogitesque alios cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse.* Seneca lib. 1. de benef. c 8.

Cui SOCRATES: *quid ni tu, inquit, mihi magnum munus dederis, nisi fortè parvo te æstimas?* HABEBO ITAQUE CURÆ, UT TE MELIOREM TIBI REDDAM QUAM ACCEPI. Subdit Seneca: *Vicit Æschines hoc munere omnem juvenum opulentorum munificentiam.*

Habes & tu magistrum ac pædagogum Angelum, cujus intuitu, Socrates merus fungus est: anxius fortè hæres *quam mercedem*, quod minerval, aut munus oblaturus sis. Da teipsum, non Socrati, sed primæ omnium Philosophorum intelligentiæ, custodi Angelo, ille *te meliorem tibi reddet, quam acceperit.* Quare cor tuum illi pro ara consecra, & in eo suffitus, & incensum ardentium precationum in laudes ejus adole, & coronam capiti ejus nectere indies non cesses; quæ hac praxi peragitur, ut ad minora grana recitetur: *Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum, pietate supernâ, custodi, rege, & guberna.* Ad majora verò salutatio Angelica.

Quanti verò hic in domo, in cubili tuo te dormiente, præsidii, & custodiæ sit, ex hoc disce. Venetiis dæmon, simiæ specie, jucundissimè se Advocato Domino suo, homini nequam servivisse fassus est tandem Religioso viro Capucino illic prandenti, eo fine, ut si vel semel ante somnum B. Virginis opem implorare neglexisset, præfocatum ad infetos abriperet. Ergo actis B. Virgini Mariæ gratiis, Advocatus Zachæi verbis, bona in egenos, & eos quos defraudasset se projecturum recepit, & dæmon perrupto ad plateam muro effugit. Cumque jam ex ore viri Religiosi penderent domestici, ex ipsa mensæ mappa largum sanguinem expressit, ut ostenderet omnia causidici hujus bona, esse sanguinem pauperum. At foramen in muro nulla arte claudi potuit, donec Religiosi illius Patris Capucini cōsilio, lapide, *cui sancti Angeli imago* inerat, clausum est, & ab omni metu, domesticis quies reddita. Unde ponti proximo nomen: *Pons sancti Angeli.* Kal. Marian. Ioan. Maior. Nadasi Annus Angel. hebd. 17.

Aliud quod propius ad rem facit, subjungo. Narrat Recupitus in incendio Vesuviano p. 25. Nicolaus quidam Angeli tutelaris statuam inauratam curarat ære tum suo, tum quæsito ab aliis. In Vesuviano incendio Neapolim profugus Nicolaus, rogatus num quid detrimenti ejus prædium accepisset? respondit, nullum. Nã meus, inquiebat, tutelaris Angelus adstat ad agelli limites mei, omnem ignis injuriam propulsaturus. Vates fuit, quia nihil damni tulit, & illa Angeli imago reperta est erecto vertice extare undis, adstare rupis, quæ ejusdem Nicolai

prædio prominebant, quasi limites custoditet. En quid ille pretii tulerit ab imagine. Alterum longè gratius obsequium est, si ex interiori Angeli monito, imaginem ejus moribus, & vita exprimas, juxta illud Exodi 1.1. *Ecce ego mitto* ANGELUM MEUM, *qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparavi tibi:* pro qua benevolentia vult & ei devotionem, & observantiam omnem exhiberi, subdit enim: *Observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes.*

Exodi 1.

Quomodo observas eum, quomodo vocem ejus audis, dum te interno motu ad pietatem, ad usum Sacramentorum, ad bona opera exstimulat: dum à vitiis, à pravis sociis deterret?

Quomodo is vocem ejus audit, qui inane ab Angelo expertectus, stertere pergit?

Histor. Soc. part. 2 lib. 11. n. 66.

Joannes Carrera castissimus juvenis, inflammato semper studio erga tutelarem Angelum rapiebatur: cum hoc tanto erat, tamque familiari conjunctus usu, ut velut intimo eum amico sua consilia, sermonesq; conferret, sæpe ad eum de rebus suis dubiis, arduisque referret. Denique in eam fam.*i Angeli familiaritatem venerat, ut ab eo quotidie horis antelucanis, ad oratione excitaretur è somno. Quamquā hanc aliquando consuetudinem Angelus intermisit, quod excitatus à semane Joannes, languore, ac lassitudine victus, ad vocem ejus continuò se è strato non protipuisset; sed pro hac minori observantiæ notā, per dies plurimos occultante se Angelo, pœnas dedit, cujus præsentiæ desiderio multis ad Deum placandum precibus, ac jejuniis, vix tandem quod amiserat recuperavit. Nonne id indies fieri existimamus, dum vocem ejus interiorem nos excitantis, monentis, deterrentis negligimus; ut se nobis subducat, aut subitatus eo quo solebat, favore nō præveniat.

Paulus Barri. solitud. div 7 medit. 1.

Consimile quid ævo suo accidisse refert Paulus Barrii, quod Anna Saintongesia Ursulina à custode suo Angelo semper à somno fuerit excitata his verbis *Anna surge*; faciebat id illa sanctissimè; semel tamen nonnihil eum somno consultans indormiit, sed adfuit voce jam severiore excitator Angelus, itriforiè dicens: *Domina non placet surgere* Quasi verò tu alacritate, qua mentis, corporisque compositione surgeres, si Angelum præsentem excitatorem tuum ad lectuli caput aspiceres? eadem nunc surge: æquè enim ille te videt nunc, dum non videtur à te. S. Bernardus: *Quando surgendum est, præparaudut est animus ad devotionem, ita ut ferventer exilias è lecto, & gratias agas pro custodia, & protectione Angelica.*

V. Drexel. Horol g. Angel. cust hora. 18. c. 7.

3. *Fiduciam pro custodia debemus.* Bern. cit.

3 Debemus fiduciam pro custodia.

Summam in tutelari genio fiduciam collocandam suadent, & evincunt innumera, è quibus mortales eripuit, discrimina, infinita quæ contulit beneficia. Hâc fiduciâ fretus Eliseus, etsi se hostium copiis cinctum cerneret, intrepidus persistebat. S. Ambrosius: *Elisæus Propheta cum eum vellet Rex Syriæ captivare, ac sua subdere ditioni, multisque eum armatorum cinxisse tagminibus, non est turbatus, non territus; sed annuntianti puero, ait: noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. O fides sancti Prophetæ! non timet adversarios quos prospicit, quoniam scit Angelos secum esse quos credit. Non metuit terrenas insidias, quia cælestia adesse sibi novit auxilia. Plures, inquit, nobiscum sunt, quàm cum illis. Mira res! plures erāt defensores meretur sanctitas, quàm in terris oppugnatores adduxit improbitas. Spirituales oculi carnalibus quanto plus cernunt? hic prospicit armatorum numerum, & ille non cernit defensionis indicium. Quanta est divina misericordia! defertur hominibus beneficium, nec videtur auxilium: hac est pietas Salvatoris, ut interveniat saluti, nec se prodat aspectui: sentiatur beneficiu, & non cernatur obtutibus.*

Amb. serm 1. de Elisæo tom. 1.

Totus orcus emissus videtur, dum homo accedit ad servitutem Dei, aut animum præparat ad orandum, quod prima Veritas prædixit Ecclesiastici 2 *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem:* nam, ut inquit Hugo Card. *Dum accingi divino servitio præparat, bellum diabolicontra se excitat.* Simili sensu Rabanus: *Quantò enim quis se à mundi amore avertere tertat, & ad servitium Dei coadunare festinat, tantò graviora bella, ac tentamenta ab hostibus tolerat.* Et Apostolus 2. Timothei 3. v. 12. *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.*

Eccl. 2.

Hugo Livan. hic.

Augustinus per tribulationes, & persecutiones, intelligit tentationes diaboli: *Non enim*, inquit, *quia diabolus modò per Reges* (Nerones, Diocletianos, Maxentios) *non sævit; ideo non Christiani persecutionem patiuntur. Si mortuus est diabolus, mortuæ sunt persecutiones? si autem ille adversarius noster vivit, unde non tentationes suggerit? unde non sævit? unde non minas, & scandala procurat?*

August in Psal. 117.

Sed nolite timere pusillus grex, etsi toto agmine exercitus dæmonum irruat, hinc spiritus socordiæ, inde spiritus iracundiæ, luxuriæ, blasphemiæ, &c. Confidite: plures enim sunt pro nobis, quàm contra nos. Elegao ter hoc in vitis Patrum Abbati Moysi tentato, Abbas Isidorus, quando ille ostendit ad occasum multitudinem dæmonum, turbas cientiū ad oppugnandum; ad orientem verò innumerabilem multitudinē Angelorum: ecce, inquiebat, isti sunt missi ad auxiliandum; qui autem ad occasum, ad impugnandum; *plures ergo nobiscum sunt, quàm contra nos.* Præclarè Bernardus: *Etsi parvuli sumus, & tam magna, & periculosa nobis restet via, quid tam sub tantis custodibus timeamus? nec superari, nec seduci, minùs autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris.* Fideles sunt, sapientes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? Ubi difficiles, lubricæ, ac salebrosæ viæ occurrunt, parvulis timendum non est, tunc à matribus in manibus, ad ubera portantur; ita custodes tui, plusquam affectu materno, in tuis quidem viis custodient te, & *deducent parvulum, qua potest parvulus ambulare;* cæterùm non patientur tentari supra id, quod potes, sed *in manibus tollent, ne pertranseas offendiculum,* id est, omne periculum, & infestationes diaboli, carnis, & mundi.

Vita Patrum lib. 5 pag. 434.

Bern. serm 12. in psal. Qui habitat.

Bern. cit.

Concludo cum eodem Doctore: *Quoties ergò gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehementi imminere,* INVOCA CUSTODEM TUUM, *Doctorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione, inclama eum, & dic:* DOMINE *salva nos, perimus.*

Ibid.

Hæc ad præcavenda peccata, & pericula animæ evitanda, & cum fiducia plena ad Custodem Angelum recurrendum, eumque in vocandum, dicta sufficiant.

Sed quid si quis nunc, omnem vitam variis, & in-

& infandis flagitiis contaminarit, defixus sit in luto profundi, quid si etiam Deo, ac Divis omnibus ejuratis, se cacodæmoni syngrapham sanguine suo signatâ devoverit, an spes, & fiducia superest, Angeli præsidio, & auxilio resipiscendi? Attendite quid dicturus sum:

Dabo narrationem, certâ totius Lusitaniæ traditione notissimâ, & ab eruditissimo, ac fidissimo Dominicani Ordinis Historiographo, Fernando Dicastillo, memoriæ proditam. Bonela, municipium Conimbricense est, ubi nobilibus parentibus natus quidam Ægidius. Hic vixdum adolescens, industriâ, ac favore tres Canonicatus, & Prioratum unum adeptus, omni vitio diffluebat, non indoctus humaniorum litterarum, & Philosophiæ, ac Medicinæ, cui, ut sibi opportuniorem ad nequitiam rebatur, totum se dare, & Lutetiam ejus addiscendæ causâ cùm cogitaret, iter aggressus, dæmonem obvium humana specie habuit. Malus iste vix comes, à noto sibi, sed ignotus paulatim varia quærere; ut audivit profectionis consilium, quin tu, inquit, me potiùs audis? Scientiam indico, quæ & adeptu facilis, & usu præcipua ad dignitates, voluptatesque, ipsius etiam, quam sitis medicinæ, summa perfectio est, necromantiam dico. Dixit & persuasit. Adducit Ægidium, & inducit in vastam specum propè Toletanam urbem: ibi occurrêre læti, & excepêre venientem viri, dæmonesque humanâ effigie. Itur in altam specum, exigitur non secreti tantum, sed & ligiæ fidei, sive homagii perpetui sacramentum, volens adigitur, schedulâ proprio consignatâ cruore, promissum confirmat. Septennio illic terris artibus, & caliginosâ scientiâ imbuitur. Post Lutetiam profectus, miros brevi inter Hippocratis sectatores progressus facit, & Doctoratus lauream adeptus est. Gliscebant enormia magis magisque ejus flagitia: ruebat de scelere in scelus: ambiguum erat, eruditionis fama, an nequitiæ infamia superaret. Sed ô Dei benignitatem admirandam! Opportunum illi ingerit, quem hactenùs invisibilem fortè habuerat, cælestem genium, simulatum aggressorem, & fidum defensorem; ut quem lenitate non poterat, terriculamentis io viam salutis reduceret. Et eccce tibi equitem totum cataphractum lanceam vibrantem, & intentantem misero, irato vultu, minaci voce clamantem: *Vitam hanc, moresque desere, ad frugem revertere.* Subitus Ægidium terror occupavit; sed eò brevi discusso, ut ad volutabrum luti sus redit. Post triduum idem ille eques jam terribilior (en quàm terrificas larvas custos Angelus assumat) non solùm minatur, eademque verba intonat, sed lanceam pectori infigit, & vulnus illi non altum infligit. Fractus animo adolescens: *Do, inquit, me, faciam Domine quidquid jusseris.* Saulum diceres in terram dejectum, statuit serio se Deo dicare, & quo intus impelli se sentiebat (*urgente sic opinor Angelo custode, qui apparuerat*) religiosæ alicujus Familiæ instituto se addicere. Hoc animo Lusitaniam repetens, dum per Pallentiam iter habet, ubi tum Religiosi Dominicani monasterium moliebantur, subit cupido cernendi operis, vidit viros sanctitate, & eruditione claros, quosdam etiam viribus, & ætate defectos, delicatè olim enutritos, calcem subigere, ligna dolare, lapides parare, & onera humeris portare, summâ lætitiâ, & alacritate. Optat se illis jungere, petit instanter, admitti impetrat. Tyrocinio defungitur, magnâ spe sanctitatis futuræ. Post annos aliquot missus Santarenum in Lusitaniam, ubi crescebat oratione, & victoriâ sui. Unus angebat scrupulus, quòd penes dæmonem hæreret schedula illa detestabilis, sua syngraphe signata; igitur ardentiùs Virginem Matrem ante ejus aram implorans, cacodæmonem terrificâ specie, & horribili ululatu conspexit, beneficia à se præstita, fidem ab illo datam protervè exprobrantem, atque hæc impotenter ei objicientem: *Faxo hujus te monachismi, & violentiæ, quæ me tibi syngrapham hoc cogit restituere, numquam satis pœniteat.* Simul abjicit syngrapham ad pedes Ægidii, & videri desiit. Ægidius chartulam accipit, ac minutim lacerat. Sed non vanæ dæmonis minæ fuêre; admirandis illum modis, plus septennio, postea divexavit. Plures inter vexationes, quas omitto, hæc fuit: assumebat Monachi, qui in eodem monasterio degebat, speciem, & nihil non, quod inter domesticos excogitari posset, molestiæ, Ægidio inferebat. Ferebat hic omnia æquanimiter, unum piè, & religiosè dolebat, fratrem ut putabat, Deum graviter offendere. Hinc re cum Priori communicata, aliò migrandi facultatem petit, causamque aperit; accersito fratre, deprehensus dæmon calumniator, & fraus detecta est. Vivus tandem clarus multis virtutibus, ac miraculis variis, a. 1265. mundo denascitur. Sepultus Santareni, ut Sanctus colitur.

Quæ tam mirabilis ad vitam sanctiorem metamorphosis, per Angelum tutelarem, clientem suum ab infami, cui fidebat apostata diabolo deterruit, & Creatori suo, à quo solo omnia bona proveniunt, reddidit. *Simus ergò devoti, simus grati,* TANTIS CUSTODIBUS: *redamemus eos, honoremus eos quantum possumus, quantum debemus.*

Delrio disq. mag. l. 7. c. 2. sect. 1. q. 5. Dicast. lo 1 part. hist. ordin. Prædic. 1 cap. ...

Bern. serm 12. in psal. 90.

* * *

FESTUM

1. Octob. **BEATI FRANCISCI BORGIÆ SOCIETATIS JESU**

Mihi heri, & tibi hodie: Eccli. cap. 38.



Non fallit imago. Ovid. 3. metam.

ARGUMENTUM.

VIvam vobis mortis imaginem, pro ſpeculo ante oculos pono, qood minimè fallax, hoc tibi exhibet, quod futurus es.

Ad hoc mores componere, & mundo mori, priuſquam moriare, diſces: quem fructum B. *Borgia* ex conſpectu mortuæ *Iſabella* retulit. Eſt etenim mors verum ac ſincerum humanæ fragilitatis & vanitatis ſpeculum; in quo qui ſeipſum contemplatus fuerit, veriſſimum illud Hieroymi in ſe experietur: *Facilè contemnit omnia, qui ſe cogitat moriturum.*

Hieron. epiſt. 103. ad Paulin. Mortis quoque meditatio, mors vitiorum, & vita virtutum eſt. Hac confunditur ſuperbia, frangitur iracuodia, ſedatur avaritia, laoguescit gula, frigeſcit luxuria, omois pellitur malitia, juxta illud Eccli. 40. *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*, quæ in *Borgia* verificaotur.

Alteram quoque utilitatem habet, quam in ſe expreſsit B. Franciſcus, quod ex hac conſideratiooe, homo ſibi, & omoi ſeoſualitati moriatur, ut vivat Deo. Quâ verò ratione omnis Religioſus per tria vota, *inſtar cadaveris* mortuus eſſe queat, & debeat, paucis ad Religioſos & Sanctimooiales demonſtrabo.

§. I. *Hæccine eſt iſta Iezabel?* 4. Reg. 9.

§. II. *Hic confringes tumentes fluctus tuos.* Job. 38.

§. III. B. Franciſcus Borgia *in conſpectu mortu, mundo mortuus, Deo vixit, ſecundùm illud Pauli:* MORTUI ESTIS, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto. Ad Coloſſ. 3. v. 3.

FESTUM

FESTUM
B. FRANCISCI BORGIÆ, SOCIETATIS JESU.

Mihi heri, & tibi hodie. Eccli. 38. ℣. 23.

Pausanias lib. 7. Rhodigin. lection. antiq. lib. 11. cap. 13. *Mirum speculũ, quod mortem prænunciat.*



Osolens, & propè inauditũ est, quod priscus auctor Pausanias narrat, & Rhodiginus confirmat: esse apud „ Patras in Achaiâ „ Cereris templum, „ & ante illud fontem, ubi maximè „ verax oraculum: nam funiculo prætenni SPE- „ CULUM *in fontem dimittunt*, ut aquam leviter „ taogat. Mox fusis Deæ precibus, usique thy- „ miamate, IN SPECULUM *contuentur, ac inibi sese ostentat mortui paulò pòst futuri imago*; hoc speculum sine voce loquens, certissimum pandit oraculum, dum in eo se contemplantes, pallidâ & exangui specie, quali paulò pòst morituri parebunt, repræsentat.

Veracius ac vivacius vobis hodie humanæ fragilitatis speculum, ipsam mortis calvariam proponam, in quâ se homo speculari debet; sed necesse est, illud speculum poni supra fontem vitæ, qui est Deus, fundendo ad eum preces, ut in illo videre possit finem vitæ, & imaginem mortis suæ, quàm *morituri paulò post*, omnes & singuli referemus. Hîc primæ Veritatis panduntur oracula: *Omnes morimur. Mihi heri, & tibi hodie.* *Eccli. 16. & 38.*

Est effatum non è tripode cantatum, sed è cælo prolatum: non depromptum è Sybillæ foliis, sed è Salomonis paginis.

Bern. ser. 1. de 7 panibus. *Mortis speculum minimè fallax.* Hoc speculum minimè fallax, *speculum veritatis, nemini blanditur, nullum seducit. Talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit; ut nec ibi timore trepidet, ubi non est timor: nec latetur, cùm malè fecerit.*

Adinvenit industria & solertia humana, *specula convexa*, quæ res, quamtumvis magnas & excelsas extenuant, & imminuunt, gigantem in nanum & pumilionem contrahunt. Alia quoque *concava*, quæ sibi objecta quævis parva & exilia in immensum augent & amplificant, ac pueri vultum portentosâ magnitudine, instar Colossi protendunt.

Hæc fallacia & mendacia sunt specula. *Planum* dumtaxat verum & sincerum est. *Quòd sicut non senties adulatorem, sic nec te palpes. Hoc tibi ostendit nitor ille, quod es.* *August. in psal 103. Sylvest. Petra sancta. symbol. heroica q. 184.*

Sic sensit vir splendore natalium clarus, & majorum stemmate illustris, Antonius Marassius, qui pro gentilitiâ tesserâ sibi sumpsit speculum planum, subjectâ hâc epigraphe: *Cunctis æquè fidum.* Quod verissimè præstat, & neminem palpat demortui cranium; hoc planè *cunctis æquè fidum*, non solùm senibus, sed & juvenibus, ac imbelli ætati: nec solùm imis, agrestibus, & mendicabulis, sed & summis, Regibus ac Dynastis: tam iis, qui in togâ, quàm in sago, similem omnibus vultum inducit, consimili omnes habitu induit: eodem omnes modo & modulo calceat, & ad cutem detondet. *Impares nascimur*, hic in aula, ille in caula: hic in purpura, alter in stipula: ille ad honorem, alius ad laborem; sed *pares morimur*. Quod vel gentilis vidit: MORS, *ubi res fortuna malè divisit, Æ-* QUAT OMNIA. *Seneca epist. 91.* *Seneca consolat. ad Marciam, cap. 20.*

Nullum speculum fidelius, nullum æquius; quamtumvis enim plana & polita sint, è crystallo specula, duo in iis notantur vitia, quæ Apostolus observavit. Primùm, quòd repræsentent faciem, & vultum, cum quo quis natus est: *Considerate vultum nativitatis suæ* (id est, nativum,) IN SPECULO; hic verò vultus, ut è puero in virum, è viro in senem: è puella in anum mutatur, atque indies varias formas flentis, ridentis: blandientis, irascentis: rubentis, pallentis induit, ita easdem maximè varias speculum exprimit, ut scitè & eruditè Origenes: SICUT IN SPECULO *omnibus motibus, atque omnibus actibus, quibus is,* QUI SPECULUM INTUETUR, *movetur, vel agitur, his ipsis etiam ea* IMAGO PER SPECULUM *deformatur actibus, vel motibus commovetur vel agitur; in nullo prorsus declinans*; sic nativam pulchritudinem mox ætate, aut morbo deciduam, aut fictam etiam & fucatam, stybio & cerussâ ementitam, indies renovandam, *in nullo prorsus declinans*, ad oculum repræsentat. *Epist. Iacobi cap. 1.* *Origenes lib. 1. Periarch. cap. 2. sub finem.*

Alterum est, quod subjungit: *Consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit*; quod non mirum, cùm ut ipsi homines indies juxta mores maximè varios, ita & speculum moretur. *Epist. Iacobi, cap. 1.*

His fallaciis & imposturis occurrit constans, semper idem, & sibi ac tibi simile speculum mortis; etiam post 100. annos [illegible]anio subscribi potest:

Necdum sua forma recessit. *Virg. lib. XI Æneid*

Hoc tibi formam exhibet stabilem, cui & omnes sæculi potentes, omnes opibus affluentes, omnes venustate florentes, ac tu cumprimis per omnia similis futur⁹ es; quæ ne ulli unquam excidat, hoc speculum in musæo, in cubili, in abaco, in oratorio semper ante oculos habendum, & mente jugiter contemplandum est; in quo se vidit magnus ille Gandiæ Dux B. *Franciscus Borgia* cum tanto fructu, quem ut & vos consequamini, non tam me disertè detonan-

tem, quàm *mortuam Isabellam* sine voce pathetice perorantem attendite.

§. I.

Mori humanæ fragilitatis, & vanitatis speculum. *Seneca lib. 1 natural. quæst c. 17* Ad quid specula inventa.

Haccine est ista Jezabel? 4 Reg. 9.

Romanus Philosophus in quæstionibus naturalibus acutè & argutè disquirit, in quem usum specula adinventa sint? & hanc paucis rationem adfert: INVENTA SUNT SPECULA, UT HOMO IPSE SE NOSCERET. *Multa ex hoc consecuta. Primò, sui notitia, deinde & ad quædam consilium: formosus ut vitaret infamiam, deformis ut sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset. Juvenis ut flore ætatis admoneretur, tempus illud esse discendi: Senex ut indecora canis deponeret, &* OB MORTE ALIQUID COGITARET. *Ad hoc rerum natura* FACULTATEM NOBIS DEDIT, NOSMETIPSOS VIDENDI.

Prosunt specula, si nobis illa serviant non tam ad crinium censuram, quàm ad morum disciplinam. Refert Ecclesiastes ex religiosa familia, celebrem divini verbi, quod ad populum Parisiis exponebat, Oratorem, solitum quadraginta dierum esurialium tempore, subinde ad alias excurrere civitates, ut populum è suggestu ad vitiorum fugam, & virtutum adhortaretur exercitia. Itaque exeunte quadragesimâ, matrona quædam magis spectatæ formæ quàm vitæ; nobilis ut sanguine, sic & libidine, cùm patrem abiturum, ultimùm salutaret, obsecravit impensè, & flagitavit importunè, ut proximâ quâ rediret vice, *secum conferret speculum Parisiense*. Hoc se facturum sanctè promisit alter, & quàm fuit in promittendo liberalis, tam fuit in præstando fidelis. Quapropter elapsis aliquot mensibus, cùm ad illius matronæ rediret ædes, *contulit secum speculum*, non vitreum, sed osseum: non sumptum in foro à mercatoribus, sed è cœmiterio à vespillonibus.

Spelbergh conciones æstival Dom. 15. post Pent. §. 2. Dominæ impensius vanitati deditæ, vir Religiosus cranium pro speculo Parisiensi ad fert.

Ingressus domum, jubet per Dominam convocari omnes domesticos, *asserens se contulisse speculum Parisiense exquisitissimi artificii.* Illa de munere læta, præcipit actutum adesse filias, famulos, ancillas, omnésque contubernales. Tum vir religiosus, *amoto quo speculum texerat velo, producit in omnium conspectum*, HORRIFICAM CALVARIAM. Post hæc, ipse nervosâ & aculeatâ oratione ad hoc spectaculum, pupugit spectantes. Tu, ait, ô Domina, speculum flagitasti, en speculum, aptum non concinnandis crinibus, sed reformandis moribus. Fuit illa olim, quod tu es modò: ubi jam sunt geminæ sine lumine cavernæ, fuerunt quondam blandæ oculorum pupillæ: cranium illud depile exornavit crispata calamistris cæsaries: circa oculos jam effossos roseæ tuberunt genæ: circa dentes fuerunt corallina labra, intus lenocinans lingua.

Quod tu es modò, fuit illa; eris & tu brevi, quod illa est modò. Simul ad hæc verba & obstupuêre, & conticuêre omnes. Hujus speculi aspectus, fuit aspicientium salus. Sed illa præ cæteris Domina, quæ speculi obtinendi erat præ cæteris cupida, sprevit præsentia, & cœpit cogitare futura.

Unde non tantùm fuit dissimilis, sed jam planè alia, mundo ac vanitati mortua, talem ab illâ die instituit vitam, qualem se duxisse optaret, cùm oppetitura esset mortem. Ecce tibi forsan non optabile, sed utile & amabile pro animi salute speculū, haustum è cœmiterio cranium. Tale si tu præ oculis habeas, quod sæpiùs intueatis speculum, stabis semper in specula, ut præsentia despicias, & futura prospicias.

Hoc speculum non est Cereris, aut Veneris fallax & subdolum, quo in lubrica ac fragili crystallo corporis pulchritudinem intueatis; sed velut in diviniore crystallo, rerum sublunarium, vitæ fugacitatem, & humanæ fragilitatis ac vanitatis speciem speculando disces. Nec rei hujus utilitatem aut fructum inter Romanos Reges, Numa Pompilius ignorasse fertur, qui in cubiculo suo *speculum appenderat, calvis mortuorum circumcinctum*, quas inter hoc lemma legebatur: SPECULUM *hoc non fallit*.

Tale orbis vidit, & attonitus obstupuit *Jezabelem*, pulchritudinis miraculum, mox fluxæ venustatis spectaculum, & humanæ fragilitatis speculum; quam repentina morte sublatam, adeò immutatam facti Regum annales testantur, ut prætereuntes cum admiratione exclamarent: *Haccine est ista Jezabel?* ubi Tostatus: Numquid potuit de tanta gloria cadere in tantam calamitatem? Littera Hebræa: id est, tantum Deus deformavit, ut transeuntes non potuerint cognoscere eam, nec poterant dicere: ista est Jezabel: *quia jam non remanserat in ea ulla imago prioris*. Ubi nunc limpidissima illa oculorum sidera? ubi agiles illi pedes, qui toties terram ad numeros pulsarunt? ubi corallina illa labra, in quibus gratiæ cessitabant? ubi binæ illæ in genis rosarum purpuræ? *Estne hæc misera*, JEZABEL *illa, olim tam pompatica & ornata?* Tot cirris & cincinnis calamistrata, tot fucis & pigmentis expolita, tot gemmis & margaritis decorata?

4 Reg. 9. Tostatus hic, quæst. 14. Jezabel humanæ fragilitatis speculum. Dionys. Carthus. hic, cap. 15

Hugo Cardinalis hæc ad mores traducens, ait: *Jezabel est mundus ille, qui depingit oculos, ut pulcher appareat, cùm sit turpis*. Jezabel est speculum fluxæ vanitatis, & venustatis humanæ; quale *non Jezabel, sed Isabel*, seu Isabella, lectissima Caroli V. conjux, (Jezabeli in hoc per omnia dispar, quòd animi virtutibus insignis extitisset,) *B. Francisco Borgiæ* spectandum dedit. Delectus hic à Carolo, qui corpus Granatam in avorum Regum sepulchrum deveheret. Ubi devectum traditurus de more fuit, patefactâ arcâ, deformatum adeo reperit, ut minimè agnoscens, nequaquam solenne concipere jusjurandū ausus sit, affirmans illud esse; sed id tantùm juravit: credere se, certumque habere, pro cura, fideque qua deportatum, & custoditum erat, esse cadaver Augustæ.

Hugo Car. hic. Monisabella B. Borgiæ speculum fuit. Historia Societ. part. 1. lib. 1. n. 61.

Ingesta repentè oculis tanta fœditas, pariterque *cum ea cogitatione prior species, ac venustas recurrens*; ad hæc, pompa simul omnis, ac scena pristinæ felicitatis oblata, jam eversa, extincta, exinanita, tam acriter perculsit, tamque altè penetravit in animum, ut continuò decreverit, *nil amplius ullius pretii ducere periturum*, sed mundo mortuus, uni Deo vivere.

I nunc, quisquis es, & fragile illud formæ bonum demirare:

Sitt

Siet op dees Keyserin, op dees schoon Isabel,
En seght, eer t' u te laet, vaert vverelt eeuvvich vvel;

Hieron. epist. 103. ad Paulin.

Nam ut inquit Hieronymus ad Paulinum: *Facilè contemnit omnia, qui se cogitat moriturum:* nemo, si divitiæ affluant, is cor suum apponat; sed *facilè contemnet omnia*, quia nihil secum auferet: nemo formæ, quæ fallax est, aut pulchritudini, quæ vana & fluxa est, cor apponet; sed *facilè contemnet omnia, qui se cogitat moriturum*: facilè ac brevi in virum alterum mutatus, sibi ac mundo mori, & Deo vivere cum B. Borgia incipiet, qui *Isabellæ mortem, suum appellare natalem solebat.*

Mors Isabellæ fuit B Borgiæ natalis. Histor. Societ. part. 3 lib. 8. n. 61.

Ad hanc divinam metamorphosim, mutos & elingues Oratores inducit Augustinus: *Verè si ipsa ossa arida audire volueris*, TIBI PRÆDICARE POTERUNT, *& dicere: O miser! quantum pro cupiditate hujus sæculi discurris? Aut quid superbis, vel luxuriæ infeliciùs colla submittis?* ATTENDE AD ME, ET INTELLIGE, ET CONSIDERA ME; HOC QUOD TU ES, EGO FUI; ET QUOD EGO SUM MODO, TU ERIS POSTEA.

Aug. ser. 66. ad Fratres de eremo. Mortui optimi Concionatores.

Existimem, Auditores, si hodiernâ die in hoc suggestu aliquem vitâ functum aspiceretis, me silente, & ipso tacente, satis ferialis larva loqueretur, suo silentio altum clamaret, sine lingua doceret, sine voce moneret, sine verbis moveret; interim tot suggestus sunt, quot tumuli: tot rostra quot funera: oratorum ora, quot mortuorum ossa & crania. *Ecce* QUALES PRÆDICATIONES *ossa & cineres mortuorum quotidie proclamant!*

Aug. ibi.

Lucæ 16. rogat è flammis Epulo talem concionatorem mitti ad fratres suos: *Si quis* EX MORTUIS *ierit ad eos, agent pœnitentiam*: si quis vel unus. Idem sensit gentilis Seneca: *Plus, ut puto, fidei haberet apud te, plus ponderis, si quis revixisset*; & ecce, tot millia Concionatorum habemus quot funera: è quibus si vel unum ob oculos ponatis, indubiè agetis pœnitentiam, abjicietis ilicò omnes insanias & vanitates falsas. Hos quandoque adite, & monumenta consulite, illic sapere discetis: *Monumentum enim sic dictum, quòd moneat mentem.*

Seneca epist. 30.

Aug. de cura pro mortuis, cap. 4.

Manu vos ducit Hipponensis Antistes, sequimini. Augustinus Romæ obambulans cum matre ad ostia Tyberina, incidit in Pontianum Præfectum, virum clarissimum, qui urbe egressus fuerat ad Augustinum videndum & visendum, à quo humaniter & perofficiosè deductus est, ad intuendum diligentiùs magnifica ædificia, & opera paganorum. Et ductus
,, sum, inquit, cum cæteris *ad videndum cadaver*
,, *Cæsaris in sepulchro*, & vidi, quòd omninò esset
,, colore livido, putredine circumdatum, ven-
,, trem ejus diruptum, & vermium per illum
,, transeuntes catervas prospexi, duoque fa-
,, melici in foveis oculorum pascebantur: cri-
,, nes ejus non adhærebant capiti: dentes ejus
,, apparebant labiis consumptis; & intuens ma-
,, trem Christianam, dixi: Ubinam est Cæsaris
,, corpus præclarum? ubi capilli solares? ubi
,, facies decora? Te namque venerabantur
,, homines, timebant Principes. Et respondit
,, mater pietate plena: Fili, omnia pariter de-
fecerunt, quando defecit spiritus ejus, reli- "
querunt eum captivum in sepulchro trium "
brachiorum, plenum fœtore & putredine. Ac "
tandem concludit: *Eja ergo fideles Christi: con-* "
siderate quid sumus, animadvertite ad quid veni- "
mus, prospicite quid jam sumus. Cur non converte- "
ris, cùm hæc quotidie experiris? Quid ibi vivere "
audes, ubi mori times? Hæc secum tacitè, de quo acturus sum.

Augustinus, quid spiritus ex cadavere Augusti hauserit. Aug. ser. 48. ad Fratres in eremo.

Vir quidam, uti stemmate inclytus, ita & opibus splendidus, de Mingorri nomine, filium habebat, quem ad disciplinæ militaris tyrocinium, Marti devotum, armis probè instructum destinavit. Sed alia esse hominum consilia, quàm Dei decreta, eventus docuit patrem, & eventu didicit filius: nam cùm divino magis instinctu, quàm fortuito casu filius Claramvallé, divi Bernardi famâ celebrem, pertransivit, illic contemplatus alterius militiæ tyrones, sed Dei castris stipendia facientes, & prælia Domini præliantes: ac deinde animo secum reputans, & qui sacræ, & qui profanæ militiæ auctorati sunt, morti esse obnoxius; hoc tamen discrimine, quòd qui Deo militant, eos ampliùs longè maneret donativum, coronâ quippe immarcescibili exornari: pertæsus profanæ militiæ, jussit mundum res suas habere, & ad Christi castra transfugit; ibique exuens arma iniquitatis, induit se armaturam Dei, ut adversus rectores tenebrarum harum bonum certamen certaret. Quod ubi patens intellexit, ratus turpissimam inustam esse notam suæ familiæ, ob hoc novum genus, quod filius amplexus fuerat militiæ, insigniter stomachatus, concito gradu fertur ad illud, quò se filius contulerat, claustrum; ubi ruptis omnibus juris humani ac divini repagulis, extremum toti monasterio minatur excidium, ni confestim remittant, quem admiserant filium. Antistes foras egressus, his verbis insolentis hominis furorem sopivit, non extinxit: filium non gravatè ad patentem rediturum, si modò unam, quæ in regione ejus vigeret, consuetudinem aboleret; sin minùs, acquiesceret, & filium votis gaudere sineret. Placuit homini incondito conditio. Exhibetur ejus conspectu filius, conditionem exponit: *Una,* inquit, *mi pater, in vestra regione mihi displicet consuetudo, quòd illic æquè juvenes moriantur ac senes.* Hanc rogo, ut abroges; sin minùs, illic persistam vivere, ubi mori juvenis non timeam, senex exoptem. His verbis parentem sibi priùs succensentem permovit, ut militiam & ipse non quidem desereret, sed mutaret. Enimverò & ipse eidem, cui filius, voluit adscribi militiæ, & ibi vivere, ubi mori non metueret. Tantam pauca de morte verba etiam in homine militari & barbaro vim & virtutem habuêre.

Vincent. tom 3 specul. mor. fol. n 91. Parens filium a religione abducere nitens, consideratione mortis convertitur.

Quid ni & in te habeant? Dixerit olim de Abele Paulus: *Defunctus adhuc loquitur*; dicam ego de Isabella: *Defuncta adhuc loquitur*; nemo, quamtumvis disertus orator, prolixis Rhetoricæ figuris, nec quamtumvis subtilis Philosophus nervosis suis syllogismis tantum persuadebit, quantum hæc brevi laconismo: *Mihi heri, & tibi hodie*; quod tu es, ego fui, & quod ego sum modò, tu eris postea. *Hæc attende, intellige, & considera*, ac cum *Borgia* præsentem cadaveris formam, pristinæ compara; quod novi nobilem & for-

Hebr. 11. Eccl. 38.

& formæ elegantia Dominam nulli in Belgio secundam, nec minùs pietate insignem, sanctè æmulatam, dum imaginem suam non aliâ ratione depingi voluit, nisi eadem informe cranium manu referret. Ad propositum facit, quod præclarus Interpres in illud Eccl. cap. 10. v. 12. *Hodie Rex, & cras morietur*, enarrat.

Bonart. in Eccls. cap. 10. v. 12.

Juvenis speculum venustatis humanæ, & formæ fragilis.

Fuit in Germania ab aliquot annis juvenis primæ nobilitatis, ob eximiam oris venustatem, Narcisso aut Hyacintho non absimilis, & vulgò pulcher Absalom indigetatus; sed flos fuit ille caducus, quem brevì mors suâ falce demessuit. In ipso ergò ætatis flore, pallescere cœpit, & languescere; antequam tamen extremum spiritum exhalaret, precati sunt cognati, ut in munimentum, & pignus æternum, vultus sui tam venusti effigiem posteris relinquere non gravaretur. Æger, cui non minus ingenii, quàm virtutis erat, ad has preces surdus; eo tamen pacto convenit, & postulatis annuit, ut & postquam plusculos dies, cùm terra communis omnium mater se sinu suo exceperit, reserant sepulchrũ, & eam, quam tum repererint formam, penicillo excipi curent, & cum priori conferant. Sic fatis concessit: faciunt illi, ut jussi, & humatũ paucos dies cadaver effodi mandant. Tandem omni Clero & populo affuso, feralis urna panditur. Quid expectatis, Auditores? *Defunctus adhuc loquitur:* quod tu es, ego fui; sed eheu! quantum mutatus ab illo, qui fuit! Illam paulò antè pulcherrimam faciem, certatim vermes vellicant, dorsi spinam serpentes occupant, blanda oculorum lumina, colubri inhabitant: horrent propinqui, stant omnes stupore attoniti: *Hiccine est ille formosus Absolom?* Timore penè obrigescunt, nec jam oculis, vel naribus præ fœtore viciniores esse sustinent. Ne tamen fidem fallant, pictorem advocant, qui juvenem jam non Adonidem, sed sepulchralem larvam depingat, quæ etiamnum, ut audio, exstat Coloniæ in æde principe!

Heb. 11.

O formose pupule, ô delicare trossule, ô tenelle flosculo! illa tua caro, quæ in capite flavis crispatur comis: quæ in vultu roseis purpurascit genis: quæ in cervice lacteo candet nitore: quæ in ore corallinis rubet labiis: illa caro, quæ induitur bysso & purpurâ: cujus auribus quidquid jucundum; oculis quidquid pulchrum; naribus quidquid odoriferum; manibus quidquid molle offertur, *brevì erit, quod ego sum modò*, & tunc dicetur de te, quod de hoc adolescentulo, & divus Hieronymus de Nepotiano, in vere ætatis extincto, sed virtutibus florido: *Ubi nunc decora illa facies, ubi totius corporis dignitas, quâ veluti pulchro indumento pulchritudo animæ vestiebatur? Marcessebat, prô dolor! flante Austro lilium, & purpura viola in pallorem sensim migrabat.*

Hieron. epist. 3. ad Heliodorũ de epitaph. Nepotiani.

Meditatio mortis, optima Philosophia.

Non est, mi adolescens, quòd Lovanium, Duacum, Parisios, Dolam, aut Salmanticam ad præcipuas Europæ Universitates excurras; Universitas cœmiterium est, scamna quibus insides, tumuli: libri quos volvas, mortuorũ ossa: lectionem quam haurias, meditatio mortis est; celeberrimum enim ac saluberrimum Platonis pronuntiatũ est: *Non aliud esse Philosophiam, quàm meditationem mortis.* Libet id Doctoris Maximi confirmare testimonio: *Platonis sententia est: omnem sapientũ vitam, meditationẽ esse mortis. Laudant hoc Philosophi, & in calum usque ferunt; sed aliud est vivere moriturum, aliud mori semper victurum. Debemus igitur & nos animo præmeditari, quod aliquando futuri sumus, quod velimus, nolimus, abesse longiùs non potest: nam si nongentos vita excederemus annos, ut ante diluvium vivebat humanum genus, & Mathusalem nobis tempora darentur; tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desiisset: etenim inter eum, qui decem vixit annos, & eum, qui mille, postquam idem vitæ finis advenerit, transactum omne tantundem est, nisi quòd senex magis onustus peccatorum fasce proficiscitur.*

Plato in Phadro. Hieron. cit.

Et tu filia vaga, & vana: *Descende,* SEDE IN PULVERE *virgo filia Babylon*, sede inter mortuorum cadavera, hîc speculum tibi calvariam lege; ex quo disces non floridæ ætati, non vernantibus genis, non agilibus pedibus fidendum.

Isa. 4

Hieronymus hîc: *Virgunculam ac puellam soesse jactabat*, & sibi ac sodalibus dicebat: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant: non prætereat nos flos temporis*; at aliter senties, si in pulvere sederis, ubi & in puellari ætate, quamvis maximè immaturâ, etiam te morituram cognosces.

Hieron in Isa. cit. Sap. 2. v. 8

Sed quot hîc comptæ & cincinnatæ puellæ, quæ hoc speculum aversantur, & execrantur? Imò oblatum abjicerent, & in frusta comminuerent? quia nimis deformes se in eo contemplantur; cui tamen, velint, nolint, similes erunt. Unde insaniores illas duxerim, quàm illæ fuerint, de quibus præstans & elegans auctor Robertus Holcot in librum Sap. Sunt quibus nullum speculum benè placet, sicut narratur de " quadam turpi & deformi domicellâ, quæ " quoties respexit speculum, doluit, & offen- " debatur; deformitatem verò suam semper " imputabat speculo, *Unde plura specula fregit,* " *quàm omnes mulieres de patria.*

Filiæ vanæ hoc speculum aversantur.

Holcot in Sapient. cap. 7 lect. 10[...]

Hæc malesana speculum sibi abblandiri volebat, & fidum ac sincerum respuebat, parum conscia, formam quam deperibat, brevì longè teteriorem & horribiliorem exhibendam. Hæc varia, & dispar rerum facies indies objicitur, & tibi obventurum est, quod de nobili Hispano historiæ memorant: eum inter varia spectati nitoris & industriæ specula, unum præ cæteris mirandum efformasse, quod nunc speciem speculantis venustam ac vividam; nunc eandem horridam ac cadaverosam in mortui formam referret.

Merveilles du monde P. [...]

Hæc recordare, quoties te ad speculum comis, & expolis, de facto eam virtutem omni speculo inesse: nam qui moribundo cuipiam circumstant, dubii, num animam exhalarit, num quis superet spiritus ore, speculo admoto, mortualẽ in eo formam, & spiritum disruptâ corporis machinâ evolasse perspicuè deprehendunt.

Hæc tu, priusquam oculos claudas, contemplare, & teipsam speculare. Scis quo fructu? Pulchritudinem incredibilem, quę omnem humanam excedit, consequeris: quodque mirabilius formâ sis etiam maximè deformi & execrabili, ilicò mirabili & amabili pulchritudine novus homo comparebis; atque hunc diem mortis, cum *B. Borgia*, tibi natalem gaudebis. Non magnis ad hanc divinam genesim opus est sumptibus, nec gravibus cruciatibus: *Facilè contemnes omnia, si te cogites moriturum.*

Hieron. cit.

Divinus

D[illegible] [illegible]nus ille in Galliis orator P. Petros Cot[illegible], radioso vertice inter dicendum conspi[illegible], quem Henricus IV. suâ rhedâ aliquando ad templum vexit, & manu prehensum, sug[illegible] ut concionaretur admovit, is refert con[illegible] quam de morte habuit, domicellam [illegible] m vanitati impensè deditam, ac melio[illegible] [illegible]mâ quam famâ, omnem quam Confessa[illegible] ut medicinalem imponebat pœnitentiam, [illegible] e sol tam; dum tandem se induci pas[illegible] est, ut quoties manus ablueret, sibi tacitè oc[illegible]eret: *Hæc caro comedetur à tineis*: hæ niveæ manus, hi eburnei digiti, esca vermium erunt. [illegible], & brevi in aliam mutatata, omnes va[illegible]tes manu misit, & valete jussit. Dic & tu: hæ [illegible]nellulæ, blandulæ manus: hæ genæ, hæc labia, hæc frons, hi oculi, brevi in cineres redigentur, & verissimum ilicò experieris hieroglyphicum illud quod pictor expressit, qui calva[illegible] hoc lemma subjecit: *Cogitanti vilescunt omnia.* Cogitanti extruere ampla ædificia, ut latius habitet, si quamdiu: *Vilescunt omnia.* Cogitanti ingentes auri cumulos acervare, si [illegible]rrar: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc; solum mihi superest sepulchrum: vilescunt omnia.* *Cogitanti* ho[illegible]rifica munia, excelsa dignitatum fasti[illegible], si animo reputet: *Quid superbis terra & cinis* Statno *vilescunt omnia* *Cogitanti* nuptias, carnis delicias, stirpem nepotum, si expenderit illud: *Tempus breve est*, ac dum minimè cogitaru, thalamum in tumulum convertendum, *vilescunt omnia.*

Exemplum in ingens, Ladislaus Hungariæ & Bohemiæ Rex, novendecim annorum Adolescens, Margaretam Caroli VII. Gallorum Regis filiam ducturus, Pragam nuptiis destinavit. Legationem itaque in Gallias splendidissimam mittit, cujus Princeps Udalricus Episcopus Pataviensis, habens in comitatu ducentos primæ nobilitatis Hungariæ, totidem Bohemiæ, præter alios ducentos Austriæ comites, qui formâ, habitu, generis splēdore, ceteroque apparatu adeò pollebant, ut quisque regno dignus videretur. E Pataviensibus centum delegit Udalticus. Quare septingenti equites in [illegible] abierunt; item virgines & matronæ, quæ [illegible]am sponsam deducerent quadringentæ, splendissimu cultu ac venustate: omnes prætereà rhedæ extus inauratæ, intus gemmis & margaritis respersæ, quibus devehebant exquisitæ magnificentiæ munera, vestesque Atralicas immensi pretii, Reginæ sponsæ offerendas. Verum ut sunt lubricæ rerum humanarum vicissitudines, ipso die quo Legati Parisios ingressi, priusquam peden aulæ inferrent, in quâ pro dignitate excipiendi erāt, citatis equis cursor ex Hungariâ advolat, qui nuntiat sponsum, extremum diem obisse; quo inopinato nuntio ita animus Caroli Regis perculsus, ut ne verbum Legatis ac aulicis proloqui potuerit, & omnis nuptiarum apparatus, versâ scenâ, in pompam funebrem conversus fuerit.

Ad hanc aulam mortuariam, ubi omnis luxus in luctum, plausus in planctum, thalamus in tumulum reciderunt, vos invitat Sapiens dum dicit: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.* Hugo Cardinalis: melius est ire ad domum luctus, *ubi lugetur infirmus vel mortuus, quam ubi fiunt convivia nuptiarum.* Multò melius, salubrius, & sanctius, ire ad cubile pullâ veste convestitum, ubi in medio mortui sandapila, quam ad atria pretiosis aulæis, & peristromatis inducta, ubi exponitur mensa opipara: melius est audire gemitus & fremitus morientium, extrema monita, anhela suspiria, postrema illa Ecclesiæ hortamenta: *Proficiscere anima Christiana* in regionem longinquam, in domum æternitatis; quàm omnem cytharædorum cytharizantium harmoniam, chorizantium lasciviam, & bacchantium insaniam. Hug. Car. hic.

Aureo sermone omnia complexus Chrysostomus: *Si vultis, duas domos describamus:* HANC QUIDEM NUBENTIUM; HANC VERÒ LUGENTIUM. *Mente utramque ingrediamur, videamus utra melior. Iuvenemus domus lugubres, sapientia plena nuptiales autem plena confusionis: verba turpia, incompositos risus, multa effusio, diaboli pompa, symbola & tybia, & cantica fornicationis, & adulterii plena.* Chrysost. hom 61. ad popul.

At non ita illic, ubi luctus, omnia composita, altum silentium, inordinatum nihil, nihil incompositum. Si quis aliquid locutus fuerit, omnia sunt verba (Christianæ) *Philosophiæ plena. Et id quidem mirabile, quod & famuli, & mulieres sapienter agunt & dicunt:* QUID EST HOMO? &c.

Nonne quod vobis prius paradoxum videbatur, nunc verissimum comprobatur? *Quia in eâ finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum sit*; omnia quæ hic sunt, brevi finem habitura, omnes divitias, honores, voluptates perituras esse, hic in domo ubi lugetur mortuus, faciledisscitur, ut in hunc locum Hieronymus: *Quia in recordatione conditionis nostræ, & fragilitatis humanæ,* AX PRÆSENTI CADAVERE ADMONEMUR. Hâc solâ recordatione, ilicò desipiunt quæ nunc sapiunt: displicent, quæ nunc placent: horres quæ expetis: abominaris, quæ nunc insectaris. Eum in finem ne unquam hæc memoria excideret, *B. Franciscus* mane ubi à strato surrexerat, terram in quam rediturus erat, osculabatur, sibique illud ingeminabat: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*; quod ex conspectu Isabellæ hauserat. Eccl. 7. Hieron & Hugo Card. hic. In vita. Gen. 3. v. 19.

Hæc & tu æmulare, & quod hactenus diximus, non solum mortis imaginem, omnis vanitatis, & fragilitatis humanæ speculum: sed & omnium peccatorum interitum cognosces: nam ut inquit Ambrosius: *Mortis meditatio,* EST MORS VITIORUM, *& vita virtutum.* Quare tu luxuriose, tu furiose, tu ambitiose, tu gulose ad mortuales cineres sistes effrenes impetus tuos, & velut mare exæstuans & despumans.

§. II.

Hic confringes tumentes fluctus tuos Job 38.

Socratem Philosophum scribit Apulejus (quod mirū videatur) *usum speculo* ad morū dis- Mortis medita-

disciplinam fuisse:nam & discipulis fecerit sua-sisse ut crebrò sese in speculo contemplarentur;ut qui sibi de pulchritudine complacerent, curarent ne corporis dignitatem, *morum dehonestamento turparent*;qui verò minus venustam sui formam reperissent,allaborarent,ut virtutis splendore defectum formæ, ac corporis damna rependerent.

Hoc propositum *ab Isabella* speculum longè efficacius præstabit; hic mores & motus corporis non solum,sed & interiores animi componere,nec ullo noxæ dehonestamento turpare disces: *Speculetur*, inquit Augustinus, IN HOC SPECULO PECCATOR SPECIEM SUAM: *consideret diligenter unde veniat, & quid sit, quò vadat: perpendat per quod iter tenebrosum,per quam horrendas manus infelix anima sit transitura.* Fidem adstruit, cui negare nefas est,ipse Ecclesiasticus: *Memorare novissima tua*, ET IN ÆTERNUM NON PECCABIS; non dixit,intra aliquot dies,menses, annos (quod vel maximi faciendum foret) *sed in æternum non peccabis*. Huic infallibili veritati subscribit Doctor irrefragabilis: *Nihil sic revocat hominem à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio*; multum quidem in quibusdam valuere fervidi oratoris vibrata è suggesto fulmina; in aliis virtutum exempla, in multis ultrò suscepta jejunia, aliave corporis cruciamenta,à peccato revocarunt; *sed nihil sic*,tam efficaciter,tam universaliter, *quemadmodum serta imminentis mortis cogitatio*;hac confunditur superbia,frangitur iracundia, fedatur avaritia,languescit gula,frigescit luxuria,omnis pellitur malitia,ut verissimè Divus Basilius pronuntiarit:*Verum mortis meditationem contra omne peccatum amuletum*,& præsens esse alexipharmacum.

Apuleius Rhodigin. antiq lect. lib 15. cap. 12.

August. tom. 9. speculum peccatoris.

Eccl. 40

Augl. l. 2. de Gen. contra manichæos cap. 28.

Basilius hom. 12. in Genes.

Vermaen van sterven doet sonden derven.

Rem exemplo confirmat Climacus. Hic de viro Religioso narrat, qui cum segniter vitam traduxisset,ad extrema deductus, diu jacuit exanimis;ac tandem sibi redditus, omnes adstantes facessere jussit,&aditum cellæ saxis obstruxit:ibique duodecim annos in omni rigore, nemini visus,pauxillum panis & aquæ sumens traduxit,atque attoniti instar sedit, ea animo jugiter versans,quæ in excessu suo, in regione umbræ mortis viderat,fluentibus longè lacrymis,Cum verò jam vicinus morti extremum spiritum duceret,monachi effracto aditu ingressi,novissima verba,& Monita salutis rogarunt;quibus hoc solum,omnium mentibus altè infigendum reliquit:ignoscite, fratres:*nemo qui mortis memoriam habuerit,peccare unquam poterit*.

Hoc & sibi,& nobis dictum voluit Alexander Oliva Cardinalis Ordinis Eremit.S.Augustini,qui à Pio III.inter Purpuratos Patres adscitus,sarcophagum sibi adferri, atque in eo se in purpurâ jacentem ad vivum depingi curavit,adscripto hoc salubri Ecclesiastici monito: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.*

P. Ioan. Rho va ria virtut. hist. lib 5. cap. 159. Eccl 40. V. Pino-

Omnium Philosophorum ac Theologorum ingenia exagitavit,imò & ipsius Angelici Doctoris captum exsuperavit, sublimis ac subtilis illa Hussæi Vatis quæstio: *Quis conclusit ostiis mare?*quis huic tam effreni & indomito elemento rupeos limites,aut ferreos obices objecit, ne ruptis repagulis,quâ datâ portâ ruat, & expatietur?Summus ille rerum omnium conditor & molitor Deus,nil nisi arenam & pulverem statuit,dicens:*Huc venies,& hic confringes tumentes fluctus tuos*, quod S. Thomas ut miraculum naturæ suspicit.

Hunc omnes superbiâ elati,luxuriâ effrenati, iracundiâ tumidi,quorum potestati nemo resistere poterat,sistunt,& confringunt tumentes fluctus suos.

Quod primum spectat, quærit purpuratus Vates:*Usquequò peccatores, Domine, usquequò peccatores gloriabuntur*:Usquequò novo indies luxu dominabuntur,intolerando fastu exaltabuntur:*Populum tuum,Domine,humiliaverunt: hæreditatem tuam vexaverunt:viduam & advenam interfecerunt,& pupillos occiderunt,dixerunt,non videbit Dominus,nec intelliget Deus Iacob.* Usquequo hæc Domine:usquequo peccatores gloriabuntur, dominabuntur:Ecce responsum in promptu: *Donec fodeatur peccatori fovea*. Hieronymus exponit:*Donec fodeatur interitus*, vel ut Lorinus: *Donec inferatur sepulchro*,& in pulverem revertatur.

Vel ipsi gentiles hac consideratione ... tos spiritus dimiserunt, & tumentes superbiæ fluctus confregerunt.

Philippus Macedo cum aliquando in palæstrâ inter luctandum prolapsus fuisset, & corporis *vestigium in pulvere* vidisset: *Papè*,inquit, *quam parvam terræ partem sortiti,orbè appetimus.*

Severus Imperator Romanorum, diu in ambitione,jam moriturus urnam ad se deferri jussit,*in qua cineres recondendi*, & diu contrectâs & contemplatus, vocem emisit:*Tu virum capies, quem Orbis terra non capit.*

Ita ita,inquit Lipsius:

Mors sola fatetur
Quantula sint hominum corpuscula.

Attollere in vitâ,manus & spes ab Oriente ad Occidentem mitte,illa contrahet,& te intra te coget.Si gentiles,quanto potentius Christianos: Hinc morem à Græcis petitum inducit B. Petrus Damianus sub inaugurationem Pontificis stuppam accendi,ac cinerem spargi: Apud Græcos,inquit,hæc teneri consuetudo perhibetur,ut cum Imperator quis in dignitate creatur,mox ut imperialibus fuerit infulis redimitus,coronæ simul ac sceptri gloriâ decoratus,cum denique Procerum vallatur obsequiis,cum excipitur modulantibus psallentium choris;quidam sibi præsto fit obvius,*qui videlicet unâ manu vasculum plenum mortuorum ossibus,ac pulveribus offerat:in aliâ verò stuppam lini subtiliter pexam ; ut in altero debeat considerare quod est;in altero valeat videre quid habeat. Quatenus dum se simul ac sua tam vana,tam flocci pendenda consideret,de Imperialis culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat.*

Tum subdit : *Stuppa quid vilius , & van...* levi

Iob 38. 8. / Iob 38. 11. / 1. p. / 14. / Psal. 93. / v. 13 / Lips. 14. / Ibid.

levi ſcintillâ abſumenda? *Quid aptius ſepulchrali pulvere, ut pari paſſu majeſtatis ſublimitas gradiatur, & conditionis humilitas?* Cujus ritus in Pontifice, vide Bernardum epiſt. 237. ad Eugenium.

Lipſius cit. Hujus documenti memor Maximilianus Imp. triennio ante morbum, non ſolum ante mortem, *capulum funebrem è querno ligno arca viatoria iuclusum, circumferri ſecum juſſit.* Quid ſibi voluit magnus vir, niſi monumentum illud aſſiduè in oculis habere, quod diceret: *Cogita mori; quid te dilatas & extendis? quem tot Provinciæ & regna non capiunt, hic loculus capiet.*

Quiſquis hic te dilatas, & extendis: quiſquis ſuperbiâ elatus & ſublimi faſtigio collocatus, hæc meditare & imitare: *Superbia ſpiritus inflat?* SEPULCHRUM AD MENTEM REDEAT; *neceſſariò illic* RIGIDÆ CERVICIS TUMOREM PREMIMUS, *ubi cinerem nos procul dubio, pulveremque penſamus.* Quid ſuperbis terra, & cinis: Quid cyprio pulvere ſuperbum verticem aſpergis: Quid

Damian opuſc. 15. cap. 23.

Virg. lib. 12 Æn.

Canitiem multo deformas PULVERE,

Mox in cinerem redigendum?

Quid tu aurea cyclade, longo ſyrmate, mundo tuo muliebri extolleris: *Sepulchrum ad mentem redeat.*

Ubi primi generis humani parentes prævaricati ſunt *fecit illis Deus* (primus ſartor) *tunicas pelliceas.* Lyranus ait: *In ſignum ſuæ mortalitatis;* quod ſi omnes qui mulli & pretioſâ lanâ, quæ ſubtili byſſo induuntur, attenderent, mortuorum animalium, ac vermium exuvias ſe circumferre, facilè omnem faſtum deponerent; hoc enim mortis freno excuſſo, in omnem luxum & arrogantiam effuſi ruunt, juxta illud Pſaltis: NON EST RESPECTUS MORTI EORUM, IDEO TENUIT EOS SUPERBIA; *operti ſunt iniquitate & impietate ſuâ.* Ubi Divus Hieronymus: *Quod*, inquit, *non cogitaverunt de morte ſuâ, ideò tenuit eos ſuperbia;* imò & in cetera vitia, & in omnem peccandi licentiam prolabuntur, à quibus ſibi procul dubio temperarent ſi uno mortis metu frenarentur.

Gen 3. 21. Lyran. hic

Pſal. 72. 4

Hieron. hic

Sic ſapuit maximus ille orbis Dominus & domitor Carolus V. Hic in eo Maximiliano non diſſimilis, dum inter regiam ſupellectilem ſuam, ingentem ciſtam ſemper circumferri curabat, cujus ipſe ſolus clavem geſtabat, & ſub veſperam quocumque diverterat, ſemper ad cubile deferri volebat. Erant qui theſaurum, alii qui rariores codices, & chartas illic aſſervari opinabantur; ad quos Cæſar ſubinde renidens dicebat: rem ſibi cariſſimam, & in uſum maximè neceſſarium hac in arcâ abditam latere; ſarcophagus enim incluſus erat, quem altâ nocte, dimiſſis aulicis Carolus metiri ſolebat, in eo ſe componens, num tantum Cæſarem caperet. Hic Carolus ſtrit columnas Herculeas, & ſuum *plus ultra:* faſſus eſt Franciſco I. Galliarum Regi, dicens: *Homo ſum, nec quidquam humani à me alienum puto.*

At quo conſilio Chriſtianus hic Alexander uſus ſit, ut inter ſortunam ſibi ſemper proſpetam, numquam adverſam, tumentibus velis non ſeſe in altum dederit, ſed ingentes ſpiritus, ad ultimum arenarium littus confregerit ac tandem diademate ac ſceptro puſiro, ſeſe in anguſtum contraxerit, ſcire operæ pretium fuit.

Singulis quingentis annis Phœnicem avem in Ægypto videri, luculentum olim fabulis mendacium fuit, an miraculum: Sed Cæſares imperio ſe abdicare, rarius propè videmus; quicumque ejus laudis partem aliquam decerpunt, ii propemodum ſunt in admiratione. Carolo V. abdicationis regni, quæ victorias ac triumphos famâ eſt ſupergreſſa, *auctorem fuiſſe Borgiam accepimus*, cum ambo ætate florentes de rerum humanarum contemptu colloquerentur. Haud ab alio conſilium illud potuit proficiſci, quam ab eo qui vellet præire, contemptuque ipſo docere, poſſe à Principe majora contemni.

P. Ioan. Rho. varia virt. hiſt. lib. 5. c. 8. noſtra. § 6.

Conſilio & exemplo beati Borgiæ Carolus V ſe regno abdicat.

Prævivit ſanè luculento exemplo *B. Franciſcus Borgia*, qui omni mundi pompâ, titulis, & honoribus valere juſſis, intra religioſa minimæ Societatis clauſtra ſeſe abdidit.

Aureè Chryſoſtomus: *Sepulchrum eſt ſchola humilitatis;* in hac ad tumulum Iſabellæ tirocinium poſuit, & in Religione magnanimo ſui contemptu lauream adeptus eſt.

B. Borgia quam longe a faſtu & ſuperbia.

Ducatus ipſe numquam meminiſſe, nec alios mentionem facere volebat; niſi fortè hac occaſione, ut dum certa fiebant ſacrificia pro iis qui fuiſſent Gandiæ Duces, ſe quoque inter eos, hoc eſt, *inter mortuos numeraret.* Maximilianus Imperator, de quo ſupra, pluribus diebus ante mortem, nil niſi Maximilianus appellari voluit, quod & Carolus V. in ſeceſſu ſuis vetuit, nec aliter quam Carolus nuncupari.

Hiſt. Societ. part. 3. lib 8. n. 105.

Lipſ. cit.

At *Franciſcus noſter* non modo nomen Ducis exoſus, ſed litteris ad Patres Luſitaniæ datis non aliter ſubſcripſit, quam *Franciſcus peccator.*

Hiſt Societ. n. 101

Cum aliquando intellexiſſet impoſtorem quendam ad triremes damnatum, mentito nomine ſe pro *Franciſco Borgia* venditaſſe; dixiſſe fertur: *Si triremibus addicitur, qui meum ſibi nomen vendicat, quid de me fieri par eſt, qui non inane nomen porto peccatoris?*

Ribadin. in vita l. 4. c. 1.

Sed altius in hac ſcholâ humilitatis provectus eſt: & à ſæculi faſtu longe alienus exſtitit.

Cum Romam ingrederetur, obviam miſſis Cardinalium mulis; numquam Romæ ſactum occurſum aptiorem dixit: *Quoniam belluæ exciperent belluam.*

Hiſt. Societ. cit. n. 101.

Ita Valliſſoleti cùm primum in Societatis habitu apparuit, accurrente ad ſpectaculum populo, P. Buſtamantio comiti inſuſurravit: *Videri homines tanquam ad novi elephantis, aut immanis feræ vinctæ conſpectum accurrere;* nec dubiè, inquit, niſi Religionis hoc amictu Deus, quaſi catenâ vinxiſſet, ego omnes beſtias feritate ſuperarem.

Inſederat illi altè: *Quoties ſuperbiæ ſpiritus inflat, ſepulchrum* (Iſabellæ) *ad mentem redeat;* quo uſque adeò ſe depreſſit, ut viliſſimi mancipii inſtar, ſe ad infima abjecerit. Ita Luſitaniæ urbe Portu, cum allatum dono mactatum

Damian. cit.

Hist. Societ. tu. n. 101. jam fuem ipse, qui tum Janitoris explebat vicem, humeris exceptum per multos aogostosque gradus, in sublimen penum silentio sustulisset, mirantibus id Patribus: *Quid mirum*, inquit, *ut porcus porcum ferat.* Hæc Dux Gaodiæ.

a. Frangitur ira, Ijaia 57. Eccl. 26. 6 Alterum est, hominis iracundi, cujus *tortanquam mare fervens*, ad morruales cioeres, omnes imperus confringi: *Memento*, inquit Siracides, *novissimorum, & DESINE IRASCI*; ubi eò deventum, omnes gladii teconduntur, omnis ignis vindictæ, cinere sepelitur.

Mystica quatuot animalia, naturâ maximè contraria, vidit inter se sanctus Joannes pacifi- *Apoc. 4. 7.* ca & mansueta: *Animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal simile aquilæ volanti.* Describit eadem Ezechiel cap. 1. genio, indole, conditione planè diversa; quæ tamen summâ inter se pace, & amicitiæ vinculo unita, divinæ gloriæ quadrigam unanimiter trahebant.

Sed quid causæ fuisse arbitramini, quod leo sibi temperarit, & in vitulum nativam suam ferociam non exeruerit; aut aquila hominem non involarit? Attendite quid subdat Evange- *Apoc. 5. 6.* lista: *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium Agnum stantem* QUASI OCCISUM. Spectaculum Agni occisi, & mortui speciem referentis, animalia in officio continebat, & oculi quibus in circuitu & intus plena erant, nil aliud spectabant, quàm ut humanis omnibus *Pinto Ramirez. Scuto le su flammam tract. 2. cap. 4.* spretis mille vitas, si haberent, Agno immolarent. Jam hos ad volandum pennas sibi aquilæ exoptabat; jam aquila excelsa deferens, nun inferiora, & laboriosa cum bove, ad Dei gloriam, obsequia detrectabat; jam hominis mansuetudinem Leo induebat, & homo ad ardua quæque aggredienda; animas & robur leonis assumebat.

Quid ergo mirum si *Borgia noster*, quem nobilitas inter alios ut aquilam evehebat, quem potentia ut leonem commendabat, hominem se reputet, instar bovis, & velut jumentum factus, ad infima se dimittat, generosos ac leoninos animos frangat, ad unius conspectum mortuæ Reginæ?

B. Borgia injuriam æquo animo fert Insigne hujus rei specimen dedit. Barcinonæ de more solenne spectaculum dabatur populo, ad quod instituerunt nobiles ac principes Matronæ primo die solæ cum Proreginâ admitti possent, quod ita *Francisco* probatum, ut *Hist. Societ. part. 3. lib. 8. n. 81.* Janitoris ipse officium reciperet. Eo munere dum fungitur, ecce tibi procerum quidam primariæ claritudinis, ad gynecæum rectà contendit: modesteque repulsus, quod eum diem ab arbitris liberum Dominæ exoptassent; vehementius quam creditu facile sit, excanduit, furensque audaciâ barbarâ, pugionem stringit, admotoque *Francisci* tum adhuc Proregis pectori: profectò, hic inquit aditum, si aliter non inveniat, faciet.

Prorex tam inopinatu casu, graviquc discrimine deprehensus, nihil tamen est perturbatus: animum suum, & quamvis *cuttam iram habuit in potestate*, & homini impotenti, oe levissima ex causa ambo perirent, expeditum reliquit ingressum. *Nec postea persequi injuriam voluit:* quin potius laboravit, ne temerarium facinus, & violata majestas, illi apud Cæsarem exitio esset; cum si voluisset aliam viam vindictæ insistere, haud dubiè duas gentes, familiasque peramplas conjecturus in angustias inexplicabiles fuerit, & cum magna etiam partium strage funditus perditurus.

Quid ad hæc tu iracunde, furibunde, qui leviter læsus, nil nisi sanguinem spiras; Quid si nobilis à plebeio, Ecclesiasticus à laico, Dominus à servo injuriam patiaris? *Memento novissimorum & desines inimicari.* Stephanus Cantuariensis in hunc locum: *Certè si Dominus & servus in eodem carcere positi, idem expectarent judicium, Dominus caveret diligenter, ne opprimeret sibi servum; & nos in eodem summus ergastulo colligati*, scilicet in mundo, seu in *corpore mortu hujus*, & adhuc vindictam spirabimus? *Eccl. 28. Stephanus Cantuar. apud Thoman in cap. 2. Zachar.*

Quid leone truculentius? quid homine iracundo ferocius? hellua tamen novit iræ suæ modum ponere, dum mortuum intuetur, & homo non mitescet? libro 3. Reg. cap. 13. v. 24. *Leo stabat juxta cadaver.* Rabanus hic, & Lyranus: *Idem leo qui viventem præsumpsit occidere, ausus contingere non est occisum.* Ab hoc disce, dum ira fremis, sanguinem sitis, state juxta cadaver, quod heri aut hodie elatum est. *Raban. Lyran. in 3. Reg. c. 13. v. 24.*

Fuit herus iracundia furens, qui stricto ferro mancipium invadere tentabat; illud ad asylum, ad ipsam aram confugit, nec illic securum ab insequente cernens, in moomentum forte apertum se conjecit; ubi herus ferali loco & mortui loculo consternatus, destitit & pepercit, atque ad hos ciueres *confregit tumentes fluctus suos.* *Calamitate discer. de mort.*

Quid causæ fuisse exstimatis, quod David hosti suo Sauli, quem ad mortem quærebat, pepercerit, & omnis furor ac rabies subsederit? Nil aliud ferocem ejus animum, quam species Saulis dormientis, ex quo de morte philosophari cœpit, mitigavit. Chrysostomum audite. *Cum videret illum immobilem, nec quidquam posse facere, ita cum animo locutus est David: ubi nunc ille furor? ubi illa malitia? ubi tot techna, tot insidiæ? Abierunt omnia illa, perierunt exigui somni incursu. Iacet Rex ille alligatus, cum nihil nos neque cogitaverimus, neque perfecerimus.* CONSPICIEBAT ILLUM DORMIENTEM, AC DE MORTE OMNIBUS COMMUNI PHILOSOPHABATUR. Quanto verius & vivacius tu noo de dormiente, sed de mortuo Philosophari poteris? *Chrysost. hom. de David.*

Hoc itaque purpurati Patris accipe monitum: *Ira fortasis esser atanimum?* DIRIGE PROTINUS OCULOS AD SEPULCHRUM? *mox enim omnis amaritudo deponitur, dum quo furor humanus vergat, mens provida contempletur.* *P. Damianus epi. 15. c. 2.*

Sed quid insatiabilem auri famen, quæ *numquam dicit sufficit*? quid os avari instat voraginis semper hiantis, opplere poterit? vis dicam paucis? gleba terræ, quæ mortuo injicietur, *oppilabit os.* *3. Sedatur avaritia. Prov. 30. Psal. 106. Iob. 17. 10*

Illud Jobi animo obversetur: *Dies mei breviabuntur, & SOLUM MIHI SUPEREST* SEPULCHRUM: ex omnibus fundis & præ-

dus;

diis, solum superest exiguus loculus, angusta trium ulnarum caverna, angustior quatuor palmorum urna. Ex omnibus palliis, ex omni pretiosa supellectile, nil superest nisi vile linteum sepulchrale.

Ex omnibus quibus inhias & indormis auri saccis, & arcis argento oppletis, ne teruncium tecum auferes, *solum superest sepulchrum.*

Damian. opusc. 13 cap. 23.

Quid brevi itineri magnum viaticum congregas, nisi ut magis onustus incedas? Præclarè Petros Damianus: *Avaritia stimulus incitat?* AD SEPULCHRUM PRÆSTO SEMPER RECURRE; *ibique condisce, quia mortalitatis hujus incassum stipendia plura congerimus, qui iter ipsum quo pergimus, tam brevi spatio terminamus.*

Galenos medicorum Princeps, argentum vivum extingui cinere docebat; at vivam argenti cupiditatem, inexplebilem auri famem ac sitim cinere, seu mortis recordatione suffocati ac penitus extingui, didicit & docuit *Franciscus.*

Matth. 13. Ribadin in vita lib. 4. c. 2. B. Borgiæ paupertas & rerum omnium temporalium, contemptus

Hic *inventâ pretiosâ* paupertatis *margaritâ dedit omnia, & comparavit eam.* Simul atque se Societati astrinxit, pecuniam non contrectavit, quodque mirere magis in homine adeò opuleoro, argenti, aurique pretium ignorabat.

Quam longè esset ab iis quæ mundus amat & amplectitur; in victu, cultuque corporis enituit.

Stipem cum vicatim mendicus cogeret, panis frusta oblata libentius quam appositos integros panes gustabat.

Ibidem.

Fuit cum prandenti Romæ apud Catholici Regis Legatum, mimus quidam aretalogus injiceret: *O miserum te, & inopem* FRANCISCUM, *qui tantis te bonis abdicaris, nisi morte obita cælo fruaris.* Ad Oratorem Franciscus conversus: *Vera*, inquit, *narrat; sed majora jam tum, quam reliqui, bona sum consecutus*; ac primum quidem, ut Christo in aliquo similis factus sim: *Qui propter nos egenus factus est, cum esset dives*; tum quod promissum illud præ oculis haberet: *Centuplum accipietis.*

2. Cor. 8.

Matth. 8.

Hoc spectavit *Franciscus*, & omnia repudiavit, dum spectavit in *Isabella*, omnia mortis falce, seu novacula radenda, ut non incongruè Tertullianus, qui mortem TONSURAM *insolescentis generis humani*, indigeravit.

Tertullianus lib. de anima cap 30.

4. Languescit gula.

Miratur gentilis Philosophus ingluviem Romanorum, & tantum ciborum ac ferculorum apparatum, nec quemquam in animum inducere, quo delicatius corpus nutrierit, hoc copiosius alimentum vermibus parare: *Numquid, mi Lucili, hic furor est, quod* NEMO NOSTRUM MORTALEM SE COGITAT? *Aspice culinas nostras, & concursantes inter tot ignes coquos nostros: unum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? Aspice veteraria nostra* (alii veterana) *& plena multorum sæculorum vindemiis horrea: unum putas videri ventrem, cui tot Consulum, Regionumque vina conduntur? Aspice quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant: unum putas videri ventrem, cui & in Siciliâ, & in Africa seritur?*

Seneca epist 114. in fine.

Tum ut gulæ metas ponamus, christianè commonet: *Sani erimus, & modica concupiscemus, si unusquisque se numeret: metiatur simul corpus,* SCIATQUE NEC MULTUM CAPERE, NEC DIU POSSE. NIHIL TAMEN ÆQUE TIBI PROFUERIT AD TEMPERANTIAM, QUAM FREQUENS COGITATIO BREVIS ÆVI, ET HUJUS INCERTI. QUIDQUID FACIES, RESPICE AD MORTEM.

Sic & nobis ad temperantiam profuerit mos Ægyptiis usitatus, qui teste Herodoto, ceream mortis imaginem in conviviis circumferebant. Plutarchus in convivio septem Sapientum ait sceleton circumferri solitum. In funebri Domitiani cœnatione cranium è tholo suspensum observat Martialis:

Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo,
IPSE JUBET MORTIS TE MEMINISSE DEUS.

Martial. lib. 2. epig. 43.

Scythæ è cranio potabant, quod hodieque apud Indos factitari notavit Lipsius. Et Boios hanc consuetudinem ex mortuali capite bibendi, ad sua usque tempora perstitisse prodit Aventinus. Hoc per mensas ambulabat, & per omnium manus transibat. Si hodiernâ die inter epulas nostras tale caput humanum (*sulck eenen cop*) per manus iret, omnia massica & falerna, mosella & rubella desiperent, omnis ingluvies brevi cessaret, excessus omnis subsideret. Ita non ad gulam frenandam, sed inediam condiendam Theresanæ virgines in fine mensæ cranium exponunt, horrida quidem visu res, sed quæ omnes cupedias facilè facit fastidire. Hauserint id forte à sanctâ Franciscâ Romanâ, quæ frigidâ semper è calvariâ bibebat. Sed quam vesanæ illæ gulonum voces? quam insanæ illæ helluonum vociferationes? *Comedamus & bibamus: cras enim moriemur*; seu ut Paulus: *Manducemus, & bibamus: cras enim moriemur.* Itane? quia moriendum, gulæ & crapulæ indulgendum? Contrarium potius inferendum. Opportunè Augustinus: *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Quid ais? Repete: manducemus inquit & bibamus. Age. Quid* postea dixisti? Cras enim moriemur. Terruisti, *non seduxisti. Planè hoc ipso quod postea dixisti, incussisti mihi timorem ne tibi consentiam. Cras enim moriemur, dixisti: & præcessit, manducemus & bibamus; adjunxisti, cras enim moriemur.* AUDI CONTRA A ME, IMO JEJUNEMUS ET OREMUS, CRAS ENIM MORIEMUR.

Lipsius l. Saturn. cap. 19. Aventinus lib. 1. annal. Boiorum.

Isa 22. 1. Cor 15.

August. in psal. 70.

B. Borgiæ temperantia & inedia.

Sic rectè B. Borgia philosophatus est, cui calvaria Isabellæ non solum, sed & mortis memoria semper obversans, ita victum temperavit, ut quidquid per epularum peccasset abundantiam, abstinentiâ lueret, simulque corporis ut castigaret obesitatem, cœnâ sibi in totum interdixerit. Tum indies ultra progrediens, cum per quadragenaria jejunia, nihil ad panem & aquam, nisi coctas herbas, aut leguminum aliquantum duobus annis absque valetudinis noxâ adhibuisset, subiit voluntas totum annum ejusmodi inediam continuandi, & continuavit; ac multo olim abdomine gravis, eam sive natu-

Histor. Societ. part. 3. lib 8. n. 76.

naturæ, sive lautioris vitæ fœditatem egregiè castigavit. Etenim cum paucis oleribus adhuc Protex, & sæpe mensæ instructissimæ accumbens victitaret, eousque eâ ciborum abstinentia corpus exsiccavit, ut vasti primum ac projecti ventris, cui lunatâ, ut assideret, mensâ opus esset, postea verò inanis ac frigidi pellem, follis vacui, aut abollæ in morem complicare habuerit necesse. Itaque *alterum Franciscum*, vividum, valentem, pinguem & obesum abstinentia accepit; *alterum* gracilem, marcidum, exsuccum & exanguem reddidit.

Hæc ne exotica & à vobis maximè aliena arbitremini, *sepulchrum ad mentem redeat*, & quantò hic lautius carnem nutrieritis, tantò illic pinguius pabulum vermes reperturos occurrat; hoc salubre Damiani Cardinalis consilium est: *Gula proritus solicitat?* SEPULCHRO PROTINUS AD MENTEM REDUCTU, *considera; quia dum carnem nostram delicatè vel tenerè fovendo distendimus*, CIBUM PROCUL DUBIO VERMIUM SAGINAMUS; *eoque fit ut* QUO PLURA COMEDIMUS, A PLURIBUS COMEDAMUR, DUMQUE VENTREM MOLLITER ALIMUS, INGRATIS CONVIVIS PINGUIA ALIMENTA NUTRIMUS.

Pet. Damian. opusc. 15. cap. 23.

5. Frigescit luxuria.

4. Reg 23. v. 14.

Superest denique ut cineres mortuales libidinis ignem restinguere ostendamus. Libro 4. Reg. cap. 23. v. 14. Josias Princeps sanctissimus *succidit lucos, replevitque loca eorum* OSSIBUS MORTUORUM: ut si qui sponsi Penelopes, aut filiæ vagæ, voluptatis explendæ gratiâ eò confluerent, ipso mortuorum aspectu, à carnis illecebris, & mundi blanditiis deterrerentur. Sic sensit in hunc locum Stephanus Cantuariensis: *Lucos*, inquit, *succidere, & replere ossibus mortuorum, & vita secularis delicias exterminare* PER MEMORIAM MORTIS.

Nihil potentius ad hoc libidinis incendium sopiendum, quam inspersi frigidi mortuorum cineres.

Pet. Damian. lib. 9 epist. 25. ad Ioannẽ Monachũ.

Propositum confirmat Purpuratus Doctor: „novi Fratrem in Christo, qui districtam hanc „mentis suæ regulam jugi ac pervigili servat „intuitu: ut quotiescumque libidinis sugge„stio surrepit, mox cogitationi suæ, velut ex„peditus ad proficiscendum dicat: eamus ad „circam; *dicò omnia cœmiteria ac sepulturas ima„ginando perlustrans, putrescentium virus, saniem„que cadaverum: scatentes quoque vermes, & fœ„tentius pus carnium, curioso rimatur intuitu; cum„que considerat, quia olim carnes illæ in sua viridita„te florentes, his subjacuere molestiis, corpus etiam „suum paulò post futurum esse non ambigit, quod il„las esse jam cernit.* COMPENDIUM DAT „LUXURIÆ, QUI PRÆBET OCULUM „CORRUPTELÆ: NEC EST LIBIDINI „DIVERSORIVM, IN QVA VERSATVR „MENTE SEPVLCHRVM.

Chrysost. to. 5 serm. de nequitia depulsa

Omnem porrò sensum voluptatis, & titillationem carnis extinguit seria mortis recordatio, & in absyntium mella convertit. Chrysostomus id asserens, ait: MORTIS FVTVRÆ EXPECTATIO, *haud quaquam sinit, ut quas in manibus habent voluptates, seu delicias, sentiant.*

Nemo ab ingenti præcipitio pendulus, scelus meditatur, nemo prudens inter occanu fluctus in tabulâ ludit, nemo medius inter armatos hostes inermis lascivit.

Stolidior is est, qui in perpetuo mortis metu, omni horâ dubiâ, omni momento incerto, ea audet quæ in æternum infelicem adferant mortem. Quare inquit Bernardus: *si te luxuria tentat, si te libido ad peccatum incitat obiice tibi memoriam mortis*, quod si nec sic flammas restinxeris, adi cœmiteria, & inter mortuorum ossa volutare.

Bernard. serm. 7 de tentat.

Fecit hoc memorabili exemplo Guido Nivellensis, qui ut refert Cantipratanus, mulierem fortè curiosius intuitus, tantis carnis stimulis toto triennio divexatus fuit, ut noctes & dies de illâ cogitaret, & etiamnum mortuam arderet. Ad hos ignes restinguendos, non aptius quam ipsos mortuales cineres, tabum & vermes cadaveris, remedium excogitavit. Noctu itaque inter putidos vermes & tabo fluentia membra voluptavit, hæc interim secum: nunc cape amplexus & oscula, ecce Helenam tuam, exsaturare, ut tandem fœtore & horrore propè mortuus concideret. Inde ad se reversus, ita victor evasit, ut non nisi summo horrore ejus imago obversaretur, verissimum illud Gregorii expertus: *caro cùm concupiscitur, pensetur quid sit exanimis, intelligetur quid ametur*; cum forma venustæ puellulæ concupiscitur, exanime brevi eius cadaver pensetur, *intelligetur quid ametur*.

Cantipratan lib. 2. Apum. c. 30. n. 31.

Simile quid ausus in Scythicâ eremo vir religiosissimus, cui cum sæpius fœminæ olim non ignotæ species occursaret; quam ubi vitâ excessisse cognovit, tugurium suum superis commisit, & ad defunctæ sepulchrum properat. Hic ille fœdum libidinem triumphaturus, rem sic aggreditur. Noctu à tumulo saxum amolitur, terram egerit, & ad cadavaver penetrat: en inquit, delicias tuas, quin aufers rem tibi charissimam? Pars certè de hoc auro quod effodisti, asportanda erit. Dixit & fecit, furtoque religiosissimo partem mortualis velaminis, sanie ac tabo bene saturatam abstulit. Regressus in casam suam, bene olentem hanc prædam, sub ipsos oculos posuit assiduè aspiciendam.

Vita Patrum. De eximus Regula[illegible] nat, c. 5. §. 2.

Hic seipsum iterato scommate lacessens: en inquit, habes quod appetisti: fruere, satiare: exple oculos, pasce nates, imò totus hic nasus fias: cogita hoc esse strophium à charâ tibi fœminâ missum: quin ori ac naribus propius admoves tam pretiosum ac fragrans munusculum.

Ita generosus hic athleta tam diu fœtore è cadavere lecto se cruciavit dum sordidas cogitationes penitus animo eliminavit.

Valuit in Beato Borgiâ mortis recordatio, & verissimum illud in se comprobavit: *pensetur quid sit caro exanimis, intelligetur, quid ametur*: nam uno brevique aspectu cadaveris, adeò immutatus, suique dissimilis redditus Franciscus, ut eundem esse negates. Inde domum se contulit, & in cubiculum confestim sine arbitris, pessulo januæ obducto, se abdidit, humique prostratus, lacrymis gemitus miscens, & noctem quæ subsecuta est, sanctis cogitationibus insomnem ducens divina luce illustratus, concepto voto, hoc secum statuit, ut mortuæ uxori super-

Ribadin. in vita lib. 1. c. 7

Hist. Socie. part. 3. lib. 1. n. 8.

superstes austeriori vitæ in Religione se traderet, & carni ac sanguini perpetua castitate renuntiaret; quam deinceps per omnem vitam in Societate, carnem domando, angelicè servavit.

§. III.

BEATUS FRANCISCVS BORGIA *ex conspectu mortis, mundo mortuus, Deo vixit, juxta illud Pauli* : MORTVI ESTIS, ET VITA VESTRA ABSCONDITA EST CVM CHRISTO IN DEO Ad Coloss. cap. 3. V. 3.

Calamato sol un concaps. 111. mors.

MAjolus Episcopus Vultuariensis, delicias mundi, & illecebtas carnis extimescens, de se fatetur, cum vix ex ephebis excessisset, ita mortem meditari cœpisse, ut ad omnia conclavis latera, mortis larvam appenderit; quo factum, ut ubi oculi inciderent, mortem in conspectu haberet.

Primæ autem imagini aptam hanc ex Ambrosio epigraphen subjecerat:

Amb. lib. de fide 2. [illegible]

Vivens semper morere, ut moriens semper vivas.

Secundæ: *ne moriare, opus est mortem præcurrere morte.*

Tertiæ illud Poëtæ:

Femina nequitia languidiora facit.

Hoc autem qua ratione fieri queat, ut homo vivens moriatur, & mortuus vivat, eleganti similitudine expressit Augustinus, dum plantas hyemis tempore frondibus, floribus, fructibus viduatas aridis & mortuis tam similes, ut has ab illis discernere nequeas; vitam autem absconditam esse æstas declarat, duio reviviscunt, revirescunt, reflorescunt: *hyemis tempore*, inquit, *etiam viridis arbor arida similis est : venit æstas, & viva radix folia producit, & impletur fructibus.* Ita inquit, qui mundo mortui, Deo vivunt : *certè mortui sed mortui specie, vivi radice. Attende tempus æstatis, quomodo sequatur, & dicat, cum autem apparuerit vita vestra, tunc & vos* APPAREBITIS IN GLORIA, onusti bonorum operum ac meritorum fructibus. Hæc attenta mente volutans sanctissimus Antistes, exclamat: *eja ergò, dulcissime Deus, hoc mihi tecum pactum erit*, PLANE MORIAR MIHI IPSI, UT TU SOLVS IN ME VIVAS. Atque hoc ipsum mori, manifestum indicium est, in aliam vitam præstantiorem transferri: nam sicut in naturalibus, lignum corrumpitur, ut ignis generetur; & granum frumenti, *ubi mortuum fuerit*, rursus reviviscit & multum fructum adfert; haud aliter in morte spirituali, duplex semper intercedit mutatio: altera qua amittitur aliquod esse imperfectum; altera qua acquiritur esse perfectum. ita dum homo moritur sæculo, vivit Deo.

Aug. serm. 112. de tempore

Ad Coloss.

Aug. ibid.

Qua super resuavissimè excurrit Ambrosius: *nonne in hac vitâ positus*, SPECIEM MORTIS IMITATVR, *qui potest ita se agere, ut* EI MORIANTVR OMNES CORPORIS DELECTATIONES, *& cupiditatibus omnibus, mundique illecebris etiam* IPSE MORIATVR; SICVTI MORTVVS ERAT PAVLVS, *dicens : mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Denique ut sciamus quia* EST MORS IN HAC VITA, ET BONA MORS *hortatur nos ut mortem* JESV *in corpore nostro circumferamus: qui enim habuerit in se mortem* JESV, *is & vitam Domine* JESV *in corpore suo habebit.* OPERETVR IGITVR MORS IN NOBIS, VT OPERETVR ET VITA.

Amb. lib. de bono mortis. c. 3

Medium verò ad hanc vitam divinam consequendam subdit Apostolus: *mortificate ergò membra vestra*; sicut enim per morbos mors corporalis, ita per mortificationem mors spiritualis inducitur: unde de seipso testatur, *quotidie morior*: ea enim sustinuit, ut quotidie animam exhalare videretur, sic Chrysostomus: *Paulus semetipsum per singulos dies immolabat*, QVOTIDIE MORIENS, *& consummans voluntate martyrium*, quod alii semel, & brevi morte consummatunr. Vnde eum quotidie morientem, & non semel dumtaxat mortuum, plusquam martyrem Richardus Victorinus admiratur, dicens: *quare mortuus non creditur, qui tota die mortificatur? An forte quia dixit : propter te mortificamur? Scimus tamen quia in Dei oculis* MAJORIS MERITI EST SÆPE MORTIFICARI, QVAM SEMEL MORI. *Nonne mors Martyrium tantò pretiosior, quantò mortem præcedens pœna productior: Quibus volentibus mori, non dabatur occidi.*

Ad Coloss 3.

1. Cor. 15. v. 31.

Chrys. hom. 1 de laudib. Pauli.

Richard. Victor in Psal. 118.

Potuit & B. Borgia illud Pauli usurpare: *quotidie morior* : longo martyrio *propter te mortificamur tota die* : nulla etenim illi dies sine pænitentiæ non dicam linea, sed pagina fuit, cum nulla fuerit in qua non plurimo verbere pœnas reposceret, & quidem adeò graves, ut sæpius 600. aliquando 800. sanguineas lineas cruento flagello duceret. Nec fessa ætas, aut diuturni languores eum debilitarunt ab hac vitali morte, ut apparet ex pio colloquio quod habuit cum Joannâ sorore suâ, Excalceatatum sanctæ Claræ Antistita. Sic enim affatus est: *Soror, conveniens professionis nostræ exercitatio est*, VT VICIES QVATER (*horis nimirum singulis*; NOS TANQVM IN MORTIS MONVMENTO CONSTITVAMVS, *ut simus ex his, de quibus ait Apostolus*: MORTVI ESTIS, ET VITA

Ad Coloss. 3.

B. Borgia per mortificationes quotidie moritur.

Ribadin. in vita. lib. 4. cap. 5. hist. Socie. part. 3. lib. 8. n. 111.

Ribadin. ibid.

Hist. Soc. part. 3 lib. 8. n. 113.

VITA VESTRA ABSCONDITA EST CUM CHRISTO IN DEO. Tum illud subjecit: *mecum quidem satis bene jam agitur, cui dicere fas est.* QUOTIDIE MORIOR. Argumento sunt horrida cilicia & flagella, pannique quibus sanguinem detergeret, à morte reperta.

Ribadin. cit.

Hic cùm preces plurimas in horas extenderet, prostratus in faciem, os ita corrupit, ut dentes omnes suis emoti sedibus deciderent.

Ibid.

Septimancæ Societatis tiro coqui officio functus, *Francisco* condire cibos gustatui jucundos studebat. Collectis itaque in viridario herbis, absynthium, amaram herbam, ignarus deceptam collegit, & jusculum Patri apponens: *ede*, inquit, *Pater, jus mea manu conditum.*

Edit, & verò libenter. Rogatus verò ecquid placuisset: *nihil, in vitâ edi me dignius*, respondit.

Gustarunt quod reliquum erat socii, ruboremque re compertâ coquo injiciunt. Ille genibus mox accidens, veniam precatur imprudentiæ. At ille: *Dominus tibi benedicat: unus tu de tot fratribus sensum meum nosti, quaque potissimum re indigeam, percalles.*

Hic cùm amara pharmaca, potionesque erant sumendæ, eas lentè sorbillare, illisque os colluere, ut palatum gustumque mortificaret, solebat. Ita, ne longior sim, nulla illi, dies sine pœnitentiæ non dicam lineâ, sed paginâ fuit.

Magnifica fuerit illa olim Titi Imperatoris vox, qui cùm sub vesperam recordatus, nulli se hodie beneficium contulisse, aut quid Imperatore dignum præstitisse, exclamavit: *amici, diem perdidi.* Gloriosior, ausim dicere, illa Borgiæ: diem illum se perditum censere, quo nil pro Christo pati, & cruenta de se victoria triumphare non licuisset. Spectat hic ad nos, quod quondam ad suos Guerricus Abbas: *illud sanè miserrimum est, quod hodie non putatur jactura, sed lucrum, si dies, qui nobis ad purgationem dati sunt, elabantur nobis dormiendo: prætereant, & pereant negligendo. Gentilis, ut ajunt, cùm sederet ad mensam, venissetque in mentem nihil strenuum aut memorabile se egisse die illo, cum gemitu gravi, & dolore mensam repulit, exclamans.* O AMICI, DIEM PERDIDI. *Nos hodie dicere videmur, diem lucrifeci, si sine opere totus per inertiam possit elabi. Sic nullus ferè est, qui tempori pretium ponat, qui recogitet apud se quantum valeat ad comparandam æternitatem dies una.*

Hist. societ. n. 112. Ribadin. cit. Guerricus serm. 6. de purificat. B. Virg.

Dies una, & hora una tantum apud B. *Borgiam* valuit, ut nullam sine æternitatis linea traduxerit: nullam sine insigni mortificatione transegerit.

Magnum discrimen est, & immane quantum interest inter mortem corporalem & spiritualem. Prior omnes ad agendum facultates eripit; altera expeditiorem ad benè & fervidè agendum, spiritum reddit. Prior in instanti fit, illa via pluribus annis peragitur, & tota vita discitur.

Seneca.

Præclarè Seneca: *vivere* inquit, *tota vita discendum est: & quod magis fortè miraberis,* TOTA VITA DISCENDUM EST MORI, *tot maximi viri relictis omnibus impedimentis, cum divitiis, officiis, voluptatibus renuntiassent, hoc unum in extremam usque ætatem egerunt ut scirent: plures tamen ex his nondum se scire confessi, è vitâ abierunt.* Unus certè ex his maximis viris *Franciscus* exstitit, qui tota vita didicit, & scivit mori.

Tu qui unus es ex illis de quibus loquitur Ecclesiasticus: *omnes morimur*, ut mortem non tantum non metuas; sed expectas dic cum Paulo, & fac quod Paulus, & Borgia; *quotidie morior*; qui debes in mundo mori semel, mundo morere semper: quilibet dies vitæ, sit tibi mors alicujus culpæ. Hodie morere tuæ iracundiæ, cras luxuriæ, perendie invidiæ, post acediæ, semper alicui vitio: qui in peccatis natus es totus, ut vivas, morere peccato, morere mundo. *Magna res est hac* ET DIU DISCENDA, *cum adventat hora inevitabilis, æquo animo abire.*

Eccl. . . 1. Cor. 15

Commune Proverbium est: *'t is konst te leven, als de doot komt*; erras, praxis facilis est, quam tradit Ambr. *vivens semper morere, ut moriens semper vivas*, hoc est: *al levende sterven, ende al stervende leven.* Talibus mors l[illegible] & facilis, scilicet in arte moriendi exercitatis, & jam animo & affectu à mun[illegible] carne separatis. Omninò felix & pre[illegible]sa mors, quâ vitam carnis exuimus, ut vitam spiritus induamus: mors quâ sensus & affectus inordinatos deponimus, ut operibus internorum sensuum, mentis, & actibus charitatis occupemur: mors qua mundum illum corruptibilem, id est sæculi hujus curas relinquimus, ut alterius mundi potioris, & [illegible] corruptibilis, nempè spiritualis & perfectæ vitæ habitatores simus. Quid hac morte pretiosius, quid utilius, quid suavius? Quare, *medicare utrum commodius sit vel mortem transire ad nos, vel nos ad eam*, per vivam recordationem & assiduam mortificationem. Pergit Seneca: *egregia res est mortem condiscere. Semper discendum est, quod an sciamus experiri non possumus.* Scire vis an mortuus sis? vide an mundus adhuc te teneat: *mare enim*, ut rectè Ambrosius, *viva corpora in semetipso retinet;* MORTUA EXTRA SE *protinus propellit.*

Amb. . . Seneca epist. . .

Superest nunc ut ostendam, quomodo exemplo B. *Borgiæ* viri Religiosi & sanctimoniales, illud Pauli in se exprimere queant: MORTUI ESTIS, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

Ad . . . Ad R. . . exemplo B. Borgiæ . . .

Ex judicio etiam omnium sæcularium, & communi more, ac politicâ consuetudine, Religiosi habentur civiliter mortui ac sepulti. Hoc summorum Pontificum pronuntiatum est, in jure Can. 16. quæst. 1. cap. placuit; RELIGIOSUS MUNDO MORTUUS, *Deo vivit*; rationem hanc Legisperiti adferunt, quod Religiosi in pluribus similes sint iis, qui naturali morte obierunt, inepti enim & incapaces sunt ut testentur, ut hereditatem adeant &c. Hinc si parens testamentum condat, & primogenito omnia

seu

feuda; secundo genito tot milia, filiæ in dotem totidem leget, & rogetur quid filius Religiosus Professus, quid filia sanctimonialis habitura? Respondetur, illos mortuos esse, & censeri.

Unde nec contractus civiles, nuptiales, testamentales, emptionis, venditionis, locationis, negotiationis cujuscumque condere possunt, habenturque nulli, non secus ac si mortui essent. Hoc est quod Divus Ephrem suos monitum voluit: *quid nobis, & negotiationibus hujus sæculi*, QUI MORTUI SUMUS MUNDO? Quid immiscemus nos negotiis sæcularibus, divitiis, pecuniis, bonis hujus sæculi, *qui mortui sumus mundo*: Quid intricamus nos nuptiis, sororis, aut neptis? quid vexamus nos fortunis parentum aut propinquorum, *qui mortui sumus mundo*? Quid inhiamus amplæ habitationi, commodo cubili, lecto, supellectili, *qui mortui sumus mundo*; mortui omni sensualitati, terrenis affectibus, temporalibus & perituris bonis, rebus omnibus mortui & sepulti, juxta illud Pauli: MORTUI ESTIS, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*, solum viventes spiritu, vitâ gratiæ, vitâ divinâ, & cælesti.

S. Ephrem tom. 1. parænes. 44

Coloss. 3.

Id expressisse videtur laudabilis ille mos, & solennis consuetudo, qua in quibusdam Religiosis familiis utuntur. Monasterium est Bavariæ, ubi moris est cùm virgo sacrum velamen in templo accipit, & in Christi Sponsam initiatur, ut finitis publicè sacris ceremoniis, nova Christi nupta in monasterium deducatur: præeunt illam quatuor sanctimoniales feretrum præferentes; ingressis omnibus sacris virginibus, fores clauduntur, & obserantur, perinde prorsus ac si novæ sponsæ diceretur: cogita te nunc hanc viam ingredi, non regressuram nisi mortuam efferendam. En per hanc januam transis in domum Religionis, quæ perpetua mors est, nec redibis per illam, nisi in hoc, quod vides feretro, cum ultimum iter facies è cellâ in cælum; atque ita parentibus, propinquis, amicis omnibus æternum vale dicitur.

Drexel. prodromus con. sid. 4. §. 1.

Idipsum S. Ignatius à suis exigit: *ut omnem carnis affectum erga sanguine junctos exuant*. Quorsum hoc; *ut qui mundo, ac proprio amori* MORTUUS, *Christo Domino nostro soli vivat*.

S. Ignatius Reg. 8. summarii constit.

Multum profectò S. Pater noster paucis verbis complexus est: *mundo & proprio amori* MORTUUS? Hoc est, non solum omnes passiones & affectus inordinatos mortificatos habere, sed planè mortuum esse. Qui proprio amori mortuus est, is proprio honori, proprio commodo, propriæ sensualitati, consanguinitati, carni, & sanguini totus mortuus est.

Talis *B. Borgia*, qui ubi filiam suam Lermæ Comitem Isabellam, sine ullo doloris sensu amisit, Lusitaniæ Principem Joannam demirantem, nihil eum dolere, sic fertur allocutus: depositum Dominus, qui crediderat, idem repetiit; non igitur tristitiam alieni red-

Borgia mortuus ... & ... Sac ... 3. lib. 123.

ditio, sed usuta gratiam postulat. Illud ipsum miranti Comiti Stabili Castellæ: ego, inquit, quo primum tempore, ad sua me vocavit obsequia Deus, meum cor expetiit, ita præbere totum ac penitus studui, nihil ut perturbare illud deinceps, sive vita, sive mors possit.

Nec aliter sanè fiebat, non in funeribus modo suorum, *quibus* PRÆMORTVUS *ipse jam erat*, sed quidquid omninò eveniret, uti & de filii, & filiæ nuptiis à summo Pontifice rogatus, respondit: *ut dum ipse suorum* TANQUAM MORTVUS *oblivisceretur*, tantò clementius eorum memoriam & curam Deum habere.

Is qui proprio amori mortuus, verbo unico, similis est *mortuo cadaveri*, quod insensibile, immobile, sive laudes sive vituperes: sive in purpureo strato, sive in stramine colloces, ejus nihil interest, humine, an sublime putrescat. Ita per omnia mortuus, instar cadaveris extitit Paulus, qui indies velut novum funus, nullo vitæ aut sensus signo edito, sine cibo & potu: *in fame & siti*: Nudus & frigidus instar cadaveris: *in frigore & nuditate*, Hoc Chrysostomus rectè annotavit: *Paulus* QUASI MORTUUS *immobilis permanebat*.

Regula 36 summarii.

2. Corinth. 11.

Chrysost. hom. 1. de laudib. Pauli.

Paulus illud vas electionis extollebatur, laudabatur, ut cælo delapsus, *sicut Angelus Dei* excipiebatur; Paulus contemnitur, injuriis, opprobriis proscinditur, in carcerem compingitur, virgis cæditur, inter hæc omnia, *per infamiam & bonam famam*, Paulus quasi mortuus, immobilis persistebat, Religiosis omnibus exemplar consummatæ perfectionis in se exhibens, & proponens.

ad Galat. 4.

In vitis Patrum refertur de tirone, qui unum è priscis anachoretis consuluit, qua viâ brevissimâ & certissimâ perfectionem adipisci, quidve sibi agendum ut vitam sanctè instituere posset? cui ille respondit: vide ad cœmiterium, illic cadaver projectum reperies, illi omnes quas putes injurias irroga, & calumnias impinge, conspue, luto & sordibus impete, calcibus contere, ac postea revertere. Tum rogatus qui se cadaver habuisset? an nullum signum indignationis, impatientiæ, iracundiæ præ se tulisset? Nullum inquit, sed *mortuus immobilis permanebat*. Vade, inquit, iterum, & mortuum lauda de vitâ per omnem austeritatem & sanctitatem actâ, de præclaris monitis & exemplis, dignum qui fastis sanctorum adscribatur, aliquid etiam de capillis pro sacris lipsanis decerpe. Hic rursum sciscitatus senex, an mortuus ad laudes suas non erubuerit, subriserit, exilierit, inflatus, calefactus fuerit? non ait, sed mortuus *immobilis permanebat*. Tum subdidit priscus hic asceta: tu, fili, fac similiter, hæc imitare, & te ut mortuum gere, ac sanctus eris.

Quam mortuo cadaveri similis fuerit *Franciscus*, narrat Ribadineira: de viâ fessus, diverterat ad hospitium, humilemque casam cum Bustamantio pro lecto *in stramine* diversi accubant. Tussi hic laborans, tota nocte conspuit imprudens *Franciscum*, faciem etiam non raro fœdans.

Ribaden. in vita lib. 4. c. 5. hist. Societ.

At ille immobilis *instar cadaveris*, tacitus transegit noctem sputo deformatus, vix ut agnosci posset. Ubi diluxit, comperto quod res erat, veniam Bustamantius precatur. Ad hæc ille: *Non est, Pater quod tu te labores: nec enim usquam, in cubiculo dignior locus sputo aspergi potuit.*

Quàm proprio honori mortuus, luculenta testantur exempla, quæ supra memoravimus.

Principis viri cadaveri solet corona, sceptrum, aliaque regia insignia ad pedes apponi. Haud aliter Borgia, titulis & oblatis honoribus *præmortuus*, Proregis, ac Ducatus coronam, purpureum galerum, episcopales infulas sub pedibus habuit, & ad ea sibi delata, *quasi mortuus immobilis persistebat.*

Hac perfectâ sui mortificatione, & quadam insensibilitate instar cadaveris, Abbas ille Claravallensis Religiosum excellere percupiebat: *ut se gerat* TANQUAM MORTUUM, *qui non sentit; sed sic audit vituperantes, ut laudantes: sic adulantes audit ut detrahentes; imò non audit*, QUIA MORTUUS AST.

Bern. serm. 7. in quadrag. 2. gradu perfect.

Collauda, & miris encomiis extolle mortuum: quam præclarus tu vir; quam disertus Orator, quam subtilis Theologus? nemo tam magistraliter totam propugnavit, aquila cursus tui es:

Vis dicam quid sis? totus es ingenium.

Hisce tam conglobatis laudibus, inflaturne, aut titillatur cadaver? minimè, *non audit quia mortuum est:*

Nosse vis, & certo deprehendere, an quis mortuus sit? Dic Concionatori cupiam, *proficiat*: quanto populi concursu, quo plausu, qua eloquentiâ, super Tullianam & Tertullianam facundiam dixisti &c. Si renidere, ridere, titillari, inflari, calefieri incipiat, is non est mortuus.

Lauda Magistrum à Comœdiâ ingeniosè exhibitâ, à docto poëmate, ab ornatu scenæ, â præstantia actorum; si hisce titillari, inflari, calefieri incipiat, is mortuus non est. Sic æditiuus, coquus, quilibet in suo munere si laudum favoniis moveatur, extollatur, mortuus non est.

E contra verò si vitupetes, carpas, censures, reprehendas, & ille frontem caperare, os contrahere, commoveri, stomachari, in iras & diras effervescere; manifestum signum est non esse mortuum: nam *mortuus vituperantes audit ut laudantes*, IMO NON AUDIT, QUIA MORTUUS AST.

Talis fuit S. P. Ignatius, qui effusis in se tot æternæ bonitatis favoribus, editis tam miris eximiæ sanctitatis prodigiis, visis tam proficuis per orbem universum Societatis laboribus, auditis tot de se virorum Principum ac summorum Pontificum elogiis, *sine ullâ vanæ gloriæ titillatione*, non secus *ac si mortuus immobilis persistebat.*

Maffeius.

Ignatius ut seductor, impostor traducitur: ut hæreticus in carcerem coniicitur, variis injuriis & opprobriis impetit; sed *ille ut mortuus immobilis persistebat*, ut fusius festo eius diximus.

In eiusmodi rectè cadit: *mortui estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

Ad Coloss. 3.

Verum enim verò, ut alias conditiones & proprietates missas faciam, quibus Religiosus cadaveri assimilari debet, tres dumtaxat in paupertate, castitate, & obedientia, quæ hominem potissimum mortuum requirunt, paucis perstringam.

Per vota Religiosi mo[...]

Ac primùm quidem, quod mendicabulum tenuius ac vilius induitur: pauperiori tecto ac lecto utitur, atque ita omnibus nudatum & spoliatum est, ut defuncti cadaver? cui pro indumento vilis sindon, pro lecto stramen aut dura, pro cubili quatuor asseres.

1. Perp[...] paupertate

Nonnulli Religiosi ubi spiritum Deo reddiderunt, mortui in habitu suo exponuntur & cum eo sepeliuntur; sed is lacer, tritus, & vilissimus qui repetiri possit. Idipsum S. Pater à nobis requirit, supponendo nos esse mortuos, Regula 24. *unusquisque sibi persuadeat, quod quæ vilissima sunt in domo, ei tribuentur*; quod ex Constitutionibus Divi Basilii decerpsisse videtur, qui ait: *de vestimentis, calceamentisque nouea exquirenda nobis sunt quæ elegantiora, sed quæ viliora*, & cadaveri propriora.

Reg. 24. Summaru. S. Basil. de constitut. monast. c. 31

Hæc in B. *Borgia* enituere: calceos novos induere detrectabat, caligas licet pannosas, ruptasque haberet, non mutabat. Montellano in Collegio versanti, femoralia nova muneri oblata, quæ furtim noctu apposuit lectulo socius, subductis laceris; at Pater experrectus, dolo comperto, vetera repetiit, novaque reddi Domino jussit. De lectulo & cubiculo, quo angustissimo usus, nihil laborabat: nullum ibi velum appendi patiebatur: quin & stoream, seu tegetem ad cervical affigi molestè ferebat: id genus commoda fugienda prædicans, *quod mortis germanus, somnus appellaretur. Situs verò in sepulchro, brevi urna, minimeque sumptuosa caperet.* Idem paupertatis spiritus in aliis Societatis viris viguit.

Ribadin. in vita lib. 4. B. Borgiæ paupertas

Ibid.

P. Michael Turriannus, nihil unquam novi induit, sed quod alii prius detrivissent, cum primariis muniis Rectoris, Provincialis, Confessarii Catharinæ Reginæ Lusitaniæ functus fuerit; Quindecim, interdum viginti annos vestes illi perdurabant, postquam iisdem alii fuissent usi. Sic & in reliquis *sibi viliora* quærebat. Plura Nierenbergius.

Quis autem illum mortuum ducat, qui instat & urget ut novas & nitidas vestes, calceos, pileum habeat, atque iis se circumspiciat, ostentet, & videri gestiat?

Nierenberg. doctrin. ascet. doct. 1 cap. 14

Abbas Agathon quondam à discipulo rogatus: quid esset mori omnibus quæ in cellâ haberet? Caniculæ suæ, vasculis, horti olusculis, arbusculis &c. responsum accepit: *si nullum sensum habeat, sed omnia* UT CADAVERI *auferantur.* Si non turbetur Religiosus, non tristetur, dum superior è cubili iconculas, lagunculas, forcipes, cultellos, libellos,

bellos, omnia *ut cadaveri* abstulerit, nec quidquam sibi reservet ut alteri largiatur, sed juxta magni Basilii monitum: *ut mortuus liber est ab omni in propinquos collatione, nudus omni rerum possessione, ita nil jam habeat, quod alteri largiatur.*

S. Basil. constit. monast. cap. 21.

1. Per castitatem.

2. Nunc ad alterum, quod Castitatem spectat, veniamus.

Judic. 11.

Jephte vir bellicosus, ut sacræ Judicum narrant historiæ, *votum vovit Domino dicens: si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* Et ecce victoriá potitus, filiam sibi unigenitam obviam habuit, cui ille dixit: *aperui os meũ, & aliud facere non potero.* Ac tandem subditur: *fecit ei sicut voverat.* Quid hic existimatis, patrem se carnificem præbuisse, & manu suâ filiam jugulasse? Ita gravis Patrum Auctoritas; sed in rem nostram Arias Montanus, Estius, Joannes Mariana, Pagninus & Liranus, docent filiam Jepthæ in loco abdito & secluso assiduis precibus & orationibus vacasse, & per omnem vitam castitatem servasse, ut ea verba innuere videntur: *fecit ei sicut voverat, quæ ignorabat virum;* ac si diceret, ut Bunfrerius exponit: votum suum explevit, ut separata & cœlebs permaneret, atque ita civiliter mortuam fuisse, seque per virginitatem hostiam viventem præbuisse probat.

Bonfrerius hic.

Hæc typus fuit Religiosi, ac sanctimonialis, quæ per votum castitatis, carni & sanguini moritur; nam ut rectè divus Cyprianus: *castitas est vita spiritus*, & CARNIS INTERITUS; disertè edisserens, omnes eos qui castitatem profitentur, qui castum cor, castos oculos, castas cogitationes habere, casto corpore & puramente Deo placere nituntur, debere omnibus voluptatibus sæculi, omni sensualitati, & cupiditati mortuos esse.

Cyprian. de singulari Cleric.

Unde apud priscos illos Ægyptii & Thebaidis Monachos, proverbium receptum erat, ut Cassianus refert, monachum castitatem professum, tres hasce mortui proprietates in se exprimere debere: *ut sit cæcus, surdus, & mutus;* linguam ab omni lascivo & libero sermone frenandu: aures ad obscœna verba & cantica obturando: oculos mundi vanitati & carnis illecebris obserando, instar cadaveris; in quo illud scitè observandum, moris esse mortuis oculos claudere; horrendum enim spectaculum, mortuum oculis apertis spectare. Hoc suos tirones S. Petrus Alcantara probè edoctos voluit, & exemplo comprobavit. Is non modò in publico, sed domi, atque adeò in ipsâ, quam incolebat, cellâ, oculos severissimè continuit: nam quâ ex materiâ, an ex calce, lapidibusque constarent parietetes, & quæ forma esset sacelli, in quod sæpius ad orationem conveniebat, ignoravit. Arborem prægrandem in medio impluvio non vidit per annos quatuor. Caput sæpe offendit obvios ad parietes, cæcorum more: demum tres integros annos prope continuò dejectis omninò palpebris, clausos oculos habuit.

Mira S. Petri Alcantaræ oculorũ custodia. P. Ioan. Rho. variæ virt. hist. lib. 7. cap. 4. §. 3.

Hanc ille exercitationem adeo homini Religioso dignam censebat, ut noviriis solenne hoc occineret, ut oculos deiicerent; & *si quos in domesticorum circulis minus cæcos videret, in suis ipse digitis oculos*, UT DEFUNCTIS MORIS EST, *claudebat. Rectè: nam si mortuos profitemur, quoduam monstrum est, oculis latè patentibus vivere?*

Hinc illa S. Jgnatii ad castitatem tuendam tam diligens præscripta sensuum custodia: *omnes diligentissimè curent portas sensuum suorum, oculorum præcipue, aurium, & linguæ, ab omni inordinatione custodire;* quibus fenestris occlusis, omnes tentationes, & titillationes carnis non secus ac mortuus, à se alienas ducit, *omninò felix mors* exclamat Bernardus, *quæ sic immaculatum servat;* quæ non nisi per continuam mortificationem, ut in B. Borgiá patuit, obtinenda est.

Reg. 29.

Bern. serm. 7. quadrag.

Prospexit quoque Jgnatius, ut quemadmodum etiam mortuo cadaveri, semper aliquis advigilat, lumen accenditur, ne in tenebris jaceat & à mala fera admordeatur; ita & Religioso, licet mortuo similis sit, socius adsit, nullibi solus in tenebris agat, ut fusius diximus.

Tertia conditio, qua verus obediens mortuo assimilari debet, nobis & omnibus Religiosis ut proprissima à S. Jgnatio præscribitur: *quisque sibi persuadeat, quod qui sub obedientiá vivunt, se ferri ac regi à diviná providentiâ per superiores suos sinere debent, perinde* AC SI CADAVER ESSENT, *quod quoquoversus ferri & quacumque ratione tractare se sinit;* quam vivam similitudinem Sanctus Pater noster â Seraphico Francisco mutuatus est, de quo S. Bonaventura: cum vice quadam quæreretur ab eo: *quis esset verè obediens;* CORPORIS MORTUI SIMILITUDINEM *pro exemplo proposuit.* Tolle, inquit, corpus exanime, & ubi placuerit, pone; videbis non repugnare motum, non mutare situm, non reclamare demissum.

3. Per obedientiã. Regula 36 summarii.

Bonavent. in vita. cap. 6.

Quodsi statuatur in cathedrâ, non alta sed ima respiciet, si collocetur in purpurâ, duplo pallescet. *Hic*, ait, *verus obediens est*, qui cum moveatur, non dijudicat, ubi locetur, non curat &c.

Cadaveri hoc proprium est, ut non se moveat, sed omnibus terrori est, si seipsum movere, jactare, & ambulare incipiat.

Obedientia, quæ ut Climacus loquitur, EST MORS VOLUNTARIA, ET SEPULCHRUM VOLUNTATIS, collocat aliquem tali loco; is post quinque, sex menses, incipit linguam quærendo, manum scribendo movere, ut inde aliò commigret: mortuus movet se; alius signo dato ad silendum, docendum, orandum, garrire pergit: mortuus loquitur.

Tempore orationis, lectionis, quis per domum vagatur: mortuus ambulat.

Sed cadaver quod ab alio movetur, se ferri quocumque sinit: *tolle corpus exanime, & ubi placuerit pone; videbis non repugnare*, nec de aëris injuriâ, nec de loci angustiâ murmurare.

Bonav. cit.

Ribadin. lib. 4. c. 13. Epistola B Borgiæ ad PP. & FF. de mediis servandi spiritum.

Talem se præbuit B. *Franciscus*, qui instar cadaveris, non solum S. P. Jgnatii, litteris & mandatis quæ de genu excipiebat, se accommodabat, sed & coci imperio, quo collibitum erat, ferebatur. Unde auream illam nobis in epistola sua de mediis conservandi spiritum, sententiam reliquit: NOS AUTEM MORTUOS ESSE *in Christo, hac signa testantur : si non videamus, non sentiamus, non respondeamus: ut quiculos habeat apertos, ut aliena facta dijudicet : respondeat etiam facilè & contradicat iis, qua ab obedientia injunguntur: doleat, ac conqueratur, si quando suorum delictorum commonefiat.* ARGUMENTO SIT CERTISSIMO EUM NONDUM ESSE MORTUUM; *sed vivere cupiditatibus suis.*

Pulchra observatio, unde quis rectè discernat, an piscis in aquis vivus sit, an mortuus? si secundo flumine feratur, manifesto constat esse mortuum; at si adverso flumine, contra torrentem obnitatur, *argumento certissimo est illum non esse mortuum. Sed vivere.* Haud aliter Religiosum hujus mundi oceano mortuum cognosces, si suaviter fluit & placidè fertur, quò obedientiæ flamen & flumen rapit.

B. Borgia, qui obedientiam Christi in sese conabatur exprimere, consimilem propè comparationem inducit : *solebat namque obedientiam vocare* NAVIM, in qua Religiosi inter humanæ vitæ fluctus, tranquillum atque perpetuum, ne somno quidem interruptum, ad æternitatem cursum teneant; & quemadmodum ei, qui navi, vehuntur, actutum ad nutum navarchi, dextrorsum, sinistrorsum, sursum, deorsum se conferre debent, si bene ferri, & securè navigare velint; ita & in Religionis navigio, qui moderatori in omnibus obtemperat, feliciter, & *securè navigat,* VAERT WEL.

Hist. Societ. part. 3. lib 8. 121. 122.

Conclude brevi Augustini monito: *felix eris si hanc admonitionem intelligas, & in corde tuo scribas:*

Ribadin. lib 4. c. 3. S. Augu. t. m. 9. in [illegible]

Vive Deo gratus, TOTI MUNDO TUMULATUS,

Crimine mundatus, semper transire paratus.

(*,*)



FESTUM

FESTVM SERAPHICI FRANCISCI, SANCTISSIMI ORDINIS MINORUM PATRIARCHÆ.

4. Octob. per Octav.

Domine, QUIS SIMILIS TIBI? Psal. 34.



Ah quam sunt similes: O quam formosus uterque est. Ovid. 2. *Fast.*

ARGUMENTVM.

PSaltes Regius divino quodam æstro abreptus, difficilem hanc movet quæstionem: *Domine,* QUIS SIMILIS TIBI? Quis in æternitate, incommutabilitate, immensitate, sapientiâ, bonitate *similis tibi*? Nemo, nemo quisquam; inventus tamen est, qui similis tibi, Domine Jesu: *Franciscus Seraphicus*, ut Christo similis esset, nudus nudum induit; quem ut & nos sequamur, nudi cum nudo diabolo certare Instruimur. Secundò, *quis similis tibi*: Franciscus parvus & humilis, sic ut eo titulo super superbiæ principem Luciferum meruerit exaltari. Rursus exclamare libet: Domine Jesu, restaurator, & servator generis humani, *quis similis tibi*: Franciscus orbis perditi restaurator & servator, ut manifesto prodigio, quo labantem Ecclesiam fulcire visus est, declaratur. Hic porrò per se & suos, ad ultimas mundi oras dispersos, quot Barbarorum Reges cum regnis, & regionibus integris, Deo adjunxerit, fidem prope superat audientium; quin & supra mille quingentos illustres suo sanguine purpuratos martyres liceat numerare. Psal. 34.

Denique, *quis similis tibi*, Domine Jesu: *Franciscus* Christo cruci confixus, ejusque factis plagis insignitus, ut de eo verissimè prædicari possit, quod Joannes Apocalyp. cap. 1. *Vidi similem filio hominis.* Quâ verò ratione & nos aliquo modo Christo assimilari possimus, & *conformes fieri imaginis Filii Dei*, variis documentis, & exemplis demonstratur. Rom. 8.

§. I. FRANCISCUS *nudus nudum* CHRISTUM *induit.*

§. II. *Domine, quis similis tibi?* FRANCISCUS *parvus, & humilis.*

§. III. *Domine: quis similis tibi:* FRANCISCVS *orbis perditi restaurator, & servator.*

§. IV. VIDI SIMILEM FILIO HOMINIS, *Franciscum Christo cruci confixum.* Apoc. 1.

FESTUM
SERAPHICI FRANCISCI,
SANCTISSIMI ORDINIS
MINORUM PATRIARCHÆ

***Domine,* QUIS SIMILIS TIBI: Pſal. 34.**



Ucius Æmilius cùm olim, teſte Polybio, præclaram illam Elæi Jovis imaginem, quam Phidias, numquam ſatis laudatus artifex, expreſſerat, vidiſſet, confeſtim diu attonito ſimilis hæſit, quaſi ingenti ſtupore perculſus: ac tandem ſoluto animo in has voces erupit: *Solus Phidiæ Iupiter, olimpici Iovis majeſtatem eſt complexus.* Nun minori ego hodie admiratione commotus, & jure longè meliori, & majori cum veritate, dum animo, cogitationeque abſolutiſſimam, illam divinitatis, imaginem, vivis omnium virtutum coloribus, cæleſtis artificis manu expreſſam, hoc eſt ipſum *Franciſcum* complector, & quaſi contueor, affirmare poſſum: *Verè ſolus* FRANCISCUS *divinam quandam in terris majeſtatem eſt complexus*; qui quantum homini in hac vitâ fas eſt, tantum ipſe ſumma virtutum omnium excellentiâ, & admirabili inuſitatæ ſanctitatis ſpecie ſtupendus, ad divinæ majeſtatis, Chriſtique Servatoris ſimilitudinem acceſſit. Id ego oſtendere non tam perorando, quam admirando conabor.

§. I.

FRANCISCUS *nudus, nudum Chriſtum induit.*

IMmenſa bonitas, quæ charitate perpetuâ dilexit nos, miſit filium ſuum in mundum, ut genus humanum in libertatem, & ſalutem ſimul aſſereret; Qui vitæ ſuæ exordia à ſtabulo, à nuditate, ab egeſtate, contemptu, patientia auſpicatus eſt.

Franciſcus pauper Chriſto pauperi aſſimilatur. Wading. in apparatu Annal. Minor. n. VIII.

Hujuſmodi auſpiciis natus eſt *Franciſcus* mundo, & Deo. Nativitas ejus diſpar prorſus ab infantium hujus ſæculi; qui ſi nobiles, naſcuntur in purpura; ſi divites, in molli pluma, & aniere; non ſic *Franciſcus* natus, nun ſic ex utero: illud enim ſingulare, in viri ſancti ortu, quod per plures dies parturiente, magniſque cruciatibus laborante, nec fœtum edere valente feliciſſima genitrice, ad oſtium domus acceſſerit quidam (cæleſtis creditur nuntius) in ſpecie peregrini, dixeritque non in pretioſo thalamo ſed in ſtabulo paritutam; nec prolem in ſericis, ſed in fœno edendam. Delata in deſtinatum locum, abſque plurimo adjutorio, aut labore, jacens in fœno ſidus hoc edit clariſſimum. *O beatum puerum* (exclamat hiſtoricus) *qui ex primo vitæ limine, ſuo* ASSIMILATUR *creatori*, Stabulum adhuc magno in honore haberi, ipſe vidi, inquit, conſtructumque ibi ſacellum in viri ſancti honorem, vulgariterque vocari: *San Franciſco è piccolo*, id eſt *Franciſcus parvulus*; quemadmodum de Chriſto Iſaias vates: *Parvulus natus eſt nobis.* Et in fœno, & in ſtabulo, *egenus factus eſt cum eſſet dives*, ac pauper naſci voluit, ut melliſluo ore, & more ſuo Bernardus: *Salvator cujus eſt aurum, & argentum,* SACRAM *in ſuo corpore dedicat* PAUPERTATEM. Quid glorioſius de paupertate dici poteſt, quam quod conſecrationem à Deo ex ipſius conjunctione acceperit? quo fit, *ut pretioſiores ſint panni Salvatoris, omni purpurâ: & glorioſius ejus præſepe, auratis regum ſoliis: ditior denique Chriſti paupertas, cunctis opibus, cunctiſque theſauris ſæculi.* Cauſam verò cur ſupremus omnium Dominus, & Rex Regum, caulam præ aula, & mapale præ palatiu elegerit, ſubdit dicens: *Exemplum dedit nobis, ut nos eadem faciamus*, & à primis cunabulis, ac cum lacte materno, paupertatis amorem imbibamus; quod quàm paucorum ſit, deplorat D. Sophronius: *Deus vilibus, & abjectis panniculis involvitur; & quis eſt, qui ſi quid fortè vile, vel abjectum occurrit, quo divinitatis particeps fiat, obviis ulnis illud excipiat?* Excepit certè *Franciſcus*, ſciens quod *affatim dives eſt, qui cum Chriſto pauper eſt, ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia.* Quod hic gratum oculis, non reficit auditum: quod ſapit palatum, non ſatiat olfactum: quod blanditur tactui, non tollit famem: quod cibus eſt, non poteſt eſſe potus, quod pannus eſt, non poteſt eſſe panis: quæ ſic deducit Auguſtinus: *Hic aurum quod eſt, non poteſt tibi eſſe argentum: quod vinum eſt, non poteſt tibi eſſe panis: quod tibi lux eſt, non poteſt eſſe potus.*

Wading. cit. — Iſaia 9. — 2. Cor. — Bernard. ſerm. 4. in Nativ. Dom. — Idem ſer. 1 in Vigil. Nativit. — Id. ſer. 4. in Nativ. — S. Sophron. in Natali Dom. — Hieron. epiſt. 1. — Auguſt. in Pſal. 36. Conc. 3.

Solus, & unus, ut veriſſimè per dies, & noctes Seraphicus Pater ingeminabat, DEUS MEUS, ET OMNIA; nam ut ſubdit idem Doctor: *Deus tuus totum tibi erit: manducabis ne eſurias: bibes eum, ne ſitias: illuminaberis ab eo ne ſis cæcus: fulcieris ab eo, ne deficias: poſſidebis totum integrum,*

Aug. cit.

totus

1 Cor. 15.

totus integer: quia teste Apostolo: *Est omnia in omnibus*, qualis fuit *Francisco*.

Hinc videre mihi illum videor, ac coram intueri, nunc inter pauperes, & mendicos delitescentem, iis convescentem: nûc leprosorum manibus, ac pedibus, oscula figentem: omnia humanitatis obsequia ægris præstantem: aurum & argentum promptissima mente, & manu, à se removentem, & in pauperum sinus effundentem: quam in paoperes munificentiam, & flagris, & carcere, & vinculis, ab avaro patre constrictus, comprobavit.

Robertus de Licio Pepin fest. S Fran. VVading in appara tu ad Annal. num. XXVIII.

Enim ut nudus, nudum Christum sequeretur, paternis omnibus facultatibus renuntians, & eas quibus indutus vestes, ad parentis pedes abjiciens, sub quibus repertus *Cilicium ad carnem habere, usque nunc*, inquit, *vocavi te Patrem in terris: nunc securè dicere possum: Pater noster, qui est in cælis, apud quem omnem thesaurum reposui, & omnem spei meæ fiduciam collocavi*, QUIA DEUS MEUS, ET OMNIA; atque ita, quod de Paulo Chrysostomus ep. 2. *Nuda propemodum anima consistebat*.

Bonav. in vita c. 7.
Luc. 9.

Ut autem omnibus perspectum sit, quam se fluxis his omnibus bonis abdicarit, quamque ardenter paupertatem complexus sit, subdit Doctor Seraphicus: *Nemo aliquando fuit tam cupidus auri, & argenti*, *quam ipse* SANCTISSIMÆ PAUPERTATIS, ut ejus formam indueret, *qui non habuit, ubi caput suum reclinaret*.

Hoc spiritu, omnes suos animari volebat, dum sic statuit: *Fratres, nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; sed tamquam peregrini, & advenæ, in hoc sæculo, in paupertate, & humilitate, Domino famulantes, vadant pro Eleemosyna confidenter: nec oportet eos verecundari*, QUIA DOMINUS PRO NOBIS SE FECIT PAUPEREM IN HOC MUNDO.

Bernard Dom. 1. post Epiph.

Nec oportet nos erubescere mendicare, & ostiatim stipem quærere, cùm & Dominus Jesus mendicare, non erubuerit: magno teste Bernardo: qui ad illa verba: *Dolentes quærebamus te*, sic ait: *per illud triduum, ubi eras* BONE JESU? (non enim ad diversorium se receperat, aut à magnatibus exceptus fuerat) *ut te Domine* JESU *per omnia nostra conformares paupertati, & in tota humana natura calamitates susciperes, quasi unus è turbâ* STIPEM PER OSTIA MENDICABAS.

Atque inde, in ardens erumpens desiderium, è mendicatis illis à *Jesu* frustulis, aliquid participādi, exclamat: *Quis dabit me buccellarum sic mendicatarum participem fieri, vel saltem divini illius edulii reliquiis saginari?*

Quis nostrum non gauderet è pane mucido, & vappâ vini, reliquias delibare, quas Christus collegerat? His reliquiis, hic micis, verè divinis, Fratres Minores, filii *S. Francisci* saginantur; dumq; vos, non crustulā panis vix cani objiciendam, non zithi lagenam acidi, aut vini fugientis, sed panem candidum, vinum de cellâ nobilissimum fratribus Mendicantibus offertis, ipsi *Jesu* mendicanti porrigitis: ut ipse fatetur, & palam omni mundo declarabit: *Amen amen dico vobis: quam diu non fecistis uni de* MINORIBUS HIS, *nec mihi fecistis*.

Matth. 25.

Quos ut majori in veneratione habeatis, eam beatissimus Pater filiis suis paupertatem præscripsit, quæ martyrio comparari queat: sic etenim collat. 8. *Si propter inopiam, & paupertatem frater corporis necessitates suas, in sanitate & infirmitate habere non potest &c. hæc necessitas sibi à Domino* PRO MARTYRIO *computatur*. Quare quot hujus Seraphici Ordinis Religiosos, qui spretis mundi divitiis, amplissimis facultatibus, fundis, ac prædiis, quibus in sæculo complures genere nobiles, opibus potentes abundare potuissent, intuemini, tot martyres vos cernere arbitramini, idque ex mente SS. Francisci, & Bernardi: *Quid*, ait ille, *mirabilius*, *aut* QUOD MARTYRIUM GRAVIUS, *quam inter epulas esurire, inter vestes multas, & pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ille appetitus?* Denique, inquit, *propterea pauperibus pariter, &* MARTYRIBUS *Regnum cælorum promittitur: quia paupertate quidem emitur; sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur*.

Bern. ser. 1 festo omnium Sanctorum.

Simili phrasi utitur serm. 30. in Cantica: GENUS QUODDAM MARTYRII EST, *spiritu facta carnis mortificare, quod maximè fit*, PAUPERTATIS AUSTERITATE. Cum splendidum hoc elogium in Epitaphio Paulæ Hieronymus texuisset, Eustochium filiam alloquens, ait: *Vis breviter scire omnes ejus virtutes? omnes pauperes, pauperior ipsa dimisit*, Româ ac mundi pompis valere jussis, in Bethleem pauperem vitam degens, *quo magis gaudeas, mater tua* LONGO MARTIRIO *coronata est*; quæ si vixisset, Hieronymus de pauperrimo Francisco meritò usurpasset.

Idem ser. 30. in Cantica.
Hieron. ad Eustochium de epitaphio Paulæ.

Nudi cū nudo dæmone luctari debemus.

Causa quæ virum sanctum ad tam arctam paupertatem suis præscribendam impulerit, prima & primaria fuit, perfecta & proxima Christi pauperis imitatio, & assimilatio: altera verò, quod perspectum haberet, nobis colluctandum esse cum spiritu maligno, nudo, & sine veste, à quo vestitus facile captabitur, & superabitur, quod fortè hausit ex Divo Gregorio: *Nil maligni spiritus in hoc mundo possident proprium*: NUDI ERGO CUM NUDO LUCTARI DEBEMUS; *nam si vestitus quisque cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur: quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena bona, nisi corporis quædam indumenta? qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat*.

S. Greg. hom. 32. in Evang.

FRANCISCUS nudum dæmonem superavit, ut proprio ore malignus spiritus fateri cōpulsus est, nam teste Wadingo, cum quidam energumenus multa ad exorcizantis Sacerdotis interrogata, responderet, & inter cætera, quædam etiam de *Francisco* effutiret; dixit in ejus nativitate commotos Principes tenebrarum, quippe qui aliunde præsenserint, *quantum inermis hic infantulus*, egregius postea futurus Atleta (tantam paupertatem, & nuditatem professus) eis prædam eriperet. Isque energumenus, nonnisi *à nudo Francisco* aliquot annis post liberatus, ac infernalis hostis devictus est. Sed ut & vos hinc, Auditores, alium fructum referatis, aliam similitudinem, in virtutis hujus comendationem adducit Minutius Felix in Octaviano: *Ad vivendum, velut ad natandum, is melior, qui onere liberior: sunt enim similiter in vitâ humana tempestates, levia sustentatura, gravia demersu-*

Wading. in apparatu ad Annal. §. 4. n. 2.

Elegans comparatio.

mersuræ; si mergi in hoc procelloso mari non vultis, onera excutite.

At ne vos potentes sæculi, viri divitiarum, adolescentes opulenti, Religiosam illam Seraphici Ordinis paupertatem nimis arduam vobis, atque austeram existimetis, quam in se dulcedinem contineat, expertus aliquando *Divus Franciscus*, hujus præcipuè virtutis amator, ipse edisseret: cùm enim ad limina Apostolorum, adscito sibi fratre Massæo in socium tenderet, in via mendicans, pervenit prandii horâ ad quemdam fontem limpidissimum: ad cujus oram dum consedisset, expositis ab utroque in lapide, exiguis panis frustulis, duris, & mucidis, quæ ostiatim mendicando collegerant, ille spiritu exultans, fratremque compellans, excitare illum cœpit ad gratias Deo agendas, de illo tam ingenti paupertatis thesauro, idque elata gradatim voce iterare. Quærenti autem Massæo, quisnam is esset thesaurus, in tanta rerum etiam necessariarum inopiâ, ubi non obsonium, non vinum, non mensa suppeteret? Respõdit illud ipsum esse ingens beneficium, quod illa omnia quæ deessent, à Deo supplerentur, qui alium ipsis panem & fontem, illum etiam lapidem tam providè præparasset. Paulò autem post indè digressus, in quodam templo orare instituit Deum, ut sibi, & suis sanctæ paupertatis amorem inspiraret, idque tanto fervore, ut ex facie ignis emicare videretur.

Wading. Annal. Min. ann. 1215. n. XI. XII. Platus de bono stat. Relig. lib. 3. c. 8.

Itaque hoc divino ardore incitatus, movit se versus Massæũ brachiis apertis, eumque magna voce ad se vocavit; qui cùm admirãs, ac stupens, in *sancti Patris* brachia se immisisset, tantùs fuit *Francisci* æstus, ut anhelitu solo multis illum cubitis in sublime ejaculatus sit: in quo ascensu, is postea sæpius narravit, tantâ se dulcedine delibutum, quantam antea numquam, in vitâ suâ gustasset: tum *Franciscus*: eamus, inquit, Romam, ad sanctos Apostolos, Petrum & Paulum exorandos, ut nos doceant, tam præclarum paupertatis thesaurum rectè, & fructuosè possidere: is enim ita præstans, ita divinus est; nos autem ita viles & abjecti, ut indigni simus qui eum talibus vasis teneamus. Hæc porro est virtus in nos de cælo influens, quæ nos ita instituit, & informat, ut conculcatis ultrò terrenis mens humana Deo suo liberrimè, & arctissimè conjungatur. *Hac est quæ Christum in cruce associat, cum Christo in tumulo absconditur, cum ipso resurgit, & cum ipso in cælum ascendit*. Eamus proinde rogatum Apostolos sanctissimos, ut hanc gratiam nobis impetrent *à Domino Iesu Christo, ut ipse paupertatis forma, & observator præcipuus, eam nobis donare dignetur*.

Wading. cit.

Postulatis annuère SS. Ecclesiæ Principes, qui Romæ *Francisco* hæc ardenter precanti apparuêre, eumque amplexantes, dixerunt: *frater Francisce*, exauditæ sunt, in conspectu Dei, orationes tuæ, & uberes lacrymæ, pro acquirendâ sanctâ paupertate, quam Christus magister noster, ejusque sanctissima Mater amplexi sunt, & nos sectati sumus. Misit providè nos ad te Dominus Jesus, ut annuntiemus tibi quod feliciter exorasti, & *concessum tibi tuisque thesaurus sanctissimæ paupertatis*; de quo cælesti dono *Franciscus* exultans, & exiliens, rem omnem fratri Massæo enarravit.

VVading. cit. num. XIII.

Rarissima hæc mortalium vota, nullius propè ejusmodi, pro paupertate obtinendâ, ad Deum postulationes: pauci etiam necessitate pauperes, suam amant paupertatem; plerique omnes aversantur, execrantur, quia ignorant quis sub ea thesaurus reconditus lateat, & quanto apud Deum in pretio sit: Illud sic expendit D. Augustinus: *Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inveniri. Vis nosse quam locuples sit: cælum emit*. Ut ad Regnum cælorum veniret dives, possessione suâ obtinere non potest, nunc obtinet, ut ea contemptâ perveniat. Pauperes etenim prima Veritas beatos nuncupavit, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est* (non dixit, ut in aliis, erit) *Regnum cælorum*. Quod Seraphico Patri probè perspectum erat, dum sic suos hortatur: *Hæc est celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos fratres meos hæredes, & Reges regni cælorum constituit*. Disertissimè hic, & verissimè S. Bonaventura: *Quare*, ait, *altissima, nisi quia à mundo remotissima, & per consequens, cælorum regno summè vicina*. Prosequitur vero: *Hæredes, & Reges Regni cælorum constituit: quia omnia dimittentibus pro regno cælorum, promittitur gloria æterna. Reges, quia solutione facta plenaria pro re emenda, sunt tamquam Domini regni cælorum, quia cuncta dederunt propter Deum, quamvis nondum sint in ejus possessione*.

Aug. serm. 23. de verbis Apostoli.

S. Francisc. Reg. c. 6.

Sed quoniam non omnis inopia felix est, neque omnis paupertas beata, videamus quosnam pauperes vera Dei sapientia beet, quis enim est, qui cum pauperem, beatum existimet, qui se ideo miserum putat, quod dives esse non possit? Quid si casus aliquis acerbus, suâ quempiam non minus tranquillitate, quam facultatibus spoliet: si suppellectilis, ac domus incendium, gravem in illo dolorem accendat, si animum frangat calamitas, si ruina mentem opprimat; hunc ne pauperem quisquam arbitrabitur, bonis omnibus orbatum, abjectum animo, fluctuantem curis, exesum angoribus, mœrore consumptum? non igitur pauperem esse, semper laudabile est; sed nihil appetere præclarum: neque bonis spoliari magnum est, sed in egestate lætari, singulare, nil velle possidere, perfectum. Dolor enim boni perditi, novi boni sitim accendit: sitis auget dolorem, dolor miseriam; in summâ verò miseriâ, quæ potest inveniri felicitas? At si bonorum cælestium ardor, si Christi exemplum, ita in nobis divitiarum, atque opum inanium desiderium extinguat, ut nihil tam velimus, quam nihil velimus; tunc enimverò, tunc jure Christi pauperis imitatores erimus, & spiritu paupcres, & beati.

Hac beatitudine, quotquot estis, frui potestis, divites omnes esse non possunt; at divitias spernere, paupertatis thesaurum cum *Francisco* amplecti, atque ita beati esse, omnes valetis.

Ad quod dum suos fortè, etiam quemque vestrum exstimulabit ardens Seraphici Patris exhortatio Collat. 5. PAUPERTATEM, *noveritis fratres charissimi, virtutum esse Reginam, quia in Rege*

VVading. Annal. a. 1210. num. 1. Marchãt. fundamento 12.

ordin. tit. Rege Regum & in Regina matre ipsius, tam praestanter affulsit. Paupertatem, *scitote fratres, specialem esse viam salutis, tamquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem, cujus est fructus multiplex, sed occultus: hac enim est Evangelici agri* Thesaurus absconditus: pro quo emendo, vendenda sunt omnia: ut omnibus expoliatus introeat in potentias Domini, & *nudum se offerat brachiis crucifixi*. Tandem, quam hoc thesauro divites futuri sint, nihilque cum omnia desint, defuturum, subdit: si dominam meam paupertatem complexi fueritis, mundus vos nutriet: juxta illud Vatis regii: *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Quod ostensum est alias saepe, tum vel maxime in primis, amplissimisque Ordinis Comitiis, Assisii habitis, ad quae cum supra quinque millia fratrum, cum Cardinale Hugolino, & S. Dominico confluxissent, severe omnibus interminatus est, ne de rebus ad corpus pertinentibus sollicitiores esset, illud Psalmi, quod identidem in ore habebat, suis ingerens: *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Aderat Francisco haec dicenti S. Dominicus, eique hoc nimio plus visum est, cum vereretur ne quodammodo Deus tentari videretur, si non tantae multitudini alimenta pararentur. Nec multo post, ecce ex omnibus finitimis urbibus, & oppidis concursus hominum, & jumentorum, omnis generis commeatum, supellectilem, & vasa deferentium. Quis nunc miretur Seraphicum Patrem, dum suos peregrinarum mitteret, non alio viatico instruxisse, quam illo Davidis versiculo. *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Nonne hic merito Pontifici sciscitanti, qui suos aleret? fiducia plenus respondit: *Matrem quidem habemus* pauperem (Religionem) *sed Patrem divitem* in caelis, qui ista horum fratrum, dicam an filiorum, curam gerit, ut Cornelius noster observavit per universum orbem, facile centum myriades sive millionem capitum utriusque sexus ex Ordine Seraphico censeri, quorum singula, sive in alimenta sive in vestimenta, sive in aedificia, eorumque saltem aream, & hortos, minimum ducentos, vel trecentos annuos florenos assignari debere: qui ad calculum revocati, conficiunt ducentos, trecentosque in annos singulos, florenorum milliones, quibus ubere de caelo pleno, longe opulentius quam mamilla regum lactentur.

Psal. 54.

Plat. lib. 1 cap. 11. Wading. Annal. an. 1119. n. XVI.

Psal. 54. v. 23.

Platus lib. 1. c. 17 Drexel. om. 1. pag. 568. Cornel. à Lapide in cap. 5. Matth. v. 3.

Nolim pluribus Franciscanae paupertatis felicitatem, sublimitatem, beatitatem depraedicare, cum scopus mihi sit, *Franciscum pauperem*, in Christo paupere, per omnem vitam repraesentare, quae virtutis hujus praerogativa adeo excellens est, ut Franciscum Christo, atque adeo ipsi Deo perfectissime assimilare videatur; quod qua ratione fiat, libet, quia maxime ad rem facit, à Romano Philosopho mutuare.

Seneca epist. 31. *Parem Deo pecunia non faciet.* Deus nihil habet, *pratexta non faciet:* Deus nudus est. *Fama non faciet, nec ostentatio tui, & in populos dimissa notitia; nemo novit Deum. Non turba servorum, lecticam tuam per itinera portantium; Deus ille maximus, potentissimusque, ipse vehit omnia.* Ac tandem aureum epiphonematis colophonem subjungit: *Subire in caelum ex angulo licet, exsurge modo,* et te quoque o cognum finge Deo, *finges autem non auro, non argento:* non potest ex hac materia imago Dei exprimi similis. *Cogita illos cum propitii essent, fictiles fuisse.* Ac si diceret, non magnificentia, non rerum abundantia, non opum affluentia, sed paupertate, & rerum omnium humanarum contemptu, perfectam Dei imaginem comparari; nemo alius Deo dignus, nemo Deo, qui nudus est, similis, nisi qui opes contempsit: hic quasi alter Deus, se contentus, & locuples, alieno non indiget; haec gentilis de stoica, & cynica paupertate: Caelesti, & divina se, suosque dignos finxit Deo *Franciscus*, sub cujus aspero jugo, ne qui tenere ac delicate enutriti succumberent, hac ferventissima exhortatione usus est, qua novi è scholis nostris, complures desiderio ad ejus sanctissimum Institutum complectendum, inflammatos: dum sic ait: *O dilectissimi fratres, & in aeternum benedicti filii audite me: audite vocem Patris vestri!*

Marchant fundamina Ordin. in fine operis. pag. 165.

Magna promisimus, sed majora promissa sunt nobis. Servemus haec: suspiremus ad illa. Voluptas brevis: poena aeterna. Modica passio. gloria infinita. Multorum vocatio paucorum electio! omnium retributio amen.

Si hic in terris nudi nudum, pauperes pauperem Christum secuti sumus, cum illo in caelis in aeternum regnabimus.

Haec vir divinus suis inculcavit, & ipse ad extremum spiritum servavit.

Etenim in extrema corporis infirmitate, moribundus *super nudam humum, se nudum in spiritus fervore postravit*, quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus & luctaretur cum nudo; *voluit autem* per omnia Christo esse conformis, *qui pauper, & dolens, &* nudus, *in cruce pependit.* O virum plane divinum! *qui & vivens Christo viventi, & morienti moriens, & mortuus mortuo, perfecta esse studuit* imitatione conformis, et expressa commeruit similitudine decorari.

Bonav. in vita c. 7. & 14 Wading.

§. II.

DOMINE QUIS SIMILIS TIBI? Franciscus *parvus, & humilis.*

Psal. 34.

Virtus prima, quae ab orbe condito inter ipsos mortales, atque ipsas inter caelestes intelligentias eluxit, humilitas est; imo priusquam terra, & homines essent, in caelis nata est, atque ipsos angelicos spiritus beatitate donavit; superbia daemones effecit, ut Africanus Doctor recte pronuntiavit: *Superbia ex angelis daemones fecit; humilitas homines similes angelis constituit.*

Franciscus bonis filis Christo, humilitatis magistro.

August. serm. 11. ad Fratres in eremo.

Albertus M. superbiam, qua angeli, & primi nostri progenitores ceciderunt, vocat morbum caducum, quo mortalium plurimi, qui ex alto cadunt, laborant. At simul modum & medium suppetit, quo curetur: *Humilitas,*

inquit, *sanat morbum caducum, & superbia pestem.* Hoc morbo caduco angeli apostatæ laborarunt, eumque primo parenti nostro afflarunt; & etiamnum maxima pars mortalium hoc morbo caduco laborat, quo spiritus superbiæ, homines corripit, dum uni titulos, honores, primas cathedras, alteri insulas, purpuras, &c. proponit, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si CADENS adoraveris me.* Juvat, quia ad propositum facit, rem à primis mundi incunabulis, jam à sex annorum millibus revocare.

Matth. 4. v. 9.

Peccatum Luciferi primum, fuit propriè dicta superbia, hoc est amor, seu appetitus inordinatus propriæ excellentiæ; hanc assertionem ita firmiter adstruit D. Thomas, *ut dicat non potuisse esse aliud peccatum, quam superbiæ;* quod & sacræ paginæ evincunt. Ecclesiast. 10. *Initium omnis peccati est superbia.* Et Tobiæ 4. *In superbia initium sumpsit omnis perditio.* Accedunt loca plura, quæ pœnam diaboli, superbiæ ejus adscribunt. Isaiæ 14. Ezech. 28. 1. ad Timoth. 3.

S. Th. 1. part q. 63. a. 2.

Spirituales illas intelligentias, terrenæ nil fæcis habentes, purissimos spiritus, æterna sapientia, & infinita bonitas, in luce gratiæ condiderat; ut altero instanti, lumen gloriæ, actu aliquo eliciti, subjectionis, venerationis, aut adorationis mererentur: verbo incarnando, vel Deo homini sese subjiciendo. Unde tertio instanti, angeli apostatæ per peccatum, in teterrima monstra conversi, ad inferos præcipitati; alii verò beatitudine, & gloria donati. Unde S. Thomas: *Probabiliter, & sanctorum dictis consonans est, quod statim post primum instans suæ creationis, diabolus peccavit,* æqualitatem cum Deo affectando, quod qua ratione, variant Theologi, sunt qui volunt factum, optando ab omni creatura, divinos honores sibi deferri: alii, optando semper repræsentare personam Dei, ac Deum in se solo adorari. 3. Volendo unionem hypostaticam, ut verè Deus diceretur, & potestatem, quæ consequitur dictam unionem, obtineret, quæ in dæmonibus de facto exercetur, dum suadent idolatriam, dum à magis, sagisque se jubent adorari, sibi sacrificari.

S. Th. cit. art. 6.

Derkennis de Deo trino & uno. pag 131.

Tradit autem S. Thomas cum communi Theologorum, supremam intelligentiam, quam Propheta *Luciferum* vocat, descivisse, & probat ex D. Gregorio: *Gregorius dicit quod ille qui peccavit, fuit superior inter omnes.*

Isa 14. S. Th. cit. art. 7.

Itaque in ipso mundi exordio, Michaelem Archangelum, cum Luciferi superbia, pro divinæ gloriæ zelo decertantem, exclamasse novimus: *Quis ut Deus?* neque enim infinitæ, & increatæ Dei majestati similis quis inventus, aut inveniri potest. Decertat & Dei amor cum homine, & exclamat: *Quis ut Iesus?* Respondet humilitas: *Franciscus* pauper, ut *Iesus*: *Franciscus* mansuetus ut *Iesus*: *Franciscus* vulneratus, ut *Iesus*: *Franciscus signatus, ut Iesus*: *Franciscus humilis, ut Iesus.*

Paulò me ad vos convertam, auditores: Quis vestrum tot telis linguarum, tot calumniarum jaculis tam acriter impetitus, *ut Deus, ut Iesus*: quis patiens, quis mansuetus, quis longanimus, *ut Iesus?* Ad hoc propositum audiamus Hipponensem Præsulem, dum talia fortè toleramus, intueamur caput nostrum, ut ejus exemplo commoti dicamus? *Si ille, quid nos?* si inquam ille, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, tot ludibria, alapas, flagella, mortem denique ignominiosissimam pertulit, *quid nos?* qui tot scelera admisimus, toties rei mortis æternæ, *si ille, quid ego*: hoc sæpe versetur in corde, si injuria afficiaris, si paupertate premaris; si falsò deferaris, *quis ut Iesus?* quis despectus, quis pauper, quis innocens, *ut Iesus?* hoc validissimo scuto patientiæ, & humilitatis, omnia tela linguarum, calumniarũ, & obtrectationum retundes, *cùm sola humilitas exaltet,* ruinas Angelorum, qui superbia deciderunt, restaurare poteris, quod in *humillimo Francisco,* mirabili ostento præsignatum legimus.

A. ust in Psal 34

Bern ser. 2. de Ascen. Dom.

E Fratribus unus illi aliquando comes, cùm eo de via deflexerat in obviam Ecclesiam, in qua dum orat attentius, in extasim raptus, vidit aperiri, & patere cæli regiam, in qua aliæ, atque aliæ sedes, verius cælestes throni: quos inter eminebat unus auro, gemmis, & diviniore quadam luce conspicuus: sed vacuus: quæsivit, ecquæ esset illa sedes, & cui servaretur, & audit ea excidisse è principibus angelorum unum, ob superbiam Luciferum, *& modo servari* HUMILI FRANCISCO: ad quem ille: *videor mihi maximus peccatorum.* Fuit supremus ille spiritus, qui mane oriebatur, perfectissima Dei imago: sed *Franciscus* insignibus humilitatis & passionis Christi longè illustrior. Verissimè Seleuciensis Antistes: VIR HUMILIS, DEO EST SIMILIS: *superbus autem cum sit Deo odibilis, diabolo similis est*: quod si de ullo mortalium, jure meritissimo, de *Francisco,* qui fuit *vir humilis,* prædicabitur *quod sit Deo similis.*

S Basilius exhort. ad filium Spirit.

Superest ne aliquid, quo altius ascendere possit, quam ut sit *similis altissimo.*

Plinius auteum illud olim de Trajano effatum protulit: *Cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si seipse submittat,* ita dum decrevit Christus, æterna majestas, se ipso quodammodo major effectus est:

Plinius in Panegyr.

Quod mysterium non meâ facundiâ, sed melliflui Doctoris suavi eloquentiâ, animis vestris instillandum: *Cùm,* inquit, *per naturam divinitatis, non haberet quo cresceret: quia ultra Deum nihil est, per descensum quomodo cresceret invenit*: dum Verbum infans, summus imus, *formam servi* accipiens, *habitu inventus est homo,* pauper, humilis, & abjectus. *Quis ut Iesus: Franciscus pauper, & humilis,* qui sacco vili indutus, fune præcinctus, formam servi, ac miserrimi mendicabuli suscepit, suosque omnes habitu cinerei coloris indui voluit, ut se cinerem, & pulverem recordarentur: Colorem, inquit Historicus, alaudarum (quæ ad exequias sancti Francisci convolarunt, & pio parenti parentarunt) seu qui terreus est, in habitum suis præscripsit, ut memores *essent originis: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Sic à magistro humilitatis edoctus, longè ardentiori *Franciscus* studio humilia, & abjecta elegit, quàm homines vani & mundani alta, & sublimia sectantur.

Bern. ser. 2. de Ascens.

Wading. Annal. a. 1226 n XXXIX.

Evenit aliquando ut Cardinalis Hugolinus

Divis

Divis *Dominico*, & *Franciſco* hanc quæſtionem injiceret: eſſentne Fratres evocandi ad infulas, & gradus Eccleſiaſticæ dignitatis, ut & olim Apoſtoli, licet cenſu pauperes? priuſquam illi fieret ſatis, orta ſanctos inter contentio pia & modeſta, quiſnam è duobus prior reſponderet, hic, an ille; hæſitatum aliquamdiu in alto ſilentio, dum alter alterum ſtudet vincere humilitate; tum Dominicus: *Tu me vincis humilitate, ego te vincam obedientia.*

Ubi hinc inde ſic parta victoria, tunc Cardinali *Dominicus*: *Ego in ſuo gradu quemque manere, & contineri velim, nec aſſurgere.* Tunc & *Franciſcus* humilem animi ſui ſenſum expoſuit: *Domine, ideo* MINORES *vocati ſunt fratres mei, ut majores fieri non præſumant.*

At hoc in primis inter ſanctos humilitatis certamen eſt, in quo ſe vinci à *Franciſco* fatetur *Dominicus*; ſic Joannes cum Chriſto: *Ego à te debeo baptizari.* Sic diſcipulus cum magiſtro: *Tu mihi lavas pedes?*

Matth. 3. v. 14

Ioan. 13. v. 8.

Luc. 22.

Non ſic impii, non ſic, non ſic filii hujus ſæculi, quos inter contentio, *quis eorum videretur eſſe major.* Non ſic *Franciſcus*. Chriſtum humiliatum, opprobriis ſaturatum, ludibrio expoſitum deſcribit, & deplorat in threnis ſuis Jeremias; *quis ut Ieſus?* *Franciſcus* humiliatus, opprobriis ſaturatus, ac ludibrio habitus; ad quæ quàm promptum, & humiliatum animum habuerit, ex hoc ignito ejus colloquio, quod ad ſuos habuit manifeſtum eſt: *Non mihi videor, inquit frater* MINOR, *niſi fuero in ſtatu, quem tibi præſcripſero*: ſic autem deſcribit ſtylo candido, & ſimplici: *Ecce Prælatus exiſtens fratrum, vado ad Capitulum, prædico, & commoneo fratres, & in fine dicitur contra me, non convenis nobis, quia illitteratus es, elinguis, idiota, & ſimplex. Tandem ejicior cum opprobrio, vilipenſus ab omnibus*, Quid inde? quis ſenſus? quæ animi commotio? quæ oris, vultuſque commutatio? ipſe loquitur: *Dico tibi*, inquit, *niſi eodem vultu, eadem mentis lætitia, & eodem ſanctitatis propoſito, hæc verba audiero*, FRATER MINOR *nequaquam ſum.*

Parum hæc Franciſcum dixiſſe, & ſenſiſſe, dicta factis comprobavit; nam incenſus magno humilitatis ſtudio, una cum plurimis è Fratribus in publicum erupit, Eccleſiam ſubiit frequenti populo: tum veſtem poſuit, ac ſeminudus, fune quem in promptum habebat, collo alligato, trahi ſe præcepit ad inſtar jumenti, ad inſtar ſicarii, *aut latronis*, ad lapidem, in quo collocari, & ſtare ſolerent publicæ infamiæ deſtinati: tum ex illo, velut ex pulpito dixit, & ſe non ut hominem abſtemium, & ſanctum habendum eſſe pronuntiavit; ſed ut guloſum, & profanum, ac publicâ dignum infamiâ, probraque, omniumque ſannis ac ludibrio.

Sed ut alia innumera humilitatis exempla, quæ Chriſtus nobis tradidit, prætercam, unum illud Divus Bernardus attonitus admiratur, quod ipſa ſanctitas, & innocentia, Chriſtus Jeſus, ſe peccatorē haberi voluit, & inter iniquos deputatus eſt: unde poſt ſtabulum pannos, & præſepe Domini, in circumciſione ejus, ſic exclamat: *mirabilius aliquid audio: formam habet peccatoris, & inſignitur velut quodam cauterio latronis.*

... ſerm ... circum...

Porrò ex ipſa contemptibilis peccatoris humilitate, nativam Dei imaginem vivaciſſimè relucere, ipſius ſummi Patris evincitur ſuffragio: etenim tunc potiſſimum glorioſa filii ſui dilecti nuncupatione Chriſtum donavit, dum ipſe perfectiſſimum humilitatis opus in baptiſmo, quod non niſi homines peccatis obnoxii ſubibant, aggreſſus eſt: *tunc aperti ſunt ei cæli, & ecce vox de cælis dicens hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: ut ex humilitate, quaſi de facie Chriſtum, ut germanam ſobolem, filiumque ſibi conſubſtantialem Pater agnoverit: ut diſertiſſimè D. Hilarius de Chriſto exponens illud pſal 138. *Domine probaſti me, & cognoviſti me*, ubi ait *demonſtrandum ex evangelio eſt, ubi & probatus, & cognitus Humilitas eius probatio eſt: unigenitus namque Deus, peccatorum remiſſor, æterni regni Dominus, baptizari ſe* TAMQUAM PECCATOR *expoſuit.* ET PECCATI NOSTRI, IPSE PECCATI NESCIUS, PARTICEPS FIERI NON RECUSAT: *& omnem in ſe humilitatem caducæ carnis aſſumens, Iordanem, turbis peccatorum mixtus ingreditur. Probatur in illis omnibus, probationem mox conſecuta cognitio eſt, & quem humilitas probabilem fecerat, hunc paterna vox filium complacitum ſibi, poſtquam probavit, oſtendit.* D. Hilarius in pſal. 138.

Quis ut Ieſus: Franciſcus peccator, & peccatorum maximus quæ quo animo de ſe ſentire, & ſalvo veritatis teſtimonio palam evulgare potuerit, rudiores multi non capiunt, quia non ſapiunt. Quare hoc dictum ſanctiſſimi, ac *Seraphici Patris Franciſci*, pluribus excutiemus, & ſtabilemus. Ac primo quidem, certum eſt, humilitatis, & modeſtiæ cauſa, mentiri non licere: ſic etenim Auguſtinus: *cum humilitatis cauſa mentiris, ſi non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod evitaveras. Veritas in te non eſt, niſi ita dixeris peccatorem, ut etiam eſſe cognoſcas: veritas autem ipſa eſt, ut quod es, dicas: nam quomodo eſt humilitas, ubi regnat falſitas?* atque iterum alibi: *non ita caveatur arrogantia, ut veritas relinquatur.* Nec minus ſolidè magnus Gregorius: *incautè ſunt humiles, qui ſe mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant: imo mentiendo ſuperbiunt, quia contra veritatem ſe erigunt, quam relinquunt: qui enim neceſſitate cogente vera de ſe bona loquitur, tanto magis humilitati jungitur, quanto & veritati ſociatur.*

Quomodo S. Franciſcus ſe peccatorū maximū dicere potuerit.

Aug. ſerm. 29. de verbis Apoſtoli

Idem tract. 43. in Ioan.

S. Greg. l. 26. mor. c. 3.

Quid ad hæc? an *Franciſcum* à veritate aberraſſe, dum ſe maximum peccatorem dixit, aut veritatis præmium amiſiſſe credamus ex mente D. Auguſtini aſſerentis: *humilitas conſtituta in parte falſitatis perdit præmium veritatis:*

Aug. de natura & grat. c. 34. tom. 3.

An duos alios *Franciſcos*, hujus *Seraphici* exemplo, ſe maximos peccatores mendaciter dixiſſe, & ſcripſiſſe exiſtimamus? dum *Franciſcus Xaverius* nihil in epiſtolis ſuis frequentius uſurpat, quam ſe mortalium omnium deterrimum. Et *Franciſcus Borgia*, ex pia Chriſti pedes diſcipulorum lavantis contemplatione, cum ſe ut hominem ſceleratiſſimum, ad pedes Judæ abjicere non auderet, ante quos Dominum Jeſum videbat advolutum, aptiorem locum ſibi non invenit, quā ipſi cacodæmoni ſubſternere, ut pote illo, qui ſemel duntaxat Deū offenderat, ipſe verò ſæpius, ſe multò nequiorem ducebat. Quorum profundiſſimam, ac ſolidiſſimam humi-

militatem, ut ab omni medacii fuco remotissimam, ita humilitatis magistro, qui & inter peccatores censeri, ejusque SS. Matri, quæ teste Bonaventura, & rea, & peccatrix haberi voluit, gratissimam, ac maximè meritoriam esse, si lubet, attendite: Citra mendacium, non citra virtutis meritum S. Franciscum, aliosque sanctos se maximos peccatores duxisse, ac dixisse ex eo patet, quod se tales verè in animo, præ humilitate, senserint. Primo, quod ex se peccatores sint, & quod juxta verissimam Augustini doctrinam, *non est peccatum quod facit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector per quem factus est homo. Vt adulterium non committeres, suasor defuit; ut deesset, ego feci, ut non consentires, ego feci.* Hæc altè in animum dimiserat humillimus Franciscus; utinam & tu quisquis es, etiam in summo perfectionis gradu constitutus: quia non peccasse, non est nostræ potentiæ, sed divinæ misericordiæ; nobis enim relicti, quid à nobis non fuisset delictum? quod unquam ab ullo patratum est scelus, quod à nobis non tantum fuisset mente cogitatum, sed & opere perpetratum, sine Dei auxilio? par tibi est ratio humiliandi te, quod non peccaveris, quàm si peccasses, & in gratiam admissus. Non magis venditur gladius qui occidit multos, quam qui potuit plures occidere. Tua malitia quod non patrat tot scelera, non est ex te, sed ex Deo. Æque te debes humiliare ob peccata aliena, ac ob tua, quia ab iis te Deus præservavit, estque majus Dei beneficium ne peccares servasse, quàm à peccatis mundasse. Major occasio humiliandi se fuit B. Virgini, præservatam à peccatis fuisse, quam Magdalenæ in se peccata commissa fuisse sibi remissa. Unde altera se quà dimissimè humiliandi, & vilissimè de se sentiendi exurgit causa, sine Dei gratiâ, se omnibus nequiorem evadere posse; tum etiam, si gratia sibi concessa, gravissimis peccatoribus, imò multo minor concessa fuisset, quod eminentiores in sanctitate extitissent, quæ sic paucis comprobantur.

Ad primum S. Thomas, *in homine duo possunt considerari, scilicet id quod est Dei, & id quod est hominis. Hominis autem est, quidquid pertinet ad defectum, sed Dei est, quiquid pertinet ad salutem, & perfectionem, secundùm illud Oseæ 13. perditio tua ex te Israel, ex me tantum auxilium tuum. Humilitas autem propriè respicit reverentiam, quâ homo Deo subjicitur; & ideo quilibet homo secundùm id quod suum est (nempe defectus, & delicta) debet se cuilibet proximo subjicere, quantum ad id quod est Dei in ipso;* scilicet quantum ad virtutes, & gratias, quas Deus proximo contulit, & sæpe majores, quam tibi, etsi lateant, vel adhuc acquirendæ, ut patint in Magdalena, latrone, & aliis. Hinc subdit: *aliquis* ABSQUE FALSITATE *potest se credere, & pronuntiare alius omnibus viliorem, secundùm defectus occultos, quos in se cognoscit, & dona Dei, quæ in aliis latent.*

Virginitas, teste Apostolo, melior conjugio; sed non ideò se virgo præferre debet matrimonio alligatæ, nam *unde scit virgo*, quærit Augustinus, *quamvis solicita quæ Domini sunt, ne forte propter aliquam sibi incognitam mentis infirmitatem nondum sit matura martyrio; illa vero mulier, cui se præferre gestiebat, jam possit bibere calicem Dominicæ humilitatis, quem prius bibendum discipulis amatoribus sublimitatis apposuit? Vnde, inquam, scit, ne forte ipsa non sit* THECLA, *jam sit illa* CRISPINA, insignis matrona, martyrio coronata? Unde tu scis, qui gratiâ Dei es, quod es, nempè pius, factus, innocens, impollutus, an talis mansurus; & alius gravissimus peccator, quem despicis, non alter Petrus, non alter latro sanctus, non altera Magdalena pœnitens futuri sint? quod humilitatis motivum Abbas Claravallensis suis, & nobis omnibus inculcat, dicens: *Noli te homo comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus; noli uni. Quid scis enim, O homo, si unus ille, quem forte omnium vilissimum, atque miserrimum reputas: cujus vitam sceleratissimam, ac singulariter fœdissimam borres, & propterea spernendum illum non modo præ te, qui forte jam sobriè, & justè, & piè vivere te confidis, sed etiam* PRÆ CÆTERIS OMNIBUS SCELERATIS, *tanquam omnium sceleratissimum: quid scis, inquam.* SI MELIOR ET TE, ET ILLIS, MUTATIONE DEXTERÆ EXCELSI *in se* QUIDEM FUTURUS SIT, *in* DEO VERO IAM SIT?

Quid scis, an ille electus ad gloriam, tu reprobatus ad gehennam? Ille futurus (ut Paulus) vas in honorem, tu cum Judâ, qui discipulus Christi, vas in contumeliam? ille inter oves à dextris, tu inter hædos à sinistris? quia *nescit homo utrum amore vel odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.*

Accedit multos, qui majorem à Deo gratiam consecuti sunt, in æternum damnatos, & quilongè minorem, salvos fuisse. Ex quibus gravis Theologus, Leonardus Lessius, dictum *Seraphici Francisci* confirmat, & docet: *multi torquentur apud inferos, qui multo majoribus auxiliis adjuti ad salutem à Deo donati fuere, quam nonnulli alii beati: hic enim est communis sensus fidelium*, solidisque probat rationibus: *patet manifestè in angelis: plurimi enim ex iis, qui ceciderunt, majora auxilia naturalia, & supernaturalia ad salutem acceperant, quam multi ex iis qui steterunt, idque sæpe fit inter homines: quis enim nescit multos religiosos, & SS. Viros, qui ingentia à Deo auxilia acceperunt, sua incuriâ cecidisse, & damnatos fuisse; sæculares autem plurimos, tota vitâ flagitiosos, tandem in fine per aliquod Sacramentum salvatos? quis dixerit hos majora ad salutem adjumenta habuisse, quam illos? Omitto communem sanctorum sensum, se non ita gratia cooperatos fuisse, ut debuissent: &* B. FRANCISCUM DICERE SOLITUM, SI ALIUS GRATIAM *accepisset qua ipsi data erat, illum melius fuisse cooperaturum.*

Sic enim in vitæ actis legimus: cum semel socius eum interrogasset, dicens: *O pater! ecce totus mundus currit post te, & veneratur te ut sanctum, quid ergo de te opinaris?* ad quem ille: *videor mihi maximus peccator*; cumque alter instaret, & mendacium id assereret, quia nec latro, nec homicida, nec adulter esset: respondit: *si illi, & similes, à Deo tantam accepissent gratiam, quantam Deus mihi indignissimo conferre dignatus est, melius eâ uterentur, & ferventius Deo servirent, & multo majora facerent.*

Quam in Sanctissimo Patriarcha suô profundissimam humilitatem D. Bonaventura admitans

Bonav. in speculo B. V. lect. 4. tom. 6.

S. Th. 2. 2. q. 161. a. 3.

Ibid.

Aug. de Sancta virginit. cap. 4. tom. 6.

Bernard. ser. 37 in Cantica.

Ecclesiast. cap. 9. v. 1.

Lessius de gratia. c. 10. n. 64.

In vita. VVading Annal. Pepin. fe. fo. S. Francisco.

Bonav. in vita. mirans ait: *omnium virtutum custos, & decor humilitas, copiosa virum Dei ubertate repleverat.* Sunt qui aliquam humilitatis partem nacti, in habitu, io exteriori corporis gestu, in servilibus ioinill eiis, gradum aliquem assecuti suot; sed qui omnibus se inferiorem ducat, & infimis, ac pessimis se subiiciat, *Francisco* pareni non invenio, quem in virtutum omnium excellentia, & sui vilissimâ æstimatione *humilitas copiosa ubertate repleverat.*

Hugo Car. din in Matthæ. 3. v. 14. S. Franciscus al tissimum humilitatis gradū consecutus. Spiritualis vitæ, omnisque sanctitatis magistri hos humilitatis gradus statuunt: *Primus est subdere se majori, & non se præferre æquali: hic dicitur sufficiens, & omni justo necessarius. Secundus est subdere se æquali, nec præferre se minori. Et hic dicitur abundans. Tertius est subdere se minori, in quo est omnis justitia, hunc implevit Christus.* (Dum à Joanne Baptizari voluit) *& hic dicitur superabundans;* quem *Franciscus* proximè imitatus, non minori dumtaxat, sed & peccatori maximo se postbabuit.

In vita. Lancicius. opusculo. spirit. 8. c. 3. Hunc Serapici Patris spiritum hauserat S. Philippus Nerius, cumque ei aio extremum spiritum ageret, rogatus an cum D. Martino diutius vivere non optaret, quia suis, & populo necessarius? Respondit: *caveto, nonsum ego S. Martinus; si talem præsumptionem haberem, me hominibus necessarium esse, putarem de salute mea conclamatum: numquam enim putavi, me ulli hominum utilem esse.*

Ut & vos hunc Christi, & perfectissimi ejus imitatoris, *Divi Francisci* humilem spiritum haurire possitis, brevi parænesi vos adhortor.

Hæc tam sublimis humilitas, oon solum Aristoteli, aliisque Philosophis, qui alias virtutes morales complexi sunt, ne oomine quidem cognita; sed & ipsis Christianis, filiis hujus sæculi, omninò contemptui, ac despectui esse solet; quam tamen ipse Filius altissimi, è cælis in terras de..., per omnem vitam in se expressit, & quà verbo, quà opere nos ad imitandum extimulavit. Gentilibus porrò viam humilitatis incognitam, ac viam mious tritam, probat Augustinus, agens de humilitate: *hæc, inquit, in nullis alienigenarum libris, non in Epicureis, non in Platonicis: ubicumque etiam inveniuntur optima præcepta morum, & disciplinæ,* HUMILITAS *tamen illa non invenitur. Via humilitatis aliunde non manat, à Christo venit. Hæc via ab illo est, qui cum esset altus.* HUMILIS VENIT: *quid enim aliud docuit* HUMILIANDO SE FACTIS, *& obediens usque ad mortem? quid aliud docuit solvendo quod non debebat, ut nos debito liberaret: quid aliud docuit baptizatus, qui peccatum non fecit: crucifixus, qui reatum non habebat?* QUID ALIUD DOCUIT, QUAM HUMILITATEM? Hanc doctrinam vix natus è cunis, haoc moribundus tradidit è cathedrâ crucis: sic enim Sanctus Leo, Pontifex Maximus: HUMILITATEM *Dominus Iesus ab utero matris, usque ad supplicium crucis elegit, & docuit.* Non poterat immensa majestas se vilius abiicere, dimissius humiliare, quàm ut inter pecudes in stabulo nasceretur: *apparet in unâ, eademque persona, &* HUMANA HUMILITAS, *& divina majestas; dum in parvulo nullum quidem apparet de potestate signum;* SED MAGNUM PRÆBETUR DE HUMILITATE MIRACULUM. Verè magnum, & ineffabile miraculum! quod omnium sapientum captum superavit! Hæc Doctrina humilitatis tam subtilis, tam sublimis, ut nisi Deum habuisset magistrum, nemo discere potuisset, aut voluisset; unde Augustinus: *tane magnum est esse parvum, ut nisi à te, qui tam magnus es, fieret, disci omninò non posset?* Ita magnum est, esse parvum, esse humilem, esse contemptibilem, ut ad hanc solam virtutem nobis tradendam, Deus qui tam magnus est, è cælo descenderit, humilians semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis, ut rectè magnus Gregorius lib. 4. epist. 36. ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum: *quanta humilitatis virtus est, propter quam solam edocendam, is qui sine æstimatione* MAGNUS EST, *usque ad passionem mortis,* FACTUS EST PARVUS? Praxim, ut nus tanti magistri aptos discipulos præberemus, tribus verbis, imò tribus litteris S.S.S. tradit idem Gregorius: primum *S. Spernere mundum.* Secundum *S. Spernere nullum.* Tertium *S. Spernere seipsum. Hu vera humilitas acquiritur* quam *Seraphicus Pater* exemplo Christi, qui parvulus natus, & datus est nobis, per omnem vitam expressit, & testamento hoc suo legavit: *ego* FRATER FRANCISCUS PARVULUS VESTER, ET SERVUS.

Aug. serm. de virginit. cap. 31.

Aug. in psal. 31.

S. Leo serm. 7. de epiphan.

Ibid.

S. Bernard serm. 1. in Nativ. Dom. *Obsecro proinde vos,* verbis S. Bernardi, *& plurimum rogo, fratres, non patiamini sine causâ tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conformamini illi. Studete* HUMILITATI, *quæ fundamentum est, custosque virtutum. Sectamini illam, quæ sola potest salvare animas vestras: quid enim magis indignum, quid detestandum amplius, quid gravius puniendum, quàm ut videns Deum cæli,* PARVULUM FACTUM; *ultra apponat homo magnificare se super terram? intolerabilis impudentia est, ut ubi se exinanivit majestas, vermiculus infletur, & intumescat.* Unde Ecclesia: *Deus qui* AD HUMILITATIS EXEMPLUM, *salvatorem nostrum carnem sumere, & crucem subire fecisti;* quo perfectissimo exemplo, *in Francisco* expresso (utinam & in nobis) alio oon egeo.

§. III.

DOMINE QUIS SIMILIS TIBI? *Franciscus orbis perditi restaurator, & servator.*

PRæpotens ille Deus, cùm suam illam, quam in terris, divina auctoritate, sanctisq; legibus Ecclesiam constituerat, inveterata hominum pravitate collabantem, inque suum ruoetem exitium, animadverteret, ut eam erigeret, & restauraret, non tam terris *Franciscum* excitavit, quam è cœlo virum arcana quadam sancti spiritus opera formatum demisit, ut cum hominum perditorum redemptor Christus extitisset, redemptorum restaurator *Franciscus* exstaret, cui illud Pauli rectè, ac tirè congruit: *Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Ad Coloss. 1. v. 24.

Ubi Sanctus Thomas: *non quod Christi Passio non esset sufficiens, ad redemptionem etiam mul-* S. Thom. hic.

Cornel. hic

torum (imo millium) *mundorum*, hæc enim in se fuit plena, & sufficiens, quoad valorem, & pretii sufficientiam; sed aliquid ei defuit, & deest in nobis, communicatio, & participatio passionis, & meritorum Christi; hinc Syrus, & Vatablus, pro *adimpleo*, vertunt *suppleo*; quasi diceret Paulus: Christus quidem in se satis abunde passus est, ut nos redimeret, nobisque compararet cōmune lytrum, quo à peccato redimamur, si illud nobis applicetur; quod ut fiat, multa adhuc desunt: nimirum oportet nos Apostolos peregrinari per totum mundum, docere omnes gentes, munere, hortari, arguere, ut eas convertamus; ideoque multa nobis dura, & acerba patienda sunt, ut ea quæ desunt passionibus Christi, in eorum conversione, ego adimpleam, multaque pariar pro corpore Christi, quod est Ecclesia, ut illa propagetur, crescat, & perficiatur, passionisque, ac redemptionis Christi planè fiat particeps. Quemadmodum, inquit, Theophylactus si duce exercitus abeunte, ejus subimperator, seu Vicarius pro phalange dimicans, in illius locum constitutus, vulnera ipsius excipiat; ita Christo in cælos abeunte, Apostoli, aliique viri Apostolici, in acie depugnantes, pro eo vulnera recipiunt, ut passionis ejus, ac sanguinis, fiant participes, eosque Christo lucrentur, qui unicus finis, & scopus fuit *S. Francisco*, ut plenius deducemus.

Pisanus lib. 1. fruct. 9. Marchant. fundam. 9. tit. 9. §. 2.

Barthulomæus Pisanus tradit, cælestes spiritus, quando in divino illo speculo, ipso, ioquit, Verbo vidissent, *S. Franciscum* in mundum mitti, ut per se, & suos, eorum ruinas restauraret, magno gaudio repletos fuisse in singulis Hierarchiis. *Seraphim* quidem, quia agnoscebant, illum ipsum suo incendio inflammandum. *Cherubim*, quia prænuntiabatur, divinorum arcanorum mysteriis imbuendum. *Throni*, quia perspiciebant in ipso, Deo præparatum habitaculum singulare, & Deo totaliter uniendum. *Dominationes*, quia edocebantur per ipsum carnis concupiscentiam omninò debellandum. *Virtutes*, ob miracula quæ per ipsum Deus operari disponebat. *Potestates*, per eum intelligendo dæmones, & ipsorum vires, ac dominium prosternendum. *Principatus*, quia princeps signaculo plagarum Christi, tam in Ecclesia militante quàm triumphante *S. Franciscus* instituendus erat. *Archangeli*, quia per illum secreta altissima hominibus intimanda intelligebant. *Angeli*, quia videbant *ejus, suorumque Fratrum prædicatione, vitâ & exemplo*, *mundum convertendum, & sedes Angelicas replendas*. Potiori jure omnes gentes, ac nationes, torusque mundus exultet, suoque restauratori gratuletur. *Franciscus etenim Asia, Africe, Europa, fines peragrando, suo zelo orbem universum complexus est, ut pro rythmo S. Bernardinus*:

Marchant fundam. pag. 109.

FRANCISCUS ITALICUS *fuit hic patronus,*
Vir pauper, & modicus, & sanctus, & bonus.
Vix est pagus unicus, vix est mundi conus,
Quo non sit authenticus successorum sonus.

Infinitus sim, si labores, sudorem, sanguinem, per filios Francisci in mundo Christo lucrando impensum enarrare voluero, quæ erudito & nervoso stylo Rmos P. Marchantius exaravit, & Plarus noster pertractavit, qui lib. 1. cap. 30. sic disseri: *non modo ætas illa, qua primùm hic Ordo prodiit, mirabiliter eius opera adjuta, & illuminata est; sed totis quadringentis annis, quibus deinde fletit, hoc semper egit, ut* ECCLESIAM DEI QUASI FOLCIRET.

Marchant. ent. in dec. rat. Plarus de bono statu Relig. lib. 1. c. 30.

Iuvat illius meminisse temporis, quo miseranda erat Ecclesiæ facies, imo & totius universi; dum hæresis Waldensium, Homilium, Albigensium, aliæque passim, grassabantur: flagitia, & scandala, omniumque vitiorum zizania, sementem agri Dominici, optimamque similaginem obruerent, ac suffocarent. Hic fuit tunc Ecclesiæ prope fatiscentis status, quam sustentare humeris, oratione, concionibus suis, suorumque laboribus, sudore, ac sanguine exigere debuit *Franciscus*, à Deo ad hoc delectus, & ipsa crucifixi voce admonitus: cum enim ante illum in Ecclesia D. Damiani pronus jaceret pius orator, ex illo audit etiam tertiò: FRANCISCE, *vade, & repara domum meam, quæ ut cernis tota destruitur.* Hic primùm stupore, dein etiam à se, & à sensibus discedere, tunc sibi redditus, meditari, sesèque colligere, qui divinæ voci, obediret, quî Ecclesiam illam repararet; ut verò repararet, Fulgineum, urbem nominatā venit, suppellectilem omnem vendidit, & equum ipsum cui insederat, ac dein Assisium rediens, peculiolam omnem contulit, ut Ecclesiam illam lapsu temporis fatiscentem instauraret; at mox intellexit de alia causâ moneri se, de illa inquam Ecclesia, quæ est Christi sponsa, & fidelium mater, de illa, jam ruinam minitanti, fulcienda, deperdito fidelium grege.

In vita c. 1

Cogitate nunc, quantæ fuerit dignitatis, ad Ecclesiam instaurandam, ad homines salvandos, cum ipso Deo, in tanti muneris partem quodammodo venire. Hic ardor animarum, *Franciscum* egit in barbaras terras, ut pro fide & lucrandis Christo barbaris animam poneret: testes volo peregrinationes illas, quas tertiò ad infideles instituit, tum animarum lucro, tum vel maximè incenso martyrii desiderio, & fundendi sanguinis pro Christo. Eo impulsus, primum ad Saracenos in Syriam transivit: sed adversis ventis in Sclavoniam trajectus est: tum Marochium versus iter arripuit: at morbo impeditus, in Hispania sistere coactus est. Denique & Sulthanum adiit, ut in Babyloniæ ditionibus, aliisque illi vicinis, verbum Dei, fidei lucem affundetet, & una etiam sanguinem. Audierat nimirum à Sulthano impium edictum emanasse, ut qui Christiani hominis caput Byzantium attulisset, aureo mercede donaretur. Hinc eò voluntariè pergere magnis passibus, ut quod fitiebat unicè, pro Christo comprehendi, ligari, convitiis affici, tormentis excruciari, & morte dirissimâ, affici mereretur. Sed aliter evenit, nam à Sulthano libenter auditus, & honorificè admissus est: *palmam tamen martyrii non amisit*, quam non carnificum manu, sed filii Dei cruciatibus consecutus, ut mox videbimus. Quam sublimis illa vocatio, ad quam evectus *Franciscus*, & de qua monitus etiam summus

Bozius in Relat. maxio. Bo... demon. strationes symb. vera & infallibilis. demonst. 2 de virtute fidei Rom.

summus in terris Christi Vicarius, Innocentius III. divino prodigio patuit: vidit ille in somnis, vel potius in altiore mentis excessu *D. Franciscum*, humili quidem, & paupere habitu; at validis lacertis Ecclesiam Lateranensem ruinæ jam proximam fulcientem: quem ilicò conquisitum, accersiri jussit, benigneque excipiens, omnem illius instituti rationem confirmavit. Ad hanc visionem accessit altera, qua unus aliquis è *S. Francisci* sociis, vidit innumeros propè mortales durâ cæcitate percussos; facie in cælum erecta, flexis genibus, extentis ad astra manibus; & voce lacrymabili opem à Deo petere, amissumque lumen oculorum expostulare, vidit inquam illos, ad sacra limina ædis *beatæ Mariæ de Portiuncula*, in qua etiam jacta fundamenta sacri hujus Ordinis. Ab hac porrò æde, manabat ingens vis divini luminis, quæ sese per miseros illos effundens, & lumen optatum reddebat, & opem tot votis expetitam, ac portentum, & prodigium illius beneficii denuntiabat, quod cæcis, ac miseris mortalibus à *D. Francisco* obvenire debuit. Ita nihil in Deo erat, quod in se si posset, nollet esse *Franciscus*, ut & in Deo *Franciscum* esse judicares, & *In Francisco* Deum ipsum cognosceres. Illud lumen scilicet fidei, quod cœcæ gentilitati per se, perque suos inferre, ardorem charitatis, quem in frigidis Christianorum animis excitare, atque accendere venit; & ipsa excitavit, atque accendit.

An non ea sublimis, cælestis, ac divina vocatio & operatio? Enimverò divina, à qua *Franciscus* alter à Christo, mundi Salvator & dici, & esse potuit, qui

Iuven. Sat. 8. --- *trepidantem protegit orbem.*

Conceditis mihi hanc veniam RR. PP. ut è minima Societate nostra, magnum Ordinis vestri encomiasten, Franciscum Suarem inducam, qui sic ait: Minorum Religio authorem habuit *Seraphicum patrem Franciscum* Assisiatem, *qui singularis sanctitatis prodigium fuit, & novum* (quasi in terris non visum) *humilitatis, ac mundi contemptus exemplar*. Hic ergo gloriosissimus Patriarcha de nova religione instituenda deliberavit, ac decrevit, anno Domini 1209, qui annus (quod mirabile est) vigesimus septimus erat ætatis illius, & quintus à sua conversione. Finem verò hujus sacri Instituti invenio in ejus regula scriptum: *Regula & vita Minorum Fratrum hæc est: scilicet, Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia sine proprio.* Tum subdit: existimo tamen *sanctum Franciscum* fuisse locutum de perfectione illa Evangelica, *qua complectitur etiam ejusdem Evangelii prædicationem*, juxta illud Luc. 9. *sequere me*, prout infra ab ipso Christo Domino exponitur: *Tu autem vade, & annuntia Regnum Dei.* Est ergò hujus religionis finis præcipuus, perfectionem evangelicam servare, *simulque illam prædicare*, & hoc supponit *Franciscus* in regula, dum c. 9. instruit Fratres non solum verbo, quomodo prædicare debeant, sed etiam exemplo sæpe ostendit. Nam

Suarez. tom. 4. de varietat. Relig. lib. 3 cap. 7.

cum primò de Religione instituenda cogitavit, *prædicare cæpit: exhortando homines ad pœnitentiam, verbis quidem simplicibus, tamen ignitis, & efficacissimis*, quibus homines plurimum commovebat; *statim etiam ac sectatores sui instituti habere cæpit, illos ad prædicandum misit.*

Visio etiam illa, quâ divinitus fuit admonitus, ut labantem Ecclesiam sistineret, planè stupenda, & à sæculis inaudita, quæ patentibus cæli valvis, *Francisco & Dominico* est exhibita: fuit autem ejusmodi, aperto, atque explicato mentis oculo, spectavit Christum à dextra Patris, ad quem consideraat exsurrexisse; sed irato vultu, & incenso, ut videbatur ad pœnas animo: hoc nimirum exigebant, imò & ab invito Numine quodammodo extorquebant immania hominum flagitia, atque ea triplicis generis. Primum erat, invisa superis animorum elatio, fastus insolens, superbia non toleranda. Alterum, avaritia, & insana quædam, atque insatiabilis, auri cupido, & habendi sitis & ardor. Postremum, bellnina libido, venus indomita, & effrenes concupiscentiæ motus, à quibus non homines dixisses, sed belluas, & tempora rediisse, quibus Dei bonitas ingeminare posset: *Pœnitet me fecisse hominem; omnis quippe caro corruperat viam suam.*

S. Vincent. ferm. de S. Dominico. Wading. Annal. Min. Ferdinand Castillo. l. 1. c. 18.

Et hæc præcipuorum scelerum capita, in quæ etiam tria jacula, manu pronâ jam vibraturus videbatur æquus humani generis judex, & Salvator justus; & quidem unum in superbos, alterum in avaros, tertium in libidinosos. Dum hæc ab irato Numine tremebundus spectat *Franciscus*, & orbi mox perituro ingemiscit; ecce illi, & orbi universo à virgine Matre solatium, & spes plena salutis: accidit enim illa ad filii genua, supplexque rogat, ut impendentem miseris mortalibus vindicem manum suspendat, & tela in pharetram justitiæ recondat, esse sibi duos in terris famulos, *Dominicum & Franciscum*, à quibus ea scelerum monstra impugnari, vincique possint, illos esse orbis Atlantes, qui suis humeris orbem ruentem fulcirent, ad hæc & filius acquiescere visus & parata humano generi fulmina deponere.

Hic vos compello auditores, si urbe una obsessa, jamque omnia ab hoste ferro, & flammis diruenda, per hominem vitæ prodigum, amore patriæ inflammatum liberaretur, illum patriæ Patrem, libertatis vindicem, salutis auctorem, redemptorem suum, omnes jure meritissimo inclamarent. Quid non orbis universus *Francisco*, suæ vindici libertatis, servatori, & salutis assertori debebit.

Quid non vos RR. PP. Seraphici Patris filii: hic etenim ut orbis universi, sic primum, ac potentissimum se Ordinis sui servatorem exhibuit, nullo umquam aut hæreticorum incursu, aut malevolorum invidiâ sobverrendum.

In Hybernia quinque, præcipuæ, & summæ authoritatis viri, ingentem de Franciscano Ordine abolendo tempestatem excitarunt; quos inter, unus omnium incentor, ad conceptum scelus peragendum, conciliabulum in Ecclesia indixerat, quod stupendo, & tremendo hoc prodigio disturbatum fuit. Erant in eadem Ecclesia

Platus. lib. 1 cap 33. Paoletti serm 32. del Fran cisco.

clesia urbis præcipua fenestræ duæ vitreæ, in quibus depictæ imagines, quarum una *sancti Pauli*, qui ensem, altera *Franciscum* manu crucem, tenentem referebant. Nocte æditus audire visus est sibi Paulum hæc dicentem: *Quid ages* FRANCISCE? *cur tuam non defendis familiam?* Cui ille: *Quid faciam? nihil habeo præter crucem*, & hæc ipsa me admonet patientiâ opus esse. Tum Apostolus instare, & hortari ne tantam ferret injuriam, suumque ei offerre gladium. Territus æditus, ac illuxit, accurrit in templum, & manifestò utramque imaginem insignia commutasse atque in Pauli dextra crucem adhuc esse, Franciscum verò habere gladium cruore stillantem; quod dum secum tacitus miraretur, increbuit rumor, adversarium illum potentem, qui subversionem Ordinis machinabatur, præcisis cervicibus repertum esse mortuum. Tum ipse nocturnum visum narrare cœpit, atque ipsas imagines ostentare, e quibus ad oculum patuit non solum Christi Ecclesiam; sed & domum suam, contra omnium inimicorum insultus incolumem servasse.

Nec satis est orbem Christianum vitiis, & erroribus expiasse, & collabantem Ecclesiam fulsisse; ardor *Francisci*, ac sociorum ejus, etiam novos orbes parare, & lucrifacere satagebat: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Socii Seraphici Patris, Angeli veloces, primi ad novum, & hactenus incognitum orbem advolarunt, & in Americam penetrarunt: cumque via ad Occidentales Indos pararetur, Deo propitio, Insulas septem, quas *Fortunatas* & fertilitate cannarum, *Canarias* vocant, ad annum Domini 1450. feliciter ingressi sunt, Insulas illas, dein Christianæ primordiis consecraturi. Inter quos plurimum laboravit *S. Diacus*. Hi *Christophoro Columbo*, iter ad occiduas Indias meditanti, consilio primum, & auxilio adfuerunt: hi cum illo profecti anno 1493. ad illas transfretarunt, & prima quidem semina Evangelista sparserunt, ut variis postea missionibus excrescentes, velut apes mella colligentes, communi agmine se per universa illa regna, & regiones diffundentes, easque perlustrantes, jam ad annum 1531. (ut scribit primus Illustrissimus Archiepiscopus Mexicanus *Ioannes à Zumaraga*, in epistola ad Capitulum generale Tholusanum) Dei, gratia, Religiosorum *D. Francisci*, Regularis Observantiæ manibus, plusquam *decies centena millia* baptizata essent: *quingenta* idolorum templa solo æquata: plusquam *viginti millia* dæmonum simulacra, ab his antea culta, confracta, & concremata; ac plerisque in locis fabricatæ Ecclesiæ, atque oratoria erecta, &c. Mirandum quod subdit: *Et, inquit, cum in hac olim Mexicana urbe solerent, plusquam* VIGINTI MILLIA *corda puerorum, puellarumque quotannis, in sacrificiis offerri: nunc humana corda illa universa, non jam dæmoni, sed altissimo Deo innumerabilibus laudis sacrificiis, Religiosorum nostrorum doctrina, & ministerio offeruntur.*

Marchant fundam. Ord. 12. tit. 11. § 4. pag. 115.

Mirari hæc desinet, qui legerit F. Petrum de Gand, seu à Gandavo, frequenter cum socio quatuordecim millia, interdum decem, aliquando octo millia, una die baptizasse. quanta insuper diligentia rem Christianam promoverit, restatur ingens templorum numerus, quæ dirutis idolorum fanis, Deo erigenda curavit; supra centum numerata fuisse tradunt. Quot Deo templa, tot hic arces fidei, ac religionis excitavit: in quibus demum, quæ summa votorum fuit, barbarorum armis occubuit; ut de nova illa Ecclesia, meliore quadam mente dicere non dubitem:

Marchant ibi.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Quid alii non effecerunt? missi siquidem in has oras, duodecim viri ex Ordine Minorum Observantium, magnæ omnes virtutis, & patientissimæ charitatis, Mexicanam terram, quæ latissimè patet, regnisque pluribus, atque gentibus distinguitur, primi aggressi sunt Dei verbo proscindere. Peruvium Franciscanis sodalibus, Evangelii auroram debet.

P. Ioan. Rho. varia virtus hist. lib. 1. c. 2.

Alphonsus, à patrio vico *Scalonensis*, primus in provinciam Guatimalam Mexicenæ oræ, fidem invexit, ac ne levi id opere factum aliquis putet, cum jam Mexicanam linguam sciret, duos & septuaginta natus annos, Guatimalicis mudis linguam inflexit annosus puer, ut plurimos Jesu Christo gigneret, ac barbaris, minimè barbarus loqueretur.

Ibid.

Alter *Franciscus à Iesu*, traducto ad Christi fidem Sinica, Mechiocanæ Rege, eique *Francisci* nomine indito, eodem comite, atque Evangelici operis adjutore, provinciam ingressus, magnum operis pretium fecit, à vitisque laboris sociis, incultum illud novale Domino subegit.

Ibid.

Quis zelum, & ardorem Francisci Soto, satis animo complectatur, ac lingua explicet? hunc revectum ex nova, in veterem Hispaniam, cum negotiis confectis rediturientem oceanus ad Luciferi fanum, sive Astum, crebris procellis detineret, moras ægrè ferens, in speculam, unde prospici poterat mare, quotidie conscendebat, fusisque a doribus indulgens: *Oceane frater*, ajebat, *quin mitibus undis me recipis, atque ad Indos meos me revehis: age mi Oceane, noli me hic ultra morari: spondeo, bonâ fide, numquam me amplius molestum fore.* Sic iste cum Oceano loquebatur, eo animi ardore, quem ille aquis multis exstinguere poterat. Revectus ad Indos, datam fidem nequaquam fefellit. Tlaxcaltam gentem, diutissimè, ac diligentissimè, ubere fructu coluit.

Ibid.

Quid memorem Andream Olmetanum Testerum, Joannem à S. Francisco, Franciscum Laurentium, Joannem Danum, Martinum Valentinum, Andream Castrensem, qui Mathurzingicos Texoquinos, Amarsocos, Cacothunos, Cascanos, Cacalotracos, Juazalatanicos (nomina sunt ipso penè tremenda sono) primi aggressi sunt, & facem fidei præluxerunt?

Rho. ib. Marchant.

Nunc ad Indias Orientales, si lubet, animis & cogitationibus trajiciamus: quàm fertilem hic messem, indefessi *S. Francisci* socii collegerint, argumento est, quod in solâ S. Thomæ provincia, pluribus millibus infidelibus conversis, idolis dejectis, centum & quinquaginta Ecclesias Deo vero, pauco tempore erexerint: & inter

ter cæteras conversiones enituerit, solenis illa Imperatoris Ceilani cum imperatrice, & tota curia, facta per *P. Ioannem de Villa Comitis*, ad annum 1549.

In eadem Insula Ceilana baptizati ab his novis Apostolis Rex, & Regina tertæ *de septem Corlas*, Regina *de Beras*, Rex *Thauorensis*, cum Reginâ & liberis duobus: *Rex Canarum*, cum septuaginta millibus vasallorum: *Rex Candiæ* ejusdem insulæ, cum Principe natu maximo, & Regina matre. Item in regno Infanapatensi, Rex cum Regina matre, & duabus filiabus sacro fonte renatus, Ordinem *S. Francisci* ingressus, in summum Concionatorem, & Theologum evasit: atque ab anno 1624. ad 1627. septuaginta animarum millia: & ab anno 1636. ad 1646. alia iterum sexaginta barbarorum millia, Christi fidem susceperunt.

Inde in Chinas, in Japoniam penetrarunt, quem agrum etiam suo sudore, & sanguine, plures Martyres irrigarunt.

Quot in Europâ, Asiâ, Africa, orbe universo gentiles, idololatras, hæreticos, schismaticos, gloriosi hi pugiles Christo pepererint, quotquecentena animarum millia, quasi novi Salvatores, æternæ vitæ assecuterint, ne prolixitate vos detineam, ad ipsos fontes remitto. Unum mihi præ omnibus oraculum, è cathedrâ veritatis, est Bulla S.D. Alexandri IV. quæ incipit: *Dilectis fratribus* DE ORDINE MINORUM *in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum, Vberonum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zichorum, Rhutenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moscelinorum, Tartarorum, Hungarorum, majoris Hungariæ, Christianorum captivorum apud Turcas, aliarúmque infidelium nationum Orientis, seu quarumcumque partium proficiscentibus, &c.* Ut à Solis ortu, usque ad occasum, quæ defuerunt passioni Christi, hi novi cultores fidei, adimplerint, atque ut omnes sanguine fuso martyrii palmam consecuti non sint, martyrium illis, non ipsi martyrio defuerunt; ad has enim palmas vel ex Indris ipsis colligendas, hic Ordo institutus, sic ut regula sanctissimus Patriarcha de tyronibus admittendis statuerit, ut quorum interest, *examinent de fide Catholicâ, & Ecclesiasticis Sacramentis. Nec ullos admittant, nisi hac omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & usque ad finem firmiter observare.* Etiam, ut explicat S. Bonaventura: USQUE AD MARTYRII TESTIMONIUM, ET SANGUINIS EFFUSIONEM; ita ut pro fide Catholicâ ultra mille quingentos Martyres Franciscanos ex nunc numerare liceat, quorum elogia peculiari tomo litteratissimus Scriptor Waddingus complexus est.

Wading. Marchant. cit.

Marchant cit pag. 123. Wading. Scriptores Ordinis Minorum, & Syllabus, qui pro de fen... r occa... ogrunt.

Dum hi pedibus, & sanguinolentis vestigiis ad ultimos orbis angulos pervagantur; alii pennis suis pervolarunt, & innumeris suis libris, doctissimisque omnium virtutum, ac scientiarum lucubrationibus vitia eradicarunt, hæreses extirparunt, corda inflammarunt, orbem denique universum collustrarunt.

Ordinis sui Scriptores recenset VVaddingus ad mille nongentos, quadraginta tres; quis codices ab iis editos numerare valeat, nisi stellas cæli, quemadmodum illustres viri illi fulgent in perpetuas æternitates, ad calculum revocare contendat.

Ex quibus omnibus, quis non videat, *Francisco* idem institutum fuisse, quod Christo, viros Apostolicos per orbem universum, velut oves inter lupos misisse?

Superest, ut *Franciscum* Christo crucifixum, sacris vulneribus insignitum, eique simillimum, & velut alterum Christum, oculis, animisque vestris exhibeamus.

§. IV.

VIDI SIMILEM FILIO HOMINIS *Christo cruci confixum.*

Apoc. 1.

QUi speculum intuetur, in vitro faciem pingit, quam mittit: aspectus est penicillum, color ars; ita amans, illius quod amat, statim effigiatur facie, id fit quod respicit, ut speculum quod respicitur.

S. Leo: *Inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset auctoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis* QUASI IN QUODAM SPECULO *divinæ benignitatis forma resplendeat.* *S. Leo serm. 1. de jejunio.*

Non enim dubium ulli esse potest, quin si quid est in mundo, vel etiam in cælo, primum & excellens, in Dei similitudine positum sit. Quod vel ipse superbiæ princeps intellexit, qui hoc ipsum affectans, illud jactavit: *Conscendam super astra cæli, &* SIMILIS ERO ALTISSIMO. *Isa. 14.* Menti ejus objectum quidem divinissimum lucis æternæ SPECULUM *sine macula*; sed ipse per intollerandam superbiam, deformis in illud irruit, ut doctè, & disertè sanctus Thomas: *Quantum ad id, in quo aliquid natum est,* DEO ASSIMILARI, *si aliquis, quantum ad hoc appetat esse* DEO SIMILIS, *non peccat; dummodo* SIMILITUDINEM *Dei debito ordine appetat adipisci, ut scilicet eam à Deo habeat. Si quis autem appeteret esse* SIMILIS DEO, *quasi propriâ virtute; & non virtute Dei, peccaret.* Non suâ, sed virtute Altissimi, quàm perfectè humilis Franciscus *Deo assimilatus* sit, videamus. *S. Thom. 1. part. quæst. 63. art. 3.*

Artes variæ excogitatæ, & exercitatæ sunt, ut quid alteri quàm perfectissimè possit assimilari, ut indies fieri videmus, peniculo pingendo, cælo sculpendo, scalpro formando, prælo exprimendo, nummo excudendo, sigillo sigillando; sed præ his omnibus, vivacissimè in speculo repræsentando: ubi perfectissima imago resultat, mores, colores, motus, gestus, quod in mutis tabulis, ac statuis non fit, alterum quasi se expressum contemplatur. Ac primùm quidem, *Franciscus animam suam, & corpus suum dedit in similitudinem picturæ*, per assiduam Christi crucifixi contemplationem, vivam ac veram repræsentationem in se, velut in tabula, depingens: *Quemadmodum pictores* (ut cum D. *Quæ ars perfectissimè similitudinem exprimat.* *Eccl. 38*

S. Basil. epist. 1. Basilio loquar) *cùm imaginem ex imagine pinguut, exemplar identidem respectantes, lineamenta ejus transferre conantur magno studio ad suum opificium, ita Franciscus, qui sese meditabatur omnibus numeris virtutis absolutum reddere.*

Exemplar illud spirans, quod in monte illi monstratnm est, identidem respicere, & in se exprimer satagebat; quod perfectissimum Christi exemplar, utinam & nos in animis nostris, si non assimilari, saltem adumbrate studeamus. *Heb 12.* *Iugiter aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum*; in quæ verba *S. Basilius de constit. monast. c. 5.* idem ille Seleuciensis Antistes: *Servator noster in omnibus*, inquit, *quicumque pietatem colere vellent, virtutis exemplar, ac pictura velutiproba, expressam effigiem quandam in se posuit, unde cuncti lineamenta illius inspectu, simile pro se quisque in vitam suam exemplum transferret.*

Quod ut in praxim redigamus, & manum tabulæ admoveamus, mores nostri, actiones omnes, nutus, gestus, ad illas, quas piissimus Redemptor exercuit, conformandi sunt, ut rectè Doctor Seraphicus ad Ordinis sui tyrones, imò & ad quemque nostrûm: *S. Bonav. inform. Novit. p. 1. c. 32.* *Describe tibi in corde tuos mores, & actus suos, quàm humiliter se habuit inter homines, quàm benignus inter discipulos: quàm misericors in pauperes, quibus se similem fecerat per omnia, quomodo nullum sprevit, vel horruit, etiamsi erat leprosus: quàm liber fuit à curis mundi: quàm verecundus in visu, quàm patiens ad contumelias, & quàm mitis in responsis. Item quàm compositus in omnibus gestis suis, quomodo SEIPSUM PRÆBUIT EXEMPLUM omnis boni.* Ac tandem concludit: *Vt in omnibus factis, & verbis tuis, semper ad hunc, QUASI EXEMPLAR RESPICIAS. Hæc sit sapientia tua, & meditatio, & studium, semper aliquid de ipso cogitare, unde vel provoceris AD IMITANDUM EUM, vel afficiaris ad eum amandum, donec FORMETUR CHRISTUS IN VOBIS.* *Ad Galat. 4.*

Quâ formâ, ut nihil in rerum natura excellentius, ita hac imitatione, & vivâ similitudine, quam *in Francisco* summus ille opifex Deus artifici manu sua, nec alio colore, quàm sacro cruore suo depinxit, nihil præstantiùs valet excogitari.

Solent mortales verâ, & vivâ sui imagine mirificè delectari, eamque posteris consignant, ut facta majorum æmulentur. Qua in re omnes anteecelluit Romanus Philosophus, quem Tacitus narrat jam carcere detentum, rebus omnibus exutum, & extremum vitæ spiritum trahentem, propinquos, & amicos advocasse, quibus cùm non haberet, quod testamenti loco transcriberet, pretiosum tamen illis legatum reliquit, dicens: *Consigno vobis imaginem vitæ meæ.* *Tacitus.*

O Domini, qualem vos servis! O Superiores, qualem vos subditis! O patres familias, qualem vos liberis vestris *imaginem vitæ vestræ* consignatis! hic avari, ille iracundi, alter temulenti, quartus adulteri, quintus blasphemi; de quibus rabulis, teste D. Ambrosio, gravi censurâ sincerus Judex pronuntiabit: *Non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam.* *Amb. lib. 6 in hexam. c. 8.* Alteram prorsus divinam in animo, & corpore, *Seraphici Patris* pictutam cernere est, in qua Christum spirantem, omniaque Crucifixi lineamenta, Ecclesia universa miratur, & veneratur.

Vir calamo, & linguâ celeberrimus R. P. Guilielmus Platus, Ordinis Minorum, hoc in panegyricis suis expressit: princeps fœmina, illustrior virtutum, ac eximiæ sanctitatis famâ, *Divi Bonaventuræ* etiamnum superstitis, pro quo in Sanctum ferebatur affectu, effigiem in gemma sculpi fecerat, quam religioso erga Dei famulum animo, suspensam è collo, pectori applicitam gestabat. *Guil. Platus in panegyr. Christus pag. 109.* Cùm ecce, movente invidiâ, non defuit, qui probam, ac innocentem conjugem apud maritum de crimine pessimo insimularet, quasi impudicis amoribus implicatam, & eum præ marito deperiret, cujus imaginem, seu idolum quoddam, perpetuò secum deferret.

Maritus ad hæc in rabiem actus, lymphaticè uxorem aggreditur, mortem, nisi ab insaniâ desistat, & imaginem sibi tradat, minatur.

Quibus auditis, integerrima matrona, Deo mentis suæ arbitro confisa, vultu sereno, animoque tranquillo, imaginem, quam circumferret, ait non mortalis cujuspiam esse ascetæ, sed Christi Salvatoris in cruce suffixi, & porrò fit etit verbis fides, obsecundante Domino verbis Apostoli: *Christi esse, qui secum crucifixi*; prolatâ siquidem gemmâ, non *Bonaventuræ* in eis effigies, sed Crucifixi apparuit. Domino famulum referente. Quo viso, Princeps sibi redditus, ac pacatior factus, piam imaginem exosculatus, conjugis pietatem collaudavit, ac proterviam calumniatoris execratus est.

Quod *B. Bonaventura* in imagine, hoc *D. Francisco* in corpore, & animo evenit, ut formam famuli in suam converteret.

Alteram Christi imitandi rationem Paulus exeugitavit, ad quam Romanos adhortatur, dicens: *Induimini Dominum Iesum Christum*: quæ in rem nostram divinè S. Thomas exponit: *Dicitur autem induere Christum, qui Christum imitatur: quia sicut homo consinetur vestimento, & sub ejus colore videtur, ita in eo, qui Christum imitatur, opera Christi apparent.* *Ad Rom. 13. S. Thomas hic.*

Hæc vestis Christi, longè præstantiorem odorem spirat, quàm vestis Esau; hac indutus, bonorum operum, virtutumque fragrantiam exhalans, & *Christi bonus odor* existens, multò ampliorem, quàm Jacob à cælesti Patre benedictionem consequitur; cùm nihil Deo gratiùs, nihil homini gloriosiùs, quàm hoc pretioso Christi habitu convestiri; quo si quis in terris, & in cælis, *D. Franciscus* condecoratus, totum Christum induit, ut religiosè juxta ac ingeniosè Poëta noster lusit:

Exue FRANCISCUM *tunicâ, laceróque cucullo,* *Balinghius.*
Qui FRANCISCUS *erat, jam tibi* CHRISTUS *erit.*
FRANCISCI *exuvias (si qua licet) indue* CHRISTUM,
Iam FRANCISCUS *erit, qui modò* CHRISTUS *erat.*

Quid

Quid cælestis amor non audet? fingit amantes.
Arte novâ, effigiei ut sit amantis amans.

Si ullum parumantum inter mortales sincerum repertum est, hoc sacri Regum annales nobis protulerunt, *Davidem, & Ionatham*, de quibus disertissimus Aëlredus: *O pulcherrimum veræ dilectionis speculum!* ubi amans fit alter sit ipse, & ipse per alterum in se redit, altero per alterum, & in altero relucente: *Anima quippe* JONATHÆ *conglutinata est anima* DAVID, *& dilexit eum* JONATHAS, *quasi animam suam*; ex qua tenerrimâ, & pulcherrimâ dilectione, consequens fuit, ut eum sibi simillimum reddere voluerit, & hæc tanta fuit, quod *Ionathas expoliavit se tunicâ suâ, & dedit* „ *eam David, & reliqua vestimenta sua.* Cele„ bris Interpres hanc unicam rationem addu„ cit, cùm anima *Ionatha* conglutinata esset „ animæ *David*, eumque ut alterum se dilige„ ret, quòd in eodem habitu illum videre de„ siderarit: Potuit, inquit *Ionathas* Princeps Is„ rael, auri, & argenti vim, gemmas, & mobi„ lia, primitias amoris tradere amico; sed maluit „ vestes; quæ liberalitas mysterium amicitiæ „ fuit: per hanc quippe ceremoniam, *Davidem* „ *sibi assimilavit, & alterum se consecravit*: ubi re„ ctè subjungit ab amiciendo, amicos, aut ab „ amicire, id est, vestire, derivatum est, quod inter par nobilius amantum, *Christum inter, & Franciscum* cumprobatum fuit.

1. Reg. c. 18. Aelred. de spiritali amicit. c. 3. — Ibid. lib. Reg. — Nierem berg. strom. lib. 7. c. 8.

Minimæ Societatis parens *Ignatius*, hunc à *Seraphico Patre*, haud dubiè spiritum hauserat, dum ut filios *Iesu suo* conformes, & per omnia similes redderet, voluit omnes *assimilari, ac imitari* DOMINUM JESUM, *ejusque vestibus, & insignibus indui*; ut hoc splendidissimo, & verè regio *filii Dei ornatu*, sui induerentur.

Regula 12. summarii constitut.

Aman ille, Primas in aula Assueri, interrogatus à Rege: *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare desiderat?* inter alia hoc primùm respondit: *Homo, quem Rex honorare desiderat,* DEBET INDUI VESTIBUS REGIIS; nihil hic ambitione turgidus, & superbiâ elatus, magnificentiùs excogitare valuit, quo regiam Majestatem proximè æmuletur, quàm ut purpurâ Regis induceretur. Nunc si oculos, animosque, ad *Franciscum*, cælestis aulæ Principem convertamus, eumque purpurâ pretioso sanguinis Christi ostro tinctâ indutum contemplemur, quos non divinos illi honores debere, fateamur necesse est? Indignatur, & execratur D. Bonaventura tam paucos hujus purpuræ ambitiosos reperiri, cùm nihil homine dignius sit, quàm ut pretium, quo redemptus est, assidua mentis recordatione se circumferre ostentet; quare pronuntiare non dubitavit: *Non se reputet quis hominem, sed bestiam & plusquam bestiam, nisi sit* VESTITUS DOMINI PASSIONE? omnes illi, filii Dei tunicâ induti sunt, qui non in animo dumtaxat, sed & in corpore, aut per voluntarias afflictiones, aut per immissas à Deo infirmitates, paupertatem, aliasque adversitates, graviter *cum Francisco* excruciantur: hujusmodi enim insignibus decoratos, cælestis ille pater suos agnoscit, & complectitur, dicens: *Quia tunica filii mei est.*

Esther. 4. — Bonav. part. 1. Serm. cap. 7. — 37.

Hac ornatum videre mihi videor præ aliis Sanctis, *Franciscum*, & instar filii Dei, sanguine undique purpuratum. Hac tunica omnes filii Dei induendi sunt, his insignibus omnes prædestinati dignoscendi sunt: *Quos præscivit, & prædestinavit* CONFORMES IMAGINIS FILII SUI; quæ conformitas optimé per *signaculum similitudinis*, seu sigilli in cera expressionem, acquiri posse videtur: unde cælestis Sponsus effigiem suam dilectæ animæ imprimi exoptans, dicit: *Pone me* UT SIGNACULUM *super cor tuum*, nulla etenim major, quàm sigillum inter, & signatum conformitas, ubi formaliter *idem & alter est*; sic tamen, ut sigillatum sigillo tenaciter adhærescat, ne sensim pereat, ut rectè S. Augustinus: *Quisquis* ESSE SIMILIS DEO *cupit, ab ipso, à quo* SIMILITUDINEM ACCEPIT, *nullo modo superbiendo recedat; sed ei cohærendo* SIGNETUR, *ut tamquam ex annulo fidei affixus*, RETINEAT IMAGINEM *Dei, faciens illud quod dictum est*: MIHI ADHÆRERE DEO *bonum est. ut* CUSTODIAT SIMILITUDINEM, ET IMAGINEM, *ad quam factus est.*

Rom. 8. — Ezech. 28. — Cant. 8. — Augustin. serm. 34. de verbis Dom. & in psalm. 70. conc. 2. v. 19.

Hoc se insignitam signaculo modestè gloriatur *B. Gertrudis*, quæ *dum festo quodam*, inquit, *recepissem sacram synaxim mente intenta in Deum, & in meipsam: sensi animam meam instar ceræ, igne divino liquefactam,* SIGILLATIONE PECTORIS, AC LATERIS CHRISTI FUISSE SIGNATAM.

Lib. 1. Insin. spirit. c. 6.

Verùm enimverò *Franciscus* aliam sigillaturam à Seraphico Crucifixo, *miraculo hactenùs inaudito*, plenissimè, ac perfectissimè in corpore, & anima excepit, *quasi ad ignis liquefactivam virtutem* præparata.

Bonav. in vita. Breviar. Rom.

Vos sponsæ Christi, nondum colliquescitis, vos præclaræ filiæ Claræ, nondum cum Ambrosio exclamatis: *Luceat imago ejus in confessione nostrâ, luceat in lectione, luceat in operibus, & factis, ut si fieri potest,* TOTA EIUS SPECIES EXPRIMATUR IN NOBIS! IPSE ENIM SIGNACULUM NOSTRUM.

Ambr. in Cant. c. 8.

Morale.

Humana industria singulare artificium excogitavit, quo ex cerâ, & metallo quovis colliquato, statuas, & imagines fundunt, quæ formæ, seu matrici suæ ad unguem conformes existunt: si nempe materia infusa apta sit, & ductilis, ut ad omnes partes liquidò diffundatur; aliàs aut pede, aut digito imago trunca, & mutila foret. Conjuges, qui ad mutuas voluntates: pueri, qui ad nutum parentum ductiles, & conformes: Religiosi, qui Superiorum jussis promptissimè influunt: Christiani, qui cum Davide habent *cor tamquam cera liquescens,* ad omnes Dei voluntates exequendas, ii profectò, imagines prorsus divinæ, & in supremo illo divorum Pantheo reponendæ sunt; quos inter Richardus à S. Laurentio, unam omnium longè præstantissimam commendat SS. Virginem Mariam, quam sic loquentem inducit: *Anima mea liquefacta est per incendium charitatis,* PARATA VIDELICET INSTAR METALLI LIQUEFACTI, DECURRERE IN OMNES MODULOS DIVINÆ VOLUNTATIS; quæ si ulli Sanctorum, pro-

Richard. à S. Laurent. lib. 4.

prissimè *Seraphico Patri* congruere, nemo quisquam refragabitur: ipse etenim signatus signaculo Crucis, ac stigmarum ejus; quo signaculo, inquit Theodoretus, vult Salvator noster, omnia cogitata, verba, opera nostra signentur: *Vt eum pro signaculo in contemplationibus, & actionibus nostris habeamus, notam ipsius, crucis scilicet, ac vulnerum, in omnibus tum dictis, tum factis imprimamus*: quo nihil perfectius, nihil sublimius, nihil Deo gratius, quia nihil similius valet excogitari: quemadmodum *sanctissimo Patriarcha*, manifestò declaravit, dum *immissum menti ejus, per divinum oraculum revelaretur ei à Christo, quid Deo magis foret acceptum? Oratione præmissâ, sacrum Evangeliorum librum de altari sumptum, in sancta Trinitatis nomine aperiri fecit per socium*. Quid igitur? Subdit Bonaventura: *Sanè cùm in trina libri apertione semper Domini Passio occurreret, intellexit vir Deoplenus, quòd sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus, & doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transiret*; hæc enim amantium vota sunt, ut amato conformes, & planè similes reddantur.

Theodoret. in Cant. c. 8.

S. Bonav. in vita, c. 13.

Sed hæc similitudo ut in statuis, imaginibus, perfecta appareat, præ his omnibus verissima, & vivacissima similitudo est, quæ in speculo relucet, in quo & motus, & nictus, & gestus, & flentis, & morientis. & lachrymæ ex oculis cadentis, & sanguinis ex uvis venis fluētis affectus, (quod in statuis fictis, aut pictis non fit) ad oculum exprimitur. Undè perappositè *Seraphicus Pater*, divino in officio sic à suis nuncupatur, & salutatur:

Salve sancte Pater, patria lux, forma minorum.

VIRTUTIS SPECULUM.

1. Cor. 1. v. 24.

Quo encomio, aptissimè filio Dei assimilatur, quem Apostolus *Dei virtutem* nominat; quodque maximè mirandum, Romanus Philosophus in speculo suspicit, non longo molimine, operoso artificio, aut difficili labore: sed momento hîc similitudo effingitur: *Nihil*, inquit, *tam citò redditur*, QUAM A SPECULO IMAGO, ubi in tabulis pingendis, statuis dedolandis, & efformandis, menses & anni insumendi sunt, nec nisi muta, & immota hominis exterioris lineamenta referunt; sic enim Apulejus: *Quippe in omnibus faciundis imaginibus, opera diutino sumitur tempore*; NEQUE TAMEN SIMILITUDO ÆQUE AC IN SPECULIS COMPARET: causam subdit: *Deest enim & luto vigor, & saxo color, & picturæ rigor*, ET MOTUS OMNIBUS, QUÆ PRÆCIPUA FIDE SIMILITUDINEM REPRÆSENTANT.

Senecα l. 1. natur. quæst. cap. 4.

Apulejus apolog. 1.

Cælestes illæ mentes, lucidissima, & divinissima specula Solis æterni, momento sibi divinam imaginem objectam susceperunt, & expresserunt, hoc perfectius, quò ei propius, ac præsentius constitêre, quales sunt sancta Seraphim, de quibus Magnus Gregorius, homines cælestes describens: *Sunt, qui tanto Conditoris sui desiderio ardent, ut solâ ipsius contemplatione pascantur: nihil in hoc mundo appetant, terrena cuncta, & transitoria contemnant, & ad cælestia jugiter anhelant.* (Qualis, si quis, Seraphicus Franciscus) *isti profectò illorum agminum consortio digni habentur, qui* SERAPHIM *dicuntur. Seraphim namque ardentes, vel incendentes interpretantur. Hæc quippe agmina spirituum, in tantum divini amoris igne ardent*, UT PROXIMA DEO *assistant, nullique alii inter ipsa, & Deum, spiritus medii sint*; hoc enimverò in speculo, ut imaginem referat, maximè requisitum, ne quid inter medium opponatur, uti nec inter Patrem cælestem, & filium, qui est *speculum bonitatis ipsius*, & Spiritum sanctum, ut angelicè Doctor Aquinas: In cœlo *primus ordo est divinarum personarum, qui terminatur ad Spiritum sanctum, qui est amor procedens: cum quo affinitatem habet supremus ordo primæ hierarchiæ* (Seraphim videlicet) *ab incendio amoris denominatus*; hæc autem affinitas, & similitudo tanta est, ut unum cum altero per amorem quodammodo idem censeatur.

S. Gregor. hom. 34. in Evang.

S. Thom. 1. part. quæst. 108. art. 6.

Sic sensisse visus est Claravallensis Abbas, dum ait: *Ipsa enim charitas, quæ Deus est*, SERAPHIM *in se adeo traxit, & absorbuit, atque eundem rapuit sanctæ affectionis ardorem, ut unus cum Deo spiritus esse videatur.* Quæ omnia, cùm in Seraphim *Franciscus* transformatus sit, ei proprissimè convenire, quis non videat? sic porro Doctor Seraphicus, FRANCISCUS INCENDIO SERAPHICO *totus ignitus fuit*; & alibi: *Charitatem ferventem, qua sponsi amicus* FRANCISCUS *ardebat, quis enarrare sufficiat; totus namque quasi quidam carbo ignitus divini amoris flamma videbatur absorptus*; atque ut carbo ignitus perfectè assimilatur, imò idem est cum igne, à quo accensus est; sic inquit: *Christi amor in eandem imaginem Christi, transformavit* AMANTEM FRANCISCUM; omnis quippe amor, amantem invenit, vel facit, & sibi similem reddit, sic ut *fiat amantis animus* SPECULUM, *in quo, quasi imago relucet*, ut inquit Marsilius Ficinus.

Bern. in Cant. ser. 19.

Bonav. in prol. & cap. 9. in vita.

Ibid.

Marsilius Ficinus comment. in convivio Platonis.

In hanc rem pulcherrimè disceptat Doctor Doctorum: *Vtrùm* SIMILITUDO *sit causa amoris?* Respondet ex Ecclesiastico cap. 13. vers. 19. *Omne animal diligit simile sibi*, quod maximè valet in auctore naturæ, qui per gratiam, & virtutem suam nos similes sibi effecit. Unde sic resolvit: *Similitudo, propriè loquendo, est* CAUSA AMORIS; *ex hoc, quòd utrumque habet idem in actu, sicut duo habentes albedinem*, DICUNTUR SIMILES: *& hic motus causat amorem amicitiæ, & benevolentiæ? ex hoc enim quòd duo sunt* SIMILES, *quasi habentes unam formam*, SUNT QUODAMMODO UNUM IN FORMA ILLA: *sicut duo homines sunt unum in specie humanitatis, & ideo affectus unius tendit in alterum, sicut in unum sibi, & vult ei bonum sicut sibi.*

S. Thom. 1. 2. quæst. 27 art. 3. Similitudo causa amoris

Cerdi-

Cajetanus hic.

Cardinalis Cajetanus hîc, inter quinque modos, quibus intelligi potest, *quòd similitudo sit causa amoris*, hunc primum ponit, *ut speciale quoddam bonum, sicut certa specialia bona sunt,* QUOD QUIS VULT ASSIMILARI ALTERI, VEL ALTERUM SIBI, ET SIC SIMILITUDO EST CAUSA ACTIVA AMORIS.

Hoc indies videre est, ut qui amari ab altero expetit, se in omnibus ei conformet, habitum, vultum, gestus, mores imitetur, quibus alteri assimilaturus, alterum in sui amorem rapiat. Hoc magister naturæ rectè observavit: *Similia similibus gaudent.* Et ipse Cicero in Lælio: *Nihil est*, inquit, *quod ad se rem ullam tam alliciat, & attrahat, quàm ad amicitiam* SIMILITUDO. *Concedatur profectò, ut bonus bonum diligat: bestiæ, quæ se amant, id faciunt, cum quadam similitudine amoris humani.* Iterum, pro Aulo Cluentio idem argumentum pertractans, quasi omnibus exploratum, & indubitatum, ait: *Omnes scitis, quantam vim habeat ad conjungendas amicitias, studiorum, & naturæ* SIMILITUDO. Præ his audiendus Ambrosius: *Vides maximè pares, paribus delectari.*

Aristot. lib. 8 Ethic. cap. 56.

Amb. lib. 10. Offic.

Hoc si usquam, aut umquam, in geminis manifestò elucet, qui ob similitudinem à se ægrè separantur, imò quasi cor unum, & anima una, in alterutro gaudent, patiuntur, vivunt, moriuntur.

Affectus mutui in geminis.

Alb. M. tom. 6. lib. 7 de animalib. cap. 6.

Sic refert Albertus Magni, magni Thomæ
„ Aquinatis discipulus: Visi sunt à nobis in
„ Germania duo gemini fratres, ita similes,
„ quòd nullus nostrum unum recognoscere
„ posset ab altero; sed quemcumque ipsorum
„ vidimus, confusi fuimus in nomine, eò quod
„ nescirem, uter esset duorum: & loquebantur
„ similiter, & cantabant quasi voce una, *& se*
„ *tantum diligebant, quòd unus sine alio diu esse non poterat*; similitudo enim causa amoris, nequit unum ab altero nisi violentè separari.

Eodem autem tempore sæpe geminos ægrotare, & convalescere cœpisse, Augustinus lib. 5. de civit. cap. 2. ex principe medicorum testatur, ubi ait: *Hippocratem nobilissimum medicum scriptum reliquisse, quosdam fratres cùm semel ægrotare cœpissent, &* EORUM MORBUS EODEM TEMPORE INGRAVESCERET, ET LEVARETUR, GEMINOS SUSPICATUM; quod & historiæ variæ comprobant, è quibus unam ab oculato teste induxisse sufficiat. Jaspar à Rejes Franco, in campo suo Elysio jucundarum quæstionum, ait: Et ego quoque gemellas vidi sorores, facie, gestu, & moribus similes, quæ eodem morbo, eodem die, imo & horâ ægrotarunt, quæ tandem crisi per sudorem facta, altera die simul liberatæ sunt: & quod majori dignum est admiratione, iterum ambæ eodem tempore, & die recidivam fecerunt.

August. de civit. lib. 5. cap. 2.

Elysii câpi jucundarũ quæst. per Gasparum Rejes quæst. 54. n. 1 de geminis

Quòd si tanta vis naturæ, & sympathiæ in similitudine lineamentorum, humorum, & complexionis naturalis, quid non vera, & viva, ac prorsus divina, animorum, morum, affectuum, virtutum, ac cælestium gratiarum similitudo, cum ipso omnis perfectionis prototypo, Deo, operabitur? fieri non potest, ut talis cum Christo flente non fleat, cum dolente non doleat, cum patiente non patiatur, cum crucifixo non crucifigatur.

Sæpe fit, geminos forma simillimos, studiis, moribus, & affectibus maxime dissimiles esse: *Nos*, inquit Augustinus, NOVIMUS GEMINOS, *non solùm actus & peregrinationes habere diversas, verùm etiam dispares ægritudines perpeti*; non tantùm corporis, sed & animi, ac vitâ prorsus discrepasse, ut probat in Jacob & Esau; quò spectat ingeniosum illud viri aulici effatum, qui geminos ex nobili fœmina genitos, maximè dissimiles conspicatus, quorum unus obesus, alter gracilis: unus ingeniosus, alter stupidus: unus excitatus, alter melancholicus, &c. dixit *illos non geminos, sed unum esse*. Dicti sui causam rogatus, respondit: *Quia unus corpus, & alter anima*. Quæ disparitas in amoris divini gemellis nequit exerciti: *Sed se tantùm diligunt, quòd unus sine alio esse non possit*, aut separari

Augustin. cit.

Ibid. c. 8. & lib. 2. de doctrin. Christ. ca. 22.

Quæ omnia cùm aptissime *Seraphico Patri*, amoris divini dicam, an Seraphim crucifixi, id est, Christi gemello conveniant, applicatione non indigent; nam si omnis similitudo naturalis, etiam inter bruta animantia *causa amoris* sit, quem non similitudo cælestis, eaque perfectissima ipsius divinitatis excitabit?

Vidimus nos, inquit Fulgosus, in castris *Francisc Sfortiæ*, Ducis Mediolanensis, cui nihil gratiùs, nihil Principe magno digniùs erat, juvenem vultu & motibus adeo similem, ut aulæ totius consensu *Franciscus Princeps* is appellaretur: atque ipse Dux, utpote omni in re humanissimus, ardenti eum amore complecteretur, & non sine ingenti animi voluptate in eo gestus suos, ac vocem agnosceret, ac *tamquam in speculo imaginem suam, aut potiùs seipsum in altero se contemplaretur* Quod longè diviniùs accidit, dum Christus se in *Francisco* sui similem, & altero se, *& Franciscus* in Christo contemplatus est.

Fulgosus lib. 9 c. 15.

Utinam & nos aliquo usque hanc Dei similitudinem in nobis exprimere studeremus! quod quâ ratione fieri queat, aptè ad mores exponit Doctor Africanus: SIMILITUDO DEI *in vobis, in moribus cernenda; &c. ut sicut Deus, qui hominem* AD IMAGINEM, ET SIMILITUDINEM SUAM CREAVIT, *charitas est, & bonus, & justus, & patiens, & mitis, ac misericors est; ita homo creatus, ut haberet charitatem, ut bonus esset, & justus, & patiens, ac mitis, mundus ac misericors foret. Quas virtutes, quantò plus quisque habet in seipso, tantò propinquior est Deo, & majorem sui* CONDITORIS GERIT SIMILITUDINEM.

Morale.

Augustin. tom 9. tract de creat primi hominis.

Hactenus ostendimus, *Franciscum Christo* per omnia similem; superest, ut eum unum cum Christo fuisse comprobemus, quo altiùs nec mortalium, nec cælitum quis ascendere potest.

Celeberrimus Carmeli vates Joannes Baptista Mantuanus, in vita Torquati Tassi refert, quòd dum hic Torquatus in aulâ Caroli IX. Galliarum Regis degeret, ab eodẽ Rege rogatus, quisnã suo judicio omniũ esset beatissimus in toto mundo? responderit: *Deus*; cui cùm

Rex id clarum esse subjiceret, neque hac de re esse dubitandum, ideòque ulteriùs interrogaret: quisnam post Deum beatior esset? respon- derit Torquatus: *Is, qui Deo maximè assimilatur.* Prudentissimum sanè, sapientissimumque responsum, quia ut Gregorius Nyssenus: *Definitio humanæ beatitudinis est, similitudo cum divina*: omne illud quod ejus particeps, beatum est, & unum quodammodò cum Deo est; quod si in ullo mortalium, *in Francisco* illuxit, ut ex dicendis patebit.

Greg. Nyss. in psal. inscrip. cap. 1

Testem hic adduco S. Brigittam, quæ cùm admirandæ cujusdam sanctitatis prærogativa, ad divinum colloquium admissa, gratissimam de *Francisco* mentionem fecisset, subjecit *Christus*: Verè, ô Brigitta, FRANCISCUS *meus amicus, fuit quasi ignitus, & igneus:* QUIA IN SE ME HABUIT, *qui sum ignis.* Ecce Deum in se habuit ac possedit *Franciscus*. An non ut ferrum ignitum igni simillimum, imo ignis ipse, ita *Franciscus* quodammodo per divinitatis similitudinem ipse Deus esse videretur?

Revelat. cap. 9. Marchant fundam. tit 9. fund 9. S. 5.

Amicus ille fuit Christo, hoc est, alter Christus, quia *amicus alter ego*, ut perappositè Hieronymus: *Interrogatus quidam, quid esset amicus? respondit* ALTER EGO; *unde Pythagoras duo vadet se invicem tyranno dederant, de quibus Cicero: Est is amicus quidem, qui est tanquam* ALTER IDEM: *alterum enim acquirit, cujus animum ita cum suo commisceat, ut efficiat penè unum ex duobus.* Hoc similiter amantium privilegium, ut *alter ego* uterque dicatur. Post illam tribus prælijs partam de Dario victoriam, Sysigambis devicti Darii uxor cum filiis ad gratolandum Alexandro fortunam suam, in castra venerat, dum verò obvium haberet Hephestionem Alexandro percharum, qui & forma, & habitu præstabat, eum pro Alexandro salutavit; admonita deinde erroris, cum timore se excusanti, dixit Alexander: nullus hic error est, *nam & Hephestion Alexander est*. Nunc, si in *Franciscum* oculos conjeceris, nonne attonitus exclamare poteris: *Nam & hic Christus est?* ubi hæc metamorphosis facta sit, attendite.

Hieron. in Michaam cap. 7.

Plutarch. in Alexand.

In abrupto Alvernæ monte visitur saxum, seu potiùs rupes ingens discissa per medium, sic ut inter illius extrema, sit profundior hiatus: hunc dum subintrat *Franciscus*, ut sibi, Deoque vacet, ad fuit illi cælestis genius, docuitque petram illam, unà cum aliis, in passione Christi scissam esse, ut sensum, quem Deo patienti negabat homo, authori suo petra exhiberet, doceretque, à dolore scindi debuisse mortalium corda, cùm & ipsæ petræ scinderentur. Unde *Francisco* hæc petra in amoribus, oscula illi figit, & amplexus, suúmque cor tenerrimo Christi patientis sensu findi ardentissimè flagitabat. Hos inter doloris, & amoris æstus, ecce à sæculis inauditus à cælo favor, ecce prodigium *Iesu amantis in Franciscum amantem*, quo illum in alterum se transformavit. Recurrebat solennis, ac festiva dies Exaltationis S. Crucis, cùm primo mane in oculos venit unus *è Seraphim*, cui alæ sex splendidæ, atque ignitæ: hic ad virum Dei advolavit: & en tibi novum miraculum, videlicet inter alas, effigies hominis crucifixi, supra cujus caput attollebantur alæ duæ, duæ velabant corpus, & aliæ duæ ad volandum protendebantur.

VVading. Annal. a. 1215. n. 15

Hæc fuit oculis objecta imago, ad cujus conspectum, amantes in seipsos adeo exarserunt, ut *Franciscus* totus in amorem suum *crucifixum* raperet, & *Seraphim crucifixus*, totum in se *Franciscum* effunderet, seipsum inamantem conjiciens, eumque in se, seque in eum divinâ quadam metamorphosi transformans: mox enim in ejus manibus, & pedibus apparuerunt, eruperuntque signa clavorum, & in ipso latere dextro vulnus hiabat, quasi recens esset lanceâ transfixum, è quo & tum, ac deinde sæpiùs tam copiosus sanguis effluebat, ut per corpus, & vestes, tegere non valens, decurreret in terram.

VVading. annal. a. 1224 n. [illegible] & n. [illegible]

Hi duo amantes *Christus & Franciscus*, cùm sic sibi respondeant, ille in isto, iste in illo commutatis spiritibus vivunt alter alteri, uterque uttique traditur, uterque ab utroque accipitur. Dum sic amat se amantem, perdit se, & reperitur in Christo; adhuc restat miraculum: postquam à se amissus, restituitur ab amato à se, & amante sui: per hunc ipsum se possidet. Tum si per hunc medium se possidet, prius hunc possidebit quàm se; quare proximior illi erit, quàm sibi erit: nec enim ad se accedit nisi per illum. Unusquisque amantium longinquior à se est, quam ab altero vicinior alteri quàm sibi; fatetur hoc ille qui dixit: *ubi sum, ibi non sum: ubi non sum, ibi est animus.* Quid mirum si io se non sit, sed in alio, mortuus sibi, redivivus alteri. *Franciscus* sibi mortuus, vivit Deo, illudque *Pauli*, si quis Sanctorum, sibi usurpare potest: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Una mors in amore est, sed duplex resurrectio.

Gal. 2. 20

Ita *Franciscus* mundo, carni & sibi mortuus, non tantum vixisse in se Christum, sed etiam vixisse se in Christo, non sine se, purandus est, ritu enim amantium vivebat, id est extra se, & jam non ipse vivebat nimirum in se, sed vivebat in se Christus, suæ vitæ felicissimus Vicarius. Quare *Franciscus*, qui vivebat in Christo, sibi mortuus, bis resuscitatus, dum in Christo vivebat sine se, & dum per Christum in se vivebat; semel sui egenus, bis locuples, dum Christum possidebat, & se per Christum.

Compello hic te, quisquis es, advoca restes laudatissimos, adhibe justos rerum æstimatores, qui ponderent jacturam tui, cùm te, & Deum perdis, si ames, & non Deum; at si ames Deum, quantum lucri erit, quod te dederis, accipias Deum & te? quod tibi moriaris, reviviscas Deo & tibi? quod te amiseris, redimaris in Deo, restaureris in te? O commutationem fælicissimam! O metamorphosim divinissimam! tuam vitam commutare pro divina, & recuperare tuam: qui verò creaturas, & fæces istas rerum fucaras amat, Glauci, & Diomedis repræsentat contractum, pro aureis ferrea suscipis. Minus te est, quidquid amas è terra, aut sub terra natum; licet omne auri pondus, quod Lydius fatigavit solum possideres, te pro auro commutas: menrior, non te commutas, sed tradis: das non recuperaturus, das non redditurus, non com-

pen-

pensaturis. Egenus manes hoc amore; nā postquaio te dederis, numquam restitueris: & cùm omnia tibi videberis possidere, pauperrimus sine omnibos, & sioe te manebis. Quis egeotior quam sui? Solus & alterius simul, & sui ipsius (ut egregie est dictum) esse potest, qui soli se illi dedit, qui ideo solus est omoium, quia solus est omnia. Quem amando iu se, quodammodo multiplicas in te. Res secura est amor Dei, nequis ibi perdi, nequis oon esse tui: nequis oon te invenire. Qui amat cum se det alteri, se amittit: hoc est privilegium se donantis Deo, posse esse sui & Dei, se dat illi qui est omnia, ubi eum invenerit, seipsum quoque invenit.

Nunc unde paululum digressi sumus, revertamur.

Hisce Domini plagis iosignitus *Franciscus*, ad se, suosque rediit, idque unum operosè cavit, ne aut ista stigmata, hominum paterent oculis, aut cuiquam aperiretur id vulnus lateris; non tamen ita cavit, quin & Frartibus quamplurimis parerent, imo & subindealiis, quibus id negari non potuit, nec debuit. Hos inter fuit *Alexander* Pont. Max. qui deinde publicè pro concione dixit ea stigmata *in Francisco* adhuc vivo, à se conspecta, non sine amabili stupore.

Sacra stigmata S. Francisci pontificia auctoritate & variis miraculis confirmantur.

Wading. annal. a. 1224. n XVIII.

Ad fidem quæ oculis haberi debuit, accessit complurium miraculorum auctoritas; è moltis, uoum dumtaxat, alterumque proponam. Primum io amœna somui imagine expressum est Gregorio IX. Pont. Max. qui ut alia seu manibus, seu pedibus indita signa crederet, de vulnere lateris subdubitabat. At dubium sustulit miraculum. *Franciscus* primùm ei apparuit, & quidem vultu subirato, dein dextrum brachiū extulit, vulous detexit, tum phialam petiit, ut ea defluentem sauguioem exciperet. Ad hæc sibi redditus Pontifex, & sacro lateris vulneri fidem dedit, & venerationem, quam in posteris quoque retineri, augerique voluit Deus, novo, ac per eoni miraculo.

P. Silvester Petra sancta, Thaumas. to 3. c. 12. pag. 113.

Silvester Petra Sancta Romanus, in libro quem Romæ expressit, & cui titulum fecit *Thaumasia vera religionis*, hæc refert. *S. Francisci* Romæ cruor habetur, qui ex illius corde manavit, quando ei impressa stigmata, & is quotannis liquefit anniversario die impressionis eorumdum stigmatum, ac toto deinceps octiduo, quo fit ut summa celebritare, ac ingenti hominum cooflu xu *Seraphici viri* sacra lypsana, seu adhuc spirantem animam, colere ac venerari consuerint.

Morale.

Ecce *Francisci* sectator, tu Christiaoe, si non corpore, saltem animo gere sacratiora Christi stigmata; geres portò, si tibi crux in amoribus sit, si in honore ac veueratiooe: si ejus memoriam aoimo impressam circumferas, si plagas ejus, aliquo livore, & vulnere in corpore tuo æmuletis.

Wading. annal. Ord. 1244. XXIV.

Tandem ut finem imponam, non aliam hic, quam D. Bonaveoturæ ad sanctum Franciscum adducam apostrophen: eia nuoc, inquit, strenuissime miles Christi; ipsius fer arma invi„ctissimi ducis, quibus munitus, & *insignitus* omoes adversarios superabis. Fer vexillum Regis altissimi, ad cujus intuitum omnes pugnatores divini exercitus animentur. Fer *sigillum* summi Pontificis Christi, quo verba, & facta tua, tamquam irreprehensibilia, & authentica, meritò ab omnibus acceptentur. Jam enim *propter stigmata Domini Iesu, quæ in corpore tuo portas*, nemo debet tibi esse molestus; quin potius quilibet Christi servus omni esse tenetur affectione devotus. Jam per hæc signa certissima, non duobus, aut tribus testibus ad sufficientiam, sed quamplurimis ad superabundantiam comprobata testimonia Dei in te, & per te credibilia facta nimis, omne tollunt iofidelibus velamen excusationis, dum credentes in fide stabiliunt, spei fiduciam sursum agnoscunt, & ignem charitatis accendunt. Jam verò impleta est prima visio, quam vidisti; videlicet quod dux in militia Christi futurus, armis deberes cælestibus, signoque crucis in insignibus decorari. Jam in principio conversionis, Crucifixi visio, compassivi doloris gladio mentaliter te transfigens, sed & auditus vocis de cruce, tanquam de throno Christi sublimi, & secreto propitiatorio procedentis, juxta quod tuo sacio formasti eloquio, vera indubitaoter fuisse creduotur. Jam in tuæ conversionis progressu, & crucem quam vidit frater *Silvester* ex ore tuo mirabiliter procedentem, & gladios io crucis modum tua viscera transfigeotes, quos frater vidit *Pacificus*, teque secundùm crucis figuram io aëre sublevatum cum de crucis titulo sanctus prædicabat Antonius, juxta quod prospexit Angelicus vir *Monaldus*, non phantasticâ visione; sed revelatione fuisse cælicâ conspecta, verè creditur, & firmatur.

VVading. annal. Ord in apparatu 5. 4. n. 4

Ibid n 10. & 17.

Idem in annal Ord a 1209. n. 39 & a. 1212. n 37

Jam denique tibi osteoditur & *sublimis similitudo Seraph. & humilis effigies Crucifixi interius te incendens, & exterius te* CONSIGNANS, *tamquam alterum Angelum habentem signum Dei vivi*. Quod vaticinium cælestis Aquilæ, sic Doctor Seraphicus expouit: *Apostoli, & Evangelista Ioannis vaticinium, sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu Solis, signumque Dei vivi habentis*, FRANCISCUS ASTRUITUR, NON IMMERITO OBSIGNATUS: *sub apertione namque sexti sigilli, vidi, ait Ioannes*, ALTERUM ANGELUM ASCENOENTEM AB ORTU SOLIS, HABENTEM SIGNUM OEI VIVI. *Hunc Dei nuncium amabilem Christo, imitabilem nobis, & admirabilem mundo, servum Dei fuisse* FRANCISCUM *indubitabili fide colligimus, si culmen in eo eximia sanctitatis advertimus, quá inter homines vivens, imitator fuit puritatis Angelica, qua & positus est perfectis Christi sectatoribus in exemplum; ad quod quidem fideliter sentiendum, & piè, non solum inducit officium quod habuit, vocandi ad fletum, & planctum, calvitium, & cingulum sacci signandique Thau super frontes virorum gementium, & dolentium, signo pænitentialis crucis, & habitu crucis conformes; verum etiam irrefragabilis veritatis testificatione confirmat* SIGNACULUM SIMILITOOINIS DEI VIVENTIS, CHRISTI VIDELICET CRUCIFIXI, *quod in corpore sapius fuit impressum, non per natura virtutem, vel ingenium artis; sed potiùs per admirandam potentiam spiritus Dei vivi.*

Apoc 7 1

Bonav in Apoc cit.

Quam

Pisanus l. 1. conform. 15 & 31. *Wading in apparat §. 2. n. IV.*

Quam explicationem Doctor Seraphicus, ut Pisanus refert, per revelationem sibi factam in æde *Portuncula*, accepit. Uti & Bernardinus Senensis, ipse Leo X. Jacobus à Voragine, aliique hunc locum Apocalypseos propriè de *D. Francisco* intelligunt, asseruntque hunc *Seraphicum Patrem* à Joanne in spiritu conspectum. Possem alia innumera prodigia in medium proferre, sed Herculem ego in hac brevi tabella non pingo. Vis compendium viri? totum Christum in Francisco videbis, si vulnera ejus inspicies. An verò *D. Francisco*, ejusque Ordini hæc prærogativa fuerit singularis, quæstionem movet, & illi plenè satisfacit S Antoninus, qui sic ait: *Quoddam singulare concessum fuit* B. Francisco, *quod nulli inter natos mulierum legitur fuisse donatum, hoc est impressio sacrorum stigmatum:* quamvis enim *Paulus* dicat de se ad Galatas 6. Ego stigmata Domini mei Jesu Christi in Corpore meo porto; *nullus dicit quod habuerit* Paulus *corporaliter signa passionis in manibus, & pedibus, & latere, sed dicuntur stigmata, passiones multæ, & afflictiones quas patiebatur ab hominibus plusquam alii Apostoli: quâ ratione etiam & similitudine idem dicit:* Crucifixus sum; *non quod fuerit crucifixus in corpore, sed in desiderio, & tolerantiâ multarum tribulationum, quas appellat crucem, quia cruciant.*

S. Antoninus in summa historiali. tit. 24. c. 1. §. 5.

Idem prosequitur, & probat ex Alexandro Papa, Marchantius. *Marchant.*

Ad illum itaque alterum orbis restauratorem, & servatorem, omnes recurramus, ut per eum apud Filium Dei gratiam inveniamus, ad quod Florentinus antistes nos hortatur dicens: *Sicut Dominus* JESUS *ante patrem ostendens latus, & vulnera sua, quæ sustinuit in passione pro hominibus, inclinat eum ad pietatem erga nos;* Ita B. Franciscus *ostendens* stigmata *sibi impressa Dominicæ passionis, habet inducere Patrem, & Filium suum ad misericordiam, & clementiam erga peccatores. Et ideo quilibet cum devotione ad eum recurrere habet, ut faciat ei Deum propitium, & perducat ad regna cælorum.*

Marchant fund. Ordinis: tit. 12. ... 4. p. ... S. Anto nin. cit.

(*,*)



FESTUM

6. Octob.
In octav.

FESTVM
EXIMII PATRIARCHAE
DIVI BRUNONIS
CARTHVSIENSIVM FVNDATORIS.

Sedebit solitarius & tacebit. Thren. 3. v. 28.



Amica silentia. Virg. 2 Æneid.

ARGUMENTVM.

INeptè Hirundines, ut tradit Gregorius Nanzianzenus, Cygnos solitudinis amantes sugillare voluerunt, quod ipsæ in urbibus & aulis Regum suo cantu mortales oblectarent, cùm potiùs sua garrulitate obstreperent, & Cygnus in solitudine fata concludens, suavissimè modularetur. Hic mihi aptus Divi Brunonis symbolũ visus est, qui tragico eventu se in solitudinẽ contulit, quæ illi ac suis Paradisus extitit: hæc enim hominẽ deificat, & in Deũ transfigurat. Quæ ne à nobis, Auditores, aliena videantur, licet & vobis in urbibus ædificare solitudines, & quandoque à turbis ad interius conclave recedere, ac cum Deo sermocinari. Huic solitudini affine & amicum est silentium, sanctissimo Carthusiensium Ordini sacrum, & inviolatum; quod & Cygnus mysticè exprimit, qui solus inter omnes aves garrulas, taciturnus est. Qui autem fructus silentii, quamque uberes; fusè traditur. Ac tandem, quam hæc sacratissima Religio ob solitudinis, silentii, abstinentiæ à carnibus, ceterisque corporis afflictationibus, austera sit, & in primo suo vigore ac virore excellens, etiam miraculis comprobatur. Ex quibus illud hisce sanctissimis viris solatium addico, quod uti mors peccatorum, Sirenum instar, pessima; ita horum, cygnorum more, suavissima, ut moriendo cantent, & cantando moriantur.

§ I. *Elongavi fugiens, &* MANSI IN SOLITUDINE. Psal. 54.

§. II. *Sedebit solitarius, & tacebit.* Thren. 3. v. 28

§. III. *Carthusianus* CANTANDO MORITUR, ET MORIENDO CANTAT. Bernardus serm. 26. in Cant.

FESTUM
EXIMII PATRIARCHAE
DIVI BRUNONIS,
CARTHUSIENSIUM FUNDATORIS.

Sedebit solitarius, & tacebit: quia levavit super se. Thren. 3. v. 28.

Apologus de cygnis & hirundinib. *S. Greg. Naz. Epist. ad Celensium.*



Scito, & erudito apologo, D. Gregorius, Nazianzi Antistes, Celensium confutavit, qui inurbanè nimii silentii, & mutæ humanitatis Gregorium, si quando inter homines ageret, arguebat: cum ut garrulum os occluderet, has ad eum literas dedit: *Hirundines* olim cavillabantur *cygnos*, quod extra hominum consortia, solitarii in aquis, sibi tantum viverent; at nos ajebant illæ, in urbibus sumus inter homines, ædificamus in domibus regiis, fallendo tempori plurimum commodamus: Malè habuit olores futilis hæc dicacitas; sed satis erat illis, logos, & fabulas, refutare silentio; unus tamen ceteris ad dicendum promptior: O misellæ, inquit, quam vana est gloriola vestra! nos quidem summo in silentio vitam ducimus; sed in morte, suave canimus: homines ut nos ac nostram musicam audiant, egrediuntur urbibus; vestros garritus oderunt omnes, nemini non ingratæ estis, tanquam avium loquacissimæ: neque enim canitis; sed incondito strepitu, & inamœno garritu, omnium aures fatigatis. Ideo rectè in vos pronuntiavit Pythagoras: *Hirundines tecto ne excipias*: sed & Aristoteles præcepit: *Hirundines sub eodem tecto non habendas.*

Hæc olores hirundinibus: ita & tu mi Celensi, cum hirundinibus garrire poteris, quamdiu voles: Ego velut olor in suo vivario, ita in musæo meo, exiguo cubili, seu cellâ abditus, cum piis libris, & Deo loquor, mihi cano, & altissimo. Quàm perapposite *D. Bruno*, ejusque religiosissimi sectatores qui ab omni hominũ consuetudine remoti, velut *candidi Cygni*, sacro silentio tabulas, & garrulas sæculi hirundines confutant, ac confundunt, hæc usurpare queant, nemini non perspectum esse autumo: de hoc etenim Sanctissimo Patriarcha, ejusdem Ordinis Annales referunt, horribili illo Doctoris Parisiensis salubriter territum spectaculo, cum sex sociis in altam, arduamque Carthusiæ eremum, longè à mortalium conspectu, & rerum humanarum strepitu se recepisse. Sic porrò se res habet. Agebat Parisiis *Bruno*, urbe Regiâ, academiâ nobili, & Theologicis studiis dabat operam, jamque per omnes humaniorum scientiarum gradus evectus, ad honores & dignitates sibi gradum faciebat. Jam Rhemensis Ecclesiæ Canonicus, ita sæculo, mollioribusque mundi cunis indormiscere potuisset, nisi eum à somno illo excitasset, insolens hominis ab inferis redivivi ostentum: Eo quippe loci, ac temporis, vir è vitâ excessit, Princeps inter literatos, quique virtutis existimationem longè maximam post se reliquit. Sed Eheu! Quantum aberratis mali judices, hominum oculi! dum huic de more solennes in Ecclesiâ fierent exequiæ, frequenti populo, Doctorum coronâ, nobilium consessu, ecce tibi ad illam è ritu sacro canentis vocem: *Responde mihi*, is qui vitâ functus, exanimis jacebat in feretro, assurgit ilicò, caput erigit, vocemque lugubrem explicat in hæc verba: *justo Dei judicio accusatus sum.* Ad tantæ rei novitatem, tonitruque vocis, excitati omnes primum stupere ac horrere: tum artubus totis contremiscere, tum suspensis animis hærere, initoque consilio, in lucem sequentem eventum tanti prodigii expectare, funusque procrastinare. Spargitur interea totâ urbe fama, & innumerabilis prope multitudo utriusque sexus ad spectaculum jacitur. Innovatur pompa funebris, officium de defunctis pro more canitur, insonatque è choro rursum illud: *Responde mihi.* Et ecce, rursus ferale spectaculum, erecto capite, horrifico clamore intonat illud: *Justo Dei judicio judicatus sum.* Hic stupor, dolorque omnes invadit, suspensosque detinet, ecquid illud portendat.

S. Bruno terrifico spectaculo doctoris Parisiensis, se cum sociis in solitudinẽ abdit.

Annal. Carthus. l. 1. c. 1. Surius 6. Octob. *Historia Doctoris Parisiẽsis.*

Aderat jam decretoria dies, cum undique urbe totâ, atque è vicinis locis, innumera hominum turbâ confluente, persolvitur ritu sacro officium, ex eoque rursum auditur illud: *Responde mihi.* Cum ecce defunctus ingenti nisu sese erigit, caput attollit, terribilibus oculis circumspectat, os deducit, immanique mugitu, voceque desperabili inclamat fatale illud: *Justo Dei judicio damnatus sum.* Enimverò plusquam tragica hæc catastrophe omnes movit: at *Brunonem* eò permovit, ut non modò umbram hanc hominis, sed ipsos etiam homines fugeret, unde ejus hæc brevis, sed efficax ad socios adhortatio: Spectaculum quod vidimus, quod nos salubri mœrore affecit, quod conturbavit, & exterruit nos, & pœnæ sempiternæ formi-

Surius, 6. Octob.

formidine adduxit ad pœnitentiam, id efficiat in nobis, ut mundum hunc toto pectore contemnamus, quoad eius fieri potest, extra illum fugiamus. Succurrat nobis quid de se olim dixerit S. David, [Psal. 54.] *contristatus in exercitatione sua, & conturbatus à voce inimici, & à tribulatione peccatoris*: quando cor eius intra ipsum conturbatum fuit, & formido mortis cecidit super eum, timor quoque, & tremor venerunt super eum, & contexerunt eum tenebræ; quæ omnia, ut nostis, nos quoque experti sumus: *Quis dabit mihi*, inquit, *pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam: Ecce elongavi fugiens, & mansi* IN SOLITUDINE.

[Anton. in 3 p. c. 22. Vincent. l. 26 c. 81.] Fugere nos admonet hominum frequentiam, & peccandi occasiones, & degere in solitudine: *Quis etenim potest salvus fieri, nisi mundum fugiat?* Dixit, secumque socios Gratianopoli in altam eremum abduxit. Atque hinc illa Sanctissimi viri, & omnium qui ducem hunc sequuntur, frequens in silvas fuga, clausura perpetua: hinc illud in omnibus lugubre silentium, ille pallidus in vultu color ut interfuisse tristi spectaculo *in Brunone*, omnes posteros credas. Sed benè morum candidissimi cygni, homines fugiunt, cum superis acturi: benè nunc tacent cantaturi tunc, cum flebunt alii morituri.

[Historia hæc Doctoris Parisien. authentica probatur.] Sed erit unus aliquis, qui hanc tragœdiam, suspectæ fidei asserere audeat, utpote in officio S. Brunonis, authoritate Gregorii XV. insertam, ab Urbano VIII. expunctam fuisse. Paucis respondeo, neque Gregorius XV. eam in Breviarium Romanum intulerat: neque Urbanus VIII expunxit: sed sacra rituum Congregatio, concreditâ sibi ab illis authoritate, intulit primum, & postea expunxit, non quod eâ recisione quidquam decederet narrationi, quã constantissimè Carthusianorum traditio habet pro verissima, & pictis veterum tabulis, & scriptis authenticis testimoniis, ac facile 64 Historicis comprobata, ut solidè, & solerter probat Raynaudus noster, in lib. qui inscribitur: *Trias Patriarcharum*, de S. Brunone punc. 3. [Raynaudus. Trias Patriarch.] Certè Janus Nicius Erythræus, Epistola ad Bartholdum Nihusium, affirmat consultam à se de hoc negotio sacram rituum Congregationem: Responsumque habuisse, eâ recisione nihil præjudicatum voluisse adversus narrationis veritatem: sed alias ob causas eam Breviario removisse.

Quæ vero fuerint illæ, non addit. Venerabilis Pater *Puteanus*, cùm pro munere Procuratoris Generalis, quod obit mandante Reverendissimo P. Generali, sacræ Congregationi in eam rem libellum supplicem obtulisset, responsum tulit: mentem S. Congregationis numquam fuisse, improbare, aut in dubium vocare narrationis hujus veritatem: sed consultius visum esse, eam expungere, quod mos Ecclesiæ ferat, in sacris officiis Sanctorum, qui Religiosas familias instituerint, recensere eorum vitam resque præclarè gestas: non autẽ causas, ex quibus ipsi ad Ordinẽ instituendum impulsi fuissent. In codice vero, qui in Bibliothecâ Vaticanâ asservatur, narrationem hanc omissam, non quod falsitatis insimulata, sed quod lectionem efficeret prolixiorem, nec locum relinqueret propriis S. Brunonis ornamentis, atque virtutibus. Hisce paucis præmissis, ad Carthusiam, gratamque solitudinem *cum Brunone* secedamus.

§. I.

Elongavi fugiens, & mansi IN SOLITUDINE. Psal. 54.

Non oblectamento dumtaxat, sed & documento futurum confido, brevibus exponere, quid varios homines in desertum, & in solitudinem compulerit: quosdam enim scientiæ appetitus; alios venandi studium; [Laus solitudinis.] complures ipsa juris quies, & à negotiis, ac curis remissio, animique relaxatio, ex urbibus peregrè invitavit. Æneas Silvius, qui ante Pontificatum, inter aulicos tumultus, literis ac studiis obstrepentes, diu versatus fuerat, hæc tandem cedro digna locutus est: *Est magnorum virorum recreatio, mentis secessus: cum se aliquis retrahit in solitarium locum, ac vel meditatur, vel legit, vel scribit, totumque se musis præbet.* [Pii II. Ep. 166.] Hinc ortæ sunt illæ studiosorum Poëtarum voces:

Scriptorum chorus omnis, amat nemus, & fugit urbes. [Horat l. 2. epist ult.]

Et alius.

Carmina secessum scribentis; & otia quærunt. [Ovid. l. 1. trist. el. 1.]

Præclarum hoc quoque, à Quintiliano discipulis datum præceptum: *denique ut semel quod potentissimum est, dicam: Secretum (quod dictando perit) atque liber ab arbitris locus, & quàm altissimum silentium, scribentibus maximè convenit.* Factis anrevertunt horum præcepta, viri celeberrimi; multorum stylo laudatus est Demosthenis secessus, in locum subterraneum, ubi mediâ parte capitis rasâ (ut publico abstinere cogeretur) ad lucernam scribebat, & orationes suas elucubrabat. Quis Tullii Tusculanum ignorat? *Abdimus nos*, inquit, [Cic l. 3. Offic.] *quantum licet, & sæpè* SOLI SUMUS. Post Oratorem, Philosophum Romanum audiamus: [Seneca Epist. 8.] *In hoc me recondidi, & fores clausi, ut prodesse pluribus possim; nullus mihi per otium dies exit: partem noctium, studiis vindico; non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigiliâ fatigatos, cadentesque in opere detineo. Secessi non tantum ab hominibus, sed etiam à rebus, & primum à meis. Posterorum negotium ago; illis aliqua, quæ possint prodesse, conscribo.*

Atque hi quidem à spiritu ducti in desertum; si non prorsus à maligno; at à spiritu vanitatis, ut futilem scientiam conquirant: ut vanam discendi artem condiscant, ut posteris famam, & eheu! sibi flammam comparent sempiternam, Vos vero, *Patres venerandi*, ve-

Sancta solitudo Carthusianorum. di, vestrumque ducem, idem ille spiritus, qui Dominum Jesum in desertum duxit, in hanc solitudinem suaviter compulit, ubi omnium virtutum schola, omnis perfectionis disciplina, omnis sanctitatis gymnasium aperitur: Sic etenim Doctor Mellifluus ad Carthusianos de monte Dei: *Altissima est professio vestra, cælos transit, par Angelis est: non enim solum vovistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem.* Schola Christi non in publico, sed in deserto, ut Basilius de laude vitæ solit: *solitaria vita, cælestis Doctrina schola est, & divinarum artium disciplina, illic namque Deus est totum, quod discitur,* Hic Magister non in strepitu, sed in silentio; non in turbis, sed in solitudine, à vobis auditur, huc secessit, huc præcessit, *ipse Dominus*, ait Tertullianus, *qui in secessu frequenter agebat, ut liberius oraret, ut sæculo cederet; gloriam denique suam discipulis in solitudine demonstravit*; nec minus dilucide S. Gregorius Nazianzenus: *Pulchra res solitudo, & quies: idque me docet Elias Carmelius, Ioannis desertum; ac mons denique ille, in quem Iesum sæpe secessisse, secumque animo quieto versatum esse constat*; qood non alia de causa ab eo factitatum subdit, quàm ut suo nos exemplo ad beatam solitudinem invitaret: *neque enim ipse secessione opus habebat (quid enim erat, in quod Deus, qui omnia implet, colligi, aut contrahi posset?) verum ut & actionis, & sublimiorum occupationum tempus esse disceremus.* Unde Cassiodorus illud Psalmi 54. *Ecce elongavi fugiens, & Mansi* IN SOLITUDINE, Propheticè de Christo intelligit. *O beata vita solitaria*, exclamat Bernardus. *Ipse Dei Filius, Salvator, & Magister noster, exemplum dedit nobis; fugiens* IN DESERTUM, *& mansit* IN SOLITUDINE. Omnia complexus videtur B. Petrus Cellensis, dum sic in laudes solitudinis excurrit: *gymnasium est cælestis Philosophiæ,* SOLITUDO: *deambulatorium Dei est* SOLITUDO. SOLITUDO *novit vigilias Iesu*: SOLITUDO *suscipit lacrymas Iesu*: SOLITUDO *orationes Iesu audit*; SOLITUDO *tempus, & horam nostræ redemptionis cognovit.* SOLITUDO *nascentem*, SOLITUDO *prædicantem*, SOLITUDO *turbas pascentem* SOLITUDO *in transfiguratione coruscantem faciem Iesu, sole clarius ostendit.* SOLITUDO *morientem*, SOLITUDO *resurgentem*, SOLITUDO *ascendentem Dominum conspexit. Ecce quare* EXULTANT SOLITUDINES *Iordanis.* Hæc præ quovis alio Religioso Instituto, propriissimè vestro convenient: SOLITUDO CARTHUSIÆ *gymnasium est cælestis Philosophiæ: deambulatorium Dei, vestra solitudo est.* SOLITUDO *novit vigilias vestras*: SOLITUDO *suscipit lacrymas vestras*: SOLITUDO *orationes vestras audit. Ecce quare* EXULTANT SOLITUDINES CARTHUSIÆ. erit aliquãdo illa dies Revelationis, quando omnia, quæ ab omnium mortalium oculis remota, in vastâ solitudine, in horridâ Carthusiâ, in clausis cellis, teste cælo, & lunâ, peracta sunt, universo Orbi patebunt. *Tunc laus erit unicuique à Deo.*

Tunc patebit quid D. Bruno, hoc excelsior, quod mittam sub pedibus habuerit; quid S.

S Bernard tract de vita solit. ad frat de monte Dei

S Basilius de laude vitæ solitariæ.

Tertullian l. ad martyr. c. 2.

S. Greg Naz. orat. 16. n 9.

Christus suo exemplo in solitudinem invitat.

Bern. hom. similis est Regnum cælorum homini negotiatori.

Pet. Cellen Epist. 67.

Rom. 2. Miranda opera, quæ D. Bruno, eiusque Socii, in solitudine

Hugo, quid S. Stephanus, S. Anthelmus, eiusdem Ordinis lumina, lacrymarum fuderint, quas noctes insomnes traduxerint, quas preces, chamannias, flagella, cilicia, jejunia, aliasque corporis afflictationes exantlarint, una dies aperiet.

Quid septem stellæ, Hugoni visæ, in nocte scintillantes, oculis Domini, qui *multò plus lucidiores super solem*, toti Ecclesiæ, lucis affuderint, quotque exinde stellæ, cælum in terris, firmamento longè illustrius reddvarint, omnibus manifestum erit. Tunc apparebunt quæ arcano stylo, & digito Dei, in libro vitæ exarata fuerint. *Tunc laus erit unicuique à Deo.* Tunc apparebit personata Parisiensis sanctitas, simulatæ omnium virtutes, & fictæ hypocrises, tunc larvâ probitatis, sinceritatis, facetitatis detractâ, omnes fraudes, rectæ amicitiæ, simultates, nequitiæ nudabuntur: *mens enim humana*, teste Tullio, *multis simulationum regitur involucris, & quasi velis quibusdam obtenditur cuiusque natura; frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur*; at tunc velo amoto, omnis hypocrisis detegetur. Tunc dicetur: *Ecce homo, & opera eius.* Tunc illi, qui latam, & spatiosam perditionis viam ingressi sunt, *turbabuntur timore horribili, dicentes: quomodo erravimus à viâ veritatis? Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*: Carnem vigiliis, ciliciis, jejuniis affligere, *æstimabamus insaniam*: Ab hominum conspectu in horridam solitudinem sese abdere, *æstimabamus insaniam*: linguam, velut freno injecto, perpetuo vinctam tenere, *æstimabamus insaniam*: in claustro, ac cellâ vivos se sepelire, *æstimabamus insaniam*: Religiosum claustrum nobis carcer, cella catasta: solitudo, locus horroris: vita monastica, infernus videbatur: *ecce quomodo erravimus!* Quod ne & vos juvenes, mundi amatores, cum insensatis sentiatis, aliquando sapite, & quid claustrum vetæ libertatis: quid cella, cælestis dulcedinis: quid solitudo, amœnitatis: quid vita monastica, beatitatis in se complectatur, attendite.

Hic primo de Carthusianorum clausurâ, in rem nostram illud D. Gregorii Nazianzeni adducam: VINCULIS PERPETUÆ CLAUSURÆ *pressi, & liberi, qui retenti sunt, & teneri non possunt; quorum nihil in mundo, & omnia mundo superiora sunt. Hi inquam, propter mortificationem immortales: propter solutionem, Deo conjuncti; quorum Angelici Psalmorum cantus, & pernox statio, & mentis ad Deum excessio, ante mortem in cælum se rapientes.* Libertas vetè aurea, quâ nullis rerum terrenarum vinculis irretiti, mentem in cælum, dum volunt, possunt evolare, & cum Deo familiarius conversari. Assecutim certè Hieronymus cultorem eremi alloquens solitudinis: *Paradisum mente deambula, quoties illuc conscenderis, toties in eremo non eris.* O DESERTUM *Christi floribus vernans.* O SOLITUDO: *in qua illi nascuntur lapides, de quibus, in Apocalypsi, civitas magni Regis construitur.* O EREMUS, *familiaritas Deo gaudens!* Hic Paradisus, Carthusia est, hic vobis domi est, hunc incolitis, & magno illi viro, Francisco Pettarchæ vel videre, volupè fuit; sic enim scribit

ne patiantur, toti orbi nunc ... 1. Cor. 4. v. 6.

Eccl. 43. v. 18

Bern in medit. c. 2. Sap. 5. v. 2

De Carthusianorum clausura, S. Greg. Naz. ... laus.

Hieron in Reg. monast. de laud. Erem. ... Hieron. in Reg. monast. de laudib. solitud.

Carthusia paradisus.

Petrarch. prefat. lib. de otio Relig.

scribit de suo in Carthusiam itinere, ad videndum germanum suum: VENI EGO IN PARADISUM, *vidi Angelos Dei in terrâ, & in terrenis corporibus habitantes, suo tempore habitaturos in cælis.* Quamquam, quid hæc dico, è terris in cælos liberè evolare, cum solitudo illis paradisus, & cella in terris cælum sit. *A mundi consortio distracti*, inquit idem Nazianzenus, *ac* SOLITUDINEM *amplectentes, Deo vivunt magis, quàm cæteri omnes. A domibus abhorent, urbium frequentiam fugiunt, cognatamque cælestis sapientiæ quietem amplectuntur.*

Greg. Nazianz. orat. in laud. Athan. & ad Hellenium.
Seneca epist. 8.

E solitudine, in quam subinde secedebat Seneca Philosophus, jactet magnificum illud, atque perutile: *Posterorum negotium ago*; nimirum in eâ studebat, scribebatque posteris; at melius, atque utilius in suâ D. *Bruno* Carthusiâ: in hac enim non posterorum (quod fortasse vanitatis) sed suum ipse, imò & æternitatis negotium egit, quod illi saluti, gloriæque fuit. Imò & posterorum egit, quos suo Instituto, & exemplo, ad omnem vitæ austeritatem, & animi sanctitatem instruxit, & præluxit. Delectet alios silvas, & saltus petere, ut feras investigent; alias, eximius vester Patriarcha, vosque solitudinis cultores, feras sanè ferocissimas, & immanissimas belluas, ipsas inquam animi passiones; præteritorum effera scelerum monstra, iracundiæ leones, petulcas lasciviæ capreas, feroces luxuriæ apros, astutas fallaciæ vulpeculas venari, & subjugare studetis. Quibus victis, ac vinctis, alia perjucunda, ac planè divina, totos vos venatio tapit, qualem nobis Theodoretus in Macedonio, eremi incolâ proponit: cum potentissimus militiæ Dux, ingenti nobilium comitatu, & magnâ canum copiâ, per nemus feras insectaretur, tandem in præcelsum montem cum suis conscendit, cujus in vertice, venerandum senem Macedonium conspicatus, ex equo ad pedes ejus affluxit, ac perbenignè rogavit, quid in hac vasta solitudine ageret? Tu vero, inquit Macedonius, cujus rei gratia huc venisti? *ut feras venarer*, ait ille; *& ego*, respondit Macedonius, *hic Deum meum venor.* Haud aliter D. *Bruno*, solitudinis amore, ut Deum suum venaretur, eremum quandam in Calabriæ finibus petiit. Quo in loco ipsum orantem Rogerius Calabriæ Comes *inter venandum latrantibus ad ipsius cellam canibus*, reperit: qui si forte percunctatus fuerit, quid vir Dei in hac vastâ solitudine ageret idem illud Macedonii responsum, pari jure retulerit: *Ego hic Deum meum venor*; qui certè si usquam, in solitudine quærendus, & inveniendus est. Hic illum Moyses, hic Elias, hic Præcursor Domini, hic Paulus, Antonius, Pachomius, Arsenius, *hic Bruno*, nisque omnes reperistis, & familiarius divino contubernio, ac colloquio perfruentes, in ipsum quodammodò transformamini. Quod ego quidem ab Augustino didici, qui ad declarandam felicem eorum conditionem, qui procul ab urbibus, ac strepitu civilis tumultus, Deo vacant in solitudine exclamat: *O vita sancta eremitica, vita Angelica*, VITA DEIFICA, *non humana!* Sapienter, supra quàm animo comprehendi queat, dicitur ab Augustino *vita deifica*. Ea quippe nostræ mortalitatis ratio est, ut ejus nô solû imitemur mores, sed etiam personam induamus, cujus familiari utimur consuetudine; unde Regius Psaltes canebat: *Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris.* At si dixero eum familiariter uti Deo, qui hominum societati remisit nuncium, ut solum Deo vivat, ne transversum quidem unguem à S. Bernardi sententiâ aberravero, de vita solitariâ, & deserti cultoribus sic disserentis: *Cum quo Deus est, numquam minus solus est, quam cum solus est: Tunc enim libere fruitur gaudio suo, tunc ipse suus est sibi, ad fruendum Deo in se, & se in Deo.* Quam divinam cum Deo familiaritatem, non omnibus, sed vobis præ ceteris peculiariter gratulatur epistola sua: *Fratribus de monte Dei, orientale lumen, & antiquum illum in Religione Ægyptium fervorem tenebris occiduis, & gallicanis frigoribus inferentibus, vitæ scilicet solitariæ exemplar, &* CÆLESTIS FORMAM CONVERSATIONIS. Et paulo post: *Aliorum est Deum credere, scire, amare, revereri; vestrum* (Religiosissimi Patres) *est sapere, intelligere, cognoscere, frui.* Rem acu tetigit S. Paulinus, dum solitudinem, cælestem officinam indigitavit; nam si disquiras, quid exercitii, quid operis, ac laboris totos dies, ac noctes, in hac officinâ insumendum, quid artis & industriæ elocandum? *Formare*, inquit, *in se Christum*, videlicet sanctæ vitæ imitatione. Quo motivo S. Augustinus Nebridium, ad pium recessum, à tumultu rerum sæcularium, invitat, dum præclarè illud pronuntiavit: DEIFICARI *in otio licere.* Quam *deificam* in solitudine *vitam*, duxit ille qui proxime Christum expressit, & quo non surrexerit major in terris, ut aureè Chrysostomus: *Ioannes perinde in terris, atque in cælis agebat, naturaque necessitatibus superior effectus, novam quandam, ac peregrinam virtutis viam incedebat, in hymnis, canticis, ac precibus tempus omne traducens: ad hac, nulli se unquam hominum consuetudini jungens*, CONTINUO DEI FRUEBATUR ALLOQUIO. *Non lecto, non tecto, non foro, non aliâ quapiam humanâ re usus unquam.* Hujus sectator Hieronymus, egregius cultor solitudinis, quas in ea dilicias degustarit, experto credite, qui epist. ad Eustochium, de se ipso testatur: *Solus deserta penetrabam, ibi mea orationis locus: ibi illud miserrima carnis ergastulum, & ut ipse mihi testis est Dominus, post multas lacrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquam* VIDEBAR MIHI INTERESSE AGMINIBUS ANGELORUM, *& latus gaudensque cantabam: post te in odorem unguentorum tuorum curremus.* Hæc Hieronymus, cui desertum mutatur in paradisum, cujus solitudo, in consortium transit Angelorum, cujus carnis ergastulum, lætitiâ, gaudioque exultat mentium beatarum.

Has delicias solitudo vestra vobis propinat, ut cælum habeatis in terris. Quin & vos sacræ Carthusiæ sanctimoniales compello, & solitudinis paradisum, hortum deliciarum, & cælum in terris, vobis desertum gratulor. Rapior celeberrimo illo exhibito in cælesti amphitheatro spectaculo mulieris amictæ sole, & stellis duodecim coronatæ, quam describit Joannes Apoc. 12. v. 1. *Signum magnû apparuit in cælo: mulier*

Theodoret. in vita Macedonii.
Breviar. Rom. 6. oct.
August. serm. 17. ad fratres in Eremo.
Solitudo hominê deificat, & in Deû transfigurat.
Psal. 17. num. 27.
Bern. tr. de vita solit. ad frat. Carth. de monte Dei Ib. dem.
Bern. ep. ad frat. Carth. de monte De
S. Paulin. ep. 29.
August. epist. 11.
Chrysost. tom. 2. c. 11. Matth.
Hieron. epist. 22. ad Eustochium.

Sancti-moniales Carthusianæ mulieri Apocalypticæ comparantur.

lier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. Agnosco in hac muliere, non ignobile sanctæ animæ symbolum: hæc quippe sole conspicitur amicta, & anima sancta, *induit Dominum Iesum Christum*, iuxta illud Apostoli ad Rom. 13. *qui sol est iustitia*, ut Malachias cap. 4. mulier lunam habet sub pedibus, & anima Religiosa Deo consecrata, omnem terrenarum instabilitatem, ac vicissitudinem calcat. Denique mulieris caput, stellarum corona cingit, & animam, Sponsam Christi, virtutum splendor coronat. Verum hæc anima, cultu virtutum conspicua, dicitur recepisse sese in solitudinem: sic enim subditur: *Mulier* FUGIT IN SOLITUDINEM, *ubi habebat locum paratum à Deo*. Quid audio? Putabam tam dignam Imperio Reginam, Empyreo excipiendam: credebam extollendam esse supra sidera tam inclytam animam; sed fallor, Deus ipse dicitur illi in solitudine locum paravisse: quia nulla sedes dignior, aut locus aptior ad excipiendam cum honore illam, quæ calceata luna, redimita stellis, sole amicta, omnium oculos, animosque ad sese trahit, ubi cælum suum habet, ubi Deo fruitur, ut scitè Hugo Cardinalis: *Ubi Dominus in anima familiariter, & blande loquitur*, iuxta illud Psaltis Regii: *Ducam eam* IN SOLITUDINEM, *& ibi loquar ad cor eius*. Atque ut hanc beatitudinem in terris æstimes, subdit: *Ubi locus paratus est à Deo, ut tandem recipiatur ibi per apertam Dei visionem, ubi pascat illam Deus* IN SOLITUDINE, *id est* IN CLAUSTRO.

Apoc. 12. v. 6.

Hugo in Apoc. cap 12. v. 6.

Hugo cit.

Quomodo sæcularibus in solitudinem secedendum, exemplo Iudith.

Audio è sæcularibus dicentem, non omnium esse relictis urbibus, eremi fieri habitatorem. Audio interrogantem quo pacto, Deo fruentur illi, quibus solitudinem petere non licet, qui sæcularibus negotiis sunt impliciti sunt? Explicabo exemplo Iudith, toto orbe celeberrimæ matronæ, solitudinem, & secretum vus domi, & in corde habere posse. Adeste divites, adeste temporalium negotiationum multiplici varietate distracti, adeste quotquot habetis præ manibus, præclara, ardua, magna. Vos enim cum pello, vos moneo, dum ajo amandam, & procurandam esse solitudinem, quærenti in huc sæculo felicitatem, & beatitatem. Numquid divitiarum sollicitudo, nequit cum solitudine conjungi? At scimus Iudith fuisse ditissimam. Numquid rei domesticæ præsertim amplæ, atque magnificæ administratio, cum secessu consistit? At scimus Iudith viro suo Manasse defuncto, amplæ domus summâ cum laude curam gessisse. Numquid flos iuventæ avocatum à solitariâ vitâ animum, ducit ad cœtus nobilium, atque ad urbanam consuetudinem? At Iudith primo vernantium annorum vere fruentem, florentemque, scimus suam sibi fecisse solitudinem, sic enim leges cap. 8. eius historiæ: *Erat autem Iudith relicta vidua iam annis tribus, & mensibus sex, & in superioribus domus sua, fecit sibi* SECRETUM CUBICULUM, *in quo cum puellis sibi* CLAUSA *morabatur, &c. Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat divitias multas, & familiam copiosam, & possessiones armentis boum, & gregibus ovium plenas*. Ut vides, omni bonorum genere florentissima fœmina, solitudinem sibi in ipsâ urbe, inter omnes curas, & turbas sæculi, intra domus parietes, claustri, & cellæ instar ædificat. Quis nesciat obsessam Bethuliam, exercitum Arphaxad victoriis insolentem, Holophernem superbiâ tumidum? & Bethuliam in libertatem asseruit, & exercitum Arphaxad fugavit, & Holophernem obtruncavit una Iudith; habet tamen hæc inter, secretum cubiculum, in quod se à tumultu omni, sola recipiat. Unde egregiè S. Petrus Damianus de Iudith loquens, ait: *De domo communi* RECLUSORIUM FECERAT, *& in populosâ urbe, amor artifex* SOLITUDINEM REPERIT. Et quem in posterum non pudebit, prætexto negotiorum asserere, minimè fieri posse, ut vitam ducat solitariam?

Iudith c. 8 v 4.

Damian. l. 5 ep

Concludo hanc de solitudine periodum eximio D. Basilii encomio: agebat ille vitam solitariam & quantum in illâ esset beatæ felicitatis, ac felicis beatitatis, propriâ doctus experientiâ sic ad posteros, sic ad vus de laudibus solitudinis: ô EREMUS, *sanctarum mentium delectatio, & intimi gustus inexhausta dulcedo!* ô EREMUS *mundi persequentium effugium, laborantium quies, mœrentium consolatio, æstus sæculi refrigerium, peccati repudium, exclusio corporum, libertas animorum, officina gemmarum cælestium, curia cælestium senatorum, ubi victor dæmonum, socius efficitur Angelorum, exul mundi, hæres paradisi*. Hæc S. Præsul, ut & sibi, & vobis adulescentes, amatores sæculi, animos faceret, vocaretque è sole in umbram, ex undis populorum, à tumultu negotiorum, ad pacem, ad quietem optatæ diu solitudinis. E quo ut Heliodorum, in paucis sibi amicum evocaret, & ad beatam solitudinem invitaret, ipse Hieronymus, sic ad illum è Syriâ, è suo deserto: *Quid agis frater in sæculo, qui major es mundo? quamdiu te tectorum umbræ premunt? quamdiu fumosarum urbium carcer includit? Crede mihi, nescio quid plus lucis aspicio; libet sarcinâ corporis abjectâ, ad purum ætheris evolare fulgorem*. Nunc de solitudine, in qua etiam priscis Anachoretis expatiari licitum, nos penitius, in claustrum monasticum, & cellam recipiamus, de qua nemo religiosius, nemo ingeniosius, nemo copiosius, quam quorum præsentiarum ut tor, Abbas ille Claravallensis ad Carthusienses: *Secundum formam propositi vestri habitantes in cælo potius, quam in cellis, excluso a vobis toto sæculo, totos vos inclusistis cum Deo*. Quid ultra, quid extra cælum & terram amplius speratis, de sideratis? At ne quid desideretis, pergit porrò ingentes cellæ utilitates, divinas prærogativas, ac cælestes delicias enarrare, imò cellam cælum comprobare. Atque hæc quidem prima, nec minima cellæ utilitas *excluso à vobis toto sæculo*, parentum, propinquorum, amicorum contubernio: causarum, querimoniarum, litium, ac mundanarum molestiarum negotio: sociorum, sodalium, occasionum, sermonum, compotationum, omnisque lasciviæ, ac inquitiæ, non sine præsenti æternæ damnationis pelicieotis, rescisso periculo, *totos se includere cum Deo*: nam ut Christianè gentilis Philosophus Lucilium monet: *Quid tibi vitandum præcipuè*

S. Basil. tract. de laud. sol.

Hieron. epist. ad Heliodor.

De cudine claustri & cellæ. Bernard. tract. de vita sol. ad frat. Carthus. de monte Dei.

Utilitates & voluptates cellæ.

Senec ep 7

puè existimem, quæris turbam. Ego certè confiteor imbecillitatem meam, numquam mores, quos extuli, refero; aliquid ex his quæ fugavi, redit. Inimica multorum est conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Quod repetitis monitis inculcans, *sic est*, inquit, *non muto sententiam*: FUGE IN SOLITUDINEM, *fuge paucitatem, fuge vel unum. Non invenio cum quo te malim esse quam tecum, recede in teipsum, quantum potes.* Hæc ethnicus, hæc Stoicus, hæc politicæ honestatis amans; quam ego auctoritatem non magni facerem, nisi insuper eruditione, & insignem pietate virum, Patriarcham Venetum docentem audirem: *Nemo ad plenum narrare sufficit cellæ præconia, quanta veniant bona: quantaque per illam amoveantur incommoda: est namque cella virtutum custos, tranquillitatis portus, medela vitiorum, magistra silentii. &c. In ea si quis absque torpore persistit, fugit lites, nescit odia, detractationi non vacat, temeraria judicia minimè fatit*, omnem denique peccandi fugit occasionem. Altera cellæ vestræ utilitas est, quod *excluso à vobis sæculo*, discussioni vestræ, toti intendere possitis: *Quæris quid agas in cellâ, vel in quo te occupes? primum extra quotidianum orationum sacrificium, vel lectionis studium, quotidianæ conscientiæ discussioni, emendationi, morum compositioni, pars sua diei neganda non est.*

Laurent. Iustin. de vita solit. cap 12.

Bern. cit.

Quod, quâ ratione faciendum, præclarè edocet: *Disce*, inquit, *secundum communis instituti leges, tu tibi præesse, & vitam ordinis, & mores componere, & temetipsum judicare: teipsum apud temetipsum accusare, sæpe etiam condemnare, nec impunitum dimittere. Sedeat judicans justitia, stet rea, & seipsam accusans conscientia. Nemo te plus diligit, nemo te fidelius judicabit.* Atque ita fiet, *ut vincas, cùm judicaris.* Sic S. *Bruno* seipsum hic rigidissimè judicavit, ne in tremenda illa die judicaretur; si ejus exemplo *nosmetipsos dijudicaverimus*, non utique judicaremur. In cellâ itaque cum timore salutem vestram operamini; ex hac, subinde salubri cogitatione, ad inferorum cruciatus descenditur, ut melleo suo flumine Apis Claravallensis: *Vix nuquam à cella in infernum descenditur, nisi sicut dicit Psalmista: descendant in infernum viventes, videlicet ne descendant morientes; sicut enim contemplando revisere amant gaudia cælestia, ut ardentius ea appetant: sic & dolores inferni, ut horreant, & refugiant*: hoc etenim vivacius contemplanti, quid arduum, quid asperum, quid amatum videbitur? quod ex Dorothei doctrina haurire libet: cum senem quis interrogasset, unde fieret, quod sibi molestum esset in cella sedere? accepit: quia nondum prospexisti in futuram requiem, vel afflictionem: si enim hæc animo diligenter inspicias, & mediteris, etiamsi cella tua vermibus scaturiat, ut ad collum usque immergaris in illis, sustinetes utique absque molestia, & ulla difficultate. Hic fructus, ubi quis vivus in infernum descendit. Ad hunc locum tormentorum descendit *D. Bruno*, hic igneus inferorum carcer, horribilis illa umbra damnata, cum ad stupendum illum vitæ rigorem, ad inviam illam solitudinem, & cellæ latebras confugere fecit.

V. Corn. & D. Th. ibid.

Con. E. tiæ cathedra.

Bern. tr. de vita solit. ad frat. Carthus. de monte Dei.

Meditatio inferni cellam suavem reddit.

Doroth. doct. 12.

Basil. de laud. Eremi.

Sic ad inferos descendit Dionysius vester, secumque plures descendere fecit viventes, ne descenderent morientes, eruditis illis commentatiis, quæ subtiliter, utiliter, salubriter, de quatuor novissimis exaravit: Descendit Hieronymus hoc morivo, ut ipse de se fatetur, usus: *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, &c. quotidie lacryma, quotidie gemitus, scorpionum tantum socius, & ferarum.* Quorsum hæc tam aspera, tam austera? causam subjungit: *Ego ob gehennæ metum, tali me carcere damnaveram.* Sic Paula, & Melania, *quæ in sacco, & cinere formosæ voluerunt videri, & in gehennam ignis, cum jejuniis & pædore descendere.* Quid tot nobiles, ac prædivites adolescentes, & puellas, intra quatuor parietes, in Religiosis claustris, intra cellæ angustias, velut *in sepulchro* vivos se tumulare cogit, nisi gehennæ metus? Quid omnia, quantumvis aspera, levia reddit ac levia, nisi gehennæ metus: quia *ibi erit una hora gravior in pœna quam hic centum anni in amarissima pœnitentia.* Tertia cellæ vestræ utilitas est in sancto ac negotioso otio, orationi jugiter vacare, & familiarius cum Deo colloqui, eique intimè adhærere: *Cella quippe terra sancta est, & locus sanctus est, in qua Dominus, & servus ejus, sæpè colloquuntur, sicut vir ad amicum suum. In qua crebro fidelis anima, verbo Dei conjungitur, sponsa sponso sociatur, terrenis cælestia, humanis divina uniuntur.* Quid, quod cellæ sanctitatem adeo commendet, ac deprædicet, ut templo, & domo Dei, sacratiorem affirmare non dubitet: *Siquidem sicut templum Dei sanctum, sic cella est servi Dei: in templo enim, & in cella, divina tractantur: SED CREBRIUS IN CELLA. In templo visibiliter, & figurative aliquando Christianæ pietatis Sacramenta dispensantur, in cellis vero sicut in cælis, ipsa veritate, ipso ordine, etsi nondum ipsa puritatis majestate, vel æternitatis securitate, res ipsa omnium Sacramentorum fidei nostræ assiduè* (noctes & dies) *celebratur.* Videtis, quanta in veneratione cella habenda, quanta cum reverentia incolenda; quæ pietatis, devotionis, lectionis, orationis, contemplationis, virtutis opera, in ea exercenda: *Hæc quicumque vestrum non exhibet in vita, non exercet in cella, non solitarius, sed solus dicendus est, cum quo Deus non est: solitudo enim & reclusio sunt nomina miseriæ*, quas malus genius monacho, otio & somno dedito, orationi parum intento effugere: & ad mundi delicias, relictas divitias, & honores sæculi respicere suadet: ut mirabili eventu docet scriptorum numero, & elegantia, ac librorum multitudine celebris nomen *Doctoris* *exstatici* meritus, *Dionysius Carthusianus*: olim in domum Carthusianorum quæ juxta inferius Trajectum est, vir magnarum opum, & qui in sæculo multa fuerat clarinare conspicuus ingressus, habitum, Ordinemque suscepit; verum ut Isaias ait, *qui recessit à malo, prædæ patuit*, multis & magnis tentationibus agitatus: cogitabat nempe quasque delicias dudum habuerat, & quibus fuerat honoribus sublimatus, & hæc cogitans, respicere cœpit; cumque jam in animo statuisset cellam, claustrumque deserere, mirabili & amabili Dei providentia, ad sanam mentē redit, & in vocationis

Hieron. epist. ad Eustoch.

Hieron. l. 1. epist. 45.

Bern. ad frat. de monte Dei.

Thom. à Kemp. de imitat. Christ. l. 1. cap. 24.

Bern. cit.

Quomodo cella sanctior templo dicatur.

Bern. cit.

Solitudo sine Deo horrida.

Dorland. lib. 7.

Dionysius Car. in exhort. ad novit.

Solitudinem pertæsus, eam ab avunculâ amare edocetur.

tionis proposito confirmatus fuit. Habebat de voluntate Prioris, aviculam arte canentem in cella sua, cum qua ludere solitus, suas solabatur angustias. Instante igitur jam die, quo abire decreverat, acceptam aviculam emisit ex cavea, quam apertis cellæ fenestris, sic compellabat: *Vola, vola, & liberè nunc, quò volueris perge; perge inquam, nam mox ego te consequar, eam cupiens libertatem, quâ te nunc ipse donavi.* Mirum dictu, avicula indomitum animal, & omnis semper clausuræ impatiens licet omnia paterent, & libero aere frui posset, divino, ut puto, instinctu, nusquam tentabat effugere, nec voluit de cella commigrare. Ille cum sagaci esset ingenio, signum hoc, divino muneri, ac monito adscribens, ab animalculo, rationis experte, salubriter edoctus est, se potius è quietis cella avolare non oportere, nec noxia libertate, infernali milvo expositum potiri; ac omni tentatione discussa, in cella, Deo jugiter ac orationi intentus, alacriter perseveravit. Quare ne cui fortasse tam maligna suggestio subrepat, nunc ora, nunc psalle, & preces tuas debitè persolve: nunc libros pios, gesta Sanctorum, & historias Ecclesiasticas pervolve: nunc sacras paginas, sanctosque Patres expende: nunc scribe, ac præclariora quæque in epitomen collige: nam bo-
„ nus cellita aut legit, aut orat, aut gemit, aut
„ meditatur, aut scribit, aut corrigit libros, aut aliquid aliud boni operatur. Nullum temporis momentum in otio transigendum: *Nam omnium tentationum & cogitationum malarum, & inutilium sentina, otium est. Otiosum non est vacare Deo, imò negotium negotiorum hoc est; quod quicunque in cellâ non agit fideliter & ferventer, scilicet ut Deo serviatur in eo quod agit, otiatur;* quo fit, ut tædium, ac fastidium cellæ suboriatur, pruritus evagandi exstimulet, instabilitas mentis, & corporis excruciet, & velut æger, solatiū de loco in locū sibi frustra quærat: *Nam qui ægritudinem animi migrando de loco ad locum effugere nititur, sic est, sicut qui fugit umbram corporis sui: seipsum fugit, seipsum circumfert; locum mutat, non animum.* VALETUDINARIUM, O ÆGROTE, O LANGUIDE, CELLA TUA EST, REMEDIUM QUO CURARI COEPISTI, OBEDIENTIA EST, OBEDIENTIA VERA. Aliud remedium, peritus hujus morbi medicus, Thomas Campensis perscribens, di-
„ cens: *Cella continuata dulcescit*, & malè custodi-
„ ta, tædium generat. Si in principio conver-
„ sionis, eam custodieris, erit postea tibi dile-
„ cta amica, & gratissimum solatium. Coge ergo teipsum, ut in ea maneas, & sapienti quodam, ac sancto dolo temetipsum decipe: ad quid nunc sine necessitate cellam deseram? quid extra illam, nisi novitates, & verba otiosa, & detractoria, vel ad minus consumptionem temporis, vel alia quæ me distrahant, inveniam? nunc certè in eâ manebo, nunc profectò voluntati meæ ac levitati meæ in hoc nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos: quantum enim apud me maneo, & ad vana non exeo, tantum diebus meritorum adjicio. Hisce verbis aliisque similibus tanquam vinculis suavissimis poteris te intra cellæ angustias continere, illudque verissimum experieris, quod *cella continuata dulcescat*. Alias cellæ

Thom à Kemp. lib. 1. de disciп. claust. c. 7.

Bern. cit. ad frat. Carthus. de monte Dei.

Ibid.

Cella cōtinuata dulcessit. Thomas à Kemp. lib. 1 de imitat. Christi cap. 20.

commoditates, atque utilitates, à conglobatis Seleuciensis Antistes adducit: *O cella*, exclamat, *spirituale prorsus habitaculum! namque de superbis humiles, de gulosis sobrios, de iracundis mites, de odiosis reddis in divinâ charitate ferventes. Tu jejuniorum ac vigiliarum nutrix: tu patientiæ, ac pacis perfectissima custos: tu purissima simplicitatis magistra, ac omnis fraudulentæ duplicitatis ignara. Tu facis ut vagos quosque, Christi catena coerceat: ut indisciplinati moribus, à suâ se pravitate compescant: tu nostis homines ad perfectionis culmen evehere, atque ad consummata sanctitatis fastigium sublimare.* Ac tandem concludit: *Rectè diligunt te, & qui te fugiunt, veritatis luce privati, quo gressus ponere debeant, non agnoscunt.* His enarratis, quo cella magis dulcescat, ejus ingentes prærogativas, ac cælestes delicias paucis attingamus. Bernardus ad Carthusienses: *Cella & cæli habitatio cognata sunt; quia sicut cælum & cella ad invicem videntur aliquam habere cognationem nominis, sic & pietatis. A celando enim cælum, & cella nomen habere videntur: & quod celatur in cælis, hoc & in cellis: quod geritur & in cælis, hoc & in cellis. Quidnam est hoc? vacare Deo, frui Deo. Quod cùm secundùm ordinem, piè & fideliter celebratur, in cellis, audeo dicere, sancti Angeli Dei, cellas habent pro cælis, & æquè delectentur in cellis, ac in cælis.* Hic etiam sensus Hieronymi, sincerè affirmantis: *Mihi oppidum carcer est, & solitudo* (ac cella) *paradisus.* Idem testatur de virgine reclusa, epistola ad Marcellam; *Asella unius cellulæ clausa angustiis, latitudine paradisi fruebatur.* In has Asellæ voces, erumpunt tot teneræ, ac delicatæ filiæ, sub instituto vestro solitudinem, arctumque claustrum professæ. In has voces erumpere præ ceteris potuit Ordinis vestri præclarissimum sidus S. Hugo, Gratianopolitanus Antistes, qui insulis, ac pedo sepositis, cum & Odilonem parentem suum, venerabilem senem in Carthusiâ Monachum complexus esset, ibidem ipse cellæ inclusus angustiis, *relictis non solum cæteris sed & semet sub se, per crebros & sublimes excessus, supernam dulcedinem delectabiliter gustare solitus fuit.* Ecquidni gaudeant, quibus è cellâ in cælum securus transitus, & recta semita aperitur? Fidem tuam appello Abba Pater: *Spiritui oranti*, inquit, *vel etiam à corpore exeunti, à cella in cælum non longa, nec difficilis via invenitur: è cella enim in cælum sæpè ascenditur;* imò à perseverante, semper ascenditur: *Moriens enim aut vix, aut numquam aliquis à cella in infernum descendit: quia vix unquam aliquis, nisi cælo prædestinatus, in ea usque ad mortem persistit.*

Quo potentissimo motivo, animum à sæculo, & pedem ab inferno revocavit ille, de quo scientiæ eruditione, & vitæ sanctimoniâ illustris Dionysius Carthusianus. Olim Ecclesia cathedralis Gratianopolitana (inquit) Canonicum habuit, qui corde compunctus, majorem Carthusiam est ingressus. Hic post aliquot menses cum novus ille fervor intepuisset, cœpit de vomitu cogitare: semper enim tepor, non longè distat à vomitu. Huic tepori importuna se diaboli tentatio sociabat, & tam frequens, tamque continua, ut novella plantatio, & parum adhuc gratiarum fluentis irrigata, tempestates ac turbines tam vehementes ferre non posset: nun enim recurrebat ad orationis suffra-

S. Basil. laudibus Eremi.

Cella cælum est.

Bernard. tract. de vita solit. ad frat. de monte Dei.

Hieron. epist. 4. ad Rusticum. Hieron. epist. ad Marcellam.

Surius vita April.

Bern. cit.

Dion. Carth. in exhort. ad novit.

suffragia, nec piorum Patrum monita capiebat. Victor igitur diabolus, miserum eò perduxit, ut noctejam instante, clam turpem fugam meditaretur. Sedente igitur illo super murum, qui cœnobiū cingit, horto suo proximū, cum vellet se deorsum mittere, vidit magistrum suum, qui illum in novitiatu jam pridem instruxerat, & ex vivis excesserat. Hunc vidit è cælis ad se venientem, multâ luce conspicuum, & magnâ circumdatum gloriâ dicentem sibi audivit, quorsum, ô fili, tu fugere maturas, in perditionis ruæ periculum? mane, inquit, mane, & in Ordine persevera, & ego tibi promitto perpetuæ felicitatis regnum, quod ipse percipies si in Ordine, in finem usque, laudabili conversatione perduraveris. Ille territus primum, deinde apprimè animatus, sese ad mentem reduxit saniorem: cellam suam introiit, habitum resumpsit, & virtute ac longanimitate proficiens, felicissimo est fine consummatus, verissimum illud, quod ad Carthusienses scribit, vaticinium expertus: *Moriens aut vix, aut nunquam aliquis à cella in infernum descendit: quia vix unquam aliquis, nisi cælo prædestinatus, in ea usque ad mortem persistit.* Ecce homini Christiano, quantumvis vitiis & delictis irretito, si à regalibus cæli sedibus Aliger advolaret, qui certum beatæ prædestinationis nuncium afferret, si se per paucos labilis vitæ annos, intra Religiosum claustrum, intra cellæ angustias recluderet, is non illicò sese omnibus mundi vanitatibus expediret, ut è cellâ in cælum securè commearet? quod vobis authentico melliflui Doctoris testimonio concessum est: *Eja igitur nunc Christi milites, qui vosmet Deo vovistis, & pro amore cælestium,* EREMI VASTAM SOLITUDINEM, *atque deserti antra incolitis, ut solataria vita perfectionem apprehendere valeatis:* CELLULÆ HABITATIONEM DILIGITE, *illam tenete, illam amplectimini. In ea sint vestra spirituales deliciæ, atque interna solatia. Equidem si labore corpus attenuatum; si mens importunis fuerit tentationibus fatigata, tribulationibusque depressa; procul dubio in* CELLULÆ SECRETO *congruentem reperitis pacem.* Hæc de sanctâ Carthusiensium solitudine, claustro, & cellâ; nunc de stricto, & sacro eorum, ex divino S. Brunonis Instituto, silentio.

Carthus. ... su... me ... subiter ... hist. c. ...

Bern. sit.

Laurent. Iustin. de vita solit. c. 11.

§. II.

Sedebit solitarius, & TACEBIT. Thren. 3. v. 28.

INter aves vox sua quamque sonat, omnes garrulæ, ac loquaces:

CUCURRIRE *solet gallus, gallina* CRACILLAT:
PUPILLAT *pavo,* TRINSAT *hirundo vaga.*
Cum CLANGUNT AQUILÆ, *vultur* PULPARE *probatur:*
Et CROCITAT *corvus, graculus ac* FRIGULAT.
GLOTORAT *immenso de turre ciconia rostro,*
Pessimus at passer tristia flendo PIPIT.
Et cuculi CUCULANT, FRITINNIT *rauca cicada:*
Accipiter PIPAT, *milvus hiansque* LIXIT.
CACABAT *hinc perdix, hinc* GRATITAT *improbus anser:*
Et castus turtur, atque columba GEMUNT.
Ast ULULANT *ululæ, lugubri voce cauentes:*
Inque paludiferis butio BUBIT *aquis.*

Ovid. de philomela. ... omnes ... es garrulæ, ... gno ... cepto.

Cygnus dumtaxat, suo sacro venerandus silentio, summis viris peregrè in deliciis est, placentque *amica silentia*; Hirundines verò præ cæteris garrulæ, ac strepere, ne tecto quidem, ut Pythagoras monet, admittendæ sunt, interprete Hieronymo, *garrulos & verbosos homines, sub eodem tecto non habendos.* at cygni, vivæ religiosæ *solitudinis & silentii* symbola amantur, laudantur, deprædicantur; quæ duo, priusquam silentii encomia pluribus enarremus, quàm sibi cognata & affinia sint, videamus. Mirum cumprimis occurrit, celeberrimum Salvatoris nostri jejunium considerantes, perpaucos admodum in eo perpendere virtutem silentii, ad quam, ut arbitror, silentio suo docendam, recepit sese in desertum, omni posthabitâ hominum societate, & quasi ademptâ sibi omni colloquendi facultate. Poterat quippe non solum in materna domo; sed etiam in maxima hominum frequentia, omni cibo, potuque abstinere. At perfectionis ædificium, non nisi cum silentio, in solitudine exstruendum; ubi brevis quidem, sed succi plena mihi visa est ratio, & oratio B. Petri Damiani, qui sic ad Agnetem Imperatricem: *Dum strepitus humani cessat alloquii, constituitur in te per silentium, templum Spiritus sancti: quia cùm mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritualis ædificii structura consurgit.* Sic ad excelsam perfectionis arcem evocatus Arsenius, ad quem vox cælitus allapsa, prima quidē in aula Theodosii, quâ inde fugere jubebatur si salvus esse vellet. Altera illi facta est, jam ab aulâ digresso, quâ solitudo & silentium illi commendabatur. Et quærenti à Deo, qua ratione salutem suam certò operaretur, & ad sanctitatis apicem pertingeret? vox illi hæc insonuit: *Fuge,* TACE; *hæc sunt principia salutis*; quasi sine solitudine, silentium non consistat, & ea quæ in strepitu populorum auribus ingeruntur, taciturnitate premi difficulter possint. Sic sensit, qui christianè scripsit, gentilis Seneca: *Est quaedam inquit, dulcedo sermonis, quæ irrepit, & blanditur, & non aliter quam ebrietas, aut amor, secreta producit.* NEMO QUOD AUDIERIT, TACEBIT. Unde ab Auctore naturæ, & rerum omnium sapientissimo moderatore, optimè ordinatum est, ut qui muti, simul & surdi sint: nam multa audire, & effari non posse, *tormenti genus est*: opprobria, calumnias, sannas audire, & tacere, *tormenti genus* est: nova delectabilia, inaudita, alis incognita audire, & silere, *tormenti genus* est. *Nemo quod audierit tacebit.* Quæ liberè auribus instillantur, facilè per os effluunt. Petiti solent medici, unius membri dolorem, per alterius mitigare sectionem, & medicinam parti procul à læsâ adhibere. Sic Ecclesiasticus, linguæ morbū curaturus, medelam auribus adhibendam

Virg. l. 2. en. Hieron. apol. adv. Ruff.

Christus recepit se in desertū amore silentii.

Encomia silentii.

Epist. 6. l. 7. ad Agnet. Imp.

Glycas ann. part. 4.

S. Ephrem tract. 2. in Apopht. vita Pat. l. 2. c. 18.

Senec. ep. 105.

Eccl. 28. v. 28.

bendam suadet: *Sepi, inquit, aurem tuam spinis, & hoc pacto ori tuo facito ostia.* Dum sepes claustri, ac cellæ, loquaces ac garrulos ab auribus arcent, facilè erit custodia moris, ac linguæ servare. Hinc illa duo optimè conjunxit sacer Vates: *Sedebit solitarius, & tacebit*; quo fructu, quàmque ingenti animæ bono, patet ex eo, quod subdit: *Levabit se supra se*, supra altitudines terræ, supra omnia quæ humana sunt; more fontium, quorum scaturigo, si per varios rivos humi non diffluat, internâ vi in altum sublevatur; quam similitudinem ex D. Petri Damiani calamo fluxisse comperio: *per Hieremiam dicitur: bonum est præstolari* CUM SILENTIO *salutare Domini. Sedebit solitarius,* ET TACEBIT, *quia levavit se super se. Solitarius planè* DUM TACET, *se elevat super se: quia mens humana dum* INTRA SILENTII CLAUSTRA *undique circumcluditur, in superiora sublimis erigitur, ad Deum per cœleste desiderium rapitur, & in amore ejus, per ardorem spiritus inflammatur: &* TANQUAM FONS VIVUS, *dum per verborum circulos fluere hinc inde non sinitur, undis excrescentibus, in altiora accumulatur.* Eodem derivare juvat flumen eloquentiæ, magni illius Gregorii, qui hunc locum exponens, ait: *Aquæ more se habet humana mens: sicut enim detenta aqua sursum elevatur; sic humana mens circumclusa, ad superiora colligitur, & relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim super vacuis verbis, a silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur, unde & redire interius ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium exterius expansa, vim intimæ considerationis amittit.* Est porro hic primus, ac proprius silentii fructus, quod mentem per orationem rapiat ad Deum, & *levet supra se*, ut scitè Climacus: *Taciturnitas est mater orationis, & occultus ascensus*, à fluxis ad æterna, à terrenis ad cœlestia: à creaturis ad creatorem ascendit. Hanc rationem adfert Hieronymus, priscos illos eremi ascetas tantam silentii curam habuisse, quod sanctæ contemplationis matrem agnoscerent. *Plures*, inquit, *me reperisse non ambigo, qui per septennium, nullum prorsus verbum homini alteri unserante, scientes quod non in commotione Dominus.* Quare cum omnis Religiosa, rectè domus Dei, & locus orationis nuncupetur, irreligiosum planè, ac indecorum est, religiosa claustra, domesticorum ac externorum fabulis, cachinnis, clamoribus, non sine scandalo, personare. Oportet domum religiosam similem esse templo Salomonis, ubi nec malleus, nec securis, aut ferramentum ullum auditum est, cùm ædificaretur. Aut certè non absimilem palatio Trajani Imperatoris, de quo hæc Plinius, Religiosis imitanda, & quibusdam ad ruborem proponenda: *Magna ante te, magna post te, juxta tamen maxima quies.* TANTUM UBIQUE SILENTIUM, *tam altus pudor, ut ad parvos penates, & larem angustum ex domo Principis, modestiæ & tranquillitatis exempla referantur,* quam Trajani aulam, infinito intervallo excellit sacra illa aula, magni Regis, *religiosissima Carthusia*, in quam rectè cadit illud Bernardi: *Media die, media noctis silentium à supervenientibus inveniebatur. Porrò silentii ipsius ordo, & fama, tantam etiam apud sæculares homines supervenientes, sui*

Silentio se intra se colligens, instar fontis, in cælum salit.

Damian. lib. 7. epist. 6. ad Agnet. Imperat.

S. Greg. l. 7. mor. c. 7

Primus fructus silentii, elevare mentem, per orationem, ad Deum.

Clim. grad 11.

Hieron. in Reg. Monach. c. 22

3. Reg. 6.

Plin. in paneg. Trajan.

De sacro silentio Carthusianorum

Guil. l. 1. vita S. Bern. c. 7.

faciebat reverentiam, ut & ipsi non dicam prava, vel vitiosa; sed aliquid etiam quod ad rem non attineret, ibi loqui vererentur; ut quicumque claustrum hoc intrat, statim odorem sanctitatis effundi, & devotionem sibi afflari sentiat, atque in has voces erumpat: *Vere Dominus est in loco isto: non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli.* Nec mortales dumtaxat hæc tam *amica silentia*, tam mutum spectaculum, in admirationem, sed & cælites in amorem, & venerationem rapit; ut ex summâ Ecclesiæ arce magnificè pronuntiavit Urbanus VIII. IN TACITURNIS CARTHUSIANÆ HUMILITATIS CLAUSTRIS, *Angelorum choros ad cœlestium virtutum spectaculum evocat:* Spectaculum ipso etiam Domino Angelorum dignissimam. Quid miri, si & oppidis, & aulis relictis, plures Magnates, & Principes excurrant, strepitum fori, & aulæ exosi, ut hos taciturnos homines, quasi cælites in terris suspiciant, & venerentur?

Gen. 28. v. 16.

Alter Religiosæ taciturnitatis (quæ secunda virtutum omnium mater est) fructus existit longè nobilissimus, quod omnium vitiorum linguæ, quæ *universitas iniquitatis est*, præsens remedium sit, atque unicum effugium, B. Laurentius Justinianus, linguæ vitiis enumeratis: *omnia*, inquit, SOLA TACITURNITATIS CENSURA VITARI. Antiquior Umbertus idem docet, dum ait: SILENTIO *linguam, quasi bestiam crudelem, & indomabilem teneri inclusam: Claudi os, unde flamma infernalis erumpit: malitiam denique suffocari.*

2. Fructus silentii, est omnium vitiorum linguæ medela

Iacob. 3. v. 6.

Laur. Iustin. de discipl. & c. 15.

Umbert. l. 2. in ... p. 3. c. 5. part. 4.

Nec hic silentio involvere queo illam Hipponensis Præsulis auctoritatem, qui de periculis linguæ disserens: *contra hæc*, inquit, *optimum* remedium est silentium. O cumpendium probatæ vitæ, & spectatæ probitatis unicum documentum. Ut inter perfectos censearis, unũ tantummodò spectare debes, nimirum linguã compescere juxta B. Jacobi monitum: *Si quis in verbo non offendit,* HIC PERFECTUS EST VIR. Quod acceperat à S. David, qui cùm sanctioris vitæ decerneret methodum, dicebat: *Custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ*; diligentissima viarum observatio, quo tendit? ut custodiat linguam. Putabam custodiendum cor, ne ità inflammaretur: Existimabam manus à vindictâ cohibendas; oculos occludendos, ne videant vanitatem; nihil horum, sed solummodò, ut vir perfectus sim, inquit: *posui ori meo custodiam.* Hujus lectionis memor Abbas Pambo, suo silentio, eò perfectionis devenit, ut in morte protestatus sit, nullum sibi verbum unquam excidisse, cujus se pœniteret: rudis enim cùm esset, magistrum adiit, à quo audiens primum versum Psal. 38. *dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*, secundum audire noluit; sed discedens, dixit: *unus hic versus satis est, si modò eum reipsa, & opere discere potuero*; cumque post sex menses rogaretur à magistro, cur ad se tanto tempore non redisset Respondit se versum Psalmi nondum reipsa didicisse.

August. in Psal. 38.

Iacobi 3. v. 2.

Psal. 38. v. 1.

Custodia linguæ commendatur

Socrates l. 4. c. 18. Cornel. in Iacobi epist. c. 3. v. 2.

Idem post decem, & novem annos responsi dedit. Quocirca moriens inquit Palladius, dixit: *me in hanc horam non pœnitet alicujus sermonis quem dixerim, & sic ad Deum recedo.*

Pallad. in Lausiaca. c. 10.

Hujus

Hujus salubertimæ doctrinæ strictissimus quoque observator *D.Bruno*, vosque omnes venerandi Patres, qui eum in lingua non offenditis, toti mundo, ut viri perfecti, spectandi estis, illud Sapientis animo retinentes: *Qui custodit os suum, custodit animam suam.* [Prov. 3.]

Nun erit ut arbitror injucundum conciliare quæ Psalmo.33. pugnare videntur, cum oraculo Servatoris Luc.10. Ibi enim dicitur à Propheta: *quis est homo, qui* VULT VITAM, *diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* En quid primo præcipiatur cupienti beatitudinem. At Christus interroganti legisperito, quid *faciendo, vitam æternam possidebo*, ut possim dies videre bonos? respondit, quod est primum omnium mandatum: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Quæro jam quod sit mandatum, primum obtinens locum, præceptumne charitatis, juxta oraculum filii Dei, an linguæ custodia, quemadmodum monet vir juxta cor Dei? Nodum solvit D.Basilius hom. in Psalm. citatum, asserens primum mandatum esse ut linguam custodiamus, quia omnia criminum genera, quibus caritas læditur, linguâ perpetrantur; illud autem si servetur, omnia ex orbe scelera eliminantur: *Primum mandatum est*, inquit, *prohibere linguam tuam à malo, & cavere ne labia tua loquantur dolum. Peccatum quod per linguam admittitur, omnium ferè propensissimum; sed & idem multiforme. Iratus es? mox lingua occurrit. Concupiscentia teneris? habes & hic linguam ante omnia quasi lenam, & conciliatricem, quæ cooperetur peccato. Est tibi lingua quoque viæ siuti ad iniquitatem, cum non ex corde loquitur; sed ea promit, quæ ad fraudem, & imposturam faciunt. Denique quid opus est enumerare quæ per linguam peccantur: vita nostra referta est lingua delictis*; ut idem omninò sit, linguam cohibere, & omnem omninò aditum iniquitatibus intercludere. Quæ adeo innumeræ sunt, ut Apostolus, cùm recensere non posset, linguam compendio, *universitatem iniquitatis* compellârit.

[Psal.33. v.13.14.] [Luc.10. v.25.] [S Basil. in Psal.33. v.13.14.]

Unde perappositè hanc congeriem vitiorum, per omnes Alphabeti litteras, eleganti opere Hieremias Drexelius exponit: ex lingua enim oritur Adulatio, Blasphemia, Calumnia, Detractio, Exprobratio, Garrulitas, Hypocrisis, Irrisio, Lascivia, Mendacium, Nugacitas, Otiosa verba, Perjurium, Querimonia, Rixa, Scurrilitas, Turpiloquium, Vituperatio. Hinc mysterio non caret, Christum qui omnia verbo creavit, tanto molimine usum, ut energumenum curaret, & muto dæmone expulso, non sine magno gemitu, loquendi facultatem restitueret. *Apprehendit eum seorsim. misit digitos suos in auriculas eius expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cælum* INGEMUIT. Quorsum hæc omnia? Quorsum ille ex alto pectore gemitus, & suspiria? Victor Antiochenus non aliam causam subdit, quam quod lingua universitas malorum esset, eamque cælestis medicus in lapsum pronam sciret: *Expendebat enim in quantam calamitatem & miseriam hostis diabolus, primorumque parentum incuria & lapsus, illos dejecisset.*

[Lingua universitas iniquitatis.] [Drexel. Phaeton.] [Corn. in Iacobi.c.3 v.6.] [Marc.7. v.34.]

De Præcursore Christi, quo non surrexit major, canit Ecclesia, illum teneris sub annis, ex hominum turbis in desertum fugisse, destituisseque urbes, ut sacraret solitudines. At quo consilio commercia hominum devitans, in eremum secessit? eò, ut *ne levi saltem maculare vitam famine posset*; non dicit, petiisse antra deserti, ne mundi vanitas illum inflaret, vel dæmonis astus in fraudem impelleret, vel caro lenociniis pelliceret; sed ne verbulo aliquo offenderet, & splendorē sanctitatis suæ commacularet. Quare frustra quis sæculum fugit, frustra intra cænobii claustra se abdit, frustra sedet in cilicio & sacco, si non refrænet linguam suam, hoc Apostoli effatum est: *si quis autem putat se Religiosum esse, non refrænans linguam suam, huius vana est Religio*; non equidem ex meo sensu, de religioso silentio locum intepretarer, cùm alii de Christianis intelligant; verum à gravibus viris produci video ad Regularium silentium probandum, ut exponunt Thomas Cantipratanus, Magni Thomæ Aquinatis condiscipulus: Umbertus, quintus Magister eiusdem Ordinis, atque ex eo Turrecremata Cardinalis. Accedit præterea D.Hieronymus, Hugo, Catharinus, Gillebertus Abbas: *Monachorum est non colloquium, sed* SILENTIUM. Quibus jure subscribit Dionysius Carthusianus. Expressius S.Bernardus: *religa linguam tuam, si vis esse Religiosus: quia sine linguæ religatione, Religio vana est.* Hinc nulla absque silentii regulâ, Religio existit; & si quæ collapsa non alio adminiculo, quàm silentio restauranda.

[Qui non refrænat linguam suam, hujus vana est Religio. Iacobi.1. v.26.] [Thom. Cantip.l.2. apum c.13. Umb.l.2 instit p.3.c.3. Turrec. tra. 57. in Reg. S Bened. S Hieroni Reg. Monach.c.22 Catharin. in Iac.c.1. Carthusiā de silentio Gilleb.ser. 7. in cant. Bern. de Pass Dom. tra 27. Thom. A Kem. serm 4. ad novitios S.Greg.l. 7.mor.c. 7.]

Verè & sincerè Doctor Asceticus: *In nullo statu, & ordine stabit pax, & disciplina, si non adsit* CENSURA SILENTII, *quietis amica, quæ est devotionis nutrimentum, contentionis obturatio, vanitatis fuga*; silentium quippe, Religionis murus est, quo destructo, claustrum esse desinit, & omnia patent direptioni: unde *scriptum est Proverbiorum 25. sicut urbs patens absque murorum ambitu; ita vir qui non potest in loquendo cohibere, spiritum suum. Qui enim* MURUM SILENTII *non habet, patet inimici jaculis civitas mentis, & cum se per verba extra semetipsam eiicit, apertam se adversario exhibet: quam tantò ille sine labore superat, quantò & hæc eadem qua vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.* Quid, quod Apostolus insinuare videtur, non minus irreligiosum esse ei qui murum silentii, quàm qui murum claustri perfregerit, quia utriusque *vana est Religio.* Sane S.P.N. Ignatius, Fundator Societatis nostræ dictitabat: vis nosse an in aliquo Ordine vigeat religiosa disciplina? Aspice an in eo ritè hæc tria serventur: nimirum, SILENTIUM, *clausura, & munditics.* Scire quis avet an in religiosissimo, & austerimo (ut postea dicam) Carthusiensium Ordine vigeat Religiosa disciplina? audiat quale de illis elogium Mauburgus ferat:

[Cornel. in epist. Iacob c.1 v.16.] [S.Ignatius Religiosam disciplinam tradit ex tribus cognoscendam.]

Per tria: si, so, vi, CARTUSIA *permanet in vi.*

Id est, PER SILENTIUM, *solitudinem, & visitationem*, florentissimam hactenus Carthusianam Familiam in primo suo vigore persistere.

[Mauburgensis tit.2. Alphab.8. §.3.]

Ut si verum illud summi ætatis suæ Theologi pronuntiatum *clarum est experientia docente, quod ubi* CENSURA SILENTII SERVATUR AR-

[Gerson l. 2.q.1.]

ctius, *ibi Religio vigeat laudabilius; ac perfectius*: consequens est, Carthusiensium Ordinem, ubi silentium servatur arctissimè, præ aliis semper laudabilius floruisse, & in vigore suo, citra reformationem, *Ordinem numquam lapsum* permansisse. Nam *ubi rigor, ibi vigor*. Quem Ordinis vigorem S. Patriarcha noster Ignatius inspiciens, ad solum Carthusiensium cum suis trãsitum permisit, quod & aliis omnibus etiam, ut in extravag. concessum, propter majorem securitatem, quæ moraliter loquendo, major est, ubi tanta clausura, & separatio à conversatione sæcularium servatur: Prætertim cum conjuncta sit cum tantâ vitæ austeritate, & jugi rerum divinarum contemplatione. Quæ omnia sunt etiam aptissima media ad magnam perfectionem consequendam.

Arnol. Bossius in Enco. Carth. Extravag. *vitam ambitiosam.* de Regularib. *Suarez. infra cit.*

Accedit insuper ad hoc perpetuum silentium, ad vitam illam solitariam, & rigorosam clausuram, quæ ut Suarez loquitur, singularem rigorem & observantiam ostendunt) abstinentia à carnibus, quæ tantâ integritate observatur, ut propter nullam causam, vel necessitatem etiam extremam mortis vitandæ, hanc legem transgrediantur. Quod an licitè facere possint, à Theologis dubitatum est: quia est contra obligationem naturalem, quam homo habet conservandi vitam, contra quam nulla lex positiva, præsertim humana, obligare potest; imo nec votum jejunandi, vel abstinendi, in tali circumstantiâ videtur posse obligare, imò nec servari; quia est indiscretum, & in detrimentum vitæ, quæ non est hominis, sed Dei. Ad hæc eruditè respondet ipse Suarez, & gravis Theologus Leonardus Lessius: non tenemur omni modo licito vitam conservare; sed possumus illam negligere, vel exponere, quando honesta ratio suppetit, ut bene docet *Victoria*: quia bonum virtutis est præstantius vitâ, unde propter illud potest vita deseri.

Suarez. de virtute & statu Relig. tom. 4. trac. 9. l. 2. c. 4. n. 3. De austeritat. Carthusiensiũ

Etiam cum præsenti vitæ periculo, licere carnibus abstinere. *Lessius. de jure & just. l. 4. c. 3. dub. 2. n. 12. Victoria. de relect. de temp. n. 9.*

Deinde cum vita non sit ex bonis supremis, & semel necessariò deserenda, non tenemur eam nisi mediis ordinariis, secundùm proportionem nostræ conditionis fovere, & prorogare. Sic non tenemur in obsidione vesci canibus, muribus: nec tenemur uti pretiosissimis medicamentis, vel cibis, ad morbi lethalis curationem: non teneor mutare solum patrium, etiamsi medici id dicant necessarium ad vitam conservandam.

Quod non est (ut aliqui obiiciunt) tentare Deum, ut Cajetanus Cardinalis scitè docet, disputans num respuere medicinas sit tentare Deum: *potest respuere, ratione spiritualis profectus, & hoc si intra limites rationabilis obsequii sit, non est tentare Deum: sed semetipsum offerre hostiam viventem Deo. Et hoc modo Sancti, qui dati sunt in exemplum cæteris, & præsertim Religiosis in hoc mundo, dolores iliacos, ulcera, & quæ patiuntur, suscipiunt libenter, & utuntur eis, ut instrumentis divinitus sibi concessis, ad carnis subjectionem, & mortificationem, & ad Iesu Christi passionis participationem;* ET IDEO RESPVVNT MEDICINAM. Ubi viris in exemplum proponit D. Gregorius Naz. sororem suam Gorgoniam, quæ vehiculo excussa, membris laceris, ac con-

Caiet. 22. q. 97. a. 1. Licitum ad vitæ conservationem medicinam non admittere, quod exemplo sanctorũ probatur. *Naz. orat. 11.*

fractis, medicam manum recusavit. Sic Paula Romana, cum à febribus, Dei misericordiâ respirasset, atque ad diuturnum languorem tollendum, modico vini, medici utendum præscriberent, ne aquam bibens in hydropen verteretur, S. Hieronymus clam Epiphanium rogat ut eam moneret, imo compelleret vinum bibere: At illa, inquit Hieronymus, *ut erat prudens & solertis ingenii, statim sensit insidias, & subridens, meum esse quod ille diceret, intimavit. Quid plura? cum beatus Pontifex post multa hortamenta exisset foras, quærenti mihi quid egisset, respondit: Tantum profeci, ut seni homini pæne persuaserit, ne vinum bibam.* Atque ut alias, & alios præterea, qui medicinam omnem rejecerunt, B. Petrus Damianus, cum languescente stomacho, ex gravi diuturnoque morbo, alimenta capere non posset, & pisces omnino deessent, restitit importunis Fratrum precibus, vehementer flagitantiũ, ut triduo carniũ esum, reparationi tabescentis, & effœti corporis indulgeret. At ipsemet rationem reddit, cur hanc rejecerit medicinam: *scilicet ne paulatim rigorẽ Ordinis in se, suisque laxaret.*

Hieron. ep. 7. ad Eustoch.

Damian. ep. 107. ad Rodulph.

Hoc autem à carnibus interdictum, non à Capitulo Generali primum inductum, sed cum ipso Ordine nascente constitutum, ut ex verbis Petri Cluniacensis, describentis Carthusianam Familiam, tunc recens exortam, manifestũ est: *Ab omni, inquit, carnium esu, tam sani, quam ægri in perpetuum abstinent*; cui tam rigidæ, propè supra naturam, abstinentiæ, visus est Deus adstipulari, subductis aliquando per miraculum carnibus, cum inferrentur Carthusianis ægrotis, ex falsâ persuasione, quod essent morbo succubituri, nisi carnibus vescerentur. Sic Carthusiano Coloniensi, viro optimo, & instituti tenacissimo, cũ in ægritudine gravissimâ de Medicorum sententiâ perdices ad cibum fuissent appositæ, indultum divinitus est, ut ad cibi illius admotionẽ ex obedientia ori factam, perdices in pisces optimos verterentur. Non est autẽ vero simile, Deum edito tanto miraculo, patrocinaturũ esse falsitati, si ad tuendam in extremo discrimine vitam, adhibendæ essent; multo minus, ad morborum præventionem, obtendi potest necessitas esus carnium; cum certum sit Carthusianos non paucos, à morbis indemnes, prolixam vitam exegisse absque esu carnium. Quo in genere, illustre est exemplũ Carthusiani, ad Lutetiam degentis, quem Dorlandus testatur centũ ipsos solidos annos Carthusiæ instituto inhæsisse, vigentem semper ac validum, ita ut ad finem usque suæ illius sanctæ sæcularis vitæ, nocturnam synaxim, & sacra officia indefessus in Dei cultu frequentarit.

Cluniac. l. 2. mirac. c. 28.

Dorlandus l. 5. chron. Carth. c. 38. Abstinentiam Carthusianorum à carnibus, Deus miraculis cõprobavit.

Idem l. 5. Chron. c. 4

Additque idem Scriptor, simili conditione, ac eventu, alios annorum sexagenâ, & septuagenam sospites, ac valentes, citra usum carnium decurrisse. Joannes de Novavilla, Avenionensis Carthusiæ Prior, Legatus ad Urbanum V. Pontificem, qui de temperandis Carthusianorum asperitatibus, tanquam justo arctioribus, & vitam minuentibus, consiliũ inierat, octoginta produxit Carthusianos, qui ultra octoginta annos, ab emissâ Professione, sani & incolumes in Religiosæ vitæ agone duraverãt. Suffragatus est Paulus. IV. anno. 1555. Omnes dispen-

dispensationes aliquando exorātas sub anathemate rescindens. Ea autem inviolabilis observantia, non modo licitè, & laudabiliter retinetur, sed etiam ex obligatione, si vel ejus votum ritè emissum fuerit, vel intercedat constitutio ad id adstringens, aut consuetudo approbata, vim legis habens, servandam esse hujusmodi abstinentiam ferat. Ac proinde tantum abest ut malè faciant Carthusiani, his majorum suorum vestigiis, quocumque ægritudinis eventu insistentes, ut potius peccarent, si secus facerent.

Peccaturos docet Navarrus, Vasques, Salas, Theodorus Perreius, quibus omnibus præierat Dionysius Rechelius, contra Gersonem qui pronuntiavit, cōstitutionem esse merè pœnalem, ita ut qui eam infringit, ne venialiter quidem delinquat, tametsi deprehensus mulctetur. Rigor tamen quo universus Ordo Carthusiensium abstinentiam carnium servari mādat, omninò fert inutci obligationem sub pœnâ peccati, & quidem gravis. Idque ex intentione sic obligandi imponitur, & acceptatur, ut restantur graves ex eâ familiâ Patres, juris sui benè periti: Et ipsa Statuti verba hoc clamant, quæ

2. Part. c. 10 §. 14. nova collect.

"sic habent: quia secundùm antiquissimam Ordinis nostri consuetudinem à Sanctis Patribus introductam, omnem esum carnium à proposito nostro abjecimus; statuimus, ut quicumque Ordinis nostri Professus, hujus tam laudabilis institutionis transgressor extiterit, carnes videlicet comedendo, seu alicui personæ Ordinis ministrando, vel comedentibus, aut ministrantibus consentiendo, vel non prohibendo, cum poterit prohibere: Si Prior, aut Vicarius, sive Procurator hoc fecerit, ipso facto, tanquam Professionis suæ calumniator, & transgressor, obedientiam perdat, id est officium suum, & vocibus, & locis debitis, & ceteris obedientiis Ordinis careat in æternum. Si vero simplex Monachus, aut alia quævis persona Ordinis extiterit, voce, loco, & obedientia carens, perpetuo ad Capituli Generalis voluntatem, carceri mancipetur."

An hæc sine culpâ graviori, quis imponi posse arbitratur? Quid, quod anno 1254, Capitulum Generale, hujus Statuti violatores, à Religioso cætu exturbandos edixit; quam pœnam, absque lethali peccato, à quopiā incurri, nemo prudens existimarit: Et nemo non videt, usum tantâ constantiâ, à tot sæculis in universo Ordine retentum, non posse violari sine dispendio communis boni totius sacræ familiæ; atque adeo perspicuum esse debet, violationem istā ex naturâ rei gravem esse: quod Arnaldus Villanovanus disertè tradit, dum contrarium placitum, vocat *profanum, ac redolens hæreticam pravitatem*. Demiretur unusquisque perfectionem abstinentiæ in Ordine Sanctissimo, tot jam sæcula vigentis, si forte ad eam præ virtutis tenuitate non audet attingere; Recogitet cujus spiritus sit sensus contrarius, quod juvat ex Gersone audire, post trecentos ut ait & octoginta circiter annos, quibus hoc Statutum in Familiam Carthusianam universam inductū est, contra aliquorum mussitationes propugnante: "Horrere, inquit, de facili abstinentiam solent, qui voluptatibus diffluūt, quorum Deus venter est, à quibus sobrietas, austeritas reputatur; atque suâ carnalitate, & consuetudine pravâ, aliorum vitam metientes, judicant miserabile, superstitiosum, indiscretumque esse, corpus attenuare duris jejuniis, & à cibis abstinere concessis. Non advertentes, quàm læta, salubris, & sana, imô ex consuetudine, & præsertim ex gratia, quā facilis & jucunda reddatur devotorum sobrietas. Denique ista est vitiorum palma infamis, extrema quoque & impudentissima quorundam criminosorum perversitas, sancta polluere, benè acta calumniari, & quæ imitari nequeunt, aut non volunt, vituperare."

Gerson. tract. de abstinent. à carnibus.

Experimur hanc carnalium hominum insaniam nominatim erga VENERABILES CARTHUSIENSES, *apud quos reperitur prædicanda illa pristinorum Patrum devotio, admirabilis fervor, & continentia pene incredibilis.* HOS CARTHUSIENSES *interdum exagitant quidam imbuti sapientiâ terrenâ, animali, & diabolicâ, asserentes eos contra charitatem negare sibi ipsis carnium esum, præsertim tempore infirmitatis. Quorum vox, est vox fastidientium cælitus datum manna, suspirantiumque ad ollas carnium Ægypti.* Incassum itaque maligni obtrectatores hoc laudabile Carthusiensium institutum impugnant, quod etiam sanguine suo complures defendere non dubitarunt. Hoc animo fuit ille Prior Vallis claræ ad Burdegalam, sub annum 1575. generosè spernens ab Hæreticis intentatum perpetuum carcerem, nisi carnes ederet. Gondanus Brilæ in Batavia anno 1575. ab Oumalio apostata ad bibendum in mensa profana ex sacro calice, sacrilegè direpto, nec non ad carnes contra Carthusianam superstitionem (sic carneus ille blatero sanctum morem à carnibus abstinendi appellabat) ni pareret, ilicò jugulandus, maluit ad furcam rapi, & de alta informis lethi trabe pendere, quàm Religionem sacrorum vasorum, & sacri Instituti morem pessumdare, quamquam ad ipsum patibuli pedem, inter orandum, efflavit animam, nec nisi cadaver exanime in furcam sublatum est. Pluribus hæc prosequitur P. Raynaudus, vir undequaque doctissimus, in S. Brunone, stylita mistico, qui cum omnibus ad manum non sit, hic ex eo inserere placuit immane & sacrilegum facinus, cui vix Neronis, Domitiani, Decii, Diocletiani sæcula quippiam atrocitate parturierunt, quod circa hoc negotium occursat animo, referre parantem moratur contrucidata verecundia, moratur exaggerata supra omnem barbariem crudelitas, moratur conculcata immaniter Religio. Quod in minore factô dixit Sanctus Basilius: "Arbitror ingemuisse Dei leges, & Religionem ipsam, alta suspiria duxisse."

Raynaud. Trias Patriarc. in vita Brunon punc. 7.

Carthusiani, qui carcerem & mortē subire maluerunt, quam carnibus vesci.

Raynaud. cit.

S. Basil ep. 185. cit. Raynaud. in Brunone

"Quod hoc sceleris portentum! Tametsi verenda est aëris hujus, & tantæ atrocitatis nuda recitatione incestatio, & ad tantam truculentiam, quantam vix diabolus per seipsū exprometet, horror pilos invadit, & digitos stupor; tamē audendū est, ne virtus, quæ per tantū scelus exerta, silentio obruta jaceat."

Fremens irruo in narrationem, quando nec premere eam, nec placidè efferre licet.

Immane Martyriū Carthusiani.

Carolo IX. Rege, cùm omnia in Gallia pro Religione bellis intestinis arderent, sub annum 1570. Carthusia bonæ fidei in Velaunis occupata per fraudem est à Charrerio, impio hæretico, & Judæ traditoris germano: sic enim jure est denominandus, quandoquidem specie familiaritatis cum Priore admissus, ilicò conclusione ostii per vim impedita, ponè latentem turmam quinquaginta, eoque amplius militum, subita impressione in cœnobium induxit. Primum furorem Prior ipse Antonius Chamardus excepit, subeuntibus hostiliter sectariis sclopi explosione interemptus. Ex aliis hæretico gladio trucidatis, charta Capituli Generalis a. 1570. varios enumerat; quos inter, Dominus Laurentius, antiquæ virtutis sacerdos, ad diuturnius Martyrium ab hæreticis reservatus: ut enim supplicationes, quas Catholici obeunt, subsannarent, quoties explorabant excubias, servum Dei nudum (prô inverecundiam Calvinianam) jubebant præcedere, hastam pro cruce præferentem: Eundem ad instructum carnibus veru circumagendum, propudiosâ illa nuditate, miserandum *solo* (ut cum Clemente Alexandrino loquar) *virtutis amictu indutum* adhibebant. Cùmque ad eam carnem comedendam, cui torrendæ navabat operam, importunè urgeretur, quà scommatis, quà ostentata carnium suavitate, quà minis; servus autem Dei causatus suum Institutum, & desponsam Deo abstinentiam, constantissimè abnueret, ab impiis hisce Dæmonis ministris comprehensus, & scamno validè alligatus, post multam petulantiam in eum expromptam, & exprobratam ab esu carnium superstitiosam abstinentiam, intentant mortem ni pareat, & appositis carnibus vescatur; sed qui *confidunt in Domino, sicut mons Sion.*

Generosus hic Christi pugil, *Laurentii* nomen meritissimè præferens, cognominis sui imitatione, ut Marpesia cautes, ad hos fluctus irarum, & minarum spumas, perstat inconcussus. Nihil tigris aut panthera quæpiam ditæ feritatis exprimeret, quod ab istis Satanæ emissariis non sit exertum. Verè, sed in seipsum disertus Julianus Imperator, contestari solitus erat: Christianos, ubi degeneraverint, omnes belluas feritate superare. Ex sicariorum turmâ, unus astricti scamno servi Dei (pax sit oculis, & auribus) prehensam partem qua vir erat, ab imis radicibus ferro exscindit, & semivivi hominis ori ingerens, infandum triumphum sibi canit, non absque immani per reliquam turmam applausu: quam intra longum tempus, justo Dei judicio, improvisam opprimens Rochebonne, Aniciensis Præfectus internecione delevit. Quis tam indignam immanitatem, & truculentiam, fando explicet? Os sacrum, quod Christi corpus toties consecrarat, toties exceperat, tam assiduè à tot annis in Dei laudes solutum, sic deturpari? Inventum est scelus, cui detestando nulla par possit esse facundia. At simul splenduit eximia virtus, & Sanctorum institutorum tenacitas Religiosissimi viri, ac gloriosissimi Martyris, quam nulla laudatio exæquet, nedum exsuperet. Deus Optimus Maximus latere servi sui gloriam non est passus. Corpus sacrum, post menses decem refossum, deprehensum est planè incorruptum, sanguine perinde ac si tum primum cædes facta, putris & tabis experte; incorruptionem, & integritatem vel sic in rigore suo Ordinis sui contestans; quam rationem inter ceteras Lessius ad propositum nostrum profert: potest " Carthusianus, etiam in extremâ necessitate " abstinere à carnibus, propter exemplum " virtutis, & decus abstinentiæ in suo Ordine " tuendum, ne videlicet aperiatur aditus dis- " pensationibus, & interpretationibus, sicque " sensim relaxetur ille communis abstinentiæ " rigor. Atque hæc ratio, per tot annorum curricula Patres Carthusianos retinuit in viridi observantiâ consuetudinis antiquæ, Statuto firmatæ, quâ neque carnem, neque jus carnium, quibus renuntiarunt, nec sani nec ægroti, ne per modum quidem medicinæ sumunt.

Less. cit.

An delectari possit Carthusianus esu carnium imaginario.

V. Lessium de jure & just. l. 4. c. 3. dub. 15. n. 111.

Non possum quin hic concludam cum Laurentio Leodicensi celeberrimo Scriptore, qui propè à quingentis annis præclarum hoc protulit elogium: CARTHUSIENSIS RELIGIO *de Sanctissima schola* REVERENDISSIMI BRUNONIS *processit, quæ in carnem extra carnem, insolito mortalibus more vivendo, Angelos in terrâ: Ioannem Baptistam, & Paulum Eremitam in deserto nobis hodie repræsentat. Ut meritò hanc Religionem* FLOREM MUNDI *nomines*; qui flos jam tot annorum sæculis immarcessibilis, primo in vigore, per rigorem persistit: quia *ubi rigor, ibi vigor.* Sic sensit Florentinus Antistes, D. Antoninus: *Certè* inquit, *valde venerabilis est illa* RELIGIO CARTHUSIANA, *quæ usque in præsentem diem* SERVAT RIGOREM *suarum observationum per annos circiter quadringentos. Austera siquidem est in multis: In abstinentia quidem, quia prolixa jejunia, & sextis omnibus feriis in pane & aqua: ab esu carnium semper abstinet, etiam in gravissima infirmitate.* Valet hic mysticè circa Carthusiensem Ordinem, quod physicè dissidentibus sententiis agitatum video: Cimices, *animal fœdissimum,* ut Plinius dixit, apud Carthusianos non nascuntur de multorum sententiâ. Retulit eam Cardanus, qui affirmasse multos tradit, & in perpetuam à carnibus abstinentiam retulisse. Idemque adeo multi, tamque graves è Carthusiano Ordine testes prodiderūt, ut pudeat sine sufficienti exploratione refragari, quod mysticè ut dixi, circa Carthusianos valet, exulare ab eorum cœtu cimices: Non enim locum apud eos habuit, habetne situs, & pædor, putredinem & corruptionem consequens, cum hic Ordo nitens semper, & purus, & situs omnis ac putredinis, sale mortificationis probè conditus, perstiterit; late quoque id celebrat Thomas Bosius, ubi de collapsione aliorum quorundam Ordinum threnos adduxit, quibus pii posteri succisos Regularis disciplinæ nervos, disjecta, luxata, & laxata omnia, flebilibus modis

Laurent. Leodic. in hist. Episcop. Virdunen.

Carthusia semper in primo vigore permansit.

S. Anton. part. 2. hist. tit. 15. c. 22. §. 1. floruit. a. 1359.

Plin. l. 29. c. 4.

Cardan. 10 de subtil.

Nulli cimices apud Carthusianos

nio.lis lamentabantur, subdit illud: laudabiliter jure attribui videtur Carthusianorum familiis, quod numquam sic eorum mores à „ primævâ institutione sunt collapsi, ut eorum „ leges in deteriorem faciem , nedum viendi „ normam sint immutatæ. Quod multis Ordinibus non ita contigit, qui longè ab anti„ qua puritate, vel saltem vitæ austeritate visi sunt deflexisse: quia *ubi rigor, ibi vigor.* Interim hanc vitam in terris cælestem, hos in carne mortali Angelos, hoc Institutum planè divinum, invidi calumniatores, malevoli obtrectatores, ut novitium, & insolens inventum, ut carcerem perpetuum , & carnificinam vivorum intolerabilem insectari non dubitarunt; quos suo Claravallensis apis salubriter perfringens aculeo , sermone melleo Carthusienses sub primâ persequentium procellâ, his verbis delinire conatur : *Hoc sancta novitatis instruitur ornamentum. Novitatem dico, propter linguas nequam (à quarum contradictione absconditus vos Deus in abscondito faciet suæ) hominum impiorum, qui cùm manifestum lumen veritatis obnubilare non queunt, de solo novitatis nomine calumniantur. Sed hæc novitatis nomine calumniantur. Sed hæc novitas non est novella vanitas: Res est enim antiquæ religionis , antiqua hæreditas Ecclesiæ Dei , à tempore Prophetarum præmonstrata: Jamque nova gratia , sole exorto, in Ioanne Baptista instaurata, & innovata; ab ipso Domino familiarissime celebrata. Post passionem vero Domini, calente adhuc in cordibus fidelium effusi eius sanguinis recenti memoria, solitariam hanc vitam elegentibus, deserta repleta sunt. Ex quibus legimus Paulum , Macarium, Antonium , Arsenium, & alios quamplures in sancta huius conversationis republica Consulares viros, egregia nomina in civitate Dei, nobiles & triumphales titulos habentes; de victoria hujus sæculi, & principes huius mundi, & corporis sui.* Ac tandem concludit: *Sileant ergò, qui in tenebris de luce judicantes, vos arguunt novitatis, ex abundantia malæ voluntatis; ipsi potius arguendi vetustatis , & vanitatis.* Pudeat delicatos Christianos, & quod propudiosius est, molliculos Religiosos, carnem suam mox in tabem & vermes solvendam adeo fovere, & tractare tam benignè, tâ blandè; ubi homines ex eadem massâ, & carne concreti, tam generosè se gerunt, crucifigêtes insolito plane modo carnê suam cum vitiis & côcupiscentiis. Frustra queritur quod caro sit infirma. Detexit egregiè illius excusationis vanitatem Origenes. Sed quid testimonia, & suffragia doctorum conquirimus, ubi testimonium quod majus est, factis horum Sanctorum solidè expressum, nullique exceptioni patens habeamus; nec hi vere masculi, verè viri Dei, & in carnê suam, àc omues ejus illecebras adeò fortes, ad tantam vitæ, & novotum institutorum austeritatem adacti sunt, ob gravia flagitia, quibus se commaculassent , cùm plerique, quam veste præferunt , acceptam in Baptismi fonte innocentiæ stolam, ab omni næ vo intactam servarint, & primum juventæ florem, in Religione Deo dicarint. Quid tale præstant post innumeta & grandia peccata , molles Christiani ; nauseantes ad minutas quasque asperitates, & imbecillitatem impotentiæ prætextu obductam causantes? si vel duriusculum quippiam ex præscripto Dei, vel Ecclesiæ sit obeundum, vel exigua quædam molestia sit devoranda, quibus vel locus Carthusiæ, & nudum nomen, quasi à *carne tusa* originem ducens, horrori est. Hos dum lascivinnt in stratis eburneis, & in multam lucem stertunt, urinam ex gravi ignaviæ , & mollitiei veternn excitent noctutnæ horum Religiosorum vigiliæ, & angelicæ voces, dum medium silentium teneut omnia, Deum laudantium! quemadmodum excitarût, & salubriter permoverunt perversæ fidei hominem, de quo, insulari dignitate, & vitæ sanctimoniâ præcellens Franciscus de Sales, Genevensium Antistes hæc commemorat in opere de Amore Dei, quod ille (ut de Basilio ajebat Nazianzenus) *intinctio in Spiritus pixidem calamo* exaravit, : Fuisse suo tempore Parisiis adolescentes duos , quorum unus Catholicus , hæreticus alter, infelici societate nexi , in S. Jacobi suburbio, noctê quadam cum in cubilibus, & impudicitiis volutarentur, inaudisse æs campanum è viciná Carthusiâ ad nocturnas excubias , & pangendas Deo laudes evocans S. Brunonis familiam. Percunctatus de Catholico socio sectarius: Ecquid sonus ille æris campani renunciaret? Dicit exciri Carthusianos ad pensum divini officii persolvendum , quod Catholicus eos facere dixit omnino piè , perindè, ac in cœlo beati Angeli. Exclamans ad hæc verba sectarius, tactus dolore cordis intrinsecus: O Deus quantum studia nostra ab illorum servorum Dei studiis sejungnntur! Obeunt illi Angelicum munus , nos in volutabris nostris brutescimus, de hominum gradu exturbati. Die consequenti, volens ipse suis oculis usurpare rei, quam à socio acceperat veritatem, Carthusiam suburbio adjacentem petit, & odeum subiens, ubi Carthusianos Patres vidit subsellius insistentes, non secus ac in anconibus statuas, nisi cum ex sacri ritus præscripto, vel geniculis adorare, vel supplices curvari, aut deiici oporteret, obstupuit; & non habens ultra spiritum, multoque plura, quam à socio inaudierat, oculis usurpans, absque competentinatione, Deo per servorum suorum exemplum illiciente, Calvinî dogma ejuravit, & filiis Ecclesiæ sese aggregavit.

Quin & vos, molles adolescentulos, ac Veneris procos, ejusmodi sancto spectaculo salubriter commovendos considerem, si horum contubernio frui, sacrisque lithurgiis quandoque interesse contingeret. Quin & vos Adolescentulas, sæculi filias, ingenuo rubore suffundi, omnes vanitates, & insanias falsas aversari , ac mundum triumphare compellerent Sanctimoniales, in D. Brunonis Parthenonibus , ad perfectionem , & sanctimoniam exculta ; si earum in sexu fragili masculos animos: si ardua quæ tractant studia : si admirabile per omnem asperitatem, exercitum vitæ genus coram intueri , iisque ad breve tempus consuescere daretur. Omnino tales eas esse cognoscire , quales pictor optimus, orationis suæ penicillo expressit S. Chrysostomus, qui describens Parthenones sui temporis,

Bern. tract. de vita solit. a d fratres Carthus. de monte Dei.

Origen. hom. 9. in Levit.

Raymundi Trias Patriarch. S. Bruno. punct. 4. n. 9.

Sales. de amore Dei l. 8. c. 10.

Mirabilis conversio perversi juvenis Calvinistæ per nocturnũ cantum Carthusianorum.

poris,& nobiles plerasque Virgines, tanquam flotulentos surculos, in illos Dei hortos à sæculi amœnitatibus feliciter transplantatos, ea dicit, quibus Moniales has prædelineasse videri possit. Præfatus enim de Monranorum, hoc est monachorum in montibus degentium asperitatibus,& vitæ duritiâ (quales Carthusiani) in Sanctimoniales bellè cadunt quæ subdit: *& quid de viris dico? Puella nondum 20. annos nata, quibus omnis illa ætas in thalamis,& delicato otio consumpta est; in thalamis inquam odoriferis, unguentis, at suavissimo thymiamatum odore plenis, quam lectis teneris decumbebant, tenera & ipsa naturâ, multoque & accurato cultu molliores facta; quæ totos dies nihil aliud habebant operis, quam ornare seipsas, aurum gestare, multisque deliciis frui; ne sibi quidem ipsis inservientes; sed plures circa se famulas ad omnia promptas habentes; quarum vestes tenera, ipso etiam corpore teneriores, linteaque tenuia, & delicata erant, quæ in rosis etiam, similibusque fragrantiis continuè versabantur; istæ mox, ut igne Christi correpta sunt, omnem illam mollitiem, delicatamque naturam exuta, educationisque pariter, atque ætatis suæ oblita, in media certamina proruerunt. Et videbor forte incredibilia dicere, sed vera sunt: audivi quippe ego eas virgines olim quidem, ut dixi teneras, quæ seipsas tamen postea tam austera disciplina dediderunt, ut indumenta pilosis asperiora, nudis imponerent corporibus, & plantis quondam sericis, at aureis sandaliis assuetis, jam nudis incederent, herbidoque thoro cubarent: imò majorem noctis partem vigiliis insumerent. Mensam verò haberent vespertinam duntaxat, mensam inquam non olerum, nec panis, sed siliginis, fabarum, cicerum; opera vero earum, continuum lanificium, & quæ duriora essent, quàm quæ famula domi præstarent. Quid enim? corpore languentium curam susceperunt, lecticas bajulantes, pedesque abluentes. Quin etiam pleraque illarum, coquinæ inserviunt. Tanta potest ignis Christi, adeò mentis alacritas naturam ipsam superat.* Nihil hic de sui temporis Parthenonibus, à S. Chrysostomo refertur, ac celebratur, quod in hisce S. Brunonis filiabus non æque splendidè, aut etiam splendidius emineat. Porro sanctissimus hic Patriarcha (*quem virum de cælo delapsum*, jure meritissimo Bosius compellat) per se, suosque,& suas, instauravit illam priscorum Patrum,& ascetarum solitudinem propè collapsam; unde sic D. Bernardus vobis gratulatur: *Auditu auris audiveramus, nec credebamus: legebamus in libris, & mirabamur de antiqua* VITÆ SOLITARIÆ *gloriâ,& magna, in ea, gratia Dei: cum subitò invenimus eam in campis silvæ, in monte Dei, in monte pingui*, in sanctâ vestrâ, de qua agit, Carthusiâ; in qua vixisse quàm securum, atque in eâ mori quàm suave, quàm jucundum sit, nemo nisi expertus effari poterit; illudque argumento sit, quod *è cella in cælum ascenditur*, & nemo qui in Ordine perseverarit, ut supra diximus, damnetur, sed omnes beato fine vitam claudant, ut ex iis quæ divinitus manifesta sunt, pluribus comprobabo. Quare vivum Carthusiani symbolum referre cygnum, proprietates omnes, quas enarravimus, candoris, solitudinis, silentii, satis testantur. Superest, ut queadmodum cygnus cantando moritur,& moriendo cantat, vobis non minus, quam cygno competere, demonstremus; ut de quoque vestrum usurpare possim, quod de fratre suo Gerardo, Bernardus.

Chry hom 13 in epist. ad Ephes. in morali.

Laus Chrysostomi de virginibus, quæ amore dei incensæ, mundum & carnem generosè triumpharunt.

Applicatur sanctimonialibus Carthusianis.

Bosius de signis Eccl. 22. c. 35.

Bern. cit.

Bern. cit.

§. III.

CARTHUSIANUS *cantando moritur, moriendo cantat.*

Bern. ser. 26 in cant.

NIhil vetustis Scriptoribus, ac sanctis Patribus usitatius, quam suavem cygnorum cantum sub mortem, cujus vel memoria, mortalibus amara,& terribilium omnium terribilissima, deprædicare. Philosophorum Princeps Aristoteles: *Cygni*: inquit, *canere soliti sunt, præcipuè jamjam morituri*; hujus auctoritate nixus Ælianus scribit: *In mari Africo olorum gregem, cantum*, TANQUAM EX CHORO *suavem, præternavigantibus præbere*. Hinc illa priscorum vatum præconia:

Carthusianus cantando moritur, instar cygni.

Arist. de hist. animal. l. 9. cap. 12.

Ælian l. 10. de animal. c. 30.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua,
Cantator cygnus funeris ipse sui.

Mart l. 13 epist. 77.

Alter verò:

Sic ubi fata vocant, udis abjectus in herbis,
Ad vada Mæandri, concinit albus olor.

Ovid ep. 7.

Est & illud Senecæ:

Candidas Ales modò movit alas,
Dulcior vocem moriente cygno.

Seneca in Hippol.

Tum, quod per omnem vitam pertinaciter servarunt, silentium abrumpunt,& voce hactenus inauditâ, per proceri colli organa, suavissimè modulantur, ut argutè S. Ambrosius tradidit: *Cygnus*, inquit, *cur prolixiore collo utatur, in promptu est, quia suavior & magis canorus per protera modulis colla distinguitur,& longiore exercitatione, purior longè resultat,*

Ambr. l. 5. hexam c. 22.

- - Et longa canoros
Dant per colla modos, liquida inter nubila cygni.

Virg. l. Æneid.

Accedit luculentum Alberti Magni testimonium: cygnum cæteris aquaticis præstare, *quod solus inter magnas,& aquaticas aves, musicus existat*. Atque ut alios innumeros prætereAm, D. Hieronymus veteres scriptores collaudans, illos jam *grandes natu*, CYGNEUM *quid, & solito dulcius, vicinâ morte continuisse* affirmat.

B. Albert Magn. Aldrovandus Ornith l. 19. cap. 1.

Hieron. epist. 2. ad Nepotian.

Cygni itaque cantando moriuntur, & moriendo cantant, suavissimæ ac beatissimæ mortis præcones. Contra verò Sirenes, quæ vitam omnem canendo, ludendo, lasciviendo duxerunt, immani ejulatu, horribili lamentatione, ad cautes,& syrtes sese allidendo, miserabili desperatione, vitam abripiunt. Quæ dum animis vestris obversantur, nemini non illicò in mentem venit, in cygno suavem & amabilem viri justi, ac Religiosi obitum; in Sirene verò, amaram,

Mors peccatorum, qualis Sirenû, amarissima delinbitur.

maram, & terribilem hominis mundani, ac peccatoris mortem pessimam, vivis coloribus adumbrati? Et quoniam ad illos mihi sermo est, qui cygneo cantu exspirare consueverunt, in exemplum adducam, quod S. Bernardus de obitu fratris sui Gerardi, oculatus testis deprædicat: *Iam tibi frater mi, nocte adhuc media discebat. nox sicut dies illuminabitur. Accitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, & insultantem morti: UBI EST MORS VICTORIA TUA? UBI EST MORS STIMULUS TUUS? jam non stimulus, sed jubilus. Iam* CANTANDO MORITUR HOMO, ET MORIENDO CANTAT. Hæc de suo, & sanguine, & sanctitate germano, beatissimus Pater; nonminus de spirituali filio gloriari potest sanctissimus Patriarcha *Bruno*. Religiosum juxta ac ingeniosum Scriptorem, Laurentium Surium, cujus sanctos labores, virumque de Ecclesiâ optimè meritum, sanctissimus Pater Pius V. brevi Apostolico collaudavit, ipsum audire. S. Hugo ex celebri Carthusiensium familiâ, ad infulas Lincolnienses, quamtumvis invitus, pertractus, sui in urbem adventus, *prænuntium cygnum*, subito advolantem, sibique familiarem habuit; jamque post vitam, eximiâ sanctitate, & divinis prodigiis laudabiliter actam, optati ac beati obitus diem (quem inter suavissimam cælitum melodiam clausit) arguto cantu *idem cygnus* præsignavit: *Non potuit, inquit, vacare mysterio, quod avis candida, imminens mortis periculum nuncians, viro innocenti, pio, ac puro, mortisque minas nil formidanti, non absque nutu divino, transmissa est, Sancti enim vitam in patientia, mortem habent in desiderio.* Talis exstitit *in firmamento Ecclesiæ*, „Ordinis vestri *fulgidum sidus*, JOANNES „LANSPERGIUS, inter Ecclesiasticos Do„ctores non postremo loco numerandus, qui „corpus jejuniis, vigiliis, flagellis, ciliciis, insu„per & ferreâ loricâ domando, ex eorũ numero „fuisse non dubitatur, *qui vitam in patientia, mortem habent in desiderio*. Cumque *cygnus verus justi typus sit*, hic cælitus submissus, cygnea sua voce, felicem, ac suavem S. Hugonis mortem vivacissimè expressit; etenim qui sic vixit, *cantando moritur, & moriendo cantat*; secus ac filii hujus sæculi, carni, & sanguini immersi, in hoc mari magno, divitiis, ac deliciis affluentes, Sirenum instar, dolore, & horrore summo, horribilique comploratione, avelluntur. Quid vero causæ sit, quod *cygnus* præter omnium animantium naturam, in morte tam dulciter canat; Siren autem immane quantum lamentetur, nonnulli ex Aristotelis problematis referunt: quod cygnus optimum habeat sanguinem, qui sub mortis angustiis ad cor confluit, illudque suavissimè afficiens, in amœnissimum melos voces resolvat. At Siren, corruptum sanguinem nutrit, qui sub mortem sese ad vitalia recipiens, hos terrificos ejulatus & vociferationes ciere solet. O! si coram, oculis intueri liceret, quam corruptus ex nimia crapula, temulentia, luxuria, peccatorum sanguis, intus hominem moribundum exagitet, atque excruciet! quamque gravis iracundiæ, invidiæ, vindictæ sanguis, cor ejus an-

Bern. in eius ser. 6.

Surius 17. Novemb.

In vita [...]te ope[...]

Auctor vitæ. Aldrovand. Ornith. l. 19. I.

Bern. cit.

Laboratæ mors Sanctorũ.

Aristot. in proble mat.

Motale de morte [...]isti, & [p]eccato[...]

gustet, premat, lancinet, ut in amarissimas, & maximè horrificas voces, furiarum instar, ejusmodi prorumpere cogantur! At viri justi ac Religiosi, longè jucundissimum sui præbent in morte spectaculum; tunc enimverò suavissimus ille casti pectoris, sobriæ mentis, & mitis cordis sanguis, animum exhilarat: tunc ille haustus è Christi latere, & Virginis ubere, suavissimus sanguis, & lac, ad intima penetrans, cygneas voces cogit modulari: Tunc *cantando moritur homo, & moriendo cantat*. Ita enim ab æternâ providentiâ ordinatum est: qui receperunt bona in vita sua, latam, & spatiosam viam ingressi, & omnibus quæ desideravit anima, indulserunt, tormenta patiantur; qui verò mala, & adversa perpessi, arctam, ac angustam salutis viam, in jejuniis multis, & omni rerum penuriâ ingressi, cum Lazaro ab Angelis, cygnæis alis, in sinum Abrahæ deportentur; quidni vos, beatæ vitæ candidati, CYGNEUM *quid, & solito dulcius vicinâ morte concinatis*, quibus certus *è cellâ in cælum* transitus, quibus ab ipsâ Dei Matre, data tessera salutis æternæ, quod variâ, & manifestâ visione contestatum reperio. Tyro unus aliquis in vocatione vacillans, imò sollicitanti ad fugam satanæ, jam victas dans manus, cum per Carthusiæ cœmiterium transiret, suum in spiritu magistrum, ea ipsa die vitâ functum, cum alio monacho pridem mortuo conspexit; tum iis docentibus comperit, omnes qui in eâ sepulchrali areâ tumulati erant (erant autem quamplurimi) sanctos esse, atque æternâ jam requie gaudere, dempto unico fratre laico, proprietatis leprâ olim infecto. Visum transfugæ profuit, ubi tantâ Sanctorum multitudinem, uno capi sepulchro deprehendit; quo in numero, ut & ipse censeri posset, sibi, & Religioni, à qua jam mente abierat, est redditus, resumptoque habitu.

Bern. cit.

Virg. Ecl. log. 9.

Hieron. epist. 2. ad Nepotian.

Fast. Marian 6. Oct.

Petrus Sutor. l. 2. cap. 4.

Dorland.

Fit subitò cygnus, qui modò corvus erat.

Martial.

Quot si in unâ Carthusiâ tot Sancti, tot Beati, quod existimatis in omnibus hujus florentissimæ Religionis orbe toto sparsis à ceteris? tot certè, quot nec cygnæis pennis, scribæ velociter scribentes exararent. Nam si Carthusiensiũ agmina, ad amœnissima beatorum vivaria translata cõtueri daretur, facilius quis multitudinem stellarum, quàm eorum numerum complexus fuerit: quid enim aliud ominis fuit, quod numen fugam è mundo Brunonis, sociorumque sex, totidem sancto Hugoni stellis significavit? nempe tot, instar stellarum, firmamento cæli inserendos; quotquot sese ad hunc sanctissimum D. Brunonis Ordinem adjunxissent, Hujus rei testis & arbiter, ex altero orbe redux, de quo Dorlandus. Anno Christi 1430. adolescens quidam vitâ functus Romæ, duodecimo ab obitus sui die, ad vitam redit, cum plurimorum hominum admiratione, & confluxu; videns autem in circumstantium turba, unum Carthusianum, vestimenta illius apprehendit, dicens: scitote fratres, quod cælũ omne talibus personis plenum est. Atque hæc effatus, paucis post diebus rursus obdormivit in Domino, At si forte quempiam reperire

Facilius stellas, quam Sanctos huius Ordinis numerare.

Surius in vita

Dorland. l. 5. c. 26.

Luc.16. v 31. Matth.18 v 16. Dorland. cit.c.27.

esset tantæ pervicaciæ, ut etiam si *quis à mortuis resurrexerit*, non credat; alterum cum Paulo raptum inducit, *ut in ore duorum testium stet omne verbum.* Similiter Daventriæ, quidam Hierunymianus raptus in spiritu, ad cælestia contemplanda, cum ad se rediisset, & à suo Superiore interogatus esset, num etiam in cælô Carthusianos vidisset, qui tam rigidam vitam ducunt in terris? Respondit: *Vidi mi Pater, & quasi apum examina illic confluunt atque conglomerant: cælum illis plenum est.* Hisce dictis placidissimè expiravit. Nunc verò, si eidem beatorũ albo, Sanctimoniales, Brunonis Institutum amplexatas, attexere voluero, argumentum voluminibus implendis idoneum nactus fuero. In speciem, ac specimen paucas Induco. Margareta de Dion cœnobii Pauletini, prope Lugdunum Monialis, mirâ floruit sanctimoniâ, Christi ipsius familiaribus alloquiis sæpè fruita, & aliquando ejusmet manu, facta divini cibi particeps, cum partem Hostiæ sacrificantis, Christus ipse visibiliter conspicuus decerpsisset. Sed ô præcelsos ad omnem sanctitatem animos in *Beatrice!* cui paratum fuit ad sensum aliquem vulnerum Christi capiendum, perforasse sibi manus, nisi singulis sextis feriis obductionem vulnerum prohibitura, adacto clavo ferreo, ea revocaret. Digna cui Christus ipse, specie, cruci confixi, contuendos objiceret sacros illos pretii nostri fontes, & insignibus illam cælestis lætitiæ sensibus perfunderet, nec paucis revelationibus honestaret.

Idem l. 5. Chron c.3 Raynaud. cit.

Moniales Carthusianæ sanctimoniâ eximiæ.

Quibus verò coloribus, præstantissima sanctimoniæ insignia, quæ in *B. Rosselina*, hujus instituti moniali micuerunt, conspicienda dabo? Cum fulgor viventis adeò oculos perstringat, suffecerit notasse sacrum corpus, ab anno 120 quo excessit è vita, in hodiernum diem incorruptum perseverare, ac plurimis miraculis coruscare; è quibus illud nemini obscurum esse debet, sanctæ puellæ oculos è suis locellis exemptos, & pixidi seorsim inclusos, raro miraculo, æquè vigere, & vivaci lumine contuentes ferire, ac cum Virgo superstes erat; cum tamen in aliis defunctis, primo langueant, & concidant. Hæc oculis sacræ Virginis gratia à Deo facta creditur, quod illos infami proco, pro clypeo clausos obiecisset, nec ullo immundo conspectu fœdasset. Mitto alias innumeras hujus Instituti Sanctimoniales, omni virtutũ genere, ac cælestibus favoribus conspicuas. Benè longum elenchum, Raynaudus noster, aliique contexuere, quæ omnes in Domino beatæ mortuæ, cygnæâ morte obiere.

L.5.c. 34.

Oculi B. Rosselinæ è cadavere exempti lucent ut vividi.

Vestram itaque, *Admod. Venerandi Patres*, beatam sortem, vobis gratulor, & cum B. Alano laudo, & applaudo: Gaude inquit ille, & lætare, *O Religio Carthusiana*: tu enim sacrosanctæ Ro-" manæ Ecclesiæ filia es prædilecta. Tu à tem-" pore primæ nativitatis tuæ, numquam ma-" culam in gloriam tuam, per deformitatem," nosceris dedisse. Tu propter altissimi creatoris tui amorem, esui carnium perpetuo obrenun-" tiasti! Tu asperitate ciliciorum, ob amorem" Passionis Christi, incessanter affligi non recu-" sas. Tu vigiliis, jejuniis, orationibus carnem" tuam mortificare, suis cum concupiscentiis," non refugis. Tu in silentio, quiete, & solitu-" dine cellæ, Creatori tuo cubiculũ cordis tui," per dulces meditationes, præparare delecta-" ris. Tu evagandi materiam per sæculum, ob" arctiorem tui custodiam, stabilitatis voto" strictius tuis interdixisti. Ac tandem: *Tibi è cellâ, in cælum, facilis patebit ingressus.* Quæ ram rara hujus excelsissimi instituti decora, cum à me altius extolli, & amplius exornari non queant, amico vobis silentio favebo, id unum, unde omnis laus tam laudabilis Ordinis promanavit ingeminando:

B. Alanus de Rupe Beyerlinck theat. lit. R pag. 239.

Bruno tuum nomen (vivat Carthusia sancta)
Cantantes sublime ferent ad sidera CYGNI,

Virgil. Eclog 9



FESTUM

FESTUM

SERAPHICÆ VIRGINIS, SANCTÆ MATRIS, AC MAGISTRÆ, 15. Octob.

THERESIÆ,

CARMELITARVM DISCALC. FVNDATRICIS.

Volavit ad me unus DE SERAPHIM. Isa. 6. v. 6.



Meus ignis IN ILLA EST. Ovid.

ARGUMENTVM.

STerile profectò laudandi argumentum nactus videor, qui de fœmina, sexu fragili, & imbecilli, idque ad viros, verba facturus sum; sed non leviter me animari sentio, dum ea mihi fœmina oblata est, quæ supra fidem fortis, supra virum prudens, supra Theologos erudita, totâ Angelici Doctoris Theologiæ Summam scientiâ cælitus infusâ, complexa est; quam cælestis sponsus adoptavit, & non sine mysterio, primû laudavit, à primis, quos fixit, virtutum gressibus. In omni quidem ornatu, & mundo muliebri, quo Judith ad miraculum exculta fuit, sola Regis Assyriorum oculos rapuerunt, & quasi dementarunt calceamenta: *Sandalia, tua*, inquit, *rapuerunt mei* magnus etenim olim, & etiamnum calceorum luxus dominatur. Sed ad propositum nostrum, mystica sponsæ, *Theresiæ* sandalia, plus virtutis habuisse, ut oculos cælestis Regis, quam Judithæ, ut raperent oculos Holofernis, Celada noster, eruditus Interpres exponit. Nam præter gressus, & progressus, quos *Theresia* à teneris pulcherrimos fecit, illud insuper notandum est, *sandalia* soleas esse, plantis substratas, quæ nudos supernè pedes relinquant, ut qui iis utitur, *Discalceatus* sit: quod & de Angelis S. Dionysius deprædicavit, quos *nudipedes, & Discalceatos* depingit. At quis animo complecti possit, hujus sponsi & sponsæ Discalceatæ delicias, & favores? cui unquam dictum est: *Iam ipse sum totus, & tu tota mea?* cui mortalium obtigit igneo telo à Serapim cor transfigi, & inflammari, ut sponsam Christi extinxerit, quod etiamnum spirans & ardens, miraculum & spectaculum perpetuum est. *Iudith 16* *Celada hic.*

§. I. *Quàm pulchri sunt gressus tui, in calceamentis, Filia Principis?* Cant. 7. v. 1.

§. II. SPONSABO TE *mihi in sempiternum*. Oseæ 2. v. 19.

§. III. *Sponsus sanguinum tu mihi es.*

§. IV. *Veni de Libano* SPONSA MEA, *veni coronaberis*. Cant. 4. v. 8.

FESTUM

SERAPHICÆ VIRGINIS, SANCTÆ MATRIS AC MAGISTRÆ

THERESIÆ,

CARMELITARUM DISCALC. FUNDATRICIS.

Hanc amavi, & exquisivi SPONSAM *mihi eam assumere.* Sap. 8. v. 2.



Olent qui in hocce clarissimo litterarū emporio, coram amplissima Ductorum, Procerum corona è suggestu perorate Oratores, in eo non mediocriter censeri felices, quod ut plurimum ejusmodi náscantur argumentum, in quo & delectandi jucundè, & docendi argutè, & monendi acutè, seges uberrima suggeratur. Enimverò quî etiam infantissimo deesse posset vel materia ad dicendum, cui magni *Augustini*, excellens in omnem partem, ac propè divinum ingenium; vel ubertas ad laudandum, cui *Thoma*, sine comparatione maxima, prodigioque simillima doctrina: vel acrimonia ad inflammandum, cui aut *Bernardi*, aut *Dominici*, aut *Francisci*, aut *Lojola*, similiumque sanctimoniâ præstantissimorum Heroum, tanta illa virtutum quanta humana & natura, & conditio capere potest ornamenta, proponuntur argumentum ad perorandum?

Quapropter cum illo me præsidio quo cæteri fulti, in pulpito, velut in sublimi eloquentiæ theatro, magno fremitu, plausuque celebrati, & pompas ducere admirabiles solent, haud nesciam me destitutum, magnopere me deterreri à dicendo, ac perturbari sentio: cùm ejusmodi oblatum sit argumentum, in quo difficillimum erit dignam adferre aut tempori gratiam, aut materiæ copiam, aut expectationi facultatem.

Dicendum enim est de fœmina ad viros; quid importunius pro loco? Dicendum de ea, quæ litterarum admodum rudis, ad eos, quos omnes litteras & scientias natura genuit, disciplina excoluit, multorum annorum consuetudo assuefecit; quid incommodius pro personis? Dicendum de ea, quæ uti sexu abjecta, viribus infirma, corpore debilis fuit, ita nil excelsum, nil magnificum, nil dignum hoc nobilissimo concessu promittere posse videtur; quid humilius pro materia?

Sed tamen in eo magnopere & mihi lætandum, & vobis gratulandum est, quod illa mihi hodie oblata sit fœmina ad laudandum, quæ supra fidem fortis, supra virum prudens, supra invidiam magnanima, atque adeo præter omnium expectationem erudita, & viros summos adæquavit scientiâ, & fœminas omnium gentium, omnium sæculorum, omnis memoriæ (Mariam semper excipio) virtutibus anteivit, hoc est THERESIA, cujus vel audito nomine maxima omnium virtutum absolutio, auditorum animis obotitur.

Illud igitur est mihi in hac oratione maximè propositū, quibus potero rationibus fortissimis probare, hanc inclitam viraginem arcano quodam numinis afflatu instructam in ea quæ reliquarum omnium scientiarum princeps est (quod uti dictu mirabile, ita creditu difficile videbitur) *in Theologiâ* inquam ad miraculum usque effloruisse. Quod ut distinctè & ordinatè demonstrem, in dubiis fidem, in confusis ordinem, in obscuris facem, is qui omnium Theologorum apex est *D. Thomas* (nunquam sine præfatione Angelici Doctoris nominandus) præbebit? qui uti in tres partes Theologiæ Summam, ita in tria ego membra orationem distribuam, ostendamque omnia quæ S. Thomas expressit scribendo, eadem Theresiam adumbrasse vivendo; quod ubi probavero, tum demum vestrûm quisque judicabit, nil potuisse vel accommodatius pro loco à me dici, vel gratius pro hoc concessu à vobis expectari.

Probatur S. Theresia in Theologia supra omnes Doctores eminuisse.

Ac primum quidem ex omnibus scientiis, quæ solent maximum conferre præsidium ad veri Numinis contemplationem, actiones honestè peragendas, ac præstitutum finem consequendum nulla omnino est scientia (ignoscant mihi doctissimi Sophorum Magistri, dent veniam peritissimi Mathematici, non indignentur expertissimi Medici, boni consulant consultissimi Jurisperiti, si vocem eliciam quam cogit ratio, extorquet veritas) nulla inquam est scientia, quæ vel certiora tradit præcepta, aut præstantiora præbet documenta, quam illa quæ inter omnes scientias veluti Regina tenet Principatum *Theologia*. Cùm enim duo sint, quibus omnis humana, divinaque Sapientia

Theologia omnium scientiarum præstantissima.

tia continetur, rerum contemplatio, & honeſtas actionum, hæc eadem tam aptè dirigit, tam concinnè ordinat *Theologia*, ut in altero nil requirere poſſit, ad ſui perſectionem intellectus; in altero nil deſiderare voluntas.

Atque ut inde ſumam exordium dicendi, unde duxit principium Theologiam ſcribendi Princeps Theologorum Divus Thomas, illa quæ ab eodem in eruditis ſuis monumentis, *prima pars* dicitur, magnificentiſſimum humano ingenio aperit theatrum, in quo magna illa æternæ mentis decora & ornamenta ſpectabilia proponuntur. Ibi viſuntur rationes providentiæ admirandæ: ibi Genitor condit, Filius ſpirat, Spiritus afflat, ſol unus tribus luminibus conſpicuus, hypoſtaſeon varietas, beatiſſima & unica Trinitas: ibi ſævit juſtitia, placat miſericordia, cogitat ſapientia, amat bonitas, loquitur veritas, operatur potentia, terret majeſtas. Quæ omnia non obſcurè, & velut in ænigmate, ſed perſpicaciſſimo mentis oculo, *Thereſia* licuit intueri: nam ut Ribera, Præſul Taraſſonenſis, aliique viri graviſſimi, quibus arcana cordis ſui aperiebat, teſtantur, non raro ad *ipſam ſanctiſſimæ Triados majeſtatem, eiuſque ſapientiam, bonitatem, potentiam, immenſitatem, ceteraque ut vocant, divina attributa contemplanda, aliaque arcana, quæ non licet, nec ut ipſa fatetur, poterat homini loqui, cum Paulo rapiebatur.*

Ribera Tepes in vita part. 1 cap. 30.

In illo ſacroſancto æternæ ſapientiæ gymnaſio, cæleſti magiſterio imbuta ab eo, qui loquitur ſine voce, docet ſine ſtrepitu, inſtruit ſine præceptis, clariorem hauſit ſcientiam, altiorem ſapientiam uno momento, quam omnibus ſæculis vel è memoratiſſimâ Zenonis porticu Stoici, vel ex erudito Ariſtotelis lycæo Peripatetici, vel è docto Minervæ Athenæo Græciæ Profeſſores, vel è facundis Tullii roſtris Latini Oratores univerſi. Ipſa de ſe loquatur: *Hanc ſibi ſingularem gratiam impertitam, ut divini luminis radio, ſubitò intellectum in ictu oculi penetrante plura, ac maximè ſublimia veritatis æternæ myſteria cognorit, quàm multi annis ſubtiliſſimi Theologi ſuis argumentis & documentis manifeſtaſſent.*

Quid in [illegible] cognovit.

Ibid.

Si hæc per tranſennam in ictu oculi; quæ non divinæ ſapientiæ lumina hauſerit, dum *cæleſtem Magiſtrum annum integrum lateri adhærentem, comitantem, alloquentem,* ET DOCENTEM *habuit?* Certe frequentiſſima mentis ſuſpenſio, ſuaviſſimæ cum Deo ſermocinationes, altiſſima quies, arctiſſima unio, vehementiſſimi amoris impetus, teneriſſima blandimenta, quibus ejus ſcripta reſperſa ſunt, quamvis è pluribus pauca, & ea imperio coacta digeſſerit, abſolutiſſimam hujus divinæ ſcientiæ perfectionem, & peritiam ad alios inſtruendos, *divinitus infuſam*, ſatis ſuperque eloquuntur; ut non immeritò à graviſſimis Theologis aſſertum ſit (quod maximum adfert pondus ad illud, quod unum mihi in hac oratione propoſitum eſt, ſtabiliendum) potuiſſe Thereſiam illam ſapientiam de Deo, & ex Deo hauſtam tradere ac docere eo pacto, quo ſummi Theologiæ Protodidaſcali, & Profeſſores eandem in litteratis Academiis, & in exedris ſolent explanare. Teſtis celebris illa Salmanticenſis Academia, à qua laureâ donata, *& ſupernaturalis ſapientiæ* DOCTRIX, *ac ſpiritualis doctrinæ* MAGISTRA ſplendido elogio *nuncupata eſt*. Quod nemo quiſquam mirabitur, qui octoginta quinque teſtibus doctrinam ei à Deo cælitus infuſam, fidem adhibuerit: ſi faciem ejus dum ſacras commentationes ſcriberet, cæleſti luce coruſcantem, & Spiritum ſanctum columbæ ſpecie ſeſe exhibentem attenderit, quas ut inoffenſo pede decurramus, ſummi Pontificis Urbani VIII. evincit auctoritas, dum hortatur ut CÆLESTIS EIUS DOCTRINÆ PABULO NUTRIAMUR, *& piæ devotionis erudiamur affectu.*

In lib. vitæ cap. 8. Elias de Thereſia. Legatio E. el milit. tom. 2. pag. 1469. num. 16.

Doctrina cælitus infuſa

S. Thereſia theologiæ Doctrix & Magiſtra.

Elias de Thereſia cit. tom. 1. pag. 612.

In actis Canoniz.

Elias de Thereſia cit. pag. 1470.

Ecquid cenſetis vos magni ac eximii Theologiæ, aliarumque ſcientiarum Magiſtri? an non in meam ſententiam, qua judico illam in hac prima Theologiæ parte omni ex parte eminuiſſe, & manibus & pedibus ambulatis univerſi? quandoquidem divina & perſpicaciſſimè mente perceperit, & doctiſſimè litteris conſignarit, & conſtantiſſimè operibus præſtiterit, ita ut ejus dicta, ſcripta, facta, cogitata omnia, ſingula, univerſa, divinitatem quandam ſpirare viderentur. Cujus rei veritatem vir è Divi Franciſci Familiâ, ſanctimoniæ famâ toto orbe celeberrimus, *Petrus de Alcantara*, hoc ſuo elogio veluti cæleſti oraculo confirmabit, & meam ſententiam veluti aureo ſigillo obſignabit. Dictitare huic viro ſolenne erat, exceptis Catholicæ fidei aſſertionibus, *nil ſibi certius, quam* THERESIÆ *ſpiritum eſſe divinum.* O fœminam omnium qui ſunt, fuerunt, erunt, in hac arcana myſticæ Theologiæ ſcientia facile Principem! ô mulierem humanè divinam, divinè humanam! in qua nil eſt muliebre præter nomen, nihil humanum præter figuram!

In vita. Elias de There. cit. pag. 1473.

Nunc autem ut à Deo ad Dei nobiliſſimos miniſtros, ad illos pulcherrimos ſupremæ aulæ Proceres, cæli Palatinos, Angelos inquam (de quibus in primâ ſuâ parte Angelicè planè D. Thomas in eruditis ſuis monumentis ſcripſit) orationem convertam, quàm illa eorum indolem, naturamque clarè perſpexerit; loquelam perceperit, & ab iis myſticâ Theologiâ inſtructa fuerit, pronum erit non obſcurâ aſſequi conjecturâ, ſed certo conficere argumento, ſi primo quod ſit cæleſtium illorum heroum munus, tum deinde quanta illis cum *Thereſia* neceſſitudo interceſſerit; ego oratione demonſtrem, vos cogitatione expendatis.

Quid Thereſia circa naturam & locutionem Angelicam cognôrit?

Magni illi cælorum Conſiſtoriani Principes, qui ſupremo Monarchæ omnia imperio moderantis ſolium ampliſſimo gloriæ ſplendore ac majeſtate collucens circumambiunt, & regium ejus paludamentum per immenſa ſpatia latiſſimè diffuſum pronæ mentis reverentiâ exoſculantur, in eo maximè laborant, ut tanquam internuntii ultrò citroque miſſi, in illo abdito magni fori receſſu, pro ſalute noſtra feliciter negotientur: cæcaſque ac errorum caligine immerſas mentes, non minervæ auteâ lucernâ, aut Diogenis meridianâ laternâ, ſed radiis à divino ſole delibatis, ac nitore cæli illuſtrent, manifeſtiſque declarationibus illuminent.

luminent. Unde appellat illos Areopagia Pontifex: *Clara & illustria lumina, quæ habent manantes, & se foras effundentes illustrationes.* Præclarè Gregorius: *Secundos splendores, primi splendoris administros.* Magnificè Damascenus: *Secundaria lumina, quæ à primo lumine lucem hauriunt.* Divinè Chrysostomus: *Benignos phosphoros.*

Dionys. Areop. de cœlesti Hierarch.

Cum illis lucidissimis ephebis, velut eorum contubernalis, frequentissimum habebat commercium *Theresia*, cujus rei fidem faciet illud, quod modo referam, & omnibus est testatissimum. Erat quondam, cùm illa in suam se jucundissimam solitudinem, totam penitus abdidisset, ab ipsâ longè tumultuariâ sensuum consuetudine abrepta, in illud summi dominii sacrarium, ac lucidissimam æterni Solis caliginẽ inexplicabili splendore, fulgurantem admissa, in arcano mentis dicam otio, an negotio, illa verba à cœlesti sponso suo proferri audivit: *Nolo jam cum hominibus amplius,* SED CUM ANGELIS FAMILIARITER CONVERSERIS.

Hoc dicto, videor hîc mihi videre illos Olympicos Dynastas & divinæ familiæ Principes, ad Virginis cellam, velut ad *cœlum* suum facto agmine convolare, *Theresiam* verò in medio lapidum ignitorum (quos duo illa Ecclesiæ sydera Hieronymus & Gregorius, Angelos interpretantur) ambulantem ardore divino accensam, cœlesti splendori illustratam, nobiles illas Intelligentias, purissimos spiritus (de quibus Theologi nostri, ut cæci de coloribus fere mocinantur) intuitivè identidem contemplantem; sermonem & lucutionem (quam nemo hactenus Doctorum amplis voluminibus, prolixis scriptis, & dictis per umbram exprimere valuit) familiarissimam habuisse, & miscuisse.

Sed dum ego inter illos summi Dictatoris clarissimos apparitores, & lucidissimos genios animo defixus hæreo, mens clarissimis eorum radiis undique perstricta hebescit. Quare ex illo altissimo Dei domicilio, quo nos *prima Theologiæ pars,* & *Theresia* exquisita in eâ scientia invexit, ad sublunaris huius regionis caliginem & *secundam* eiusdem *partem*, quam in bina divisit membra D. Thomas, quorum alterum de legibus, peccato, gratia: alterum de virtutibus agit; quæ quia naturæ vires excedunt, supernaturales vocantur, gradum faciamus, in quâ sanè non mediocriter præstitisse *Theresiam* reperiemus & ita præcelluisse, ut sicut *in prima parte Theologiæ* primas omnibus eripuisse, ita *in PrimaSecunda*, secondas vix ulli reliquisse videatur.

In Prima Secundæ divi Thomæ quâ versata fuerit.

Et quidem quod *ad Primam Secundæ* attinet, quis unquam à Theologicâ scientiâ instructissimus Magister, leges seu divinas seu humanas tam clarè intelligendo assecutus est, quàm illa exactè eadem observando amplexata est? utpote cui voluntas Dei erat pro lege, consilia pro præceptis, nutus pro normâ, verba pro oraculis: quæque studia omnia sua, vota, verba, acta, vitamque omnem æternæ illius mentis regulæ jà quâ nunquam ad latum unguem deflexit) metiebatur. Unde & digna habita fuit, à qua Ordinis longè celeberrimi partim instituendi, partim reformandi posteritas potissimum initium, & fructum caperet uberrimum.

At quales, & à quo? Perfectiores & diviniores quàm Moyses in monte accepit, hæc Legislatrix afflante & dictante sancto Spiritu condidit. At qua observantia? (cujus unius defectu, Regnorum, Rerumpublicarum, Religionum orta est ruina) exactissimâ, & inviolabili, ut quod de Moyse tradit Gregorius Nyssenus: *postquam ex divino mandato semel cadaveroso pellium tegmento pedes exsolvit, nunquam deinceps calceamentis pedes cinxisse traditur,* in *Theresiam* ablissimè quadrent, quæ ubi semel Discalceararum cum omni rigore & vigore leges sancivit, nullo unquam tempore proterendas, firmissimè stabilivit.

Unde nescio quid prius admirer, quod majus extollam? An divinam in huc Ordine instaurando sapientiam, an hujus Ordinis ab ea instaurati, in legibus quas tulit, incredibilem constantiam.

Jam verò si de iis virtutibus, quæ in altera Theologiæ parte, quæ *Secunda Secundæ* in scholis solet appellari, explicantur, disserere velim, omnes in eâ virtutes certasse, omnes vicisse, cooperiam. De heroica fide, quâ nixa, tam præclara hæc mulier multa est opera, tam ardua, tam difficilia, ut in iis credendis fides ipsa vestra laboret. Quid incredibilius quàm Christi vexillum ad ipsas extremi orb. oras inferre, *Theresiam* ad Barbaros confugere, ut suo cruore fidem obsignet, morte confirmet? Quid tam inauditum, quàm mulierem ægram, solam, compeditam, ea pro Deo audere, quæ omnium virorum audacia reformidaret, contra torrentem rerum humanarum, totâ propè Hispaniâ in eam fremente, inter aulæ fulgura, inter excussam vim procellarum, inter jactus fulminum, sola spei, ac fiduciæ anchorâ inconcussam totam in se molem excipere, exceptum fortissimè sustinere, sustentatum cum laude & gloriâ, ad malevolorum, totiusque erebi invidiam, constantissimè tueri?

In Secunda Secundæ quam excelluerit in virtutibus Theologicis.

Præ his omnibus sentio me non parum inflammari dum luculentum illud divini amoris incendium, quo *Theresia* exarsit, & extincta est, à longè contueor: nec fames, nec sitis, nec persecutio, nec mors, neque vita illam separare potuerunt *à charitate Christi*, nec flumina obruere, ut tam exuberantes flammas extinguere, quæ ut vitæ historiis, vastis voluminibus exarata sint, ego dein paucis perstingam.

Mitto virtutes illas quibus quasi in cardine, omnis perfectio & sanctimonia versatur.

Una est, quæ omnium Theologorum hactenus exagitavit ingenia, difficillima *de gratiâ* controversia, ad cujus splendorem complures cæcutierunt, & in altam hanc caliginem ingressi, Andabatarum more, Eximii Magistri palpitarunt: cujus à cœlo haustam naturam, & essentiam *Theresia* penetravit, & intuitivè contemplata est; ei etenim divinitus datum est, *ut intuitivè, sicut in speculo, pulchritudinem animæ in gratiâ, atque in medio cordis, velut in centro suo & in anima sua, Sponsum suum intueri liceret;* quæ in materiâ, quæ posteris calamo consignavit, pauci capiunt, quia nun sapiunt.

In operis sua parte 1. cap. 20.

Venio

In tertia parte quâ excellua-ris.

Venio nunc *ad tertiam*, eamque postremam Theologiæ *partem*, in qua Incarnati Dei admiranda illa œconomia, & ab eo instituta sacramenta, à Divo Thoma tam piè scribuntur, tam clarè exponuntur, ut ad eam scriptis suis illustrandam non industriâ sua factus, sed providentia Dei natus videatur.

Necesse est, nisi in immensum velim excurrere orationem meam, amplissimum, qui hic mihi aperitur, campum in exiguum gyrum cõpellere. Prætermittam omnes quas cum Verbo infantulo habuit sermocinationes. & cum dilecto suo Sponso sub divino pabulo delicias, amores, & favores; unum propono, quod ejusmodi est, ut magis propter personam, quàm rem ipsam mirabile videatur. Tanta videlicet *Theresiæ & Christi* voluntates, amicitiâ fuisse conjunctas, ita illam in hujus consuetudinem divinis blanditiis, & cælestibus lenociniis sese immersisse, ut voluerit eam Christus non in amicam eligere, quod vulgare est: non in sororem assumere, quod rarum est: non in filiam adoptare, quod singulare esset; sed in Sponsam sibi adsciscere voluerit, quod post homines natos ab omnibus retro sæculis propè inauditum: quæ ut ad mores prolixius prosequar, dabitis mihi hanc veniam RR. PP. Ornatissimi Domini, ut ad circumfusam turbam me convertam.

§. I.

Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis: Cant. 7. v. 1.

S. Hierony. ep. 27. ad Eustoch. de laud. Paula. Masculus in S. Hiero pag. 44. Cant. 5. v. 9. thren. 2. v. 13.

EXordiri hîc mihi posse videor verbis *Hieronymi* & cum *Masculo* eruditissimo ejus Interprete, quæ ipse in encomio *Paulæ*, de Seraphica Theresia usurpate: *testor* JESUM *& Sanctos eius, ipsumque proprium Angelum, qui custos fuit, & comes admirabilis fœminæ, me nihil in gratiam, nihil more blandientium loqui: quidquid dicturus sum, minus est merito, quam totus orbis canit, sacerdotes mirantur, Virginum chori desiderant.*

Hæc præfatus, percunctari libet: cui comparabo te, *O pulcherrima mulierum*, aut *cui assimilabo te, filia Ierusalem*, Prima fronte, & amabili forma sese offert Sulamitis illa, quam cælestis Sponsus deperiit. Sed quid, amabo, fuit quod illum rapuit, quod speciosus ille præ filiis hominum, *amator factus sit formæ illius?* Gratiam captavit concinnis gressibus, & in admirationem rapuerunt prima vestigia, & exquisita calceamenta eius, ut attonitus exclamet: *quàm pulchri sunt gressus tui* IN CALEAMENTIS, *filia Principis*, ubi Clemens ille Alexandrinus scitè observat, olim nempe puellas subter calceos, seu cothurnos suos, aureos clavos gestare solitos, in quorum capitellis verba, aut symbola amatoria insculpta erant, quæ arenæ impressa, ab amasiis ponè vestigia sequentibus, studiosè legebantur: *multæ*, inquit, *fœminarum solea quoque amatorias salutationes imprimunt, ut per terram incedentes amatorios spiritus in incessu insculpant:* quibus corda adolescentum potentius, quàm aliis amatoriis munusculis, blanditiis, lenociniis, & philtris, pertrahebant. Aliter divinus Sponsus exarsit, visis gressibus, progressibus, & calceamentis *Theresiæ*; hinc porrò, locus Clementis Alexandrini si Celadam nostrum consulas, aptissimè congruit, qui ait: PULCHRI *ergò dicuntur* SPONSÆ GRESSUS: *quia quocunque se verterit, reliquit animi sui, & casti amoris notata vestigia, qui sacri Sponsi oculos, & amorem alliciunt.*

Sap. 8. v. 2

Cant. 7. v. 1.

Clem. Alexand. lib. 2. pæd. cap. 11

Celada in Iudith. ca. 16. v. 1.

Quid mirum, O Sponse Virginum, *si amator factus es formæ illius?* Quid mirum,

Si Virgine figis in unâ,
Quos mundo debes oculos?

Ovid 4. Metam.

Cùm prima hæc puellula teneris plantis angelicæ virginitatis impressa reliquerit vestigia, ut mox dicemus, & pluribus deducemus.

Purpuratus Doctor Hugo Cardinalis, illa Cantici verba: *quam pulchri sunt gressus tui* & c. sic exponit: *id est propressus tui in agendo, & patiendo speciosi*. Inde Virguncula nostra currere cœpit, ubi vetulæ, & deceptiti senes vix metam posuere: septennis fortia agere & pati, Martyrii desiderio exæstuans, & sanguis in venis bulliens, erumpere nitens, in Africam cum fraterculo Rogerio, *æternum, æternum* ingeminaos, clam omnibus, fugam adornavit. Vestigia legire, & Agnetem quindecennem, aliasque adolescentulas, quæ dilexerunt sponsum, ætate, & masculo animo prævertisse compertetis. Verissimè Tullius pronuntiavit: *virtutis cursum celeriorem esse posse quam ætatis*. Teneris in annis, in ipso primævo vitæ exurdio, *ingentes animos angusto in corpore versat?* Ut quod olim Seneca, de eâ rectè usurpare possim: *quemadmodum in minore corporis habitu, potest homo esse perfectus*, & ad unguem expolitus: *sic & in minore temporis modo, potest esse vita perfecta.*

Hugo Card in ant. c. 7. v. 1.

Cicero. Philipp 5.

Seneca epist. 93.

Sed præ his, divinissimè Ennodius agens de magnâ illâ animâ Pauli: *an quisquam dubitaverit etiam nunc an perfecta fuerit, quæ de perfectione cœpit: si legitimè coronanda est agone decurso, cùm currere cœperit à corona?* O si, non animam Pauli dumtaxat; sed & animulam *Theresiæ* penitius introspicere liceret, *nemo dubitaverit an etiam tunc perfecta fuerit, quæ de perfectione cœpit.*

Ennodius.

Quid *gressus & progressus* eius memorem? quibus ita profecit, ut primus hic vernabat in terris flosculus, omnibus mortalibus spectaculum primum quod fixit heroicæ virtutis vestigium, ipsis cælitibus fuerit miraculum? Valet hic quod Gislerius loco citato in cantica: *videbunt te* (O Theresia) *sanctitatis spectaculum; ita ut tu affectuum pedibus, pulcherrima dicenda sis & perfectissima: quis enim eorundem spiritualium pedum explicet pulchritudinem, ex jugi eorum progressu?*

Ghislerius in cant. cap. 7. v. 1

Cui assimilabo, aut cui æquabo te? Prodeuntem Bethuliâ video Juditham, quæ ut ajunt sacræ paginæ, *erat eleganti aspectu nimis*; insuper ind[illegible] *se vestimentis jucunditatis suæ, induitque* SAND[illegible]LIA PEDIBUS SUIS, *assumpsitque dextraliola, & lilia,*

Thren. 2. v. 13
Iudith 8. v. 13. v. 3. & 4.

Judith.16 v. 11. lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ornavit se. Nec hoc satis: cui etiam Dominus contulit splendorem.

Verum enimverò in hac tanta venustatis, omnisque mundi muliebris, & ornatus varietate, quid potissimum oculos, animosque Regis Assyriorum rapuit, incantavit, & quasi dementavit? SANDALIA, inquit, eius rapuerunt me.

Necessitas quidem calceamenta adinvenit: sed luxus, & lenocinium fœminarum, materiæ splendorem ac formæ elegantiam excogitavit: ut de Matronis Romanis graviter Tertullianus: *Latent in cingulis Smaragdi: & IN PERONIBUS* (id est calceis) UNIONES EMERGERE DE LUTO INCIPIUNT, quibus intuentium oculis insidiantur; nam si gemmati calcei non comparent, inutilis fastus tot impensis emitur. Mira ergo fuerit, & conspicua gratia, ac elegantia in Judithæ sandaliis, quæ præ reliquo omni ornatu Holofernem rapuerunt. Quæ expendens Didacus de Celada, rectè animadvertit mystica Sponsæ sandalia plus virtutis habere, ut ad se rapiant cœlestis Regis oculos, animosque: „ne verò, inquit, neglegentior censeatur pietas „virtutis, quam inconsulta temeritas vitii, „brevi hic perstringam mystici calceamenti „venustatem, ut non minus dicatur de calceis „Judithæ, *quod sandalia eius rapuerunt oculo* „*Holofernis, quàm quod Mystica Juditha* THERE„SIÆ, *sandalia rapuerunt oculos Dei.*

Tertullian. de habitu Mulier. cap. 7.

Celada in Judith. cap. 16. v. 11. §. 13.

Liber gressus, & progressus eius, ac sandalia, quæ in amorem rapuerunt Sponsum virginum, studiose prosequi. Doctissimus ille Doctor Dionysius Carthusianus in cantica: *hujus filia* (nempe Theresiæ) *gressus sunt pulchri, id est, actus, & progressus, atque spiritualis ipsius affectus, quibus tendit de via ad patriam, virtuosi sunt valdè, quia secundùm divina regulantur præcepta.* Ecquid ni pulchri, ac virtuosi gressus sint, qui sanctorum vestigiis institerunt? sic enim subdit: *pulchri, inquam, in* CALCEAMENTIS, *id est, per hoc quod sanctorum patrum exemplis ornantur, sicut pedes per calceamenta, quia præcedentium Patrum exemplaria opera imitatur.*

Dionys. Carth. in Cant. c. 7. v. 1 eluci dat. 7. art. 21.

Breviar. Dom. 11. Octob.

Totâ hac festivitate decantatur in Ecclesiâ: *Theresia* cum sanctorum Martyrum acta perle„geret, adeo in eius meditatione sancti Spiri„tus ignis exarsit, ut domo aufugiens, in Afri„cam transiret, ubi vitam pro gloria JesuChri„sti, & animarum salute profunderet. Quis gi„gantæis passibus puellam currentem assequatur?

Dionys. Carth. cit. art. 23.

Animæ sic agenti loquitur Sponsus cælestis: quàm pulchri sunt gressus tui! id est, valde virtuosa sunt tua actiones, & affectiones IN CALCEAMENTIS, *id est, in imitationibus exemplorum Patrum sanctorum, quos in omni sanctitate, & justitia Deo ministrârunt.*

Nec hoc satis, O *filia adoptiva principis summi*, aliatibi sponsi tui Christi Redemptoris sequenda sunt vestigia: quæ ut sequaris, sanguine decoravit. Hæc quàm generosè Seraphica virgo effecerit, testantur per spinas, & tribulos, per ardua & aspera gressus eius, & progressus. Dixerit S. Bonaventura: *sine vulnere nec volo, nec possum vivere, cum aspicio Deum meum pro me vulneratum.*

In vita.

Protulerit præclaram, omnique sæculorum memoriâ dignissimam sententiam S. Malachias Apostes, qui nec mortis, infamiæque metu deterreri potuit, quò minus sanguinolentis Christi vestigiis insisteret, in has voces, teste Bernardo, prorumpens: *sinite fratres, sinite me imitari Magistrum meum:* SINE CAUSA SUM CHRISTIANUS, SI CHRISTUM NON SEQUOR. Theresia famula Christi, à primis infantiæ gressibus Domini sui vestigiis continuò inhæsit, illud identidem diu noctuque ingeminans: *aut pati, aut mori*, ut sponso suo sanguineum, de quo postea, assimilaretur. Altè illa imbiberat, & expresserat illud purpurati suo sanguine Martyris Cypriani: *si ipse est salutis nostra via, qui* CHRISTUM VESTIGIIS SALUTARIBUS SEQUIMUR, *per Christi exempla gradiamur.* Tot filiæ, genetæ, opibus, & formâ florentes, huius Seraphicæ *Matris, Maria ab Incarnatione*, Christi stigmatibus intimè impressis cælitus decorata; *Angelica à S. Trinitate. Anna à Iesu. Anna de S. Bartholomæo. Genovera à S. Dionysio. Maria à SS. Trinitate. Maria à Misericordia. B. Magdalena de Pazzis*, omnes sanctimoniâ vitæ eximiæ, *Christum vestigiis salutaribus* secutæ sunt, & per eius exempla aliæ innumeræ gradiuntur. Quid tu adolescens, tu adolescentula, vanitatis vinculis irretita, adhuc moras nectis? dic cum Petro: *quare non possum te sequi modò:* quare calcato mundi fastu, non possum modò sequi humilitatis vestigia? soletter Augustinus, *quem nobis proponeremus ad imitandum, non habebamus: Omnes enim mortalitas hominum, superbiâ tumuerat, & si extiteret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant Prophetæ, Patriarchæ, dedignabatur genus humanum. Imitari hominem humilem, Deus factus est humilis* (humiliavit se usque ad mortem, mortem autem Crucis) *ut vel sic superbia generis humani* NON DEDIGNARETUR SEQUI VESTIGIA DEI.

Bern. in vita S. Malachiæ.

Cyprian. lib. de bono patient. morale.

Ioan. 13. v. 37.

Aug. in Psal. 33.

Etiamnum pudet, aut pigeti famulum, aut ancillam sequi vestigia Domini sui? Audi ex Romanâ arce, Ecclesiæ Principem detonantem: *Christus passus est pro nobis, ut* SEQUAMUR VESTIGIA EIUS; ubi S. Thomas subdit illud Geneseos 33. vers. 14. *præcedat Dominus meus servum suum: & ego sequar paulatim vestigia eius.*

1. Petri. 2.

S. Thomas ibi.

Ad has voces plerique surdi, etiam in mundo se Dominum sequi, & animam salvare posse obtendunt; miserandum, ac deplorandum, si omnes sæculares à via salutis aberrarêt; quibus Hipponensis Doctor in illud psalmi: *à Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet*, disertè respondet: *ipse est Christianus, qui non aspernatur viam Christi;* SED VULT VIAM CHRISTI SEQUI PER PASSIONES IPSIUS: *noli per aliam viam velle ire, quàm per illam, qua ipse ivit: dura videtur, sed ipsa est tuta via; alia fortè delitias habet, sed latronibus plena est.* Exemplo res manifesta fiet. Duplex via Bruxellis ducit Antverpiam; una commoda, tuta, & brevis, navigio; altera pedestris ob excursiones militum, ac latronum, periculosa, ob infestam auram molesta, lutosa, longa; quis hic ambigat quin priorem, ponsi-

Psal 36. Aug. ibi.

mum

mum pretiofas fecum merces deportans, fecundo flumine & flamine eligat? nemo tamen inficiabitur, quin certiffima via ad cœlum è cella fit: quia ut loquitur Bernardus, *è cellâ in cœlum fæpè afcenditur; vix autem à cellâ in infernum.*

Bern. epift. ad fratres de monte Dei de vita folitar.

Quo fimul altera quorundam objectio refutatur, & corruit: non juffit hoc Deus, fed liberum reliquit confilia fequi. Cui verè folido argumento, egregiè refponfum aliquando à facerdote quodam Societatis noftræ, fpiritualium rerum perito: qui cùm infignem Theologiæ Doctorem fpiritualibus exercitationibus informaret, ufque à Deo fe vocari fentiens, hac ipfa quam diximus fallaciâ, vocationem eluderet: dic mihi, inquit Pater, fi neceffario in Indiam tibi navigandum effet, ac cum multæ naves præfto effent, aliæ meliores, aliæ deteriores; claffis præfectus in fuam te navim invitaret novam, & firmam, rebufque omnibus inftructam: an tu eius beneficio, & confilio contempto, aliam malles quaffatam, & cariofam, fuifque armamentis deftitutam, imperito navarcho confcendere? annon potius, ne amens, & ftultus fis, fummâ cum gratiâ acciperes, quod offertur? imo ultrò rogares, & urgeres? multo igitur magis ad evitandum animæ naufragium, & cœleftium bonorum jacturam, ea via infiftendum eft, is ftatus eligendus, qui nos tutos, fecurofque littore fiftat: quia *nulla fatis magna fecuritas, ubi periclitatur æternitas.* Quæ argumentatio ita evidens Doctori vifa eft, ut omni dubitatione fepofitâ, religionem, ut firmiffimam navim, ubi Chriftus clavum tenet, & crux pro malo eft, elegerit.

Platus de bono ftatus Relig. lib. 3 epilogo ad fecular.

Bernard.

Sed ad greffus, & progreffus Therefiæ revertamur, quæ dilectum fuum mundo fpreto, proximè fecuta eft, ut de illa ad cœleftem eius fponfum cum Bernardo exclamare quam: DILECTA TUA *relictis omnibus propter te concupifcit femper ire poft te,* SEMPER TVIS INHÆRERE VESTIGIIS, AC SAQUI TE QUOCUMQUE IERIS. Ut & tu fequaris, ftimulo fit illud Africani Præfulis: *per dura Chriftus ambulavit; fed magna promifit,* SEQUARE: *noli tantum attendere quo iturus: fed etiam quo venturus fis. Tollerabis dura temporalia; fed ad lætitiam pervenies fempiternam.*

Bern. ferm 21. in Cantica.

Aug in Pfal. 36. conc. 2.

Aliud infuper occurrit mirandum, & obfervandum *in calceamentis tuis, filia principis:* arcanum tegunt hæc verba cœleftis fponfi myfteriū: *fandalia ejus rapuerunt oculos meos,* Alcuinus lib. de offic. *fandalia* dicit, *genus effe calceamenti, foleam fcil. qua fubtus munit pedes à terrâ; fuperius verò nihil operimenti habet, & eo juffi funt Apoftoli indui à Domino.* Et Auguftinus agens de fandalis, ait illis indutos Apoftolos, *ita ut pes neque tectus effet, neque nudus ad terram.*

Cant. 7.

Iudith. 16 v. 11. Sopranis. David. de re veftiaria pag. 386.

Hunc primum Eulefiæ ufum induxit Therefia in Ordinem fuum, unde audiit à Sponfo fuo: *fandalia tua rapuerunt oculos meos;* dum novam Religionem Therefianarum velut Rubū ardentem, & incombuftum *Difcalciatarum* accedentem confpicio.

Primus qui in orbe Difcalciatus extitit, fummus ille fuit Ifraelitici populi dux, & legifer Moyfes, dum accedens ad rubum ardentem, Dominum à longè clamantem audivit: SOLVE CALCEAMENTUM *de pedibus tuis: locus enim in quo ftas, terra fancta eft.*

Exod cap. 3. v. 5.

Cornelius hîc: depofitio calceorum fignificabat, futuro duci, & ductori populi Dei, omnes curas, cogitationes, affectiones, & follicitudines terrenas, & mortali vitæ adhærentes, prorfus abiiciendas effe. Nil enim in eis mortale vult effe Deus, inquit Ambrofius. Hac de causâ *Angeli pinguntur nudis pedibus, &* DISCALCAATI, ut rectè S. Dionyfius de cœlefti Hierarchiâ cap. 15. *Hoc enim fignificat, quod liberi, abfoluti, & expediti, atque ab exterioris omnis abjectionis labe fint puri, & ad divinæ fimplicitatis fimilitudinem pro viribus tendant.*

Cornelius à lapide hic.

Quantò efficacius probare poffum, quod Religio *Therefia* fancta & immaculata terra fancta fit, cœleftis Paradifus fit, ubi illa non folum ut Moyfes cum uno Angelo, fed ut paffim Patres tradunt, cum multorum Angelorum frequentiâ fermocinatur: ubi quot animæ religiofæ, tot Angelicæ mentes, quibus *cella cœlum* eft, inhabitant, ad quod acceffuræ, calceamenta brutalium affectuum, & terrenarum follicitudinum de pedibus fuis depofuerunt: Theodoretus quæft. 7. in Exodum differens cur Moyfes juffus calceamenta deponere: *dicunt nonnulli ea re fignificaffe Deum, ut follicitudines feculares abiiceret, huic mortali vitæ adhærentes: nam pelles unde conficimus calceamenta, mortuorum animalium funt.* Abbas Claravallenfis vult his etiam carnales omnes affectus defignari, qui ad hanc terram fanctam acceffuris exuendi funt: *meritò,* inquit, *admiraris Moyfes fancte, & curiofius defideras intueri; verumtamen* SOLVA CALCEAMENTA OE PEOIBUS TUIS, *& involucra pone carnalium cogitationum, fi accedere concupifcas.*

Theodoret in exod. quæft. 7.

Bern ferm fignum magnum.

Moyfes quidem in Ægypto calceatus inceffit; at ubi ad terram fanctam ei accedendum, ut cum Angelo loquatur, calceamenta exuenda funt. Quid ni *Therefia* cum Domino os ad os locutura, ficut loqui folet amicus ad amicum, aut potius Sponfa cum cœlefti fponfo, calceamenta exuerit, & Difcalceata inceffetit?

Tu adolefcens calamiftrate, niridè ocreate, & concinnè calceate: tu filia vana, & vaga, quæ ut alium mundum muliebrem mitram, albis calceis, aut purpureis acupictis incedis, ex Ægypto inquit Ambrofius *tranfi ficut Moyfes* (ficut Therefia; & eius tot millium fequacium) *ut videas Deum Abraham, Ifaac, & Iacob, & videas vifum magnum* (qui typus vifionis beatificæ) *fed fi videre vis,* SOLVE CALCEAMENTA PEDUM TUORUM, *folve vincula fæculi, relinque calceamentum quod terrenum eft.*

Ambrof. de fugâ fæculi. c. 5.

Si ad terram fanctam, ad cœlum, quod Religio eft, accedere defideras, omnes illi venufti, fpeciofi, pretiofi calcei, cum fuis variegatis limbis, adamantum rofis exuendi funt. Communi paræmiâ pueris, & etiam provectioribus, qui nimis commodis, & cuti fuæ ftudent, paffim dicitur: *nemo cum caligis & calceis cœlum ingreditur:* date mihi hanc facultatem, ut his verbis, vos Seraphicæ Matris filias compellem.

Morale, nemo nifi Difcalceatus cœlū ingreditur.

Fulgentissimus Ordo vester Discalceatorum, rubus ardens est, terra sancta est, & verum cælum est, in quod nemo calceatus ingreditur.

Dum ad Seraphicam hanc Religionem accessistis, nonne quasi rubum ardentem appropinquastis? ad locum, ubi nil nisi ignis & spinæ, & Dominus in medio earum invenitur: ubi nil nisi ignis, & flamma ardentis charitatis Seraphicæ, nil nisi incendium fervoris & amoris divini, in omnibus pietatis, & devotionis exercitiis. Ubi nil nisi rubeta, & spineta mortificationum, & afflictionum corporis, *nil nisi pati, aut mori*, quæ spinæ aptissimum Seraphico ardori inflammando pabulum sunt. Optimus religiosæ perfectionis magister Roderiguez ooster luculenter tradit, spinas mortificationis, sine igne divini fervoris, flammam non concipere, nec ignem hoc spinarum pabulo destitutum accendi. In medio autem rubi & ignis, apparet Dominus, quo fit ut ubi ille est locus sanctus, terra sancta, etiam cælum sit.

Omnes quotquot estis, cælum intrare vultis, sed cum nemo cum caligis, & calceis illud ingredi valeat, illos, ut visionem illam magnam cælestis gloriæ videre possitis, ex Ægypto egressi, exuite, atque unà omnem vanitatis, & mundi luxum calceate.

Expendite quantæ insaniæ sit, tantum operæ, impensæ, elegantiæ, arrogantiæ, & fastus in calceis, ut venustæ per lutum deambulent, insumatis, nudis pedibus efferendi. Antiochi, regis Syriæ, cæcam, & amentem luxuriam imitatus exercitus, magnâ ex parte aureos clavos calceis subjectos habuit. Fuerunt qui & gemmas, & uniones calceis adderent. Tertullianus testis, ut supra memini: *in peronibus* inquit, *uniones emergere de luto cupiunt*. Testis & Tranquillus: *nec crepidarum tantum obstragulis margaritas ponunt, sed totu socculu addunt*.

Luxus in calceis. Valerius Max. lib. 9. cap 1. Tertull. de habitu mulier. c. 7. Sueton. in Vitell. Imp.

Proximis annis usque eo calceorum pretium excrevit, ut olim totidem florenis vestem toti corpori velandu facilius præstitissés, quã nuper tale par calceorum. Nos sanè neque hic cedimus, imo superare contendimus, qui hanc humani corporis partem ad lutum damnatam, sæpe sumptuosius tegimus, quam caput.

Nec finis est excogitandi novas in annos propè singulos, calceorum formas: nam modo fenestrati, modo sine vulnere malumus: modo lati à fronte, modo acuminati placent, satyrorum, aut capripedum in morem, ut monstri instar infans haberetur, qui eiusmodi pedibus in lucem prodiret. Ante paucos annos è simplici soleâ depressi erant, nunc passim cothurnos, ut semi cubitum staturæ adiiciant, & frangendo cruri perquam aptos videas.

Et uti non idem color omnibus, ita nec eadem omnibus placet materia. Aliquibus sordet corium, & pro eo holosericum substituunt, illudque aureis limbis, & opere Phrygio exornatum. Quid jam de calceamentorum vinculis dicam. Olim ansulæ è polito ferro, aut etiam argento in usu erant: his corrigiæ, obstragula, ligulæ successerunt. Jam verò & hæc exoleverunt. Et quod mireris, periscelides à genibus, quibus olim utrumque poplitem vincire poteramus, ad imum crus in calceos commigrarunt: nonnunquam ex eodem serico rosas apponimus, & suam pedibus æstatem facimus: & nisi calceus ad pedem strictus sine rugâ, & plicâ niteat, velut nostro pede indignum rejicimus; imo pedem uri, & miserè torqueri malumus, quam calceum paulò laxiorem admittere: quid os hos tales, tam stultæ patientiæ homines, mundi mancipia, & diaboli Martyres vocitemus?

Quantum in hanc vanam elegantiam & insanam calceorum pompam stomachatus sit Orator aureus, paucis advertte, docebo: nolis, inquit, *ut largas orationi habenas mittamus, ac dedecus huius rei præ oculis ponamus? sed nolite, oro irasci; imò etiamsi irascamini, parva mihi cura est. non enim ego ipse, sed vos hujus molestiæ causa estis, qui cum nec peccata quidem illa putetis, ad reprehendendum acrius tale prodigalitatis genus impellitis. Age igitur diligentiori uti examine, quale malum hoc sit. Quantum dedecus esse putatis* CUM SERICA LICIA CALCEAMENTIS VESTRIS DILIGENTER INSERITIS? Tum Paulum inducit, qui quanta cum acrimoniâ, & auctoritate hanc rei turpitudinem reprehendat, cognoscite. *non in tortis crinibus, inquit, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ*, ubi ille excurrit, & propè excandescit, *quam igitur veniam habere poteris, cum neque uxori tua, jubente Paulo, pretiosa vestes permittantur: tu* CALCEOS *luxuriosissimè pulias. Quare ipse timeo ne tempus veniat, in quo adolescentes apud nos, vestibus atque* CALCEAMENTIS *sine pudore aliquo, mulierum utantur. Illud autem molestius ferendum, quod juvenum* (& juvenculorum) *parentes non increpent suos, & expostulent.* Tandem emphaticè quærit: quot pauperum ventres repleri, quot nudi contegi, quot vincti ferro, eo pretio redimi possent, quod vos luto consecratis, & conculcatis?

Chrys. hom. 50. in cap. 14 Matt.

1. ... 2. v. 9

... charm.

Vultis, quo concludit, efficacissimum argumentum, ut ambæ aures tinniant? *animam in cœnum coniecisti, & eam in terrâ negligis detineri.* ET CALCEAMENTORUM, *si luto aspersa sint, tanto mœrore angeris. Ridetis hoc audientes; mihi autem potius lacrymandum videtur, cum intelligam vos animam malle, quam calceos luto deturpare.*

Ibid.

Veniet tempus, cùm & vos cum lacrymis hanc insaniam, & vesaniam excalceati deplorabitis. Non me, sed Veritatis ore vaticinantem, Isaiam audite: *in die illa auferet Dominus* ORNAMENTA CALCEORUM, quibus nunc molliculæ puellæ, velut Jesabeles crepitantes, & luxuriantes incedunt. Perspexit hæc, & despexit Virgo Theresia, virago fortissima, quæ discalceata omnem mundi fastum calcavit, quod quanti roboris, ac fortitudinis sit, Tertullianus testatur, dicens: PEDES NUDI, CERTE VIRILES MAGIS QUAM IN CALCEIS. Hæc virago non tantum fœminas, sed & viros excalceavit.

Isai. 3.

Tertull. de pallio.

Theresia supra sexum fortis Virgo & virago fecit confusionem sanctam in domo Nabuchodonosor. An non enim confusionem sanctæ fecit, quæ deritos ævi injuriâ, & hosti antiqui malignitate, pios usus restituit, vasa

... de aquilari part. 1 cap. 4.

aurea,

autea, versa in lutea, pristiuo splendori reddidit? Et fæmina (mirum dictu) solutioris disciplinæ vitiis frænos imposuit, ac contra receptum morem observantiæ Religiosæ tenorem, vi os edocuit & edomuit. Felix & fortis virgo, quæ sexus sui probrum, ob implanatum à fæminâ hominem primum, in his sæculorum fæ bus, secundum Deiparam deletura, maribus facta est Religiosæ perfectionis Magistra. Quis sperasset tantam de manu fæminæ salutem? In veritate comperi, quia non est apud Deum mas, vel fæmina.

Asceticæ vitæ Magistri, & omnis perfectionis archididascali tradunt, paucos admodum reperiri, qui de unâ virtute in aliam gressum faciant, gradum promoveant, è tepore in fervorem erumpant: quid erit totum Ordinem [illegible] vigori, rigori, fervori ac decori restituere! *Gloria Libani data est ei*, DECOR CARMELI, qui adeo placuit Christo Sponso, ut quadam die divino epulo refectam, ad tam arduum, tam excelsum, tam sublime opus aggrediendum, Theresiam animarit, & contra omnes obtrectantiũ, & obstantium machinationes ac minas roborarit, ut apud Auctores videre est.

Isa. 35.

§. II.

Sponsabo te mihi in sempiternũ. Oseæ. 2. v, 19.

V. Etiam [illegible] [illegible] pa. [illegible] [illegible] tom. 1. pag. 1.

NOn minus amabile, quam mirabile est illud quod habetur in Bulla Canonizationis, editâ à Gregorio XV. Pontif. Max. Christum sese *Theresiæ* spectandum dedisse, dataque dextera, clavoque obtuso illam in Sponsam adoptasse, atque his allocutam verbis: *Deinceps* UT VERA SPONSA *meum zelabis honorem; jam ipse sum totus tuus, & tu tota mea*; dat Theresia ceu Sponsæ dexteram, en fidei tesseram, nullo unquam ævu ne morte quidem, quæ carnale vinculum dissolvit, violandam: cælestis etenim hæc desponsatio sempiterna est, juxta illud Oseæ 2. SPONSABO *te mihi in sempiternum*; quoniam divina hæc in terris sponsalia, nuptiæ in cælis cum Agno secuturæ, & sine fine duraturæ sunt.

Commendet qui volet affectum conjugalem, eumque à prima sui origine, notaque illa primi conjugii necessitudine arcessat: *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* At longè alius divinus amor in cælesti connubio commendatus est, cui *qui adhæreret, unus spiritus*, voluntas una est.

Genesi 2. v. 23.

1. Cor. 6.

Connubium inducit conformitatem duarum voluntatum, quo fit, ut sibi in omnibus consentiant, & confirmentur sponsus & sponsa. *Talis conformitas*, inquit Bernardus, MARITAT ANIMAM VERBO, *cui cùm videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsa se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo* SI PERFECTE DILIGIT, NUPSIT. *Quid hac conformitate jucundius? Quid optabilius charitate? quâ fit ut humano magisterio non contenta per temet, O anima fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhæreas, Verbum familiariter percuncteris, consultesque de omni re quantum intellectu capax, tantum audax desiderio.*

Nuptiæ spirituales.

Bern. serm 83 in cant.

Tum subdit & melleo sermone prosequitur: *verè* SPIRITUALIS, SANCTIQUE CONNUBII *contractus est iste.* Parum *dixi contractus*, COMPLEXUS EST. COMPLEXUS *planè, ubi idem velle, & nolle idem*, UNUM FACIT SPIRITUM DE DUOBUS. *Nec verendum ne disparitas personarum claudicare faciat convenientiam voluntatum: quia amor reverentiam nescit. Amor sibi abundat: Amor ubi venerit, ceteros in se omnes traducit, & captivat affectus. Propterea qua amat, amat, & aliud novit nihil.* SPONSUS ET SPONSA SUNT. *Quam quæris aliam* INTER SPONSOS *necessitudinem, vel connexionem, præter amari, & amare?*

4. Modis voluntatem nostram cõformari posse divinę, vide *apud Lessium opera posthum. de actibus quæst. 19. art. 10. 11.*

Quo hæc spectent, quis non videat, qui Theresiæ seraphico amore accensæ cor unum & animam unam cum dilecto suo sponso attenderit: cuius delicias & blanditias cum sponsa sua, non humanæ, sed angelicæ linguæ est enarrare.

Deliciæ & blanditiæ cælestis sponsi cũ sponsa sua Theresia.

Speciosum forma præ filiis hominum adeo sibi familiarem habuit, ut lateri adhærentem, se comitantem, alloquentem, docentem, consolantemque mediis in laboribus, æstuque persecutionum non semel senserit, & conspexerit.

Tum Regiam suam, cælestesque delicias illi exhibuit, addens has tenerrimi amoris plenas voces: Sponsa mea, *si hanc cælitum aulam non creassem, tua unius intuitu, novum cælum conderem.*

Potens & ardens fuerit amor Assueri in dilectam conjugem suam Estheram, dicentis: *etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* At *Theresa*, felici nominis omine *Esthera*, non dimidium terreni, ac perituri, sed totum & amplissimum cælorum regnum, cuius non erit finis, sibi à sponso offerri audivit.

Esther. c. 5. v. 6. Theresia, Anagram. Esthera.

Objecta quoque SS. Trinitatis imago tam clara, ut in hac mortali vita clarior obtineri non possit: in ea enim pervidit & essentiæ divinæ unitatem, & personarum Trinitatem. Huic accessit amabilis visio sanctissimæ humanitatis Christi, quam in Eucharistia mirabili majestate conspiciebat uti & Dei matrem cæli Reginam, Apostolorum Principes, Josephum Virginis sponsum, aliosque cælestis aulæ dynastas, quibus cum familiariter agere, & amicè colloqui tum hic in terris, tum in cæli regiâ, ad quam non semel evecta, & progenitores suos vidit inter beatorum agmina, aliosque sibi in terris notos: atque his superum gaudiis abrepta, audiit à Christo (nobis omnibus memori pectore infigendum) *vide filia, quibus bonis se privent peccatores*; hoc dices illis. Et certè sibi reddita dixit, edixitque Theresa, non sine amoris, stuporis, dolorisque miraculo; amoris quidem in Deum, qui ea pusillis hominibus parat gaudia; stuporis & doloris, quod ea illi contemnant, bonisque brevi perituris, fluxis divitiis, fœdis voluptatibus postponant. Vide ô temulente, quo torrente voluptatis, ebrietatis haustu te privas: vide, ô lascive, quibus cælitum deliciis, & Agni nuptiis, carnis sordibus te privas: vide, ô avare, quam exiguo lucro, regni illius, cujus non erit finis, jacturam facias.

Morale.

Libet hic cum mellifluo Bernardo percunctari: Theresia, *unde tibi hoc? unde tibi tam inæstimabi-*

Bern serm 2. de Epiphan. de mutatione aqua in vinum.

nabilis gloria, ut ejus SPONSA *merearis esse, in quem desiderant Angeli prospicere? unde tibi hoc, ut ipse sit* SPONSUS TUUS, *cujus pulchritudinem sol & luna mirantur, ad cujus nutum universa mutantur? &c.* Unde hoc tibi, ut illa sponsi ardentissimè amantis verba audire merueris: *Filia mea, tota mea es, & ego totus tuus?* Quid ad hæc *Theresia* nisi quæ in amoris cantico sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi*; in quem locum Bèroardus: *Insolens verbum: & ego illi; nec minus insolens, dilectus meus mihi; nisi quod utroq; insolentius, utrumque simul. Mihi, inquit, intendit. Itane intenta est illa majestas, cui gubernatio pariter & administratio universitatis incumbit, & cura sæculorum, ad sola transfertur negotia, imò otia amoris? Ita sanè.*

Cant 2.16 Bern serm 68 in cant

Cant. c. 5. v. 6.

Æstus hic, excessus hic, & raptus animæ amantis & clamantis est: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est*; quasi diceret, ad alia sive legis, sive Prophetarum verba obdurueram; quippe minis & terroribus plena; at dū suavissima vitæ verba à Sponso meo audivi, sic ejus amore liquefacta est anima mea, ut à seipsa deficiens, tota in ejus formā & figuram transfusa sit. Ubi similitudo liquefactionis à sole, vel igne desumpta videtur, qui congelata solvat, rigorem ac duritiem emulliat, ut doctè & discrete S.Thomas: *Liquefactio opponitur congelationi: ea enim quæ sunt congelata, in seipsis constricta sunt, ut non possint de facili subintrationem alterius pati, ad amorem autem pertinet, quod appetitus coaptetur ad receptionem boni amati, prout amatum est in amante. Unde cordis congelatio, vel duratio, est dispositio repugnans amori; sed liquefactio importat quandam mollificationem cordis, qua exhibet se cor habile, ut amatum in se recipiat.*

S. Th. 1.2. quæst. 28. art. 5.

Qui fit vos filias hujus sæculi ad amplexus cælestis sponsi non admitti? corda vestra congelata, & obdurata, aures obturatæ sunt, sponsum loquentem non auditis cujus verba dulciora super mel & favum, quibus anima Theresiæ tota liquefacta est. Dic ergo & tu: *Sonet vox tua in auribus meis*: nam ut inquit Eusebius Gallicanus: *Erant verba illius mirabiliter gratia plena, cunctisque ad audiendum suavia.*

Cant 2.14

Eusebius Gallican. hom. in Dom. 4. post Epiph. in vita Theresia cap 37. Henao cælum empyreum, par. 2. p. 247.

Testis Seraphica Virgo, quæ ingenuè fassa est, nihili se pendere omnes alias voluptates, præ eâ, qua detinebatur vel unico ex verbo audito à suavissimo Christi ore: quia *diffusa est gratia in labiis ejus.*

Talis sponsa mundo major, & pretiosior est, talis sponsa semper & ubique quærit sponsum: respirationes, aspirationes sunt ad sponsum: omnes actiones, actus amoris sponsi: quidquid vult, vult amore sponsi: si vigilet, illi vigilat: si dormiat, sponsum somniat: si loquitur, nil nisi de sponso: quidquid agit, usque dum amore ejus animam agat, omnia refert in sponsum, cui in omnibus, & super omnia perfectissimo, qui excogitari potest, modo placere studuit, inaudito etiam, & inusitato summæ sanctitatis viris voto sese arctissimè obstringens, *sectandi in omnibus, quæ perfectissima, & sponso suo Christo gratissima censeret.*

Inauditum & inusitatum Theresiæ votum.

Hanc omnis perfectionis, & sanctimoniæ magistram æmulatus est Pater Jacobus de Sauru Societatis Jesu. Hic voto edito obstrinxit se, semper id quod perfectius foret, sectaturum, & opere executurum; idque ut sibi cordi esse comprobaret, latè patenti vulnere, quod suo pectori juxta cor inflixerat, sanguinem elicuit, eoque conceptum hoc tam rarum & præclarum votum exaravit, his verbis: ob amorem sanctissimæ Trinitatis, Jesu, & Mariæ, ac omnium Sanctorum, voveo me majorem perfectionem sectaturum. Tu scis Deus meus omne desiderium meum, & quod amore tui morior, ac puro desiderio serviendi tibi, ô Deus meus!

Nierenberg de conformitate cum volunt divinâ. 1. 3. Votum, exemplo Theresiæ, P. Jacobi de Saura.

Accipe hoc ad obsequium tuum. Voveo procuraturum me, & aspiraturum ad puritatem Angelicam: daturum omnem operam, ut nulli rei afficiar, nisi tibi, aut propter te, aut aliud amem, quàm te, Deus meus. Obediturum me in omnibus, & ubicumque peccatum non suberit, omnesque superiorum voluntates, maxima qua fas erit contentione, & perfectione adimpleturum: omnes actus meos, verba, cogitationes, desideria elicitum propter amorem SS. Trinitatis, Domini mei Jesu, dominæ meæ sanctissimæ Virginis Mariæ, S. Josephi, S. Patris mei Ignatii, & omnium Sanctorúm. Regulas meas observaturū, nec quidquam commissurum, quod peccatum sit levissimum, aut minima imperfectio. Daturum me operam, cum Dei auxilio, ut continentes actus amoris, conformitatis, & desiderii placendi Deo exerceam, & jugem Dei præsentiam conservem.

Hoc votum emisit sub vesperas Assumptæ Virginis.

His non contentus. Paulò post repetiit, addiditque obligationem novam, se nimirum daturum omnem operam, Deo juvante, omnibus viribus, omnibus precibus suis, modis denique omnibus, ut omnes Deo lucrifaceret peccatores, paganos, & hæreticos; justos verò perficeret: inque eum finem vovit quotidie offerre Deo, & consecrare salutem corporis, sanguinem, honorem, vitam denique suam.

Neque hic sterit sancti viri ardor: *Cogitationes robusti semper in abundantia.* Voverat quidem studium, & curam singularem, ut majorem perfectionem compararet; at quoniam ipsos actus spectatim non expresserat, novo se obstrinxit vinculo, vovitque singulas se virtutes in summo gradu consectaturum, eas singulas designans: nimirum humilitatem, modestiam, silentium, paupertatem, castitatem, & puritatem Angelicam, obedientiam, misericordiam, patientiam, benignitatem, fortitudinem, devotionem, præsentiam Dei, mortificationem, zelum animarum, charitatem, & ceteras. Singulatum insuper harum virtutum actus, tam interiores quàm exteriores, quàm posset creberrimos, perfectissimosque se eliciturum, itaque ajebat: numquam sciens & prudens committam ut ulla excidat mihi & elabatur occasio mortificationis, aut alterius virtutis exercendæ.

Proverb. 21. v. 5.

Ita magnus ille vir, virtutibus, & miraculis clarus, consensu procul dubio superioris & prudentis Confessarii, hoc tam arduo perfectionis voto, eximiam Theresiæ sponsæ Christi sanctimoniam æmulari conatus est. Sed

Sed *unde vobis hoc*, venerandæ Filiæ Theresiæ *ut & sponsa Christi esse mereamini*? Non vos conturbet, si non passibus æquis Matrem, & Sponsum vestrum sequamini; fateor, inquit S. Bernardus, *non planè pari ubertate fluunt amans & amor: anima & Verbum: sponsa & sponsus: creator & creatura, non magis quam sitiens & fons. Quid ergo? Peribit propter hoc & evacuabitur* NUPTURÆ VOTUM, *desiderium suspirantis, amantis ardor, præsumentis fiducia, quia non valet ex æquo currere cum gigante* (parvula cum matre) *dulcedine cum melle contendere, lenitate cum Agno, candore cum lilio, claritate cum sole, charitate cum eo qui charitas est? Non: nam etsi minus diligat creatura, quoniam minor est; tamen si ex totâ se diligit, nihil deest ubi totum est. Propterea* (ut dixi) SIC AMARE, NUPSISSE EST, ATQUE ITA INTEGRUM STAT, PERPETUUMQUE CONNUBIUM; quod vobis, ô sponsæ Christi, Seraphica Mater vestra, & omnes cælites mecum gratulantur: atque utinam non vos solum, quæ expertæ estis, sed omnes hic præsentes nosse possent, dignitatem, delicias, sortem, & felicitatem sponsæ Christi.

Dignitas sponsæ Christi.

Bellarmin. lib. 5. de æterna fe[licitate] cap. 6

Eam si ignoretis, eminentissimus doctrinâ, & sanctimoniâ Cardinalis Bellarminus lib. de æterna felicitate adumbravit: quale bonum sit, inquit, humanam animam cum Christo, etiam quà Deus est, connubio jungi, si quis capere, aut dignè cogitare posset, nihil magis honorificum, nihil utilius, nihil dulcius, neque in hoc sæculo, neque in futuro reperire posset. Magna est gloria, utilitas, suavitas servire Regi Regum: major inter amicos & domesticos ejus connumerari; sed sponsam dici posse Dei, consortem throni, consortem thalami, consortem coronæ, consortem titulorum omnium, plusquam maximum bonum (si sic loqui licet) mihi esse videtur. Hoc enim est, quod apud Isaiam Dominus dicit de spiritualibus sponsis: *Dabo eis in domo mea nomen melius à filiabus*; hoc est, nomen conjugis, aut sponsæ dabo eis. Quis capiat quam excelsum, & quam honorificum, & quantæ oblectationis sit, non solum Deum videre, & cum Deo colloqui, & convivere; sed unum spiritum cum Deo fieri, & in Deum, id est, in summum bonum transformari? Apostoli verba sunt: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo.*

[Isa]iæ 56.

[1.] Cor. 6.

Quanta igitur erit illa felicissima unio animæ cum Deo, quam erit absorpta & immersa in mari totius suavitatis anima illa, quæ unus spiritus erit cum Deo? Tale hoc gaudium erit, ut sancto Bernardo teste, *illi comparata omnis alia jucunditas mœror sit, omnis suavitas dolor, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremo quodcumque aliud delectare possit, molestum esse meritò judicetur.*

[Ber]nard. [Ser]m. 114.

At numquid omnes sanctimoniales, numquid omnes Theresianæ esse debent, ut sponsæ Christi nominentur, & sint? Quid ad hoc conjugatæ? quæ licet longè inferiori gradu, etiam Christo desponsæ sunt.

[C]oniu[ga]tæ [t]aliter [sp]onsæ [Chr]isti.

Quem non Christianorum cælestis sponsus per baptismum casto amore sibi desponsavit? quem non sponsalibus ornamentis, velut atthis quibusdam honestavit? Hoc super argumento vatem Ezechielem audite: *Transivi*, inquit sponsus noster, *per te, & vidi te: & ecce tempus tuum, tempus amantium: & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam* (quam obsecro, nisi originalis maculæ) *& juravi tibi, & ingressus sum pactum tecum; ait Dominus Deus, & facta es mihi.* O felicem! quam adhuc despectam, & in fæcibus suis jacentem benigno amantium oculo cælestis ille sponsus dignatus est. Nec tantum; *sed lavi te aquâ*, inquit, *& emundavi, & unxi te oleo.* An non hæc ipsissima baptismi expressio? Sed ubi sunt, inquies, ornamenta gratiæ, & desponsationis? *Et vestivi te discoloribus, & calceavi te janthino: & cinxi te bysso, & indui te subtilibus, & dedi inaurem super os tuum & circulos auribus tui, & coronam decoris in capite tuo. Et egressum est nomen tuum in Gentes propter speciem tuam,*

Ezech. cap. 16.

Quis nostrûm hoc cælestis sponsi beneficium in se non agnoscit?

Tu verò sponsa Christi, prosequitur Ezechiel: *Habens fiduciam in pulchritudine tuâ, fornicata es in nomine tuo: & exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut ejus fieres. Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ: & abominabilem fecisti decorem tuum.*

Quænam sponsæ Christi, adulteræ.

Estne quisquam, qui hæc verba inficiari queat? Referte vos in annos retro lapsos, quoadusque mens vestra longissimè poterit inspicere spatium præteriti temporis: evolvite cum Regio vate, in amaritudine animæ vestræ, lubricæ ætatis studia. Quis est ex hoc omni numero, qui non aliquando vanissimæ spei, ne dicam perniciosissimæ vela fecerit? Cui non spiritualis adulterii notam, rerum creatarum immoderatus amor, & appetitus vehementius contra rationem incitatus? Amarissimè queritur divinus Propheta: *Sponsa vestra adultera*, quia à Deo, sponso suo recesserunt, & creaturam pro creatore, quod fit per omne peccatum, complexæ sunt. Jeremias clamat: *Adulteriis repleta est terra*; quod non ita crudè, & crassè accipiendum, quasi quisque thorum maritalem violaret. Origenes hom. 12. in Levitici cap. 2. *Si susceperis, O homo, in cubili anima tua adulterum diabolum, meretricata est anima tua cum diabolo. Si spiritus ira, invidia, si superbia, si impudicitia ingressus fuerit ad animam tuam, & receperis eum, & in corde delectatus fueris, meretricatus es cum eo.* Nam scire vultis, inquit, *qua sit anima meretrix? quæ ad se recipit amatores, de quibus dicit Propheta: meretricata es post amatores tuos. Qui sunt isti amatores, qui inerant ad animam meretricem? nisi contrariæ potestates, & dæmones, qui desiderium capiunt pulchritudinis ejus: concupiscunt speciem ipsius; qui quia non possunt sponsi ejus fieri, meretricari cupiunt cum ea*, & sic fiunt cælestis sponsi adulteræ.

Omnis anima per peccatum fornicatur à Deo

Osee 4. 13

Jerem. 24.

Ibid.

Magnus Basilius, Seleuciensis Antistes subtiliori stilo eas depingit, libro de verâ virginitate, dicens: *In nulla parte oportet* ADULTERAM *esse animam, non linguâ, non auribus, non oculis, imò ne cogitatione: non enim latet aliquis* ADULTERANS *ejus* (nempe divini sponsi) *conspectum.*

S. Basilius lib. de vera virgin.

Proverb. 6.

Quantum tu in uxorem, vel linguâ, vel oculo, vel corpore adulterantem excandesceres? *zelus & furor viri non parcet in die vindictæ*; interim anima tua toties fornicata est cum diabolo, & fidem in baptismo datam, te ipsi & omnibus ejus pompis renuntiare, toties fregisti, an ignoras quia *zelotypus est Iesus*, qui rivalem non patitur?

Hieron. ad Eustoch. de custodia Virg. S. Th. 1. 2. quæst. 28. art. 4.

Nam ut rectè S. Thomas: *Zelus quocumque modo sumatur, ex intensione amoris provenit. Manifestum est enim, quod quando aliqua virtus tendit in aliquid fortius, repellit omne contrarium vel repugnans. Cùm igitur amor sit quidam motus in amatum, ut Augustinus in lib. 83. quæst. intensus amor quærit excludere omne id, quod sibi repugnat:* ET HOC MODO VIRI DICUNTUR ZELARE UXORES, NE PER CONSORTIUM ALIORUM, IMPEDIATUR SINGULARITAS, QUÆ QUÆRITUR IN UXORE.

Sic cælestis sponsus Theresiam zelatus est, ne creaturam ullam præ creatore admitteret, nec alium quam se singularem haberet amatorem: sic & vicissim Theresia sponsum suum zelata est, ùt in nulla re creata, nisi in ipso solo *sponso sanguinum* per mille cruces & adversitates solatium animæ quæreret.

§. III.

Sponsus sanguinum tu mihi es. Exod. 4. vers. 25.

Cornel. à Lapide in Exod. cap. 4. v. 25.

INgeniosus, ac religiosus interpres, Cornelius à Lapide in hunc locum sic disserit: *Hoc dicat Christo verus Christianus, præsertim Religiosus*, quod dixit, & fecit Theresia: *Sponsus sanguinum tu mihi es, O Christe; tum quia tuo sanguine animam meam tibi coemisti*, ET DESPONSASTI. *Unde S. Agnes dicebat*: SANGUIS *Christi sponsi mei ornavit genas meas. Tum quia à me vicissim, ut sim sponsa te digna, exigis sanguinem meum, imò carnem, & vitam meam*; eam, inquit Theresia, totam, ut tota tua sim, consecrabo. Quod quàm generosè, & heroicè præstiterit, attendite.

Expositio emblematis.

Machinam bellicam vobis proposui, quæ sulphureo pulvere onusta, ferreo globo constipata, terribili fragore impetum & impressionem facit, atque omnia obstantia diruit, evertit, & confringit. Talem machinam, quidni Theresiam dixerim, quæ omni genere adversitatum à conglobatis, ad os usque oppilata, ac sulphureo tentationum, ac lusionum pulvere per plures annos quasi constipata, tandem ubi divinus ille incendiarius Seraphim telo igneo hanc machinam accendit, omnes adversitates ut pilas displosit, omnes erebi furias dissipavit, portas æreas, & vectes ferreos regni cælorum, quod vim patitur, diffregit.

Horum malorum species varias, quibus opplenda erat, exhibuit illi sponsus in quodam mentis excessu. Videbatur, & quidem sola in apertâ planitie existere, & innumerâ propè armatorum copiâ circumdari, qui eam aliu armorum genere impetebant, & feriebant: hi gladiis, alii pugionibus lanceis ac telis alii, non sine vulnere ac sanguine. In eâ cædis, ac mortis imagine dum sola visitur Theresia, & è mortalibus nemo unus omnium astitit, ecce illi è cælo cælestis sponsus, ecce Jesus, qui illi manum auxiliatricem ostendit. Atque ex hac visione intellexit quid deinde pati, & à quibus, sequi ... ut machinam bellicam his omnibus diris, & furiis onerandam esse.

Ad tria autem genera revocantur afflictiones, quibus exercita est: ad morbos, & cruciatus corporis: ad opprobria & calumnias: & infestationes dæmonis, & afflictiones spiritus; quæ omnia ut sponso suo Christo assimilaretur, invicto animo pertulit, illud solenne sibi in omnibus usurpando: *Aut pati, aut mori*: aut adversitatibus oppleri, aut disrumpi; adeo ut per afflictiones respirare, per cruciatus vivere, sine iis se mori dictitaret.

Primum, morbis aliis atque aliis dirissimè divexata, vehementi nervorum contractione per annos tres, & eò quidem, ut non nisi digitum unum movere posset; tum etiam cordis deliquio, & violento capitis, brachiorum, ac totius ferè corporis tremore: tum noctibus singulis importuno vomitu, ac febri prope continua. Dixisses corpusculum, morborum omnium nosocomium exstitisse; & quidem eo animi robore, ut per annos omnino quadraginta ne uno die morbo libera fuerit.

Ioannes à Jesu ... ... 5. 6.

Magno quidem molimine, multis funibus & equis majora bellica tormenta pertrahuntur, multoque difficilius in sublime efferuntur; at per tribulationes, & adversitates, pulcherrimè ac celerrimè Theresia in sublime ad sponsum tracta est. Hisce funiculis charitatis se post sponsum trahi ardenter exoptabat cum sponsâ illâ, de qua Bernardus in illud Cant. 1. vers. 3. *Trahe me post te*, ubi solerter inquirit, cur dicat sigillatim: *trahe me*, & subdat in plurali: CURREMUS *in odorem unguentorum tuorum? Edissere nobis* inquit, *hujus distinctionis rationem. Trahe me, ait; quare me & non nos? An hoc bonum invides nobis? Absit: neque enim protinus dixisses, adolescentulas tecum esse cursuras, si sola post sponsum ire voluisses. Charitas* inquit, *ita postulabat.* Causam subdit proposito nostro accommodam: TRAHIMUR CÙM TENTATIONIBUS, ET TRIBULATIONIBUS EXERCEMUR; *currimus cùm internis consolationibus visitati; tanquam in sua vehementibus unguentis respiramus.* Sed has consolationes aliis relinquit, & transcribit. ERGO QUOD AUSTERUM, ET DURUM VIDETUR, RETINEO MIHI, ET IDCIRCO SINGULARITER TRAHE ME: *quod suave & dulce communico, & dico: curremus; volo habere socias consolationis, non laboris.* ME EXERCE, ME TENTA: ME TRAHE POST TE, & adde.

Bern. ser. ... cant.

Theresiam miris & diris modis etiam de foris corripuit Sponsus, exercuit, & tentavit. Fuit petulans fœmina, quæ illi inter ipsa Missæ solennia, calceum detritum in caput impegit non sine vulnere, & sanguine; quam injuriam eo loci ac temporis illatam æquissimo tulit animo.

Al... ... ... atæ

Fuit

Fuit & alia protervior, quæ dum forte pontem ligneum pertransit, in aquam injecit, & in horrentem fœtidamque cloacam intrusit; unde emergens, luto ac sordibus malè deformata, subrisit Theresia, & Religiosas sibi comites, etiam verbis abstinere jussit, & liberam abire voluit ne verbulo asperiore exceptam. Ejusmodi plura, & maximè atrocia longum esset enarrare.

Corporis afflictationes.

Sed quæ hactenus dicta sunt, non potuerunt Theresiæ animum satiare; amplius & amplius *pati aut mori* ardebat; unde & ipsa in se manus armare, tenellulum corpusculum inediâ macerare, interdum inter spinas se volutare, quotdiebus ferreis catenis tanto fragore diverberare, ut domus concuti videretur. Quid vos ad hanc bellicam machinam, nisi papiracea crepitacula, dum subinde aliquot funiculis scapulas concuritis? Alias corporis afflictiones, quibus lento & diuturno martyrio quotidie moriebatur, qui volet, videat apud Riberam lib. 4. vitæ cap. 18. aliosque.

2. Genus adversitatis in fama.

Alterum est, machinam bellicam etiam maximam (*dubbel cartauvve* vocitant) planè inutilem, & invalidam reddi, si ab adversario, suggestus, fulcra, & rotæ, quibus nititur ac fulcitur, decutiantur & evertantur; atque in terram prostrata jaceat.

Fama homini necessaria ex similitudine tormenti bellici.

Sit quis naturæ dotibus, & gratiæ donis planè eximiis præditus, ut instar machinæ bellicæ, in vitia detonare, pravos conatus everberare, zelo suo urbem, & orbem incendere valeat: omnibus venerationi sit, & admirationi; si virtutis, probitatis, integritatis fama, & existimatio, & virulentis calumniantium linguis, mendaciis, injuriis, falsis criminationibus pessumdetur, & everratur; ad omnia, etiam summa natus, prorsus ineptus, & inidoneus reputabitur. Hinc famam, quo nullum, nec fortunæ, nec corporis, nec vitæ bonum excellentius, quam levissimè læsam, complures sanguine & morte suâ vindicarunt.

Non sic Theresia, quæ suam famam, & honorem, apud *sponsum sanguinum* certò repositum habebat. Cœperat hæc pati frequentes mentis excessus, & cælestes revelationes, ac raptus, quæ omnia pro dæmonum præstigiis, vel pro inanibus vacuæ mentis ludibriis habebantur, hinc à nonnullis, ceteroqui sapientibus, æstimata quasi à dæmone obsessa.

Ab aliis ut mendax, & vana, quæ famam sanctitatis exoticis his raptibus captaret. Ab aliis ut mali nominis muliercula denigrata.

Joannes de S. Hieronymo §. 68.

Tandem eò res devenit, ut apud Regem Catholicum, apud Nuntium Apostolicum, sacrosque Inquisitores traducta, in jus vocata, calumniis oppressa sit, nemine mortalium patrocinante, ne ipsis quidem Monialibus, quibus præerat, apud quas (cum sanctitas explorata non esset) & linguâ, & maledicendi licentiâ vapulabat.

Exultat Theresia in calumniis & injuriis, ac gratias agit.

Quid hæc inter Theresia? An frontem contrahere, an animum abjicere, an fundi in lacrymas, & fœmineos ejulatus, an à bene cœptis desistere, an calumniatores lacessere, malum imprecari, diris devovere? Minimè gentium. Imò hæc inter ridere, gestire, sibi plaudere, gaudio exultare, suisque hostibus bene precari, ac insuper & gratias referre. Quodque non admirandum duntaxat, sed & imitandum nobis est, pro inimicis suis hæc quatuor factitare solebat.

4. Praxes Theresiæ pro inimicis.

Primò Deum pro illis orare, & exorare. Secundò, illos amore singulari prosequi, quasi suos benefactores. Tertiò, illis opem, & operam, servitia, quæ posset, exhibere. Quartò denique, ne quidem pati, ut iis quisquam obloqueretur, aut diceret malè.

Hinc Alvarez de Mendosa, infula clarus, & pedo, divinum illud acroama jactare solitus: *Si quis amari vellet* A THERESIA, *illi faceret quam pessimè*. Nihil quippe ad amorem illius conciliandum potentius.

Hanc lectionem etiam tacendo ipsa bruta, imò res inanimatæ nos docere perhibentur, ut enucleatius festo S. Stephani disseruimus.

Parum hoc, Seraphicam illam magistram cælitus edoctam, voto suo *aut pati aut mori*, apud mortales potitam fuisse; sed & ex inferis cacodæmones, & è cælis divinus sponsus collusit, qui per ariditates & desolationes, fidem sponsæ suæ tum temporis solidissimè exploravit, *cum auferretur ab ea sponsus*.

Matth. 9. v. 15.

3. Genus afflictionis, ariditates & infestationes dæmonis

Per annos viginti, eoque amplius, passa gravissimas afflictiones spiritus, quas vulgo *ariditates, & desolationes* dicimus; sponso omnem interioris voluptatis sensum ita subtrahente, ut gravius illi videretur, & esset, orationi vacare, quàm martyrium pati. Quid, quod Doctor mellifluus hoc tormenti genus, ipsa gehennâ gravius ducat. *Quæ anima*, inquit, *semel didicit Dei præsentiam suspirare, & quærere faciem ejus semper, nescio an vel ipsam gehennam experiri ad tempus, horribilius pœnaliusve ducat.*

Bern. ser. 35 in cant.

Huic bonæ mentis tormento accedebat & aliud à molestis cogitationibus, & infestationibus dæmonis, qui ingerebat se, & quidem eâ vi & violentiâ, ut dum illis obstitit, compages totius corporis dissolvi videretur.

Ex erebo malus genius horribili specie non semel se Christi sponsæ objecit: visus subinde Mauri nigrescentis teterrimâ figurâ, vel ad terrorem, vel etiam ad vim inferendam; nam quãdoque ad muros allidere, quandoque ardenti face propè adurere, nonnunquam è chori gradibus detrudere luxato etiam brachio. Ita permittente sponso, ad sponsæ suæ exercitationem, vel gratiam, virtutemque in immensum augendam.

Morale contra hæreticos & molles Catholicos.

Objiciet fortassis aliquis, ex heterodoxis, ejusmodi probationes Domini, & infestationes dæmonis, se, nec synclericas suas experiri; credo quia non probandi, cùm in sensum reprobum dati sint; nec uxorculas infestandas, quia amicæ sunt; sed & cum ipsis, etiam frigidi, & petulci Catholici, qui toti sunt in cute curanda, & hanc Theresiæ austeritatem execrantur, illud Apostoli adducunt: *Nemo carnem suum odio habuit, sed nutrit & fovet eam.* Verissimè dictum, neque nos negamus insitam esse cuique nostrum sui corporis charitatem: ita enim natura exigit, ut nos ipsos, omnesq; nostri partes diligamus.

Ephes. 5.

Quare

Quare quod de eo coërgendo, & castigando dictum est, ita intelligendum est, id omne non ex odio, sed ex vero, & sincero amore fieri. Cõpello vos, si quis in morbum inciderit, ipsumque corpus malè affectum fuerit; si medicus diætam, qua corpus attenuetur, vel sanguinis diminutionem præcipiat: vel etiam membri putrescentis abscissionem; qui id faciat, isne corpus suum odisse censendus est? Potius oderit, qui non fecerit: nocet enim illi gravissimè, morbumque auget; quin imò, quod odii capitalis est, subinde interimit. Igitur quod sit in morbis naturalibus, magisque periculosis, quæ sunt vitia; neque enim, ut loquitur Ambrosius, minor febris est, agitari libidinis, aut luxuriæ, vel alterius cupiditatis ardoribus, quam febrium æstu; quia etiam eò periculosior, quod ista febris, æternam mortem inferat.

Itaque qui corpori sic affecto medicinam facit, licet acerbam, & amaram, non ille corpus odit, sed maximè diligit. Quam in sententiam egregiè hæc ab August. Doctore summo pronuntiata sunt: *Sed neq; corpus suũ, inquit, quisquã odit. Et quod nonnulli dicunt, malle se omninò esse sine corpore, omninò falluntur: non enim corpus suũ, sed corruptiones ejus, & pondus oderunt. Nõ itaque nullũ corpus, sed incorruptum, & integerrimum corpus volunt habere. Quod autem continentiâ quidam, & laboribus quasi persequi videntur corpora sua, qui hoc rectè faciunt, non id agunt, ut non habeant corpus, sed ut habeant subjugatum, & paratum ad opera necessaria: quia enim hoc erit post resurrectionem, ut corpus omnimodo cum quiete summâ spiritui subditum immortaliter vigeat: hoc etiam in vita meditandum est, ut consuetudo carnalis mutetur in melius, nec inordinatis motibus resistat spiritui.*

August. de doctrin. Christ. lib. 1. cap. 24.

Unde qui carnem castigat, & in servitutem redigit, tantum abest ut malè oderit, ut verè, ac piè amet: *Nam si malè amaveris tunc odisti; si benè oderis tunc amasti*: quia qui sic odit, perficit & reformat ad eam pulchritudinem, quam tum habebit, cùm erit configuratum claritati Christi, & corpus, quod jam aggravat, leve, agile, ac subtile existet. Quam beatitudinis dotem etiamnum in vivis Seraphica Theresia consecuta quodammodo videtur; dum in ferventioris orationis æstu, non animo dumtaxat in Deum abrepta, sed & corpore, jejuniis, flagris, & assiduis afflictationibus penitus exhausto, à terra sublimis sæpius elevari conspiciebatur. Crederes ipsam corporis molem ab anima tolli, ut & seipsa, & terris superior esset, sui quasi oblita ponderis, & naturæ.

August. in Ioan. tract. 51.

Qualiter dotes beatitudinis corpus Theresiæ habuerit.

Ubi carnis mancipia, ventri & abdomini debita, corpore & animo in terræ sordibus volutantur, & mole sua ad inferos premuntur.

Attendite quid corpori Theresiæ, sponsæ suæ, cælestis sponsus contulerit. Erat illud in altâ defossum humo, cui insuper & terræ, & lapidum superingesta moles ingens, ne facile inde erui posset, & pio furto tolli: hoc enim ut timebant, ita cavebant Conventus *Albæ* sanctæ Moniales, piæ Matris, piæ filiæ, & virginei illios depositi amantiores. Verum cum è sepulchro suavissimus prodiret odor (quem à sponso traxerat, qui pascitur inter lilia) visum illis, etiam *Provinciali* annuente, apperiendum sepulchrum, atque exhumandum corpus: quod & factum post novem à sepulturâ menses. Sed ut notis, & admireris ac venereris, quid & quale corpus sponsæ Christi! capsa lignea, & vestes penitus corruptæ: corpus autem omninò incorruptum, integrum, flexile, agile, ac tractabile repertum: & de quo hic agimus, *leve, nec majoris ponderis, quam infantis duorum annorum.* Diceres carnis, ossium, totiusque corporeæ molis pondus deposuisse, & induisse quandam levitatem aeream, atque agilitatem; quam induxerat per assiduam mortificationem, subtrahendo quæ aggravare & deprimere ad terrena poterant.

Nostis quâ ratione navis alleviandâ sit? sentina omnis exhaurienda, merces omnes quæ gravant, in mare præcipitandæ, onera omnia abjicienda: ne ut sæpè fit, navis cum mercibus, ipsisque vectoribus, fluctibus hausta, in profundum maris abripiatur. Morale.

Omnes nos velut navigia, ut cum Ambrosio loquar, in hoc turbido mundi oceano jactamur; quo innumeri temulentiâ & crapulâ nimis saburrati: rerum terrenarum pondere aggravati ad profundum inferni, cum ingenti omnium virtutum, gratiarum, ac meritorum thesauro, cum corpore & anima miserè dilabuntur. Hoc timebat, dum dicebat Apostolus: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam*; quæ Augustinus fusius prosequitur: *Vitam*, inquit, *habet anima in corpore corruptibili. Qualem vitam? onera patitur, pondera sustinet*; quibus si alleviari desideres, corpus cum Theresiâ, assiduis pœnitentiis, jejuniis, lacrymarum ac sanguinis effussione exhauriendum est.

August. in Psal.

Sed ne longius abeam, redeo ad te, prædilecta sponsa Christi, illectus eo, qui ex te expirat odore, quo captæ Virgines, & Religiosæ animulæ, se religioni; & sponso Virginum devoverunt, sæculi, ac carnis graveolentiam, & mephitim aversæ, illi se, qui pascitur inter lilia, adjunxerunt.

Quin & vos filiæ vanæ, & animulæ vagæ in odorem curritis unguentorum istorum.

Contigit superiorum jussu corpus secundò exhumaretur, atque ad Conventum Abulensem transferretur, quando Moniales quid ageretur ignaræ, quæ in choro Matutinis horis vacabant, suavissimum persenserunt odorem, quo indicto cognoverunt educi corpus beatæ suæ Matris, ac Magistræ. Quin & panniculi, quo sacrum corpus tectum fuerat, adeo vehementem efflabant fragrantiam, ut & fenestras, & portas aperire necesse fuerit; seque adeo diffudit, ut per totum omninò Conventum perciperetur.

Par... pag. 6 Relat. 1. num. 3.

Anno demum 1604. hoc est viginti duobus annis ab illius obitu, demum aperta est capsa, & discoopertum corpus præsentibus Ducissa de Alba. Duce Del Infantado, aliisque Episcopis, ac viris Religiosis; qui illud integrum, incorruptum, ac planè vividum, non sine amabili stupore conspexerunt. Quam beatorum dotem, præter illam claritatis, qua in vita radiavit, etiam fragmenta carnis, brachium, cor, manus, aliæque reliquiæ à corpore decisæ, ac separatæ retinuerunt.

Argu-

Argumento sit quod Madriti Matrona nobili, cui olim fragmentum carnis hujus Divæ datum, cùm post quindecim annos inter sorores dividi placuisset reverentiæ, ac religionis causa, ea cura nobili Ecclesiastico demandata est. Secuit ille, ac divisit. Sed, ô miraculum! ô prodigium! ex carne sic dissectâ effluxit sanguis vivus, ac vividus, & subjectam chartam sacro cruore tinxit.

Hic odor, hæc incorruptio, dos est virginitatis, quâ ita excelluit, ut illustri encomio Reverendissimus Tirasonensis Antistes, qui ei à Confessionibus erat, Theresiam vocitare solebat: *Angelum*, quasi corporeæ molis, carnisque expertem: nam ut rectè Bernardus: *Quid castitate decorius, quæ* ANGELUM *de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus* ET ANGELUS; *sed felicitate, non virtute.* Quod teste Basilio: *Qui virginitatem servant,* ANGELI *sunt,* NON EX INFIMO QUOVIS ORDINE; *sed certe illustrissimi atque nobilissimi*, meritò Theresia hac singulari virginitatis prærogativâ, ipsis Seraphim annumerabitur: hæc etenim raræ & angelicæ puritatis Virgo, fœcunda simul religiosissimi utriusque sexus, spiritualis Mater & Magistra sanctissima, omni vitâ ne minimum nævum venialem contra castitatem in animum admisit, qui esset materia Confessionis; quemadmodum testatus est noster Pater Franciscus Ribera, in defensione ejus vitæ immaculatæ: & alter, Pater Rodericus Alvarez, ejus etiam Confessarius, ostensis suis perspiciliis cristallinis, dixit: *Sicut est impossibile ut huc intret mala cogitatio; ita erat anima* THERESIÆ, *beneficio speciali divinæ gratiæ.*

Bernard. epist. ... ad ... S. ... de virginit.

In ... de ... Hu ... virtut. cap. 1. n. 42. P. Ribera ... tium est lib. 7 ... § ...

Vultis ipsius candidissimæ animæ testimonium? Adierat ad *Theresiam* una ex suis virginibus, quam satanas, omnis olor puritatis, obscœnâ visorum turbâ, & verù reliquâ suâ arte ita fatigabat, ut à medicâ tantæ Matris manu, certissimo victoriæ compendio, opem quæreret. Obstupuit ad novas illas rerum formas *Theresia*, & linguam quam non noverat, audivit, sicque consulentem affata est: parce, filia, his me quærere remedium; io hoc enim bello sum hospes sum & peregrina, ut quid loquaris penitus ignorem. Quid ni terra cælum sit, si plures *Theresias* haberet?

Plura dicere meditantem, interpellat vox cælestis Sponsi, dilectam suam sponsam ad coronam gloriæ invitantis.

§. IV.

Veni de Libano SPONSA MEA, *veni de Libano, veni*, CORONABERIS. Cant. 4. v. 8.

INgeniosus Italus Joannes Ferro in theatro de gentilitiis tesseris, refert Henricum III. Galliæ Regê, cum simul regnû Poloniæ occupasset, duas coronas in scuto gentilitio pingi curasse, quibus supernè tertia imminebat, hoc lemmate subjecto; manet ultima cælo.

Theatro d' Imprese ... part. ... 150

Duplici coronâ Christi sponsa redimita fuit, unâ quæ sub sensum, oculosque cecidit, illiusque capiti ob exantlatos labores, & decursum in stadio agonem, imposita. Alterâ, qua cor illud amabile, & mirabile Theresiæ, veluti aureo diademate à sponso coronatum. Tertiâ, gloriæ, qua sponsam suam decoravit in æternum.

Guazzo Her: Tasso. part. 2 lib. 29.

Perspectum erat huic viragini, & exploratum Paulinum illud oraculum: *non* CORONABITUR, *nisi qui legitimè certaverit.*

2. Timot. 2

Pugnantem, certantem, luctantem illam vidimus contra potentes sæculi, contra inimicos exteros, & domesticos: contra principes tenebrarum harum: contra carnem, mundum & diabolum; de quibus gloriosissimè triumphans, meruit coronari.

Per omnia obstantia hæc mulier fortis eluctata, exstruebat Avilæ primum monasterium novæ Reformationis; cùm in mentis excessu sese obtulit Christus, ceu sponsus, eamque *ob tolleratos labores, coronâ fulgentissimâ redimivit*, ut ex veto usurpare illud potuerit: *tanquam sponsam decoravit me* CORONA. Hæc generosissimæ huic Heroinæ debebatur. Hoc diadema nobilissimæ eius victoriæ de superatis dæmonum phalangis debebatur.

Acta Canonizat. Relat. 2. de donis dn. vin. § 4.

Non minus mente, quàm manu promptus Ferdinandus IV, die quo exercitum in campum duxit, & cum hoste confligendum diadema ut acquireret victoriæ, hæc ad milites effatus est: *dia de mas valer: dies ad magis valendum.*

Talis dies Theresiæ indies fuit: *dia de mas valer*, sic ut indies *diadema* valoris, laboris, luctæ & certaminis illi deberetur.

Theatro d' Imprese di Giovanni Ferro part 2. pag 252

Sanctus Nilus in paræneſi: *fortiter perfer afflictiones*, pauperiem, calumnias, injurias, tribulationes, tentationes: *quoniam* CORONÆ *horum sunt, qui in illis certamen sustinent.* Sæviat in nos persecutor, quo magis sævit, & quasi adversitatis malleis majorem strepitum ciet, eò nobiliorem nobis coronam fabricabit. Ita sentit Guilielmus Peraldus: *ad plus*, inquit, *non potest nocere diabolus, vel persecutor justo, nisi quia fabricavit ei* CORONAM ÆTERNAM. *Iucundum Dei judicium: quia ille superbus humilium malleator, nesciens* EIS CORONAS FABRICAT PERPETUAS, *omnes impugnando, & omnibus succumbendo.*

Guazzo Here Tasso. ...

Novarini electa sacra hom. 5 pag 425.

Dicta confirmo melleo Divi Guerrici, quod ex Magistro suo sancto Bernardo suxit eloquio: *poterit immundus ille tentator sævire; sed hoc erit servire: poterit urere, tundere, dissecare, sed* HOC ERIT CORONAS FABRICARE.

Guerricus serm. 1. de S. Benedicto

Vos Seraphicæ Sanctimoniales expertæ estis verissimum illud prisci Patris effatum: *quoties vincimus, toties coronamur.*

Hinc est, quod cælestis sponsus dilexerit speciem vestram, & singulari beneficio contestatus sit.

Duobus annis antequam ex Hispaniâ in Gallias emigrarent Carmelitanæ, Beata Anna de S. Bartholomæo Christum vidit amabili specie, atque ad instar Sponsi adornatum, eo ferè modo, quo à regio Vate describitur in illo solenni psal-

In vita.

ni psalmo *eructavit*. Quæsivit ex illo, ecquonam *eo diademate*, eo lumine decoraretur? Eraudiit, in Galliam tendere *ad sponsas suas*, eas scilicet, quæ primæ in Christianissimo illo regno, Ordinem illum sacrum essent ingressuræ. Erant nimirum vel ab ipso initæ Religionis limine, futuræ Sponsæ Christi, ac diademate coronandæ.

2. Corona, qua in desponsatione cor Theresiæ redimitum est.

Nunc ut ad alteram coronam veniam, qua cor Theresiæ divinus sponsus redimivit, illud mihi in calamum fluit, & in linguam venit, quod inter symbola amantium olim reperi: sponsum sponso cor adamantinum missitasse, corona ex auro vermiculato coronatum, cum hac epigraphe.

Coronat amantis cor, cordis amans.

Cant. 4. v. 11.

Cor Theresiæ, quod nunc lauro & auro jure cingitur, Christus sponsus DIADEMATE CORONAVIT *in die desponsationis illius, & in die lætitiæ* CORDIS *eius*; quo non digitum dumtaxat sponsæ, annulo inserto redimivit; sed *& cor ejus decoravit corona.*

Libet amabile & mirabile illud cor penitius mirari, ac rimari, quod amore sponsi sui non tam diruptum, quam in immensum dilatatum est. Seraphico telo saucia Theresia, tota, quanta fuit sub amore meruit, ut non tam vixisse quã amasse, nec tam amasse, quàm flagrasse videatur. Incredibile nobis legẽtibus penè est, quod & spectantibus mirabile fuit, tanto divinæ charitatis incendio parem fuisse fœminam adhuc mortalem; sed ne diu miraculum esset, transiit ad immortales, ut inter beati incendii accolas transcripta, municipatus jure, igne divino frueretur; quod liquidè ut omnibus constaret, non frigida morte, sed summo in æstu amoris (ut Cardinales sacrorum rituum in Relatione factâ Gregorio XV, pro eius Canonizatione asseruerunt) à nobis abiit. Unde per orbem universum decantat Ecclesia:

In Breviar Rom. 15. Octob.

Divini amoris cuspide
In vulnus icta concidis,
O charitatis victima!

Hanc quoque exemplo suo comprobatam, posteris doctrinam reliquit in itinerario per-

Lancicius. opusc. spirit 4. cap. 5.

fect. cap. 19. *potest*, inquit, *crescere adeo amor, & desiderium Dei, ut subjectum naturale illud sufferre nequeat, & aliquæ persona* (ut Deipara, Catharina Senensis) *sic sunt mortuæ.*

Hoc cor Theresiæ vulneratum charitate, non fas fuit in cineres redigi: hanc officinam amoris, hanc machinam charitatis per totum orbem cœlestium flammarum incendia spargentem, non fas fuit perire, aut interire. Quare scopum hunc divini Cupidinis, inaudito hactenus miraculo sub oculos proponam, ut omnibus pateat, quod de corde Theresiæ ex Secretario Adm. R. Patris Generalis Carmelitarũ unus ex nostris accepit, litteris datis a. 1650. 17. „ Augusti, quæ ex Hispanico versæ sic sonant: „ Pater noster Generalis ultimâ Julii Albam „ venit, cõcurante Patre Priore de Toro, & Pro„ curatore Salmanticæ, & statim unà cum so-

Cor Theresiæ perpetuum miraculum. Lobbetius. gloria Patriarch. pag. 597.

eiis ivit, ut debitum cultum ac honorem redderet sacro Cordi B. Matris nostræ Theresiæ.

Ubi ad sacratium venit, ex illo à sacrista „ illius Cœnobii extractum cor crystallo pro- “ bè inclusum; & certè mirum visu, dictuque “ spectaculum. Visum est cor dilatari, & om- “ nem crystalli aream replere: tum alia atque a- “ lia in eo species apparuit, Procurator primo “ omnium aspexit Beatæ Matris effigiem sudo- “ re madentem, ac diffluentẽ; deinde eam om- “ nes viderunt in suo habitu, velo chlamyde, o- “ mnia suis distincta coloribus; facie autem hi- “ lari, amœnâ, & speciosissimâ

Tum R. Pater Generalis in eo vidit Chri- “ stum, ut pingitur: *ecce homo*. D. Prior de Toro, “ *crucifixum*: alii *Sanctam*, eamque solam. Alii de- “ niq; *Christi* in eo *Resurrectionem* quam ego qui- “ dem non vidi; sed diutius, & per sacrum oti- “ um unà cum Procuratore *Sanctam* vidi, & “ adeò quidem mihi impressi, ut non difficul- “ ter eius faciem ad vivum effingerem, si modo “ pictor essem. Numquam rem vidi aut pulch- “ riorem, aut transparentem magis, aut etiam “ nativam. Horum omnium veritatem certâ “ fide adstruo, dicoque sanctam Matrem no- “ stram *Theresiam* voluisse eo spectaculo hono- “ rare Prælatum nostrum, & eius regimen ap- “ probare.

Vidistis grande spectaculum amoris & doloris in Christum Sponsum sanguinum, eiusquepassionem, quam ut cordi impresserat in vita, sic & expressit, nobisque imprimi voluit à morte, dum adhuc quasi spirans, & bulliens amorem testatur, quod Deus inusitato, eoque perpetuo, & à sæculis inaudito miraculo manifestum esse voluit.

Nam Cor Theresiæ (ut refert Pater Silvester Petra sancta) crystallo includi, & contineri non potest: fervet perpetuò, atque ebullit, amoremque suum adhuc exhalat, cujus officina semper fuit; proinde carcerem suum velut frangit, ut exæstuare liberius possit.

Silvester Petra sancta. Thaumasia ... bo R. ... tom 3 cap. 12.

Tandem, ut concludam, post duas has coronas, *manet ultima cœlo*, ubi seraphicam sponsam suam dilectus eius sponsus *gloria & honore coronavit*. Est, inquit Hugo Cardinalis, *differentia inter gloriam, & honorem: quia gloria est in se ad alios* (quam à Deo collatam in alios latè diffundit; quæ autem & qualis illa sit, non valet lingua dicere, nec littera exprimere. *Honor in se ab aliis*; qui quantus ab omni gente, & lingua & natione, quæ sub cœlo est, Theresiæ delatus sit, plena sunt sacrorum annalium monumenta, & illustrium virorum encomia.

3. Corona gloriæ. Psal. 8. 6. Hugo Card. hic.

Illud autem *Coronasti* dupliciter inquit Cornelius, accipi potest. Primò, *coronasti*, id est, copiosè, & quasi undique cinxisti, & circumvallasti eam gloriâ, instar coronæ: corona enim “ Hebræis copiam, & affluentiam florum, & o- “ pum significat, ut psal. 64. v. 12. *benedices* CO- “ RONÆ *anni benignitatis tuæ.*

Cornel. in ep. ad Heb. c. 2. v. 7.

Psal 64 v. 12.

Hinc non leve mihi certamen oboritur, quæ & qualis hæc corona gloriæ? sunt qui velint caput *Theresiæ* coronâ stellarum duodecim cingendũ, ut Elias de Theresia, aliique Encomiastes luculenter tradiderunt. Nonnulli corollã ex duodecim lapidibus pretiosis et contexere malue-

inaluerunt, quos Patriarcha Venetus eleganter depingit: *in ipſa* CORONA, inquit, *tanquam pretioſi lapides, fulgent duodecim genera gaudiorum, quibus decorantur, qui illuc introducuntur. 1. eſt ſanitas abſque infirmitate. 2. Iuventus ſine ſenectute. 3. Satietas ſine faſtidio. 4. Libertas ſine impedimento. 5. Pulchritudo ſine deformitate. 6. Impasſibilitas ſine morte. 7. Abundantia ſine indigentiâ. 8. Securitas ſine timore. 10. Gloria ſine ignominiâ. 11. Pax ſine perturbatione. 12. Gaudium ſine triſtitiâ.*

Coronam hanc 12. lapidibus pretioſis coruſcantem, ſibi Thereſia ex myſticis heroicarum virtutum gemmis concinnavit, & meruit.

Alii diſputant ac decertant, an floreis ſertis, e lilus, vel roſis, aut laureâ, quaſi triplici aureolâ vertex Thereſiæ condecorandus ſit? An, ut cum Auguſtino loquar, meruerit *amplisſimas accipere dignitatum coronas: ſive de virginitate candidas, ſive de pasſione purpureas: vel de doctrinis laureas?*

V. Lobbet. glor. Patri ... de ... laurea 8. Thereſia. Sapient. 4.

Quibus omnibus Thereſia *in perpetuum* CORONATA *triumphat*, eiuſque Filiæ, ac Filii, virginitate, Martyrio, & Doctoratu eximii, coronandi ſunt.

Quare, digna fuiſti profectò, Virgo Seraphica, ... ino calculo, quam unam tot labentium ſæculorum curricula expectarent, ut Ordo ille nobilium Matronarum, turbâ illuſtrium virorum numero celeberrimus, à te potiſſimum inſtitueretur, inſtiturus floreret. Teſtantur illud tot ſpectatiſſimæ Heroinæ, tot glorioſiſſimi Heroes, qui ſolenni Sacramento tibi auctorari, in tuas leges jurarunt, quorum quot ſunt partes orbis terrarum, totidem ſunt monumenta virtutum. Florebit hic Ordo in memoriam ſæculorum æternam. Vaticinium hoc divinum eſt: ſic enim cum ad ſacram aram divinis rebus vacares, in prægrandi libro hæc verba aureis litteris exarata legiſti: *florebit futuris ætatibus Ordo hic, & Martyres multos habebit.*

Ad vos me converto RR. Patres, piiſſimæ Matris fortiſſimos filios, ad vos inquam, qui pedem quotidie ponitis in ampliſſima veſtigia majorum veſtrorum, qui ſpiritum ducitis è Thereſiano illo cælo, tot ſeminibus virtutum referto: qui omnibus viribus, quod à Matre veſtrâ accepiſtis, patrimonium gloriæ tueri contenditis. Scio, dum multos Martyres in Ordine veſtro futuros auditis, ebullire ac ſalire in maſculis venis nobilem ſanguinem, geſtireque præruptis omnibus repagulis pro Chriſto effundi. Præterete tot invicti Ordinis veſtri Armigeri, Religionis ſigniferi, Anteſignani Chriſti, qui Germaniam ruinis ſuis inſepultam, ac penitus extinctam, quaſi à funere excitarunt: qui per ultimos orbis terminos non ſolum Belgici Leonis, ſed de tribu Judâ rugitum audiri fecerunt ad terrorem Barbarorum: Anguſtus fuit illis univerſus orbis induſtriæ campus, virtutis circus, gloriæ curriculum: qui dum legitimè certantes coronam juſtitiæ meruerunt, ſimul *gaudium & corona* Matri ſuæ extiterunt.



18. Octob.

FESTUM SANCTI LUCÆ EVANGELISTAE, PICTORUM PATRONI.

Asſiduitas eius variat picturam. Eccli.38.v.28.



In tenui labor, at tenuis non gloria. Virg.4.Geor.

ARGUMENTUM.

PRima picturæ, artis præſtantiſſimæ, prorſus rudis origo fuit, quam aſſuetudo, etiam vel unicam in dies ſingulos lineam ducendo, perfecit; Quæ ſi ad animum referantur, ut

Nulla dies abeat, quin LINEA *ducta ſuperſit,*

Virtutis coloribus expreſſa, divinos nos, ſancti Lucæ æmulos, pictores efficient. Hic porrò virtutum pigmenta adhibenda monet, quibus animæ tabulam ſcitè depingamus, identidem ad prototypon ſanctorum, atque ipſum abſolutiſſimum exemplar Chriſti Jeſu, quod in monte monſtratum eſt, reſpiciendo: imago quippe, ut docet S. Thomas, ab imitando dicta eſt. Ea autem vis picturæ eſt, ut ſi ad vivum rem expreſſerit, potentius quam dictio ſoleat permovere; nulla verò tam elegans, ſit Apellis vel Zeuxidis, quæ tabulam animæ, virtuté coloribus depictæ valear adæquare. Sed, prô dolor, & pudor! hanc tabulam plerique fœdis imaginationibus deturpant; quæ ut in fæminis prægnantibus terrifica non raro monſtra parturire fecerunt, ita diabolicam planè ſpeciem, animæ imprimunt. Ad has autem plurimum conferunt obſcœnæ picturæ oculis objectæ urbe, & orbe eliminandæ, ac flammis abolendæ, potius quàm animæ æternis ignibus concremantur, quod tragicis hiſtoriis comprobatur. Eſt & aliud diabolicum pingendi artificium, quo puellæ, pellices jure dixero, capillos tingunt, oculos, & genas cum Jezabele pingunt; ad quam claſſem referuntur, quæ nigra muſcarum inſtar emplaſtra, ſinnti aut malis affigunt, in extremo judicio horrendum illud auditura: *non agnoſco colores meos, non agnoſco imaginem meam.*

Ambroſ. lib. 6 hexam cap. 8.

§. I. *Cor ſuum dabit in ſimilitudinem* PICTURÆ. Eccl.38.v.28.


§. II. *Porro Iezabel* DEPINXIT *oculos ſuos ſtibio.* 4. Reg.9.v.30.

§. III. *Aſſueſce unus eſſe, ut vita tua* QUANDAM PICTURAM *exprimat.* Amb.lib.3.epiſt.

FESTUM

FESTVM SANCTI LUCÆ EVANGELISTÆ, PICTORVM PATRONI.

Cor suum dabit in similitudinem Picturæ. Eccl.38. v.28.



Bservatione, & admiratione dignum est, à quàm parvis elementis, crudis rudimentis, & obscuris lineamentis, hæc quæ omnium oculos, & animos capit, viva ac propè divina pingendi ars, primum promanârit. Volunt, qui origines artium eruderârunt, opilionem forte Jottum nomine, in patulo campo oves pascentem, sub meridiem umbras earum, quas proiiciebant, observasse, ac pedo pastoriceo in arenâ extremas lineas enotasse; quod factum, ut vicinis pastoribus, quos inter vegeto & vivido erant ingenio, non inficetum videbatur, consimile quid æmulati, & canis, & ovis, & bovis, & equi effigiem, extremis ductis lineamentis adumbrabant.

Ad Pictores.

Guinisius. Alluet. 4

Rudis origo picturæ.

Tum quidem nondum *polito artibus mundo*, necesse erat crudis illis, & rudibus schediasmatis subscribere: hæc est ovis, hic canis: hic bos, hic equus; alias unum ex alio non facile decerneres. Pernitia, inquit Ælianus, *adeo rudu pictura fuit, ut ex lineis vultus hominis, aut animalis agnosci non posset, nisi non adscriberetur.*

Hiero.ep.1

Ælian. lib. 10. variar. hist.

Ejusmodi in arte tirones, *cladders, brodders*, qui nimis cito manum tabulæ, & magistro subduxerunt, quam plurimos etiamnum reperire est, ut patet in eorum tabellis, quæ foribus, & officinis præfiguntur: in quibus prostat Imperator, Rex Hispaniæ, Franciæ, Dux Lotharingiæ &c. ab iis depicti, qui bus ne facie noti sunt, & nisi infernè *nomen adscriberetur*, hoc est in Cæsare, hoc in Duce Lotharingiæ, hoc in Rege Hispaniæ; spectator non plus illum, quàm à magno Turcâ: aut Romam à Parisiis, & Amstelrodamo similiter depictis, decernere, & agnoscere poterit.

Hæc si ad tabulam animæ referamus, innumi genere hominum consimiles, stolidos, imperitos, ineptos pictores deprehendemus, quorum nisi *nomen subscriberetur*, Christiani, opificis, mercatoris, medici, causidici, consiliarii, nobilis, religiosi, Prælati, *cognosci nō possent*, cùm nihil sui, virtutum ac probitatis coloribus referant; qui ut perfici possint, & summi evadere, observandum est, quâ ratione, pictorum omnium facile princeps, qui artem omnem exhausit, & naturam propè superavit, id consecutus sit. *Apelli*, inquit Plinius, *fuit perpetua consuetudo, numquam tam occupatam diem agendi, ut non* LINEAM DUCENDO *exerceret artem, quod ab eo in proverbium venit:*

Vt bonus pictor quis evadat, indies linea ducenda.

Nulla dies abeat, quin linea ducta supersit.

Ex hac prima, & assidua exercitatione, quis & quantus Apelles evaserit, ex dicendis postea patebit.

Hoc si quisque vestrum æmulatus fuerit, si rectam, si peritam, & si politam, pro suo quisque officio, indies lineam duxerit, quàm perfectam sui imaginem posteris transcribet?

Libet hic D. Hieronymum, Doctorem maximum audire. Refert is Titum, Vespasiani filium in cæna recordatum, se eo die nil boni fecisse, in hæc verba proruplsse: *amici, hodie diem perdidi: & nos non putamus perire nobis horam, diem, momentum*, quo non modò quid boni, sed multum mali, & flagitii admittimus? Nos non eum diem perditum ducemus, quo nullam cum B. Borgiâ carnis nostræ vel minimam mortificationem, aut ullam lineam perfectionis, animæ tabulæ induximus? quo nulli nudo amiculum, nulli esurienti frustum panis mucidi; nulli sitienti, haustum aquæ frigidæ obtulimus? quo nullum pietatis, religionis, devotionis actum exercuimus: non sacro interfuimus, non preces ullas fudimus, non precesullas fundendo, decumbendo fudimus? nonne cuique eorum exclamandum, *amici, hodie diem perdidi?* quo lineam nullam charitatis, humilitatis, aut ullius virtutis; sed potius innumeras fœdas, & crassas vitiorum, ac omnis generis flagitiorum duximus?

Hieron. ep. ad Cælas. c. 6

Hæc ne quis minuta, aut minima ducat, quantum ab Apelle subtiliter, & à vobis sublimiter, ducta linea illi laudis apud homines, & vobis apud Deum futurum sit, attendite. Notissimum est quod de Apelle, & Protogene, à Plinio accepimus in hunc ferè modum. Rhodi vivebat Protogenes, quò cùm Apelles adnavigasset, avidus cognoscendi opera eius, famâ tantum sibi cogniti; continuò officinam petiit, salutem dicturus ei, quem ad miraculum usque suspiciendum, omnium ora prædicabant. Aberat ipse, sed tabulam, magnæ amplitudinis in machinâ aptatam picturæ, anus una custodiebat. Hæc Protogenem foris esse

Plinius. l. 35. c. 10

esse respondit, interrogavitque simul novum sibi hominem, penitusque ignotum, à quo quæsitum diceret: ab hoc, inquit Apelles: arreptoque penicillo, *lineam ex colore duxit* summæ tenuitatis per tabulam; reverso Protogeni, quæ gesta erant, anus indicavit. Ferunt artificem, protinus contemplatum subtilitatem, dixisse, Apellem venisse: non enim cadere in alium tam absolutum opus: ipsumque alio colore *tenuiorem lineam* in illâ ipsâ duxisse, præcepisseque abeuntem, si rediret, ostenderet, adjiceretque: hunc esse, quem quæreret; atque ita evenit: revertitur enim Apelles; sed vinci erubescens, *tertiam lineam secuit*, nullum relinquens amplius subtilitati locum. At Protogenes victum se confessus, in portum devolavit, hospitem quærens, placuitque sic eam tabulam posteris tradi, omnium quidem, sed artificum præcipuo miraculo, nihil aliud continentem, *quam lineas visum effugientes*: cui meritò illud subscripseris. *In tenui labor; at tenuis non gloria.* Mirentur alii pingendi artificium, & post memoriam hominum inauditam subtilitatem: mirentur pictorum celeberrimorum in tenui laborem; at, tenuem non gloriam; nos interea demirabimur, inventum ingeniosissimum placuisse utrique, prodere se non verbis, aut dato nomine; sed exhibito opere: quippe cui peculiare est, qualis quisque sit, non modo sine errore; sed sine ullâ dubitatione aperire, & non fictis, aut pictis linearum coloribus, sed veris & vivis virtutum seipsum, & animum expungere, & effingere.

Virgil 4. Georg.

Talem se in hac arte eximium exhibuit divinus, de quo agimus, pictor, *S. Lucas Evangelista*: hunc Nizephorus Patriarcha Constantinopolitanus, *Patrum sanctissimus, & sacrorum praconum decus* (ut eum appellat Theophanes) hoc non invidendo elogio vocat: *pictorem egregium*; quem tribus instrumentis pinxisse comperio: pinxit penicillo, pinxit calamo, pinxit vita, moribus, & exemplo.

S. Lucas pictor egregius.

Nicephorus. lib. 2. c. 43

Penicillo *depinxit Christi, & Virginis Matris imaginem.* Calamo suo depinxit Virginis partum, Christi vitam, & vivacissimè infantiam, ejusdemque itinera, prædicationem, miracula, passionem, crucem, & mortem. Sua vita, & sanguine depinxit nobis formam vivendi, & tamquam peritissimus pictor, imaginem vitæ suæ nobis proposuit, quam identidem respicientes, imitari, & vivis coloribus adumbrare debemus. Quare quisque nostrum Sapientis monitum secutus;

S. Thomas in 3. distinc 9 a. 2. ad 3

§. I.

Cor suum dabit in similitudinem PICTURÆ. Eccl. 38. v. 28.

Picturæ dignitas.

QUanta sit picturæ dignitas, & hujus exquisitæ, ac prope divinæ artis, etiam apud summos viros, ac Principes laus, & æstimatio, ex eo liquet, quod solers rerum naturalium, omniumque artium indagator Plinius, in hac arte præcellentes, inter viros nobiles non modo accerseri dictârit, sed & ipsos Reges ac Imperatores, penicul0 arrepto, noctes & dies, ad tabulam sedentes, huic arti illucubrasse, testatus sit, dum *picturam, artem nobilem, à Regibus, populisque expetitam* prædicavit. Pergit porrò, & quàm viri consulares, ac principes studuerint in hac arte excellere, & nomen sibi comparare, commemorat: *apud Romanos*, inquit, *honos mature huic arti contigit, siquidem cognomina ex eâ pictorum traxerunt Fabii, clarissima gentis, Princepsque eius cognominis ipse ædem salutis pinxit, anno urbis condita CCCCL. quæ pictura* inquit, *duravit ad nostram memoriam.* Dein Q. Pedium, ex illustri Messalæ Familiâ, natura mutum; & Turpilium, Equitem Romanum in hac classe recenset. *Levâ is manu pinxit, quod de nullo ante memoratur.*

Plinius lib. 35. natural. hist. c. 1.

Idem c. 4. Viri Principes pictores extitere.

Sed, ut prisca mittamus, viget, & vigebit in omne ævum, quod de Theodosio Juniore, Arcadii, & Eudoxiæ filio, non tam imperio Orientis, quadraginta annorum spatio feliciter administrato, quàm Christianæ religionis, ac veræ studio pietatis celeberrimo, à sacris annalibus traditum refert P. Nicolaus Caussinus, vir eruditione & eloquentiâ præstans, in hæc verba: tantus princeps certum sibi scpunebat tempus diebus singulis, quo ad vitam sanctissimè & religiosissimè traducendam, pingendi artem exercebat, exprimebatque penicillo è sacris voluminibus petitas historias. Insuper cum domesticis repetebat crebrò, videri sibi pingendi facultatem conferre plurimum ad virtutum fastigium obtinendum, & vivis coloribus, id est sanctis moribus, cor, & animum depingendum. Est porrò cultura morum, pictura animarum, atque immortalem ornat imaginem, qui cordis tabulam sanctis cogitationibus, quæ vivæ imagines sunt, & virtutum coloribus exornat. Unde non minus eleganter, quàm vere Eusebius Emissenus, aptum illis nomen indidit, dum *pigmenta virtutum* nuncupavit, quæ Sanctissimus Evangelista non modò in sacris tabulis, sed vivis animæ suæ lineamentis expressa reliquit. Nec parum ad picturæ commendationem facit, quod sacrâ Esteris historiâ memoratur: ubi ut declarentur potentissimo ac opulentissimo rege Assueto dignæ lautitiæ, ac divitiæ, dicitur proceribus, ac principibus viris epulas præbuisse, omni deliciarum genere affluentes, atque *ut magnitudinem atque jactantiam potentis* perspicias, describuntur *lectuli aurei, & argentei*, quibus convivæ discumbebant; *pavimentum* insuper *Smaragdino & pario stratum lapide* describitur; quodque in eo observatu dignissimum, illud *mirâ varietate* PICTURA DECORABAT. Quasi verò parum fuisset, argenti, aurique, ac pretiosorum lapidum fecisse mentionem, ad exaggerandum regis opulentissimi magnificentiam, nisi etiam collatum à pictura ornamentum, & regis circa hanc studium, ac delicium memoraretur. Sed parum hoc, pingendi artem artifices suos nobilitasse: Principum, Regum, ac Imperatorum studium hac ut excellerent, desudâsse: longè excellentius quid dicturus sum, picturam summo Numini cordi

Caussin. lib. pietas fortunata ante mundum.

Eusebius Emissen. hom. de Sancto Maximo. post initiū.

Lib. Ester c. 1.

Deus amans picturæ, & ipse pictor.

cordi ac curæ fuisse; cuius testimonium ingens est, templum Salomonicum, ex ideâ divinâ fabrefactum; ubi inter illa quæ admiraculum usque suspicienda narrantur, picturæ sunt, quæ non memorantur solum, sed dicuntur prominere; sic etenim leges lib. 3. Reg. cap. 6. vers. 29. *fecit in eis* (nempe parietibus) *Cherubim*; ubi Hugo Cardinalis, in rem nostram: *id est* DEPINXIT *in eis imagines Cherubim.* Addit idem textus: *& fecit* PICTURAS VARIAS, QUASI PROMINENTES *de pariete.* Templum Dei, cujus intuitu templum Salomonis rude mapale est, justi anima est, juxta illud Apostoli: *vos enim estis templum Dei vivi; quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus*; par est igitur ut picturis undique nitear elegantissimis, quas inhabitando, & inambulando divinis oculis contempletur.

Lib. 3. regum. c. 6. v. 29. Hugo hic.

2. Cor. 6. v. 16.

Ad hoc conferet illud sapientissimi Regis consilium: *justus cor suum dabit in similitudinem picturæ.* Rem obscuram, illustrat Hugo, illustrissimus, & eminentissimus Cardinalis: *id est,* inquit, *diligentiam adhibebit, ut juxta exemplar* DEPINGAT IMAGINEM SUAM: imaginem vitæ suæ, morum, & actionum. *Vel similitudinem dicit illud quod ad repræsentandum* FIT PICTURA, *de quo* PICTOR *sedulò cogitat, ut talem imaginem pingat, quale est illud.*

Ecclesiast. c. 38. v. 28

Hugo Car hic.

Picturæ honestæ & sacræ commendantur.

Perfectissimum prototypon, & absolutissimum exemplar nobis in monte monstratum est, Christus crucifixus: hæc imago, hæc *vita tua* Christi mortui, & crucifixi, *sit semper quasi pendens ante te,* ut huic totus conformeris, quod fiet, si hanc tabulam identidem contempleris. Unde incredibile quàm cultos mores, & amores, quàm vivam Christi similitudinem in animo expresseris, quod utilissimum studium omni sollicitudine curandum, inculcat doctissimus Liranus, qui illud Eccli. 38. *cor suum dabit in similitudinem* PICTURÆ, sic exponit: *id est, sollicitus erit, ut* PICTURA IMAGINIS *assimiletur benè ei, qui repræsentatur*; hoc autem qua ratione brevissimè & perfectissimè quis assequi queat, è picturæ principiis solerter tradit, qui calamo & linguâ divinè pinxit, Magnus Basilius: *sicut pictores,* inquit, *quando imaginem ex imagine* PINGUNT, *identidem ad exemplar respectantes, characterem ad suum opificium inde transferre conantur: ita oportet eum, qui studet seipsum omnibus virtutis partibus perfectum reddere* (CHRISTI) *sanctorum vitas, velut simulacra quædam viva, & efficacia respicere: illorumque bona opera, per imitationem, sua facere.*

Deut. 28. 66.

Liran. in Eccl. c. 38. v. 28.

Basil. ep. 1. ad Gregor. Theolog.

Monet hic sanctissimus Doctor, ut sæpius, & attento oculo prototypon respiciamus, ut quid in eo divini artificii, & cælestis energiæ latet, ad animum, & virtutum lineamenta in nobis exprimenda, referamus. Ubi mihi votum, quod olim Nicostrato, de quo Ælianus lib. 14. variar hist. 47. cum Zeuxis Helenam pinxisset, Nicostratus pictor imaginem intuitus, satis contemplari, & admirari non potuit: cumque in eo contemplando per horas totus defixus hæreret, alter artis imperitus accedens, percunctatur: ut quid tempus terar, tamdiu ante illam tabulam hærendo, & intuendo? cui ille: *non, inquit, id me rogares, si meos oculos haberes*; quasi diceret: hujus tam præclari operis artificium non miraris? planè tuam imperitiam fateris; ego qui artem calleo, hoc absolutissimum artis miraculum contuens, in stupotem rapior, & ultra spiritum non habens, alienor à me, nec satiari possum, os, oculosque, vultum, manus, pedes, nervos, & fibras, perfectissimaque lineamenta ad unguem expressa contemplando. Videor mihi audire *egregium* nostrum *pictorem Lucam*, quemque vestrûm propositâ Crucifixi tabulâ, quam calamo scitè depinxit, compellantem: *si meos oculos haberes*, quid in hac imagine tibi contemplandum, & admirandum, & quod potissimum, quid imitandum, non occurreret? sic etenim de hoc Sanctissimo Evangelista canit Ecclesia: *interveniat pro nobis, quæsumus Domine,* SANCTUS LUCAS TUUS EVANGELISTA, *qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore, pro tui nominis gloriâ portavit*; quam perfectam Crucifixi imaginem non aliter assecutus est, quàm exemplar in monte monstratum, sæpius intuendo, ejus sanguinea lineamenta, in animæ tabulâ exprimendo.

Ælianus. l. 14. variar. hist. c. 47.

Si tu oculos Pauli, si oculos Francisci Seraphici haberes, quid non videres, totus Christo confixus hæreres? O filia vana & vaga, si tu oculos Magdalenæ, Virginis Senensis, Theresiæ, Gertrudis *haberes*, quid non in hac effigie, ex omni parte mirandum, & imitandum occurreret? ad hunc enim finem tradit Doctor Angelicus, imagines institutas, & publico expositas: *fuit:* inquit, *triplex ratio institutionis imaginum in Ecclesiâ. Primò, ad instructionem rudium qui eis quasi quibusdam libris edocentur. Secundò, ut Incarnationis mysterium* (per imagines Christi nati, passi, resurgentis) *& Sanctorum exempla, magis in memoriâ essent, dum quotidie oculis repræsentantur. Tertiò, ad excitandum devotionis affectum, qui ex visu efficacius incitatur, quàm ex auditu.* Ad animos porrò concitandos, cum Oratores verbis rem pro dignitate exprimere, & affectus movere non possent, tabulam oculis subjiciebant, quâ potentius animorum motus, quàm omni dictione concitabant. Quintilianus: PICTURA *sic intimos penetrat affectus, ut aptam vim dicendi nonnunquam exsuperare videatur*; loquuntur sæpius dum tacent pictæ imagines, & ad virtutem etiam mutæ, ac voce destitutæ, omni oratore potentius movent, ac vivacius repræsentant, ut quod oratio non valebat, pictura lacrymas non semel elicuerit. Ecquod enim aliud oratoris perfecti artificium, quàm pictoris instar, per hypotyposes, descriptiones, figuras varias, rem oculis subjicere? Quòd dum vivacissimè facit, quos voluerit, ut de se Tullius, valeat animorum motus concitare. At quantum ars oratoria, picturæ cedat, testem profero Nyssenum Gregorium; virum eruditione, & sanctitate clarissimum, qui in oratione patheticâ, de picturâ, quæ Isaaci immolationem exprimebat, & citatur in Synodo VII. Act. 4. in tabulâ sine lacrymis intueri nequivit. *Vidi,* inquit, *sæpius inscriptionis imaginem,* ET SINE LACRYMIS TRANSIRE NON POTUI, *cum tam efficaciter* PICTURA *ob oculos poneret historiam. Procumbit*

S. Thomas in 3. dist. 9. art. 2. ad 3

Imago ad imitandum instituta

Quint. lib. 11. c. 3.

Pictura potentius movet quàm dictio.

Gregor. Nyssen. orat. in Abraam.

Pictura Isaaci movet ad lacrymas.

enim

enim ante aram Isaac genibus innixus, circumductas ferens in tergo manus; ille vero à tergo pueri innixus pedum curvamini, sinistrâ comam apprehendit, ad se trahens; declinat autem faciem ad puerum, miserabiliter intuens, dexteram autem gladio obarmatam gestat, quam etiam ad cædem dirigit; jam gladii acies ipsum corpus propemodum attingit, cùm illum divina vox à facto deterret; quid mirum si hæc verbis, & calamo adeò vivaciter expressit, qui è picturâ, longè vivaciorem imaginem intellectualem in animum transtulit, unde hi suaves motus, & dulces lacrymæ exprimebantur. Quod Nysseni Antistitis exemplum affert Theodorus Præsul Catanensis, ut à fortiori suadeat, Christi redemptoris vitam, acerbissimosque cruciatus, in tabulis proponendam, ac spectandam: *si beatus Gregorius, vigilantissimus ad divina oracula*, inquit, *inspectâ Abrahæ historiâ flevit; quantò magis oeconomia Domini nostri Iesu Christi, veri Dei, à nobis inspectâ, ad lachrymas & utilitatem, contemplantes nos adhortabitur*, & Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus: *nonne & nos*, inquit, *lacrymas fuderimus, si Dominum & nos viderimus cruci affixum?*

Blosius monil. spirit. c. 1. & 2.

Sic nobis continget, quod S. Gertrudi à Deo revelatum est, quoties quis intimo devotionis affectu, Christi è cruce pendentis imaginem contemplatur, toties Christum amico intuitu, seu ut Bernardus loquitur, *amoroso oculo vicissim conueri*; ut *mutuò se aspicientes, mutua sibi specula fiant*, & imagines non in oculis tantum, sed in animis exprimant. Quid ni enim eorum habeamus imagines, quorum nobis est, & esse semper debet, suavis & perjucunda memoria? Tiberium Cæsarem scribit Tertullianus, in Lazario suo habuisse Christum in tabulâ ad vivum expressum, quæ illum effigies mirificè semper afficiebat. Habuit & Abagarus Edessæ Rex, ab ipso Christo cum epistolâ, sibi transmissam imaginem; de quâ juvat Nicephorum audire: cum Abagarus Rex pictorem misisset, ut Domini Jesu imaginem exprimeret, neque id pictor ob emicantem ex vultu ejus splendorem, facere posset, Christus faciem suam pictoris pallio impressit, & imaginem suam Abagaro misit, quam intuitus (ut Volateranus refert) corporis atque animi incolumitatem mox recuperavit. Quæ fusius Damascenus, Procopius, Evagrius, & ex illo Synodus Nicena Act. 5. contra Iconoclastas exposuit: Tantam vim, & virtutem vel nuda Christi imago conspecta operatur.

S. Asterius

Tertull. in Apolog.

Nicephor. Eccl. hist. lib. 2. c. 7.

Damasc. lib. 4. c. 14
Evang. lib. 4. c. 16
S. Th. in 3. dist. 9. a. 2

Picturis plerique viri Principes, & omnes ingenui delectantur, honestum studium, si honestæ picturæ sint. Turpes & obscenæ, de quibus mox agemus, tam citò aversandæ, & abolendæ, quàm citò libidinis & luxuriæ incitamenta explodenda, & expellenda. Colores floridi, suaves, scitè ducti, viva lineamenta viri herois, & heroinæ, potissimum inter divos relati, erigunt & inflammant animum ad æmulationem: ut quemadmodum Crucifixi imaginem intuendo, ei conformamur, *sic & Sanctorum vitas, quasi simulacra quædam viva, & efficacia respiciendo, pictores imitando, imaginem ex imagine*, vos quoque in animum transferre potestis; in uno charitatem, in altero castitatem, in alio humilitatem, fidem, fiduciam, fortitudinem, patientiam, cæterasque virtutes imitando. Ut in se omnes omnium virtutum perfectissima lineamenta transferat, *& cor suum in similitudinem* PICTURÆ pulcherrimæ effingat. Facit huc, quod de Zeuxi M. Tullius tradidit: Crotoniatæ Zeusim, qui cæteris pictoribus arte suâ præcellebat, magno pretio induxerũt, ut in templo Junonis simulacrum Helenæ depingeret, quam ut miraculum pulchritudinis effingeret, quæsivit ab his quasnam virgines formosas haberent, rogavitque ut ex illis formosissimæ proferentur, dum pingeret. Tunc Crotoniatæ publico de consilio, virgines in unum locum, formæ venustate præcellentes conduxerunt; in quibus ille, quod elegantiæ quærebat, cum in uno corpore se invenire posse diffideret, ex unâ scintillantes oculos, ex alterâ corallina labra: ex tertiâ, eburneũ pectus: quodque in singulis eminebat, in unam Helenam exprimendam contulit. Idem omnino ab eodem Zeusi factitatum fuisse, dum Agrigentinis tabulam depinxit, testis est Plinius.

Basil supracit.

Cicero lib. 2. Rhetor.

Plinius lib 35. c. 9 in fine.

Hæc quò tendant, me exponere volentem, vestra ingenia præcurrunt, cum facile percipiatis, in eo cuique laborandum, ut viris, ac virginibus, multiplici virtutum genere præcellentibus, tamquam pro exemplari propositis, à singulis optima quæque diligentissimo studio percepta, ad imaginẽ animæ venustandam, transferatis. Sic fidem Abrahæ, castimoniam Josephi, mansuetudinem Moysis, patientiam Jobi, &c. sic oculos Luciæ, dentes Apolloniæ, ubera Agathæ, ac earum virtutes, & heroica facta imitando, in se quisque exprimere nitatur; quod D. Basilius commendat: *Eorum, quos rectè, atque ex virtute videris vivere, æmulator esto, & institutorum vitæ, actionum exempla descripta in animum tuum transferto*, ut quæ in omnes sparguntur divisa, nullam non assiduitatem adhibeas, ut teneas collecta: nam ubi Ecclesiasticus ait: *Assiduitas variat* PICTURAM, Hugo Cardinalis exponit, *id est, assiduum studiũ* PICTORIS, VARIAS PICTURAS FACIT, *& diversas*. Lyranus in eumdem sensum: *Variat picturam, apponendo diversos colores*, variatum nempe virtutum, candidum castimoniæ, purpureum verecundiæ, &c.

V. Petrum Damian. tom. 3. opusc. 49. c. 7.

Basil ser. de abdicatione sæculi & spirituali perfect. sub finem.

Eccl. 38. v. 28.
Hug. Car. hic.

Sed ut ad dignitatem artis pictoriæ revertamur, superest ultimum, atque illud excellentissimum, quod ab auctore petitur encomium, Deum ipsum se pictorem exhibuisse, unde habent quo præ cæteris gloriari possint pictores, artis suæ mœcenatem, patronum, ac magistrũ, ac primum quidem, eumque perfectissimum pictorem, Deum optimum maximũ se nactos fuisse; de quo ne quis dubitet, Mediolanensium Antistitem S. Ambrosium indico, qui ait: PICTUS *es, ô homo, &* PICTUS *es à Domino Deo tuo. Bonum habes artificem, atque* PICTOREM. *Noli bonam delere* PICTURAM, *grave est, ut dicat de te Deus: non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam*. Pictus es, ô homo! pictus es à Domino Deo tuo, qui artifici, eaque perfectissima, & omnipotenti suâ manu, ad absolutissimum exemplar, & protypon, ad suam nempè increatam ideam, & divinam similitudinem,

Deus pictor.

Amb lib. 6 hexam. c. 8.

dinem, non corpus, quantumvis oculis, ore, genis venustum (quibus Deus caret) ad omnium symmetriam efformatum, sed animum incorruptibilem, immortalem, æternum, vivis virtutum coloribus, & admirandis trium personarum, cælestis Triados lineamentis, ac divinæ gratiæ fulgore illustratum, elegantissimè depinxit.

Homo, ... Dei, quàm præstans. *Bonum habes artificem, atque* PICTOREM, ut nemo non, si hanc animæ tabulam oculis cernere posset, omnes & Apellis, & Zeusidis, & Parrasii, ipsiusque Michaëlis Angeli, ut maximè ineptas, nec oculis dignas, aspernaretur; sed facto quondam stupore attonitus exclamaret: *Cujus est hæc imago?* In quâ artifex, ut pictor ipse Deus, tanto veluti studio elaboravit, ut simillimam sibi redderet: *Cujus est hæc imago?* ... ncis æternæ, tanti Patris aurea proles, de numinis prosapiâ, cæli hæres, quam specimen esse voluit potentissimæ & sapientissimæ bonitatis ... *Cujus est hæc imago?* in quâ expressa collucet effigies divinitatis, tam pulchra, ut ipse pulcherrimus pulchritudinis auctor, qui teste Paulo, *est imago Dei*, amore ejus captus, voluerit eam sibi desponsare. Audi quid de animo ... improbi, etiam luce gratiæ destituti, sentiat Seneca: *Si nobis animum boni viri liceret introspicere, ò quàm pulchram faciem, quā sanctam, quamex magnifico, placidoque fulgentem viderimus! si quis viderit hanc faciem altiorem, fulgentiorem quàm cerni inter humana consuevit, nonne velut Numinis occursu obstupefactus resistat, & ut fas sit vidisse, tacitus precetur! nemo non amore ejus arderet, si nobis illam videre contingeret.* Adeo non cæcutiebat, in istâ suâ errorum caligine gentilis Philosophus, quin animæ pulchritudinem, quanta esset, probè intelligeret; at si hoc alicui divinitus concederetur, ut posset brevissimâ temporis morâ, ut aliquando Christi sponsæ, Catharinæ Senensi per transennam concessum est, alterius, sic nobilissimam animæ suæ picturam, luce gratiæ *ex magnifico fulgentem*, & ... tut nm lineamentis expictam, obiter perspi... e, Deus immortalis! *quàm incredibili illius ardeet amore!* quanti æstimaret illius dignitatem! Profectò, licet potenti imperio in omnia ... um regna dominaretur, mallet rerum omnium jacturam facere, quàm ut animæ suæ detrimentum pateretur, vel etiam labeculâ tam speciosam ac pretiosam imaginem fœdaret: tanti animam faceret, ut ejus conservandæ gratiâ, spretis omnibus orbis divitiis, & deliciis, in angustum cœnobii angulum sese libens abderet, & cum Paulo, omnia arbitraretur ut stercora, ut animam lucrifaceret.

Mat. 22. (margin)

2. Cor. 3. v. 4. (margin)

Senec. ... 115. (margin)

Plinius lib. 7. c. 38. Rex Demetrius cum Rhodum obsidione cingeret, jamque parari malleolos jussisset, ad nobilem illam urbem incendendam, suisque in cineribus consepeliendam: urbi pepercit, militibus ne incenderent, prohibuit, consilium mutavit, cur hoc? *Ne*, ut ait Plinius, *pulcherrimam tabulam Protogenis cremaret, à parte eâ muri locatam.* O perversum mortalium judicium! gloriæ, victoriæ ac triumphis suis Rex tempera, ne picta, & muta tabula, vel vetusta tepetitura, incendio consumatur; & ne ardenti oculo, flagranti tactu, incendiario Veneris igne, tartareis flammis, æterna divinitatis imago, artifici Dei manu depicta absumatur; nec parentibus, nec ipsis quibus incendium imminet, vel minima cura, ac folicitudo est. Hæc de pulchritudine divinæ hujus picturæ incredibili, nunc quo in pretio habenda sit hæc imago, videamus.

Scio veteres principum pictorum tabulas, immenso olim pretio habitas. Protogenes, ut refert Plinius, pinxit Alexandrum Magnum, fulmē tenentem, in templo Ephesiæ Dianæ, viginti talentis auri. Digiti eminere videntur, fulmen extra tabulam esse. Quid, quod tabulam pinxit, nullo satis magno pretio æstimandam; sed auro licitata est, quantum ipsam tegeret. *Immane tabulæ pretium accepit, in numero aureo mensurâ, non numero.* Plus adhuc artis suæ præstantiam extulisse visus est Zeuxis Heracleotes, qui cum opes acquisivisset, ut in ostentatione eatum, Olympiæ aureis litteris in palliorum tesseris, intextum nomen suum ostentaret, postea donare opera sua instituit, quòd ea nullo satis digno pretio permutari posse diceret; tanta mutæ, mutuæ, ac mox perituræ tabulæ æstimatio, mortalium animis insedit! Quantò verius de viva, & æterna imagine, pretiosissimo Christi depictā, & redemptā sanguine, hæc dicenda, & censenda sunt? sic etenim Paulus divinā voce contestatur: *Empti estis pretio magno*; cùm magnum dicit, nemo secum reputet aut Crassi opes, aut Cræsi thesauros, aut Midæ talenta, aut Persicam opulentiam; disertè id negat Divus Petrus, nos *corruptibilibus auro vel argento fuisse redemptos*; sed *pretioso sanguine quasi agni immaculati*. Anima illa tua, quam corpore circumfers, compulit filium Dei è cælo ad terras descendere, seseque olido in stabulo, usque ad præsepe inclinare: pro anima tua Rex ille tegum, exutus suâ purpurâ, nudus constitit ad columnam ligatus, totoque corpore cruentus, pro illa immanem crucis trabem lacetis humeris, per Hierosolymæ vicos portavit: pro ea ad tres horas ex probroso stipite expandit cruenta brachia. Anima tua elicuit ex ejus oculis tot lacrymas, extorsit ex toto corpore cruentum sudorem, expressit omnem qui per divinas illas venas fluebat, sanguinem; & dubitamus adhuc, quin sit anima pretiosa? nec consideramus adhuc, quam verè & severè Ambrosius inculcarit: *Noli bonam delere picturam. Grave est ut dicat de te Deus: non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam.* Noli opus illud tam nobilis artificis, spurcis figuris, & lituris, cogitationibus inquam, & imaginationibus fœdis detutpare, quam purioribus, & sanctioribus exornare decebat. Appositè Zeleucïensis Antistes: *Mens nostra velut* PICTOR EST: *in animâ, velut in tabulâ prout vult, format*, ET SICUT PICTOR, *quod in obscuro* PINXIT, *postea in medium profert, & deducto velo spectandum proponit; ita post vita exitum, corpore, velut velo, amoto, ea qua à se in anima cen tabulâ*, PICTÆ SUNT *in occulto, in lucem prodibunt. Tunc videre erit animæ tabulam, variâ historiâ refertam, & omnibus in spectaculum propositam; si igitur ex divinis litteris historia, & virtutes conspectæ fuerint, laude dignus judicabitur.*

Omnepictoræ præstans, longè illud animæ æstimatur. (margin)

Plin. lib. 35. c. 10. (margin)

Plin. ibid. (margin)

1. Cor. 6. v. 20. (margin)

1. Petri 1. v. 18. (margin)

Amb. lib. 6. hexam. cap. 8. (margin)

D. Basil. lib. de verâ virgin. (margin)

Si puella *in animo, ceu in tabulâ*, Agnetes, Caecilias, Theresias expresserit; si mens adolescentis, in se Alexios, Casimiros, Aloysios, efformarit, *laude dignus erit.* Hac etenim pictura, nihil in rerum natura excellentius, & quà illud Adimanti apud Platonem de animâ, jure usurparo: *O speciosissimam, nobilissimamque* PICTURAM.

Si quis in animâ, velut tabulâ, jejuniis suis pallorem induxerit, si cruentas aculeatis flagellis lineas induxerit, si charitatis, aliarumque virtutum vivos colores expresserit, ut magni illi heroes, & sancti pictores, quos inter gloriosissimus, & artificiosissimus pictor noster D. Lucas eminuit, omnium mortalium, & caelitum acroamate applaudi sibi audiet; *O speciosissimam, nobilissimamque* PICTURAM! Hoc est, *cor suum dare in similitudinem* PICTURAE, id est, animam, ceu nudam tabulam, caelesti artifici depingendam, & propriis virtutibus, sanctis desideriis, castis ac divinis cogitationibus, seu imaginationibus expoliendam. Talem se tabulam mundam artifici sancto Spiritui praebuit Virgo immaculata, de qua Theophylactus, modestissimum hoc Virginis responsum: *Ecce ancilla Domini* sic exponit: *Tabula sum pictoria, pingat pictor quod voluerit*: quam perfectissimis morum, & virtutum exornavit coloribus. Hoc encomio insigniri potuit D. Petrus Chrysologus, quod Tilmannus adducit: *Innocentiâ radiat, castitate fulget* PINGITUR MORIBUS. Honesti siquidem mores, & casti amores, caelestes colores sunt, quibus animae tabula decoratur. Consimile quid de Moyse, Philo commemorat dicens: *Seipsum quoque, suamque* TABULAM, *elegantissime* PICTAM *proposuit spectandam, divinum opus, imitandumque posteris. Felices qui has figuras suis animis imprimunt, aut certe student exprimere.* Quod ut & quisque nostrum aemuletur, conducet brevis, sed efficax mellifui Doctoris adhortatio: *Caeleste decus quod originaliter inest, dignus quibusdam studeat morum, affectuumque venustare* COLORIBUS; ut dum velo corporis amoto, publico orbis theatro, mentis tabula exponetur, pictor tam eximius, laude dignus judicetur. *At si*, ut idem Basilius prosequitur, turpes & indecorae, *turpibus historiis* (cogitationibus, imaginationibus) *monstrosâ specie* IMAGINIS *apparuerint quanto, Deus bone, pudore, & confusione* PICTOR *dignus erit?*

Theophyl. in cap. 1. Luca.

Tilmann. in allegor. ad c. 31. Prov.

Phil. de vitâ Moysis.

Ber. ser. 83. in Cat.

Basil. lib. de verâ virgin.

Ut mens & intellectus, sic phantasia, & imaginatio, pictor est, cogitationes, desideria, conceptus, ideae sunt, & vivae imagines animi foetus. Quare sicut in ipsis mulieribus gravidis, & praegnantibus, eam vim imaginatio habet, ut quam tabulam venustam, aut deformem, & monstrosam conspexerint, & attentius contemplatae fuerint, eamdem formâ, & similitudinem concipiant, foetui imprimant, & pariant; haud aliter non mulierculis duntaxat, sed & vobis viris, & adolescentibus, ac virginibus accidere, apud Philosophos in comperto est. Quod autem conceptus animi, non minus, sed longè vivacius imagines, ideas, imaginationes, ex objecto sibi imprimant, exprimant, & efforment, quam ullae foeminae

De imaginationibus mulierû quae gravidae imaginem foetui imprimunt.

praegnantes & gravidae, quid vè in his imaginatio valeat, & objecta visui, proli imprimat, primum attendere. Conspecta non rarò felis, aut mus, aut simia incurrens, per imaginationem praegnantis, vivacissimè foetui impressa fuit: Principes de hoc argumento Medici, Philosophi, Historici, Galenus, Hippocrates, Avicenna, Gemma, Mirandula, Delrio, Camerarius, & ex Patribus Hieronymus, Augustinus, Albertus Magnus, Isidorus, aliique, tam vario & evidenti effectu id comprobant, ut temerariû sit iis fidem denegare. Divus Hieronymus, Doctor maximus, ad illud Genesis 30. v. 37 ubi refertur Jacob virgas populeas ex parte decorticatas objecisse ovibus, *ut cùm venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent: factumque est ut in ipso calore coitus, oves intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diverso colore respersa*; sic disserit: *Nec mirum hanc in conceptu foeminarum esse naturam, ut quales perspexerint, sive mente cogitaverint, talem sobolem procreant.* Quod vel ex solâ picturâ conspectâ refert Hippocrates & ex ipso Hieronymus, & Augustinus, ita scribens: *Facto Jacob, multa dicuntur similiter fieri in animalium foetibus; sed & mulieri cuidam traditur simile quid accidisse, sicut in libro antiquissimo & peritissimi Medici Hippocratis reperitur*: illa enim suspicione adulterii fuerat punienda, quod puerum pulcherrimum peperisset utrique parenti dissimilem, nisi memoratus Medicus solvisset quaestionem, illis admonitis quaerere, *ne forte aliqua talis pictura esset in cubiculo*: quâ inventâ, mulier à suspicione liberata est. Unde gravidis, & praegnantibus non paucis, in more est, formosulos genios, & speciosos pumiliones depictos in cubiculo sibi propositos saepius contemplari, ut eorum venustam imaginem, imaginatio foetui imprimat, quod non rarò feliciter evenisse compertum est. Sic porrò Stengelius noster refert. Vixit adhuc nostrâ aetate, aeque bello ac sanguine vir nobilis, cui in pueritiâ omnes Angelicum vultum fuisse dictitabant. Ipse autem solebat dicere, Matrem suam cum praegnans esset, scitissimae formae Angelum in pyxide depictum, identidem secum in manu gestasse, & ad hunc finem assiduè contemplatam esse. Consecuta est igitur quod voluerat, Angelum peperit specie, sed carne & ossibus praeditum, quem ioquit Auctor, ipse saepè vidi, atque hanc causam formae suae affirmare audivi. Nec minus stupendum naturae miraculum censeri debet, ex tabulâ quâ Joannem Baptistam parvulum melote amictum, cum Jesu parvulo colludentem referebat, attentius, & saepius à muliere gravidâ conspecta, puerum peperisse, corpore villoso, vultu Joanni persimilem. Aliam verò, profesto trium Regum, enixam tergeminam prolem masculam, unam vultu subnigro, ut fortè pictura, quam domi elegantem habebat, expresserat; atque his tribus, nomen Melchioris, Balthasaris, & Gasparis, non sine omnium applausu, quod tres Reges peperisset, inditum. Sic Regina Aethiopiae, infantem candidum in lucem edidit: Cui rei causam, periti res, B. Mariae Virginis imagini, quam lecto affixerat, & devotu

Gen. 30. v. 37.

Hieron. in tradition. heb. in Gen. hic

Hieron. ibid. August. quaest. 93. in Genesim.

Imaginationes ex pictura tactis, speciosissimam prolem exprestunt.

Stengel de judiciis divinis tom. 1. c. 51. n. IX

Gemma lib. 1. 6. Schenckius observat. 129. lib. 4.

Theatrum sympatheticum Digbae, Helmontii, &c. pag. 138.

Stengelius in divinis judiciis tom. 2. c. XIII.

voto cultu venerabatur, adscripsêre. Quin & in Bohemia, anno 1541. natus est infans, collo inflexo, cruribus transversis, similis imagini Christi crucifixi, quam sæpè præ oculis habuerat. Si vos etiam viri, vos virgines, innuptæque puellæ, imagines, seu imaginationes, & cogitationes sanctas, conceptus animi Angelicos, & mentis fœtus puros, castos, speciosos in vobis exprimere velitis, in cælestium geniorum, ac Divorum tabulas, eorum lineamenta virtutum referendo, assiduò oculos intendite.

Monstra ex fœdis picturis conspectis nata Pennequin de amore Dei.

Aliàs, quod probandum suscepi, si fœdas, si obscenas picturas, & vobis, ac vestris domesticis expositas habeatis, multo fœdius, ac deterius monstrum animo, quàm prægnantes & parturientes in fœtu, concipietis. Audistis de pulchris; nunc de fœdis, quid imaginatio, & cogitatio pingat, videamus. Mulier fuit, quæ, in conclavi habebat picturam nigri æthiopis, quam cum frequentius spectaret, filium deinde genuit, Mauro, seu æthiopi simillimũ, toto corpore atrum. Quin & fœtum humanum, in brutum transformari, conspectu solo posse, experientia magistra est, quod consobrinæ Nicolai tertii Pontificis ex Domo Ursinorum, accidisse legimus, quam ursum peperisse narrant, quod horum animalium imagines in palatio politas, diutius contemplata esset. Sic servo uxoris Ricii Tauri, eâdem ex causa, simiam; alia porcam in lucem edidit. Quod omnium terribilissimum, fuit Sylvæducis in Brabantia, quæ die encœniorum larvato dæmone conspecto, & ab eo domum saltitando deducta, dæmonem peperit. Exhorruistis? Nec adhuc attenditis, multo fœdiores, ac brutaliores, ipsoque dæmone terribiliores formas, per obscænas cogitationes, turpes imaginationes, & conceptus impuros, ex fœdis tabulis, non ex obvio, sed iterato, & attento conspectu haustos, vos parturire: quod si quis imaginationis vim ex subitaneo etiam occursu, curiosius explorarit, vim mirabilem pingendi adveniet. Ex forti etenim, & vivâ matrum imaginatione, quam varias rerum formas, nævus, lentigines, verrucas, lituras, figuras, muris, felis, araneæ, ac diversorum fructuum, in fœtu non raro expressas, immensus sim, si hujus argumento historias, à medicis, & aliis adductas, compilare velim. Illud adduxisse sufficiat, quod præter Schenckium, & Fienum, narrat Sennertus lib. 4. praxis. Et lib. de consens. chym. cap. 14. mulierem se novisse, quæ cùm sub moro sederet, & mora plurima in ipsam deciderent, filiam peperit, quæ in eisdem corporis partibus, in quas mora deciderant, figuras morum instar habuit. Sed hoc parum, eam vim pingendi, imaginationi esse; magis ad propositum nostrum facit, arcanum illud naturæ, quod Philosophorum ingenia excedit, fructus, seu mora, seu fraga, proli impressa, dum sub vere in horto germinant, & rubescunt, similes in se effectus persentiscere.

Gaspar à Reies frãco in elysio jucundarum quæst. campo quæst. 50. num. 22. Stengelius judic. divin. tom. 2. c. 51. n. 8. Vives in lib. 2. S. August. de civit. c. 5. & Hieron. Torquemada in horto florum.

Theatrum sympatheticum. Digbei, Papiniani pag. III.

Sic mulier nobilissima, formâ & famâ notissima, figuram mori in collo gerit, ut nec pictor, aut fictor illud naturalius referre posset, quod ex moro in collum matris delapso inhæserat, ac singulis annis, dum mora in arbore rubescunt, hoc in corpore intumescit, ac maturescit. Alia quædam Virgo, similem ingenitam maculam fragi figurâ notatam habebat, quæ & tempore quo fraga vigent, acutam in eâ inflammationem, non sine acri humore inde defluente sentiebat, ut peritâ chirurgi manu, cauterio exurendum fuerit; quæ ne fabulosa putentur, inquit præclarus Medicus Carmonensis, ancillam habui, quæ gravida, rosarum tempore, plures in sinu gestare gaudebat, & illarum odore maximè delectabatur. Post menses tres filium peperit, in maxillâ insignem rosam habentem, quæ singulis annis, mense Majo, conspicuè magis pullulabat, attollebatur, rubore suffundebatur, ac dolebat, quod per plures annos observavi. Hæc ille.

Gaspar à Reies in elysio campo quæst. 30. n. 36.

Nunc compello vos, si hæ figuræ, ac picturæ fructuũ, ex subito casu corpori impressæ, quot annis semel quasi germinare, inflammari, & titillare compertæ sint; an non vivaciores animo impressas figuras, ex picturis haustas, quę non quot annis, sed indies ob oculos versantur inflammare quotidie, & titillare existimabitis? Quare, missis jam mulieicularum phantasiis, & imaginationibus, quid fœdæ imagines, eorumque informes auctores damni, animabus inferant, pluribus exponam. Noxiæ illæ picturæ, per quas Dei pictura deletur, fœdatur, & obscænarum imaginum coloribus, ac fœdis imaginationum in animo idæis, quibus bonus virtutis & honestatis color deperit, vel ab ipsis ethnicis, urbe & orbe proscriptæ fuerũt, quod longe plus bonis moribus damni, quam libri obscæni, aut verba lasciva inferre consueverunt.

Obscenæ tabulæ, & lascivæ picturæ, quid mõstri fœminis gravidis pepererint.

Picturæ dicuntur, & sunt rudium, agrestium, ac idiotarum libri: quod enim doctis, & litteratis sunt libri, hoc iis, qui non norunt litteraturam, sunt picturæ. Id disertè tradit Magnus Gregorius: *Quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat* PICTURA *cernentibus: quia in ipsâ etiam ignorantes vident, quid sequi debeant, in ipsâ legunt, qui litteras nesciunt: & ut ait Gregorius; adulterium discitur dum videtur.* Igitur si sacra Tridentina synodus prohibet, ac proscribi velit omnes libros, quæ res lascivas, seu obscænas ex professo tractant, narrant, aut docent, cùm non solum fide, sed & morum, qui ejusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit; cumque majus, ac latius pateat damnum animarum ex obscenis tabulis, quàm libris, quæ etiam ad rudes, & illiteratos se extendit, quantò magis, ejusmodi pictura ex urbibus, privatis ædibus, & orbe toto eliminandæ, aut flammis consecrandæ sunt? nam ut rectè observat vel gentilis Poëta:

S. Gregor. lib. 9. epist. 9. ad Serenum.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ
ipse sibi tradit spectator:

Horat. de arte Poet.

Vel ipsi gentiles hic nobis ruborem incutiunt, & hæc moribus, ac honestati adversari censuêrunt. Aristoteles in politicis: *Omnino obscænitas verborum exterminanda est ex civitate: ex turpiter enim loquendi licentia, sequitur & turpiter facere. Cùm verò dicere quidquam interdicimus, clarum est, quod & aspicere, sive* PICTURAS, *aut actus deformes prohibemus. Sit igitur cura magistratibus,*

Arist. lib. 7 polit. cap. ult.

tibus, nullam neque PICTURAM, neque statuam esse (in Urbe) talium rerum imitatricem; hæc enim viva, & semper oculis subjecta rei turpis expressa imago, longè potentius animos, & corpora commovet, quàm verba jaculorum instar emissa, & transvolantia. Unde & Quinctilianus plus defert picturæ ad permovendos animi motus, quàm dicendi vi: *Pictura*, inquit, *tacens opus, sic intimos penetrat affectus, ut ipsam vim dicendi nonnumquam superare videatur.* Perspexerat hoc infame terræ monstrum, impurissimus leno Tiberius, de quo Suetonius: *Ut deficientes libidines excitaret, cubicula plurifariam disposita tabellis, & sigillis lascivissimarum picturarum adornavit.* Ut tartareos illos libidinis ignes excitaret, nō verba ad omnem Venerem instructa, non cantilenas ad omnem lasciviam modulatas, non Poëtarum, aliorumque turpissimorum auctorum scripta, adhibenda censuit; sed ut efficacissimum fomentum, & incitamentum, nudas & quò artificiosiores, eò nequiores, omnium oculis tabulas objecit. Suavi quidem numerorum modulo, Nasonis, Catulli, Propertii, Persii, Petronii, Oveni poëmata & epigrammata, aliorumque amatoriæ historiæ, exempla seu figmenta, legentium corda titillant, & inflammant; sed nusquam plures, quàm in nudis tabulis hærentes, naufragium patiuntur. Joannes Molanus, qui accuratè hanc rem expendit, lib. 2. hist. SS. imaginum, sic ait: *Quis nescit obscœnas imagines jure naturæ perinde prohibitas esse, atque libros sive hæreticos, sive obscœnos?* cujus rei optimā rationem adsert Gregorius Magnus: *Quia in illa legunt, qui litteras nesciunt*, & qui sciunt, unde longè plures pervertuntur. Quare intelligant pictores, ac ii qui ejusmodi imagines pingi curant, aut sibi emunt, aut procurant, graviter delinquere peccato scandali: ansam enim præbent, ut domestici, & filii, & filiæ, & famuli, & ancillæ, & qui ad eos visunt, ex earum conspectu, in gravia flagitia prolabantur. Quod irrefragabilis gravissimorum Theologorum docet authoritas, ut videre est (ne longior sim) apud nostrum Christophorum de Vegā, summum Theologum. Et nos aliàs egimus. Sufficerit unum nebulonem ex Terentio induxisse, de quo S. Augustinus: *Flagitiosus adolescens spectabat fabulam* PICTAM *in pariete, ubi inerat* PICTURA *hæc: Jovem quo pacto Danaes misisse ajunt in gremium aureum imbrem, atque ab hac tanta authoritate, adhibet patrocinium turpitudinis suæ, cum in ea se jactet imitari Deum*; quod vel ipsi summæ nequitiæ magistri viderunt, & cecinerunt:

Quæ manus obscœnas depinxit prima tabellas,
Exposuit casta turpia visa domo,
Ille puellarum ingenuos corrupit ocellos;
Nequitiaque sua noluit esse rudes;

Nam & rudes, & innocui, conspectā tabulā, flagitium animo concipiunt, *& adulterium discitur, dum videtur.* Quare inquit Christophorus Vega; si ad edendos libros, singulare tribunal constituitur cujus interest omnes doctrinæ apices expendere, ne quid heterodoxum, piarū aurium offensivum, vel bonis moribus contrarium, typis mandetur; eodem pacto, & majori præcautione constituendum esse tribunal, ad examinandas picturas omnes, & icones, ne quis pictor, aut sculptor, pingere aut fingere auderet imaginem aliquam profanam, nec sacram, quæ modestiam, aut verecundiam christianam offenderet. Ita non sine insigni laude, inquit, in Lusitania cautum, ne ullæ picturæ, nec Christi, nec Sanctorum exponantur venales, quin prius à sanctæ fidei Quæsitoribus approbentur. Sanctissimè, ac verissimè damnantur ejusmodi impuræ imagines à Patribus in Trullo coactis, ut *oculorum præstigiatrices, mentis corruptrices, & inflammationem ad turpes voluptates incitatrices.* Quibus rationibus permotus Clemens VIII. in Indice expurgatorio Romano, anno 1596. in regulis generalibus, prohibuit omnes icones impudicas, invetecundas; quæ non sunt malæ solum, quia prohibentur; sed ideo prohibentur, quia malæ sunt: tunc enim impudica aliqua cogitatio, & mentis imago, omnem suam vim exerit, & ad peccandum instigat, cùm intetius exprimit, ac repræsentat, quod ejusmodi fœdæ imagines ante oculos inspicientibus proponunt; ita ut jure dixeris has spurcas picturas, esse veluti tentamenta, ac suggestiones diabolicas sensibiles, quas magis fugere debemus, quàm cogitationes impuras, cum efficacius ad peccatum protrent. Imò primæ Veritatis hoc effatum est, impudicum aspectum, perinde ac ipsum opus censeri, juxta illud: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Quod denuò aspectu expendens Hilarius, ait: *In Evangelio motus tantùm incidentis oculi, adulterio æquatur, & cum fornicationis opere punitur, illecebrosa transcurrentis visus affectio.* Quàm fœda autem, & tetra animæ macula, quam gravis & enormis injuria inferatur Deo, ejusmodi turpibus figuris; argumento est, quod dæmon maximè succenseat iis, qui eas velari, proscribi, & ablegari velint. Historiæ & exemplo serviet, quod narrat vitæ S. Euthycii auctor: *Cùm pictor fœdam impudicæ Veneris historiam delevisset, dæmon qui illi inhærebat imagini) artificis manum sic invasit, ut inflammata tumesceret, & gravi vulnere affecta necessariò amputanda videretur.* Ex quo colligere est, dæmonem plus insidiari, & malignari, ne tabulæ impuræ, & lascivæ tollantur, quàm ne poemata venerea, & cantica obscœna evulgentur, aut decantētur. Prodeat hic Martia, Varronis filia, quæ surget in judicio, & reos aget, ac condemnabit plurimos infames sculptores, obscœnos pictores. Hæc sculpendi, & pingendi arte peritissima, numquam virilem formam finxit, aut pinxit, ne virginitatis decorem quoquo modo macularet, aut in minimo, tabulæ inspectanti, offendiculo esset. Huc adeste, ô pictores, hoc Deus! quoties verecundiæ metas transilitis? quoties sacræ pudicitiæ, & naturæ leges violatis? cùm artis colore nudas fœminas, & investes homines, veneres, Floras, Æsculapios, Priapos, spectatoribus exhibetis, quibus scatēt conclavia, cubicula, musæa virorum Principum, quorum ædes potius Heliogabali, aut alicujus prostituti Cynœdi, quàm Principis Christiani palatia dixeris. Prò pudor, qualis hæc vecors obscœnitas, magis detestandā in principibus Christianis, quam olim in Ægyptiis,

Quinctil. lib. 11. c. 3.
Sueton in vita Tyberii Imp.
Molanus hist. SS. imag. l. 2. c. 2.
S. Gregor. l. 9. registri ep. 9.
Aug. lib. 2. de civitate cap. 7.
Christoph. Vega Theolog. Mariana tom. 1 pag. 66.
Concil. Constan. 6. can. 100.
Matth. 5.
Hilarius Canon 5. in Matth.
Vega Theolog. Mariana tom. 1 pag. 65.

Iohnn. c. 16 v. 20. tiis, quos dum *provexit ad idolorum culturam artificis eximia diligentia*, gravis illa plaga illis denuntiata est: *Et ebulliet fluvius ranas, quæ ascendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, & super stratum tuum, & in reliquias ciborum tuorum.* *Exod. 8. 3.* Litteratissimus Interpres, quærit hujus tam severæ vindictæ causam, nec aliam adfert, quàm quod Ægyptii fœtidam ducentes vitam, omni luxuriæ genere contaminatam, non ut homines, sed ut animalia viventes, ad concupiscentiæ æstum alendum, ad luxuriam augendam, domos, & cubicula, & penetralia, spurcis ac fœtidis imaginibus impleta obtinebant. *Nissen in vita Moysis.* Hic sensus Divi Gregorii Nysseni, qui per ranas, *varios malitiæ, corruptionisque fœtus, ex fœtido hominum corde prodeuntes.* significari affirmat: nemo etenim obscœnas tabulas, omnis *malitiæ, corruptionisque fœtus*, sub tecto suo habebit, quin ex *fœtido* istiusmodi Domini domus, aut patris familias *corde* prodierint, & prostituantur; ut rectè prosequitur, dicens: *Nyssi bid.* *Hæc immunda ranarum multitudo, domos eorum, qui Ægypticè, id est, vitiosè vivere malunt, inhabitabat; in mensis eorum abundat, in lectulo assidet, in abditis eorum omnibus, atque reconditis rebus invenitur.* Nec hoc satis, dilucidè magis, mentem suam sanctissimus Doctor exponit: *Nam & in muris, & in aulis, diversa ad luxuriam animi*, PICTURÆ, *in & vasis sculpturæ impressa, nequitiam prædicant, quibus* COGITATIO *ad cupiditates revocatur, vituperosi spectaculi visione, ad animam usque, passionum æstu perveniente, ne scilicet cupiditatum ardor extinguatur*, aut retundatur, sed his fomentis magis accendatur. Ex quibus hæc sequela rectè inducitur, eos fœtido corde, & animo lascivo esse debêre, qui tam turpes tabulas, ad irritamentum libidinis, *ne cupiditatum ardor restinguatur*, palam omnibus prostare volunt, quod in virum pudicum, & mentem castam non cadit: *Nyss. cit.* *Modesti enim hominis oculus mundus est, & hæc quæ ad luxuriam incitant spectacula respuit*, & obolere contendit.

Ioseph à S. Maria lib. de castitate tom. 1. lib. 4 c. 15. De ponte in Sapient c. 24. n. 20 hom. 62. Audistis plagam Ægyptiacam; longè terribiliorem, ob impudicas tabulas, non per ranas, sed tartareas harpyas cacodæmones, vindex Deus immisit. Celebris scriptor Ordinis Carmeli, Joseph à Jesu Maria, affirmat virum religiosum sacræ suæ familiæ, dum iter ageret, à viro nobili perhumaniter hospitio exceptum: noctu vero precibus intentum, turbam dæmonum conspexisse, cum incensariis & suffitu multo; è quibus, uno in nomine Dei vivi adjurato, quò irent, quorsum venirent, edicere compulit: qui respondit, ad penitius conclave, in quo imago erat lasciva Veneris, Aquilam amplexantis, enormium flagitiorum incentivam, se cum thuribulis suis tendere, ut eam venerabundi incensarent; quo dicto, visio evanuit.

Mane autem facto, ubi prostitutam hanc Veneris tabulam, in cubili, viri hujus nobilis conspexit, nec visione objectâ, nec ratione ullâ interpositâ, hominem inducere potuit, ut hanc tabulam aboleret. Dum tandem severam illam vindicis Dei sententiam illi interminatus est; nisi picturam tolleret, eum brevi è medio tollendum, ut paucis post diebus evenit: nam miserè occisus, nullâ exhomologesi expiatus, aut sacris mysteriis munitus, in inferno sepultus est, æternis ignibus excruciandus, quibus tabulam, animâ pretiosiorem habês, vivus consecrârat. Unde non solum ejusmodi tabulas, sed infames illos pictores, ad Antyciras ablegandos esse, quis non censeat, qui omnis mali auctores & incentores sunt? in quos sic calamum stringit D. Chrysologus: *formant adulteria in simulacris, fornicationes* IMAGINIBUS *mandant*, *Chrysologus. serm. 155.* titulant INCESTA PICTURIS, *in tapetibus cupidines, qui tela vibrent*; nec agnoscunt tot animarum se reos, quot illis jaculis confixerunt. Memini inquit, eruditus Scriptor, Fredericum *P. Ioan. Rho. de Passione Dom. c. 25* Borromæum, Romanâ non minus purpurâ, & Mediolanensibus infulis, quam sapientiâ nobilem, & Ecclesiastici moris scientissimum, hujusmodi pictorum licentiam, si quid contra historiæ fidem peccarent, *solœcismos*; si quid verò præter decorem pingerent, *barbarismos* vocare consuevisse; & vero impudens eorum licentia est, cum vel in ipso calvario nesciant à scortis abire, quasi ab ea, cui pingendo assueverunt impudentiâ, nulla rerum sanctitate possint abstineri. Probrum hoc, & publicum jam flagitium est: quis enim ferat *Magdalenam* meretricio planè habitu, atque expapillatam, rubentibusque buccis, cerussata facie, & calamistratis cincinnis, quasi à fornice adhuc recentem, hic expingi. An istiusmodi illa habitu jam pœnitens, & Christi disciplinam edocta, morienti Salvatori assisteret? eo denique progressam pictorum impudentiam dolemus, ut nuda meretricium corpora, animarum loco, quæ Christum Dominum ab inferis ascendentem comitatæ, summa artis illecebra alicubi in tabula, non sine execratione videantur.

Quò in arte sua peritiores artifices, hoc ad omnem libidinem concitandam proxenetæ nequiores. Ferunt virum sapientem interrogatum de Michaëlis Angeli Banarotæ *judicio extremo* depicto, respondisse: Balneo, aut thermis eam nuditatem corporum sibi dignam videri; at multi non thermis, sed flammis, & tragicam illam judicii scenam, nisi ipsa materiæ severitas excuset, & duodecim adulteria Jovis, ab *Boterus. politic. l. 1. c. 61.* Michaële Angelo diabolicè depicta, quæ Romæ in conclavi viri principis spectantur, abolēda; quoq; imagines magis insignes, hoc magis in ignes abiiciēdas censuerūt. Nec excusationi hic locus est, conjugatos pictis aut fictis non commoveri; quasi verò nemo quisquam ex ephæbis, pedissequis, liberis, posteris in eas oculos conjecturus esset; mihi credite, vel unus oculorum ictus *fascinat agnos.* Quare, concludo cum sanctissimo Cardinale, & Præsule, Carolo Borromæo, qui pulcherrimo & saluberrimo edicto, hunc abusum inter suos cavit, dum in Synodo quadam, hæc laudabiliter statuit: *amoveri curabit* pater familias *quæcumque domi sua sunt, Christiana familia instituto indigna, quaque Dei oculos offendunt*, IMAGINES OBSCENAS, ET TURPES INCENDAT: sic & quisque vestrûm, quod lex æterna mandat, conclavia, atria, cubilia lustret, quid lustrandum, & flammis purgandum sit.

Nunc ad aliud diabolicum pingendi genus vena-

veniamus, quo, artifice caecodæmone, mulieres, imo & viri, corporis sui formam cerussis, purpurissis, stibio, & fuco pingere, ac opus Dei deformare nituntur; quod quàm detestandum, & execrandum sit, exaggerandum suscepi.

§. II.

PORRO JEZABEL DEPINXIT OCULOS SUOS STIBIO. lib. 4. Reg. cap. 9. vers. 30.

In mulieres, quæ oculos, & faciem stibio, fuco, cerussis, & purpurissis pingunt. Tostatus in 4. Reg. c. 9. v. 30. quæst 27. Sopranes. David e lucidatus. pag. 405.

INfamis illa, & omnis sceleris machinatrix Jezabel, & nequitiæ suæ metam, & vitæ finem tragico maximè, ab orbe condito, exitu imposituram PINXIT *oculos suos stibio*, id est, inquit, doctissimus Antistes Abulensis, quodam colore nigro, quo feminæ utuntur, ad „ reddendum supercilia nigra, & palpebras; & „ faciunt majorem apparentiam palpebrarum, „ & superciliorum, quam alias.

Sopranes ait, stibium esse, quod officinæ hodie antimonium vocant, ex quo glurem nigrantis coloris, & splendidi componitur, quo palpebras, & superciliorum arcus inducunt *ita namque mulieres teste Galeno, quotidie faciunt, cùm stibio, oculis gratiam conciliant.* Numquid hoc & nostræ mulieres quotidie faciunt? imò & juvenculi?

Iuvenalis

Ille supercilium madidâ fuligine tinctum,
Obliqua producit acu, PINGITQUE trementes
Attollens oculos.

Plinius. lib 11. c. 37. Fucos adhibere meretricum est. Plin. lib. 33. c. 15. Lyranus. lib. 4. reg. c. 9. v. 30

Epiphonematis loco addendum illud Plinii: *tanta est decoris affectatio, ut tingantur oculi quoque.* Sene vultis quo stibio? quibus sordibus? *tradit ovis formicarum cum muscis trita supercilia denigrari.*

Præter stibium, depingendis oculis, & supercilius, meretricia alia pigmata adhibuit Jezabel, cerussam, & purpurissam, cutis fucandæ, ut interpretatur Liranus hic: PINXIT *stibio, id est, faciem suam fucavit:* Quid in eo mali primæ veritatis scriba enarrat; nempe à ministris Jehu, ut erat ornata, & fucata, è fenestrâ præcipitatam, *aspersúsque est sanguine paries, & equorum ungulæ conculcaverunt eam.* Cumque Rex mensæ accubuisset, misit suos dicens: *ite, & videte maledictam illam.* Sed *non invenerunt nisi* „ *calvariam, & pedes, & summas manus* id est, „ inquit, Tostatus, craneum excoriatum, quia „ jam canes corroserant omnes carnes; *ita* „ *ut prætereuntes dicerent: haccine est illa Jezabel?* Hic modus admirandi: quæ olim fuit in tantâ gloriâ, ad tantam calamitatem deducta: hæc pœna, tali sceleri debebatur, magno teste Nazianzeno: *Jezabel,* inquit, OCULOS PINXIT, unde & *meretricio* CRUORE, MERETRICIAS PUPILLAS PERFUDIT.

Tostatus hic quæst 31.

Nazianzen. lib. adversus mulieres ambitiose se ornantes.

Appellat meretrices Jezabelis pupillas, quas meretriciu stibio pinxerat, & meretricio cruore perfuderat. Si hoc nostro sæculo alter Jehu superesset, qui omnes illas, & illos, qui oculos, seu supercilia pingunt, frontem & genas fucare consueverunt, per fenestram præcipites daret, plateæ ita oppletæ forent, ut equorum ungulis conculcarentur, nec esset vir honestus qui commiseratione tangeretur; cùm Magnus ille Doctor, fucum illum meretricium appellet; quod ut plenius, ac planius ipsis viris, & parentibus, qui tales uxores, & tales filias habent, innotescat, quid gravissimi, ac sanctissimi viri sentiant, paucis exponam. Feminæ quæ formam suam fucis mentiuntur, quasi serviles sibi notas inurunt quibus à liberis, & honestis Matronis, *ut adulteræ* discernantur, ut scitè & eruditè Clemens Alexandrinus observavit: *ornantur ut aliis placeant, quæ in facie, non in corde gloriantur: sicut enim nota infra fugitivum, ita etiam floridi colores adulteram indicant;* quoniam hujusmodi feminæ, ac puellæ, ipso pigmentorum fuco, adulteræ signa circumferunt, inverecundiam produnt, & profligatæ libidinis se arguunt; quod in res sagabili divi Nazianzeni confirmatur suffragio: *quid. quid,* inquit, *in virorum gratiam comminiscens corporis libidine prodit. Verùm insolentem pavonem, cum curvato collo, & pennisque gemmantibus circulum efficit, feminas clangore suo ad venerem invitare; eodem modo, admodum mirabor, si talam ob causam* FORMAM PINGAS, *quàm ut nitidorum, & falacium virorum oculos ad te convertas;* hoc autem quid aliud est, quàm meretricium lenocinium exercere? nam ut Tertullianus ait: *Lenocinia formæ, numquam non prostituto corpori conjuncta* Quid non inverecundiæ, ac impudentiæ accedit, & in est formæ larvatæ; quid non feminæ fucatæ, speciem meretricæ fieri non potest, quin omnem frontem exuerint, & graviter impudentes sint, quæ his pigmentis ostentui, & ut meretrices, contemptui sunt, quod apta similitudine Gregorius Theologus exponit: *ut impudentes homines prius faciem tegunt, atque ita deinde inhonesta sequuntur; sic qua verecundiam, pudoremque, quasi operta facie amiserunt, ad omne facinus, absque ullo timore rapiuntur.*

Monita maritis, & parentibus.

Clem. Alexand. lib 3 pædag c 3.

Nazian. lib adversus mulieres ambitiosius se ornantes.

Tertull. de cultu feminæ.

Nazianzen 31

Possem plura hic è SS. Patribus adferre; sed unus instat omnium, has tibio, & meretricio suo pigmento perstringit Antistes Mediolanensis, damnante tribunal Dei, has in publicis orbis comitiis, à stricto judice, ut meretrices coarguendas, ac damnandas hisce aculeatis verbis affirmat: *pictus es, O homo à Domino Deo tuo: bonum habes artificem; noli bonum delere* PICTURAM NON FUCO, *sed veritate fulgentem: non cerussâ, sed gratiâ. Dic mihi, si supra artificem aliquem* (peritissimum) *judicas alterum* (planè imperitum) *qui opus illius superioris, novis operibus obducat, nonne indignabitur ille, qui opus suum* ADULTERATUM *esse cognoverit? noli tollere* PICTURAM DEI, & PICTURAM MERETRICIS ASSUMERE; quia audies: *non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam.* Et tales, vos viri conjugati, timorati, meretrices uxores sinu fovetis? vos patres familias tales filias meretrices sub tecto tenetis? Tales matres ut adulteras, exosas esse debere, jà olim divus

Amb. l 6. Hexam c. 8.

divus Augustinus tradidit: FUCARI *autem, quo vel rubicundior, vel candidior appareat,* ADULTERINA FALLACIA *est, qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi.* Causam subjungit Ambrosius, fœmineæ licentiæ, & impudentiæ gravissimus censor: *quia de adulterio vultus, meditantur adulterium castitatis;* quod orinam experientia in pluribus, non verissimum comprobasset. Unum stratagema rem illustrabit. Nocturnæ choreæ agebantur, in quibus dum matronæ complures fucatæ, & cerussatæ pupulæ, cum viris, & juvenibus tripudiarent, ... ti larvati subingressi, hic uxorem, alter filiam post tapetes abductam, ad flagitium ... tabat, quod cùm eas non abnuere deprehenderent, obtorto collo domum deductas, ... ntitam faciem ponere, & veram pudicitiam non prostituere deinceps docuerunt. Hinc porrò illa nascuntur incentiva vitiorum, ut *qu... coloribus* ORA DEPINGANT, *dum viris placere formidant, & de* ADULTERIO VULTU *meditantur* ADULTERIA CASTITATIS. Unde colligere est, tales quàm facilè formam, tam facilè mutare maritos. Dicto fidem adstruit præsul Alexandrinus: *quæ immoderato ornatus studio tenetur; & à Deo, & à pudico conjugio excidit, ut quæ maritum ornamento permutet;* quocirca idem Doctor maritos admonet, ut uxores his pigmentis, velut plumis spolient, quibus pavonis instar, ad libidinem proritent: *ea ... feminis ad luxum comparantur, ab eis tamquam pœna detrahenda,* ne suo nido deserto, longius evagentur, atque hac illac circumvolitet, & se ac pennas adurant, & turpi nota maritos, liberos, totamque familiam aspergant, nam ut quis vir honestus, & integerrimus sit, si in fundo eius, homicidium, latrocinium, incestus, aut adulterium commissum, deprehensum fuerit, ignominia in Dominum redundat; ita inquit Tertullianus: *ut culpâ vaces, ab invidiâ non liberaberis; ut cum in alicujus agro latrocinium factum ..., crimen quidem Dominum non constringit: dum res tamen eius ignominia notatur, ipse quoque infamiâ aspergitur.*

Ambr. cit.

Clemen. Alexand. l. 2 pædag. c. 10.

Ibid. c. 1.

Tertull. lib. de cultu fæm.

Quæ res magis tua, quam uxor tua, quæ una tecum caro? si quod in hoc agro tuo piaculi commissum fuerit, in Dominum, qui ex mandato Dei illi dominatur, meritò redundabit. Atque ut potentius hoc argumentum prosequar, hujus artis pingendi, fucandi, cerussandi, ... em ac præstigiatorem nosse operæ pretium erit. Quis fucum, stibium, cerussam, aliaque pigmenta formæ, quàm Deus artifex plasmavit, audeat adhibere, quæ cacodæmones adinvenere & tradidere? sic porrò Carthaginiensis Antistes, divus Cyprianus testatur: *illi desertores angeli, & oculos circumducto nigrore fucare & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris, & capitis veritatem, corruptela sua impugnatione docuerunt.* Illi ex orco nigri genii, dum tu puella, ante crystallum tecomis, purpurisso genas tingis, & oculos stibio pingis, tibi colores suppeditant; hi manum ducunt, & imaginem Dei fucatis pigmentis inficiunt, & ut Gregorius Nazianzenus loquitur, Veneris, ac diaboli idolum efficiunt: *inferaus artifex inquit, Dei figmentum, fraudulentis abscondit coloribus, & honeram gratiam dedecorat, divinamque formam,* MERETRICUM IDOLUM *exponit oculis.*

Pigmenta ... inventi

Cyprian. de habitu virg. & Tertull. lib. de habitu mu... r. c. 2.

Gregor. Nazian. ... landis Gorgonia.

Sic veterator ille, omnis doli artifex, fraudulentis coloribus, Dei figmentum; fucatum pigmentis, in meretricium idolum effingit, & juvenum oculis adorandum exponit.

Et quidem illi, eò dementiæ solent devenire, ut eas, quas ardenter amant, etiam Deas appellent, & sacris aris, dorso obverso, supplici poplite venerentur, earumque imagines, quas artifex dæmon depinxit, circumferant, & summo loco, ac pretio habeant; quam Deo illatam injuriam, præclarè describit Tertullianus: *Quis corpus monstraret mutare, nisi qui hominis spiritum malitiâ transfiguravit? ille indubitatè hujusmodi ingenia concinnavit, ut in nobis quodammodo, Deo contumeliam inferret. Quod nascitur opus, Dei est; ergo* QUOD FINGITUR, DIABOLI NEGOTIUM EST. *Divino operi, satanæ ingenia superinducere, quàm scelestum est?*

Tertullian lib. de cultu fæmin.

Quænam vestrum, hoc sibi persuasit hactenus? dum in conclavi varias suas argenteas pixides tractat, nunc ex hac purpurissam, nunc ex altera cerussam sumens, nunc genas, nunc frontem, nunc supercilia, nunc oculos pingens, se adstantem stygium magistrum, & infernum artificem habere, atque ipsi Deo, auctori suo, gravem contumeliam, & injuriam inferre? quænam umquam puellarum, hanc divi Cypriani, purpurati Martyris sententiam, in se vibratam existimavit? *Deum videre non poteris, quando oculi tibi non sunt, quos Deus fecit; sed quos* DIABOLUS INFECIT: *illum tu sectata es, rutulos atque* DEPICTOS OCULOS *serpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter arsura.* Ex quo infert Sanctus Thomas: *sed hoc non debetur, nisi peccato mortali; ergo ornatus ille mulierum, non est sine peccato mortali.*

Cyprian. lib. de habitu virg. v. 7.

S. Tho. 22. quæst. 169 a. 2.

Verum enim verò, cùm usus, & mos jam obtineat adhibendi fucos, & pigmenta, & passim nihil hic mali, aut noxæ subesse, pleræque sibi persuadeant; operæ pretium duxi, quando, & quàm graviter hic peccetur, non meâ, sed doctissimorum virorum sententiâ comprobare.

Quale peccatum sit fucis, stibio, & cerussis uti.

Ac primò statuendum est, quod apud omnes Theologos in confesso, peccari mortaliter, si faciem pingat, capillos tingat, pravo fine, ut alium pelliceat, & in peccatum inducat, aut in Dei contemptum fiat; nam ut inquit Doctor Angelicus, cum communi schola *siquidem hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam,* MORTALITER PECCANT. Ecquis non gravioris noxæ reum ducat, qui alteri gladium præbet, ut homicidium perpetret? Idem de muliere fucatâ Chrysostomus sentit, dum illam igneo gladio comparat, quo alterius anima perimitur: *cur inquit, ignem accendis? quomodo te puram à peccato censes, cum illius insania, tuum opus sit? tu gladium acuisti, tu dexteram armasti, tu venenum temperasti; quomodo ergo poteris ab homicidii supplicio liberari?* quo & alterius, & suam animam occidit. Hoc autem quam furiosum, & injuriosum sit, Divus Gregorius edisserit: *quid tam stultum, atque absurdum,*

Mulier quæ fucis utitur intentione mala, peccat mortaliter. S. Thom. 22. quæst. 169. a. 2.

Chrysost. orat. de pul. bri... & luxuria.

S. Greg. Nazian. lib. adver. sus mul. eres ambitiosius se ornantes.

dum, quam hosti gladium, quo tibi (& sibi) necem inferat, porrigere: aut torrenti facilem ad segetes tuas aditum praebere? imo & sibi, aliisque aeternum damnum praebere. & ad inferorum flammas aditum aperire? Hac de causa S. Hieronymus pigmenta illa, vocat libidinis fomenta, & lasciviae mentis argumenta: sic enim scribit ad Furiam: *quid facit in facie Christiana purpurissus, & cerussa: quorum alterum ruborem genarum, labiorumque mentitur: alterum candorem oris, & colli, ignis Iuvenum, fomenta libidinum, impudicae mentis judicia. Quâ fiduciâ erigit ad caelum vultus, quos conditor non agnoscit?* Tandem ne iis, quae manifesta sunt, diutius immorer, sufficerit cothurnato suo stylo Tertullianum, libro de cultu feminarum audivisse, qui ait: *si Dominus à facto stupri concupiscentiam non discernit à poenâ (ipso illud: qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, machatus est eam in corde suo) nescio an impune habeat, qui alicui fuerit causa perditionis: perit enim ille simul ut tua forma, si concupierit; & admisit jam in animo, quod concupivit: & facta es tu gladius illi.* Non EXPINGAMUS nos, *ut alteri pereant; ubi est ergo: diliges proximum tuum sicut teipsum?* cui causa ruinae es, ut in aeternum pereat?

Hiero. ep. 10 ad Furiam.

Tertullian de cultu fam. Matt. 5. v. 28.

1. An mulier fucis utens, nō habens malam intentionem, sciat tamen malum secutorū, peccet mortaliter? *Chrysost. de comp. punct. & refert Hostiensis c. 1. ne clerici, vel monachi.*

Altera quaestio est, an mulier fucis utens, nihil mali intendens; sciat tamen malum secuturum, nec abstineat, lethaliter peccet? Nun excusari eam à peccato, plurium Theologorum sententia est, quos videre est apud Supranes, commentario in Davidem, pag. 427. quid enim an non gravi crimine se obstringit, qui alterius ruinae causam praebet, etsi non intendat: aut sciat ex suo ornatu sequi natam, etsi forte alter non labatur? Quod Chrysostomus hac ratione probat: *mulier si se decoraverit, & vocaverit ad se oculos hominum: etiamsi plagam non intulerit, tradi- ctam tamen dabit extremam: venenum enim obtulit, etsi nullus qui biberit, inventus sit;* quod idem esse asserit, ac si quis alteri gladium offerat, aut venenum temperet, in mortem ruenti, licet id non intendat ut moriatur.

3. An mulier peccet, quae fucos adhibet tātum ut formosior sit. Demuscis in facie.

Tertia quaestio, an si mulier, nulli mortalium scandalo, aut periculo sit, nec sciat, aut intendat; sed fucos, ac pigmenta duntaxat adhibeat, ut formosior sit, peccet? S. Thomas 22. quaest. 169. a. 2. cum communi, docet semper veniale esse, quia fictio, ut omne mendacium, semper peccatum est; ut pluribus apud Theologos videre est.

Ego unam hic ad mores appendicem subjungo, inter pigmenta censeri nigra illa emplastra & muscas, quibus puellae, & matronae leviores, faciem suam non tam depingant, quàm deturpent; quae si cum istis maculis in fronte, in genis, in pectore natae fuissent, omnibus ut monstra exosae forent, & nullum non studium adhiberent, ut vel cauterio exuri possent. Quae ne forte proli, quam vos utero gestatis, imprimantur, ad ea quae narraturus sum aures animosque arrigite.

Theatrum Sympathetic. Digbæi Helmontii Papiniani pag. 134. 135.

Eruditus Scriptor sic refert: matrona quaedam mea cognata (erat filia Comitis Atondel) Londini interdum me visebat, formae venustate imprimis, & decorâ membrorum compositione praestabat, neque id ignorabat: quin potius in sinu gaudebat, in id sedulò incumbens, ut hanc gratiosi vultus speciem non solum integram conservaret, sed etiam omni quâ posset curâ eam adjuvaret; in hunc finem, haec femina sibi persuadebat, multum ornamenti ex illis emplastris (Galli muscas vocant, quas hodiernae mulieres, ad decoris lenocinium, figurâ variè excogitatâ, faciei diversis partibus illinunt) vultui suo accedere; quare etiam maximam operam dabat, ut prae reliquis, in exquisito horum apparatu se eminere ostentaret.

Verùm, ut difficile est, in rebus quae ab opinione nostrâ potius, quàm à natura dependent mediocritatem servare; ita etiam illa, in portandis istiusmodi muscis, & emplastris, planè modum excedebat, totamque illis faciem onerabat. Quamvis autem hoc mihi parum placeret, sub primum congressum dissimulavi, & supersedi. Paulò post nactus mollia fandi tempora, relam exorsus sum de phantasiis mulierum, variis adductis exemplis, ac tandem ad hominem: *an non metuis, ne infans tibi nascatur, qui similes in vultu naevos habeat?*

At illa: quid inde periculi imminet? quae comparatio, quae ratio infantem mihi natum iri, facie notis ingeniis infectâ, propterea quod ego portandis hisce emplastris delecter, & plures de die me sic depictam in speculo contempler? Quod cum solidis argumentis, in re medicâ perexpertus illi praenuntiaret, & demonstraret, timendum ne variae illae maculae, in unam coalescerent, vultui prolis turpiter imprimendam, salubriter resipuit, & in has voces erupit: *ah! bone Deus! toto gestationis tempore ne unicum emplastrum faciei imponam, potius quàm ut tale quid mihi accidat.*

Dictum, factum, omnia statim emplastra faciei amovit, & abjecit. At cum serius resipuisset, ad exemplum, & terrorem aliarum, effugere non potuit, quin misera haec, quae adeo timuerat ne infantis frons, nutâ quadam ingenitâ inficeretur, prolem eniexa sit, puellam speciosam, cum turpi & nigrâ maculâ in facie, aurei magnitudine.

Habent hic divini verbi Praecones, ut efficacius rationibus divinis, quam medicus ille humanis, mulierculas ab his pigmentis deterreant, ne proli & sibi graviorem maculam, aeternis ignibus numquam exurendam inducant. Superest paraenesis, quâ puellas, matronas urbis & orbis adhortor, ut cerussis, ac purpurissis uti velint, & se quàm scitissimè depingant, quod ne paradoxum videatur, unum ex sanctorum placitis moneo: ut si quae hactenus se hic ream, & in Dei injuriam his figmentis & pigmentis omnem vanitatem abusa est, praeclaram illam Matronam Paulam Romanam aemulentur, quae omnes fucos & purpurissus in juventute adhibitos, fontibus lacrymarum deterserit; sic etenim de ea Hieronymus: *cùm, inquit, crebrius moneretur, ut parceret oculis, & eos servaret Evangelicae lectioni, ajebat: turpanda est facies, quam contra Dei praeceptum purpurisso, & cerussâ, & stibio* SAEPE DEPINXI.

Morale de fucis purpurissis, & cerussis.

Hierony. epist. 27. ad Eustoch Epitap. Paula.

Quin potius alia vobis divina pigmenta sacri ruboris, & casti candoris inducite, ad quae Nazianzenus Antistes hortatur, dicens: *Unus color in mulieribus amabilis, nimirum* RUBOR

Nazianz. lib. adv.

Modestus animus ornamentum.

ILLE, *quem pudor gignit; qui quidem à pictore nostro pingitur. Dabimus etiam, si ita libet, & alterum: nempe ut pulchritudini* PALLOREM *adsciscas, Christique laboribus intabescas, atque à precibus & lacrymis, & diurnis, nocturnisque pervigiliis, teipsam maceres. Nam hæc remedia non virginibus tantum; sed etiam conjugatis prosunt. Colores vero parietibus relinquamus, hisque mulierculis, quæ cano suo juvenes in rabiem agunt.*

Tertull. lib. de veland. virg.

Hoc nobili purpurisso, & cœlesti cerussâ tinctæ fuere, genæ, & oculi, & vultus tui Sanctarum virginum, ac matronarum, quales in primitivâ Ecclesia inducit Tertullianus: *prodite jam vos medicamentis, & ornamentis instructa Apostolorum, sumentes de simplicitate* CANDOREM, *de pudicitiâ* RUBOREM, DEPICTÆ *oculos verecundiâ, inserentes in aures sermonem Dei, & satis ornatæ eritis; vestite vos serico puritatis, byssino sanctitatis, purpurâ pudicitiæ; taliter* PIGMENTATAE, *Deum habebitis amatorem:* ut tenellula illa virguncula Agnes experta loquitur: *sanguis eius ornavit genas meas:* (O divinissimum, & pretiosissimum purpurissum) *posuit signum in faciem meam; ut nullum præter eum amatorem admittam.*

In Breviar. Rom. 21. Ian.

Hac cerussâ palloris, hoc purpurisso ruboris, animæ tuæ tabula expingenda est, ut dilecto tuo, candido & rubicundo similis inveniaris, qui exemplar sui nobis reliquit: sanguinis rubore, & pallore mortis; his pigmentis virtutum, quibus *æternitati pingis*, animæ tabulam perfice. Damascenus: *pulchritudinis loco, virtutem habens, ac luminis certissimis lineationibus, veram divinæ pulchritudinis, quæ omnis boni exemplar est, effigiem in te exprimas:* & quam per 30. 40. 80. annos in statu sæculari, vel multo perfectius quis in monastico, per tot actus charitatis, humilitatis, mortificationis tabulam depinxisti, *noli bonam delere* PICTURAM NON FOCO, *sed veritate fulgentem: non cerussa, sed gratiâ* exornare, & illustrare non sinas. Hanc autem ut non fluxis coloribus, aut perituris lineamentis; sed permansuris pingas, ultimam & non infimam picturæ proprietatem, ut in te exprimas necesse est; ut ex sequentibus patebit.

Damasc. epist. de trisagio.

§. III.

Assuesce UNUS ESSE, *ut vita tua quandam* PICTURAM *exprimat.* Ambros. lib 3. epist. 25.

HOc pictura proprium habet, quod eadem semper sit, nec vultum, aut colorem mutet. Ectypon, ac prototypon, ad quod facta est, è puero in virum, è viro in senem, è pallido in rubicundum: è pingui in macilentum: è formoso in deformem: indies ita commutatur, ut sui in pictura, quem prius ut ovum ovo referebat, similis non sit. Quod ut ad mores referamus, unum vos hic monitos velim, ut si corpore non possitis, eandem, quam picturâ, animi formam, eundem vultum, & unum teneatis. Docebit te hanc unitatem, & immutabilitatem, ex SS. Patribus non unus; primus sit Ambrosius: *Dominus Deus tuus Deus* UNUS EST; *& tu ergo ad similitudinem Domini,* UNUS ESTO, ATQUE IDEM: *non hodie sobrius, cras ebriosus: hodie pacificus, cras litigiosus: hodie frugi, crastinâ die incontinens: sed esto sicut imago in diagma* IMMUTABILIS, EUNDEM HABITUM SERVANS QUOTIDIE. Vides pictum in basi suâ effigiem Jovis, veni cras, redi perendie, & si velis post annum & lustra, eadem erit semper imago Jovis: non hodie Jovis, cras Mercurii, perendie Æsculapii. *Esto & tu sicut* IMAGO IMMUTABILIS; non referas hodie faciem ridentis, cras flentis: hac horâ lenocinantis, sequenti minantis: nunc amantis, statim odientis. Monet, imò movet, qui prius ut sis unus, & imaginem in te exprimas: *vetus dictum est:* ASSUESCE UNUS ESSE, *ut vita tua quandam* PICTURAM *exprimat,* EANDEM SERVANS SEMPER IMAGINEM, *quam acceperit. Quomodo potest* UNUS ESSE, *qui nunc iracundiâ inflammatur, nunc indignatione gravi exæstuat, nunc vultu excandescit, nunc pallore immutatur: per momenta varius, & discolor?*

Ambr. in Exaëm. c. 30. in fine.

Amb. lib. 3. epist. 25. Vercellensi Eccl. pa.

Homo inconstans, qui non est unus, tot habet varias affectiones, quot habet pavo colores: ut hic est discolor in plumis, sic & hic est discolor in actis, & affectibus, similis picturæ quam Audomari vidi opere plumatio.

Picturæ è plumis variis coloris & fucis re-pictæ extant, quibus multi similes.

Tabella hæc plana, quæ omnem pictorum artem exsuperat, si ex una parte conspicitur, personas exhibet habitu livido, atro, squallido; si ex alterâ contueatis, veste purpurea, hyantina, crocea, aurea, colore denique versicolori & discolori; huic picturæ plumariæ, nonne plurimi pictorum consimiles, qui ut imaginem unam, stabilem, & immutabilem in tabula depingant, animo, moribus, & amoribus, opus plumarium referunt? huic picturæ plumariæ nonne conjuges vestræ, & filiæ, affectibus variis, moribus, & amoribus, similitudinem exprimunt? Tertullianus lib. de pallio cap. 3. pavoni comparat, de cujus plumis egimus: *hic multicolor, & discolor, & versicolor, numquam ipsa semper alia, & si semper ipsa, quando alia? toties denique mutanda, quoties movenda;* ita varium, & immutabile semper fœmina: nullus pavo, nulla tabula operè plumario tam varia, tam multicolor, tam discolor, & versicolor quam modernæ puellæ sunt; quæ fatuæ ac stultæ, plusquam luna mutantur: hæc cum à Latona matre sua, depingi ardenter postulasset, nullus pictor repertus est, qui ejus effigiem in tabula exprimere valeret, quod indies, & in horas, mutaretur: nunc plena & rotunda, nunc media & cor-

nuta, nunc pallida, jam rubicunda, multas & mutabiles formas referens. Prudentes, ac sanctæ Virgines, Agnetes, Agathæ, Catharinæ, Cæciliæ ut in vita, sic in tabulis, eundem habitum, colorem, formam retinent, quâ depictæ sunt.

Sic *S. Lucas*, Martinus, Nicolaus, imo & majores vestri, aviæ, avi, atavi, pallium, vestes, morem servant, nec immutant: & quantum à modernis discrepent, & honestate, ac modestiâ superent, licet mutæ tabulæ, satis loquuntur. Mitto in juvenibus modos, qui cùm roti in puellas abierint, maximè varios. Quis ex illis, *ut in pictura, eundem habitum servans?* Horum vel solum capitis tegumen attendite: jam pileus fastigiatus, jam depressus, jam acuminatus, jam planus: jam brevi, jam margine longa: jam fungi instar, capite se totos tegunt: jam cinerei, jam candicantis, jam mustelini, jam cervini coloris. Hic pileum gestat è pilo canis pontici, tribus nixum pilis, sexcenties jam mutatum, in formas omnes. Quare iis optime congrueret infamis ille ioimi, seu ardelionis (Jan Pottasie) pileus, qui omnem formam induit. Quis, *ut in pictura eundum habitum servans?* quid de pallis, & palliis dicam?

Olim pallia gestabant ad imos talos, nunc ad umbilicum, histrionum in morem; modò pallium fultum, modò simplex, modò alatum, jurares vespertilionum exuvias esse. Nunc uno humero, nunc brachio implexum; nunc non gestant, sed à famulo gestatur. Palliorum copiam quis explicet? ad profectionem alia, ad convivium alia, alia festis, alia feriis, Lucullo similes, qui Prætori in spectaculo adornando centum petenti, ducenta obtulit: sunt qui asserunt, tot habuisse, quot dies in anno. Si reliquos mores corporis depinxero, non absolvero; Sequar in eo ingeniosum tractum sartoris, & cum ad pictores mihi sermo sit, rem in tabulâ oculis subiiciam.

Puteanus. com pag. 137. Jusserat sibi Turcarum Imperator, omnium gentium, ac nationum habitum, vestitumque depingi: *pictor*, ut Hispanos colari modico, thorave fulto: Helvetos laxis femoralibus: Polonos tunicis pelliceis: Hibernos stragulâ, alios alio sibi proprio habitu expressisset, ubi ad Germanum ventum est, hominem interulâ tectum statuit, & juxta, varii generis ac coloris pannos, cum forcipe appinxit. Hanc picturam suam interpretari jussus: hi inquit, Poloni sunt, isti Helveti, illi Hispani; ubi ad hominem illum investem devenit: hic inquit, Germanus est, certâ vestis formâ pingi non potest, cùm indies variet; at modò hi mores ex Germaniâ, è Galliis in Belgium commigrârunt, ubi.

Tot modo sunt mores, quot habet natura colores

Videas, quo nihil fœdius, virorum femoralia, vera fœminalia, in togas mulierum conversas; videas juvenes cincinnatulos.

Ut fœmina comptos.

Quos acuto stilo recens Poëta perstring[...]

Mascula censentur specie depicta virili;
Hoc quondam docuit regula grammatices
Masculeo apposito quæ gaudent mas[...]
sunto,
Hoc etiam docuit regula grammatices.
Fœmineum dices specie depicta virili,
Hoc nondum docuit regula grammatices.

Sed de his satis; ut sis unus, eundem serva semper vitæ tenorem. Ut sis coram Deo, imo & hominibus magnus, esto unus; magnus est, qui non est multus, non in varia diffluit, vitium in varia se dispergit, numquam in un[...] se colligit. Ægrè unum reperies, qui verè unus sit, & non variis affectibus, quibus indulget, varios non referat mores, & colores.

Præclarè Origenes, ad illa verba: *fuit* [...] UNUS, inquit: *pertinet ad laudem justi* [...] *quod dicatur* VIR UNUS. *Nos qui adhuc peccatores sumus, non possumus illum titulum laudis acquirere: quia unusquisque nostrum non est* UN[u]S, *sed multi; intuere namque alicujus vultum, nunc irati, nunc iterum tristis, paulò post iterum gaudentis, & iterum turbati, & rursum levis. Vides quomodo qui putatur* UNUS E[S]SE, NON EST UNUS; *sed tot personæ in eo videntur esse, quot mores.*

Operis vestri, O pictores, tabulæ vestræ, imaginis quam depingitis, si similitudinem, si artem, si præstantiam, si excellentiam sectemini, unam & immutabilem animi constantiam assumite. Spectastis non semel in tabulâ depictum eximiæ artis vestræ Magistrum, ac patronum, *divum Lucam*, divino suo penicullo, Virginem matrem exprimentem, num vultum umquam aliò deflexit, num oculos avertit? an non eos, dies, & noctes, & menses, & annos, in Virginem defixos habuit: *an lumina flexit.*

Alias illum certis 37. *annis laborasse cum Paulo inter infideles*: nunc inter carnificum minas ex arbore suspensum, numquam mutasse vultum; *tribulationibus multis exercitatum, non fractum.* Spectas in summâ ara depictum Petrum, aut Paulum, Andream vel Agnetem, ut istic conspicitur, an illos in cruce, aut istos sub ictu gladii, vultum mutantes, trepidantes, mutantes, aliamque personam assumentes intuemini: minimè, sic & tu in injuriis, in morbis in jactura fortunarum, filiorum, ASSUESCE UNUS ESSE, *ut vita tua quandam* PICTURAM *exprimat, eandem semper servans* IMAGINEM. An non [...]c sancti à Christianis impetrabunt, quod g[en]tilis ab ethnicis postulabat: Philosophum Romanum audite: *magnam rem puta* UNUM HOMINEM AGERE; *præter sapientem autem*, NEMO UNUM AGIT *Cæteri multiformes sumus: modò frugi tibi vide[...]* *mu[...]*

Laur. Justinian. serm. [...]

Senec. epist. 10.

mur, & graves; modò prodigi, & vani mutamus subinde personam, & contrariam ei sumimus, quam exuimus; Quid verius? mox ad Lucilium suum conversus, sic eum instituit: *Hoc ergo à te exige, ut qualem institueris præstare te, talem usque ad exitum serves. De aliquo quem vidisti heri, mentò dici potest: hic quis est? hic quis est? tanta mutatio est*; hæc ille de ævo suo, quæ & aptissimè in nostrum cadunt. Quoties missum ad Academiam filium, integrum, incorruptum, innocuum, dum post paucos menses perditum, corruptum, libertinum recipit parens cum gemitu cogitur exclamare: *hic quis est?* hunc ego te accipio? quàm alius abibas? *Tanta mutatio est*. Quoties de viro sæculari, seu Ecclesiastico, *quem vidisti heri*, aut nudios tertius de trivio, repente in altum sublato, illud usurpari licet: *Hic quis est?* ille ne olim inmediocri sorte, mihi tam familiaris, tam officiosus, tam affabilis; en ut honores mutent mores; en ut erectâ cervice, vix moto leviter pileo salutet, quod toto corpore pronus ante solebat: *Quanta hæc mutatio?* quam indies videre est, ut patet ex sanctiuri divi Ambrosii testimonio, dicentis; *Mutatur enim unusquisque morum varietate, & fit alter, in quo non agnoscitur quod fuit, & incipit esse quod non fuit, sui degener est*. Nihil simile, ô pictores, in tabulis quas depingitis, mutationis & vicissitudinis videre est. Exempla idem Philosophus ab Ethnicis mutuatur, consolatione ad Helviam: *Socrates* EODEM VULTU, *quo aliquando solus triginta tyrannos in ordinem redegerat, carcerem intravit, ignominiam ipsi loco detracturus*. Socrates *eodem vultu* paupertatem extremam, uxorem pervicacem, liberos discolos sustinuit: Socrates *eodem vultu* in pace, in bello, in triumpho, in carcere; in prosperis, in adversis, in vitâ, in morte, instar picturæ, *ne* VULTUM QUIDEM MOVIT. *Vis alterum exemplum? accipe hunc M. Catonem recentiorem; cum quo & infestius fortuna egit, & pertinacius*; cujus tibi varias, quibus conflictatus est, calamitates enarravit, subjungit: *Nemo mutatum Catonem, toties mutatâ republicâ vidit*: EUNDEM *se in omni statu præstitit*. Quid ad hæc nos Christiani, qui gratiâ adjuti, & fide instructi, fortia pati non Romanum dumtaxar, sed verius christianum esse novimus: atque, ut Patriarcha Venetus monet: *Sub Dei disciplina, eodem animo, eodemque vultu perseverare*. Vultus noster, & idem, index ac judex est, animi sibi constantis, non alius hodie, alius cras, ut plerisque mortalibus est. Sunt imagines quædam adeo vafrè, & affabrè expressæ, ut in sulcos, & strias discretæ, spectantibus oblique, virginem pictam referant; sin ex adverso respicias leonem, aut morionem exhibent; rectâ intuentibus, Christus crucifixus appareat. Sunt & aliæ ejusdem generis, quæ hinc agnum, inde leonem, ex opposito stantibus, simium, aliasque varias facies repræsentant. Ejusmodi striatis, pictis, & fictis tabulis, nonne vobis consimiles videntur, qui in primo ac publico congressu, pudicitiâ, ac morum honestate, virgineum quid referre videntur, quos si in occulto alunde conspicatis, turpes lenones, & infames mæchos deprehendes; illos ipsos si in templo contemplatis, Christo confixos dixeris; alii foris mansuetudine agnos, domi iracundiâ leones, suos inter sodales salaces & fallaces, meros simios referunt. Monstra hominum quos sic depingit Divus Hieronymus: *Verè monstri ora res est, speciem habere columbinam & mentem caninam: professionem ovinam, & intentionem lupinam: intus esse Neronem, & foris apparere Catonem*. Ex quibus, quæ chimera exurgat subjungit: *Ita ut eorum contrariis, diversisque naturis, novum monstrum, novamque bestiam diceres esse compactam: juxta illud Poeticum*:

Ambros. in Exod. c. 30. in fine.

Senec. consol. ad Helviam.

Senec. ib.

Laur. Justinian.

Imagines cum striis varios vultus referunt.

Hieron. epist. 18

Prima leo, postrema draco, media ipsa chimera est. Horat.

Hæc tam tetra metamorphosis, ne ulli vestrum obveniat, quisque studeat ut unus sit, *& vita* PICTURAM *exprimat*, EANDEM SEMPER SERVANS IMAGINEM. Fuit illa priscorum olim christianorum, constantis animi, ac vultus, eadem semper imago, de quibus oculatus testis Tertullianus: *Christianus* NUMQUAM EST ALIUS: *unum Evangelium, & idem Iesus*; arrideat blanda sors, fremat adversa, atrollant honores, deprimat invidia, demulceant voluptates, morbo, doloribus, tyranni cruciatibus sæviant; *numquam christianus est alius*. Talis exstitit invictus ille pugil, & adamantinus heros Hussæus vates, quem Hieronymus eodem quo Samuelis, Patrem Elchanan, encomio ex tollens, *virum unum vocat*; qoia in prosperis & adversis, in lætis & tristibus, in abundantiâ & penuriâ semper stabilis, inconcussus persistens, *erat vir unus*, qui quam semel conceperat, vivo, ac vero Deo serviendi, & in omnibus obsequendi religionem; *numquam aliis immutavit*: *sic faciebat Iob cunctis diebus*: non diurna, non desultoria; sed perpetua, & constans erat viri pietas. Erat Job in cultu divino sibi similis *cunctis diebus*; ab adolescentiâ quæ cœperat, ad senilem ætatem, *eandem semper servans imaginem*. Quid vos? respicite dies, & annos integræ juventæ, omni morum innocentiâ, horrore peccati, æternitatis altâ consideratione, austerioris religionis proposito, frequenti usu Sacramentorum, & pietatis exercitiis, in gymnasio nostro, & sodalitio Mariano transactos, & nemo se eundem inveniet: nemo quas sibi preces divinas habebat, nemo qui indies ante cubitum, animi latebras excutiebat; nemo qui ad aspectum puellæ erubescebat, nemo qui verba lasciva proferre audebat, illud Jobi elogium, jam viri, & provectæ, ac inveteratæ ætatis, usurpare poterit: *sic faciebam* io tenerâ ætate, io juventute, & sic faciam *cunctis diebus*.

Tertull. l. de corona militis c. XI.

1. Reg. v. 1.

Iob. c. 1. 5.

Hæc Jobi pietas, & religio in Deum, constans & immutabilis, *eandem semper servans imaginem*, omnibus quidem imitationi servit, sed & simul admirationi est, quod ipse de se posteris ad exemplum reliquit: *Donec superest halitus in me, non loquentur labia mea iniquitatem; justificationem quam cœpi facere, non deseram*. O fortem, ac tenacem propositi virum! tametsi ærumnæ tam acervatæ, annos insuper

Iob c. 27. v. 3. 4.

super viginti durent, *justificationem non deseram*: etsi annos durent quinquaginta, cœptam justitiam non deseram *cunctis diebus* vitæ meæ; etsi annos durent centenos, & durent ad supremum judicii diem, non movebor, non mutabor, quàm tenere cœpi ab adolescentiâ, *justificationem non deseram.* Eundem vitæ tenorem, eundem vultum servavit, dum horrea destructa, pecora sublata, liberi repentinâ morte, unà cum domo oppressi; ulcere pessimo perculsus, in fimeto testâ scabiem radebat, &c. semper vir unus & idem, *eandem semper servans* IMAGINEM; quam ut & vos auditores animis exprimatis, ac posteris relinquatis, manum de tabulâ tollo, ubi breve illud, sed æternâ memoriâ dignum adnexero encomium, quod de Romano Philosopho Seneca, refert, Tacitus: eum jam carcere detentum rebus omnibus exutum, & extremũ vitæ spiritũ, trahentem, propinquos, & amicos advocasse, quibus cùm non haberet, quod testamenti loco transscriberet, pretiosum tamẽ illis legatum reliquit, dicens: *Consigno vobis imaginem vitæ meæ.* O Domini; qualem vos servis? ô Superiores! qualem vos subditis? ô patres, & matres familias, *qualem*, vos liberis vestris *imaginem vitæ vestræ* delegatis? hic avari, ille iracundi, alter ebriosi, quartus adulteri, quintus blasphemi, de quibus tabulis, gravi censurâ, sincerus & severus judex pronuntiabit: *Non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam*, Quæ terrifica sententia ne in vos cadat, agite & satagite ut omnium virtutum pigmentis, & Christi ac Sanctorum lineamentis, animæ tabulam æternitati pingatis, & ad similitudinem eorum expressam imaginem vitæ vestræ relinquatis. *Ambr. lib. 6. hexam cap. 8.*



FESTUM

FESTUM SANCTÆ URSULÆ, ET VNDECIM MILLIVM SOCIARUM. 21. Octob.

Tu supergressa es universas. Proverb. 31. v. 29.



Micat inter omnes. Horat. lib. 1. Ode. 12.

ARGUMENTUM.

QUemadmodum indies fieri videmus, ut inter omnia opera tam artis, quàm naturæ præclara, unum potissimùm ceteris antecellat; ita inter lucidissima cæli sidera, Regina astrorum *Luna*, supergressa est universa. Id enimverò hodie, non de inanimatis, & de cælo casuris stellis, sed de vividis, in perpetuas æternitates fulgentibus, de Virginibus, inquam, rectè pronuntiare potero, quas inter *Ursula*

- - - - *Micat inter omnes*
VIRGINIS *sidus, velut inter ignes* Horat. lib. 1. ode. 12.
- - - - LUNA *minores.*

Hæc Dux Virginei exercitus, undecim chiliades cælestium Amazonum in campum duxit, & ad fortiter dimicandum, & cadendo vincendum animavit; ubi, quod multis insolens & paradoxum videbitur, neminem esse victorem, nisi victum, & ut Poëta canit:

Sæpe utile vinci,

Verissimum comprobabo. Usitatum in bello stratagema est, hosti cedere, ut gloriosius eum vincas, ac triumphes; quod & in quotidiano congressu servire potest, dum aut homini ambitioso, aut iracundo, vel contentioso cedis; qui unicus, & optimus modus est vincendi, quod vel Gentilis vidit, qui dixit: Ovid. 8. met.

Cede repugnanti, cedendo VICTOR *abibis.* Ovid. 2. de arte.

Hoc porrò nobilissimum victoriæ genus est, seipsum vincere; nam ut inquit Sapiens: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo, expugnatore urbium*; vinci autem, & servire cupiditatibus, turpissimum est. Prov. 16. Non sic *Ursula*, non sic viragines Sociæ, quæ sæculum & sexum vicerunt, quin & de tyranno triumphârunt. Hanc igitur siderum Reginam, divinis influentus plenam, precibus, obsequiis, ac pietatis exercitiis, nobis propitiam reddere studeamus.

§. I. *Vincit, qui vincitur, & ut Poeta canit.* SÆPE UTILE VINCI. Ovid. 8. metam.
§. II. *Gloriosa* S. URSULÆ *victoria, ejusque, ac Sociarum splendidissimus, qui unquam extitit, triumphus.*
§. III. *Praxes varia colendi* S. URSULAM, *ejusque sodales Virgines.*

FESTUM SANCTÆ URSULÆ, ET UNDECIM MILLIUM SOCIARUM.

Tu supergressa es universas. Prov. 31. v. 29.

Inter omnia opera rara & præclara, unum semper præ ceteris eminet.



Nter omnia rara, ac præclara opera, aut eleganter à naturâ producta, aut affabrè ab arte expolita, nihil ita exquisitũ, & politum est, quin in eo aliquid sit, quod præ ceteris emineat, omnium ad se oculos rapiat, extollatur, & commendetur. Amœnissimum, si lubet, viridarium ingredere, terram omnium florum genere, colorum varietate picturaram conspicies; erit tamen ex omnibus, qui ceteris majori in pretio habendus, longè excellentissimus, *& non pareille* æstimetur. Chrysendeton quis tibi Principis, aut opulentissimæ matronæ, omni gemmarum, unionum, ac lapidum pretiosorum copiâ instructum exhibebit: in his fulgorem, in illis candorem, in singulis raritatem mirabetis, & Regias opes, ac Crœsi divitias deprædicabis; erit tamen ex tot lapillis pretiosis, & candidis margaritis, quæ & ipsi Principi, præ omnibus in amoribus, & pretio sit, quam & tu ceteris longè præcellere non diffitearis. Quod si in Gynecæum Regis Assueri, aut Theodosii Imperatoris introducaris, dum iste, vel ille, ex lectis undique formâ, & gratiâ virginibus, Reginam sibi ex illo omnium speciosissimarum puellarum choro deligere statuit; attonitus diu hæreres in hoc omnis venustatis spectaculo; & in hac, scintillantes oculorum orbes; in illâ, corallina labra; in alterâ, eburneam frontem, & lactea colla: omnes denique Veneres contemplando, defixus stares. Invenit tamen Assuerus Estherem, Theodosius Eudoxiam, quæ omnibus antecellerent. Nunc, ad ea, quæ Archytæ, Polycleti, Chrysippi, Apellis, Parrhasii, aliorumque peritissimorum fictorum, & pictorum, artis aut industriæ humanæ monumenta, quæ unquam exstitere, veniamus, atque hæc inter, momenti maximi, Dianæ Ephesinæ templum contemplandum occurrit, in quo opere, testante Plinio, ducentis & viginti annis universa Asia, opes & operam impendit. *Plin. lib. 36. c. 14.* Mirari hîc erat columnas 127. à singulis Regibus, sexaginta pedum in altitudinem erectas, *munificentiæ*, inquit, *vera admiratio.* Quidam tabulas, à primis in arte pictoriâ coryphæis extollebant: quibusdam, cælaturæ capitellorum arridebant: alii elegantes statuas iis insistentes commendabant. Verum inter omnia, & artis, & antiquitatis, & raritatis exquisita opera, una summæ aræ imposita *Diana*, omnes omnium elegantias in se eminenter complexa, & infinito intervallo excedens, non in admirationem dumtaxat, sed stuporem, omnes rapuisse visa est. Tandem, si lubet in cælum oculos sustolle, & dum innubea c serenum est, nocturnas illic splendicantes faces speculare; quo blando, & innoxio spectaculo, ut Psaltes Regius liberius frueretur, sob... mem Regiæ suæ speculam, intempesta nocte conscendens, clamat: *Videbo cælos tuos*, LUNAM, ET STELLAS, *quæ tu fundasti.* *Psal. 8. 4.* Stellæ quidem nobis innumerabiles dicuntur, quod numerari non possint, juxta illud Jeremiæ: *Enumerari non possunt* STELLÆ *cæli.* At apud Deum omnes numeratæ sunt. Psal. 146. *Qui numerat multitudinem* STELLARUM, *& omnia eis nomina vocat.* In quæ verba, S. Augustinus, per stellas Sanctos intelligit; STELLAS *numerat Deus, omnes secum regnaturos, omnes aggregandos corpori unigeniti sui, numeratos habet, & numerat eos*, atque omnia nomina, in album divorum relata sunt. *August. in Psal. 14...* Quare ut magnificè olim pronunciavit Empedocles, rogatus, cur viveret? *Ut cælum*, inquit, *& tot scintillantes facies aspiciam.* At ego potiori jure, hodiernâ luce, nullum mihi hujus vitæ præsentius solatium, nullum excellentius votum obtingere posse affirmabo, quàm ut non inanimas per intervalla scintillantes, & aliquando è cælo casuras stellas aspiciam; sed vividas, perpetuo fulgore coruscantes, in cælo empyreo fixas, easque propè innumerabiles, liceat contemplari? quas inter, *Ursula* velut luna, ut cum Plinio loquar, omnium astrorum vincit admirationem, *super omnia pura*, *& luce plena*; cui & illud Venusini vatis congruit: *Plin. cap. 9.*

- - - *Micat inter omnes*
VIRGINIS *sidus*, *velut inter ignes*
- - - LUNA *minores.* *Horat. od. 1...*

Hæc in amœnissimo Ecclesiæ Paradiso, inter tot Virginum flores, & sanguine purpureos, & virginitate candidos, & omnium virtutum genere varios, virgines supergressa est universas. Hæc flos coronæ imperialis, *spande de Croon*, NON PAREILLE. Hæc, inter tot lectas ex Angliâ, Britannia, totâque Europâ pretiosissimas margaritas, quibus è sacris paginis, & Sanctorum Patrum placitis, virgines comparantur, *supergressa est universas.* Hæc, ex Parthenone, & choro Virginum, qualem nullus unquam *E ... in Esth.*

orbis

Marginal notes (right margin): ... ut luna, sic inter virgines Ursula. ... 1. Et ... v. 22.

orbis monarcha, tanto numero, sanguine, formâ, fortunis, genio, ingenio, donibus naturæ & gratiæ præstantium coegit, à Christo sponso, cujus Assuerus (ut loquitur Lyranus) typum gessit, in Reginam præ ceteris adlecta est, & *supergressa est universas.* Hæc, in templo, non Ephesino, sed in templo gloriæ divino, inter millium spirantes, & vivas, artifice Dei manu, elegantissimè elaboratas statuas, instar cœlestis Dianæ, *supergressa universas*, omnium in se mortalium, cælitumque oculos, & animos, sacro quodam stupore defixit. Hæc denique inter virginea stellarum agmina, Dux, & Regina, lunæ instar, longè *supergressa est universas.* O URSULA!

Quantum cum radiis fulges argentea puris,
Concedunt flammis, sidera cuncta tuis.

Ca... 4. ... Horat. ...

Tu siderum Regina; ut præclarè, è purpuratorum Patrum senatu Hugo Carensis, ad illa verba Isaiæ, *omnium militia cælorum*, ait: STELLÆ *vocantur militia cæli: quia ad modum castrorum ordinatæ sunt*; *unde* LUNA DICITUR REGINA CÆLI. Hanc astrorum militiam, & castrorum aciem ordinatâ, duxit, & instruxit *Luna*, seu *Diana*, URSULA. Divina Sapientia, quæ æterno consilio statuit exequi, disponit suaviter mediis aptissimis, loco, tempore, personisque maximè congruis, & singulorum geniis, ingeniis, attemperatis; tandem ad finem deducit fortiter. Statuerat Deus filio suo nuptialem diem longè celeberrimum adornare, in quo flos, & decor virgineus ex orbe penè toto, cum præcipuis, Ecclesiasticæ ac sæcularis dignitatis, dynastis, eodem die fortiter & gloriosè, de juratis hostibus Christi, mundo, carne, & dæmone triumpharet. Ducem hujus exercitus cogendi, elegerat Virginem *Vrsulam*, vix quater decennem, ut quò sexu fragilior, ætate tenerior, vitæ genere, & conditione, ad delicias pronior, hoc illustrius de se, & carne, Christo trophæum erigeret. Occasio tanti moliminis, erant nuptiæ, quas adolescens Aetherius religione paganus, ætate floridus, stirpe ...ius, moribus tamen incorruptus ambiebat; ...s itaque ad Dionethum, & Dariam, Ursulæ parentes Legatis, dudum in re ancipiti animo fluctuârunt; ut enim catholicè, ac piè filiam educarant, ac virginitatis, Deo dicatæ, propositum nôrant, pagano jungendam, omni modo detrectabant; ex alterâ verò parte, non levem tempestatem, ex hac repulsa regno imminere facilè præsagiebant; dum interim *Vrsula* jejuniis, & orationibus tota intenta, nocte concubia ab Angelo edocetur, nuptias salvâ virginitate, hoc pacto contraheret, ut per triennium, ille Ecclesiæ rudimentis imbueretur, lustrali baptismi undâ tingeretur, Catholicæ Religioni se adjungeret, ac illa interim, collectis ex utroque Regno nobilissimis, ac præstantissimis virginibus, Romam, aliasque patrie viseret: atque ind oraculum, quod sibi reservabat, acceperat, se cum sponso, aliisque sodalibus, martyrii laureâ decorandam. Aetherius sponsus, his acceptis, quò majori potiundæ virginis desiderio flagrabat, hoc laborabat ardentius, ut pacta, & conditiones dotales, à Deo, virgini per Angelum dictatæ (in quibus jam conventum) quàm citissimè complerentur. Favebant parentes, ut nuptias magnificentissimas utriusque, Regiâ Majestate dignas, in liberorum, & stirpis regiæ gloriam, intra triennii spatium, apparatu maximo adornarentur; quò facilius, duo Regna tali connubio in unam familiam coalescerent. Ardebant studia Procerum, & vicinorum Regum, Deo faces etiam interius admovente, ut illæ nuptiæ, potentissimorum Regum studiis, consiliis, & auxiliis celeberrimæ redderentur. Ita non duo solum sponsorum Regna; sed cognatorum etiam, & affinium ditiones, intra Britanniæ fines, unò è locis transmarinis, lectissimas quasque Virgines, Regibus, ducibus, & illustri prosapiâ ortundas, regio eum apparatu miserunt *Vrsula*, ad bellinavalis quædam simulacra puellaria, in iis castris parthenieis exercenda. Has inter, etiam gentiles quædam puellæ admittebantur, ut triennii tempore orthodoxæ fidei dogmatibus imbuerentur; quod sibi magisterium *Vrsula* potissimum vindicârat, ac undecim ebiliarchas, quasi hypodidascalas, & magistras iis præfecerat; quas autem iis pietatis exercitationes tradiderint, atque unà, quam omnes toto itinere, subsidio necessario instructæ, & Angelico munitæ præsidio fuerint, infinitum esset recensere. Funem præcido, *& ecce dato signo, quia mare contiguum erat, raptim ad naves convolant, armamenta explicant, altumque petentes, vela faciunt & absque ullo virorum, aut nautarum auxilio, ipsæ virgines naves gubernabant*; omnium verò architalassa *Vrsula*, Dux classi præerat, & clavum tenebat. Augusta visa est heroina Virgini, *Vrsula*, ampla ipsa genitoris Regia, latum oceanum prætervehi voluit, insuëto genere classis, virginum duxit bellatricum choros, assuefecit eas spernendis tyrannorum minis, per frementis pelagi fluctus. Non illæ sideream secutæ sunt Arcton; sed quam deferebant secum *Vrsulam*. Cessit expeditis his astris ad cursum cynosura. Ursæ illæ tingi æquore metuunt; at hæc generosa dicenda sunt sidera, quæ tam procul à metu, ut nihil magis optatint, quam suo tingi cruore. Quæ ne peregrina, aut paradoxa censeantur. Albertus Crantzius, vir in Theologiâ, & jure Pontifico celeberrimus, atque historicus clarissimus, consimiles viragines, etiam gentiles in argumentum adduxit: *In Wandalia*, inquit, *eâ tempestate; tam celebris militia habebatur, ut eam non modò viri, sed & puellæ, & fœminæ amplecterentur.* Inauditum nostra tempestate negotium, quo minus admiremur apud vetustissimos Babylonios, Semiramidem, & Trojanis temporibus, *Penthesileam*, ad prælia furentem " (*mediisque ardentem in millibus*, ut de ea canit " vates Mantuanus) & *Camillam*, in Italiâ, bello " detonantem. Sed his missis, puellam inducit Wandalicam, *Wisnam* nomine, quæ cum " militari puellarum agmine aderat, magnæ " illi expeditioni, cùm Haraldus, Daniæ Rex, " viribus undequaque collectis, duceret in " Ringonem, Sueciæ Regem, magnis illis ap- " para-

Hier. Car. ... 14.

... de ... cap. 14.

Ursula ... sponsum ... petitum ab Aeterio pagano, quem convertit.

Nuptiæ in triennium protractæ.

Ursulæ classis cum 11000. virg. quibus ipsa Dux & Regina præerat.

Crombach lib. 3. c. 11. pag. 256. B. Herman. c. 9. in vita S. Elizab. cap. 6.

Animat socias Ursula ad fortiter certandum.

Crantz. Wandal. c. 11. & 12.

Fœminæ fortes in bello.

Virg. lib. 1. Æneid.

paratibus per septennium ante factis. Non " degenerabat Wisna, consimili pœnè ætate, " à virtute Bohemicarum suæ nationis, ac lin- " guæ puellarum; sed militaribus rebus ex- " ercita, cum validâ suarum manu, Danici Re- " gis agmina exornavit. Nec sola sui se- " xus, in latissimis agminibus, Dux præerat: " nam erant & à Daniâ, & à Norwegiâ, simi- " lis animi, & virtutis, puellæ suorum agmi- " num Duces. In acierum autem ordine, " tantum fœmineo robori Rex dederat, ut " Aquiliferam faceret *Wisnam*, ut præcipuam " in ejus virtute fiduciam ponere videretur. " Cumque ad pugnam ventum esset, fortissi- " ma fœmina, semper illæsa, signa servavit; do- " nec quis adversariorum invasit, manumque præcidit, signa tenentem. His enarratis, rem nostram prosequitur. *Hac eo consilio libens retuli, ut nemo miretur, eodem penè sæculo, aut non multum distante, christianam puellam.* OLVAM URSULAM VIRGINEM, *agmen Christo sponso militaturum contrahere, cumque eo, mare transire fit ausa, ex Britanniâ per Rhenum ascendere, & ex Basileâ pedestri itinere Romam petere: cumque inde remearet per Rhenum in Patriam reditura, in ipso descensu, ad mœnia Agrippinæ Coloniæ obsidentes Hunnos reperit, à quibus tantum agmen christianorum virginum, in Christi contumeliam est trucidatum.*

Saxo Ioan. Magnus. Crombach p.260. Talem expeditionem navalem Alvilda (Sinardi Scotorum Regis filia) cum pluribus virginum copiis, quibus virili habitu præerat, adornavit.

Verum enim verò, longè super omnes Barbaras, & omnes gentiles Reginas, quæ puellarum exercitus duxerunt, excellit Regina, ac Virginum Dux, *Ursula*, quæ divino aspirante favonio, Angelico cum suis stipata præsidio gradiebatur, & non secus, quàm olim electo populo Dei Israelitico vestimenta non sunt attrita, nec sunt in tribubus eorum infirmus; de cibo, & potu semper prospectum, ut V. Crombach. tag. 276.304. 305.306. nullæ inviæ fuerunt; ita his, non minus mirabili providentia, in omnibus prospexit, quod longum esset enarrare. Suffecerit hic obiter, stolidos parentes, ac stultas matres increpare, quæ lamentis filias prosequuntur, dum è sæculo, in portum Religionis transfretare decernunt, quasi Dei auxilio, tutelâ, & providentiâ destitutæ, inediâ, miseriâ, aliisque incommodis irruentibus, in mortem voluntariam ruere viderentur; cum interim he- V. Luc. Evang. p. 1.Dom.14 roesshæ animæ, castra Dei secutæ, nunquam annonâ, cælitus abundè submissâ, destituantur, ut aliquando fusè diximus. Nunc, qui unicus hic mihi scopus præfixus est, invictissimam Ducem *Ursulam*, cum suis virgineis agminibus, in campum deducemus; dumque cum suis, gloriosè pro fide, & Christo sponso occumbit, victam victricem, & de tyranno, dæmone, carne, & mundo triumphantem ostendemus.

(*.*)

§. I.

Vincit, qui vincitur; & ut Poeta canit; *sæpè utile vinci.*

Ovid. 15. metam. Qui pro Christo vincitur & occumbit, vincit, & triumphat.

INsolens vobis paradoxum videbitur, si probare conatus fuero, *neminem esse victorem, nisi victum*: omnes Christi Athletas, atque virgineas Ecclesiæ Amazones, nunquam animosius vicisse, nunquam gloriosius triumphasse, quàm dum tyrannorum vi, ac crudelitati victæ, manus dederunt, & morti occubuere. Quæstionem movet S. Augustinus: num *Lucretia*, matrona Romana, ob allatam sibi necem, invicta, & constans animo debeat perhiberi? cui dubitationi, postea cap.22. ejusdem libri facit satis, his verbis: *Si rationem diligentius consulas, nec ipsa quidem animi magnitudo, rectè nominatur, ubi quisque non valendo tolerare, vel quæque aspera, vel aliena peccata, seipse interemerit. Magis enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non potest.* Igitur ex sententia Augustini, labores vincit, qui tolerat, non qui refellit; & duris se non posse subjicere, infirmæ mentis est, minimèque generosæ: si calamitate victus, stare noveris, faciet te aliena victoria triumphantem, faciet teneras virgunculas, inermes puellarum exercitus, imbellem fœminam *Ursulam* cum suis, de tyranno, de inhumani barbarorum exercitu triumphantem. Habeo pro me stantem, mellex virum facundiæ, & sanctitatis aureæ antistitem, D. Ambrosium, in expositione illorum verborum: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Ubi sic ait: *Sine dubio cælestia vincunt terrena, quam ob rem, infirmum Dei, non est infirmum, quia infirmitas Christi,* MAGNA VICTORIA est: VINCIT ENIM CUM VICTUS VIDETUR, *sicut ait: & vincas, cum judicaris: victor enim existit, qui injustè occiditur, reum constituens, à quo occiditur.* Igitur si dixero eum qui adversitatibus irrumpentibus infirmatur, victoriam consequi: si pronuntiavero, subactum, infirmitate amore Dei, non infirmum esse, sed infirmatis triumphatorem: demum, si asseruero christianos, Dei servos, & famulas Christi, tunc maximè vincere, cum victi sunt, reprehendi non debeo: quia sanctissimi, & sapientissimi viri usurpo sententiam. Accedit Hipponensis Præsulis, quod Xenocratis majus est, judicium, Catonem, & Regulum inter se conferentis: *Marco Catoni, Marcum Regulum præferamus: Cato enim ne subjiceretur à Cæsare, à seipso elegit occidi: Regulus autem Pœnos jam vicerat, Imperioque Romano, Romanus Imperator non ex civibus dolendam, sed ex hostibus laudandam victoriam reportaverat; ab eis tamen postea victus, maluit eos ferre serviens, quam eis se auferre moriendo. Proinde servavit sub Carthaginensium dominatione potentiam, & in Romanorum dilectione constantiam, nec* VICTUM *auferens corpus ab hostibus*, NEC INVICTUM ANIMUM *à civibus.* Et Paulo post, his verbis decernit: *Inter omnes suos laudabiles, illustres viros, non præferunt Romani meliorem, quem nec infelicitas fregerit.* Jure merito Marcum Regulum effert

Aug. ci. de civit. cap.19.

Ambr. in epist. 1 ad Corint. ad cap. 1. num.25.

Aug. l. 1. de civit. cap. 24

Angu-

Augustinus, ut Romanorum fortissimum, quia victus ab hostibus, invictum se, & victoribus gloriosiorem præbuit. Præclarè profectò nobiscum ageretur si perciperemus aliquando, tunc maximè nos esse victores, cùm à multiplici calamitatum pondere deprimi videmur, ac vinci, Neque enim *Vrsula*, ejusque virginea agmina, alia ratione victoriam reportarunt, aut nos referre possumus, quam Christum Imperatorem nostrum vicisse sciamus; vicit autem mortem morte, mundum à mundo delusus; ut hinc percipiamus nostrũ esse, hostes, ac delusores, cum ab illis profligari videmur, divino quodam vincendi genere debellare. Unde Augustinus: *Manifestum est, quia* NON VICISTI TU; SED ILLE, *qui in te est.*

August. in Psal. 125.

Imperatorem talem portas, & VINCERIS? Nonne prior MORIENS VICIT DIABOLUM? *Quare vicit, nisi ut te doceret cum diabolo dimicare?* Idem prosequitur serm. 44. in fine: *Victoria nostra, gloria nostra est, intus est, non foris est: foris despecti, intus dilecti. Hinc est, quod Ecclesia in pressuris posita, infirmiora membra sua confortat, dicens: in mundo pressuram habebitis, sed nolite timere pusillus grex: quia ego* VICI MUNDUM. *Sed* QUOMODO VICIT MUNDUM? *Factus obediens Patri usque ad mortem.* QUO MODO VICIT CHRISTUS; APPETAT VINCERE CHRISTIANUS. *Quomodo vicit Vrsula*, ac teneræ virgunculæ, *appetant vincere viri*; qui tunc maximè muniti, dum succumbere videntur, hosti insultant, dũ de genu pugnant; victores, dum victi existimantur. Cujus quidem, utpote certissimæ veritatis vestigium, ex priscæ militiæ consuetudine, in militari testudine reperiemus, quâ se, succumbentes milites operiebant, crate perpetua, adversus sagittas, & missilia omnia, super se cadentia. De quo floridè Romanus Scriptor Florus: *Deleta reliqua copia forent, nisi urgentibus telis, in modum grandinis, quadam sorte, quasi docti procubuissent in genua milites, & elatis supra capita scutis, cæsorum speciem præbuissent. Tum Parthus arcus inhibuit.* Callidum enimverò inventum; victi in morem, & quasi supplex provolutus in genua, jacet Romanus miles, ne vincatur: cedit, ne cædatur; atque ut victoriam reportet, procumbit erectus. Sic se res habet, ut illustrem consequaris victoriã, subdere te discas, atque ut impetũ hostium jaculantium vincas, victum te christianâ demissione fatearis: fietque ut tum vincas, cùm victus existimaberis, *Cede repugnanti, cedendo victor abibis.*

Florus lib. 4. c. 10.

Ovid 2. de arte.

Magnus error, & abusus maximus, quempiam sibi applaudere, & victoriam canere, dũ de hoste triumphat, & passionibus victus succumbit. Audiant hic è cathedra veritatis oraculum: *Sancti prædicatores nostri majori victoriâ coronantur, cùm adversa proximorum tolerant, quàm cum foris hostes repugnant.* Ita quondam David, duplicem retulit victoriam; unam de Goliatho prostrato: alteram de seipso, quando manũ à cæde Saulis, capitalis hostis sui, quem in potestate habebat, compressit. At scire vultis, utra nobilior, ac gloriosior exstiterit? non meo, sed aureo Chrysostomi ore depromam: *Saul*, inquit, *egressus est de speluncâ; egressus est autem post illum & David, liberis oculis cælum*

S. Greg.

1. Reg. 17. v. 49.
1 Reg. 24. v. 7.

Chrysost. hom. 2. de David & Saule.

intuens; at tunc temporis, magis exultans, quàm cum Goliath dejecisset, ac barbari caput amputasset: siquidem hac, illâ magnificentior erat victoria; hac magnificentiora spolia, hac præda illustrior, hoc gloriosius trophæum. Cujus rei statim rationem subnectit, quod prior victoria armis & corporis robore constiterit; hæc animi fortitudine, & virtutũ nervis: *Itaq; redit, non barbari illius caput gestans; sed animi commotionem mortificatam, sed iram enervatam; neque hæc spolia reposuit Hierosolymæ, sed in cælo, inque supernâ illa civitate. Nunc haud quaquam in choris obviam veniebant fœminæ, excipientes illum cum laudibus; sed Angelicus populus è sublimi applaudebat, admirans ejus humanitatem, &* INVICTUM ANIMI ROBUR. Et paulò post: *Illustriorem tulit victoriam servato Saule, quàm si illum mactasset; quod enim tanti prælii retulisset præmium occiso hoste, quantum nunc tulit illi parcendo?* Sic te, quisquis adversarium insectaris, hostem persequeris, inimicum odisti, tam illustris victoriæ amor extimulet:

Victoria Davidis gloriosior, quã seipsum vicit, quã de Goliath reportavit. ibid.

Vincendo iram victor eris.

VINCE ANIMOS, *iramque domu, qui cetera vincis.*

Ovid. ep. Briseis.

Augustinus: *Nolumus ab hominibus* VINCI, *& iram non possumus* VINCERE. *Nolumus ab hominibus vinci*, & mundum, luxuriam, avaritiam, &c. non possumus, hoc est non volumus vincere. *Nolumus* ingenio, scientia, eruditione vinci; & arrogantiam, superbiam fastũ, imo ipsum errorem, inscientiam, & ignorantiam nostram *non possumus vincere*: hinc lites, contentiones, rixæ, & jurgia inter vos. Aristoteles porrò, contentionis causam, ponit *cupiditatem victoriæ*, seu jure, seu injuria, falsò vel verè triumphet. Idem visum fuit Clementi Alexandrino: *Absit*, inquit, *vehemens verborum contentio*, INANIS VERBORUM VICTORIA EST: *quia, ut canit Ovidius lib. 2. fast*, HÆC TE VICTORIA PERDET. Horum doctrinam secutus Gulielmus Parisiensis, ait: *contentiosus, sive litigiosus est, qui vult omnibus modis vincere, sive per fraudes, sive per clamores*; atque ut ait Poëta: *non tam*

Aug. l. de vera Religione c. 45.

Arist. l. 1. Ethic. c. 10.

Clemens. Alex lib. 2 pædag. c. 7

Turpe fuit VINCI, *quam contendisse decorum est.*

Ovid. l. 9. metam.

S. Ambrosius in 1. Timoth. 6. de contentiosis disserens, *elatus*, inquit, VINCI *se non patitur; ad favorem quippe, sive per jurgia, quærendum, in conflictum prorumpit, quod à mansuetis, & bonis viris vitandum est*: qui vincunt, dum se vinci à rabulis illis sinunt.

Hoc quàm honestum, & pulchrum sit, vel ipsa ratio naturalis dictat, cujus ductu Plutarchus ita scriptum reliquit: *jam in colloquiis pueri non aliis invisi fient, si non omninò in disputationibus*, VICTORIAM *semper obtinere laborent: non enim tantum egregium est* SCIRE VINCERE: *sed etiam* POSSE VINCI PULCHRUM EST, UBI IPSA VICTORIA EST DAMNOSA, ex qua, non rarò jurgia, calumniæ, rixæ, vulnera, homicidia, duella, corporis & animæ jactura

Cede cõtentioso, & vinces, ac apud Deum & homines laudem & gloriã acquires.

Plutarch. de educat. liberorum

consecuta est; ubi quandoque de umbra asini, de lana caprina contentio est: quæ omnia cessant, si quis in animum induxerit, *vinci pulchrum esse*: Post pauca, inducit idem Plutarchus illud Euripidis: *dicentibus duobus, irato altero, qui non repugnat dictis, est sapientior.* Ex eodem naturæ fonte manavit illud Publii: BIS VINCIT, QUI SEIPSUM VINCIT IN VICTORIA; qui dum alter, quem confutare, superare, rationibus convincere, falso arguere, & confundere posset, cedit, silet, & *seipsum vincit*, cum triumphare in manu esset. Quo apud adstantes laudem, apud contendentem gratiam & amicitiam inire consuevit; quæ non semel per ejusmodi animositates, dum & uterque cedere nescit, & vincere contendit, disrumpitur. Decantatum Catonis breve, sed efficax monitum:

Nobilissima victoria, seipsum vincere.

Cato in distichis.

VINCERE *cum possis, interdum cede sodali:*
Obsequio quoniam dulces retinentur amici.

Indies hoc cernere est: si amicus cum amico, procus cum amasia ludo contendat, vinci studet, ipsamque vincere exoptat, ut sic ejus gratiam valeat demereri. Et nos, ut Dei gratiam emereamur, inter homines pacem, concordiam, charitatem servemus, contendere non desistemus, cedere nesciemus? sed ne Ethnicorum duntaxat placita sectari, eorumque suffragiis niti videamur, quid summi Ecclesiæ Græcæ & Latinæ Doctores sentiant, audiamus. Nazianzi Antistes: *Præstat* HONESTE VINCI, *quam periculosè*, AC NEFARIE VINCERE; quod sanè evenire solet in contentione, in qua, clamore, iracundia, pertinacia, veritatis oppugnatione vincitur; de qua Sanctus Isidorus: *Contentiosorum studium, non pro veritate, sed pro appetitu laudis certat: tantaque est in his perversitas, ut veritati cedere nesciant, ipsamque rectam doctrinam enervare contendant.* Eodem spectat illud aurei oris oraculum: SÆPE VINCI, QUAM VINCERE PRÆSTANTIUS EST; quod axioma multis prosequitur. Ab his non dissentit Philo, disertissimus Judæorum, qui & naturæ lumine, & scripturæ ductu, cùm proposuisset fugiendam esse contentionem, eleganter subdit: *Quod si quando majore vi coactus fueris in certamen descendere*, NE TE VINCI PUDEAT, *sic enim* SI VINCARIS, VICTOR EVADES, *quando in hoc genere* VICTOR VINCITUR; quæ etenim victoriæ laus, si contendendo, obtundendo; persistendo, clamando, & vociferando, adversarios viceris; & interea gloriando, jactando, exprobrando, animos exulceraris, odia, rixas, calumnias, vulnera, & cædes concitaris? misera, & infelix victoria, de rebus pessimè patratis triumphare? in quos cadit illud Pyrrhi, Epirotorum Regis, qui cum bis inito cum Romanis certamine, victoriam magna cum suorum clade reportasset, cum gemitu dixisse fertur: *si Romanos iterum vicerimus, victi sumus.* E cœtu Latinorum S. Ambrosius: *perstrepentibus ad convicia, semper cedendum: vincis enim dum cedis.* Post Ambrosium, ad manum mihi venit S. Valerianus Cemeliensis, qui de

Nazianz. orat. 1. n. 180.

S. Isidor. lib. 3 senten c. 14.

Chrysost. hom. 85 in Matth.

Philo. lib. de agricult.

Plutarch. in apophe.

S Amb. in epist. 4. ad Coloss.

bono conservandæ pacis disserens, similia docet iis, quæ Patres Græci tradiderunt: *Cessant*, inquit, *odia, ubi non reputatur injuria: nec habet ullam virtutem iracundia, si desit unius in contentione persona. Ita* DUPLEX *patientiam manet* VICTORIA, hominem vicisse proprios animorum motus, & temperasse mores alienos: Tum emphaticè subjungit: PLENA VICTORIA EST, *ad clamantem tacere, & non respondere provocanti. Si utrimque certabitur, ille est melior, qui prior pedem retulit*: VICTUS EST, QUI VICIT. Rationem adfert: *habet enim mercedem & de tuâ patientiâ, & de fratris medelâ, si oblivioni deputetur injuria: ubi enim verbis verba succedunt, incendio fomenta præstantur.* Quo licet triumphali incendio ipse victor involvitur, ut rectè Bernardus: INFELIX VICTORIA, *qua superans hominem, succumbit vitio iracundiæ, superbiæ, jactantiæ.* Hinc scitè B. Ægidius, S. Francisci sodalis, sapidâ simplicitate dicere consueverat: *Si quis tecum contendat, cede illi, &* VICTOR AB EIS: *alioquin ubi te vicisse arbitraberis, ad extremum* VICTUM TE SENTIES; utinam omnes imitentur in hac parte Doctorem Maximum Hieronymum, qui epist. 89. ad Augustinum, senior orat juniorem, ut in contentione sacrarum litterarum dentur manus veritati; felicius judicans lucrum, quod reportatur ab eo, qui victus vincit, hoc est, qui cedit veritati: *te quoque*, inquit, *hoc ipsum orare non dubito, ut inter nos contendentes, veritas superet; non enim tuam quæro gloriam, sed Christi.* CUMQUE TU VICERIS, ET EGO VINCAM, *si meum errorem intellexero. E contrario, me vincente, tu superas; quia non filii parentibus, sed parentes filiis thesaurizant.* Quæ hactenus dicta sunt, non sunt levis certaminis rudimenta, Heroes magnos, Athletas fortes, humeros & pectus requirunt ahenum. Vinci ingenio, cedere opinioni, decedere à sententiâ, argui inscitiæ, judicio popelli condemnari, non ego illum summum virum judico, sed diis æquandum censeo, quia vincit cùm judicat. Scio difficillimum esse, ab opinione sua decedere, quam ita mordicus quidam tuentur, ut etiam contra conscientiam, falsa propugnent; *hinc fit*, inquit Ambrosius, *ut contentio multa extorqueat contra conscientiam, ut intus animo perdat, foris victor abscedat*: NEMO ENIM PATITUR, SE VINCI, *licet sciat vera quæ audit*: nam

Valerian hom. 12. de bono conservandæ pacis.

Bern serm ad milit.

B. Ægid. in dictis. § 1.

Hier. epist. 89 ad Augustin.

Ambr. in Timoth. 2.

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Martialis. l. 8. ep. 8.

Hoc in quotidianis disputationibus, Philosophicis, Medicis, Juridicis, Theologicis cernere est. Testem induco in hac palestra versatum Doctorem irrefragabilem D. Augustinum: *difficillimum omninò est non perturbari, cùm ea quæ pronâ, & proclivi approbatione tenebamus, contrariis disputationibus labefactantur, & quasi extorquentur e manibus.* Esto, difficillimum sit; sed & gloriosum cedere, & pulchrum vinci. Quare eodem Augustino respondenti, ac monenti, pareamus: *Æquum est*, inquit, *bene consideratis, perspectisque rationibus, cedere*. Concludo hæc Christiano, quantumvis gentilis Philosophi, documento: *irascitur aliquis; tu contra, beneficiis provoca. Cadit statim simultas ab alterâ parte deserta;*

Aug. lib. de Mag c. 10.

Seneca l. 2 de irac. 34

deserta; nisi par, non pugnat: Si utrimque jactabitur ità, concutitur; ille est melior, qui prior pedem retulit, VICTUS EST, QUI VICIT, & vincit, qui quasi victus cedit. Hæc fortitudo Christiana est, quam describit Ambrosius lib. 1. offic. c. 36. *Fortitudo vocatur, quando unusquisque* SEIPSUM VINCIT, *iram continet, & nullis illecebris emollitur, atque inflectitur: non adversis perturbatur, non extollitur secundis*; imo ab ipsis adversis, robur ducit, animosque. Talis extitit Paulus qui de seipso fatetur: *cum infirmor, tum potens sum.* Ambrosius:

Amb. lib. 1. offic. c. 36.

Fortes qui seipsos vicerunt

2. Cor. 12. v. 10.

Hæc vera fortitudo est; quam habet Christi Athleta in laboribus plurimis, in carceribus, in mortibus positus, animo tamen non frangebatur: Sed prœliabatur adeo, ut potentior fieret sub suis infirmitatibus. Fortis habetur, qui cum ferocioribus belluis, cum urso & leone, aliisque id genus animalibus & pugnat, & vincit. Ita vires, & fortitudinem suam probavit David, quando cum ipso Goliatho certamen affectavit, sic Saulem allocutus: *Pascebat servus tuus patris sui gregem, & veniebat Leo & ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi consurgebant adversum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos.*

1. Reg. c. 17. v. 35.

Fortis audit, qui ferratas acies invadit, dissipat, frangit, soloque insternit duces fortissimos. Fortis denique, qui hostium valla primus inscendit, & urbes quantumvis munitas expugnat, & sub jugum venire cogit. At illis longè fortior, qui cum seipso sic pugnat, ut vincat: qui efferatas passionum belluas superat; qui hostium infernalium cuneus penetrat; qui urbem munitissimam, & arcem, hoc est animum suum expugnat, ut ille cecinit:

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima
VINCIT
Mœnia.

Notat cælestis militiæ Dux, S. Ignatius, qui tironem ferventioris ingenii, his verbis paternè hortabatur: *hoc age,* UT TE VINCAS. *Quod si feceris, splendidiorem aliis, qui ingenio mitiori, habebis coronam*: quia majorem victoriam.

Ribaden. in vita lib. 5. c. 10.

Quod ne à viro Religioso dictum, quis in se minimè cadere existimet; audiat & hauriat illud Frederici Imperatoris, qui victis in Hungaria hostibus: *magnum,* inquiebat, *opus egimus. Majus nunc restat: ut vincamus nos ipsos, atque avaritiæ, ultionique frenos imponamus.*

Beyerlinck apophteg. tit. victoria Æneas Silv.

Hoc Sapientis prolatum, & sacrum oraculum est: *melior est patiens, viro forti: Et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Si famulus durum & severum Dominum: ancilla protervam, querulam, rixosam heram: Discipulus iracundum, & plagosum magistrum: Subditus imperiosum, ac despoticum Prælatum, patienter toleret, animo suo imperet, passiones refrænet, *fortior est expugnatore urbium,* ac invictâ patientiâ victor evadit. Qua de virtute appositè D. Zeno, Veronensis Antistes, sermone de patientia: *Incertum est, utrum impassibilis judicetur, cum aliquid passa, quasi nihil passa sit, invenitur. Impossibile est, fratres, eius æstimare virtutem, cuius* VINCI VICTORIA EST. Et hanc veritatem agnovêre, & prædicavêre antiquitates Sophi, etiam vel ipso naturæ lumine; Plato libro quem inscripsit de legibus, ubi sic ait: VINCERE SEIPSUM, OMNIUM VICTORIARUM PRIMA ET OPTIMA EST. Romanus Philosophus; *nulla speciosior victoria, quàm virtute vincere.* Cujus rationem, hanc addit; BIS VINCIT, QUI SE VINCIT; Alios quippe omnes vincit in se. & insuper seipsum, quod maximè arduum: *multo seipsum, quam hostem superasse, operosius est,* inquiebat Valerius Maximus; sed quò difficilior pugna, eò nobilior victoria: & hæc ratio Quinti Curtii, quo judice, *eò clarior laus est, quò clarior ille quem vicerit.* At qui seipsum vincit, vincit hostem, tum naturæ dignitate, tum suæ redemptionis pretio, tum propria virtute, & Christiano nomine perillustrem. Quid, quod aureâ suâ eloquentiâ Tullius, talem Deo ipsi simillimum comprobat, dum sic ait: *nulla enim tanta est vis, quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangique possit;* AT ANIMUM VINCERE, *iracundiam cohibere, fortissimi est. Hæc qui facit, non modo ego eum cum summis viris comparo; sed* SIMILLIMUM DEO JUDICO. Hæc ubi ex oratore Romano (ut profanos mittamus) attulit Lactantius, tum subiicit: *vellem adiecisset de libidine, luxuriâ, cupiditate, insolentiâ, ut virtutem eius impleret, quem similem Deo judicabat.* Tum fortitudinem lacertorum, robur nervorum, vires quasvis humanas huic christianæ fortitudini, & victoriæ de seipso, longè concedere ostendit: *Non enim,* inquit, *fortior judicandus est, qui leonem, quam qui violentiam, in seipso inclusam feram, superat iracundiam: aut qui rapacissimas volucres deiicit, quam qui cupiditates avidissimas coercet: aut qui Amazonem debellatricem, quàm qui libidinem vincit, pudoris ac famæ debellatricem; quæ magis sunt perniciosa, quia domestica, & propria mala sunt, quàm illa quæ & vitari poterunt, & caveri.* Hæc lacteo suo flumine Lactantius, è quo, ut rivos ad singula vitia derivemus, audiendus eum primis D. Cyprianus, Carthaginensis Antistes: *Nulla* inquit, *major est victoria, quam ea quæ de cupiditatibus refertur.* Cujus causam hanc adfert: *qui hostem vicit, fortior fuit.*

Zenon. serm. de patientia

Seneca in Proverb.

Valer. Max. l. 1.

Curt. l. 6.

Cicer. orat. pro M. Marcello.

Lactant. lib. . div. inst.

Cyprian. de bono pudicit.

Quod ut pluribus probet, & commendet, sic prosequitur: *qui inimicum prostravit, externum hostem percussit, qui cupiditatem depressit, hostem domesticum superavit.* Accedit & illud, quod certamen forte facit vincentibus: *malum omne facilius vincitur, quàm voluptas: quia illud quidquid est, horridum est: illud vero blandum,* adeoque vinci difficillimum. Anima quæ hisce stimulis carnis fortiter obsistit, & de Venere victrix, ac de Cupidine triumphat, ipsum quoque impurissimum stygis tyrannum sibi, & mancipium subdit, victumque ac vinctum in triumphum ducit; in quo ratum illud & præclarum, quod subiicio. Puella Nobilis Burgunda, à malo genio, & diu, & graviter agitata impuris imaginibus, cùm ex hoc prœlio victrix evaderet, illud à Deo, ceu Agonotheta in præmiũ & signũ victoriæ accepit, ut dæmon eam,

Cyp. ibid.

Wadingus in annal. minorum. a. 18.

Dæmon puellam à qua victus, Dominam agnoscit.

Dominam agnosceret, & *Dominam* nuncuparet, eique etiam ad nutum pareret; fassus enim est, dicens: *habeo mandatum à Deo, ut quodcumque mihi præceperis, cum festinatione, sine morâ exequar;*

Quod cælo imperante, fecit vel invitus: si juberetur candelam accendere, ilicò ille: *parebo Domina*: si ostium obserare, *bene Domina*: si cubile everrere, *faciam Domina*; obtemperabat in omnibus ut *Domina*.

Et quidem semel opportunè; nocte enim quadam, cum à juvene procaci, & petulantiore, gravissimè vexaretur, nec esset ratio sese ab illo expediendi, erat enim sola, & sine teste, sine adjutore, memor divinæ promissionis: *Diabole*, inquit, *ubi es?* cui ille: *Adsum*, inquit, *O Domina, quid me vis? Ecce me, tantum impera.* Tum huic illa: *Libera me nebulone isto, qui mihi infestus est.* Morâ nullâ, paruit Dæmon, & juvenem pedibus arreptum, à puellâ, seu Dominâ sua, quam longissimè projecit. Sic illa & sui victrix, & impuri amasii, imo & tartari, gloriosâ victoriâ triumphavit. Compello hîc paucis fæminas, quæ, ut genius est ambitionis amans, agunt, & ardent, ut *Dominæ* esse, & nuncupari possint: noctes & dies, maritos urgent, ut quovis impendio toparchiam, Dominium aliquod emant, aut officium consulatus, consiliaratus, præturam, aut præfecturam, prece & prætio sibi procurent; idque ut *Dominæ* ab omnibus passim indigetari queant. Hodie omnibus ostendam, qua ratione titulum *Dominæ* sibi quisque mereari, & comparare, sancta quadam superbia possit. Omnes, si velitis, sine argento, etiam pauperes Moniales, si quæ gloriola quadam, nomen *Dominæ* ambiunt, supra omnes mundi *Dominas*, longe illustrius *nomen Dominæ* sortiri potestis, si hujus puellæ Burgundæ exemplo, carnem viceritis, & tartareũ luxuriæ hostem, in triumphum duxeritis.

Omnes Virgines, & domicellæ possunt dici, & esse *Dominæ*

Bern. c. 3. medit.

Quod fiet, si spiritus carni, ratio appetitui dominetur: Sic enim ratio erit *Domina*, & cupiditas *ancilla*; hanc autem dominari, & illam famulari, longe turpissimum est. Hic divi Hugonis sensus, hæc sententia est: *Dominam ancillari, & ancillam dominari, magna abusio est.* Quin imò, ut in omni politia notum est, dedecus, & probrum maximum, & turpissimum.

Hugo de Claustro Animæ.

Quod natura duce agnovit Plato, cum dixit: *vinci à seipso turpissimum est, & pessimum. Turpissimum*, quia infamis servitus. *Pessimum*, quia ut verè, licet gentilis Seneca: *hic interimitur, qui suis armis perit.* At qui vincitur à seipso, *suis armis perit*: quia perit suis cupiditatibus, quæ militant adversus animam, quæ & arma sunt, quibus ratio debelletur, & pars hominis superior in servitutem redigatur, quod probrum *turpissimum est, & pessimum.*

Plato. lib. de legibus.

Vinci, & servire cupiditatibus, turpissimum est.

Hanc vero servitutem à vitiis, dum hominem vicêre, & subdidêre, graphicè depingit Ambrosius: *servit omnis, qui auctoritatem non habet puræ conscientiæ: servit, quicumque metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mærore deiicitur. Servitus enim est omnis passio: quoniam* QUI FACIT PECCATUM, SERVUS EST PECCATI; *& quod pejus est, multorum servus est, qui subjectus est vitiis, multis se Dominis addixit, ut* SERVITIO *ei exire non liceat.* Nullus horum, jure & verè usurpare potest illud Psaltis Regii, & ad Deum sincero corde clamare: *Domine*, EGO SERVUS TUUS SUM; quia, qui sic servit, non est amplius suus, non Dei sed cupiditatis, & iniquitatis, cui servit; & hinc dicere non potest, quod olim David: *Tuus sum ego*; quæ sic ambrosiâ suâ facundiâ Mediolanensis Antistes exponit: *Satis rarus est, qui potest dicere Deo,* TUUS SUM. *Non potest dicere sæcularis,* TUUS SUM: *plures enim Dominos habet. Venit libido & dicit,* MEUS ES: *quia ea quæ sunt corporis concupiscis. Venit avaritia, & dicit,* MEUS ES: *quia argentum & aurum quod habes,* SERVITUTIS TUAE PRETIUM EST. *Venit luxuria, & dicit* MEUS ES: *quia unius diei convivium, pretium tua vita est. Venit ambitio, & dicit planè* MEUS ES: *nescis quod ideo te imperare aliis feci,* UT MIHI IPSE SERVIRES? *denique veniunt omnia vitia, & singula dicunt,* MEUS ES. Quæ ubi patheticé enarravit, epiphonematis loco subjungit: *quem tanti competunt,* QUAM VILE MANCIPIUM EST? Tale mancipium, orbis victor & domitor, à seipso, & effrænatis animi motibus victus, & subjugatus Alexander exstitit, de quo Romanus sapiens: *Alexander quidem Persas, Hircanos, & Indos & quidquid gentium usque ad Oceanum extendit Oriens, vastabat, fugabatque; sed ipse modò occiso amico, modò amisso, jacebat in tenebris, aliàs scelus, aliàs desiderium suum mærens. Victor tot Regum, atque populorum, ira, tristitiaque succubuit. Id enim egerat,* UT OMNIA POTIUS HABERET IN POTESTATE, QUAM AFFECTUS; qui illum, sui mancipium reddebant, & in vilissimam servitutem redigebant. Denique ut ille, qui se, & affectus, vincit, ipsum sibi cacodæmonem, ut diximus, mancipium subiicit; ita èeontra, qui ab iis vincitur, ejus servituti mancipatur, ut manifesto exemplo D. Ambrosius, in proditore Juda declarat, dicens: *venit, & introivit in eum satanas, & cæpit dicere:* NON EST TUUS, JESU; SED MEUS EST: *Ea quæ mea sunt cogitat, quæ mea sunt in pectore volvit. Tecum epulatur, & mecum pascitur. A te panem accipit, à me pecuniam. Tecum bibit, mihi tuum sanguinem vendit.* TUUS EST *Apostolus, &* MEUS *mercenarius.* MEUS *est, mihi servit,* MEUM *mancipium est.*

Ambr. in psal. 99.

Psal. 118.

Amb. in psal. 118.

Seneca ep. 113.

Ambr. in Psal. 118.

Vinci, & servire cupiditatibus, turpissimum est. Non sic *Ursula*, non sic virgines Sociæ, quæ sæculũ & sexum vicerunt, quin & de ipso tyranno ac cacodæmone, sanguine purpuratæ ac liliis coronatæ triumpharunt.

Non est quo quis sibi animos, robur mentis, & corporis vires esse diffidat, ut cum Christiana hac Penthesilea *Ursula*, armatis Barbarorum cuneis se inermem obiiciat, & pro Christo sanguinem fundat. Docebo vos, quo modo, *sine* sanguine Martyres esse valeatis. Hoc imprimis Mellifluus Doctor tradit: GENUS, inquit, MARTYRII EST *spiritu facta carnis mortificare; illo nimirum, quo membra caduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.* Indies, per menses, & annos, & vitam omnem, secum & cum carne dimicare, & semper vincere, stimulos effervescentis juventæ reprimere, ac triumphare, MARTYRIUM *est sine sanguine.* Non

Quomodo cum Ursula certandũ & vincendum ut Martyres esse possimus.

Bern. serm. 1. in cœna Dom.

Aug. serm. 190. de temp.

Non est itaque, quod quis dicat: *temporibus nostris* MARTYRUM CERTAMINA *esse non possunt: habet enim pax nostra* MARTYRES *suos: nam libidinem fugere*, PARS MAGNA MARTYRII EST. Atque his velut liliis inter spinas, non minus quam rosis gloriatur Mater Ecclesia, magno teste Gregorio: *Probamus*, inquit, *quotidie quod ante nos dictum est: quia Sancta Ecclesia, electorum floribus plena, habet in pace lilia, & rosas.* Animæ à fuso, Christi causâ, sanguine, Rosæ sunt, purpureæ totæ, rubicantes totæ, & hæ rosæ parent, acnitent in bello, hoc est inter equuleos, & catastas, cruces inter, & rotas, ferrum inter, & rogos. Et hæc est, quæ Athletis istis conceditur de tyrannis victoria; sed audeo dicere, par illi, & fortè major, quæ à sui victoria: Majus enim est seipsum vicisse, quàm alios quosque In hoc quippe brevis plerumque pugna ad diem, & horam; *in illa diuturnitate molestius.* Ejusmodi sunt lilia, quæ dum in hac mortali carne existunt, non reperiuntur, nisi inter spinas, hoc est, non nisi inter acriores insurgentium passionum aculeos, ut melleo more suo Bernardus: *Donec in carne est anima, inter spinas profectò versatur.* Ac tandem exclamat: *O candens lilium! O tener, & delicate flos! Increduli, & subversores sunt tecum: Vide quomodo cautè ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis in terrâ sunt, in aere sunt, in carne tua sunt:* à quibus, si animus nil læsionis, nil vulneris patiatur; sed generoso pede calcet, & conterat, ille sui, & carnis, nobilissimus victor rtiumphat. Tu filia, candens lilium, & delicatus flos es, subversores sunt tecum: certamen ubi forte est, sed non occumbes, nisi velis: petulans procus omnem artem, & martem adhibeat, ut pudicitiam expugnet, lascivus servus solitariam ancillam; infamis mœchus integerrimam puellam, omni vi violare nitatur; si certet, victrix evadet. Quod judicio quodam Salomonico declaratum, comperio.

Greg. hom. 35.

Bern. serm. 48. in cant.

Puellam non vinci nisi velit, judicio Salomonico comprobatur.

Puella apud Judices questa est, sibi à juvene vim illatam, & pudicitiam expugnatam. Negat juvenis, & mentiri infamem pellicem asserit: Judices sic rem decernunt, ut juvenis crumenam 100. aureis refertam, postero die in judicio puellæ daret; quam si posset, illi exeunti eriperet, sibique servaret; at illa tam validè repugnavit, ut pecuniam ab ea extorquere nulla vi potuerit. Tum judices, sententia lata judicarunt, illam in flagitium consensisse, dicentes: *Si tam potenter & violenter pro integritate, quam pro crumenâ asservanda decertasses, nemo pudicitiam tuam expugnasset.* Pro qua tuenda, tot teneræ, ac nobiles Virgines ad sanguinem decertarunt; quæ licet victæ, ac prostratæ, mundum & carnem, ac diabolum vicerunt, ac nobilissimè triumphârunt. Quod ne vobis arduum, ac molestum videatur, purpuratus Martyr, & Doctor egregius, etiam jucundum & volupè esse declarat: *virginitas est* VOLUPTATUM TRIUMPHUS: *voluptatem enim* VICISSE, *maxima voluptas est.* In aliis victoriis, hostibus fortiores sumus; sed in certamine virginitatis, nos ipsi fortiores: & meritò gloriari quis potest, nil superesse vincendum, dum caro & sanguis, & nos ipsi victi sumus: *qui hostem vicit, fortior fuit; sed altero, qui libidinem repressit, seipso fortior est.* Quare sapienter non minus, quam piè pronuntiavit, Gregorius, & sui, & aliorum imperio maximus: *Discamus* VINCERE NOS IPSOS; *quod si perfectè agimus, unà* CUM MARTYRIBUS, *gloriâ remunerabimur: nam quamvis occasio persecutionis desit; habet tamen & pax nostra* MARTYRIUM SUUM: *quia etsi carnis colla ferro non subdimus, spiritualis tamen gladio, carnalia desideria in mente trucidamus.* Martyres olim faciebat, execranda crudelitas tyrannorum; hoc novum Martyrii genus, sine crimine carnificum est, & persecutorum; imo cum gloria, & emolumenro est, ut cum perisse, ac omnia perdidisse videntur, tunc fortunam auream, & sortem beatam consecuti sint. Themistocles Athenis primum, tum universa ex Græcia quoque pulsus, cum sese ad Persarum Regem recepisset, magnis multisque muneribus à Rege magnificentissimo locupletatus, suos alloquens, exclamat. *O pueri! Perditi eramus, nisi periissemus. O Ursula!* O nobiles, ac divites filiæ! O Sponsæ Christi; Patria exrorres, exules, profugæ, omnibus fortunis exutæ, in Anglia, in medio gentis pravæ, inter idololarras, & quod non infimum virginibus bellum imminet, inter delicias, inter opes, & divitias, inter procos, & carnis blanditias, *perditæ eratis*, nisi inter hostium furores, inter tyranni sævitiem, inter spicula truculentæ mortis *periissetis.* Compello vos Auditures, quot pauci forte in animum induxerint: quot putatis, *perditi fuissent, nisi periissent?* Quot putatis nunquam salvos futuros fuisse, nisi diuturno morbo, dentium, capitis, calculi, podagræ doloribus divexati? *Sancti non fuissent*, ut loquitur Salvianus, *si sani fuissent*, perierant, nisi corporis sanitas periisset. Dolet mater unicam prolem, baculum senectutis, præmatura morte sublatum; interim benignâ Dei providentiâ, *raptus est, ne malitia mutaret intellectum*, & in reprobum sensum daretur: *Periisset, nisi periisset.* Puella, specie & formâ perquam venusta, mille petita procis, variolis, aliove malo deturpatur, deserta & despecta ab omnibus, sæculo valere jusso, intra Religionis claustra, se totam Deo consecrat: *Perierat*, nisi forma, fallax gratia, & vana pulchritudo *periisset.* Novi viros nobiles, opulentos, quorum liberi divitiis, & deliciis affluebant, nil divinum, nil æternum sapiebant; patente inopino fato sibi erepto, cœpisse retrò respicere, cælestia spectare, æterna sectari, ac omnibus fortunis, ac sæculo nequam sprero, monasticam vitam amplexos fuisse. *Perierant*, nisi parens *periisset*; & ut absolvam, non modo undecim millia, sed undecies centena millia perdita fuissent nisi sic periissent.

Cyprian. de bono pudicit.

Cyprian. ib.

S. Greg. hom. 3. in Evang.

Plutarch. in Apophtegmat.

Morale. multi perditi fuissent nisi periissent.

Salvian l. 1. de provid.

Sap. 4. v. 11.

(*,*)

§. II.

Gloriosa S. VRSULÆ Victoria, eiusque, ac sociarum splendidissimus, qui unquam exstitit Triumphus.

Victoria ac triumphus Sanctæ Vrsulæ, & sociarum longè splendidissimus.

PRæcipuos inter militantis Ecclesiæ Heroës, ac invictissimos triumphantis Jerusalem Athletas, neminem ab orbe cōdito nobiliorem ac splendidiorem triumphum duxisse comprobabo, quàm in suo genere, cum suis undecim Virginum Chiliadibus, *Vrsula* ductasse perhibetur. *Omnibus bellis*, teste Sigeberto, & Bellnacensi *famosius fuit bellum, quod candidatus Sanctarum XI. millium Virginum exercitus bellavit* DUCE URSULA. Cùm tamen ea mihi nec memoriæ felicitas, nec dicendi facultas, ut quæ in singulis præcellucre virtutum decora exornare, ne vel nomina valeam enarrare, in arcto positus, ingeniosum peritissimi artificis commentum æmulari statui. Ferunt Principem extitisse, qui artifici ad se accito, ingens pretium adpromisit, si *D. Vrsulam cum XI. millium* comitatu, gemmæ, quam fortè in annulo gestabat, scitè & perpolite insculperet. Hic omnem artem, industriam, torosque animi ac corporis nervos impendendus addixit, hac solertiâ usus: Civitatem regiam cælavit, præaltis mœnibus, & turribus cinctam, ac variis plateis distinctam; duas vero urbis portas, signanter expresserat; ex quarum unâ, *Vrsula* liliis redimita, cum palmâ in manu progredi; ex alterâ oppositâ, alia consimilis Virgo procedere videbatur. Opere expolito, Principem adit, qui cælaturam, & artificium in tenui laudabat, & mirabatur; sed & unâ indignabatur, quod intentum suum artifex minimè affecutus fuisset, & ut conditum fuerat, ipsas XI mille Virgines, sigillatim non effinxisset, cum duæ dumtaxat conspicuæ essent, ceteræ non apparerent; cui, non minus mente, quam manu promptus, artifex solerter respondit: omnes XI. mille comprehendi; sed domos, & prealtra mœnia obstaculo esse, quò minus singulæ conspicuæ forent: Hanc, inquit, quam cernis portâ egredientem, *Dux Vrsula* est; reliquæ eius sociæ per plateas, longâ serie distributæ sunt; agmen claudit, quam in adversa urbis porta stantem vides, *Cordula*. Atque huic responso, cum aliter non posset, Princeps acquiescere coactus est. Ita si vobis XI. millium agmen *ducem Vrsulam*; postremam vero *Cordulam*, per transennam exhibuero, ceteras ordine subsequentes, jam intra Cælestis Jerusalem muros, receptas cogitate.

P. Paul. Barri devotion a. S. Vrsule pag. 81. Ingeniose S. Vrsula cum sodalib. in gemma sculpta.

Actorum cap. 2. Princeps Apostolorum *Petrus*; ardens ille Christi amator, non humanâ, sed prorsus divinâ facundiâ præditus, primâ, quam ad populum concionem habuit, eo spiritu dixit, eo fructu peroravit, ut *tria millia hominum* ad Christum converterit; & alterâ non minus fervidâ, alia *quinque millia*, sub dulci Jesu jugo in triumphum duxerit, quod admirans Cornelius noster: *vide* inquit, LINGUAM IGNEAM *Spiritus sancti, per os* PETRI *jaculantem* IGNEA VERBA *quasi tela, quibus totum Auditorum cœtum, amore Christi incendit, & inflammavit.* Sed fuerit sanè, ut Abbas Iguiacensis loquitur, *prorsus* IGNEA LINGUA PETRI. *Vrsula* certè connumero minimè contenta, uno die divina sua suada, & potenti paræneſi (quam apud Bonfinium videre est) 11000. animarum Christo lucrifecit, eo successu, ut nulla è tanto numero defecerit, aut in fide vacillarit, cum ex iis quos D. Petrus convertit, nonnulli pedem retulisse, & turpiter defecisse referantur. Adducet quis fortè unicam *Cordulam* tormentorum metu exterritam; sed hæc intra 24. horarum spatium, resumptis animis, se tyranno impavidam stitit, & sanguinem fudit. Quin & minus mira videri posset ea octo millium, sub ipso exordio Ecclesiæ, conversio, calente adhuc Christi sanguine, ac Apostolo, signis ac prodigiis variis fidem verbis faciente; at quatuor propè sæculis ab adventu Domini devolutis, *Vrsula* hoc palmare opus præstitit, voce sic usa pro tuba: Illuxit dies optatissima, sorores mea, quâ elapso ab hinc triennio, sponsus meus *Iesus* pronuntiavit, qua vobiscum ego, lectissima 11000. Virginum phalanx, eiusdem sanguine & vita, " fidei & virginitatis amorem restatura. Divi- " no, non humano collectæ estis consilio, non " è Britannia solum, sed ex Europa, Asia imo ex " Africa, multæ vestrum divinis oraculis, ex " dissitis maximè regionibus, ad hanc palæ- " stram Colon. estis evocatæ. Placuit etiam di- " vinæ bonitati, solatium itineris, & auxilium, " tot sanctissimos Præsules ex Europa, & Asia " evocare: Nam Meldensem ex Gallia, Bizan- " tinum ex Græciâ, Lucensem & Ravennsem " ex Italiâ, Sanctissimum D. Cyriacum Ro- " mâ, internuncius cælitibus, vobis asciscavit, " jam ante de martyrio nostro cælitus admoni- " tos. Adest sponsus mihi dilectissimus, cum " marte, sorore & aliis, simili oraculo, divinitus " ad hunc agonem nobiscum decertandum in- " vitatus. Agnoscite sorores, agnoscite divini " ergo nos favoris magnitudinem, cujus infinita " bonitas, quam plurimos è gentilium errorum " caligine, ad lucem fidei Christianæ eduxit; " tum è Patriâ secundis ventis, remigibus ange- " lis, per mille pericula, medios inter hostes, " salvas & incolumes servavit. Nulla nos cor- " poris ægritudo afflixit, nulla membrorum de- " fatigatio tetardavit, quominus per ardua al- " pium cacumina, summâ animi gestientis hila- " ritate, & pedum pernicitate, per occurrentes " fluvios, soli instar sub plantis solidatos, nulla " difficultate, tædio, aut formidine, omnes un- " decies mille, quotquot Britannia unà excessi- " mus, auctæ omnium nationum asseclis, om- " nes inquam, ut promiserat, incolumes stitit " Coloniæ. Quoties Deiparam, itineris ducem " aspectabili formâ nos animantem vidimus? " Quoties aërem Angelicis mentibus refertissi- " mum, ad labores fortiter exantlandos, audivi- " mus adhortantes? Nunquid iisdem usæ meta- " roribus sumus? & an quidquam nobis nun- " quam defuit commeatus? Agnoscite sorores, " agnoscite divinæ erga nos beneficentiæ magnitudi-

Act. 2. v. 41.

Act. 4. v. 4 Corn. in Acta c. 2. v. 41.

B. Guarricus. serm. 2. in feast. Barri la devotion à S. Vrsule. c. 3.

S. Vrsula plures suâ suadâ ad Christum traxit, quam Petrus Act. 2. & 4.

Oratio S. Vrsule V. Bonfin. Cromb. p. 387.

Vrsula cum suis divino auxilio, & angelico præsidio munita

,, nitudinem,atque ut vices ei pares referatis, ,, satagite. Reddamus animam creatori, à quo ,, donatam accepimus. Reddamus vitam Spõ- ,, so,qui suam pro nobis posuit,ut statim im- ,, mortali fruamur, & tot millibus una die cæ- ,, lestem virginum cœtum augeamus,ac sequa- ,, mur Agnum,pro nobis occisum, canticum ei ,, novum accinendo. Præivit Dux, & Sponsus ,, noster *Iesus*: secutæ sunt eum tot virgines ,, castissimæ, Cæcilia, Martina, quarum sacras ,, exuvias Romæ veneratæ sumus: Præivit Fla- ,, via Domitilla, Theodora, Euphrosyna, igni- ,, bus amore Sponsi nostri concrematæ, & aliæ ,, innumeræ, pari sexus fragilitate, quæ nos ,, pariter ad Martyrii, & virginitatis lauream ,, invitant, ut ad nuptias Agni, cum illis ad- ,, mitti valeamus. Irruent jam rabidi leones, irruent lupi immanissimi in vos agnellas, spõ- ,, sas cælestis Regis innocuas. Cervices porri- ,, gite, pectus sagittis aperite, membra præbe- ,, te laniand: Cupio, sorores meæ, dissolvi: ,, cum Jesu sponso meo hac horâ vobiscum es- ,, se cupio. Nemo expavescat, adetit Salvator; ,, hoc unum oro, ut omnem eius hic facer conser- ,, vetur; nec unius inertiâ, undenis millibus ul- la Sponso cælesti eripiatur; ut ei sistenda, dice- re queam: *Pater quos dedisti mihi, non perdidi ex iis quemquam.*

Ioan. 18.

Talibus, & similibus, cum se, & Socias ad constantiam animasset, ipsa è navi prima vex- illum crucis extulit cum Sponso Etherio, quam undecies mille virgines curriculo è navibus exilientes, hilari & exporrecta fronte, quasi ad epulas, festinanter consequuntur, *Iesum* spon- sum animis, *Iesum* lingua resonantes. Et ne telo cupidinis violarentur, casta pectora ad Barba- rorum intentos arcus, & jugulum ultro offe- runt. Tanto potentior, ac præstantior hæc *dis- sertissima Vrsula* fuit peroratio, quod non ad fi- dem dumtaxar, ut D. Petrus, sed (quod certò prævidebant, hoc ipso quo in verba *Vrsula* ju- rassent) ad mortem oppetendam, & per exqui- sita tormenta sanguinem fundendum, ad u- nam omnes, ad undecim mille induxerit, & gloriosè triumpharit; cum nullus carnifex, eo- rum quos D. Petrus convertit, jugulo laqueum aut sicam lateri admoveret. Quis satis admi- retur insigne illud Dominicanæ familiæ decus, Vincentium Ferrerium, *cuius oratio erat tonitru- um, quia vita fulgur*? Hunc constat Judæorum viginti quinque millia, totidem ferè Saraceno- rum, intra decem & octo annorum spatium, se- mentem verbi Dei faciendo, Christo reconci- liasse. Inauditum propè à sæculo; sed an huic viro fœminam *Vrsulam* concedere arbitramini? Hæc non nisi duarum, aut trium horarum in- tervallo, ex gentilitatis, & idolatriæ nocte, no- biles ac nubiles Virgines ad 11000. non modo ad orthodoxæ fidei lumen perduxit, sed & car- nis deliciis, & mundi divitiis spretis, illibatum virginitatis florem Christo Sponso dicare per- suasit: quo in genere, *Vrsula* nec habere similem visa est, nec habere sequentem; viginti porro, aut 30. annis, quibus hoc sæculum stetit, nullus divini verbi Ecclesiastes, aut disertissimus ora- tor, suâ dicendi facultate effecit, ut vel mille dumtaxat virgines, ejusmodi conditionis in- duxerit, ut omnes de conjugio cogitationes abjicerent, & ad virginalem castimoniam pro- moverit. Hoc potuit, & præstitit doctrix, ac magistra *Vrsula*, non mille, sed 11000. Virgines Christo Regi adducendo. Magnis alii, & jure merito, laudibus, & miris encomiis in cælum extollunt magnum illum Indiarum Aposto- lum Franciscum Xaverium, qui novo orbi, fi- dei facem accendit, atque intra decennium quo illis in regionibus versatus est, supra de- cies centena millia Christo lucrifecit, & sacro fonte lustravit. At *Vrsula* non decennio; sed vix decem dimidiatis horis 11000. non aquæ, sed sanguinis baptismate tingi fecit. Quid re commemorem, invictissime heros Mauriti? an cum fortissima heroinâ te ausim comparare? Numquam felicius tua legio Thebæa pugna- vit, quam cùm detrectavit pugnam, & glorio- sius arma imbuerunt, & pulchrius suo, quam hostili sanguine: satius putastis cadere, quàm cedere. Nempe quisque vestrum, fulmen erat belli; vim hoc non ostendit, nisi dum cadit. E- ductum est sortito nomen ex urnâ, felix habita est sola Sors necis. Hoc unum timuit virtus, ne fieret exsors; aleam vitæ lætum putastis lusum: decimus quisque necari jussus, hoc sibi visus est consequi, quod quasi decumanos superaret fluctus. Duxisti in triumphum Mauriti, sex mil- le, sexcentos, sexaginta, suo sanguine purpura- tos pugiles; omnes in tel gione Martyres, sed non Virgines; *Ursula* nobiliori sorte beata, non decimam quamque sortito, ad mortem rapi, sed omnes ad 11000. atque has simul & marty- res, & virgines, duplici palmâ ac laureâ trium- phantes.

Greg Naz. de S. Basil. Surius. Fasti marian.

Vrsula plures ad Christum adduxit, quam alii præstantissimi Sancti.

Nunc à viris, ad bellatrices fœminas, & Christianas Amazones veniamus. Vetustis sa- crarum historiarum annalibus celebratur mater septem Machabæorum, quæ ante ocu- los suos, inauditâ carnificinâ, vidit charissima pignora sua crudelissimè necari; quam sermo- ne ambrosio & melle manante extollit Medio- lanensis Antistes: *Stetit invicta septem puerorum cohors, regis cincta legionibus. Defecerunt supplicia, cesserunt tortores, non defecerunt Martyres. Alius co- rium capitis exutus, speciem mutaverat, virtutem au- xerat. Alius linguam jussus amputandam promere, respondet, non solos Dominus audit loquentes, qui audiebat Moysem tacentem. Lingua flagellum times, flagellum sanguinis non times? Habet & sanguis vo- cem suam, qua clamat ad Deum, sicut clamavit in Abel, &c.* & hæc ante ora parentis agebantur; unde sic pergit. *Quid de Matre loquar? quæ specta- bat læta filiorum quot funera, tot trophea, & mori- entium vocibus tamquam psallentium cantibus delec- tabatur.* Simile, aut geminum in novâ lege dedit spectaculum insignis robore, & virtute matrona *Sancta Felicitas*, de qua magnus Gre- gorius: *Beata Felicitas, septem filios sic post se timuit vivos in carne relinquere, sicut carnales parentes so- lent metuere, ne mortuos præmittant. In persecutio- ne enim labore deprehensa, filiorum corda in amore supernæ patriæ prædicando roboravit, & parturivit spiritu, quos carne pepererat. Considerate in fœmineo corpore virile pectus. Aspexit mater & cruciata, & imperterrita, filiorum mortem: timuit viventibus, gavisa est morientibus: Optavit nullum post se relin- quere,*

Vrsula ante Christianas Amazones excellit.

Amb. lib. 1 offic. c. 41.

Gregorius hom. 3 in Evang.

quere, ne quem haberet superstitem, non posset habere consortem. Non ego hanc fœminiam martyrem, sed plusquam martyrem dixerim, quæ septem pignoribus ad regnum præmissis, tot ante se mortuos transmisit.

Aliud spectaculum dedit *Ursula*, quæ longè teneriori affectu filias ad 11000. quas Christo genuerat, & christianæ fidei lacte nutrierat, complectebatur, quàm ulla mater naturales infantes; luna simul, & lucina fuisti, quæ tot cælo peperisti. Has tamen omnes ante oculos suos, non modo variis suppliciis, sagittis confingi, vectibus ferreis capita comminui, gladiis percuti (ut ex mortuarum corporibus, infixis etiamnum sagittis, & excussis cerebris, aliisque plagis inflictis, Coloniæ cernere est) ipsa intrepida spectavit; sed ad ea fortiter, & viriliter subeunda animavit, ne quam degenerem post se relinqueret. *Princeps ille Hunnorum, astutiâ circumventus diaboli, agit ut sociæ virgines, sociique & sodales viri, prius sub B. Ursula interimantur præsentia.* Quid, quod Reges qui comitatui Ursulano se adjunxerant, & duces, ac matres, quatuor, quinque, sex, septem liberos ultrò Christo immolandos offerebant. At quis assequatur, quâ constantiâ parvulos suos animarint, qua exultatione sibi præmiserint, ut de eorum securi triumphis, læti parentes sequerentur. Hic *Gerasina*, Regina Siciliæ decennem *Adrianum suum*, & filias suas quatuor, *Auream*, *Victoriam*, *Babylam*, *& Iulianam* nova Machabæa obtulit. Ibidem *Eustachius* Comes cum uxore *Sibilia*, sex ante se filias jugulandas præmiserunt; reliquos tamen omnes *Pipinus Rex* cum uxore *Margarita* superavit, qui non tantum quatuor filios, & tres filias; sed horum etiam progeniem, undecim liberos nepotes suos, cum omni stirpe, Deo holocaustum gratissimum immolarunt: ut nemo unquam magis pro familiæ suæ æternitate laborârit, quam *Ursula*, & ejus asseclæ invigilarunt, ne quis ex omnibus posteris superesset, quem non ante securi cælo præmisissent.

B. Hermannus c. 20. Crombach p. 369. Ibid.

Denique, ne longior sim, omnes eloquentia in *Catharinam* Virginem Senensem jaceret flores, nisi magis amasset, quibus redimita caput spinas. Pallida placuit sponso purpureo; sed mirum, quod cum esset in amore tam firma, nihil habuerit corde mobilius. Hoc ei proprium fuit subsilire, exilire; cum se ferreis captivam fecisset vinculis, cor tamen impatiens fuit carceris, quia totam à se *Catharinam* traxit ad ipsas inferni portas, ut interjectu corporis sui, peccatores arceret, & flammis subduceret sempiternis;

Votum in amante novum.

Ovid lib. 3 Metam.

At *Ursulæ* vertex non spinis redimitus, sed tot resplenduit radiis, quot confixus sagittis: & quod *Catharina* in votis habuit, hoc URSULA reipsâ præstitit, dum tot millia Virginum ex diabolicâ tyrannide, & faucibus orci eripuit, ac paradiso triumphabundas inseruit. Nec undecim dumtaxat millia Virginum, sed quod nulla unquam vetus, aut recens habet historia, quod nulla vidit antiquitas, nec ulla visura, sed admiratura posteritas, cum hoc virgineo exercitu, *Duce Ursula*, passi sunt, qui se iis adjunxerant, *Cyriacus Papa*, Cardinales quinque, Patriarchæ duo, Episcopi novemdecies, præter Sacerdotes, & Clericos varios à confessionibus. Reges numerantur viginti, filii Regum totidem, Reginæ duæ & viginti, Regiarum filiarum non est numerus. Longumque esset Principes, Duces, Comites, ac viros nobiles recensere. Quæ qua fide, & auctoritate nitantur, videre est apud Hermanum Crombachium, Petrum Lintrensem, Myræum, B. Cumbertum, Thomam Cantipratanum, Genebrandum, Jacobum de Voragine, aliosque; unde quidam asserunt, *numerum horum Martyrum, cum Virginibus, conficere ad triginta millia, prout in gestis Pontificum Leodiensium comperitur conscriptum.* Cardinalis Gurcensis anno 1564. in diplomate suo extendit ad 40. millia, quod aliis discutiendum relinquo.

Qui, & quot, in comitatu Ursulano fuisse traduntur.

Crombach lib. 5 c. 32. 38. Petr Lint. Doctor Theolog. in disq. Myræus in disq. de Virg. Colonien. Iacobus de Voragine legenda aurea.

His tandem extremum, qui restabat, actum *Ursula* imposuit, *quæ spectarat læta, quot funera, tot trophæa.* Strage jam cruenta peracta, solam superstitem *Ursulam*, tyrannus speciè illius captus, blanditiis & muneribus flectere satagebat; sed adamantinum pectus virago apposuit, ne cupidini cederet cæco, tot stellis ceu oculis, quot virginibus cincta. Quare rabie ac furore percitus, illam sagittis configi jubet. Hoc cæteris virginibus, ac martyribus felicior, quod tot Præsules Europæ, & Asiæ, tot Reges, tot millia Virginum, verbo, exemplo, & consilio, Christo præmiserit Martyres, adeoque tot testium sanguine, fidem, & virginitatis decus confirmarit. Hortatur & vos sanctus Maximus hac potenti parenesi: *Discite Virgines Christi, normam puellaris exempli, & oblata sub specie pietatis, virorum munuscula, tota intentione respuite, & quasi rabidi canis morsus, omni studio recusate. Discite Virgines Christi, amorem in puellâ ferventem, & omnes mundi divitias, velut stercora recusantem. Ideo enim Sanctorum per litteras, traduntur exempla, ut unusquisque pro qualitate sexus, & pro ætate annorum, modum sui propositi teneat.* O Ursula! *Luna* simul, & *Lucina* fuisti, quæ tot cælo peperisti. Præclarè de luna sensit *Secundus* Philosophus, qui ab Adriano Imperatore rogatus, quid esset LUNA: Respondit: *Cæli purpura solis æmula, solamen iter agentium.* Apuleius de Deo Socratis: LUNA, inquit, *est noctis decus.* Ptolemæus de viribus plantarum differens, LUNAM *dicit stellam beneficam*, ut omnes experimur. Georgius Venetus, LUNAM, *sponsam Solis* appellat, à quo omnes favores, & gratiarum influentias mutuatur; quæ omnia excellentiæ encomia, eminenter transcendis, & supergressa es universa. Argos hic nos omnes pervelim, ut tot oculis, quot illa stellis circumdata, eam contemplari valeatis: *Quid* LUNA *pulchrius?* exclamat Cardinalis Damiani: *Considera quàm stellarum, & serena vibratio, quàm luminosus fulgor circularem* ORBEM TANTI SIDERIS *superfundat. Quamvis* STELLÆ *reluceant*, LUNA *tamen & magnitudine præminet, & splendore.* De te *Ursula*, jure usurpare possum, quod Venerabilis Beda de Ecclesia prædicavit: *Pulchra ut* LUNA, *in nocte vitæ præsentis despecta, atque oppressa, virtutum candore plena:*

Ad hortatio ad Virgines exemplo Ursulæ. S. Maxim. serm. de S. Agnete.

Encomia lunæ, cui S. Ursula comparatur. Ptolemæus Harmon. mundi cant. 1. tom. 1. cap. 38.

Petrus Damian. ser. de Assumpt. Virg.

Beda in Cant. 6.

quia

quia nullis adversitatum nebulis potuit unquam cobiberi;quin & LUNÆ in se pulchritudinem pramonstraret. Verè de te Apocalypticus ille Vates pronunciavit,argenteam hanc lunam, convertendam in sanguinem,nam ut apposite Bernardus: *Quis Sanctorum chorus,melius LUNÆ comparatur,quàm Virgines?honorabuntur pra ceteris, sicut LUNAM videmus pra CETERIS SIDERIBUS eminere.* Defectum hic pati visa es, & mortaliû oculis obscurari; sed numquam plenior fuisti, & clarior,quàm oppositione cælo solis; accidit tibi,ut solerter observat Doctor Seraphicus, *quod LUNÆ, qua quando mundo tota est obscura, & ab hominibus dicitur esse nulla; tunc versus cælum, tota est luminosa.* Haud aliter, Auditores, hic usuvenire solet, quando luna,id est homo, est conjunctus,& propinquus per gratiam soli, id est Christo,tunc verè,ex parte cæli, id est, quantum ad bona spiritualia,& æterna, recipit illuminationem,scilicet gratias,dona,virtutes, & merita.Sed pro certo tunc temporis perdit lumen à parte terræ,id est mundi prosperitatem, quia ut inquit Hieronymus: *Non est possibile, ut homo in calo,& in terrâ appareat gloriosus.* Tu itaque LUNA,ut cum Ambrosio concludam, *decor noctis,mater roris,lumen à sole mutuans, ipsumque modo speculari ad nos refundens,* illumina tenebras nostras,cælestis roris suffusentias,animis nostris instilla. *Tu stella benefica,& sidus terra familiarissimū,* quæ in alios largiter,in nos quoq; cælestiū donorum beneficia confer. *Tu noctis decus, solamen iter agentium,* in umbra mortis,& in itinere æternitatis,benigno tuo favore præluceas, & ad beatam Patriam securos deducere, ne desistas.Ita nos sperare jubet Petrus Confluentinus,è sancti Dominici familia:hic in gravi carnis,cum spiritu lucta, *Ursulam,* quam peculiari cultu venerabatur,cum duabus sodalibus,sibi auxiliatricem in certamine spectavit, & habuit, ut victor evaserit; jamque in extremo vitæ confinio,& disparis æternitatis bivio, exuberantis animæ lætitia, in risum amœnissimè solutus, cum à Confessario adstante causam rogaretur, renidenti ore exclamavit, *ego non rideamecus occurrit* S. URSULA, *cum universo Virginum agmine,qua animam meam jam educendam hoc carcere excipiat,& cælis inserat:* his dictis, placidissimè expiravit. Idem beneficium meruit Leonardus Capucinus,sæculo superiore , qui ab ipso vitæ melioris exordio,summa sibi pietate statuit, *Ursulam* cum suo Virginum comitatu colere; Quarto Religionis anno, in morbum lethalem incidit,jamque extremis Sacramentis ritè perceptis , affusâ Fratrum coronâ, repentè animo exhilaratus, adstantes his vocibus eompellat: *Eia fratres,date huic beata Societati locum;an non gloriosam Dei Virginem, cum turba Virginum appropinquantem cernitis?* In alios innumeros,hujusmodi, aliaque,quæ in clientes suos contulit beneficia, luculenta, ut ex dicendis patebit, exstant testimonia: quare eam nobis Patronam tutelarem,in quavis necessitate auxiliatricem,omni affectu,cultu, ac veneratione demereri,ac devincire connitamur.

Bern. de conversione c. 31.

Bonav. ser. 1. de Antonio de Padua.

Hieron. epist. 8.

Ambr. in hexam.

Plin. l. 2. cap. 9.

Ursula patrona in omnibus adversis invocanda.

Leander Pius l. 1.

Bzovius annal.

Crombach p. 809.

Cali Empyrei Pars II.

§. III.

Praxes varia colendi SANCTAM VRSULAM, *ejusque sodales Virgines.*

Praxis 1. Usus Rosarii undecim millium Virginum, jam inde à quadringentis propè annis usurpata.

Hanc priusquam vobis tradam,probandum est,præter viros Apostolicos, mulieres conjugatas,& viduas,numerum illum 11000. Virginum,Sanctum,& inviolatum haberi. Virgines has integerrimas,numerum undecim millium æquasse, pervetustæ traditiones Regionum, per quas *Ursula* cum Sodalibus suis peregrinata est, ut Basileæ, Agrigentinæ, Coloniæ, Rheni, ita tenaces fuerunt hujus numeri, ut iter earum, festum, historia, fuerit tantummodo *undecim millium virginum* nominata. Eundem numerum S. Cunibertus, post annum 600. historiæ suæ inseruit, & cælitus S. *Ursula* mandatum asserit. Suffragantur vetustissima Martyrologia. Beda in Martyrologio: *In Colonia; Sanctarum Virginum undecim millium.* Idem confirmat Breviarium Romanum ann. 1550. Pontificia auctoritate recusum. Cæsarius, Altisiodorensis, Vincentius Bellovacensis, Cantipratanus, & multi summi Pontifices eundem numerum in erigendis sodalitiis expresserunt. Ita Paulus V. ann. 1611. Coloniæ Congregationem S. Ursulæ, & 11000. instituit , & confirmavit. Hunc exercitum, cælestis Imperator, *qui numerat multitudinem stellarum* hoc certo numero habere voluisse, facile intelliget, qui attenderit illud , quod in vetustissimis manuscriptis, ante mille & centum annos exstat hoc titulo: *In natali* SANCTARUM VIRGINUM UNDECIM MILLIUM; quem numerum probaturus, ait: *Possibile autem, & omninò facile fuit illi , qui credentibus etiam omnia possibilia fore promisit, & dedit, hoc quoque modo in solis virginibus , si vellet, mirabilis cūctis gentibus, & populis innotesceret. Nam humanitatu fragilitate circumdatus, plusquam duodecim legiones Angelorum exhibendas sibi à Patre potuit obtinere, cum Patri ad sequendum se agnum immaculatum, minus quàm duodecim millia Virginum non potuit exhibere ?* Nec quisquam hunc numerum inficiabitur, cum *Amazonum Regina,* Justino teste, *cum trecentis millibus mulierum, Alexandro Macedonum Regi occurrerit, cujus aspectus admirationi omnibus fuit.* Nemo tamen nec tunc, nec modò, multitudinem illarum (quas constat olim Asiano Imperio suo subjecisse) neque robur animi, per tot itinera, & tot discrimina rerum miratur, quas inter , multa virginum millia fuisse, nemo dubitavit ; sed mittamus gentilium annales, qui fidem apud multos repererunt.

Quid ni cælestis fidei radio collustratas, consimiles invenire est, quæ ad nuptias Agni vocatæ sunt? Sub ipsa D. *Ursula* tempora , in unâ Ægypti civitate, Oxyrintho, viginti virginum

Herman. Crombach Ursula vind. p. 107. l. 1. c. 35.

Numerus 11000. stabilitur.

Psal. 146.

Iustin lib. 12. Prudā in Sel m. c. 14 n 38 & 46. Raderus in Curt.

Plura millia virginum

olim & nunc in una civitate reperiri.

num millia, teste Evagrio, & Baronio, Deo virginitatis voto obstrictas degisse constat; & sanè permultæ sunt hodie civitates Europæ, quæ supra duodecim virginum, & innuptarum puellarum millia numerent: id si, in unâ civitate queat accidere, quis neget è tot Britanniæ Regnis, item è Belgio, Saxoniâ, Daniâ, Siciliâ, & penè orbis christiani præcipuis Regionibus, societatem tot virginum, triennio constari potuisse? Accedit B. Hermanni testimonium, qui asserit hunc numerum 11000. virginum, Deum adeo sacrosanctum, & inviolatum voluisse, ut licet & conjugatæ, & viduæ plurimæ se huic virgineo cœtui socias adjunxerint; divinâ tamen revelatione manifestum, nullam ex 11000. violatam fuisse; sed omnes illibatas, ac integerrimas virgines exstitisse. Quod si heterodoxi nostri, veneris proci, & proxenetæ, qui voluntatum in carne & sanguine, ut falsum, aut fabulosum jactitent, volvant, & revolvant, quæ Hieronymus adversus Jovinianum, ejusque asseclas argutè & acutè de virginitate adferat, & scommata sua in Sacerdotes, & Virgines Sanctimoniales jacere desistent; quasi impossibile foret, inviolatam virginitatis integritatem servare. *Verum profectò est*, ait Lutherus, sermone de matrimonio, *eum lenonem esse oportere, qui matrimonium fugiat, & qui aliter eveniret?* Sufficeret mihi, hic cum brevi argumento, coque nervoso confutare: non ita pridem, procax mulier, ex hujus Doctoris hatâ, forte navi vehebatur; ubi post varia in catholicos, & papistas scommata, eò tandem prolapsa est, omnes sacros mystas, monachos esse, & sanctimoniales, meretriculas, ac Christi adulteras, neminem continentem vivere posse. Ad hæc Sacerdos, qui habitu sæculari latebat, illam placidè percunctatus est: nû ipsa matrimonio adstricta foret? Non, inquit, sed jam septimum annum vidua sum; *na tu, intulit Sacerdos; insignis meretrix es, quæ asseris neminem calibem, & continentem vitam ducere posse*; quod omnium applausu exceptum, & impudens, ac sacrilegum os, illi occlusit. Huic affine est, responsum Consulis cujusdam Colonensis petacutum, quod is Principi viro, ex Electorali Saxonicâ Familiâ dedit: hunc Senatus excepetat epulo magnificè, sed cum is inter pocula, contra Catholicos varia congereret dicteria, ac jocularier perstringeret Colonenses, quod crederent undecim millia virginum, nec unam quidem reliquas inter, corruptam reperiri, falsè regessit Consul: *Iure Colonienses majorum nixos firmâ & constanti traditione, tenere, & venerari hactenus tot millia virginum; si tamen, Celsitudo sua, corruptam ex iis unam demonstraret, illicò eam è virginum numero à Colonensibus segregandam.* Simile responsum, nostrâ memoriâ, retulit in ipsâ sanctæ Ursulæ Basilica, Comes Mauritius, Archistrategus Hollandorum, Reginam Angliæ desponsam Palatino Comiti, Coloniam comitatus, cum jocando, & cavillando, fidem SS. Virginum elevaret, jussus & ipse monstrare, quam violatam ex omnibus existimaret? ut auctori retulit oculata, & aurita testis hæretica fœmina; & sanè juris conforme legibus est, ut

Crombach p.111.

Cap.23.

Confutatur Lutherus cum suis, qui virginitatem servare, impossibile docent.

Crombach p.112.

tamdiu, mille & quadringentis annis possessores virginitatis, in jure suo defendantur, donec Actor probet contrarium. Molinæus, ut se germanum Calvini discipulum, hoc est impium, & blasphemum cælitum derisorum ostenderet, in hoc publico mundi theatro, *D. Vrsulam, sanctam imaginariam, & quæ numquam in mundo fuit*, deblaterat. At proba si potes Molinæe, proba *sanctam Vrsulam*, quam totus orbis ut martyrem veneratur, à mille annis nunquam exstitisse. Evicit olim M. Tullius Jovem vixisse, veromque hominem fuisse, ex eo, quod sepulchrum eius, ætate sua apud Cretenses ostenderetur. Veni Coloniam Molinæe, aspice non *Diva* tantum *Vrsula*, sed & sponsi Ætherei, plurimorumque tam fortissimorum Martyrum, quàm castissimarum Virginum monumenta lapidea, quorum reperti tituli se pulchrales & nunc ipsis inscripti tumulis exhibentur. Aspice *Ursulæ caput*, brachium, ossa, annulum, sagittam qua transfixa perhibetur. Aptius hic telum non invenio, quam ab ipso Calvino petitum, qui optimè similibus Molinæi quæstionibus respondisse videtur l. 1. instit. c. 8. §. 9. *quæstionem aut, movere audent quidam nebulones: fueritne unquam aliquis Moyses? &* subdit: *si quis in dubium revocet, fueritne unquam vel Plato aliquis, vel Aristoteles, vel Cicero? quis non colaphis, aut flagellis castigandam talem insaniam dicat?* Balæus Calvinista Anglus, ubi D. *Vrsulam* in patriæ suæ commendationem, miris laudibus extulisset, comminiscitur illam cum omni comitatu virginum, ac virorum, vi tempestatis totâ classe haustâ, naufragio periisse. Inde quasi triumphum caneret, hoc infami convitio interpellat Colonienses: ex quonam pelagi gurgite, aut oceani barathro, has ipsas, quas tantopere jactant sanctarum Virginum reliquias corraserint? sed contra hunc impostorem, non omnium ora, sed Sanctarum ossa clamitant, & tantæ falsitatis arguunt, ut à magistro suo Calvino, *colaphis, aut flagellis, ejus insania castiganda* censeatur. Sed his tabulis missis, cœptum prosequamur. Omni superstitione sepositâ, preces definito numero persolvi posse, vel ob mysterii cujusdam memoriam, vel alia piâ & consentaneâ causâ usu in Ecclesiâ receptum, & sacris litteris, ac SS. Patrum, ac Theologorum testimoniis comprobatur. Quid magis usitatum, quam in honorem *sanctissimæ Trinitatis*, terciò repetere versum illum: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto?* Tertiò recitare orationem Dominicam, tertiò osculari terram? & in honorem quinque Christi vulnerum, quinques? In honorem quindecim mysteriorum, corollam Marianam, per quindecim decades decurrere? Hoc pacto, laudat hunc ipsum, de quo tractamus, ritum colendi, Virgines Ursulanas, Sanchez: *Non damnatur certus missarum, aut candelarum numerus, in memoriam alicujus mysterii, ut 12. in honorem 12. Apostolorum; undecim*, IN HONOREM UNDECIM MILLIUM VIRGINUM; *dummodo non illi numero certo fidatur, ut nec augere, nec minuere liceat, & utile futurum existimetur; sed in numerum in mysterii honorem, ac memoriam retineatur.*

Molin. de natiuitat. Papatus in indice V. Vrsula.

Calvin. lib.1. instit. cap. 8. §.9.

Balei narratio lib. de script.

P. Serrarius in litaniis ca.2.q.15. ad 1.5.

Certo numero sanctos ac ipsas SS. Trinitatem venerari, minimè superstitiosum.

Sanchez. l.2. oper. in mor. c. 40. n.40.

Crombac Vrsula lux vindicata pag.112.

In-

Insuper argumento sunt quadraginta Martyres, martia pectora, invicti Christi pugiles, qui Licinio Imperatore, Agricolâ Præside, ad Sebastem, Armeniæ urbem, extrema quæque, ipsamque mortem generosè passi sunt: nam ubi ora contusa, hieme gelidâ, nudi sub Jove frigido, expositi sunt, ut congelati necarentur, omnium una ad Deum erat vox, qui numerum hunc quadragesimum sacrum habebant, ne quis eum violatet, aut imminueret: *Quadraginta stadium ingressi sumus, quadraginta item, Domine, coronâ donemur*; & ratum habere numerum, Deus visus est: Cùm enim ex illis unus, tormentorum vi, ac frigoris acerbitate; victus defecisset janitor qui tum forte vigilabat, cùm vidisset lapsos è cælo Angelos, coronas triginta novem militibus distribuere, ac quadragesimum obvolitantem, qui nesciret cujus verticem redimeret, sic ipse secum: *Quadraginta hi sunt, quadragesimi corona ubi est?* Hæc dum animo volvit, dum voce jactat, videt ex illis unum abiisse, frigore victum; & detractis ilicò vestibus, excitatis custodibus, & se Christianum confitetur, & Martyribus adjungit, ut sua sacro numero stet integritas, & inter quadraginta, coronam accipiat. Sed de hoc vide pluribus Bungi de numeris, Deltio, aliosque. His positis, nunc ad praxim, initio propositam, veniamus.

Breviar. Rom. 9. Martii. S. Basil.

Praxes colendi 11000. virginum 1. Rosario

Quadruplex modus est cœtum 11000. Virginum, Rosario honorandi. Primus, qui plurimis in usu est, ut indies undecies oratio Dominica, cum salutatione Angelica recitetur; id mille diebus, seu duobus annis, & novem circiter mensibus absolvitur, quo singulæ semel salutentur: quod exiguum devotionis obsequium, quanto favore Ursulanus exercitus prosecutus sit, libet paucis enarrare. Puella quædam nobilis, ab infantiâ cultui SS. undecim millium Virginum deditissima, pensum quotidianum, undecies recitando orationem Dominicam, cum salutatione Angelicâ, persolvebat accuratè; quæ cùm adversâ valetudine conflictaretur, sive instinctu quodam & afflatu interiore, sive alia ratione moneretur, vitæ suæ terminum appropinquare, accitis ilicò parentibus, & propinquis, obtestari præsentes cœpit, ut se brevi migraturam, extremis sacris ad supremam luctam muniri paterentur, quo majori mentis solatio, viam iniret æternitatis. Mirari parentes, & suspicari, filiæ rationem, atræ bilis vehementiâ, nonnihil emotam; itaque solari ægram, bono animo esset, nullum præsens mortis periculum imminere: vires, ac valetudinē brevi recuperandam; quodsi tamen morbus ingravesceret, metum poneret, solicitos se fore, ne sine extrema unctione decederet. Ægra magis afflicta, respondit præsentibus: quandoquidem hunc mihi favorem præstare non vultis, quo me modis infinitis obstringeretis; unum saltem oro, ne morituræ denegetis, usum candelæ benedictæ quâ manu prehensâ moriar. Parentes, ne contristarent filiam, annuerunt petitioni. Mox accepto lumine, facies mutari, ridere infirma, gaudio exultare, quasi festivitati solemnissimæ interesset: tum exuberanti lætitia, sic adstantes alloquitur: ô quæ mentem exhilarat jucunditas, *ecce nunc obviam mihi procedit* S. URSULA, *procedunt* ET UNDECIM MILLIA VIRGINUM, *ut animam meam jam ad amœnissima paradisi vireta deducant.* Tunc leviter capite super cervical reclinato, versus latus, ubi virgineum contemplabatur exercitum, fixis in eam partem oculis, amorem divinum spirantibus, animum reddidit Salvatori. Subitò facies, ad stuporem viventium, pulchrior emicare, corpus exhalare cælestem odorem, toto conclavi diffusum: præsentes verò laudare D. Ursulæ præsidium, solatium, quod solet morituris suis clientibus præsens exhibere. Alii solent quotidie, tricies Pater, & Ave dicere, sed ipso *Martyris Vrsula* festo, quinquagesies, ut anni circulo, Rosarii Ursulani corollam contexant. Lusitani solas recitant salutationes Angelicas quotidie triginta, & anniversario festo, quinquaginta addunt: qui modus perfacilis est, & expeditus. Fidis auctoribus refertur, ipsas virgines in sui cultum, & venerationem, idem Rosarium Ursulanum, suis clientibus imperasse, facta stipulatione, certi in morte præsidii: nam Religiosus, ut delicta juventutis suæ facilius expiaret, magnam affligendo corpori austeritatem adhibuit: cumque Sanctarum undecim millium favorem, & patrocinium quotidianis precibus sibi demereri studeret, lethali morbo correptus, qui omnem medicorum artem, & industriam superabat, ad sanctarum Virginum opem implorandam, se anxius convertit; & ecce una, Reginæ specie, mortali augustior, ei visa, monuitque totius cœtus Ursulani nomine, ut *undecies millies*, dum vita superesset, *Pater, & Ave diceret*, adfore ei præsidio, & in morte, contra infestantes dæmones auxilio. Visionem secuta est ilicò corporis sanitas, & vires restitutæ, ut auspicari statim cœperit numerum prægrandem precum illi impositarum; quo completo, rursus in morbum relapsus: jamque ad extrema deductus, videre sibi aspectabili specie visus est, *undecim millia Virginum*, quæ diabolicas averterent insidias, ægrum solarentur, atque ad ultimum vitæ spiritum suâ præsentiâ præsto fuére. Quis vestrum, in ancipiti illâ cum inferorum spiritibus luctâ, in bivio disparis illius æternitatis, non optarit, hasce sibi auxiliares tot millium Virginum copias, tam levi piæ exercitationis pretio demeruisse?

P. Aug. de Avila in hist. mexicanâ Ordinis Dominicani. P. Paulus Barrii devotionâ S. Vrsula cap. 10.

S. Ursula cum suis Sodalib. moribundæ occurrit.

Crombach p. 866.

Ex Patre Lucretio Borsato c. 21. P. Barrii cit.

Rosarium in honorem S. Ursulæ recitans, eius in morte præsidiū sensit.

Quam verò Societas nostra, cultus Ursulani studiosa sit, potissimum in Lusitaniâ, juvat ex ipso fonte, litteris scilicet P. Bernardi de Fonseca, Lusitani, Societatis Jesu, haurire: in toto
Regno Lusitaniæ, cultus *S. Ursula* plurimum
effloresct. Nostra Societas habet in Regno, “
decem collegia in Insulis tribus: in his omni- “
bus, celebratur festum *SS. Virginum*, cum om- “
nibus Sanctuarii reliquiis: in Ecclesiâ habetur “
concio, cui assistit magna fidelium frequen- “
tia; omnibus qui à primis vesperis, usque ad “
secundas, invisunt nostra templa, in *S. Ur-* “
sula Festo, per litteras Apostolicas concedi- “
tur jubilæum plenarium. Conimbricæ (una “
ex præcipuis Regni civitatibus) plurimùm “
viget devotio S. Virginis. Celebris Academia “
Conimbricensis omnibus antecellit in cul- “

Societatem cultui S. Vrsulæ dedita.

Crombach pag. 860. Littera P. Fonseca.

" tu Ursulano. In hac civitate, annuente Præ-
" sule, nostris temporibus instituta est Con-
" gregatio in Ecclesia Cathedrali, sub nomine
" S. Ursulæ, et Sociarum: celebrant con-
" gregati festum Virginum cum magnis sum-
" ptibus: sacrum fit solemniter cum præcipuis
" musicis: primus inter Concionatores eligitur
" ad prædicandum. Concessit summus Ponti-
" fex omnibus, qui assistunt, vel visitant altare
" hujus Virginis, in die Festivitatis, Jubilæum
" plenissimum. In toto Regno Lusitaniæ, pro
" indubitato habetur, Virginem unà cum So-
" ciis, favere sibi devotis, *& apparere illis in ex-*
" *tremo periculo mortis, illis videlicet, qui singulis die-*
" *bus recitant 30. salutationes Angelicas, & in die*
" *SS. Virginum augent numerum, quo conficitur 11.*
" *millenarius.* Hæc praxis maximè increvit pietate nostrorum concionatorũ, qui in concione illam magno affectu Auditoribus inculcant. Tertium modum, Virgines Cistercienses Vesontionenses usurpant, quæ diebus undecim totum pendunt: ita enim Remis P. Carræus consuetudinem earum describit, his verbis: *Magna viget in eo Cisterciensium Virginum cœnobio veneratio* S. Ursulæ, et undecim millium Virginum, *ac pietas egregia recitandi Rosarii, ipso* S. Ursulæ *festo, & decem diebus sequentibus, usque ad finem mensis; per undecim enim illos dies, quotidie mille decurrunt globulos; quæ consuetudo eam antiqua apud eas fuit, ut ejus nulla origo habeatur.* Quartum, noster Didacus Martinus Peruvianos docuit, ter quotidie dicendo orationem Dominicam, cum salutatione Dominica: quo modo, post undecimum annum, singulæ honorantur. Id nimis longum visum fuit insigni pietate fœminæ, Principi Sabaudiæ, quæ ipsâ solenni festivitate *S. Ursulæ*, quotannis *undecies millies* ad earum honorem, salutationem Angelicam recitabat: intra unius diei illius spatium, singulas undecim millium Virgines salutando.

P. Crombach pag. 883.
P. Paulus Barry cit. cap. XI.

2. Praxis per jejunia, aliasque afflictationes.

2. *Praxis cultus Ursulani, per jejunia, aliasque corporis afflictationes.* Quàm grata S. Ursulæ, ejusque Sodalibus, pridiana festi inedia accidat, argumento est, quod suis ipsa clientibus eam quandoque præscripserit. Nam cùm S. Elisabetha Schonaugiensis, acceptis Colonia titulis sepulchralibus, sæpius à Deo multis precibus, eorum explicationem postularet, illam divinitus S. Verenâ interprete, accepit, quæ hisce verbis illam compellavit: *Ante multa tempora, ad hoc ipsum praelegit te Deus, ut ea quæ hactenus de nobis incognita fuerunt, per te faceret manifesta. Sit autem injunctum tibi, ut omni tempore vitæ tuæ, per singulos annos, in Vigiliâ Passionis nostræ, jejunes in pane, & aquâ: aut si hoc implere non potes, unius missæ celebratione redimi te facias, quatenus tibi revelare dignetur Deus, quæ de nobis manifestare disposuit, & ut nostro consortio adjungi merearis.* Tam rigidum in pane & aquâ jejunium, non ausim à vobis sperare; at juxta morem Ecclesiæ, unicâ in pervigilio refectione, nos contentos fore confido. Eximius ille cæli candidatorum Patriarcha Nurbertus, cujus & religiosissima familia, ac cumprimis B. Hermannus, cultui, ac venerationi S. Ursulæ addictissimus, ut sibi SS. Virgines

S. Elizabetha c. 5.

peculiari affectu, ac suis devinciret, incredibili amore exarsit, ut aliqua earum sacra lypsana alicundè nancisci posset. Quo beneficio ut potiretur, inediâ eum in finem suis Religiosis indictâ, sepulchrum cujusdam Virginis Ursulanæ, cælitus meruit edoceri. Alios, & alias complures invenire est, qui quater hebdomadis per decursum anni, in honorem SS. Virginum, à bellariis, aut cupediis, iisque quæ palato gratiora sunt, genium defraudant: semel, iterumque in dura somnum capiunt. Aliæ expansis brachiis, undecies Pater, & Ave persolvunt: alternis diebus in se flagellis sæviunt. Sed omnem vincit admirationem, & vix imitationi locum relinquit, Virguncula, quæ ut castitatẽ sponso suo *Iesu*, tot millium præsidibus tutelaribus, illibatam servaret, Octavam *S. Ursulæ* solennem instituit celebrandam, æmula Dominici Loricati; quotidie mille & quingentos ictus, carni domandæ flagris inflixit, donec singulas SS. Virginum undecim millium, uno verbere inflicto piè fuisset venerata.

Crombach p. 862. Virguncula in honorem 11000. Virg. tot sibi flagra infligit.

3. *Praxis sacras Undecim millium reliquias visitando, venerando, easque exornando.* Ut heterodoxi, & lypsanomachi, sacrarum reliquiarum cultum, idololatriæ insimulent; libet tamen Henricum Cornelium Agrippam audire: *Accedit istthuc etiam reliquiarum cultus immoderatus: fatemur enim, nec quisquam negare poterit* (quid tu ad hæc Calvine? audi reliqua) *sanctas esse Sanctorum reliquias, & quæ æternitatis gloriâ fulgebunt aliquando, ideoque à nobis summâ reverentiâ colendas. Fateamur etiam Sanctos ipsos, licet locis in omnibus exaudiant piè invocantes; magis tamen, ubi aliquid reliquiarum, sacrum velut pignus habent.* Hactenus bellè, atque Catholicè; *vox quidem vox Iacob est*, hoc est hominis, veritatem, fidemque Catholicam confitentis; *manus autem*, *manus sunt Esau*, sicut & stylus, hoc est hæretici; dum sic scribere pergit: *Sed quia non omnium certitudo eadem est; cum variis in locis putantur Sanctorum eorundem, eadem retineri pignora; necesse est horum, aut illorum stultam confidentiam esse. Ne igitur in idololatriam, vel superstitionem incidamus, tutius est fidem rebus visibilibus non affigere.* Ubi falsò hic supponit, dubias Sanctorum reliquias, populo venerandas exponi; quæ quantâ cura, diligentia summorum Præsulum, Theologorum disquisitione, testium approbatione discutiantur, apud Joannem Ferrandum in Disquisitione Reliquiaria fusè videndum est. At Calvinus, & dubias, & veras, susque deque habens, multò protervius loquitur: *Execrandam esse idololatriam ullas reliquias adorare* (etiam cultu latriæ) *quæcunque illæ sint, sive veræ, sive subdititiæ, sive adulterinæ.* Non aliter loqui potuit Vigilantius, vel potius Dormitantius redivivus. Eunt in eandem sententiam ejus asseclæ Eunomiani, quorum sacrilegas blasphemias acutè perstringit D. Hieronymus, Bellarminus, Bosius, Gretzerus, aliique. Suffecerit vel unum, eumque gravissimum Ecclesiæ Doctorem, Mediolanensem Præsulem audisse: *Quid si dicas mihi*, inquit Ambrosius, *quid honoras in carne jam resolutâ, atque consumptâ, de quâ nulla Deo jam cura est? & ubi est illud, quod ipsa veritas lo-*

3. Praxis reliquias visitando, & ornando.
P. Ioan. Ferrand. disquis. reliq. p. 557.
Henric. Corn. Agripp. lib. de vanit. scient. c. 57. de imag.
Gen. 27.
S. Ambr. serm. 92.

tas loquitur per Prophetam: PRETIOSA IN CONSPECTU DOMINI MORS SANCTORUM EIUS? *& iterum: mihi autem valdè honorificandi sunt amici tui Deus. Honorare debemus servos Dei, quantò magis amicos Dei? de quibus alio loco dicitur:* DOMINUS CUSTODIT OMNIA OSSA EORUM, ET UNUM EX HIS NON CONTERATUR. *Honoro ergo in carne Martyrii, exceptas pro Christo cicatrices. Honoro viventis memoriam, perennitate virtutis: honoro per confessionem Domini sacratos cineres. Honoro in cineribus semina æternitatis. Honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere: quod propter Dominum, mortem docuit non timere. Cur ergo non honorent corpus illud fideles, quod reverentur & dæmones? quod afflixerunt in supplicio; sed glorificant in sepulchro. Honoro itaque corpus, quod Christus honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo.*

Hunc cælitum exuviis honorem, exhibuêre primò Duces, & Principes, & omnis propè nationis homines, quos Coloniam confluxisse, religiosas profectiones, ac longam peregrinationem instituisse legimus, ut SS. Virginum sacra lypsana honorarent, ac venerarentur; hos inter, prima recensenda est B. Afzelina Virgo, non minus sanguinis splendore, quam virtutum gloriâ illustris, Doctore Mellifluo usa magistro, quadriennis integritatem suam Christo sponso devovit: incredibili ferebatur ardore in D. *Vrsulam*, ejusque socias Virgines, quarum reliquias veneratura, frequentes Coloniam peregrinationes instituebat, tantoque pietatis sensu has tutelares suas precabatur, ut ipsos cælites, ardoris sui fautores habere meruerit.

Longæ peregrinationes ad reliquias honorandas 11000. Virg. *Crombach lib. 9. de S. Vrsulæ. 3.*

Lilia Cisterciens. fuum. cap. 16. & 31.

Arctam B. Afzelina, cum Ermentrude, Antistita Monialium, miræ sanctitatis, & prudentiæ fæminâ, amicitiam contraxerat, quæ cum vivis excessisset, trigesimo ab obitu suo die, B. Afzelinæ totos dies colendis Sanctarum Virginum reliquiis intentæ, cælesti lumine circumfusa apparuit; dumque Ermentrudis rogatur, cur non citius tam optatæ, ac beatæ mortis se certiorem fecisset? Respondit illa: *cum tu tota circa SS. Virginum Reliquias esses occupata, nolui istam tuam pietatem interturbare.* En quanti vel ipsi cælites, has religiosas ad sacra Lypsana excursiones, earumq; venerationem facere consueverunt. Si ab exteris partibus, hic virga Moysis, aut tabula ex arcâ Noe deferretur, omnes undique ad visendum confluerent. Idem videre est in præcipuis Europæ emporiis, potissimum sub comitia, si quid rari, v. g. frustum unicornu, ungula equi marini, dens molaris gigantis, aut monstrum aliquod triceps, non levi etiam pretio spectandū sit, nemo non confluit: spectaculū viris, fæminis, pueris dignum prædicatur, cum nihil inde olli sæpè delusam curiositatem, & jacturam pecuniæ referant. Aliter profectò sapuit S. Juliana, quæ in summo orbis Christiani negotio, ut Solennitas Sanctissimi Corporis Christi per Ecclesiam institueretur, Coloniam peregrinata est, ubi Christum in Eucharistiâ, caput 11000. Virginum venerata, earum intercessione, ac patrocinio, votis potita est. Consimiles autè peregrinationes ad sacras Divorū reliquias, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, à Regibus, Imperatoribus, omnique sexu susceptas fuisse, fusè probat noster Joannes Ferrandus, disquisit. Reliquiarum l. 2. c. 3. art. 6. p. 491. Alii sacras reliquias in veneratione habent, eas supra omnes lapides pretiosos asservando, & ex collo gestando: hanc religionem servavit Anna à S. Bartholomæo, comes individua S. Theresiæ, de qua singulari modestiæ *babet sanctitatis*: Hæc septennis, tutelares suæ castimoniæ delegit 11000. Virg. atq; in venerationis, & amoris pignus, sacras earū reliquias semper è collo gestabat, quotidie certis pietatis officiis, ad mortè usque, constanter eadē prosecuta, atq; a. 1626. 7. Junij feliciter ex hac vita migranti, Ursulanus occurrit Virginū exercitus, cujus præsidio puritatè illibatam servarāt.

Sacra reliquiæ magna cum vene ratione servatæ. Henriquez. lib. 1. c. 2. vita B. Anna.

Superest non postremos, sed forte summus Reliquiarū cultus, eas floribus, cereis, aureis, argenteisque involucris exornando, atq; pretiosis anathematis, ac donariis condecorando; quod spectasse videtur B. Franciscus Borgias, qui illud usurpare solebat. *nusquam gemmas, aurum, argentumque dignius impendi, quam in auctoris Dei, ac sanctorum cultum*; ideo Divorum exuvias, & religiosè venerabatur, & splendidè adornari curabat. Quin & S. Ignatius, duo SS. Virginū crania, transmittenda Messanensibus, ornatissimæ ioclusit arculæ; ut scirent, quo ea honore habenda essent. Consimilem thesaurum, cum Patres nostri Goam detulissent, primò collatū à Prorege argentum est, ut capsa sacro eranio digna pararetur; idque jure longè meritissimo, ut rectè observat Theofridus Abbas sanctissimus, qui ex Apostoli sententiâ, sic disserit: *In dispositissimâ Dei, tantâ quasi Patris familias domo, sanctorum exuvias esse, velut vasa in honorem; improborum vero cadavera, esse vasa in contumeliam. Ideo catholicum Reliquiarū ut bene philosophatur, in vasis aureis, atque argenteis, & gemmatis, atque in omnibus, quæ pretiosa sunt, reconduntur, quò mortales intelligant; Sanctorū corpora fuisse vasa misericordiæ, quæ Deus præparavit in gloriâ, ut ostenderet divitias gloriæ suæ.* Est igitur quod tibi plaudas, gaudeas, & exultes *Colonia*, tali Præside tutelari, ac tot agminibus Virginum vallata. Hanc aliquando castrorum aciem, pro te è cœlo dimicantem spectasti.

Sacris reliquiis ornatus adhibendus Crombach pag. 843.

Theofrid. Abbas ser. 1. de SS. Reliq.

Obsidebatur Colonia, cùm hostium Duces, noctu ex tentoriis viderunt circumire mœnia *divam Vrsulam*, luce ac pyropis diadematam, ac præferentem manu facem, quæ solis instar consulgeret. Consequebantur *undena millia* castissimarum Amazonum, sodalium ejus; adveniebant etiam virorum, auxiliares copiæ, sanctorum videlicet Maurorum, ac Thebæorum legiones, quæ veluti stativa ibi obtinent. Visæ autem sunt hæ acies cælitum, terrere aspectu hostes eminus; comitos vero crucibus roseis consignare, ac munire portas civitatis. Quocirca desperato belli exitu, hostes fugere, victrici ac triumphatrici *Coloniâ*. Est quod gloriēris Sancta Civitas, tot sacris pignorib', veluti vivis lapidibus exædificata: quâ eversis idolatriæ, hæreseos, omnisque diabolicæ superstitionis munimentis, *victrix Vrsula, cum Virgineis copiis* feliciter instaurravit, ut longè potiori jure *Colonia*, quam olim Parma, *civitas Victoria* nuncupari,

Tilman. Bredēbach l. 4. collat. sacrar. c. 12. Petra S. Thaumasia tom. 2. p. 125. Colonia in tutela S. Ursulæ, & 11000. Virg.

cupari, ac *victrici Vrsulæ*, eiusque gloriosis Sodalibus se, suaque omnia dedicare possit. Anno Christi 1247. Fredericus Imperator, Parmam sexaginta millium armatorum obsidione cinxit, occupavit, ac funditus evertit, novamque construere cœpit, atque ædificiis, foro, tribunali, sacris ædibus, omnis generis opificiis, ceterisque rectè institutam civitatum rebus ornavit; Et quo felici omine cuncta procederent, *Victoriam* Urbem nuncupavit: Primariam Basilicam in honorem Sancti Martyris *Victoris* dedicavit, & nummos ibi cusos, *Victorinos* dici voluit. Fuit planè urbs *Victoria*, varia georium ac rerum inusitatarum commercio, & multitudine frequentata; quod per singulos ferè dies ex Africâ, Asiâ, Ægypto, novi homines, novâ veste, novis moribus sunt visi: Itemque animalia, quæ post theatrales stantis Romani Imperii ludos, Italia non viderat, elephantes, dromedarii, panthetæ, leones, pardi, lynces, & ursi albi, avesque rapaces, & cicures, & immensæ magnitudinis barbati bubones. Hæc Spondanus de Urbe *Victoria*. Tu *Colonia*, nobiliori, ac sanctiori titulo *Victoria* dici potes, quæ novis, ac vivis Sanctorum lapidibus constructa, Basilicam non S. Victori, sed *victrici Vrsulæ*, ejusque victricibus agminibus consecrâsti: Non nummos Victorinos cudi jussisti; sed tot victoriæ de hostibus, erebique monstris, ac omnibus morborum, ac malorum catervis ingruentibus, anathemata, ceu gloriosa trophæa, ejus aræ dedicasti. Quæ non ex Africâ, Asiâ, Ægypto feris belluis; sed tot Sanctorum, Sanctarumque exuviis meritò gloriaris.

Spondan. Annal. Ecclesiæ Christi. 1147. n. VI.

4. Praxis Jubilum B. Hermanni de 11000. Virginum, per horas distributum, indies recitando. Hoc breve, ac pium officium subnecto, ut in pauca folliculа prælo expressum, omnium D. Ursulæ sodalium eiusque studiosorum, maoibus, & mentibus volvatur.

4. Praxis. officium de S. Ursula & Sod. recitare.

Ad matutinas.

O Vernantes Christi Rosæ,
Supra modum speciosæ!
O ridentes margaritæ,
Diligenter exquisitæ,
Eleganter expolitæ,
Adveoite, me audite,
In servum me suscipite.

Ego pauper, atque talis
Ut sim vester specialis,
Vestro fervens in amore,
Vestro fiar cum favore.
Dum vos oro, vel honoro,
Gratum vestro sit in choro,
Et vicem, quæso reddite.

O puellæ, O agnellæ!
Christi charæ columbellæ,
Sine dolo, sine felle:
Cœli stellæ; Dei cellæ.
Jubilate purpuratæ,
Coronatæ contegnate,
Cum Agno innocentiæ.
Gloria Patri, & Filio, &
Spiritui Sancto. Sicut erat &c.

Antiphona.

SAnctæ undecim mille Virgines, acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus; media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam Christo Domino.

Vers. Tunc surrexerunt omnes Virgines illæ,
Resp. Et ornaverunt lampades suas.

Collecta.

OMnipotens sempiterne Deus, qui gloriosam, atque laudabilem Virginem ac Martyrem *Vrsulam*, cum suo collegio, ineffabilibus privilegiis exornasti in terris, & inenarrabilibus gaudiis decorasti in cœlis; præsta nobis per merita ipsius, ac sodalium ejus; tuæ propitiationis abundantiam, ut quarum memoriam pio amore agimus in terris, earum meritis, & precibus, præmia æterna consequamur in cœlis. Per Dominum nostrum &c.

Ad Primam.

O Quam estis vos securæ,
Deo semper fruituræ,
Cum quo estis permansuræ,
Numquam eo carituræ:
Quem videtis, quem tenetis,
Qui vos ulnis stringit lætis,
Serenâ ridens facie.

O Reginæ puellares
Passione sanctâ pares:
Deo vos familiares,
Prædilectæ singulares.
Nunc florete, nunc gaudete,
Semper novæ, semper lætæ,
Festivom chorum ducite.

Vos jucundæ Philomelæ,
Quarum turbæ sunt undenæ:
Sponsæ Dei, Deo plenæ,
Decantate laudem benè:
Virginales per choreas,
Et cælestes per plateas,
Jucundum carmen dicite.
Gloria Patri, &c.

Antiphona.

BEnedictus es Rex gloriæ, quibus palmam victoriæ dedisti fragilibus, & sexum fine viribus, vincere fecisti dæmonis virtutem: quarum piis precibus, nobis supplicantibus, tribuas corporis ac animæ salutem.

Vers. *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui,*
Resp. *Visita nos in salutari tuo.*

Collecta.

DEus, qui ut humanum genus ad confessionem tui nominis provocares, etiam in sexu

in sexu fragili victoriam Martyrii contulisti, præsta quæsumus, ut Ecclesia tua XI. millium, de quarum commemoratione lætatur, exemplo commonita, nec pati pro te metuat, nec mundi blandimentis succumbat; sed cælestis præmii gloriam concupiscat, & comprehendat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium &c.

Ad Tertiam.

DAte voces in sublimi,
Angelorum Chori primi:
Locum dantes admirentor,
Jucundantes collætentur.
Vestram novam melodiam,
Inauditam harmoniam
Auscultet *Sancta Trinitas.*

O dilectæ consorores,
Quarum nunquam marcent flores:
Ipse sibi vos prævidit,
Qui de valle vos præcidit:
Vos elegit, vos collegit,
Et in ferrum sibi fregit,
Pulcherrima divitias.

Te, O turba generosa,
Præit illa florens Rosa:
Sola Rosa principalis,
Nec est ibi Rosa talis,
Quæ sit sibi coæqualis,
Mater tota curialis,
Quæ tulit Cœli Dominum,
Gloria Patri &c.

Antiphona.

O Flos campi, & lilium convallium *Iesu Christe*, qui es Sponsus, & amator Virginum: quàm jucundum est interesse tuo semper conspectui, quem laudantes prosequuntur virginales cunei, ubi dulcis resonat melodia, *Virgo Vrsula* simul cum Thamaria, frequenter ingeminant: tibi Christe sit laus, & gloria.
Vers. Adducentur Regi Virgines post eam;
Resp. Proximæ ejus afferentur tibi.

Collecta.

DEus qui nos in tantis periculis constitutos, pro humanâ scis fragilitate non posse subsistere, da nobis per merita Sanctarum XI. millium Virginum, & Martyrum, salutem mentis & corporis, ut ea quæ pro peccatis nostris meremur, te adjuvante vincamus. Per Dominum nostrum, &c.

Ad Sextam.

IPsa est dilecta mea,
Vos præcedens in chorea;
Cui nomen, & persona,
Sua lucet in coronâ,
Quam inscripsit *Deus Pater*,
Hæc est illa *Iesu Mater*,
Maria Virgo Virginum.

Hæc vos præit cum honore,
Trahens suo vos odore,
Ferens signum vexillare,
Modulatur vobis clarè.
Per floreta, per roseta,
Promit ipsa carmen læta;
Cantatores subsequimini.

Summas voces Angelorum,
Omne melos musicorum,
Hæc suprema Philomela,
Sua vincit cantilenâ:
Quam sequentes condecenter,
Diligenter, & ardenter,
Dilectum complectimini.
Gloria Patri &c.

Antiphona.

SPonsa Christi *Vrsula*, cum tua virginali turmâ, accede ad Thronum gloriæ, preces pro famulantibus tibi funde, ut ab hoste in mortis horâ, liberemur sine morâ.
Vers. *Mirabilis Deus in Sanctis suis.*
Resp. *Ipse dabit virtutem & fortitudinem.*

Collecta.

AUxilientur nobis Domine *Iesu Christe*, merita Sanctarum Virginum, & Martyrum, ut in horâ mortis nostræ, earum protectione muniti, te miserante laqueos inimici evadere valeamus, quæ ob tui nominis honorẽ, sanguinem suum fuderunt. *Qui vivis, & regnas &c.*

Ad Nonam.

DUlcis Sponsus, qui vos amat,
Sic ad vos de throno clamat:
O dilectæ consodales,
Sponsæ meæ speciales,
Me videte, me habete,
Memetipsum possidete,
Sentite, perfruimini!
Per meipsum vos complector
Et in vobis condelector:
O Victrices! O felices!
Meæ charæ dilectrices.
Vester ego sum, & ero,
Quem amastis corde vero,
Me sponsum osculamini.
Ad hanc vocem, ô athletæ
Lætas aures adhibete:
Quid decantet exaudite,
Et post Agnum mitem ite.
Novis stolis decoratæ,
Post dilectum ambulate,
Cantantes cum tripudio.
Gloria Patri &c.

Antiphona.

O Castitate phaleratæ, humilitate Coronatæ, patientiâ adornatæ, virtutum floribus fulcitæ, temperantia politæ ô pretiosæ margaritæ, atque Virgines exquisitæ, in horâ mortis subvenire.

Vers.

Verſ. *Lætamini in Domino,& exultate juſti.*
Reſp. *Et gloriamini omnes recti corde.*

Collecta.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui infirma mundi eligis,ut fortia quæque confundas,concede ptopitius,ut qui Sanctarum Virginum,& Martyrum memoriam agimus,à cunctis malis imminentibus, earum intercessionibus liberemur:Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.

Ad Veſperas.

EIa modò jubilemus,
Laudem Deo decantemus:
Qui à mundo oos protexit,
Et de mundo oos transvexit:
Nos de terris admavit,
Et io Cœlis coronavit,
Nos implens omni gaudio.
Exultemus,& lætemur,
Et cum Agno jucundemur,
Delectemur,epulemur,
Novo cantu modulemur.
Hic eſt annus jubilæus,
O quam dulcis es,ò Deus!
Poſt te ardeoter currimus,
Eſtuantes præ amore,
Nos conſperge dulci rore;
Sponſe noſter prædilecte,
Trahe nos poſt te directè:
Te ſitimus,& ſentimus,
In cor ruum omnes imus,
De venâ vitæ bibimus.
In te omnes commoramur,
Te in nobis complexamur:
Quem amantes inflammamur,
Et non ſatis admiramur,
Qnod de te non ſatiamur;
Excedis enim omnia.
Tibi laudem cum Mariâ,
Quæ nos duxit io hac viâ,
Noſtro damus Salvatori,
Pro quo fuit dulce mori.
Qui amaſti;qui juviſti,
Qui ad te nos pertraxiſti,
Tibi laus & gloria.
Gloria Patri & filio &c.

Antiphona.

LUx orta eſt io Britanniâ, dum Angelorum ſocia *Urſula* generatur,quæ Filium Regis Anglicorum rraxit ad fidem Chriſtianorum; quam turma Virginum comitatur.
Verſ. *Ora pro nobis* BEATA URSULA *cum tuo Virgineo Collegio.*
Reſp. *Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

Collecta.

DEus,qui dignè tibi ſactatis Virginibus mirandi agonis robur indidiſti,quo per Martyrii palmam,ad ſupernæ cootemplationis pertingerent gloriam;da nobis,quæſumus,earum interceſſionibus adjuvari,quas tranſcenſo mortis ſtadio,in cæleſtibus feciſti triumphare. *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.*

Ad Completorium.

O Inſignes ſponſæ Dei,
Mementote,quæſo mei.
Non ſit vobis hoc indignum;
Paupertatis meæ ſignum:
Et hoc vobis carmen carum,
Quamvis parvum,quamvis parum
Feratis cum lætitiâ.
O præclaræ vos puellæ,
Nunc implete meum velle,
Et dum mortis venit hora,
Subvenite ſine morâ:
In tam gravi tempeſtate,
Me præſentes defenſate
A dæmonum inſtantiâ.
Nulla veſtrum ibi deſit,
Virgo Mater prima præſit:
Si quæ mihi ſex inhæſit
Quæ me ſua labe læſit,
Veſtrâ prece procul fiat,
Vos præſentes hoſtis ſciat,
Et ſe confuſum doleat.
Quidquid unquam feci mali,
Veſtro flore Virginali,
O puellæ palliate,
Et me Deo præſentate;
Coram Deo mecum ſtate,
Cauſam meam defenſate,
Ne draco locum habeat.
Gloria Patri &c.

Antiphona.

VOce cordis,& oris,in laudem ſummi Redemptoris conſurgat omnis fidelis, cujus mediante gratiâ,Sanctarum undecim millium Virginum turma, facto clamore horâ matutinâ,exivit obviam Chriſto Sponſo,qui ſedet ſuper Cherubim,cuncta videns in abſconſo, ferens ſertum roſæ, & lilii, cum triumpho Martyrii,evaſit minas tortorum.
O beata Virginum turma,
Ora pro reatibus ſupplicum tuorum.
Verſ. *In Chriſto dormiamus.*
Reſp. *Cum ſactis Virginibus reſurgere mereamur.*

Collecta.

OMnipotens ſempiterne Deus,qui has ſacratiſſimas XI. mille Virgines , dum aurora nocti finem daret,ad thalamum dilecti Filii tui Sponſi ipſarum , cæleſtibus Spiritibus comitantibus introduxiſti, ſtolâ quoque immortalitatis,ac lætitiâ inenarrabili circumdediſti;tribue nobis meritis & interceſſionibus eorum, quatenus in fine vitæ noſtræ, ſpiritus noſter ad regnum cœleſte ducatu ipſarum perveniat, ubi te ſine fine laudare , & perfrui mereatur. *Per eundem Dominum noſtrum* &c.

Hunc Hymnum ita piè celebremus in terris,ut cum Urſulano Virginum cœtu, Deo, & Agno æternùm caotemus in cœlis.

FESTUM SANCTORUM SIMONIS ET IUDAE APOSTOLORUM.

28. Octob.

Ecce ego mittam eis VENATORES, ET VENABUNTUR *eos*. Ierem. 16.



Cupiuntque ſuum reperire periclum. Ovid. 8. Metam.

ARGUMENTUM.

SAcræ Paginæ robuſtum, ſed nequam venatorem *Nemrod* inducunt, qui diabolum, callidum venatorem expreſſit, innumeros mortalibus laqueos tendentem, & canes ſuos venaticos ab inferis emittentem; contra quos Dominus duos divinos Venatores SS. Simonem & Judam miſit, qui horridam Barbarorum, & idolorum ſilvam ingreſſi, immanes belluas non ut perdant, ſed ſervent, venati ſunt. Venatio clamoſa etſi Feſtis & Dominicis interdicta, aliis diebus, Regum ac Principum honeſtum exercitium eſt; quin & ipſe divinus Amor, mirabilem ſe venatorem probavit, quem & Apoſtoli inſecuti, amore prædæ per omnia pericula intrepidi irruerunt; quomodo autem nos horum exemplo, ſancti animorum venatores, & fœminæ venatrices eſſe poſſint, oſtenditur. Tum quas diabolus habeat ad capiendas animas; ſcripturis & Patribus demonſtratur.

Denique ſi tanto labore, ſudore, & ardore venator per ſaltus, præcipitia, & mille diſcrimina feras venetur, nos non ſegnius cœlum & Deum venari debemus, quod facile aſſequemur, ſi canes venaticos, ipſos pauperes adhibeamus, & quos indigna prodigalitate nonnulli in canes venaticos alendos, immenſos ſumptus faciunt, nos in egenos effundamus. Sic Amedæus Sabaudiæ Dux ſibi cœlum feliciter venatus eſt: qui rogatus à Legatis, ut canes ſuos venaticos oſtenderet, ingentem mendicorum copiam, menſæ accumbentium illis exhibuit, addens hiſce ſe canibus cœlum venari.

§. I. *Ecce ego mittam eis* VENATORES, *&* VENABUNTUR EOS *de omni monte, & de omni colle & de cavernis petrarum.* Hierem. 16. v. 16.

§. II. *Cupiuntque ſuum reperire periclum.* Ovid. 8. Metam.

§. III. *Qua ratione cœlum & Deum venari poſſimus.*

FESTVM
SANCTORUM SIMONIS
ET IVDAE APOSTOLORVM.

Ecce ego mittam eis venatores , & venabuntur eos.

Ieremiæ 16.v.6.

Tostatus in Gen.c.10.



Ibro Geneseos cap. 10. generationes Noe referuntur, de quo Tostatus, Antistes Abulensis: *vivente Noe, multiplicati sunt filii eius, usq; ad viginti quatuor millia virorum fortium, præter parvulos & mulieres.* Hos inter specialiter nominatur Nemrod: *Ipse cepit esse potens in terrá.* Septuaginta vertunt: cœpit esse *gigas* in terrâ, atque ut Glossa scholasticæ historiæ, quam citat Dionysius: *decem cubitorum exstiterat.* Subjungunt sacræ paginæ: *Et erat robustus* VENATOR *coram Domino*, qui feras venabatur, non quemadmodum Lamech ante diluvium, propter solas pelles; sed ut earum sanguine, & caroibus se saturaret. Parum hoc; at oomen *venatoris*, non à feris, & belluis mutuatus est, sed ut Abulensis loquitur, *venator erat*; id est, per violentiam homines opprimens, *tanquam animalia capta in venatione*, & hoc publicè faciebat, quod est facere coram Domino, & suos ad cultum Deorum coëgit. Augustinus legit: VENATOR *erat contra Dominum. Quid autem significatur hoc nomine, quod est* VENATOR, *nisi animalium terrigenarum deceptor, oppressor, extinctor?* Iste fuit primus omnium Regum in toto orbe: Babyloniæ regnavit, & audax illud opus turris Babel molitus est, ut in cœlum, gigantum more, sibi viam sterneret, & Deum quasi sede sua deturbaret. Quis ille gigas? Quis iste Nemrod? Quis callidissimus ille venator, qui tyrannicè prædam in perditionem sectatur; & in Deum rebellat? Hunc Origenes suis coloribus ad vivum depinxit, & verum diaboli typum describit: *Plena*, inquit, *est vita mortalium laqueis offensionum, retibus plena deceptionum, quas tendit adversum genus humanum, ille qui contra Dominum gigas,* VENATOR NEMROD *appellatur: verus etenim gigas, quis alius est, nisi* DIABOLUS, *qui etiam adversus Deum rebellat? Laquei ergo tentationum, & decipula insidiarum, diaboli retia sunt.*

Gen.10.

Dionys. Carth in Gen.c.10.

Aug.l.16. de civit.c. 3.& 4.

Origenes. hom 3.in cant. Nemrod venator, est diabolus, qui ubique laqueos struit.

Ex quibus patet, non phantasticam fuisse visionem Magni Antonii, dum cacodæmon Mauri specie, venatoris habitu sese ei objecit, & super orbem universum, quaqua patet, expansos laqueos ostendit. Quod ipsum Chrysostomus homilia. 15. ad populum Antiochenum confirmat. Et Sanctus Augustinus: *Ecce Domine Deus meus, mundus totus plenus est concupiscentiarum,* LAQUEIS, *quos* (tartarei venatores) *paraverunt pedibus meis, & quis effugiet hos* LAQUEOS? non est, ubi quis securus pedem figat: ubique Nemrod ille, callidissimus venator laqueos haber, & retia tendit. S. Leo Pontifex Maximus: *plena omnia per culis,* PLENA SUNT LAQUEIS: *incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra; deterrent damna, amara sunt obloquentium lingua, nec semper veracia sunt ora laudantium. Inde sævit odium, hinc decipit mendax officium, ut facilius sit vitare discordem, quàm declinare fallacem.* Quo te vertes? Laquei in solitudine, laquei in urbibus, laquei in foro, laquei in domo, laquei in templo, laquei in cibo, laquei in potu, laquei in auro, laquei in paupertie, laquei in venustâ formâ, laquei in creaturis omnibus: *in medio* LAQUEORUM *ingrederis.* Disertissimè hæc omnia complexus idem Præsul Africanus: *Ecce diabolus tetendit ante pedes nostros* LAQUEOS INFINITOS, *& omnes vias nostras variis replevit decipulis, ad capiendas animas nostras. Et quis effugiet?* LAQUEOS *posuit in divitiis,* LAQUEOS *posuit in paupertate:* LAQUEOS *tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in somno, in vigilia* LAQUEOS *posuit in verbo, & in opere, & in omni viá nostrâ.* Omnium versutus & sagax venator, palarum explorat, & escam aptam spargit, qua in laqueum inducat, & in muscipulam: cuique enim feræ, suæ escæ illiciæ sunt. Callidè explorat cujusque genium, & ingenium, appetitum, desiderium. Gulosum capit in cibo, temulentum io vino, avarum in auro, lascivum in specie mulieris. Et Eheu!! quot indies captivas animas, in laqueum, in servitutem, & tyrannidem ducit! Alii capiuntur in verbo, alii in perverso, & iniquo opere, alii incauti in somno, alii in vigiliâ, dum stertunt in lectu; ubique, & in omnibus laquei sunt. Hoc Sapiens sapienter mouere videtur, Sapientiæ 14. cap. v.11. *Creatura Dei, in odium facta sunt, & in tentationem animabus hominum, &* IN MUCIPULAM (Græcè, in laqueum) *pedibus insipientium:* Doctor Angelicus 1. part. q 65.a.1.ad 3. norat creaturas naturâ suâ hominem ducere ad creatorem; quod verò ab eo abducant, ducantque ad malum, in laqueum. & perditionem, id fieri non è creaturarum vitio, sed culpâ eorum, qui insipienter eis utuntur, & escâ diaboli illecti,

Chrysost. hom 15. ad pop.

Aug lib. solilog.c. 12.

Eccle. 9. v.20.

Aug lib. solil.c. 16.

lecti, in laqueum incidunt, & tentationem diaboli. Et 1.2. q. 79. art. 1. ad 2. cùm dicitur: *Creatura facta sunt in tentationem.* To in, inquit, *non ponitur causaliter; sed consecutivè: non enim Deus fecit creaturas ad malum hominum; sed hoc consecutum est propter insipientiam hominum. Vnde subditur, & IN MUCIPULAM PEDIBUS INSIPIENTIUM, qui scilicet per suam insipientiam utuntur creaturis ad aliud, quàm ad quod facta sunt.* Atque in eo, tota hujus venatoris vastities sita est, ut homines creaturis abutantur; & quò excellentiores, quò fercula exquisitiora, vina generosiora, dona opulentiora, formæ spectacula venustiora proponuntur, pronios & promptius in laqueum inducantur. Paradoxum dixisse videor: nam quotusquisque est, qui sub lautis epulis, sub exquisitis, & delicatis vini cantharis, sub ingentibus auri acervis, sub venostâ virginis formâ laqueos & retia, sibi credit recondita? Hunc astum stigii venatoris, & veteratoris, S. Augustinus detexit; unde sic Dominum precatur: *Tu Domine lux mea, illumina oculos meos, ut videam lumen, & ambulem in lumine tuo, & non impingam IN LAQUEOS ejus: quis enim evadeat LAQUEOS ISTOS MULTOS, nisi videat eos? Ipse enim Pater tenebrarum LAQUEOS SUOS ABSCONDIT in tenebris suis, ut capiantur in eis omnes, qui sunt in tenebris suis, qui sunt filii tenebrarum harum, non videntes lumen tuum, in quo ambular, non timebit, & qui ambulat in die, non offendit.* Quid miri, si in tenebris ambulent, & passionibus, ac desideriis suis pravis excæcati, laqueos non videntes, hic gulâ, ille temulentiâ, alter avaritiâ, alius specie mulieris captus sit? Alteram technam, & versutiam, è Clara Valle suæ contemplatus Bernardus, his verbis detexit. *Sed qui sunt,* inquit, VENATORES ISTI? VENATORES *utique pessimi, & nequissimi, callidissimi, &* CRUDELISSIMI VENATORES: *cornu non sonant, ut audiantur; sed sagittant in occultis immaculatum. Ipsi Rectores sunt tenebrarum harum, astutissimi versutiâ, & malitiâ.* Quot simplices, & imperitos, per heterodoxos, per pravos socios sagittant in occulto? quot innocuas, & immaculatas columbas sagittant in obscuro, in silvis, in solitudine, in amœnis, & viridantibus pergulis, in caveis, in solariis, in angolis cubilis, ubi servos ancillam, procus sponsam, juvenis puellam sine strepitu, soli solam venantur.

Aug. lib. soliloq. c. 17.

Bern. ser. 3. super Psalm. qui habitat.

Stygii venatoris canes venatici sunt hæretici

Irenæus l. 1 cap 30. Baron, à Christ. 35. Theodoret. lib. hæres. Fab. Simone.

Hos asseclas sibi, stygius ille venator, velut canes venaticos adsciscit, & immittit in animarum prædam. Ita per *Simonem Magum*, primum hæresiarcham, & præstigiatorem, suis fraudulentis laqueis, & necromanticis præstigiis, in retia traxit, teste Irenæo, Menandrum, Saturninum, Basilidem, Carpocratem, Cerinthum, Ebionem, Nicolaum, Cerdonem, & Marcionem. Addit Theodoretus Dositheanos, Eleabauos, Hadrianistas, Eutychitas, Canistas, & alios, per quos tartareos canes, innumeras animas, in prædam stygii venatoris, ministri Satanæ adduxerunt. Consimiles pedicas, & laqueos, per alios hæresiarchas, consequentibus sæculis posuit, ad capiendas animas; sed nullo unquam, scelestius hic *Nemrod*, perfidiori ministro usus est, quàm *Iuda Iscariote* proditore: qui calidissimus, & sacrilegus venator, totam rabiem Judæorum, velut rabidos molossos, in Christum Dominum suum, ad dilacerandum, immisit; de quo apud Psaltem regium, sic amarè queritur: *Circumdederunt me canes multi.* Lorinus ait: Christus, canibus similes, persecutores suos queritur, dicens: me tan-" quam feram circumdederunt, rabidos con-" tra me latratus emittentes, ac sævissimos ma-" ledicentiæ morsus, carnisque dilacerationem" infigentes. Atque in rem nostram: *canes*, Hieronymus, ut Aquila & Theodotio, ex Hebræo, *venatores* exponit. Justinus, canes & venatores, qui jaculo linguæ *sagittarunt in occultis immaculatum.* Hoc est, inquit Augustinus, *ipsum Christum*, atque innocentes. Sic cum *SS. Simon & Iudas* Babyloniam venissent, sub ipso lucis Evangelicæ exortu, sacrificuli, callidissimi venatores, Diaconum immaculatum, & innocuum, jaculo linguæ configere nisi sunt. Impregnata erat nescio quæ puella, viri aliàs suos inter clarissimi, nec in aperto erat à quo vitium passa; nimirum ejusmodi opera, sunt opera tenebrarum, quæ lucem fugiunt; interea usus iis tartareus Nemrod, usi & astutissimi illi venatores, qui hujus nequissimæ calumniæ sagittam, in unum ex Diaconis recens creatis ejaculati sunt, quasi illius culpæ, infandique criminis reum: imò ipsamet puella, vel parentum minis, vel pollicitationibus evicta, in Diaconum peccatum omne rejecit; rata, sic & se macula illa aliquousque purgari posse, & infamari simul Religionem, cujus asseclæ in id venissent audaciæ ac libidinis, ut etiam nolentem, ac reluctantem puellam opprimerent. Ea accusatio in speciem vera, in re autem falsa, eam tamen vim habuit, ut & Diaconus in vincula, & ad Regem mox esset raptandus; quod ubi subintellexerunt Apostoli, ne qua inde labes Religioni, aut ejus administris aspergeretur, rogarunt ut Regi sisterentur puellæ parentes, & puella etiam ipsa: imò & infans recens natus. Postulatis Rex annuit; itaque in ejus conspectum venêre omnes, etiam ipsi Apostoli, qui ab infante adhuc elingui, & fari nescio, petierunt tamen ut clara voce ediceret, an Diaconum pro parente haberet, & agnosceret? qui ilicò, attonitis omnibus, respondit, Diaconum illum nec esse sibi Patrem, nec reum illius criminis; sed castum, & sanctum. Ubi stupor omnes tenuit & parentes, puellamque etiam rubor. Petierunt illi ab Apostolis, ut juberent infantulum effari, ecquis ergo illius pater? negarunt illi se id facturos, quod eorum tantum esset insontes à jaculo linguæ, & sagitta volante protegere, non inducere in laqueos sontes, maximè ubi occultum est scelus: hoc enim apertè, plerumque injustitiæ crimen est, non zelus, amorque veritatis: & ita hinc inde discessum est, & sua Diacono castitas, bonumque nomen stetit, & Religioni Christianæ sua quoque integritas, & sanctitas, quam hi nequissimi venatores, configere conati fuerant. Hic acriter insectandi tartarei venatoris administri, detractores, de quibus aliàs egimus. Itaque contra istam diabolicam, & tartareâ venatio-

Psal. 21. v. 17.
Lorin. hic

Hieron. in Psal. 21. Iustin. ib. Psal. 65. Aug. hic.

Ribad. in vita Bonav. ser. de SS. Simone & Iuda

Detegitur ab Apostolis falsa calumnia, qua sacrificuli, stygii venatoris ministri Diaconum perdere nitebantur.

neio, contra versutos illos, & astutos diaboli venatores, *Simonem Magum*, *& Iudam Iscariotem*, aliosque asseclas, & sectatores, divinus Amor noo modò se venatorem exhibuit, sed & viros Apostolicos venatores effecit: quos inter *sanctum Simonem, & sanctum Iudam Thadæum* elegit, qui in hanc vastam mundi silvam, per nives, & calentes arenas, per saxa & spinas, per mille pericula & vulnera, animas venari, easque Christo prædas adducere laborarent; de quibus illud Hieremiæ vaticinium:

V. Lux Evang. p. 1. Dom. 8. post Pent.

§. I.

Ecce ego mittam eis Venatores, *& venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.* Hierem. 16. v. 16.

Multis licet vera, severa videbitur divi Hieronymi censura, qui in cap. 5. Michææ, agens de Nemrod, quem diabolo confert, sic ait: *Quantum ego possum in meâ recolere memoriâ, numquam* Venatorem, *in bonam partem legi. Ismael & Esau* venatores *fuerunt; quorum alter filius Ægyptiæ est, ambulans juxta carnem & juxta carnem vivens. Alter primitiva propter lenticulam perdidit, & benedictionibus fratris invidens, fugat eum in Mesopotamiam.* Expressius in Psalmum 90. *Esau* venator *erat, quia peccator erat: & penitus non invenitur in scripturis Sanctis, Sanctum aliquem* venatorem. In omni classe hominum, militum, causidicorum, consiliatiorum, nobilium, Regum, pictorum, musicorum, piscatorum, omniumque opificum, quidam sanctimoniâ vitæ illustres, aut incluti, sanguine pro Christo fuso, Heroes celebrantur; at nullum, inquit hic Maximus Ecclesiæ Doctor, *sanctum aliquem* venatorem reperire est. Idem confirmat Ambrosius, dicens: *Nullum invenimus in divinarum serie scripturarum de* Venatoribus *justum.* Hujus rei rationem reddit Hieronymus: *quia* venator *semper versatur inter bestias, & infructuosa ligna lustrat, & silvas.* Addunt alii, venatorem in silvis silvescere, inter feras, earumque sanguinolentam lanienam brutescere, & animi quandam barbariem, & feritatem induere. Unde venatio Clericis, Ecclesiæ voce, & Pontificum edictis prohibita; illa videlicet, quæ à Doctoribus clamosa, vel saltuosa nominatur: in qua sæpè fiunt concursationes, clamores maximi, impetus quidam propè furentium, quo contento & inflammato studio in prædam rapiuntur; quæ omnia, plurimum abhorrent à modestâ & maturâ eorum gravitate, quorum omnes actiones ad virtutis, decorique amussim, & divinæ elegantiæ normam compositæ, directæque esse debent. Quare Patres in consilio Agathensi, & Aurelianensi, prohibent omnibus Christi servis silvaticas vagationes cum canibus, ut rem eo gradu, & ordine indignissimam. Et Nicolaus Papa Lanfredum arguit Episcopum, quod juvenili fretus voluptate, plurimum temporis in venatione insumeret, quod vitium ait tum fuisse commune in Galliâ, & Germaniâ, ubi plures tunc Clerici venationi *irreverenter se implicarent*: Execommunicationis fulgur è Vaticano in hunc Antistitem vibratum, narrat Petrus Blesensis: *Legimus, inquit, quia Nicolaus Papa, suspensionis & excommunicationis sententiam in Lanfredum Episcopum ferri censuit: quia* venaticam artem exercebat. *Ab exordio mundi percurrite Sanctorum Patrum seriem, nullum eorum invenietis* venationi *studium impendisse.* Inter ceteras, hanc prohibitionis in jure Canonico rationem adfert Glossa, *quod homo in* venatione *nihil cogitare possit de divinis.*

Nullus in scriptura legitur sanctus venator. Hieron. in Michæam cap. 5.

Idem in Psal. 90.

Ambr. in Psal. 118. octon. 8. Hieron. lib. 2. in Michæam cap. 5.

Venatio clamosa Clericis & Religiosis illicita.

Lessius de iure & just.

Distinct. 34. c. 1. 2. 3.

Petrus Blesensis epist. 56.

Glossa distinct. 86

Accedit altera, quæ etiam sæculares contingit, quod Festis & Dominicis diebus, passim venatio exerceatur; quod, quàm à Religione alienum, & viris etiam Nobilibus, nedum Clericis indignum, terrifico & tragico prodigio, Deus vindex declaravit. Auctor est Divi Thomæ Angelici Doctoris, magnus Discipulus, Thomas Cantipratanus. Nobilis Theoto, inquit, adeò captus amore venandi, ut etiam Dominicis, Festisque, sacrificio missæ, in templo adesse negligeret. Adeo canum etiam anglorum in silvis, potius quam Angelorum in templis commercia, venatoribus istis sunt jucundiora. Erat huic uxor, pietati, & cultui divino impensius dedita, cujus studium virtutes, & gratiam, ac Deum venari: ejus & blandas monitiones, & severas Dei vindicis comminationes illusit maritus, & fœminæ sermones, ut ranarum coaxationes irrisit. Sed Deus non irridetur. Uxor vicina partui, adversâ lucinâ, seu potiùs vindictâ divinâ, monstrum peperit abortum, prodigiosi capitis, quod canis venatici speciem referebat: erat enim molossico rictu, & auribus Melampi, aut Braccorum (ut vocãt) more, laxis ac pendulis. Erubuit partu mater, obstupuerunt quæ aderant nobiles Matronæ, totâ domo trepidatum est. Consilium fuit, ut monstrum terrâ obrueretur, antequam maritus è venatione domum rediret. Quod factum est. Vix pedem Dominus domus in ædes intulerat, primum habuit, ut quæreret, quid se foris venante, uxor domi cepisset; aut in lucem produxisset? Tacuerunt omnes, & silentio rem dissimulare voluerunt. Suspectum fuit hoc silentium homini, & ut erat militaris, gladio stricto, jubet sibi recentem partum ostendi. Metu exterrita uxor, mandat ut monstrosa proles refodiatur. Quod tam triste spectaculum, ut in medium prolatum est, his illa virum, infamem venatorem, Dei zelo plena, allocuta est: videsne etiam coram oculis tuis, ô marite! quam manifesto prodigio omnipotens Judex, infanam in te venandi libidinem vindicârit? qui utleporem posses capere, aut cervo insidiari, ullo honore dies sacros, nullâ reverentia res ipsas nec adeo ipsum sacrosanctum Christi corpus affecisti. I nunc, & post iterum, neglecto templisque debito cultu, feras sectare. I cum ca-

Venatio festis & Dominicis interdicta, hominibus eventu probatur. Th. Cantiprat. l. 2. apum cap. 49. §. 17 Stegelius de judiciis divin. tom. 3. c. 53.

nibus

nibus tempus consume, quod Deo debetur; accipies fructum, pro filiis canes. His verbis, ac præcipuè monstri tam deformis aspectu, ita tactus est Nobilis, ut studium omne venandi deseruerit, & negligentiam cultus divini, lachrimis ac seriâ pœnitentiâ diluerit. At, quam hodie vobis venationem proponam, eam non modò licitam Clericis, & Monachis, Regularibus, Sacerdotibus, Prælatis, & Episcopis; sed & Deum venatorem, & Apostolos, qui Clerici, & Religiosi, & Præsules, ac Principes Ecclesiæ exstiterunt, venatores esse, ac viros Apostolicos esse debere: atque ipsis Festis, ac solennibus diebus non modò licitam, sed potissimum exercendam comprobabo. Perperam à Salustio factum, & temerè dictum, proœmio de conjuratione Catilinæ, cùm venandi studium inter servilia officia recenset: Nobilium enim, Heroum, Principum, Regumque proprium est venationis exercitium, quod Mithridates, Hadrianus, Carolus Magnus, Henricus I. & Albertus Imperatores affectârunt. De Cyro pulchrè Xenophon lib. 1. de venatione cap. 2. *In adolescentia flore*, VENANDI *maximo desiderio tenebatur, & in pugnando adversus belluas, pericula nulla fugiebat.* Qui postea Cyrus, venationis ludum aperuit, in quo Regni Primates, veluti quadam belli prælusione, ad pugnas exercebat. Pompejus Magnus, cum Numidiam victor peragraret, venationibus leonum, elephantorum, tempus insumebat. Hoc studium Plinius in Trajano commendat, olim hæc experientia juventutis: hæc voluptas erat, "his artibus futuri duces imbuebantur, certare "cum fugacibus feris cursu, cum audacibus "robore, cum callidis astu: nec mediocre pa"cis habebatur decus, submota campis irrup"tio ferarum, & obsidione quadam libertatus aggrestium labor. Hinc Flaccus de venatione:

Sacra venatio commendatur, quam Christus, & Apostoli exercuerunt.

Venatio Regū ac Principum, honestum exercitium.

Xenophon lib. 1. de venat. c. 2.

Plinius in Trajano.

Romanis solenne viris opus, utile famæ,
Vitæque, & membris.

Horat. l. 1. epist. 18.

Reges Galliæ, venatui non minus dediti, pro quibus, unus fuit *Carolus VI.* qui in venatu, optimum Regni auspicium, & cæleste gentis suæ stemma invenit: quippe cui cervus, canum latratibus, excitatus fuit, & ad retia impulsus, tandem captus. Hic è collo suspensum torquem, aut millum gestabat, in quo latinis litteris inscriptum erat: *Hoc me Cæsar donavit.* Ex quo tempore, *Carolus* pro insignibus habuit cervum alatum, auream coronam collo gestantem. *Commodum* Imperatorem sic Julius Pollux adhortatur: venationum studiosum esse te convenit, quandoquidem hoc studium heroicum, Regiumque est, & ad corporis, animique bonam constitutionem confert: atque tam placidæ fortitudinis, quàm militaris audaciæ meditatio est. Sed parum hoc, venationem nobilium studium esse, virorum Principum, Regum, ac Imperatorum exercitium. Xenophon longè sublimius eam extulit, dum asserere non dubitavit: *Venationem esse Deorum inventum.* Est enim hoc opus Dei, & bonitatis singulare artificium, providentissimè, & sagacissimè odorari animas, easque in retia sua pellicere. Verè & eleganter Procopius: *Varia Domini sunt retia*, varii canes, varia venabula, & cornua, & jacula, ac sagittæ; quibus peccatricem animā divinus Amor venatur, quod ingeniosso ad rem nostram apologo, Divus Cyrillus illustravit. Juvenem ille venustâ specie præcellentem (quem Phœbum, seu Apollinem vocant) arcu & sagittis instructum; non feram, sed unam aliquam è speciosissimis silvarum Nymphis sectantem, inducit; quam ut configeret, inusitato sagittarum genere usus, pro jaculis, lucidissimos radios evibrabat. Opportunum enimverò accidit, Nympham penitius lucos ingressam, per devia, invia, & avia cervam venari.

Gaguin. in vita Caroli

Mendosa viridar. lib. 5. problem. 3.

Pollux præfat. l. 5. Onomast.

Xenophon li. de venat.

Procop. in 1. Reg. cap. 19.

Cyrillus Alexand. l. 6. de adorat. in spiritu.

Divinus Amor animam venatur.

Vertitur interea cælum, & ruit oceano nox.

2. Æneid.

Quid agat ignota viarum? per sentes, & dumos sibi viam quærit: dum tandem labore exhausta, sudore perfusa, toto habitu lacera, sæpius collapsa, ad obscurum quoddam antrum devenit: quod ut illa, velut quietis portum, & deliciarum domum se nactam gaudebat; innumeris tamen horrebat colubris, bufonibus, ac serpentibus, quos sibi altâ in caligine, domesticos suos planè ignorabat: quid, quod hos inter, se ad quietem secura composuit. Interea

Ipse amor, admisso sequitur vestigia passu,
Et pennis adjutus amoris.

Ovid. l. 1. Metam.

Phœbus noster eam assecutus, terrifico in spelæo stertentem advertit; continuò hic in eam collimat, & sagittam inusitatam, præfulgidam inquam lucis suæ radium, in pectus ejus ejaculatur: quo illa perstricta expergiscitur, & derepentè illustri hoc jaculo collustrata, velut ipsa in meridie, conspexit se virulentos inter colubros, & immanissimas belluas mediam versari. Quis illi tunc animus? quæ mens? quæ cogitatio? *quanto tremuerunt ossa pavore?* quam è vestigio inde pedem referre, Phœbo quem manifesta in luce videbat, ad genua accidere, se captam prædam, in vincula amoris trahendam, libens dare, cujus radianti telo incolumitatem, vitam, salutem omnem acceptam referre, seque totam ac sua ei devovere: ne deinceps ambulet in tenebris, se posthac in luce sagittatum illius securam sanctè promisit. O benignissime Jesu, qui per te, & per tuos (ut mox videbimus) cælestes Nymphas, animas venaris, *illuminans tu mirabiliter à montibus æternis!* Quod Hieronymus, aliqne vertunt, *de montibus præda.* Divini porro venatoris specie, Christus se manifestum exhibuit Patri Antonio Martinio, arcum manu tenens, & pharetrâ accinctus, habitu cupidineo, mortalium corda (Herten) non cervos, se prædas sectari, nec aliis jaculis, quàm lucidissimis animis sui radiis configere asseverans, juxta illud Prophetæ: *In luce sagittarum tuarum ibunt.* O quam velox, *nomen ejus accelera*, posuit pedes suos quasi cervorum: ecce iste venit saliens in montibus Galilææ, & Judææ, Nympham in densissimo hujus mundi luco venatur; quam tandem horrido in spelæo deprehendit. *Magdalena*, anima vaga,

Psal. 75.

Nierenbergius vita divina cap. 11.

Habacuc. cap. 3.

Christus venatur Magdalenam. vaga, ad fentes occasionum, & divitiarum spinas, pretiosam virtutum cycladem miseré dilacerâtat, horrenda inter flagitiorum spectra, tetrasque belluas fecora degebat; donec divino lucis ejus jaculo saucia cohorruit, se sociam videns draconum, struthionum, serpentum, suam inquam animam, factam speluncam latronum infernalium, immanissimis scelerum monstris infestam. Hoc misero in statu, Phœbus noster, qui *dixit de tenebris lumen splendescere,* ipse illuxit in corde *Magdalena*, & luce sagittarum suarum eam confixit, id est gratiæ, & sermonis sui jaculo sauciavit: nam ut præclarè illustrissimus Doctor Gregorius disserit: *Iacula Dei, in lumine ire, est verba ejus apertâ veritate resonare.* Quæ cælestis lucis jacula, celeberrimus Prædicator Lanuza, per aures ad intima cordis penetrare, animumque illustrare contendit, Dionysii Carthusiani, viri *sanctissimi, & doctissimi*, ut eum Bellarminus Card. appellat, nixus testimonio, hoc primum à Deo, peccatori conferri beneficium, ut radium lucis in cor ejus ejaculetur, quo statum animæ suæ penitus recognoscat: *Primum donum quod datur homini, ex respectu ad lumen, cognitio sui est.* UT COGNOVIT MAGDALENA, exterrita surgit, & immanes scelerum suorum bestias exosa, de tenebris ad lumen accessit, divino huic Phœbo supplex, & captam se prædam, tam amico venatori præbens, in luce sagittarum ejus assiduò ambulavit. Ita & Chananæam sauciavit, quæ veluti *percussa solis speculo*, capta est. Venatur & te animam peccatricem, nec unum in cor tuum, interioris lucis, aut Verbi Dei jaculum conjecit, ut saucia non fugias, sed amicam sibi prædam faciat.

2. Cor. 4.

S. Greg. l. 30. mor. cap. 2.

Lanuza hom. 38. de convers. Magd.

Bellarm. de scrip. Eccles.

Dionys. Carth in epist ad Tuum.

Venatione capta, gratiora sunt, quã dono oblata.

Incredibile porrò est, quæ venatu quis cepit, quàm longè gratiora sint, quàm quæ dono oblata, vel magno etiam pretio coempta. Quod divinè expendit Hugo Cardinalis, quærens: cur Filius Dei, *delicias suas esse dicat*, cum filiis hominum, & non potius cum Angelicis, cum filiis Dei? Perappositè ad propositum nostrum respondet: *Potius sunt ei deliciæ in filiis hominum, quàm in Angelis, vel in aliis creaturis à se conditis: quia de his, QUÆ AUCUPIO, SEU VENATIONE CAPIUNTUR, fiunt deliciæ, non à domesticis; Angeli verò ad domesticas res pertinent; homines autem VENATIONE prædicationis, & AUCUPIO crucis cepit.* Venatur & vos Auditores, illuminat & vos mirabilitet, & non semel pet divini verbi præcones, *venatione Prædicationis*; cælestis gratiæ, ac lucis suæ radios, in te, lascive adolescens, in te filia vaga, in te sordide adulter jaculatur, ut videas, quàm horrendo, ac periculoso loco consistas, & resipiscas: *Sanctienim Prædicatores*, inquit Gregorius, *verbis suis, quasi quibusdam jaculis adversarios feriunt.* Differunt piscatores à venatoribus, quod illi in silentio, sine ullo strepitu, capiunt arundine pisces; & ideo piscatoribus rectè Confessarii comparantur, qui in omni patientiâ, & mansuetudine, sine strepitu, & clamore, aut acri reprehensione, peccatores capiunt, aliàs omnes, ut pisces diffugiunt; at venatores, quibus Prædicatores similes, jure clamant, & vociferantur, cornu & tubam judicii intonant, ut vagas animas terreant, è prostibulis, & scelerum latibulis, sacro horrore, exciant. Extincto rerum omnium Parente, creaturæ omnes, etiam insensibiles parentarunt, & intimum doloris sensum, quasi vivâ viscerum convulsione ostentarunt; quas inter, & scopuli, & durissima saxa fissa, & *petra scissa sunt*, & duritie positâ emollitæ videntur. Cujus rei causam ut invenias, in memoriam revocanda est promissio illa divina, de orbe ad Christi adventum convertendo, quæ sic habetur apud Hieremiam: *Ecce ego mittam eis multos* VENATORES, ET VENABUNTUR *eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum*; si ergò de cavernis petrarum homines eruendi, quatum visceribus ipsi duriores erant, benè in Salvatoris morte petræ scinduntur, ut sperent hi sacri venatores, fortum sibi facilè divini verbi vi, lapidea corda penetrare. Ut scitè S. Ambrosius observavit: *Petra*, inquit, *scissa sunt, ut per prærupta saxorum ostenderetur futurum, quoniam verbi vis, peccatorum dura penetraret, quo facilius ex cavis petrarum*, ILLI VENATORES, *quos Hieremias prædixit*, DOMINO VENARENTUR. Quod quanto studio, & zelo Apostoli, quos *venatores*, teste Hieronymo, per Prophetam prædixit, præstiterint, videamus.

Prov. c. 8. v. 31.

Hug. Ibid.

Deus venatur peccatores.

S. Greg. l. 30. mor. cap. 2.

Venatores quomodo differant à piscatoribus.

Matth. 27

Hierem. 16. v. 6.

S. Amb. in Luc. l. 10.

Apostoli venatores

Juvat certè duos hos ardentissimos prædæ venatores *S. Simonem & S. Iudam in omni monte* Mesopotamiæ, & in omni colle Ægypti, & in cavernis Indiæ & Persidis vagari, vociferari, excutere cubilibus feras, delubris dæmones, templis idola, & mortalium cordibus monstra hæreseos, contemplari. E Babyloniâ, post exantlatos illic labores, excessetant Apostoli, veneruntque in urbem, cui *Suanira* nomen, cum à magis & impiis sacrificulis, vincti in fanum suum ad idola deducuntur. Et ecce, dum Apostoli supplices ad cælum manus extendunt, & Deum orant, idola ipsa mox concidunt, confringuntur impia simulachra, & ipsi cacodæmones ex illis cavernis excedunt, horrendâ in specie Æthiopum figurâ, ingentiq; clamore, quo omnia concuti, & profana fana convelli videbantur. Atque hic cum tartareis leonibus, & stygiis feris felix congressus fuit. Ferunt historici, canes venaticos reperiri, qui eò generosiores fiant, quò contra sæviores feras exercentur. Quintus Curtius, ubi Regnum Sophitis, Indorum Regis describit, hæc addit: nobiles ad venandum canes in ea Regione sunt, leonibus maximè infesti; quod & Plinius confirmat, dicens: Alexandro Magno Indiam petenti, Rex Albaniæ dono dederat duos canes, monens ne in parvas emitteret feras; sed in leone, elephantove experiri vellet. Nec distulit Alexander; sed canem cum leone commisit, quem fractum, dilaceratumq; protinus vidit. Postea elephantem jussit induci, haud alio magis spectaculo lætatus: horrentibus quippe per totum corpus villis, ingenti primùm latratu intonuit; mox irruit assultans, contrà que belluam exurgens, hinc & illinc artificiosâ dimicatione, qua maximè opus est, infestans, atque evitans, donec assiduâ rotatum vertigine, solo afflixit, ad casum ejus tellure concussâ. At nulli, quantumvis generoso molosso animus, aut vires, qui eum stygio leone,

Q. Curtius lib. 9.

Plin. l. 8. cap. 40.

Generosi canes cũ leone & elephante concurrunt.

1. Petr. 5. v. 8. ne, qui *circuit quærens quem devoret*, concurrere audent, aut superare queat, quod canes nostri venarici præstitere. *S. Iudas* alias etiam feras, & belluas aggressus est, dum hæreses eo loci ac temporis enatas, *Simonis Magi, Nicolaitarum, Cherinthi, &c.* consutavit, ac prostravit. In Asia Minore (in qua docuit Apostolus) florebat schola *Simonis Magi*, in qua jactabatur impium illud dogma, solam fidem, etiam sine bonis operibus, ad salutem sufficere. Et alterum Gnosticorum: nullum esse peccatum, præter infidelitatis, ac proinde impune licere vacare commessationibus, ac libidinibus; quàm diabolicam doctrinam acriter insectatur in suâ epistola, eosque appellat *nubes sine aqua, arbores* Epist. S. Iudæ v. 12. *autumnales, infructuosas, bis mortuas, eradicatas, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum*, & hoc non tamen ut acerrime stylo illos configat; sed ut salubriter sauciet, & sanet, atque è tenebris & cavernis errorum, in cælestes auras, & admirabile lumen fidei, cùm aliis innumeris, quos ipse & *sanctus Simon venatione* S. Ambr. in Psal. 118. ser. 6. cepit, perducat. Hinc S. Ambrosius, illos *venatores Domini* appellat, *qui investigant eos, qui captivantur ad vitam*; qui animas venantur, quas Domino suo lætas, ac coronatas offerant prædas: neque enim ut in vulgari aliorum consuetudine est positum, sacri illi venatores prædam SS. Apostoli feriunt ut sanent. ideò petunt, ut vitâ spolient; sagittis quidem sois feriunt, non ut lædant, sed ut sanent, & ut ore Tertulliani loquar, *vulnerant ad medelam*; quippe tela sunt amoris, non mortis. Vulnus faciunt, non quo sanguis, animaque exeat; sed per quod introeat gratia, Cor figunt non ferriacie, sed divini verbi jaculo. Ex India fugerant insignes Magi, Zaroes, & Arphazad, à D. Matthæo, qui venatum venerat, è cavernis exciti, dum ecce Babyloniæ *in Simonem & Iudam* incidunt, quos ut è medio tollerent; serpentes & dracones è latibulis evocant, & in Apostolos immittunt, qui imperarunt serpentibus, ut ipsos magos invaderent, morderent, infícerentque; sed citra mortis periculum; lædere siquidem eos volebant ad medelam, non perdere, sed servare. Valet hîc illud Psalmi 39. Serpentes in se immissos, in auctores remittunt, non ut perdant, sed salvent. Psal 39. v. 12. *Virum injustum mala capient in interitum*. Ubi Psaltes innuere videtur, mala quædam esse leviora & minuta, quæ hominem quidem vexant, & affligunt; sed non ad interitum (ut sunt mala gravia, & lethalia) verum ad salutem; ut sunt plagæ, & vulnera, quæ venatores feris inferunt, non semper ut eas perdant, & trucident, sed ut captas servent; sic Euthymius in dictum locum: *Quoniam* VENATORES *persæpe* Euthym. in Psal. 39 *aliqua ad salutem sunt: hoc est qui feras capiunt, non ut perdant, sed ut servent. Propterea addidit, in interitum, hoc est in perditionem*. Si quis venatorum, felici jaculo leonem conficeret, è cujus unguibus damulam eriperet, quam deinde deliciosè nutriret, & licet ipsa etiam leviter saucia, *in salutem* se capi fateretur. Gemit, & tremit columba, accipitris unguibus jam jam laceranda, quam dexter venator missa sagitta accipitrem transfigens, sic liberat, ut cadentem pariter columbam sibi capiat; an non hæc *in salutem, & non in interitum* præda capta, quæ domi ad delicias asservatur? Tales sunt Apostolici venatores, qui tartarei accipitris, inferni leonis unguibus, animas eripiunt, ut Christo cedant in prædam; quæ licet obiter reprehensione perstringi, & pœnitentiæ plagis leviter sanciri videantur; id tamen in salutem sibi cedere, & agnoscent, & fateantur necesse est. *Venatores ad salutem sunt*, qui velut *odora canum vi*, sagaciter explorant feram, prædamque ex unguibus lupi, aut leonis ereptam, offerunt Domino. Cui zelo documentum, & Bolland. 22 Febr. incitamentum catellus erit. B. Margarita de Cortona, prius vanam, & lubricam vitam ducens, egregiâ formâ, & lascivo ornatu, multorum post se corda trahebat, ac carnis illecebris dedita, nobili cuidam, illi serviens adhæsit. Mirabilis conversio per eam. Cùm is domo secedens, catellum secum duxisset; ille solus domum post aliquot dies rediens, ac gemens, Margaritam, veste dentibus apprebensâ, extra domum pertrahere conabatur. Quæ admirans, catellam sequitur, donec ad quandam lignorum congeriem veniens, catella subsistit, ligna respiciens, & attingens, quasi Dominam ut ea amoveret monens. Margarita itaque, suspicata forte quid feræ delitescere, cum aliquot ligna amovisset, Dominum suum mortuum, jamque vermibus scatentem, horribile visu monstrum reperit. Quo spectaculo adeò commota est, ut anteactæ vitæ pœnitens, excelsam vitæ sanctitatem consecuta sit. Terrificam quidem feram hic catellus, sed nunquam feliciorem quis detexit; qua salutem Dominæ suæ venatus est. Qui tales lupas venari studet in salutem, horrificas feras, quibuscum consuevere, earomque tragicos exitus, ante oculos proponat, & ex ipsis inferis ad conspectum inducat, ut cum Margarita capiantur. Stupendum hoc in cane venatico obsequium, ut dum per silvas, & saltus, per sentes & spinas, sudore & defatigatione feram assecurus fuerit, ungues & ora abstineat, fami imperet, eamque Domino servet, aut deferat; Chrysost. hom 41. ad popul. quod expendens Chrysostomus, ait: *An quæso non tibi videtur esse opus temperantiæ, cum canis fami imperet, qui postquam* VENANDO*, aliquid ceperit, à præsenti se continet escâ, & appositam cernens mensam, licet urgente gulâ, Dominum expectat?* Rectè ad mores Poeta: Canis venaticus prædâ abstinens, quid nos doceat.

Est virtus, placitis abstinuisse bonis. Ovid.

An quæso non tibi videtur esse opus temperantiæ, dum vini appetens, in dapsili, & opiparâ mensâ, ubi massica, falerna, Rubella, Mosella, ad temulentiam invitant, sibi & *fami imperat*? Postquam venando talem occasionem, tale consortium, talem escam ceperit, *an non tibi videtur opus temperantiæ* in eo, qui postquam venando per munuscula, litterulas, varias technas, puellam iosciam, innoxiam, in tale convivium, consortium, colloquium, velut in pedicas induxerit,

Fami imperet, & à præsenti se continet escâ?

An non tibi videtur esse opus temperantiæ, & maximæ virtutis, dum quis in juvenes lascivo, & diaboli venatores incident, qui retia tendendo

dendo, *& venando aliquid ceperint*, & puellam in silva, aut foris in agro deprehenderint, non modò *urgente gulâ* se continuerit, sed & manibus, ac pedicis eorum expedierit, & Dominum expectans, parentibus ac Deo eam restituerit? Idem de Judice sentiendum, qui à muneribus ad expugnandam justitiam, manus abstinet, & animo temperat, sicque in aliis vitiis, imò & rebus licitis,

Ovid. *Est virtus, placitis abstinuisse bonis.*

Lib. 2. Reg c. 23. 16. Lib. 2. Regum cap. 23. ardenter sitiebat David haustum de cisternâ Bethlehem; oblatum calicem, quem in manu tenebat, *libravit eum Domino*, & sibi, ac siti temperavit. Sic & iræ, ac vindictæ, cum feram haberet conclusam, & Sauli pepercit. Plures exemplum æmulati sunt; sed campum apertum discurrere volenti, digito indicasse, satis est. Hæc prærogativa ingens canis venatici, si illæsam prædam dimittat, si Domino fruendam obtulerit, eique gloriam, cujus venatio est, adscripserit. Quid magis mirandum in leone, qui eo maximè titulo, Imperatori Domitiano summis in deliciis erat, quod canis instar venatici, feras venari, & à captis prædis sibi temperare, easque Domino suo adferre soleret. Hunc subitò casu sublatum, luxit, ut canit Statius lib. 4. Sylva 5.

Leo Domitiani præda abstinet, & Domino offert.

- - - Magni quod Cæsaris ora,
Inter tot Schyticas, Lybicasque & littora Rheni,
Et Phariâ de gente feras, quas perdere vile est:
Unum amissi tetigit jactura leonis.

Quod si causam sciscitaris, quid gratiæ hic leo mansuetus habuerit, quâ adeò charus Imperatori exstiterit, non aliam fuisse deprehendes, quàm quod captas feras, Domino servandas obtulerit; vel hoc solo gaudens, & exultans, eo servitio, se Domino suo, sui nullo impendio, aut emolumento, servire posse, unde subditur:

Quid, quod abire domo, rursusque in claustra reversus,
Suetus, & à captâ jam sponte recedere præda,
Insertasque manus laxo dimittere morsu.

Hæc nimirum prærogativa ingens canis venatici, si intactam prædam Domino fruendam offerat, hujus duntaxat voluptati, & deliciis, per immensa pericula studens. Secus ac inepti illi sæculi venatores, quos perstringit Ambrosius: *Inutiles venatores, qui capiant feras, quo in pompam spectaculo populari, præbeant ministerium crudelitatis.* Quantò utiliores venatores, qui capiant animas, quæ in pompam spectaculo divino, Deo, Angelis, & hominibus, præbeant ministerium charitatis? Hoc divinis canibus venaticis, & Christi venatoribus proprium, ut prædam Domino servent. Venatores olim consueverunt prædarum, quas ceperant, ferre exuvias, & cervorum hi pellibus, alii amictu, è versicoloribus avium plumis confecto, utebantur: Quem si morem sequi vellent gloriosi nostri venatores, qui in sacrâ animarum venatione, magnificè, & divinè occupantur,

Ambr. in Psal. 118. serm. 8.

Plut. de fort. Alexand. l. 1.

non ferarum pellibus, aut coloratis volucrum pennis, sed pulcherrimis, gemmeisque virtutum exuviis, exuta leonum tigridum, harpyarum, in iis quos venatione ceperunt, ovium, agnorum, ac columbarum assumptâ naturâ, jure gloriarentur. Alii denique olim Diis caput meleagri, & apri, leonis exuvias, cornua cervi, aliaque appendebant; at sacri venatores, ferocissimas scelerum belluas, teterrima hæreseos, ac stygis monstra devicta, Deo subdunt, atque nobilissimam prædam, ipsas animas Domino suo deferunt. Quod tanto studio, ardore, zelo præstant, ut nullos labores, pericula, vulnera, mortem etiam atrocissimam non reformident, sed exoptent.

§. II.

Cupiuntque suum reperire periclum. Ovid. lib. 8. Met.

Plato in conviv.

Divinè dixit olim Plato, cum *amorem* vocavit SAGACEM VENATOREM: nam quocumque nervos suos intenderit, nihil est, quo non labore, & vigilanti industriâ potiatur: neque enim ullæ eum difficultates, aut discrimina, & horribilium metus absterrent: *Pernoctant* VENATORES inquit Tullius, *in nive, in montibus se uri patiuntur*; imò vitam posuere, Sic Astulphus Longobardorum Rex ab apro quem insequitur, venando interfectus est. Basilius Macedo, Imperii anno 20. à cervo percussus, in venatione moritur. Ludovicus Bavarus Imperator, venando ursum insequens, apuplexiâ correptus, ex equo lapsus, expiravit; aliique innumeri, nimio venandi studio periere. Amor hoc facit, & prædæ ingens cupido, quæ doloris aculeos retundit, & potiundi spes, obstantia omnia perrumpit. Egregiè Petrus Ravennas, cui aureus sermo nomen peperit: *Amor respuit jacula, gladios excutit, pericula insultat, mortem ridet: si amor est, vincit omnia.* Amor igitur, & hic zelus animarum, venator est acerrimus, & prædam assiduè quærit, ac insectatur. In laboribus, dies, & noctes non morari tantum, verùm etiam immori pulchrum putant, & gloriæ ducunt, has opimas prædas, quas per saxa & sentes, lacero non solum habitu, sed etiam corpore cruentato indagant, & insequuntur. Sic divinus ille venator Christus, Ecclesiam, & cujusque animam, inter sentes, & spinas, non sine sudore & sanguine, velut nobilissimam prædam insectatus est. Hugo Card. in illud Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas*, sic ait: *Fecit Dominus* SICUT CANIS VENATICUS, *qui feram insequens, caput intra spinarum aculeos immittit, non timens exulcerationem, ut feram capiat. Ecclesiam, quasi feram inter spinas, id est, inter reprobos latitantem extraxit; sed punctiones spinarum, usque ad sanguinis effusionem sustinuit; in cujus signum, coronam spineam portavit in capite super crucem.* Hujus exemplum, sancti nostri venatores æmulati sunt, dum per mille pericula, & discrimina rerum, per exquisitos cruciatus, & crudelissimam mortem, gloriosam animarum præ-

Cic. tuscul. 3.

Fulgos. l. 9. Pet. Hispalen in vita Conradi 3. Bapta Egnatius l. 2. Krantz. Saxon. l. 1 cap. 22.

Chrysolog. serm. 40.

Venatorum ardor in prædam per omnia discrimina

Hug. Car. in Cant. cap. 2.

prædam Deo attulere, cani illi venatico non absimiles, quem Strabo scribit, leoni commissum, nec à præda divelli potuisse; sed ctus sibi incidi lentâ sectione potius passum fuisse, quàm feram dimittere: *Tantam*, epiphonematis loco subdit Curtius, *illis animalibus ad* VENANDUM *cupiditatem ingeneraſſe naturam, memoria proditum est.*

Strabo Geograph. in India.

Curt. l. 9.

At longè majorem indidisse gratiam, reipsa manifestum est in sanctis Apostolis, qui etiam pedibus, manibus, & capite minui, ac membratim concidi maluêre, quàm prædam animarum dimittere. Qui zelus, utinam Ecclesiæ Pastores, Concionatores, Confessarios, quos Deus MISIT VENATORES, ureret; illos enim, Divus Hieronymus, viros Ecclesiasticos, & Apostolicos intelligit. Quo eodem modo, sumit etiam S. Basilius, in nobili illa oratione, qua Moysis breve oraculum; sed grandibus mysteriis plenum exponit: *Attende tibi ipsi.* Quod monitum esse vult illis omnibus à divina mente propositum, qui salutem animarum curæ, & cordi habere debent: VENATOR, inquit, *es à Deo missus, attende igitur singulari diligentiâ, ne forte fugiat te præda.* Non labor studendi, non libertas compiendi, non incommodum surgendi ad moribundos, non periculum mali contrahendi, nec ipsa vos mors terreat, *ne forte fugiat præda*; quia de manibus vestris Deus animas requiret. Quin & vos omnes, quotquot adestis, venatores esse potestis, & hos sanctos venatores imitari, ad quod aureâ suâ facundiâ hortatur Chrysostomus: *Si enim homines* VENATORES, *loca prærupta, montes, & barathra, & invia quæque loca pervadunt, seu leporem, aut capram, aut aliquid hujusmodi, seu volucres silvestres venari velint; tu qui non bestiam vilem, sed fratrem spiritualem, propter quem mortuus est Christus, à perditione revocaturus es; non jam montes, & saltus, sed portam solum egredi refugis, & erubescis, quam tandem veniam obtinebis?*

D. Hieron. in Hierem. cap 16.

Basilius orat. attende tibi ipsi.

Quomodo, exemplo horum Apostolorum, omnes sancti venatores esse possint.

Chrysost. orat de S. Iuliano tom. 6.

Pudeat vos viros, in hoc sacro venandi studio, fœminas, & virgines sanctas, castas, modestas venatrices, zelo Deo plenas antecellere, ut animulam vagam, & jam jam in casses dæmonis rapiendam, periculo eripiant. Tales sanctus Ambrosius, suo tempore exstitisse commemorat, & commendat quasdam filias Deo devotas, quæ sagaci studio, perditas animas venabantur: *Quod si*, inquit, *investigandis virginitatis inoleverit odor (namque præceteris, speculati* VENATUM *pudoris explorant) totis curarum vestigiis, prædam latentem, usque ad ipsa cubilia persequuntur. Aut si liberior alicujus volatus assulserit, totis omnes videas assurgere alis, concrepare pennis, emicare plausu, ut casto pudicitiæ choro cingant volantem; donec albenti delectata comitatu, in plagas pudoris & indaginem castitatis, domus, Patriæque oblita succedat.*

Fœminæ sanctæ venatrices.

Ambr. l. 1. de virg. sub finem.

S. Magdalena sancta venatrix.

Has inter venatrices Princeps fœmina excelluit *Magdalena*, de qua D. Thomas in illud Lucæ 7. *capillis suis tersit*, sic ait: *Tersit comis, quibus* VENATA *est ad peccatum juventutem;* VENATA *est sanctitatem*, venata est salutem, & quoniam capilli retia sunt (ut mox dicemus) iis Christi pedes feliciter irretiens, venata est Deum. Hæc cælestis Diana, piæ venatricis officia accuratè explevit: venit enim comitata septem Nymphis, quia ingens quam venabatur præda erat. Prima comes fuit *Fides*, de qua Christus: *Fides tua te salvam fecit.* Christum enim non hominem, sed Deum credidit, ait Augustinus. Altera comes erat *Spes*: quis enim venetur, quod non sperat consequi? Quis velit sequi, quod desperat assequi? Paulinus *non tanto ambitu servitutis, & impendiis, & lachrimarum*, SPERASSET *remissionem peccatorum, nisi Deum credidisset in Christo?* Tertia in hoc comitatu, virtus fuit *timoris Dei.* Quarta *pœnitentia*, quam lachrimis restatur. Quinta *humilitas*, quæ eam non ad latus, non ex opposito ante eum; sed retro, secus pedes ejus stare jussit. Sexta est *charitas*, quoniam dilexit multū. Septima, sedula & prompta *devotio*, qua *unxit pedes ejus.* Et hæ quidem Dianæ nostræ comites.

Luc. 7.

Paulin. Epi. 4.

Canes verò venaticos sagaces, ac veloces prorsus, animi affectus emisit: pudorem scilicet, & detestationem vitæ anteactæ: terrorem judicii, horrorem gehennæ: angorem conscientiæ: dolorem de peccatis, propositum vitæ sanctioris: quæ lachrimis, singultibus, gemitibus, suspiriis, quasi totidem lattatibus sese prodebant. Ipsa verò gestabat pharetram, sagittas, & arcum: nam ex pharetrâ contriti cordis, sagittas ardentes amoris depromebat, quas intenso desiderii sui arcu, in Jesum continuò ejaculabatur, non cessans osculari pedes ejus. Nec deerant casses, & pedicæ, capilli scilicet, olim irritamenta malorum, & laquei diaboli, nunc retia salutaria, quibus dum innexuit Christi pedes, optatissimam sibi prædam irretivit, seque illi adstrinxit, & innexuit, atque illud D. Thomæ verissimè comprobatum: *Quibus* VENATA *est ad peccatum juventutem*, VENATA *est sanctitatem*, & ipsum Deum.

S. Thom. cit.

O si ea nobis diligentia, solertia, studium, & zelus esset ad lucrandas Deo animas, qui stygio venatori, ejusque ministris est, ut eas perdat, & devotet! omne illius venandi artificium exponit Divus Bernardus: *Habet nequissimus ille laqueos, habet & jacula, utpote* CALLIDISSIMUS VENATOR HOMINUM, *solum sitiens sanguinem animarum. Alios telis appetit malitiosa cujuslibet suggestionis, & in eis vulnerat multos, quorum tenuis est patientia. Alios voluptatibus irretire laborat, & in his includit multitudinem copiosam eorum, qui in terrâ repunt, aut volitant juxta eam.*

Bern. ser. 1. de S. Andrea.

Retia & laquei diaboli, quibus animas capiat.

Verissimum Doctoris mellifluì effatum, pathetico, simul & peramœno eventu, confirmat D. Anselmus, Cantuariensis Archiepiscopus: Discedente quadam vice Anselmo, à Guilielmi Regis Angliæ curiâ, "pueri Regis, quos nutriebat, leporem sibi oc-" cursantem in via, canibus insecuti sunt, fu-" gientem etiam intra pedes equi, cui Pater" ipse insidebat, consecuti sunt; ille verò sciens" miseram bestiolam, sic sibi refugio consu-" luisse, retentis habenis, equum loco fixit, nec" cupitum bestiæ voluit præsidium denegare." Quam canes circumdantes, se sub equo non pote-

S. Anselm. lib. simil. cap. 158.

Apologus S. Anselmi, de lepore, & anima, venantū periculis exposita.

venantũ periculis expoſita. „potetant ejicere, nec in aliquo lædere; quod „videntes admirati ſunt, qui aderant. At „, Pater pius, ubi quoſdam aſpexit è militibus „ridere, & quaſi pro captâ beſtiolâ, lætitiæ „ frena laxare, ſolutus in lachrimas, ait: Ride- „tis? Et huic utique infelici, nullus riſus, nul- „la lætitia, hoſtes ejus circa eam ſunt, & ipſa „ſola de vitâ ſolicita, confugit ad nos, præ- „ſidium ſuo modo flagitans. Hoc plane fili, „eſt hominis animæ, cum de corpore exit (& „ cum in corpore eſt inter pravos ſocios, aut „occaſiones peccandi) mox enim inimici, „ maligni ſpiritus, qui eam in corpore degen- „tem, per anfractus vitiorum, multis modis „ perſecuti ſunt, crudeliter adſunt, parati eam „ rapere, & in mortem æternam præcipitare. At „, ipſa nimis anxia, huc, illucque circumſpicit, „, & quâ tueatur, defenſionis & auxilii manum „ ſibi porrigi, ineffabili deſiderio concupiſ- „cit; dæmones autem econtrario rident, & „immensâ lætitiâ gaudent, ſi nullo eam admi „niculo fultam invenire queant. Quibus „ dictis, laxato freno, iter arripuit, & beſtiam „ ultra perſequi, clarâ voce canibus interdixit. „ Tunc illa ab omni læſione immunis, exul- „tans, & hilaris, perpeti curſu, campos, ſilvaſ- „que revifit.

Hic ludus, ſeu potius animæ à canibus cinctæ, ut ſe expediat, lucta: hi non in lepore lepores; ſed in animâ, laqueis circumdatâ, terrores, indies exhibentur; & nemo quiſquam, cum Anſelmo, miſellæ compatitur, nemo tuetur, nemo canes arcere & taceſſere nititur: omnes rident, gaudent, exultant cum ipſis dæmonibus de capta præda; nec eſt qui liberet eam de laqueo venantium. Hinc illa plutium querela:

Thren 3. VENATIONE *ceperunt me quaſi avem.*

Quàm multi ingenui, ac probi Adoleſcentes, unius perverſi ſodalis contubernio ſeducti, in omne flagitium proni, illud Jeremiæ cum gemitu ingeminare poſſent: VENATIONE *ceperunt me quaſi avem, inimici mei gratis.* Quàm multæ honeſtæ, ac integerrimæ filiæ, unius impudentis proci alloquio pellectæ, queri poſſunt: VENATIONE *ceperunt me quaſi avem.* Quàm multi conjugati, amoris ſalacis, ac fallacis mulieris illicus, & blanditiis irretiti, & capti, illud uſurpare poſſunt: VENATIONE *ceperunt me quaſi avem.* Quàm multi temperantes, ac ſobrii, ab ebrioſo ad popinas ſeducti (ut paſſim in Univerſitatibus fit) mente, ac pedibus capti, nil in excuſationem adferunt, niſi illud: VENATIONE *ceperunt me quaſi avem.* Idipſum queritur alter Propheta: *vir fratrem ſuum* VENATUR *ad mortem.* Auceps tartareus, aves ſuas illices, & pellices habet, quæ alios in retia, & laqueos trahant. Diſertè S. Ephrem: *qua primum capta eſt anima, ad alias decipiendas, fit quaſi laqueus, ut voluntati inimici obſequantur. Sicut perdix comprehenſa, pro eſca illi proponitur, qua nondum laqueo capta ſunt: Circa illam enim auceps laqueos figit, ut voce ſua perdix reliquas circumvolitantes, ad eoſdem pelliceat.* Atque ut canit Poëta,

Ierem. Thren. 3. Socii pravi, venatores diaboli.

Michæa.

Ephrem. de recta vivendi ratione.

Deceptaque decipit omnes. Ovid. 14. metam.

Laquei, & retia, quibus ſtygius venator utitur, ut Sapiens aſſerit, eſt fæmina: *Inveni,* inquit, *amariorem morte mulierem, qua* LAQUEUS VENATORUM EST: *& ſagena cor eius: vincula ſunt manus illius: Qui placet Deo, effugiet illam; qui autem peccator eſt, capietur ab illa.* Hanc diabolicam venationem, adeò fæminis accommodatam exiſtimavit Eccleſiaſtes, ut ſingula ejus membra, omnia corporis ornamenta, inferni prædonis, ac venatoris, diceret inſtrumenta. Scitè Hugo Cardinalis: *nec eſt una mulier, unus laqueus* VENATORUM: *imo quot membra, vel membrorum ornamenta habet, tot* LAQUEOS *habet, ita ut à planta pedis uſque ad verticem, non ſit in ea videre niſi* LAQUEOS. Ac imprimis, inquit: *ſagena cor eius.* Tum ſcilicet, cùm externis indiciis ſe prodit, vultu, voce, geſtu. Ubi forte pro pectore, cor accipiens, ad illa reticula alludit, quibus impudicæ, pellucido ſipario, veluti reticulo, nuda ubera furtivè oſtendunt; ſed à capite potius ordiamur. Quid tam familiare mulieribus, quàm reticulo crines complecti? Et quæ magis opportuna huic venationi ſilva, quam crinium? ut rectè ab illicio, vernaculo idiomate *Locken* nuncupentur, quibus non unus irretitus eſt. Talis venatrix exſtitit *mulier illa peccatrix,* quæ ut ſupra diximus, capillis ſuis innumeros juvenes irretivit, & animas venata eſt, ut Theologorum Princeps Aquinas dixit: COMIS VENATA *eſt ad peccatum juventutem.* Inde ad oculos veniamus, de iis ſenſum Ambroſii audiamus: *multa,* inquit, RETIA *tenduntur à diabolo, multi* LAQUEI: *oculus meretricis,* LAQUEUS AMATORIS *eſt; ipſi nobis noſtri oculi,* RETIA *ſunt, quibus implicamur.* Et ideo ſcriptum eſt: *ne capiaris oculis,* qui iorta ſe non ſoluos tunicam rectiſſormem (ut optici appellant) ſed & retia tegunt. Prov. 22. *Inſidiatur in via, quaſi latro, & quos incautos viderit, interficiet.* Venationem hic latere, Chaldæus vidit, dum vertit: *ſicut fera rapiens, oculis inſidiatur,* & VENATUR FILIOS INSIPIENTES. Paucos admodum per ſe dæmon irretiret, niſi hiſce decipulis & laqueis uteretur. Hugo Carenſis in Pſal. 90. RETIA *diaboli, ſunt fatua mulieres,* & uti de candelâ dicitur: *Accenderet unica mille,* ita de muliere: *falleret unica mille:* nam ut ait Simon Caſſianus: *una præcapta, index ad capiendas alias facta eſt.* Id enimverò indies fieri videmus in omni aucupio (quod ſpecies venatoris eſt) ut captas aves, pabulo ſubſtrato, modico vinculo intra retia alligatas ſtatuant, quibus alias pelliceant.

Eccleſiaſtes. 7. v. 27. Fæmina eſt laqueus diaboli.

Hugo in Eccl. c. 7.

S. Thomas Luc. 7.

Amb lib. 1. de panit. c. 14.

Prov. 22.

Caſſian. l. 12. cap. 1.

Quid oris, labiorum, ac verborum lenocinium commemorem? de quo Comicus: *Viſcus merus, veſtra blanditia eſt.* Efficacius Mediolanenſis Antiſtes: *verba petulantis mulieris, cupiditatum* RETIA *ſunt.* Quod ſi byſſinis verbis, & melleo eloquio, cantus acceſſerit, prorſus aucupem expreſſeris. Notum illud Martialis:

Plaut. Amb l. 1. de panit. c. 13.

Non

Martial. *Non tantum calamis* (& calamistris) *sed tantu fallitur ales,*
Pallida dum tacita crescit arundo manu.

Quot puellæ castos juvenes, & innocentes animas, ut passeres, voce suâ, in laqueos induxerunt: Ut ille verè:

Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Has pellices, & aucupes, Antistes calamo, & pedo verendus, ac venerandus, sic perstringit Thomas de Villanova: *Væ miseris mulieribus, quæ in hoc fœno poliendo, adornando, formando, vitam expendunt. Vestes pretiosas, & jocalia, & muraulas, & alia puerilia, & vana curiosius perquirendo, factæ sunt* LAQUEI DÆMONIS, *ad capiendos stultos passeres.* Tum subdit etiam similitudinem ab aranea, quæ retia sua tendit, ut muscas venetur: *& veluti aranea* RETIA, *ad capiendas muscas.* Juvenes enimverò, sunt muscæ appellandi, qui hujusmodi retibus capiuntur, & hærent. At nihil nequius ad irretiendum, quàm dum infamesillæ, & prostitutæ pudicitiæ venatrices, ut cum Petronio loquar, prostant in nebula lineâ, ventum textilem indutæ. Ægygtia mulier sic instructa, Josephum in casses pellicere studuit, de quo præclarè Ambrosius: *inmisit oculos uxor Domini ejus in Ioseph: hoc est, non ipse se ostentavit, sed ipsa* RETIA SUA MISIT, LAQUEOS SUOS SPARSIT, &c. Eadem similitudine utitur Orator aureus, dicens: *Quemadmodum* PERITUS QUIDAM VENATOR, *ferâ captu difficili potiri studens, nullum artis instrumentum immotum relinquit; ad eundem etiam modum, ipsa juvenis pudicitiam perspectam habens, ingentis sibi ad juvenem capiendum, apparatu opus esse judicavit.* Omnesque illecebras, ac technas, quas ibi describit, adhibuit. Sed *frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* At quam pauci, hujusmodi pennati? Væ interim iis, quibus diabolus, velut laqueis, hic utitur, *ad capiendas animas:* quæ ut aliquando resipiscant, recogitent secum seriò, brevi futurum, ut & ipsæ terrifico illo venatori in prædam cedant. Et quoniam vis major est exemplis, quàm verbis, illud ad horrorem, & emendationem omnium, adfert Doctor Jacobus de Paradiso, Carthusianus: narrat is quandam filiam, quæ ornata *ad capiendas animas,* aliquando à dæmone, cùm sub arbore, velut auceps sederet, evocatam his verbis: *Surge, veni mecum. Cui illa: quisnam es tu? Et ille: ego sum diabolus, cujus propositum tonaru implere &* RETE NOSTRUM ES, AD ANIMAS CAPIENDAS. *Vnde modò recipies pœnam, non solum pro peccatis tuis; sed etiam pro peccatis omnium, quas per ornatum corporis tui, ad malas concupiscentias induxisti.* Jamque infelix illa rapiebatur ad inferos, nisi Mariæ salutari nomine, atque ope inclamatâ, diaboli manibus fuisset erepta. Numquam deinde mundo suo muliebri exculta; sed modesto, & honesto habitu, ac moribus usa; multoque postca neglectu corporis, quàm antea lascivo nobilior.

Thom. de Villanova conc. 2. Dom. 3. Advent.

Tolenaer. spec. Eccl. p. 225.

Ambr. lib. de Ioseph. cap. 5.

Chrysost. epist. 3 ad Olympiad.

Proverb. 1 v. 17.

Exemplū tragicum de muliere pellice.

Iacobus de Paradiso speculum exemp. dist. 9 Exemp. 107.

Albert. de Alb. de luxu vestium p. 182.

§. III.

Qua ratione cælum, & Deum venari possimus.

QUantum laboris, sudoris, defatigationis, periculi, venator incurrat, ut prædam assequatur, audistis; cujus ut vel longè supparem laborem, & molestiam toleremus, ut salutem, æternam beatitatem, Deum ipsum venari studeamus, hortatur D. Augustinus hoc potenti argumento: *Quot æstus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, à fossis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris perferunt* VENATORES? *Quem laborem esuriendi, & sitiendi: quantas vilissimi, & sordidissimi cibi, & potus angustias, ut bestiam capiant? Et interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta sustinent, sunt epulis necessaria. Quamquam etsi aper, cervusque capiatur, magis suave sit* VENANTIS ANIMO, *quia captus est, quam comedentis palato, quia coctus est.* Quæ omnia, quamtumvis ardua, & periculosa, venandi amor, illis facilia, & amœna reddit; sic enim subdit: *Hæc omnia sæva, & immania; facilia, & propè nulla facit amor.* Ac tandem concludit: *Quantò ergo certius, at facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam, quantum potuit, cupiditas fecit?*

Nulli labori parcendum, ut cælum & Deum venari possimus.

August. de verbis Dom. ser. 9

Quo, quid aliud, sanctissimus, ac solertissimus Præsul commendat, quàm ut eam curam, diligentiam, laborem, operam adhibeamus, ut beatitudinem, ut cælum venemur, quam avidissimi venationis amatores, ut lepusculum, aut damulam sectentur. Quod profectò nemini vestrum perdifficile, aut permolestum videretur, si amor, & charitas, quæ Apostolos nostros, ad cælum sibi, aliisque venandum, exstimulavit, impelleret. Nam, ut inquit alibi idem Doctor: *Nullo modo onerosi sunt labores amantium; sed ipsi delectant, ut* VENANTIUM, AUCUPANTIUM, PISCANTIUM: *in eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur.* Attende, si lubet, mortalium studia, fastidia, pericula, quæ hic subit, ut fluxas divitias venetur: alter ut pingue beneficium: nonnulli, ut filiam cum opulenta dote, plerique ut vanitates, & insanias falsas; Domitiano persimiles, qui totus erat, ut muscas venaretur; atque horum *nullo modo onerosi sunt labores amantium; sed ipsi delectant,* UT VENANTIUM: *in eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur.* Cum verò nemo non cælum amet, quo pacto, illud novo & propè inaudito venandi studio, consequi possit, edisseret Amadæus, Sabaudiæ Dux: qui rogatus à quibusdam Legatis, num haberet canes venaticos? Annuit, & ut posterâ die redirent, edixit; cum verò jam adessent, Amadæus, è pergulâ, ingentem mendicorum copiam eis ostendit, una discumbentium: atque HI SUNT, inquit, CANES MEI VENATICI, *quos alo quotidie, quibusque cælestem gloriam me* VENATURUM *confido.* Hauserat opinor, divinum hunc venandi morem, à magno illo Patriarcha

Aug. lib. de Sancta Viduitate.

Cornel. in cap. 25. Exod. c. 13

Pauperes sunt canes venatici, quibus cælum venamur.

Abraham, de quo Orator aureus: *Abraham* VENATOR PAUPERUM: *quia prætereuntes* VENABATUR; *pro sua quiete ducem, ministrare viatoribus.* Recentius illud, & recensitu dignum quod de Paulo Aretio Cardinali, & Archipræsule, in actis, ad illius beatificationem legitur: cum Placentiæ Episcopus esset, contigit ut à suæ diœceseos Parocho, ad venationis spectaculum invitaretur; cumque stata die advenisset Parochus, sanctissimum Præsulem ad id spectaculi deducturus, sciscitatus illum est Præsul: quos canes venaticos haberet; Quos cum alter planè insignes, sagaces, ac celeres asfereret; sacer Antistes, ut illum à venatione revocaret, meliores, aptioresque apud se esse dixit, atque è vestigio, in penitius domus suæ atrium D. Parochum deduxit, eique ostendit magnam pauperum, qui advenerant, multitudinem, subdens: *Hi mei canes sunt, istis* EGO VENOR. Quo inopinato spectaculo, & salubri monito, dictus presbyter, è profanâ, ad divinam animarum venationem animum adjecit. Ingens, pauperem venari, præda est, quam ut invenite, & assequi valeatis, sagacitatem vobis illius canis optem, de quo actu nunc sum. Venaticus canis Guthardo viro nobilissimo detexit præclaram prædam, sanctum Rochum, abditum sub cornu arbore, intra nemus, ac teterrimâ lue obsitum. Secesserat eò, ne contagium aliis inhalaret, quandoquidem Deus ipsi pestem, ex qua curaverat plurimos, infedisse permiserat, ad experimentum sanctitatis. Ibi ergo ignotus omnibus, præterquam superis, ac Deo, cibum à leporario cane, in hunc modum accipiebat. Rusticabatur in domo suburbanâ, & nemori propinquâ, vir opibus, & genere primarius, Gothardus nomine; sed vix mensæ accubuit, cùm ei canis ex manu panem surripuit, præter solitum quidem; non tamen herus id aliter interpretatus est, quam ut crederet, hoc debuisse tribui ejus seu familiaritati, seu necessitati. Verum quia postridie, tum in prandio, tum in cœnâ, id perinde evenit: increpuit famulos, quasi belluam nun alerent, sed ad raptum adigerent esurire. Illi contra, alimentum præberi affirmant: quocirca Gothardus deinceps canem sectari deliberavit, & observare, quoquam cibum efferret: nam è triclinio statim se cum pane proripiebat. Petendimo in prandio itaque, cum eo egreditur, & ecce ad nemus, quasi venatum procurrit; ubi homini ægro, ulceribusque marcido, sub arbore videt panem præberi, & mox lingi plagas, tergique linguâ canis officiosâ, & salutari. Gothardus hæc vehementer admirans, & lætus quasi de opimâ prædâ repertâ, facile conjectans, divino instinctu ea contigisse, venerabundus accessit, deque viri conditione, & sanctitate certior factus, salutem suam, & cælum venatus est; nam sæculo valedicens, ei perpetuo imposterum comes adhæsit. Si vos salutis vestræ, ac beatæ æternitatis venatores esse velitis, sagacitatem canis hujus, ad famelicos inquirendos, & alendos, æmulamini. Deplorandũ sanè, & maximè execrandũ, homines reperiri, qui quot millia annuè in canes alendos insumunt, ut feras venentur, & pauperes, quibus cœlum venari possent, sinunt fame emori. Bajazetes majorum curatum expers, septem millia virorum, qui accipitres curarent, habebat; quem superasse multis, quendam Barnabam Vicecomitem, scribit Paulus Jovius: hic multa canum millia miserorum rusticorum sumptu, alenda vicatim distribuebat. Execramur hæc in Barbaris, quis ferendum censeat in Christianis? Qui totos canum greges, Britanicos, Gerulos, Gallicos, Aquaticos, auritarios, venaticos, hybridas, molossos, magnis sumptibus alunt. Novi virum nobilem, qui annuè ad mille florenos in panes, canibus objicit; in hos jure detonat Chrysostomus: *Canis tuus cibo fartus est, famulus tuus satietate rumpitur; at vero tuus, & illius Dominus esurit, Christus cum alimento caret necessario, fame perit.* Utinam hi prodigi vanitatis venatores, Valentiniani Imperatoris exemplum sequantur, cujus laude dignum facinus narrat S. Ambrosius: *Ajebant aliqui ferarum eum* VENATIONIBUS *occupari, atque ab actibus publicis intentionem ejus abduci: quod ut rescivit, omnes feras uno momento interfici jussit*; cùm tamen hæc animi, corporisque relaxatio, Imperatori concedenda videretur. Ar utinam illi, qui canes saginant, cum pauperes Christi alere deberent, eorum querimonias, & expostulationes audirent, *& omnes feras uno momento interfici juberent.* Indignum profectò, aliquot annuè aureorum millia in canes venaticos expendi, & pauperes Christi, quibus cælum venari poterant, esurire. Hac in re merito perstringendus Andronicus Palæologus, cui si qui aves accipitres, falcones, aut canes venaticos obtulissent, ejus gratiam venabantur; audiendus Gregoras, qui sub finem historiæ suæ, ita scribit: *Canes, & aves venaticas, magno alebat numero: quibus ita deditus, ut si quis eum aditurus, canem, aut avem offerret, facillimè voti compos redderetur. Quæ omnia Catacuzenum post ejus obitum, iis qui petebant distribuit, cum magnitudinem sumptuum reputaret: & rem ipsam Imperio non modò inutilem, sed etiam periculosam judicaret: nam* QUINDECIM AUREORUM MILLIA, *Imperatoris fisci Procuratores, ultra veterem morem, in eas res expensa retulerunt.* Mirum est, quod addit alius historicus: fuit Andronicus venationis cupidissimus: *Alebat canes amplius mille quadringentos; aves, sive accipitres, supra mille quadringentas, quas qui curarent, propemodum totidem numerabantur.* Docet Doctor gentium, quod cura proximi habenda sit, sed *maximè domesticorum*; filiorum, & servorum; at quibusdam major cura canum est, ut queritur Ambrosius: *Sunt, inquit, plerique, qui de venationibus redeuntes, magis canum, quam servorum* (aut filiorum) *curam gerunt, & faciunt eos juxta se vel recumbere, vel dormire, quotidianum illis cibum sua præsentiâ ministrantes; qui utrum servi ejus fame moriantur, ignorant; & quod est gravius, nisi diligenter his preparatum fuerit, pro cane servus afficitur.* In hunc luxum canum, & prodigalitatem venatorum, venit spectaculum, quod Romæ, sub ipsum hujus sæculi exordium, quis magnorum Procerum dedit.

Chrysost. in Gen. c. 18

Novarini schediasmata l. 8. n. 110.

Surius in vita. Petra sancta Thaumasia tom. 1. 650.

Canis venaticus S. Rochum latitantem detegit, & Domino salutem peperit.

Chalcond lib. 3.

Paulus Jovius in Barnaba. Cassin. parall. eleg.

Chrysost. in 1. epist. ad Cor. hom 17.

Ambr. in obitu Valent. Imp.

Perstringuntur expensæ in canes venaticos, neglectis Dei servis, fame morientibus.

Phranzes l. 1 Chronici. c. 12.

Novarini schediasm. lib. 2 cap. 23.

1. Cor. 5.

Ambr. ser. 33.

Vatent. Gonnesse allocut. ecc. ut gym nasi Allo cut. 5. p. 146.

Is invisenti se honoris gratia ut fit, viro Principi, ejusque assectatoribus, in apertâ, ac subdiali magnificæ domus parte, qua transeundum erat, *venationem exhibuit*, planè theatralem. Nam surgentem è solo sublimius, eaque spatia occupantem excitavit silvam è saccharo, verè cæduam: in eâ feras, canes, venatores, ad justam omnes magnitudinem, omnia ex saccharo conformavit, tam abrogante miraculo veritati fidem, ut nemo quod res erat, animadverteret: ac libatâ solum oculis silvâ, præterirent omnes: donec auctor spectaculi Princeps, prodigaliter prodigus, ne silentio tegeret, perderetque magnificentiam ipse suam, sensim accessit, avulsamq; unius ex fictitiis catulis auriculam, ori, consultus quidem; sed dissimulanter admovit. Ingressi sunt ilico negotium qui aderant, & tanquam signo dato, veri homines in fictas feras insiliunt, venationem undique perturbant; diripiunt, ac ne ipsis quidem venatoribus parcunt: Saxa momento, vepres, arbusta convellunt, magna virorum Principû; sed majore aulicorum voluptate: qui enim onusti jam prædâ discederent; profitebantur in eo domestico nemore, omnia mansucta, ac ne silvam quidem fuisse silvestrem: certè numquam se dulcius ante, suaviusque venatos. At si hos sumptus in pauperes elargitus fuisset, cælum ipsum, terram lacte & melle manantem, atque etiam venationem longè jucundissimam, numquam perituram, in campis Elysiis sibi comparasset. Tandem ut concludam: dixerit olim Divus Hieronymus, & Ambrosius, nullum sanctum venatorem reperiri; ast ea post tempora, plures Ecclesia sanctos censet venatores, qui in solitudine, in silvis optimam & opimam prædam, Deum venati sunt. *Eustachius*, olim *Placidus* (cujus vel nomen Romani Imperii hostes debellabat) Christum inter cornua cervi spectabilem habuit, domumque, nobile spolium, fidem reportavit, percussus illo tonitru, quo olim Saulus: *Placide, quid me persequeris?* Exinde, ille venatione ferarum missâ, cælum, & Deum suum studuit venari. Hæc in silvis cælestis venatio, hæc in solitudine, divina metamorphôsis facta est, dum Christum vidit inter cornua cervi, quod & *Huberto* contigit. Cur non eadem in vobis fit, qui Christum crucifixum in templis, intra privatos parietes, in cubilibus vestris expositum habetis? Cur non cum SS. Eustachio, & Huberto, aliisque Sanctis venatoribus, omni venatione ferarum, omni venatione puellarum, divitiarum, quisquiliarum sepositâ, toto studio incumbitis, ut nobilissimam, & optatissimam prædam, ipsum Deum venari valeatis? Omnes hic vos venatores, & venatrices esse per velim; VENATORES UTIQUE, ut cum Ambrosio loquar, *non culpa; sed gratia*. Hæc sacra venatio etiam festis, & Dominicis, sanctè, & salubriter instituitur. Quod si occupationes, interpellationes, visitationes vos domi, in foro, in urbe obruant, quo minus Deo vacare possitis; in suburbanum, in solitudinem, ad dies aliquot secedite, ubi vel ipsi gentiles, Deorum numina reperienda testantur. Ipsæ silvæ, arbores, tesqua, feræ, solitudo, animum à sæcularibus curis remotum, ad divina, ad ipsum

Sancti venatores, qui cælum & Deum venati sunt.

Bridoul de Sanctis opific.

Ambr. lib 6. hexam. cap. 8.

numen deducunt. Plinius de Trajano: *Post influentia negotia, instar refectionis existimas, mutationem laboris: quæ enim remissio tibi, nisi lustrare saltus? Excutere cubilibus feras? Superare immensa montium juga, & horrentibus scopulis gradum inferre, nullius manu, nullius vestigio adjutum? Atque inter hæc*, PIA MENTE ADIRE LUCOS, ET OCCURSARE NUMINIBUS? Quæ si ad sacram venationem retuleris, invenies in solitudine, *instar refectionis, mutationem laboris*. Remissio tibi erit lustrare conscentiæ saltus: excutere cubilibus animi, vitiorum feras, superare juga, & scopulos difficultatum, quæ aditum ad superiora impediebant: nullius manu, sed Dei gratiâ adjutus, piâ mente pervagaberis lucos, & *divino Numini occursabis*, ipsumque Deum venatus fueris. Facit huc, quod refert Famianus Strada: Carolus V. morti vicinus, accito ad se Philippo II. Hispaniæ Rege, detegit Joannem Austriacum, Filium suum, quem sortis & originis suæ ignatum, clam etiam Philippo fratre, ali jusserat, declarat eundem Joanni, ac Philippo Patrem esse; proinde advocaret apud se puerum, haberetque non minus curâ, & caritate filium, quam sanguine germanum fratrem. Sed Philippus Rex, duos adhuc annos, ab Cæsaris obitu expectavit, quo interim Carolus Filius, Hispaniæ Princeps adolesceret. Tum fratrem agniturus, Vallisuleto ad Spinæ cœnobium, *venandi gratiâ*, magno nobilium comitatu proficiscitur: ad eum locum jubet è Villagarsiâ occurrere, cum *venatorum grege* Aloysium Quisciadam (qui Joannem educaverat) secumque Joannem trahere. Aloysius *instructa venatione*, equum superbè phaleratum inscendit ipse, Joannem vulgari jumento insidentem post se ducit, *venatorum globo immistum*. Cumque ad Torosium montem accessisset (quem circa locum, *venari* prospectabat Regium comitatum) ex equo repentè desilit, idemque ut faciat, Joanni significat. Paret ille: simul Aloysius ante eum provolutus in genua: *Porrigat*, inquit, *osculandam mihi manum, Celsitudo tua. Novi quid habeat veneratio hæc mea, mox à Rege qui te accersit, intelliges: nunc equum instratum tibi hoc ornatu scande*. Restitit ad ea puer, subitâ novitate attonitus; tradidit tamen manum, atque equum scandit, suspensis admiratione qui aderant, & tanquam in scenâ, quem exitum ea catastrophe habitura esset, intentis. Cum ecce in conspectum venit Philippus Rex, *cum venatorum equitatu*: ilico Joannes ad pedes, præeunte Aloysio, se dimittit, Regemque in id officii decorè compositus, de genu veneratur. Tum Rex, manu puerum attollens, num satis teneat, quo patre sit genitus, blandè interrogat: cumque responsi dubius hæreret, quod illum, quem Patris habuerat loco, amisisse se jam videret (nempe Aloysium) Rex equo depositus: *Macte*, inquit, *animo puer, prænobilis viri filius es; Carolus V. Imperator, qui cælo degit, utriusque nostrum Pater est*. In quæ verba puerum fraternè complexus, in equum reposuit, jussitq; illi famulos accedere, utque sanguinis

Plinius in Trajano.

Strada de bello belg. l. 10. Anno 1578.

Austriaci, ac Cæsaris prolem adderet, servire; festo interim *venatorum clamore* personantibus latè campis, ac læto imprimis procerum plausu, diem illum faustum Regi, faustum novo Regis fratri certatim, effuseque gratulantium. Rexque ipse solitus est dicere, *numquam se jucundiorem* VENANDO PRÆDAM, *quam eo die retulisse domum*. Verùm enimverò, longè hac jucundiorem, ac nobiliorem prædam, non filium Regis; sed Filium Dei, quemque vestrûm venari posse, auctor est Theodoretus, Cypri Episcopus, qui sic habet: cùm potentissimus militiæ Dux, ingenti nobilium comitatu, & magnâ canum copiâ, per nemus feras insectaretur; tandem in præcelsum montem conscendit, cujus in vertice, Anachoretam Macedonium, canitie venerandum conspicatus, ex equo ad pedes viri defluxit; ac perbenignè sciscitatus est, quid in hac tantâ solitudine ageret? Tu verò, inquit Macedonius, cujus rei gratiâ huc venisti? ut feras venarer, inquit illic: *Et ego, respondit senex*, HIC DEUM MEUM VENOR, *& eum capere desidero, nec ab hac pulchra cessabo venatione, donec ea præda potitus fuero*. Si ea vos præda potiri cupitis, non in silvas, aut vastam in eremum: non in Ægyptum, Mesopotamiam, Persidem eum Apostolis:

Theodoretus c. 13.

Per rupes, scopulosque, adituque carentia saxa,
Quaque est difficilis, quaque est via nulla salutis,

Ovid. l. 3. Metam.

Excurrendum vobis est; sed solitudinem in secreto cubiculo, in sacro piorum exercitiorum secessu ædificare potestis, ubi non pauci ingentes passionum, & perturbationum belluas, salubriter venati sunt, & nobilissimam prædam, cælum, ac Deum assecuti.



SOLEM-

SOLEMNITAS
OMNIUM SANCTORUM 1. Novemb.

Deduxit eos in portum voluntatis eorum. Psal.106.v.30.



Statio tutissima nautis. Virg.4.Georg.

ARGUMENTUM.

MUndum mare esse assiduis fluctibus & procellis agitatum, ubi mortales susque deque jactanrur, in confesso est. Sed parum hoc, miseros motu perpetuo jactari; gravius inrer charybdim luxuriæ, scyllam avaritiæ, scopulos superbiæ periclitari, atque horrenda indies animarum naufragia formidari, & spectari. Quare hac solenni omnium Sanctorum Festivitate, omnes cogitationes, vota, & desideria ad portum dirigenda: hic autem non est alius, quàm qui, non sine mysterio, à Resurrectione suâ, discipulis in mari laborantibus, *stetit in littore.* Hic nos magnus charorum numerus expectat, *jam de suâ immortalitate securi, & adhuc de nostra salute soliciti.* Ioan.21. Cyprian. de immort.

Alterum est, ipsum hominem, qui in hoc mari jactatur, intus & extus conturbari, nec corpore aut animo unquam in eodem statu permanere; in cælis duntaxat statum reperiri, ubi finis desideriorum nostrorum, & firma ac stabilis summi boni possessio.

§. I. *Homo* NUNQUAM IN EODEM STATU PERMANET. Job.14.

§. II. *Beatitudo* ES STATUS *omnium bonorum aggregatione perfectus.* S Th. 1.2. quæst.3. art.2.

SOLEM-

SOLEMNITAS
OMNIUM SANCTORUM

Deduxit eos in portum voluntatis eorum: **Psal. 106. v. 30.**

Mundus mare.



NUlli non perspectum est, mundum hunc assiduis motibus agitatum, vicissitudinum ventis jactatum, adversitatum procellis quassatum, turbulento mari rectè comparari, ubi miseri mortales fluctuamus, jactamur, periclitamur & naufragamus. Hic omnium Sanctorum Patrum sensus & consensus est. Divus Hilarius in illud Matthæi 8. *Motus magnus factus est in mari*, sic ait: MARE EST HOC SÆCULUM, quod variis tentationum fluctibus, instar effervescentis oceani, agitari solet. Nec minus dilucidè Cassiodorus: MARI JUSTE COMPARATUR HIC MUNDUS: *quia falsitatibus amarus est, fluctibus diabolicis quatitur; vitiorum tempestatibus commovetur.* Hoc inquieto & turbulento mari omnibus transeundum est, hoc omnibus enavigandum, ut luculenter & excellenter Augustinus. *Hoc autem Sæculum adhuc tentationum fluctibus quatitur: adhuc tempestatibus & procellis tribulationum turbatur*; HAC TAMEN ITUR. *Minetur licet mare, & tumeat fluctibus, procellasque parturiat*; HAC TAMEN ITUR.

Hilarius in Matth. cap. 8.

Cassiodorus in Ps. 4

August. in Psal. 103.

In mundo motus perpetuus.

Hoc mare omni Euripo inconstantius semper in motu est, assiduis fluctibus & procellis agitatur, ut in eo Divus Cyrillus, quem tanto tempore subtilissima Mathematicorum ingenia summo studio quæsierunt, *motum perpetuum* invenisse perhibeatur; hic enim in illud Psaltis: *Hoc mare magnum & spatiosum*, vitam humanam mari comparat propter instabilitatem, & rerum quæ in eo sunt, *motum perpetuum*;. omnia enim quæ in mundo sunt, continuò movent, & moventur: unde Hugo Cardinalis: *Mare non est locus mansionis, sed motionis.*

Cyrillus in Psal. 103. v. 25. Corderius hic

Hug. Card in Matth. cap. 4.

Inter furentem æstum, horribilius intonantes procellas, noctem nimbis tumentibus illunem, inter decumanos fluctus, vim typhonis violentam, nigramque tempestatem, scopulosque tentationum, prædonum impetus, ubi *intentant omnia mortem*, navigamus; *hac itur.*

Divinus Vates: *Pertransierunt*, ait, *in mari angusto*: non fretum Gaditanum, non Propontidis angustiæ superandæ; sed inter saxa & symplegades tentationum, inter scopulos vitiorum, ubi angustiæ sunt undique, eluctandum est.

Zacharia 10.

Hoc vel Gentilis vidit: *In hoc profundum inquietumque projecti* MARE, *alternis æstibus reciprocum, & modò allevans nos subitis incrementis, modò majoribus damnis deserens, assiduoque jactans*, NUMQUAM STABILI CONSISTIMUS LOCO, *pendemus, & fluctuamus, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, semper timemus.*

Senec. consolatione ad Polybium c. 28

Quare parum est in hoc tam procelloso mari navigantes jactari; innumera quæ in eo sunt pereundi discrimina, quis enarrabit, nisi qui salvâ nave & mercibus illud enavigavit? Ad rem Ecclesiasticus: *Qui navigant mare, enarrent pericula ejus, & audientes auribus nostris admirabimur.*

Eccl. c. 43. v. 26.

O si quis eorum qui in beatæ Patriæ portum appulerunt, nobis enarraret, quas syrtes & charybdes, quæ monstra marina, quas syrenes, quos pyratas, quot naufragia evaserit! omnes ab ore penderent, intentique ora tenerent. Quæ pericula, inquit Lyranus, *sunt valde multa, & audientes auribus nostris admirabimur, quia talia non vidimus.*

Lyran. hic

Ergò animis adeste, & aures arrigite, non unum vobis adducam, qui ea quæ evaserit, quæque nobis evitanda pericula, enarrabit. Primũ quem audire libet, Divus Hieronymus est: *Hoc ego, inquit, non integris rate & mercibus, nec quasi ignarus fluctuum præmoneo; sed quasi nuper naufragio ejectus in littus, doctus nauta, timidâ navigaturis voce denuncio: in illo æstu, charybdis luxuriæ salutem vorat. Ibi ore virgineo* AD PUDICITIÆ PERPETRANDA NAUFRAGIA, *scylla ceu renidens libido blanditur. Hic diabolus pyrata cum sociis portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi, licet in modum stagni fusum æquor arrideat: licet vix summa jacentis elementi terga crispentur, magnos hic campus montes habet*, INTUS INCLUSUM EST PERICULUM, INTUS EST HOSTIS.

Pericula in mari hujus Sæculi.

Hieron. epist. ad Heliodor.

Pericula luxuriæ.

Hoc indies videre est, dum *ore virgineo* puella *renidens*, ad perpetranda naufragia blanditur; ut non immeritò Divus Maximus, *mulierem viri naufragium* nuncupârit; quâ etiam invictissimi Ecclesiæ heroes, qui inter tyrannorum minas & procellas inconcussi steterunt, miserè perierunt. Emphaticè super hoc argumento Carthaginiẽsis Antistes, horrifica eorum naufragia enarrans, qui mulieri, ceu cymbæ fragili sese crediderunt: *Post Confessionum*, inquit, *victoriarumque calcata certamina, post magnalia, & signa mirabilia*, NOSCUNTUR CUM HIS OMNIBUS NAUFRAGASSE, CUM VOLUNT IN NAVI FRAGILI NAVIGARE.

Cyprian. de singul. Cleric.

Mulier ad omnem malaciam composita, crispata, ornata videtur; *Sed intus inclusum est periculum, intus est hostis.* Tales in hoc procelloso

Fœminæ naves incendiariæ.

mari

Stradam mihi Civil. in 1. lib. 6. comm. 5. numbro 3. Strada de bello Belgic. ann. 1585.

mari *naves incendiariæ* sunt, quæ placidè vehuntur, & insidiosè appellunt; at *intus inclusum est periculum*; dum fomite sensim in pulveris bellici cuniculum penetrante, in horrendum strage ac clade miserandâ erumpunt incendium, ut apud Famianum Stradam videre est.

Psal. 103. v. 25. August. in Psal. 103. conc. 4.

Purpuratus Vates: *Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus: animalia pusilla cum magnis.* Illic Sirenes blandientes & mortem accinentes, illic Circe venenata propinans pocula. In quæ verba Psaltis S. Augustinus: *Terribile mare significat; ibi reptilia, quorum non est numerus. Insidiæ repunt in hoc sæculo, & incautos repentè occupant. Repentes autem tentationes quis numerat? Repunt; sed cavè, ne subrepant.* Fomes sensim serpit, & repit, cave ne in cuniculum, in cor tuum sulphureo pulvere plenum subrepat, & in tartareum erumpat incendium. In eundem sensum Hugo de S. Victore, per mare intelligit concupiscentiam, in quo reptilia, quorum non est numerus, sunt pravæ & portentosæ cogitationes. Et sicut in mari sunt varia monstrorum genera; ita & in hoc mari, quam plurima cogitationum, & scelerum monstra, quæ non immeritò reptilia vocantur, quia sensim in animam quasi irrepunt. Quoniam verò alia aliis sunt terribiliora, idcirco additur: *Animalia pusilla cum magnis.*

Hugo à S. Vict. apud Corderiũ hic

Quot in moribus scelera, tot in hoc procelloso mari vagantur monstra, quæ inter, hæc tria dominantur præcipua, & plurima concitant naufragia, de quibus Hugo Cardinalis: MARE MUNDUS, SPUMANS LUXURIA. *Osea 10. transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam, super faciem aquæ*; nam ut Poeta canit:

Hug. Car. in Lucam cap. 21.

Est Venus orta mari

Item TUMENS SUPERBIA, *unde Psal. 92. mirabiles elationes maris. Item* FERVENS AVARITIA. *Isaiæ 57. impii cor, quasi mare fervens. Hæc tria*, inquit, *totum mundum occupant*, & hoc mare infestant.

2. Periculum superbiæ. Psal. 68.

Quot indies superbiâ elati, tumidis velis in altum provecti, miserè naufragantur? Quorum quisque exclamare posset: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Quod ille in Belgio mercator expertus, dixit:

Ick hadde myn Seyl te hoogh gestelt,
Den Wint heeft my te neer gevelt.

Psal. 106.

Quot in omni regno & republicâ videre est, in altum sublatos, derepente quodam turbine ad ima descendisse? De ejusmodi aptè Propheta: *Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos.* Hoc ex ipsis maris fluctibus & procellis, quàm ex alto ad ima jactentur condiscite, & unum vociferantem audite:

Me miserum! quanti montes volvuntur aquarum,
Iam jam tacturos sidera summa putes.
Quanta diducto subsidunt æquore valles?
Iam jam tacturas tartara nigra putes.

Ovid. lib. 1. Trist. eleg. 2.

Non hyperbolicè sed fide divinâ historicè sacer vates Isaias: *Dies Domini exercituum* SUPER OMNEM SUPERBUM, *& excelsum & super omnem arrogantem, & humiliabitur: & super omnes cedros Libani sublimes, & super omnes montes excelsos, super omnes colles elevatos, & super omnem turrim excelsam.* Post hæc omnia, ultimo loco tanquam rem maximè detestandam, subdit: ET SUPER OMNES NAVES THARSIS; quia *in spiritu vehementi conteret naves Tharsis.* Ad quæ appositè Hieronymus: *Navigio Tharsis comparantur, qui in hujus sæculi fluctibus circumferuntur omni vento luxuriæ* ET VANITATIS; naves enim Tharsis cum auro & argento deferebant *simias & pavos*, quos suis pictis & variegatis plumis adornatæ puellæ referunt; ut rectè unam ex his Tertullianus describens & pavoni componens, dixerit: *Multicolor & discolor, & versicolor: nunquam ipsa, semper alia; toties mutanda, quoties movenda.*

Isa. 2. 12. Psal. 47. Hieron. hic 3. Reg. 10. v. 22. Tertulliã. lib. de Pallio cap. 3.

Paucis Poeta: *Pavone superbior.*

Non aberravit à vero vir genere & litteris præclarus, dum omnem mundum muliebrem apparatui nautico, ac ipsam fœminam, navi similem dixit; juxta illud Plauti: *Negotii sibi qui volet vim comparare.*

Anton. à Burgundia mundi vanitas.

NAVEM ET MULIEREM *hæc duo sibi comparato.*

Plautus.

Tanti enim molis & moliminis est, unam sponsam adornare, omni lineo apparatu, lodicum, indusiorum, sudariolorum, mapparum, &c. Tum teniis, liceis, lemniscis, plumis & longo syrmate velut aplustribus instruere, ut omnem apparatum nauticum exsuperet: nam ut vetus Poeta de illis: Dum *conantur, dum comuntur annus est.*

Terent.

Velum habent, non quo vultum tegant, sed quo ventum captent.

Infidæ naves, quæ omni vento circumferuntur, ac tandem in præceps ruunt. Optimè, si usquam, hic ex ratione naturali philosophatur Seneca: *Navis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus depicta est, nec cui argenteum aut aureum rostrum est, nec cujus tutela ebore cælata, nec quæ opibus regiis pressa est; sed stabilis & firma, & ad ferendum incursum maris solida*; quid autem superbâ & arrogante fœminâ instabilius & infirmius, quæ omni vento novitatum, morum, ac rumorum mutatur; ita levis, ut uno spiritu difflari possit? Sed

Senec. ep. 76.

Naviget hinc alia jam mihi linter aquâ.

Ovid. 2. fast.

Quæ scylla tot naves vorat, quot una avaritia animas? Avarus mare fervens, quod semper æstuat, & nunquam dicit, sufficit. Ita Gregorius Nyssenus: *Avarus pluribus divitiis inhiat, &* QUASI MARE QUODDAM, *immensam expandens cupiditatem, lucri non potest satiari.* Hæc insatiabilis vorago est, quæ per mille pericula mortis, hominem auri cupidum impellit:

Periculum avaritiæ.

Horat. l. 1. epist. 1.

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Anacharsis cum rogasset quemdam, quanta esset spissitudo tabularum nauticarum: isque respondisset, quatuor digitorum: *Tantillum*, inquit, *absunt à morte qui navigant.* Notavit negotiatorum avaritiam, qui lucri gratia semet in manifestum vitæ periculum conjiciunt. Alludit ad Philosophi dictum Juvenalis:

Juvenal. Sat. 12.

I nunc, & ventis animum committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut septem si sit longissima teda.

Saniori ac sanctiori stylo Africanus Doctor: *Quibus tempestatibus & procellis, quàm horribili & tremendâ sævitiâ cæli & maris, impleti sunt mercatores, ut divitias ventosas & perituras acquirant, majoribus, quàm quibus acquisita sunt, periculis & tempestatibus plenas?* (Aug. ser. 9 de verbis Dom.)

Omnes has mercatorum onerarias, aromatis, gausipio, serico, auro & argento plenas, per mille discrimina commeantes, Hussæus vates aptè indigetavit *naves poma portantes*; aurea sint, seu citrea, ubi ad portum pervenerint, computruisse, ac nullius pretii fuere comperi- (Iob. 9. 26.) ent, juxta illud Apostoli: *Divitiæ vestræ putrefactæ sunt*; causam reddit Doctor Angelicus, (Iacobi 5. 2) (S. Th. hic) quia nimis diu accervatæ: *Putrefiunt enim*, inquit, *fructus avarorum præ nimiâ conservatione, vel putrefactæ sunt, id est, ut putredo & stercora repudiatæ sunt*, ubi ad stabile æternæ patriæ littus appulerunt. Magni Thomæ sectator, Purpuratus Doctor, optimè illis consulit, ut in egenos divitias suas, feliciter per eos in portum salutis deportandas, conferant: *Si dispergerentur, non putrefierent.* Unde Pineda in Job, *naves poma portantes*, docet *velocissimas esse debere, propter periculum putrescendi*; ubi attendi possit „ similitudo quædam omnium vitæ bonorum, „ quæ tenuissimâ quâdam dulcedine, breviq; „ gustu se nobis commendant; *ejusmodi tamen sunt, quæ velocissimè exportari debent, ne putrescant, & putescane.* (Hug. Car. hic) (Pineda in Iob cap. 9. v. 26.)

Aliud breve sed salubre Romani Philosophi à nauta petitum, terrenis nimium inhiantibus serviet documentum. Seneca navigationem suam describens & jactationem in mari. *Cæpi*, inquit, *gubernatorem rogare ut me in littore aliquo exponeret. Ajebat ille, aspera esse & importuosa*, NEC QUIDQUAM SE ÆQUE IN TEMPESTATE TIMERE QUAM TERRAM; (Seneca ep. 103.) quo quid aliud admonemur, quàm ut à terrenis opibus longius recedamus, si portum felicem tenere, & miserum omnium mercium, ac præ his pretiosissimæ animæ naufragium effugere velimus. Miseranda quidem & deploranda jactura oneratiæ, aut integræ etiam classis (qualis illa Philippi II. Hispaniarum Regis) quæ naufragio hauritur; sed vel unius animæ, ne totius mundi pretio æstimanda est; nec quis recogitat innumeras indies petire. (V. Strada de bello Belg. decade 2. anno 1588.)

Salvianus, de quo Gennadius, humanâ & divinâ litteraturâ instructus, & ut absque invidiâ loquar, Episcoporum Magister, ad illa verba Pauli: *Ter naufragium feci*, morali sensu excurrens, ait: *Sanè etsi de ceteris, quas dixi virtutibus, nihil facimus; in hoc tamen uno, ubi Apostolus ter naufragasse se dicit, etiam vincimus; non enim ter tantummodò* NAUFRAGAVIMUS, *quorum penè* OMNIS VITA NAUFRAGIUM *est: in tantum quippe vitiosè ab omnibus vivitur*, UT PROPE NULLUS CHRISTIANORUM SIT, QUI NON JUGITER NAUFRAGARE VIDEATUR. (Naufragia animarum. Salvian. lib. 3. de provid. seu Gubernat. Dei sub medium.)

Quid quod tartarei pyratæ non vacuis, sed cælestium bonorum plenis & onustis myoparonibus insidiari soleant; quorum naufragium eò amarius deflendum, quò majorem spiritualium mercium, quas multorum annorum labore & dolore congregarunt, momento unico jacturam faciunt, de quo sanctus Basilius hæc basilicè scripsit: *Miserabile spectaculum, post jejunium, post durum vitæ genus, post prolixas preces, post lacrymas largè profusas, post abstinentiam annorum viginti, aut fortasse triginta, nudum & spoliatum omnibus conspici, & eum consimilem fieri mercatori cuidam opulento, qui ob copiam mercium lætus, secundo vento procedente naviculâ, horrenda maria transgressus*, DIFFRACTO AD IPSOS PORTUS NAVIGIO, *omnibus simul destitutus conspicitur. Sic & hic infinitis laboribus ac sudoribus acquisita, ad unicum dæmonis incursum perdit, & per peccatum, velut feram aut immanem quandam procellam submersus*, OMNEM SIMUL VIRTUTEM NAUFRAGIO AMITTIT. (S. Basilius orat. in initium Proverb. sub finem.)

Quid nobis miseris hoc tempestuoso mari jactatis, & in tantis periculis constitutis agendum? *Infelices heu! nos miseri*, clamat Augustinus, *qui per hujus maris magni fluctus, procellas, atque voragines, navem trahimus*, IGNORANTES AN AD PORTUM SALUTIS PERVENIRE VALEAMUS. *Infelices inquam, quorum vita est in exilio, vita in periculo, finis in dubio. Adhuc in pelagi fluctibus versamur*, SUSPIRANTES AD TE PORTUM MARIS. *O patria nostra, patria secura! à longè te videmus*, ET AB HOC MARI TE SALUTAMUS. (Aug. solilog. cap. 35)

Qui in mari per plures menses & annos tempestate jactati, & mille periculis expositi, in incertum navigarunt, ubi terram conspiciunt, quàm incredibili lætitiâ & gaudio exultant? Ut ille apud Virgilium:

Italiam, Italiam primus conclamat Achates. (Virgil. 3. Æneid.)

Clama & tu in tantis periculis constitutus: *Quamdiu miser jactabor in fluctibus mortalitatis meæ? Audi clamantem Domine, de hoc mari magno, & adduc me* AD PORTUM FÆLICITATIS ÆTERNÆ. (Aug. cit.)

Hic requies à laboribus, hic solatium à doloribus, hic securitas à periculis, hic

Statio tutissima nautis. (Virg. 4. Georg. Aug. cit.)

Exaudi

Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, ET IN MARI LONGE. *In mari turbulento versamur;* TU IN LITTORE STANS, *aspice pericula nostra.*

Mysterio non caret, quod Christus, qui hic in mundo, carne mortali super fluctus ambulavit, & in mari jactatus fuit, à Resurrectione suà, discipulis in mari laborantibus, visus sit in littore stare: *Stetit IESUS in littore.* Arcanum hoc in rem nostram appositè exponit Divus Gregorius: *Quæri potest, cur discipulis in mari laborantibus, post resurrectionem suam* DOMINUS IN LITTORE STETIT, *qui ante resurrectionem suam, coram discipulis, in fluctibus maris ambulavit? Cujus rei ratio festivè cognoscitur, si ipsa quæ tunc inerat, causa pensetur.* QUID ENIM MARE NISI PRÆSENS SÆCULUM SIGNAT, *quod se casuum tumultibus, & undis vitæ corruptibilis illidit?* QUID PER SOLIDITATEM LITTORIS, NISI ILLA PERPETUITAS QUIETIS ÆTERNÆ FIGURATUR? *Quia ergò discipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant, in mari laborabant; quia autem Redemptor noster jam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suam* IN LITTORE STABAT.

Ioan. 21.
S. Greg. hom 24. in Evang.

Enavigavit ipse in littus, per rubrum pretiosi sanguinis sui mare; *hac itur.* Charybdis luxuriæ, scylla avaritiæ, geminique minantes in cœlum scopuli superbiæ & ambitionis prænavigandi sunt, quo Deus per pœnitentiæ tabulam nobis naufragis fluctuantibus manū porrigit.

Præclara illa Giserici Vandalorum Regis vox, à Procopio historiarum monumentis tradita. Is cum esset in portu Carthaginensium, cum instructâ plurimarum navium classe, & omnium pandi vela jussisset; jam paratis ad expeditionem, atque dispositis, rogavit ductor, quem Regiæ navi præfecerat, quò duci vellet? *Quò,* inquit, *voluerit Deus, navigandum;* quo autem velit Deus, non quò venti tentationum abripiunt, non quò noxia carnis siren invitat, non quò avaritiæ aut iræ turbo impellit; se quò voluerit Deus, qui *vult omnes salvos fieri,* & ad portum salutis venire, navigandum est. Ubi nos & Prophetarum, & Martyrum, & Confessorum, & Virginum atque amicorum omnium turba expectat. *Quis non,* inquit Cyprianus, *peregrè constitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans ventum prosperum cupidius optaret, ut velociùs charos liceret amplecti?* (uxores à maritis, liberos à parentibus, amicos ab amicis remotos interroga) *patriam nostram paradisum computamus; magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos, & copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostrâ salute solicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta illis & nobis in commune lætitia est?*

Procop l. 1 de bello Vandal.
1. Timoth 2.
S. Cyprian. de immortalit.

Ad te, *mi Iesu,* qui portus noster es: ad te *Maria,* quæ salus naufragantium es, vota & vela pandimus, *tu timida dirige navis iter.*

Ovid. 1. fastor.

Usui hic nobis, erit rythmus Adami de S. Victore, descriptus ab Hugone.

Sævit mare, fremunt venti,
Fluctus surgunt turbulenti;
Navis currit; sed currenti
Tot occurrunt obvia.
Hinc syrenes voluptatis,
Draco, canes, cum pyratis,
Mortem penè desperatis
Hæc intentant omnia.
Post abyssos, nunc ad cælum
Furens unda fert phaselum,
Nutat malus, fluit velum,
Nauta cessat opera.
Contabescit in his malis,
Homo noster animalis:
TU NOS MATER SPIRITALIS,
PEREUNTES LIBERA.
JESU SACRI VENTRIS FRUCTUS,
Nobis inter mundi fluctus,
Sis dux, comes, & conductus
Liber ad cælestia.
Tene clavum, rege navem,
Tu procellam sedans gravem,
PORTUM NOBIS DA SUAVEM
Pro tua potentia.

Hugo de S. Victor. ser. 3. instruct. monast

Denique ad vos, ô sancti Dei, miseri fluctuantes clamamus; quos Deus *deduxit in portum voluntatis eorum;* id est, ut Hugo exponit: *De maris procellis duxit ad portum salutis, quem volebant, & toto corde desiderabant,* ad portum optatum, portum beatū, qui non est nisi Deus ipse, *qui nobis superest solus portus.*

Psal. 106. v. 30.
Hug. Car. hic
Esdras l. 4 c. 12. v. 42

Ad vos supplices manus tendimus, ut multiplicatis intercessoribus, ventum secundum, mare tranquillum, cursum prosperum habere mereamur. *Felices vos sancti Dei omnes, qui jam transistis hujus mortalitatis pelagus, &* PERVENIRE MERUISTIS AD PORTUM PERPETUÆ *quietis, securitatis & pacis. Obsecro vos, per vestram charitatem,* QUI SECURI ESTIS DE VOBIS, SOLICITI ESTOTE DE NOBIS. *Subvenite nobis miseris, qui adhuc in salo hujus vitæ, circumdantibus agitamur procellis, ut vestris precibus, meritisque adjuti,* SALVA NAVE, ET INTEGRIS MERCIBUS, PERVENIRE MEREAMUR AD PORTUM ÆTERNÆ SALUTIS ET QUIETIS, ET NUMQUAM FINIENDÆ SECURITATIS; ut cantantes celeusma, & per mille pericula triumphantem, coronatamque navim in portum salvi & incolumes appellere valeamus; etenim

August. in meditat. cap. 24.

- - *Cum jam portum tetigere carinæ,*
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.

Virg. 1. Georg.

Ubi nos quies opulenta, & æternitas beata expectat: ubi naulum ubi præmium, & coronæ parantur, nam ut inquit Ambrosius:

Omnes puppes, quæ prætervectæ fuerint, coronantur.

Ambr. lib. Hexam. cap. 11.

(*.*)

§. I.

Homo NUMQUAM IN EODEM STATU *permanet*. Iob.14.

Inconstantia cælo pulsa.

POst fatalem illam Angelorum è cœlo ad inferos ruinam, *Inconstantia* regno æternitatis pulsa, descendit ad terras: cumque se eleganti artificio in tabulâ depingi postularet, nemo quisquam repertus est, qui hoc ausus attentare, quod numquam in eodem vestigio hæreret, eodem numquam vultu appareret: nunc pallida, nunc rubicunda: nunc ridens, nunc flens: nunc blanda, nunc sæva, semper varia & mutabilis, *numquam in eodem statu permanens*, sese exhiberet. Dum tandem rerum omnium artifex *tempus* accessit, atque opere suscepto, pro tabula *hominem* capiens, *inconstantiam* in eo depinxit, & dexterrimè expressit.

Caussin. Court. Sancte l. 2 obstacl. 2. Iob. 14.

Humana omnia assiduis motibus susque, deque volvuntur. Ipsa elementa, ex quorum permixtione homo concretus, quam variis & contrariis inter se alterationibus, & altercationibus præliantur? Frigida concertant calidis, humentia siccis.

Elementa in continuo motu.

Mare, ut vidimus, continuo fluxu & refluxu, ventis ac procellis agitatur. *Aer* nunc Aquilonaribus riget, nunc Zephyris tepet, mox Australibus madet, aut Meridionalibus fervet, nec sine motu, eò spiramus assiduò, & respiramus. *Ignis* non nisi in cælesti suâ sphærâ quiescit, semper crescit, aut decrescit, cui tam proprium moveri, quàm vivere. At saltem *terra in æternum stat*. Sed quid ad hæc? *Cælum & terra transibunt*. Et quod Eccl. 16. v. 18. UNIVERSA TERRA, *& quæ in eâ sunt, in conspectu ejus commovebuntur*. Unde ut stet, non instabilis, aut immutabilis persistit; sed ut inquit Lyranus: "hæc immutabilitas intelligitur quantum ad "partes ejus interiores propè centrum existen-"tes; *partes autem superiores alterantur, & trans-"mutantur: quia talis alteratio & transmutatio in "elementis & mixtis causatur ex motu orbis, & po-"tissimum ex motu solis*.

Eccl. 1. 14. Matth. 24. Lyran. in Eccl. c. 1. 4.

Nec ipsum centrum quiescere, sed totam molem, quæ in aere pendet *ponderibus librata suis*, quàm intestinis & horrendis, rarefacto in venis aere, aut sulphure, aliove bituminoso humore accenso, convulsionibus agitetur, frequentes & ingentes terræ motus testantur, ut in quæstionibus naturalibus solerter observavit Seneca: *Non est dubium*, inquit, *quin multum spiritus lateat intus, & cæcâ sub terrâ spatia aer latus obtineat; quod si verum est, necesse est id sæpe moveatur, quod re mobilissimâ plenum est. Numquid enim dubium esse potest cuiquam, quin nihil sit tam inquietum quàm aer, & tam versatile, & vagatione gaudens?* Unde rectè concludit: *Sequitur ergò ut naturam suam exerceat, & quod semper moveri vult, aliquando & alia moveat. Id quando fit? cum illi cursus interdictus!* atque inde terræ motus, urbium, & regionum strages oriri asserit, ut Vesuvius & Æthna etiamnum testantur.

Ovid. 1. Metam. Seneca l. 6 natural. quæst. c. 16

Quid, quod Philosophi demonstrent, assiduò terram è suo æquilibrio, etiam ad saltum pulicis, etsi insensibiliter, moveri: nam si scrupus auri ftateræ nihil conferat, nec centum, nec milleni movebunt. Ex quibus infertur, ut terra sit in sua instabilitate stabilis; cui argumento & sacræ Scripturæ & Divi Hieronymi Auctoritas favere videntur; hic enim in illud Job. 26. *Qui appendit terram super nihilum*, ait, *hoc intelligendum, quod nihil infra terram sit, quo sustineatur; sed ipsa innumerabiliter, Dei virtute libretur*; quæ autem æquâ lance librantur, minimo scrupo in unam, aut alteram partem sensim inclinent, necesse est; ubi autem in terra, tot indies pondera, moles & machinæ moventur, ut quieta stet, non subsistit.

Iob. 26. Hieron. hic.

Accedit, quod experientiâ manifestum, terram per quatuor anni tempestates, hyemem, ver, æstatem & autumnum, eandem numquam faciem servare, sed maximè variam induere. Unde rectè sensit Romanus Philosophus: *Natura, hoc quod vides regnum* (mundi hujus) MUTATIONIBUS TEMPERAT: *nubilo serena succedunt: turbantur maria, cum quieverunt: flant invicem venti: noctem dies sequitur: pars cæli consurgit, pars mergitur. Contrariis rerum, non æternitas, sed mutabilitas constat*.

4. Anni tempestates variæ. Seneca ep. 107.

Sed ne gentili inhæreamus, Hieronymus Doctor maximus, ad illud Ecclesiastes: ORITUR SOL, ET OCCIDIT; hoc autem "dicit ut doceat *mutationibus temporum*, ortu "& occasu siderum, humanam ætatem labi, "dum nesciat homo. Item aspiciens elemen-"ta, & *rerum multiplicem varietatem*, admiror "quidem operum multitudinem; sed reco-"gitans omnia transire, & suo fine senescere, "*solumque Deum idem semper esse, quod fuerit*, "cogor non semel, sed bis dicere: *Vanitas va-"nitatum & omnia vanitas*; seu ut Cornelius noster vertit: *Brevitas brevitatum: mutabilitas mutabilitatum, & omnia mutabilitas*.

Hieron. in Eccl. c. 1. 4

Quod si nunc ad hominem qui ex elementis constat, oculos reflectamus, & ipsum corpus humanum attentius consideremus, assiduò crescere & decrescere; algere, calere; sitire, esurire, innumeris miseriis ac morbis conflictari, nec unquam in eodem statu permanere comperiemus. *Non videmus quàm multa nos incommoda exagitent, quàm malè nobis conveniat hoc corpus? Nunc de ventre, nunc de capite, nunc de pectore ac faucibus querimur. Aliàs nervi nos, aliàs pedes vexant. Aliquando superest sanguis, aliquando deest.* Mitto cetera. Æterna lex à principio dicta est: nasci, denasci: oriri, aboriri: nec quidquam stabile aut firmum arbiter ille rerum esse voluit, præter ipsum. Egregiè magnus Gregorius: NUMQUAM IN EODEM STATU PERMANET: *quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juventus ad senectutem, senectus ad mortem transit; in cursu vitæ præsentis ipsis suis augmentis ad detrimenta compellitur, & inde semper deficie, unde se proficere in spatium vitæ credit.*

Homo numquã in eodem Statu permanet 1. Quo ad corpus. Senec. ep. 120. S. Gregor. l. 12. moral. c. 27.

Tum epiphonematis loco subjungit: FIXUM ENIM STATUM HIC HABERE NON POSSU-

mus, ubi transituri venimus : atque hoc ipsum nostrum vivere, quotidie à vitâ transire est; omne autem quod transit, stare non potest, sed continuò moveri necesse est.

Attolle, & circumfer mecum oculos, & vide rerum humanarum alternantes vices, & ut in oceanu æstus: tu surge, tu cade : tu impera, tu servi : tu occultare, tu emerge. Et hic tetum in se remeantium orbis, quamdiu erit orbis. Non vertumni in turri, ea omni vento instabilitas & mutabilitas est, ut scitè Nazianzenus ad illud Jobi : *Ventus est vita mea*; quod expendens, ait : *Non habuit unde nostratium rerum inconstantiam aptius proponeret, quàm si diceret supra ventorum inconstantiam esse inconstantem & instabilem. Nihil*, inquit, *motus expers est*, nihil planum & æquale, atque in finem usque sibi " simile : non hilaritas, non opes, non paupertas, non vires, non infirmitas, non humilitas, non potentia, non præsens tempus, " non futurum, non res nostræ, non alienæ, " non parvum, non magnum : *Atque hoc unum æquale habet inæqualitas, nempe in omnibus rebus mutationem. Omnia enim in orbem feruntur, atque in diversum migrant, sibique invicem adversantur; ut ventis potius aut litteris in aquis scriptis fides haberi posse videatur, quàm hominum fœlicitati.*

Iob. cap. 7. v. 7. Nazianz. orat. 17. num. 9.

Interioris hominis instabilitas.

At si interioris hominis motus, æstus, volubilitatem, varietatem penitus introspexeris, vivum maximè ac verum ipsius inconstantiæ & instabilitatis simulacrum expressum deprehenderis; nam ut ait sanctimoniâ & sapientiâ Maximus : *Hanc mutabilitatem, non solum exterius,* SEU INTERIUS QUOQUE HOMO PATITUR : MENS ETENIM MUTABILITATIS SUÆ PONDERE, *ad illud semper impellitur*; cujus instabilitatis causam subnectit : *Quæ* ENIM SEMPER STANTEM DESERUIT, STATUM, QUEM HABERE POTUIT, AMISIT.

Gregor. lib. 12. moral. c. 27.

Hoc si in viro sanctissimo contemplatus fueris, quid de teipso, de homine qui vanitati similis factus es, senties ? Mellifluus Bernardus sic mentis suæ inconstantiam, & animi levitatem, modesto calamo depingit : *Facilius atomos mundi possem dinumerare, quàm motus cordis mei. Velocitas animalium & volatilium meis motibus æquiparari non potest. Cogitationes meas non est qui possit comprehendere. Desideriorum meorum non est modus. Nunc illa, nunc ista cogito, & desidero : nec ista, nec illa habere possum.*

Bern. lib. de interiori domo cap. 62. Cogitationes & evagationes innumeræ.

Hominem fortè corpore immotum, orationi intentum, cellæ inclusum, aut in solitudine abditum; quietum, & minimè vagum autumas ? Erras. *Dum corpore vaco*, inquit, *cogitationibus per diversa loca vagor : nullâ horâ, nullo temporis momento quiesco; sed in momento, in ictu oculi, per multa spatia locorum discurrens, novas creaturas* (in mente) *creo, & iterum easdem eâdem facilitate deleo : vel alio, atque alio modo multipliciter vario*; quæ quisque in se, maximè is, qui curis & negotiis sæcularibus implicitus, longè verius experitur.

Ibid.

Passiones animi.

Tum ad effrenes passiones animi, quæ hominem maximè perturbant, dilabitur : *Dignè explicare non possum, quot alternationis modos, momentaneis perturbationibus induo : & quàm multipliciter me alternantium vicissitudinum motibus variare consuevi, & quibus perturbationibus quotidie afficior. Modò me in fiduciam erigo, modò in diffidentiam cado. Nunc per constantiam figor, nunc subitaneo terrore concutior. Modò me turbat ira, modò ingens furor exagitat*; Quodque mentem summæ instabilitatis & perturbationis arguit, est, quod non variis tantum, sed & contrariis eodem momento passionibus & affectionibus agitetur; sic etenim subdit : *Nec illud adeò mirum, quod variis qualitatibus, diversisque perturbationibus per singula momenta afficior; sed illud supra modum stupendum, quod sub eodem penè momento sæpè contrariis affectionibus tangor : nunc odio, nunc amore ducor : modò gaudio, modò mœrore distrahor.*

Ibid.

Has animi perturbationes, & mentis fluctuationes, quas modestia viri Deo conjunctissimi expressit, in plerisque mortalium cordibus vigere, si ad interiora oculos reflectamus, verissimum comperiemus.

Ecquid porrò in hominis animo stabile, quem nunc ira, nunc amor, nunc gaudium, nunc mœror in varios & maximè contrarios affectus rapit, & vultus inducit?

Præstanter & eleganter Origenes ad illa verba : *Fuit vir unus*, sic disserit : *Hoc pertinet ad laudem justi, quod dicitur vir unus. Nos qui adhuc peccatores sumus, non possumus illum titulum laudis acquirere : quia* UNUSQUISQUE NOSTRUM NON EST UNUS, SEU MULTI. *Intuere namque alicujus vultum, nunc irati, nunc iterum tristis, paulò post iterum gaudentis, & iterum turbati, & rursum lenis. Vides quomodo ille qui* PUTATUR UNUS ESSE, NON EST UNUS; SEU TOT PERSONÆ IN EO VIDENTUR ESSE, QUOT MORES, quot passiones, quot affectiones.

Origen. in 1. Reg. c. 1. v. 1.

Homo varias personas & vultus induit.

Nihil homine mutabilius, qui *numquam in eodem statu permanet*, nihil quod fluctuet magis, coloremque & naturam sæpius mutet, numquam idem, semper alius : *Quomodo*, inquit Ambrosius, *potest unus esse, qui nunc iracundiâ inflammatur, nunc indignatione gravi exæstuat, nunc vultu excandescit, nunc pallore immutatur, per momenta varius & discolor?*

Iob. 14.

Ambr. epist. 52.

Chamæleon non sic de corio suo ludit, ut de moribus homo : neque aer, claræque nubes tot sumunt effigies diversarum rerum, quàm ille diversitatem affectuum.

Protheum unum excogitavere fabulæ in genere illo famosum, nos infinitos propè indies videmus. Qui heri ex adamante factus videbatur, Martio pectore magnanimus heros, hodie est omni muliere imbecillior, fractus in venerem. Propone tibi hominem, qui amicam hodie explicat frontem, cras aversam à te contrahet. Mane lacrymis madebat, vesperi risu dissolvitur. Horæ intervallum est inter amorem Oresteum, & Vatinianum odium.

Sunt nonnulli istius generis homines, qui ab animi mobilitate toties, quoties horologium sonat, aut potius ventus flat, nunc in bonum, nunc in malum deflectunt. Homines diarii, imò horarii. Unica lectio libri, aut epistolæ rectè aut sinistrè intellectæ, sæpe legentis mutatio, sæpe perditio est. Verbum lascivum,

continuitus cupidior, societas nequior, illos in transversum agit: nno, eodemque die quis est Angelus & dæmon: Nero & Caroleo & lepus: aquila & noctua, *nunquam in eodem statu permanens*; quam ridiculam, aut potius flendam instabilitatem, in ipsis Ethnicis Seneca graviter sugillavit: *Quidam alterius Vatinii, alterius Catones sunt. Multiformes sumus: modò frugi tibi videbimur & graves; modò prodigi & vani. Mutamus subinde personam, & contrariam ei sumimus, quam exuimus.* DE ALIQUO QUEM VIDISTI HERI, MERITO DICI POTEST: HIC QUIS EST? TANTA MUTATIO EST.

Seneca epist. 120.

Hanc animi fluctuationem, mutationemq; perpetuam, antequam pluribus comprobemus, quæstio non futilis, nec proposito nostro inhabilis discutienda videtur, quam subtili indagatione examinat *Zeno Veronensis*: quî fieri possit, ut homo tam varius & mutabilis, ad imaginem, & similitudinem Dei immutabilis, creatus sit? Sic autem habet serm. 2. in Genesim: *Cùm de se dixerit Deus, ego sum, qui sum, & non demutor, quid est quod ait: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram? Cùm hoc ita sit, homo quemadmodum Dei imaginem portat? Cujus vultus passibilis, omni conversioni subjectus, momentis omnibus demutatur, labore, ætate, languore, irâ, gaudio, tristitiâ: totque induit vultus, quot animi motus, nullusque prorsus dies, qui jugiter sibi similem esse videatur? Cum hæc aliter non sint, ergone Dei imaginem non habemus? Habemus planè, & quidem manifestam, sed nobis portantibus non notam*; eam autem cognoscemus, ubi similes illi fuerimus, *quando corruptibile hoc induet incorruptionem.*

Quæritur, quomodo homo tam varius, ad imaginē Dei immutabilis creatus sit.
Zeno Veron. hom. 1 in Gen.
1. Cor. 15.

Aliam argumento nostro congruentiorem Divus Hieronymus rationem reddit: *Nunc ira personam leonis nobis imponit: nunc cura superflua in annos plurimos duratura præcogitat. Si damnum, ut sæpe in re familiari accidere solet, fuerit nunciatum, vultu mœrore deprimitur: lætamur ad nummum: amisso obolo contristamur. Unde cum in uno homine, animorum tam diversa sit facies, Propheta Dominum deprecatur, dicens: Domine, in civitate tuâ imaginem eorum dissipa.* Ac tandem concludit: cùm enim ad imaginem & similitudinem conditi simus, EX VITIO NOSTRO PERSONAS NOBIS PLURIMAS SUPERINDUCIMUS; easque tam varias in hoc mundi theatro, quàm histriones in scenâ, assumimus: *Quomodo*, inquit, *in theatralibus scenis, unus atque idem histrio, nunc Herculem robustus ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem*; ITA ET NOS, TOT HABEMUS PERSONARUM SIMILITUDINES, QUOT PECCATA.

S. Hieron. epist. 18 ad Marcell.

Quod si nunc ad potentias animi veniamus: *Memoriâ* quid infirmius, quid inconstantius? Excidunt vix audita, diu præmeditata: occurrunt nunquam cogitata, diu oblitterata: turbat hominis dignioris, imo etiam avis prætervolantis præsentia, vel cujusvis fixius intuentis impudentia, vel aetis percussi, aut inconditi strepitus violentia, fitque non rarò nobis, quod garrulæ picæ accidit, quæ per plures annos garrire docta, tormento bellico exploso, pisce taciturnior hæserit.

3. Potentiæ animi maximè mutabiles.

Voluntas omni pinnâ ventorum indice levior, omni aurâ movetur, in bono maximè instabilis: *Nesciunt homines*, inquit Seneca, *quid velint, nisi momento quo volunt*, & mox nolunt. Paret in iis quæ indies homo fortiter vult, & firmiter statuit, & ante vesperam non vult, imò contrarium vult, & agit. Compello te, quoties tecum solus, aut in Sacramento pœnitentiæ, sanctè voluisti & statuisti, ut temulentiam quam corpori, & animo obesse scis, devitares; & tamen dum vinum in oculis, & vitrum in manibus est, contra scientiam, conscientiam & experientiam, libertimè excessisti? quoties rogatus, an firmiter velis occasionem peccandi, consortium lubricæ puellæ deserere, ancillâ cui confuesti, dimittere, cum lacrymis spopondisti, & Eucharistico pabulo sanxisti, & tamen eodem vespere, te tam fœdè commaculasti? Quoties injustis lucris manus abstinere, & malè parta restituere promisisti; & interim dies & anni labuntur, quibus illud velle, vento levius in auras evolavit. Unde S. Thomas: INCONSTANTIA *importat recessum à bono proposito.*

Senec. ep. 20.
S. Thom. 2. 2. quæst. 53. art. 5.

Hanc animi levitatem, & in proposito inconstantiam ut homine indignam damnavit Seneca: *Vitium est hæc diversitas, & signum vacillantis animi, ac nondum habentis tenorem suum* (seu statum) *dicam unde sit ista inconstantia, & dissimilitudo rerum, consiliorumque: nemo proponit sibi quid velit* (verè, & firmiter) *nec si proposuit, perseverat in eo, sed transilit.* Et alibi ait: *Nemo non quotidie & consilium mutat & votum: modò uxorem vult habere*, modò in exteras regiones excurrere: modò quis religionem cogitat, cras ducit sponsam, & ut de simili jactari possit illud Proverbium: *Manè psalterium, meridie convivium, vespere convicium & propudium.*

Seneca epist. 20.
Id. Epist. 120.

Nec minor *judicij & intellectus*, ut potentia necessaria sit, instabilitas est quem appetitus inferior, & effrenis affectus excæcat, ac ducit quò libitum est.

Quoties mutamus sententiam, & quem hodie innocentem, cras reum judicamus? Quem hodie pium, probû, justum prædicamus, paulò post eundem impium, improbum, sceleratum damnamus.

Patet in Præside Pilato, aliisque iniquis judicibus ejus affectis. Talis Cajus Cæsar à Philone depingitur: erat inconstans ingenio " ùr mox pœnitens si quid boni fecisset, irri- " tum infectumque id cuperet. Verbi gratia: " vinctos solvit aliquos; mox nihil commeri- " tos, vinxit denuo, omni spe ademptâ jam mi- " serrimos. Alios damnavit exilio, eosdem " nihil novi molientes, universos occidi jussit. " *Hæc fuit ejus morum inæqualitas, & inconstantia.*

Philo. lib. de legatione ad Cajum.

Tigellium Sardum, Flaccus Satyra 3. inde præsertim proscindit, quod præ levitate, & mentis mobilitate, nunc hoc, nunc illud decerneret: nunc sibi graviter incedendum, nunc gressum accelerandum: nunc familiam augendam, nunc minuendam:

Horat. lib. 1. Sat. 3.

Nil aquale homini fuit illi ; sape velut qui
Currebat fugiens hostem : persape velut qui
Iunonis sacra ferret. Habebat sape ducentos,
Sape decem servos &c. NIL FUIT UNQUAM
SIC IMPAR SIBI.

Seneca ep. 120.

Idem de Frontono sentit, & scribit Cassiodorus epist. 34. *Omnes* inquit Seneca, at saltem plerique, *tales sunt, qualem hunc describit Horatius :* qui nunc probant, nunc improbant : nunc idem laudant, nunc vituperant, quia ut idem ait : *Variatur quotidie judicium, & in contrarium vertitur.*

Idem ep. 20.

Quorsum hæc tam fusa & prolixa de humana inconstantia, & hominis instabilitate enarratio ? Nisi ut paululum è rerum humanarum fluctibus caput attollamus, eòque animos, & oculos convertamus, ubi *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* ; ubi ut Boetius loquitur, *est vita interminabilis tota simul & aterna possessio.*

Iacob 1.17

Boetius l. 5. pros. 6.

§. II.

Beatitudo EST STATUS *omnium bonorum aggregatione perfectus.* S. THOM. 1. 2. quæst. 3. a. 2.

Cælum Olympo comparatur, ubi omnia semper in statu.

Plinius l. 16. c. 32. sub finem.

Solinus l. 3 Polyhist.

INter excelsissimos montes censent tam profani, quam sacri Scriptores, *Olympum* Macedoniæ montem, altius verticem sustollere, quem Plinius ait præ ceteris *lauro copiosiorem* esse. Alias ad rem nostram proprietates Solinus lib. 3. Polyhistoris adfert : primum, inquit, excellenti vertice tantus attollitur, " *ut summa ejus, cælum accola vocent.* Ara est in " cacumine Jovi dicata, cujus altaribus, si qua " de extis inferuntur, non difflantur ventosis " spiritibus, nec pluviis diluuntur ; sed volvente altero anno, cujusmodi relicta fuerint, ejusmodi repetiuntur, & ab omnibus " corruptelis aurarum vindicatur, quidquid " ibi semel est consecratum. Illudque magis stupendum, quod mox subdit : *Littera in cinere scripta ad alteram anni ceremoniam permanent.* Nihil illic turbidum, aut tempestuosum, *semper serenum est ; inferiora fulminant.* Unde rectè Lucanus :

Seneca l. 3. de ira cap. 6.

Lucan l. 2 Pharsal.

- - *Nubes excedit* OLYMPUS,
Pacem summa tenent.

Augnst. de Genesi ad litt. lib. 3. cap. 2.

Diviniori stylo Hipponensis Antistes Augustinus, de Genesi ad litteram : *Verum dixit quidam sacularium Poetarum :*

- - *Nubes excedit* OLYMPUS,
Pacem summa tenent.

Idem de Genesi contra Manichæos l. 1. cap. 15.

Quia perhibetur in Olympi vertice aer esse tam tenuis, ut neque nubibus obumbretur, neque turbetur ventis. Et alibi luculentius : *Mons ille Macedonia,* QUI OLIMPUS VOCATUR, *tanta altitudinis esse dicitur, ut in ejus cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes se colligant : quia excedit altitudine suâ totum istum aerem humidum, in quo aves volant ; & ideo nec aves ibi volare asseverantur, quod ab eis perceptum dicitur, qui per singulos annos solebant nescio quorum sacrificiorum causâ, memorati montis cacumen scandere,* ET ALIQUAS NOTAS IN PULVERE SCRIBERE, QUAS ALIO ANNO INTEGRAS INVENIEBANT ; *quod fieri non posset, si ventum aut pluviam locus iste pateretur.*

Ab hac perpetua tranquillitate, & continua serenitate, supra ventos & nubes, ceterasque aeris perturbationes & tempestates, cælum ipsum *Olympum* nuncuparunt, ut supra Solinus, & passim Poetæ, quorum princeps Maro, ubi Deos in concilium à Jove vocatos dixit :

Panditur interea Domus OMNIPOTENTIS
OLYMPI.

Virg. lib. 10. Æn.

Et lib. 12. *Rex omnipotentis Olympi,* summus Deorum Jupiter vocitatur. Atque ut ostendat, quanto intervallo inferi distent à superis, ait :

- - *Tum tartarus ipse*
Bis patet in praceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus AD ÆTHEREUM *cali suspectus* OLYMPUM.

Id. lib. 6.

Eadem confirmat Augustinus : OLYMPUM MONTEM DEORUM HABITACULUM *sub incertâ fide Gracia fabulatur.*

August. epist. 43.

Ad nos certâ & divinâ fide demonstrabimus, *cælum,* quod hactenus *per Olympum* adumbravimus, domum omnipotentis Dei, & *Divorum habitaculum,* lauris copiosum esse, sacrificium laudis Deo vivo & vero illic jugiter celebrari : nomina non atenæ, sed libro vitæ exarata, in omne ævum permanere : supra omnia humana, quæ assiduis quatiuntur motibus, & super omnem regionem aeris, cælorum ac planetarum revolutiones, semper illic innube ac serenum esse, longè aliter quàm *Claudianus cecinit :*

- - - *Ut altus Olympi*
Vertex, qui spatio ventos, hyemesque relinquit,
Perpetuum nulla violatus nube serenum
Celsior exsurgit pluviis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.

Hic *mons Sion non commovebitur in aternum,* ut scitè & eruditè gravis Theologus Lessius: *Mons Sion* supra terrenarum fastigium sordiũ, *mens Beati,* quam non deterrent fulgura, " quam non feriunt fulmina, quam tonitrua " non concutiunt: quam tempestatum horror, " ac procellarum turbines non devastant.

Psal. 124.

Lessius de perfect. divin. lib. 14. cap. 3, num. 83.

Fallitur gentilis Philosophus, cùm dicit : *Talis est sapientis animus,* QUALIS MUNDI STATUS SUPRA LUNAM ; *semper illic serenum est. Numquam sine gaudio est ;* talem enim sapientem hic in fragili carne, & inter orbis tumultus invenire non est ; sed in cælesti patria : *Ubi non solis ardor comburit, non ventorum violentia exolvunt, non novilunia tabefaciunt, non glacies congelat ;* ubi

Seneca epist. 59.

S. Basilius serm. de paradiso.

ubi tuti ab æstu carnalium cupiditatum, ab elatæ superbiæ turbinibus, ab instabilis mundi plenilunus, ab pigro inertiæ gelu, quo refrigescit charitas multorum. Ubi, inquit aureus Orator: *Non est vanitas, sed veritas: ubi cuncta firma & stabilia: ubi nihil veterascit, senescit nihil,* nec marcescit; seu ut diviné modulatur Augustinus:

Chrysost. hom. 55. ad popul.

Abest limus, deest fimus, lues nulla cernitur:
Hyems horrens, æstas torrens, illic numquam sæviunt.
Flos perpetuus Rosarum, VER AGIT PERPETUUM:
Virent prata vernant sata, rivi mellis influunt:
Pendent poma floridorum, non lapsura nemorum.
Non alternat luna vices, sol vel cursus siderum;
Agnus est felicis urbis lumen in occiduum.
Nox & tempus desunt ei, diem fert continuum.

Aug. medit. c. 26.

Cum itaque nihil in hoc mundo stabile sit, sapientissimo mortalium attestante: *Vidi nihil permanere sub sole*, quia omnia finem habent; superest ut status, qui est conditio vitæ immobilis, in cælo æternus sit, ut doctè & disertè Doctor Angelicus: *Cùm enim beatitudo sit perfectum bonum & sufficiens; naturaliter autem homo desideret retinere bonum quod habet, & quod ejus retinendi securitatem obtineat, oportet quod desiderium hominis quietet, & omne malum excludat. Alioqui necesse est, quod timore amittendi, vel dolore de certitudine amissionis affligatur; non igitur jam verè erit beatus, si aliquod malum ei inest;* quod malum gravissimum censendum esset, ut " rectè Lessius: tantum enim mali existima- " tur rei amissio, quantum boni putatur ejus " possessio. Quare cum possessionem Dei " æstimet beatus esse summum bonum, ejus " amissionem necessariò cooferet summum " malum; ac proinde non posset esse beatus, sed summè anxius, & mœstus maneret. Sicut patet in iis, qui summum suum bonum & quandam beatitudinem collocant in rebus hujus vitæ, qui magno mœrore & angore officiuntur, dum de morte cogitant, quâ omnia perdant.

Eccl. 2. 11.

S. Th. 1. 2. quæst. 5. art. 4. Probatur quod beatitudo sit status.

Lessius de summo bono lib. 3. cap. 9.

Ex quibus patet, quàm erassè hallucinentur mortales, qui hic sibi status Baronum, Comitum, Marchionum, Ducum, Regum, Imperatorum somniant: aut in prosperâ sibi per omnem vitam fortunâ, perpetuum statum arbitrantur. Qualem ajunt fuisse Q. Metellum. Hunc, teste Valerio, plurimis beneficiorum gradibus, indulgentiâ fortunæ numquam cessante, à primo originis die, ad ultimum usque fati tempus, ad summum beatæ vitæ cumulum felicitas perduxit: nasci enim in urbe terrarum principe voluit, parentes ei nobilissimos dedit: adjecit animi rarissimas dotes, & maximas corporis vires, ut omnibus laboribus sufficere posset. Conjugem ei nobilitate, pudicitia & fœcunditate conspicuam conciliavit. Decus insuper Consulatus, Imperatoriam potestatem, speciosissimi triumphi prætextum largita est. Fecit ut eodem tempore tres filios Consulares, unum etiam Censorium, duos triumphales, & quartum Prætorium videret. Concessit ut tres filias nuptui daret, earumque sobolem sinu exciperet. Tot partus, tot incunabula, tot viriles togæ, tam multæ nuptiales faces, honorum & imperiorum, omnis denique gratulationis summa abundantia: cum interim nullum funus, nullus gemitus, nulla tristitiæ causa. Hunc vitæ actum, consentaneus & æquè felix (si dicere fas est) excepit finis: nam Metellus ultimæ senectutis spatio, lenique mortis genere, inter oscula, complexusque charissimorum extinctus est. Filii & Generi, suis humeris defunctum per urbem extulerunt, & rogo impofuerunt.

Valerius Max. lib. 7. cap. 1.

Hic insulsissimè Valerius: *Cœlum*, inquit, *contemplare*, VIX IBI TALEM STATUM REPERIES. O quantum, pectus hujus hominis gentilis & idololatræ, noctis habet? ecquis status, ubi mors sua falce omnia demetit? ubi finis, ubi præcipitium fortunæ, ubi ruunt omnia & voragine sepeliuntur humana omnia, & anima gehennâ? O statum maximè instabilem, eoque miseriorem, quo plus felicitatis ademerit. Non talem, sed longe meliorem & veriorem in cælo reperies, quem attentius contemplatus Carthaginensis Doctor, exclamat: *Qualis illic celestium regnorum voluptas, sine timore moriendi, & cum æternitate vivendi! quàm summa, & perpetua felicitas!* Excluso omni timore & angore tanta unquam felicitate excidendi: nam ut inquit Augustinus: *Verè perfecteque beata vita, non nisi æterna est.*

S. Cypriā. lib. de mortalit.

Augustin. lib. 11. de civit. c. 1.

Hic status beatorum sacris paginis, adamante firmius stabilitus est. Sapient. 5. *Justi autem* IN PERPETUUM VIVENT, *& apud Dominum est merces eorum*; itaque in perpetuum mercede fruentur. Psaltes regius, Psalmo 83. *Beati qui habitant in domo tua, Domine,* IN SAECULA SAECULORUM LAUDABUNT TE; id est in omnem æternitatem. Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum; justi autem* IN VITAM AETERNAM; ubi mors non erit ultra, neque luctus, neque clamor: quomodo separat amara mors? Quomodo à divitiis & deliciis, à charis omnibus avellit? *Ibi non erit hostis impugnans, nec ulla illecebra; sed summa & certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, & felix æternitas.*

Status beatorum scripturis confirmatur.

August.

Hic quoque omnia bona quibus fruitur beatus in perpetuo statu, solida, stabilia, firma, immobilia, æterna sunt; ut eò anhelare, & exclamare cum Augustino liceat, & libeat: *O regnum beatitudinis sempiterna! ubi juventus numquam senescit: ubi decor numquam pallescit: ubi amor numquam tepescit; ubi sanitas numquā marcescit: ubi gaudium numquam decrescit: ubi vita terminum nescit.*

Aug. soliloq. cap. 35

Est insuper in hoc statu, idque ingens, non solum beatis, sed & in hac vitâ ardenter amantibus, solatium & gaudium, *non posse peccare*, aut summum illud bonum vel minimâ injuriâ afficere; nam cùm peccatum omnium malorum maximè execrandum sit, illo in æternum liberati, omnium bonorum summi faciendum est.

Hic

Hic autem ſtatus impeccabilitatis oritur ex clarâ viſione Dei & intimâ unione cum infinita bonitate, cujus intuitu omnes voluptates, dignitates, & facultates humanæ, deſpiciuntur ut quiſquiliæ, & ſtercora: & quæ plus ponderis aut momenti habere poſſunt ut ab oceano ſummi & infiniti boni voluntatem avocent, quàm *ſtilla ſitula*.

Iſa. 40.

Quod ſi Paulus, aliæque charitate flagrantes animæ, hic adhuc per fidem ambulantes, nunquam adduci potuerunt, ut ulla creatura à charitate Dei ſepararet, quomodo facie ad faciem divinam bonitatem ſpeculantes, ſpreto omnium bonorum fonte, ad fœtidas hujus mundi lacunas converterentur? Hæc Divi Thomæ, & communis Theologorum doctrina eſt: Nam *ſicut beatitudo ultima conſiſtit in viſione divinæ eſſentiæ, quæ eſt ipſa eſſentia bonitatis; ita voluntas videntis Dei eſſentiam ex neceſſitate amat, quidquid amat ſub ordine ad Deum. Unde manifeſtum eſt quod beatitudo non poteſt eſſe ſine rectâ voluntate*; quia viſio ita proponit voluntati ſummum, & omne bonum, ut nulla poſſit occurrere ratio cur velit non amare, aut ab ejus amore ceſſare: oſtendit enim illud ſummo amore dignum, & omnis boni plenitudinem in eo eminentiſſimè contineri; cumque ex vi divinæ viſionis voluntas determinata ſit ad amandum Deum ſuper omnia, & quantum fieri poteſt perfectiſſimè, fieri non poteſt, ut eum perfectiſſimo amore actuali, excluſit ullus actus peccati, ne venialis quidem: quò enim amor perfectior eſt, eò ad plura ſe extendit in gratiam dilecti; unde perfectiſſimus amor toto conatu ſe extendit ad omnia facienda, quæ novit dilecto placere, & ad omnia vitanda, quæ novit illi diſplicere. Ergo, concludit Leſſius, ex vi viſionis provenit, ut nullum peccatum committere poſſit.

S. Th. 1. 2. quæſt. 4. art. 4.

Leſſius de ſummobono l. 2. cap. 22. n. 174

Quare fide tenendum eſt, eos qui faciem Dei vident, peccare non poſſe; aliàs falſum eſſet illud Apoc. 21. *Non intrabit in eam quidquam coinquinatum.* Et illud c. 22. *Omne maledictum non erit amplius.* Falſum quoque eſſet illud Apoc. 2. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra: quia prima abierunt*; quomodo enim ibi non erit luctus, aut dolor, ſi ſit peccatum, cum hæc neceſſariò ex peccato ſequantur, quod aufert omne bonum, & adfert ſummum malum? Hinc Divus Fulgentius de fide ad Petrum: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem à Deo immutabili factam; nec tamen poſſe quemlibet Sanctorum Angelorum in deterius mutari: quia ſi acceperunt æternam beatitudinem, quâ* DEO STABILITER FRUUNTUR, UT EA CARERE NON POSSINT; quibus verbis, inquit Leſſius apertè indicat, hanc eſſe communem Patrum ſententiam, & Eccleſiæ fidem firmiſſimè ab omnibus tenendam. Solerter, ut ſolet Divus Auguſtinus: *Peccata eos delectare non poterunt*, quoniam longè feliciores erunt, quàm primus homo in ſtatu innocentiæ: Nam ille *potuit non peccare*; in ſtatu lapſi, non potuit non peccare, id eſt, non eſt homo qui non peccet, niſi qui ſingulari gratiâ præſervante confirmati ſunt: & qui dicit ſe peccatum non habere, mendax eſt, & omnis homo mendax eſt; at beatus hoc potentius habebit: Quia PECCARE NON POTERIT; *verum hoc quoque Dei munere, non ſua poſſibilitate naturæ. Deus naturâ peccare non poteſt; particeps verò Dei,* AB ILLO ACCIPIT, UT PECCARE NON POSSIT. Quanta autem hæc felicitas ſit, mox ſubjungit: *Sic enim erit ſuamſibilis voluntas pietatis, & æquitatis, quomodo eſt felicitatis. Erit ergo illius civitatis, & una in omnibus, & inſeparabilis in ſingulis voluntas libera*, AB OMNI MALO LIBERATA, *& impleta omni bono*, FRUENS INDEFICIENTER AETERNORUM IUCUNDITATE GAUDIORUM.

De fide eſt, beatos peccare non poſſe

Aug. de civit. l. 22 cap. ult.

Aug. ibid.

Dum hunc ſtatum amicitiæ Dei numquam in cœlis infringendæ recolimus, qui hic inter aſſidua peccatorum pericula verſamur, ne beatitudine excidamus, & æterno odio à Deo habeamur, quanto ſolatio morienti eſſe debet, quod hoc tam ingenti metu, & angore ſummum illud bonum offendendi, in æternum liberetur? Unde multæ divino amore flagrantes animæ, hoc ſolo titulo ad mortem anhelarunt, quæ ut loquitur Ambroſius, *ſepultura vitiorum eſt*, omnium paſſionum, perturbationũ, & tentationum. Ac non beneficii loco, & *mori lucrum* habendum, cùm *per mortem peccati præciſionem homo lucretur?* Expendit idipſum Divus Auguſtinus ad illud Sapientis: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*; ubi ex ſuo & S. Cypriani judicio ſic ait: *Dictum eſt ſecundùm pericula vitæ hujus, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus*, UT TENTATIONUM SUBTRAHERETUR INCERTO. Et poſt pauca: *Certè beatiſſimum Cyprianum diſputaſſe conſtat*, UT CELERIORIS MORTIS BENEFICIUM COMMENDARET, A PECCATORUM PERICULIS EOS ERIPI, *qui hanc vitam finiunt* IN QUA PECCARI POTEST.

Solatium piè morientium, quod amplius peccare non poterunt.

Nazianz. orat. 38. de morte.

Sap. 4.

Aug. tom. 7 lib. 1. de prædeſt. ſanct. c. 14

En potiſſimam rationem cur Paulus *mori lucrum* dixerit, & duxerit; nimirum, inquit Primaſius & Cyprianus, *lucrum maximum computans, jam ſæcularibus laqueis non teneri*, & VITIIS CARNIS INNOXIUM FIERI. Quantò magis præ Paulo ab his periculis timendum nobis eſt, atque ut iis liberemur expetendum? Ita ſenſit paucis ab hinc annis Societatis noſtræ Sacerdos, qui cum in Anglia ad ſupplicium raperetur, conſpecto patibulo, gaudens & exultans, ut alter Andreas, illud arctiſſimè complexus eſt, ſed cauſam attendite: ſublatis in cælum oculis exclamavit: ô quanto gaudio perfundor, Bone JESU, quod pro fide tuâ mori contigat! Et *quanto hoc ſolatio, quod nunc vitam finiendo, non amplius te offenſurus ſim!* Hinc veriſſimum illud Tertulliani: *Non eſt timendum, quod nos liberat ab omni timendo.*

V. Velaſques in ep. ad Philipp. c. 1. v. 21. annot. 5. mor.

Exemplis probatur.

Tertulliā. lib. de teſtimonio animæ c. 4

Non alio motivo, quod perfectiſſimum eſt, *Aldoncia* nobiliſſima Virgo Caſtellana, ad mortem anhelavit; cui cùm ſuprema hora imminere denunciaretur, lætitiâ incredibili exiliens, in has voces amoris plenas erupit? *Benedictus Deus!* HÆC ULTIMA HORA EST, QUA DOMINUS A FAMULA SUA OFFENDI QUEAT.

Ioan. à S. Maria 1. part lib. 1. cap. 1.

Sic Stephanum Soncinatem, tradit idem Auctor, paribus ad mortem votis anhelasse, non tam amore fruendi Deo, quàm omni metu se eximendi, *ne ultra eum offenderet, quem tam ardenter amabat.*

Sint & hæc nostra morientium ardentia desideria, & sancta suspiria:

Vltima quando mei veniet certaminis hora!
Vltima quando dies, QUA NON PECCABIMUS ULTRA!

Quod ut vos animo, & memori mente reponaris, sic vertit Poëta Belga:

Wanneer sal comen dien tyt,
Dat ick sal vvesen buyten streye!
Wanneer sal ick van Sonden vry,
Met Godt syn sonder eynde bly!

S.Th.1.2. quæst. 3. art.2.

Jam statu beatitudinis posito, superest ut eum *omnium bonorum aggregatione perfectum* ostendamus.

Arist. l.4. physic.

Beatitudo est expletio appetitus ex omnium bonorum aggregatione perfecta.

Lessius de perfect. divin. l.14. c.5. n.83.

Ac primum quidem, si juxta mentem Aristotelis, *perfectum & totum sit, cui nihil deest*, perfectè beatus non erit, qui aliquid ultra desideret, aut concupiscat: nam si ipsos Scholasticos consulamus, quæ sit hominis beatitudo? A quibusdam definietur: silentium appetitus. Quoddam sine fastidio epulum cordis. Quædam mors desideriorum. Quidam avaritiæ limes. Quædam adæquatio amoris, & rei amatæ. Quidam aspectus desiderati. Quædam præsentia cupiti. Quidam occursus quæsiti. Quidam amplexus & possessio omnis boni. „ Quædam omnium desideriorum impletio, „ & omnium desiderabilium fruitio: nihil ibi „ restabit amplius quærendum aut desiderandum: quia omnes in Deo omne bonum firmiter possidebunt, & suavissimè perfruentur. Verbo unico: beatitudo *est quoddam satis*; tunc enim perfectè homo satiatur, cum nil ultra desiderat. Quæ omnia Divus Augustinus de civitate Dei agens his verbis complexus est: *Vera pax ibi est, ubi nihil adversi, nec à seipso, nec ab alio quisquam patietur. Præmium virtutis erit ipse qui virtutem dedit, eique seipsum, quò melius & majus nihil posset esse, promisit. Quid est enim aliud, quod per Prophetam dixit: ego ero illorum Deus: ego ero unde satientur: ego ero quæcumque ab hominibus honestè desiderantur, & vita & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona; ut sit Deus omnia in omnibus.* Quibus omnibus enumeratis, subdit: IPSE FINIS ERIT DESIDERIORUM NOSTRORUM, *qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.*

August. de civit. l.22 cap. ult.

Hic quod panis est, pannus non est: quod caro est, piscis non est: quod cibus est, potus non est: quod odoratus est, gustus non est: quod visus est, auditus non est; sed beatis illis mentibus, Deus *omnibus omnia est*; quæ verba Apostoli, hæc aurea Hipponensis Præsulis illustrat sententia: *Hic aurum quod est, non potest tibi esse argentum. Quod vinum est, non potest tibi esse panis. Quod tibi lux est, non potest esse potus. Deus tuus totum tibi erit: manducabis eum ne esurias: bibes eum, ne sitias: illuminaberis ab eo, ne sis cæcus: fulcieris ab eo, ne deficias. Possidebis totum integrum, totus integer.*

August. in Psal. 36. conc. 2.

Hîc nihil ex omni parte beatum: abundat quis divitiis, sed non honoribus: alius ingenio valet, sed non judicio: alter firmis viribus, sed infirmo cerebro: puella ista, meliori formâ, quàm famâ. Ita in humanis semper aliquod bonum deficit; non sic in cælis: *Ubi erit omne bonum, & non erit aliquod malum. Ubi erit quidquid voles, & non erit quidquid noles.* Quid amplius dici, cogitari, aut desiderari potest? Est itaque beatitudo, finis, adimpletio omnium desideriorum, & quoddam satis, quod hîc in terris non invenitur; cum etenim homo ad imaginem Dei creatus sit, atque adeò ut inquit Nyssenus, *capax visionis Dei, ac boni infiniti*, rectè infert Doctor Mellifluus: *Ad imaginem Dei facta anima rationalis, ceteris omnibus occupari potest, repleri non potest:* CAPAX ENIM DEI, QUIDQUID DEO MINUS EST, NON IMPLEBIT. Cor nostrum triangulare est, capax immensæ illius Triados, quid mirum si orbis triangulare complere nequeat? Avarum interroga, an quiescat, an satietur pecuniis: libidinosum percunctare, an expleatur brutis voluptatibus: ebriosum sciscitare, an tot cantharis & doliis exsiccatis satietur? Quisque verissimum illud fateri cogetur: *Cor humanum in desiderio æternitatis non fixum, numquam stabile esse potest, quoniam tanta est dignitatis* (& capacitatis) UT NULLUM PRÆTER SUMMUM BONUM, EI SUFFICERE POSSIT. Thorax Zachæi, aptari non posset lacertis Goliæ: nec gigantis calceum pes pueri impleret. Oceani alveum, si exsiccaretur, non posset stilla aquæ implere; anne ergo cavum quo potest capi Deus, occludet mellis gutta, aut flatus aeris, aut luti gleba?

Idem in solilog. cap. 35.

V. Cornel. Gen. 1.26 Bern. declamat. ecce nos.

August. in manuali cap. 24.

Fuit in aula Alphonsi Arragonum Regis, qui cum aureorum decem millia Regi annumerari spectaret, auri fulgore captus, liberè pronuntiavit: *Beatum se fore, si eâ summâ potiri posset, nec plura in omni vitâ se desideraturum.* Cui Rex: accipe eam, quantacumque ea est, *& esto beatus.* Stultitiam illius hominis notare Rex voluit, quem brevi pluribus inhiantem, voti sui reum damnavit. *Anima* enim quam creasti ad te, Domine, *ita facta est capax majestatis tuæ, quod à te solo, & à nullo alio possit impleri, quando autem te habet, plenum est desiderium ejus: cùm enim sis summum, & omne bonum, non habet quod desideret amplius.*

Panormitã in gestis Alphonsi lib. 4. c. 2.

Aug. soliloq. c. 30.

Testis Hierosolymæus Rex David: SATIABOR, inquit, *cùm apparuerit gloria tua*; itane potentissime Regum, tunc primum satiaberis? Jam pridem credi potuit satiata omnis tua cupiditas. Dum quondam opilionem ageres, eæ tibi concessæ vires, rarissimum munus, ut ursos & leones velut hædos discerperes, numquid plus virium cupis? Gigantem illum Goliath, agminis Hebræi probrum, affectas sternere? Concessum est, stravisti, num plura vis? In præmium ipsam Regis filiam opilio deposcis? data est. Quid amplius exigis? Victoriam adversus omnes Philistæos desideras? Nec illud negatum est, vicisti. Necdum satur? Frueris deliciis & divitiis: abundant hor-

Psal. 16.15

horrea frumento, & torcularia vino redundant; sed forte aureos, argenteosque montes esuris? *Auri talenta centum millia, & argenti mille millium talentorum*, tibi in arcâ sunt; id est, bis mille octingenti, duodecim milliones Hispanicorum ducatorum, supra octo millia trecentos septuaginta quinque ducatos; necdum satis, necdum satur es? O Domine, nondum satiatum est cor meum, magnum adhuc in eo inane sentio: quidquid hactenus ingessi, velut gutta in clibanum immissa, exaruit: & pectus illud adhuc vacuum & insatiabile, non satiarent credo, si mille regna ingereres; nulla hic satietas: SATIABOR *cùm apparuerit gloria tua*.

1. Paralip. 22.

In hac verò satietate, nemo, ut in humanis fieri consuevit, fastidium metuat; nam ut subtiliter Augustinus: *Noli timere ne fastidio deficias, talis erit illa delectatio pulchritudinis, ut semper tibi præsens sit, & numquam satieris; si cum dixero, quia non satiaberis, fames erit; si dixero, quia satiaberis, fastidium timeo.* IBI NEC FASTIDIUM ERIT, NEC FAMES. *Quid dicam, nescio; sed Deus habet quod exhibeat non invenientibus quomodo dicant, & credentibus quod accipiant.* Huic proposito non incongruam quæstionem Apostolorum Princeps movit, dum de beatis Spiritibus vultum Dei assiduò intuentibus dixit: *In quem* DESIDERANT *Angeli prospicere*; ut quid ait illos desiderare eam faciem intueri, qua Salvator noster Matth. 18. actualiter ipsos semper frui asseverat? *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei qui in cælis est.* Quam controversiam sic dissolvit Hugo Cardinalis: *Cur cernere desiderant, cujus faciem numquam cernere cessant? Nisi quia contemplatio divinæ præsentiæ, ita Angelos* (ceterosque cælites) *beatificat, ut semper ejus dulcedinem*, QUASI NOVAM, *insatiabiliter esuriant*; quo innuere videtur, dum semper nova & nova in Deo infinito intuendo satiantur, desiderium & sitis accendatur semper magis, & quasi numquam visa contemplandi. Unde Augustinus: *Est in eis desiderium visionis Dei cum satietate, & satietas cum desiderio, quibus nec desiderium pœnam generat, nec satietas fastidium parit.* O Domine, huc suspiramus, huc anhelamus, ubi est finis & expletio desideriorum nostrorum, ET STATUS *omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Satietas sine fastidio.

August. in Ioan. tract. 3.

1. Petr. 1. v. 13.

Hugo hic

Aug. medit. c. 27.


S. Th. cit.



COMMEMORATIO FIDELIVM

2. Novēb. **DEFUNCTORUM.**

Educ DE CUSTODIA *animam meam*, Psal. 141. v. 8.



Resoluta catenis. Ovid. 4. Metam.

ARGUMENTUM.

CAptivitas, tormenti genus, homini ingenuo, ac ad libertatem nato, adeò probrosa & calamitosa est, ut multi eam, vel veneno sumpto, vel cerebro sibi illiso, ipsâ morte duriorem duxerint. Verum enimverò, omnes reorum carceres, & Martyrum ergastula, amœnissima viridaria, & regia palatia censeri possunt, si eum igneo purgatorii carcere, quo fideles detinentur animæ, conferantur: quibus ut succurramus, Doctor Seraphicus nos verbis
Ad Hebr. 13. Apostoli hortatur: *Memento te vinctorum, tanquam simul vincti*; atque ut commiserationem, & opitulationem moveat, quatuor miserrimas horum captivorum conditiones adducit:
Bonav. ser. in die animarū. CARCER PURGATORII, *primò reddit meritum impossibile. Secundò jugum ineffugabile. Tertiò, debitum insolubile. Quartò, incendium intolerabile*, quæ singula pluribus comprobantur. Modus autem vinctos hos in libertatem asserendi, facillimus & securissimus *per generalem Communionem*, in Habacuc, qui prandium tulit Danieli in lacu leonum, præfiguratur; quam, ne quis vinctis hisce *in mendicitate & ferro*, aliaque misericordiæ & pietatis opera applicando, existimet se omni merito & satisfactione privari, Theologicis argumentis, & Sanctorum exemplis contrarium demonstrabo.

§. I. *Mementote* VINCTORUM, *tanquam simul* VINCTI. ad Hebr. 13. v. 3.

Daniel. 14 v. 33. §. II. *Prandium quod tulit Habacuc Danieli in lacu leonum, Eucharisticum panem adumbravit, quo animæ* E PROFUNDO LACU, ET DE ORE LEONIS LIBERENTUR.

In missa fidel. defūct. §. III. *Utrum sit majoris meriti, vinctis in purgatorio carcere propriam satisfactionem applicare, quàm pro se eam reservare?*

COMME-

COMMEMORATIO FIDELIVM DEFUNCTORUM.

Educ DE CUSTODIA *animam meam.* Psal. 141.



MAximum est ingenuo, ac liberali homini dedecus, & turpissima infamiæ nota, subitò à suorum complexu, & consortio avelli, & in tenebricosum ergastulum, vinctis post tergum manibus, à satellitibus intrudi. Adeò hoc quibusdam probrosum, ut jucundius illis fuerit privari usurâ lucis, quam mandari tenebris carceris. Refert Seneca de quodam juvene, clarioris sanè indolis, quàm sanguinis, qui cum captivus duceretur, sic secum meditari cœpit: ego ingenuus ad hæc vincula? liber ad hanc servitutem? Nobilis ad hoc dedecus? Ex parentis amplissimis ædibus, ad has angustias? Sic vitam vivere, morte duriorem? O mors! jam mihi in voto es. O vita! jam mihi tædio es. Tanti ergo impatiens dedecoris, horroris, & squalloris, antequam pedem carceri inferret, caput in parietem summo cum impetu impegit, cerebrum sibi fregit, & eodem loco expiravit: *Lacon ille captus*, inquit, *illisum parieti caput rupit. Tam prope est libertas*; quæ cum sit *inæstimabile hominis bonum*, Cato ne eam amitteret: an non etiam spiritu compresso, ait, atque afflicto semel ad parietem capite exanimari liceat? Ac tandem *gladium assertorem libertatis* pectori infixit, & *una manu latam libertati viam fecit.* Parum est Hegesistratum ut se vinculis eximeret, quibus in carcere attinebatur, sibi pedem præsecuisse, atque ita generoso saltu se in libertatem vindicasse. Venetorum Dux Andreas Dandalus dum universâ classe partim captâ, partim mersâ patriæ, suumque casum ingemiscens, Genuam captivus diverterebatur, capite ad prætoriam puppim sæpius illiso, spiritum emisit. Dedecus hoc vel imbellis fœmina Cleopatra ferre non valens, cum in manus venisset, aspidis morsu, mortem captivitate suaviorem ducens, vitam abstulit. Omnes tetro carcere vinctos vel in Europâ, vel alibi, à Barbaris, Turcis, vel Tyrannis, in tenebris, & umbrâ mortis per plures annos excarnificatos lustrate, & interrogate, quid tædii, doloris, & squalloris: quid miseriarum, & molestiarum perpessi sint? Nemo non eorum, mortem in voto haberet, potissimum, si hos inter, Adolescens nobili sanguine, aut filia stirpe regiâ nata sit. Hoc Divi Ambrosii, Xenocratis majus, judicium est: *Videmus*, inquit, *in hoc sæculo insertos nexibus catenarum reos, quibus tolerabilius sit mori, quàm talia subire supplicia.*

Captivitas ipsâ morte durior.

Seneca epist. 77. Id ep. 76. Plutarch. in Catone mini. Seneca epist. 13. Idem de Prov. c. 2. Brusonius Egnatius lib. 6. c. 10

Plutarch. in Antonio.

Ambr. in Psal. 118.

Frequens in sacris paginis usus est, & sanctis Patribus familiaris, purgatorium, carcerem, detentos illic fidelium manes, vinctos ac captivos compellare. Ita Isaias: *ut educas* VINCTOS DE DOMO CARCERIS: quem locum Ambrosius de purgatorio interpretatur. Ubi verò Matthæus ait: *Misit eum in carcerem.* Augustinus in eundem sensum exponit.

Purgatorium, carcer est.

Isa 42.

Matt. 22.

O animæ! in libertatem natæ, è cælo haustæ, ad imaginem Dei procreatæ! quis vobis dolor, qui quamvis mortem, acerbissimo etiam cruciatu inferendam exsuperat, summo cum dedecore, nobilissimâ totius triumphantis in cælo curiæ societate privari, ac in teterrimum, profundissimumque carcerem amandari! & illo quidem tempore, quo disruptis corporei hujus ergastuli seris, è custodiâ, quasi aves evolastis, & jam pro labore requiem, pro opere mercedem, pro negotiatione lucrum, pro certamine coronam, pro decursu stadio bravium expectabatis. O quam acutus illas animas urit dolor in hoc carcere, in quo exantlatis mundi laboribus, non stipendium & emolumentum; sed detrimentum, & tormentum recipiunt: dum enavigato periculoso sæculi pelago, non portum, sed exilium inveniunt: dum devictis triumphatisque hostibus, non plausum sed planctum agunt: dum emenso vitæ stadio non gloriam, sed ignominiam referunt.

Anima Deo dilecta, gratiâ decorata, Christo desponsata, corporis carcere soluta, summo impetu in dilectum rapitur, & hoc violentius accidit, si in ipso celeri volatu, in accipitris ungues incidat, aut tensis sibi laqueis implicetur, & vinciatur. Sagitta nervo emissa, præpeti pennâ, alite ocior per aëra volat. Saxum ingens ex altu decidens, quanto impetu ad centrum fertur? Globus machinâ bellica excussus, quantâ pernicitate jactatur: Ut juxta quorumdam observationem, quoque momento ad tria milliaria conficiat? His autem, si quis validum obicem in medio cursu objiciat, nonne sagittam confringi, lapidem comminui, glandem contundi necesse est?

Tympi Alcedonia

Rebus illis omnibus inanimatis, major in anima impetus est, quo in Deum suum capitur, quem ubi sibi, suoque quasi amplexui non solum eripi, sed & quàm longissimè ab eo separari, ac tenebricosum in carcerem detrudi videt, non potest non gravissimè excruciari: nam ut Gilbertus ait: *Nemo quod ardenter quærit, non anxiè caret, tantoque cumulatiore angustiâ, si vicinâ spe, jamque apprehensura, frustratur.*

Gilbert in Cant. c. 3.

S. Tho. in 4 dist. 21. q. 1. art. 1. Suarez. disp. 46. de purgat. sect. 3. n. 1. Hoc tormenti genus docet S. Thomas excedere universa hujus vitæ supplicia; quam sententiam hac ratione probat Suarez: quia " magnitudo tristitiæ oritur ex magnitudine " boni quâ caret, & ex vehementiori illius " consideratione, & ex magnâ affectione erga " illud: talis est autem visio, & beatitudo cœ" lestis, ut possessio illius per diem, excedat " omnia bona vitæ simul sumpta, & per diu" turnum tempus possessa, juxta illud Psaltis: *Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Unde & per unum diem eo frustrari, carentiâ omnium bonorum temporalium simul, exsuperare debet. Psal. 83. 11

Quis autem, quantusque æstus sit potiundi tanto bono, ex lacrymis, & suspiriis quorumdam, etiamnum hic in vivis collige; si tamen amotis scintillæ ad incendium conferendæ. Anhelat, & suspirat Bernardus: *Quid ui moveat lacrymas & gemitus quotidianos Christi præsentia? laboravi in gemitu meo, tu scis: ablato enim sponso, filios sponsi lugere, necesse est.* Similia ardens illud cor Augustini jacula emisit: *O dies præclara, in quâ audiam: intra in gaudium Domini tui! Quid est quod me detinet? Heu me! quamdiu dicetur mihi: expecta, re expecta? Et nunc quæ est expectatio mea, nonne Dominus?* Hæc ex pectore sacri Præsulis, sed longe ardentiora cælo volant ex igneo illo purgatorii carcere missilia: *Veni Domine, &* EDUC VINCTOS E CARCERE, *ut lætemur coram te.* Bern. ser. 59. in Cãt. Aug in soliloq. c. 35. Ibid.

Omne animal libertatis amans, captivitatis impatiens, vincula omnia rumpit. Psittacus, passer, pica, philomela, dapsili & regio etiam pabulo enutrita, aureâ etiam cellâ includatur, si vel rima pateat, omnibus spretis, pernicuter avolabit, & libertatem quantumvis frugi victitando, amabit. Unde vel ipsos Turcas ea tangit misertatio, teste Leunclavin, *ut captas aves liberas dimittant.* O stupendam in Barbaris animis, in capta animalcula pietatem! ô pudendam in Christianis mentibus, in animas vinctas barbariem, & crudelitatem! Mirabilius est, & in dedecus nostrum mirabilius, quod Princeps Radziwilius commemorat: qui cum ex *Cæsareâ Philippi*, ad Tykycium Turcatum Xenodochium diverrisset, vidit inibi Turcam quempiam singulatim vitides aviculas quinque ex caveâ liberas à se dimittere, & interim tacitè secum aliquid submurmurare. Cum ejus rei, inquit, causam per interpretem ab eo percunctatus essem, respondit: *Se id pro animabus suorum propinquorum facere, quod crederet, merito hujus boni operis, illas nonnihil sublevari. Atque ita natura quodam ductu de pœnis purgatorii, aliquid etiam Turcæ sentire videntur.* Leunclavius cap. 197. Turc. pandect. Radzivil. in peregrinat. Ierosol. epist. 2.

Quid nos verâ & vivâ fide instructos, erga parentes, fratres, propinquos facere par est, ut eas quovis bono opere sublevate, & velut aves captas, liberare valeamus? Nulla non, noctes & dies ad Dominum clamat, & ad nos: *Educ de custodiâ*, seu ut Augustinus, *de carcere animam meam.* Audite celeberrimum Franciæ Ecclesiasten: *Quilibet in purgatorio exsleus loquitur ad Dominum dicens: de profundis clamavi ad te, Pater Sancte. Quod si quæreret Dominus ab eo, cur clamet, & quid ab eo petat? Utique illi respondere posset illud Psalmi:* EDUC DE CUSTODIA ANIMAM MEAM, ID EST DE PURGATORIO, QUOD EST CARCER DEI, *in quo detinentur rei, & captivi illius.* Clamat & ad nos mœsto ejulatu, & misero vociferatu, ut nostro auxilio, vinculis expedita, lætabunda canere queat: *Anima nostra sicut passer erepta est*, & libera in cælum evolavit. Psal. 141. Pipinus in die fidel. defunct. Psal. 123.

Quis porrò hic carcer sit, quàm tetet, quàm terribilis, & perpessu intolerabilis, ex iis qui hic mortalibus, omni cruciatu, & ipsâ morte horribiliores visi sunt, utcumque conjecturâ assequi licebit:

Verùm hi carceres, regia conclavia, amœnissima viridaria, augusta palatia censeri possunt, si cum igneis inferorum ergastulis conferantur. Carceres hujus mundi, palatia sunt respectu purgatorii.

Alexander Macedo Callisthenem insidiarum insimulatum, vel quod Regi suasisset, ne affectaret ab Atheniensibus Dominus appellari, auribus, labris, ac naribus abscissis, cæterisque membris crudeliter truncatis, deforme ac miserandum spectaculum reddidit, & cum cane, *ferreâ clausum caveâ* circumferri jussit. Dum Lisimachus tanti viri misertus, antea etiam auditor, venenum ei præbuit, ut pœnam quam non culpis, sed libertati penderet, finiret. Valerius Maximus Curtius. Fremond. in Senec.

O beatam Callisthenis caveam, ad flammeâ illam piacularium manium custodiam! ad quam & manibus & pedibus, toto corpore, morte exuti, detrusi sunt.

Huic accenseri potest Tamburlanus, Turcotum Imperator, à quo Bajazetes orbis terror captus, *ferream in caveam intrusus*, omnibus ostentui fuit: Miser, inquit Lipsius, triennium ferè ita vixit, & cum desperatâ libertate, audisset ad Tartaros se abducendum, *caput validis ictibus, cavea ferrea excussit; & indignantem animam sic emisit.* Lipsius monita & exempla politica l. 1 cap. 5.

Consimilem sortem ait involvisse Christiernũ Daniæ Regem, anno 1522. Hic tribus regnis exactus, perpetuis vinculis addictus, ac tandem *in clathratam caveam*, tamquam indomita fera, conjectus, in eâ vitam exegit. Ibid.

Nec mitius Valerianus Imperator habitus est, ubi victus & vivus in manus Saporis, Persarum Regis venit, qui eum ut catenatum mancipium *caveâ pariter inclusit*, nec eâ unquam egressus, nisi cum Sapori equum ascensuro, tergum præbere scabelli loco, coactus est. Lips. Baron.

Exhorruistis? viros imperio potentes, sceptro potentes, purpurâ & diademate pollentes ad has angustias, & infames caveas detrudi? Umbra est, rudis pictura, & figura est, si cum igneis purgatorii clatris, candentibus caveis, & flammarum ergastulis comparentur. Sic sentit sanctus Gregorius: *Illum transitorium ignem, omni tribulatione existimo intolerabiliorem.* Beda in eundem locum, asserit nulla supplicia martyrum, vel latronum, cum illo flammarum carcere conferenda. Quod suo luculento testimonio S. Augustinus confirmat: *Quamvis*, inquit, *salvi per ignem; gravior* Greg. in Psal. 37. Beda ibid. August in eund. Psal.

tamen

tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vitâ. Et nostis quanta hic passi sunt mali, & possunt pati : tanta enim passi sunt, quanta potuerunt pati & boni. Quid enim quisque maleficus, latro, adulter, sceleratus, sacrilegus pertulit legibus, quod non pertulit Martyr in confessione Christi? Ac post hæc tam atrocia, taureas, scorpiones, cippos, equuleos, uncos, laminas, rogos, rotas, sartagines, & sexcenta alia sontibus, & insontibus Martyribus illata tormenta, subdit : *Illa ergò quæ hic sunt mala, multò faciliora sunt*, multò mitiora, multò breviora sunt. In sacris, ac prophanis annalibus legere est, quid judices in parricidas, in Regum, ac Principum homicidas : quid crudelissimi tyranni in generosissimos Christi athletas, diabolicâ rabie exercuerunt; majora, & crudeliora, quis animo fortè excogitare poterit, non tamen graviora illis, quibus manes affliguntur, de quibus, reste Anselmo, *minimum majus est, quàm maximum, quod in hac vitâ excogitari potest.*

Pœnæ purgatorii omnia tormenta martyrũ, & latronum excedunt.

Anselm. in elucid.

Non animus mihi est hæc variis historiis, quæ cuilibet ad manum sunt, comprobare, suffecerit ad propositum quod Heroldus scribit : nni sui ordinis S. Dominici, animam jam agenti, addictum sacrum ab obitu quantocius persolvendum. Expirarat ille, cum religiosus Sacerdos stetit promissis; & sacro peracto, agendis de more gratiis intentus, conspexit defuncti umbram, & audiit : *Adeone mei es oblitus in fide?* Jam totos viginti annos ardeo; usque dum te promissâ fide exsolvas. Jam modò præstiti, subintulit alter, quod spopondi : ac necdum tui demortui corpus sepulchro illatum est. Ad quæ defunctus profundo gemitu subjecit. *Hei mihi! quàm immanes sint necesse est purgatorii carceris dolores, cum tempus tam arctum, adeo extentum videatur?* quod si vix tres horæ quadrantes, sint viginti annorum, quot nox integra, menses, & anni, centuriæ, & myriades videbuntur?

Heroldus serm. 160.

Ecquinam hisce tam horrendis tormentis, tam immani flammarum carceri amandantur?

Nobilibus quandoque viris propriæ ædes pro custodiâ assignantur : quidam honesto cubili, lecto molli, aliaque honestâ supellectile instructn asservantur. In Serenissimum, satelliti manum immittere, cautum est. At in hoc subterraneo ergastulo, omnibus communi, & nobiles, & Principes, & Reges, & Pontifices continentur. Ita Isaias ad Reges terræ : *Congregabuntur congregatione unius fascis in lacum*, ET CLAUDENTUR IBI IN CARCERE; quæ verba ad infernum & damnatos non pauci detorquent; sed quæ sequuntur; *& post multos dies visitabuntur*, huic opinioni repugnant. Rectius ergò Oleaster : *Videtur melius hoc intelligi* DE PURGATORIO, *in quo nonnulli mali Reges congregabuntur* QUASI IN CARCERE, *& visitabuntur, ac liberabuntur inde post multos dies, quia scilicet pœnitentes excesserunt*; in inferno autem nulla est redemptio.

Isa. 24. 22

Oleast. hic

Vinctæ hîc tenentur, & torquentur supremi Regis filiæ, & sponsæ, gratiâ condecoratæ, charitate inflammatæ, sanctimoniâ vitæ in Divorum album relatæ. Hoc carcere parentes tui, fratres tui, propinqui tui, amici tui acerbissimè excruciantur; audi clamantes, ejulantes, vociferantes, altiori voce, quam è fimeto suo Hussæus vates : *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* Sanguis tuus clamat ad te : *Educ de custodia animam meam.*

Iob. 19. 25

Psal. 141.

Carolum V. Imperatorem, insignem non magnanimitate dumtaxat, sed & pietate virum, Madrutius Antistes Tridentinus oratione funebri, quam Augustæ habuit, in cælum extulit, dicens : quo tempore Carolus Africam cum exercitu adortus est, ingens Tuneti erat captivorum Christianorum numerus, qui Punica ergastula compleverant, duram plurimis annis servitutem perpessi; hos verò, ne Cæsaris victoris beneficio, libertate donarentur, Barbari imperii ministri, omnes incenso carcere, flammis vivos comburere decreverant; sed Imperator conatus eorum, celeritate prævertit, urbem occupavit, atque innumeros captivos vinculis & flammis eripuit. O factum toto orbe, ab hoc represso incendio, longè illustrissimum!

Madrutius in orat. funeb. Mancinus de passione Christi pag. 486.

Illustre Caroli V. factum, captivos vinculis & flammis eripientis.

Hoc quisque vestrum majori laude & merito æmulari potest, si vel unum vinctum, non metu tantum, sed ipsis atrocissimis purgatorii flammis, quas jam per tot menses & annos perpessus est, liberârit : si vel unam Christi sponsam libertate donârit; sic etenim Diva Brigitta Angelico sermone cælitus edocta est : si Deus pro quolibet bono opere " centuplum redonari promisit, quis excogi- " tare poterit, *quantis præmiorum sublimium donis afficiendi sint illi, qui sponsas Christi incendio liberant?*

In serm. Angel. 1. 2

Ad hoc non ego meis, sed ignitis hisce verbis Apostolus hortatur :

§. I.

Mementote VINCTORUM, *tanquam simul* VINCTI. Ad Hebr. 13. v. 3.

DOctor Seraphicus hoc funebri die, quo Ecclesia piis manibus annuâ celebritate suffragatur, efficacissimæ suæ orationi hoc argumentum delegit : *Mementote* VINCTORUM, *tanquam simul* VINCTI; atque hîc torrente divinæ eloquentiæ abreptus, in hunc modum velificatur : *Apostolus quo ad intelligentiam spiritualem, hortatur omnes universaliter Christianos ad compassionem, & suffragia defunctorum*, CARCERE PURGATORII DETENTORUM. Aptissimè horum vinctorum *carcer*, à Divo Bonaventurâ *purgatorius* nuncupatur, in quo quidquid reatus è gravioribus, quidquid maculæ è noxis levioribus contractum, satisfactione & satispassione expiatur.

Ad Hebr. 13.

S. Bonav. serm. de animab.

Hunc in modum, ordinatæ Respublicæ ergastula excogitarunt, & exædificarunt, in quæ vagi, discoli, prodigi, aut rebelles parentibus filii : percussores, perturbatores, dissolutioris vitæ, & malæ frugis homines compinguntur, dum

Ergastula inventa, ut prava mores expurgentur.

dum effrænes animi motus, & depravatos mores expurgarint. Exemplum hic non ex vili capire, sed ex coronato vertice petam.

Rex Angliæ cur ferreæ caveæ inclusus. Typot. symb l. 1. Piso tom. 2. pag. 34.

Eduardus 1. Rex Angliæ, vitæ protervioris, à Proceribus regiis insignibus exutus, ferreæ caveæ arctissime inclusus est, donec domitis passionibus, animo & corpore fractus, vitiisque expurgatis, mansuescere didicisset. Ac rum è caveâ eductus, mutatus in virum alterum, solio imponitur, *& de carcere, catenisque ad regnum* extollitur. Ubi ipse omnis miseriæ & injuriæ immemor, pro symbolo, seu regia tessera, sibi caveam in scuto aureo depictam sumpsit, è qua pernici volatu passer evolabat, adjecto lemmate: *Hinc fortius ibo*, ad quævis Rege digna.

Quæ verba æterni Regis soboles, purgatorio carcere, *sicut passer erepta*, potiori jure usurpare poterit: *hinc fortius ibo*, hinc purius ibo, hinc sanctius ibo.

Pravi humores corporis in carcere expurgantur. Majolus contingentia colloq. 4. Drexel. gymnas. patient par. 2. c. 2. §. 3.

Scio quandoque homines morbidos, ac pravis humoribus oppleros, carceri gratias debuisse, quod licet in longo pædore, ac inedia illic detenti, quidquid in corpore noxium, expurgassent.

Pecchius nobilis Cisalpinus in odium venit viri illustris, & opulenti, cumque iter faceret, delatus in insidias, captus, fœdumque in carcerem conjectus est. Ubi, ut cetera mittam, quæ alias fusius enarravimus, per annos novemdecim, nun tam vivendo, quàm miserè moriendo exegit. Vestem nec posuit, nec mutavit unquam; præter frigidam, ac pauxillum panis, nil degustavit. Æternitatem hoc in carcere subterraneo se emensum existimabat Pecchius; dum tandem arcis Dominus, captivi hominis capitalis hostis, fatis concessit. Successor hæres, ut castrum in ampliorem splendorem ac nitorem instauraret, hinc illinc parietes dejici jussit; ventum est ad hanc ipsam subterraneam specum, quam foramen dumtaxat peranguftum aperiebat. Hic exaudiri gemitus, & ex alto corde ducta suspiria, ruptisque repagulis, homo initar stygiæ umbræ apparuit, veste lacera, barba ad poplitem promissa, capillis, toto corpore ferum in morem defluentibus. Obstupuerunt operæ ad hoc spectaculum tam inexpectatum: mox rumor in vulgus abiit, accursus ingens velut ad Faunum aliquem, Satyrumve, aut simile silvarum monstrum. Hinc plurimæ quæstiones, velut ab inferis redivivo propositæ: quis, quâ domo, quâ gente, unde illuc devenerit, quamdiu illic latuerit? Quid responsi hic expectaris? Nec dies, nec menses, nec annos hic inire poruit: se vivum, in alium orbem, in regionem mortis delatum arbitrabatur, donec sibi ac suis restitutus est.

Illud ad rem omninò, & dignissimum notatu: podagra, ac pravis humoribus mirè ac miserè excruciabatur Pecchius, cùm in carcerem illum raptaretur; at tanto temporis intervallo, quo hic resedit, quidquid in corpore noxium, planè expiatum fuit, atque ipse carcer, purgatorius exstitit.

Applicatio.

Sed ô duram medicinam! ô medinam, ac remedium ipsa morte magis formidandum!

In purgatorio detinentur, donec ultimum quadrantem solverint. Hieron. in Matth. cap. 5.

Non corpora, sed animæ alio in orbe, purgatorio carcere, multò truculentius lustrantur: ubi pravi humores ex nimia potus, aut cibi copia, aliove excesso contracti, excoquuntur, nec quisquam inde, nisi omni debito etiã ad novissimum quadrantem persoluto, liber dimittitur.

Matthæi 18. *Misit* EUM IN CARCEREM, *& tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet universum debitum.* Et capite 5. *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Sanctus Hieronymus: *Quadrans genus nummi est, quod habet duo minuta; hoc est ergò,* NON EGREDIERIS DE CARCERE, *donec etiam minuta peccata persolvas.* In hunc sensum Divus Bernardinus Senensis: *Hoc quidem* DE CARCERE HUIUS MUNDI *non potest intelligi; eò quod nec ibi ponuntur omnes tales:* NEC DE CARCERE INFERNALI, *quia ibi numquam solvitur novissimus quadrans debita pœna; sed* DE CARCERE PURGATORII INTELLIGI HABET; *quia ab illo exibit quis, quando solverit novissimum quadrantem.*

Debitores hic in carcerem conjiciuntur, donec ultimum quadrantem pendant.

Hic subinde Principes, Reges, aliique judices, iniquos debitores, ærarii publici expilatores in carcerem, in vincula conjecerunt, donec solverent novissimum quandrantem; sed nullus Æacus, aut Rhadamanthus adeo rigidè debitum exegit, ut Rex Regum, Dominus noster.

Historia confirmatur. Mariana de Regis institut. l. 3. cap. 7. Idem in hist. Hisp. l. 19. c. 14.

Henricus eo nomine III. Castellæ Rex, cui excelsus animus fuit, major ætate prudentia, ærarium publicum à Proceribus expilatum, memorabili exemplo instauravit. Burgis, quæ urbs in veteri Castellâ est morabatur, seque aucupio coturnicum oblectare solitus erat. Accidit ut ad multam diem, aliquando in aulam lassus & inpransus rediret, nihilque obsonii apparatum esset. Compellatus eâ de re regius obsonator, renuntiavit liberè, non tantum pecuniam regiam, sed & fidem etiam consumptam. Rex in præsentiatum, dolore dissimulato, oppignorato pallio, arietinas carnes emi jussit, atque ex iis, & captis coturnicibus sibi cœnam apparari. Audit inter cœnandum, meliori conditione Proceres agere, quotidie inter se lautissima convivia celebrare, exquisitissimis ferculis ventrem distendere, certare luxu & splendore mensarum. Fortè ea nocte apud Toleranum Archiepiscopum, Petrum Tenorium cœnabatur: adest involuto capite Rex, omnia videt lætitiis & lautitiis redundare. Peractâ cœnâ, mensisque remotis, quisque narrare & jactare quantum ex paternis bonis, quantum è regiis vectigalibus quotannis perciperet.

Posterâ die Rex vindictæ avidus, fingit gravi se morbo dejectum teneri, qui ut sensim increvisse spargebatur, suprema mandata se velle dare edixit.

Eâ denunciatione Proceres festini ac avidi in arcem conveniunt. Omnes exclusis famulis, ut erat jussum, admittuntur, consistuntque ad multam noctem, moræ causam mirantes: Rex tandem (en speciem moribundi) ad Proceres ferro tectus, totus cataphractus, districto

districto enseingreditur) velut alii, lecto exilivit) cum pavefactis eo spectaculo omnibus assedisset; irato similis, torvo vultu, quemque è Proceribus percunctatur: quot singuli Reges in regno vidissent? Quibusdam duos, aliis tres aut quatuor, ut cujusque ætas erat, respondentibus; Eequi, inquit, verum est quod dicitis, cum ego hac ætate viginti nihilominus in Castellâ Reges noverim? Mirantibus dicti causam, atque suspensis animis, quorsum res evasura esset, expectantibus: *Vos*, inquit, *omnes Reges estis, regni arcibus & copiis occupatis, mihi inane nomen, & egestatem reliquistis. An idonea causa videatur cur nos ludibrio habeatis?* Ac signo dato, lictores, militesque sexcentos, quos arcanò paratos habebat advocat. Aliis attontis metu, Toletanus Archiepiscopus in genua provolutus, lacrymis toto ore manantibus, veniam precatur: idem ejus exemplo ceteri faciunt. Mortis metu perculsis & supplicibus vitam donat; *eos tamen arcto carcere detineri voluit, donec novissimum quadrantem sibi persolvissent:*

L. scio ff de integ. restit.

Rigida nimis hæc exactio ad ultimum quadrantem, quibusdam videri posset, cum *de modico non curet Prætor*, multo minus Rex; at illud primæ Veritatis, & supremi judicis testimonium est, quod purgatorio carcere fidelium manes detineantur, donec *novissimum minutum* persolverint: *Omnes*, ait S. Bonaventura, *adstricti tenentur ex decreto Divinæ Justitiæ*, DONEC REDDIDERINT NOVISSIMUM QUADRANTEM; juxta illud Divi Lucæ: *Non exies inde, donec etiam* NOVISSIMUM MINUTUM *reddas*.

Luc 12. Bonav. ser. in die animarũ.

Exempla Sanctorum qui in purgatorio minuta persolverunt

Exempla vultis eorum, qui illud pendere coacti sunt? S. Severinus, quod horarias preces, ob negotiorum molem, mane simul omnes persolvisset (attendant hæc Clerici) in hoc igneo ergastulo detentus, donec novissimum minutum reddidisset.

Histor. S. Dominici. part. 3. l. 3. cap. 25.

Neapoli agebat D. Thomas Aquinas, eiùm illi se videndum inopinatò præbuit sanctus Romanus, eximiis virtutibus vir illustris, dixitque se priusquam cælo potiretur, in purganti carcere quindenis diebus arsisse, ob modicam dilationem, quâ alicujus testamentum exequi cunctatus fuerat, quod ei Parisiorum Antistes unicè commendarat, atque ipse susceperat.

Annal. Capuccin. tom. 2. anno 1586. pag. 204. n. 60.

Duo minuta censeri possent, quæ severissimus Judex à viro Religiosissimo exegit, de quo Zacharias Boverius in Annalibus Capuccinorum refert, Fratrem Constantinum à S. Salvatore, virum alioqui valde Sanctum, & gratiis gratis datis in vita & post mortem ornatum, nonnullis post mortem diebus, apparuisse Patri cuidam, à quo cum de suo in altera vita statu interrogatus fuisset, respondit, heu! heu Pater! quàm districta Domini judicia sunt, atque ab „hominum sensu, ac sententia longè remota! „quæ enim viventibus virtutes videntur, à „Deo plerumque, qui rectè omnia metiri no„vit, vitia judicantur. Ego quidẽ ex Dei mise„ratione salutem consecutus, cælesti gloriâ „fruor, verumtamen in purgatorio, *igne tridua„no pœnas exsolvi, quæ trium millium annorum*, „haud mentior (ô longam! ô duram captivi„tatem) *mihi diuturna supplicia visa sunt*. Quod si horum causam quæras, ea gemina fuit: pri-“ ma, quod ex diuturnâ meâ inter fratres præ-“ latione, plerasque maculas, quas nec macu-“ las existimabam, imprudenter contraxerim, “ ac plurima prætermiserim, quæ & Superioris “ munus, & commissi mihi gregis officium po-“ stulabant, quæ summo rigore in Dei judicio “ examinata fuêre.

Altera, quod in animi remissionibus, quas “ intra solius virtutis terminos contrahere de-“ buerã, erga subditos indulgentior, quàm par “ erat, extiterim; ex quo plerumque dissolutio-“ nes erumperent. His ad posterorum quo-“ que disciplinam dictis, protinus ad Superos“ remeavit.

Ejusmodi innumera de obscuris Sanctis, qui fastis adscripti non sunt, adferre possem, quẽadmodum Heroldus ex religiosissimâ S. Dominici familiâ, de Cœnobita memorat, eum ob in explendis pœnitentiis consuetis negligentiam, usque ad diem judicii purgatorio carceri adjudicatum fuisse. Alii ob leves jocos, ob delectationem in cantu, ob curiosum studium, ob nimiam solicitudinem temporalium, ad plures annos illic detenti sunt, ut apud Lancicium fusè videre est.

Lancicius tom. 1. opusc. 6. c. 10. n. 132.

Ex quibus verissimum patet illud Doctoris mellifluì, qui hanc materiam pertractans, aculeum exerit, verè ac severè monendo: *Scitote, quia post hanc vitam in purgatoriis locis*, CENTUPLICITER, *quæ fuerunt hic neglecta, redduntur* usque AD NOVISSIMUM QUADRANTEM.

Bernard. serm. de obitu Huberti.

Nec hoc satis; pergit porrò Doctor Seraphicus quatuor hujus carceris miserrimas conditiones enarrare: *Ostendendum est, quod sicut* VINCULA DURISSIMI CARCERIS. 1. *Auferunt facultatem operandi. 2. Libertatem ambulandi. 3. Potestatem liberè agendi. 4. Inferunt necessitatem tolerandi; sic animabus purgandis* CARCER PURGATORII. 1. *Reddit meritum impossibile. 2. Jugum ineffugabile. 3. Debitum insolubile. 4. Incendium intolerabile.* Tum subdit: *Hæc autem quatuor* DE ISTIS VINCTIS, *comprehenduntur unico versu Psalmi:* SEDENTES IN TENEBRIS, ET IN UMBRA MORTIS, VINCTI IN MENDICITATE, ET FERRO. Quæ sic exponit: *Tenebræ impediunt operationem, vincula evasionem, mendicitas solutionem, ferrum inducit afflictionem.*

Bonav. ser. in die animarum.

4. Miseræ conditiones vinctorum purgat.

Psal. 106

1. Conditio.

Ac primum quidem *reddit* hic carcer *meritum impossibile*, quia mentes illæ calamitosissimæ, sunt extra statum omnem merendi, cùm omne tempus meritorum aut satisfactionis terminetur hac vitâ: *Venit nox* (id est mors, ut passim Doctores) quando *nemo potest operari*, merendo scilicet, aut satisfaciendo. Res sanè multo tristissima, tanta & tam atrocia pati sine ullo merito; quorum centesimam partem cruciatuum si hic mortales tolerarent, tormenta & merita Martyrum adæquare possent.

Joan. 9.

2. Conditio.

Huic accedit alterum, *jugum ineffugabile*; quia nullâ vi, nullo astu ex hoc carcere sese proripere valent.

Quo astu aliqui ex carcere evaserint,

Humana industria numquam luculentius sese manifestavit, nusquam mortalium ingenium omnes nervos ac vires potentius contendit, & ostendit, quàm in captivis, qui arcto carcere conclusi, vinculis adstricti detinebantur

Hîc mille praxes, tractus inaoditos, adinventiones mirabiles sese expediendi, & in libertatem vendicandi summâ solertiâ excogitarunt: totos quippe dies ac noctes, non aliud studium, non alias cinas animo volvunt, quàm assiduò speculari, & rimari, qua vi sibi viam facere, quo dolo aut astu custudias fallere, & fugam queant parare. Hîc artes Dedaleas, & maximè ingeniosas adinvenerunt. Nonnulli vestes suas cum muliebri, aut monastico commutando: alii ipsum custodem ingurgitando, claves assimilando, ipsum etiam carcerem incendendo: *Non semel enim incendium ad fugam patuit*, ac mille aliis technis quandoque evaserunt.

Seneca epist. 13.

Ingeniosissimum certè commentum fuit, quo viri Principes, affinem suum, D. de Montigny, fratrem Philippi Comitis Hornani, cytharis, aut instrumentis musicis, carceri & vinculis eximere studuerunt, ut aliàs diximus.

Lux Evang. Dom. 11. post Pent. §. 2.

Decantata quoque Hugonis Grotii solertia, qui perpetuo carceri ab Ordinibus mancipatus, ut erat litterarum studiosissimus, dum ultrò citoque varii libri in arcâ ad eum deferuntur, captâ opportunitate, eam ipse subiit, atque in hac elatus, evasit, de quo illud:

Beyerlinck theat. tit. carcere liberati.

Iure tua libros colis instrumenta salutis,
Et tibi præcipuo sunt in amore loco:
Fecit enim, Groti, creber dum fertur in arcâ,
Efferturque liber, liber ut esse queas.

Nec minus ingeniosum stratagema, quo Andronicus excessit. Hic ob Eudoxiam, cujus consuetudine utebarur, & regni affectati suspicionem, in editâ rupe captivus detinebatur: unde dum nusquam evadendi spes sese offerret, unus ex amicis, ut advertit in dies per famulum Andronico cibum & potum deferri, in capacem vini amphoram, scalam è densioribus nervis immisit, qua Andronicus elapsus est.

Nicetas. Zonaras.

Sed ô miseram, ac miserandam captivorum sortem! quibus nulla perrumpendi spes, nulla ut solertissimi sint, effringendi vis aut potestas suppetit: *Qui sedentes in tenebris purgatorii*, NON POSSUNT MERERI, non possunt effugere; *possunt tamen juvari*; hinc dum Apostulus clamat: MEMENTOTE VINCTORUM, *hortatur omnes ad compassionem, & suffragia defunctorum, carcere purgatorii detentorum.*

Bonav. ci.

Pater Hermannus Hugo scribit, captivum quemdam in longo carceris pædore ramdiu detentum, ut cum instrumenta deessent scribendi, ungue suo, qui in immensum excreverat, in cuspidem aptato, & in crenam fisso, atramento ex salivâ & carbone temperato, epistolium ad suos dedesse, quandoquidem ipse nullâ vi, aut industriâ expedire posset, quantocius succurrere, ac opem ferre vellent.

Herman. Hugo de prima scribendi origine c. 9. pag. 86.

O si litteras! aut libellum supplicem ab uno è vinctis hisce, ad nos dare liceret; pro calamo ad manum ungues forent, nec deessent carbones desolatorii, quos lacrymis temperatos in atramentum converterent; & quid hi exararent? *Mementote vinctorum tanquam simul vincti.* Vos ô mortales, mille praxes, & artes habetis, quibus vinctos solvere potestis. Instrumenta musica, quibus vinctos hos meliori ac sanctiori astu liberate valeatis, *Eucharistia* est, quæ felici nominis omine, *cithara Iesu* nuncupatur. Hac arcâ, ut eam Cyrillus, Gregorius, Beda appellant, non unus, sed plures vincti efferendi. Hoc poculum non scalas, sed alas soppeditat, quibus è custodiâ evolare queant; ut mox dicemus, ubi de Communione Generali.

Eucharistia anagram. cithara Iesu. V. Raynaud. candelab. myst. Bonav. cit.

Tertia perquam acerba vinctorum conditio est, paupertas, seu MENDICITAS QUÆ IMPEDIT SOLUTIONEM: *nam manente reatu peccati*, & DEFICIENTE MONETA MERITI, *non possunt solvere, quod ab eis exigitur, nisi per violentiam supplicii.* MENDICI SUNT; & *tamen mendicare non licet, nisi quod pro eis mendicans Ecclesia clamat*: MISEREMINI, MISEREMINI.

3. Conditio, debitum insolubile.

O si vel unam animam è vinctis, in ignea cyclade, candentibus catenis vinctam, urbem mendicando, & vociferando obire contingeret, quot preces, eleemosynas, sacrificia obtineret, quam amplum lytrum imperraret?

Dum Joannes Intrepidus, Philippi Audacis filius, à Bajazethe captus, Byrsæ in Thracia detineretur, summus fuit luctus patris, ac Belgarum; nec destitutum, donec vinculis eximeretur. Ducenta millia aureorum pro lytro exacta, è quibus soli Gâdenses, quinquaginta millia annumerarunt. Totam summam, Poligronius, civis Genuensis (qui in Chio Insula negotiabatur) Turcæ cambio transcripsit.

Principes magno lytro è carcere liberati. Amarca in Ioan. Intrepido. fol. 21. Beyerlinck litt. L. pag. 149.

Carolus Dux Aurelianensis per 25. annos ab Anglis in carcere detentus, tandem quater centenis aureorum millibus liber dimissus est.

Ratius Neapol. l. 3. Franc. Reg. Ibid.

Guielmus Scotorum Rex captus ab Eduardo III. Angelorum Rege, pro liberatione centum millia librarum sterlingarum pendere debuit.

Henricus filius Frederici II. Imp. à parente per 22. annos carcere detentus fuit, quem ut vinculis eximeret, iotimus ejus amicus, multis egit apud Imperatorem, imò promisit in lytrum, catenam auream, quæ totum ambitum murorum urbis Bononiensis complecteretur.

Sed, omnia excedit, quod subjungo. Artabalipa Rex Peruanus pro libertate 70. milliones, auri, (sunt ducenta triginta millia vasa auri) intra 40. dies annumerandos promisit.

Drexel. Chrys. majest. part. 2. 22. §. 1.

O si fidelibus igneo illo carcere detentis, liceret lytrum pro redemptione persolvere; quidquid in fundis, quidquid in arcis, totum, ne obolo relicto profunderent; quod ipsi non possunt modò, hoc vos debetis, potissimum qui eorum bonis fruimini: *Quantò enim mendicitas major, tantò in subveniendo pietas virtuosior debet esse.*

Bonav. cit.

Nun quod millia aliquot in pauperes eroganda, sed liberales eleemosynæ largiendæ, opera misericordiæ, charitatis exercenda; hæc lytro serviunt.

Proverb. 13. v. 8. *Redemptio animæ viri, di-*

Eleemosyna lytrum animarum. vitia sua; ubi Hugo Card. *Misericordiâ factâ proximo*, REDIMITUR ANIMA *suppliciis obnoxia*. In eundem sensum D. Ambrosius ad Eccl. Vercellens: *Sed neque divitiæ vituperabiles*: REDEMPTIO *enim animæ viri divitiæ*. Rectâ, inquit Velasques, eleemosyna, *redemptio* „ dicitur: eâ siquidem innuitur, animam ingeo- „ ri debito obstrictam, eleemosynâ quasi justa „ compensatione in libertatem asseri. *Velasquez in Philipp. c. 2 v. 12. annot. mor. 9. n. 9.*

Præluxit hic fortissimus Judas Machabæus, qui *duodecim millia drachmas argenti* collegit, *& misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium*. *Lib. 2. Mach. c. 12. v. 43*

In hæredes ingratos. Sed ô barbaram, & plusquam belluinam ingratitudinem eorum, qui defuncti hortos, agros, prædia, domos, millia auri & argenti cum omni suppellectile ex asse adierunt, atque iis ad luxum, ad lasciviam, ad remulentiam, & omnem licentiam, indies splendidè epulando, potitando, helluando, scortando, abutuntur, benefactoris, omniumque beneficiorum immemores. De quibus olim sacer Propheta vaticinatus videtur: *Qui dormitis in lectis eburneis & lasciviitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulum de medio armenti: qui canitis ad vocem psalterii, bibentes vinum in phialis & optimo unguento delibuti*; & hi *nihil patiebantur* (seu ut Lyranus, *compatiebantur*) *super contritione Ioseph*. Hugo Cardinalis ait: *Sicut fratres Ioseph extiterunt immisericordes ad ipsum*, ita & illi. Quod quàm indignum & inhumanum, Rupertus innuere videtur ad verba Psaltis alludens: *In servum venum datus est Ioseph, & HUMILIATUS IN COMPEDIBUS, ita ut ferrum pertransiret animam eius*; nec est, qui compatiatur. *Amos 6. v. 6.* *Lyran. Hug. hic* *Rupertus apud Lyran.*

Ad hos frustra clamat Paulus, frustra detonat Bonaventura: *Mementote, mementote vinctorum, tanquam simul vincti*. O si vel per horam *simul vincti*, eodem igneo ergastulo, vel per horæ quadrantem inclusi fuissetis, quanta vos eorum caperet miseratio? *Ad Heb. 13. v. 3.*

Eleonara Henrici II. Anglorum Regis uxor, à marito in carcerem conjecta, eo mortuo, à Richardo filio liberata, Angliam pervagata, omnes captivos liberos dimittebat: quia experta erat, carceris angustias, & squallorem, suppliciis mortalibus esse gravissimum. *Polydor. lib. 14. hist. Anglor. Beyerlinck. L. pag. 140.*

Hoc verius quisque vestrûm testari, & commiserari posset, si subterraneum carcerem expertus fuisset.

Moveat vos vel hominis Barbati, in ipsas eaptas volucres miseratio, de quo sic fertur: cum circa annum Christi 1558. in foro Veneto ionumeræ aviculæ cantu præcellentes, venales prostarent, Turca quidam eas omnes mercatus, spectantibus cunctis, è caveâ emisit, & liberè evolare fecit; facti rationem hanc mirantibus reddens: *Quod ferre non posset animalculorum horum* CAPTIVITATEM, *quam ipse inter ærumnas calamitosissimam expertus fuisset*. *Beyerlinck litt. A. pag. 353.*

Finge, si lubet, quod Deus facere potest, ut hic in carcere, & simul per replicationem in purgatorio constituaris, ubi tibi primum quam citissimè occurri velles? Profectò hunc carcerem pro palatio duceres, & alterum ex-

pectus, non tui tantum, sed omnium illic vinctorum tangeret commiseratio.

4. Conditio. Ultima, atque hæc deterrima & acerrima conditio est: *Incendium intolerabile, seu supplicium incomparabile, quod significatur in ferro*, ubi in exemplum adducit Manassen: *In persona horum* (vinctorum) *dixit Manasses: incurvatus sum in vinculis ferri*: nam ut 2. lib. Paralipomenon, habetur: *Assyrii ceperunt Manassen*, ET VINCTUM CATENIS, ATQUE COMPEDIBUS *duxerunt in Babylonem*.

Sed ab hoc vincto, quam immane discrepant vincti non in Babylone, sed fornace, Babylonicâ multo atrociore; *ubi gravior erit una hora in pænâ, quàm hic centum anni in amarissimâ pænitentia*. Exaggeratus S. Augustinus, quem supra citavimus, & Divus Cyrillus Alexandrinus, pœnas illas tantas esse, ut qui nosset, aut expertus esset, *mallet quilibet viventium ab Adam usque huc, imo ad finem mundi, omnibus excruciari pœnis, quàm uno die in purgatorio morari*. His accedit irrefragabilis Angelici Doctoris auctoritas, qui ait: *Ille ignis purgatorii durior erit, quàm quidquid in hoc seculo pœnarum aut sentire, aut videre, aut cogitare quis potest*. Quis ad hæc non totis ossibus contremiscat? cujus viscera, etsi ferrea, commiseratione non colliquescant? Sed cùm *Thom. A kemp. August in Psal 37. & ser. 41. de Sanctis. Cyrill. Alex. l. 10. cap. 14. in Ioa.* *S. Thom 4. distinct. 21 art 1.*

Tardius irritent animum dimissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis commissa fidelibus, *Horat. de Arte.*

Leve specimen proponam, ut de loco hoc tormentorum, quibus vincti illic excruciantur, aliquam conjecturam facere possitis. Refert Delrio apud Dominicanos Zamoranos accidisse, ut quis eorum, cum quodam Minorita hoc pactum inierit, si prius è vivis excederet, se post obitum, appariturum. Mortuus post dies aliquot apparet Dominicano, mensas sternenti, & ait se expiatorium circumgestare ignem, *& ad cruciatus sui indicium, manum mensæ ligneæ crassæ impressit, eamque altè admodum combussit*. Notam hanc, inquit, ab oculatis testibus audivi superesse manus mensæ inustæ, & ad perpetuam rei memoriam patvo clatro ferreo obtectam, & narrat in Chron. Dominicanorum F. Ant. Senensis, ut de re nihil dubitandum sit. *Delrio disquisit. mag. lib 2 quæst 26. sect. 7.*

Possem hic adferre, quod anno 1651. Dunckerckæ accidit, spiritum in flammis apparuisse, qui per plures menses adjutatus, tandem compulsus signum dare in strophiolo, quatuor digitis illud apprehendit, & parte discerpta, vestigium adustionis in eo reliquit. Tum jussus signum dare in cruce ex ebeno, pollice & indice illam io altum efferens, ab utraque parte vestigium adustionis reliquit. Quod facile 20. testibus oculatis, & auritis comprobatum, ipsasque strophi partes, & crucem adustam penes me servo. *In annuis*

Sic legisse me memini, dum quidam ad hospitium divertisset, & noctu altum stetteret, miseros & horrendos ejulatus è vicino strato audivit, in quo tamen nullus decubuerat, atque in eo hominem, flammis undeque circumdatum cernit, qui nomen suum enuncians, so-

dalem quondam suum compellat, ut accedat, eumque metu propè exanimatum rogat, ut si scire velit, quàm dirè torqueatur, manum duntaxat stragulis admoveat; & ecce vel levi contactu, manus ad ossa usque, carne & nervis omnibus absumptis, combusta fuit.

Amos 6. 6

O si cupiam vestrûm non mensam sternenti, sed eidem accumbenti, & *vinum è phialis bibenti*, quis sese spiritus exhiberet, & igneam manum mensæ imprimeret; aut in molli ansere stertenti, & in strato eburneo lascivienti, umbra talis flammea appareret, & vel minimo digito, pœnas suas persentiscere faceret, quàm quisque vestrum, mensis remotis, & strato relicto, compateretur *super contritione*, imò combustione *Ioseph*?

Ignis purgatorii idem qui inferni.

Eundem enim ignem, qui damnatos, pios manes cruciare, SS. Patrum, & Theologorum sententia, & Ecclesiæ sensus est, precantis: *Libera eas de pœnis inferni*.

V. Raynaud. com. 15 pag. 361.
Comparatur cum pœnis Christi.
Navarrus ad cap. ult. de pœnit. dist. 7. §. ultimo n. 17. Raynaud. cit.

Navarrus verò comparationem instituit inter pœnas quas Christus in cruce sustinuit, & pœnas purgatorii, probatque pœnas purgatorii esse acriores, & duriores: quia dolor cruciatorum quorumcumque, ac ipsius etiam Christi in cruce, erat dolor corporis per animam; multò igitur acriorem censet oportere dolorem esse ipsiusmet animæ seorsim sumptæ, quæ tota est sensitiva. Ita D. Thomas 3. p. quæst. 46. art. 6. ad 3. ubi ait: *Quando dicimus dolorem Christi fuisse maximum, non comparamus illum dolori animæ separatæ.*

Hæc igitur tormenta cùm tam atrocia sint, ut nec lingua effari, nec calamo exarari, nec mente queant excogitari, omnem operam impendamus, ut miseris hisce vinctis succurramus, & in beatam libertatem asseramus. Quod quàm levi impendio, nullo aut exiguo incommodo, imò etiam maximo vestro emolumento, & oblectamento facere valeatis, nunc ostendere aggredior.

§. II.

Daniel 14 v. 33. In missa defunct.

PRANDIUM QUOD TULIT HABACUC *Danieli in lacu leonum, Eucharisticum adumbravit, quo animæ* È PROFUNDO LACU, ET EX ORE LEONIS *liberentur.*

Eccl. 44.

V*Iri misericordiæ* solicitè ac solerter quærunt, ubi optimè operam suam impendere, eleemosynas suas impertiri, Deo opus gratissimum, proximo utilissimum, ac sibi maximè meritorium præstare possint. Huic pio & sancto desiderio satisfacit Doctor Angelicus, cum ait: *Inter omnes virtutes quæ ad proximum pertinent, potissima est misericordia: quia misereri proprium est Deo.* Unde ardentissimæ charitatis, & summæ misericordiæ est, si quis cibo, potuque genium suum defraudet, ut alterum pascat & potet: si ægros invisat & soletur, vel cum suæ valetudinis detrimento: si aspera hieme, vestibus se spoliet, ut nudum induat: si domus suæ optimum conclave misero peregrino, cum sui etiam maximo incommodo cedat: si captivos non levi impendio, carcere & vinculis solvat: si mortuos propriis humeris ad sepulturam efferat.

S. Th. 22. quæst. 30 art. 4.

Quæ omnia ut maximè heroica sint; longè tamen nobilius, sublimius, vel unam animam ex igneo purgatorii ergastulo liberare: nam spiritualia misericordiæ opera, animæ impensa, quantum præstent corporalibus, idem S. Thomas disertè edisserit: *Eleemosynas spirituales esse potiores quàm temporales triplici de causâ: 1. Quia id quod exhibetur, nobilius est, scilicet donum spirituale, quàm temporale. 2. Ratione ejus cui subvenitur, quia spiritus nobilior est corpore. 3. Sicut homo sibi ipsi magis debet providere quantum ad spiritum, quàm quantum ad corpus; ita & proximo, quem debet sicut seipsum diligere: & quantum ad ipsos actus, quibus subvenitur proximo: quia spirituales actus sunt nobiliores corporalibus, qui sunt quodammodo serviles.* Quo fit ut unus actus misericordiæ spiritualis, per quem anima vinculis exsolvitur, eminenter contineat omnes misericordiæ corporalis; illo etenim ægrum non tantum solatus fueris, sed quavis febri gravius laborantem, sanitati saluberrimæ, & vitæ restitueris: multum sitientem non frigidâ potaveris; sed ardentissimâ siti exhaustum, ad uberrimum torrentem voluptatis adduxeris: fame rabidissimâ supra omnem famelicum æstuantem, angelicis epulis accumbere feceris: vinculis igne candentibus & flammis compedibus, in horribilissimâ custodiâ arctissimè vinctum, in auream libertatem asserveris: ab aquis nimiis & frigoribus nivis palpitanti, cycladem nuptialem, vestem gloriæ obtuleris: à cælesti patriâ peregrino, palatium, thalamumque divinum aperueris, & in portum deduxeris: ignibus sepultum, in regionem vivorum & gaudium æternum transtuleris.

S. Th. 22. quæst. 32. a. 3.
Liberatio animæ ex purgatorio eminenter continet omnia opera misericordiæ corporalis.
V. Novarini Agnû Eucharisticum n. 1078.

Quæ omnia misericordiæ, meriti, & sanctimoniæ opera, Sacerdos uno sacrificio; quisque vestrum die Communionis Generalis, unicâ cælestis epuli refectione non modò adæquare, sed & exsuperare valet.

Typus Communionis Generalis, prandium Danieli missum.
Daniel. 9. 23.
In missa defunct.
Isa. 38 13.
Thren. 1.
Hieron. in Isaiam. c. 38 v. 13.

Hujus typum habemus Danielis 14. v. 3[3]. dixit Angelus Domini ad Habacuc: FER PRANDIUM, *quod habes, in Babylonem Danieli*, QUI EST IN LACU LEONUM. Lacum hunc leonum, umbram subterraneæ illius specus exstitisse, ubi non unus *vir desideriorum* excruciatur, communiter Interpretes, & universa testatur Ecclesia: *Libera eas de profundo lacu, & de ore leonis*, quia ut ille clamat: furor Domini corripuit me & *quasi leo sic contrivit omnia ossa mea*. Quin imò, *de excelso misit ignem in ossibus meis*. Perappositè hîc sanctus Hieronymus: *Hoc verum esse novit, qui magnis febribus æstuat, cujus ignis internus* IN SIMILITUDINEM LEONIS, *omnia ossa consumit; nec se putat præ doloris magnitudine ultra esse victurum*; quæ supra omnem febri æstuantem,

aptissimè in eas animas cadunt, quæ hoc lacu leonum clauduntur.

Aug. ser. 11 de temp. à quadrag. 2.

Prandium verò quod Habacuc tulit Danieli, quid mysticè significet, Augustinus exponit: *Daniel ille futurorum gnarus, & adventus Domini conscius, & ideo* VIR DESIDERIORUM *appellatus est: quia* MAGIS CHRISTUM, *quàm epulas desiderabat.* Ardentius, viri & fœminæ desideriorum in hoc lacu, non epulas humanas, quæ etiam tumulis mortuorum inferri solebant, sed magis epulas cælestes, prandium divinum, panem Angelorum, qui ipse Christus est, desiderant: nam ut inquit doctissimus Mendosa; *Prandium quod misit Deus Danieli*, EUCHARISTICI CONVIVII NON OBSCURUM SYMBOLUM FUIT. Tum subdit: *Quod si panis ille typicus sic valuit*, QUID EUCHARISTICUS?

Mendosa tom. 1. l. 1. Reg. cap. 5. Annotat. 17. circa litt. sect. 1. n. XXXIII

Ioseph. lib. 2. hist. Iud. apud Lyran in Daniel. c. 14. v. 33

Si panis ille typicus ora leonum obturârit, famelicum non solum paverit, & servârit; sed ut Josephus loquitur, liberârit: *Utique eripuit me Deus de ore leonum*; quod & confirmat Lyranus: *Hic ponitur duplex liberatio Danielis: prima, à pœnâ famis*; SECUNDA, A POENA MISSIONIS IN LACUM.

Quid panis Eucharisticus non præstabit, quomodo non multò potentius liberabit animas à fame, quâ esuriunt panem vitæ, & à missione in hunc lacum leonum? Optandus mihi hic Angelus, qui quemque vestrûm velut alterum Habacuc, vivâ recordatione, & commiseratione apprehendat, ut hoc Eucharisticum prandium seu celebrans, seu communicans, per Indulgentias plenarias, animabus applicandas sumat, & non unam è lacu leonum educat; hoc porrò solum, plus ad illas liberandas, quàm omnia misericordiæ opera, aliorumque Sacramentorum susceptionem illis adjumenti & solatii adferre, Doctorum, SS. Patrum, & exemplorum auctoritas evincit.

S. Th. in 4. dist. 45 q. 2. a. 1.

Doctor Angelicus, qui mihi semper ad manum, semper in mente, sic docet: *Baptismus non habet efficaciam, nisi in eo qui baptizatur, quantum est ex opere operato. Sed Eucharistia est signum Ecclesiasticæ unionis, & ideò* EX IPSO OPERE OPERATO, EIUS EFFICACIA IN ALTERUM TRANSIRE POTEST, QUOD NON CONTINGIT DE ALIIS SACRAMENTIS. Imò pro defunctis promptius à Deo acceptari, quàm pro vivis, alibi innuit, dicens: *Magis acceptatur suffragium pro mortuo quam pro vivo: quia magis indiget; cum non possit sibi auxiliari, sicut vivus potest.* Ita mendico viribus impotenti promptius occurris, quàm robusto.

Id. in supplem. 3 par. quæst. 71. art. 5. ad 5.

In vita Scoti ante opera.

Confirmat Scotus, de quo Ragusius, oratione in Concilio Basiliensi habita: *Scotus*, inquit, *præ altitudine & subtilitate doctrinæ, antonomasticè* NOMEN DOCTORIS SUBTILIS *in scholis obtinuit.* Leonardus Lessius in approbatione operum, eum vocat *cotem ingeniorum & limam subtilioris Theologiæ ac Philosophiæ, quæ in scholis, & eruditis disputationibus maximè triumphare consuevit.* His illustrius Constantini Sarnani S.R.E. Cardinalis elogium, dum de vetustis Doctoribus Scholasticis sermonem instituit, ita subjungit: *Inter quos* JOANNES DUNS SCOTUS, VELUT SOL, *lucidissimum inter radiantia sidera astrum, acerrimo ingenii acumine, subtilitate, ac profunditate mira ac recondita doctrina, præ cæteris omnibus* SUBTILISSIMUS DOCTOR *coruscat.*

Sublimius adhuc de eo sensit Pitsæus: *Fuit*, inquit, *vir ingenio planè ad litteras facto*, ET AD MIRACULUM SUBTILI, ATQUE ACUTO, *ut non tam hominem acie mentis stupendum, quàm inter argutos Philosophos* QUENDAM DIXERIS DEUM.

Hic vir, hic est, quem Joannes Nider ad 7. Decalogi præceptum cap. 9. adducit: cùm enim dixisset, & sancti Gregorii auctoritate firmasset, oblationem altaris super omnia defunctorum subsidia illis prodesse, addit: *Et dicitur hic oblatio altaris indistinctè, ut dicit Scotus*, SIVE SIT CONSECRATIO, SIVE PERCEPTIO EUCHARISTIÆ. Ipsissima sunt Scoti verba, quo uno testimonio tanti Doctoris continentur innumera.

Scotus quodlibeto penult.

Classem SS. Patrum qui volet, consulat Raynaudum. tom. 6. pag. 634.

Girardus in vitis FF Prædicat.

Exempla corum qui per sacrificium, aut S. Communionem purgatorio carcere liberati.

Exempla vultis? pauca è plurimis seligam. Pro fratre suo qui è vivis excesserat, ad aram faciebat *Ivo* ex Ordine *S. Dominici*, qui tum in terrâ sanctâ Provincialis munere fungebatur. Priusquam ille divino pabulo se reficeret, *sacrã hostiam* manu prensans, ita precabatur: mi suavissime Jesu, quod si Turca vinctum quempiam teneret, unusque aulicorum ejus, sibi concedi illum deposceret, oblato pignore tanti pretii, quanti est illud, quod hisce digitis premo; assentiretur haud dubiè. Tu non minus liberalis es, Domine. Credo igitur, mi Jesu, animam mei dilectissimi fratris; hunc gemitum madens lacrymis posteaquam bis, terque iterasset, sacris epulis pascebatur. Conspexit deinde quamprimum præfatam animam mirè jucundam, candidisque vestitam, in cælum evehi.

Eodem spectat, quod in actis S. Nicolai Tolentinatis legimus, de legatione animarum ad ipsum, ut ejus sacrificiis juvarentur. Quem pridie Dominicæ, cum noctu paululum obdormisset, spiritus voce magnâ, & multo ejulatu interturbaret, & rogatus, diceret: se *Peregrini Auximensis* (quem intimè noverat) animam esse, igneo carcere detentam, ejusque opem ardentissimè implorare; vir sanctus ait: adjuvet te Redemptor, cujus sanguine redempti sumus: ego enim ad summum sacrificium solenniter faciendum hoc præsertim Dominico, cujus officium mutare non licet, deputatus sum, Missam pro defunctis dicere non possum. Tum spiritus, veni Venerande Pater, inquit, & vide, num te deceat precibus tantæ, tamque miseræ multitudinis, à quâ missus sum, assensum negare, meque miserum tam inhumaniter repellere. Ductus ergò ad alteram eremi partem, apud Pisas, vidit innumeram multitudinem animarum omnis sexus, conditionis & ætatis deprecantē: miserere Pater, miserere turbæ, succurre vinctis in lacu leonum, solve vincula colli nostri. Hoc somnio, seu potius divino ostento vir sanctus evigilans, magnâ commiseratione commotus, & in amarissimas lacrymas effusus, Sacrum funebre non solum ipso die,

sed tota consequenti hebdomadâ, ut eas tam horrendo ergastulo eximeret, fecit. Qua hebdomada peracta, idem spiritus Peregrini hæc fausta denunciat: se cum ingenti multitudine captivarum animarum, liberè ad cælos evolasse.

Hæc paucis de sacrificiis, quæ à Sacerdotibus fieri, & à vobis curari possunt.

Nunc quod Communionem concernit, & vos omnes spectat, etiam pauperculas, & Sanctimoniales, quæ dum divinis epulis cum sponso suo, Rege Regum, qui convivium & conviva est perfruuntur, non unam animam captivam, valent liberam dimittere.

Inter epulas Regina Esther, cùm mollia fandi tempora, pro incolumitate populi, Assuerum Regem interpellat: *Si inveni gratiam in oculis tuis, ô Rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam, pro quâ rogo, & populum meum pro quo obsecro.* Ubi Rupertus: *Laudabilis in tali elocutione prudentia est.* SUPPLICAT TANQUAM CAPTIVA. Hisce verbis tanquam simul vinctis, perquam apposite uti possumus, dum inter convivandum in mensâ Eucharisticâ, apud Christum, pro captivo populi nostri liberatione supplicamus, iterando illud Estheris: *Si inveni gratiam in oculis tuis*, ô Rex animarum Christe, *& si tibi placet, dona mihi animã* patris mei, matris, fratris, aut sororis meæ, *pro qua rogo, & populum meum*, amicos meos, propinquos, benefactores meos, pro quibus obsecro; haud dubiè voto potieris.

Esth. c. 7. v. 3.

Rupert. l. 8. de vict. Verbi Dei. cap. 19.

Matthias Corvinus Hungarorum Rex, anno salutis 1476. Budæ nuptias cum Beatrice Aragoniâ celebrans, publicæ hilaritatis gratiâ, reos omnes carcere detentos, veniâ ac libertate donavit. Quid si inter vinctos quispiam tunc repertus, qui sponsam sanguine, aut Regem affinitate, aliave necessitudine attigisset, quis dubitat, quin ad eum & quam maximè, regis gratia primum pervenisset? Atqui non cedit Rex amoris, Regibus terrenis, in hoc epulo, ubi nuptiæ Christi cum animâ celebrantur: quò enim Eucharisticæ nuptiæ humanis præstantiores sunt, huc à Rege nostro immortali, major ex iis lætitia, gratia, ac indulgentia, in vinctos potissimum redundet, necesse est. Quod quidem ipsius Christi testimonio affirmate libet, apud Gertrudem relato.

Bonfinius lib. 4. decade 4.

Celebraverat has divinas nuptias sponsa illa Christo charissima, eique panem Angelorum medullitus offerebat, ad animas piaculari carcere solvendas, cum statim eas exinde liberari videns, non mediocriter admirata est. Conversa igitur ad sponsum: *Cur*, inquit, *ô benignissime mi Domine, cum aliastoties, tuâ me præsentiâ digneris, non idem pro me efficis, quod jam effici sentio?* Cui respondit Dominus: *Quemadmodum cum Rex quispiam è palatio suo ad Reginam in vicinâ urbe commorantem adit, illius cives munificentia, & humanitate Regis facilius fruuntur: ita cum ego amore cujuspiam animæ impulsus*, IPSI ME PER EUCHARISTIAM COPULO, *omnibus cali, terraque incolis*, PIISQUE MANIBUS CUSTODIA PIACULARI DETENTIS, INCREDIBILIA BENEFICIA CONFERO quodnam verò majus, & incredibilius beneficium, quam momento,

Lib. 3. insinuat. divin. c. 18.

ex igneo ergastulo in regnum cælorum transferri, & conspectu Dei frui? ut liceat cum Augustino hic exclamare: *O verè felices, qui è carcere ad palatium pervenerunt!*

Aug. soliloq. c. 35.

Hinc ea in Gertrude erga fideles animas, pietas exarsit, ut à Christo expetierit inter communicandum, ut vi perceptionis Eucharistiæ, tot animas è purgatorio carcere eriperet, quot essent particulæ, in quas factæ species, seu panis exuviæ, ori illatæ, dividerentur; adnitente studiose piâ virgine, ut in quam plurimas particulas dearticularet sacram hostiam. Ratamhabuit Christus (ut ibidem additur) petitionem ancillæ suæ) tametsi supra votum, se ejus desiderio responsurum, & multo plures animas *vi communionis unius* per eam obitæ, quam ipsa signasset, erupturas è vinculis spopondisset.

Lib. insinuat. cit. sub finem. Raynaud. tom. 6. pag. 635.

Quid, quod de B. Joannâ à Cruce legimus, eam ex mandato ipsius Christi, pro animâ in purgatorio detentâ communicasse, inque eam rem ab Angelo sacram hostiam accepisse.

In vita cap. 7.

Et adhuc invenire erit, qui ab hoc divino convivio se excusent, qui impedimenta prætexant, quod villam emerint, uxorem duxerint, &c. tamque suavi, & facili modo, quo animas igneo carceri eripere possent, uti negligant? Ejusmodi fortè excitare poterit, quod Abbas Lætiensis refert: anima cujusdam defuncti, cuidam Dei amico, in flammâ ardoris immensi apparens, dixit se eâ solâ de causâ tam duris cruciatibus torqueri, quod circa Dominici corporis perceptionem fuisset negligentior: additque, *si vel semel Venerabile Sacramentum devote pro se accipere dignaretur, se mox liberandam.*

Blosius in monili c. 6

Quod cum ille Dei amicus fecisset, sequenti die anima eidem sole fulgentior atque micantior apparuit, unicâ illâ dignissimi Sacramenti hujus perceptione ab intolerabilibus pœnis liberata, atque ad cælum & æternam beatitudinem evecta.

Quin major vobis fiducia esse debet, quibus in Sacramenti sumptione insuper ad animas liberandas plenariæ indulgentiæ à Pontificibus concessæ sunt. Quæ ne unquam præterire velitis, ubi pridie *Communionis Generalis*, funebris campanarum sonus aures perculserit, occurrat animo in hoc inferiori carcere, omnium ora laxari, omnium voces & gemitus ad aures vestras adlabi: *Mementote vinctorum* atque hos rota nocte, & sub ipsis sacris epulis, ne eorum immemores sitis, clamantes audite, & subvenite.

Ad Heb. 6.

Nota multis est historia quæ ad rem facit. Leo Basilii Orientis Imperatoris filius, Santabareni perfidiosis artibus in suspicionem tentati patricidii venerat: neque Imperator ullis vel argumentis, vel precibus ab eâ se demoveri sinebat; quin etiam in carcerem detruso, expungere oculos propè deliberatum habebat. Erat in Regiâ psittacus, qui sive casu, sive edoctus ob ephebo, Domini sui sortem miserante, sæpè has voces ingeminabat: *Heu heu! Domine Leo*; cùm autem Principes senatus aliquando acciti, cum Imperatore convivarentur, ac psittacus super mensam easdem verba: *Heu heu! Domine Leo*, flebiliter iteratis vocibus occineret,

Baron. an. Chr. 879. & 886. Zonaras Curopolates.

ret, mœsti ipsi consederunt, & in lacrymas soluti sunt; causamque percunctante Imperatore, argumentum liberandi filium è vinculis à psittaco desumpsere, dicentes: accensari se quodammodo inhumanitatis ab ista volucre, quod Leone in custodia detento, ipsi lætas epulas celebrarent: orarent itaque se, ut misero Principi gratiam Imperator faceret, carcereque solutum, paterno affectu & complexu dignaretur; valuere in convivio preces, quæ alias calidè & frequenter iteratæ, frustraneæ fuerant, tum ne Imperator magis expers commiserationis, quàm ista avis videretur, Leonē carcere eductum, veniâ & imperio donavit.

Non psittaci, sed ardentis umbræ vociferatio vos moneat & moveat, ut inter divinas epulas apud summum Imperatorem pro ejus libertate potentet perorare, & exorare velitis.

Superest, ut dubio ac scrupulo, quem bic quidam movent, nedum ipsi S. Communionem, preces, aliaque pietatis & charitatis opera fidelibus defunctis liberandis applicant, seipsos merito, & fructu privent, satisfaciamus.

§. III.

Vtrum sit majoris meriti vinctis in purgatorio carcere propriam satisfactionem applicare, quàm pro se eam reservare?

Arriaga de charitate disp. 40. sect. 1.

ARriaga celeberrimus Hispaniæ Doctor, & in Cæsareâ, Regiâque Pragensi Universitate Cancellarius, sic ait: *Hac difficultas satis gravis est, quam pauci considerant diligenter.* Quare cùm ista quæstio maximè practica sit, recurrente quot mensibus Communione Generali pro vivis vel defunctis, quibus eas Indulgentias applicare expediat, libet plenius examinare.

Ac primò quidem supponendum est ut indubitatum, unum actum amoris in patria, exsupetare etiam innumeros quos hic viri sanctissimi & charitate Dei flagrantissimi exercuerunt; anima verò aliquot mensibus aut annos per te citius gloriâ cœlesti fruitura millenos & millenos superioris ordinis actus amoris eliciet; hoc autem tu totum decus animæ liberatæ, & divinæ gloriæ per omnem æternitatem incrementum adjicis, quo & ipsa, & divina majestas in æternum caruisset. Unde Cardinalis de Lugo docet: *Laudabilius esse, applicare suffragium defunctis, quàm retinere sibi.* Et communi objectioni: *Quod ordo charitatis petat, ut nos magis diligamus quàm proximum*, respondet: *In his damnis temporalibus laudabile esse ea subire propter proximum: cum hoc enim stat, quod simpliciter nos diligamus* (& Deum) *cum in rebus æternis nos præferamus*, nixus Divi Thomæ testimonio, qui ait: *Quod corporalia* (& temporalia) *detrimenta debet homo sustinere propter amicum, & in hoc seipsum diligit, secundum spiritualem mentem; quia hoc pertinet ad perfectionem virtutis, quæ est mentis bonum;* perfectissima autem virtutum charitas, quâ

Lugo de pœnitentia disp. 26. sect. 1. n. 16

S. Th. 22. quæst. 26. art. 4. ad 1.

cum temporaneâ divinæ gloriæ jacturâ proximo subvenitur, & tantum æternæ gloriæ augmentum acquiritur, ut & temporaneis hic aut in purgatorio pœnis subeundis prævaleat, imò etiam suis meritis pro omnibus satisfaciat.

Patet hoc in D. Paulo, *qui ut cuperet dissolvi*, & esse cum Christo; resolvit se tamen ad permanendum in carne, ad Dei gloriam, ut plures ei lucrifaceret. Hac charitate flagravit S. Martinus, ad quem discipuli: *Cur nos Pater deseris, aut cur nos desolatos relinquis: scimus quidem desiderare te Christum, sed salva sunt tibi tua præmia, nostri potius miserere*; quæ verba fidelium, animarum ad te clamantium censeri possunt, & S. Præsul motus discipulorum commiseratione: Domine, inquit, *si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Talis ignis exarsit in Ignatio, qui aliquando auditus dicere: *Si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, & interim Deo servire, & proximorum saluti, quàm certum ejusdem gloriæ, statim mori*; qui omnes amore proximi, & maximè Dei, beatitudini jam jam adipiscendæ tenuntiarunt.

Sulpit. in vita.

In Breviar.

Ex quibus patet temporalem privationem beatitudinis eligere, ut honor Dei in proximo promoveatur, atque adeò ut satisfactio nostra defunctis applicata, eos cælo inserat (ubi unâ horâ plures & nobiliores actus eliciunt, quam alii sancti hic per omnem vitam) esse magis diligere Deum, quam seipsum, atque adeò esse ordinatissimam charitatem: nam ut docet S. Thomas: *Affectio charitatis in eo, qui pro amico patitur, facit satisfactionem magis acceptam, quàm si pro se pateretur; hoc enim est prompta charitatis; illud autem necessitatis.*

S. Th l. 3. contra gentes cap. 158.

Cùm ergo pati pro alio, ex mente S. Doctoris, sit Deo absolutè gratius, quàm pati pro se, erit etiam eidem acceptius, & laudabilius satisfactionem suam alteri applicare, quàm sibi reservare: majoris meriti omnia jejunia, corporis afflictationes, morborum cruciatus; animabus in satisfactionem transcribere, quàm pro se suscipere.

Pati pro alio actus ordinatæ charitatis.

Exstimulent vos geminæ prudentes virgines, hac pietate excellentes. Oraverat Deum *Catharina Riccia*, S. Dominici filia, ut amici manes, quos piaculari carcere cruciari intellexerat, in beatam semitteret libertatem. Cum res lentè procederet, seque minimè audiri animadverteret, ultrò se paratam subeundis, quæ supeterant, pœnis profitetur. Audivit Deus indulsitque grande amoris experimentum: invasit enim virginem ardor adeò sævus, ut illa miseris modis æstuaret, ipsumque cubiculum concepto calore, ardere videretur. Nulla tamen audita querentis vox; crevit etiam amor, ausurus majora, si res posceret, ut flammis ali posset.

Catharina Riccia pro defunctis pati postulat, & impetrat.

Iohan. Rho varia virtut. hist. l. 1. c. 4. §. 3.

Verum longè majus in *Vrsulâ Benincasâ*, virgine Neapolitanâ experimentum fuit charitatis: nam, cùm jus & fas esse à viris doctis intellexisset, pro vinctis, qui purgatorio igne torquentur, se devovere, haud diu cunctata, pœnas, quæ *Bernardina* primum, mox etiam *Catharina sororibus* adhuc luendæ,

Id §. 4. & in vita.

dæ,in se libens transtulit, summisque precibus à Deo obtinuit, ut eam voluntatem raram haberet. Ergo acerrimis doloribus decennium integrum pro *Bernardinâ* laboravit. *Catharina* cruciatus,eam ad extremum usque exercentes, prius illi spiritum, quàm charitatem excussetunt,cui amare,quàm vivere dulcius fuit.

Et quisquam adhuc,pro altero pati,& satisfacere,ab ordinatâ sui charitate alienum duxerit?

Triplex argumentum, quo ostenditur melius esse, satisfactionem defunctis transcribere, quã sibi reservare.

Sed ut omnem, quem vos vobismetipsis,aut adversarii,vobis scrupulum movent, eximam, ne si satisfactionem,quæ vobis prodesse posset in alium transferatis, & ipsi illius loco carcerem & pœnas subire debeatis, hæc argumento sunt: primò, ex actu tam difficili & maximè heroico summæ charitatis,eum sibi comparare meritum & augmentum essentialis gloriæ, quod nemo diffitebitur.

Secundù, eundem illum actum ut est summi meriti, esse simul maximè satisfactorium; atque adeò dum quis se satisfactione privat,nil deperdere.

Tertiò, multiplex & inæstimabile beneficium,quod ex gratitudine,animæ per nos carcere solutæ,procurant,& impetrant.

1. Meritum æternæ gloriæ.

Quod primum spectat, actus ille charitatis, quo quis se, quasi vadem ponit, ut animam vinculis eximat,cum hoc durius sit quàm mille mortes pro proximo subire, *superabundanter*, docet Suarez,*compensatur essentiali gloria præmio, quod illi respondet apud Deum*, quod tanti momenti, ut vel unus gradus gloriæ æternæ, emendus sit,non solum omnibus corporis cruciatibus, sed etiam temporaneis purgatorii carceris; adeò ut animæ in hoc igneo ergastulo quam patientissimè,& libentissimè suas pœnas perferrent, & ipsi cælites, (ut aliquando Seraphica Theresia declaravit, & mortalibus suam sortem invidit) cælo exire, & hic inauditis tormentis excruciari gestirent, si vel sic ad Dei gloriam,& suæ beatitudinis, illum clarius adhuc cognoscendo,& ardentius amando, incrementum aliquod,quod nullo pretio comparandum,conferre possent.

Suarez. in 3 part. disp 48. sect. 2.

Hac ratione,viros sanctimoniâ eximios,qui cum Paulino,ut captivos redimerent: charitatem Pauli, Martini, Ignatii, beatitudinis dilationem, dilectioni proximi posthabentes, æmulando,de purgatorio soliciti esse non debetis.

2. Actu illo charitatis, se magis satisfacere etiam pro pœnis, quam si sibi reservasset.

Hinc secundum probatur, non timendum, nedum alios veste gloriæ induant,se denudent: & dum miseros hos vinctos liberant: ipsi per plures annos hoc tam inmani carcere torqueantur: quia opus illud tam heroicæ charitatis (quæ operit multitudinem peccatorum, cùm sit maximè meritorium, est simul summè satisfactorium; ut eo plus pœnarum effugere, quàm si omnem satisfactionem tibi reservasses,imò etiam sine purgatorio ad cælum evolare possis. Rectè itaque illis occini solet illud Psaltis: *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor*. Hoc cælestis sponsus dilectam suam sponsam Gertrudem edocuit: hæc cùm quadam die recoleret,quod omni merito suo bonorum operum se omninò abdicasset in meritum defunctæ,mœrebunda dixit ad Dominum: Spero Domine,quod amans misericordia tua frequentius *respiciet me nudam, & egenam*. Ad quod Dominus: *Quid illi,qui sic ex charitate nudatus est,facere possum, quàm ut proprio vellere illum tegam, cum ipso instantius operer, ut eo celerius recuperet erogata per charitatem.* Tunc illa: quantumcumque, inquit,mecum opereris; tamen oportet me nudam ad te venire,quia tam adipiscendis, quàm adeptis renuntiavi. Ad quod Dominus: (amabili similitudine) *cùm mater vestitas filias secus pedes suos sinit sedere, nudum puerulum in gremio proprii vestibus fovens circumplectitur ulnis*; quo tenero divinæ dilectionis argumento, Gertrudis non mediocriter recreata fuit. Quid, quod sub mortem Christus eam adhuc anxiam, his verbis solatus sit: *Vt intelligas, filia, quàm grata mihi fuerit charitas tua, quá erga animas usa es, remitto jam nunc omnes pœnas, quæ tibi essent subeundæ: & qui pro uno spopondi centuplum, liberalitatem meam modò ostendam, tuam gloriam cumulando*; ex quibus nec te nudandum, nec purgatorium tolerandum, insuper & cæleste gaudium cumulandum,liquidè constat.

Psal. 13. 5.

Lib. 5. Insinuat. cap. 11.

Carthusianus. P. Andries purgat. tract. 4. Methodo 6.

Hoc exploratum habebat *P. Hernandus de Mouron*,Societatis nostræ: hic enim secum reputans, post fata nun sibi amplius integrum fore in egentissimas humanæ opis animas,opportuna conferre beneficia,novo ausu, pioque ingenio,hoc charitatis, & summæ misericordiæ excogitavit: nempè,quidquid sibi vitâ functo,sive in sacrificiis, sive in precibus, sive in quocumque genere piamentorum obventurum esset,proprio chirographo, defunctorum nominibus solvendis, totum ex asse transtulit: invenitque homo acutè pius,quo steriles meritorum flammas, sibi faceret esse frugiferas.

P Ioan. Rho varia virt. hist. lib. 1. c. 4. nostra §3.

Ipsam hanc eximiam charitatem cælitus edoctus est,alter è Societate nostra *Ioannes Ximenus*,vir Religiosissimus, qui cum festâ Sanctorum omnium luce,orationi vacaret, vocem divinitus audivit: *Ximene, recordare animarum purgatorii*; ille verò: faxo inquit,Domine. Ergò cum ante illam diem singulis hebdomadis, ut illis melius esset, divinam perciperet Eucharistiam,exinde per octo,quos supervixit annos, omnes animi,corporisque exercitationes,illorum usibus transcripsit, suâ ditissimus paupertate.

Idem § 7. P. Andries cit.

Sic Lugduni Duo S. Thomæ Doctores,cum suis non paucis discipulis,accuratè expensis rationum momentis,ex quodam tractatu de purgatorio P. Eusebii Nierembergii, universa totius vitæ satisfactoria opera,animabus patientibus obtulere.

Ibid.

Libel. P. Nieremb. modus se esto ditandi.

Ejusdem argumenti rarum & præclarum exemplum P. Martini, Ordinis S. Dominici, apud Eliam de, Theresa videre est, qui cùm pro homine scelerato jam converso, quidquid boni in Ordine fecisset,transcripsisset,illum ab obito vidit sordidissimis vestibus exui, & candidissimis vestiri; quem cùm rogaret Martinus,ut vestes sibi consimiles à Deo impetraret, respondit defunctus: *Charissime Pater: ista sufficiunt mihi,& tibi. Hoc autem dixit quia sibi con-*

Elias de Theresa legatio Eccl. tom. 1. pag. 698. ex vitis FF Prædicat.

cesserat

cesserat bona sua, quæ data non minuuntur, sed magis accrescunt.

Quis ergò in animum inducat suum, hoc excellentissimæ charitatis argumentum, benefactori cessurum in detrimentum, imò in immanissimum tormentum? Non fiet profectò benignissimus Deus, qui animas illas, ut sponsas suas ardentissimè amat, earumque libertatem maximè desiderat, ut qui eas libertate donarit, pro mercede, tam horrenda supplicia ipse subeat: si enim Rex aliquis desponsasset sibi nobilissimam, pulcherrimam, prudentissimam, ac sanctissimam puellam; hæcque in itinere ab hoste vincta, cum totius regni luctu detineretur; qualem non gloriam, laudem, plausum apud Regem, omnesque Proceres ille sibi compararet, qui se tradens in mancipium, sponsam illam Regi, toti regno liberam offerret? An existimatis Regem, Reginam, ceterosque aulicos passuros, ut hic diu tetro carcere concluderetur, & non potius quavis prece ac pretio effecturos, ut hic non solum vinculis quamprimum eximatur, sed & in aulâ ad summum honoris gradum promoveatur? Omnia hæc majorem locum habent, in eo, qui animam, Christi sponsam charissimam ac speciosissimam, horrifico carcere liberarit, & sponsi nuptiis, ac castis amplexibus frui fecerit; absit autem ut hic Rex gloriæ, atque hæc Christi sponsa, ac cælestis aulæ principes permissuri sint, ut hic redemptor ac vindex libertatis in eodem carcere vinctus teneatur, & non quamprimum ad regnum, & operis sui præmium evocetur.

Simile in Regis sponsa captiva.

Omni itaque dubio ac scrupulo misso, quisque piæ huic mercaturæ, aut potius sanctæ usuræ incumbat, quâ negotiari statuit nostræ ætatis celebris mercator, postquam memorabili Belgis exemplo, conjux ejus alteri Religioni; ipse Societati Jesu nomen dedit. Hic verò ita secum ratiocinatus est: ignorat omnis præter me & Deum, quantus sim in ære divino; sed quî solvam? *Securus esto, quem laudavit Dominus, villicum iniquitatis, qui fodere non valebat, mendicare erubescebat.* Faciam mihi, ait, amicos, ut cum defecerim, recipiant me in æterna tabernacula. Igitur jam nunc descendo in expiatorium carcerem; & modò ab hac, modò abillâ animâ quæro, quantum debes? Forte una respondet: centum annos. Dicam illi, accipe cautionem tuam, & scribe quinquaginta, reliquos ego persolvam; imò pro viribus adnitar, ut solus toti debito faciam satis. Atque isto consilio pro animabus offerebat ille Deo, omnem sacram synaxim, sacrificia, rosaria, operaque omnia. Deinde universas indulgentias studiosissimè applicabat, præsertim *S. Caroli Barromæi, & quinque Sanctorum.* Quam autem hæc omnia ingenti fœnore reditura, ac redempta anima cumulatura sit, jam patebit.

De Bonnyers in advocato animarum cap 1.

Tertium itaque est, multiplex, & inæstimabile beneficium quod ex gratitudine, animæ per nos liberatæ, procurant & impetrant: nam ut inquit S. Thomas: *Gratitudo benefactoribus gratiam recompensat,* non simile aliquod, aut æquale accepto, beneficium referendo, sed multo majus & excellentius, ut docet art. 6.

3. Multiplex beneficium ex gratitudine animarũ. 1 Th. 22. q 106 a.1 ibid.art 6

Gratia recompensatio semper tendit, ut pro suo posse, MAIUS ALIQUID RETRIBUAT, ET EXCEDAT QUANTITATEM ACCEPTI BENEFICII: quia quamdiu recompensat minus, vel æquale, non videtur facere gratis, sed reddere quod accepit; quæ gratitudo si in hominibus locum habeat, quantò magis in beatis illis mentibus, quæ intolerabile malum pœnæ, quo per te ereptæ, ineffabile bonum gloriæ, quod adeptæ intimè cognoscunt expertæ, & cælo jam receptæ.

Illustre fuit grati animi testimonium quod Josephus commemorat, & jure collaudat: Cajum Imperatorem jussisse Agrippam purpuratum, palam comprehendi, & in carcerem detrudi; cumque æstus esset ferventior, & siti arderet incredibili, è carcere conspicatus quemdam è Caji servis, qui fontanam Domino ferebat, hominem amicè compellat, Thaumasten nomine, ut haustum frigidæ sibi porrigat; quem ut alter liberaliter fudit, addidit, si quando contingeret vinculis eximi, se gratiam relaturum. Respondit eventus; mortuo Cajo, hic è carcere in solium ascendit, itaque ut comprobaret,

Josephus l. 18 antiq. cap 8.

Quàm bene apud memorẽ veteris stat gratia facti, Virg. 4. Æneid.

Thaumasten acciri jubet, & Primatem regni sui constituit.

Tu Christum ipsum in uno exminimis ejus, ardentissimâ siti æstuantem, non solum haustu frigidæ recreasti, sed ex horrifico carcere liberasti, & eum tanti beneficii immemorem, ac homini gentili ingratiorem arbitraberis? *Si gratitudo exigat, ut majus aliquid retribuat, & excedat quantitatem accepti beneficii,* non solum patietur purgatorii carcere te detineri; sed ad sublimem gloriæ gradum promovebit, & consortem regni sui constituet, potissimum ubi ipsa per te anima liberata, ante thronum gratiæ perorabit: o am ut inquit Augustinus, & Bonaventura: *Tam meritoria est illa pietas, illos juvare, qui juvare se non possunt,* UT ILLOS EXPEDITOS A VINCULIS, POSTMODUM HABEAMUS INTERCESSORES IN CÆLIS.

S.Th.cit.

Bonav. festo animarum. Aug tom. 4. lib. de cura pro mort c. 3.

Gratitudinem homini innatam tradit Salvianus: natura ipsa hominum, consuetudoque communis, hac quasi generali cunctos lege" constringit, ut à quibus aliquid liberalitatis" accepimus, plus eis gratiæ debeamus: arctat" quippe nos ad retributionem dati, accepta" largitio, *& coguntur omnes ipsâ conscientiâ suâ ad" repensationem vicissitudinis, postquam esse cæperint" debitores;* quod vel ipsi ethnici, Cicero, Plutarchus, Seneca testantur; quanto magis ipsi cælites coguntur ad repensationem, postquam esse cæperint debitores? Qui tantum absunt ab ingratitudine, quantum à peccato; *ingratitudo enim connumeratur aliis peccatis, ut patet 2. ad Timoth. 3. cum dicitur: parentibus inobedientes,* INGRATI, *scelesti.* Et articulo 3. docet, ingratitudinem quandoque esse mortale peccatum, quandoque veniale, quorum neutrum cadit in beatos.

S. Salvid. lib. 4. ad Eccl. Cath. ante med.

S. Th. 22. quæst. 107 art. 1. & art. 3.

Lessius verò sic ait: *Non retribuere beneficium, est peccatum, quando benefactor est in necessitate, & ei illi opem ferre potes: quia tunc inducit strictam* obliga-

Animæ nostram opem expetiæ, in omni necessitate propitiæ.

obligationem; quid igitur tibi in quacumque necessitate sperandum non est ab iis, quos strictâ obligatione habes debitores, eosque supra omnes mortales, gratissimos remuneratores?

Premit forte te rerum temporalium necessitas, fac unum talem habeas debitorem, ilicò opem feret. Dictis fidem adstruet, quod subjungo. Româ Societatis nostræ Sacerdos in Belgium scripsit 8. Septemb. 1663. ex variis litteris Genua datis. Illic paupercula vidua tristi nuntio accepto, filium à barbaris pyratis captum, inter mancipia redactum, non nisi lytro 300. aureorum liberari posse; cœpit flens & ejulans urbem Genuensem ostiatim obire, & pro captivo stipem emendicare. Occurrit fortè in viâ presbytero honestè induto; à quo dum eleemosynam rogat, respondit, se quoque gravi penuria conflictari, & optare ut oblato nummo, pro aliquo celebrare posset; quo hæc vidua commota, sex asses, seu solidum unum, quem penes se habebat, elargita est, ut pro defunctis ad aram faceret. Res mira: postero die mane obviam illa habuit virum perquam honestum, cui cum miseram filii sortem exposuisset, visus commiseratione tangi, protulit schedam cambii, dicens: accipe hoc epistolium, & defer tali mercatori, cui inscriptum est, ista in platea, & domo commoranti, qui eo accepto, contentam summam (quæ erat 300. aureorum) tibi annumerabit.

Animæ succurrunt necessitati temporali.

Hæc læta & exultans, inter spem tamen & metum, ad mercatorem properat; qui ut schedam legit, & characterem novit, non parum mirari, & conturbari cœpit, nec valens præ consternatione se continere: *Ecquis, inquit, ô mulier, vir ille est, qui hoc tibi epistolium in manus dedit? Ubi est? Quo loco, & quando tibi tradidit?* Illa ut potuit, hominis lineamenta & habitum, locum ac tempus, quo illud acceperat descripsit. Rursus mercator percunctari: *Quid si ille vir denuo tibi occurreret, quid si in picturâ videres, posses illum noscere?* Cumque illa affirmaret quod sic, deducitur in interius cubile, ubi depicti in variis tabulis ad parietem pendebant hujus mercatoris parentes, & majores jam dudum defuncti; hic illa oculos circumferens, non diu cunctata, intento digito: *Ecce, ait, ille est, qui mihi hanc schedulam tradidit*; atque hic ipsius erat parens hujus mercatoris jam ab octennio defunctus. Quare ille & stupens, & gaudens, confisus parentis animam hoc piaculari pro defunctis sacrificio in cælum evolasse, 300. aureos gratanter viduæ annumeravit, quibus & filium libertati restituit.

Modum hic & methodum habetis, qua præsenti vestræ necessitati succurrere; animas, & vos ipsos purgatorio carcere eximere possitis.

Non minus recens est, inquit Maecinus, quod Scriptorem ipsum spectatorem habuit: novi, inquit, mercatorem, qui iniquis hisce temporibus, cùm merces suas annis jam pluribus divendere non potuisset, intra non dieo annos, non menses, sed paucas septimanas, quidquid penes se mercimoniorum, tametsi plurimorum millium summam excederent, habebat, exoneravit; ac magno lucro vendidit.

Maecinus de passione Dom. pag. 621.

Postquam nimirum animabus purgatorii spopondit, insignem aliquem Missarum numerum celebrari se curaturum, ubi merces suas distraxisset, atque à periculo, in quo versabatur, foro cedendi, immunis evasisset.

Qui simile lucrum & beneficium impetrare, & periculum evadere exoptant, hanc industriam sequantur & tales sibi debitores reddant, qui multò plus retribuant, quàm acceperunt.

Luculentius hoc etiam in necessitate spirituali variis experiri licuit.

Animæ succurrunt in necessitate spirituali.

Sic in vita B. Catharinæ Bononensis (quæ etiamnum integra carne & ossibus constat, & in cathedra sedens, ab omnibus quotidie, jam inde ab annis 130. & amplius, ex quo è vita decessit, conspicitur) legitur ipsam mirifico & singulari erga animas purgatorio detentas, affectu fuisse, seseque magno pietatis sensu, suis in necessitatibus, illis commendasse.

In vita. Mancinus cit.

Cujus rei hanc dabat rationem, quod Deo revelante didicisset, *se sexcenties, & amplius, ingentes sanctarum illarum animarum intercessione, gratias recepisse.* Confirmatur id eò, quod mox ibidem subjungitur: sæpe nimirum illam, cùm quid per cælitum, ac beatorum patrocinium postulasset, nullatenus id impetrare potuisse; at quam primum beatas illas animas, quæ purgatorio carcere detinentur, in patronas adhibebat, voti compotem factam fuisse.

Idem se expertam testatur Ven. Mater Anna de S. Bartholomæo, quæ Religionis suæ, ac perfectionis principia ab ipsamet S. Theresia totis 14. annis acceperat. Hæc inter alia pietatis documenta, illud quoque posteris ad imitationem reliquit: ut cum rem aliquam efficaciter obtinere peteret, hujusmodi (ut sic loquar) cum fidelibus animabus paciscendi artificio uteretur: si rem, quam opto, vos, ô animæ obtinueritis, tot in adjutorium, ac subsidium vestrum sacrificia offerri curabo, tot fieri mortificationes, tot offerri eleemosynas. Unde sæpius, imò plerumque tunc factum, ut ex voto, cujus tamen nulla, vel exigua spes esset, res succederet.

In vita.

Obtinuit hinc, ut ipsamet fassa, mira Dei dona, magna beneficia, admiranda in omni genere privilegia. Quare & ejusdem devotionis aliis auctrix exstitit, utque omnes ac singuli hoe ipsum pietatis exercitium usurparent, multis est cohortata.

Quod si & vos internis animi, quæ molestissimæ sunt, afflictionibus, anxietatibus, scrupulis, tentationibus liberari: si pacem & tranquillitatem mentis: si donum mansuetudinis, humilitatis, castitatis, orationis, aliarumque virtutum, ac gratiarum impetrare velitis, exemplum earum, quas proposui, satagite æmulari: nunc preces, eleemosynas, corporis afflictationes, sacrificia, pro animâ, quam Deus novit inter ceteras, mansuetudine, vel castitate, aliave virtute maximè eximiam, & eandem vobis ab illâ impetrandam confidite.

Aut piam hanc precationem sæpius usurpate.

Verloſt,

Verlost, ô IESV, uyt de peyn,
De naeste om verlost te zyn:
Die langhst moet vvesen int verdriet;
Di ghy hee meest verlaeten siet:
Die uvve Moeder meest bemint;
In vvien ghy meest verdiensten vinde.
Dit bid ic u doer u dierbaer bloet,
Schept zielkens, schept een nieuvven moet.

Signum quoddam prædestinat. animam liberare.

Concludo, ubi summum quod homini in hac vita obtingere beneficium potest, attulero: signum quoddam prædestinationis æternæ esse, vel unam ex hoc igneo ergastulo animam liberasse; quia illæ animæ, ut Deo charæ, & suo benefactori ac liberatori maximè gratæ, non cessant pro salute ipsius flagranter orare, & constanter interpellare. Illustri exemplo, ævi nostri scriptor P. Stephanus Binet, id contestatum reliquit. Repentina, ait ille, ac subita mors, carere periculo damnationis non solet. Nolæ, quæ civitas Campaniæ, anno 1660. vir nobilis, qui pro animabus fidelium numquam non Deum precabatur, eâ ipsâ nocte, quæ ei sano, & valido suprema fuit, ab iisdem expergefactus, & ut quam citissimè commissorum peccatorum exomologesim institueret, admonitus est. Benè monentibus ille obsecutus, mox ut illuxit, strato se proripit, ad templum se confert, ac ibi Confessarii pedibus advolutus, animum expiat, sacroque Eucharistiæ viatico munitus, nescio quo paroxismo, morte subitâ occupatus, expirat. Unica incomparabilis hujus gratiæ, & beneficii cælitus concessi causa, non alia à consciis creditur fuisse, quàm singularis illius in vinctas has animas affectus. Quem si nunc loquentem audire possetis, audiretis illum, me præeunte vobis inclamantem: opitulamini animabus defunctorum, *memento te vinctorum*, cum hæc sit certissima salutis vestræ in tuto collocandæ ratio: non enim illæ patientur talem cælo excludi, qui sibi cælum suis precibus & patrociniis aperuerit.

P. Binet. opusc. de devotione erga mortuos. Mancin. eit pag. 682.

Ad Hebr. 13.



11. Novib.

FESTUM
SANCTI MARTINI,
EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Cum videris NUDUM, *operi eum.* Isa.58.



Vestit, & ornat. Horat.

ARGUMENTUM.

Bern. ser. de S. Martino.

IN volumen excrescet oratio, si ea quæ sacti Encomiastes in laudem sancti Martini deprædicârunt, adducere voluero. Quare unum hic suave & salubre melliflui Doctoris monitum sectabor: *Imitare in eo, quod est imitabile; non autem quod mirabile.* Hoc est, ut hunc militem Christi imitemur; qui, contra ac militares, obvios spoliare, ac vestibus exuere solent; suâ pauperem induit, & vos eadem faciatis, certò confisi, quod *Martino* accidit, in nudo, nudum Christum vestiri; quæ veritas, ipsius Christi testimonio, & luculentis historiis comprobatur: indignum enimverò parietes aulæis & aureis peristromatis convestiri: ipsos equos, imò & flores suis stragulis & tegetibus à frigore conservari; Christi autem membra frigore algere, & emori, Unde illud deducitur, quæ in vestimentis, aliisque, vobis superflua, ea cum gravi obligatione ad nudos pauperes tegendos, elargienda. Tangat & vos proprius commiseratio vestri, ac vestrorum, ut nuda vestra membra, nuda brachia, colla, ac ubera, saltem asperrima hyeme, tegere velitis; in quo, quàm graviter peccetur, Theologicè resolvitur. Tum ad alios nudos magis infames, nudas Veneres, Cupidines, Dianas, ac prostitutæ nequitiæ tabulas tegendas, vos adhortor. Ac tandem bonorum operum vestimentis animam tegamus, ne nudi in conspectu Dei appareamus.

§. I. *Cum videris* NUDUM, *operi eum.* Isa.58,

§. II. *Perstringitur* IMPUDENS NUDITAS *fœminarum, & puellarum; quamque graviter in ea peccetur.*

§. III. *Mensâ Eucharisticâ arcendæ, & sacra Communione privandæ, quæ lascivo habitu, & nudo pectore accedunt.*

§. IV. *Nescis quia tu miser es & miserabilis, & pauper*, ET NUDUS? Apocal.3.

FESTUM

FESTUM SANCTI MARTINI, EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Cum videris NUDUM, *operi eum.* Isaiæ 58.



Lexandro in Persas expeditionem parante, sudavit in Pytæo statua Orphei; quod Aristander interpretatus est, plerosq; insignes scriptores in ejus gestis enarrandis, ac laudibus conscribendis, laboraturos. Hoc enimverò hodiernâ luce, longè potiori jure mihi usurpare posse videor, dum non falsò assentando, sed verè prædicando, Heroem illum inclytum *Martinum*, ejusque præclara facinora, ac rara encomia enarrando, disertissimas sacrorum Oratorum linguas, ac divinos Sanctorum Patrum calamos desudasse comperio. Ac primùm quidem D. Laurentius Justinianus, Patriarcha Venetus, qui anno ætatis decimo nono ab æternâ Sapientiâ Virginem indutâ, amplexum & osculum tulit, sic in laudes *S. Martini* excurrit: *Ipse Sacerdotum extitit gemma, veritatis defensor, propugnator fidelium, speculum humilitatis, pietatis exemplar, Religionis cultor, contemptor seculi, amator cæli, imitator Christi, Martyrum consors: cujus animam, etsi gladius persecutoris non abstulit; palmam tamen Martyrii non amisit.* Quid hic primum, quid deinde, quid postremum persequar? Sacer Sanctorum Sacerdotum chorus, si annulus dicendus est, hic eorum *gemma extitit*: si veritatis defensores, ac propugnatores fidelium, illustres Christi pugiles, propugnacula Ecclesiæ ab Hugone Cardinali nuncupantur, *Martinus* miles Christi, & Dux invictissimus, primus vexillum extulit, & contra hæreticorum insultus, pro inexpugnabili vallo fuit, & scuto fidei obarmatus, omnes illæsus confecit. Habent omnes Præsules in eo *speculum humilitatis, & pietatis exemplar*, qui Turonensium Antistes, & gloria Gallorum, non in curribus & equis, non in splendido famulantium comitatu, non in pretiosâ vestium pompâ gloriabatur; sed omnis humilitatis speculum, sese vili lacernâ exhibebat. Habent & Domini, & Dominæ, quod in hoc speculo contemplentur, non inanem speciem, sed modestæ virtutis, & pietatis imaginem hinc referent, si ad hoc speculum, mores, & amores suos composuerint.

Summos Ecclesiæ oratores in laudando S. Martino desudasse.

Surius in vita.

B. Laur. Iustinian. serm. de S. Martin.

Hoc medium, & remedium est, ut quisq; vestrûm fiat *Religionis cultor, contemptor seculi, imitator Christi.* Sed scrupulum animis vestris inhærere autumo, quomodo Martinus inter Martyres recenseatur? quod solidè & solerter prosequitur Laurentius Justinianus: *Quomodo Martyrii gloriam ipsum non habere, censendum est, qui flagrans amore Martyrii pro fidei testificatione Catholica, terrenorum Principum, nec expavit potentiam, neque Hæreticorum sævitiâ cessit; quin constanter veritatis propalaret Regulam, eorumque confutaret errores? Magnum prorsus est hoc Martyrii genus, ultrò se pro Christi honore, dare periculis. Contempsit Sanctus hic fugam, malens gloriosè occumbere, quàm ex Passionis metu humaniter occultari. Toties igitur Martyrii promeruit palmam, quoties se inimicis fidei disputando opposuit.* In exemplum, & argumentum inducit Apostolum: *Audi*, inquit, *sine ferro Martyrem, ex sola charitate morientem: quotidie*, inquit Paulus, *morior.* In quo probando, ejusque laudibus toto orbe plenis buccis diffundendis, plures desudàrunt. Claravallensis Abbas, calamo lacte, & ore melle manante, non nudos titulos, qui ad splendorem; sed facta mirabilia, & prodigiosa opera, quæ ad stuporem, ac tandem, quæ ad imitationem, suaviter inducit his verbis: *Ad mensam divitis sedes hodie, diligenter considera, quæ tibi apponuntur, discerne inter cibos, & vasa ciborum: illos enim juberis tollere, non illa.* Aptam hic similitudinem adfert, & omnibus vobis notam, si quando ad splendidam mensam adhibiti, primùm mirari est lances, salina, orbes, fuscinulas, cyathos, vasa omnia argentea, & inaurata; tum pretium, raritatem, saporem, condimenta, & exquisita convivii fercula degustare, & deprædicare, ac gustui & palato indulgere. Ita, inquit, *imitare in eo, quod est imitabile; non autem quod mirabile exhibetur. Dives est iste* MARTINUS, *dives in meritis, dives in miraculis, dives in virtutibus, dives in signis. Diligenter ergo considera, quæ apponuntur tibi; quænam videlicet ad admirationem; quæ vero ad imitationem*: his dictis, enarrat mirabilia ejus: *Suscitavit* MARTINUS *tres mortuos, quot nimirum Salvatorem legerat suscitasse. Reddidit visum cæcis, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, aridis sospitalitatem. Proprii corporis obice flammas repulit, immanem sacrilegæ machinæ molem, columnâ è cælo descendente prostravit, leprosum mundavit osculo, &c. Verum hæc quidem, ceteraque, quæ fecit magnalia, quid ni mirifica quædam vasa dixerim divitis hujus? Nolim his saporem quærere; sed mirare splendorem.* Mirare in eo, quod imitari detrectas, Martyrium; *nam persecutiones, quas sustinuit propter justitiam, longum est numerare; quomodo apud Iulianum Augustum intrepidus, imò & illato terrore constantior, custodia mancipatus est. ut*

Quomodo S. Martinus Martyr habendus.

Laur. Iustin. cit.

1. Cor. 15.

Bernard. serm. de S. Martino.

inermis postero die Barbaris opponeretur. Quomodo circa Alpes sub securi, securissimus fuit. Quomodo illum Mediolani Auxentius Arrianus graviter insectatus, multisque appetitum injuriis, tandem de civitate exturbavit. Quomodo & alibi prius adversus Sacerdotum perfidias accerrime pugnans, suppliciis fuit affectus, publicè virgis casus, inde quoque exire compulsus est. Quomodo item in cujusdam fani eversione, cum gentilis eum stricto gladio peteret, nudam cervicem prabuit percussuro, donec ille extollens ad ictum dexteram, cecidit resupinus. Quomodo alter eum cultro ferire voluit; sed ferrum de manibus ejus elapsum, repente disparuit. Pro quibus omnibus dubium non est multipliciter coronari eum; qui quidem etsi non semel affectu consummata Passionis; sed TOTIES MARTYR FUIT, affectu devotissima voluntatis. Stupet aliud martyrii genus in Martino, quod jam in atriis cæli constitutus, à conspectu Domini amore gregis sui, paratus fuerit separari. Sed hæc omnia vasa sunt ad splendorem, & admirationem. Festino ad illud, quo nos suaviter impellit Doctor Mellifluus: *Imitare in eo quod est imitabile, non autem quod mirabile exhibetur*; quod persecturus sum, ubi unum adhuc Encomiastem, qui laudes gloriosissimi hujus Præsulis desudavit, adduxero. Is est B. Petrus Damiani, qui sic ait: *Nobilis ille Confessor, Sacerdotum gloria, gemma Pontificum, Clericorum forma, lumen Monachorum, totum mundum, lumine sua cognitionis implevit. Miraculorum potestate sublimis. Crevit in immensum fama nominis ejus, & ausa est in ipsam* APOSTOLICAM *irrumpere dignitatem*. De quibus si dictum est: in omnem terram exivit sonus eorum, *in omnem terram pervagata est memoria tanti Pontificis, & ubicumque resonat fides Christi, sonat vita* MARTINI. Hæreo hic attonitus, & in tanto laudum oceano, ne immergar, progredi reformido; illustres cælestis Jerusalem Pontifices, *gemmam* suam sibi vendicant, Clerici normam & formam omnis sanctitatis sibi eum deposcunt: Monachi eum sibi solem, & ab eo *lumen* suum affulgere agnoscunt. Martyres cum suis ordinibus inserere flagitant, Apostoli eum numero suo adscribere exoptant. Quid ad hæc dicturus sum? *Arida ac jejuna lingua nostra*, loquor cum Petro Damiani, *quid audeat de laudibus ejus immurmurare, cum laudu ejus plena est terra?* Habuit Mars, gloriose miles *Martine*, nomen tecum commune, non decussiftus cayus illuminarunt Acidani radiis fictis, tu igneo & radiato orbe, ad aram verè fulsisti; sed hoc à Marte quam longissimè distas, quod nulla tibi res cum Venere fuit. Nō tam hostis Barbarus militarem exarmnit litnum, quàm stygius Pontificium tuum classicum: quippe ter jussus es reddere manes. Sed in morte maximè prætulisti Martem; numquam visus es animosior, & agere poreotius, quàm agens animam: didicit de te, etiam timere languentem: graves illius minas, leves velut nubes, teorissimoqui supererat, halitu, extremoque difflasti. Stratus in cinere, pro arena, cruentam appellasti bellum. Quām Martiali fuisti robore, qui Thaiomachus esse voluisti moriens? Sed quid deprædicabo, an galeatum militem, an infulatum Præsulem? Insolens profectò res, & prope inaudita, galeam mitrâ, acinacem pedo, loricam stolâ pontificiâ comminutare! miraculum dixerim in *militiâ*, cui ut Bernardus loquitur, *malitia* affinis est, justum, castum, liberalem, Sanctum reperiri. Quis non obstupescat inter milites, qui omnia vastant, diripiunt, incendunt, mactant, omnia jura humana & divina violant, qui ubi omnia elementa conjurabant, universa mundi machina contremiscebat, cælum inhorrescebat, sub cruce aleis super vestem Christi sortem mittebant, hos inter reperiri, qui se veste exuat, ut pauperem induat? Inter bonos, bonum esse, huc facile; inter improbos sanctum, inter raptores alieni, largitorem proprii esse, prodigii loco est. His itaque præmissis, vos omnes adhortabor cum D. Bernardo, *ut imitari in eo quod est imitabile, non autem quod mirabile*, studeatis, hoc est, ut ejus exemplo egenos, & nudos amiculo aliquo tegere, & in paupere, Christum induere velitis. Juxta illud sacri Vatis monitum, & oraculum:

B. Petrus Damian. serm. de S. Martino.

Petr. Damian. cit.

Mytholog. Girald.

Bern. ser. ad milit. templi.

Martinus contra ac milites solent, pauperē induit.

Bern. cit.

§. I.

Cum videris NUDUM, *operi eum*
Isa. 58.

I. Regum 18. magnanimus, ac munificus ille Princeps Jonathas, regiis ut erat vestibus splendidè indutus, conspicatus Davidem, vili opilionis lacernâ malè tectum, *expoliavit se Ionathas tunicâ, qua erat indutus, & dedit eam David*. Hugo Cardinalis in Davide Christum exprimi asserit: *Tunicam*, inquit, *dare David, est omnia bona Christo attribuere* & in paupere nudo, illum induere. At David nudus non erat; nostis quis nudus dicendus, & habendus sit? Pleraque vestrûm, illum non agnoscunt nudum, qui laciniis, & centonibus obsitus, nudo capite, pectore, & pedibus, verecúdè tectus est, omnes injurias aëris patitur: non miserentur, nisi propè A damita sit. Non verus galerus, non exesa à tineis subucula, non tritum par calceorum porrigitur. Audiant hi georilem Philosophum qui malè vestitum, censet pro nudo habendum: *Quædam*, inquit, *etiamsi vera non sunt, propter similitudinem, eodem vocabulo comprehensa sunt; sic illiteratus non ex toto rudem, sed ad litteras altiores non productum: sic qui malè vestitum & pannosum vidit, nudum se vidisse dicit*. Perpaucos Jonathas hodierna die invenire est, qui in paupere, Christum Davidem agnoscunt cum prima Veritas diserte asserat, & fides doceat, Matth. 25. NUDUS *eram, & cooperuistis me. Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*. Veritati testimonium perhibet, cujusdam lepida emendicandi ratio: homo rusticus, ingenio liberali, animum studiis applicuit, & sacris litteris impensè deditus, aulicis consuerat, quibus hanc aliquando quæstionem movit: quot ulnæ panni

1. Reg. 18.

Hug. Car. hic.

Nudum Christum in paupere tegendum.

Senec. l. c. de benef. cap. 13.

Matt. 25.

Locus hic scripturæ ingeniosè expositur.

panni insumendæ essent, ut Deo quis aptam vestem conficeret? cum Propheta de eo dicat: *Cælum & terram ego impleo.* Ad quæsitum cunctis silentibus, ac subridentibus, mentem ipse suam exposuit: quatuor, aut quinque ulnas sufficere, ipso primæ Veritatis testimonio: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ego, inquit, ex his minimis sum, paucæ hæ ulnæ, ad me induendum sufficiunt, & Christum indueritis. Quod piè expendit Thomas Villanovanus Archiepiscopus: cui cum thorax novus induendus, ubi à sartore accepit, quatuor aureis valere; apagè inquit, hoc ego argento totum pauperem, imò totum Christum induissem, juxta illud Matthæi 25. Nudus eram, & cooperuistis me. Et quando te vidimus NUDUM? Respondit: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Hujus rei testem oculatum habemus, de quo agimus, Turonensem Antistitem, qui etiamnum neophytus, divisum gladio pallium pauperi elargitus est, & totum Christum texit, qui nocte insequenti se palliatum exhibuit, dicens: *Martinus adhuc catechumenus, hac me veste contexit.* Nobilior, quod inopi consulens, spoliaverit seipsum, quàm quod opulentis victis, aliena detraxerit spolia: laudabilior gladius, cum abscidit chlamydem illi, quàm cum caput hosti: gloriosior cum manu sua Christum induit, quàm dum illustres à prostratis hostibus reportavit manubias. Gloriatur filius Dei, Rex gloriæ, se Martini veste indutum; libet hic exclamare cum Propheta: *Cui assimilastis, & adæquastis, & comparastis, & similem fecistis Deum?* Non se exhibebit Christus in die revelationis indutum vestibus, quibus vos hodie ad sæculi pompam, & novos semper mores componitis, sed qua ipsum in paupere indueritis. Id probè norat insignis Domina, quam cùm pauper amiculum suæ nuditati tegendæ mendicatò postulasset, ancilla monita ut interulam adferret, omninò laceram attulit, quam ut Domina conspexit, jussit aliam longè meliorem mendico donari: pudori etenim sibi, ac opprobrio fore dictitans, si coram Angelis, Christus tritam illam, & laceram lacernulam ostentaret, ac diceret: ecce quali veste me talis Domina donavit. Vos non modò tritam & laceram tunicam datis, sed Christum nudum destituitis. Hauserat illa forte hanc pietatem à Margareta Hispaniarum Regina, Philippi III. lectissima conjuge, quæ cùm pauperem pannosum, seminudum, hyberno frigore rigentem vidisset, accersito quodam è stipatoribus, ex optimo panno vestem à sartore scindi jussit, quam suis ipsa regiis manibus diligentissimè consuit, pauperemque, lautum, ac regiâ stipe donatum induit, Christianæ misericordiæ gloriosissimè operata; I nunc magne Macedo, & laneas illas sororum tibi manu textas, Persis objice Reginis; habet Christi pauper vestimentum, quo purpurea tanti Regis contemnet amicula.

Hæc quisque vestrûm mirari desineret, & imitari contenderet, si illud Christi oraculum altè in animum dimitteret: *Nudus eram, & cooperuistis me.* Audi Chrysostomus ad populum Antiochenum: *Ille pro nobis animam posuit, & pretiosum sanguinem fudit; nos autem neque pecunias pro illo effundimus; sed eum despicimus NUDUM. Et quid dico pecunias? Nonne si innumeras haberemus animas, omnes oporteret pro eo ponere? Sed nos ingrati, servis quidem, & mulis, & equis, torques aureos* (vestes pretiosas) *circumponentes; Dominum verò NUDUM circumeuntem, ac manum porrigentem despicimus: vestimenta jacent tineis esca.* Quæ ut plenius, ac planius pertractemus, è Theologorum placitis, & sanctorum Patrum suffragiis, *an superflua ex præcepto danda sint pauperi*, ut nudum tegant, disquiramus. Doctor Angelicus, qui unus instar omnium, propositam quæstionem, ingenii sui radiis divinissimè illustravit, sic disserit: *Utrum dare Eleemosynam sit in præcepto?* Quam multis vestrum inauditam, & inexploratam, nec unquam in sacro tribunali, de hoc præcepto transgresso se accusasse, aut conscientiâ reos existimasse, autumo. Primò quidem persuasi sunt his rationibus, *quod dare Eleemosynam non sit de præcepto, sed consilium; secundùm illud Danielis 4. Consilium meum Regi placeat: peccata tua eleemosynis redime. Ergò dare eleemosynam*, esurientem pascere, operire nudum, *non est in præcepto.* Alterum pro se argumentum adducunt: *Cuilibet licet sua retinere, & eam retinere; sed retinendo rem suam aliquis, eleemosynam non dabit, ergò non dare eleemosynam est in præcepto.* Habent & tertium Achillem, quo se tutos arbitrantur: *Omne quod cadit sub præceptum, aliquo tempore obligat transgressores ad peccatum mortale; quia præcepta affirmativa obligant pro tempore determinato; ergò si dare eleemosynam caderet sub præcepto, esset determinare aliquod tempus, in quo homo peccaret & mortaliter, nisi eleemosynam daret; sed hoc non videtur, quia semper probabiliter æstimari potest, quod pauperi aliter subveniri possit; ergò videtur quod eleemosynam dare non sit in præcepto.* Potissimùm, *quod omnia præcepta, ad præcepta decalogi reducantur; inter illa autem, nihil continetur de datione eleemosynarum.* Has plausibiles, quibus viri divitiarum, & potentes à sæculo se palpant, rationes, sic eludit, & elidit Divus Thomas: *Nullus*, inquit, *punitur pœna æterna pro omissione alicujus, quod non cadit sub præceptum; sed aliqui puniuntur pœnâ æternâ pro omissione eleemosynæ, ut patet Matth. 25. NUDUS eram, & non cooperuistis me, ite maledicti, &c. Ergò dare eleemosynam est sub præcepto.* Hic sensus, hæc sententia fuit Nazianzeni Antistitis, oratione de pauperum amore, ubi latè probat, eleemosynam in præcepto esse: *An tu*, inquit, *benignitatem non necessariam; sed tibi liberam esse putas? An non legem, sed consilium? Hoc quoque ipse magnopere vellem, & existimarem; sed me sinistra illa manus terret, & hædi, & probra, quam scelerati homines, ab eo à quo illic collocati sunt, conjiciuntur: non quia aliud quiddam exiis, quæ interdicta sunt, admiserunt; sed Christum per pauperes minimè curarunt.* Alterum D. Thomæ argumentum: *Quod cum dilectio proximi sit in præcepto, necesse est omnia illa cadere sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non conserva-*

Hiere. 23.

Matt. 25.

P. Rhovaria virt. hist. l. 4. c. 15. §. 14.

Isa. 46. 6.

Aresius fejo S. Martini.

Domina quædam nudum honesta non lacera veste induit, ne in judicio erubescat.

Ioan. Rhovaria virtut. hist. l. 1. c. 7. § 1.

Margareta Regina, nudo sua manu, vestes consuit.

Matt. 25.

Chrysost. hom. 32. ad pop.

Indignũ, bestias & servos tegi, & Christi pauperes nudos destitui.

An superflua danda pauperibus disquiritur, & sub qua obligatione

S. Tho. 22. quæst. 33. art. 5.

Greg. Naz. orat. de paup. amore.

D. Th. 22. q. 32 a. 5. in corp.

servatur ad dilectionem antem proximi pertinet, ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur, secundùm illud 1. Joan. 3. non diligamus verbo, neque lingua; sed opere & veritate. Ad hoc autem quod velimus, & operemur bonum alicuius, requiritur quod ejus necessitati subveniamus, quod fit per eleemosynarum largitionem & ideo eleemosynarum largitio, est in præcepto. Quod ut strictè obliget, duas ponit conditiones. Prima ex parte dantis: *Vt sit ei superfluum, secundùm illud Luc. 11. quod superest, date eleemosynam. 2. Ex parte recipientis requiritur, quod necessitatem habeat; alioqui non esset ratio, quare ei eleemosyna daretur. Aliàs eleemosynam dare, est in consilio* Atque hinc patet solutio ad primum. Sed quæ sit hæc necessitas pauperis, quæ sub præcepto gravi, id est sub peccato mortali obliget ad eleemosynam ex superfluis, fusè disquirit Suarez, de charitate, disp. 7. sect. 3. ubi docet non esse gravem obligationem succurrendi pauperi, in communi necessitate; sed in extremâ; & non solum, verum etiam in gravi necessitate. Probat ex eò, quod obligatio „ hæc in scripturâ sacrâ, talis significatur, ut „ frequenter occurrat; signum ergò est, non „ agi tantum de extremâ; sed etiam, ut minimum de gravi, ut patet Matth. 25. ubi dam„ nantur per peccata, quæ frequenter „ committuntur, & ibi non numerantur ne„ cessitates extremæ, sed graves. Id ipsum pro„ bat à simili, de servo erga conservum. Matth. „ 18. damnatur servus, quia non est misertus „ conservi sui in gravi necessitate; unde sumi„ tur argumentum: nam si urgere debitorem, „ mortale fuit, etiam ei, qui videbatur esse ip„ semet in necessitate; quanto magis habenti „ superflua, grave erit, non subvenire graviter egenti? Unde Deuteron. 15. Eccl. 4. 1 Joan. 3. & Jacobi 5. dicitur absolutè, divites cōgregantes, & nō distribuentes, thesaurizare sibi iram. & 2. ad Corinth. 8. *In præsenti tempore, vestra abundantia illorum*, id est egentium, *inopiam suppleat*, & Isaiæ 58. *Cum videris* NUDUM, *operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Ratio denique hujus præcepti sumitur ex 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Quando ergò gravis est necessitas, gravis est obligatio. Postrema ratio petitur ex D. Thoma: *Ea quæ sunt juris humani, non possunt derogare juri naturali, vel juri divino; secundùm autem naturalem ordinem, ex divinâ providentiâ institutum, res inferiores sunt ordinatæ ad hoc, quod ex his subveniatur hominum necessitati; & ideo res, quas aliqui superabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum sustentationi. Unde Ambrosius: esurientium panis est quem tu detines*, NUDORUM *indumentum est, quod tu recludis. Ex quibus patet responsio ad secundum.* Tot pallæ, tot pallia, tot togæ, tot interulæ, tot linei amiculi, quæ in arcâ recludis, & à tineis consumuntur, NUDORUM *indumenta sunt.* Tot pretiosa tapetia, quibus parietes, mensæ abaci, lecti teguntur, tot tegetes, & vestes stragulæ, quæ mulis & equis insternuntur, NUDORUM *indumenta sunt.* Tot teniæ, lemnisci, syrmata quibus terram verritis, NUDORUM *indumenta sunt.* Moveat vos Africani Præsulis effatum:

1. Conditiones, quibus tenetur quis sub præcepto dare eleemosynâ.

Suarez. disp. 7. de charitate sect. 3.

Tenetur non solum in extrema, sed & in gravi necessitate.

22. q. 66. a. 7.

Amb. ser. 81. & habetur in decretes dist. 47. Basil. ser. ad divites avaro, S. Tho. 22. q 32. a. 5. ad 2. August. in Psal. 147.

Quantum tibi Deus dederit, ex eo tolle quod sufficit; cetera quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria. Superflua igitur, necessaria sunt pauperum: res aliena, pauperi debita, qua illum defraudas. O! si hoc corruptissimo sæculo spectaculum objiceretur, quod aliquando viro pio, & sancto exhibitum est, viderent fœminæ, & puellæ, syrmatis suis, quibus nudos tegere deberent, insultantes dæmones, & choreas ducentes: sic etenim refert Cæsarius: Cum Moguntiæ quidam Parochus templum circuiret, populumque de more, lustrali aquâ aspergeret, matronam propudioso luxu vestium obviam factam, in cujus caudatâ veste longissimâ, plurimos dæmones sessitare, parvos quidem ut glires, sed nigros ut Æthiopes, ore cachinnantes, manibus plaudentes, ac veluti pisces in sagenam conclusos, saltantes sacerdos conspexit. Mox Parochus, fœminam extra templum jubet consistere; dæmones, ne aufugiant, divino imperio coercet, tartaream eam scenam, ut populus quoque intueatur, precibus à Deo imperrat. Ad hæc, mulier consternata domum reversa, vestem illam, humili habitu commutavit, edocta, non amplius diabolo suis syrmatis esse ludibrio; sed iis nudos obtegendos: suoque experimento, quamplurimis aliis, ut à prodigo illo luxu resipiscerent, profuit. Quis non damnet, ac detestetur veterum Romanorum in luxu vestium prodigiosam prodigalitatem? Nero nullam vestem bis induit Heliogabalus gemmas ab optimis artificibus sculptas, in calceis ferebat, quos nunquam iterabat; sed nec linteamen semel lotum, unquam attigit; mendicos dicens, qui lotis uterentur. Cæsaris thoraci reficiendo, sex cruciferi impēdēdi. Pro pallio nuptiali, expensa tria millia Philippæorum: pro cristis, & pilei ornamento, mille floreni: pro thorace & caligis, mille ducenti aurei, pro cetero mundo corporis, octingenti Philippei, præter uniones & gemmas insparsas. Lucullus Prætori, spectaculo adornando, centum pallia petenti, ducenta obtulit. Sunt qui asserant, tot habuisse, quot dies in Anno. Atque ut vetera mittamus, ævo nostro Gualterus Rahyolæus, ille apud Anglicanam Cleopatram nimis gratiosus, visus est in aulâ crepidas gestare ita gemmis distinctas ut sex millium sexcentorum aureorum, & amplius æstimarentur. Hæc detestamur, & execramur, sed gentilibus, ac infidelibus, hic minus succensendū; at Christianos reperiri, huic prodigalitati suppares, aut non inferiores, qui Christum nudum destituunt, hoc enimverò infandum est. Mira, sed vera sunt, quæ dicturus sum: ante annos non adeo multos, Comitissa quædam in materiam syrmatis unius pallæ, quo terram verrebat, florenorum duo millia, & quingentos; opifici pro opere manuum, centum, quinquaginta florenos annumeravit. Liceat hic mihi cum Chrysostomo detonare: *Quo supplicio non sunt digni, qui modis omnibus dant operam, ut sericis, & auro intertextis induantur, & post se pompam trahant in foro? Christus* NUDUS *obambulat: quot pauperum ventres poterant inde pasci, &* QUOT CORPORA NUDE AGENTIA, POTERANT CONTEGI? Quot corpora nudè agentia, contegi posse arbitramini ex uno syrmate,

Dæmones visi saltare super caudatas vestes mulierum.

Cæsarius l. 5. mirac cap. 7. Albert de Albertis de luxu vest p. 182

Idem pag. 432. & 426.

Luxus vestium describitur, quibus nudi tegendi.

Plut. in vita.

Drexel. Trismegist l. 3. c. 10. §. 5.

Drexel. cit.

Chrysost. hom. 37. in Gen.

mate, in quo florenorum duo millia, quingenti insumpti ex caudis, quas hac in urbe, Dominæ & domicellæ per lutum trahunt? Quorum pretium, aliquot centenis aureis adæquabitur. Si capsas vestiarias mihi inspicere liceret, viri ornatissimi, quot illic pallia, vix semel in anno induenda, & tineis pabula, reperire esset: forensia, urbana, itineraria, festiva, funebria, dominicalia, nuptialia, paschalia, & *quot corpora nudè agentia his possent contegi?* Quis non omnis luxus, & prodigalitatis mos invaluit? Ligulæ olim in usu, ut caligas thoraci nectèrent; nunc ligulatum agmina dissoluta, quasi è strato in publicum provolassent distincti, aut veluti parati pueri ad betulam excipiendam. Circumferunt integras officinas liciorum, lemniscorum, quibus præfigunt cuspides aureas, ut fures etiam habeant, cui insidientur. Aptius tintinnabula appenderent, ad

Drexel. convocandos spectatores. Dux Boucquingamiæ in Angliâ, in unâ veste habuit ligulas auro & gemmis distinctas, pretio octo millium

Chrysost. cit. florenorum, ut ab oculato teste accepi. *Quot pauperum ventres poterant inde pasci, & quot corpora nude agentia, poterant contegi?* Quæ quisque, pro usu & abusu patriæ, deducere poterit.

Paucos ante annos, hortense studium exarsit in flores, tulipas, anemones, bulbos Italicos,

Luxus in floribus. & Indicos. Hos adeo ambitiosè conquirebant, quæsitos ita solicitè fovebant, ut nulla mater sic filiolum. Turpe est dicere, quot aurei non rarò in unicum hujusmodi bulbum expensi, quem nocte insequenti vermis artodebat. Tot aureos mendiculo elargiri, piaculum duxissent. Curam, cautelam, custodiam, quis lingua exponat, aut calamo exprimat, quam in floribus conservandis insumunt, ne pruina decoquat, gelu exurat? Pulvilli suis flo-

Flores cōtra gelu teguntur, & pauperes nudi destituuntur. ris, & tegetibus noctu cooperiuntur, nec ullis sumptibus parcunt, ne flosculus frigore pereat: Et *tot corpora* NUDE *agentia*, & in iis Christum nudum despiciunt. Equi & muli, suis pretiosis stragulis teguntur; mensæ, abaci, muri ipsum pavimentum quod calcant, Attalicis tapetibus vestiuntur, & membra Christi nuda degunt. Quæ est ista inhumana barbaries, & belluina ferocitas? In hoc tanto vestium luxu, qui ne amiculum habet, ut pauperem nudum tegat;

Ovid 9. Metam.

Hic rigidos silices, solidumque in pectore ferrum,
Aut adamanta gerit.

Quæ censura, ne à me quasi crudior allata videatur, aureo Chrysostomi ore depromptam

Chrysost. hom 37. in Gen. accipite: *Quæ ob vanitatem ita induuntur,* tanto vestium ornatu, & varietate lasciviunt, *cum ambulet* NUDUS, *ejusdem naturæ consors: nec naturâ ad compassionem ducuntur, quasi lapideum cor habentes, ita se putant ob vestium cultum, aliis hominibus superiores esse,* & in ipso paupere, Christum nudum despiciunt. Quisquis is es,

Ovid. l. 9. Ep. eleg.

Natus es è scopulis, nutritus lacte ferino,
Et dicam silices pectus habere tuum.

Natura vestit hederâ exsuccum, & aridum truncum; & nudum Christum in paupere, fame exsuccum, & siti aridum nemo induit. Christum qui aves plumis, pisces squammis, feras pellibus, campos herbis, hortos floribus, & te, tuosque tam commodè & pretiosè vestit nudum destituis. An te nondum ullius sceleris reum agnoscis, nec vindicis Dei iram extimescis? Nec severam illam, & nimis veram Judicis sententiam exhorrescis? NUDUS ERAM, ET NON COOPERUISTIS ME; *Matt. 25.*
ite maledicti in ignem æternum. Hic ego non diffiteor terreri me sæpius, illo Christi monitu, de epulone purpurato: Luc. 16 *Homo quidam erat dives, &* INDUEBATUR PURPURA, ET BYSSO. An hoc æterna damnatione dignum flagitium? An pecunias vi, vel fraude rapuit, ut sic indueretur? An opifices operis sui pretio, fraudavit, aut aliena invasit? Minimè; & tamen sepultus est in inferno. Horreo, cùm cogito, quod Divus Gregorius nos docet: *Gregor. hom. 40.*
Sunt nonnulli, qui cultum subtilium, pretiosarumque vestium, non putant esse peccatum. Quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives qui torquetur apud inferos, purpurâ, & bysso indutus fuisset, qua pauperem nudum induere potuisset, & debuisset: hanc enim causam damnationis subdit S. Thomas: *Vt innotescat, quod qui terrenis affluunt* *S. Th. in Luc. c. 16.*
opibus, nisi velint opitulari necessitatibus pauperum, gravem incurrunt sententiam. Quæ ne hyperbolicè dicta videantur, & ne supplicia æterna, quæ ejusmodi immisericordes incurrunt, cùm nemo ab inferis revertatur, somnia habeantur, tragicum planè eventum enarrabo fœminæ, quæ etiamnum in vivis, æternæ damnationis suæ sententiam, omnibus domesticis affusis, in se decretam, & horribili exitu verissimam, declaravit. Anno Christ: 1560. ut referunt Annales Capucinorum, *Frater Angelus,* *Annal Capucin. ann. Chr 1560. n. VI.*
Doctor Sorbonicus, formidabili casu perterritus, ad Capucinos confugit. Dum hic Saonæ, quæ urbs est in Liguria, Genuensi Reipublicæ subjecta, nobili fœminæ à confessionibus esset, quæ vanitati, carnis deliciis, & vestium luxui impensè dedita erat; die quadam secretū cubiculum ingressa ad judicium rapitur, & divinâ sententiâ ad tartarum adjudicatur: Mox illa horribiles clamores edere, ac Dei judicio se damnatam asserere: omnia denique domus loca, desperatis hisce vocibus complere cœpit. *Frater Angelus* Confessarius advocatur, qui id dæmonis tentamentum esse, illi persuadere nititur. At illa fictè se confessam, Deo mentitam: *Pretiosæ vestes, monilia; annuli ingentis pretii, quæ illo in scrinio reconduntur (scrinium indigitans) atque eleemosyna ob id pauperibus denegata, ut insatiabili mei luxus famæ satisfacerem, hæ damnationis meæ causæ sunt.* His cum filia responderet, mater quæso ne spem salutis abjicias, etiamnum res integra est, vestes, ac monilia vendantur, pretiumque pauperibus detur; illa ardentes ad filiam oculos convertens, indignabunda ait, apagè isthinc maledicta filia: tui enim causa potissimum condemnor. Nam cùm primum vestem illam auro textam

sibi conficiendam curavi, nulla in hac urbe fœmina, tametsi nobilis, erat, quæ tam pretiosâ veste uteretur; jam vero, meo hoc iniquo exemplo, urbs tota corrupta est, ut vix ulla in ea nobilis reperiatur, quæ vestem auro textam magno pretio sibi comparandam non velit. Vix hæc misera illa effata fuerat, cùm eam in omnium oculis dæmon arripiens, & usque ad cubiculi tabulatum efferens, tantâ vi ad solum allisit, ut eo casu misera extincta, tam gravem ibi fœtorem reliquerit, & horrorem, ut omnes inde profugerint. Horrendo hoc mulieris spectaculo *Fr. Angelus* graviter commotus, ad Capucinorum Ordinem confugit. Exhorrescit hic Doctor Sorbonicus, vel solo spectaculo, & in tutum se recipit; & vos Matronæ, vos matres, quarum causa, & damnatio agitur, nihil ad vos hanc tragædiam attinere arbitramini, quæ superfluos in *vestes pretiosas, monilia, & annulos*, sumptus prodigitis, atque *eleemosyna ob id pauperibus denegatur*.

Si hæc Mater, ob novam filiæ adornandæ vestem, adeo funesto, ad omnium terrorem, in corpore supplicio, & æternis tormentis in animâ, ad omnium emendationem excarnificata est, an non aliud atrocius, matribus illis, & filiabus expectandum, quarum nullum aliud studium, contentio, & æmulatio est, quàm ut novis modis adinveniendis ceteris præeant, ad æmulandum trahant, ac tympanistriæ existant, torquesequacium, quosad immensos, & prodigos sumptus induxerint, se auctores, & tympanistrias exstitisse insuper glorientur? Quarum pœnas, & vindicis Dei atrocissimam condemnationem, ne incurratis, quemque hortor, ut exemplo *D. Martini*, nudum tegendo, Christum vestire, & vos indumento gloriæ amicire contendatis. Facem vobis præfert *Martini* æmulus. *S. Martinianus* ædi Byzantii Præpositus. Hic plenam, quoties foras prodiit, manum circumtulit, cum vacuâ, nullum à se inopem passus abire. Veste quamdiu vixit, non nisi unicâ semper usus; hac etiam, cum nulli ad manum nummi essent, se exuit, & egenum induit; sed minimè nudus ipse remansit, utpote quem ad aram facientem cælites, aureâ è cælo missâ cyclade condecorarunt, non multò post, cælitibus adscriptus, *amictum lumine sicut vestimento*. Hoc ut potiretur *S. Elisabetha*, Regis Hungariæ filia, Regium pallium exuit, ut nudum pauperem tegeret. Hoc & vos induendi, si nudum vestieritis, & audituri optabilem illam, & favorabilem in judicio sententiam. *Nudus eram, & cooperuistis me, venite benedicti Patris mei, possidete Regnum, &c.* Non hic sisto; sed nunc ad alios nudos tegendos, sermo properat, & potentius vos adhortatur, ut nudos in lascivis tabulis, nudos in obscœnis picturis, parvo impendio, colore levi inducto, tegere velitis. Præluxit in eo, eruditione & sanctimoniâ vitæ Eminentissimus Robertus Bellarminus S.R.E. Cardinalis. Hic Principem virum adiens, nudas in aulâ imagines cum offendisset, monendum sibi duxit, ut famæ suæ, ac periculo invisentium consuleret: itaque inter prima salutationis officia, *habere se dixit pauperes aliquot* NUDOS, *quos ejus vellet commendatos esse liberalitati*; eoque omnia prolixè pollicenti, leviter arridens Robertus: *Iube igitur* NUDAS ILLAS IMAGINES VESTIRI, *quamibi uuue vicinâ ab hyeme algere, ac tremere videntur*. Valuit monentis lenitas, & hos nudos vestiendo, opus certè, maximæ misericordiæ effecit: tales etenim picturæ, crede mihi, pejores sunt colloquiis lascivis, spectaculisque obscœnis. Dictio dicta perit, avolant levissimè visa; turpitudo picta manet, & nō semel spectaculo est; ut scandala, & animarum damna, vix quispiam satis æstimet, quæ ab impuris hisce simulachris inferuntur, tam illorum auctori, quam spectatori. Quare si quis vestrum domi tales nudos, vel nudas habet, *Adamum & Evam, Bersabeam, aut Susannā se lavantem*, aliasque ejusmodi, in honorem *S. Martini*, tegere, & vestire curet; sint Aristidis, sint Pausaniæ, sint Appellis, aut Michaelis Angeli infames labores: sit omnis ars, & pretium, in nudis articulis; quò magis insignes, hoc magis in ignes præcipitandi, aut coloribus vestiendi. Nec satis honestati consulitur, ut sæpius adverti, nudis hisce tabulis, sericam cortinam prætendi, quæ magis intrantium curiositatem allicit, ut eâ deductâ, quid lateat, conspiciatur. Hujusmodi nudos in tabulâ, coloribus tegere, longè excellentius charitatis, & misericordiæ opus est, quàm nuda vivorum corpora vestibus operire: quia animæ hac ratione à scandalo, & ruinâ servantur, quæ corporibus, multò præstantiores sunt. Sed ne actum agam, cui hæc fusius deducere placuerit, consulat quæ festo S. Lucæ videre est, & alibi tractavimus. Nunc *Festo S. Lucæ.* quem potissimum hic mihi scopum præfixi, quia picta, & ficta minus movent, quàm vera *Lux Evang. par. 1. Dom. 4. Quad. §. 4.* & viva, illas mihi hodie matronas & puellas, pellices propè dixeram, insectari animus est, quæ *nudum pectus, nuda ad axillas brachia, nuda ubera*, velut geminos tartareæ fornacis folles, ad ignem libidinis conflandum, lascivè circumferunt; quibus quasi meretricio quæstu (al te openhertich) tot ingenuis oculis ruborem, & tot perversis animis ardorem æternum suppeditant, ut ea, injecto supario, aut strophio, tegere curent.

Surius 10 Ian.

Psal. 103. v. 2.

Baron. Sur. nov. 19.

Matt. 25.

Nudos in tabula, seu infamem nuditatem in picturis tegendam, aut potius flammis abolendam.

Ioan. Rho varia virt. hist. pag. 157.

§. II.

Perstringitur IMPUDENS NUDITAS *fœminarum, & puellarum: quamque graviter in ea peccetur, exponitur.*

Verecunda ingenuitas, & virginalis pudicitia, qua etiam gentiles fœminæ excelluerunt, vobis Christianis mulieribus stimulo & exemplo sit, quas in judicium ad confusionem vestram dæmon adducet. Narrat Plutarchus, cum nescio quæ moriendi cupiditas, Milesianas puellas invasisset, adeo ut passim laqueo sponte mortem accerserent, nec à tali, tamque præcipiti dementiâ, vel ipsâ vi legū, vel parentum

Perstringitur famis nuditas fœminasū, quæ nudis brachiis, collo, & pectore incedunt.

tum custodiâ, vel minis, aut promissis, aliâve industriâ possent revocari; tandem ut huic malo medela fieret, communi Magistratuum edicto sancitum fuisse, ut quæcumque violentas sibi manus intulisset, illa corpore nuda, ac veluti prostituta, omnium spectantium oculis objiceretur, & ad sepulchrum tali notatu opprobrio protraheretur. Opportunum sanè consilium, à quo tantus earum animis injectus est pudor, tantus dedecoris illius metus, ut de nullius violentâ morte postea auditum sit. Ira effrenes, præcipitesque compescuit pudor, quas nec ipse mortis horror continere potuit. Nimirum ingenuis mentibus etiam post fata, diemque ultimum, suus est castimoniæ amor; qui utinam etiamnum vivis & spirantibus esset modernis puellabus, de quibus potiori jure quàm Seneca de matronis Romanis, usurpare possem: *Quid si contigisset illi videre nostri temporis telas quibus vestu nihil celatura conficitur: in qua non dico nullum corpori auxilium; sed nullum pudori est.* O pudor? liceat hic altum ingemiscere, & ingeminare: ô perversos sæculi mores! ô infamē mulierum, & Christianarum impudentiam! ô intollerandam puellarum inverecundiam. Ipsis è flammis profuga gentilis fœmina, honestatis curam non deposuit. Accipite benignum Clementis Alexandrini monitum: *Mulier tecta semper sit: ipsa enim numquam, si verecundiam & vestem ante oculos posuerit, ad peccati lapsum, alium provocabit, dum vultum suum operit* (quantò magis, dum pectus) *dicunt autem Æneæ uxorem Creusam propter insignem honestatem, ne cum Troja quidem caperetur, perterritam se detexisse; sed etiam dum ab incendiu fugeret, mansisse coopertam.* Hæc præstitit fœmina verecundiæ amans, veræ fidei luce destituta. Polyxenam quoque tradit dum interficeretur, magnam adhibuisse cautelam, ut honestè caderet. Unde concludit: *Nullam partem fœminæ nudari decorum est: neque enim honestum est, corporis pulchritudinem, esse hominum aucupium.* Non pectus, non brachia, non collum, non cubitum nudari vult. Unde faceta illa vox: *Pulcher cubitus, sed non publicus.* Historiam hanc pluribus exponit lib. 4. strom: cum enim Theano Pythogonea mulier quendam qui eam aspexerat, dicentem audisset: *Pulcher cubitus*· statim illa respondit: *At non publicus.* Lucretiam quoque Romanam, ex hoc commendat, quamtumvis impudens Poëta:

Seneca epist. 90.

Clem. Alexand. l. 3 pædag. c. 11.

Gentilis fœmina etiam in flammis curam habuit honestatis.

Idem l. 2. pædag. c. 10.

Idem l. 4. stromatum.

Ovid. l. 2. faster.

> *Tunc quoque jam moriens, ne non procumbat honestè.*
> *Respicit; hac etiam cura cadentis erat.*

Pudeat vos Christianas mulieres, omnis honestatis oblitas, tam impudenter pectus colla, & brachia nuda jactare. Quod si gentilium vos non moveat auctoritas, Christianarum Matronarum exemplum impellat. E multis paucas inducam. Annales Hispalenses *habent memorabile quod sit*, cujus etiam mentionem facit Joannes Mariana, in suâ Hispaniâ. Anno Christi 1367. Petrus Castellæ Rex, Henrico fratre in bello devicto, Hispalim victor remeavit: captivos inter, quos victoriâ insolentior occidi jussit, fuit illustrissima illa per Hispaniam Matrona, *Vracca* nomine, Joannis Alphōsi Gusmanni mater, quā vivam comburi jussit in platea urbis celebri, efferus Rex. Aderat illi famula *Issabella Vbedia* juxta rogum; cùmque Domina, à quâ omnem honestatem edocta erat, jam flammâ se involvente, tormentorum vi adacta, se jactaret, ut vestis incomposita, & pes nudus appareret, famula, ne quid pudicitiæ, etiam impotentis Dominæ suæ officeret, magnanimo ausu in rogum insiliit, disjectam vestem composuit, eamque tamdiu manu tenuit, donec una cum Dominâ flammis exusta sit.

Aliud illustrius pudicitiæ exemplum in Matrona Hispana.

Mariana hist. Hisp. l. 17. cap. 10.

Vega Theologia Mariana n. 1325.

> *Hac etiam cura cadentis erat.*

Ovid. cit.

Fortis animi & pudici in famula facinus, ut verecundiæ, & pudori Dominæ suæ obsequeretur. Maluit hæc virgo flammis addici, quàm minus verecundè dominam morientem prospectari. Et vos, quis credat, mavultis potius æternis flammis (ut postea ostendam) exuri, quàm minus inverecundè incedere, & nuditatem vestram tegere. Vivit etiamnum, & vivet æterna posterorum memoriâ (utinam & in animis vestris) illustris illa *Eleonora, Emanuelis Sosæ conjux.* Factum refert Orlandinus, & Maffejus lib. 16. hist. Ind. pag. 457. Hæc cum marito, & aliis comitibus naufragium passa, direptis opibus à pyratis barbaris, iterum incidit in Æthiopes, quæ vi nudata vestibus, cum sociis ne videretur, sese arenis tumulavit; quidquid verò supernè corporis exstabat, solutis hinc indè, sparsisque crinibus obvelavit. In quo tumulo quem ipsa sibi cōgesserat, tamdiu permansit, donec fletu, ac jejunio exhausta, jamque prius tumulata, quàm mortua, postremum diem suum obiit. Maluit invicta Herois vitam exuere, quâm verecundiam. Audîstis, ut nobilissimæ Matronæ, vel acerbissimos cruciatus, utque atrocissimam mortē perpeti maluerint, quàm vel minimam corporis partem nudam, & intectam, alienis oculis exponi, quàm vel inverecundè spectari. Non illud roboris à vobis, ô puellæ, expecto, nec exposco; sed econtra, ut vitam, ut vires, & valetudinem conservetis, ut commoda vestra, & sensualitatē spectetis, consulo, suadeo, & adhortor. Quis hoc consilium abnuat, monitum spernat, hortamētum contemnat. Animus hic mihi non est, pluribus vos commovere ut nudos sub Jove frigido degentes, tecto recipiatis, & veste cooperiatis; sed ut pro amore, & charitate cuiq; sibi innatâ, quæ in vobis præ frigore algent intecta brachia, colla, & pectora, & nuda ad scapulas terga, priusquā cælitus vapulent, tegatis: miseret enim me vestri, dū tot tenellulas, asperrimâ hyeme stridere dentibus, & frigore totas obrigescere video: *Cum videris NUDUM operieum, & carnem tuam ne despexeris.* Imò potius non miseret me, dum illam voluntariam carnificinam ultrò suscepistis. Quem vestrum non miseret, dum rigente brumâ viros Religiosos, Christi servos cernit nudis pedibus, per nives, & glaciem incedere? Nec tangit vos Martyres diaboli, cōmiseratio propria, quæ longè teneriora membra, media hyeme prostituitis. S. Ambrosius

Orlandin. hist. societ. Maffejus lib. 16. hist. Ind. pag. 457.

Historia raræ pudicitiæ

Suadetur fœminis ex proprio commodo & sanitate, ne gelidâ etiam hyeme nudæ incedant.

Isa. 56. 7.

Amb. lib. de nat. c. 7

sius miseram harum tyrannidem depingit, & deplorat dicens: *Delectantur & compedibus mulieres, dummodo auro ligentur: non putant onera esse, si pretiosa sint. Delectant & vulnera, ut aurum auribus inseratur, & margarita dependeant. Habent & gemmæ pondera sua, habent* (quod incredibile omnibus videatur) HABENT ET VESTIMENTA FRIGORA SUA: *sudatur in gemmis*, ALGETUR IN SERICIS. At forte si gelidâ hyeme algent in sericis, æstate dicent se refocillari illis ab æstu; sed nec illud solatii habent, nam ut aureè & acutè Chrysologus: *Ab æstu byssus non defendit: nunc* NUDUS *sudat, æstuat, qui aliquando insultabat æstibus*, ARTIFICIO NUDITATE *vestitus*. Attendite, expendite, *artificiosâ nuditate* vestitæ. Inhumanus planè, & barbarus is Confessarius haberetur, qui per hyemem sic nudum, & intecto pectore, ac brachiis incedere pro pœnitentia juberet. Hanc vos ultrò vobis assumitis. Bernardus: *Quæritur ad induendum, non quod repellat frigus; sed quod superbire* (& lascivire) *compellat*. Quæritur non quod commodum, quod honestum; sed quod spectantium ad se oculos trahat, & animos ad pelliciendum inflammet. *Solent dicere, num de vestibus cura est Deo, & non magis de moribus? At forma hæc vestium, deformitatis mentium & morum indicium est.* Quis animi candor, quæ corporis integritas, quæ virgini pudicitia, quæ inter nuda ubera crucem adamantinâ circumfert, velut Christum inter duos latrones? De vestibus curam esse Deo, ex eo patet, quod ipse rerum omnium Conditor, ubi primus parens noster, innocentiæ veste exutus est, ipse primus sartor, ei tunicas ad nuditatem tegendam confecerit. Ad hoc homini vestes datæ sunt, ut nudos tegant; at nûc quod olim Seneca: *Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi corpus possit.* Quæ ut à Christianis procul removeantur, gravissimè hortatur S. Hieronymus: *Ableganda sunt*, inquit, *ea indumenta, quibus amicta corpora, nudantur potius, quàm operiuntur.* Solent enim, ut experientia docet, vehementius ad libidinem incitare tenuia ac pellucida siparia, per quæ, velut refractis radiis, & quasi per rimam, se pectoris candor aperiat. De quo veneris illicio, ad pelliciendos oculos, & animos, hoc verè & severè Tertullianus: *Studium periculosissimi decoris, elaborata libidinis suggestum*: è quo libido multò potentius, quàm disertissimus orator verbis, & sententiis, quemvis in partes suas adducit, & inflammat. Quo spectat fabula illa apud Hesiodum, quam Divus Gregorius Nazianzenus, adversus mulieres lascivè se ornantes, edisserit his verbis: *Pandoram ajunt, cum ignis à Promethο furtim sublatus fuisset, vindicandi hujus sceleris causa, mortalibus attulisse pro bono videlicet, atque utili igne, ignem alium malum, ac pestiferum. Quoque ardentius hominum animos inflammaret, omni eam pulchritudinis genere à diis instructam, & exornatam fuisse. Ita cum suum quisque illecebra, ac fraudis genus, in unum contulisset, tum vero confertam, & cumulatam imposturam, hominibus invectam esse: versutam nempe mulierculam, impudentem, dicendi suavitate præditam, perniciosum oblectamentum, facem perpetuo ardentem. Non quidem fabulis fidem adhibere; sed si tamen ita jubes, etiam atque etiam vide, ne tu varia illa Pandora existas: Pandoræ quippe filiæ sunt procaces omnes mulierculæ, perfrictæque frontis*, quæ per pectoris folles, faces libidinis sufflant, & inflammant. Quare exeruit se, & exarsit in hos depravatos sæculi mores zelus sanctissimi *P. Alexandri VII.* qui ut hoc incendium restingueret, omnia flumina disertissimorum oratorum laxari voluit, atque illud pro auctoritate sua qua major non est super terris, præcepit, ut levem & lascivum incedendi modû reforment, ad exemplar Domicellarû Perusinarum, quæ hujus præcepti observantiâ in manus Episcopi voverunt, & tuentur. Quod votum, ut in Belgio, aliisque Provinciis servetur, mille votis vovendum. Contigit tamen, ut unus aliquis è Perusinis vir nobilis, nec se, nec uxorem hocce voto adstringi velle palam affirmaret; dum autem uterque conjux ad mortem dejicitur, & infirmatur, qui ut manifestam Dei manum sensere, ambo vovent se velle, quam istic vocitabant reformationem amplecti, & subitò sanati sunt. Sed non opus Perusium in Italiam excurrere, consulite quæ in atriis, in cubiculis vestris, parentum, majorum vestrorum, avi, aviæ, Principum virorum, ac fœminarum, Archiducis Ernesti, Alberti, Margaretæ, Isabellæ, aliarumque veterum matronarum appensas tabulas: conspicietis brachia ad manus usque tecta, colla crocoto constipata. Ut nil nisi manus, & vultus intecta; imò hæc etiam celantur, & sipario obteguntur. Pulchra passim teguntur, *quæque latent, meliora puta*. Tabulæ elegantissimæ, semper velo obductæ: annuli, gemmæ margaritæ, pretiosa supellex, suis capsis, & chrysendetis occlusa. Quid, quod etiam domi inter privatos parietes, suus debet honestati, & verecundiæ esse locus, ne coram liberis, servis, ancillis, colla, & pectora nuda appateant: *Non enim decet*, inquit Seleuciensis Antistes, *virginem* (nec etiam conjugatam) *etiam cum domi est, passim*, LICENTERQUE NUDARI. Idipsum monet Anselmus: *Ut vestes earum Religionem prætendant, non libidinem provocet ipsarum* INDISCIPLINATA NUDATIO. Et si tu teipsam non erubescas, subinde ex insidiis oculi sunt. Quod casta illa Susanna exploravit, & deploravit, quam ex inscriptâ tumulo ejus epigraphe, seu epitaphio, loquentem audite:

Chrysolog. serm. 122. de epulone

Barbarus Confessarius esset, qui mediâ hyeme sic fœminas incedere juberet.

S. Bern. tom. 3. apologia de vita, & moribus Religiosor. cap. 9.

Bern. lib. 4 de consid. cap. 5.

Senec. l. 7. de benef. cap. 9.

Hieron. in cap. 1. Sophnia.

Tertull. l. de cultu mulier.

Hesiod. libro, cui tit. opera & dies. Naz. opusc. ad versus mulieres sese ornantes.

Littera Laurein data anno 1650. 30. Septembr.

Perusinæ fœminæ Decreto Pontificis obtemperant: una quæ repugnat punitur.

Ovid. Metam.

Non tantum foris, sed domi etiam coram domesticis honestè incedendum

Basil. de vera Virg. Anselm. in Tumesb.

Exemplû Susannæ.

Adeste nuptæ, innuptæque quarum virtus in
Pulchritudine, non pulchritudo in virtute.
Docebo quàm speciosum damnum sit, species.
Nimirum felix eram, si forma defuisset:
Quam perdere dum metuo, penè me perdidit.
Occlusis pomarii foribus, nec solem arbitrum
passa.
Quem meridie curiosiorem, nemus arcebat.
Addebam membris lympharum ultorem:
Neque speculo opus, in speculâ natabam.
Latebant inter virgulta amasii duo,
Angues in herba;
Quos vel inter algentes aquas, urebam:
Ignara puellarum faciem, esse facem,
Et nudâ conspectâ, ardere nives,

Quid ad hæc Auditores? Si hæc innocua, frigidos

dos senes accenderit, quas flammas non merentur, qui etiam juvenes, suâ nuditate inflammant. Unde quod suo sæculo notavit Tertullianus, hoc nostro corruptissimo inculcandum: *Oro te, sive mater, sive soror, sive filia, secundùm annorum nomina dixerim, vela caput; si mater, propter filios; si soror, propter fratres; si filia, propter Patres; omnes in te ætates periclitantur.* Hæc expendite, si filii in matre, fratres in sorore, patres in filiabus, non velato vultu incedentibus periclitentur, quid non à nudis ad cubitum brachiis, nudo tergore, & pectore, lascivis procis, & ganeonibus, imò & honestis juvenibus creetur periculi. Quod ut memori pectori recondatis, & quàm graviter hic peccetur, ac horrendum à Deo vindice puniatur, attendendum est, quàm venerandus Patrum senatus, impudoratis illis mulierculis, salubrem timorem, & sanctum ruborem incutiat. Gravissimè inprimis more suo Tertullianus lib. de cultu fœmin: *Quid alteri periculo summus? Cur alteri concupiscentiam importamus? Nescio an impune habeat qui alteri fuerit causa perditionis; perit enim ille simul in tuâ formâ, si concupierit, & admisit jam in animo quod concupivit, & facta es gladius illi. Certè ut culpa vaces, ab invidia non liberaberis; ut dum in alicujus agro, latrocinium gestum est, crimen quidem Dominum non constringit; dum res tamen ejus ignominiâ notatur, ipse quoque infamiâ aspergitur.* Solent etiam proditorum ædes æquari solo, æquatæque sale conspargi. At quid mali parietes, tectumque admisere? Sic pellax forma, sic lenocinium, ubi data est occasio scandali, laborat infamia apud Deum, & cum fœmina pariter in judicium vocabitur. Nec minus exaggeratè S. Clemens Pontifex Max. contra cultum mulierum pronuntiat in hunc modum: *Quamquam tu non peccandi studio hoc nefas commisisti; sed tantum cultus causâ; tamen non ideò effugies pœnam: quia illo ornatu coegisti aliquem, ut ad te concupiscendum induceretur; nec adhibuisti cautionem, ut nec tu in peccatum incideres, neque alii in scandalum.* Severissimè verò D. Hieronymus: *Si vir, vel mulier se ornaverit, & vultum hominum ad se provocaverit, etsi nullum inde sequatur damnum; IUDICIUM TAMEN PATIETUR ÆTERNUM: quia venenum attulit, si fuisset qui biberet.* Hæ gravissimæ commonitiones, & terrificæ comminationes è sacris Paginis, & Sanctorum Patrum oraculis petitæ, non intentarentur, nisi grande malum, & noxa lethalis denuntiaretur, ut scitè & eruditè Dionysius Carthusianus, non solum magnus sacrarum litterarum Interpres; sed doctis in magistrum sententiarum lucubrationibus, Theologus eximius tradit, qui adductis in luxum muliebrem SS. Patrum aculeatis sententiis, sic concludit: *Quod in præfato ornatu superfluo, & vestitu pompatico scandalizativo, consistat PECCATUM MORTALE: nam sancti Patres, & gloriosi, illustrissimique Doctores, contra ornatum superfluum, & exquisitum, curiosum, superfluumque vestitum, tam rigorosè non scriberent, nisi in eis MORTALEM CULPAM existere judicassent; venalia quippe peccata, talem reprehensionem, & condemnationem non promerentur.* Hæc hactenus de lascivo mulierum cultu, & infami per nuditatem lenocinio, graviter, pro rei indignitate, Sanctorum Patrum suffragiis perstricta, & sententiis damnata, ne quis fortè magis declamatorio, & oratorio more exaggerata, quàm ex verò pronuntiata existimet; Theologorum placitis, Doctorum argumentis, ac consiliorum decretis stabiliuntur. Primò indubitatum est, atque à totâ Theologorum scholâ receptum, peccari mortaliter in luxu vestium, si in eo spectetur ruina proximi; hoc est, si illo fine, & intentione, ejusmodi vestes assumantur, ut alium ad illicitos amores pelliceant, & in peccatum inducant, juxta receptum illud effatum Doctoris Angelici: *Mulieres si hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, MORTALITER PECCANT.* Lessius verò sic ait, *PECCATUM ETIAM LETHALE EST, si quis corpus eo animo colat, ut ad libidinem spectatores pertrahat: aut si propter cultum hunc, ita semet extollat, ut alios despiciat, salutem aliorum nihili pendat, nec curet perniciosum exemplum prodere. Aut si quis aliosideò suppilare; debita non solvere, eleemosynam non erogare, aut aliâ demum ratione, ob corporis ornatum, gravius delinquere non detrectet.* Et quis hæc confiteretur? Nec solum intentione explicitâ hic peccatur; sed sufficit implicita. Joannes Azor, *notandum monet, quod ornatus muliebris, ex animo, sive intentione expressâ, vel implicitâ incitandi aliquem ad luxuriam, est secundùm se PECCATUM MORTALE.* Definit autem intentionem implicitam ex D. Thoma, qui ait: *Implicitam voco intentionem, quando licet fœmina expressè non ornet se ad incitandũ aliquem; scit tamen illum incitatum iri ad concupiscentiam sui; quod ne fieret, ipsa, si vellet, facile posset malum evitare; sed non curat.* Idipsum confirmat celeberrimus Theologus Franciscus Suarez, qui dum quæsivisset, *an mulier teneatur non se ornare, propter vitandum scandalum?* Disertè respondet: *Se non teneri: quia de se, actum non est malum, neque habet rationem scandali activi magis, quàm ipsa naturalis pulchritudo. Et quia esset grave onus obligare ad hoc, tamen si esset ornatus superfluus, & maximus, vel si de se esset provocativus ad malum, erit obligatio. Et ex suo genere, ego credo obligare AD MORTALE, cum Sylvestro, & S. Antonino: quia est ex genere suo occasio gravis ruinæ.* Ad quod sufficit, si sciat se concupiscendam in generali, licet non determinatè ab hoc vel illo, ut fusè docet Albertus de Albertis, pluribus adductis rationibus, & Doctoribus, quos inter, Granado: *Nec in hac parte quidquam refert, quod in particulari cognoscatur, vel ignoretur, qua persona sit inde sumptura occasionem peccandi: ratio enim ubique eadem est, quia ornatus ille illicitus est, ad quem femina non habet jus. Aliunde autem est gravis culpa occasio, graviter ergo lædit charitatem, sic se ornando.* Hæc obiter. Confirmatur ulterius, licet quis non intendat malum, peccare mortaliter, si det occasionem ruinæ proximi. Quod argumentum nemo acrius, aut liberius persequitur, quàm Bernardinus Senensis, adductâ ad claritatem ex D. Augustino similitudine: *In mulieribus tantus est apparatus, & pompa vestium &c. ut incentivum concupiscentiæ hauriant decepti oculi insipientium; sed forsitam dicet: non hac mala in-*ten-

Marginalia (left column): *Tertull. de Virg. veland.* — Horrendæ SS. Patrum sententiæ in lascivè iuduta. *Tertull. de cultu fœmin.* — Nuditate sua sunt causa scandali & alterius peccati. *Nierenb. hom.* — *S. Clemens constit. Apost. l. 1. c. 9* — *Hieron. epist. ad Eustochium.* — Peccatũ mortale probatur, lascivum habitum gestare. — *Dionys. Carthus. in directorio vitæ nobilium art. 14.*

Marginalia (right column): Theologorum sententiæ. — *S. Th. 2. 2. q. 169. a. 2.* — *Lessius de jure & justitia l. 4. c. 4. dub. 14.* — *Festo S. Josephi.* — Peccari mortaliter habitu lascivo, sola etiã intentione implicitâ. — *Azor par. 3. instit. l. 3. cap. 30. S. Th. 2. 2. q. 169. a. 2.* — *Suarez de charit. disp. 10. sect. 3. n. 10.* — *Silvest. verbo ornatus & verbo scandal. Antonin. p. 2. tit. 7. cap. 4.* — *Albert. de Albertis de luxu mulierum disp. 1 c. 5. §. 4 & 13.* — *Granado in 2. 2. controv. 3. tract. 13. sect. 5. a. 31.* — Peccari mortaliter, etsi non habeat intentionem ollã malam. — *Bernard. tom. 1. ser. 46. a. 2. c. 2. vide etiam ser. 44 47.*

Aug. ab eo cit.

tentione me orno: Deus est mihi testis, & conscientia mea. Ad quam, inquit Augustinus, *statuamus hoc verissimum esse; non tamen ex hoc excusabilis es apud Deum, nec etiam apud mundum. Si aliquis non prudenter præcavens, lapidem projiciens, hominem interfecerit: nonne reus mortis à legibus justo judicio condemnatur? Nonne fodiens cisternam, nec etiam præcavens, si bestia in illam ceciderit, justè exsolvet pœnam? Sicuti Exodi 21. si quis aperuerit cisternam, & non operuerit eam, cecideritque bos, vel asinus in eam, reddet Dominus cisternæ pretium jumentorum.* Tum subdit: *Cisterna quippe quæ aquas habet in remedium sitientis; occasio tamen incautis esse potest. Sic utique tu, ô mulier vana, quæ viro suo remedium esse potes fragilitatis humanæ: alteri incautè præparata, occasionem præstas damnationis æternæ. Sic utique uxor viro Prov. cap. 5. nuncupatur, ubi dicitur:* BIBE AQUAM DE CISTERNA TUA; *sed talis cisterna incautè aperitur, quando mulier cultu meretricio* (nempe valdè ad libidinem incitante) *exornatur: In illam utique non opertam, bos vel asinus cadit, quando occasione indebitæ vanitatis, aliquis per concupiscentiam ruit. In quo casu, ejus anima de mulieris vanæ manibus requiretur, cum det ad hoc efficacem causam, non præcavendo ruinam.* Addit D. Bernardinus alteram similitudinem: pleræque earum dicent, se non habere hanc intentionem. Ad quas "ego dico: nec gladius corruptam habet intentionem, quando cum illo necatur quisquam; sed solummodo utens eo. Sic in proposito: dæmon est qui ad animas perimendum, quasi venenato mucrone, vanâ utitur muliere; sed amplius dicam: licet enim in hoc nulla concurrat intentio mala; cùm tamen ex hoc multarum animarum perditio subsequatur, qui tantorum malorum præstat occasionem, æternâ morte dignus meritò reputatur.

S. Bernardin. ser. 47 de Evang. art. 3. c. 1.

Et quemquam adhuc reperire est, qui his gravissimorum Doctorum censuris, fidem non adhibeat, exemplis adeò terrificis non credat, & contremiscat?

§. III.

Mensa Eucharistica arcenda, & sacra Comunione privandæ, quæ LASCIVO HABITU, ET NUDO PECTORE *accedunt.*

Chrysost. hom. 8. in epist. 1. ad Tit.

PRæsul Antiochenus fœminam petulantius comptam, & lascivius indutam, ad templum properantem sic interpellat: *Quid dicis,* inquit, *Deum precatura pergis, & ornamenta aurea circumfers? An verò saltatura ad Ecclesiam pergis? Num ut tui spectaculum præbeas, advenisti? Ut Deum pro peccatis suppliciter depreceris, & tuis sceleribus veniam cum gemitu, & lachrimis petas, ut Dominum tibi propitium facias, accessisti; quid teipsam ornari improbo, atque intempestivo studio contendis? Non iste supplicis est habitus: quo enim pacto ingemiscere potes, ac lachrimas fundere, atque intentissimè ut decet, orare, quæ ejusmodi ornatu compta procedis? Nam etsi lachrimas fuderis, risum cernentibus hujusmodi lachrimæ movebunt*, & ipsis dæmonibus cachinnos. Quod si sanctissimus Præsul mulierculam sic comptam, ineptam ad orandum, ad Deo supplicandum, & ut saltatriculam, quæ aliis risum moveat, sacro limine indignum judicet, quid existimandum censetis de eâ, quæ meretricio habitu, nudis brachiis, & intecto pectore, ad sacram mensam accedere præsumit? Sed parum est saltatriculam, talem appellasse, meretriculam passim alii SS. Patres indigetant, cum habitu nihil ab ea, tales mulierculæ differant. Sic porro D. Cyprianus: *Ornamentorum, ac vestium insignia, & lenocinia, non nisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum ferè pretiosior cultus est, quàm quarum pudor vilis est.* Tum sic Virginem affatur: *Excusari non potes, quasi mente casta sis, & pudica; redarguit te cultus improbus, &* IMPUDICUS ORNATUS. Tertullianus ait, apud omnes nationes, in more positum fuisse, honestas matronas & virgines, habitu diverso, à meretricio incedere, & discernere; at eam suâ tempestate, morum & habitus corruptelam invaluisse, ut illæ ab istis non distinguantur: *Quid minus,* inquit, *habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ* (nempè meretrices) *quas si quæ leges à matronis, aut matronalibus ornamentis coercebant; jam certè sæculi improbitas, cotidie insurgens, honestissimis quibusque fœminis, usque ad errorem dignoscendi, coæquavit.* Quis vestrum hic non succenseat, & excandescat, uxorem suam, filias suas, meretrices compellari? Vos in causa estis, vos hujus calumniæ, & infamiæ auctores estis, ut rectè Gulielmus Peraldus: *Cùm non vult vir uxorem suam esse meretricem, quare vult eam similem meretrici esse, & in habitu meretricio? De hoc habitu legitur Prov. 7. occurrit ei mulier in* ORNATU MERETRICIO, *ad capiendas animas.* At gravius, & jure meritissimo, succenset Deus, quod in habitu illo meretricio, parentes filias suas, in sacras ædes, in conspectum divini Numinis inducant: *Si quando eas,* inquit Divus Bernardinus Senensis, (nempè nubiles filias) *ad Ecclesiam ducunt, veluti meretriculas illas ornantes; in templi sedibus statuunt eas, quasi bestias in foro venales.* Subdit verò, hoc ornatu filias diebus festis in templum inducere ad sacrum audiendum, gravius esse peccatum mortale, quàm si citra ullum impedimentum, eas domi detinerent: *Peccant nempè,* inquit, *quando diebus debitis ad Ecclesiam non ducunt illas; sed gravius usque conditorem offendunt, cum ad Ecclesiam ducunt eas, quasi meretrices.* Quanto verò gravius, si sic ad sancta Sanctorum accedere non vereantur? Quod solidis argumentis probare aggredior. Paulus Apostolus, ne quidem vult mulieres orare, nisi prius caput velatum habeant 1. Cor. 11. *Mulier orans* NON VELATO CAPITE, *deturpat caput suum.* S. Thomas hoc expendens, ait: *Circa quod considerandum, quod quilibet homo assistens Deo, qui est omnium Iudex, assistere debet ordinatissimè, & convenientissimè;* aliàs enim deturpat caput suum, id est, ut idem Doctor exponit: *Rem inconvenientem facit, circa capitis sui decectionem,* quæ illi tam turpis, quàm calvitium. Rationem subdit Apostolus: *Debet mulier vela-*

Lascivus habitus meretricum est.

Cyprian. lib. de disciplina, & habitu virginum.

Tertull. de cultu fœmin. c. antepen.

Guil. Peraldus tom. 2. summ. c. 14. tit. de superbia.

Bernard. Senen. de Evangelio Dei. sermo 47. art. 3. c. 1.

Minus peccant parentes, si filias sic ornatas, festis à sacro arcerent.

Bernardin. cit.

Mensâ Eucharisticâ arcendæ, quæ impudicè ornatæ accedunt.

S. Thom. 1. Cor. 11.

1. Cor. 11.

men

men habere super caput suum propter Angelos. Quod Angelicè Doctor Angelicus, ad propositum nostrum interpretatur: *Angeli*, inquit, *conventus fidelium visitare creduntur, præcipuè quando sacra mysteria celebrantur. Secundò: Angeli dicuntur Sacerdotes, in quantum divina populo annuntiant; ideò debet velamen habere. 1. Propter eorum reverentiam, ad quam pertinet, quod mulieres coram eis honestè se habeant. 2. Propter eorum cautelam, ne scilicet ex conspectu mulierum non velatarum scandalizentur.* S. Linus Pontifex Max. S. Petri proximus successor decrevit, omninò ex ejusdem S. Petri præscripto, nullam mulierem in templum, nisi velato capite, pedem inferre debere; ut ex libro Damasi, de Rom. Pontificibus patet, in quo ita memoriæ proditum est: *Item ex præcepto Beati Petri constituit, ut mulier velato capite in Ecclesiam introiret*, ut memorat Baronius, & liquet etiam ex Breviario Romano, die 23. Septemb. lect. 4. ubi habetur: *Sancivit ne qua mulier, nisi velato capite in Ecclesiam introiret.* S. Carolus Borromæus, Vaticanæ purpuræ decus, nostrique sæculi gloria, insistens Apostolorum, ac Pontificum decretis, in Concilio Mediolanensi Provinciali. III. sic præfatur: *Gravissimis verbis hoc Paulus Apostolus monet, ac præcipit, ut mulieres in Ecclesiam conveniant velato capite: Hoc ipsum Princeps Apostolorum Petrus, cujus etiam jussu sanctissimus Pontifex, qui in ejus locum successit Linus, decreto idem sancivit.* Deinde monet Episcopos, *ut in consuetudinem introducere curent, ut velo caput ipsa induant.* Tum pœnas transgressuris imponit: *Mulieres cujuscumque ordinis, status, & conditionis sint, pœnâ interdicti, ab ingressu Ecclesiæ, sancitâ, velato in Ecclesiâ capite sint, etiam in Ecclesiis Mendicantium, ut patet ex bullâ Pii V. deputando sacristas, & custodes, & alios, huic muneri.* Quid, quod Tertullianus, illum verecundiæ & reverentiæ ritum, ita observatum fuisse asserat, etiam ab honestis gentilium matronis, ut prostitutâ haberetur, quæ nudato capite, vel in publicum procederet: *Denudasti*, inquit, *puellam à capite, & tota jam virgo sibi non est; alia est facta.* Et capite 17. exclamat: *Indicabunt nos Arabiæ fœminæ ethnicæ, quæ non caput tantum, sed faciem quoque, ita totam tegunt, ut uno oculo librato contentæ sint, dimidia frui luce potius, quàm totam faciem prostituere.* Adde, quod Sulpitius Gallus, homo ethnicus, uxorem dimisit, quod eam capite aperto foris versatam cognoverat.

Baronius tom. 1. Annal. anno Chr. 80.

Cap. de iis quæ pertinent ad ornatum & cultum Eccl.

In actis Eccl. Med. pag. 436.

Pag. 000

Tertull. de velandis Virg. c. 3. & c. 17.

Sed quorsum hæc tam longa, & prolixa de velando mulierum capite dissertatio? Nempè, ut manifestò evincam, si non velato capite, mulieres orare, & Ecclesiam ingredi prohibeantur, quantò potiori jure, non velatis brachiis, collo, & pectore, à sacrâ Eucharistiâ sumendâ arcendæ sint, quæ longè maxima inordinatio est. Esset porro lex, ab Apostolis, Petro, & Paulo, Linoque Pontifice absurdè lata, si non velato capite mulieres damnaret, & lascivo habitu, ac meretricio indutas, ad sacram mensam admitterent, ut evidens est, quod divini verbi præconibus exaggerandum relinquo. Alterum est, quod Concilium Autisiodorense, celebratum tempore Papæ *Deus Dedit*, qui sedit anno Christi 605. Can. 36. statuit: *Non licet mulieri* NUDA MANU *Eucharistiam sumere.* Non quod chirothecas molliculas adhiberi velit, absit; sed quia fœminæ utebantur linteolis, seu strophiolis, quæ *dominicalia* vocabantur. Et ideò idem Concilium can. 39. ait: *Unaquaque mulier, quando communicat,* DOMINICALE SUUM HABEAT; *quod si non habuerit, usque in alium diem dominicum non communicet.* Quod si Concilium hoc, ne manus quidem nudas haberi, sed linteolo tegi præcipiat; quis non videat multò plus, ad Augustissimi Sacramenti reverentiam conferre, ut nudis brachiis, & pectori, linteola ad tegendum injiciantur? Decrevit quoque Concilium Tridentinum: *Ne patiantur privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum, dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, Sanctum hoc sacrificium, à sæcularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi: at nisi prius, qui intersint,* DECENTER COMPOSITO CORPORIS HABITU *declaraverint, se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse.* Unde liquet, Concilium non permittere, ut missa celebretur in privatis domorum oratoriis; extra Ecclesiam autem, in oratoriis ad divinum cultum dedicatis, nisi coram iis, qui decenter composito corporis habitu intersint. Ergò multò minus Concilium permittit, accedentibus cum habitu irreverenti, Eucharistiam præberi; consequentia legitima est, quia longè minor sacræ hostiæ irreverentia est, coram adstantibus incomposito habitu in missa immolati, quam istis, cum valde irreverenti se ingerentibus, manducandam dari, ut evidens est.

Val. Maximus l. 6 cap. 3.

Olim ne quidem nudis manibus, nisi linteo tectis, Eucharistia sumebatur.

P. Petrus Anellus Neap. de Sacerd. officio p. 756

Conc. Trident. sess. 22.

Probatur 2. Parochus non potest ad infirmum Eucharistiam deferre, quoties eam cum habitu decenti, nimirum cum stola, & superpelliceo, lumineque præcedente, gestare nequit, ut *in cap. sane, de celebratione missarum statuitur.* Et in Silvestro, *verbo Sacramentum num. 3.* & Possevino, notat Bonacina, etiam cum jactura tantæ gratiæ, & non rarò cum ægroti periculo æternæ damnationis. Nihilominus Ecclesia piissima Mater, ad nullum ægrotum, sine præscripto decenti habitu Sacerdotis, sacrum viaticum deferri permittit; mavultque ægrotum tanto adjumento privari, damnationisque perpetuæ aliquando discrimini exponi, quàm quidquam de præcepta reverentiæ forma remittere; etiamsi nulla ægroti culpa, ob quam viatico extremo orbandus sit, interveniat. Ergò multo minus Ecclesia patitur, ut Eucharistia porrigatur obtrudenti se cum habitu valdè irreverenti; non infirmo, sed sano: non morituro alioquin, cum damnationis periculo: non sine propria voluntate & culpa; sed sponte, voluntariè, & culpabiliter, ut à fortiori perspicuè conficitur.

Bonacina de Sacramentis disp. 4 q. 5. punct. 2. num. 2.

Argumenta efficacia quæ evincunt lascivè indutis, S. Communionem denegandam.

Probatur 3. Si quis vultu larvato, usque ad os, vel fuligine, ut fit in Bacchanalibus, ridiculè turpato, vel capite non detecto, vel alio indecenti more, etiam ex mera simplicitate, & ignorantia, sacræ mensæ se sisteret, quis Theologorum non exclamaret, divinam hostiam ei esse subtrahendam? Ergò par ratio in cæteris, similis aut majoris irreverentiæ.

Probatur 4. Ecclesia majorem habet ratio-

nem

nem reverentiæ, ipsimet Eucharistiæ exhibendæ, ac retinendæ, quàm utilitatis suscipientium, ut disertè & doctè probat Eminentissimus Cardinalis de Lugo. Hinc non permittit Sacramentum bis, aut sæpius, de die percipi, licet inde major fructus. Hinc negat idem parvulis baptizatis, nec moribundis etiam permittit in absentia Sacerdotis, ut se communicent. Judicatque minus inconveniens, ipsum sine viatico mori, quàm divinam hostiam manu laicâ contigi, &c. Sed ex irreverenti habitu, ut ex nuditate fœminei pectoris, multò majus publicæ offensionis, & irreverentiæ, divino Sacramento irrogandæ, in hujus sumptione, periculum ingruit, quàm ex Eucharistiâ infantibus baptizatis, aut moribundis, à Sacerdote sine stolâ, & superpellicco, ergò. Denique præter ea quæ de meretricio habitu, contra reverentiam sanctissimi Sacramenti attulimus, casum adfert P. Albertus de Albertis, qui hanc materiam, quâ de agimus, integro volumine summâ eruditione pertractavit, & exhausit, quo auctore potissimum usus sum, & locum expressi, ut cum liber in omnium manibus non sit, ad communem utilitatem, per sacrus Ecclesiastes in omnium animos insiueret. Hic itaque scribit, narratum sibi à Religioso viro doctissimo, fideique dignissimo, contigisse paucis ante annis quadam in urbe, in qua ipsemet versabatur (nomini utriusque, inquit, lubens parco) ut Sacerdote Eucharistiam in populum dispartiente, minusque quam opus erat, attento, parvula hostia, fœminæ porrecta, casu excidens, in nudum ipsius pectus, & ubera dec derit, ingenti prorsus cum offensione totius populi adstantis, summaque cum ejusdem Sacerdotis perturbatione, confusione, & perplexitate. Præsertim quia remedium tantæ irreverentiæ adhibendum perdifficile videbatur: quis enim sacram hostiam ex uberibus extraheret? Num mulier ipsa? Num maritus? Quid si virgo erat? An ejus parens, vel affinis? At quanta irreverentia, ut persona laica sacro sanctam, & divinam hostiam tangat, aut ut Sacerdos manum inserat, aut pectus totum denudari faciat? Quem casum non semel accidisse memini. Unde concludit idem Auctor: persuasissimum habeo, MORTALITER PECCARE *contra reverentiam, Augustissimo Sacramento debitam, qui nudo pectore, & habitu valde irreverenti, sese ingerit.* Nam si is, qui jam sacræ mensæ accumbit, immediatè ante, vel post sumptionem, colloquia obscœna, aut verba turpia cum adstante misceret, quæ alias etiam non forent, nisi venialia: vel qui cachinnos effusissimos ante, vel immediatè post, voluntariè ederet, aut similes immodestiæ, & irreverentiæ actiones exerceret, indubiè mortaliter peccare censendus esset, & sacro epulo frustrandus; quin insuper & sacrilegii reus haberetur, ut rectè Joannes Sanchez, qui docet mortale esse sacrilegium, premere pedem fœminæ, immediatè ante communionem, etiamsi absit finis lethalis, idemq. tradit Freitas. q. 7. n. 33. Quæ omnia per Confessarios, & Concionatores, in quibus zelus fervet pro domo Dei, & reverentiâ divini Numinis, potenter inculcanda, ubi pro domo Dei, & gloriâ Majestatis æternæ vos defensores præbetis.

Lugo de Eucharistiâ disp. 11. sect. 3. n. 81.

P. Alb. de Albertis de luxu mulierum disp. 3. c. 2. §. 4. p. 359

Albertus de Albert. cit.

Irreverentiâ peccari mortaliter.

Joannes Sanchez disp. selectâ disp. 11. n. 22.

Exemplum habetis, ab omnium supremo auctore Deo, ut refert Robertus de Licio, Valerius Venetus, Andreas Gelsimonius, qui tradunt, fœminam quandam in pœnam immodici cultus sui, ac indecentis ornatus sub mortem, divino viatico fuisse privatam: dum enim Sacerdos sacratissimam Hostiam illi communionis gratiâ porrigeret, ecce tibi duo Angeli de cælo præsto sunt, summâ reverentiâ eam de manibus ejus auferentes; regressus verò ille in templum, eandem hostiam in calice repositam, super altare, maximâ cum admiratione reperit.

De Licio in sermonario. Valer. Venet. l. 1. cap. 12. And. Gelsim in thesauro cælesti cap. 11. Fœminæ, ob minus decentem habitum, ab Angelis viaticum eripitur.

Non possum quin hic mirificis laudibus in cælum extollam, Serenissimam ac prudentissimam Rempubl. Venetam, æternâ memoriâ vel ex eo dignissimam, quod Sanctorum Apostolorum, & summorum Pontificum vestigiis insistens, luculento Religionis exemplo, aureum hoc decretum in excelso Consilio, anno 1648. 14. Januarii ediderit, cujus hic tenor est. Dum ab hoc Concilio remedia omnia, ad corruptelas ex Urbe tollendas accommodata, pro quiete, & bono subditorum adhibentur, incumbendum animo magis est, ad ea vitanda scandala, eò detestabiliora, quò in templis perpetrantur, ubi potius iræ Dei placandæ, omni veneratione, atque humilitate studendum foret hisce temporibus, quibus gravissimi ictus justissimæ indignationis ipsius recipiuntur, dum mulieres profanos, minimeque consentaneos indutæ habitus, detectæ sine velo in capite, atque exultabundæ audent iram divinæ Majestatis, venerationem propriis sanctissimis templis debitam, cordi tantopere habentis, ingenti irreverentiâ magis provitare: quod cum pietati, nostræ Reipubl. cujus fundamenta basi Religionis, ac fidei nituntur, repugnet; decernitur idcirco, secundùm deliberationes alias consimiles ab hoc Concilio habitas, ne deinceps, aliis fœminis, *quàm publicis meretricibus*, permissum sit ingredi templa hujus Urbis, ac Insularum, *detectas cum anteriore ventrali & sine velo in capite, ceu cultu ipsis solis meretricibus congruente*, omninoque advesante, honorem, honestatemque profitentibus. Et quia præter maculam honori inurendam, qua omnes mulieres maritatæ, atque honestæ notandæ erunt, si quando contra præsentem deliberationem, cum prædicto impudenti habitu palam vetito, auderent in sacris templis apparere, mariti etiam ipsarum luant proprias pœnas ex justitiâ. Decernitur præterea, ut mariti prædictarum mulierum, simul atque accusatæ, & convictæ fuerint per testium fidem, *si ex nostris nobilibus fuerint, intelligantur extemplo incurrisse in pœnam quingentorum ducatorum*, accusatori numerandorum, qui clam habendus erit: atque *insuper privationis Concilii Majoris in quinquennium, &c.* *Sin autem cives*, vel alterius conditionis fuerint, sufferendæ, præter commemoratam quingentorum ducatorum pœnam omnino, ut supra, mulctæ cum eo auctario, qui audaciter præcisa imperia Principis violaverit,

Aureum decretum Reip. Venetæ ann. 1648.

pro

proptiumque honorem, tantæ aliàs curæ, pa... um curaverit, convenire judicabitur. Hactenus pussimus, ac prudentissimus Reip. Venetæ Senatus, insigni Christianæ Religionis studio, documento, ac emolumento. Cujus ... in usum planè revocata, atque ad unguem omninò observari ex oculatis exploratæ fidei ... ibus lætabundus intellexi, inquit Pater Al... tus de Albertis; qui subdit: neque ego du... to, quin sicut pussima hæc, religiosissimaque ... scandalorum, atque offendiculorum ab... dorum, Divinæ Majestati gratissima acci... ita Deus Opt. Maximus eam in hoc etiam ... do, tam portentosis, gloriosisque victoriis, ... Turcarum Imperatore, atque efferatissimo ... e cælitus concessis, remunerari voluerit. ... pello vos hic Auditores, unde Belgium ... um, civitas hæc tot bellis exercita, tot ... bus afflicta, tot calamitatibus oppressa? ... in domum tuam paupertas, tanquam vir ... atus, irrupit, unde jactura fortunarum, un... morbi, unde miseriæ, unde omnia retro re... referri? Si quisque causam expendat, ... liam magis pregnantem repetiet, quàm ... tum veri numinis, irreverentiam infa... bus, Augustissimo mysterio illatam. Quibus si occurrere velitis, *ferveat in vobis* ... AMOR REVERENTIÆ, quam dum Illustrissima *Venetorum* familia promo... t, de hostibus feliciter triumphavit, & om... m ... abundantiâ floruit, ac flore... Quare è sanctâ suâ Cartbusiâ, exaltat ... vocem suam Dionysius: *Resipiscant* ... *& sine dilatione pœniteant, ne æternâ damnatione gravissimè pereant; præsertim cum quadam nobiles Matrona, quæ multis bonis operibus, & altis misericordiæ fuerunt intenta, & divina officia libenter audiebant, leguntur fuisse in æternum damnata, eo quod se à præfatis ornamentis non repressêrunt.* Quarum longum elenchum recenset Albertus de Albertis, quem qui voluerit, con... lere poterit. Earum in numero, ne ulla ve... cum censeatur, hortor nunquamque confi... Hieronymi ad Demetriadem: *Illa tibi sit ... ulchra, illa amabilis, illa habenda inter socias, quæ nescit esse pulchram, quæ negligit formæ bonum: & procedens ad publicum, non pectus, & colla* DENUDAT, NEC PALLIO (aut pectorali) RE... UTO, CERVICEM APERIT; *sed quæ ... faciem, & vix uno oculo, qui via necessarius est, ... ingreditur.* Illa sit tibi *inter socias*, ... plar, & morum speculum, quam ut fi... huic disceptationi imponam, omnibus ... onit Albertus de Albertis; hæc est Ex... ... ssima Matrona *D. Margareta Columa*, ... gium missa, quæ inter honorarias in aulâ ... bethæ serenissimæ Archiducis, virgi... ngulari pudicitiâ & pietate adole... ... jamque viro matura, ab eadem Archi... ... matrimonium data est D. Joanni ... quez Coronado, Equiti Calatravæ, quem ... militaribus munus honorificè fun... ... & Cremonæ, & Vercellæ Gubernato... ... tum summum, Generalemque mili... tribunum fuisse, postea que Arcis Mediolanensis, cui hodie etiamnum præest, Præfectum, compertum est. Sed *Margareta* multò, virtute, prolixâ oratione, profusâ in pauperes pietate, omnisque devotionis exercitiis nobilior, quàm sanguine exstitit. Hæc diu, multumque in Belgio versata, infamem morem detegendi pectoris, allini sibi, ut fit, innocenter passa est, eumque in Italia quoque, ùsetiam in urbibus, in quibus insolens omninò, atque insuetus est, constanter retinuit, mente sanè simplicissima, atque ab omni corruptelæ suspicione longè alienissima. Mediolani verò cùm tandem unâ cum conjnge, Generali exercitus Tribuno substitisset, meque inquit P. Albertus, oborta occasione invitari jussisset, ut ægrotantem suum maritum inviserem, sermonem de rebus divinis, contemptuque mundi injeci, &c. Tum illa ex me percunctata est, quid mihi de suo corporis ornatu videretur? Ego, tametsi ipsi eram de facie propè ignotus, semelque tantùm eam prius videram, liberè nihilominus respondi: si in foro pœnitentiæ confessionem criminum ejus exciperem, omninò moniturum me, ut pectus penitus convelaret. Qua dicti libertate (discant Confessarii) tantum abest, ut offensa, vel abalienata à me fit, ut potius me, simul ac in arcem Mediolanensem, cujus præfecturam Excellent. D. Vasquez adeptus fuerat, commigravit, arcanæ, sacræque confessionis administrum sibi delegerit. Ego verò ubi id ex nuntio ad me nominatim misso cognovi, renuntiari ei meo nomine jubeo, me ipsi confitenti nunquam aures præbiturum, nisi antea pectus probè texisset, quod eam nuditatem à mortali noxa excusare non possem. Volui meæ conscientiæ probè consulere, ac proinde eam clarè, distinctèque meam sententiam, magnæ illi Dominæ exponi. Ipsa verò, in suscepto consilio meâ operâ utendi ad abluendas animi labes, omninò constans, extemplo paruit, nudumque pectus operuit, semperque deinceps pro viribus contendit, ut ceteræ quoque idem exemplum sequerentur, pectusque tegerent. Quin imò in extremo morbo, jam morti proxima, mentis tamen & vocis maximè compos, ad Excellentissimam Marchionissam sibi persamiliarem, ibique præsentem versa, suapte sponte eam rogavit, ut matronas Mediolanenses nudo incedentes pectore, ad id Christi Domini gratiâ, contegendum, precabunda suo nomine cohortaretur. Ad quæ ipse, inquit P. Albertus, summâ admiratione obstupefactus hæsi, nec facilè dixerim, quàm magnæ voluptati, eo mortis imminentis articulo fuerit, pectus à se tempestive fuisse contectum, omnemque flagitii occasionem penitus sublatam. Quin & hoc actu, dum primùm mihi obtemperavit, in aliam prorsus mutata, omnium virtutum exercitiis dedita, potissimum insigni humilitate, & modestiâ excelluit; adeò ut ædes S. Pelagiæ, ad necessariam meretricum resipiscentium habitationem, non modò fundarit, sed de suo tumulo quæ cum ... ret ficti præcipiens, in has voces innocenti... me,

Monita Confessarii agitare.

Alb... ... lan...

Serm. fer. ... Nativ. ... Bapt.

Hieron. ad Demetr. ... de Virg.

Albertus de Artes... de luxu pag. 3. 7.

mè, ac sanctissimè traductâ vitâ cupiit: *Ego peccatrix fui; ideoque unà cum peccatricibus, in S. Pelagia sepeliri volo.* Et seriò cavit, ut cùm expirasset, cadaver eodem prorsus habitu, quo illæ, quæ in D. Pelagiæ *Moniales* vocantur, induceretur, ibique exequiæ nullo paratu, non secus ac reliquis de trivio mendicabulis, sibi solverentur. Tantum in eâ, ad omnem sanctitatem, valuit nuda membra texisse: tantum potuit honestus, ac modestus habitus: tantum effecit vel unica Confessarii libera & efficax admonitio.

Hactenus persuadere conatus sum, ut nudos pauperes, cum D. Martino vestire: *nudos* in pictis tabulis, coloribus tegere: nuda brachia, & colla, & pectora, injecto strophio, aut velo amicire admitamini. Quæ omnia frustranea, exigui, aut nullius apud Deum meriti sunt, nisi, quod superest, unicam adhuc, eamque nobilem, clarissimo sanguine natam; sed plane nudam, Regiam filiam, vestibus non tritis, & obsoletis; sed novis & pretiosis, pro dignitate sua cooperiatis. Nec est, quod quis sibi hic sumptus non suppetere ad eam induendam, dictitet: filia hæc Regia, Christi sanguine redempta, nuda anima tua est, veste innocentiæ, veste gratiæ, veste virtutum omnium nudata, Quæ qua ratione, citra ullam fortunatum jacturam, pretiosè induenda sit, ne coram judice, nuda appareat, epilogi locu, paucis subnectam. Inductioni serviet, ut quisque peccator in se descendat, & illud ordinatæ charitatis principium expendat: *Qui vult eleemosynam ordinatè dare, à seipso debet incipere, & eam primo sibi dare.* Ne illud Apocalypseus sibi serió, & serò occini audiat:

Aug. Enchir. c. 76

§. IV.

Nescis quia tu miser es, & miserabilis, & pauper, ET NUDUS. *Ioan. Apoc. 3.*

Animæ virtutum vestimento inducida nenuda apparent.

Qui in tenebris ambulant, nihil curant, si nudi, & vestibus spoliati incedant: nox enim ipsa illis pro tegumento est; lux verò exorta, nos tangit verecundia, ut & corpora nostra operiamus, & pro ratione status, aut dignitatis decenter induti ambulemus. Hoc insinuavit Paulus Romanis, Christi Salvatoris adventum annuntians: *Nox præcessit*, ait: *Dies autem appropinquavit; abjiciamus ergo opera tenebrarum, &* INDUAMUR *arma lucis, ut in die honestè ambulemus.* Illos, & nos commonens, ut si in nocte culpæ, vel infidelitatis, humanum genus, quasi ouduin, ac minus honestum incedebat; jam in die fidei, & gratiæ, in die illo revelationis, splendidis booorum operum, ac virtutum operimentis, induti apparea mus; diei oamque, & luci, ut notat S. Thomas, honestas congruere videtur, ut quisque studeat se componere, quo aliis honestius se offerat. Hæc nuditas & exinde verecundia pupugit primos progenitores nostros, qui

Rom. 13.

S. Th. in epist. ad Rom. 13.

in Paradiso primùm viderunt se n[illegible] ubi innocentiæ, & primæ gratiæ v[illegible] exuti sunt: non enim, ut inquit Am[illegible] *Adam primò nudus erat, quando enim innocentia [illegible] stiebat:* omni quippe bysso, & purpura, o[illegible] cyclade damascenâ, & aureâ, ac nimbus d[illegible] stincta, pretiosior est cælestis gratiæ a[illegible] & luminosum Spiritus sancti vestimentum, quo anima induta, Reginæ instar ante Regem gloriæ apparens, usui pate poterit i[illegible] sua visi Doctoris: *Suscipe Evam, jam non ficulnea foliis adopertam; sed* SANCTO AMICTAM SPIRITU, *& novâ gratiâ gloriosam: quia jam non tanquam* NUDATA *absconditur; sed tanquam circumdata vestimenti splendore fulgentis occurrit,* quia VESTIT EAM GRATIA. Verè nudu qui hoc vestimento caret. Post pe catum Adam & Eva, cognoverunt *se esse nudos*, [illegible] cur non ante, cum sine vestibus fuerin[illegible] A non est nudus, quem vestit gratia, quem [illegible] vitæ innocentia. Verùm ubi in peccatum [illegible] sus est communis omnium parens, & [illegible] centiæ, ac justitiæ vestem amisit, se nu[illegible] nudatum conspexit, & erubuit. Po[illegible] tus sancti virtutem, ac gratiam, ad modum vestimenti, animam convestire, indicat h[illegible] erbis Redemptor noster? *Et ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate quo[illegible] usque* INDUAMINI VIRTUTE *ex alto* [illegible] d erant Apostoli, priusquam subtili[illegible] &[illegible] rioso Spiritus sancti vestimento ex alto [illegible] ti sunt. Nudus erat filius ille prodigus, cu[illegible] reverteretur ad Patrem, qui noluit servos suos accedere, priusquam illum splendidè [illegible] lu[illegible] set, ne nuditatem ejus viderent. Solerter Chrysologus: *Vt soli Patri nota esset* NUDIT[illegible]S *filii, ante voluit vestire, quam à servis videri.* O Pater misericordiarum, tibi nota est nuditas animæ meæ; sed ne permittas me in die illa magna revelationis, coràm servis tuis nudum apparere; sed fac me prius veste gratiæ indui ex alto. Hanc vestem gratiæ ubi indutus fueris, satage ut eam omnium virtutum, ac meritorum varietate adornes, ut in conspectu Domini gloriosus appareas. VESTES *enim nostra*, ut inquit Bernardus, *virtutes sunt:* BONA VESTIS *charitas est*, BONA VESTIS *obedientia est, & beatus qui custodit vestimenta hæc, ut non ambulet* NUDUS. Has tu vestes, ô anima mea, tibi compara, hæc indumenta habere procura ut appareas Sponsa Christi, *in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Hic namque vestitus, hæc operimenta, varietate contexta, non corpora lia, sed spiritualia sunt; oun corporis uculis aspiciuntur; sed oculis mentis videntur non corpus operiunt; sed mentem, patrem utique nostri pretiosiorem amiciunt; quod in hæc verba testatur D. Basilius: *Quia & fimbria aurea, quibus tota est circumamicta anima talu, & variegata, utique in intimu sunt reposit[illegible] tu quidquam queras in isto auro, aut variegato corporis amictu; sed magis cultum quemdam bic insinuari intellige, de quo Apostolus? Induite se viscera misericordia, benignitatem, humilitatem, longanimitatem, mansuetudinem. Talis interiori amiculo redimitus est, & secundùm interiorem*

Ambr. [illegible]

Ambr.

Luc. 24. v. 49.

Psal. 44. v. [illegible]

Basil. Psal. 4[illegible]

rem hominem probè adornatus, & excultus. Sic Baronius ex Cedreno refert, strenuum illum Ecclesiæ defensorem Oemadum Episcopum, Anastasii impiissimi Imperatoris purpuram manu prensisse, ac dixisse: *Hac vestis te ad mortem non comitabitur O Imperator, sed solus pietatis, virtutumque habitus.* Virtutes, vestes animæ sunt: nam sicut vestis, non est aliquid naturale nobiscum exoriens, (NUDUS *enim egressus sum de*
Job. 1. v. 21
utero matris meæ, inquit Job, *&* NUDUS *revertar illuc*) sed extrinsecus corpori adhærens: ita virtus, non est cognata homini, in iniquitatibus

Comparatio inter vestē corporis & animæ

concepto, & in peccatis in lucem edito; sed Dei munere, labore nostro cooperante conquisita. Vestis ad operiendam nuditatem, & fovendum corpus inventa est: & virtus, ut ignominiam nostram cooperiat, data est, & ut animam defendat, ac foveat. Et si vestis corpus exornat, & aliquando hominis aut statum, aut munus, aut dignitatem demonstrat: idipsum virtus, vestis animæ, excellentius præstat: quæ mentem venustat, & quis sit justus, & qua virtutum excellentia, ac sanctitatis dignitate polleat, innotescit. Eandem corporis, & animæ vestimentorum similitudinem, Doctor Seraphicus spectasse visus est: in illud Eccl. 9. *Omni tempore sint*

Eccl. 9. Bonav. serm. de sanctis in comm. de una virg. serm. 1.

vestimenta tua candida. Ubi ait: *Quid per vestimenta candida, nisi opera munda? sicut vestibus calefimus exterius, sic operibus inflammamur interius. Item, sicut vestimentis contra injurias aeris tegimur; sic contra diabolum, bonis operibus defensamur. Item sicut vestibus homo exterius adornatur; sic bonis operibus & sanctis, totus homo luminosus efficitur, amictus lumine gratia, sicut vestimento.* Audistis, ubi de luxu

Illud saltem studium pro veste animæ impendendū, quod sæculares filiæ, pro veste corporis cōparanda insumūt.

vestium egi, & ipsi nostis quanto pretio, & impendio, mulieres & puellæ sibi mundum illum muliebrem, & ornatum corporis conquirant, aliena bysso, & serico induuntur, & gloriantur non habentes quod mercatori, quod sartori persolvant: honestiores adhuc filiæ habentur quæ dies, & noctes, festis & dominicis, dentato operi, labori manuum insudant, ut comptæ & circumornatæ, *ut similitudo templi*, populo appareant. Hoc studium, hic labor, hæc industria, hic *zelus in vobis ferveat*, ut vestem gratiæ, ac bonorum operum vobis compareris. Ad

Bern. cit. Bern. ser. de miseria humana.

quod suaviter hortor vos, verbis Mellifluí Doctoris, dicentis, ac docentis: *Miser homo, ut miserum pascas corpus, &* VESTIAS, *solicitus laboras, discurris, & vigilas* (laboras, & exenteras te, ac genium defraudas) *& pro anima tua, quæ Deo præsentanda est in cælis, cur non solicitus fatigaris, ut ipsam pascas bonis operibus, &* INDUAS VIRTUTIBUS, NE APPAREAT NUDITAS EIUS? Dicite vos, amabo, filiæ vanæ, ac mundanæ, eas non compello, quæ ornatu suo aucupium faciunt; sed pias, honestas, timoratas, quid omni vestra vestium pompa spectatis, nisi ut spectaculo sitis? Eritis enim verò, si ut monet Chrysostomus, de eo vobis animæ vestitu prospiciatis, quo Deo, & Angelis, & mundo universo, vos insigne spectaculum exhibeatis. Ipsum audite: *Mulieres ornantur, ut libenter ab hominibus spectentur: tu autem ad majus te spectaculum compone. Quod ergo tibi est spectaculum? Cælum, Angelorum*

Chrysost. hom. 28. cap. 12 in epist. ad Hebr.

innumera multitudo. Talibus circumdator VESTIMENTIS, *ut illos exhilares; sis nimirum de illis, de quibus dixit Propheta: in fimbriis aureis, in veste aureâ, circumamicta varietate.* Quis non rideat vanum, & insanum, quod in mundo proponitur, spectaculum? Lecti auratis stragulis, Damascenis cortinis ornantur, parietes pretiosis peristromatis vestiuntur, &c. Domina vero domus nuda sedet, & alget. At ubi terrarum hoc? Hac etiam in urbe, si aureo Oratori credimus: *Quot*

Chrysost. hom. 25. in acta.

mulieres, inquit, serica vestimenta gerunt; NUDÆ *autem sunt à virtutum vestibus. Si quis domum tapetibus ornet, ipse autem intus sedeat* NUDUS, *qua utilitas? Ita & mulieribus accidit* (nam domum animæ, corpus voco) *quæ multis amiciuntur; Mater autem familias, intus sedet* NUDA. Quod utinam, etiam de hic stantibus queri non posset vates ille Apocalypticus, dicens: *Nescis quia tu*

Apoc. c. 3. v. 7.

miser, & miserabilis, & pauper ET NUDUS ES? Hoc est, ut disertè exponit Hugo Cardinalis: *Tu miser in te, & miserabilis aliis: & pauper per amissionem charitatis: &* NUDUS *per amissionem boni operis; quia quem diabolus bono opere* DENUDAT, *non*

Hug. Car. hic.

habet, unde se, coram Deo operiat. Unde cap. 2. Beatus qui custodit vestimenta sua, ne NUDUS *ambulet;* NUDUS *nempe veste nuptiali*, unde salubriter monet D. Ephrem Syrus: *An ignoratis, quod ad nuptias*

S. Ephrem Syrus serm. Ascet. de vita Religiosa & monastica.

Agni vocati sumus, in quibus Rex Regum, sponsus immortalis, serenus accumbit? Cur hic non totâ animi intentione curamus nobis SPLENDIDAM PARARE VESTEM? *An non perpenditis vobiscum,* NEMINEM ILLIC NUDUM INGREDI? Sed necesse, ut veste nuptiali indutus, ad cœnam magnam, & nuptias sponsi, quisque nostrum admitti, veste gloriæ indui, & in omnem æternitatem, lætum illud peana, cum *Divo Martino* concinere mereatur: *Gaudens gaudebo in Domino, & exul-*

Isaia 61. v. 10.

tabit anima mea in Deo meo: quia INDUIT ME VESTIMENTIS SALUTIS, ET INDUMENTO JUSTITIÆ CIRCUMDEDIT ME.

* * *

FESTUM
PRÆSENTATÆ VIRGINIS
MARIÆ

21. Novemb.

PRIMITIAS *Deo, & Agno.* Apoc. 14.



PRIMIS *sic major* GRATIA POMIS. Martial. lib. 4. epig. 22.

ARGUMENTUM.

DOnum egregium, imò Regium, etiam Principibus viris non respuendum, primitiæ florum ac frugum, summoque in pretio habitæ; quas jure suo, rerum omnium conditor Deus sibi vindicat, ut sacris litteris testatur; quæ omnes umbratiles figuræ fuêre, quibus primitias vitæ nostræ sanctioris, à teneris adolescentulis in flore ætatis, non à vetulis sibi deferendos præsignabat, de quibus Bernardus: *Virgines, quæ ante Christo fœderata, quàm fœdata mundi amplexibus*; quarum omnium Dux & choraga Virguncula Maria, primitias virginitatis hodie Deo & Agno obtulit, & voto firmavit, quam perfectionem esse ex voto, solidis rationibus evincitur, contra varios obtrectantes, & parentes reluctantes, ne filii aut filiæ in prima adolescentia profiteantur, satis maturi, ut connubii vinculis illigentur, quibus citra ullam probationem statim attinentur. Alteram nec levem injuriam parentes omnium Creatori inferunt, dum non primogenitos, robore, ingenio, aliisque naturæ dotibus florentes, sed morbidos, stupidos, luscos & claudos Deo offerre, in claustrum intrudere, & sacris aris admovere non verentur:

Bernard. serm. 14. in Cant.

Denique, ne quis sibi primitias deesse queratur, eas omnis laboris, ac manuum suarum offerre poterit.

§. I. PRIMITIAS *Deo & Agno.* Apoc. 14.

§. II. *Utrùm magis laudabile sit, & meritorium, facere aliquid ex voto, quàm sine voto?* S. Thom 2, 2. q. 88. art. 6.

§. III. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? Offer illud Duci tuo.* Malachiæ cap. 1. v. 8.

§. IV. PRIMITIAS *omnis laboris, & manuum nostrarum Deo & Agno offerendas.*

FESTUM

FESTVM
PRÆSENTATÆ VIRGINIS
MARIÆ

Primitias Deo,& Agno. Apoc. 14.



Nrer munera, quibus mortales vel favorem Magnatum, vel amicitiam ac benevolentiam æqualiom captare consuevetunr, non infimum locũ obtinent florum *primitiæ*, ac fructuum, qui ut in se levis momeoti, terrestres, & agrestes; ramen cùm aprici, & præcoces sunt, etiam raphani, pisa, ac fabæ, asparagi, & melo-pepones, cerasa, fraga, poma aprica, Regum Legatis, ac viris Priocipibus in pretio, in æstimatione suot, idque, quia primitiæ sunt, quæ dum in copiâ, & frequentia suot, viluerunt; oam ut primi fructus, & flores tatiores; ita & chariores. Unde Poëta:

Primitiæ frugum & florum in deliciis & pretio sunt.

Raræ juvant: primis sic major gratia pomis:
Sic rosa delectat, mittitur quæ pollice primo.

Martial. lib. 4. epigram. 22. & lib. 20. ep. 77.

Appositè Hugo Cardinalis in illud Apoc. 14. *Primitiæ Deo, & Agno,* sic air: *quia* PRIMITIÆ *fructuum delectabiliores sunt, & gratantiùs recipiuntur, quàm frequentes fructus.* Consimile quid in primis, & intempestivis floribus cernere est, qui non modò antophilis, & florum amatoribus, ac hortorum cultoribus gratissimi sunt, ut primi anemones, primæ tulipæ, rosæ, calendulæ, sed & summis viris, ac nobilissimis matroois, pro raro ac præclaro munere deferuntur. Unde qui huic studio, ac culturæ arborum, & florum sese dedunt, omnem operam, curam, & industriam io eo collocant, ut præ cæteris primitias educere, iisque feliciter adeptis gloriari, atque inusirato dono repræsentate queaor. Hoc amabile primitiarum desiderium, Imperatorem Byzantinum incendit, ut egregio, ac planè regio viridario, quod propter palatium, terrestris instar paradisi habebat, ducentos lectos juvenes ab anno ætatis suæ 15. ad 20. præficeret, qui pastinando, rigando, areas, pulvillos, ac topiaria formando, collocandoque occuparentur; quos omnes stipeodio lauto annuè condonabat. Is verò, qui primus Imperatori fructum maturum obrulisset, aut novi & inserti arbusculi primitias, mille asprorum hooorarium accipiebat, illudque donum præ aliis argenteis & aureis, in deliciis & amoribus habebat. Verùm enimverò nemo quisquam sibi umquam adeò in primitiis complacuit, quã summus ille cæli Imperator, primi Paradisi condiror, & colonus, ut sacræ disertè testantur paginæ, Exodi 22. v. 29. *Decimas tuas, &* PRIMITIAS TUAS *non tardabis reddere.* Et Exodi 23. v. 19. has aræ suæ imponi, sibíque afferri præcipit: PRIMITIAS *frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui.* Idem verò habemus Numer. c. 15. v: 19. *Seperabis* PRIMITIAS *Domino.* Causam subdit c. 31. v. 29. *Quia* PRIMITIÆ *Domini sunt.* Hæ omnes florum, frugum *primitiæ, frumenti, vini, & olei*, umbratiles figuræ sunt, amica dumtaxat symbola sunt, earum, quas hodiernâ luce sanctissimi parentes, Joachim & Anna, in templo, *primitias Deo & Agno*, sanctam, immaculatam, *pusillam & grandem* Virgunculam *Mariam*, ut eam Doctor Seraphicus appellat, obtulerunt. Tu, ô Maria, *infantula electa ex millibus*, ut piissimus Blosius disserit: Tu PRIMUS FRUCTUS *æternæ benedictionis*, ut doctissimus Gilberrus compellat: *Tu* PRIMITIÆ *communionis, & conjunctionis omnium genitoris Dei; cum suo figmento* ut verissimè Andreas Cretensis: Tu *flos vernalis*, & *flos florum*, magno teste Bonaventura, primus, & rarissimus, qui umquam in terris floruit, atque ab hominibus, & Cælitibus conspectus est. Inter tulipas, antophili suo quamque indigitant nomine: *La vefue, le vice roy, le Paltot madame, la flagellee, la plumachee, loleas, &c.* Una inter illas vocatur, *non parelle*. Talis Virguncula nostra: *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.* Quidquid hactenus in lege veteri primitiarum, quidquid frugum, ac florum Principibus viris, ac Regibus oblatum, *non parelle*, non comparandum cum hac virguncula, quæ *flos florum*, & *primus fructus æternæ benedictionis.* Quidquid gratiarum, ac venustatis in formis omnium puellarum, *non parelle*; hæc *pulcherrima mulierum*, atque ipsissima, ut Augustinus loquitur; *forma Dei*, quâ nihil perfectius ioveniri, aut excogitari potest: *Nihil tibi par aut comparabile,* (non parelle) inquit Anselmus, *inveniri potest.* Quidquid perfectionis, ac sanctitatis in omnes Sanctos, ac cælestes spiritus diffusum est, tu sola, & prima DEVOTA NOSTRA, *verè sancta*, ut Bonaventura loquitur, incomparabiliter antecellis.

Hugo Car. in Apocal. c. 14.

Beyerlinck theatrum tit. Hortus

Primitias Deus sibi vendicat.

Deuter. 8. v. 4.

Apoc. 14. Bonavent. in Psal. Mister. Blosius in 2 proc.

And Cretens. orat. 2 d. Assump. Bonavent. de laudib. D. V.

Sedulius.

Augustin. serm. 31. de sanctis.

Bonavent. in Psal. Mis.

§. I.

Primitiæ *Deo*, & *Agno*. Apoc.14.

CÆlestis sponsus, cujus pater agricola est, in sacro epithalamio o... suam & salivam sibi moveri ad primitias frugum degustandas, palàm profitetur: vel ex ipsis ... *gratia*, insertis arbusculis, gestit primos fructus protuberantes, in floribus sperare, & spectare. Hinc sponsas suas summo mane exoriente ætatis aurora invitat Canticorum 7. *Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea: sic flores fructus parturiunt: si floruerunt mala punica.* Festinat, & properat, ut sci vida desideria, silvestri oleastro, præcisis luxuriantis vanitatis racemis inserta, spectet primos flores parturire, qui per castimoniæ perpetuum, sanctumque sacramentum in fructus illibatæ virginitatis adolescant. *Juventus hominis*, inquit S. Thomas, *computatur flori: quia sicut flos est præsagium fructus, ita juventus est præsagium vitæ futuræ.* Quid ni in flore fructus appetat? Ardens hoc desiderium suum per Michæam contestatur, dicens: Præcoquas ficus *desideravit anima mea*; id est, inquit Lyranus: *Quæ primò maturantur*; idque eruitur è textu Hebraico, qui vertit: *Primitiva, vel primos fructus desideravit anima mea.* Nec quisquam nostrum est, cui primitiæ frugum non placeant, & palato arrideant. Scitè & eruditè Seneca: *Gregaria poma, etiam post paucos dies abitura in fastidium, delectant, si provenêre maturius*; quantò gratiores divinu gustui *fructus honoris & honestatis*, fructus virginitatis, numquam in fastidium abituri, sed in æternum duraturi, dulces gutturi ejus?

S. Thom. in Psal. 17

Michææ 7.

Lyran. hic Cornel. hic

Seneca lib. 1. de beneficiis, cap. 12.

Eccl. 24. v. 23.

Ejusmodi primitias virguncula trimula, hodiernâ luce Deo offerre, incredibili velocitate festinavit: ascendisse Mariam, infantulam trimulam quindecim templi gradus cum manifesto miraculo in illa ætatula expeditè, & sine ullius auxilio, affirmat Hieronymus: *Erant*, inquit, *circa templum, juxta quindecim graduum psalmos, quindecim ascensionis gradus: in horum itaque uno B. Virginem* Mariam parvulam *parentes constituerunt: cumque ipsi cultioribus ex more vestibus se, & mundioribus induerent, virgo Domini cunctos sigillatim gradus, sine ducentis, & levantis manu, ita ascendit, ut perfectæ ætati in hac duntaxat causa nihil deesse putares.* Tum subdit: *Iam quippe ... virginis sua infantia, magnum quid operabatur, & quanta futura esset, hujus miraculi indicio præmonstrabat.*

Hieron. de ortu virg. Cardin. de Vitriaco in hist. Ierosolym. cap. 62.

Consonat antiquus Scriptor: quindecim "gradus ita velociter ascendit, ut penitùs re"trorsum non aspiceret, nec ut solitum est, pa"rentes requireret. Unde ejus parentes pa"riter ambo obstupuerunt, & templi Ponti"ces mirati sunt. Illam verò quasi auroram, prodigioso ascensu per hos gradus ad summum gloriæ fastigium progredientem supra omnes SS. Angelorum, & hominum gradus, nimirum Angelicos novem, & sex humanos, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum deducit D. Antoninus; unde stupore attoniti cælestis curiæ cives exclamant: *Quæ est ista, quæ progreditur?* Et vocem de regalibus sedibus audiunt: *Ascende superiùs*: super choros Angelorum, & Archangelorum? *Ascende superiùs*. super Principatus, & Potestates? *Ascende superiùs*. super Thronos, & Dominationes? *Ascende superiùs*: super Cherubim & Seraphim? *Ascende superiùs* Nec hic sistendum; super Patriarcharum, Prophetarum, supra Martyrum, Confessorum agmina, *Maria Regina Sanctorum omnium*, omnes prætergressa, gratiâ, & gloriâ transcendit.

V. Cartagena.

S. Antoninus 4. part tit. 15 cap 6. §. 2.

Unum in hac celebritate Virginis, in ascensu ad templum, ad mores observat Joannes Baptista Novatus: *Mariam* exemplo, ac stimulo fuisse adolescentulis, & virgunculis, quæ à Deo vocantur, ne moras nectant, juxta illud D. Hieronymi monitum ad Paulinum: *Festina, quæso, & hærentis in salo naviculæ funem magis præcide, quàm solve*; mysterio quippe non caret, mulieri Apocalypseos 12. Sole chlamydatæ, lunâ calceatæ, stellis coronatæ, alas binas aquilæ magnæ additas, ut fugeret in solitudinem, ubi habebat à Deo paratum sibi locum, ut de Virgine hunc locum interpretantur S. Epiphanius, Augustinus, Bernardinus Senensis, & alii; & præsertim in Mariam infantulam ad templum summâ cum celeritate ascendentem, ut primitias virginitatis Agno offerat, bellè cadunt.

Novatus de eminent. Deip. tr. 1.

S. Hieron. epist. ad Paulinum

Proponite vobis, ô parentes, tanquam ideam archetypam, cujus ad instar fingatur indoles vestrorum puerorum, unius Mariæ infantiam. Mariam quoque infantulam, Christiani pueri, vestræ pueritiæ Magistram agnoscite. In pueritiâ præstat mundum honestè fugere, ne ille omnem ætatem dehonestet. Scitote mundum, oceanum esse procellarum patentem, peristis, si decumanam undam expectetis. Rejectamenta idolorum, prophana idolothita, mensa divina non excipit. Agni aonicidi, sunt maximè veri Numinis victimæ, non tauri senes. Florentes Deus in suis aris amat primitias, ætatis potiùs, quàm effœtas fruges. Nisi citò citiùs sublimia vota cælum teneant, illa manes auræ undequaque dissipant. Nec timendus est domesticus luctus: nam nulla felicior teneræ ætati ad Deum navigatio est, quàm quæ velificante sancto Spiritu, exercetur per parentum lachrymas.

Ovum matri subtrahendum, ne fotum putent; ita non satæ, aut fœtidæ, Christo offerendæ, sed quæ à teneris ablactatæ, & abstractæ ab uberibus mundi, ut eleganter Christi collactaneus Bernardus, alludens ad illud Psaltis: *Adducentur Regi virgines post eam; proximæ ejus afferentur tibi in lætitia & exultatione: adducentur in templum Regi Domino*, sic disserit: *Virgines dico illas, quæ antè Christo fœderatæ, quàm fœdatæ mundi amplexibus: ipsi firmiter perseverant, qui se tantò fœliciùs, quantò maturiùs devoverunt.*

Psal. 44.

Bernard. serm. 14. in Cant

Exodi 13. præcipit Dominus Moysi, dicens. *Sanctifica mihi omne primogenitum, tam de hominibus, quàm de jumentis: mea sunt enim omnia.* Quæ si in lege veteri & debebantur, & sine ullo renitu,

Exod. 13.

niſu, aut prætextu offerebantur, quanto potiori jure Pater æternus nunc ea à nobis exigit, poſtquam Filium ſuum unigenitum, & primogenitum, quem ab æterno genuit, pro nobis obtulit in arâ crucis immulandum; ne filii primogeniti parentibus chariores ſint, quàm ſuerit primogenitus vivorum &, mortuorum, æterni Patris filius. Unde Cotoelius: Diſcant hic pareotes nuvi Teſtamenti, non obſiſtere filiis etiam primogenitis, ſi Religionem ingredi, Deoque ſe conſecrare veliot; in veteri enim lege parentes omnes ex Dei lege primogenitos, etiamſi unigeniti eſſeot futuri, Deo offerre tenebantur. Si id fecerunt Judæi, Deo jubente, quid ni idem faciant Chriſtiani Deo conſuleote, & vocante; libenter parentes primogenitos ſuos offerunt Regibos, & Principibus, ut iis in aulis ipſorum ſerviant; quid ni libentius offerant eos Regi Regum, & Domino dominantium, ut ſint cives Sanctorum, domeſtici, imò aulici Dei. Imitentur B. Annam, quæ ſuum Samuelem Deo perlibenter obtulit, ideoque quinque proles pro uno Samuele a Deo remuneratore recepit. Anna noſtra & Joachim, prolem primogenitam, unigenitam, pulcherrimam, ſpecioſiſſimam, gratioſiſſimam Deo conſecrârunt.

...vel. ...c.

O Joachim & Anna! diſcite Chriſtiani patres & matres omne educendæ veſtræ prolis magiſterium, & inſantiæ encicloprdiam. Sobolem veſtram à cunis ad aras traducite: ſacra enim domus, jure deſtinatur prima paleſtra erudiendæ pietati. Hæc in patria æde peregrina, in Dei domo veram patriam iuvenit. Inter prima elementa, *Alpha* & *Omega* divinitatis, altè teneris mentibus iosculpite: mementote liberos veſtros numquam magis liberos, quam in Dei famulatu, piè, feliciterque captivos. Scitote illuſtrari ſanctitatis ſplendore illuſtrius familiam, quàm ſangoiois, & ſæpius avitam ſtirpem in uno flore virgineo revireſcere ad æterna decora. Non aliunde glorioſior immortalitas nominis habetur, quàm à numine immortali. Angeli gaudeant, & rideantur veſtræ lachrymæ, ac ſuſpiria, mobilibus auris, quibus animantur leviora, in filii, & filiæ unigenitæ ſugâ, è profanis ædibus, ad ſacras, è terris ad cælum, è mundo ad Deum. Glorioſius cælum beatis civibus implere, quàm domum hæredibus miſeris & perituris, cum illis caducorum bonorum figmentis & felicitatis mendaciis, quæ tam avidè coacervatis. Stirps quo tenerior, quò pretioſior, & ſpecioſior, eò citius, & ſolicitius ex mundi ericeto in domum Domini tranſplantanda. Talis exiſtit virguncula noſtra, de qua Divus Anſelmus: *Virgo*, ait, *tenera, & delicata Regali ſtirpe progenita, & ſpecioſiſſima, totam intentionem ſuam totum amorem ſuum, totum ſtudium ſuum ad hoc intendit, ut corpus & animam ſuam Deo, virginitate perpetua conſecraret.*

S. Anſelm. de excellent. Virg. cap. 4.

Mariam verò primum florem, & primitias obtuliſſe ex eo patet, *quod omnium prima virginitatis voto ſe Deo obſtrinxit.*

Primitias virginitatis Maria Deo ... (margin, partly cut off)

Primitias frugum, quales ab orbe condito nunquam terra tulerat, nec cælum ſpectaverat, Maria tiruncula hodierna luce, *Deo & agno* ... dum Princeps Virginum, teſte Epiphanio, prima ſe voto virginitatis in templo conſecravit, & præſentavit, ſic etenim Rupertus: *Votum egregium* PRIMA *voviſti, votum virginitatis &c.* nec minus disertè Ildephonſus: PRIMA *omnium fœminarum Deo virginitatem obtulit*, & venerabilis Beda in Lucam c. 1 PRIMA *fœminarum tanta ſe virtuti mancipare curavit.*

Rupert in cantica lib. 1. Ildephonſ. ſerm 5 de Aſſumpt.

Ejuſdem ſententiæ ſunt D. Ambroſius lib. de inſtitut. Virginis cap. 5. D Hieronymus epiſt. 2. ad Euſtochium. D. Epiphan. hæreſ. 78. Origenes in Matth. c. 13. D. Auguſtinus tract. 10. in Joan. è Theologis, Henriquez, Suarez, Vaſquez, aliique innumeri. Hunc primum, rarum, & præclarum virginitatis florem nunquam in terris viſum, Deo obtulit; in lege quippe veteri, fœcunditas laudabatur, ſterilitas cōtemnebatur nihil aliud audiebatur, quàm vox illa: *creſcite, & multiplicabimini, & replete terram. At in Eccleſia*, inquit Bernardus, *vox turturis audita eſt, hoc eſt prædicatio caſtitatis, cum Beata Virgo illud inſonuit: quoniam virum non cognoſco* & addit: *ſonuit vox, ſplenduit flos.* Si novus flos ex Indis, nova planta è Chinis in Europam, odore, colore, flore, fructu, ſapore eximio deferatur, dignum Rege, ac Imperatore munus cenſetur: nemo non inde ſibi germen, aut traducem quovis pretio expoſcit. Alium longè præſtantiorem florem, ſeu plantam, non ab extremis terris, ſed è cæli paradiſo MARIA FLOS FLORUM nobis detulit, qui feliciſſimè germinavit, & in mille millia hæc planta crevit, ut rectè Damaſcenus: *tu, O virgo, feraciſſima planta, per te enim virginitatis plenitudo latiſſimè ſeſe diffundit*: nam ut inquit Albertus, ſcientia, & ſanctimoniâ magnus: *per ſui imitationem, omnes virgines virgo germinavit*. Id teſtatur Theodoretus, dum de ſui temporis virginibus loquitur: multæ enim partim vitam amplexæ ſunt " ſolitariam; partim autem vivere amarunt " cum pluribus; adeo, ut ducentæ & quinquagin ta, & plures, & pauciores ſimul vivant, u- " no cibo veſcentes, ſuper ſolas ſtoreas ex inſti- " tuto dormientes, & manus quidem lanæ at- " tribuentes, hymnis verò linguam conſecran- " tes. Sunt autem ejuſmodi innumerabilia ſa- " pientiæ (ſeu ſapientum virginum) gymnaſia, " non ſolum in noſtra regione; ſed etiam per " totum Orientem, iis autem plena eſt & Pale- " ſtina, & Ægyptus, & Aſia, & Pontus, & tota " Europa: quas omnes innumeras virgines, Virgo germinavit.

Gen 7.

Bern ſerm 59. in cantica.

Andreas Cretenſiſis orat. 2. de Aſſumpt. Damaſc. orat. 2. de nativ. B.V. Albert M. in Mariali Theodor. 6. in vita Domina. pag. 831.

Quot millia Virginū Mariam ſecuta.

Teſtis Gregorius, Pontifex maximus: in ſola urbe Romana, *tria millia reperta* Sanctimonialium, quæ ipſius munificentiâ ſuſtentabantur. Teſtis D. Ambroſius lib. 3. de virgin. *Diſcite quantas Alexandrina, totiuſque Orientis, & Africana Eccleſia quotannis ſacrare conſueverunt. Pauciores hic homines prodeunt, quàm illic virgines conſecrantur.*

Greg lib 6 epiſt 13. indict. 15.

Harum omnium dux virginitatis *Maria*, ab eodem Ambroſio TYMPANISTRIA, quæ claſſicum primum caſtimoniæ inſonuit, meritò nuncupatur: MARIA TYMPANUM SUMENS, CHOROS VIRGINALES EXCITAVIT *cantantes Domino, quod mare ſæculi ſine fluctibus ſæcularibus tranſierunt*; quibus infinitæ haucæ, & obrutæ fuiſſent, ſi hanc tympaniſtriam ſecutæ non

Amb lib 2 de virginitate.

fuiſ-

Idem lib. de instituto Virg. c. 5. fuissent : Alibi eam SIGNIFERAM vocat. egregia MARIA, *quæ signum sacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis, piam Christo* LEVAVIT VEXILLUM. Deus immortalis, quot, & quantæ Virginum copiæ sub hoc Virginis signo merentur, mirentur, & imitentur, *pueri, innuptæque puellæ*, priusquam sub signo Pluti, Veneris, & Cupidinis, in castris mundi militare incipiant. Virgo ipsa de se prædicat: *Prov. 8 v. 23.* *ab æterno ordinata sum*, nempe ad hæc castra instruenda; nam alii legunt : *ab æterno tesserata sum*; unde Poëta:

Virgil. - - - *it bello tessera signum.*

Militare signum tessera est: alii legunt ab æterno *vexillata sum*; hinc à Bonaventura in Litaniis B. Virginis, *virginum signifera* nuncupatur; sic eam quoque compellat Richardus à S. Laurentio: *Richardus à S. Laurentio. lib. 4. de laud. B. Virg.* *Maria dicitur Virgo virginum, quia, sicut dicunt sancti, prima inter ceteras virginitatem vovit; ideo virginitatis* SIGNIFERA EST, ET EXEMPLAR. *Hugo in cap. 1. Lucæ.* Hugo Carensis vocat *virginitatis primiceriam*, utpotè quæ omnibus præivit, virginitatem vovendo.

Hanc ducem, hanc tympanistriam, hanc vexilliferam, hoc exemplar, ingentia virginum castra secuta sunt: sic etenim Albertus magnus: *Albertus M. cap. 82 super miss.* MARIA *prima sine præcepto, consilio, aut exemplo, virginitatis munus Deo obtulit, per quod omnes virgines per imitationem docuit.*

Canisius lib. 1. de B. V. cap. 12. Quare hanc omnibus virginibus in exemplar proponens Canisius noster, ait : Virgo „ sanctissima in templo puella vixit, ac floruit, „ ut eum aliarum virginum, tum Monialium „ nostratium exemplar pulcherrimum exstiterit; quod illæ utinam perpetuò intueantur, „ ab hac nimirum matre & magistra virginum, „ discunt inde à primis annis jugum Domini „ avidè complecti, ac sustinere constanter: discunt nuces relinquere, ut vulgò inquiunt, & „ ad perfectioris vitæ normam, dicta. facta„ que omnia componere, ut, si fieri possit, etiam supra ætatem sapiant, discunt mundo, amicis, parentibusque nuncium remittere; „ sæcularis autem vitæ luxum , ac noxiam libertatem cum sancta servitute commutare, „ ac præcipuas voluptates in spiritualibus studiis collocate. Discunt conspectum hominum, præsertim virorum, & amicorum consortia fugere; Deum verò & Angelos suæ castitatis, omnisque conversationis inspectatores, ac testes, ob oculos semper habere, & ubique locorum revereri; quæ omnia dux, & signifera nostra Maria, in se primo expressit. Ubi *Virginitas Mariæ illustrior, quia sine exemplo 4 Reg. 18.* illud magni Alberti expendendum occurrit: *sine exemplo*, quod mirificè virginitatem ejus commendat, quia virtus, quæ sine alterius exemplo exercetur, multò major, & illustrior haberetur. Unde de Ezechia dicitur : *quod non fuerit ei similis Rex, in his qui præcesserunt, nec in his qui secuti sunt*; cùm tamen David, & Josias sanctissimi Reges habeantur. Cujus rei rationem cùm *Tostatus. lib. q. 19.* Abulensis inquireret, hanc unam reddidit: „ *quia Ezechias omnium primus idololatriam destruxit*, nam David eam non destruxit; sed secutus e[xe]mplum Ezech[iæ] : EZECHIAS AUTEM *fecit hoc ex seipso, non habens al[iquem] priorem, cujus sequeretur exemplum*, prom[ptius] *ejus virtus multò clarior , & illustrior* [...] Ita exemplum sine exemplo, quod virg[initatis] la nostra dedit, longè præclarissimum, [illu]strissimum fuit, quia à seipsa, *sola fine* [...] *placuit altissimo*, non habens aliquem [...] quem sequeretur : nam ut rectè observa[t] Bernardus ad illud : psalm. 44 *afferentur Regi virgines post eam*, sic ait : POST EAM, *nam primatum sibi sola vindicat* MARIA.

Quare si qui è veteri lege virgines adle[gan]tur, ut Abel, Melchisedech, Josue, H[...] Daniel cum sociis, Maria soror Moysis , [...] Jephte, intelligendi sunt virginitatem [...] sive cœlibatum coluisse sine voto , quod to[to] temporis non erat de meliori bonu , ut Ch[ry]stophoros de Vega in Theologia sua Mariana, Vasquez, Seherlogus, qui plusquam 70. [au]ctores adducit pro hac sententia, quod B. V[ir]go prima omnium virginitatis votum em[isit]. Ad cujus rei clariorem notitiam , d[...] distinguenda virginitas: alia est virginit[as] Theologica, & rigorosa interior, & exter[...] quam ex doctrina S. Thomæ primum [...]ria est integritas corporis, ut est in corpor[e] [in]fantili. 2. Exigitur electio libera , & [con]stans permanendi toto vitæ tempore [...] integritate physica ab omni prorsus lib[...] nimom avocando. 3. ut virgo nullâ se c[...] vi externa contaminarit in re venerea [...] per ut nunquam apud se statuerit matrimonium contrahere consummatum: nam *Virginitas candàm quod est virtus, importat propositum voto firmatam, integritatis perpetuo servandæ; est autem hac integritas absque omni experimento veneræ delectationis.*

Altera est virginitas exterior, lata [seu com]munis, ad quam opus est, & sufficit nunquam nupsisse, neque in aliquam culpam externam sponte incidisse, quales infinitæ sunt in sæculo virgines, vel matrimonii jugum exosæ , vel quod occasio aptè nubendi sæpè non offerat. Votum itaque perpetuæ virginitati corporis & animi accedat necesse est, ut virginitas Theologica, & rigorosa, qualem B. Virgo perfectissimam coluit, habeatur. Ex quibus altera quæstio deducenda est.

§. II.

Vtrum magis sit laudabile , & meritorium, facere aliquid ex voto, quàm sine voto. S. Thom. 22. quæst. 88. art. 6.

Cum scopus hujus meæ dictioni[s] [ado]lescentes potissimum , & adol[escentul]as exemplo virginis Deiparæ, perpet[uæ vir]ginitatis voto sese Deo consecrand[i] [...] præstandum, inflammare; obturanda primum ora ac refutanda mihi duxi non tam ar[gu]menta, quàm sophismata eorum, qui sub [spe]cie ma[...]

ris sanctitatis, teneriores animas seducere, & à tam excelso virginitatis voto, aut Religionis proposito avocare nituntur, hisce palliaris, & fucatis parologismis, quos Doct. Angelicus opusculo 17. c. 11. contra retrahentes homines ab ingressu Religionis, adducit: *& primò quidem, inquit, aliqui sunt qui nituntur cuilibet voto derogare, dicentes: melius esse, quod absque voto aliquis virtutum opera exequatur, quàm quod ad ea observanda voto se obliget; inducentes ad hoc quod Prosper dicit: sic abstinere vel jejunare debemus, ut non nos necessitati jejunandi subdamus; ne jam non devoti, sed inviti rem non voluntariè faciamus; qui autem vovet se jejunaturum, necessitati jejunandi se subjicit, & eadem ratio est in aliis operibus virtuosis; non igitur videtur esse laudabile, quod aliquis voveat vel ieiunare, vel religionem intrare (vel castitatem servare) vel aliud opus virtutis explere. Et Apostolus dicit 2. Cor. 9. unusquisque prout destinavit in corde suo non ex tristitia, aut ex necessitate. HILAREM ENIM DATOREM diligit Deus; sed quidam ea quæ vovent, ex tristitia faciunt, & hoc videtur procedere ex necessitate. Ergo melius est aliquid facere sine voto.*

Nec auctoritate dumtaxat, sed & hac ratione stabilire conantur: *quantò aliquid est magis necessarium, tantò fit minus meritorium; cum autem aliquis iam vovit se Religionem intrare, vel quodcumque aliud opus* (v. g. castitatem perpetuam) *explere, necessitas ei incumbit, ut impleat quod promisit. Laudabilius igitur erit, & magis meritorium, si aliquis absque voto faciat aliqua opera virtuosa, quàm si ea expleat voto promisso.*

Nec minus convincere arbitrantur, quæ S. Thomas sibi objicit 22. quæst. 88. art 4. *Videtur quod non expediat aliquid vovere: non enim alicui expedit, ut privet se bono, quod ei Deus donavit; sed libertas est unum de maximis bonis, qua homini Deus dedit, qua videtur privari per necessitatem, quam votum imponit; ergo non videtur expediens homini, quod aliquid voveat;* Hoc velut atiete merè straminco, studiores multi de proposito suo deturbantur.

Nec minus imbelle telum, quo etiam piorum corda configere satagunt: *Nullus debet se periculis inmere, sed quicumque vovet, se periculo inicit, quia quod ante votum sine periculo poterat præterire, si non servatur post votum, periculosum est;* eoque adducunt testimonium Divi Augustini epist. 45. ad Armentarium, & Paulinam: *Quia iam vovisti, iam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet: non talis eris si non feceris quod vovisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses: minor enim tunc esses, non peior: modo autem tanto, quod absit, miserior, si fidem Deo fregeris, quanto beatior si persolveris.* Ex quibus concludunt: *Ergo non expedit aliquid vovere*, nec legitur Christus, aut Apostoli imitatores Christi aliquid vovisse.

Hisce aliisque plausibilibus, & in speciem piis argutationibus, innocentes animulas seducunt, & à suavi Christi jugo, in periculosam maliriæ libertatem, quâ lenocinis carnis, & ignitis diaboli telis patent, pertrahere non reformidant, tot animarum rei, quot eorū perverso consilio pereunt, aut minus perfectè vitam instituerunt, quibus omnibus Doctor Angelicus occurrit, eorumque argumenta, ut fila stupæ, aut telas aranearum diffringit.

Ac primum quidem votum, ut definitur à Theologis, est religiosa promissio majoris alicujus, excellentiorisque boni, Deo ipsi facta, idque libera voluntate.

Ex quo patet magna voti utilitas, & excellentia, cùm materiam non vulgarem, sed omninò excellentiorem esse oporteat, & contractum quendam contineat inter animam, & ipsum Deum, cujus cum Numine contrahere, & pacisci, non modò fructuosum, sed etiam gloriosum est. Inter omnia autem vota, sine controversia, principatum obtinent vota Religiosa, quæ alia omnia, dādi prolixas eleemosynas, vel multorum mensium, & annorum jejunandi, aut Compostellam, ad limina Apostolorum, imò etiam in terram Sanctam peregrinandi, elidunt, quorum utilitatem & dignitatem ex eo hodie solummodo comprobabo, quod opus factū ex voto, multò sit præstantius, nobis utilius, & Deo gratius, quàm liberè sine voto.

Fundamentum sumo ex Divo Thoma: *Dicendum, quod triplici ratione, facere idem opus cum voto, melius est, & magis meritorium, quàm facere sine voto. Primò quidem, quia vovere, est actus latriæ (qui ad religionem, & divinam reverentiam ordinatur) quæ est præcipua inter virtutes morales. Nobilioris autem virtutis, est opus melius, & magis meritorium; unde actus inferioris virtutis est melior, & magis meritorius ex hoc quod imperatur à superiori virtute, cuius actus sit per imperium: sicut actus fidei, vel spei, melior est si imperetur à charitate.* Quodque magis ad captum facit: *jeiunare, quod est actus abstinentiæ: & continere, quod est actus castitatis, sunt meliora, & magis meritoria si fiant ex voto: quia sic, iam pertinent ad divinum cultum, quasi quadam Dei sacrificia.* Confirmat hæc irrefragabili D. Augustini nixus suffragio, qui libro de virginitate sic ait: *Neq; enim ipsa virginitas, quia virginitas est; sed quia Deo dicata est, honoratur; quam fovet, & conservat continentia pietatis.* Et paulò infra: *HONORATIUS in animi bonis illa continentia numeranda est, qua integritas carnis ipsa creatori anima & carnis, VOVETUR, consecratur, servatur.* Ut continentia per se laudabilis sit, longè tamen honoratior, & Deo gratior, voto firmata, quod utinam cælibes virgines expenderent: nam bonum quodlibet, accessione alterius boni, augeri, ac melius que fieri necesse est.

Propositum meum secundò probatur: *quia ille qui vovet aliquid, & facit, plus se Deo subiicit, quam ille qui solum facit: subiicit enim se Deo, non tantum quo ad actum, sed quantum ad potestatem:* quia de cetero non potest aliud facere; atque adeo amplius quid, & excellentius Deo offert, quàm qui opus solum sine voto; quod illustri similitudine ex S. Anselmo petitā declarat: *Sicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quàm qui daret fructum tantum.* Quæ similitudo Anselmi, quotidianā experientia comprobata est: est qui laudat botrū pendentem è vite, aut mala aurea ex arbore: miratur odorem, colorem & saporem: mittitur ei uvarum sportula, gratum donum; sed multò gra-

Margin notes: Angelic. opusc. 17. c. 11. — Prosper lib. 2. de vita contemplat. — Refutantur objectiones. — S. Thom. 22. q. 88. art. 4. — S. Thom. cit. — Aug. epist. 45. ad Armentarium & Paulinam. — S. Thom. 22. q. 88. art. 6. — Art. 5. — Augustin. tom. 6. lib. de virgini tat. cap. 8. — S. Thom. cit. — Anselm. lib. de simi litud. cap. 84.

tò gratius, si ipsum vitis stirpem, aut aureorum arborem ei donaret, è qua quotannis ut Dominus, fructus sibi dum liberet, decerperet. Sic quis amico horrum inambulanti anemones, tulipas, cariophillos deprędicanti, si florem rariorem, & præstantiorem illi decerpat, & donet, amasiæ, aut sponsæ optatissimum munus offerendum; at si ipsum bulbum aut restam eum radice cariophilli ipsi dono donet, hominem duplici beneficio mactarit.

Vultis alteram huic argumento congruam comparationem? illam Doctor Seraphicus adducit, scilicet, quod nemo sanæ mentis, plus faciat & perfectius possideat agrum, prædium, fundos, qui eorum usum, & proprietatem possidet, quàm qui solum usu fructu gaudeat, ita inquit Bonaventura: *Ut perfectius rem possidet, qui ejus & usum, & proprietatem possidet, quàm qui solo usu fruitur; sic multò perfectius se Deo donat, qui non solum opera, sed etiam voluntatis arbitrium donat.*

Bonav. in lib. 3. mult.

Usu etiam inter homines receptum est, ut promissio alicujus doni, vel beneficii, grata sit, & pro ea gratiæ agantur: *Quia ille qui promittit, in quantum se obligat ad dandum, jam quodammodo dat. & inde est quod non solum danti, sed & etiam promittenti gratiæ aguntur.*

S. Thom. cit. art. 5. ad 2.

Probat tertiò: *Quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum; facere autem aliquid ex voluntate firmatâ in bonum, pertinet ad perfectionem virtutis.* Ut Aristotel. 2. Ethic. Ad virtutem requiritur, ut aliquis firmiter & stabiliter operetur. Unde & Apostolus Corinth. 15. *stabiles estote, & immobiles. Sicut etiam peccare mente obstinatâ, aggravat peccatum, & dicitur peccatum in spiritum sanctum.*

Id art. 6.

S. Thom. opu c. 17. cap. 12.

Sic in politicis, aliquis propter voluntatis mutabilitatem, utiliter provider proximo, suâ promissionem quid dandi, vel faciendi stabiliendo, juramento, fidejussione, vel pignore, ut firmior sit: nec potestas resiliendi, aut retractandi: *Manifestum est*, inquit S. Thomas, *quod voluntas firmatur, ad aliquid faciendum per juramentum Unde Psaltes Regius: juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Laudabilius igitur est virtutis opus, & magis meritorium, si fiat voluntate firmatâ per votum.* Atque his eliditur, & eliditur prima objectio, opus melius esse sine voto, quàm cum voto. Auctoritas verò D. Prosperi, intelligitur de necessitate coactionis, quæ voluntario repugnat, & devotionem excludit. Unde significanter dicit: *ne jam non devoti, sed inviti rem faciamus*; non autem loquitur de necessitate voti per immobilitatem voluntatis, unde & voluntatem confirmat, & devotionem auget, quæ à devovendo nominantur, ita D. Thomas. Refellitur & illud, donum gratuitum, & liberè oblatum, gratius esse, quàm quod *ex tristitia, & necessitate*; sic etenim D. Thomas: *necessitas coactionis, in quantum est contraria voluntati, tristitiam causat; necessitas autem voti* (liberè emissi) *in quantum voluntatem confirmat, non causat tristitiam, sed gaudium.* Unde & contra adverlatius militat, quem pro se adducunt, Augustinus: *non te vovisse pœniteat, imò gaude jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta factis imple: ipse adjuvabit, qui vota nostra expetit.*

S. Thom. opusc. 17. c. 12. & 2. 2. q. 88. art. 6. ad 1

S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 6 ad 2

Augustin. epist. 48. ad Armentarium.

Ac [illegible] phonematis loco subjungit: *felix [illegible] ad meliora compellit*; ne voluntas, quæ mutabilis, & instabilis est, etsi velit, à bono resilire non possit.

Sic Isaac immolandus, se ultrò ligari rogavit, nullæ enim patris gradævi vires id potuissent in filium ætate & robore florentem. nulla alia de causa pater filio, & ipse quoque filius sibi vincula adhibenda judicavit, nisi ut illa bona, & recta voluntas, iidem quasi nexibus, quibus manus & pedes, devinceretur, ne ullo deinde metu, aut consternatione reluctaretur, aut elaberetur. Itaque non id timoris fuit, sed potiùs fortitudinis: nec remissiorem, aut violentiorem indicat voluntatem, sed promptiorem, quo adeò voluerit, ut etiam provideret, quò semper vellet, nec posset non velle.

Quæ necessitas minimè officit libertati voluntatis; sed eam in bono confirmat.

Consimili modo homines tum suæ [illegible] aliorum firmitati, & constantiæ consulend[illegible] putarunt, dum secandi, aut urendi, se [li]gari exposcunt, ne quid inconsultius [a]gant, & saluti suæ, aut incolumitati vitæ officiant, de quo præclarè Anselmus *sæpe venire videmus, ut cum secandus est aliquis, alligari se prius velit: insuper etiam contestatur, nolle se solvi, etiamsi petat. Itaque, si postea accidat, ut dolore adactus, clamet ut solvatur; [illegible] tamen pergit, donec clamatione peractâ, ipse quoque ægrotus gaudet, se non auditum, proficit que in sectio, quamquam invito animo admissa; & tamen in ipso quoque ejulatu, non tam medicinam, quàm medicinæ asperitatem recusabat. Similiter igitur is, qui initio religiosum spontè jugum subit, seque alienæ potestati, quasi medicandum tradidit, etiamsi deinde quædam inciderit, à quibus volunta. abhorrere videatur, perfert, quia vinctus est: & illud ipsum medicamentum, quamquam non adeo libenti animo receptum, prodest tamen, & sanitatem adfert, quam fortasse solutus refugisset, ut denique depulso morbo gaudeat etiam, sibi non aliter licuisse.*

[illegible] sim. lib. c. 81.

Atque his corruit secunda objectio, quod homo sic se privet libertate, & consequenter meritò; cum ea vera libertas sit, & felix necessitas qua quis se, suaque omnia, liberè Deo consecrat; unde Tertullianus libro de velandis virginibus cap. 3. *tantò magis libera, quantò Christi solius ancilla.* Hæc autem necessitas, non minuit [meri]tum, sed illud potius auget, ut docet etiam Angelico Doctore Seraphicus: *hæc necessitas*, inquit. *quam status affert, tantum abest, ut aliquid de perfectione imminuat, ut etiam mirum in modum, eam augeat, atque consummet: quia de temporali facit alterum, & de nostro facit divinũ: quandoquidẽ non ipsam modo actionem. sed voluntatem quoque Deo dedicat, eamq́; mactatã nobili quo[dam] sacrificio ei plenè, atq́; integrè offert; quod donũ non potest non Deo gratissimũ, & jucundissimum [esse]*, idque quia animo stabili, & irrevocab[ili] [illegible]tur, ut optimè probat S. Thom. à contr[ario]: [si]cu[t] enim aliquid turpiter facere ex fragilitate, aut ex consilii imbecillitate, malum [est] [pr]udens est sed multò peius, & execrabilius idem facere obstinatâ voluntate peccandi, & in peccato [...]

Bonav. lib.

S. Thom. [illegible]

ſeverandi: ut ſi quis ſcortum domi alendo, vel pravæ conſuetudini indulgendo, ſibi quaſi neceſſitatem induxerit, gravius peccat. Uti & qui in mari, vexatus moleſtiâ legendi horas, Breviarium in aquas projicit, hic actus æquivalet maliciâ omnibus omiſſionibus, quas prævidebat.

Sic in virtutis ſtudio, omnia quidem opera bona, & laudabilia, quæ ſpontè ſuſcipiuntur, ſine comparatione meliora, & magis meritoria, quæ animo deliberato, & obſtinato peraguntur.

Reliquæ virtutes, quæ ſine voto exercentur, les puellis illis penſionariis, quæ in monaſteriis commorantur, ut opificium aliquod diſcant, & pro libitu ad parentes, ad crepundia, ad mundum ſuum muliebrem, & malitiæ libertatem revertuntur; at voto firmatæ, ſimiles religioſis profeſſis. Hinc fit, ut peccatores obſtinati, diabolo, & damnatis comparentur, qui à ſua perverſitate flecti non poſſunt; religioſi verò beatis, quorum voluntas ita ſummo bono colligata eſt, ut ab eo divelli, & peccare non poſſiot. Quo patet & reſponſio ad tertium, quod quis per vota ſe objiciat periculis, cum caſtitatis, aut religionis vinculis conſtrictus, periculis, in quæ libertas eum ſeduxiſſet, ereptus ſit. Ad cujus clariorem cognitionem, ne fortè timeant vovere caſtitatem, aut religionem ingredi, periculum prætexentes, ne fragilitate carnis cadant, & ſic Deum gravius offendant, reſpondet S. Thomas: *quando periculum naſcitur ex ipſo facto, tum factum illud non eſt expediens, puta; quod aliquis per pontem ruinoſam tranſeat fluvium, ſed ſi periculum immineat, ex hoc, quod homo deficit ab illo facto, non deſinit propter hoc eſſe expediens. Periculum autem voventi non imminet ex ipſo voto, ſed ex culpa hominis, qui voluntatem mutat, tranſgrediens votum;* quod fit ex ejus malitia; ſic nemo matrimonium contrahere deberet, ne fortè ſuâ non contentus, adulteretur, quod ſoli ipſius malitiæ, & incontinentiæ, non ſtatui imputandum, nemo non videt.

Ad quartum denique facilis eſt ſolutio, Chriſtum à primo incarnationis inſtanti, voto ſe Patri obtuliſſe his verbis: *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam omnes voluntates tuas, Deus meus volui.* Sed & Apoſtolos voto obſtrictos fuiſſe, Theologi paſſim docent.

His ſtabilitis, adhucne invenire erit virgines vagas, & fatuas, quæ hoc mari magno, & procelloſo liberè jactantur, & mille periculis exponuntur, nec adduci poſſunt, ut firmo voto ſe Deo, aut religioni, tutius quàm Ulyſſes navis malo, alligent, ne blandientium Sirenum cantu allectæ, in ſyrtes, & charybdes, miſero animarum naufragio abripiantur.

* * *

§. III.

Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt? & ſi offeratis claudum, & languidum, nonne malum eſt: offer illud duci tuo. Malachiæ 1. v. 8.

PRimæ, quæ in orbe terrarum oblatæ Deo primitiæ, fuerunt Abelis, & Caini; ſed diſpares planè, & toto cælo diverſæ: *factum eſt autem poſt multos dies*, id eſt multos annos inquit Cornelius, *ut offerret Cain de fructibus terræ, munera Domino*; ſecundos ſcilicet, & viliores fructus: ſic enim vocantur in Scriptura, fructus terræ. Primos verò, & meliores ſibi reſervabat: ſeu ut Fernandius hic: Cainus fortuitò, & ſine delectu colligens vieta, & in humum decidua, & fortaſsè putida, ac mucida poma: vel ſpicas macriores, & granula minutiora, & lolio, terræque pulvere admixto viliora, Deo in altari obtulit. (Gen. c. 4. v. 4. — Corn. hic. — Fernand. hic.)

Unde S. Ambroſius: *Cain obtulit ex fructibus terræ, non à primis fructibus* PRIMITIAS *Deo: hoc eſt* PRIMITIAS *ſibi priùs vendicare; Deo autem ſequentia deferre*; quod eſt ſupremum omnium Dominum ſuo jure fraudare. *Abel quoque obtulit de* PRIMOGENITIS *gregis ſui, & de adipibus eorũ*; optima, opima, & pinguiſſima, eaque primogenita Deo conſecravit. (Amb. lib. 1. de Cain & Abel. cap. 10. — Gen. 4. v. 4.)

Ut rectè idem Doctor: *Abel obtulit non ſecunda, ſed prima: non exigua, ſed pinguia, qualia lex probavit, & juſſit offerri: obtulit non de inſenſibilibus ſed de primitivis ovium, & de adipibus earum. Hæc munera obtulit Abel, & ideo reſpexit Deus in munera eius, quoniam à* PRIMITIVIS OBTULIT. Abelis eſt hæc vox: (Amb. cit.)

Sacrum pingue dabo, nec macrum ſacrificabo.

Cain vero ex adverſo:

Sacrificabo macrum, nec dabo pingue ſacrum.

Quod in rem noſtram *Philo diſertiſſimus* Judæorum, aptiſſimè ad mores traducit: *ſicut Cain de fructibus, & non de* PRIMITIIS, *Deo ſacrificium obtulit; ſic multi, qui dant primatum creaturæ, ſecundarium honorem Numini.* v.g. addit Cornelius: qui ex frugibus, pejores dant pro decimis: qui proles ſtupidas, turpes, mancas, inertes dant Religioni; pulchras & ingenioſas conjugio. Unde *reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem, & ad munera illius non reſpexit*; ſed deſpexit, & abominationi habuit, & hactenus inauditi, ac infandi parricidii, omniſque maledictionis, ac perditionis cauſa fuit, quã utinã parẽtes Caino ſimiles ſibi imminere reformidarẽt; ſic etenim litteratus Interpres: (Philo de ſacrificio Abelis & Caini. — Corn. hic.)

Fernand. loc.

Caino persimiles mihi videntur, quicumq; impia varitiâ erga Deum, vilhora illi offerunt; ,, ut parentes, qui filium, aut filiam deformiorem specie, aut minus compotem sui, aut quovis alio naturæ vitio laborantem in Dei obsequium, ad Clericatum, aut Religionem quodammodo non offerre, sed abjicere, ac detrudere censentur; cum tamen Deus ipse severè vetuerit, ne sibi Hebræa Gens victimas ulla deformitate notabiles offerret. Idcirco Malachiæ 1. dicitur: *Maledictus fraudulentus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino.*

Luculenter hoc argumentum pertractat Hieronymus, petitissimus in hoc gymnasio virgines instituendi magister, dum sic epistola ad Demetriadem, nobilissimam, ac speciosissimam Virginem: *Solent miseri parentes, & non plenæ fidei Christiani, deformes, & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inveniunt, virginitati tradere; tanti, ut dicitur, vitrum, quanti margaritum. Certè qui religiosiores sibi videntur, parvo sumptu, & qui vix ad alimenta sufficiat, virginibus dato, omnem censum in utroque sexu sæcularibus liberis largiuntur.* Ut fratres & sorores ingenio, ac formâ præstantes, in sæculo lasciviant, luxurientur, dominentur, & de portione Domini liberius, ac licentiùs mundo, carni, ac dæmoni serviant. Si ingens piaculum est, vitiatam hostiam, aut mutilum aut scabiosum animal aris imponere, juxta illud Levitici 22. *si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino*; quale nefas erit, sola mundi rejectamenta Deo donare? si quod monstrum dominatum est, si quod est in familia peccatum; si quis spurius, illegitimus: si quæ filia corrupta: si quod inter liberos luscum, claudum, bardum, blæsum, stolidum animal, Numini consecrare, cucullum, aut velum concinnè istiusmodi quadrare, generosam verò sobolem, primogenitam, vividam, validam ingeniosam, speciosam, solertem, ad generis splendorem servare: velle demum ut Deus domi etiam liberalis loco habeat spurios, stolones, qui proger minarunt à stirpe degeneres, & domestica monstra, quæ nemo hominum vellet. In hos pareores, aut tutores, justissimas querelas, & rationes prægnantes adducit Deus per Prophetam suum: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei.*

Hieron. ep. 8 ad Demetriad. de servanda Virg.

Levit 22. v. 22.

Malach 1. v. 8.

Offer Regi, aut Principi filium tuum claudum, aut cæcum, aut stolidum, ut inter ephebos aulæ illi serviat, nonne sibi illudi sentiet, & protinus cum indignatione è conspectu suo eliminabit? Offer Reginæ, aut illustri matronæ, filiam luscam, gibbosam, deformem, ut in filiam honorariam admittatur; nonne eam ut monstrum aspernabitur? Offer vito honorato equum strigosum, crucians cauterium, macie & senio confectum, nonne pro gratia, gravem offensam telaturus es? Teipsum compello, si famulum, si ancillam, si equum comparare volueris, an ejusmodi tibi delecturus es? & quæ tu, ut te indigna aspernatis,

summo Regi Regum, Reginæ Regum Deiparæ, ut liberi famulentur, offerre non erubescis? præclarè D. Cæsarius: *numquid tibi hoc fieri vis à servo tuo, ut quamdiu fortis, ac juvenis fueris, inimicis tuis serviat, & cum ad senectam venerit, tunc ad tuum servitium redire velit? quod ergo non vis pati à servo tuo, non est justum ut facias Domino tuo.*

Cæsarius hom. 13.

Hic cain pus patet divino Ecclesiastæ, ut ad mores excurrat, & eos parentes perstringat, qui cum Caino non primogenita, sed mucida, & putrida, ac vieta, Deo dona offerunt.

Altera oblatio est, quam Deus execratur Levitici 22. v. 21. *Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens, vel spontè offerens, tam de bobus quam de ovibus*, IMMACULATUM OFFERET, *ut acceptabilis sit*; OMNIS MACULA NON ERIT IN EO. Cùm quis se Deo, per votum virginitatis consecrat, aut religionem ingreditur, se ipsum Deo in sacrificium offert: atqui lex divina præcipit, ut id quod Deo in sacrificiû offerendum est, sit ... ctum, integrum, purum, & absque macula: ergo qui se Deo devovere, aut Religionem ingredi cogitat, statim id exequi debet ut Deo puram hostiam (hoc est corpus, & animum, nondum peccati labe inquinatum) exhibeat; cur enim exspectet, donec peccatis inquinetur, & corpus libidine, animus impuris affectibus fœdetur, & noxa lethali vulneretur? quid hic aliud suadent parentes, verius peremptores, quàm quod olim parens S. Augustino, ut moras nectetet, & juventuti indulgeret: cui ille: quid hoc aliud erat dicere, inquit, *quàm prius vulneretur, postea curabitur.* Hac intetim diabolica persuasione nihil frequentius, & nihil nocentius, ut in sæculo remanentes, eum sæcularibus versantes probentur, & sæculum probent, an futuri constantes: hanc enim causam plerique adferunt, ut incautis adolescentulis persuadeant, ingressum ad aliquot annos protrahendum. Quæ ubi Lessius expendit, *nullum perniciosius consilium in hoc genere suggeri posse* contendit; quid enim hoc est aliud, quàm sub honesta specie probationis, spiritum velle extinguere? & eum qui in portum salutis, locumque securum parabat evadere, laqueis mundi implicare, & tentationum procellis exponere? qui enim sic suadent, perinde faciunt, ac si alicui maris inexperto, qui artem nauticam discere velit, suadeat, ut fragili cymba det se in altum, & probet utrùm in illis fluctibus, & tempestatibus, cymbam poterit salvâ præstare: vel si mercaturam cogitanti, auctor sis, ut antea unius aleæ jactu, fortunas suas exponendo, periclitetur, quales in posterû eventus expectandi. *Stultum sanè, & noxium consilium*: quid enim à rectâ ratione, & verâ prudentiâ magis alienum, quàm tanto periculo probate velle, quod multò ... absque periculo cognosci potest, aut ... debet ignorari. Si hortulanus aliquis accepto semine nobilissimo ex Oriente misso, quod summâ culturâ deberet, depâgat illud ... & ... nosis, solis ardori, & omnib' æstis injuriis exposito, ut probet, an excrescere possit, cû terra idonea, & ab istis incômodis tuta nô sit: quis nô dicat

dicat, talē hortulanū insanire? Multò magis insaniunt, qui tale consilium adolescentulis aspirantibus ad Religionem suggerunt: est enim inspiratio divina, & vocatio Religionis, divinum quoddam semen, cælitùs in terram transmissum, ut in omnem virtutem adolescat, & fructum æternæ vitæ proferat. Inseritur hoc semen cordi humano, tanquam solo alieno, & naturæ talis seminis parum accommodato (sicut cùm planta orientalis ad solem septemtrionale transfertur) ac proinde eget summâ culturâ, ac custodiâ; partim ne volucres (dæmones, inquam, qui assiduè huic semini insidiantur) illud auferant; partim ne spinæ (rerum temporalium cupiditates, & solicitudines (illud suffocent; partim ne ab hominibus (sæcularium, ac pravorum sociorum consuetudine) conculcetur. Quicumque ergo vult hoc semen in terra cordis, manu illius magni satoris sparsum, conservari, & adolescere, proficere & omnium via se debet semovere, ne consuetudine sæcularium proterator, & solicitudines omnes rerum terrenarum tanquam spinas excidere; & in eum locum se recipere, ubi tutior sit a dæmonum insidiis. Atque ut propiùs rem cœptam prosequamur, quisnon *stultum*, *& noxium consilium* dicat, purpureum pannum emere, & explorare volenti, consulere, ut ad experimentum, oleo intingat, aut in ignem conjiciat, nom colorem, & tenorem servaturus sit? Sic amici, sic propinqui, sic nitores, sicæmuli & zelotypi, parentibus, & ipsis sponsis Christi, innoxiis & verecundis purpurâ rubore, asoloulis, suadent sæculi & carnis illecebras explorandas, oleum libidinis affundendo, aut cupidinis ignem supponendo, an maculam, aut fomitem nullum contractura sint? Quis non modò hoc maximè insanum, sed ut diabolicum consilium, damnandum, execrandum, & orbe eliminandum arbitrabitur? Ex quo quid sperandum, nisi ut probando mundum, se adurant & commaculent; aut si in proposito persistant, corpore fœdatæ, sese hostias non immaculatas Deo, ac Virgini Matri offerant.

Ad ... m... int... fecenda. Quod ut fusiùs prosequamur, & ad omnes, qui stupidi, stolidi, imperiti, ignobiles, prorsus inepti Deo & Reipublicæ, tam in statu Ecclesiastico, quàm civili, ad munia capessenda offeruntur, extendamus, occurrit primùm illud

S. Thomas 2.2. q. 76. art. 2. D. Thomæ: *Quisque tenetur scire ea, quæ ad eorum statum, & officium spectant*; Præsul, Prælatus, Præses, Prætor, Confessarius, Consiliarios, Advocatus, Medicus, tenetur habere scientiam, experientiam, conscientiam, isti statui, & officio convenientem; unde parentes, qui filios, vel qui seipsos offerunt, prece & pretio ... ut officia, ad quæ inepti sunt, consequantur, quique eos assumunt, & ad ea promovent, non solùm peccant mortaliter, sed & tenentur ad restitutionem omnis damni, quod ex inscitiâ, imprudentiâ, incuriâ eorum oritur: hæc communis omnium Theologorum sententia est. Lessius de jure & justitia: dico 1. *Qui ad officia assumunt ineptos, peccare mortiferè, & teneri ad sarcienda damna inde*

Lessius de jure & justitia, l. 2. cap. ... dub. 3.

secuta: quia causa damni sunt, & gravissima mala inde oriuntur; si etiam pravi & iniqui promoveantur, *quo fit, ut pervertatur justitia, omnia per munera, & extorsiones gerantur, & sensim Respublica impletur ministris atheis, politicis, ambitiosis, avaris, qui sua & suos duntaxat curent, commune bonum negligant, omnia ad privatas quasdam suas intentiones dirigant: qui jus & fas, justitiam & religionem auro venalem habeant.* Huc spectant illi, qui officia Reipublicæ conferunt, & promoveot nepotes, affines, amanuenses, qui sanguine vel amicitia ipsis juncti sunt, vel munera obtulerunt, vel privatis ipsorum intentionibus meliùs servient, præteritis aliis longè aptioribus (quantò magis si planè ineptos, & iniquos) quos omnes graviter peccare asserit. Sed quis est jam, qui curet hæc, & laudabimus eum? Quales autem esse debeant, qui constituuntur Officiales, breviter insinuat Jethro, socer Mosis: *Provide*, inquit, *de omni plebe viros potentes, timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam; & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos.* Ubi, teste Cajetano, notantur quatuor conditiones in promovendis. Prima est, ut sint *potentes*, id est, sapientiâ, industriâ, & strenuitate idonei. Secunda, timentes Deum; nihil enim ita compellit hominem justè agere, ut timor Dei, utique præsentis, & omnia intuentis. Unde Eccl. 15. *Qui timet Deum, faciet bona. Et qui sine timore est, non poterit justificari*, quare nec justè agere. Tertia, *in quibus sit veritas*, id est, qui neminem decipiant, & quod promiserunt, & æquum est, præstant. Quarta, *odientes avaritiam*, id est, qui non studeant opibus accumulandis lites protrahendo, injustas admittendo, & defendendo, pupillos & viduas opprimendo, pecuniâ excæcari, qui, ut rectè Lessius, *est maximus justitiæ scopulus*, potissimùm hoc aureo, id est, corruptissimo sæculo, ad quem innumeri, animæ & æternæ salutis naufragium faciunt: & Regna, & Respublicæ allisæ perierunt; nam *remota justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* Nunc, ut ad mores excurramus, scribit Florimundus Remondus, acriter quondam disceptatum: *Utrùm meliùs sit, Iudicem malum esse, an verò ignorantem?* Ignorantia quidem hominem privatum excusat, ut si insciente alium lædat, occidat; aliena quæ putat sua, rapiat: præceptum jejunii, quod ignorat, violet, &c. at in officio constitutis, plerique rectè censuerunt, periculosiorem, & damnabiliorem esse ignorantiam, quàm malitiam; illa enim velut continua quædam febris est; hic verò morbus sua habet intervalla. Potest etiam malus benè facere, ac rectè judicare; sed ignorans ac imperitus semper cæcus, semper injustus, semper malus est: & morbus propè incurabilis, nisi summo studio, (quod rarò fit,) se capacem reddat; quare peccat mortaliter Confessarius, & reus est damni, qui ex ignorantia restitutionem faciendam injungit, ubi obligatio non est; vel non suadet, ubi jure facienda est.

Exod. 18.

Cajetan. hic.

August. de civit. l. 4.

Florimond. Remond. de orta hæres. l. 8. c. 8. n. 1.

Sic Jurisperiti, Judices, graviter peccant, quorum imperitiâ, causa deperditur, aut in longum

Augustl. lib 16. de civit. c. 6. longum tempus protogator: *Ignorantia enim Iudicis, plerumque est calamitas innocentis*, ut ait Augustinus.

Item medici, qui ex notabili ignorantia nocent infirmis, morbum augent, periculo exponunt, etiamsi evadant è morbo, aut ab alio peritiori curentur. Imò etiam, quando ex industria morbum prolongant, vel deserunt, aut negligunt infirmum; quòd si per imperitiam eorum moriatur, puniri possunt arbitrio Judicis, *L. Qua actione in fine.* Libet hæc antea Divi Chrysostomi firmare testimonio: *Extruat quis officinam medicorum, habeat etiam discipulos: habeat & instrumenta, & pharmaca, & ingrediatur ad ægrotos; numquid sufficient hæc, ut præstent nobis medicum? minimè; sed opus est arte: & fine illa non solùm hæc nihil prosunt; sed etiam damnosa sunt.* Hæc majoris ponderis & momenti sunt, dum indigni, inepti, aut pravi ad Ecclesiastica munia, & dignitates offeruntur, & assumuntur; ad quæ ut quis dignus, tradit Lessius de Jure, lib. 2. cap. 34. dub. 12. *tria requiruntur: 1. Ætas conveniens: 2. Probitas morum. 3. Scientia requisita.* Quod primum spectat, gravissimum in Ecclesia abusum Bernardus insectatur, dum non junioribus tantùm, sed pueris ecclesiastica beneficia, Prælaturæ conferuntur, in quorum collatores apis hæc Claravallensis, sic aculeum exerit: *Scholares pueri, & impuberes adolescentuli, ob sanguinis nobilitatem promoventur ad ecclesiasticas indignitates, & de subferulâ transferuntur ad principandum presbyteris: lætiores interim* (quis non rideat, aut potiùs dentibus frendeat,) *quòd virgas evaserint, quàm quòd meruerint principatum.* Tales etiam hoc ævo nostro repetire est, qui tuoica clericali induti, gaudent titulo: *Du Monsieur Chanoine, Monsieur L'Abbé*, cùm vix n... nt A. B. Ejusmodi similes mihi videntur catulis ferarum, qui immaturi in lucem prodeunt: sic lupa cæcos, ursa informes, leæna mortuis similes gignit, quia non expectant tempus pariendi; idque, ne si diutius hæreant in utero, matrem unguibus dilanient.

Fragosus tom. 1. pag. 708.

Chrysost. hom. 52. in Acta Apost. c. 26.

Indigni & inepti ad dignitates Ecclesiast. non offerendi, nec admittendi.

Bern. ep. 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscop.

Haud aliter, si ante maturam ætatem, ante scientiam, & probitatem requisitam, in lucem publicam prodeant, monstrosi passim sunt, uni lingua ad aptè disserendum, alteri oculus ad videndum, plerisque vita & vigor rationis ac maturitas judicii ad discernendum deest, non alia de causa, quàm quia immaturi effusi sunt.

Quid, quòd embrioribus, & nondum natis, adhuc in utero matris, præbendæ Abbatis, aut Abbatissæ conferantur. Incredibile id mihi, & vobis videretur, nisi Ecclesiæ Doctoris evinceret auctoritas, dicentis: *Huic parvulo adhuc, aut forsitan nondum nato, Ecclesiastica jam beneficia, provida sanè parentum solicitudo parabat: hunc nos, inquiunt, illi vel illi tradamus Episcopo, apud quem habemus gratiam, aut cui fortè servivimus, ut ditetur de bonis Domini, ne in tot liberos nostra dividatur hæreditas. Illum Præpositum, aut Decanum, ut sibi succederet, plusquam materno educavit affectu, in deliciis enutriens, & delictis.* En io quos, & quàm sacrilegis de causis patrimonium Petri, & hæreditas Christi dispensatur!

Bern. declamat. Ecce nos reliquimus omnia.

Nec hoc satis, pergit porrò alios gravissimos abusus recensere: *Curritur in Clero passim ab omni ætate & Ordine, à doctis pariter & indoctis ad ecclesiasticas curas; tanquam sine cura jam quisque victurus sit, cùm ad curas pervenerit.* Quamprimùm dives præbenda, aut pingue beneficium vacat, undique concurritur, potentum gratia præoccupatur, sponte sese offeruntur: *Alius circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, & dissimulat, miseraque sibi suffragia non erubescit, manibus & pedibus repens, si quo modo tandem aliquando se ingerere queat in patrimonium crucifixi, & bona Domini*; quòd si inhabilis, aut incapax habeatur, uno die, ut fungi nascuntur, tonsurâ aptus redditur, sacri Ordines citò citò suscipiuntur, per omnes gradus simul ascenditur; exemplum desideratis?

Idem ibid.

Bern. ep. 42. cit.

Michael Balbus, Imperator Constantinopolitanus, balbus linguâ, & mente cæcus, homo impius, favoritam habebat sibi à secretis, qui Bardus dictus, verè bardus, & sceleratus; hunc gladio accinctum, & hominem militarem, adulterum, ut ad Episcopatum eveheret, deturbavit de sede sua Ignatium, virum sanctum, & adhibito Episcopo schismatico, eum extra tempora, & merita, ordinari sacris præcepit, ac spatio sex dierum per omnes omnium Ordinum gradus ascendit: die lunæ tonsuram: Martis, quatuor minores Ordines: Mercurii, Subdiaconatum: Jovis, Diaconatum: Veneris, Sacerdotium: Sabbato, Episcopatum suscepit. In tam indignos ad Ecclesiasticas dignitates sic detonat S. Gregorius Nazianzenus: *Heri sacrilegi, hodie sacri.* Et sanctus Hieronymus epist. 83. *Heri catechumenus, hodie Pontifex: heri in amphiteatro, hodie in Ecclesia; vespere in circo, mane in altario? Dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator?* Quasi diceret: quid indigniùs, quid totolerabiliùs?

Zonaras.

Nazianz. orat. 11.

Hieron. epist. 83. ad Oceanum

Excellens ille Antistes Sidonius Apollinaris, hunc Bardam, Photium cognominatum, depinxisse videtur, de altero huic simili agens: *Novus Clericus, & peccator antiquus: scientiâ levi, conscientiâ gravi.*

Sidonius lib. 9. epist. 2.

Non ætas spectatur, non scientia, multò minus probitas vitæ, ut sint, quos oôrim, & ultrò fassi sint, melius sibi uxorem ad manum fore, quàm Breviarium.

Inquos aptè cadit illud Divi Salviani: *Quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto?* Quare in iis, qui offeruntur, non amplitudo familiæ ex bonis Monachi, non potentum favor, non munerum corruptela, nun generis nobilitas spectanda est.

Salvian. ad Eccl. lib. 2.

Monitum hoc Petrus Damianus tradit alteri Eminentissimo Patri *Desiderio*, ab aquila petitum, quam describit pullos suos, nulla prioris generationis habita ratione, ad solem utique explorate: *Et quisquis illorum intrepidam oculorum aciem inoffenso tuendi vigore conservat, hunc ad propagandum Regii decus generis idoneum judicat; si quis autem lumina sua solis radio perstrictus inflexerit, velut degener, & indignus tam excellenti nobilitate, projicitur, atque tanquam exhæredatus, ac spurius inter filios non habetur.* Quæ inter verba elegantior dictio de eo, qui indolem suam oculo-

Damian. lib. 2. epist. 18. ad Desiderium.

oculorum acie, mentis vigore, & ingenita Pa- ... in virtute probavit: *Hunc mater ad propagandum regii decus generu, idoneum judicat.* O præclaram in voluctre ingenii solertiam! quando non ætas attenditur, sed mores probantur: nec desertur imperium naturæ; sed oculorum præstantiæ.

Pudeat à vulture superari hominem; circumspiciant Prælati, parentes, inter candidatorum, internatorum numerum, quis ille, quem ingenii acies, quem animi vigor, & virtus ad officii, & dignitatis, idoneum reddat; ignavum pecus, mente cæcum, & moribus lasciviens, tanquam suppositilium fœtum, hi è nido & familia: illi de gradu deturbent.

Utinam, ut concludam, ò utinam, quicumque offeruntur, & quicumque assumunt indignos ad ecclesiastica munera, *ad honores, & celsitudines graduum ecclesiasticorum, ipsis etiam angelis humeris formidandos*, secum expenderent, ... era, & pericula animæ, quæ incurrunt; ... dum districta ipsis supremo Judici ratio reddenda sit: *Væ tibi, Clerice, mors in olla: peccata enim populi comedis, at si propria tibi minùs sufficere videntur.* Si Clericum, si Pastorem, si Prælatum esse autumas, amplas decimas possidere, splendidè vestiri, lautè epulari, ab hominibus honorari, falleris. Audi, quid igneus Ecclesiastes Ordinis Prædicatorum memoret:

Fuit, qui diu laboravit, ut ad Episcopatum emergeret, voti compos factus, dum sub ipsam consecrationem rogatur: vis episcopari? respondit: ecquis dubitet, cùm tanto studio, & inflammato desiderio huc pervenire contenderim; sed dum ab eo insuper sciscitatur: vis reddere rationem in die judicii pro animabus? Respondit: nolo. Urgebant alii, dic, volo: disertè iterum reposuit, nolo, & cessit Prælaturæ, dicens: putabam, quòd esse Episcopum, nihil aliud esset, nisi comedere gallinas, &c. Hoc, quisquis munia, & dignitates ambis, utinam penès se maturè expenderet, quàm districtum judicium illos maneat, qui præsunt: *Venient, venient*, clamat Bernardus, *ante tribunal Christi: audietur populorum querela gravis, accusatio dura, quorum vixère stipendiis, nec diluère peccata: quibus facti sunt duces cæci, fraudulenti mediatores. Quid tibi, insipiens, delitia sapiunt? Quid delitia illa tacos delectant oculos, quibus mercaris tam grave judicium, tam dura temetipsum obligas ...?*

§. IV.

Primitias omnis laboris, & manuum nostrarum, Deo & Agno offerendas.

Quæ hactenùs dicta sunt ad filias, ut sese à teneris cum Virgine Maria in templo præsentent, & primitias virginitatis offerant; ... ad parentes, ne prolem cæcam, claudam, ... Deo, & Religioni consecrent, ea vos ... nès non concernunt.

Sed quas hic paucis subnecto, utiles praxes sunt, ut primogenita, primitias cordis & operis, quisque *Deo & Agno*, hoc festo Præsentatæ Virginis Mariæ, offerre queat.

Sacri Interpretes illud Exodi moraliter exponentes: *Sanctifica mihi omne* PRIMOGENITUM, cor nostrum Deo offerendum intelligunt: quia illud ante alia membra primùm in embrione formatur) estque nobilissima hominis pars, è qua vita, vigor, cogitatus, & actus procedunt; nam, ut inquit Hugo Victorinus: *In omni creatura, qua sub sole occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihilque Deo similius*; quapropter nihil aliud *quærit à te*, NISI COR TUUM: non victimas arietum, non vestes tuas pretiosas, non villas & prædia, non inaures aut monilia, non divitias tuas postulat: quoniam bonorum nostrorum non eget; sed id solum, & unicum: *Præbe, fili mi,* COR TUUM, quod ut triangulare est, totius SS. Trinitatis capax est. Accipitri, & falconi ab aucupe dari solet cor avium, quas prædati sunt; vide, ne stygii aucupi cor tuum devorandum tradas, sed Christo, qui è cruce prædatus est cor tuum. Ipsi ergò illud offeramus, & ipse illud nobis reddet purum, sanctum, quietum, lætum, ac beatum. Socrati ait Seneca: *Cùm multa multi pro suis quisque facultatibus offerrent: Æschines pauper auditor, nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi possum invenio: & hoc uno modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod unum habeo, meipsum. Hoc munus, rogo qualecumque est, boni consulas, cogitesque alios, cùm multum tibi darent, plus sibi reliquisse.* Quàm verò hoc donum super omnia aliorum, Philosopho acceptum fuerit, ex responso patet: *Cui Socrates: Quid ni tu, inquit, mihi magnum munus dederis, nisi fortè parvo te æstimas? Habebo itaque curæ, ut te meliorem tibi reddam, quàm accepi. Vicit Æschines hoc munere Alcibiadis parem divitiis animum, & omnem juvenum opulentorum munificentiam.*

Non Socrati, sed Deo, quisquis ades, cor tuum, id est, teipsum totum hodie repræsenta, cum omnibus facultatibus corporis & animi; multò te meliorem, puriorem, sanctiorem tibi restituet: & omnem omnium aliorum, qui ingentes cereos, damascenas pallas, vasa aurea aris obtulerunt, munificentiam vinces.

Doctor Angelicus, cum tota schola Thomistarum, aliisque gravissimis Theologis docent, quemlibet sub præcepto teneri, primo tempore, quo perfectum usum rationis, seu discretionis obtinuit, se per actum amoris convertere ad Deum, & sic quasi cor suum, amoris sedem, Deo offerre; sic enim ait: *Primùm, quod occurrit homini discretionem habenti, est, quòd de seipso cogitet, ad quem alia ordinet, sicut ad finem. Hoc est tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quod Dominus dicit: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Et alibi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Scio alios aliter sentire, atque hoc præceptum in prima rationis vigilia pueris non exploratum, & ut plurimùm non observari; laudabile tamen esse, ut ubi paulò provectiores sunt, nec istius meminerint, se actum amoris

Dei

Marginal notes: ... Aug. ... | Bernard. ... | Vincent. ... Dom. ... Pen... | Exod. 13. v. 2. Cornelius hic. | Hugo à S. Victore lib. 1. de anima. | Prov. 23 | Seneca lib. 1 de benef. c. 8. | S Thom. 1. 2 q. 89. art. 7. ad 3. Navarrus Sotus. Tolet. Bedoig. Banes. Cajet. apud Fagundez in præc. Decalog. lib. 1. c. 33 n. 6

Dei elicuisse, quo eum ex corde diligerent, illudque necte totos Deo cordis sui obtulisse, quamprimum & quàm perfectissimè, & ardentissimè exprimere nitantur; quo vestrum quemque exstimulet saluberrimum, ac pulcherrimum Divi Ambrosii monitum: *An nescis, ô homo, quòd* PRIMITIAS TUI CORDIS, AC VOCIS, *quotidie Deo debeas?*

Ambros. in Psal. 118. serm. 19. v. 4.

Alteram perutilem praxim ex his verbis Exodi celebris Scriptor Rabanus, ut primas & antelucanas diei cogitationes, & operationes Deo, velut primogenita, seu primitias offeramus: Primogenita, inquit, damus Deo, "cum ipsi primordia operum nostrorum offe"rimus, ut cedant in ejus laudem & honorem, utque ab eo prosperentur, & benedicantur; Eluxit in eo non homo plebejus, sed Rex Israel, gravissimis regni & bellorum negotiis implicitus: hic mane experrectus, primitias precum, desideriorum, cogitationum, operum suorum Deo offerebat: *Deus, Deus meus,* inquit David, *ad te de luce vigilo*; non ad negotia sæcularia, non ad contentiones, non ad vindictam, non ad gulam, & Venerem; sed *ad te Deus.* Hugo Cardinalis in illa verba, *ad te vigilo,* sic ait: *Multi autem vigilant ad mundum, ut rapiant. Iob 24. Mane primo consurgit homicida, ut interficiat egenum, & pauperem. Alii vigilant ad crapulam, Isaiæ 5. Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam:* primas cogitationes cujusq; attendite, consulis, cõsiliarii, causidici, mercatoris, mechanici, nobilis, rustici, conjugati, cælibis; hic curiam, hic lites, hic merces, hic officinam; mitto culinam, popinam, lupanar: nemo quæ Dei, quæ cæli, quæ animæ, quæ æterna sunt, cogitat. Quanta juvenum ac puellarum socordia, vel potiùs impudentia, tot beneficiorum Dei immemores mane plumis emergere, consulere speculum, crispare cincinnos, comere capillos, cerussare frontem, componere vestes, extergere manus, nec semel vel cor in Deum, nec poplites in terram, nec oculos in cælum figere.

Raban. in Exod. 13. Colon. hic.

Primitiæ diei & primogenita operum, Deo offerenda

Psal. 62.

Hug Cardin. hic.

Erubescunt meritò, & aversam à se, & domo sua veri ac vivi Dei faciem extimescunt, qui primas diei vigilias, & cogitationum ac operum suorum primitias idolo suo Pluto, Baccho, aut Veneri hactenus consecrarunt; sed animos & capita erigant, insolens est, quod dicturus sum.

In Japunia fertur mulier quædam tam incredibilis fuisse superstitionis, ut quotidie Amidam suum (quod nomen idoli erat, centies & quadragies millies invocaret; idque ut promptiùs faceret, dæmon eam primo diluculo identidem à somno excitabat. Hæc deinde, luce cælitùs delapsa, ad orthodoxam fidem conversa, pari numero, & pietate, sacratissimum *Mariæ* nomen, ejusque opem inclamabat, sanctis Angelis eam itidem sub auroram excitantibus. Si hoc nimium, unica saltem, & brevi precatione *Mariam,* ejusque filium *Iesum* salutate. Petrus Cluniacensis memoriæ proditum relinquit sua ætate vixisse homines ad Mæotidem paludem, usque adeò brutos, ut nihil aliud cultu divinitatis debito venerarentur, nisi quod iis quotidie è strato, vel cubili prodeuntibus, primùm occurrisset: si asinus fortè primus obviam factus [illegible] eum die adorabant; si hircus, sus, aut gl[illegible] lis, id ejus diei Numen illis erat. Ava[illegible] bolus primo mane cogitationes lucri, [illegible] auri objicit, ut hoc idolum adoret [illegible] a[illegible] tum diem circa illud occupetur. T[illegible] colorem, odorem, & saporem vini [illegible] Deum *Bacchum* primo mane salutet [illegible] per omnem diem, & in multam noctem potitando, & helluando colat, ac veneretur.

In Litteris Iapon. Tanciotum Mater dolorosa praxi 12. p. 702.

Kerry Hagiophilus seu triduũ pag 234.

Alter vix apertis oculis, iram, vindictam, & sanguinem spirans, *Marteum* primò sibi obvi[illegible] adorat; plerique *Venerem.*

Hoc primum vaferrimum & teter[illegible] cacodæmonis studium est, ut perapposite Cl[illegible]macos: *Est è spiritibus unus* (utique m[illegible]lignu[illegible] *qui præcursor dicitur, qui nos è somno surgentes protinus excipit: primum nostrum cogitatum inquinare nititur.*

Adstat & cælestis Genius, qui divina c[illegible]lestia, & æterna ingerit: expectat, ut ad [illegible]d Deum te convertas, ubi experrectus [illegible] Dic Domino: PRIMITIAS DIEI TU[illegible] *enim tota ejus, qui prius occupaverit.* M[illegible] *verbum operarius quidam optimus locutus est. ab ipso matutino tempore, inquit, cursum totum meum duci scio.*

Primordia cogitationum tuarum D[illegible]o c[illegible]secra, cujus rei momentum, gravissim[illegible]cessitas, vel ex eo colligi potest, quòd [illegible] experrectus à somno, velut tabula rasa [illegible]uæ facillimè colores omnes suscipiat. [illegible]natur ergò inimicus in ea tabula inanissimarum [illegible] rum effigiem, aut etiam improbissimarum [illegible]ciem fœdis suis coloribus pingere, ut i[illegible]am [illegible]inceps velut propriam, reliquo diei cur[illegible]ul possideat; quod argumento è jure petito, [illegible]nifestum erit. Est etenim jur[illegible] o[illegible] u[illegible], quam magnus Imperator Justinia[illegible]us [illegible] *Si quis in aliena tabula pinxerit, tabulam pictoris cedere,* & retineri ab eo, qui pinxerit. Anima tua, rasa est mane tabula, vide cui sinas manum admovere, coloresque adjicere. Si facias potestatem dæmoni in ea delineandi cogitationes obscœnas libidinis, furibundas iracundiæ, molles lasciviæ, ignavas pigritiæ, jam ra[illegible] cedet malefcriato illi pictori.

In [illegible] lib [illegible]

Verumtamen ut ibidem dicitur, ob d[illegible] malom, *competit Domino tabula, furti actio.* Certè jure, & lege agere potest hominum Procreator, in prædonem illum furiosum, in alienum involantem; est Numinis illa cordis, animique possessio: illius est, in illa tabula, beneficentiæ, amorisque sui penicillo, gratiæ colore, omnium virtutum mirabiles species, & pulchritu[illegible]em effingere. Est igitur illo tempore max[illegible]ne [illegible]t tuendum ab affectionibus improbi[illegible] ne [illegible] tiæ veneno imbutum, functiones & b[illegible]uin contaminet. Cavendum, ne tunc ex[illegible] tur injuriæ acceptæ memoria, aut [illegible] petulantis voluptatis; quòd si [illegible] quietem afflaverit, obnitendum est [illegible]n dæ illæ cogitationes, & inau[illegible] ex[illegible] excipiantur, & inhæreant, [illegible] hei po[illegible] test, celerrimè pellantur; [illegible]ut [illegible] Justiniano iterum mutuer: *Si Tertius zampl[illegible] tam in Mævii solo posuerit, Mævii planta [illegible]*

[illegible]

modò radices egerit; ante enim, quàm radices egerit, ejus permanebit, cujus fuerat; sic tetræ, & noxiæ cogitationes, quas dæmon immittit, si quamprimum repudientur, nec radices agant, pertinebunt ad auctorem,) nec menti, aut puritati nocebunt.

Hæc è jure petita; sed efficaciora supperunt è sacris paginis argumenta, ut ubi tetrum phantasiæ monstrum primò mane malus genius objecerit, illud non abcessere, in fugam agere, sed ne revertatur, obtruncare, & penitus interficere studeamus, ut cum purpurato Vate epinicium canere, & gloriari quisque

Psal. 110. possit: IN MATUTINO *interficiebam omnes peccatores terræ.*

Appian. lib 5. civil. Hic mihi in mentem venit, quod scribit Appianus scribit enim, florentem Romanorum exercitum, cùm è castris prodeunti occurrisset Æthiops, subitò gladiis illum obtruncasse, veluti inauspicatum prodigium, à quo malum denuntiari, protendique sibi putabant. Ita tibi faciendum; primum diei cursum auspicanti, è lecto, velut è tentorio miles Deo devotus in aciem certaturus progrederis, quòd si nigra aliqua, aut tetra fœdæ cogitationis forma instar Æthiopis, sese objecerit, ilicò fauces elide, & interfice, ne si malè diem inchoaris, pejus & inauspicabilius finias, & illud sacri Vatis Sophoniæ in vobis locum habeat:

Sophonia 3 DILUCULO SURGENTES *corruperunt omnes cogitationes suas.*

Pagninus vertit: *Corruperunt omnia opera sua*; quia nihil magis pronum, quàm ut ex malis cogitationibus, & pravis desideriis, opera pessima consequantur.

Bonavent. in speculo, part. 2 c. 1 Occurrat vobis ad auroræ crepusculum, Seraphicum S. Bonaventuræ monitum: *Quia illa hora est, in qua Christus surrexit, & dæmonem, ac mortem triumphavit; tunc est tempus allidendi ad petram parvulis, mortificandæ carni, & recreando spiritui oportunum.*

Tunc tempus est Aulicorum more, ad cælestem aulam nos conferre, Regem Regum salutare, ut ejus gratiam, favorem, & benedictionem eblandiri mereamur; quod cælesti prodigio, & stupendo miraculo Deus omnibus manifestum esse voluit, dum ut dulcedinem suam in filios demonstraret, quaque nocte pluit illis manna ad manducandum, tam prodigiosæ virtutis, ut si ante solis ortum collectum non fuisset, ilicò colliquesceret, ac putresceret, atque hoc pane Angelorum, in quo omnis saporis delectamentum, frustrarentur; cùm tamen primo mane collectum, in fornacem missum, saporem suum servaret. Quorsum hoc tam constans & perpetuum miraculum? Sapientissimus

Sapient. 16 v. 27. & 28. mortalium edisseret: *Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio Solis calefactum tabescebat: ut notum omnibus esset,* QUONIAM OPORTET PRÆVENIRE SOLEM AD BENEDICTIONEM TUAM, ET AD ORTUM LUCIS TE ADORARE. Hujus tam amabilis portenti si causam exquiras, non aliam profectò invenies, quàm ut vigiles, solicitos, & solertes omnes reddat, id primo mane manna cælestis gratiæ & divinæ benedictionis colligendum, Deumque largitorem omnium supplice prece adorandum.

Chrysost. de orando Deo. Sic porrò Chrysostomus: *Dic mihi, qua fronte Solem intueberis, nisi priùs adores eum, qui lumen illud dulcissimum oculis tuis immittit?*

Virg. Ipsi ethnici, gentiles, & idololatræ hic nobis ruborem incutiunt, quibus hoc solemne: *A Iove principium.* Alexander Severus primo mane Jovi rem divinam faciebat: Apollonius Thyanæus suos docuit ad auroram cum Diis versandum: Æneam laudat Virgilius ex eo:

Vota Deum primo victor solvebat Eoo. Virg 11. Æneid.

Credebant enim, ut quidam eorum Poëtarum finxêre, Jovem indies primo mane horam dare hominum audientiæ, & aurem præbere eorum querelis & postulatis. His Christiani complures segniores, ingratiores, & longè deteriores reperiuntur, quibus Deus, potissimùm primo mane, patulas & benignas aures præbet, ut Isaias testatur: *Dominus erigit mihi* MANE, MANE *erigit mihi aurem*; hoc perspectum erat Regi maximo, & potentissimo Israël, qui Deum quasi prævenire satagebat: MANE, inquit, *oratio mea præveniet te.* Et spe plenus, se repulsam non passurum, ait: *Quoniam ad te orabo Domine,* MANE *exaudies vocem meam*; at quid *mane?* Numquid non sufficiebat dicere: Orabo, & exaudies mi nimirùm? nôrat enim ad primam gratiam aucupandam, & quidvis impetrandum, studium & diligentiam, quâ cæteros mortales prævertebat, primitias precum, suique obsequii oblationem, Deo gratissimam accidere, ut rectè in hunc locum Chrysostomus: *Vides vehemens studium, à principio diei hoc ago: audiant, qui post innumerabilia opera tandem veniunt ad orationem; at non sic David,* SED AB INITIO DIEI DABAT DEO PRIMITIAS; *oportet enim, inquit, ad gratias tibi agendas Solem prævenire, & ante ortum lucis te interpellare.*

Isa. 50. v. 4. Psal. 84. v. 14. Psal. 5. 3. Chrysost. in Psal. 5. v. 3.

Ubi solidas rationes adducit, cur antelucanæ preces divino Numini gratæ sint; quia primitiæ illi ut supremo Domino jure debentur: unde malesana, & indigna illa quorumdam Christianorum, imò & Religiosorum perversitas, qui contra fas, contra jus, quas Deo debent, creaturæ primitias deferre non verentur, dum primas curas, & cogitatus sæcularibus, lucro temporali, occupationibus ludicris, aut inutilibus studiis consecrant. Frustra quis eorum in temporalibus emolumentum, aut benedictionem, vel in negotiis successum, in studiis profectum sperat, qui mane vigiles fuit, ut terrenis, & fluxis negotiis, aut studiis vacant, suffurantes primitias precum & oblationum Deo debitas: *Vanum est illis ante lucem surgere,* vanum & insanum lucrum è negotiis, aut plausum è studiis expectare, si priùs benedictionem à Deo non acceperint; quis fit, nobiles, mercatores, opifices nihil è fundis fructuum, nil è negotiis, ex opere manuum emolumenti acquirere; sed contra sterilitatem agrorum, jacturam pecorum, ac mercium, gravissimaque infortunia incurrere, nisi quia Deum suis precum primitiis defraudant: sic Religiosus,

V. Nigronium in Regul. I. commun. n. 25.

sus, qui tempus orationi suffuratur, ut studiis, concionibus, aliisque lucubrationibus vacet, & operam & oleum, omnemque laboris sui fructum perdidisse deprehendet. Quare ut omnes actiones diei, lucro spirituali, & temporali, rectè peragantur, *præveniamus solem ad benedictionem*, & ad ortum lucis adoremus Dominum; nemo hîc negotiorum, officii, familiæ occupationes in excusationem prætexat: nemo vestrûm tot, tantisque curis, tamque gravibus negotiis implicitus, ut Europæus ille Alexander, Carolus V. Imperator, qui inter belli tumultus, & circum strepentes Turcarum, ac Barbarorum acies, primo mane duas solidas horas cum Domino exercituum prolixis precibus, & calidis lachrymis agebat, & divino sacrificio intererat; quo eam benedictionem, & optatissimum eventum sortitus est, ut numquam victus, semper victor gloriosissimè triumphârit. Hæc in rebus gerendis felicitas & vos subsequetur, si eum æmulari studueritis.

Surius in comment. a. 1556.

Josephus lib. 3. de bello Judaico, cap. 3. Romanorum disciplinam miratur, & prædicatione sua in cælum effert: *Mane*, ait, *milites quidam ad centuriones; illi verò ad Tribunos conveniunt salutatum, cum iis ad summum omnium ducem & Imperatorem adeunt, à quo sumunt signum, seu tesseram.* Ita vobis faciendum est. Adeundi mane cælestes illi Centuriones, Angeli vestri tutelares, illi primò salutandi; quibus ducibus accedendum ad tribunos, Præsides vestros, qui in cælesti acie tenent principatum; cum illis, adeunda est primò summi Imperatoris mater: sunt etenim cumprimis sodales illius Imperatoris milites, & vos omnes clientes; illa nobis, uti numquam deesse potest, ita semper adesse cupit; nam ut benè Bernardus: *Non deest Mariæ potestas, quia mater est omnipotentia: nec impetrandi facultas, quia mater est sapientia: nec voluntas, quia mater est misericordia.* Saltem flexis humi genibus, conversis ad eam oculis, conjunctis manibus, primò mane pete, ut tibi benedicat: luctare cum illa, ut Jacob cum Angelo, & dic: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Dic saltem, si hoc nimium est, ut Bernardus sub diei crepusculum, illi in Afflegemiensi monasterio, imagini: *Salve Maria*; cui illa: *Salve Bernarde*; quid scis, an non & tibi respondebit: Salve Joannes, salve Petre, salve Nicolae; saltem benedicet Virgo benedicta inter mulieres.

Josephus de bello Judaico. lib. 3. cap. 3.

Bernard serm. de Assumpt.

Gen 32.

Tandem illâ manu ducente, eundum ad supremum Imperatorem in tentorio, seu tabernaculo suo delitescentem, ab hoc Domino exercituum, & archistratego nostro, vitæ gerendæ tessera capienda est, quam quisque, si arrectis auribus adstet, pro officii, & muneris sui dignitate accepturus est, & cuique statui assignandam relinquo.

Hoc ago, ut ad tabernaculum Imperatoris nostri, ad thronum gratiæ, *sanctissimum*, inquam, *Sacramentum*, primò mane velociter accurramus, omnes prævertamus, & *& præveniamus solem, ad benedictionem*, multoque celerius, ac solicitius, quàm filii Israel ad manna, nos ad rorem gratiæ colligendum, ipsumque verum, ac vivum panem Angelorum, SS. corpus Christi manducandum, aut saltèm prælibandum festinemus.

Cui rei argumento est textus Græcus, qui illud Sapientiæ: *Oportet prævenire solem ad benedictionem*, scitè exponit: *Ad bonam gratiam, seu Eucharistiam.*

Præluxêre in hoc piæ viris Magdalena, aliæque piæ mulieres, quæ primo mane, quæ lucescit in primo sabbati, accurrerunt ad corpus Jesu; ut primitiis non tam aromatum, ac unguentorum suorum ungerent, quàm piis lachrymis, inflammatis desideriis & ardentibus amoris affectibus prosequerentur. Mitto Magdalenas de Pazzi, Theresias, Claras Assisias, de monte Falco, Catharinas Senenses, Bononienses, quæ Christum primo mane non in sepulchro mortuum, sed redivivum quærere consueverunt. Illustre vobis P. Petri Cottoni, quem Angelum terrestrem dicere possum, ob intimam cum tutelari suo familiaritatem, exemplum proponam: de sancto viro ita narrat, item sanctus Scriptor P. Joannes Suffrenus in anno suo sancto: hoc de se testimonium virtus P. Petri Cottoni ex me, merito suo exprimit, *ut asseram illum quot diebus, seu hyemali, seu æstiva tempestate, ab hora quarta matutina, venerabile Sacramentum piè ac reverenter adiisse: tanta constantia, & assiduitate, ut qui in cellula eum non reperiret, ædem sacram adiret, propè certus id temporis istic inveniendi*: quo autem fructu, in perplexis aulæ negotiis, in anxiis cum heterodoxis congressibus, subjungit: hoc verò studium Christus liberaliter remuneratus est. Siquidem præter insuetos divinæ lucis, quibus ejus illustrata mens est, sive ad firmissimam de Eucharistica veritate fidem, sive ad acrem super illa cum hæreticis disputationem; insuper tam suaves ac vividos pietatis in Eucharistiam sensus experiebatur, ut ita ipse mecum: mi Joannes, si quando in cælo me conspecturus es, ea profectò pietas in hoc amabile mysterium, mihi aditum reserârit. Ita ipse. Tum subdit P. Suffren, hæc quidem pietas, eò mihi admirabilior visa est, quod non modò eam coluit, cum Theologiæ studiis mecum dabat operam non modò cùm in Societate docuit, aut ad populum habuit conciones; sed ipsos constanter quatuordecim annos, quibus in aula versatus, Henrico IV. & Ludovico XIII. à Confessionibus, & Concionibus fuit, distentus licet tantâ negotiorum multitudine, & varietate. Idem favor, eadem benedictio vobis in dubiis consiliis, in perplexis familiæ negotiis, in litibus, & controversiis, aliisque difficultatibus speranda est, si ad summam Regis curiam, ad thronum gratiæ ante ortum lucis adoraturi accedatis.

P. Suffren. L. Anni 5. cap. 15 §. 2. in [illegible] ta Cottoni.

Nunc ut finem imponam, ecquid hoc die, quo se Virgo in templo totam Deo repræsentavit, ut præsentem ejus opem in quavis necessitate experiri possitis, ei offeretis? Non vos teneat doni exiguitas, licet Virginis summa sit dignitas. Tametsi magni Numinis ephœbi illam venerentur ut reginam; illa testatur se esse ancillâ, ideò quamvis maximè, placebunt munera

Quid Virgini in te[illegible] præ[illegible] tæ à [illegible] offerendum?

nera etiam minima. Tu, tu Theologe, Cauſidice, Philoſophe, ſtudioſe, qui toties moves digitos, & verſas articulos ſcribendo, offer Virgini cum litteratiſſimo viro, Juſto Lipſio, tuum calamum, ut eo primam paginæ frontem, *Mariæ, & Ieſu* nomen exares, ut eò nullam ducas lineam, quæ honori ejus, aut filii maculam inducat.

Tu vir nobilis, dives mercator, cui divitiæ affluunt, primo tibi foras prodeunti mendico, nummum elargire; quâ liberalitate, pia ac potens matrona Conſtantinopolitana, ante ortum ſolis miram à Domino benedictionem impetravit: nam cum unica matri filia; ſanguine nobilis, formâ præſtans, & opibus abundans eſſet; ſtatuit ex ſuo & mariti conſenſu, generum illi potius *humilem & timentem Deum*, quàm primarium, & divitem, moribus diſſolutum, & præ dominantem quærere. Quare illud conſilii initum, ut qui primùs Eccleſiam ingrederetur, filiam in ſponſam, & opulentam hæreditatem in dotem haberet. Et ecce juvenis pauper, & inops, primo mane templum ingreſſus hanc auream fortunam adeptus eſt, ac matris pietas totam familiam benedictionibus replevit.

Ros. vniuſ. vita Patrum lib. 10. c. 1.

Hic quoque B. Jordano. II. Ordinis Prædicatorum Generali, etiamnum adoleſcenti, laudatus mos fuit, primo ſibi pauperi obvio eleemoſynam impertire; cui cum ſemel nummus ad manum non eſſet, cingulum argento, & auro vermiculatum ei donavit; quo ut templum ſubiit, Chriſtum è cruce pendentem, in ſignum, & pignus amoris tam grati muneris, præcinctum vidit.

Hæc & tu æmulare, aut ſi lubet, primum ſub auroram aræ, vel imagini Virginis Matris, cereum accende, ut tota die in omnibus viis, & actionibus tuis, *Illuminatrix cordium* Virgo Maria te illuminet.

Quin & acceptum ſibi non ſemel comprobavit, ſi primi qui in horto floſculi prodiere, anemones, hyacinthi, tulipæ, lilia, roſæ, aræ ejus ut primitiæ præſententur.

Eluxit in hoc ſtudio ſanctimonialis Ordinis ſancti Dominici, *Paulina de Conceptione* nuncupata. Alebat illa ad feneſtram cellulæ ſuæ teneram Roſaceam plantam, quam omni cura & induſtria rigabat, ac excolebat, ut primas inde Roſas progerminantes in ara Matri ſuæ offerret. Nec irritus labor, aut opera fuit: planta etenim ter in anno, unam quaque vice roſam inuſitati odoris, & venuſtatis intempeſtivè protulit quindecim foliculis in formam cordis complexam: primam feſto Aſcenſionis Domini: alteram feſto Pentecoſtes: tertiam feſto SS. Trinitatis. Quo Virgo Mater acceptam hanc Paulinæ pietatem ſibi oſtendebat, & myſticè figurabat, illam per 15. virtutum gradus ad apicem perfectionis aſcenſuram, quotque Roſæ folia, tot cordis ejus pia vota, & flagrantia deſideria agnoſcere.

Iohan. de Marieta in SS. Monial. Ord. Prædicat. tom. 2. part. 3.

Ergo quotquot eſtis, Virgini hodie Præſentatæ Roſas, & *manibus date lilia plenis*.

Virg. 6. Æneid.

At ne quis hâc ſolennitate expers ſit muneris, habent etiam quo degeneres tantæ Matris filii, ejus gratiam & benedictionem ſibi demereantur: tu ſalax juvenis, qui emiſſitiis oculis lenocinaris, & blandiris, offer Virgini binos tuos oculos, quibus teſteris, te eam ferre in oculis, imò plus te amare eam, quàm pupillam oculi tui, & icto fœdere, dic cum Jobo: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem de Virgine*, quantavis formâ, & pulchritudine fallaci præditâ, niſi de ea Virgine, quæ eſt Regina Virginum, & pulcherrima mulierum. Si tale ſit tibi fœdus, nunquam mens tibi erit fœda: ſic efflorèſcet in tuo vultu virginalis verecundia, in totius corporis ſcena virginalis modeſtia: ſi gemini tui oculi jugiter occupentur hujus Virginis contemplatione, illos ſuos miſericordiæ oculos ad te convertet, eoſque è ſuis oculis emittet, quibus te illuſtret radios: quibus inflammet igniculos: atque ad ejus honorem vel augendum, vel tuendum aculeos.

Iob. 31.

Sic fœnerator injuſti lucri crumenam: ſic potator temulentiæ amphoram, concepto vitæ melioris voto, Virginis pedibus ſubſternat, ut aliquando eum omnibus Sanctis in templo gloriæ præſentari mereatur.



FESTUM

22. Novemb.

SANCTÆ CÆCILIÆ

VIRGINIS ET MARTYRIS.

MUSICORUM PATRONÆ.

Laudate eum in Chordis ET ORGANO. Psal. 150.



CÆCILIDES MUSÆ *paulò majora canamus.* Virg. Eclog. 4.

ARGUMENTUM.

MUsica, quæ homines & Cælites, mirabili atque amabili quâdam insaniâ in admirationem & stuporem rapit, tum profanis, tum sacris encomiis jure meritissimo prædicatur: quam Verbum Infans primam è cælis in terras devocavit, ipsemet factus cantor mirabilis, qui sui amoris cantico omnium corda incantavit, & divinus factus Orpheus, bruta passionum monstra mitigavit; ab hoc Cæcilia edocta, *libidine inflammatos, obscænos ut sues, savos ut leones domuit*, ac suavissimo vocis suæ modulamine quadringentos Barbaros ita incantavit, & mansuefecit, ut spretis idolis, vero Deo sese victimas immolârint. (Clem. Alex. Exhort. ad gent.) Quomodo autem omnes boni Musici, cantores & cantatrices esse, ac Deum laudare *in chordis & organo* queant, morali doctrina exponitur, atque unà musicam ad omnes perturbatos animi motus componendos conferre, variis historiis ostenditur. (Psal. 150.) Sed ut idem organum pulsans imperitus, inconcinnos modulos edit, & barbarum quid insonat; peritus verò omnium aures animosque suo modulamine oblectat; ita lingua organum est, quâ multi ad obscænas cantilenas, quæ musica diaboli est, & orbe eliminanda, abutuntur: alii verò eam in divinas laudes, & cantica spiritualia resolvunt, ac cælesti melodiæ præludunt, dum Religiosi, ac Clerici psallentes non voce tantum, sed & in cordibus suis hymnos Deo cantant, quibus *Principes conjuncti psallentibus*, id est ipsi Angeli, alternatim concinere auditi sunt.

§. I. CÆCILIA *Organum Spiritus sancti.*

Psal. 150. §. II. *Quomodo quisque nostrum laudare queat Deum* IN CHORDIS ET ORGANO: *Quod juvat, uti omnis arguta musica, ad varios affectus excitandos, & motus animi componendos.*

§. III. LINGUA DEI ORGANUM, *quo aliqui modulantur obscœna diaboli cantica.*

Isidor. Pelus. lib. 1. cap. 108. §. IV. CANTANTIBUS ORGANIS, CÆCILIA *Virgo in corde suo soli Domino decantabat.* Breviat. Rom.

FESTUM SANCTÆ CÆCILIAE VIRGINIS ET MARTYRIS, MUSICORUM PATRONÆ.

Laudate eum in Chordis ET ORGANO. Psal. 150. v. 5.

Synodo 7. Act. 2.



Pex ingeniorum, *præcipuus Pater*, & *optimus Doctor* Divus Augustinus, artificiosam mundi machinam contemplatus, cum plurimis encomiis eam posset decorare, unico contentus, carmen appellavit; sic enim epistola 5. ad Marcellinum: *tamquam* EXPOLITISSIMUM CARMEN, *condidit mundum*; in numero scilicet, pondere, & mensura; vel instar musici concentus, ut ex Isaia, juxta 70. epist. 28. contendit idem Augustinus: *Qui profert* NUMEROSE *sæculum. Unde*, loquit alibi: MUSICA, *id est scientia modulandi, ad admonitionem magna rei, mortalibus Dei largitate concessa est.*

Augustin. epist. 5. ad Marcellinum. Idem epist. 28. Idem lib. 11 de civit. c. 18. Deus Auctor & inventor musicæ.

Errectè quidem dixit, cùm Deus omnium musicorum, sine controversia princeps sit, cujus nutu numerosissimus universi concentus, & mundi harmonia perpetuas concordiæ servat leges; atque ut omnia certo quodam numero, ac mensura condidit, sic illa videntur ab ipsis incunabulis instillatam retinere numerorum suavitatem, quæ nos in notitiam tanti artificis, ac auctoris inducit, magno teste Gregorio Theologo: *Quemadmodum*, inquit, *ille qui citharam affabrè constructam, & elaboratam, conspicit; ejusque concentum audit, ipsum cythara artificem ac cytharœdum mente reputat, licet sibi de facie ignotum; ita eum, qui mundi harmoniam percipit, mundum à Divino conditore, & architecto, quamvis ab eo non videatur, creatum, intelligere necesse est*, dum tantam, tamque variam, ac dissonam elementorum, orbiumque cælestium, inter se suavissimè concordantiam, melodiam, admirando contemplatur, & contemplando admiratur; quod non alia, quàm organi similitudine, sapientissimus mortalium exprimendum censuit: *Sicut* IN ORGANO *qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt*; in quæ verba Robertus Holcot Deum organistam constituit, dicens: Sicut *organizator* in instru-"mento musico efficit harmoniam, ex diversa "tensione, & moderatione chordarum, juxta "scientiam artis suæ, & pro libito voluntatis "suæ, facit eandem chordam modò reddere "acutum sonum, modò gravem; & tamen "*semper servatur bona harmonia, & consonantia de-*"*lectabilis* in operatione sua; eodem modo Deus utitur pro voluntate sua elementis, &" cæteris creaturis ad beneficia electorum, &" supplicia reproborum, pro libito voluntatis" suæ; & tamen hoc non obstante, *consonantia &*" *harmonia, quæ est inter elementa, non dissolvitur.*" Quin & antiqui Platonici, ac Pythagoræi, credebant cælos æqoabili suo motu, seu modulatione, suavissimam concire harmoniam, & ut ipse Plato in libris de Republica loquitur, existimabant Sirenes singulas, singulis orbibus insidere. Addebant homini discendam musicam esse, ut faciliorem inveniant reditum ad suam originem.

Greg. Nazianz. orat. de Theolog.

Harmonia mundi, & cælorum concentus.

Sapient. c. 19. v. 17. Holcot. hic

Gal'utius in v orat. Arist. pag. 314.

Eandem in somnio Scipionis depingit Tullius, in has voces prorumpens: Quis est hic" qui complet aures meas tantus & tam dulcis" sonus? hic est, inquit, ille, qui intervallis con-" junctus imparibus, sed tamen pro rata pro-" portione distinctis, & impulsu, & motu ipso-" rum orbium efficitur, *& acuta cum gravibus*" *temperans, varios æquabiliter concentus efficit:* ne-" que enim silentio tanti motus incitari pos-" sunt: & natura fert, ut extrema ex altera par-" te graviter, ex altera autem acutè sonent. Ab hac opinione non multum decessisse videtur Mediolanensis Ecclesiæ lumen, & orbis culumen D. Ambrosius, dum præfatione in librum Psalmorum ait: *Ipsum axem cæli fert quorundam sermo*, QUADAM PERPETUI CONCENTUS SUAVITATE VERSARI; *ut si assuetudo permitteret, sonus ejus extremis partibus terrarum audiretur, ubi sunt quadam secreta natura.* Hæc Philosophi, qui cælos solidos ponunt, aut attritu, aut orbium mutuo, se penetrasse, & elucidasse augurantur; non tamen hæc ut fabulosa sanctus Doctor vult explosa, cùm & arborum rami inter se collisi, & ipsa nemora, saxa ac scopuli clamantibus resonent, & suaviter obmurmurent: unde sic prosequitur: *Nec id ab ipsius natura usu alienum videtur, quandoquidem vox emissa, gratiori plausu in nemoribus resultet, aut montibus, & suaviori sono* (per echonem) *ipsi reddant quod acceperint; in scopulis quoque ipsis, & lapidibus reperit natura quod delectaret.*

Cicero in somnio Scipionis.

S. Ambr. præfat. in lib. Psalm. Et Greg. Nyss. tr. 1. in psalmos cap. 3.

Amb. cit.

In eundem sensum, & sententiam, scribit Nysseni Antistes, Verùm dum hæc orbium celestium, nescio quæ amabilis me tenet insania, ex alto Prophetam intonantem audio: *Concentum cæli quis dormire faciet?* Quis illam harmoniam *silere?* Quis altiori choro, & organo illam obtundere, obscurare, auribus nostris obsurdescere, & obturare faciet? Non

Greg. Nyss. cit. Iob. 38. v. 37. Sanctius hic.

Orphei, non Ariones, non Amphiones; sed cælestis illa musarum Urania, & musicorum præses, ac pattona, CÆCILIA, quod canticis, & organis Spiritu Dei plenis, ipsos empyrei choraulas, & nuptiarum Agni paranymphos, attonito Valeriano sponso, & Tiburtiò germano, phonascos excivit, totamque Superum aulam in admirationem rapuit. Quæ ut & aures vestras, animosque attentos habeat.

Virg. CÆCILIDI *Musæ, paulò majora canamus.*

§. I.

Caecilia *Organum Spiritus sancti.*

Corpus organum

PHilosophorum Princeps Aristoteles, concinnam corporis humani compagem, tot ossibus, nervis, venis, arteriis, velut tot organi fistulis instructam cõtemplatus, de ea aureum illud effatum, pronuntiavit: *animam esse actum* CORPORIS ORGANICI; quod Doctor Angelicus confirmat in illud Pauli 1. Cor. 12. *in uno spiritu omnes nos*: ubi sic aptè disserit: *corpus hominis unum est: quia ejus perfectio integratur ex diversis membris, sicut ex diversis anima instrumentis, id est,* DIVERSIS ORGANIS (fistulas intelligit) *constitutu.* Qua ex aptitudine, innatus quidam homini musices amor, & studium videtur, ut Divus Gregorius Nyssenus (quem * sanctus Germanus, virum doctri-„na singolarem, & eloquentiâ insignem, clara-„que sanctitatis æstimatione, per omnium „ora decantatum deprædicat) observavit, qui ait: *idem ostendit* ORGANICA CORPORIS NOSTRI STRUCTURA, *quam natura ad musicas operationes scitè effinxit: interni enim licet arteria velut tibiam, palati velut laminam, seu tabulam, quâ nervi intenduntur, moderationemque quæ fit per linguam, & maxillas, & per os, quasi per chordas; cum igitur omne illud quod naturale est, natura sit amicum demonstratumque sit, musicam naturæ esse consentaneam, ideo magnus David philosophiæ de virtutibus, melodiam & concentum immiscuit: & sublimia illa dogmata, mellis quasi dulcedine aspersit, per quam, aliquo modo, seipsam intuetur, & curat natura.*

S. Thom. in 1. Cor. 12.

* S. Germanus apud Photium. Acthon 6 partis. 5 Greg. Nyss tract. 1. c. 3 in psalmos.

Musica homini connaturalis.

Eapropter, ut omnia deessent, deberet humanitatis nostræ compactio, & spiritus noster intus agens, & animans corpus organicum, ad harmoniam nos excitare, ejusque supremum phonascum admirari, & adorare; quandoquidem homo quantus quantus est, & ORGANUM, *& lyra, & multarum vocum instrumentum, ad concentuum suavitatem aptissimum, summi Dei compositum manibus fit*, ut Clemens Alexandrinus loquitur; sic ut omni homini inditum, & innatum sit, cantu, & concentu delectari; teste Philosopho: *Videtur cognatio quædam nobis esse cum harmonia, & rythmis*; quod variis illustrant sancti Patres argumentis, ac comprimis Chrysostomus, rantam tradit humanis mentibus cum canticis esse consensionem, ut vel infantes (quod experientiâ quotidianâ exploratum habetis) si inquieti sint, atque in [illegible]tum, iracundiamque effusi, illius soni dul[illegible]dine sopiantur, rideant, aut placidè indormiscãt. *Nostra certè natura inquit; usque adeò* DELECTATUR CANTICIS, ET CARMINIBUS, *& tantam cum eis habet necessitudinem, & convenientiam, ut vel infantes ab uberibus pendentes, si fleant, & affligantur, eâ ratione sopiantur. Nutrices quidem certè, quæ eos gestant in ulnis, sæpe adeuntes & redeuntes, & quædam* PUERILIA EIS CARMINA DECANTANTES, *supercilia eorum ita sopiunt.* Sed non opus ad eam rem exponendam ad cunas infantium, ingeniumque recurrere, cùm in vitis, & illis quidem omni exceptione clarissimis, testimonia sint quæ videmus. In Abrahamo documenta lucent, quem Gregorius Nyssenus prodit sub quercu tabernaculum fixisse, non inopiâ domicilii, sed quia tenebatur ea, quæ ex ramis edebatur, dulcium vocularum suavitate, in quibus *avium cantatricum erant officinæ*. ad quam innocentem, agrestamque symphoniam, motus animi componebat, & ad venerandum Numen animabatur. Quid si, quod idem Doctor de Basilio, *auream philomelam*, Cæciliam, quæ dies noctesque in dulci hymnodia traducebat, audivisset; Sic Aggæus, & Zacharias Prophetæ, primi omnium *alleluia* cecinerunt. Præ omnibus David, quem Divus Athanasius ait primum *accepisse a Deo spiritum* PSALLENDI; eundem vocat Augustinus, *virum* IN CANTICIS *eruditum, qui* HARMONIAM MUSICAM *non vulgari voluptate, sed fideli voluntate dilexit.*

Chrys. in psal. 41.

Greg. Nyss. orat. 3 de Resurrect.

Idem de laudib. Basilii.

Athan. [illegible]

Feustra his comprobandis, pluribus immoror; cùm omnium instar, Deus homo, & Verbum infans, musicâ delectari visus sit; dum primo cælestes choraulas, & divinam in terris musicam audiri fecit; insuper & cantoris partes ipse suscepit, ut efferatos hominum animos leniret, & amoris sui cantico quasi incantaret: hoc Clementis illius Alexandrini, de divino verbo effatum est; nam postquam risit, & explosit fabulosos illos Orpheos, & Amphiones, non TALIS, inquit, MEUS CANTOR EST; *solus quippe ex iis, qui umquam fuerunt, difficillimas feras, homines mansuefecit*; quod statim explicat: *nam saevos ut Leones, ad mansuetudinem: fallaces ut vulpes, ad sinceritatem: obscænos ut sues, ad continentiam: & sic alios, aliis vitiis propensos, ad alias virtutes, illis vitiis contrarias, evocavit*; hoc autem *concentu virtutum*, nihil est suavius. Quis, amabo vos, difficillimas feras, gentiles, idolatras, Valerianum & Tiburtium *mansuefecit*? CÆCILIA; quam solus ille divinus cantor incantaverat. Quis libidine inflammatos, *ad continentiam induxit*? CÆCILIA *Quis saves ut Leones, ad mansuetudinem? fallaces ut vulpes, ad sinceritatem? obscænos ut sues* ad triumphandam Venerem & Cupidinem, è cultu idolorum, ad veri & summi Numinis [illegible]orationem, effuso sanguine contestandam, quadringentos homines barbaros & efferatos, & quotquot hujus cælestis Psaltriæ, in morte suavissimè canentis vocem audiverant, Christo peperit, Virgo minimè sterilis CÆCILIA, quæ cantico Domini omnes incantabat, & omnia

Verbum infans primo Musicam è cælo in terras vocat.

Clem. Alex. hort. ad gentes.

Clemens Alex. ad hort. ad gentes.

Arist. lib. 8. politic.

S. Cæc. 400 convert. Metaph. Ribaden.

philet-

philtra, ac magicas amatorum incântationes excantabat; fuerunt tum temporis, & nunc sunt gentiles idololatræ, hæterodoxi, qui quibusdam cantilenis Ecclesiam tentârunt; sed non excantârunt: *multi*, inquit, S. Ambrosius: *Ecclesiam tentant, sed saga artis carmine, ei nocere nonpossunt.* At cur suis non proficiunt incantamentis? pergit Ambrosius: *Nihil* INCANTATORES *valent, ubi* CHRISTI CANTICUM QUOTIDIE DECANTATUR. *Habet Ecclesia* INCANTATOREM SUUM DOMINUM JESUM, *per quem* INCANTANTIUM CARMINA, *& serpentum venena evacuavit.*

S. Ambros. in hexam. l. 4. cap. 8.

O Divinum planè, ac suavissimum cantorem! Justillant illi improbi cantores humanis præcordiis venena, & quidem lethalia; sed illa omnia divinus cantor, suæ suavitate melodiæ, ex humanis præcordiis *evacuavit*, tantum valuit canendo, ut pessimas illas magorumque execrationes, & amasiorum necromanticas incantationes, suo cantu deleret, & sagæ musicæ maleficium, beneficio sanctæ musicæ coerceret. At quæ harmonia dicet aliquis à Verbo infante eliciatur? mirabilis planè. Testem ego appello Petrum Damianum, profanis aliquando concentibus deditissimum; sed cùm hanc hausit harmoniam, jam alius ab eo, qui fuerat, exclamans: *Olim mihi Tullius dulcescebat: blandiebantur* CARMINA POETARUM, *&* SIRENES DULCES MEUM INCANTAVERANT INTELLECTUM. *Nescio quomodo* DULCIUS IMMORMURAT FILIUS JESSE, *qui omnes illos, quos antea diligere consueveram, ineloquentes reddidit, & mutos.* Ab hoc cælesti cantore, ab ipsa pueritia edocta Cæcilia, facta est *organum Spiritus sancti*, quod Chrysostomus de Paulo prædicavit: hoc elogium, si omnibus justis competat, eximiæ sanctitatis mentibus proprissimè convenire, nemo diffitebitur. Organum hoc mysticum, quod divinus Spiritus inspirat, & replet, describit Divus Prosper, qui cùm in varia Sanctorum encomia, luculenter, & excellenter decurrisset, *restat*, inquit, MUSICORUM VOLUPTAS; *habet* ORGANUM *ex diversis fistulis sanctorum Apostolorum, Doctorumque omnium Ecclesiarum, aptatum quibusdam accentibus, gravi, acuto, & circumflexo, quot* MUSICUS ILLE DEI SPIRITUS, *per verbum tangit, implet, & resonat*; quid ad laudem musices sublimius, quid subtilius excogitari, aut deprædicari potest, quàm ut non solum Verbum infans secâturem, sed & *divinus ille Dei* SPIRITUS, se MUSICUM exhibeat? Rectè olim Plutarchus, excellentiam musicæ, & harmoniæ ex co commendavit, quod antiqui, instrumenta musica in Deorum suorum manibus ponere consuevissent, ut innuerent, nihil sic convenire, ac placere diis, quàm harmoniam, & concentum, sic enim ait: *Antiqui Theologi, qui philosophi sunt vetustissimi*, INSTRUMENTA MUSICA, *deorum, pro signis, in manus dabant, quasi cæterorum nullum officium* (jurisdicendi, medeodi, pingendi,) *perinde arbitrabantur diis, ac* HARMONIAM AC CONCENTUM CONVENIRE. Sed parum hoc, divinum Numen, ipse

Chrysost. de laudib. S. Pauli.

S. Prosper. de promissionib. de gloria Sanctorum in peroratione.

S. Spiritus musicus.

Plutarch. comment. animo futura.

Spiritus sanctus se musicum facit, & gloriatur; qui *Cæciliæ nostræ* animam, velut organum aptissimum, occupavit, inspiravit, animavit, & ad omnes numeros, ac modulos virtutum fecit resonare. Cujus exemplo, ut & vos organa Spiritus sancti effici valeatis, aspirante & inhabitante Spiritus gratiâ, quæ justos facit, comprimis opus est, quâ adjuvante concentum virtutum, quo nihil est suavius, divinis auribus gratissimum referatis; sic porrò tradit Divus Ambrosius: *justi anima utitur corpore* UT ORGANO; *quæ velut præclara artifex quò vult, obsequium corporis ducit, & effingit de eo speciem quam elegerit: & eas quas voluerit, facit in eo resonare virtutes, pangens nunc modulos castitatis, nunc modulos temperantiæ, sobrietatis carmen, integritatis dulcedinem, virginitatis suavitatem, gravitatem viduitatis*; ex quibus rectè conficitur, non virgines dumtaxat, & religiosos, sed & conjugatos, viros ac fœminas atque ipsas viduas cócinna & arguta *Spiritus sancti* organa efformari, si spiritui mores, & vita, & actiones omnes cóspirent, juxta illud S. Isidori Pelusiotæ: ORGANUM *quivis nostrum est, cum Deo mores suos, ac vitam probat, atque hominum commodis aptus est.*

Iusti sunt organum Spiritus sancti. *Amb. lib. de bono mortis c. 6.*

Isidor. Pelusiota lib. 1 epist. 364

Quare vos omnes hodie perfectos musicos, cantatores, & cantatrices volo: non ut cócidere minutim sonos, & canora velut in puncta distinguere, pluribusque momentis, & minimis maxima eorú tempora, cumpensare valeatis: non argutiolas modulorum, & bellè cadentes ad numerú chartes, velut artis appendices ultimas, & quosdam quasi cincinnulos concinnare: non ductú celerrimè spiritú librare, veluti pennis, atque in sublime promittere, mox aut ad ima devolvere, aut retrorsum à medio cursu reprehédere, prorsum versum impellere, ante expectatú premere, sistere, revocare, circumagere, veluti turbine ac versare, ut non ore, sed torno vibratum, rotundatumque crederetis: non improvisa demissione vocem introrsum flectere, & surdâ quâdam titillatione provehere, ac vere in sinu suo canere: nó exultantem cantus hilaritatem, fractis itidem numeris, & quasi mæstitia temperare: non denique sonum illidere, implicare, explicare, suspendere, variare, producere, suspiriis, trepidatione, modulatione, munitione, cócentu, plenè, graviter, acutè sexcentos modulos melicos modulari docebo; sed quam quisque canendi artem nosse potest, ac debet.

Quomodo omnes boni musici, cantores & cantatrices esse queant.

Nemo vestrûm in excusationem adferat se notas, ac numeros musicos ignorare Nemo vocem ad cantandum, digitos ad fides pulsandú, ineptos & ignaros prætexat. Unum vobis peritum musices hujus spiritualem magistrum præficio Hugonem à S. Victore, qui exponens illud ps. 97 CANTATE *Domino* CANTICUM NOVUM, sic disserit: CANTICUM *est vita*, CANTICUM NOVUM *est vita nova*. CANTICUM VETUS, *vita vetus, nova vita justitia, vetus vita culpa.* Sic suus B. Cæcilia canere ducunt *canticum novum*, dum à veteri vita ad novam, à culpa ad justitiá, ab idolis & dæmonis ad veri Numinis cultum vocavit. Hugoni cósentit Doctor Angelicus, dicens: CANTA: CANTICUM NOVUM *qui exultat Deo*, *de*

Hugo à S. Victore. to. 2. de instit. monast. serm 11. in novo anno

S. Thom. in Psalm. 37.

reno-

Ferdinand. hic. Caino persimiles mihi videntur, quicumq; impia avaritiâ erga Deum, viliora illi offerunt; ,, ut parentes, qui filium, aut filiam deformiorem specie, aut minus compotem sui, aut quovis alio naturæ vitio laborantem in Dei obsequium, ad Clericatum, aut Religionem ,, quodammodo non offerre, sed abjicere, ac ,, detrudere censentur; cum tamen Deus ipse severè vetuerit, ne sibi Hebræa Gens victimas ulla deformitate notabiles offerret. Idcirco Malachiæ 1. dicitur: *Maledictus fraudulentus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino.*

Luculenter hoc argumentum pertractat Hieronymus, peritissimus in hoc gymnasio virgines instituendi magister, dum sic epistola ad Demetriadem, nobilissimam, ac speciosissimam Virginem: *Solent miseri parentes, & non plenæ fidei Christiani, deformes, & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inveniunt, virginitati tradere; tanti, ut dicitur, vitrum, quanti margaritum. Certè qui religiosiores sibi videntur, parvo sumptu, & qui vix ad alimenta sufficiat, virginibus dato, omnem censum in utroque sexu secularibus liberis largiuntur.* Ut fratres & sorores ingenio, ac formâ præstantes, in sæculo lasciviant, luxurientur, dominentur, & de portione Domini liberius, ac licentiùs mundo, carni, ac dæmoni serviant. Si ingens piaculum est, vitiatam hostiam, aut mutilum aut scabiosum animal aris imponere, juxta illud Levitici 22. *si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino;* quale nefas erit, sola mundi rejectamenta Deo donare? si quod monstrum dominatum est, si quod est in familia peccatum; si quis spurius, illegitimus: si quæ filia corrupta: si quod inter liberos luscum, claudum, bardum, blæsum, stolidum animal, Numini consecrare, cucullum, aut velum concinnè istiusmodi quadrare, generosam verò sobolem, primogenitam, vividam, validam ingeniosam, speciosam, solertem, ad generis splendorem servare: velle demum ut Deus domi etiam liberalis loco habeat spurios, stolones, qui progenerarunt à stirpe degeneres, & domestica monstra, quæ nemo hominum vellet. In hos pareores, aut tutores, justissimas querelas, & rationes prægnantes adducit Deus per Propheram suum: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei.*

Hieron. ep. 8 ad Demetriad. de servanda Virg.

Levit 22. v.22.

Malach 1. v.8.

Offer Regi, aut Principi filium tuum claudum, aut cæcum, aut stolidum, ut inter ephebos aulæ illi serviat, nonne sibi illudi sentiet, & protinus eum indignatione è conspectu suo eliminabit? Offer Reginæ, aut illustri matronæ, filiam luscam, gibbosam, deformem, ut in filiam honorariam admittatur; nonne eam ut monstrum aspernabitur? Offer vito honorato equum strigosum, crucians canterium, macie & senio confectum, nonne pro gratia, gravem offensam telaturus es? Teipsum compello, si famulum, si ancillam, si equum comparare volueris, an ejusmodi tibi delecturus es? & quæ tu, ut te indigna aspernaris, summo Regi Regum, Reginæ Regum Deipatæ, ut liberi famulentur, offerre non erubescis? præclarè D. Cæsarius: *numquid tibi hoc ... ris à servo tuo, ut quamdiu fortis fuerit, inimicis tuis serviat, & cum ad senectam venerit, tunc ad tuum servitium redire velit? quod ergo non vis pati à servo tuo, non est justum ut facias Domino tuo.*

C[...] hom.15.

Hic campus patet divino Ecclesiastæ, ut ad mores excurtat, & eos parentes perstringat, qui cum Caino non primogenita, sed mucida, & putrida, ac vieta, Deo dona offerunt.

Altera oblatio est, quam Deus execratur Levitici 22.v.21. *Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens, vel sponte offerens, tam de bobus quam de ovibus,* IMMACULATUM OFFERET, *ut acceptabile sit;* OMNIS MACULA NON ERIT IN EO. Cùm quis se Deo, per votum virginitatis consecrat, aut religionem ingreditur, se ipsum Deo in sacrificium offert: atqui lex divina præcipit, ut id quod Deo in sacrificiũ offerendum est, si[...]ctum, integrum, purum, & absque macul[...] er[...]go qui se Deo devovere, aut Religionem ingredi cogitat, statim id exequi debet, ut Deo puram hostiam (hoc est corpus, & animum, nondum peccati labe inquinatum) exhibeat; cur enim exspectet, donec pec[...] inquinetur, & corpus libidine, animus impuris affectibus fœdetur, & noxa lethali vulne[...]r? quid hic aliud suadent parentes, verius peremptores, quàm quod olim parens S. Augustino, ut moras necteret, & juventuti indulgeret: cui ille: quid hoc aliud erat dicere, inquit, *quàm prius vulneretur, postea curabitur.* Hac interim diabolica persuasione nihil frequentius, & nihil nocentius, ut in sæculo remanentes, eum sæcularibus versantes probentur, & sæculum probent, an futuri constantes: hanc enim causam plerique adferunt, ut in cautis adolescentulis persuadeant, ingressum ad aliquot annos protrahendum. Quæ ubi Lessius expendit, *nullum perniciosius consilium in hoc genere suggeri posse* contendit; quid enim hoc est aliud, quàm sub honesta specie probationis spiritum velle extinguere? & eum qui in portum salutis, locumque securum parabat evadere, laqueis mundi implicare, & tentationum procellis exponere? qui enim sic suadent, perinde faciunt, ac si alicui maris inexperto, qui tamen nauticam discere velit, suadeat, ut fragili cymba det se in altum, & probet utrùm in illis fluctibus, & tempestatibus cymbam poterit salvã præstare: vel si mercaturam cogitanti, auctor sis, ut antea unius aleæ jactu, fortunas suas exponendo, periclite[...]r, quales in posterũ eventus expectandi. *Stultum sanè, & noxium consilium:* quid enim à rectâ ratione, & verâ prudentiâ magis alienum, quàm t[...]nto periculo probare velle, quod mul[...] absque periculo cognosci potest, aut [...] debet ignorari. Si hortulanus aliquis accepto semine nobilissimo ex Oriente misso, quod summâ culturâ egeret, depãgat illud loco saxoso, & spinoso, solis ardori, & omnib⁹ aëris injuriis exposito, ut probet, an excrescere possit, cũ terra idonea, & ab istis incõmodis tuta nõ sit: quis nõ di[...],

2. Non offe[...]

Lessius de [...] statu [...] q. [...]

dicat, talé hortulanũ insanire? Multò magis insaniunt, qui tale consilium adolescentulis aspirantibus ad Religionem suggerunt: est enim inspiratio divina, & vocatio Religionis, divinum quoddam semen, cælitùs in terram transmissum, ut in omnem virtutem adolescat, & fructum æternæ vitæ proferat. Inseritur hoc semen cordi humano, tanquam solo alieno, & naturæ talis seminis parum accommodato (sicut cum planta orientalis ad solem septemtrionale transfertur) ac proinde eget summâ culturâ, ac custodiâ; partim ne volucres (dæmones, inquam, qui assiduè huic semini insidiantur) illud auferant; partim ne spinæ (rerum temporalium cupiditates, & solicitudines) illud suffocent; partim ne ab hominibus (sæcularium, ac pravorum sociorum consuetudine) conculcetur. Quicumque ergo vult hoc semen in terra cordis, manu illius magni satoris sparsum, conservari, & adolescere, procul à communi via se debet semovere, ne consuetudine sæcularium proteratur, & solicitudines omnes rerum terrenarum tanquam spinas excindere; & in eum locum se recipere, ubi tutior sit à dæmonum insidiis. Atque ut propiùs rem cœptam prosequamur, quis non *stultum*, *& noxium consilium* ducat, purpureum pannum emere, & explorare volenti, consulere, ut ad experimentum, oleo intingat, aut in ignem conjiciat, num colorem, & tenorem servaturus sit? Sic amici, sic propinqui, sic tutores, sic æmuli & zelotypi, parentibus, & ipsis sponsis Christi, innoxiis & verecundis purpurâ rubore animulis, suadent sæculi & carnis illecebras explorandas, oleum libidinis affundendo, aut cupidinis ignem supponendo, an maculam, aut fomitem nullum contraxeriat sint? Quis non modò hoc maximè insanum, sed ut diabolicum consilium, damnandum, execrandum, & orbe eliminandum arbitrabitur? Ex quo quid sperandum, nisi ut probando mundum, se adurant & commaculent; aut si in proposito persistant, corpore fœdatæ, sese hostias non immaculatas Deo, ac Virgini Matri offerant.

Quod ut fusiùs prosequamur, & ad omnes, qui stupidi, stolidi, imperiti, ignobiles, prorsus inepti Deo & Reipublicæ, tam in statu Ecclesiastico, quàm civili, ad munia capessenda offeruntur, extendamus, occurrit primùm illud D. Thomæ: *Quisque tenetur scire ea, quæ ad eorum statum, & officium spectant*; Præsul, Prælatus, Præses, Prætor, Confessarius, Consiliarius, Advocatus, Medicus, tenetur habere scientiam, experientiam, conscientiam, isti statui, & officio convenientem; unde parentes, qui suos, vel qui seipsos offerunt, prece & pretio agunt, ut officia, ad quæ inepti sunt, consequantur, quique eos assumunt, & ad ea promovent, non solùm peccant mortaliter, sed & tenentur ad restitutionem omnis damni, quod ex inscitiâ, imprudentiâ, incuriâ eorum oritur: hæc communis omnium Theologorum sententia est. Lessius de jure & justitia: dico 1. *Qui ad officia assumunt ineptos, peccant mortiferè, & tenentur ad sarcienda damna inde secuta*: quia causa damni sunt, & gravissima mala inde oriuntur; si etiam pravi & iniqui promoveantur, *quo fit, ut pervertatur justitia, omnia per munera, & extorsiones gerantur, & sensim Respublica impletur ministris atheis, politicis, ambitiosis, avaris, qui sua & suos dumtaxat curent, commune bonum negligant, omnia ad privatas quasdam suas intentiones dirigant: quibus jus & fas, justitiam & religionem auro venalem habeant.* Huc spectant illi, qui officia Reipublicæ conferunt, & promovent nepotes, affines, amanuenses, qui sanguine vel amicitia ipsis juncti sunt, vel munera obtulerunt, vel privatis ipsorum intentionibus meliùs servient, præteritis aliis longè aptioribus (quantò magis si planè ineptos, & iniquos) quos omnes graviter peccare asserit. Sed quis est jam, qui curet hæc, & laudabimus eum? Quales autem esse debeant, qui constituuntur Officiales, breviter insinuat Jethro, socer Mosis: *Provide*, inquit, *de omni plebe viros potentes, timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam; & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos.* Ubi, teste Cajetano, notantur quatuor conditiones in promovendis. Prima est, ut sint *potentes*, id est, sapientiâ, industriâ, & strenuitate idonei. Secunda, timentes Deum; nihil enim ita compellit hominem justè agere, ut timor Dei, utique præsentis, & omnia intuentis. Unde Eccl. 15. *Qui timet Deum, faciet bona. Et qui sine timore est, non poterit justificari*, quare nec justè agere. Tertia, *in quibus sit veritas*, id est, qui neminem decipiant, & quod promiserunt, & æquum est, præstant. Quarta, *odientes avaritiam*, id est, qui non studeant opibus accumulandis lites protrahendo, injustas admittendo, & defendendo, pupillos & viduas opprimendo, pecuniâ excæcati, qui, ut rectè Lessius, *est maximus justitiæ scopulus*, potissimùm hoc aureo, id est, corruptissimo sæculo, ad quem innumeri, animæ & æternæ salutis naufragium faciunt: & Regna, & Respublicæ allisæ pereunt; nam *remota justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* Nunc, ut ad mores excurramus, scribit Florimundus Remondus, acriter quondam disceptatum: *Utrùm meliùs sit, Iudicem malum esse, an verò ignorantem?* Ignorantia quidem hominem privatum excusat, ut si inscienter alium lædat, occidat; aliena quæ putat sua, rapiat: præceptum jejunii, quod ignorat, violet, &c. at in officio constitutis, plerique rectè censuerunt, periculosiorem, & damnabiliorem esse ignorantiam, quàm malitiam: illa enim velut continua quædam febris est; hic verò morbus sua habet intervalla. Potest etiam malus benè facere, ac rectè judicare; sed ignorans ac imperitus semper cæcus, semper injustus, semper malus est: & morbus propè incurabilis, nisi summo studio, (quod rarò fit,) se capacem reddat; quare peccat mortaliter Confessarius, & reus est damni, qui ex ignorantia restitutionem faciendam injungir, ubi obligatio non est; vel non suadet, ubi jure facienda est.

Sic Jurisperiti, Judices, graviter peccant, quorum imperitiâ, causa deperditur, aut in longum

Ad [illegible] inte[illegible] fere[illegible]

S. Thomas 1.2.q.76. art.1.

Lessius de jure & justitia, l. 1. cap. [illegible] dub. 3.

Exod 18.

Cajetan. hic.

August. de civit. l. 4.

Florimond. Remond. de orig. hæres. l. 8. c. 8 n. 1.

August. lib. 16. de civit. c. 6. longum tempus protogatur: *Ignorantia enim Iudicis, plerumque est calamitas innocentis*, ut ait Augustinus.

Item medici, qui ex notabili ignorantia nocent infirmis, morbum augent, periculo exponunt, etiamsi evadant è morbo, aut ab alio peritiori curentur. Imò etiam, quando ex industria morbum prolongant, vel deserunt, aut negligunt infirmum; quòd si per imperitiam eorum moriatur, puniri possunt arbitrio Judicis, L. *Qua actione in fine.* Libet hæc aureo Divi Chrysostomi firmare testimonio: *Extruat quis officinam medicorum, habeat etiam discipulos: habeat & instrumenta, & pharmaca, & ingrediatur ad ægrotos; numquid sufficient hæc, ut præstent nobis medicum? minimè; sed opus est arte: & sine illa non solùm hæc nihil prosunt; sed etiam damnosa sunt.* Hæc majoris ponderis & momenti sunt, dum indigni, inepti, aut pravi ad Ecclesiastica munia, & dignitates offeruntur, & assumuntur; ad quæ ut quis dignus, tradit Lessius de Jure, lib. 2. cap. 34. dub. 12. *tria requiruntur: 1. Ætas conveniens: 2. Probitas morum. 3. Scientia requisita.* Quod primùm spectat, gravissimum in Ecclesia abusum Bernardus insectatur, dum non junioribus tantùm, sed pueris ecclesiastica beneficia, Prælaturæ conferuntur, in quorum collatores apis hæc Claravallensis, sic aculeum exerit: *Scholares pueri, & impuberes adolescentuli, ob sanguinis nobilitatem promoventur ad ecclesiasticas indignitates, & de subferulâ transferuntur ad principandum presbyteris: lætiores interim* (quis non rideat, aut potiùs dentibus frendeat,) *quòd virgas evaserint, quàm quòd meruerint principatum.* Tales etiam hoc ævo nostro reperire est, qui tunica clericali indui, gaudent titulo: *Du Monsieur Chanoine, Monsieur L'Abbé*, cùm vix norint A. B. Ejusmodi similes mihi videntur catulis ferarum, qui immaturi in lucem prodeunt: sic lupa cæcos, ursa informes, leæna mortuis similes gignit, quia non expectant tempus pariendi; idque, ne si diutius hæreant in utero, matrem unguibus dilanient.

Fragosus tom. 1. pag. 708.

Chrysost. hom. 52. in Acta Apost. c. 26.

Indigni & inepti ad dignitates Ecclesiast. non offerendi, nec admittendi.

Bern. ep. 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscop.

Haud aliter, si ante maturam ætatem, ante scientiam, & probitatem requisitam, in lucem publicam prodeant, monstrosi passim sunt, uni lingua ad aptè differendum, alteri oculus ad videndum, plerisque vita & vigor rationis ac maturitas judicii ad discernendum deest, non alia de causa, quàm quia immaturi effusi sunt.

Quid, quòd embrioribus, & nondum natis, adhuc in utero matris, præbendæ Abbatis, aut Abbatissæ conferantur. Incredibile id mihi, & vobis videretur, nisi Ecclesiæ Doctoris evinceret auctoritas, dicentis: *Huic parvulo adhuc, aut forsitan nondum nato, Ecclesiasticam jam beneficia, provida sanè parentum solicitudo parabat: hunc nos, inquiunt, illi vel illis tradamus Episcopo, apud quem habemus gratiam, aut cui sorte servivimus, ut dicetur de bonu Domini, ne in tot liberos nostra dividatur hæreditas. Illum Præpositum, aut Decanus, ut sibi succederet, plusquam materno educavit affectu, in deliciis nutriens, & delicis.* En in quos, & quàm sacrilegis de causis patrimonium Petri, & hæreditas Christi dispensatur!

Bern. declamat. Ecce nos reliquimus omnia.

Nec hoc satis, pergit porrò alios gra[...] abusus recensere: *Curritur in Clero pa[...] omni ætate & Ordine, à doctis pariter & indo[...] ecclesiasticas curas; tanquam sine cura jam quis[...] victurus sit, cùm ad curas pervenerit.* Quamp[...] mùm dives præbenda, aut pingue benefi[...] vacat, undique concurritur, potentum gratia prensatur, sportulæ offeruntur: *Alius circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, & dissimulat, miseraque sibi suffragia non erubescit, manibus & pedibus repens, si quo modo tandem aliquando se ingerere queat in patrimonium crucifixi, & bona Domini*; quòd si inhabilis, aut incapax habeatur, uno die, ut fungi nascuntur, tonsurâ aptus redditur, sacri Ordines citò cito suscipiuntur, per omnes gradus simul ascenditur; exemplum desideraris?

Michael Balbus, Imperator Constantinopolitanus, balbus linguâ, & mente cæcus, homo impius, favoritum habebat sibi à secretis, qui Bardus dictus, verè bardus, & sceleratu[s], hunc gladio accinctum, & hominem mili[ta]rem, adulterum, ut ad Episcopatum evehe[ret], deturbavit de sede sua Ignatium, virum [san]ctum, & adhibito Episcopo schismatico, [...] extra tempora, & merita, ordinari sacris præcepit, ac spatio sex dierum per omnes omnium Ordinum gradus ascendit: die lunæ to[...]ram: Martis, quatuor minores Ordines: M[er]curii, Subdiaconatum: Jovis, Diaconatum: Veneris, Sacerdotium: Sabbato, Episcopatum suscepit. In tam indignos ad Ecclesiasticas dignitates sic detonat S. Gregorius Nazianzenus: *Heri sacrilegi, hodie sacri.* Et sanctus Hieronymus epist. 83. *Heri catechumenus, hodie Pontifex: heri in amphiteatro, hodie in Ecclesia; vespere in circo, manè in altario? Dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator.* Quasi diceret: quid indigniùs, quid intolerabilius?

Hieron. epist. 83. ad Oceanum

Excellens ille Antistes Sidonius Apollinaris, hunc Bardam, Photium cognominatum, depinxisse videtur, de altero huic simili agens: *Novus Clericus, & peccator antiquus: scientiâ levi, conscientiâ gravi.*

Non ætas spectatur, non scientia, multò minus probitas vitæ, ut sint, quos nôrim, & ultrò fassi sint, melius sibi uxorem ad manum fore, quàm Breviarium.

In quos aptè cadit illud Divi Salviani: *Quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto?* Quare iniis, qui offeruntur, non amplitudo familiæ ex bonis Monachi, non potentum favor, non munerum corruptela, non generis nobilitas spectanda est.

Sal[vian.] ad [...] lib. 2.

Monitum hoc Petrus Damianus tradit alteri Eminentissimo Patri *Desiderio*, ab aquila petitum, quam describit pullos suos, nulla prioris generationis habita ratione, ad solem utique explorate: *Et quisquis illorum intrepidam oculorum aciem inoffenso tuendi vigore conservat hunc ad propagandum Regii decus generis idoneum judicat; si quis autem lumina sua solis radio perstrinxerit, velut degener, & indignus tam excellenti nobilitate, projicitur, atque tanquam exhæredatus, ac spurius inter filios non habetur.* Quæ inter verba elegantior dictio de eo, qui indolem suam

[...] lib. [...] 8 ad Desiderium.

oculo[...]

oculorum acie,mentis vigore, & ingenita Patruin virtute probavit: *Hunc mater ad propagandum regii decus generis,idoneum judicat.* O præclaram in volucre ingenii solertiam! quando non ætas attenditur,sed mores probantur: nec defertur imperium naturæ; sed oculorum præstantiæ.

Pudeat à vulture superari hominem; circumspiciant Prælati, parentes, inter candidatorum, internatorum numerum, quis ille, quem ingenii acies,quem animi vigor, & virtus ad id officii,& dignitatis,idoneum reddat; ignavum pecus,inente cæcum, & moribus lasciviens, tanquam suppositititium fœtum, hi è nido & familia: illi de gradu deturbent.

Utinam,ut concludam, ô utinam, quicumque offeruntur, & quicumque assumunt ignosad ecclesiastica munera, *ad honores, & [illegible] tudines graduum ecclesiasticorum,ipsis etiam angelis humeris formidandos*, secum expenderent, [illegible] era, & pericula animæ, quæ incurrunt; [illegible] um districta ipsis supremo Judici ratio reddenda sit: *Væ tibi,Clerice,mors in olla: peccata enim populi comedis, ac si propria tibi minus sufficere viderentur.* Si Clericum,si Pastorem, si Prælatum esse aurumas, amplas decimas possidere, splendidè vestiri,lautè epulari, ab hominibus honorari,falleris. Audi, quid igneus Ecclesiastes Ordinis Prædicatorum memoret:

Fuit,qui diu laboravit, ut ad Episcopatum emergeret,voti compos factus,dum sub ipsam consecrationem rogatur: vis episcopari? respondit: ecquis dubitet, cùm tanto studio, & inflammato desiderio huc pervenire contenderim; sed dum ab eo insuper sciscitatur: vis reddere rationem in die judicii pro animabus? Respondit: nolo. Urgebant alii, dic, volo: disertè iterum reposuit,nolo, & cessit Prælaturæ,dicens: putabam,quòd esse Episcopum, nihil aliod esset, nisi comedere gallinas,&c. Hoc,quisquis munia,& dignitates ambit, utinam penès se maturè expenderet,quàm districtum judicium illos maneat,qui præsunt: *Veniant,veniant*, clamat Bernardus, *ante tribunal Christi: audietur populorum querela gravis, accusatio dura,quorum vixère stipendiis, nec diluère peccata: quibus facti sunt duces cæci,fraudulenti mediatores. Quid tibi,insipiens, delicia sapiunt? Quid delicia illa cæcos delectant oculos, quibus mercaris [illegible] grave judicium, tam dura temetipsum obligas [r]ationi?*

§. IV.

Primitias omnis laboris, & manuum nostrarum, Deo & Agno offerendas.

QUæ hactenùs dicta sunt ad filias, ut sese [à] teneris cum Virgine Maria in templo repræsentent,& primitias virginitatis offerant; [tum] ad parentes,ne prolem cæcam, claudam, [ute]ilam,Deo,& Religioni consecrent, ea vos [illegible] non concernunt.

Sed quas hîc paucis subnecto, utiles praxes sunt,ut primogenita, primitias cordis & operis,quisque *Deo & Agno*, hoc festo Præsentatæ Virginis Mariæ,offerre queat.

Sacri Interpretes illud Exodi moraliter exponentes: *Sanctifica mihi omne* PRIMOGENITUM, cor nostrum Deo offerendum intelligunt: quia illud ante alia membra primùm in embrione formatur) estque nobilissima hominis pars,è qua vita, vigor, cogitatus, & actus procedunt; nam,ut inquit Hugo Victorinus: *In omni creatura, quæ sub sole occupatur, nihil humano corde sublimius,nihil nobilius, nihilque Deo similius*; quapropter nihil aliud *quærit à te,* NISI COR TUUM: non victimas arietum, non vestes tuas pretiosas, non villas & prædia, non inaures aut monilia, non divitias tuas postulat: quoniam bonorum nostrorum non eget; sed id solum, & unicum: *Præbe, fili mi,* COR TUUM, quod ut triangulare est, totius SS. Trinitatis capax est. Accipitri, & falconi ab aucupe dari solet cor avium, quas prædati sunt; vide, ne stygio aucupi cor tuum devorandum tradas,sed Christo, qui è cruce prædatus est cor tuum. Ipsi ergò illud offeramus, & ipse illud nobis reddet purum, sanctum, quietum, lætum, ac beatum. Socrati ait Seneca: *Cùm multa multi pro suis quisque facultatibus offerrent: Æschines pauper auditor,nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi possum invenio: & hoc uno modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi,quod unum habeo,meipsum. Hoc munus, rogo qualecumque est,boni consulas,cogitesque alios, cùm multum tibi darent,plus sibi reliquisse.* Quàm verò hoc donum super omnia aliorum, Philosopho acceptum fuerit, ex responso patet: *Cur Socrates: Quid ni tu, inquit, mihi magnum munus dederis, nisi fortè parvo te æstimas? Habebo itaque curæ,ut te meliorem tibi reddam,quàm acceperis. Vicit Æschines hoc munere Alcibiadis parem divitiis animum, & omnem juvenum opulentorum munificentiam.*

Non Socrati, sed Deo, quisquis ades, cor tuum,id est,teipsum totum hodie repræsenta, cum omnibus facultatibus corporis & animi; multò te meliorem, puriorem, sanctiorem tibi restituet: & omnem omnium aliorum, qui ingentes cereos, damascenas pallas, vasa aurea atris obtulerunt,munificentiam vinces.

Doctor Angelicus, cum tota schola Thomistarum,aliisque gravissimis Theologis docent, quemlibet sub præcepto teneri, primo tempore, quo perfectum usum rationis, seu discretionis obtinuit,se per actum amoris convertere ad Deum,& sic quasi cor suum, amoris sedem,Deo offerre; sic enim ait: *Primùm, quod occurrit homini discretionem habenti,est, quòd de seipso cogitet,ad quem alia ordinet,sicut ad finem. Hoc est tempus,pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo,quod Dominus dicit: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Et alibi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Scio alios aliter sentire, atque hoc præceptum in prima rationis vigilia pueris non exploratum,& ut plurimùm non observari; laudabile tamen esse, ut ubi paulò provectiores sunt,nec istius meminerint, se actum amoris Dei

Marginal notes: [illegible] | [illegible] *Væ tibi* [illegible] | [illegible] Vincen[tius] [illegible] | Exod. 13. v. 2. Cornelius hic. | Hugo à Victorin lib. 2. de anima. | Prov. 23. | Seneca lib. 1. de benef. c. 8. | S.Thom. 1. 2. q. 89. art. 7 ad 3. Navarrus Sotus, Tolet. Rodrig. Banes, Cajet. apud Fagundez in præc. Decalog lib. 1. c. 1. n. 6

modò radices egerit; ante enim, quàm radices egerit, ejus permanebit, cujus fuerat; sic tetræ, & noxiæ cogitationes, quas dæmon immittit, si quamprimùm repudientur, nec radices agant, petti-nebunt ad auctorem, nec menti, aut puritati nocebunt.

Hæc è jure petita; sed efficaciora suppetunt è sacris paginis argumenta, ut ubi tetrum phantasiæ monstrum primò mane malus genius objecerit, illud non abcessere, in fugam agere, sed ne revertatur, obtruncare, & penitus interficere studeamus, ut cum purpurato Vate epinicium canere, & gloriari quisque possit: IN MATUTINO *interficiebam omnes peccatores terræ.* (Psal. 100.)

(Appian. lib. 5. civil.) Hîc mihi in mentem venit, quod scribit Appianus scribit enim, florentem Romanorum exercitum, cùm è castris prodeunti occurrisset Æthiops, subitò gladiis illum obtruncasse, veluti inauspicatum prodigium, à quo malum denuntiari, protendique sibi putabant. Ita tibi faciendum; primum diei cursum auspicanti, è lecto, velut è tentorio miles Deo devotus in aciem certaturus progredetis, quòd si nigra aliqua, aut tetra fœdæ cogitationis forma instar Æthiopis, sese objecerit, ilicò fauces elide, & interfice, ne si malè diem inchoaris, pejus & inauspicabilius finias, & illud sacri Vatis Sophoniæ in vobis locum habeat: DILUCULO SURGENTES *corruperunt omnes cogitationes suas.* (Sophonia 3)

Pagninus vertit: *Corruperunt omnia opera sua;* quia nihil magis pronum, quàm ut ex malis cogitationibus, & pravis desideriis, opera pessima consequantur.

(Bonavent. in speculo, part. 2 c. 1) Occurrat vobis ad auroræ crepusculum, Seraphicum S. Bonaventuræ monitum: *Quia illa hora est, in qua Christus surrexit, & dæmonem, ac mortem triumphavit; tunc est tempus allidendi ad petram parvulos, mortificandæ carnis, & recreando spiritui oportunum.*

Tunc tempus est Aulicorum more, ad cælestem aulam nos conferre, Regem Regum salutare, ut ejus gratiam, favorem, & benedictionem eblandiri mereamur; quod cælesti prodigio, & stupendo miraculo Deus omnibus manifestum esse voluit, dum ut dulcedinem suam in filios demonstraret, quaque nocte pluit illis manna ad manducandum, tam prodigiosæ virtutis, ut si ante solis ortum collectum non fuisset, ilicò colliquesceret, ac putresceret, atque hoc pane Angelorum, in quo omnis saporis delectamentum, frustrarentur; cùm tamen primo mane collectum, in fornacem missum, saporem suum servaret. Quorsum hoc tam constans & perpetuum miraculum? Sapientissimus mortalium edisseret: *Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio Solis calefactum tabescebat: ut notum omnibus esset,* QUONIAM OPORTET PRÆVENIRE SOLEM AD BENEDICTIONEM TUAM, ET AD ORTUM LUCIS TE ADORARE. (Sapient. 16 v. 27. & 28.) Hujus tam amabilis portenti si causam exquiras, non aliam profectò invenies, quàm ut vigiles, solicitos, & solertes omnes reddat, id primo mane manna cælestis gratiæ & divinæ benedictionis colligendum, Deumque largitorem omnium supplice prece adorandum.

(Chrysost. de orando Deo.) Sic porrò Chrysostomus: *Dic mihi, qua fronte Solem intueberis, nisi priùs adores eum, qui lumen illud dulcissimum oculis tuis immittit?*

(Virg.) Ipsi ethnici, gentiles, & idololatræ hic nobis ruborem incutiunt, quibus hoc solemne: *A Iove principium.* Alexander Severus primo mane Jovi rem divinam faciebat: Apollonius Thyanæus suos docuit ad aurorам cum Diis versandum: Æneam laudat Virgilius ex eo:

Vota Deum primo victor solvebat Eoo. (Virg. 11. Æneid.)

Credebant enim, ut quidam eorum Poëtarum finxêre, Jovem indies primo mane horam dare hominum audientiæ, & aurem præbere eorum querelis & postulatis. His Christiani complures segniores, ingratiores, & longè deteriores reperiuntur, quibus Deus, potissimùm primo mane, patulas & benignas aures præbet, ut Isaias testatur: *Dominus erigit mihi* MANE, MANE *erigit mihi aurem;* hoc perspectum erat Regi maximo, & potentissimo Israël, qui Deum quasi prævenire satagebat: MANE, inquit, *oratio mea præveniet te.* Et spe plenus, se repulsam non passurum, ait: *Quoniam ad te orabo Domine,* MANE *exaudies vocem meam;* at quid *mane?* Núquid non sufficiebat dicere: Orabo, & exaudies? minimè: nôrat enim ad primam gratiam aucupandam, & quidvis impetrandum, studium & diligentiam, quâ cæteros mortales prævertebat, primitias precum, suique obsequii oblationem, Deo gratissimam accidere, ut rectè in hunc locum Chrysostomus: *Vides vehemens studium, à principio diei hoc ago: audiant, qui post innumerabilia opera tandem veniunt ad orationem; at non sic David,* SED AB INITIO DIEI DABAT DEO PRIMITIAS; *oportet enim, inquit, ad gratias tibi agendas Solem prævenire, & ante ortum lucis te interpellare.* (Isa. 50. v. 4.) (Psal. 84. v. 14.) (Psal. 5. 3.) (Chrysost. in Psal. 5. v. 3.)

(V. Nigronium in Regul. 1. commun. n. 25.) Ubi solidas rationes adducit, cur antelucanæ preces divino Numini gratæ sint; quia primitiæ illi ut supremo Domino jure debentur: unde malesana, & indigna illa quorumdam Christianorum, imò & Religiosorum perversitas, qui contra fas, contra jus, quas Deo debent, creaturæ primitias deferre non verentur, dum primas curas, & cogitatus sæcularibus, lucro temporali, occupationibus ludicris, aut inutilibus studiis consecrant. Frustra quis eorum in temporalibus emolumentum, aut benedictionem, vel in negotiis successum, in studiis profectum sperat, qui mane vigiles sunt, ut terrenis, & fluxis negotiis, aut studiis vacant, suffurantes primitias precum & oblationum Deo debitas: *Vanum est illis ante lucem surgere,* vanum & insanum lucrum è negotiis, aut plausum è studiis expectare, si priùs benedictionem à Deo non acceperint; quî fit, nobiles, mercatores, opifices nihil è fundis fructuum, nil è negotiis, ex opere manuum emolumenti acquirere; sed contra sterilitatem agrorum, jacturam pecorum, ac mercium, gravissimaque infortunia incurrere, nisi quia Deum suis precum primitiis defraudant: sic Religio-

sis, qui tempus orationi suffuratur, ut studiis, concionibus, aliisque lucubrationibus vacet, & operam & oleum, omnemque laboris sui fructum perdidisse deprehendet. Quare, ut omnes actiones diei, lucro spirituali, & temporali, rectè peragantur, *praveniamus solem ad benedictionem*, & ad ortum lucis adoremus Dominum; nemo hîc negotiorum, officii, familiæ occupationes in excusationem prætexat: nemo vestrûm tot, tantisque curis, tamque gravibus negotiis implicitus, ut Europæus ille Alexander, Carolus V. Imperator, qui inter belli tumultus, & circum strepentes Turcarum, ac Barbarorum acies, primo mane duas solidas horas cum Domino exercituum prolixis precibus, & calidis lachrymis agebat, & divino sacrificio intererat; quo eam benedictionem, & optatissimum eventum sortitus est, ut numquam victus, semper victor gloriosissimè triumphârit. Hæc in rebus gerendis felicitas & vos insequetur, si eum æmulari studueritis.

Surius in comment. a. 1556.

Josephus lib. 3. de bello Judaico, cap. 3. Romanorum disciplinam narrat, & prædicatione sua in cælum effert: *Mane, ait, milites quidam ad centuriones; illi verò ad Tribunos conveniunt salutatum, cum iis ad summum omnium ducem & Imperatorem adeunt, à quo sumunt signum, seu tesseram.* Ita vobis faciendum est. Adeundi mane cælestes illi Centuriones, Angeli vestri tutelares, illi primò salutandi; quibus ducibus accedendum ad tribunos, Prælides vestros, qui in cælesti acie tenent principatum; cum illis, adeunda est primò summi Imperatoris mater: sunt etenim cumprimis sodales illius Imperatoris milites, & vos omnes clientes; illa nobis, nisi numquam desse potest, ita semper adesse cupit; nam ut benè Bernardus: *Non deest Mariæ potestas, quia mater est omnipotentis: nec impetrandi facultas, quia mater est sapientiæ: nec voluntas, quia mater est misericordiæ.* Saltem flexis humi genibus, conversis ad eam oculis, conjunctis manibus, primò mane pete, ut tibi benedicat: luctare cum illa, ut Jacob cum Angelo, & dic: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Dic saltem, si hoc nimium est, ut Bernardus sub diei crepusculum, illi in Afflegemiensi monasterio, imagini: *Salve Maria*; cui illa: *Salve Bernarde*; quid scis, an non & tibi respondebit: Salve Joannes, salve Petre, salve Nicolae; saltem benedicet Virgo benedicta inter mulieres.

Iosephus de bello Iudaico. lib. 3. cap. 3.

Bernard. serm. de Assumpt.

Gen 32.

Tandem illâ manu ducente, eundum ad supremum Imperatorem in tentorio, seu tabernaculo suo delitescentem, ab hoc Domino exercituum, & archistratego nostro, vitæ gerendæ tessera capienda est, quam quisque, si arrectis auribus adstet, pro officii, & muneris sibi dignitate accepturus est, & cuique statui assignandam relinquo.

Hoc ago, ut ad tabernaculum Imperatoris nostri, ad thronum gratiæ, *sanctissimum*, inquam, *Sacramentum*, primò mane velociter accurramus, omnes prævertamus, & *& prævenimus solem, ad benedictionem*, multoque celerius, ac solicitius, quàm filii Israel ad manna, nos ad solem gratiæ colligendum, ipsumque verum, ac vivum panem Angelorum, SS. corpus Christi manducandum, aut saltèm prælibandum festinemus.

Cui rei argumento est textus Græcus, qui illud Sapientiæ: *Oportet præv nire solem ad benedictionem*, scitè exponit: *Ad bonam gratiam, seu Eucharistiam.*

Præluxêre in hoc piæ viris Magdalena, aliæque piæ mulieres, quæ primo mane, quæ lucescit in primo sabbati, accurrerunt ad corpus Jesu; ut primitiis non tam aromatum, ac unguentorum suorum ungerent, quàm piis lachrymis, inflammatis desideriis & ardentibus amoris affectibus prosequerentur. Mitto Magdalenas de Pazzi, Theresias, Claras Assisias, de monte Falco, Catharinas Senenses, Bononienses, quæ Christum primo mane non in sepulchro mortuum, sed redivivum quærere consueverunt. Illustre vobis P. Petri Cottoni, quem Angelum terrestrem dicere possum, ob intimam cum tutelari suo familiaritatem, exemplum proponam: de sancto viro ita narrat, item sanctus Scriptor P. Joannes Suffrenus in anno suo sancto: hoc de se testimonium virtus P. Petri Cotoni ex me, merito suo exprimit, *ut asseram illum quot diebus, seu hyemali, seu æstivâ tempestate, ab hora quarta matutina, venerabile Sacramentum piè ac reverenter adisse: tanta constantiâ, & assiduitate, ut qui in cellula eum non reperiret, adem sacram adiret, propè certus id temporis istic inveniendi*; quo autem fructu, in perplexis aulæ negotiis, in anxiis cum heterodoxis congressibus, subjungit: hoc verò studium Christus liberaliter remuneratus est. Siquidem præter insuetos divinæ lucis, quibus ejus illustrata mens est, sive ad firmissimam de Eucharistica veritate fidem, sive ad acrem super illa cum hæreticis disputationem; insuper tam suaves ac vividos pietatis in Eucharistiam sensus experiebatur, ut ita ipse mecum: mi Joannes, si quando in cælo me conspectutus es, ea profectò pietas in bocamabile mysterium, mihi aditum reserârit. Ita ipse. Tum subdit P. Suffren, hæc quidem pietas, eò mihi admirabilior visa est, quod non modò eam coluit, cum Theologiæ studiis mecum daret operam non modò cùm in Societate docuit, aut ad populum habuit conciones; sed ipsos constanter quatuordecim annos, quibus in aula versatus, Henrico IV. & Ludovico XIII. à Confessionibus, & Concionibus fuit, distentus licet tantâ negotiorum multitudine, & varietate. Idem favor, eadem benedictio vobis in dubiis consiliis, in perplexis familiæ negotiis, in litibus, & controversiis, aliisque difficultatibus sperandus est, si ad summam Regis curiam, ad thronum gratiæ ante ortum lucis adoraturi accedatis.

P. Suffren. L'Annee s. cap. 13. §. 1. in vita Cottoni.

Nunc ut finem imponam, ecquid hoc die, quo se Virgo in templo totam Deo repræsentavit, ut præsentem ejus opem in quavis necessitate experiri possitis, ei offeretis? Non vos teneat doni exiguitas, licet Virginis summa sit dignitas. Tametsi magni Numinis ephœbi illam venerentur ut reginam; illa testatur se esse ancillâ, ideò quamvis maximè, placebunt munera

Quid Virgini in templo præsentatæ à nobis offerendum?

nera etiam minima. Tu, tu Theologe, Cauſidice, Philoſophe, ſtudioſe, qui toties moves digitos, & verſas articulos ſcribendo, offer Virgini cum litteratiſſimo viro, Juſto Lipſio, tuum calamum, ut eo primam paginæ frontem, *Mariæ*, & *Ieſu* nomen exares, ut eo nullam ducas lineam, quæ honori ejus, aut filii maculam inducat.

Tu vir nobilis, dives mercator, cui divitiæ affluunt, primo tibi foras prodeunti mendico, nummum elargire; quâ liberalitate, pia ac potens matrona Conſtantinopolitana, ante ortum ſoliſmiram à Domino benedictionem impetravit: nam cum unica matri filia; ſanguine nobilis, formâ præſtans, & opibus abundans eſſet; ſtatuit ex ſuo & mariti conſenſu, generum illi potius *humilem & timentem Deum*, quàm primatum, & divitem, moribus diſſolutum, & præ dominantem quærere. Quare illud conſilii initum, ut qui primùs Eccleſiam ingrederetur, filiam in ſponſam, & opulentam hæreditatem in dotem haberet. Et ecce juvenis pauper, & inops, primo mane templum ingreſſus hanc auream fortunam adeptus eſt, ac matris pietas totam familiam benedictionibus teplevit.

Rosweyd vita Patrum lib 10 c 1.

Hic quoque B. Jordano. II. Ordinis Prædicatorum Generali, etiamnum adoleſcenti, laudatus mos fuit, primo ſibi pauperi obvio eleemoſynam impertire; cui cum ſemel nummus ad manum non eſſet, cingulum argento, & auro vermiculatum ei donavit; quo ut templum ſubiit, Chriſtum è cruce pendentem, in ſignum, & pignus amoris tam grati muneris, præcinctum vidit.

Hæc & tu æmulare, aut ſi lubet, primum ſub auroram aræ, vel imagini Virginis Matris, cereum accende, ut tota die in omnibus viis, & actionibus tuis, *Illuminatrix cordium* Virgo Maria te illuminet.

Bonav. in Lyrm.

Quin & acceptum ſibi non ſemel comprobavit, ſi primi qui in horto floſculi prodiere, anemones, hyacinthi, tulipæ, lilia, roſæ, aræ ejus ut primitiæ præſententur.

Calmanz de Rosario part. c.6 §.7

Eluxit in hoc ſtudio ſanctimonialis Ordinis ſancti Dominici, *Paulina de Conceptione* nuncupata. Alebat illa ad feneſtram cellulæ ſuæ teneram Roſarum plantam, quam omni cura & induſtria rigabat, ac excolebat, ut primas inde Roſas progerminantes in ara Matri ſuæ offerret. Nec irritus labor, aut opera fuit: planta eteuim ter in anno, unam quaque vice roſam inuſitati odoris, & venuſtatis intempeſtivè protulit quindecim foliculis in formam cordis complexam: primam feſto Aſcenſionis Domini: alteram feſto Pentecoſtes: tertiam feſto SS. Trinitatis. Quo Virgo Mater acceptam hanc Paulinæ pietatem ſibi oſtendebat, & myſticè figurabat, illam per 15. virtutum gradus ad apicem perfectionis aſcenſuram, quorque Roſæ folia, tot cordis ejus pia vota, & flagrantia deſideria agnoſcere.

Ioan de S Maria vita SS. Monial. Ord Prædicat. tom.2. part.1.

Ergo quotquot eſtis, Virgini hodie Præſentatæ Roſas, & *manibus date lilia plenis*.

Virg 6. Æneid.

At ne quis hâc ſolennitate expers ſit muneris, habent etiam quo degeneres tantæ Matris filii, ejus gratiam & benedictionem ſibi demereantur: tu ſalax juvenis, qui emiſſitiis oculis lenocinaris, & blanditiis, offer Virgini binos tuos oculos, quibus teſteris, te eam ferre in oculis, imò plus te amare eam, quàm pupillam oculi tui, & icto fœdere, dic cum Jobo: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem de Virgine*, quantavis formâ, & pulchritudine fallaci præditâ, niſi de ea Virgine, quæ eſt Regina Virginum, & pulcherrima mulierum. Si tale ſit tibi fœdus, nunquam mens tibi erit fœda: ſic efflorefcet in tuo vultu virginalis verecundia, in totius corporis ſcena virginalis modeſtia: ſi gemini tui oculi jugiter occupentur hujus Virginis contemplatione, illos ſuos miſericordiæ oculos ad te converter, eoſque è ſuis oculis emittet, quibus te illuſtret radios: quibus inflammet igniculos: atque ad ejus honorem vel augendum, vel tuendum aculeos.

Iob. 31.

Sic fœnerator injuſti lucri crumenam: ſic potator temulentiæ amphoram, concepto vitæ melioris voto, Virginis pedibus ſubſternat, ut aliquando cum omnibus Sanctis in templo gloriæ præſentari mereatur.



FESTUM SANCTÆ CÆCILIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS

22. Novemb.

MUSICORUM PATRONÆ.

Laudate eum in Chordis ET ORGANO. psal. 150.



CÆCILIDES MUSÆ *paulò majora canamus*. Virg. Eclog. 4.

ARGUMENTUM.

MUsica, quæ homines & Cælites, mirabili atque amabili quâdam insaniâ in admirationem & stuporem rapit, tum profanis, tum sacris encomiis jure meritissimo prædicatur: quam Verbum Infans primam è cælis in terras devocavit, ipsemet factus cantor mirabilis, qui sui amoris cantico omnium corda incantavit, & divinus factus Orpheus, bruta passionum monstra mitigavit; ab hoc Cæcilia edocta, *libidine inflammatos, obscænos ut sues, sævos ut leones domuit*, ac suavissimo vocis suæ modulamine quadringentos Barbaros ita incantavit, & mãsuefecit, ut spretis idolis, vero Deo sese victimas immolârint. (Clem. Alex. Exhort. ad gent.) Quomodo autem omnes boni Musici, cantores & cantatrices esse, ac Deum laudare *in chordis & organo* queant, morali doctrina exponitur, atque unà musicam ad omnes perturbatos animi motus componendos conferre, variis historiis ostenditur. (Psal. 150.) Sed ut idem organum pulsans imperitus, inconcinnos modulos edit, & barbarum quid insonat; peritus verò omnium aures animosque suo modulamine oblectat; ita lingua organum est, quâ multi ad obscænas cantilenas, quæ musica diaboli est, & orbe eliminanda, abutuntur: alii verò eam in divinas laudes, & cantica spiritualia resolvunt, ac cælesti melodiæ præludunt: dum Religiosi, ac Clerici psallentes non voce tantum, sed & in cordibus suis hymnos Deo cantant, quibus *Principes conjuncti psallentibus*, id est ipsi Angeli, alternatim concinere auditi sunt.

§. I. CÆCILIA *Organum Spiritus sancti.*

Psal. 150. §. II. *Quomodo quisque nostrum laudare queat Deum* IN CHORDIS ET ORGANO: *Quod juvat, uti omnis arguta musica, ad varios affectus excitandos, & motus animi componendos.*

§. III. LINGUA DEI ORGANUM, *quo aliqui modulantur obscœna diaboli cantica.*

Isidor. Pelus. lib. 1. cap. 108. §. IV. CANTANTIBUS ORGANIS, CÆCILIA *Virgo in corde suo soli Domino decantabat.* Breviar. Rom.

FESTUM

FESTUM
SANCTÆ CÆCILIAE
VIRGINIS ET MARTYRIS,
MUSICORUM PATRONÆ.

Laudate eum in Chordis ET ORGANO. Psal. 150. v. 5.

Synodo Aß.



Pex ingeniorum, *præcipuum Pater*, & *optimus Doctor* Divus Augustinus, artificiosam mundi machinam contemplatus, eum plurimis encomiis eam posset decorare, unico contentus, carmen appellavit; sic enim epistola 5. ad Marcellinum: *tamquam* EXPOLITISSIMUM CARMEN, *condidit mundum*; in numero scilicet, pondere, & mensura; vel instar musici concentus, ut ex Isaia, juxta 70. epist. 28. contendit idem Augustinus: *Qui profert* NUMEROSE *sæculum. Unde*, inquit alibi: MUSICA, *id est scientia modulandi, ad admonitionem magnæ rei, mortalibus Dei largitate concessa est.*

Augustin. epist. 5. ad Marcellinum. Idem epist. 28. Idem lib. 11. de civit. c. 18. Deus Antor & in... musicæ.

Et rectè quidem dixit, cùm Deus omnium musicorum, sine controversia princeps sit, cujus nutu numerosissimus universi concentus, & mundi harmonia perpetuas concordiæ servat leges; atque ut omnia certo quodam numero, ac mensura condidit, sic illa videntur ab ipsis incunabulis instillatam retinere numerorum suavitatem, quæ nos in notitiam tanti artificis, ac auctoris inducit, magno teste Gregorio Theologo: *Quemadmodum*, inquit, *ille qui citharam affabrè constructam, & elaboratam, conspicit; ejusque concentum audit, ipsum cytharæ artificem ac cytharædum mente reputat, licet sibi de facie ignotum; ita eum, qui mundi harmoniam percipit, mundum à Divino conditore, & architecto, quamvis ab eo non videatur, creatum, intelligere necesse est*, dum tantam, tamque variam, ac dissonam elementorum, orbiumque cælestium, inter se suavissimè concordantiam, melodiam, admirando contemplatur, & contemplando admiratur; quod non alia, quàm organi similitudine, sapientissimus mortalium exprimendum censuit: *Sicut* IN ORGANO *qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt*; in quæ verba Robertus Holcot Deum organistam constituit, dicens: Sicut *organizator* in instru-"mento musico efficit harmoniam, ex diversa "tensione, & moderatione chordarum, juxta "scientiam artis suæ, & pro libitu voluntatis "suæ, facit eandem chordam modò reddere "acutum sonum, modò gravem; & tamen "*semper servatur bona harmonia, & consonantia de-*"*lectabilis* in operatione sua; eodem modo

Greg. Nazian. orat. de Theolog.

Harmonia mundi, & cælorum concentus.

Sapient. c. 19. v. 17. Holcot. hic.

Deus utitur pro voluntate sua elementis, &" cæteris creaturis ad beneficia electorum, &" supplicia reproborum, pro libito voluntatis" suæ; & tamen hoc non obstante, *consonantia &*" *harmonia, quæ est inter elementa, non dissolvitur.*" Quin & antiqui Platonici, ac Pythagoræi, credebant cælos æquabili suo motu, seu modulatione, suavissimam concire harmoniam, & ut ipse Plato in libris de Republica loquitur, existimabant Sirenes singulas, singulis orbibus insidere. Addebant homini discendam musicam esse, ut faciliorem inveniant reditum ad suam originem.

Gal'utius in moral. Arist. pag. 314.

Eandem in somnio Scipionis depingit Tullius, in has voces prorumpens: Quis est hic" qui complet aures meas tantus & tam dulcis" sonus? hic est, inquit, ille, qui intervallis con-" junctus imparibus, sed tamen pro rata pro-" portione distinctis, & impulsu, & motu ipso-" rum orbium efficitur, *& acuta cum gravibus*" *temperans, varios æquabiliter concentus efficit:* ne-" que enim silentio tanti motus incitati pos-" sunt: & natura fert, ut extrema ex altera par-" te graviter, ex altera autem acutè sonent. Ab hac opinione non multum decessisse videtur Mediolanensis Ecclesiæ lumen, & orbis columen D. Ambrosius, dum præfatione in librum Psalmorum ait: *Ipsum axem cæli fert quorundam sermo*, QUADAM PERPETUI CONCENTUS SUAVITATE VERSARI; *ut si assuetudo permitteret, sonus ejus extremis partibus terrarum audiretur, ubi sunt quædam secreta naturæ.* Hæc Philosophi, qui cælos solidos ponunt, aut attritu, aut orbium mutuo, se penetrasse, & elucidasse augurantur; non tamen hæc ut fabulosa sanctus Doctor vult explosa, cùm & arborum rami inter se collisi, & ipsa nemora, saxa ac scopuli clamantibus resonent, & suaviter obmurmurent: unde sic prosequitur: *Nec id ab ipsius naturæ usu alienum videtur, quandoquidem vox emissa, gratiori plausu in nemoribus resultet, aut montibus, & suaviori sono* (per echonem) *ipsi reddant quod acceperint; in scopulis quoque ipsis, & lapidibus reperit natura quod delectaret.*

Cicero in somnio Scipionis.

S. Ambr. præfat. in lib. Psalm. Et Greg. Nyss. tr. 1. in psalmos cap. 3.

Amb. cit.

In eundem sensum, & sententiam, scribit Nysseni Antistes, Verùm dum hæc orbium celestium, nescio quæ amabilis me tenet insania, ex alto Prophetam intonantem audio: *Concentum cæli quis dormire faciet?* Quis illam harmoniam *silere*? Quis altiori choro, & organo illam obtundere, obscurare, auribus nostris obsurdescere, & obturare faciet? Non

Greg. Nyss. cit. Iob. 38. v. 37. Sanctius hic.

 Orphei,

Orphei, non Ariones, non Amphiones; sed cælestis illa musarum Uraoia, & musicorum præses, ac patrona, CÆCILIA, quod canticis, & organis Spiritu Dei plenis, ipsos empyrei choraulas, & nuptiarum Agni paranymphos, attonito Valeriano sponso, & Tiburtio germano, phonascos excivit, totamque Superum aulam in admirationem rapuit. Quæ ut & aures vestras, animosque attentos habeat.

Virg. CÆCILIDI *Musa, paulò majora canamus.*

§. I.

CAECILIA *Organum Spiritus sancti.*

Corpus organum. PHilosophorum Princeps Aristoteles, concinnati corporis humani compagem, tot ossibus, nervis, venis, arteriis, velut tot organi fistulis instructam cõtemplatus, de ea aureum illud effatum, pronuntiavit: *animam esse actum* CORPORIS ORGANICI; quod Doctor Angelicus confirmat in illud Pauli 1. Cor. 12. *in uno spiritu omnes nos:* ubi sic aptè disserit: *corpus hominis unum est: quia ejus perfectio integratur ex diversis membris, sicut ex diversis animæ instrumentis, id est,* DIVERSIS ORGANIS (fistulas intelligit) *constitutum.* Qua ex aptitudine, innatus quidam homini musices amor, & studium videtur, ut Divus Gregorius Nyssenus (quem * sanctus Germanus, virum doctrina singularem, & eloquentiâ insignem, clara, que sanctitatis æstimatione, per omnium ora decantatum deprædicat) observavit, qui ait: *idem ostendit* ORGANICA CORPORIS NOSTRI STRUCTURA, *quam natura ad musicas operationes scitè effinxit: intueri enim licet arteriam velut tibiam, palati velut laminam, seu tabulam, quâ nervi intenduntur, moderationemque quæ fit per linguam, & maxillas, & per os, quasi per chordas; cum igitur omne illud quod naturale est, natura sit amicum demonstratumque sit, musicam naturæ esse consentaneam, ideo magnus David philosophiâ de virtutibus, melodiam & concentum immiscuit: & sublimia illa dogmata, melle quasi dulcedine aspersit, per quam aliquo modo, seipsam intuetur, & curat natura.*

S. Thom. in 1. Cor. 12.

* S. Germanus apud Photium. Action 6. partis 5.

Greg. Nyss tract. 1. c. 3 in psalmos.

Musica homini connaturalis. Eapropter, ut omnia deessent, deberet humanitatis nostræ compactio, & spiritus noster intus agens, & animans corpus organicum, ad harmoniam nos excitare, ejusque supremum phonascum admirari, & adorare; quandoquidem homo quantus quantus est, & ORGANUM, *& lyra, & multarum vocum instrumentum, ad concentum suavitatem aptissimum, summi Dei compositum manibus fit*, ut Clemens Alexandrinus loquitur; sic ut omni homini inditum, & innatum sit, cantu, & concentu delectari; teste Philosopho: *Videtur cognatio quædam nobis esse cum harmonia, & rythmis*; quod variis illustrant sancti Patres argumentis, ac compremis Chrysostomus, tantam tradit humanis mentibus cum canticis esse consensionem, ut

Clemens Alex. ad hort. ad gentes.

Aristot. 8. polit. c. 5

vel infantes (quod experientiâ quotidianâ exploratum habetis) si inquieti sint, atque in fletum, iracundiamque effusi, illius soni dulc[illegible] ne sopiantur, rideant, aut placidè in dormis[illegible]. *Nostra certè natura inquit, usque adeò* DELECTATUR CANTICIS, ET CARMINIBUS, *& tantam cum eis habet necessitudinem, & convenientiam, ut vel infantes ab uberibus pendentes, si fleant, & affligentur, eâ ratione sopiantur. Nutrices quidem certè, quæ gestant in ulnis, sæpe adeuntes & redeuntes, & quædam* PUSRILIA BIS CARMINA DECANTANTES, *supercilia eorum ita sopiunt.* Sed non opus ad eam rem exponendam ad eunas infantium, ingeniumque recurrere, cùm in vitis, & illis quidem omni exceptione clarissimis, testimonia sint quæ videmus In Abrahamo documenta lucent, quem Gregorius Nyssenus prodit sub quercu tabernaculum fixisse, non inopiâ domicilii, sed quia tenebatur ea, quæ ex ramis edebatur, dulcium voculatum suavitate, in quibus *avium cantatricum erant officina.* ad quam innocentem, atque tamque symphoniam, motus animi componebat, & ad venerandum Numen animabatur. Quid si, quod idem Doctor de Basilio, *auream philomelam*, Cæciliam, quæ dies noctes in dulci hymnodia traducebat, audivisset; Sic Aggæus, & Zacharias Prophetæ, primo omnium *alleluia* cecinerunt. Præ omnibus David, quem Divus Athanasius ait primum *accepisse à Deo spiritum* PSALLENDI; eundem vocat Augustinus, *virum* IN CANTICIS *eruditum, qui* HARMONIAM MUSICAM *non vulgari voluptate, sed fideli voluntate dilexit.*

Chrysost. in ps. 41.

Greg. Nyss orat. 3 Resurr.

Idem de laudib Basilii.

Athan in synops.

Aug. l. ab [illegible] c. 14

Verbum infans Musica è cælo terras voca[illegible]

Frustra his comprobandis, pluribus immoror; cùm omnium instar, Deus homo, & Verbum infans, musicâ delectari visus sit; dum primo cælestes choraulas, & divinam in terris musicam audiri fecit; insuper & cantoris partes ipse suscepit, ut efferatos hominum animos leniret, & amoris sui cantico quasi incantaret; hoc Clementis illius Alexandrini, de divino verbo effatum est; nam postquam risit, & explosit fabulosos illos Orpheos, & Amphiones, NON TALIS, inquit, MEUS CANTOR EST; *solus quippe ex iis, qui umquam fuerunt, difficillimas feras, homines mansuefecit*; quod statim explicat: *nam sævos ut Leones, ad mansuetudinem: fallaces ut vulpes, ad sinceritatem: obscænos ut sues, ad continentiam: & sic alios, aliis vitiis propensos, ad alias virtutes, illis vitiis contrarias, revocavit*; hoc autem *concentu virtutum*, nihil est suavius. Quis, amabo vos, difficillimas feras, gentiles, idolatras, Valerianum & Tiburtium *mansuefecit*? CÆCILIA; quam solus ille divinus cantor incantaverat. Quis libidine inflammatos, *ad continentiam induxit* CÆCILIA *Quis sævos ut Leones, ad mansuetudinem? fallaces ut vulpes, ad sinceritatem? obscænos ut sues*, ad triumphandam Venerem & Cupidinem, è cultu idolorum, ad veri & summi Numinis [illegible]cationem, effuso sanguine contestandam, quadringentos homines barbaros & efferatos, & quotquot hujus cælestis Psaltriæ, in morte suavissimè canentis vocem audiverant, Christo peperit, Virgo minimè sterilis CÆCILIA, quæ cantico Domini omnes incantabat, & omnia phileta,

Clem. [illegible] ad gentes

S. Cæcilia 400 convertit. Metaph. Ribaden.

philtra, ac magicas amatorum incantationes excantabat; fuerunt tum temporis, & nunc sunt gentiles idololatræ, hæterodoxi, qui quibusdam cantilenis Ecclesiam tentârunt; sed non excantârunt: *multi*, inquit, S. Ambrosius: *Ecclesiam tentant, sed sagæ artis carmine, ei nocere non possunt.* Ac cur suis non proficiunt incantamentis? pergit Ambrosius: *Nihil* INCANTATORES *valent, ubi* CHRISTI CANTICUM QUOTIDIE DECANTATUR. *Habet Ecclesia* INCANTATOREM SUUM DOMINUM JESUM, *per quem* INCANTANTIUM CARMINA, *& serpentum venena evacuavit.*

Ambros. in hexam. l. 4. cap. 8.

O Divinum planè, ac suavissimum cantorem! Justillant illi improbi cantores humanis præcordiis venena, & quidem lethalia; sed illa omnia divinus cantor, suæ suavitate melodiæ, ex humanis præcordiis *evacuavit*, tantum valuit cauendo, ut pessimas illas magorumque execrationes, & amasiorum necromanticas incantationes, suo cantu deleret, & sagæ musicæ maleficium, beneficio sanctæ musicæ coerceret. At quæ harmonia dicet aliquis à Verbo infante eliciatur? mirabilis planè. Testem ego appello Petrum Damianum, profanis aliquando concentibus deditissimum; sed cùm hanc hausit harmoniam, jam alius ab eo, qui fuerat, exclamans: *Olim mihi Tullius dulcescebat: blandiebantur* CARMINA POETARUM, *&* SIRENES DULCES MEUM INCANTAVERANT INTELLECTUM. *Nescio quomodo* DULCIUS IMMURMURAT *Filius* JESSE, *qui omnes illos, quos antea diligere consueveram, ineloquentes reddidit, & mutos.* Ab hoc cælesti cantore, ab ipsa pueritia edocta Cæcilia, facta est *organum Spiritus sancti*, quod Chrysostomus de Paulo prædicavit: hoc elogium, si omnibus justis competat, eximiæ sanctitatis mentibus proprissimè convenire, nemo diffitebitur. Organum hoc mysticum, quod divinus Spiritus inspirat, & replet, describit Divus Prosper, qui cùm in varia Sanctorum encomia, luculenter, & excellenter decurrisset, *restat*, inquit, MUSICORUM VOLUPTAS; *habet* ORGANUM *ex diversis fistulis sanctorum Apostolorum, Doctorumque omnium Ecclesiarum, aptatum quibusdam accentibus, gravi, acuto, & circumflexo, quos* MUSICUS ILLE DEI SPIRITUS, *per verbum tangit, implet, & resonat*; quid ad laudem musices sublimius, quid subtilius excogitari, aut deprædicari potest, quàm ut non solum Verbum infans se cantorem, sed & *divinus ille Dei* SPIRITUS, se MUSICUM exhibeat? Rectè olim Plutarchus, excellentiam musicæ, & harmoniæ ex eo commendavit, quod antiqui, instrumenta musica in Deorum suorum manibus ponere consuevissent, ut innuerent, nihil sic convenire, ac placere diis, quàm harmoniam, & concentum, sic enim ait: *Antiqui Theologi, qui philosophi sunt vetustissimi*, INSTRUMENTA MUSICA, *deorum, pro signis, in manus dabant, quasi cæterorum nullum officium* (jurisdicendi, medendi, pingendi,) *perinde arbitrabantur diis*, *ac* HARMONIAM AC CONCENTUM CONVENIRE. Sed parum hoc, divinum Numen, ipse

Chrysost. de laudib. S. Pauli.

S. Prosper. de promissionib. de gloria Sanctorum in peroratione.

S. Spiritus musicus.

Plutarch. moment. anima mixtura.

Spiritus sanctus se musicum facit, & gloriatur; qui *Cæciliæ nostræ* animam, velut organum aptissimum, occupavit, inspiravit, animavit, & ad omnes numeros, ac modulos virtutum fecit resonare. Cujus exemplo, ut & vos organa Spiritus sancti effici valeatis, aspirante & inhabitante Spiritus gratiâ, quæ justos facit, comprimis opus est, quâ adjuvante concentum virtutum, quo nihil est suavius, divinis auribus gratissimum referatis; sic porrò tradit Divus Ambrosius: *justi anima utitur corpore* UT ORGANO; *quæ velut præclara artifex quò vult, obsequium corporis ducit, & effingit de eo speciem quam elegerit: & eas quas voluerit, facit in eo resonare virtutes, pangens nunc modulos castitatis, nunc modulos temperantiæ, sobrietatis carmen, integritatis dulcedinem, virginitatis suavitatem, gravitatem viduitatis*; ex quibus rectè conficitur, non virgines dumtaxat, & religiosos, sed & conjugatos, viros ac fœminas atque ipsas viduas cōcinna & arguta *Spiritus sancti* organa effor mari, si spiritui mores, & vita, & actiones omnes cōspirent, juxta illud S. Isidori Pelusiotæ: ORGANUM *quivis nostrum est, cum Deo mores suos, ac vitam probat, atque hominum commodis aptus est.*

Iusti sunt organum Spiritus sancti. Amb. lib. de bono mortis c. 6.

Isidor. Pelusiota lib. 1 epist. 164

Quare vos omnes hodie perfectos musicos, cantatores, & cantatrices volo: non ut cōcidere minutim sonos, & canora velut in puncta distinguere, pluribusque momentis, & minimis maxima eorū tempora, cumpensare valeatis: non argutiuias modulorum, & bellè cadentes ad numerū chartes, velut artis appendices ultimas, & quosdam quasi cincinnulos concinuare: non ductū celerrimè spiritū librare, veluti pennis, atque in sublime promittere, mox aut ad ima devolvere, aut retrorsum à medio cursu reprehēdere, prorsum versum impellere, ante expectatū premere, sistere, revocare, circumagere, veluti turbine ac versare, ut non ore, sed torno vibratum, rotundarumque ederetis: non improvisâ demissione vocem introrsum flectere, & surdâ quâdam titillatione provehere, ac vere in sinu suo canere: oō exultantem cantus hilaritatem, fractis itidem numeris, & quasi mæstitia temperate: non denique sonum illidere, implicare, explicare, suspendere, variare, producere, suspiriis, trepidatione, modulatione, munitione, cōcentu, pleuè, graviter, acutè sexcentos modulos melicos modulari docebo; sed quam quisque canendi artem nosse potest, ac debet.

Quomodo omnes boni musici, cantores & cantatrices esse queant.

Nemo vestrûm in excusationem adferat se notas, ac numeros musicos ignorare nemo vocem ad cantandum, digitos ad fides pulsandū, ineptos & ignaros prætexat. Unum vobis pertinens musices hujus spiritualem magistrum præficio Hugonem à S. Victore, qui exponens illud ps. 97 CANTATE *Domino* CANTICUM NOVUM, sic differit: CANTICUM *est vita*, CANTICUM NOVUM *est vita nova.* CANTICUM VETUS, *vita vetus*, *nova vita justitia, vetus vita culpa.* Sic suus B. Cæcilia canere ducit *canticum novum*, dum à veteri vita ad novam, à culpa ad justitiā, ab idolis & dæmonis ad veri Numinis cultum vocavit. Hugoni cōsentit Doctor Angelicus, dicens: CANIT CANTICUM NOVUM *qui exultat Deo*, *de reno-*

Hugo à S. Victore, to. 2. de institu. monast. serm. 11 in novo anno

S. Thomas psalm. 37.

renovatione gratia. In eundem sensum S. Augustinus ad illa verba: *Cantemus Domino canticum novum*, sic ait: *Vetus homo.* VETUS CANTICUM, *novus homo*, NOVUM CANTICUM: hæc musica omne genus cantorum, & cantatricum admittit: *porrò tribus modis distinguitur cantus, gravi, acuto, superacuto: grave significat vitam conjugatorum, acutus continentium, superacutus Virginum:* QUI BENE VIVIT, BENE CANTAT; *qui male vivit* MALE CANTAT, *quia discordat.* Jam videtis, ut opinor, sine ullo dispendio, atque ullo aut laboris vel operæ impendio, perfectè vos canere posse: *nam qui benè vivit*, BENE CANTAT. Ut quis benè cantet, requiritur harmonicus concentus, seu consensus inter hominem superiorem, & inferiorem, dum corpus subest animæ, & illa præest. Canat ergo ratio *superiorem*; pars illa ignobilior, sive sensualis, *Bassum*, hinc ado. illa gratissima symphonia oritur, quæ resonat potiùs moribus, quàm vocibus. Audi hic Ambrosium idipsum insinuantem: *psalterium est homo consummatus in Christo, in quo sicut arte concinnentium fila chordarum; ita convenientium resonant opera canora virtutum.* Hisce consonat illud Chrysostomi: *hic non est opus cytharâ, neque nervis extentis, neque plectro, nec arte, nec ullo instrumento; sed si velis, teipsum efficies* CYTHARAM, *cùm carnis membra morte affeceris, & anima cum corpore* PULCHRUM CONCENTUM *effeceris: dum enim non concupiscit caro adversus spiritum; sed illius jussis cesserit;* MELODIAM EFFICIES SPIRITUALEM.

August. in psalm. 149

Ambros. in psalm. 30.

Chrys. in psalm. 41.

Sic Cæcilia, membra sua morte affecit, nuptialem vestem cilicio astringens, quo nobiliorem virginitas non habet zonam: atque insuper vigiliis, & jejuniis corpusculum extenuans, *melodiam effecit spiritualem.* Quid, quod non modo linguâ, sed singulis totius corporis membris nos concinere, & piè modulari posse, idem doceat Antiochenus præsul: *possumus per oculos canere, non tantum per linguam, & per manus, & per pedes, & per aures: quando enim unumquodque eorum facit, quæ Deo honorem, & gloriam adferunt, utpotè dum oculus non impudicè aspexerit, dum manus non ad rapinam, sed eleemosynam se extenderint, dum ad psalmos, & auditiones spirituales suscipiendas, aures paratæ fuerint, dum pedes ad Ecclesiam concurrerint, dum cor non dolos struit, sed charitate scatet, fiunt psalterium membra corporis, &* CANUNT CANTICUM NOVUM *non verbis solis, sed rebus ipsis.* Tale canticum cecinit Cæcilia, ejusmodi sese psalterium exhibuit, dum lingua Deo honorem & gloriam concinuit, dum oculus in Angelum Domini, in sponsum virginum intentus, dum manus ad effundendas in sinum pauperis facultates suas, pedes ad martyrum corpora impendit, dum *omnia membra cecinere* CANTICUM NOVUM, *non verbis solis, sed rebus ipsis.*

Chrys. in psal. 143.

Experientiâ vobis comprobatum est, & sæpè sæpius auribus audîstis, eum qui organo ludit, varios, maximè ac diversos tonos, spissos, crassos, altos, bassos, eodem spiritu aspirante modulari. Lessius, vir eruditione & sanctimoniâ vitæ celeberrimus, quemque nostrûm, organistam facit, cui Spiritus sanctus gratiam adjuvantem inspirat, & aspirat, juxta illud Pauli: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*, frustra enim, quantumvis in arte musicâ peritus, organum pulsaverit, si spiritus defuerit, aut defecerit. Tum illud solerter disquirit, quî fiat, ut eodé spiritu aspirante, peritus artis suæ organista, suavissimè moduletur, aures animosq; oblectet; sin verò quis musicæ ignarus accedat, barbarum quid, dissonum, ac discolum melos edat; aut is, qui etiam gnarus artis suæ, malignâ voluntate, ac animo malevolo musicos numeros transgredi velit, aut præ temulentiâ, aliâque mentis intemperie, aptè modulari non queat, patet, huius causam non esse illum, qui promptè spiritum suggerit, inspirat, & aspirat; sed propriæ voluntatis, ac malitiæ.

Rom 8. v. 26.

Id indies videre est, cum plures viros justos, ac pios, animas castas, *spiritu ferventes*, juxta doctrinam Ambrosii, *de corpore suo organum facere*, & Spiritu sancto aspirante, *in eo facere resonare virtutes, & melos varium bonorum operum.*

Sed quot hîc reperire est, qui sancto Spiritu aspirante corporis organo, voluntate propriâ, & malitiâ, valdè inconcinnè abutuntur, *& ea, quæ voluerint, faciunt* in eo resonare peccata, pãgentes nunc modulos lasciviæ, nunc modulos temulentiæ, ebrietatis carmen, corruptelæ amaritudinem, perditæ virginitatis threnos, & lessum duræ viduitatis?

§. II.

Quomodo quisq; nostrum laudare queat Deum IN CHORDIS ET ORGANO? *quod iuvat, uti omnis arguta musica, ad varios affectus excitandos, & motus animi componendos.*

Psal. 150.

PRopilæo Apollinis dignum, Antistitis Abulensis pronunciatum est in lib. 2. Regum cap. 6, quæst. 9. *Debet Deus laudari in* MUSICIS VASIS, *propter nosipsos; ut per hæc, ad majorem devotionis fervorem incendamur. Ideo* INVENIT ECCLESIA PULSATIONEM ORGANORUM MUSICORUM: *sunt autem illa non parvæ efficaciæ, ad componendos, & instituendos mores humanos.* Ea vis, & energia fistulis, spiritu animatis, scitè tactis cytharis, argutè modulatis vocibus, omniq́ue ex arte deptomptæ musicæ est, ut in quosvis animi affectus, & motus excitet, atque impellat: nam ubi per aures in animos illabitur, & per quosdam subtiles canales, imis sese medullis insinuat, quos ibi motus ciet, quos molitur affectus, quomodo intimos cordis sinus suavissimus prædator permeat, atque pervadit? Tantum valet in omnem partem, numerorum & modulorum artificiosa cõcinnitas, quorũ celeritate rapiuntur animi, tarditate torpescũnt, gravitate cõponuntur, levitate vanescunt, aut læti aut hilares, aut quieti pro carminis habitu, formi-

Organi, & musicæ vis ad omnes affectus excitandos. Abulensi in lib. 2. Reg. cap 6 q. 9.

que

canend... quid enim Phrygii impetu re... ...ius, Lydii ... languidius, Dorici gra... ...vectus, Ionii suavitate jucundius, Hy... ...olii tactu impensius, Æolii tranquillitate ... Sigillatim & affectus, & effectus ... expendamus.

... mùm quidem, furor quidam Martius ... concitatur, quia auditus vehementer ... percellitur, ex quibus totus animus per... ...ius, in prælia exardescit; ideoque apud ...os populos receptum, ut musicam ex... ...ant in prælijs. Lydii tibiis & fistulis, Cretes cithara, & fidibus, Marti præluserunt. ...æmonii carminum cantu animari, muta... pugnas ediderunt. Quid frequentius in ...o, quàm tubarum, tympanorumque sono ...s concitare?

Martémque accendere cantu?

...le hic Entheus furor, & concitatus mili... ...ot, & impetus, solo bellico sono con... ..., quòd in hostes, in vulnera, in mortem ..., testis est historia de Erico II. Daniæ ...e de quo Cranzius, & Saxo Gramma... Apud Ericum, inquit, cognomento ..., ...æ Regem, citharædus quidam ...bilis, admirabiles, & propè stupen... ...uæ commendabat effectus, maximé... ...ad ipsum, quod in humanos sensus, ...que obtineret impetium. Rex ver... ...m novitate perculsus, qui neque vim tan... ...usicæ arbitraretur, continuò hominem ...pecimen edere jubet, & torpentes ani... ...os ad furorem Martium, si posset, accendere. ...nuit ille, & ne qua nocendi ansa daretur, arma omnia ex aula ferri præcipit, custodes ...que in atrio collocari, quo furentes, si qui fortè in rabiem agerentur, compescerent. Dictum, factum. Tum ille, quâ plurimùm valebat, canendi, & organa, ac fides tangendi peritia, primùm quidem amarissimos, deploratis, lamentantis, ac desperantis animæ ...renos exorsus, omnium, quotquot aderant, auditorum mentes, non stupore dumtaxat, & ...ærore oppressit; sed & singultus & uberes ...crymas, flebili suo cantico expressit. Deinde ...o suaves, & mellitos cantus effudit, ut toti, ...ione corporis, & saltabundi, intempe... ...m lætitiam prodeerent. Tandem verò, ubi ...ibus, ac severioribus modulis intonare ..., continuò totis tectis aulici fremere, tu... ...uari, arma & gladios inclamare, in se fu... conspicati sunt. Nec mora; accurrunt ...des, ut Regem cum suis furentem conti... ... sedalle effractis atrii foribus, arrepto ...tuor confodit; & ut actus in rabiem ...otus bacchatur ædibus. Vix tandem ...rium, & lectorum mole undique op... ... contineri potuit. Postquam menti ... electo Procuratore regni filio, Hie... ...mam expiandorum homicidiorum, pet... ...tus atus, gratiâ, profectus est, atque in ...etunctus.

... ho, aliosque quoscumque animi motus ... & mentis impetus, & pertur... ... sedan... s Theophrastus ferrur musi... ... h... ... quos huic malo iam piæ-

senti remedio Cardinalis Cajetanus docuit, ut ORGANA *in Ecclesia, esse medicinam animæ affirmarit*. & ipse ex Ariopago, Pauli discipulus, & Doctor Maximus Dionysius, tam excellenter de divinis Canticis senserit, ut *cantum, animorum habitus continere, & aptè componere dictitarit*. Homo quippe animal est, naturâ musicum, & musicæ vis per aurium sensus, quasi per animæ vestibula, si quando potentius illapsa est, tum delicato quodam titillationis lenocinio, mentem surripit, & miti quodam duminatu, omnes affectuum fides, ac chordas concitat, & pro libitu, placat.

Hoc & profani Auctores observarunt; sic etenim Macrobius: *Omnis habitus animæ*, CANTIBUS *gubernatur*. Plato quoque in Timæo: *Data nobis est* HARMONIA, *non ad voluptates rationis expertes, sed ut per eam dissonantem circuitum animarum* COMPONAMUS *&* AD CONCENTUM *sibi proprium revocemus*.

Timotheus Musicus, quoties libuerat, phrygio sono Alexandri animum ita accendebat, ut efferatus ad arma rueret, & cùm aliter voluisset, murato tono, mentis ferociam placabar, emollitumque animum ad epulas pertrahebat; de quo juvat Magni Basilii audire testimonium: *Timotheus, si quando austeriorem, atrociorémq;* HARMONIAM *emisisset, Alexandrū è convivio ad arma, & rursus ad epulas concitasse dicitur*.

Isti sunt admirabiles naturalis musicæ effectus, & affectus, de quibus Cassiodorus: Hæc cùm de secreto naturæ, tamquam sensuum Regina, tropis suis ornata processerit, reliquæ cogitationes exiliunt. Omnia facit ejici, ut ipsam solummodo delectet audire: tristitiam noxiam jucundat, tumidos furores attenuat, cruentam sævitiam efficit blandam, excitat ignaviam, soporantemque languorem: vigilantibus reddit salubertimâ quietem: viria tam turpi amore, ad honestum studiū revocat castitatem: sanat mentis tædiū, bonis cogitationibus semper adversum: perniciosa odia convertit ad auxiliatricem gratiam, *& quod beatissimum curationis genus*, PER DULCISSIMAS VOLUPTATES EXPELLIT ANIMI PASSIONES; incorpoream animam corporaliter mulcet, & solo auditu, ad quod vult, deducit: verbo tacito, manibus clamat, & sine ore loquitur, & per insensibilium obsequium, prævalet sensuum exercere dominatum. Hæc Cassiodorus; in quibus vim musices planè admirabilem, amabilem, & perutilem, quis non obstupescat?

Rem sic se habere comprobabo, ut conjicere possitis, si ea ad temperandos, & pacandos animi motus, humanæ musicæ, & naturali harmoniæ vis, ac potentia sit, quid sperandum, ac spectandum, ubi *musicus Spiritus sanctus* organum mentis ac corporis (ut Cæciliæ accidit,) variis gratiæ suæ modulis inspirârit, & animârit; quomodo non is, & iræ, & luxuriæ, & temulentiæ, aliasque passiones, sedate, pacare, & excantare poterit?

Quod iram quidem spectat, musica sopit illam, ut sapientes putant viri; testis animosus Achilles, qui cùm vehementissimè in Agamemnonem indignaretur, & jam animus propè

Cajetan. in D.Th. 2.2 q.91. art 1. & 2

Dionys. de Eccl. Hierarch cap. 3.

Macrob. lib. 1. in somnio Scipionis, c. 3.

Dio orat 1 de Regno.

S. Basilius hom. 24. de legendis lib gentilium.

Cassiodor. variar. lib. 1.

Musica à iracundia temperat.

Cranzius ... Dan...

Ælian. lib. 14. variar. histor. propè in arma, vimque erumperet, cytharam capiebat, & sono dulci, indignationis magnæ aculeos retundebat; quod Pythagoræum fuit documentum: qui non modò cum dormitum irent, cantu & symphoniâ utebantur, ad placidum animi statum retinendum, verùm etiam ad temperandam iracundiam, ex quorum disciplina *Athen. lib. 14.* Clineas Philosophus Pythagoræus, si quando ad iracundiam se præcipitem ferri sensisset, continuò aptatis fidibus, testi od nem suam modulatè pulsabat; & quærentibus causam, ajebat, *se animo mitigari.*

Empedocles Agrigentinus, furibundum adolescentem, stricto gladio hospitem impetentem, mellitis cantionibus revocavit.

Habent hic, quòd sibi in sinu canant, & palam plaudant musici, quòd hæc nec Tulliana oratorum facundia, nec Jurisperitorum argutia, nec Medicorum aphorismata præstare queant.

Ipsa Jovis Aquila, apud Pindarum, ubi Apollinis lyram audivit, prædarum & fulminis oblita, jam conniventibus oculis mergitur in soporem; tum fulmen ipsum hac illecebrâ delenitum, concidente paulatim flammarum ardore languescit. Si ea vis Apollinis lyræ, ut ipsi Jovi fulmen ex manu decusserit, quid non valebit ex chordis cordis, & organo sonus, pro inimicis Ecclesiæ, cum Cæcilia, suavissimè emodulatus? cùm verum sit illud *Ambros. præfat. in Psalmos.* D. Ambrosii testimonium: *Delectatur* CANTICO *Deus non solùm laudari, sed etiam conciliari.* *Sozomen. lib 4. c. 23* Quod in Theodosio, summo Imperatore licet animadvertere, qui cùm genus omne acerbitatis in Antiochenos expromere constituisset, qui statuas Imperatorias insolenti, & inexpiabili audaciâ dejecerant, & fœdo more, ignominiâque raptarant; Flavianus, qui tum fuit Antistes, vir prudentiâ, & religione clarissimus, cantilenas quasdam lugubres excogitavit, ut verbis utar Sozomeni, quarom incredibilem vim est expertus: cùm enim ad Augustum leniendum adiisset, & eas ipsas cantilenas ad Imperatoriam mensam cani curasset, sic Theodosius immutatus est, atque inflexus ad misericordiam, ut oblitus acerbissimæ injuriæ, poculum ipsum, quo in convivio utebatur, lacrymis respergeret.

Nos Deo, Imperatori summo longè atrociores injurias intulimus, & flebili Davidis, aut Jeremiæ cantu flectere non poterimus?

Non sine fructu olim nonnulli Oratores, & salutis & vitæ deprecatores, musicam præcipibus admiscuerunt, siquidem Theodulphum *Crantzius lib. 1. c. 17 metri.* è vinculis Ludovicus Pius liberavit, postquam ab eo plenâ voce cantari audivit hymnum, quem in vinculis recens meditatus fuerat: *Gloria, laus, & honor, tibi sit, Rex Christe, Redemptor.*

Quæ ratio impulit etiam antiquos illos Getas, ut cum cytharis legationes de pace, & concordia obirent, cati illud ad mulcendos animos potentissimum esse incitamentum; ut non familias dumtaxat, sed & Rempublicam, ac urbem universam ad concordiam inducerent. Quod saniori & sanctiori p[illegible] Vatis testimonio probat Augustinus [illegible] *vid vir* IN CANTICIS ERUDITUS, *qui* [illegible] MONIAM MUSICAM *non vulgari voluptati* [illegible] *fideli voluntate dilexerit: eaque De[illegible] suo m[illegible] rei magnæ significatione servierit:* D[illegible] ENIM SONORUM RATIONABILIS, MO[illegible] TOSQUE CONCENTUS, CONCORDI VAR[illegible] TATE *compactam, bene ordinatæ civitatis insinuat unitatem.*

Musica nos monet, ut sicut ex varietate v[illegible] cum, ac fidium, grata & consentie[illegible] symphonia, ita omnes animi motus, & actiones, in dulcem harmoniam divinæ legis [illegible] conveniant. Est enim ea vis cantus, ut p[illegible] aures sese placidè in animum insinuans, [illegible] lentos, si qui sint motus, summâ æqu[illegible] componat, & instar poëtici Neptuni *tumi[illegible] æquora placet*, cùm ventus ambitionis, ac f[illegible] tis iracundiæ, sævos attollit fluctus, cu[illegible] ror subsidit, & *furit æstus arenæ*; cùm [illegible] inquietat, cùm aliæ perturbationes vio[illegible] incitantur, ad dulcem chori sonitum v[illegible] nunt, neque iners quædam malacia [illegible] cherrima placidi maris effigies con[illegible] coërcetur libido exultans, atque ruens in perniciem: gloriæ ardor continuò [illegible] implacabilis iræ vis, & cupido ult[illegible] quillatur. Ita tantantibus organis [illegible] deutibus superis, *Cæcilia sponsum [illegible] num, qui perinde at leo, tohiberi non pote[illegible] quam agnum reddidit mansuetissimum*; [illegible] ap[illegible] Surium legere est.

Peritiores artis musicæ magistri, [illegible] que ejusdem amantes, teneras ac delicatas au[illegible] habent: minimum tonum in numer[illegible] absonum carpunt; interim ipsi secum, nec cum suis domi discordant: hoc gentilis Seneca ob[illegible] vavit: *Stultum est*, inquit, *vacare* CONCORDIÆ *musicorum, & non habere* CONCORDIAM *cum proximo, vel cum se ipso. Ad* MUSICUM *transeo, doces me, quomodo inter se acuta, & graves voces consonent, fac potiùs, quomodo animus secum meus consonet, nec consilia mea discrepent. Monstr[illegible] mihi, qui sint modi flebiles, monstra potiùs, quo modo inter adversa non emittam flebilem voc[illegible]* Sed monstra & mihi potiùs, *qui sint modi flebiles*, quibus cor contritum, & humiliatum cum Regio Psalte, totum in doloris, & am[illegible] ris lacrymas colliquescat, ut canere poss[illegible] *Versa est in luctum cythara mea, &* ORGANUM *vocem flentium.*

Organum ex aquâ, sive hydraulicum cujus inventor Ctesibius celebratur) in symbolum sibi adlegit Academia humoristic[illegible] h[illegible] lemmate subjecto: *Concino, dum con[illegible]* conceptum suavissimum in eo elicitunt, dec[illegible] deotes, singulari artificio, guttæ. Tal[illegible] crymis cordis pœnitentis, Magdalena [illegible] ere visa est, ut Chrysologus serm. 9[illegible] *Ad delitias Dei tota, totam pulsat[illegible] C[illegible] torporis* SYMPHONIAM. ORGANI *[illegible] dat clamorem: gemitus aptat in fistulam.* [illegible] *ctus ipsam conscientiam arguens, sæpe percutit, fac[illegible] placitura Deo* CYMBALA *personare.* [illegible] crymis castissimi, & ardentissimi amoris or[illegible] num suavissimè modulata est Cæcilia, [illegible]

"ait Metaphrastes, Christi Salvatoris capta "amore, cùm dies venit, quo paratus erat thalamus nuptialis, & symphonia instrumentorum totis ædibus personaret, *illa in corde suo, soli Deo* PSALLEBAT; *& cum lacrymis precabatur: fiat, Domine, cor meum, & corpus meum immaculatum.* Quid non apud Deum organa hydraulica, id est, corda lacrymas stillantia, ac flebiles voces, ac gemitus emittentia evincent; ubi mortalium animos, iustam etiam vindictam spirantes, mitescere, mansuescere, & colliquescere faciunt? ad hanc symphoniã *etiam saxea pectora molliuntur: vides flere praduros flecti immisericordes:* Sic olim flebili musica pueruli, jure efferatum Henrici Imperatoris animum flexêre, & fulmina in pluviam quodammodo solvêre. Obsidebat hic Trojam, Apuliæ urbem, ac civium pertinaciâ variè lacessitus; juravit nec imbelli ætati patere. Suppetus, auxilioque omni præciso, cives serò, sed serò, Imperatori supplices, in urbem repulsi, extrema jam omnium ervicibus imminentia metuebant; dum ecce necessitas ingeniosum, nec minus religiosum stratagema advenit,

Ambrof. præfat. in Psalmos.

Bellarm. de sanctis Princip. & Radevic in axia sancta Theodosii.

- - *miserisque venit solertia rebus.*

Ovid. lib. 6. metam.

Puerile totius urbis agmen instruunt: signum, crux præit, laxatis pottis hæ copiæ ejulantes, & flebilibus modis, ac modulis, preces cantantes, ad Imperatoris tentorium sensim adrepunt. Quis credat? innocuam parvulorum turbam contuitus, & lugubres cum suspiriis cantilenas auribus, & animo hauriens, iis ipse collacrymatus est, *& misertus super turbam*, urbem libertate, cives gratiâ donavit. Paradigma est, quomodo cæli, terræque Imperator, flebilibus pœnitentiæ canticis, & psalmis flectendus, & placandus sit.

Hactenus satis superque comprobatum autumo, animos quantumvis efferatos, cantu leniri, & omni iracundiâ positâ, ad compassionem, & commiserationem flecti; superest amor, qui nullus in homine affectus potentior, cantu vires sibi enervari sentiat. Res magnis autoribus, raris ac præclaris exemplis patebit.

Clytemnestram ad continentiam, & pudicitiam incitatam à cytharœdo, ab Agamemnone eâ de causâ relictam, historiæ narrant Trojanorum. Nulla durior, ac dirior in homine passio, quàm libido; verùm & hæc fera truculenta, non ferreis catenis, sed honestis canticis cicuratur, ac domatur. Quis hoc jam in cælesti nostrâ psaltriâ Cæciliæ admiratur, dum sponsum suum libidine incensum, derepentè ad virgineos hymeneos flexit, & liliis, ac rosis coronatum vidit?

Cantus libidinem temperat.

Hoc insinuasse videtur D. Thomas: *Consonantia musica immutant affectum hominis; unde Pythagoras videns quod juvenis insaniret ad sonum phrygium, mutari modum fecit, & ita furentis adolescentis animum, ad statum mentis pacatissimè temperavit*; quod alibi expressius: *Tradit Tullius de Pythagora, quod quibusdam harmoniis, vitia in hominibus extinguebat luxuria: unde dicit, quod Tau-*

S. Tho. in Psal. 32.

Idem l. 4. de regimi. Princi. c. 21.

romitanum juvenem quemdam, libidine flagrantem, cum audisset Pythagoras, ad ostium amicæ meretricis insanire, jussit psalterium spondaum canere, & sic eum ad sanam mentem revocavit. Nec minus mihi mirum videtur, quod Homero teste, Agamemnonem fecisse referunt: nam Trojam profectus, uxorem suam viro musices perquam perito credidit, qui eam non armis, sed cantibus ab adulteris tueretur; quo vivo egregiè propugnata fuit, sed mortuo, facilè expugnata; quasi harmonicus concentus, firmissimus pudicitiæ murus sit, quo stante, pudicitia permaneat, ruente labefactetur. Unde D. Paulus: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto,* CANTENTES, ET PSALLENTES IN CORDIBUS VESTRIS DOMINO; ubi D. Chrysostomus advertit, ad exterminandam luxuriam, divinum concentum, tamquam singulare remedium adhiberi. Quis hominem ebrietati, ac temulentiæ deditum, à symposiis, poculis, & canthatis avocare, & gulam quasi infrænare valeat? Avocavit, & infrænavit musica. Hoc D. Basilius, *os Ecclesia, aurea doctrina* LUCINIA, ut Nyssenus eum compellat, testatur, dicens: *David sacrorum canticorum Poeta, citharâ ex insaniâ Saulem Regem liberavit: dicitur & Pythagoras in ebrios olim incidens*, jussisse tibicinem, convivio luxurioso præsidentem, mutare harmoniam, ac doricon ipsis canere. Atque hoc modo melodiæ, illos ad sobrietatem reduxisse; qui ejectis de capite coronis, sanè omnes erubuerunt.

Homerus l. 3. Odyss.

Ephes. 5.

Chrysost. in Psal. 41

Musica temulentiã temperat.

Greg. Nyssen in encomio S. Ephremi.

Sed quid memoro singulas animi affectiones, cùm omnes sine dubio, honesto, & pio potissimum concentu refrænentur. Unde olim Deus ad suum populum, *laude mea infranabo te, ne intereas.* Ubi vides Dei laudes appellari frænum: quia homo divinis laudibus non solum recitatis, sed multo magis decantatis coercetur, ne in scelera prorumpat, (ut D. Thomas 22. q. 91. art. 1. & 2. interpretatur.

Isa 48. 9.

Denique, ut concludam, musica mœroris, ac laboris suavissimum remedium; nam ut Chrysologus serm. 10. dicit: AD SOLATIUM LABORIS, *datam nobis naturaliter* CANTILENAM, quâ & miles in nocturnis excubiis, & fossor in diurnis sudoribus, omnis in continuis laboribus opifex, miserias suas solatur, ut argutè Pelignus vates cecinit:

Musica labores & miserias solatur.

Hoc est cur CANTET *vinctus quoque compede fossor,*
Indocilis numero, cùm grave mollit opus.
CANTAT *& innitens limosâ pronus arena,*
Adverso tardam, qui trahit amne ratem.
Quique refert pariter lentes ad pectora remos,
In numerum pulsâ brachia versat aquâ.
Fessus ut incubuit baculo, saxoque resedit
Pastor; ARUNDINEO CARMINE *mulcet oves.*
CANTANTIS *pariter, pariter data pensa trahentis,*
Fallitur ancilla, decipiturque labor.
Fertur & abductâ Briseide tristis Achilles,
Hæmoniâ curas ATTENUASSE LYRA.

Ovid. lib. 4. trist. eleg. 1.

Hæcindies auribus audimus, & animis haurimus, & longe saniori, ac sanctiori testimonio erudimur: nam ore, & sermone aureo Chrysostomus, ubi naturæ nostræ convenientiam eum canticis exposuit, & in ipsis infantibus sopiendis probavit, hæc subdit: *Quocirca sape viatores quoque, meridie agentes jugalia animalia, hoc faciunt* CANENTES, *itineris molestiam* ILLIS CANTICIS CONSOLANTES; *nec solum viatores, sed etiam agricolæ, uvas in torculari calcantes, vindemiantes, & vites colentes, & quodcumque aliud opus facientes,* SÆPE CANTANT: *nautæ quoque remos impellentes hoc faciunt.*

Chrysost. in Psal. 41.

D. Ambrosius idem solátium ad mulierculas nentes & texentes extendit, & omnibus molestiis sublevandis, amœnissimum remedium ostendit: *Mulieres quoque texentes, & confusa stamina radio discernentes, sæpe quidem, & per se singula, sæpe autem* (ubi plures simul) *etiam omnes concorditer unam quamdam* MELODIAM CONCINUNT.

S. Ambr. enarrat in Psal. 36.

Hoc autem faciunt & mulieres, & viatores, & agricolæ, & nautæ, laborem qui ex opere suscipitur, *cantu* consolari volentes; utpote quod anima, si carmen & canticum audierit, molesta & difficilia sit facilius tolleratura; at quanto majori, meliori, diviniori solatio, quascumque corporis & animi molestias divinis canticis mitigaverit? de quibus

§. III.

Isidor. Pelus lib. 2. cap 108.

LINGVA DEI ORGANVM, *quo aliqui modulantur obscœna diaboli cantica.*

Puteanus in vindiciis circuli Vrban.

SYlvester Petra sancta, *vir cælestis ingenii, æternaque eruditionis*, ut eum Erycius Puteanus salutat, in symbolis heroicis, & scitis illustrium virorum tesseris, inducit Ecclesiasticâ dignitate, nec minus ingenii perspicacitate eximiû, qui ut numeris musicis mirificè capiebatur, dum inter Academicos philharmonicos adlegeretur, musicum organum, quo in sacris ædibus dumtaxat ad harmoniam sacrâ utimur, in gentilitiam tesseram assumpsit, & subscripsit lemmatis loco: *Non ad choreas*, non ad lascivias, non ad modulationes obscœnas; innuens sacrilegii speciē habere, si quis organo, divino cultui consecrato, ad ejusmodi abominationes venereas abutereror; nam ut eruditè Tostatus: ORGANA *præ aliis instrumentis, honestiora sunt, & magis accommodata ad spiritnale gaudium,* quàm carnale, & libidinis incentivum. Idem de linguâ sensit *vir sanctissimus, & magna, in Ecclesiâ Christi, gloria, Isodorus presbyter Ægyptius, Pelusiota*, qui in aureâ epistolâ ait: *Lingua* ORGANUM *est canorum, & suavissimum, divinum; quod à præclaro artifice, id est Spiritusancto, ad cælestem harmoniam accommodetur, & pulsetur;* idem verò si ab inepto artifice, à malo spiritu pulsetur, ad diabolicam harmoniam accommodatur, & pulsatur: nam eodem organo, ab Ecclesiastico phonasco, aut etiam à virgine Spiritu Dei plena, qualis Cæcilia, divino cantico, hymni cælestes, moduli divini decantabuntur; eodem autem infamis leno, la[...]ivi numeris, Veneris cantilenis, & tritis in fornice, ac prostibulo tonis emodulabitur. Sic plan[e] de linguâ censuit Apostolus: *In ipsa benedicimus Deum, & Patrem: in ipsa maledicimus homines, qui ad imaginem Dei facti sunt; ex ipso ore procedit, benedictio & maledictio.* Non hic mihi animus est, maledicas linguas insectari, quæ dicteriis, & sannis proximum lacessunt, sed quæ indies Deum laudant, & sacratissima mysteria accipiunt, eâdem cum Nasone, Catullo, Propertio, infames Bilbides, Cynthias, Daphnides, Amarillides decantant: quin & amores suos, & amasias suas, impuris modulis celebrare, & castas aures, animosque venenatico cantico inficere non erubescunt; unde D. Augustinus gravissimè exaggerat luxuriosum canticum, quasi diaboli venenum, ex Christiani ore non esse emittendum, eâ maxime de causâ, quod ingrediatur per os illud divinissimum corpus Christi: *Videte, inquit, si justum est, ut ex ore Christianorum, ubi corpus Christi ingreditur,* LUXURIOSUM CANTICUM, QUASI DIABOLI VENENUM PROFERATUR. Hoc S. Jacobus in eadem epistola conatur nobis reddere, quasi impossibile, dum subdit: *Non oportet, fratres mei, hoc ita fieri. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam?* Minimè verò, ut omnes fatebimini; & vos eodem ore, quo indies preces ad Deum funditis, laudes illi in Ecclesiâ persolvitis, eadem lingua, quæ, ut Chrysostomus loquitur, *toties sanguine Christi erubescit*, ea ipsa cerberam spumam, venenum diaboli, hoc est, luxuriosum canticum evomere audetis. Quare in ejusmodi prostitutæ nequitiæ cantores, ac cantatrices, omnium Patrum linguas, ac Doctorum, imò & gentilium calamos jure sese exacuisse comprobandum putavi. Alexander meritò Magnus, vel propter hoc, quod referam facinus; cum Ilium aliquando venisset, & Trojani vellent Paridis chelyn illi ostendere, ut pulcherrimum monumentum antiquitatis; noluit videre, illud magnificè effatus: ab ea cytharâ nil unquam auditum, nisi numeros amatorios, venerosque modulos, qui generosum animum, Regiumque non decerent: quod dictum coronati, inclytique Imperatoris, cum gentium omnium voce, ac prædicatione laudetur, faciendum omninò est, ut qui & esse honesti, & audire volunt, in hac parte sint religiosi, ut & eas lyras, ac cantus omninò repudient, qui fœdo, obscœnoque sonitu emollire mentem queunt, & enervare animos, & contaminare aures.

P. Petra sancta in symb. heroic. pag. 330.

Organa ad cultû Dei spectant.

Tostatus lib. 2. Reg. c. 6. q. 9.

Facundus

Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 108.

Lingua organû, quo ali i pii, alii obscœna modulantur.

Epist. S. Iacobi. c. 3. v. 9

August. serm. 215. & serm. 1. de Christiano nomine.

Epist. S. Iacobi c. 3.

Chrysost. hom. 83 in Matth.

Obscœna cantica ut sputa diaboli ex[...]da.

Quod si sapienter olim Sapiens monuit, [...] prudenter cavit adversus lascivos sermones, *sopiendas esse aures spinis*, hoc est forti & acerrimâ custodiâ muniendas, ne libido per eas irrepat; profectò longè majori studio adversus obscœnas cantilenas obarmandæ sunt, quæ dulci sono, lenocinioque verborum, concupiscentiæ inflammandæ potentius deserviunt. Qu[a] de re Valerianus Episcopus Cemeliensis, [...] pulcherrimè, sapientissimèque admonui[t]: *Nemo* INSIDIOSIS CANTIBUS *credat, nec ad ea* libidi-

Eccl. 28. v. 28

Valer. hom. 6.

libidinosæ vocis incitamenta respiciat : quæ cùm oblectant, sæviunt : cùm blandiuntur, occidunt ; quæ verba sanè gravia, periculum ingens metuendum, & sempiternum exitium portendere ostendunt. Quare doctissimi, sanctissimique Patres; illecebrosas illas modulationes, & effectrices impiæ & impuræ voluptatis, stygio ab antro ad hominū perniciem venisse, earumque auctorem satanam astruere non dubitarunt. Disertè S. Chrysostomus, qui vocat DIABOLICUM MELOS ab improbo genio excogitatum, ac modulatum, & in Psal. 117. vocat, SATANICAS ODAS, quibus ait homines corrumpi, vim animi omnem amitti, emolliri ad lasciviam, & intemperantiâ diffluere.

Chrysost. in Psal. 43

Quod suo ævo execratur, & indignatur B. Cæsarius, idipsum nostro hoc corruptissimo sæculo exclamandum : *Quàm multi* CANTICA DIABOLICA, *amatoria, & turpia ore decantant ?* E quo, velut è cloacâ, aut stygia sonte, omnia impudicitiæ ac luxuriæ vitia scaturiunt, ut Divus Basilius annotavit, dum salubriter admonet, fugiendas cantiunculas, in mollitiem diffractas, ad morum corruptelam maxime procitantes, quæ nullum non genus effrenis lasciviæ animis ingenerent auditorum, quo nihil perniciosius, periculosius : quia nihil propè sceleratius ab ipso cacodæmone excogitari, aut machinari potest.

Cæsarius hom. 10.

Hinc D. Hieronymus non dubitavit asserere, quosdam esse dæmones amoribus, & amatoriis cantilenis servientes; & epist. 9. severè inculcat : Vitandam *cantoris diabolici venenatam dulcedinem*. Æquum igitur est, ut pudicitiæ amantes, ejusmodi cantica repudient, & adversentur, quibus malitiæ parens dæmon impurusque leno, libidinem allicit, & dulce venenum, seu ut D. Leo loquitur, *insidioso illo sono, & illecebrosâ modulatione, lethales suavitates infundit*, quibus incauta, & parum sobria corda capiantur, & adolescentum sanguis ebulliens, in libidines prorumpat; quos videmus imitari notum illum Halesinâ regione fontem, clarorum hominum scriptis celebrem ; qui cùm alias sit quietus, & placidè suo alveo contineatur ; cùm tamen insonuerint tibiæ, exultat, & attollitur ad cantum, & quasi vocis miretur suavitudinem, ultra margines intumescit ; sic præsertim adolescentes, in quibus adhuc ebullit sanguis, neque domitas satis habent & compressas animi appetiones, cùm lascivus ille musicæ cantus accesserit, ut blandæ libidinis incitamentum excitantur, & extra gyrum modestiæ feruntur.

Hieron. in cap. 6. ad Ephes.

Idem epist. 9.

S. Leo ser. 4. de jejunio.

S. Cyprianus, in blandiniis muliebribus nihil putat esse venenosius, quam fœminæ cantum, delicatâ vocum inflexione modulatum, & *esse tolerabilius audire Basiliscum sibilantem*, qui halitu suo inficit, & interficit. Testis Europæus ille Alexander, & orbis domitor Carolus V. Imp. Jam pridem viduus Isabella conjuge, Ratisbonæ fortè degebat, dum ad eum puella, Barbara Blomberga Ratisbonensis, formâ ac genere juxta nobilis inducitur, ut mœrorem ejus cantu levaret ; atque ita suaviter cecinit, ut incantarit, & ex eo filium susceperit, non sine nota, & incusatione nobilitatis.

Cyprian. de singul. Cleric.

Strada de Bello Belgico anno 1578.

Quod si ad cantum, sonitus cytharæ, aut testudinis accesserit, etiam fortissimos, & sanctissimos expugnabit. Gen. 6. *Videntes filii Dei, filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.* Quid igitur filios Dei, id est filios Seth, à parente suo egregiè institutos, ad hanc intemperantiam provocavit, ut filias hominum, hoc est filias Cain, à quibus abstinere tenebantur, perditè deperient ? Sunt qui existiment fuisse in eam licentiam inductos, profano cantu, quo utebantur filiæ Cain, edoctæ fortasse à fratre suo Jubal, seu Thubal, qui fuit pater *canentium citharâ & organo* ! ita sentit Theodoretus : *Illecti*, inquit, *filii Dei, ut verisimè est, instrumentis musicis à filiabus hominum excogitatis (Thubal enim inter illas florens, psalterium & cytharam invenerat) permixti sunt illis, &* PERDIDERUNT SUAM NOBILITATEM.

Theodo. in Gen. q. 47

Quot integerrimos juvenes, quantosque viros, hæ cantatrices, *nobilitatem*, id est, generis splendorem, illustrem nominis famam, corporis vires, mentis robur, atque ipsam animam perdere fecerunt ? Augustinus libro de decem chordis : *Quid prodest delectari* CANTICIS *ad tempus* DULCIBUS, *imposterum amaris ? Talibus enim* TURPITUDINIBUS CANTIONUM, *animi humani illecti enervantur, & decidunt à virtute, defluentes in turpitudinem, & propter ipsas turpitudines postea sentiunt dolores, & cum magna amaritudine digerunt, quod cum magnâ dulcedine biberunt.*

Augustin. lib. de decem chordis.

Quis noxiam illam dulcedinem, prurientem auribus, & animam enervantem, tanta amaritudine deflendam, non aversetur; quis non execretur, ubi legerit sororem B. Petri Damiani Cardinalis, in purgatoriis flammis ad plures dies detentam, & amarissimis lacrymis expiandam fuisse, quod in audiendis tantum à puellis saltantibus, impuris cantilenis, levem aliquam titillationem sensisset. Alii profectò acerbiores, & amariores cruciatus, obscænos illos cynædos, aulædos, cantores, & cantatrices, in æternum manent, qui suis *turpitudinibus cantionum*, tot innocentes animas illectas ad inferna deducunt.

Nihil aliud veteres Poëtas significare voluisse docet S. Antoninus, cùm Orpheum, canendo, & quærendo suam Eurydicem ad inferos penetrasse fabulantur, quàm deliciosos homines, & obscænis cantibus assuetos, canendo ad æternos cruciatus descendere; & concludit : *Difficile invenitur aliquis levis vocis, & gravis vitæ ; quippe cum vocis levitas, cantum desideret, & vitæ gravitas, planctum. Vide infinitos tam viros, quàm mulieres, tantò pejoris vitæ, quantò melioris vocis.*

Antonin. 3 part. tit. 18. c. 5. §. 4.

Anton. cit.

Et statim suis parcens temporibus, ex antiquis unum in exemplis adducit, Neronem peritissimum canendi, & negligentissimum vivendi : *Ecce*, inquit, *invenimus hominem vocis blandissimæ, & vitæ pessimæ.*

Ibid.

Quâ severâ, & verâ tanti Antistitis censurâ, non est quod lasciva puella, de argutiâ vocis, sibi blandiatur, aut laudem mereatur ; cum hoc ipso pellicis aut meretricis stigmate notetur, aut ut cum Ambrosio loquar, illecebrosæ Sirenis, in scopulos & syrtes, auditores cantu suo rapientis, vocabulo nuncupetur ; sic enim ait : SIRENES *quasdam fuisse puellas, gentilis tradit historia : quæ* V[illegible]TATE, CANENDI ILLECEBRIS, *audiendi studio*

Ambr. in Psal. 43. v. 10.

Lascivæ cantatrices similes sirenibus, naufragium animæ adferunt.

illectos navigantes, ad littus admovere navigia provocabant, eosque (cum GRATIAM VOCIS *sequerentur) scopuloso in loco naufragium facere solitos, vetustas posteris tradidit. Ita seculi voluptas, nos quâdam carnali modulatione delectat, ut decipiat. Et ergo illic non litteus in vitio erat, sed* CANORA DULCEDO, *ita non caro in vitio, sed eâ quibus caro ista sollicitatur, & fluctuat.* Quibus nobis ostendit, majora pericula imminere à suavitate vocis, quàm à fragilitate carnis. In eas Sirenes olim Salomon incidit, ut ipse testatur: *Feci mihi* CANTATORES, ET CANTATRICES, *delicias filiorum hominum*, quarum lenocinio vocis, & cantus, delenitus, à vero Deo recessit, & sapientissimus mortalium, turpiter amando, infatuatus est. Cum amori trahamur universi, nil mirum, si musica trahat, cùm carmen sit amatorium. Ezechielis certe cap. 33. v. 34. ubi legimus: *Es eis* QUASI CARMEN MUSICUM, *quod suavi dulcique sono canitur*, Hebræa dictio habet: *Carmen amatorium*, ut notis amatorium, & musicum convenire, quo illicio nullum suavius, nullum fortius. Musicis modulis non solum homines, sed & ipsa etiam bruta animalia capiuntur, & agrestes belluarum sensus hac dulcedine mulcentur. Alliciuntur elephantes, teste Strabone, tympanis: cygni cytharâ: ad tibiæ modulos, Pythagoras luporum impetum pressisse fertur: ursorum innata feritas, & sæva immanitas, nisi fistulæ audito sono, non sistitur; hac & aves capiuntur:

Ecclesiastes c. 2. v. 8.

Musicâ etiam feræ delectantur. & capiuntur.

Kircherus Musurgia pag. 202.

Fistula dulce sonat, volucrem dum decipit auceps.

Ita vaferrimus auceps dæmon, illices, & pellices aves suas habet, matres, nutrices, ancillas, quarum cantu, ut fistulis utitur, ad innocuos passerculos, innocentes infantulos seducendos. Rem paradoxam, & portentosam narrat Kircherus noster, in erudito suo, de musicæ arte volumine.

Kircherus eu pag. 232.

Vis cantus ad perdendos pueros, rarâ historiâ ostenditur.

Anno Christi 460. Accidit in Hamaliâ, inferioris Saxoniæ oppido, ad Visurgim sito, ut indigenæ, ingentibus murium, soricumque agminibus infestarentur, nihilque propè sive fructuum, sive segetum à soricum rosionibus intactum maneret. Hinc dum varia de tam importuno, & pernicioso malo tollendo, consilia agitarentur, derepentè vir quidam ante, hac invisus, & staturæ prodigiosæ comparuit, qui mox, quidquid murium eo in districtu esset, confestim sublaturum se pollicitus est; dummodo de certa pecuniæ summâ secum paciscerentur. Dictum, factum. Promissâ mercede, dictus vir tractâ ex perâ, quâ cinctus erat fistula, simul ac insonuit, ecce ingentia murium ex omnibus domorum angulis, tectorumque crepidinibus, pavimentorum foraminibus prorumpentium agmina, insolitum illum aulædi sonum, ad flumen usque sequuntur. Aulædum ibi succincta veste flumen ingredientem, sorices secuti, unà ibi omnes aquis hausti pereunt. Vir peracto incantamento, poscit mercedem condictam, quam cum cives pendere tergiversarentur, ille fistulam ab altera diversam inflare cœpit: [illegible] omnes pueri totius oppidi, à quadrienn[illegible] usque ad duodennes egressi, prodigiosum son[illegible] secuti sunt. Est autem extra oppidum ad Visurgis ripam, in monte quædam cavern[illegible] ampla, stabulationi jumentorum apta; in [illegible] cavernam unà secum omnes pueros duxit, atque ab eo tempore nullus umquam puerorum comparuit: nec umquam rescitum, quid cum pueris actum sit, quo abierint, an ut communis opinio est, omnes hiatu terræ ab[illegible]rpti sint. Hoc tam mirifico eventu, totum oppidum suis viduatum filiis, annos suos in hunc usque diem solet à filiorum egressu computare. Fui & ego, inquit, in ea urbe, m[illegible]tem ipsum vidi, & historiam in pictura, summa cum admiratione in Ecclesia contemplatus fui.

Quæritur quis ille sonus fistulæ tantæ virtutis, respondet, haud dubie dæmonem fuisse, qui infernali suo spiritu hanc fistulam inflavit, & fascinatos pueros, cum acerbissimo parentum luctu seduxit, perdidit & immani voragine omnes involvit. Hanc vos [illegible] tres-familias, quæ tragædiam admiramini, & lamentamini, ne deterius quid parvulis vestris eveniat, attendite, & cavete: *Ne ut inqu[illegible]* Chrysostomus, SATANICAS CANTI[ILLEGIBLE]NES *proferant pueri vestri*; quas suav[illegible]lu per ancillas, pellices, Tartareus aucep[illegible] occinit, quibus in æternum abripiantur præcipitium.

in epist. Ephes. [illegible]

Huic tam periculoso malo, vel ipsi profani, & impudorati gentiles Poetæ aures obturandas censuerunt, dum Ulyssem referunt [illegible] navis malo alligasse, sociis cerâ aures occlusi[illegible], ne illecebrosis Sirenum canticis illecti, in [illegible]tes & scopulos abriperentur. Quanta majori sollicitudine, & cura Christiani, viri non solum Religiosi, sed omnes fideles, juvenes, ac virgines, si ora istarum Sirenum occludere non valent, aures suas obturare debent: Juvat hæc sacriori stylo & calamo audire: nam si "Ulyssem illum, inquit D. Ambrosius, ut fa"bulæ ferunt (licet & Propheta dixerit, *habi"tabunt in ea filiæ Sirenum*) post decem anno"rum exilia, quibus bellatum in Ilio est, de"cemque erroris annis, festinantem ad patriã, "SIRENAS CANTU VOCIS ILLECTUM, AD "ILLUD FAMOSUM VOLUPTATIS NAUFRA"GIUM *pene deduxerunt, nisi adversus* ILLECE"BROSÆ SONITUS CANTILENÆ, *insertâ cerâ*, "*sociorum clausisset aures*; quantò magis reli"giosus viros (imo & omnes Christianos) cæ"lestium factorum decet admiratione mul"ceri; non corporalibus, ut Ulysses ad arbo"rem vinculis alligandus, sed animus ad cru"cis lignum, spiritualibus nexibus vinciendus *ne lascivarum moveatur illecebris, cursumque naturæ detorqueat in periculum voluptatis.* [illegible] "gi porrò in hoc oceano altius vel[illegible] "figmentis enim Poëticis fabula coloratur, ut "quædam puellæ, scopuloso in littore maris "habitasse prodantur: *Quæ si quos deflectere "navigium propter auriuum suavitatem, dulci sono "pepulissent, in vada cæca deductos, & infida sta"tione deceptos, naufragio miserabili sorte consumerent.*

[illegible] scopulos occl[illegible] re aures.

[illegible] Lucam 4 in [illegible] anno.

mereut. Tum fabulam explicat, & nuce fractâ, nucleum proponit: quod mare abruptius quàm sæculum, tam infidum, tam mobile, tam profundum, tam immundorum spirituum flatibus procellosum? *Quid sibi vult puellarum (cantantium) figura, nisi evirata voluptatis illecebra, quæ constantiam captamentis effœminat? Quæ autem illa vada nisi nostra populi sunt salutis? Nihil enim tam cæcum, quàm secularis suavitatis reticulum, qua dum mulcet animum, vitam obruit, & corporeis quibusdam scopulis, sensum mentis illidit.* In quos scopulos, & cæca vada, ne impingamus, aures cera obturandæ, aut potius spinis sopiendæ sunt.

Alterum medium & remedium est, ne *illud famosum voluptatis naufragium* incurramus, non prò accedere, & accurrere; sed longè illecebrosas Sirenes fugere. Ut sacri Regum annales de Berzellai referunt, qui ad urbanas delicias à Davide Rege invitatus, respondit: *Octogenarius sum hodie, numquid vigent sensus mei ad discernendum suave, aut amarum? aut delectare potest servum tuum cibus, & potus? vel audire possum ultrà,* VOCEM CANTORUM, AUT CANTATRICUM? Quasi etiam in effœtâ senectute ab illâ fallaci harmoniâ, sibi aliquas insidias timeret, & periculum maximè præcaveret; nec ab hac sibi timendum, cavendū, & procul fugiendū, adolescentes, & adolescentulæ, quibus *bullit circū præcordia sanguis,* arbitrabuntur? Documento, & incitamento vobis sit, quod libro Genesis legimus, Jacob prophanos cantus, tamquam fallaces Sirenum voces repudiasse, ac fugâ declinasse; nam cùm ad eum Laban diceret, cur, ignorante me fugere voluisti? *Nec indicare mihi, ut prosequerer te cum* CANTICIS, *& tympanis, & cytharis?* Ad quæ, sic optimè respondentem inducit sanctus Ambrosius: *Quomodo,* inquit, me dimisisses? An cum lætitia tuâ, quæ plena est mœstitudinis? *Cum tympanis scilicet, atque* ORGANIS, *immoderata modulantibus: & sonis tibiarum suavibus, insnavia modulantibus:* CYMBALIS ANIMAM FERIENTIBUS? HÆC SUNT QUÆ EGO FUGI.

Tu mi socer, quem parentis loco habeo, cantibus & fidibus me comitari voluisti, & ideo iis clam me subduxi: cantores, & cantatrices multum lasciviæ voluptatis habere non ignoro; sed & plus amaritudinis inde in animum exsurgere prævideo facilè: tu cum puellarum choro, fistulis, & cymbalis suaviter & salaciter sonantibus, me oblectare statuisti; ego illa cantica insuavia, & non aures duntaxat, sed & *animum ferientia,* fugere decrevi. Ubi vides, inquit doctissimus Interpres, honestas Jacobi aures, inhonestis cantibus non delectari, sed sauciari. Quare, si ex hactenus dictis, amatoria, & libidinosa cantica rectè, & verè satanicæ odæ, diabolicum venenum, animæ naufragium nuncupentur; quis diffitebitur non urbe tantum, sed & orbe, ex omni republicâ, ex omni familiâ procul eliminanda, & ad cacodæmones auctores suos, cum suis cantatoribus, & cantatricibus, ne plures secum trahant, damnanda esse. Saluberrimum vobis ac vestris monitum patres ac matres familias non à me, sed à Doctore maximo Hieronymo, quod tradit de virginitate servanda ad Furiam, accipite: CANTOR PELLATUR UT NOXIUS; FIDICINAS, PSALTERIAS, *& istiusmodi,* CHORUM DIABOLI, *quasi* MORTIFERA SIRENARUM CARMINA, *proturba ex ædibus tuis.* Nec minus luculenter, & prudenter monet Salvinam: *Non ambulet juxta te calamistratus procurator: non histrio factus in fœminam:* NON CANTORIS DIABOLICI VENENATA DULCEDO.

Hieron. epist. ad Furiam.

Idem epist. ad Salvinam.

Ex familiis propulsentur ancillæ, ephœbi, nutrices: à foribus aulœdi amatorii, qui cùm medium silentium tenent omnia, & nox in suo cursu est, medium iter haberet, non cœlestem, sed diabolicam musicam, puellæ stertentis auribus occinere consueverunt. Æmulari hic convenit unam solerti ingenio, & masculo animo viraginem: quæ cùm sæpius procum, quietem suam voce, & fidibus interturbantem, facessere jussisset; famulis adhibitis, signo dato, saxorum crepitantium imbrem ex alto in hunc nocturnum, & importunum aulœdum depluerunt, quod in vulgus, emanavit, lepido sarcasmo, *Amphion audit, qui traxit lapides canendo;* factum illustre, omnibus foris, vicis, ac compitis cantandum, & celebrandum.

Superest nunc unicum, ac præsentissimum remedium, & contra luxuriosa cantica, diaboli venena, saluberrimum antidotum, castis, piis, ac sacris cantibus, lascivas illas cantatrices excantare, & eliminare, juxta aureum illud Principis medicorum aphorismum: *Contraria contrariis curantur.* Purpuratus ille Vates David, etiamnum opilio, oves pascens, in pascuis recubans, *sub tegmine fagi,* Amarillides forte, aut Daphnides, amores suos, modulantes audiit, quas melioribus, ac sanctioribus repressit; sic porrò D. Athanasius: *David cum in solitudine pastorali ageret, nec essent cum quibus loqueretur, citharam compinxit, ex cujus concentu, duo imprimis consequebatur: quod & inde solitudinem suam mitigaret, nec ad* DISSOLUTOS CANTORES *delaberetur; sed* PSALMOS CANERET, *quo & modulationis fructum perciperet, & pietatem adjuvaret;* PSALLEBAT *quippe multifaria miracula Dei.*

Unicum remediū, ac præsenti simū, piis sacris que canti is, profanas & la civas eliminare.

Athanas hom. de sermento apud Lyran. in lib. 1 Reg. cap. 16. v. 12.

Fructus varii, ex canticis spiritualibus.

Videtis, ut opinor, quantus, & quam multiplex, ex pio, & sacro cantico fructus redundet: hoc solitudinem vestram solari, hoc lascivas cantiones, & pravas inde cogitationes devitare, & pietatem adjuvare, mentemque in Dei laudes elevare, & inflammare potestis. Adhæc pia cantica, & sacros hymnos concinendum, exstimulet vos *cantantibus* ORGANIS CÆCILIA; hæc enim spiritualis harmonia, omnium, inquit Ambrosius, *virtutum est* ORGANUM; ad quam viros & fœminas, filios & filias, famulos & famulas, juvenes & senes invitat: *Est enim,* inquit, PSALMUS (uti & spirituales hymni, & sacræ cantilenæ) *omni dulcis ætati: hic utrique aptus est sexus: hunc senes rigore senectutis deposito* CANUNT: *hunc juvenes sine invidiâ* CANTANT *lascivia: hunc adolescentes sine lubrica ætatis periculo, & tentamento* CONCINUNT *volup-*

Ambros. præfat in lib. Psalm.

Ibid.

voluptatis : juvenculaipsa, sine dispendio matronalis PSALLUNT pudoris : puellula (catechumenæ) *sine prolapsione verecundia, cum sobrietate gravitatis, HYMNUM Deo inflexa vocu suavitate modulantur.* Quibus canticis spiritualibus, utiliter à matribus, sororibus, magistris, puellulæ instruuntur; & in sacra catechesi, cum non exiguo motu audientium, & fructu etiam hæreticorum decantant: salubriter quoque spurcas illas, ac lascivas cantilenas, eisdem numeris, ac tonis, in sacra, ac divina verba commutant; in quo Psaltes David præluxisse videtur, de quo Procopius 't *Cultus Dei, per INSTRUMENTA MUSICA* (& vocis cantum) *à Davide, religiosè excogitatus est ꝗ divino enim ardore inflammatus, ea QUÆ HOMINUS AD LIBIDINEM, ET LASCIVIAM ACCENDUNT, AD PIETATEM TRADUXIT.*

Catechumenæ puellæ utiliter & salubriter pias cantilenas cantant, & profanas odes in sacras commutant. *Procopius comment. in lib. 1. Reg. c. 16. v. 18. Lyran. hic*

Hoc spiritu Psalmistæ inflati, sanctissimi Patres, divinos hymnos, & sacra cantica composuerunt, & concinuerunt, quos & omni sexui, juvenibus, pueris, ac puellabus transcripserunt: sic anima decantet divinissimum hymnum Angelici Doctoris, dum ad sacrum epulum accedit: *Lauda Deum Salvatorem, lauda ducem, & pastorem, in hymnis & canticis: quantum potes tantum aude, quia major omni laude, &c.* Aut illum mellifiui Bernardi:

Jesu dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,
Sed super mel, & omnia,
Ejus dulcis præsentia.

Anima, quæ cum carne & spiritu, mundo & Deo luctatur, salubertimum illum si Jacoponi secum in dies hymnum, moduletur, & meditetur:

Cur mundo militas sub vana gloria,
Cujus prosperitas, & transitoria, &c.

Aut patheticum illum Carthusiani:

Homo Dei creatura,
Cur in carne moritura,
Est tam parva tibi cura,
Pro æternâ gloria?

Si carnis stimuli titillent, pulcherrimum ac saluberrimum sancti Casimiri canticum in corde, & ore resonet.

Omni die, dic Mariæ,
Mea laudet anima.
Ejus gesta, ejus festa
Cole devotissima.
Ipsam cole, ut de mole
Criminum te liberet.
Hanc appella, ne procella
Vitiorum superet.

Divinos hos sanctorum Patrum hymnos, ex ferventi cordis fornace, velut ignea missilia evibratos, non ipsorum dumtaxat, sed & audientium animos, (utinam, & vestros) ad ea, quæ sub suavibus illis modulis salubria verba, & monita celantur, [illegible] Chrysostomus censuit, qui ubi [illegible] lenas infectatus est, subdit: *Econ[illegible] spirituales, & quæ à Spiritu sancto subminis[illegible] modestiam quoque animam reddunt. etenim [illegible] mus cum in quæ proferuntur, se movens, [illegible] in, qua per ea intelliguntur, obsecun[illegible] an[illegible] illu[illegible] habitum fert, ubi etiam dictio, OR[illegible] ANUM [illegible]LUD quods PIRITUALEM CANTUM movet pertrahit.*

Hinc Seraphica illa Carmelitarum M[illegible], & omnis perfectionis, ac sanctitatis magist[illegible] *Theresia*, jubebat Sanctimoniales suas, [illegible] festis, designatâ ad religiosam relaxat[illegible] horâ, cantare cantiones ab ipsis compo[illegible] Sanctorum laudes, oblectando se, ut P[illegible] movet, *in cantibus spiritualibus*, quibus qua[illegible] lum in terris, referre videbantur, quod d[illegible] mistâ Mediolanensis Antistes præd[illegible] *Sancti Spiritus plectro pangens Propheta ve[illegible] lu, cælestis sonitus fecit in terris dulcedinem re[illegible]* est etenim, ut idem loquitur, divinus [illegible] Angelorum ministerum, cui hic sa[illegible] mæ, velut in atriis, præludunt, ut cum [illegible] bus choris, aliquando in conspectu D[illegible] valeant sine fine modulari; ut suavi[illegible] liquando contemplatus S. Augustinus [illegible] *cantica, quæ ORGANA, qua cantilena, [illegible] dia ibi sine fine decantantur? Sonant enim [illegible] mellisiua hymnorum ORO[illegible]NA, suavissima [illegible] lorum melodiâ: cantica canticorum [illegible] laudem, & gloriam à superum civibus DEC[illegible]TATUR. Fortunatissimus ero, si audiero jucu[illegible] mas illas civium tuorum* (Domine) *CANTI[illegible]NAS carmina mellisiua, laudes summæ Trinit[illegible] honore celebrata; sed & nimium felix, s[illegible] ET [illegible] CANTARE meruero CANTICUM Domino [illegible] cibus CANTICIS Sion!* nam organa, [illegible]tharas, & omne genus instrumenti musici [illegible] fore, docet *Henaotu Empyrologia. lib. 8. excurs. 29. sect. 2. ex musica, quam Beajamnus l[illegible] in mentis excessu audivit: sicut citharadorum citharizantium in citharis suis.* Hoc potissimu[illegible] stimulare debet Clerum, viros religio[illegible] Sanctimoniales, qui diu, noctuque d[illegible] canticis vacant, quibus serviet sequens [illegible]graphus.

§. IV.

CANTANTIBUS ORGANIS, CÆCILIA VIRGO, *in corde suo soli Domino* DECANTABAT. Breviar. Rom.

ZEno, cum in theatrum iret ali[illegible] Amœbæum musicum excel[illegible]ret, qui suavissimè lyram pulsab[illegible] nu[illegible] discipulos suos in hunc modum[illegible] ut: *Eamus in theatrum, ut audiamus simul & d[illegible] amus, qua in concentum efficiant animalium ossa, nervi, & intestina, inflati uteres, aut cava pixides, quando c[illegible] ordine, modo, & ordine pulsantur.*

Nau

Non ad eam musicam vos invito auditores, quam confestim convenitur: nec hæc ex intestinis & fibris animalium melodia divinis auribus gratiosa; sed exosa. Illa, illa, quam musicorum præses, & patrona, *cantantibus organis*, spiritu Dei plenis, soli Domino, *è psalterio*, quod numquam è sinu deponebat, sacrorum hymnorum melodia decantat, quam è cælis in terras ætherei choraulæ divinam detulerunt musicam, aures vestras, animosque attentos habeat: *Hanc* etenim DULCEOINEM MUSICAM, ait Augustinus, *de divinis regnis venisse.* Hunc Messias Emanuel noster, cæli Dominus, laudandi Numinis morem, è cælo detulit, & Apostoli exceperunt, cum vellet novum quodammodo esse in terris cælum, & duos fieri choros, hinc cælituum, inde mortalium, qui Dei prædicandam, honorandamque majestatem, voce & voluntate consentiant. Et quidem S. Chrysostomus in Ecclesiæ cantu ait ad imitationem *Angelorum, ordinum, stationis,* CHORI; atque in ejus admirationem defixus, exclamat; ô mira *Christi dona! in supernis exercitus Angelorum canunt gloriam: in terris homines,* IN ECCLESIIS CHOROS AGENTES *ad illorum exemplum eandem* CANUNT *gloriam; ita communis cælestium, & terrestrium festivus concentus, & panegyris coalescit.* Id Ignatio, Antiocheno præsuli fortissimo, olim jucundo spectaculo exhibitum est: nam in cælestium rerum contemplatione solito ardentius aliquando intentus, sibi videre, & audire visus est beatarum mentium choros, qui alternis sibi respondentibus hymnis, & canticis, sanctissimam Triadem collaudabant; quo divino viso, atque Angelorum magisterio eruditus, cantum, illum amœnum alternis psallentium chorum, in Diœcesi Antiochenâ in æternum tempus retineri, excolique voluit. Idipsum D. Chrysostomus in eadem cathedrâ successor annotavit, ad illud Psalmi 134. *In conspectu Angelorum psallam tibi*; id est, inquit, *è regione*; quasi unum chorum homines, alterum Angeli faciant, invicem respondentes; quod nemini peregrinum, aut paradoxum videbitur, cum S. Dionysius, psalmorum cantū, excellentissimum *religionis, & divini cultus symbolum*, venerationis argumentum, & devotionis augmentum indigetare non dubitaverit; institutio plane divina, ex Angelorum imitatione, qui choro suo, religiosè modulato, hominum vocem, animique affectum excitarunt.

Inde & in sacris Deo ædibus, libentissimè canentium choro se adjungunt, ut asseruit David, cui arcana cælestia manifesta erant: *Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus*; illi Principes, sunt purpurei dynastæ aulæ cælestis, de cohorte prætoriâ Numinis, Palatini gratiosi, uno verbo, Angeli, ut Bernardus exponit, qui eosdem CÆLI CANTORES appellat, *eosque solitos decenter admisceri* PSALLENTIBUS; in quorum medio, Deus majestatis assistens, in hymnis, & canticis spiritualibus, diu, noctuque laudatur, ac celebratur; ut si quis sacra adyta ingressus, venerandum illum Cleri senatum, omni reverentiâ, religione, gravitate, ac pietate divinos hymnos concinentem, ac reverendissimum Præsulem pontificali dignitate sacris operantem, conspexerit, fieri non possit, quin sancto quodam stupore, ac terrore percellatur, atque in has voces erumpat: *Terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* Rem testatam facit Pontificius Orator, dum sic ad suam Sanctitatem, & illustrem illum purpuratorum Patrum consessum: utinam possem explicare mutationes animorum, quos sub Augustino contigisse commemorat, sacra limina intrantibus, & sacram illam religionem Cleri contemplantibus, qua & pertinaciæ summæ hæretici Donatistæ detestabantur perfidiam, & Pelagiani, quam execrabantur gratiam, implorabant: *Confluunt*, inquit, *ad Ecclesias castâ celebritate, ubi audiant quam benè hic ad tempus vivere debeant, ut post hanc vitam, beatè, semperque vivere mereantur. Quo etsi veniunt quidam irrisores, omnis eorum petulantia, aut repentinâ mutatione deponitur, aut timore, vel pudore comprimitur.* Rei universæ quam in Africâ contingere dixit Augustinus, fidem facit singularis eventus, æterna dignus memoriâ, relatus à sancto Ambrosio, coram se patratus: diebus singulis celebrabat sacer Antistes cum Clero, in Basilicâ majori civitatis Mediolanensis, divina officia, frequentissimo populi affluxu; Imperatrix hæretica se offensam ostendit, exercitio pietatis, & religionis tam publico; ideo è stipatoribus suis cohortes duas seligit militum ferocissimo ingenio, & in cultum idolorum propensissimo, quos ad Ecclesiam mittit cum mandato, ut trucidarent sacros mystas, qui Prælato adstarent, tum qui sacris ceremoniis interessent. Rem miram attendite: ad fores Basilicæ cùm venissent, eas primo impetu occupant, tum furore barbaro ad sanctuarii limen irrumpentes, demittunt hastas, *ut cantantes perimerent.* At verò, cum sacrum plebis silentium intuentur, *dum divinum Clericorum audiunt cantum*, dum considerant ministrantiū ordinem, dum Ambrosii celebrantis observant majestatem, dum odorantur suavissima thimiamata, dum admirantur prædestinationis radios, in orantium frontibus relucentes, ita commoti sunt, ut cælesti quodam terrore perstricti, è vestigio depositis galeis, hastis abjectis, gladiis vaginæ reconditis, inermes & flentes sublatâ voce baptismum petierint. Tantum tot Canonicorum divinas laudes, angelicâ quadam reverentiâ, gravitate, & concinnitate psallentium, ac Præsulis ad aram sacientis spectaculum effecit, ut post brevem catechesim, sacro fonte abluti, visi sint ante neophyti, quàm catechumeni. Sed inopinatus turbo, lætitiam, & serenitatem fidelium, nube timoris derepentè involvit, cùm illi milites post admissum Christi characterem, ferociores, quàm antea, ensem accingunt, galeam induunt, hastas assumunt, ut nemo non crederet irrisores barbaros in contemptum Sacramentorum, in Evangelii undas capita immersisse. Quid exhorruistis? Illi ipsi occupatis Basilicæ foribus, sanctè jurant, se arma resumpsisse, ut in quemvis Ecclesiæ hostem, ad sanguinem usque illam defendant, Augustam provocantes, & mi-

Augustin. de ... — Chrysostom. ... de ... — ... c. 8. — Chrysost. ... — Dionysius de Eccl. Hier. ... cap. — Psal. 67. v. 26 — Gen. 28. — Ioan. Paulus O... part. 1. conc. 534. pag. — Augustin. lib. 2. de civit. Dei, cap. 28.

& minantes, se illam invasuros in palatio, si sanctuario vim faceret: ipsum sanctum Præsulem, ac Doctorem audiamus: *Venerunt cum armis, & circumfusi occupaverunt Basilicam, Hoc nos, ignari tuæ altitudinis, doltbamus. Venerunt gentes; sed verè in hereditatem tuam venerunt. quicunque gentes venerunt, facti sunt Christiani, qui ad invadendam hereditatem tuam venerunt, facti sunt coheredes Dei. Defensores habeo, quos hostes putabam. socios teneo, quos adversarios existimabam. Completum est illud, quod de Domino Iesu David Propheta cecinit: quia factus est in pace locus ejus, & confregit cornua arcuum, scutum, gladium, & bellum.*

Ambros. epist. 33. ad Sororem

Si hoc in barbaro, efferato, & idololatriâ militie effecit sacræ Basilicæ sanctitas, Antistitis reverenda majestas, religiosa Sacerdotum canentium melodia, quis fidelium non intimis medullis commovebitur, & suavissimis lacrymis colliquescet, dum admirabitur in Clero, in Religiosorum, ac Sanctimonialium choro, gravem illam modestiam, sacrum illum mysterium cantum, sanctissimo illum sastum, immota corpora, demissos oculos, aut in aram, non in affusam procerum, aut matronarum, quæ vos attonita cingit, turbam defixos? Quæ profectò divinitatis imago, an non vim habet commutandi saxa montium, in filios Abrahæ, & efficiendi etiam è schismaticis fœderatos, ex hæreticis catholicos, è peccatoribus pœnitentes? Deus immortalis! quercus in silvis te motionibus, & ilicum umbræ quandam divinitatis opinionem, & venerationem in recessus intimus penetrantibus, insinuant: *Illa proceritas sylva*, inquit Seneca, *& secretum loci, & admiratio umbra, in aperto tam densa, atque continua, fidem tibi Numinis facit, & animum tuum quadam religionis suspicione percutiet*; quid non faciet locus ille terribilis, ubi verus Deus est in medio Angelorum, imò Deorum, id est Sacerdotum psallentium! sic etenim Chrysostomus, *in conspectu Angelorum* PSALLAM *tibi*, exponit: *Coram diis modulabor tibi*, & subdit: *Solet scriptura Sacerdotem vocare Deum, illudque oportet intelligere, cum Sacerdotibus ipsis præsentibus canam tibi.* Ad hunc sacrum consessum, ad hunc cælestem psallentium Deorum in unum concentum, non semel è spectatorum, & auditorum pectore suspiria, ex oculis lacrymas, ex corde amoris & doloris jacula emissa, experientia docti sumus; dum illud in se exprimebant, quod Antiochenus Antistes, sanctimoniæ exemplar, tradidit, qui non magnificentius dixit, quam vixit: *Dabidicos cantus movere multos fontes lacrymarum.* Demus festem illius rei, omni exceptione majorem; is erit sanctus Augustinus, cujus utinam pietatem æmulemur, qui de seipse commemorat: *Quantum flevi* IN HYMNIS, ET CANTICIS TUIS, SUAVESONANTIS ECCLESIÆ TUÆ VOCIBUS *commotus acriter!* VOCES ILLÆ *influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex eâ æstuabat inde affectus pietatis: &* CURREBANT LACRYMAE, *& benè mihi erat cum eis.* Quis, quantumvis disertus concionator, etiam per integram quadragesimam, conventione vocis summâ, tam efferatos, ac barbaros homines commovere, & ad fidem

Seneca epist. 41.

Chrysost. in Psal. 137.

Chrysost. hom 54. ad pop.

Augustin. lib. 9. conf. cap. 6.

convertere valeret, ut Ambro[illegible] faces, & concione cantantium [illegible] di? Quis, ulla sua facundia A[illegible] lacrymas expressisset, quas sponte fl[illegible] hymnos, & cantus suaves sonanti[illegible] Quin ipse testari possum, plures me[illegible] & opibus florentes adolescentes no[illegible] giosorum Seraphici Ordinis can[illegible] commotos, ut mundo spreto, e[illegible] to se adjunxerint: incredibile po[illegible] efficacius, divina oracula mentem[illegible] suaviter modulata, quàm à stent[illegible] proclamata. Hinc si quis quærat, c[illegible] pheta Regius, sacra sua vatiem[illegible] ad P[illegible] decantari solitos redegerit? Respond[illegible] sostomus in Psalmo 41. *Cum Deus vidisset multos homines esse socordes, nec ad legenda spiritualia libenter accedere, nec quicquam eo capitur, laborem [illegible] rare, volens gratiorem laborem efficere, adm[illegible] prophetiam melodiæ, & omnes numere delect[illegible] magnâ animi alacritate, ac promptitudine s[illegible]* ET HYMNOS *emittant; nihil enim animam [illegible] erigit, & alatam quodammodo efficit, & a [illegible] berat, & exsolvit à vinculis corporis, & amor[illegible] entia afficit, atque ut res omnes ad hanc vita[illegible] nentes irrideat, perficit*, UT VERSUS M[illegible] TOS, ET DIVINUM CANTICUM. Q[illegible] quam animo concepit, aut in mentem[illegible] tam uberes omnium virtutum fr[illegible] psalmodia reconditos! Hac lo[illegible] & audientium sermones, fastidiom to[illegible] sum elevari, & quasi alatum in cæl[illegible] evolare; imò à terrenis hominem[illegible] raptu quodam extatico à se alienum[illegible] Romana illa heroina *Cecilia* cernete[illegible] *psalterium* de sinu non deponebat, & *cantantibus organis* divina sodas cum Angelis m[illegible] dul[illegible]ta, *animam à corporis vinculis*, & car[illegible] conjugii amplexibus exsolvens, velut ala[illegible] omnes terrenas irridens, ad sponsum virginum evolabat. Idem argumentum prosequitur Hipponensis Doctor, in prologo super psal[illegible] rium: *Spiritus sanctus videns obluctantem & resistentem ad virtutum viam, humani generis animum, & ad delectationem vitæ hujus magis inclinare, quam ad virtutis iter erigi*, DELECTABILIBUS MODULIS CANTILENAE, *vim suæ doctrinæ permiscuit ut dum* SUAVITATE CARMINIS *mulcetur auditus, divini sermonis pariter utilitas inferatur*; quod apta ad captum similitudine illustrat: *S[illegible] dum sapientes medicos, qui austeriora medicamenta egris offerunt, ne æger utilitatem præ austeritate refugiat, ora, ac summitates poculi, quo remedium porrigunt, melle circumliniunt.*

Sic innumeros reperire est, qui [illegible] clesiastes è cathedra detonantes, terr[illegible] Regii varis oracula, *judicia tua abyssus mult[illegible] Non intres in judicium cum servo tuo: quia non [illegible] stificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* vel[illegible] *Terribilis es tu, & quis resistet tibi? Num[illegible] num projiciet Deus?* Nec minus h[illegible] lud: *Longe à peccatoribus salus. Sicut [illegible] fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei*, & his similia, refugiunt, aversantur, & amarum medici poculum execrantur; quæ dum suavi & vocum, & instrumentorum musicorum modulatione, quasi me[illegible]

melle temperantur, salubriter in animum influunt, & mirabiles affectus, ac potentes effectus operantur; ut qui antea debiles, infirmi, timidi, vires & animos capiant, quibus & mortem, & inferna superarunt. Hæc magni Ambrosii doctrina est: *Sanctus David, ille divina* ORGANUM *vocis, & Dominici sermonis interpres, citharâ cecinit spirituali!* HIS MODULIS GRATIÆ, *sublimem illum animum, mentemque mulcebat:* HOC CANTU, *mundi istius aspera mitigavit:* HOC SONITU, *sæculi dura mollivit, hoc* PSALTERIO, *terrorem mortis infregit,* HAC SUAVITATE CHORDARUM *inferna calcavit.* Quæ omnia, augustissima musicorum præses *Cæcilia* in se quàm vivacissime expressit, dum divinis suis canticis, & psalmodiis, idolorum furias, hostes tartareos, qui Tiburtium ac Valerianum infestabant, fugavit, & ignea cupidinis tela, à gehennâ incensa extinxit, ac superavit.

Ambr. lib. 1 de Iacob & vita beata c. 9.

Hujus rei typum adumbravit mirabilis illa victoria, quam Josaphat de Moabitis, Ammonitis, & Idumæis reportavit. 2. Paralip. 20. nam adversus sævissimos hostes, non instituit pugnantium cuneos, sed cantorum modulantium choros; & in prima quidem acie præire jussit, non velites, sed Levitas, non cum gladiis, sed cum nablis; non classicum, sed psalterium canentes: porro Levitæ laudabant Dominum Deum Israel voce magna in excelsum: cumque mane surrexissent, egressi sunt per desertum Thecua, profectisque eis, *statuit Iosaphat* CANTORES *Domini, ut laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum ac voce consonâ dicerent,* CONFITEMINI DOMINO QUONIAM IN AETERNUM MISERICORDIA EIUS.

2. Paral. 20 v. 21.
Psal. 135.

Hoc musico concentu exterriti, seu potius lymphati, verterunt manus in seipsos & *mutuâ cæde omnes ad unum corruerunt*, ut sacer textus prosequitur: *cumque cœpissent* LAUDES CANERE, *vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, & mutuis concidêre vulneribus.* Chori etenim psallentium, castra Dei sunt, & contra omnes Ecclesiæ Tyrannos, & hostes tartareos, acies ordinata, quam nulla vis tormentorum, insultuum, aut tentationum infringat; ab hac laudat in divino epithalamio cælestis sponsus Sulamitem suam, id est Ecclesiam, dicens: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum;* Absona prorsus, & planè disparata hæc videtur comparatio: quid enim commune habet chorus cantantium monachorum, cum castris prælìantium militum? Quid inermes, caputio tecti Religiosi, cum armatis & galeatis equitibus? Quid sonus suavesonantis Ecclesiæ in chordis, & organo cum strepitu tubarum & tympanorum, & inconditis vociferantium clamoribus? Nihilominus, attendite, inquit Hugo Cardinalis: *Quid hic conjungit* CHOROS CUM CASTRIS? Nec sine mysterio: utrumque enim gratissimum ad videndum præbet spectaculum, unde Maximilianus Imperator, his duobus spectaculis se potissimum delectari affirmabat; videndo chorum Monachis concinne psallentibus refertum, & campum ordinatâ militum præstantium acie instructum: *Sunt*, porrò, addit idem Cardinalis, *inter cætera duo, quæ libenter aspiciuntur;* primo *Tirocinia* militaria *& bella.* Secundò: *Ludi ac chori;* sed quorsum hæc inter se componuntur? *Attendite*, & invenietis, sacros mystas Deum in choro & organo laudando, præliare prælia Domini: *Sunt ergo*, inquit, CHORI CASTRORUM, *qui* DEI LAUDIBUS *insistunt, eò quod bella ejus fideliter peragunt*, & cantu suo in choro potentius, quàm milites gladio in campo, hostes fundunt; ut Rupertus Abbas scite observavit in illud canticorum: *Quid videbis in Sulamite, nisi* CHOROS *castrorum*, ubi ait: quid videbis in Ecclesiâ, numquid strictos mucrones? machæras? acinaces ad domum Dei defendendam, & hostes arcendos? *Nihil omninò nisi* CHOROS *castrorum, id est, laudes, sive* CANTIONES PRAELIANTIUM PRAELIA LAUDANTIUM, SIVE CANTANTIUM, *quod suavissimum.* Ac tandem epiphonematis loco subjungit: CANTANDO, LAUDANDO, *chori præliantur.*

Cant. 7. 1.
Hug. Car. hic
Ibidem.
Rupert.

Quin ipsis dæmonibus terribiles redduntur: quod præclarè D. Chrysostomus edisserit: PULCHER PSALMI CONCENTUS, *est acutissimum telum adversus dæmones: nec enim cervi ita tela fugiunt*, UT PSALMOS DAVID DAEMONES. Hujus illustre documentum tradunt sacri Regum annales, ubi narrant Saulem regem gravissimè à spiritu maligno divexatum & arreptum, quandoque præfocare conatum; cui malo curando, cum omnis ars medica deficeret, argutè canentem, & concinnè ludentem citharâ quæsierunt: *Exagitabat eum spiritus nequam:* dixeruntque servi Saul, (id est, medici) ut curet quæri hominem *scientem psallere citharâ, ne quando arripuerit te spiritus Dei malus*, PSALLAT MANU SUA, *& levius feras;* quod consilium cum Regi probaretur! *ait Saul ad servos suos: providete ergo mihi aliquem* (non de trivio imperitum) *sed* BENE PSALLENTEM, *& adducite eum ad me;* si forte gravissimo suo malo, quod vires naturæ excedebat, medela cantu adferri posset. Josephus, quem citat hîc Abulensis, & Lyranus, dicit quod patie-
" batur dæmonia, & suffocationes; scilicet
" quod dæmon ita vexabat eum, quod videba-
" tur suffocaturus. Ideo providit sibi quod
" quæreretur aliquis benè psallens in citharâ,
" ut cùm arriperetur à dæmone, leniens tolle-
" raret, *& ab hoc David inquisitus est.* Ubi subdit Tostatus, ut in præsentiâ hujus gaudii, quod *ex cantu caperetur, fugeret omnis dolor, vel leviter solaretur.* Quod non solum citharâ, aut musico instrumento; sed *interdum David* IN VOCE CANEBAT (divinos Psalmos) *& plectro citharam tangens*, vim dæmonis elidebat, medicis omnibus, ac aulicis circumfusis stupore attonitis, hanc virtutem contra spiritū nequam Davidicæ melodiæ inesse; de qua juvat Procopium, in hunc locum audire: CANTUM, inquit, ARTICULATÆ VOCIS, *hymnis divinis temperans, ut melos sensum; intellectus verò unà, eâdemque operâ divinum ardorem exsuscitaret. David itaque divini spiritus vim, atque efficaciam acceperat*, QUO OPERANTE, SPIRITUS MALIGNUS QUIESCEBAT. Frustra hîc sacri Interpretes, Philosophi, & Mathematici dispu-

Chrysost. in Ps. 14. apud Lyran in lib. 1 Reg. cap. 16.
Cantus pius horribilis dæmonibus.
1. Reg 16.
Tostatus hic q. 33. Lyran hic
David voce canebat & fidibus.
Procopius hic

disputant, an naturalis virtus insit argutæ voci canentis, aut musicis instrumentis, ex nervis, & fibris mortuorum animalium, ut dæmonem coerceant; altior vis hic agit in divinis psalmodiis, quæ efficacissimus exorcismus est dæmonum. Quærit Abulensis Antistes, an Da-

Tostatus cit. quæst. 36.

" vid, qui spiritum prophetandi, & canendi " citharâ à Deo accepit in unctione suâ, ha- " buerit scientiam psallendi, & citharizandi " per divinam infusionem, non verò arte na- " turali: quod mox probat: nam interdum " aliqui arrepti à dæmonibus visi sunt, qui pri- " usquam arriperentur, nihil omninò musi- " cam noverant, nec ipsa quidem musica in- " strumenta cognoscebant; & cùm arriperen- " tur, optimas faciebant in cithara, vel alio " instrumento harmonias. Unde infert: Deo ergo facilius erit, ut det alicui scientiam citharizandi; quod esse potuit in David; & " sic dicere debemus quod in die unctionis " advenit sibi omnis spiritus fortitudinis, & " prophetiæ, *& citharizandi, ad canendum pro-* " *pheticos hymnos*; atque ita non humanâ, sed divinâ virtute factum est, quod sacer textus subjungit: *Quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu suâ, & refocillabatur Saul, & levius habebat.* Ubi aureâ suâ facundiâ Chrysostomus ad mores disertissimè excurrit, & quemque nostrum; dum à maligno spiritu infestatur, & ad aliquod flagitium incitatur, commonet divino cantico, hunc dæmonem pelli, ac fugari: *Quando*, inquit, *ex malefactis, & flagitiis angimur, & strangulamur, opus nobis Davidicâ citharâ.* DAVIDICO CANTICO INCEPTO, *non secus dæmonem impugnabimus, ac David solebat Saulis vesaniam lenire, eritque nobis ad justitiam medela.*

1. Reg. 16. v. 23.

De irreverentia quorundam in choro, in divino cantu, & officio.

Pudet me sanè nonnullorum Ecclesiasticorum, qui cùm æmuli ardentium Angelorum, comitesque à latere sortiantur, in Dei gloriâ, voce, & cantu celebranda, ita in eo versantur opere, Divis, hominibusque venerando, ut nihil dici possit contemptius, nihil frigidius, nihil etiam immodestius; cui indecentiæ, & irreverentiæ ut occurrat mellifluus Bernardus, sic suos suaviter, & fortiter adhortatur: cæli Choraulas se libenter socios Cleri, ac Religiosorum choro adjungere, si cantus Ecclesiæ cum reverentia, articulatè, ordinatèque fiat: *Attendite*, inquit, *Principes vestros, cum statis ad orandum, vel* PSALLENDUM, *& state cum reverentiâ, & disciplinâ.* Paria propè dicit Petrus Blesensis, vir sacrâ scientiâ venerandus: *Angeli,* PSALMODIÆ *libenter intersunt, si ordinata sit, & ex devotione procedat*; sic ut potius quæratur in cantu affectus, quàm vocis delicatæ, & ad delectandos audientium animos, & aurium pruritum eliquatæ argutia. Unde Doctor Mellifluus sic suaviter monet: *Cantus plenus sit gravitate; nec lasciviam resonet, nec rusticitatem: sic suavis, ut non sit levis: sic mulceat aures, ut moveat corda: tristitiam levet, iram mitiget: sensum literæ non evacuet, sed fœcundet. Non est levis jactura gratiæ spiritualis, levitate cantus abduci à sensuum utilitate, & plus sinuandis intendere vocibus, quàm insinuandis rebus.* Gravi-

Bernard. serm. 7. in Cant.

Petrus Blesensis. epist. 78.

Bern. epist. 312. ad Guidonem Abbatem.

tet Hieronymus ad Rusticum Monachum: *Dicat Psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur.* Et super illud Pauli: *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino*, dicit: *Audiant hæc, quibus in Ecclesia est* PSALLENDI *officium, Deo non voce, sed corde* CANTANDUM; *nec in tragœdiarum modum guttur, & fauces medicamine leniendæ sunt, ut in Ecclesiâ theatrales moduli audiantur, & cantica.*

Hieron. epist. 4. ad Rusticum. Idem in cap. 5. ad Ephesios.

Quare Pius IV. Ecclesiæ Pontifex gravissimus, cùm temporibus suis animadvertisset, in ædium sacrarum cantu, atque symphonia, nihil propè aliud esse, nisi quasdam minuritiones delicatas, & frequentamenta inania vocularum, è quibus fructus ad pietatem nullus colligeretur: Tridenti in Concilio Orbis terræ proponere constituerat, de musica è sacris templis eliminanda, jamque de negotio in sermone familiari cum purpuratis Patribus, & aliis illustribus Hierarchis egerat; quod ejus consilium, cùm Joannes Prænestinus scivisset, qui choro summi Pontificis, & musicæ præerat, ut ingenio fuit, artificioque nobilis, promptè Missas ea temperatione composuit: ut detractis illis velut cincinnis modulisque vocum suavibus, quibus antea solæ aures capiebantur, retineretur symphonia, & verba omnia plane, & liquidò intelligerentur; illas verò cum Pontifex audivisset, & videret utilitatem, quæ percipi potest è divinis rebus, quæ canuntur intellectis, cum suavitate posse conjungi, voluntatem illam abjecit, & putavit non tam esse de musica tollenda cogitandum, quàm de adhibenda moderatione. Rem narravit ipse Prænestinus cuidam è Patribus nostræ Societatis, à quo ego, inquit Cresollius, accepi. Idem argumentum Doctor Angelicus divinè prosequitur. 22. q. 91. art. 2. ad 2. *Dicendum quod Hieronymus non simpliciter vituperat* CANTUM, *sed reprehendit eos, qui in Ecclesiâ* CANTANT *more theatrico, non propter devotionem excitandam, sed propter ostentationem, vel delectationem provocandam; unde Augustinus dicit lib. 10. conf. cùm mihi accidit, ut me amplius* CANTUS, *quàm res quæ* CANTATUR *movet pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire* CANTANTEM.

Cresol. mystag. l. 3. ...

S. Th. 22. quæst. 91. art. 2. ad 2.

Utinam hæc, qui, & quæ in choro cantant, expenderent, ne in suo cantu, & vocis modulatione, ostentationem, & delectationem spectarent! atque qui veniunt eo animo ad Ecclesiam, ut audiant suaves Sanctimonialium voces, cum Augustino se peccare agnoscerent, & vitarent. Ad Quintum verò subdit idem Doctor: *Dicendum quod* PER CANTUM, *quo quis studiosè, ad delectandum utitur, abstrahitur animus à consideratione eorum, quæ* CANTANTUR; *sed si aliquis* CANTET *propter devotionem, attentius considerat quæ dicuntur, & ut Augustinus dicit, omnes affectus spiritus nostri, pro sua diversitate, habent proprios modos in voce, atq;* CANTU, *quorum occulta familiaritate excitantur; eadem est ratio in audientibus, in quibus, etsi non intelligant quæ* CANTANTUR, *intelligunt tamen propter quid* CANTATUR, *scilicet ad laudem Dei: & hoc sufficit ad devotionem excitandam.*

S. Th. ... ad 5.

Aug. l. 10. conf. cap. 33.

Quæ

Quare facessant è sacris ædibus, & eliminentur ab organis (quæ non ad choreas) petulantes moduli, & histrionicæ vocum diminutiones, de quibus juvat Divum Ælredium audire Tullii disertiorem: ad quid ista vocis contractio, & infractio? Hic succinit, ille discinit, alius supercinit. Alter medias quasdam notas dividit, & incidit. Nunc vox stringitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur: aliquando virili vigore deposito, in fœmineæ vocis gracilitatem acuitur: nonnunquam artificiosa quadam circumvolutione torquetur, & retorquetur. Videas aliquando hominē aperto ore, quasi intercluso halitu exspirare, non cantare, ac ridiculosâ quadam vocis interceptione quasi minitari silentium: nunc agones morientium, vel extasim patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totum corpus agitatur, torquentur labia, rotant oculi, ludunt humeri, & ad singulas quasque notas, digitorum flexus respondet. Et hæc ridiculosa dissolutio vocatur religio: & ubi hæc frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius serviri clamatur.

Ælredus abba. speculo charitatis. c. 23.

Stans interea vulgus, sonitum follium, strepitum cymbalorum, harmoniam fistularum tremens attonitusque miratur; sed lascivas cantantium gesticulationes, meretricias vocum alternationes, & infractiones, non sine cachinno, risuque intuetur; ut eos non ad oratorium, sed ad theatrum, nec ad orandum, sed ad spectandum existimes convenisse. Nec timetur illa tremenda majestas, cui assistitur. Sic quod sancti Patres instituerunt, ut infirmi excitarentur ad affectum pietatis, in usum assumitur illicitæ voluptatis. Ideoque talis debet esse sonus, tam moderatus, tam gravis, ut non totum animum ad sui rapiat oblectationem: ait namque Beatus Augustinus: *Movetur animus ad affectum pietatis, cantico audito: sed si magis sonū, quā sensum, libido audiendi desideret, improbatur.* Et aliàs: *Cùm me,* inquit, *magis cantus, quàm verba delectant, pœnaliter me peccasse confiteor, & mallem non audire cantantem.*

Aug. lib. 10. c. 33. & lib. 3 de vita & honest. Cleric. cap undec.

Contra obtrectatores cantus Monialium, quæ quod cantant non intelligunt.

Hisce verbis, à proposito nonnihil mihi aliò collimandum, & telum in hæreticos, aliosque obtrectatores mittendum, qui cantum Sanctimonialium impugnant, sannis, & calumniis impetunt, quod ea, quæ ignorant, psittacorum more deblaterent; quæ tamen ut cum Divo Thoma loquar, *etsi non intelligant quæ cantantur, intelligunt tamen propter quid cantatur, scilicet ad laudem Dei, & hoc sufficit,* (ut in audientibus, ita in canentibus) *ad devotionem excitandam.*

Celeberrimus Interpres Cornelius à Lapide in epist. 1. ad Corinthios. cap. 14. v. 16. ubi Apostolus quærit, quomodo in ritu, & lithurgiis sacris, quæ Græco, aut Latino idiomate celebrantur, ac decantantur, æditiuus imperitus, aut homo idiota, qui non novit nisi linguam maternam, assistat, & respondeat, AMEN: *Qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet,* AMEN *super tuam benedictionem? Quoniam quid dicat, nescit,* & ignorat, quid præcedentia, quid subsequens *Amen* significet; ubi sic ait: licitum est orare linguâ, quam non intelligis, cum certò scis preces esse bonas; *sicut Moniales latinè recitant horas*; & sic idiotæ, orante Sacerdote latinè, possunt cum Deo orare, aut mentem Deo adjungere, & petere ut Deus concedat id, quod Sacerdos pro se, & toto populo, nomine Ecclesiæ, optimâ, & utilissimâ oratione rogat, & supplicat; quia licet eam non intelligant, nec pascantur intelligentiâ, & sensu precum; habent tamen fructum devotionis erga Deum, & reverentiæ erga preces sacras. Imò plus merentur, & impetrant, quàm illi qui eas intelligunt, si majori humilitate, pietate, & fervore orent.

1. Cor 14. v. 16.

Cornelius hic

Hoc unâ, alterave peroppositâ confirmat similitudine, à S. Jordano petitâ, qui rogatus, an placerent hæ Monialium preces Deo? Respondit: *Sicut gemma in manu rustici, qui non novit pretium ejus, tantum valet, quàm in manu aurificis, & gemmarii, qui pretium novit; sic & preces tantum valent in ore indocti, qui eas non intelligit, quantum in ore docti, qui intelligit.* Perinde ac libellus supplex, Gallicè, aut Hispanicè conscriptus, qui à rustico, & idiota Regi porrigitur, tantum à Rege impetrat, quàm qui à viro docto, & linguarū perito porrigeretur; scriptum est: *Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem tuam Domine.*

Psal. 8. 3.

Simili modo in vitis Patrum Abbas Pastor, cùm quidam ei conquerendo diceret; *ecce oro, & non est compunctio in corde meo: quia nescio virtutem verbi* (nec significationem;) *respondit: & tu tamen orare perge, quoniā sicut incantator licet virtutem verborū quæ dicit, nesciat; serpens tamē audit, & intelligit ea, usq; subjicitur incantanti, & humiliatur; sic & nos licet ignoremus quæ loquimur, dæmones tamen audientes ea intelligunt, terrentur, atq; decedunt;* quod indies in energumenis videre est. ad exorcismos Ecclesiæ; quos etsi ipsi obsessi non intelligant, dæmones intelligunt, terrentur, & diffugiunt. Quantò magis omnipotens Deus exaudiet preces Sanctimonialium, quas, etsi verborū sensum non capiant, ardenti corde, piis affectibus, cogitationibus sanctis, elatâ in cælū mente ejaculantur? Ubi, ut unde paululū digressi sumus, revertamur, illud expendendū occurrit, quod *plus merentur, & impetrant* illæ Religiosæ animæ, *quàm illi, qui eas intelligunt, si majori humilitate, pietate, cordis puritate, & fervore orent.*

Quare pulcherrimā monitionē, ac saluberrimā cohortationē, ad suos alumnos, & omnes Ecclesiasticos habet D. Bernardus: *Reverenter, & alacriter Domino assistatis; nō pigri, nō somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidiata, nō integra transilientes, non fractis, & remissis vocibus, muliebre quiddam, balbâ de nare sonantes; sed virili, ut dignum est, sonitu, & affectu, voces sancti Spiritus depromentes.* Nil dici potuit illustrius, nil utilius, omnia illa ferè complexus, quæ religiosam illam actionem decorant; quæ vellem imprimis apud se reputarent, qui *præcidentes verba dimidiata,*

1. Defectus Clerici, ac Religiosorum in choro. Bern. in cant. ser. 47.

2. Defectus præcipitationis in cātu.

& inte-

& integra transilientes, scandularii (schaliedeckers) videntur; quâ obscurâ nominis claturâ Adm. R.D. Petrus van Wiele, quondam Archidiaconus Mechliniensis, compellare solebat illos præcipites in divino officio syncopistas, quos regulariis conferebat. Quæ irreligiosa præcipitis animi festinatio index summæ levitatis, & exiguæ devotionis, ac religionis est; ut in ejusmodi mihi rectè cadere videatur, illa sacri Vatis querimonia: *Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa*; unde scitè notavit D. Gregorius Nyssenus, magnum Davidem frequenter in Psalmis interposuisse diapsasma, quam esse notam, ait, cessationis, seu pausam, ad respirandum, & divinam illustrationem hauriendam.

Psal. 51. 6.

Gregorius Nyssen. tract. 2. in Psalmos cap. 10.

At nostri illi cursores, tantum abest ut paulùm interquiescant, decentiæ, & reverentiæ gratiâ, ut quasi fuste adacti, aut feram insequentes, concitatissimo cursu effugere videantur. Mentior, inquit ingeniosus, ac religiosus Scriptor, nisi viderim in perantiquo, & nobilissimo templo, ubi olim constabar, officia divina incredibili omnium pietate celebrata, ita mystas, minutosque liturgos, in canendo properantes, ut cùm essent dispertiti hinc inde chori, & Davidicæ odæ canerentur, non prius ad medium versiculum pars una veniret, quin sequentem versiculum altera præriperet, itcque omnis Psalmus præcipiti rotatione volveretur, piis indignantibus, pluribus cachinnantibus, dæmonibus exultantibus.

Cresollius Mystag. lib. 3. pag 624.

Terrificum ad hunc insolentem morem, & terrorem, exemplum adducit Florentinus Præsul Antoninus: virum sanctum, cùm divino officio Religiosis psallentibus interesset, vidisse dæmonem ingenti perâ succinctum, identidem plura, & plura, quæ collegerat, illi inserentem, rogatus verò, quid in peram, aut sacculum dimitteret? Respondit: *Versus immitto, quos incipiunt, antequam ii, cum quibus recitant, suum versum absolverint.* At quorsum hoc? verba, ac syllabas, quas illi præcipitant, præcidunt, & detruncant ab officio, eorum se calculum ad summam ingentem exhibiturum in judicio; ubi si verbi otiosi, & novissimi quadrantis; quàm strictissimè à viris religiosis ac Clericis, & syllabæ, & versus cujusque ex stricta obligatione recitandi, ratio exigetur, & tot peccatorum quisque eorum reus condemnabitur. In quos mihi aptè torquere posse videor, pulcherrimum illud, simul & acerrimum Pontificis maximi Leonis X. dictum: *Ut ubi peccatorum venia est postulanda, ne ibi peccandi detur occasio*; quod hausit, (ut credo) ex divino illo Mediolanensium Antistite, & Ecclesiæ Doctore Ambrosio, asserente: *Cum parvo peccato ad Ecclesiam veniunt, & cum peccatis multis de Ecclesiâ recedunt*, nempe scandali, irreverentiæ, contemptus religionis, & tot minutis furtis, quot syllabas, & apices divino officio decerpserunt.

S. Antonin. 2 parte summa tom. 9 c. 12 §. 3.

V. Greg. de Eccl. immunit. c. decret. Ambr. ser. 35.

3. Defectus tarditatis & pigritiæ.

Alterum Ecclesiasticis viris, ac religiosis, pro officii dignitate commendandum, & inculcandum, ne ad supremum æris campani tinnitum, è lecto semisopiti prosiliant ad chorum: tum ne hospitibus, encæniis, aliisque externorum remoris irretiti, leve habentes exiguum, quo frustrantur lucello, nec attento immenso cælestis mercedis fructu, se absentent. Longum esset singula, quæ Divus Bernardus adducit recensere, pigritiam, somnolentiam, oscitantiam, mentis evagationem, de qua S. Thomas, ut aliàs diximus: *Corpore* IN CHORO, *corde in foro.* Non unus tantum, justam illam querelam usurpare posset, quam Bernardus suggerit: *In choro sum corpore, & in aliquo negotio sum corde. Aliud* CANTO, *& aliud cogito:* PSALMODIAE *verba profero, &* PSALMODIAE *sensum non attendo; sed mente vagus, habitu dissolutus, oculis attonitus, hinc & illuc prospiciens: quæcumque ubi geruntur, perlustro, & perspicio: væ mihi! quia ibi pecco, ubi peccata emendare debeo.* Cantemus non labiis tantum, & ore; sed & spiritu, ac mente. Psittacos nos esse Deus non amat, qui nihil, nisi verba & voces, seu ut Hispanicè: *palabras, ni plumas* habent: non amat in nobis meruli, corvi, aut picæ cantilenam; cantant hæ aves rationis expertes, & ignorant quid canant. Pulchrè Augustinus: *humanâ ratione, non quasi avium voce* CANTEMUS; *nam & meruli, & psittaci, & corvi, & picæ, & hujusmodi volucres, sæpe ab hominibus docentur sonare, quod nesciunt;* SCIENTER *autem* CANTARE, *naturæ hominis, divinâ voluntate concessum est.* Quoties viri religiosi, Ecclesiastici non psallunt mente, sed voce: labiis, & non corde; templa resonant cantu psittacorum, corvorum, picarum, quia *scienter non cantant.*

S. Thom. opusc. 57. cap. 8. Bern lib. de interna domo c. 33

August. in psal. 18.

Quoties vos Deum labiis honoratis, & preces, & hymnos ore, non spiritu funditis, inanes sine merito, sine fructu, avium cantilenas imitamini. Unde salubriter monet Hugo à S. Victore:

Hugo à S. Victore l. 2. de instit. monast. serm. 13.

Omnibus his horis, eadem vox cordis, & oris:
Vox est grata CHORI, *quando vox consonat ori.*

Unum superest, in quo cardo vertitur, & defectus maximè enormis est, psallentium in choro, si vita, & mores non consonent; ad quem abusum, & scandalum tollendum, omnium sanctorum Patrum se pandunt ora, & loquuntur oracula. Ad manum mihi est D. Augustinus, ipsum audite. *Charissimi, non poteritis probare, quam* VERA CANTETIS, NISI CAEPERITIS FACERE QUOD CANTATIS. *Quantumlibet illud dicam, quomodolibet exponam, qualibuscumque verbis versem, non intrat in cor ejus, in quo non est opus ejus. Incipite agere, & videte, quid loquamur. Tunc* PSALMUS CANTATUS, *cùm facit cor,* QUOD IN PSALMO CANTATUR: *quàm multi enim* SONANT VOCE, ET CORDE MUTI SUNT? Vidistis non semel hominem ludentem organo, citharâ, chely, testudine, aut alio musico instrumento; omne iners, mutũ, & inutile est, nisi manus adhibeatur, quæ nisi perita sit, & secundùm musicos modulos se attemperet, sylvestre quid & dissonum, ac absonum resonabit, ut si quis puer agrestis, aut rusticus citharam, aut organum pulset. Remacu terigit Hip-

4. Defectus psallentium, quod vita & mores non consonent.

August. in psal. 119.

Hipponensis Doctor in illud Psalmi 91. CUM CANTICO *in cithara*, ubi sic disserit: CUM CANTICO, *in verbo*. IN CITHARA, *in opere*. *Si verba sola dicis, quasi* CANTICUM SOLUM *habes, citharam non habes*. Expressius idipsum declarat, ad psal. 97. PSALLITE DOMINO IN CITHARA, ET VOCE PSALMI. *Psallite*, inquit, *non voce sola; assumite opera: & non tantum* CANTETIS *sed & operemini; qui cantat & operatur, psallit in cithara, & psalterio*. In eundem sensum alibi quærit, quid sit psalmum dicere? & respondet: *psallere, est* ORGANUM *assumere, quod psalterium dicitur: & pulsu, atque opere manuum, vocibus concordare*. Quid juvat scire vocem suam ad numeros musicos inflectere, aut laudare, & deprædicare etiam maximè inter se vocum dissonantium concordiam; animus intus passionibus summè dissonis, concordiâ, ac consonantiâ careat? aut in familia, republica, regno, maxima sit geniorum, ingeniorum, judiciorum, affectuum, passionum, vocum, morū dissonantia? optimus magister morum Seneca; non aliunde quam à voce musica, & organo, in quo varii soni, & fistulæ, nos instructos voluit, dum ait: *Non vides quàm multorum vocibus* CHORUS NOSTER CONSTET? *unus tamen ex omnibus sonus redditur. Aliqua illic acuta est; aliqua gravis, aliqua media; accedunt viris fœmina, interponuntur tibiæ, singulorum illic latent voces, omnium apparent. In commissionibus nostris* (alii legunt concellarionibus) PLUS CANTORUM EST, *quam in Theatris olim spectatorum fuit; cum omnes vias* ORDO CANENTIUM *implevit! & omne tibiarum genus*, ORGANORUMQUE *consonuit*, *fit* CONCENTUS EX DISSONIS. *Talem animum esse nostrum volo* tale cœnobium, tale Capitulum, talem familiam, talem Rempublicam *Multorum artium exempla, sed in unum conspirata*.

Hinc consonantiæ divinissimum motivum suggerit D. Ambrosius. PSALMUS *dissidentes copulat, discordes sociat, offensos reconciliat: quis enim non remittat ei, cum quo unam ad Deum vocem emiserit? magnum planè unitatis vinculum, in* UNUM CHORUM *totius numerum plebis coire. Dispares citharæ nervi* & organi fistulæ) *sunt*; SED UNA SYMPHONIA. Denique, ut suavissimus omnium virtutum concentus existat, CANTET *vox*, CANTET *vita*; *canteut facta*, ut similes beatis illis spiritibus in cælis, laudemus Deum *in chordis*, *&* ORGANO, hic in terris, ut, quemadmodum Augustinus hic disserit, (mentes) *diversitate concordissimâ consonent, sicut ordinantur* IN ORGANO; quo cælestem illam Beatorum melodiam æmulabimur, qui ut omnes gratiâ, meritis, sanctitate, gloria differant, inter se, organi in morem, suavissimè in laudes Dei consonant: *Habebunt enim tunc Sancti Dei, differentias suas consonantes, non dissonantes, non dissentientes: sicut fit suavissimus concentus ex diversis quidem; sed non inter se adversis sonis*. Ibi cantabunt Virgines, cum præside *nostra Cæcilia* CANTICUM NOVUM, quo alii tenorem & bassum canentes, accedere non poterunt: NOVUM QUIDEM CANTICUM ILLUD, ait Bernardus, *quod solis dabitur in regno Dei* CANTARE VIRGINIBUS in perpetuas æternitates.

Ambr. ... in psalm.

Aug. hom. 16 ex 50.

August. in psal. 150.

Ibid.

Bern. hom. 2. super missus.



FESTUM

FESTUM

25 Novemb.

SANCTÆ CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Apparuit ROTA UNA *super terram.* Ezech. 1. verſ. 15.



Te facimus, FORTUNA *Deam.* Iuvenal. Sat. 10.

ARGUMENTUM.

HAllucinatur Gentilitas, dum Fortunam variam, vagam, maximè inſtabilem, [illegible] adverſam, omnibus iniquam, Deam fingere; ei templa & aras dicare non dubitavit, [illegible] pleno copiæ cornu munera fundentem, ſibi propitiam redderet. Quam Gentilium inſaniam divino ſuo ſpiritu Auguſtinus facilè difflavit. Nos meliori radio perſtricti fortiſſimam illam Heroinam *Catharinam* ſupra Rotam ſtantem, de fortuna proſpera, & adverſa triumphantem, rectius Divam colimus:

Te facimus CATHARINA *Deam*

Tibi meritò templa & aras ſtruimus, à cujus cæleſti ſuadâ illud hauſimus, plus à proſpera & blandienti, quàm ab adverſa & ſævienti fortuna timendum; nec ad illam verè auream & beatam niſi per ferream aditum patere; quam ſi velimus, nobis cudere poſſumus, ut invi[illegible]ſimi Chriſti pugiles, & Chriſtianæ Amazones innumeræ, exemplo docuere, & prævivere; è quibus, ne in immenſum excurram, ſat erit ſelegiſſe illuſtres Virgines & Matronas, *Catharinæ* cognomines, quæ vel rotas & rogos calcarunt: vel per voluntarias corporis afflictat[illegible]es mundum & carnem ſuperarunt: vel per alios cruciatus à Deo immiſſos, ſibi ad verè Fo[illegible]natas inſulas viam pararunt.

§. I. *Apparuit* ROTA UNA *ſuper terram.* Ezech. 1. verſ. 15.
§. II. *Et vidi, & ecce* UNA ROTA *juxta Cherub.* Ezech. cap. 10. v. 9.

FESTUM SANCTÆ CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

25 Novemb.

Apparuit ROTA *una super terram.* Ezech. cap. 1. v. 15.



Serius in Intercog. lib. 45. Lactant. lib. 3. c. 28

Venusto satis figmento Galenus, rerum humanarum inconstantiam complexus videtur, dũ Fortunam depingit gubernaculum manu tenentem, cæcam illam, globo seu totæ insistentem volubili, passis per humeros crinibus. Addit Lactantius: fortunam dexterâ clavum, sinistrâ cornucopiæ gestare, tanquam eo opes & honores fundat; illo rerum humanarum regimẽ teneat; hinc ait Plinius: toto mundo, & „locis omnibus, omnibusque horis, omnium „vocibus, *sola Fortuna invocatur*, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur: sola laudatur, sola arguitur, & cum con„vitiis colitur: volubilisque existimata, va„ga, inconstans, incerta, varia, indignorum„que fautrix; huic omnia expensa, huic om„nia feruntur accepta: adeòque obnoxii su„mus sortis, *ut sors ipsa pro Deo sit*, quâ Deus probatur incertus. Quis non rideat, aut potiùs fleat execrandam, Romanorum insaniam, qui hoc tam instabile Numen adorarunt, eique statuas, & templa dedicarunt; cùm nullum virtuti, aut sapientiæ exstaret, ut Plutarchus testatur: *Sapientiæ*, inquit, *in hunc usque diem templum non est, neque temperantiæ, aut tolerantiæ, aut magnanimitatis, aut continentiæ*, quale longè illustrissimum *Catharina* Alexandriæ exstruxit, aut potiùs ipsa vivum harum virtutum templum extitit, ut videbimus. FORTUNÆ *verò templa sunt splendida & antiqua, ac tantum non cum primis Romæ fundamentis posita. Primus Fortunæ templum dedicavit Ancus Marcius, videturque* FORTUNAM *cognominẽ fecisse fortitudini, cui ad obtinendam victoriam*, FORTUNA *plurimum confert.* Nec hoc satis; sed ut crevit hominum avaritia, ambitio, libido, tem“pla permulta, omnis generis honoribus, For„tunæ posita sunt. Servius Tullus, qui omni„um Regum & potentiam auxit populi, & „Rempubl. ornavit, *seipsum ad* FORTU„NAM *rejecit*, eique regnum suum accep„tum tulit: *ita ut etiam cum eo consuescere* FOR„TUNA *putaretur, per fenestellam in domum ejus* „*descendens.* Is ergò FORTUNÆ *templa posuit*, „PRIMIGENIÆ *in Capitolio*, & VISCOSÆ; „quod etsi ridiculum est cognomen; tamen „contemplandam *Fortunæ* naturam exhibet,

Plinius. lib 2. cap. 7.

Fortuna pro Dea habita, eique templa dicata. Plutarch. de fortuna Roman.

Ibid.

Ibid.

„eminus ad se trahentis, & tangentia retinentis.

Potentiùs enimverò quàm ferrum magnes, aurum, honos, corda trahit, *è copia cornu, quod in manu habet, non frugibus semper florentibus refertum; sed largissimè omnia profundens, quæ omnis terra, omne mare, omnia flumina, metalla, portusque ferunt.*

Plut. ibid.

Tum alibi in quæstionibus Romanis pergit insanam gentilium vesaniam describere: *cur parva Fortuna*, quam brevem vocant, fa“num Servius Tullus dedicavit? An quod i“nitio humilis & obscurus, matre natus capti“va, *fortunæ beneficio* ad regnum Romæ eve“ctus fuit? At magnitudinem potius ista mu“tatio, quam exiguitatem fortunæ indicat. O“mnium verò maximè videtur Servius *For*“*tunæ vim divinam* extulisse, omnibusque eam“ inscripsisse actionibus: non enim *Fortu*“*næ* dumtaxat *Bonæ spei, Averrunca, Blanda &*“ *Virilis* templa condidit: sed & *propriæ Fortunæ, & convertentis, & bene sperantis*, & quid reli“qua persequar cognomina?

Plut. quæst Romana. post med.

Juvat altiori stylo, & sanctiori calamo audire Doctorem Hipponensem, sic differentem: *Tantum sanè huic, velut Numini tribuunt, quam* FORTUNAM *vocant, ut simulacrum ejus, quod à matronis dedicatum est, & appellatum* FORTUNA MULIEBRIS, *etiam locutam esse, memoriæ commendarint: atque dixisse non semel, sed iterum, quòd eam ritè matronæ dedicaverint. Quod quidem si verum sit, mirari nos oportet: non enim malignis dæmonibus etiam sic difficile est fallere; quorum artes atque versutias hinc potius isti advertere debuerunt. Fuit enim fortuna loquax, & muta felicitas, & ad quid aliud, nisi ut homines rectè vivere non curarent, conciliata sibi Fortunâ, quæ illos sine ullis bonis meritis faceret fortunatos.*

S. August. lib. 4. de civit. cap. 19.

Videtis, ut opinor, quàm graviter Romani, in nocte gentilitatis cæcutientes, hallucinati, quàm turpiter decepti sint, dum pro Fortuna ipsum cacodæmonem adorãt, à quo, nihil virtuti, nihil honestati tribuentes, in omnia flagitia proruentes, omnia prospera, & felices rerũ suarum successus expectant, ut fortunati sint.

Sed hæc in Ethnicis utcumque toleranda; illud verò execrandum ac detestandum, electũ Dei populum, vero Numine spreto, ad Fortunam adorandam converti! quod apud Isaiam Dominus amarissimè queritur: *Vos, qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum*, QUI PONITIS FORTUNÆ MENSAM,

Israelitæ adorant Fortunã.

Isa. 65. v. 11.

& libatu super eam, numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis. In quem locum divus Hieronymus: *Est in cunctis urbibus, & maxime in Ægypto, & in Alexandria, idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die anni ponant mensam refertam variis generis epulis & poculum mulso mistum, vel præteriti anni, vel futuri fertilitatem auspicantes; hoc autem faciebant Israelitæ, omnium simulacrorum portenta venerantes, & nequaquam altari victimas, sed hujusmodi mensæ libamina fundebant, id est, dæmonis,* ut Cornelius ostendit ex Hebræo ostendit.

Hieron. hic.

An hoc tam detestabile, & abominabile idololatriæ sacrilegium etiam in Christianos cadere posse censetis? Profectò in omnes illos cadit, qui ut Athæi vivunt, & omnia fortuitis casibus, quasi nulla Dei cuncta gubernantis prudentia, aut providentia esset, adscribunt: qui astrologos, ariolos, chiromanticos, libros fatidicos consulunt; cujusmodi farinæ est, inter mille, infelix ille infortunatusque *Fortunæ liber*, quem Teutonicè, *t' huys der fortuynen*, hoc est, *domum Fortunæ* appellant; qui lepido quodam quærendi, investigandi, legendique studio, quod præscribit, partim manifesta, notaq; facere, quæ cuiquam acciderint, vel eadem forte sunt ventura: partim etiam ex incertis, fallacibusque quibusdam, ortus, nataliumque æquinoctiis ac signis, unicuique suam, ut ajunt, fortunam, infortunium ve præsagire, & prænunciare videtur; ad talia se præsumptuosè offerendo, quæ sola divinæ providentiæ, quæ in sua dispositione non fallitur, manifesta esse cognoscuntur.

Morale. Christiani Fortunæ idololatræ.

In eos, qui fatidicos, & libros fortunæ consulunt

Hic est lepidus ille liber, melancholiæ, ut ait Auctor, arcendæ peridoneus; quo potiùs incauti ac miseri homines (quando res sinistro illis auspicio cadit) planè emotæ mentis fiant, & spei prorsus desperatæ; ut jam scientes, volentésque id quærerent & sectentur, quod infortunatus ille Fortunæ liber admurmuravit, quod aliàs numquam toto vitæ suæ curriculo vel per somnium excogitassent. Unde fit, ut iste laqueo se præfocet, ille in aquam, in ignem se præcipitem det: alius verò juxta naturæ suæ recens sic incantatam pronitatem, ea seu furti, seu cædium, seu stuprorum facinora insanus perpetret, quæ illum ad infamem, & quasi vaticinatam ipsi mortem adigant. Alii spe delusi, longa tabe se conficientes, & gravi melancholia pressi, desperabundi vitam trahant, mille mortibus amariorem.

Quis pudoris, honestatisque jacturam expendat, quando in adolescentes probos, castasque virgines, infortunata ejusmodi pronunciantur auspicia? Dum ille qualem uxorem, qualémve sit in sæculo fortunam habiturus; illa qualem maritum, quótve sit proles habitura, quidve ceterùm ipsi fit sors allatura, tali indagine perscrutatur.

Juxta hanc tam infaustam malè fortunatæ *Fortunæ domum*, velut omnium obscœnitatum infamem officinam, libellum illum collocabimus, qui inscribitur: *Het spel van aventuren*, hoc est, *ludus fortuitorum, seu ludus Fortunæ*, qui ut nil superstitiosum contineat; tot tamen, tamque turpis notæ, versis ferè singulis pagellis, ingestit impura dicteria, saléſq; tam salaces, ut propè semper sortientis, audientisque faciem pudore suffundat, existimationi ejus inurat notam, atque animam vulneret; dum præter plana turpitudinum plaustra, vel de amplexibus, vel de gestando utero, vel de prole habenda, aut etiam secretò habita, vocalas accinit.

In hos rectè vertit Liranus justam Dei, apud Isaiam, querelam: *Electi mei, Christiani,* qui dereliquistis Dominum, & obliti mo ntem sanctum meum, ubi erat templum divino cultui dedicatum, tradentes se spiritibus erroris, vel immundis doctrinis dæmonum, *parant* FORTUNÆ *mensam, eò quod reputabatur Dea felicitatis temporalis: & nihil ad Deum pertinere credentes; sed vel stellarum cursu, vel varietate Fortunæ omnia gubernari, hi eradentur æternis suppliciis, ut nullus eorum possit evadere.*

Isa 65 v 11
Liran

Ab his diaboli fallaciis, ab his mentis fascinis, & ab æternis, quibus ejusmodi expositi sunt suppliciis, ut eos eximam, quàm vanum & insanum sit Gentilium commentum qui Fortunam, Deum finxerunt, & quàm nos ipsi Fortunæ nostræ fabri, Deo adjuvante, esse possimus, sapientissima ac fortissima heroina *Catharina*, supra fortunam stans, & utramque tam prosperæ, quàm adversæ rotam pedibus calcans, manifestò demonstrabit.

Quam ... legu ... fortu... Deam ...

Quis sanæ mentis Fortunam cæcam, vagam variam, volubilem, convitiis cultam ... esse credat? Quam, quo loco Romani eam habuerint, divus Clemens Alexandrinus exponit, notans eos *locasse illam in sterquilinio, dignum inquit, Deæ templum, secessum tribuentes.*

Proverb. cap 7
Clem Alexand in protrept.

Solidè & solerter Augustinus: *Quomodo ergo: DEA FORTUNA aliquando bona, aliquando mala? An fortè quando mala est, Dea non est: sed in malignum dæmonem repente convertitur.*

Aug lib ... de civ ... cap ...

Nihilominùs, cùm animadverteret, etiam inter Christianos nomen Fortunæ vigere, & quosdam conqueri, quod sibi ac suis mala fortuna obvenerit; invidere aliis, quibus bona fortuna arriserit, pœnituit eum, quòd hanc vocem sæpiùs usurpavit, ut hanc superstitionem protinus ex animis tolleret. Hinc lib. 1. Retract. cap. 1. sic ait: *In tribus libris meis (academicis) non mihi placet totiesme appellasse* FORTUNAM; *quamvis non aliquam Deam voluerim hoc nomine intelligi, sed fortuitum rerum eventum, vel in corporis nostri, vel in externis bonis aut malis. Unde & illa verba sunt, quæ nulla Religio dicere prohibet:* FORTE, FORSAN, FORSITAN, FORTUITO; QUOD TAMEN TOTUM AD DIVINAM REVOCANDUM EST PROVIDENTIAM.

Aug lib. 1. Retract. cap. 1

Tum subdit: *Dixi quidem hoc; veruntamen pœnitet me sic illic nominasse* FORTUNAM, *cùm videam homines habere in pessima consuetudine, ubi dici debet:* HOC DEUS VOLUIT; *dicere:* HOC FORTUNA VOLUIT.

Omnia à Deo providentia, nil à fortuna.

Non folium ex arbore, non pilus è capite, non passer è tecto super terram cadit, absque singulari Numinis providentia; & prosperos rerū tuarū successus, aut adversos maximarum calamitatū eventus, fortuitis casibus, aut ipsi fortunæ adscribes? *Omnia,* inquit idē Doctor, *ad divina providentiæ regimen referantur, quæ stulti,*

August. in Psal 9.

quasi casu, & temerè, & nulla divina administratione fieri putant; hac qui nixus fuerit, inconcussus, & immotus supra fortunam stabit.

Hoc in gloriosa virgine Catharina cernere licebit, quæ infallibili æterni Numinis providentia nixa, utramque tam prosperæ, quàm adversæ fortunæ rotam sub pedibus habuit.

§. I.

Apparuit ROTA *una super terram.* Ezech. 1. v. 15.

ROtam, quam vidit Ezechiel super terram, non incongruè Hugo Cardinalis, rotam fortunæ interpretatur, dum hæc verba Prophetæ: *Apparuit* ROTA *una super terram*, sic exponit:
Hugo Car. in Ezech. c. 1. v. 13. *Est* ROTA FORTUNÆ, *de qua psalmo 76. Vox tonitrui tui* IN ROTA: *quia prædicatio dura debet fieri contra eos, qui sequuntur* ROTAM FORTUNÆ. *Hæc autem* ROTA *super terram est, quia terrena amantes opprimit.*

Rota fortunæ, fugacitatē vitæ indicat. Tali prædicatione perquàm dura & aspera diva Catharina, divinâ suâ suadâ in Maximinum, fortuna elatum detonuit; qui cùm ob *magnum consecutus beneficium*, ipsum nempe Imperium, sacrificium omnibus indixisset, interturbavit intrepidè virgo, & disertissimè peroravit; cujus dicendi gratiam, & formæ eximiam pulchritudinem cùm imperator amaret,
Surius 25. Nov. ac deprædicaret, respondit: *Hæc, quam tu admiraris pulchritudinem, terra est & cinis, qua & tempore efflorescit, & morbo tabescit; utpote qua nihil stabile, nihil firmum habet.*

Et ecce rota, qua Ecclesiastes fugacitatem hujus vitæ, & revolutionem in cineres inge-
Eccl. 10 v. 9. niosè adumbravit: *Antequam rumpatur funiculus argenteus,* ET CONFRINGATUR ROTA *super cisternam, & revertatur pulvis in terram suam, unde erat.*

Hieronymus hîc, aliique per rotam, vitam nostram; per pulverem, corpus quod in terram revertitur, intelligunt.

Hac similitudine virgo sapiens prudenter
Hierem 18 v. 1. mihi usa videtur ad tyrannum: *Surge* (è solio) *& descende in domum figuli*, illic videre est, quia omnium opifex Deus, ex luto *faciebat opus* SUPER ROTAM; quod opus fragile, mox in cineres resolvitur, ut eleganter purpuratus Do-
Hugo Car. hic. ctor: *Descendere*, inquit, *in domum figuli, est considerare fragilitatem carnis suæ. Hoc autem vas, rectè dicitur fieri* SUPER ROTAM, *vel propter corporis instabilitatem; vel, quia idem est principium, & finis idem, secundùm illud Genesis 3. Pulvis*
Gen 3. *es, & in pulverem circumactus* REVERTERIS. Quæ rota figuli, si semper ob oculos versaretur, facilè nos conditionis & originis nostræ admoneret.

Ioan Ziegleru de viris illustr. Villegisus, quem patre rhedario natum Otho III. inter Electores Archiepiscopum adlegerat, in veteris fortunæ memoriam, *Rotam*, (quæ exinde Archiepiscopatui Moguntino semper insigne fuit) sibi in tesserā sumpsit, hoc lemmate subjecto: *Qui sis, fuerisque, memento.*

Et tu, ô homo, dum secunda fortuna extulit, rotæ figuli, & quis sis, fuerisque, ac futurus sis, memento; quod Hussæus Vates sibi, & mihi occinit, dicens: *Memento quæso* (Domine)
Iob. 10. *quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem* REDUCES ME, quasi per gyrū; quod acutè ob-
Pet. Blesensis ser. 36. in dedic. servavit Petrus Blesensis: *Cinis est memoria circuitus humani; vita enim nostra quasi linea circumducta, rediens ad idem punctum. A pulvere incipiens, & per defectus naturales, quasi circulariter progrediens, ad pulverem revertitur, juxta illud: Memento homo, quia pulvis, & in pulverem* REVERTERIS.

S. Nilus in parænesi. Unde sic monet Præsul Nolanus: *Si vitam, quæ verè vita est, desideras, odio prosequere vitam præsentem: vides enim,* QUOD ROTA INDESINENTER VOLVATUR.

Catharina calcat rotam fortunæ. Hanc vitam verè beatam, & æternam, Catharina desiderans, ad hanc anhelans vitæ præsentis oderat rotam, quæ indesinenter volvitur, & pedibus premebat: nôrat enim non solùm corporis venustatem, sed & cetera fortunæ bona, delicias, divitias, honores, hac rotâ, quæ apparet in terris, circumvolvi; ut præclarè di-
Ambr lib. de Abraham. vus Ambrosius: *Bona hujus sæculi instabilia sunt,* ET ROTARUM IN MOREM, *cum ipso sæculo volvuntur.*

Hoc vel omnes antecessores Maximini, & omnium Regum, ac Imperatorum testantur:
Pet Dam epist. 5 ad Agnet. *Quē enim, cui se* FORTUNA *non transferat, & modò de adversis in prospera; modò de prosperis in adversa, scenicâ se varietate convertat?*

Ipsos summos Ecclesiæ Pontifices, qui in Rota Romana ad summum fastigiū elati sunt, quàm paucis multi mensibus, alii diebus, cum ipso sæculo in cineres revoluti sunt.

Humana omnia celeri rotatu circumagi, Doctor mellifluus sermone de fallacia præsentis sæculi edocuit: *Sicut* ROTA, inquit, *num-*
Bern ser. de fallacia præsent. sæculi. *quam stat sed perpetuâ volubilitate circumagitur, ita in* HAC VITÆ ROTA, *nulla stabilitas, aut securitas reperiri potest.*

Rotas quasdam vidit Ezechiel, sed vitæ spiritu plenas; sic enim ille habet cap. 1. v. 21. *Spiritus vitæ erat* IN ROTIS. Quàm diversæ ab his, rerum mundanarum, & fortunarum rotæ? In his enim non vitæ spiritus est, sed mortis; quia volvuntur, & amatores suos involvunt, & rotatu suo interimunt. Non minus venustè, quàm verè sanctus Augustinus: MOLENDINUM
August. in psal. 36. *puto dictum mundum istum, quia* ROTA QUADAM *temporum volvitur, & amatores suos conterit.*

Itaque, qui terrenas ambiunt divitias, delicias, honores, volvuntur, & involvuntur ad interitum, nec vitæ spes, nisi hinc se rotatu evolvant. Quò spectat illud divi Basilii in psal. 1. *Beatus qui non per voluptatum inescationem* CIRCUMACTUS EST AD INTERITUM; *sed per patientiam, salutis spem concepit, & in utriusque vitæ electione, ad deteriora, & deteriora non deflexit.*

Ribaden. Surius in vita. Beata planè Catharina, cui cùm Maximinus carnis illecebras, & aulæ divitias, imò *dimidium regni sui*, atque omnia fortunæ bona
Ibid. appromitteret, *circumacta nō est ad interitum*; sed ut *erat magno & excelso animo*, Christianam se, ac

Cæli Empyrei Pars II. Vuu 2 Chri-

Rotam martyrii Catharina præfert rotæ fortunæ.

Christo immortali Deo se desponsam professa, liberè edixit: *Ornamentum virginitatis, & stolam martyrii, longè prefero omni purpura regia*; rotam supplicii diris cultris, & acutis mucronibus armatam non timeo; sed illam præfero aureæ fortunæ rotæ, quam fugio & exhorresco.

Mirum hoc videri non debet, fortissimos etiam Christi athletas plus sibi timuisse à blanditiis, & aureis tyrannorum promissis, quàm à gravissimis tormentorum minis.

Prov. 30. v. 30. *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum*, ait Sapiens; cui alio loco, illustri laudis encomio, invictum justi animum comparare non dubitavit, dicens: *Justus autem quasi leo confidens absque terrore erit.* Prov. 28. v. 1.

Sed quomodo hæc conveniunt cum eo, quod & Seneca tradit: *Curriculi motus*, ROTARUMQUE *versa facies, leones redigit in caveam*; & ipse Florentinus Antistes, divus Antoninus asserit, te maximè futili, leonem conturbari, ac consternari? *Leo*, inquit, *timet strepitum* ROTARUM Ad quod respondet: ROTA *volvitur continuò, ex qua revolutione id, quod supra est, descendit ad ima; & significat dignitates, & honores, & prosperitatem temporalem*. QUÆ APPELLANTUR BONA FORTUNÆ, *qua sunt in magna mutatione. Electi igitur ac fileones in fortitudine, timeant tamen poni vel se reperire in dignitatibus*, voluptatibus, & rota fortunæ. Talis Heroinæ nostræ animus, licèt sicut leo confideos, ad nullius tyranni paveret occursum, strepitum tamē aulæ, strepitum rhedarum, quibus ad solium veheretur, rotam fortunæ auream extimuit, exhorruit, & execrata est; cui miseri mortales tanto ambitu se involvunt, & circumvolvuntur.

Seneca lib. 2. de ira, c. 11. S. Antoninus part. 4 tit. 14. cap 4. §. 1. Sancti timeant fortunam secundam

Olim homines in amphitheatro rotis affixi, feris objiciebantur; adeò ut dum alter, currente rotâ, feratum morsibus pateret, alter eadem rotâ elatus, discrimini subduci videretur; sic de alieno, ut dicitur, corio ludebant, & dum spectatores hoc immani spectaculo pascebantur, unus à feris dilaniabatur, alter propè metu exanimabatur.

Mundi rota miserè suos rotat.

Hunc ludunt insolentem ludit mundus, dum alios voluptatum rotatu tartareis feris objicit, alios honorum spe suspensos miserè discruciat, ac perdit. Hoc scitè ad mores Christianorum ex ritu antiquorum notavit Cassiodorus, agens de iis qui in amphitheatro cum bestiis ludebant: *Alter*, inquit, LABENTI ROTA *feris offertur*; EADEM *alter erigitur, ut periculis auferatur. Si hac machina ad infidi mundi formata aqualitatem, istos spe refovet, illos timore excruciat; omnibus tamen ut decipere* (& perdere) *possit, aridet.*

Cassiodor. lib 5. variar quæst 42.

Ad hæc quotidiana spectacula & pericula, quibus miseri in hoc mundi theatro volvuntur, ridemus, & plaudimus; ovearte ndimus hac rotâ circumactos, tot hic feris, quot curis, anxietatibus, livoribus patere, & dirè liorari, tandemque æternæ Ixionis rotæ alligandos, & à stygiis lupis devorandos. Sic Romanus Philosophus de voluptate sensit: *Ut feras cum magno labore, periculoque venamur, & captarum quoque illarum solicita possessio est; sæpè enim laniant Dominos; ita habentes magnas voluptates, in magnum malum evasere, captaque cepere.* In eundem sensum Philo, qui ferocientibus canibus voluptates comparat, quæ dum blandiuntur, mundi hujus rotæ involutos, insanabili morsu sauciant: *Non ad omnia*, inquit, *qua carni amica sunt, appetitus excitetur; voluptates enim ferocientium persape canum more adblandita, repentè mutata, morsum infigunt insanabilem.* Cave, cave molossos illos, & huic rotæ te evolve, si vitam amas, eamque æternam.

Seneca de vita beata cap. 14.

Philo lib. de gigantibus.

Huc facere videtur, quod lib. Numerorum cap. 13. legimus: *Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos*; ubi in rem nostram Hugo Catensis in psal. 105. *Terra, id est, terrena cura, qua*, UT MOLA CIRCUMITUR, *devorat habitatores suos*; ac si rotæ illi similis, cui homines et alligati, feris objiciebantur ad devotandum.

Cùm igitur terrena omnia assiduo rotatu volvantur, consequens est, ut eorum mens, quæ terrenis adhæret, perpetuò rotetur & circumgiretur; adeò ut nulla illi quiete fruantur, sed curis & anxietatibus sæculi agitentur, & terreni amori vinculis, fortunæ rotis alligati, torqueantur ac rotentur. Opportunè Seneca, miseram ejusmodi hominum sortem miseratus: *Ego, inquit, ex alto prospiciem, video, qua tempestates aut imminent vobis, paulò tardiùs rupturæ nimbum suum: aut jam vicina, vos ac vestra raptura, propiùs accesserint. Quid porrò, nonne nunc quoque (etiamsi parum sentitis) TURBO QUIDAM ANIMOS VESTROS ROTAT, & involvit, fugientes, petentesque easdem:* ET NUNC IN SUBLIME ALLEVATOS, NUNC IN INFIMA ALLISOS RAPIT?

Seneca de beata vita c. 28.

Hanc verò mentis, cordisque rotationem, ac vertiginem à mundanis curis, imò & à delicius esse, non sinit dubitare D. Nazianzenus, cùm ait: *Munde amice; non tamen omnino amice, quid me in contrarium proficisci contendentem*, TROCHI CUJUSPIAM INSTAR, *versas?*

Nazianz. epist. ad Sophr.

Quantos in aula Principes, quales in curia senatores, quot in militia centuriones, in foro mercatores novimus, quorū animos *turbo quidam rotat*, & nunc in sublime elatos, nunc in infima allisos rapit? Et tamen dum se huic rotæ evolvere, & in contrarium proficisci nituntur, *mundus trochi instar eos versat?*

Non pudeat à gentili Christianū monitum capere: Quisquis se multum fortuitis dedit, " ingentem sibi materiam perturbationis, & " inexplicabilem fecit. Qui aliquid virtute melius putat, aut ullum præter illam bonū, *qua* " *à Fortuna sparguntur*, sinum expandit, & solicitus missilia expectat. *Hanc imaginem animo tuo* " *propone*, LUDOS FACERE FORTUNAM, & in hunc mortalium cœtum, honores, divitias, gratiam excutere: quorum alia inter diripientium manus scissa sunt, alia infidâ societate divisa, alia magno detrimento eorum, " in quos devenerant, prensa.

Seneca epist. 7

Tum ut ab his ludis fortunæ recedamus, & tam fluxa ac instabilia bona, *qua fortuna desuper jactat*, relinquamus aliis, hortatur: Æstuamus " miseri, distringimur, multas habere cupimus " manus: nimis tardè nobis mitti videntur (opes, honores, voluptates) quæ cupiditates nostras irritant, ad paucos perventura, expectata

Ibid.

omni-

omnibus. SECEDAMUS AB ISTIS LUDIS, *& demus raptoribus locum. Illi spectent bona illa pendentia, & ipsi magis pendeant* ab instabili & miserabili rota fortunæ.

Catharina lusit fortunam. *Ab his ludis* quàm longissimè *secessit*, *& ludos fecit* FORTUNAM, virgo sapiens, & una de numero prudentum *Catharina*; à qua utinam sapere discant, qui hîc toti à fortuna pendent, eique adhærent: *Non habet*, inquit idem Philosophus Romanus, *ut putamus*, FORTUNA *longas manus, neminem occupat, nisi inhærentem sibi.* ITAQUE QUANTUM POSSUMUS, AB ILLA RESILIAMUS. *Idem epist. 82.*

Omnes passim fortunam blandam prensant, & ut matrem amplectuntur, nec intelligunt eam sibi magis novercam, & plures in exitium trahere, quàm adversa soleat.

Aristoteles optimus morum magister lib. 2. Ethic. cap. 3. *Omnium difficillimum est, blandienti repugnare* FORTUNÆ.

Innumeræ virgines stetêre in catastis, equuleis, rogis; quæ blanditiis, illecebris, illicius succubuere. Tyranni multò plures promissis, lenociniis, muneribus demulserunt, quàm minis aut tormentis terruerunt. Unde Bernardus: *Magnus est, cui præsens felicitas si arrisit, non arrisit.* *Bern. lib. 2 de consid. ad Eugen.*

Quare, nisi risui & ludibrio esse velis Deo, Angelis, & hominibus; cum prospera fortuna, tanquam cum capitali hoste luctandum, & pugnandum est; ita monet gravissimus Doctor: *Magna virtutis est, cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subvertat felicitas. Magnæ felicitatis est, à felicitate non vinci; sed calcare sæculum*, carnem & sanguinem, calcare rotam fortunæ cum fluxis, quibus circumvolvitur bonis. *August. serm. 13. de verbis Dom.*

Rotæ proprietas hæc est, ut terram vix in puncto, eamque celerrimè transeundo tangat; *ita*, inquit Gregorius, *terrena transeunt, & vix summis vestigiis terram contingunt*, ac mox effugiunt, & evanescunt; nec minus disertè Divus Hieronymus in illud Psal. 76. *Vox tonitrui tui in rota*, ita ad mores excurrit: ROTA *modico quidem vestigio stat in terra, & non solùm stat, sed tangit, & percurrit*; quæ omnia generosæ Virgini Catharinæ perspecta erant. *Gregor. hom. 5. in Evang.* *Hieron. in Psal. 67.*

Ex quibus rectè concluditur, verissimum illud Senatoris Romani, Severini Boëtii suo sanguine purpurati pronuntiatum: *Plus reor hominibus adversam, quàm prosperam prodesse* FORTUNAM. Dicti rationem reddit: Illa enim "semper specie felicitatis cùm videtur blanda, "*mentitur*; hæc semper vera est, cùm se instabilem mutatione demonstrat. *Illa fallit*; *hæc* "*instruit.* Illa mendacium specie bonorum, "mentes fruentium ligat; hæc cognitione fragilis felicitatis absolvit. Itaque *illam videas* "*ventosam, fluentem, suique semper ignaram*; *hanc* "*sobriam, succinctam, & ipsius adversitatis exercitatione prudentem.* *Boetius lib. 2. de consol. prosa 38.*

Attende, & oculos mentis intende in illud, quod vel gentilis Philosophus vidit: *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil evenit adversi*; argumentum enim esse, à Deo contemni ac deseri. Attende quid vir divinus Augustinus moneat: *Ipsa, quæ in rebus humanis felicitas appellatur, plus timenda est, quàm miseria*; fortuna aurea plus timenda, quàm ferrea. *Seneca lib. de providentia, cap. 3* *August. in Psal. 68.*

Ridiculum est quod narrat Plutarchus, fortunam instabilem, & per omnia vagam ac variam, Romæ stabilem sedem fixisse: fortuna, inquit, Persis & Assyriis desertis, cùm leviter pervolasset Macedoniam, celeriter abjecisset Alexandrum, Ægyptumque; deinde & Syriam peragrando regna distulisset, & sæpè conversa, Carthaginienses tulisset, postquam transmisso Tiberi, ad Palatium appropinquavit, *alas deposuit, talaria exuit, ac infideli & versatili globo misso, ita Romam intravit, ut mansura.* *Plutarch. de fortuna Roman.*

Graviter hallucinatur, aut turpiter assentatur Plutarchus; nulli porrò tam instabilem, & ex prospera adversam fortunam, quam Romani experti sunt, ut ex ipso Romano Philosopho audivimus.

In mundo hanc sibi prosperam stabilem fingere, stultum est; eam dumtaxat æternam, stabilem, & immutabilem in cælis habituri sunt, qui hîc cum Catharina per adversam, per rotas & rogos, & inaudita tormenta à tyrannis ingesta: vel per paupertatis, calamitatis, infirmitatis experimenta: vel per acerbas corporis afflictationes ultrò susceptas, *ad æternum Regni Palatium appropinquant*, ubi fortuna beata & verè aurea, *alas deponit, talaria exuit, ac versatili globo misso, in æternum mansura.*

§. II.

Et vidi, & ecce una ROTA *juxta Cherub.* Ezech, cap. 10. v. 9.

DIsertissimus Ecclesiastes Italus, Josephus Mansi, hanc visionem Prophetæ *de rota una, & juxta Cherub*, vaticinium quoddam martyrii fuisse existimat, quo per rotam, exquisitorum tormentorum machinam, Heroina nostra rotâ prosperæ & adversæ fortunæ superior, assistente *Cherub*, dominaretur. Hinc non immeritò, ut ex fortibus ausis, aut præclaris factis viri militares sibi symbola, & tesseras gentilitias desumpserunt; ita & inclyti Christi Athletæ, ac generosæ viragines, suis sibi propriis martyrii, quo excarnificati sunt, insignibus depinguntur; quos inter Catharina rectè cum *rota, cuspidibus, acutisque mucronibus armata*, ut corpus in frustra dilaniaretur, exprimitur. *Mansi de S. Catharina, discorso 2.* Vaticinium de rota Catharinæ. *Ribadin. in vita* *Surius.* *Ibid.*

Cherub, qui *juxta Rotam* stabat, cælestis genius, qui rotam machinam dissipavit, multis" qui aderant, contritis; unde & hæ voces:" magnus Deus Christianorum: aut ut alii, ipse Christus virginem à teneris sibi desponsatam, in carcere consolans, & confortans, intelligi potest; cujus auxilio freta *S. Catharina*, ferream fortunæ rotam, auream fecit. Quod ad mores referendo paucis, adverte, docebo; qua ratione quisque fortunæ suæ faber esse, & ex ferrea, sibi auream cudere valeat. Quisque fortunæ suæ faber est.

Salustius *vir disertissimus*, ut eum Augustinus appellat, *fabrum esse suæ quemque fortunæ* assever- *August. lib. de civit.*

 rat;

Saluſt. ad Caſ. Seneca epiſt. 82.

rat; bona enim & mala fortuna à virtute aut vitio: ab uſu vel abuſu decus vel dedecus accipiunt. *Omnis res, ait* Seneca, *quod non habuit decus, additâ virtute ſumit. Cubiculum lucidum dicimus, quod idem obſcuriſsimum eſt nocte: dies illi lucem infundit, nox eripit. Sic iſtis, quæ à nobis indifferentia dicuntur, divitiis, viribus, honoribus, regno; & econtra, morti, exilio, malitia aut virtus dat boni vel mali nomen.*

Plutarch. de animi tranquillit. paulò poſt initium.

Artis eſt, ut in ludo teſſerarum, ſi jactus ſiniſter ſit, illum induſtriâ corrigere, ita & adverſæ fortunæ caſum, virtute in bonum convertere: *Ludo enim teſſerarum Plato vitam comparabat; ubi & jaciendum eſt, quòd ſit commodum, & jactu quod cecidit, rectè uſurpandum. Iacere quidem in noſtra eſt poteſtate, ſi verò ſapimus, penes nos eſt, quod* FORTUNA *obtulit, convenienter accipere.* Tum hac apta utitur ſimilitudine: "homines cordati, ſicut apibus mel præbet "thymus, acerrima & amariſſima herba; ita "è rebus adverſiſſimis ſæpenumerò conve"niens aliquid, & commodum decerpunt. Idem ſeriò inculcat Comicus:

Terentius in Adelph. Act. 4. ſcena 7.

Ita vita eſt hominum, quaſi cùm ludas teſſeris;
Si illud, quod eſt maximè opus, jactu non cadit,
ILLUD QUOD CECIDIT FORTE, ID ARTE UT CORRIGAS.

Hæc Gentilis gentilibus, omnibus Chriſtianis inculcandum, & uſurpandum; ſi malè quid cecidit, ſi jactura fortunarum, famæ, valetudinis, filiorum non ſortè, aut fortunâ, ſed divinâ providentiâ obtigit, id arte, id eſt, cæleſti gratiâ adjutus, virtute propriâ, & conſideratione rotæ ſemper volubilis, ut corrigas, ac animos ſumas. Quod ne à rota exorbitem, homo barbarus edocebit.

Zonaras tom. 3. Cedrenus. Cauſſin. ſymb.

Sultanus à Ludovico Rege Franciæ, Capuam captivus abductus, toto biennio numquam à quopiam ridere viſus eſt; quod Rex admiratus, ingens præmium conſtituit, qui illum riſiſſe nuntiaret.

Salubre documentum ex volubilitate rotæ.

Hîc quid paraſiti, comœdi, hiſtriones, & moriones fecerint, ut præmium, & gratiam referrent, facilè eſt cogitare; at ille nullis movetur. Sed inopinatò, fortè per feneſtram proſpectans, in riſum & cachinnos effuſus eſt.

Hoc nuntio quantociùs ad Regem delato, Soldanum acceſſitum interrogat, quid tandem in hac miſera fortuna animum ejus ſerenaſſet, & vultum in riſum explicaſſet? Cui ille etiamnum ridens ac renidens: Currum, inquit, contemplabar, rotaſque ejus volubiles, nunc elatas, nunc depreſſas conſiderans, incidit, ut qui nunc ſurſum, mox deorſum feratur. Quo intellecto, Rex eum non modò indulgenter habuit; ſed & inter primos à conſiliis in aulâ ſua adlegit.

Nicephor. lib. 18 cap. 29. Lipſius monita & exempla polit. part. 2 cap. 14. n. 9.

Hoc ſapere eſt, adverſæ fortunæ rotam, quæ modò deorſum, & rurſus continuo rotatu ſurſum volvitur, ſerena mente contemplari; qua orbitæ gyratione ſalubriter edoctus eſt Seſoſtris Rex Ægypti, qui victor vicinorum, & imperium longè protenderat; atq; eo ſucceſſu in protervam elegantiam erectus, currum ſibi aureum pretioſis lapillis diſtinctum fieri fecit:

Ovid. lib. 2. Metam.

Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſumma
Curvatura rotæ; radiorum argenteus ordo.

In hoc cùm ſublimis ſederet, quatuor Reges devictos equorum vice ſubjungebat, qui jugo impoſito currum traherent. Hoc verò cùm ſæpiùs fieret, & celebri quodam, feſtoque die, *Regum iſtorum unus, capite reflexo* ROTAM CURRUS IDENTIDEM RESPICIEBAT, ET ROTÆ VOLUBILITATEM FIXO OBTUTU INTUERETUR, quid id rei ſit Seſoſtris rogat; ille liberè: *Intueor volumen hoc aſſiduum* ROTÆ, in qua viciſſim ima ſumma, & ſumma ima fiunt; quod exemplum capio, & applico noſtræ fortunæ. O bene? Potuiſſet addere, & tuæ, ô Seſoſtris; ſed Seſoſtris ipſe ſapuit, & ſtatim illos à jugo, ſe à faſtu liberavit. Sicque viciſſitudine & inconſtantiâ, rerum mundanarum perſpectâ, ſuſpecta illi eadem & deſpecta eſſe cœpit.

Habes hîc utriuſque orbitæ documentum, ne ſi elatus ſueris, inſolenter erigaris; ſi depreſſus, puſillanimiter dejiciaris. Quod ut fiat, & facias, occurrat illud Romani Philoſophi: *Quid eſt præcipuum? animus contra adverſa fortis & contumax*, blandienti fortunæ) *luxuriæ non adverſus tantùm; ſed infeſtus: qui ſciat* FORTUNAM *non expectare, ſed facere, & adverſus utramque intrepidus, inconfuſuſque prodire; nec illius tumultu, nec hujus fulgore percuſſus. Quid eſt præcipuum? erigere animum ſupra minas & promiſſa fortunæ. Quid eſt præcipuum? altos ſupra fortunam ſpiritus attollere.*

Seneca lib. 3 natur. quæſt. in præfat.

Quid eſt præcipuum in Chriſtiana Amazone noſtrâ Catharinâ? *Animus contra adverſa fortis & contumax*: juſſit eam tyrannus crudis "boum nervis crudeliſſimè cædi, & totum "corpus nive candidus dilaniari, quod ſuo ſan"guine largè purpuravit:

Cathar[ina] fort[is] cont[ra] adv[erſa] fo[rtunæ] *Ribaden. in vita*

Indum ſanguineo veluti violaverit OSTRO
Si quis EBUR: *vel miſta rubent ubi* LILIA *multa*
Alba ROSA.

Virg. lib. 1. Æn.

Hanc inter atrociſſimam lanienam, ut nôris quàm fortis virgini animus fuit, *Marpeſiæ cautis inſtar perduravit.*

Ad aulæ delicias, ad regias nuptias invitata, luxuriæ non adverſa tantùm, ſed & infeſta; utpote quam à teneris, ſpecioſus formâ præ filiis hominum, annulo digito inſerto, ſibi deſponſarat. *Sciret hæc* FORTUNAM *non expectare, ſed facere*; ut doceret & te, tuæ fortunæ fabrum eſſe poſſe, & adverſus utramque intrepidum, inconfuſumque prodire: dum tenera virguncula nec illius tumultu; nec hujus fulgore percuſſa fuit.

Hæc gentiles vel ſola morali, ac politicâ virtute nixi, fieri poſſe, re ipſâ comprobarunt, ut ſapienter Seneca philoſophatur, toto libro, quo oſtendit, in ſapientem (virum probum intelligit) non cadere injuriam: Sapiens, inquit, nihil perdere poteſt. omnia in ſe repoſuit, *nihil* FORTUNÆ *credit*; bona ſua in ſolido ha"bet,

Seneca in ſapientem non cadit injuria, cap. 5.

"bet, contentus virtute, *qua fortuitis non indi-* "*get*; ideoque nec augeri, nec minui potest: "eam in summum perducta, incrementi non "habent locum. NIHIL *eripit* FORTUNA, "*nisi quod dedit*; virtutem autem non dat; ideò "nec detrahit. Libera est, inviolabilis, im- "mota, inconcussa; sic contra casus indurata, "ut nec inclinari quidem, nedum vinci possit. *Adversus apparatum terribilium, rectos oculos tenet, nihil ex vultu mutat, sive illi dura, sive secunda ostentantur.*

Exempla gentilium, qui adversam fortunam æquanimiter tolerarunt. Seneca ib. Seneca lib. 3. natural. quæst. in præfat.

Sic Stilpon Philosophus adversâ fortunâ dexterè usus, omnibus exutus, nil se amisisse pronuntiavit; captâ enim Megarâ à Demetrio, interrogatus: *Num quid perdidisset? Nihil*, inquit, *omnia namque mecum sunt*, (ut & Bias naufragio ereptus, dictitavit,) *atqui & patrimonium ejus in prædam cesserat, & filias rapuerat hostis, & patriam.* At ille) *qui norat* FORTUNAM *non expectare, sed facere*) victor sui, & supra fortunam, *victoriam Demetrio excusit, & se urbe captâ non invictum tantùm, sed indemnem esse testatus est: habebat enim secum vera bona, in qua non est manus injectio* à fortuna.

Morale, ut adversam fortunam æquo animo ferat. Idem in sapient. non cadit injuria.

Quantò veriùs hæc in Christianum, fide, virtute, & gratiâ ornatum cadunt, ad animum contra omnem irruentem fortunam obfirmandum? Nam ut idem prosequitur: *Rarò sapienti (qualia verus Christianus) intervenit* FORTUNA. *Vis illam ex toto submovere? Domus hæc sapientis angusta, sine cultu, sine strepitu, sine apparatu, nullis observatur janitoribus*; SED PER HOC LIMEN VACUUM FORTUNA NON TRANSIT; SCIT NON ESSE ILLIC SIBI LOCUM, UBI SUI NIHIL EST.

Hæc tibi ocinæ, ubi paupertas quasi vit armatus æse iovaserit, ubi apparitor omnia proscripserit, vera bona, & æterna bona tecum esse, in quæ non est manus subjectio à fortuna.

A-Vvoyd. hist. Eccl.

Hæc sibi reposita nôrat virgo & virago Catharina, omnibus divitiis & mobilibus à tyranno spoliata.

Seneca epist. 104.

Pergit alibi adversus omnem fortunæ incursum mentem stabilire: *Si exemplum*, inquit, *desideratis, accipite Socratem per omnia jactatum; invictum tamen*, & paupertate, quam graviorem "illi domestica onera faciebant; & laboribus, "quos militares quoque pertulit, & quibus ille "domi exercitus: sive uxorem ejus spectes, "moribus feram, linguâ petulantem: sive li- "beros indociles, & matri quàm patri simillio- "res. Sic ferè in bello fuit, aut in tyrannide; aut in libertate, bellis ac tyrannia sæviore. *Post hæc, carcer & venenum.*

At quo animo, quâ fronte Socrates fortunam adeò adversam & ferream tulit? Hanc sibi placidam, imò antea Stoicâ virtute, & constantia reddidit: *Hæc usq; eò animum Socratis non moverunt, ut ne vultum quidem moverint. Non hilariorem quisquam, non tristiorem Socratem vidit*; ÆQUALIS FUIT IN TANTA INÆQUALITATE FORTUNÆ.

Pudeat Christianum, qui hæc audit, & legit, non æmulari; pudeat se à gentili non nisi vanâ peritura famæ gloriâ stimulato, ad æternam & immarcescibilem gloriæ coronam incitatum superari. Moveat Heroinæ nostræ, totque sanctarum Virginum exemplum, quæ æquales fuere in summa inæqualitate, & iniquitate fortunæ. *Vis alterum* (ab ethnico) *exemplum? Accipe M. Catonem, cum quo & infestius* FORTUNA *egit, & pertinacius. Cui cùm omnibus locis obstitisset, novissimè & in morte; ostendit virum fortem posse* INVITA FORTUNA VIVERE, INVITA MORI. Nemo mutatum Catonem, toties mutatâ Repub." vidit: eundem se in omni statu præstitit. Vi-" des posse homines labores pati? Per medias" Africæ solitudines pedes; duxit exercitum." Vides posse tolerare sitim? In collibus aren-" tibus, inopiam humoris loricatus tulit, &" quoties aquæ fuerat occasio, novissimus bi-" bit. Vides honorem & notam posse con-" temni? Eodem quo repulsus est die, in comi-" tio pilâ lusit. Vides tam mortem posse con-" temni, quàm exilium? ait se, si Cæsar vicerit," moriturum; si Pompejus, exulaturum. Quid" habebat, quod timeret, qui ea sibi & victo &" victori constituerat, quæ constituta esse ab" hostibus iratissimis poterant.

Seneca cit.

Quam varios, quàm turbidos, tristes, pallidos vultus quisque vestrûm duceret, si ea, quæ Catoni, obtigerent? Cæteri vos penitus hac adversæ fortunæ rorâ quereremini, in qua Gentilis infracto, imò erecto & læto animo stetit, ac te stare posse docuit.

Multum confert, adversa fortunæ præmeditari. Seneca lib. de consolat. ad Helvid. cap. 5.

Ad hoc conferet primò, omnia adversa, quæ eventura sunt, non à fortuna, seu fortuito casu, sed ab infallibili & amabili Dei providentiâ immitti, seriâ cogitatione præmeditari; quod à viris sapientibus traditum, Romanus Philosophus affirmavit: "*Illi me*, inquit, *jusserunt stare assiduè, velut in præsidio positum, & omnes conatus* FORTUNÆ, *& omnes impetus prospicere, multò antequam incurrant. Illa graviter ipsa* FORTUNA *est, quibus est repentina: facilè eam sustinere potest, qui semper exspectat: nam & hostium adventus eos prosternit; quos inopinatè occupavit. At, qui futuro se bello ante bellum paraverunt, compositi & aptati, primum, qui tumultuosissimus est, ictum facilè excipiunt.*

Tum pergit in eadem similitudine, etsi pax sit, bellum timendum, & blandienti fortunæ non fidendum: *Numquam ego* FORTUNÆ *credidi, etiamsi videretur pacem agere. Omnia illa, quæ in me indulgentissime conferebat, pecuniam, honores, gloriam, eo loco posui, unde posset ea sine motu meo repetere. Intervallum inter me, & illam posui. Itaque abstulit illa, non avulsit*, (quasi cum sensu) *neminem* ADVERSA FORTUNA COMMINUIT, *nisi quem secunda decepit.*

Quæ omnia & singula Christiano ruminanda, ut pecuniam & honores, & officia, non eo loco ponat, ubi ea assiduò asservare & clavibus obserare queat: sed unde possint sine motu, & commotione animi auferri. Intervallum magnum inter se, & non intra fortunam, sed divinam providentiam ponat. Sic fiet quod sequitur: *Ille qui se lætu rebus non inflavit, nec mutatis contraxit, adversus utrumque statum, invictum animum tenet.*

Hæc restaturæ quandoque fortunæ præmeditatio, egregiè ab eodem commendatur epist. 76. ubi de forti agit, quod *vana bonorum mentium*

Seneca epist. 76.

tium formidines, securus audit, & dicit FORTUNÆ:

Virg. lib. 6 Æn.

> - - - - *nonulla laborum,*
> *O virgo, nova mi facies, inopinave surgit:*
> OMNIA PRÆCEPI, *atque animo mecum ipse peregi.*

Tu hodie ista denuncias, ego semper denunciavi mihi, hominem paravi ad humana. Bellum mihi inter Reges denuncias, quo mercatura, villæ, prædia, oppida, urbes, rota patria conflagret, hæc jam pridem legi, præcogitavi, *denunciavi mihi.* Litem perditam, merces marihaustas, filium mortuum, &c. denuncias, *ego semper denunciavi mihi, hominem paravi ad humana.*

Sed quorsum hæc tam longè & prolixè petita ab Ethnicis documenta? ut plus, quàm à sanctis Patribus prolata suffragia, & à priscis anachoretis, & Ecclesiæ athletis allata exempla, Christianis animis confusionis ingenerent, ubi viderint illos naturæ viribus, & ductu rationis, omnia fortunæ tela prævidendo, potuisse excutere; quantò potentius se, Dei gratiâ adjutos, fide, spe, & charitate nixos, eadem posse retundere & ridere.

Camerar. oper. subcis. c. 12. Quæcitur de nobilitate hominis c. 15.

Ita Gilimer Vandalorum Rex jam victus & vinctus, unà cum conjuge, liberis, familiâ regiâ, à Joviniano Imperatore in triumphum ductus, non fractus adversæ fortunæ casibus, pleno cachinno in risum erupit; cumque eum circumstantes, ob doloris impatientiam mente motum existimarent, seriò hæc effatus est: *Rideo fortunæ vicissitudines,* & INSTABILEM ROTAM, *ut qui modò Rex fuerim, nunc serviam;* rursus, si fortuna volet, fiam de captivo liber, è servo Rex.

Seneca ep. 101.

Haud aliter, si animos habeamus, nobis ridendum in mobilitate, & varietate rerum humanarum: *At quomodo effugiemus hanc volutationem rotæ?) uno, si vita nostra promanebit, si in se colligetur; quidquid dierum rerumque venturum est, ex alto prospicit,* & CUM MULTO RISU, *feriem temporum cogitat. Quid enim varietas, mobilitasque casuum perturbabit, si certus sis adversus incerta?*

Qui jam prospera, postea adversa fortunæ rotâ volvuntur, & contra.

Alterum, & præcipuum ad æquanimitatem remedium est, rotam quæ hic in terra volvitur, in altera vita revolvendam: quique hic fortunæ pulli, prosperitate inflati, & elati, infelici Ixionis rotâ, ad inferna descendisse, æternis cruciatibus volvendos; illos verò, qui adversis exerciti, depressi, humiliati, rotâ Sanctorum sublevandos, & mirantibus sæculi filiis, *in subitatione, seu ut Holcot, & alii, in mutatione inspe-*

Sap. 5. v. 2

rata salutis, æternâ gloriâ exaltandos.

Vis scire, prosperæ fortunæ rotam, quos extulit, tam humanâ, quàm divinâ revolutione, ad ima depressos, & miserâ Ixionis rotâ involutos?

Hac involuti, & ex summo ad imum devoluti; Augustus, Pompejus, Cræsus, Belisarius, Sejanus.

Seneca lib. de tranq. animi, c. 11

De ejusmodi pulchrè de tranquillitate animi Philosophus: quæ sunt divitiæ, quas non egestas, & fames, & mendicitas à tergo sequatur? Quæ dignitas, cujus non prætextam, & augurale, & lota patricia, sordes comitentur & exportatio, & mille maculæ, & extrem[a] contemptio? *Quod regnum est, cui non parata ruina, & proculcatio, & Dominus, & carnifex.* Ut autem hanc revolutionem non imaginariam arbitreris, confirmat exemplis: *Nec magnis ista intervallis divisa, sed hora momentum interest inter solium, & aliena genua. Scito ergò omnem conditionem versatilem esse, & quidquid in ullum incurrit* (versâ rotâ) *posse in te quoque incurrere.* Locuples es? Numquid ditior Pompejo? Cui eùm vetus cognatus, hospes novus, aperuisset Cæsaris domum, ut suam clauderet, defuit panis & aqua. Cum tot flumina possideret in suo orientia, & in suo cadentia, mendicavit stillicidia: fame, ac siti periit in palatio cognati, dum illi hæres publicum funus esurienti locat. Honoribus summis functus es? Numquid aut tam magnis, aut tam insperatis, aut tam universis, ut Sejanus? Quo die illum Senatus deduxerat, populus in frusta divisit. In quem quidquid congeri poterat, Dii, hominesque contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret. Ac tandem post multa concludit: *In tanta rerum sursum, ac deorsum euntium versatione, si non quidquid fieri potest, pro futuro habes, das in te vires rebus adversis, quas infregit, quisquis prior vidit.*

Et ne antiquos duntaxat, in hac versatili scena ex alto ad imum devolutos spectemus, recentiora omni in regno spectacula vidimus: Lermæum, Lunam in Hispania: Essexium, Volsæum, Bironium, in Anglia: Ancræum, Guisium, in Gallia; quos omnes fortuna in altum extulit, ut graviori lapsu ruerent. Seriò lusit Poëta:

> *Pax nulla solli, nulla potentibus;*
> *Pompejus, orbis cui fuerat pila,*
> *Hic fortis est pila: in duello*
> *Carnifici data præda ferro.*
> *Vento replevit gloria Cæsarem;*
> *Cæsar replevit sanguine curiam,*
> *Quot bellicis notus trophæis,*
> *Tot celeber Marius ruinis.*
> FORTUNA *Crassum turgida prodidit,*
> *Victorque Cræsi Cyrus, & ultimis*
> *Formido, deinde risûs oris,*
> *Fœmineas satiavit iras.*

Sed quid humana profeto, ubi divina æternæ providentiæ, in Amano, Manasse, Nabuchodonosore, Balthasare, aliisque innumeris, exempla ad manum sunt? Quos ut præteream, unus ad propositum meum satis est, dives, & purpuratus epulo, de quo è cælo pronuntiatum est: *Recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur; tu verò cruciaris.* Causa non allegatur, quod scortator, alienorum invasor, fur, aut homicida extiterit; sed quod prosperâ fortunâ usus, *purpurâ, & bysso indueretur, & epulabatur quotidie splendidè:* & sic sepultus in inferno, Ixionis rotâ volvitur, & volvetur in omne volubilis ævum.

Lucæ 16. v. 25

O volubilem humanæ prosperitatis rotam! ô inversam divitis epulonis, & diversam ulce-

rosi

rosi pauperis fortunam! de qua aureo sermone Ravennatum Antistes Chrysologus: *Modò inhumani divitis, & Lazari pauperis stupendas vices, pavendas successiones, conditiones admodum lamentandas, in medium producere gestimus.* Et alibi attendens, quomodo hic in versâ rotâ ex summo ad ima, Lazarus verò ex imò ad summa elatus sit, exclamat: IMMUTATIO QUANTA RERUM! *Quò descendit dives? Quò pauper ascendit? Respicit ibi sursum, quem despexerat hic deorsum.*

Chrysolog. ser. 66. *Idem ser. 124.*

In eundem sensum aureo ore Chrysostomus hom. 1. de divite & Lazaro: *In inferno elevans oculos: Lazarus enim sursum erat; ille deorsum* (immutatio quanta!) *Elevavit oculos, ut illum suspiceret, non ut despiceret: totus in tormentis, oculos solos liberos habebat, ut alterius lætitiam posset aspicere; & magis torqueretur.* Tum ut revolutionem intelligas, subdit: *Cum esset in tormentis: non dixit in tormento, sed in tormentis; divitiæ, & avaritia, talia præmia accipiunt.*

Chrysost. hom. 1. de divite & Lazaro.

Unica horum omnium cruciatuum causa affertur: *Quia recepisti bona in vita tua*; undè concludunt sancti Patres, neminem in hoc sæculo felicem esse posse, & in futuro: duos cælos habere, & de deliciis ad delicias transire: *Recepisti bona tua: non potes in terra regnasse, & hic regnare in cælo.* Luculenter argumentum hoc pertractat Divus Hieronymus: *Difficilè, inquit, imò impossibile est, ut & præsentibus quis, & futuris fruatur bonis: ut & hic ventrem, & ibi mentem repleat: ut & deliciis transeat ad delicias: ut in utroque sæculo primus sit: ut & in cælo, & in terra appareat gloriosus.*

Nemo potest hic in vita deliciis affluere, & in altera. *Chrysost. ca.* *Hieron. epist. 34. ad Iulian. in fine.*

Confirmat eandem doctrinam Hugo Cardinalis: *Ecce qui fuit in deliciis temporaliter, nunc est in pœna æternaliter.* Quod insigni typo è sacris paginis petito illustrat: *Hæc mutatio*, inquit, *miro modo figurata est. Gen. 48.* Ubi dicitur, "quod Jacob manum dexteram posuit super "minorem filium Joseph, qui erat ad sinistram "suam; & econversò manum sinistram posuit "supra majorem filiū, qui erat ad dexteram suā. "Per dexteram in Scriptura significatur pro"speritas; per sinistram verò adversitas. *Et certè, qui sunt hîc in adversitate propter* Deum, *erunt in futuro in prosperitate. Et econverso, qui sunt hic in prosperitate, erunt in futuro in adversitate.* Omnes mundi amatores, & fortunæ sectatores, aut avaritiâ inflati, aut luxuriâ inflammati, aut superbiâ elati, hoc vitæ curriculo devoluti, Ixionis rotæ alligandi, & rotandi sunt. Dicetes eos ab infido mundo, à vafro cacodæmone deludi, sicut ab Heliogabalo Parasiti; de ipso enim hæc habet Lampridius in ejus vita: *Parasitos ad* ROTAM AQUARIAM LIGABAT, *& cum vertigine in summum volvebat: rursusque sub aquas mittebat, eosque* IXIONIOS *amicos vocavit*; sic illos ludebat Imperator; sic quoque mundus suos amatores, fortunæ rotæ innexos, & vitæ hujus præsentis amore captos.

Hugo Car. in Luc. *Lamprid.*

Non commentitia, aut fictitia hæc Ixionis rota; dies, menses, anni, & sæcula volvuntur, quibus amatores mundi, qui hîc in deliciis fuêre, hâc rotâ in suppliciis æternis volventur; non fallit, qui dixit: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

[A]pocal. 18 [.]7.

Ex quibus manifestum est, non tam invidendum (ut passim fit) sed potius condolendum, dum via impiorum prosperatur, & omnia è voto, & secundo fortunæ favonio fluunt, cùm tales æternis miseriis destinentur: *Nam*, ut gravissimè Augustinus, *qui hic consolantur, indigni tuâ consolatione* (Domine) *habentur. Sed qui hic cruciantur, à te consolantur: & qui participant passionibus, participant & consolationibus.* Causam subdit: *Nemo enim potest in utroque sæculo consolari: nec potest quis hic, & in futuro gaudere; sed unum necesse est ut perdat, qui alterum voluerit possidere.*

August. soliloq. c. 21.

Quod, quid miri, homines mundanos vertigine fortunæ, mente emotos non considerare? De his enim Sapiens: *Inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum*; seu ut Lyranus: *Pervertit judicium rationis.* Cornelius hic ex Græco vertit: agitatio, turbo, vertigo, gyratio, circumrotatio. *Hæc igitur rotatio concupiscentiæ, instar* "*turbinis*, HOMINEM IN ORBEM GYRAT, ET ROTAT; nec videt miser in quot præcipitium devolvatur. Audiat, quid moneat sanctus Nilus: *Vide* ROTAM *vitæ sine ordine* ROTATAM; *cave verò foveam, in quam devolvit.*

Sap. 4. 12. Lyran. Cornel. hic *S. Nilus in paræn.*

Spectastis hactenus prosperâ & aureâ fortunæ rotâ elatos, ad inferos devolutos, & Ixionis rotâ cum epulone in æternum volvendos, non alia de causa, nisi *quia receperunt bona in vita sua.*

Nunc videamus, qui hic adversa fortunæ rota, seu ut Christianè loquamur, arcana divinæ providentiæ dispositione, cum Lazaro, cum Heroina nostra Catharina, totque invictis Christi militibus, & Amazonibus, dirè rotati, *mala receperunt*, quomodo *in subitatione*, seu ut Holcot, & alii, *in mutatione insperatæ salutis*, ad superna gaudia, & divinos honores sublimati sunt.

Qui hic adversa, postea prosperâ fortunæ rota volvuntur. *Sap. 5. v. 2.*

Exemplum, de quo agimus, Chrysostomus in Lazaro proponit: *Vidistis illum*, inquit, *in vestibulo divitis; videte eundem hodie in sinu Abrahæ. Vidistis illum cum à canibus circumlingeretur; videte eundem ab Angelis stipatum. Vidistis illum in paupertate; videte nunc eundem in divitiis. Vidistis illum in fame, videte in multa rerum affluentia. Vidistis illum certantem, videte coronatum.*

S. Chrysost. hom. 3. de divite & Lazaro.

Libet hic iterum exclamare: *Immutatio quanta rerum! Quò descendit dives? Quò pauper ascendit: Respicit ibi sursum, quem despexerat hic deorsum.* O sortem disparem! ô variam, volubilemque fortunam! Ita omnes Sancti, & fortes Christi Athletæ, hic ferreâ adversitatis rotâ exagitati, auream fortunam consecuti sunt.

Chrysolog. serm. 124.

Omnium instar Catharina est, quæ *ingeniosam in tormenta* ROTAM, *velut melior* FORTUNA *calcavit*; omnia quæ illi aspera, & adversa intentata, properè ceciderunt. Virgo captiva, cum quinquagenis Philosophis committitur, & fassi sunt tot viri à virgine se victos, & in flammas abjecti, manus Deo, & palmam Catharinæ dederunt. Densas retri carceris tenebras, Christus lux vera dissipavit:

Fasti Mariani 21. Novemb.

vulnera per immanes cruciatus inflicta, cælestis medicus sanavit: negatum undecim ipsos dies cibum potumque, pincerna divinus suppeditavit. Quæ carnificis manu cecidit, vespillones Angelos habere meruit; quæque mortalem sponsum contempsit, in cælestis thalamum gloriosa ascendit. Pot uit hæc fortissima virago, quæ *Secunda* Virgo & Martyr ad tyrannum verba usurpare, & vertendam fortunæ rotam declarare: *Applica ignes, saxa, gladios, flagella, & fustes; quot tu pœnas intuleris, tot ego gloriæ numerabo; quot tu violentias irrogaris, tot ego martyrii computo palmas.*

S. Aldelm.

Hæc & majora jactare poterat *Catharina*, cui omnibus venis toto corpore expressus sanguis pro purpura fuit; & pro curru triumphali, illa machina rotarum acutis uncis, & ferreis stillis horrida, in martyrii transivit triumphum, ut olim martyres apud Tertullianum decantant: *Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus.*

Tertull. in apolog. c. 50.

Virgines & matronæ, Catharinæ cognomines, quæ per adversa, cælum intrarunt

Tali curru triumphali, pressâ sub pedibus tyrannorum rotâ, catastâ, equuleo, rogo, summi Imperatoris aulam ingressa sunt tot laureata virginum agmina, è quibus ne in immensum excurram, suffecerit aliquot cognomines *Catharinas*, quæ hic mala recepetunt, & versa fortunæ rota, non in sinum Abrahæ duntaxat, sed in thalamum cælestis Regis, & thronum gloriæ sublatæ sunt.

1 Catharina Persica. Supplement. chalcondila. Lyrans Chr. Patiens pag. 571.

Primam ex ultimis finibus induco. Anno 1617. in Perside ad Religionem orthodoxam conversa princeps Matrona, quæ in Baptismo *Catharinæ* nomen suscepit. Rex Persarum homo ferox & barbarus re intellectâ, ut erum exsectionem minatur, ni ad idola redeat: sed illa in fide stabilis, & Omnipotenti nixa, facilè tulit eam jacturam, guata Ecclesiæ sobolem, non tam lacte maternum, quàm sanguine Martyrum ali. Tum lentis ignibus eliquandam carnifici tradit; quæ inter extremæ feritatis tormenta, dum adeps & sanguis difflueret, tantâ cælestis consolationis & divini toris dulcedine perfunditur, ut exclamarit *Catharina*: JESU BONE! *quam levi pretio æterna vita gazas divendis!* quàm momentaneum & leve tribulationis tormentum, æternum gloriæ pondus operatur!

Valer. Max lib. 3. c. 2.

Dixerint olim Gentiles, & illustre illud acroama Catoni acclamatint: *De fortissimis ejus vulneribus plus gloria profluxisse, quàm sanguinis*; potiori jure hoc de iis prædicàro, qui pro Deo, pro fide, pro virginitate per rotas, & rogos, suum sanguinem fuderunt; quorum *instrumenta supplicii, in honorem transierunt.* Sic quæ hic ferrea, in altero orbe vertitur aurea fortunæ rota. - Malesana Romanorum consilia, de quibus Spartianus: *Aurea fortuna in cubiculo Imperatorum servabatur.* Ita Antonius Pius moriens, *auream fortunam ad M. Antoninum filium transferre jussit*; quam nec hic diu servavit; sed & moriens ferream invenit. Auream sibi stabilem in cælis altera *Catharina* cudit Ferdinandi & Isabellæ Reg. Hispaniæ filia, Arturo, Henrici VII. Anglorum Regis filio, decimo quinto ætatis anno vix expleto nupta; at subitò omnis

S. Leo ser. de S. Laurent.

Spartian. Capitolin.

2. Catharina Regina Angliæ. Florimond Remond. de ortu hæres. l. 6. cap 1.

luxus in luctum, & thalamus in tum[...] versa sunt: Arturus enim post quintum mensem morbo confectus, Catharinam viduam [...] quit. Rectè Euripides, loquens de mixtura boni & mali, & continua rerum humanarum revolutione sic ait:

Rebus in humanis nulla est constantia certa.
Vna dies versat sursum infima, summa deorsum.

Non multò post obitum Arturi, dispensat Julius II. Pontif. in matrimonio cum Henrico VIII. Arturi fratre, duodecimum ætatis annum tum agenti, contrahendo. Initis sponsalibus, non aliud quàm nuptiarum tempus atque festivitas expectabatur. Sed inquit Florimondus, *ut perpetuò versatur instabilis rerum humanarum* ROTA, *deprimens quæ fuerant sublimia, eandemque horam uni natalem, alteri fatalem faciens*, dum præparatur pompa nuptialis, evenit ut cogitandum fuerit de pompis funebribus: Isabella enim, *Infantis Catharinæ* mater in Hispania, subque idem tempus Henricus VII. In Anglia diem suum obierunt.

Hinc omnia in isto regno retro reverti, & *Catharina* adversâ fortunæ rotâ excruciari cœpit: regno & thalamo expulsa, Annam Bolenam infame scortum vidit sibi substitui [...] sima Regina omni virtute, prudentia, & Religionis studio ornatissima; quæ aulæ delicias & pompam aversata, sæpenumerò sacrarum Virginum claustro inclusa, tantâ consolatione inter ipsas versabatur, ut extremum vale videretur dixisse vanitatibus mundi. Media nocte surgebat, ut nocturnis Religiosorum precibus interesset. Mane hora quinta ornabat se, ornatu non Regio, sed quàm poterat simplicissimo, dictitans, animam cùm melior nostri pars sit, majore quoque studio exornandam esse quàm corpus. Omnibus feriis sextis & sabbathis jejunabat: omnibus B. Mariæ vigiliis solo pane & aqua vivebat: quarta & sexta feriis, peccata Sacerdoti confitebatur: Dominicis etiam sumebat Eucharistiam. Officium B. Virginis quotidie recitabat: sex horis continuis mane in templo sacris officiis vacabat: insuper Sanctorum vitas, ancillis etiam adstantibus, ad duas propè horas prælegebat: inde templum repetens, ibi manebat, donec tenebræ discedere eam cogerent.

Florimond. cit.

Tantis igitur gratiis collustrata, omnibus exemplo vitam angelicam & plane divinam in terris agebat. Hoc unum, inquit auctor, restabat, ut vehementi aliquo igne tribulationis probaretur, & adversæ fortunæ rota agitaretur. Quâ subitò involuta est, dum Rex in reprobum sensum datus, homo [...] gus, & tyrannus, cujus moribus nih[...] tius, incestas nuptias cum Anna Bol[...] traxit, *Catharinâ* repudiatâ.

Accepto de novis nuptiis nuncio, Serenissima Regina, relicto Regis palatio, in villam parvâ familiâ comitata secessit, ibique orationibus, jejuniis, aliisque sanctis exercitiis [...] cabat.

Longum esset enarrare miserias, adv[...]

tes, quibus hæc sanctissima Matrona conflictata fuit: affligebat eam omnibus horis lupa illa, quæ thalamum ejus polluerat. Persequebatur eam maritus, ejusque nequissimi Ministri, Joannem Forestum Franciscanum, virum Apostolicum, unicum Reginæ solatium & perfugium audivit ad catastam & equuleum vocari. Mitto cætera. Inter hæc omnia, REGINÆ
Florimond CATHARINÆ *constantia, nullis fortunæ impetu labefactari potuit*; sciens per adversam hanc, auream sibi cudi in cælis.

Obiit *Catharina* anno Christi 1535, non sine veneni suspicione. Murre nunciatâ, Anna Bolena in signum lætitiæ, flavi coloris ornamentis se, suasque ancillas vestiri curavit; quamvis dolere se diceret, quod tam placido mortis genere *Catharina* obiisset, quodque non plus molestiarum ei à se fuisset exhibitum; quam in furcam & rotam agere meditabatur; sed *Catharina*, cum Virgine & Martyre nostra *Catharinâ* in rotam Sanctorum; Bolena cum sacrilega illa *Catharinâ de Bore*, Lutheri pellice, ad Ixionis rotam, in æternum rotandam, devoluta est. Sic rota vertitur, cujus revolutionem & Scripturis probatam, & sanctorum Patrum testimoniis firmatam, & omnium Cælitum exemplis roboratam, omnes amici Dei, qui manserunt cum eo in tribulatione, & omnes sponsæ Christi, quibus disposuit regnum suum, spectârunt, & amârunt.

V Fabri Festo S. Catharina.

Non omnibus licuit esse tam beatis, utiis, quemadmodum *Catharinæ, Virgini & Martyri*, totæ pararetur; at plures, ut cum Bernardo loquar, voluntarium martyrium per carnis afflictionem subierunt, *horrore quidem mitius; sed diuturnitate molestius*.

Bern. serm. 1. de omnibus SS.

3 Catharina Senensis.

Talis extitit *Catharina Senensis*, cui à cælesti sponso corona aurea, & altera spinea oblata, hanc prælegit, sciens per hanc, ad auream & lauream, sibi viam sterni; hinc & urticis & flagellis corpusculum cruentare: quid, quod magno teste Raymundo ejus Confessario, omne tormenti genus, quod Christus in cruce pertulit, perpessa sit; quibus adeò atrocibus effectum, ut per temporis intervallum omninò jacuerit extincta, ac post aliquot horas denuò in vitam redierit: perspectum portò habebat illud Lucæ: *nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* quasi nulla nobis, nisi per adversa, ad Fortunatas insulas via pateret.

Raymund. in vita. Mancinus de passione pag. 410.

Luca 24.

Philip. Guid in vita.

4. Catharina Riccia.

Ejusdem argumenti est, quod de *Catharina Riccia* pientissima virgine refert ejus vitæ Auctor: apparuisse ei Deiparam Virginem, obtulisseque tres coronas, auream, argenteam, & spineam, ut ex his, quam sibi veller, deligeret; delegisse autem argenteam, quod auream speraret se in cælo recepturam. Sed monitam mox à Dei Matre: quid ageret? Hæcne ejus esset erga Filium suum fides? Hic affectus, atque imitationis amor? His monitis confusam Catharinam, ocius rejectâ argenteâ coronâ, spineam poposcisse, amplexam & osculatam fuisse. Exinde studuit sanguinolenta Redemptoris vestigia sectari, adeò ut cælesti defixa raptu, in singulas hebdomadas per horas duas & triginta, ab octava decima feriæ quintæ ad

Guidus in vita.

vigesimam secundam sequentis diei attonita, cæteroqui immota, ardenti imitatione exprimeret totidem patientis & morientis Christi mysteria, ordine & tempore singulorum cruciatuum servato.

Huic per omnia similis *B. Catharina Raconisia*, quæ patienti desiderio pro dilecto accensa, periit acerbissimorum ejus dolorum particeps fieri; cùm ei Dominus cruciatus coronæ spineæ impertitus est, circulo capiti impresso, cui digitus inseri potuerit, nutis sanguineis subinde apparentibus dolore acutissimo, ut oculatus testis Picus Mirandula scribit. Norant hæ Christi sponsæ, quod *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum*. Hoc ipsum *Catharina* cælitus edocta: nam festo exaltationis S. Crucis, Christus duobus Angelis stipatus, crucem humeris Catharinæ imposuit, dicens: hæc mea crux, filia, numquam te deseret, quamdiu vixeris; molesta sub initium videtur, sed *in fine gloriosa fiet*. Acceptavit illam, & humero impositam gestare cœpit, tanto cum dolore, ut vix homo eloqui possit.

Picus Mirandula. 5. Catharina Raconisia.

Actor. 14. v. 21.

His accensenda Ven. *Catharina de Iesu*, Carmelitana, quæ anno 1623. Burdigalæ in cælum abiit; sed Christo priùs compassa cum eo regnare meruit; noctem porrò ante Parasceven vigilando traducere solita, expanso super crucem corpore, tantoque patiendi, pro Christo ardore ferebatur, ut dum ab aliis moneretur, ne fortè excederet, responderit: *quomodo? Ergone pœna est pati pro dilecto: Non est pœna, sed voluptas: locus enim ubi Christus invenitur crucifixus, vita mea est*; illo nempe Pauli pœnas solabatur: *Si sustinebimus, & conregnabimus.*

6. Catharina de Iesu. Lyraus. Christus patiens p. 107. Pag. 387.

2. Timoth. 2. v. 12.

Hoc motivo *B. Catharina Bononiensis*, omnibus fortunæ bonis spretis, claustro inclusa, Christo confixa, & ab eo edocta est, uon dies transiret, quo cruciatuum ejus non recordaretur, & conformaretur. De qua mira & stupenda vitæ Auctor.

7 Catharina Bononiensis.

Infinitus essem, si ea adduxero, quæ B. *Catharina Genuensis* in se cruciamenta exercuit. Hæc etiamnum puellula, Christi patientis effigiem, crucem & clavos cordi apprimens, in se expressit. Quo in genere rara & præclara extant in actis.

7. Catharina Genuensis.

De his omnibus verissimè prædicatur: *vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus, in afflictionibus, mortificationibus, orationibus & jejuniis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.*

Luc 22. v. 16.

Has, tot illustres juvenes, & puellæ secutæ sunt, non aliâ spe, quàm rotam aliquando in altero sæculo volvendam; quæ revolutio ni fieret, insani essent omnes amici Dei, & Christi sponsæ, qui hic ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, quibus dignus non erat mundus.*

Ad Heb. 11 v. 37.

Infanæ & miserabiliores omnibus hominibus tot factæ Virgines, voluntario carceri inclusæ, vivæ sepultæ, *semper mortificationem Iesu in suo corpore circumferentes.*

2. Cor. 4. v. 10.

9 Catharina de Santoval.

Quid memorem illust. viri Sanchii Roderici, Comitis de Santoval filiam *Catharinam* nomine? Hæc etiamnum adoleſcentola dum inter nuptiarum medicamenta in Christi Domini è cruce pendeoris effigiem oculos fortè cunjeciſſet, jam certa eum ſponſum ſequi, virginitatem ſuam illi voto mancipavit; novoque ardore mentis elata, Martyrum rotas, rogoſque exoptavit. Audita eſt, & martyrium *horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius* excepit. Decem & ſeptem ſolidos annos lectulo ferè perpetuò affixa, torquentibus veluti in equuleo morborum acutiſſimis doloribus, lætabunda tranſegit. Laborabat febri hectica, continua phthiſi, carbunculis, morbo articulari, hydrope, iſchiade, cardiacâ, hepatis calore tam vehementi, ut interulæ ignem concipere viderentur. Et ne minor à medicis virtus occaſio daretur, quinquagies, quod ratior audivit ætas, ſectâ venâ ſanguinem miſit, nec tamen patientiam amiſit: ſæpius cucurbitulis exhauſta eſt, indito etiam ſale, quod medicus neſcio quis diceret, plurimum conducere venitis humoribus evocandis: ſæpius cauterio inuſta, bis ad ſupremam luctam inuncta eſt; animo ad hæc omnia adeò tranquillo, & patiendi avido, ut ferri, ignisque, eùm ſecanda erat aut urenda, moram increparet, atque ſupra adverſam fortunæ rotam conſiſtere cenſeretur.

Bern. ſer. 1. de omnibus SS.

Ribera in vita S. Thereſæ. l. 3. cap. 3.

Si vobis ea fides non eſt tot Scripturæ teſtimoniis comprobata, per multas tribulationes nos oportere intrare in regnum cælorum. Si is animus non eſt, ut per corporis afflictationes ſpontaneè ſuſceptas, auream vobis in cælo fortunam cudatis; ſaltem dum à ſuavi Dei providentia, paupertas, infamia, jactura liberorum, morborum agmina, & quidquid mortales adverſam fortunam ducunt, immittuntur, occurrat rotam volvendam, & quia *recepiſti mala in vita tua*, animam ab Angelis in ſinum Abrahæ deportandam.

10. Catharina à S. Auguſtino.

Parum hoc videbatur excelſæ menti, *Catharinæ à S. Auguſtino* Sanctimoniali, ut ſola è lecto cælum ſcanderet, niſi etiam ex campo plures ſecum in comitatu animas traheret, & tam felici fortuna, cum vitæ ſuæ diſpendio per rotas, & rogos bearet, mundò ad gentem convulſam & dilaceratam, populum terribilem, è Galliis properate contingeret.

Anno ſiquidem 1548. ex nova Francia, quæ extiterat theatrum crudelitatis, & palæſtra Martyrum, quorum ſanguis eſt ſemen Christianorum, creſcente Neophytorum numero, à Rege Galliarum auxiliares Apoſtolicorum virorum copiæ, imò & à tribus Sanctimonialibus hoſpitalariis petitæ ſunt. Exarſit hîc zelus in *Catharina*, ut ægris illic corporibus & mentibus mederetur, & ſic fortè martyrii palmam, quam ſperabat, & ſpirabat, conſequeretur. Piis votis, & virilibus auſis annuit, in quo degebat, Bajocenſe cœnobium; ſed adverſarium ſanè gravem, patrem experta eſt, qui ut erat vir opulentus & magnæ auctoritatis, libello ejus ſuplici Senatus Rhotomagenſis facilè ſubſcripſit, edixitque ne filia per tot pericula è Galliis diſcederet. Ita dilata res, noo diminutus ardor juvenculæ. Et ut *non eſt conſilium contra Dominum*, parentis mentem inflexit, quod maximè deterrere poterat: ubi enim in relatione Gallicâ legerat, quantâ excelſitate animi Iſaacus Joguesius pro fide flammas toleraſſet, ſapienter interpretatus, robur illud à Deo, non à natura extitiſſe, non modò aſſenſus eſt, ut pergeret filia, quò tantopere concupierat, ſed etiam comitem ſororem, ejuſdem cœnobii alumnam jungendam cenſuit, ut altera alteri adjumento eſſet. Sic per mille diſcrimina itur ad palmas, quarum Nova Francia ferax eſt.

P. Fran. Creuxius hiſt. Canada, ſeu Novæ-Franciæ pag. 503.

Prov. 21.

Non eſt quod conjugatæ hæc à ſe aliena, atque hæc jam à me relata ad Christi ſponſas & Sanctimoniales ſpectare autument; ſeque extra adverſæ fortunæ orbitam eſſe exſtiment. Hâc viâ, non per roſas, ſed per ſpinas incedendum illuſtres matronæ docuere, & exemplo prævere, ut in Catharina Perſica, & Anglicana vidimus.

Etiam matronis per ſpinas ad cælum ſcandendum.

11. Catharina Sueca.

Admirationi, ſi non imitationi vobis ſit *S. Catharina Sueca*, Divæ Brigittæ filia, quæ viro nupta, dotem virginitatis attulit, & arrham virginitatem viciſſim ab illo accepit; atque ut etiam tuta in thalamo dormiret, humi hunc ſtravit, vilibuſque pannis, licet è principe familia eſſet, involvit, ſciens neminem è deliciis ad delicias tranſire, & ſine plumis ocyùs mentem in cælum evolare; quo jam pridem ſibi viam per ardua præparârat, per ſingulos dies, quatuor horis ingeniculata, myſteria Paſſionis Christi ruminando, ejuſque veſtigia ſectando.

Surius 22. Martii.

Barry l. annee ſaincte part. 1.

12. Catharina Fernãdia.

Ab hac ſemita non deflexit *Catharina Fernandia*, Priegi Dynaſtæ juncta, quæ magna cum pompa deducentium clientum, aureaque in veſte prodibat; at veſtis licet auro rigens, atque intuentium oculis jucundiſſimè collucens, aſperrimis ſetis, multoque ſubſuta carduo, illam excrucians, & oculos fallebat, & virtutem tegebat, quod à Magiſto Joaone Avila didicerat Catharina.

P. Ioan. Rhovaria virt. hiſt. lib. 7. c. 5. n. 18.

Terreat vos, quæ laſcivitis in ſtratis eburneis, & purpurâ ac byſſo molliter induimini, ne audiatis illud, quod ille: *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum*; nam ut ſupra ex Hieronymo retulimus: *Impoſſibile eſt, ut & præſentibus quis, & futuris fruatur bonis: ut & de deliciis tranſeat ad delicias.*

Apocal. 18. v. 7.

S. Hieron. epiſt. 34. ad Iulian. in fine.

Catharina Regina Franciæ.

Adverſam fortunæ rotam experta Christianiſſima Francorum Regina, *Catharina Medicæa*, quæ poſtquam maritus Henricus II. in ludicro certamine, haſtâ læſus ſuccubuiſſet, pro ſymbolica teſſera ſibi lanceam aſſumpſit, cui ſubſcriptam hanc voluit epigraphen: *Hinc dolor, hinc lacryma.* Piè in Regium conjugem.

13 Catharina de Herrera

At in Regem gloriæ, ſpinis coronatum, lanceâ percuſſum, *B. Catharina de Herrera*, illuſtris Domina Toletana, longè potentius ferri viſa eſt; utpotè quæ per omnem vitam ſine ſuſpiriis & ſingultibus de ea cogitare non poterat. Hinc ſeſe Christi Patientis memoria, ad infima & viliſſima quæque abjicere: in noſocomiis, quæ indies propè adibat, eos primùm conveniebat, quos maximè morbidos, fœtidos, & ab omnibus deſtitutos cernebat, eorum ulcera mundabat, obligabat. Decen-

P. Ioan. à S. Maria in hiſt. Ord S. Dominici.

Barry. l. annee ſaincte p. 3. cap. 5. pract. 2.

nio toto propriis ædibus, marito annuente, pauperculam ægram excepit,fovit, propriis manibus ministravit.Nec hic stetit: etsi summo animi sensu mortem mariti luxisset,jamque om nia in solatium animæ, & exequias celebrandas disposuisset; eodem die, funere nondùm elato,ad templum se contulit, ubi animum sacra exhomologesi expiavit, & divino epulo refecit;inde frena lacrymis & pietati laxans,mundo valere jusso,votum castitatis,Virginum Sponso dixit,auspiciumque vitæ planæ sanctæ addixit,& duxit.

Denique si fortunæ bona in tuto collucare, ubi nullus adversus turbo decutiat, iisque vobis cælum,& æternas divitias mercari velitis, *Serenissimam C. arii:am Lusitaniæ Reginam* æmulamini,cui ab Indis,soccorum & crepidarum nomine, quadringentorum annuè vectigal pendebatur. Scripserat ad Catharinam Xaverius:non alios fore soccos, aut crepidas aptiores, quibus ipsa cælum scanderet,quàm pueros Christianorum Oræ Piscariæ, eorumque institutores; quare orare se, ut soccorum, crepidarumque suarum vectigal, ad auream viam in cælum sternendam,præceptoribus attribueret, lætam aliquando illam fore hac versura.Illa ut erat fœmina insigni Religione,totam rem valdè probavit, suumque illud tributum in dictos pios usus, Neophytorum magistris volens ac lubens transcripsit.

14. Catharina Regina Lusitaniæ *Inst. Societ. part. 1. lib. 4. n. 65.*

Dixerit olim & verè Bilbilensis Poëta:


EXTRA FORTUNAM EST, *quidquid donatur egenis;*
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Martial. lib. 5 epig. 43.

Dicam ego, quidquid Christo in pauperibus elargitus fueris,*extra fortunam est*, in thesauros æternos repositum invenies. Scitè Augustinus: *Ponunt pueri in thesaurario* (spaer-pot) *& securi sunt; tu ponis in manu Christi, times?* Securus esto,nulla temporum iniquita nulla hostium rapina,nulla patriæ ruina,nulla adversa fortuna eripiet.

August. in psal. 48.

Hactenùs *Catharinas* sanctimoniâ, & virtutum gloriâ conspicuas, cum adversa fortuna luctantes,supra rotas,rogos,acinaces stantes; inter corporis afflictationes,& morbos lætantes: divitias,delicias,mundumque universum calcantes spectastis; nunc versâ fortunæ rotâ in æternum triumphantes; harum gloriæ participes eritis,si socii passionis fueritis.



FESTUM
30 Novemb.
SANCTI ANDREÆ
APOSTOLI.

Faciam vos fieri PISCATORES *hominum.* Matth. 4. v. 19.



Captat arundine pisces. Ovid. 8. Metam.

ARGVMENTVM.

STudium piscandi nemo vile, futile, aut inutile duxerit, quod summi Imperatores sectati, eoque oblectati sunt; at quod illud maximè commendat, est, Christum Redemptorem nostrum se piscatorem exhibuisse, atque inter discipulos, Andream primò piscatum fuisse, eumque non ad piscium, nec margaritarum, sed animarum, quâ nulla præstantior, piscationem delegisse. Ad quas capiendas, duo, quæ Apostolicos viros concernunt, spectanda sunt: ut reti in populum Verbi Dei jacto, quod Concionatores spectat; vel arundine, quod Confessariorum est, ex amaro hujus sæculi mari, & cœno vitiorum, in lucem gratiæ eas extrahere nitantur. His patientia necessaria est, lenitas & longanimitas, quam Christus Sacerdos summus, & Pontifex Maximus, erga peccatores demonstravit; contra ac severi Aristarchi, & Rhadamanthi, qui vel asperioribus verbis, vel atrocibus pœnitentiis, thronum gratiæ reddunt catastam & carnificinam sævitiæ; quorum fallaciæ & imposturæ, exemplo Christi, doctrinâ Patrum ac Theologorum, atque sanctissimorum virorum praxi refutantur. Tandem quæ, quantaque reverentia & observantia hisce animarum Piscatoribus exhibenda sit, demonstratur.

§. I. *Faciam vos fieri* PISCATORES *hominum.* Matth. 4. v. 19.
§. II. *Confessarius piscatoriâ virgâ non percutiat; sed audiat suos* IN OMNI PATIENTIA 2. Timoth. 4,
§. II. *Confessarii, hamo gravium pœnarum, corda & ora Pœnitentum non lacerent.*
§. IV. *Quis honor, reverentia, observantia Confessariis, animarum piscatoribus exhibenda sit.*

FESTUM

FESTVM SANCTI ANDREÆ APOSTOLI.

30. Novemb.

Faciam vos fieri PISCATORES *hominum.* Matth. 4. v. 19.

1 *Festo* [illegible]



Undum hunc, procelloſum & amarum mare, fuſè ſuprà deſcripſimus, homines verò in eo fluitantes, piſces nuncupari, & ſacræ Scripturæ oracula, & ſanctorum Patrum teſtimonia, & hominum ac piſcium quædam parallela teſtantur.

Quod priuſquam planum faciam, illud Eminentiſſimi Cardinalis Damiani jure profari, & profiteri libet, hac celebritate glorioſiſſimi Apoſtoli Andreæ, pretioſiſſimatum margaritatum, hoc eſt, animarum Piſcatoris, me non verborum phaleras, aut bracteatam ſectari velle eloquentiam: PISCATORUM *namque ſumus diſcipuli, non Oratorum; ut ex ore Chriſtiani* (Concionatoris) *non latinitas Tullii, ſed ſimplicitas reſonet Chriſti.*

Pet. Dam. lib. 4. epiſt. 26 ad Abbates & Monachos

Primum illud Ezechielis vaticinium eſt: *Plurima ſpecies erunt* PISCIUM *ejus: ſicut* PISCES *maris magni, multitudinis nimiæ.* Alterum Prophetæ Habacuc oraculum eſt: *Faciet homines ſicut* PISCES MARIS; idque ob varias, & congruentes, quas communes cum piſcibus habent homines, proprietates, ut purpuratus Pater Bellarminus ſcitè & eruditè obſervavit, ſuper illud Matthæi: *Faciam vos fieri* PISCATORES *hominum*, aptiſſimè ad mores deflectens: „qui homines piſcandos eſſe dicit, homines „piſcibus ſimillimos eſſe docet. Ita ſe res habet: homines peccatores, quos piſcari oportet, piſces ſunt.

Ezech cap 47 v 10.
Habacuc cap. 1 14.
Matt. 4. Bellarm. conc de S Andrea

1\. „Primò enim piſcibus proprium eſt, in aquis marinis degere; quæ tametſi limpidæ & „pellucidæ eſſe videantur, & ad bibendum in„vitent; tamen amariſſimæ, & ſalſiſſimæ, & ſitim non reſtinguunt; ſed magis accendunt. Unde Hieronymus *mundum vocat mare ſalſiſſimum, & nimiâ amaritudine mortuum*, cujus, quò plus potæ, plus ſitiuntur aquæ; haud aliter homines avari, inter auri fluenta, & argenti undas, divitiis affluentes, iis rebus immerſi ſunt, quæ pulchræ & dulces videntur; ſed ſitim ſedare non poſſunt; ut eleganter Antiſtes Nyſſenus: *Avarus pluribus divitiis inhiat, & quaſi mare quoddam immenſum expandens cupiditatem, lucris non poteſt ſatiari.*

Variæ proprietates, q[illegible] p[illegible]bis comparantur. Hieron. in c 47 Ezech.
[illegible] Nyſſ. [illegible]m. 1.

Secundò, piſces frigidiſſimi ſunt, & naturali calore penè deſtituti videntur: undè de amphibiis animalibus dum quæſtio eſt, an caro, an piſcis ſint, diſquiritur an frigidum ſanguinem habeant. Homines autem peccatores numquid non ipſis piſcibus, longè frigidiores, quos nec divini amoris facibus, nec intentatis gehennæ flammis vales accendere? *Ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit:* Ubi Auguſtinus quærit: *Unde eſt ejus frigus? Ecce deſerit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit ſenſum, ecce non infundit gratiam* (quæ ignis cæleſtis eſt) HOC EST FRIGUS. Quæ autem ex eo frigore damna, & pericula naſci ſoleant, doctè & disertè explicat Bernardus, quem etiamnum de cælo loquentem, & in ſcriptis ſpirantem audiamus: *Ab aquilone, inquit, panditur veſtrum malum: à facie frigoris ejus quis ſuſtinebit:* HOC FRIGUS, *ſi ſemel animum, ſpiritu dormitante, pervaſerit, mox* (*ut in corpore ſolet evenire febricitantibus,*) *ſubit quidam animi rigor, & vigor lenteſcit, ſubtrahitur gratia, ſpiritus extinguitur,* ut ne ſcintilla pietatis ſuperſit.

Pſal. 147. Aug. hic.
Bern in Cant. ſer. 63.

Tertiò, piſces ſunt muti: ſic & homines co-“ram Deo quamtumvis ſapientes & ſancti, “ *quaſi piſciculi obmuteſcunt*, & in die judicii, omnes, *tanquam piſces* obmuteſcent: peccator autem etiam coram Confeſſario, magis mutus & elinguis, quàm piſcis exiſtit, cui illud Ambroſii, ubi de ſtatere in ore piſcis invento agit, rectè congruere videtur: *Penditur didrachma, quod erat pretium noſtræ redemptionis, non otioſè* IN ORE PISCIS *inventum: ex ore enim tuo juſtificaberis: etenim pretium immortalitatis* EST NOBIS NOSTRA CONFESSIO, quam muti & elingues hi piſces ſubterfugiunt. 3.

Cornel. in Habac. cap 1 14.
Amb lib. 4 in Luc. cap 5.

Quartò, piſces delectantur ſordibus, & li-“benter volutantur in cœno, nec manus, nec“ pedes habent, ut inde ſe proripiant. Haud aliter peccatores, homines luxurioſi, infixi ſunt in limo profundi carnalium voluptatum. Olim in prima mundi molitione ex aquis, & aves, & piſces prodierunt; aves eos referunt, qui ſupra luxus & libidinis aquas ſe extollunt, & ad cæleſtia erigunt: piſcibus ſunt ſimiles, qui carnis delicias ſectantur, in iis natant, cæleſtium obliti. Pulchrè ſanctus Thomas à Villa Nova: *In Geneſi legimus, aves & piſces, eodem elemento, id eſt, aquâ fuiſſe formatos:* SED PISCES *in geniali elemento permanſerunt; aves autem in aere ſupra ſuam originem volaverunt. Omninò ita eſt in propoſito: una eſt omnium hominum genialis conditio, eademque natura, ſed valde differens vita: quidam ſuam naturalem inclinationem ſectantes, quæ ad malum prona eſt ab adoleſcentia ſua, in ſæculo vagantes, delicias carnis ſequuntur,* VELUT PISCES MARIS. *Alii autem* 4.

Bellarm cit.
S Thom à Villa Nov. conc. de S Dorothea

ſupra

supra suam conditionem volantes, ad æterna & cælestia rapiuntur.

5. Quintò, in mari, pisces magni devorant parvos, ita Philosophorum Princeps Aristoteles lib. 9. hist. animalium: *Ineunt prælium pisces majores contra minores: major enim quisque & robustior, minorem interficit, illumque devorat.* Non major in aëre, à vulture, milvo, accipitre, & aquilâ, aliisque carnivoris avibus, passerculorum, columbarum, ficedularum laniena: nec in terra major à lupis, leonibus, lepusculorum & agnorum carnificina est, quàm in mari, à majoribus piscibus, minorum vorago fieri consuevit: habet enim mare *canes marinos, vitulos, cete immania, delphinos, focas, leones, lupos,* &c. Atque hinc fit, ut alibi ait: *Quò quisque infirmior est, eò præda patet. Minor apud illos, esca majoris est: rursus ipse major à validiore invaditur, & fit esca alterius, prædator alieni. Itaque usuvenit, ut cùm ipse alium devoraverit, ab alio devoretur, & in unum ventrem uterque veniat, cum voratore proprio devoratus: fitque simul in uno viscere, præda, vindictaque consortium.*

Aristot. l. 9 hist. animal. cap. 2.

Amb. lib. 5 hexam. c. 3

Idem cap. 5

Morale. Nónne in mari magno hujus sæculi id indies fieri videmus? Ubi potentes viduas, pupillos & orphanos devorant, quos idem suavissimus Doctor acutè perstringit: PISCES *in signum facti sunt, ut in his nostrorum morum videremus, & caveremus exempla, ne quis potior inferiorem invaderet, daturus in se potentiori exemplum injuriæ.* Tum sic prosequitur: ET TU PISCIS ES, *qui viscera invadis aliena, qui demergis infirmum, qui cedentem persequeris usque in profundum. Cave, ne dum illum insequeris, incidas ipse in validiorem. Quid interest inter divitem, improba cupiditatis ingluvie absorbentem infirmorum patrimonia, & silurum de minorum piscium visceribus alvum replentem? Captus est silurus, & inutilis præda detecta est. Quanti in eo reperiuntur, qui alios devoraverunt? Et tu dives, habes in sinu tuo alterius prædatorem. Ille habebat facultates pauperis, quas invaserat; tu eum opprimens, duo patrimonia tuis facultatibus addidisti. & adhuc tanto non satiaris augmento, & dicis, quòd alios vindicaveris, cùm eadem committas, quæ ulcisceris, injusto injustior, & iniquo iniquior, avaro avarior. Vide ne idem te, qui piscem illum finis inveniat* & Silurus tartareus, seu Leviathan te, qui altos devorasti, deglutiat.

Ambros. ibid.

Quotidiana hæc scelera sunt, & ante oculos versantur. Est vir auctoritate pollens, opulentiâ potens, fundis & prædiis abundans, vicinum illis paupercula agellum habet (ut apud Chrysostomum Callitrope) hunc ille ad majores suos olim pertinuisse falsò adstruit, litem intentat, replicam, duplicam agglomerat, omnem viduæ substantiam emungit, tandem dum prosequendo non est, & agellum, & ipsam paupperculam devorat. Sic alter alteri insidias struit: frater fratrem juniorem, simpliciorem, vel ipsam sororem modestiorem supplantat, sannis & cavillis exagitat, misereque divexat, ut ad monasticum claustrum compellat, & hereditatem deglutiat. Hæc & similia jam olim Hipponensis Antistes observavit, & exaggeravit, quæ hoc perditissimo sæculo magis invalescunt; *Mare, inquit, in figura dicitur sæculum hoc, salsitate amarum, procellis turbulentum: ubi homines cupiditatibus perversis & pravis,* FACTI [...] VELUT PISCES INVICEM SE DEVO[...]TES. Quod solidè & solerter prob[...] *dite mare malum, mare amarum, fluctibus sævum attendite, qualibus hominibus plenum sit. Quis optat hereditatem, nisi morte alterius. Quis optat lucrum, nisi damno alterius? Quàm multi aliorum defectione cupiunt sublimari? Quàm multi ut emant, optant alios* (ad incitas redactos) *vendere res suas? Quomodo se invicem opprimunt,* ET QUI POSSUN[T] DEVORANT? At & se hîc à potentioribus aut ab ipsis potestatibus tenebrarum devorandos non attendunt: *Cùm devoraverit* UNUS P[I]SCIS MAIOR MINOREM, *devoratur & ipse à majore.* Tum ut horrorem incutiat, exclamat. O PISCIS MALE! *prædam vis de parvo, præda efficieris majori. Quotidie ista eveniunt, ante nos sunt: videmus illa, horreamus.*

August. in Ps. 64. 6.

Mitto alias piscium, & mundanorum hominum in hoc magno & amaro mari fluctantium, periclitantium, & pereuntium proprietates; nunc sermo meus eò vertitur, ut videamus, quomodo, quo marte, vel arte, pisc[es] [...] naces, salaces, fallaces, voraces, è sal[s]is hujus sæculi aquis, è limo profundi, è voragine, qua absorbendi erant, divina miserante clementia, & adjuvante gratia, cælestes Piscatore[s] è *mortis gurgite, in lucem sustulerint sempiternam.*

Chrysolog. serm. 28.

§. I.

Faciam vos fieri PISCATORES *hominum.* Matth. 4. v. 19.

PIscandi studium Principibus viris in deliciis fuisse, veterum historiarum mon[u]menta testantur. Serenissimus Venetorum Dux Franciscus Foscatus inter publicas curas piscationi operam dabat, & animum oblectabat.

Pi[s]catio [...] Prin[cipum] exer[citium] [...]

Cæsar Augustus, ut Suetonius refert, piscando etiam otium fallere solebat M. Antonius Imperator. Alexandrinis deliciis captus, cum Regina Cleopatra piscationi vacabat, habebatque urinatores paratos, qui occultè ipsius piscantis hamo pisces continuò affigerent. Advertit dolum & artem Regina, quam ut arte deluderet, præmisit, qui fumosum piscem, salpam, seu halecem induratum, piscantis hamo appenderet. Erubuit Antonius suis elu[sus] artibus; ad quem Cleopatra: Alexandrinorum est, inquit, fortissime Imperator, piscari; tuum bellando vincere, urbes, regiones, & regna piscari.

cap. 4. Plutar. in An[ton.]

Sic summus Imperator Christus per se [...] suos, non homines tantùm, sed urbes, & orbem piscatus est.

Redemptor noster, qui omnibus omn[ia] [fa]ctus, munus piscatoris obire non rec[usavit] dum tam feliciter, Andream & Pe[trum] [pis]catus est: *Ambulans Iesus juxta mare Galilææ, [vid]it duos fratres;* ubi solerter Cardinalis Bel[larm]inus: DOMINUS PISCARI VOLEBA[T], *ideo juxta mare ambulabat;* sic Saulum piscatus est, inquit Metaphrastes, qui agens de admirabili con[-]versione ejus, pulcherrimè discurr[i]t: Quom[o]do *Piscator* in alta petra considens, ha[...]

Matt[h.] [...] con[...] de Andrea.

Metaphra[stes] de conv[...]

virsione S. Pauli.

,, mittit in mare; ita Dominus noster, sedens, ,, tanquam in alta petra cælorum, vocem velut hamum emisit, desuper intonans: *Saule, Saule, quid me persequeris? Et in turbulento infidelitatis pelago*, SAULUM CEU PISCEM EXTRAXIT.

Augustin. lib. 22. de civit. cap. 5.

Tum per ipsos Apostolos, quos ceperat, Philosophos, Oratores, & Imperatores piscatus est, ut aptè Augustinus: *Ineruditos liberalibus disciplinis, & omninò quantum ad istorum doctrinas attinet, impolitos: non peritos Grammaticâ, non armatos Dialecticâ, non Rhetoricâ inflatos*, PISCATORES *Christus cum retibus fidei, ad mare hujus sæculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam* MULTOS PISCES, *& tantò mirabiliores, quantò rariores etiam ipsos Philosophos cepit.*

Augustin. tract. 2. in Ioan. Actor. 2. v. 41.

Sanctus Andreas Evangelium ceu sageoam in hujus mundi gurgitem immisit, dum crucem ut rete explicuit, & longè latèque spaesos totâ Achaiâ populos, quasi pisces cepit, & quidem ad vitam beatiorem: *Nec fit injuria illis, qui capiuntur; ad salutem quippe, non ad perniciem capiuntur.*

S. Petrus in ortu surgentis Ecclesiæ Piscator hominum factus, primo ratis jactu *circiter tria millia hominum* ex cœno Judaismi in littus Ecclesiæ attraxit.

Verbo Dei, homines velut pisces capiuntur hamo; multi non capiuntur, quia hamum Verbi Dei non capiuot.

August. in 13 Ioan. tract. 42.

S. Augustinus tract. 42. in Joan. *Si sermo meus caperetur, caperet; si caperemini, intra retia fidei tanquam* PISCES *concluderemini. Sic est sermo Dei, & sic esse debet fidelibus, tanquam pisci hamus: tunc capit, quando capitur; unde Dominus dicit discipulis: Faciam vos piscatores hominum.* Talis piscator exstitit Paulus, qui omni loco, omni tempore piscabatur: *Nusquam artificii sui obliviscitur; sed* IN OMNI LOCO PISCATUR, *in judicio, in mari, in insula, in continenti, in orbe terrarum*; ut eum meritò Chrysostomus appellet, *Christi Rhetorem*, MUNDI PISCATOREM, *qui per quatuordecim epistolas, veluti spiritualia retia, captat ad salutem.* Captat verbo, captat scripto, captat exemplo. Verba sunt retia, quibus *Fælix*, licèt incæstus atque injustus Præses, irretitus fuit: Paulo quippe de justitia, de castitate, deque futuro judicio disserente, ut piscis Tobiæ, totus contremuit & palpitavit. His captus est *Festus.*

Chrysost. hom. 3.

Idem hom. 6. de pænit.

Rom. 13.

His etiam captus Augustinus; hærebat ille fluctuans in æstu suarum cogitationum, & cœno voluptatum, hâc è cælo voce demissâ: *Non in comessationibus & ebrietatibus: non in cubilibus & impudicitiis: non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum*; & ecce, dum hunc hamum capit, capitur; factusque est ipse piscator innumerabilium animarum; quarum vel una, omnium margaritarum, imò & totius mundi pretium, nimium quantum antecellit. Hinc Hugo Cardinalis ad illa verba Matthæi 4. *Faciam vos fieri* PISCATORES *hominum*; rectè advertit, piscatores animarum constitui, *non præbendarum, non rerum temporalium*, quas filii hujus sæculi tanto studio, labore, sudore, tædio & fastigio; & sæpè hamo aureo piscantur, cum jactura animæ suæ; quod mellifluus Doctor amarissimè queritur, dicens: *Quis mihi det, antequam moriar, videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam: non in capturam auri & argenti, sed* IN CAPTURAM ANIMARUM. Quemadmodum Dominicus, Franciscus, Ignatius, Xaverius laxarunt retia sua.

Hugo in Matt. cap. 4.

Bernard. epist. 237.

Ferdinandus Davalus, cognomento *Piscarius*, non ab urbe dumtaxat, sed ab oppidis, & urbibus, & regnis, quæ cepit, nuncupatus, strenuissimus militiæ Dux, incomparabiles victorias Carolo V. Cæsari comparavit. Hujus Marchionis Piscariæ, Neapoli elegans & ingeniosum exstat epitaphium:

Iovius.

Quis iacet hoc gelido sub marmore? MAXIMUS ILLE
PISCATOR, *belli gloria, pacis honor.*
Numquid & hic PISCES *cepit? Non, ergo quid? Vrbes,*
Magnanimos Reges, oppida, regna, Duces.
Dic quibus hæc cepit PISCATOR *retibus? alto*
Consilio, intrepido corde, alacrique manu.
Qui tantum rapuêre Ducem? Duo Numina: Mars, mors.
Vt raperent quisnam compulit? Invidia.
Nil *nocuêre ipsi: vivit nam fama superstes.*
Quæ Martem & mortem vincit, & invidiam.

Ibid.

Altior laus supra omnem invidiam, sublimior gloria divinis animarum Piscatoribus debetur, & tribuitur; sic etenim Augustinus: *Leguntur modò verba* PISCATORUM, *& colla subduntur oratorum*, Senatorum, & Imperatorum, ut fusiùs exponit in psalmum 36. concione 2. *Ipse est, qui potuit divitem facere* PISCATOREM, *dimittendo retia sua: quod habebat contemnentem, quod non habebat haurientem. Sed infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia: & non de Oratore* PISCATOREM; *sed de* PISCATORE *lucratus est Oratorem: de* PISCATORE *lucratus est Senatorem: de* PISCATORE *lucratus est Imperatorem.*

Aug. serm. 59. de verbis Domini.

Idem in psal. 36. conc. 2.

Contra hos Domini Piscatores, mittit & diabolus piscatores suos, & jactat retia sua in capturam, quò fit, ut Isaias queritur, tam paucos *hamo cælestis verbi, de mortis gurgite ad lucem sempiternam*; plures ad profundum inferni pertrahi. Ita Hugo Cardinalis: *Ideo quia nullos vel paucos piscantur hodie, dicitur Isaiæ 19. Mærebunt* PISCATORES, *& lugebunt omnes mittentes in flumen hamum*: PLURES ENIM HODIE PISCATUR DIABOLUS, QUAM DEUS; habet porrò retia sua, habet escam, & hamos. Doctor Seraphicus retia, ait, esse malas cogitationes, quibus plurimos capit, & irretit: *Diabolus capit homines* RETIBUS MALARUM COGITATIONUM; *irretitur enim homo cogitationibus, capitur consensu; laquei sunt lasciva mulieres*; quæ, retia capillorum, verborum, lenociniorum expandunt. Hugo Carensis: RETIA *diaboli sunt fatuæ mulieres*; vel una satis est, quæ urbem trahat universam; sic sentit divus Bernardinus: *Diabolus per unam fæminam cum* VANITATUM RETI, *quasi totam ad se civitatem trahit.* Proiecta voluptatem carnis objicit, & hamum abscondit. Ludunt & lasciviunt hîc adolescentes & ado-

Diabolus piscator per se, & suos.

Chrysolog. serm. 28.

Hugo Car. in Ierem. c. 16.

S. Bonav. Dom. 4. post Pentec. serm. 1.

Hugo Car. in psal. 90.

S. Bernardin. tom. 1. de Christiana Relig. serm. 44. art. 1.

lescentulæ velut pisces in turbidis voluptatum fluentis; è quibus si in puriores auras extrahantur, sibi mori videantur: Hi, inquit Granatensis, SICUT PISCES *juxta aquam perpetuò versantur; quos si paulisper inde extrahere velis*, PISCIUM INSTAR, *qui ab aqua extrahuntur, penè mortuos videas: ita enim se corporis voluptatibus addixerunt, ut ab eis abstrahi non minus molestum sit*, QUAM PISCIBUS *extra cognatas sibi aquas educi & vivere, donec tandem fatalem hamum, quem intra viscera habent, nec sentiunt, piscator violenter attrahit.* Sic inescatus David, & sicut piscis captus, de quo Theodoretus: *Vidit mulierem, quæ lavabatur*, ET FORMÆ INESCATUS PULCHRITUDINE, DEVORAVIT HAMUM *peccati.* Quid, quòd per mulierem Adamus inciderit in rete diaboli, ut bené Hieronymus, & Hugo Cardinalis observaut in illud Habacuc 1. v. 14. *Facies homines* SICUT PISCES MARIS, ubi ajunt: *Diabolus misit* HAMUM, *cui adhæsit Adam, & traxit eum de paradiso* RETI SUO, *& sagenis, id est, diversis fallaciis;* sic indies homines *sicut pisces capiuntur hamo*, & de cælesti paradiso, in barathrum inferni trahuntur. Idem de voluptate, & carnis lenociniis, gentilium sensus fuit. Cicero de senectute: *Voluptate capiuntur homines*, UT PISCES HAMO: *hæc enim strangulat ipsum devorantem.*

Ludov. Granaten. serm. de S. Andrea. — *Theodoret. quæst. 25. in lib. 2. Reg.* — *Hierom. Hugo in Habacuc 1 v. 14.* — *Eccle. 9. v. 12.* — *Cicero de senect.*

Philo. Quare rectè monet Philo Judæus lib. de mundi opificio: *Omnes scire oportet, quod voluptas tanquam lasciva meretricula amatorem appetit, quærens stupri conciliatores, per quos illum* CEU HAMO CAPIAT.

Gulosos & ebriosos captat diabolus escâ cupediarum, & gulæ illecebris: Ambitiosos piscatur splendidis honorum titulis: avaros trahit aureo reti opum & facultatum; sic porrò Albertus Magnus: AVARITIA EST RETE DIABOLI, *quod expandit super faciem universæ terræ;* PER HOC RETE *juvenes capit & senes, sive viros, sive mulieres.*

Albert. M. serm. de S. Andrea.

Quàm autem horum piscium misera sors, & miseranda conditio, Africanus Doctor nervosè expressit: GAUDET PISCIS, *quando* HAMUM *non videns, escam devorat; sed cùm* PISCATOR *eum adducere cœperit, viscera ejus torquentur primo; deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus, beatos se esse putant:* HAMUM *enim acceperunt, & cum illo vagantur*, expatiantur, lætantur, helluantur, luxuriantur; at quis finis? *Veniet tempus, ut sentiant, quanta tormenta cum aviditate devorarint* Veniet tempus, de quo dictum est: *Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt*, in stagnum sulphure & pice ardentem, ubi omni æternitate volutabuntur.

Augustin de agone Christiano cap. 7. — *Matth. 13. v. 48.*

Hos miseros & mutos pisces *igne saliendos*, sicut haleces in vase, sale, ut tanto periculo & exitio eruamus, igneus Ecclesiastes S. Vincentius Ferreriensis, qui divini verbi reti, Judæorum viginti quinque millia, totidemque ferè Saracenorum feliciter piscatus est, sic piscatores animarum hortatur (lingua ejus divina nobis deest, referam simplici stylo, prout ab ore ejus aureo excepta.)

Marci 9. — *Surius 3. April.*

Vincent. Moraliter, eum dicit: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Notent hîc Religiosi, & alii qui habent prædicandi officium, *quia omnes sunt piscatores; rectè est prædicatio evangelica. Ergò modò extendo rete*, & cùm aliqui audiens prædicationem, proponit dimittere peccata, & habet propositum redeundi ad Deum, tunc Prædicator potest dicere: *Unum piscem cepi.* (unam animam piscatus sum, *cujus*, ut in alia re Seneca, *hoc pretium est, non posse pretio capi.* Qando nobilis, vel miles propter prædicationem dimittit pompam, odium, vel rancorem inimico suo, cepimus unum Delphinum. *O tales pisces, & Piscatores*, quantum placent Deo; Idem de nobili Dominâ, dimissis vanitatibus, ornamentis, & confitetur, & proponit benè vivere; *tunc potest dici, quod cepimus unam tincam.* Quando autem in prædicatione convertitur agricola, aut simplex homo, *capitur fundulus* (seu gobius.) Idem de muliere paupere, *capitur serpentina*, seu anguilla.

... de S. Petro Ap. Moraliter ad Concionatores, animarum piscatores. — *Seneca epist. ... de Philosophia.*

Tum sic prosequitur, & in segnes ac socordes piscatores invehitur: in die judicii dicet Christus Prædicatoribus: Venite nunc, & prandete. Et quando ipsi dicent: de quo Domine: Tunc ipse respondebit: *Afferte de piscibus, quos prendidistis.* O *quid erit de* PISCATORE, *qui dicet: Domine, ego non sum piscatus nisi algam, & brosam, scilicet pecunias, commendas familiaritates, & famam*: non sum piscatus, nisi coaxantium ranarum plausum, de quo Hugo Cardinalis, exponens illud 1. Cor. 12. *Non quæro vestra, sed vos*, sic ait: *modò rete prædicationis projiciunt non ad pisces, sed ad ranas.* O quid erit de illo Piscatore, qui inanem gloriam captans, domicellos instar ranarum, laudes ejus concrepantes, piscatus est? Infelix profectò, qui pro animabus, rete plenû coaxantibus ranis in littus attraxerit. Ideo amore Dei laboremus, ut capiamus animas: nam in judicio, quilibet veniet cum animabus, quas convertit, dicendo: *Ecce duos pisces, quos ego prendidi.* O *quot pisces, & quot animas ducet B. Petrus secum, qui in prima prædicatione convertit tria millia animarum!*

Ioan. 21. — *Hugo Car. in 1 Cor. 12.* — *Vincent.* — *Act. 2 & 4.*

Hactenus ostendimus, Concionatores jactis divini verbi retibus, animarum Piscatores esse; nunc, quod mihi propositum est, ipsos Confessarios per alta silentia, & in omni patientiâ, arundine peccatores ut pisces capere, ostendere aggredior.

Confessarii peccatores ut pisces, arundine capiunt.

Hoc super argumento Hispanus Ecclesiastes eleganter disserit: Non frustra, cùm Christus assumpsit discipulos, piscatores vocavit: *Faciam vos fieri piscatores hominum*; nam multiplices piscandi artes, ad duas tantùm reduci comperies, *vel retibus vel arundine*; his Concionatores, hac Confessarios uti vult: retia enim tumultum, strepitum, multitudinê poscunt, & ut aquæ perturbentur; nam juxta vulgaré parœmiam: in aqua turbida optimè piscamur. Arundo verò & hamus, quantam requirit patientiam, longanimitatem, aquarum tranquillitatem, & silentium?

Franc. Garsias. tom. 2. discursu ... 273.

Concionari igitur est retia jactare, ubi licèt voce, clamore, motu, actione, exaggeratione, vitia acriter insectari, minis & terriculamentis velut contis peccatores compellere intrare

at pec-

at peccata audire, nodos conscientiæ in confessione dissolvere, pisces ex alto vitiorum profundo extrahere, piscatura utilis, sed & difficilis, & plena longanimitatis, & lenitatis: unus enim tantùm piscis capitur, & huic cum silentio & suavitate opus est hamum ori affigere, & non subitò trahere; sed expectare, donec in cor descenderit, & omnia viscera ad salubrem contritionem commota sint. Hæc ille.

Confessarii & Concionatoris munus inter se confertur

Quòd si utriusque munus & fructum Concionatoris & Confessarii inter se conferamus, occurret primò, Concionatorem improbo aliquot dierum labore & lucubratione, chartis impallescere, ut ad captum, & supra captum populi omni vocis & lateris contentione dicat, quâ si unum alterumve inveteratum dierum malorum feliciter ad meliorem vitam, & salutem piscatos fuerit, ingens operæ & olei pretium retulerit; cui tamen animarum lucro, non rarò titillatio propriæ laudis, & populi admirantis & prædicantis plausus, sese insinuat, & non parum decerpit. Confessarius verò indies hamo pœnitentiæ 20, 30, imò 100, tot, quot impertitâ ritè absolutione, gratiæ, ac Deo restituit, lucratur; idque ne minimo inanis gloriolæ periculo. Hæc causa fuit, cur sancti Præsules, & divini Verbi præcones, relictis prædicandi retibus, ad humilem Confessionalis sellam se receperint, ut velut arundine animas piscarentur. Ita S. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus. S. Hugo Gratianopolitanus. B. Venturinus, Ordinis Prædicatorum. B. Henricus Suso, ejusdem Ordinis, & Concionatores celeberrimi & acerrimi, tempus suffurabantur, ut pœnitentibus aures præberent, & conscientiæ intima penetrando, hortando, sauciando, medicando, animas è lubrico in siccum, è procelloso mari in portum attraherent, atque ita Deo & Angelis gaudium vel super uno peccatore pœnitentiam agente, exhiberent; quod per Confessarios aptissimè fieri, Christus sacerdos summus, amabili visione, & amabili revelatione, aliquando viro sancto, Antonio Segobiensi, Ordinis Seraphici disertissimo & ferventissimo Concionatori manifestavit, ingentem animarum capturam, quam Confessarii, sui in terris vicarii fecissent declarando. Quo divino ostento usqueeò in hoc ministerium exarsit, ut sæpe sæpius dicere auditus sit: *Si Deus me in cælum abduceret: & mihi illic existenti facultatem daret; penderem inde efferrem ad audiendas peccatorum confessiones, ut eos hoc medio ad salvandas ipsorum animas juvare possem.*

Arias. Thesaurus inexhaustus tom. 2 tract. 6. cap. 74.

Hist. Minor. part. 2 lib. 4. Arias cit.

Ferveat in vobis, clamat Bernardus, zelus iste, qui Christi Piscatores estis: semper vobis pendeat hamus, ut vel unam animam ex limo profundi, malæ consuetudinis, pravæ conversationis extrahere possitis, quæ ut rectè Chrysostomus: *toto mundo pretiosior est: hujus enim causa cælum & terra & mare condita sunt. Perpende igitur quanta sit dignitas animæ, cuius saluti consulitur, & ne contempseris illius curam,* quam pretioso sanguine suo Christus emit, & redemit.

Chrysost. orat. 1. contra Iudæos.

Hoc pretium novit mirus animarum Piscator apud Peruanos, P. Emanuel Ortega, ut ex eo manifestum est. Crescunt per Peruvium amnes mirum in modum, collectisque imbribus aucti, ac violenti, barbarorum casas, pagos, & oppida non semel abripiunt, multis haustis mortalibus. Id cum fieret, Ortega fluvio sese exponere non dubitavit, nandoque Indos fluitantes assequi, ut jam jam morituros, suprema expiaret absolutione: *factus est ipse*, inquit Historicus, *homines capiens etiā in aquis & fluvius tumentibus, charitate profectò magis vehementi & rapidâ, quam sit ipsorum torrentium fluxus ac rapacitas.* Nemo unquam in aquis turbidis felicius piscatus est.

P. Rho. varia virt. hist. lib. 1. c. 3. § 3 nostra

Eodem zelo accensus fuit Didacus à sancto Jago. Navigabat is ad Philippinas, cum ecce (incertum quo casu) aperta carina navis, oceanum admisit. In ea rerum desperatione dum omnia dissonis clamoribus, & miserabili complorentur ejulatu, Didacus sedulas aures jamjam haurientis præbuit, securus periculi atq; naufragii. Expiatis omnibus qui aderant, plurimisque in proximum littus enatantibus, tandem & ipse ea eam subiturus, à navis margine desilit in oceanum, sed ecce è tabulatis audita prope intermortua vox est, revocantis, ut verbum, de æterna salute secum acturi adhuc audiret. Exarsit ad eam vocem in Didaco amor prædæ, & quanquam horrida undique paululum cunctanti mortis imago in oculos incurreret, desertissimi hominis felicitatem, suæ præferens vitæ, ad eū audiendū ad foros reversus, vix expiatoriâ formulâ hominē absolverat, cum vasto hiatu subsidente navi, immaniq; lapsu coeunte oceano, haustus est. Felix omninò piscator, qui & illum, & plures alios suo naufragio & charitatis hamo traxit in portum beatitatis.

Ibid. § 4.

Sed nihil in hoc genere illustrius, quàm quod literæ Japonicæ ad R. Adm. P. Vitellescum Generalem nostrum anni 1637. referunt. Fortissimus Christi Athleta ex Ordine D. Augustini (nomen Auctori excidit, sed non cœlo, nec Deo) cum ad palum pro fide cremandus staret, jamq; ustularetur, inaudiit, nescio quem è rogo vicino confessionis copiam inclamantem, nimirum ut puriorem hostiam Deo in sacrificium offerret. Quid hic agat? Palum deserere, defectionis calumniā indicabat. Quid non potest, non audet charitas? semiustus pedem firmavit, & ad alienum rogum se contulit, & aures confitenti dedit, flammas interea ore pleno combibens; sicque rediit ad palum suum, ubi se in trophæum amori divino statuit, unaque flammis immoriens, earum luce, Ordinem suum & ætatem hanc nostram illustravit.

Lebbetius. tract. aject part. 2. pag. 155.

Hos ferventissimos animarum Piscatores, si Confessarii nando, & de vita periclitando (ad quod tamen multi ex officio tenentur) assequi non valent; saltem nocte intempestâ evocati, excusso somno, turbido cælo, per ventos, pluvias nives, & grandines, animæ periclitanti succurrere non dedignentur.

Septem spiritualia misericordiæ opera melius a Confessario, quam Concionatore exercentur.

Denique, si summi apud Deum meriti est, & ad capturam animarum plurimum confert: *ignorantes docere, dubitantibus rectè consulere, pro salute proximi Deum orare, consolari mæstos, peccantes corrigere, offensam remittere &c.* quæ spiritualia misericordiæ opera, Doctore teste Angelico, corporalibus longè præcellunt: *quia id* quod

S. Thom. 2.2.q.32. art.3.

quod exhibetur nobilius, scilicet donum spirituale, quod praminet corporali. 2. ratione eius, cui subvenitur; quia spiritus nobilius est corpore. 3. quantum ad ipsos actus, quibus subvenitur proximo; quia spirituales sunt nobiliores corporalibus, qui sunt quodammodo serviles; patet quantæ dignitatis, & utilitatis, munus sit Confessarii, à quo hæc omnia aptius, frequentius, & excellentius, quàm à Concionatore exercentur, ab iisque innumeræ animæ è profundo abyssi in lucem gratiæ, & portum salutis æternæ extrahuntor.

Hîc docentur ignoraotes; oam inter pœnitentes quidam suot, ignoraotes ea, quæ scitu necessaria sunt ad salutem: alii status ac officii sui obligationes nesciunt: alii prorsus ignari, quomodo orare, meditari, peccara vitate, virtutem & perfectionem acquirete debeant; quæ etsi è suggestu universo populo proponantur; non tamen ita capiuntur, nec ita applicantur, ut cujusque necessitas (quam Concionatores igoorant) postulat; at in confessione, ubi pœnitens animo parato, & docibili accedit, ignoraotiam detegit, & attendit ad id, quod ipsi in particulari & pro captu dicitur, melius & utilius instruitur ac eruditnr.

Hîc *dubitantibus rectè consulitur*; quia pœoitens exponit Confessario sua dubia circa status electionem, circa contractus, num licitè ineundi: circa tentationes, conversationes periculosas, an sub peccato devitandæ: circa scrupulos, & anxietates conscientiæ, &c. Quibus omnibus prudens Confessarius salubria consilia suggerit, scrupulos eximit, animum componit, & quid agendum suggerit, & sic de cæteris.

Consilio Confessarii innumeri ad monasteria, velut ad vivaria se receperunt.

Ex quo atcano consilio, & salutari monito Confessarii ad cor pœnitentis, illud incredibile emolumentum accedit, ut ex salsis & amaeis hujus sæculi fluctibus, innumeri juvenes & puellæ, ut experientiâ compertum est, ad Religionum vivaria ttaducti sint; ubi magni pisces non devorant parvos, & io suavissimis gratiaeum, cælestis dulcedinis, ac divinæ coosolationis aquis jugiter natant. Unde perappositè Cardinalis Damiani Monasteria, vivaria nuncupavit: *claustrum quippe monasterii,* VIVARIUM EST ANIMARUM; *ibi quippe vivunt pisces, qui juxta legis edicta penuulas habent, quibus dare saltus super aquas solent. Quid ergo penuata piscibus, nisi electa anima figurautur? qua virtutum penuulis fulta, saleus dare per caleste desiderium sitiunt, & per couteemplationem appetunt.* Ac tandem subdit: IBI SPIRITUALES VIVUNT PISCES, *sacrarum Scripturarum fluentis jugiter innatantes.*

B. Pet. Damian. lib. 2. epist. ad Cardinales ep. 18.

In eundem propè sensum Abbas Claravallensis, qui claustrum monasticum tranquillo stagno comparat, in quo, ex turbulento mari, ne liberius evagentur, salubriter conclusi, detinentur: *Sunt in stagno* PISCES, *qui in claustro, Deo serviunt in spiritu & virtute. Meritò siquidem stagno monasteria comparantur: ubi quodammodò* INCARCERATI PISCES, *evagandi non habent libertatem;* nam Monachus aut Monialis extra claustrum, est sicut piscis extra aquas, extra vivarium vel stagnum suum. Hoc S. Athanasius in vita magni Antonii annotavit: is cum à viro potenti rogaretur, ut diutius apud se morar etue, eespondit: *non posse se diutius ibidem morari, grato usus exemplo: quod* SICUT PISCES *ab aqua extracti, mox in arenti terra morereutur, ita & monachos cum secularibus retardautes, humanis statim resolvi coufabulationibus.* Ob id ergò, inquit, *conveniunt* PISCES AD MARE, *ita nos ad montem*, ad monasterium, ad vivarium nostrum *festinemus*. Sed hæc pluribus de Communi Vieginum, ubi de clausura agemus.

S. Bern. serm. de S. Andrea.

S. Athan. in vita S. Antonii.

Nunc cæptum prosequamur, ut cum tantus per confessiooes sit animarum fructus, beati omninò prædicandi, & in cælum efferendi sint Confessarii, qui à Domioo iovitati, & rogati ut afferant de piscibus, quos prendiderunt, non solum extractos ex limo profundi; sed & oudè periclitantes animas, ad summam perfectiooem, è procelloso mari in tranquillum Religionis vivarium traduxerunt, mensæ sopremi Regis inferre poterunt.

Quod ut fiat, *patientia vobis necessaria est*, multa tædia devoranda, lenitas & longanimitas exercenda, mora trahenda. Ad quæ, pulcherrima suis Confessariis S. Franciscus Salesius in Synodo habita, tradit monita & præcepta: Heb. 10 v. 36.

Monita S. Salesii ad Confessar. Crenzius in vita ex gallico. part. 4. c. 5

Considete cum suavi quadam majestate, " gravitateque tam constanti, ut eodem " semper vultu, eâdem fronte sitis; ne si quid de " illo habitu mutetis, suspicari circumstantes queant, ingestum vobis à confitente quidpiam " fuisse molestum, grave, & execrandum. "

Cavete imprimis, ne verbis asperioribus ex- " cipiatis pœnitentes: etenim tam austeri non- " numquam sumus io corripiendo, ut culpabi- " liores esse videamur, quàm illi ipsi, quos ae- " guimus, Non id placitum Domioo Deo; queritur potiùs ob nimiam ministeorum suorũ " severitatem, solitodinem ad altaria existere, " victimam nullam sibi adoleri: *cum austeritate* " (inquit nos compellans) *imperabatis eis cum* " *potentia; & dispersa sunt oves mea.* " Ezech. 34

Nunquam profectò Dominus Jesus homines ad audiendas confessiones adhibuisset, nisi & ipsi peccatores fuissent: quis eoim Angelo, purissimæ intelligentiæ, temulentias suas, scortationes, cæterasque lubricæ carnis miseeias exponere non verecundatus foisset.

Quid, quod destinato consilio, oon *Ioanni*, homini innocenti, sed *Petro* sommo noper peccatori, jurisdictionem suam Christus tradiderit. Rationem reddit Augustious: *erat enim revera hic Peerus paulò durior, atque severior, sicut ejus austeritatem truncata ob Christi injuriam servi Principis sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam durus, tamque severus, si donum non peccandi à Domino fuisset adeptus, qua venia commissis populis donaretur? sed idcircò divina providentia secretum ita temperavit, atque permisit ut primus ipse laberetur ac rueret in peccatum; quò erga peccatores duriorem seneentiam, proprii casus intuitu temperaret.*

S. August. serm. 1 feria 4. post Dom. Palm.

Quo in genere, cùm sana doctrina, à severioris spiritos Rhodomanthis suggiletor, nec leviter peccetur; pluribus hæc saoctissimi Præsulis monita, & totius Ecclesiæ praxis examinanda & exaggeranda est.

§. II.

§. II.

Confessarius piscatoria virga non percutiat; sed audiat suos IN OMNI PATIENTIA. 2. Timoth. 4.

Confessario ut bonus piscator sit, patientia, lenitas & longanimitas necessaria est.

HOc inter Concionatorem & Confessarium interest, quod ille è suggestu venatoris instar cornu, seu tubâ judicii palàm insonet, stentoriâ voce in vitia detonet, flammis, & suppliciis æternis evibratis, velut altet Elias fulminet; quò ardentius, hoc potentius auditorum animos penetrabit, & omnes undique concitabit.

At Confessarius piscator, clam, voce submissâ, cum longanimitate, in spiritu lenitatis & *in omni patientia* pœnitentes tractet, & trahat necesse est; ne ut pisces solent, minimo strepitu diffugiant, in lubrico hæreant, nec ullam ipse captutam faciat.

Videtis quàm *omni patientiâ*, silentio, lenitate, & longanimitate piscator tremulâ arundine ad ripam sedeat, ut gobium unum post plures horas capiat, & in siccum trahat. Alia, qui piscatores hominum facti estis, *patientia vobis necessaria est*, ut vel unam quamtumvis mendicabuli animam è cæno vitiorum extrahere possitis. Ad Heb. 10

Fastidia Confessario devoranda.

Multa ad hoc tam excelsum munus tædia & fastidia devoranda sunt: quidam enim pœnitentes sunt admodum molesti, importuni, turbidi, inconcinni: alii rudes, ut rustici, petunt rogari: alii pertinaces, obdurati corde, diuturnis vitiis immersi, inveterati dierum malorum, integra plaustra scelerum, & inter ea caudata de concubinatu, de furtis, & rapinis evomunt. Alii sunt balbi, surdastri, valdè dum loquuntur, vociferantur, & dum tu vociferaris, putant te silere, & assidentes audiunt, pœnitentia digitus ostenditur, nec capiunt. Fœminæ plerumque verbosæ, parerga de viris, de ancillis, de vicinis, & rebus domesticis, intexunt; quædam, præ pudore, taciturnæ: aliæ scrupulosæ, sine fine dicentes: aliæ cum fœtenti sint animâ, spiritum malè olidum, & mephitim in nares exhalant: aliæ præmissis longis præambulis, eandem semper telam historicè texunt: non amavi Deum ex toto corde, & proximum sicut meipsum: non accessi ad S. Communionem eâ præparatione quâ debui, &c. Ac post omnia, ne minimam quidem absolutionis materiam extorquebis.

V. Festo Cathedra S. Petri ser. 1. Christus norma Confessariorum omnis patientiæ, irratis.

In his omnibus *patientia vobis necessaria est*, (nam de scientia & prudentia Confessarii aliàs diximus) Ad hanc acquirendam, & exercendam, absolutissimum vobis prototypon est Christus, sacerdos verè magnus, & summus Pontifex à Patre constitutus, qui norma est, quam sequi, regula cui se componere, exemplar quod inspicere, Magister quem audire debent, cùm homines omnes, tum multò maximè qui illius in terris sunt vicarii, ipsi Confessarii. Qui quo pacto se gerere debeant erga insignes latrones, & peccatores, dum scelera sua aperiunt, è Christo necesse est, ut intelligant. Huc ergo velim ego omnes illi, qui putant asperè, severè, durè excipiendos graves peccatores, increpandos, arguendos, terrendis minis, terriculamentis, tragicis exemplis; illi inquam, oculos in Christum conjiciant, audiant ejus verba, considerent acta, intelligent se matres, non novercas exhibere debere: *Quomodo*, inquit per Prophetam, *si cui mater blanditur, ita ego consolabor vos*. Quis tenetiori in liberos affectu rapitur, quàm mater? Non tantum prolem in oculis gerit, sed in medullis. Vult Deus hîc personam sustinere non tantum patris, sed quod est maximè amabile, matris; quæ prolem etiam protervam, sordidatam, fovet, mundat, amplectitur. Hæc verba si quæ, Confessarium ut sit in pœnitentes blandus, ut se matrem exhibeat, necesse est permoveant. Evolvant illi quatuor Evangelia, expendant omnes de peccatoribus tum parabolas, tum historias, & si possint, ostendant, ubi Christus peccatores ad se venientes vel severo vultu terruerit, vel aspero verbo increpuerit, vel manibus rejecerit, vel durius exceperit. Et hic est meus quo contra severos Confessarios pugno, Achilles, hoc meum est palmare, quo illos refuto, argumentum, Christi exemplum. Isaia 66. v. 13.

Nunc ergò proponamus de peccatoribus vel parabolas, vel historias ab Evangelistis expressas. Matthæi 18. Regi volenti rationem exigere à servis suis, oblatus fuit, qui debebat ei decem millia talenta; grande profectò æs, & solutu difficile. Cùm autem non suppeteret ei quo satisfaceret, & tanta nomina ei aderet, supplex Domino suo accidit, dicens: PATIENTIAM HABE IN ME, *& omnia reddam tibi*. Habuit patientiam, & misertus est miseri misericors Dominus. Ecquis non stupeat clementiam, non tantum demisit, sed & debitum omne remisit. Is tam insigni à suo Domino mactatus beneficio, mox alium è conservis indigno mulctavit maleficio: cùm enim paulò post obvium fors habetet unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, tenens suffocabat eum, dicens: *Redde, quod debes*; at ille ut flecteret ejus iracundiam, flectit genua, & procidens rogabat eum, dicens: PATIENTIAM *habe in me, & omnia reddam tibi*. Ille autem noluit; sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Hanc barbariem ut rescivit Dominus, vocavit illum, dicens: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergò oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus quoadusque redderet universum debitum*. Matth. 18 v. 32.

Non fabula, nec parabola, sed historia hic de te narratur, ô sacerdos, quisquis patientiam non habes, non cum tuis sed Dei debitoribus. Memineris quod titulis, quot nominibus sis Deo debitor: quoties cùm non esses solvendo, clamasti: *Patientiam habe in me*; habuit, demisit omne debitum, & non semel, neque iterum,

rum; non septies, sed septuagesies septies; & interim procidit ad genua tua unus qui fors debet centum denarios, ubi tibi demissa sunt decem millia talenta, & est debitor non tibi sed Deo; sed quia Dei es vicarius & ærarius, tibi supplicat, dicens: *Patientiam habe in me*; jam retulit decem gravissima peccata, tu impatientiâ commotus, stomacharis, & velut alter in Antonium Tullius, in eum amarulentis verbis bilem evomis; alter orat: *Patientiam habe in me*, iterum refert alia decem atrocia crimina; hic tu totus ardes iracundiâ, & eum tantum non suffocas, & velut obtorto collo ad inferorum carcerem condemnas. Siccine immemor tuorum debitorum, tot delictorum adolescentiæ tuæ & exinde commissorum? Hunc tuum conservum flentem, dolentem, ultrò se accusantem, arguis, obsecras, & propè in desperationem adigis? Siccine qui venerat ad patrem, reperit carnificem? Venit ad te hic æger ut acciperet antidotum, & tu præbes toxicum? Non times, ne aliquando audias ex ore tui judicis, *serve nequam*, injustè judex, *omne debitum dimisi tibi, &c.*

Ecquam partem agebat pater prodigi, cùm filium suum ex lupanari reducem, ex cœno eductum excepit, quàm Confessarii? Et cujus, amabo vos, personam sustinebat filius prodigus, nisi pœnitentis? Erat hic non qualis qualis, sed insignis nequam, incestus, fornicator, patrimonii decoctor, voracissimus helluo, spurcissimus leno: commiserat non vulgaria & communia, sed atrocia & insolentia scelera. Quid debebat exspectare, nisi aspera verba? Quid timere, nisi fustes, & verbera? Et tamen ubi flens, & confitens venerat in conspectum patris, nil est hic videre nisi blanda oscula, suaves amplexus, verba dulciora super mel & favum, tenerrimi amoris indicia: *Citò proferte* *stolam primam, & induite illum: date annulum in manu ejus, & calceamenta in pedes ejus: adducite vitulum saginatum, & manducemus, & epulemur.* Nulla hic fit mentio de anteactæ vitæ flagitiis, nullæ exprobrationes, commonitiones, comminationes; nil stillat ex lingua nisi favum, nil ex labiis nisi lac & mel. Quid ad hæc tu duri oris sacerdos, ad duri cordis peccatores? Jacet supplex ad pedes tuos miser peccator, te eligit in suum, à quo curetur medicum: à quo erudiatur, magistrum: à quo excipiatur, patrem: cui arcana pectoris aperiat, amicum; ejulans, suspirans, lacrymans vitæ errata patefacit, vulnera ostendit; summo contriti cordis dolore, pudore suffusus expectat tanquam à medico pharmacum, à Magistro documentum, à patre solatium, ab amico subsidium. Et tu ad eorem ipsius scelerum, acuis linguam tuam ut gladium acutum: labia tua non sunt favus, sed virus distillans: non lac & mel sub lingua tua, sed fel aspidum: non jubes proferri stolam primam, sed exprobras pessimam peractam vitam: non præcipis adferri annulum, sed intentas supplicium; nec mandas dari calceamenta in pedes ejus, sed minaris ligatis manibus & pedibus mittendum in tenebras exteriores. Miraris non dehiscere terram, ut vivus ad inferna descendat. Hinc nil audire est, potissimum si conservum Ecclesiasticum teneat, nisi, serve nequam, progenies viperarum, semen Chanaan, vas ad contumeliam, spelunca latronum, titio rogi infernalis, & sexcenta ejusmodi cognomina & scommata in miserum pœnitentem evibrata.

Luc. 15. v. 22.

Hîc adeste & obaudite pastores animarum, vel Christus erravit, qui prodigum blandè, vel hic sacerdos, qui pœnitentem durè excepit. O sacerdos! non es Samaritanus sed Judæus, non infundis vulneribus ægri tui, ut cures, oleum; sed ut eneces, acetum: non solvis ligatum, sed fortius ligas solvendum: cui debuisses rutilis clavibus à Deo datis, cælum aperire, claudis. Jam enim hic pœnitens qui venerat ut se maculis purgaret, novis se inquinat: nam & detestatur Confessarium, & redit ad vomitum, & iterum in volutabro volvitur, & abhorret pœnitentiæ Sacramentum, tanquam animæ tormentum.

A prototypo vestro Christo ne recedatis, monet aureo sermone Chrysologus: *Sic Pater indicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella*: quo sacerdotis magni testimonio & exemplo instruit absolventes, ad oscula & amplexus invitat pœnitentes: *Quis*, inquit, *hic desperationi locus? Hic simulatio quæ timoris? Nisi fortè timetur occursus, terret osculum, turbat amplexus.* Chrysolog. serm. 2.

Sed ad Evangelicas historias pergamus, in quibus elucet Christi in peccatores humanitas, in pœnitentes lenitas. Veniebat ad Christũ mulier, non aliâ re, quàm prostitutæ castimoniæ infamiâ celebris, à septem dæmonibus possessa, cujus cum immensum fuisset singula scelera recensere, vocatur ab Evangelista *peccatrix*, quo verbo, velut compendio omnia comprehenduntur. Illa ergò mulier, quàm omnes propter infamiam fugiebant, propter scelera detestabantur, pudenter impudens, & piè improba, domum Pharisæi non invitata ingreditur: totam se ad ejus pedes prosternit *sub quibus jacere, supra mundum stare est*, ait Paulinus; eosdem osculatur, quos osculari, castitas est; ante illum dejicitur, cui cadere, resurrectio est. Quid interim Christus? Nonne hæc otiosus, aut biliosus spectavit? Dum Magdalena exhibebat contriti cordis obsequia, Christus infundebat Magdalenæ gratiæ fluenta: dum Magdalena Christi osculabatur plantas, Christus Magdalenæ osculatur animam: dum illa Christi abluebat pedes, Christus illius abluebat mentem: illa lachrymabatur, Christus commiserabatur, & hanc illi plenissimam omnium absolutionem impertiebatur: *Remittuntur tibi peccata, vade in pace.* Luc. 37. S. Paulin. epist. 4. ad Sever. Luc. 7.

Ubi sunt iterum aspera tua verba, ubi increpationes, ubi invectivæ, quas tantopere commendas, ô animarum carnifex (hoc enim nomen tibi solum relictum est) ô sacerdos! quis quis animas magis crucias, quàm sanas?

Benè per Salomonem dixit veritas: *Noli esse justus nimium*, quasi diceret: noli nimiam justitiam à proximo exigere, & qualslibet injustitias damnare, aut censoriâ virgâ castigare, cùm nullus Eccl. 7.

nullus sine peccato sit. Undè rectè Divus Gregorius: *Cùm alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in aliis excessimus, delicta cogitemus: considerata namque infirmitas propria, mala nobis excusat aliena: patienter namque illatam injuriam tolerat, qui piè meminit quod fortassè habeat, in quo debeat ipse tolerari.* Cum ergò in multis Deum omnes offendamus, debemus multas offensas dimittere, & secundùm propriam infirmitatem, aliorum imbecillitati compati.

Greg. lib. 5 mor. cap. 30.

Mysterio non caret quod Christus vetuerit discipulis portare virgam? nam ut observat Ambrosius: *Quid est virga, nisi praeferenda potestatis insigne, & ulciscendi instrumentum doloris? Eos ergò misit, qui vim potestatis non exercerent.* Non sedeant Confessarii cum virga quæ est symbolum severitatis; sed cum oliva, quæ est argumentum benignitatis. Sunt aliqui qui propè ad singula peccata etsi vulgaria, *virga oris sui*, percutiunt pœnitentem, interpellantes eos importunis verbis: non te pudet hæc commisisse? Frons meretricis tibi facta est: miror terram te non abhorruisse: propter te tempestas grandis bellorum & calamitatum venit super nos. Hinc contemptus pœnitentis, æstimatio sui, dicitque in corde suo quod Pharisæus ille ventosæ linguæ: non sum sicut hic Publicanus, non sum sicut hic adulter, sicut hic sacrilegus; sed meminerit is moniti Augustini: *Non est peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit Rector, per quem factus est homo*; non est peccatum quod ullus pœnitens commisit, quod non & ille commisisset, nisi Dei clementia præservasset. Et tu sors sacerdos si fuisses in iisdem occasionibus, iisdem periculis expositus, tot allectus illecebris, te gravius contaminasses: ubi tuus ille pœnitens fuit tantum genu tenus, tu fuisses collo tenus immersus: ubi ille tantum peccavit cogitatione, tu peccasses opere. Et fortè ne sic quidem lutulentus venisses ad hoc crœnicentum balneum ut sordes ablueres; & ut venires, quàm blandè tecum agi velles? Revoca ergò tibi in memoriam illa Pauli verba: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Tu qui sedes in tribunali, cave ne inde cadas in foveam, in quam miraris, & indignaris alterum cecidisse.

Matth. 10 v. 10. Ambr. lib. 7 in Luc. cap. 10. Confessarii ita a tios severi, ut eos inferant propter infirmitatis.

August. lib. 50. hom. 23.

1 Cor. 10. v. 12.

Utinam imitarentur Confessarii omnes D. Ambrosium, de quo ejus Clericus Paulinus: quotiescumque quis ad promerendam pro peccatis veniam, ea ipsi confitebatur, adeò intimâ cordis commiseratione afficiebatur, ut deflens audita, sicut sua peccata, ad secum flendum pœnitentis provocaret affectum. Crimina autem ab illis accepta, apud Dominum loquebatur, relinquens exemplum posteris sacerdotibus, ut intercessores magis sint apud Dominum, quàm vindices & accusatores. Hunc imitare, aliorum peccata tibi eliciant lacrymas, non querelas: excitent ad commiserationem, non ad indignationem; denique audi cum *omni patientia* in spiritu lenitatis ut Pastor, non ut non tortor, ut pater, non tyrannus. Nullo signo exteriori ostendas te pœnitenti irasci, aut indignari; cum ex eo circumstantes sæpè non obscurâ conjecturâ assequantur, pœnitentem gravia aliqua peccata commisisse, ut si manu gestum indignantis exhibeas, vel altius ingemiscas, vel crucis signo te munias, vel elatiori voce contendas, Domino sic in Deuteronomio dicente ac præcipiente: *Non abominaberis Idumæum*, id est peccatorem terrenum, confusionis rubore perfusum (sic namque Idumæus interpretatur) *quia frater tuus est.* Justissimam adfert causam Paulus, cur miseris peccatoribus, jam à tentante diabolo victis, sit compatiendum: *Fratres, etsi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, ne & tu tenteris*; contingit enim non rarò justissimo Dei judicio, ut illi qui erga peccatores tam severos se exhibent Rhadamanthos, incidant subindè in eadem, si non graviora scelera, vexentur tentationibus. Et ut vobis hujus rei fidem faciam, accipite quod eam confirmat exemplum. Refert hoc Joannes Cassianus. Senex quidam in Ægypto monachus, alium juniorem monachum, cum in confessione audivisset lasciviæ & libidinis stimulis subindè pungi, immoderatâ & asperâ reprehensione tantum non ad desperationem eum compulit, indignum monachi nomine & habitu eum contestans, cujus adeò pectus impudicis cogitationibus pateret. Sed mox ipse, justo Dei judicio, iisdem libidinis tentationibus tam acriter cœpit infestari, ut jam sicut juvenis altet, de Religione deserenda, & mundo repetendo, animo deliberaret. Cæterùm sapientiâ ac sanctitate prædítus Apollo Abbas, juvenem vultu dimisso, & mœstis oculis cernens, cum tristitiæ causam sciscitatus, intellexisset, blandissimis verbis eum consolatus est, docens non esse flagitium, sed potius meritum fœdis cogitationibus impugnari, modò quis non succumbat; nam se quoque eadem passum; Deo tamen opitulante, nunquam consensisse.

Deuteron. 23.

Gal. 6. v. 1.

Cassian. collat. 2. cap. 13.

Qui in pœnitentes adeò severi, sæpè in eadem, & graviora incidunt.

Tum deinde senem illum, jam relicto, in quo ætatem triverat, tugurio, vagum, profugumque ad se advocans, ut i ediret, admonuit, & jam suam expertus imbecillitatem, alienæ misereri disceret, non irasci. Post hæc, pro illo precatus, tentationem oratione abegit. Improvidus igitur ille, & acer confessionis auditor, nonne & se & pœnitentem perdidisset, ivisset.

Norma omnibus Christus est; ite ad templum ubi Christus docet, videbitis illuc adductâ à scribis mulierem in adulterio deprehensam. Pharisæi mulierem accusant, Christus excusat; illi volunt eam lapidari, Christus defendit; illi cupiunt Christum proferre in eam sententiam mortis, ille profert sententiam vitæ. Denique omnibus abeuntibus, incipiunt labia ejus stillare mel & favum: *Mulier ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo. Vade, & jam amplius noli peccare.* Tu diceres: vade post me Satana, incarnate diabole, cave amplius peccare, ne tibi dæmones collum frangant, ne cælum in te fulminet, ne Deus te diris omnibus tradat. Hoc non est dimittere in pace, sed inferre bellum: hoc est asperarum reprehensionum & duriorum verborum in pœnitentes lapides jacere.

Ioan. 8. v. 10.

In vita. Pœnitenti compati oportet.

Reli-

Relicto templo perambula, si lubet, cum Christo Jericho, & videbis illic in arbore fructum non bonum, principem publicanorum, hoc est Alpha peccatorum, Zachæum nomine. Cui Christus: *Zachæe, festinans descende; quia hodie in domo tua oportet me manere.* Illius domus erat *cubile draconum*, id est omnium scelerum: *spelunca latronum*, id est publicanorum. Christus tamen isti domui non maledixit, non minatur incendium, non intentat excidium; *sed hodie salus domui huic facta est*; illic tota domus fluit melle, ubique stillat ex labiis ejus favus. Si quis ad te veniret Publicanus, qui exhausisset Principis ærarium, evacuasset crumenas pauperum, spoliasset viduas, oppressisset orphanos, non diceres, salus huic sit domui; sed furor totam domum jam dudum funditus non fuisse eversam, aut fulmine incensam ob tot tua scelera.

Luc 19. Isa 34.

Sic percurrite omnia Christi acta, non invenietis nisi viscera misericordiæ, nisi paternos amplexus, aurea oscula, materna ubera, labia melle & lacte stillantia, remissa debita, promissa præmia.

Ergò si Christus primus & summus Ecclesiæ Pontifex tam benignus & suavis peccatoribus exstitit, quis ejus in terris Vicarius audebit peccatores habere acerbius, perstringere durius, repellere crudelius? An unquam Redemptor, animarum pastor, vel negavit absolvere, vel recusavit audire recedentem à scelere? An relapsis solutionem vinculi negavit, qui Petrum jussit ea solvere septuagies septies? Quare ergò in Ecclesia Christi exercetur acerbitas, quam Christus neque jussit, neque exercuit? *In qua auctoritate hoc facitis?* si Christus hanc rationem secutus est, quis eam nunc sequetur? si pœnitentiam ipse constituit in portum, quo exciperentur qui naufragium in voluptatis vadis fecissent; quis illam in syrtim aut charybdim fluctuantium commutabit?

Ioan. Paulus Oliva part. 1. conc. 18.

Hoc argumentum doctè & disertè Orator Pontificius coram SS. Domino Alexandro VII. & purpuratorum Patrum senatu pertractavit, ubi hanc objectionem refutat: audio, qui in mentem revocet, Sacramentum pœnitentiæ à Christo institutum in formam judicii. Accipio institutionem; nihilominus asserto, interni fori judicium planè esse diversum à litigioso, & à Fisci terroribus. Alioqui, ubi in isto amicissimo tribunali reperies astutias inquirentium, barbariem apparitorum, formidinem monitoriorum, ignominiam captionum, stridorem catenarum, horrorem carceris, atrocitatem tormentorum, terrorem carnificis, & infamiam supplicii? Judicium est, ait sanctus Zeno, sed in quo delictis agnitis parcitur, & convictis reis diadema imponitur: *Novum judicii genus, in quo reus si excusaverit crimen, damnatur; absolvitur, si fatetur.* Et quis poterit causam capitalem illam appellare, in qua qui noxam ore proprio aperit, in pœnam osculo pacis excipitur, & recedit non tantum liber vinculis, sed etiam gratiâ & beneficiis donatus?

Idem cit.

Zeno ser. 2. ad Neophyt.

Volunt hi severi censores, Vicarios Christi, dentes Ecclesiæ esse, quibus admo[...] Dentes tui sicut grex tonsarum. Habent den[...] quit Gilbertus; sed non dentes tygridis [...] ursæ, non lupæ, quæ carnes vorant, & ossa [...] minuunt; habent dentes ovium, quibus [...] mordent sed herbam detondent, quam i[...] convertant: *Nolite fratres, vereri morsus istorum dentium, non sunt canini, sed ovium dentes tui sicut grex tonsarum.*

Cant. 4. 2.

Gilbert. serm. [...] cant.

Quod si canes vos statuerit pro domo Dei & custodiâ gregis, dentes contra lupos exercite, non ut oves dilaceretis, quarum etiam scabiem linguâ lambere debetis; ad hoc vobis lingua à Deo data est, ut in tribunali pœnitentiæ, peccatorum ulcera lingatis; non enim in leve cederet dedecus Ecclesiæ, si melius & mitius foret Lazaro ad limen epulonis jacenti, quàm animabus ulcerosis ad Crucifixi Probaticam; si dum canes scelerati hominis linguâ medicantur miseri mendici ulceribus, Dei sacerdotes dentibus roderent, & unguibus laniarent corda pœnitentium, confugientium ab Euphrate procelloso desperationis, ad amœnissimam piscinam Siloë, redundantem misericordiæ divinæ fluentis.

Norat Africanus Doctor hoc forum pœnitentiæ habere formam judicii, rectè tamen ab eo omnem acerbitatem & amaritudinem [ex]cludit, dum Judices sine felle, mites ut columbas esse desiderat, ut solo gemitu & plurimarum suavitate facinorosos ad spem veniæ animent: *Veni, inquit, columba te vocat, gemendo te vocat fratres mei, vobis dico, gemendo vocate, non rixando. Vocate orando, vocate jejunando; intelligant, quia doletis illos. Non dubito, quia si videant dolorem vestrum, confundentur, & reviviscent. Veni ergo,* (ô peccator) *veni, noli timere; time, si non venis; imò noli time, sed plange.* Vos alloquitur Augustinus dispensatores sanguinis Christi, & vos cupit columbas esse peccantibus: *Columba, inquit, fel non habet.* At dum sub alis columbinis, & plumis Ecclesiasticis ad formidinem pœnitentium, fremit acerbitas monitionum, amaritudo objurgationum, durities interrogationum, pœnæ imprudenter inflictæ, dilata absolutio, negata indulgentia, petitiones repulsæ, lacrymæ contemptæ, tædium, indignatio voce & gestu ostensa, non columbarum hæc lenitas est, sed ferocitas vulturum.

August. tract. 6 in Ioan.

Ibid.

Columba fel non habet, *vocate gemendo, videam dolorem vestrum*, videant lacrymas commiserationis. Exemplum sume à Divo Hugone Carthusiano, qui pœnitentes patientissimè ac placidissimè audiebat, ipse jam Episcopus, & plerumque cum flentibus flebat; imò semel cum quidam ei graviora scelera explicasset, incubuit ipse super caput ejus, & tantam vertici ejus infudit lacrymarum copiam, ut madefactis capillis, decursum ejus rivuli per confitentis ora defluerent. Ita ag[...] sacerdotes, suis lacrymis submergant pœnitentium peccata, & ut alios ad fletum moveant, ipsi flendo præeant.

Tales sine felle, & columbinis oculis super rivos aquarum Confessarii, incredibile quàm potenter in animos pœnitentium penetrent & contritionis motus excitent. Ipsa, qua exci-

piuntur,

piuntur, lenitas eos pungit, ferit, & ab inveteratis ulceribus putridum sanguinem elicit: *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula*, quæ in rem nostram sic exponit Augostinus: *Duri erant, & molles facti sunt, Molliti non virtutem amiserunt, sed in jacula conversi sunt. Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi molliti sermones, ipsi sunt jacula*; quæ etiam quamtumvis obdurata peccatorum corda penetrant, è quibus suavissima dolentis animi suspiria erumpant.

Psal. 54. v. 22.

Eleganti hîc similitudine divinus Orator usus est, dum ait, pœnitentum animus instar fidium cytharæ esse. Rudi adhuc in arte tyroni traditæ, suavissimum illud musicæ instrumentum, ilicò percipietis molestissimum sonum, & dissonantiam intolerabilem, ob vehementem fidium percussionem, quas ignatus discipulus non tangit, sed frangit; easdem verò si peritissimus musicus, dextrè pulsat, & summis libat digitis, concentum mirificum illæ cient. Ita scripsit Plutarchus ad Trajanum: *Leniter atque placidè fides, non vi & impetu concuti debere*; quæ in animis tractandis maximè servanda.

Adm. R. P. Oliva cit. Corda pœnitentium, ut chordæ cytharæ leniter tangendæ.

Plutarch. ad Trajan.

Quòd si his, rigidi illi satellites, & animarum carnifices non acquiescant, verebuntur & reverebuntur, uti confido, ex Petri cathedrâ summi Pontificis, ejusdemque sanctissimi Doctoris Ecclesiæ Gregorii Magni oraculum. Hic nonâ indictione scribens non ad unum Latii Antistitem, sed ad quatuor Patriarchas Orientis, sic loquitur. Dilecti, & Venerabiles Fratres, si ad Christum revocare contumaces vultis, exuite forum internum omni vel levissima acerbitate. Induite paterna viscera, ut nemo ex subditis timeat sub oculis vestris sua ulcera nudare, se[...]rûs medicamenti & balsami, ut recipiat sanitatem. Excipite peccantes in spiritu lenitatis, audite in omni patientia, ut ii certò sibi polliceantur, in naufragio scelerum, patere tutissimum indulgentiæ vestræ portum: *In quâ videlicet compassione necesse est, ut talem se, qui præest, exhibeat, cui subjecti quique occulta sua prodere non erubescant, ut cùm tentationum suarum fluctus parvuli tolerant, ad Pastoris mentem, quasi ad matris sinum recurrant.*

S. Greg. l. 1 epist. 42.

At si Gregorius Pontifex Maximus, cogit primates Ecclesiæ sic demittere majestatem, induere lenitatem, ut suis pretiosissimis infulis, amantissimâ suavitate, pœnitentum alligent ulcera; quid dicerent Christiani, si sacerdotum inferiorum humiles stolæ in verbera & flagella converterentur: si in ipso misericordiæ fonte, verborum amaritudine, inamabiles fletus noxiorum pœnitentum sævirent? Quis enim ferret asperitatem intolerabilem in minimis Episcoporum substitutis, si Gregorius Christi Vicarius, Patriarchis ipsis imperat pietatem tam suavem?

Nunc, quod in foro *clementiæ*, ubi acceditur *ad thronum gratiæ*, contra severos illos judices maximè militat, summi illud momenti est, quòd confessionem reddant odiosam, os pœnitentibus occludant, sacrilegia inducant, ad desperationem adigant, hæreticorum sannis & cavillis hoc tribunal clementiæ, quasi animarum torturam & carnificinam exponant, se denique tot pereuntium, quos naufragos è tabula deturbarunt, reos efficiant.

Heb. 4. 16. Incommoda & scandala à severis confessariis orta.

At non sat grave videtur, quòd unus homo apud alterum se reum constituat, coram ipso genibus flexis, summo pudore occulta flagitia, non solùm opere commissa, sed vel cogitata aperiat, & pœnam deposcat? Hoc pudoris & verecundiæ supplicium abundè satis videbatur benigno Patrifamilias, ut iniquissimis villicis post cædes abominandas parceret; quàm ut illis incuteret: *Novissimè misit filium suum, dicens: Forsitan verebuntur filium meum.* Num sola verecundia villicorum potuisset Deo satisfacere, sanguinem abstergere, & horribilium cædium veniam impetrare? Impetrasset omninò, inquit Chrysostomus: *Misit confundere illos: nam pro tantis injuriis*, SUFFICIEBAT DOMINO, SOLA VINDICTA PUDORIS. Et vultis in spontaneis reis, pudorem pudori, genarum rubori, confusionem objurgationum, exprobrationum, execrationum, obligationum adjungere, ut ad aures usque pudore suffusi, mente confusi, corde turbati, piscis, instar elingues hæreant, animo exacerbati, Sacramentum, ipsumque ministrum execrati discedant, apud alios depingant, malintque suas animas Lucifero tradere in æternum cruciandas, quàm illis sacerdotibus sistere absolvendas; sic enim excepti, (ut experientiâ omnis quàm sæpè compertum est,) vel correptione deterriti, tribunal hoc refugiunt; vel sacrilegè, graviora supprimentes accedunt; atque ita in piscina maculas multiplicant, in sanguine Christi seipsos contaminant, & ad quem venerant concepto dolore, ab eo abscedunt patrato sacrilegio, lætantibus & plaudentibus inferis.

Matth. 21 v. 37.

Chrysost. hic.

Audiant hi Apem Claravallensem, in perniciosam hanc acerbitatem aculeum egerentem: *Cur morsus à serpente parvulus fugit conscientiam sacerdotis, ad quem eum oportet, tanquam ad sinum matris recurrere?* Quid ad hæc? Tacetis? Non tacet Bernardus, qui causam adfert, cur se à pedibus tuis, tum à pedibus Christi abducant. Si mutatis stolas in verbera, si fel linguâ evomitis: si habetis in pectore non ubera lacte manantia; sed ollas ignem & fulgetra ejaculantes, quomodo vultis eum, qui peccavit, non exhorrescere, & ad severissimum pharisaicæ crudelitatis judicium non pertimescere? *Mansuescite, ponite feritatem: suspendite verbera, producite ubera: pectora lacte pinguescant, non typho turgeant.* Quòd si severior adhibenda est monitio, exhibete vos patres, non tyrannos: *& si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica.*

Bernard. serm. 23. in Cant.

Ibid.

Sed hac lenitate paternâ, & indulgentiâ maternâ, dicetis nimiæ ad peccandum licentiæ frena laxari? Pro me respondentem habeo Hipponensem Præsulem, qui per hanc potius spem veniæ concipi, & cælum aperiri; severitate verò hominem jam in desperationem actum, in omnia præcipitem scelera ruere adstruit: *Sed augent, inquis, homines peccata spe veniæ. Nonne attendis quàm licentiosâ crudelitate vivant gladiatores?* Qui spe vitæ desperatâ, in omne

Objectioni occurritur.

August. in Psal. 101.

scelus proruunt, seque omni licentiæ & libidini dedunt. *Vnde hoc, nisi jam tanquam ad ferrum & victimam destinati, explere volunt libidinem, antequam fundant sanguinem. Redite prævaricatores ad cor. Nolo mortem impii. Hoc procul dubio portu proposito, depone vela iniquitatis, converte proram, velificas ad justitiam, speras veniam, non negligis medicinam.* Jactare modò; severitatis vallo viam claudi vitiis, si convincit Augustinus, per eam omnibus flagitiis portam aperiri; & dum vos declamatis gravioribus peccatoribus etiam lacrymis profusis, cælum clausum, antes misericordiæ Dei occlusas, si in æternum miseri futuri sint, ne & hîc miseri sint, in omnem luxum & libidinem se effundunt, dicitque desperabundus peccator: *Perditâ spe reparationis, vel hoc habeam quod video, si non possum habere quod credo.*

August. in Psal 50.

En, quem fructum referant cum impatientia, cum rancore, & rigore suo: horrorem Sacramenti, execrationem Ministri, desperationem pœnitentis.

Ad hæc accedunt hæreticorum obstrepentium latratus & morsus, ad quos tales Æaci & Rhadamanthi illos irritant & provocant; ut Calvinus blaterer, confessionem *esse laqueum*, quo pœnitentes strangulentur. *Hac carnificinâ plusquam crudeliter divexata sunt eorum anima, qui aliquo Dei sensu afficiuntur. Dicam in summa, qualis lex illa fuerit. Primum simpliciter est impossibilis. Itaque non nisi perdere, damnare, confundere, in ruinam & desperationem agere est.* Hæc ex hara Calvinus, cujus impudentes latratus, & sarcasticos morsus ut retundat Tridentinum, sic definit: *Impium est confessionem impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare.* Quare, rogo vos, ne Novatorum ululatus concitetis, atque incendatis follibus acerbitatis: ne sinatis tribunal illud, quod Zephyri instar, debuerat disjicere diffidentiæ nebulas, & culpæ procellas, fiat spelunca Æolia ventorum furentium, quæ spem omnem serenitatis suo turbine dissipet, verbis & pœnis tonet ac fulminet. Ne remedium in toxicum, & vitam coxcineam in laqueum veritatis, atque iis, qui ex adverso sunt, cavillandi & calumniandi ansam præbeatis.

Lib. 3. instit. cap. 4.

Trident. sess. 14. cap. 5.

Postremum est, ut vobis, ac ovibus commissis consulatis, ne simul pereatis, & tot animarum rei existatis, quot in portum tendentibus tabulam subtraxistis, & clavibus à Christo datis cælum clausistis, ac infernum aperuistis: nam ut verè & severe Salvianus: *Multos secum præcipitat in mortem, & necesse erit, ut sit pro tantis reus, quantos secum traxerit in reatum.* Cujus miserandæ ruinæ, ac sceleris enormitatem, atroci similitudine expressam invenio: sicut, qui in civitate puteum unicum veneno inficit, gravissimi criminis reus est; sic qui pœnitentiæ Sacramentum aut asperitate videri facit horridum, aut pravitate sua inficit, gravissimè peccat. Tandem subjungit Sucquetius: *Existimo talem vix unquam serio converti ad Dominum, qui tabulas pœnitentia excussit è naufragorum manibus: qui parvulis & simplicibus tantum posuit offendiculum.* Apta est metaphora: miser ille passus jam naufragium gratiæ divinæ, & omnium meritorum, prehendit sacram pœnitentiæ tabulam, eâque, aspirante Dei Spiritu, ad sedem tuam, velut ad portum navigat; tu interim illum jam nudum, tantum non submersum, naufragum, acerbitate tuâ, de tabula deturbas, ut in altum scelerum revolvatur, ac tandem in profundum inferni demergatur.

Salvian. lib de provid.
Sucquet. via vita. lib. 3. cap. 27. fol. 891.

Quâ fronte, quâ conscientiâ applicabimus ferrum, quod Christus non dedit? Cur ea non exhibebimus oscula, quæ Christus non negavit; sit peccator prodigo iniquioatior, nisi Evangelio renuntiemus, debet divino adhiberi convivio, stolâ gratiæ, & annulo cohæredis regni decorari. Quis abnuat amplecti pœnitentem, si Dominus osculatur prodentem, quem visceribus cordis excepisset, & sanguine suo abluisset confitentem?

Nec minorem Pœnitentiæ Sacramento, ipsique Christo injuriam inferunt, & animarum ruinam inducunt Confessarii, qui graves, & atroces, etiam ob leves culpas, nullo respectu dispositionis habito, pœnas imponunt.

§. III.

Confessarii hamo gravium pœnarum, corda & ora pœnitentium non lacerent.

OCculis patet, quod expertus cecinit:

Qui semel est læsus, fallaci piscis ab hamo
Omnibus unca cibis æra subesse putat.

Ovid. de Ponto, lib. 2. eleg. 7.

Ita semel duriter excepti, hamatis ciliciis, æreis flagellis, arctis inediis addicti, dum ferendo non sunt, thronum gratiæ refugiunt, rursus mortale admittunt, & se in profundum demergunt.

Nihilominùs publicè è pulpitis, & privatim in congressibus deblaterant, & severè denuntiant, errare Confessarios, & à primitivo Ecclesiæ instituto, quo ad menses annos sceleratis pœnæ & supplicia inferebantur, quàm longissimè decedere, tam molli manu pœnitentes suos demulcentes, Sacramento derogare, & à timoratis ac salutis suæ studiosis, ejusmodi Confessarios omninò devitandos: non enim eos pœnitentium saluti, sed frequentiæ studere. Quibus, ut quàm modestissimè respondeam, quis antiquæ Ecclesiæ usus, quis sacri Concilii Tridentini, quis Theologorum ac SS. Patrum sensus, & sanctorum virorum praxis fuerit, paucis edocebo.

In eos, qui atroces pœnitentias etiam ob leves culpas imponunt.

Præmitto, quòd sive magna, sive parva pœnitentia imponatur, essentiam Sacramenti subsistere, & de gratiâ impetrata pœnitentem securum esse debere, cùm hæc duntaxat pars integralis sit; sicut homo, etsi membro mutilus, perfectus homo est. Atque ita absolutio subsistit in naufragis, & animam agentibus, etiam citra ullam impositam pœnitentiam.

Hoc posito, ad primum, quod grandi ore, & ingenti laterum nisu concrepant, antiquæ Ecclesiæ

clesiæ praxim, qua pro gravioribus flagitiis publicæ deprecationes, quadraginta dierum, imò & septem annorum pœnitentiæ imponebantur: respondeo meram esse fallaciam, & populo nequiter imponi, dum inter publicas & privatas pœnitentias: inter tribunal externum, & internum non discernunt. Olim enim, præter Confessarios, quos Pœnitentiarios vocabant, & privatim ut nunc confessiones audiebant, teste Baronio, externum tribunal vigebat, in quo de publicis adulteriis, veneficiis, homicidiis, sacrilegiis, apostasiâ, hæresi, ceterisque ejusmodi sceleribus, decorem & splendorem Ecclesiæ obscurantibus cognoscebatur; quemadmodum & nunc talis jurisdictio in usu est, atque ad Officiales seu Judices, id genus crimina & scandala deferuntur; quorum convictis, fateor olim pœnitentias illas graviores imponi solitas, & publicè exactas; uti & modò adulteri convicti, concubinarii, & ganeones publici, asinis imponuntur, virgis coronantur, plebi ludibrio exponuntur. Verùm, an à publicis illis mulctis, ad privatas recta est consecutio? Et quæ in foro externo, ex justitiæ rigore, & ad exemplum populi, pœnæ imponuntur, ad forum gratiæ trahendæ sunt? An prudentis esset Confessarii hæc aut his similia adulteris se clanculum accusantibus commendare, imò præcipere?

Baron. anno Chr. 56 n. 24. 25.

Quàm ergò hæ publicæ pœnitentiæ ad privatas ineptè revocentur, & ineptiùs proponantur, Theologi edisserent.

Ad manum est Ægidius Cuninck, qui docet: "nulla jam lex est humana vel divina præscribens certam aliquam pœnitentiam, quam "sacerdos pro his vel illis peccatis debeat in"jungere; sed hoc relinquitur ipsius arbitrio, "non quidem ita, ut pro libitu possit pro qui"busvis peccatis gravem vel levem pœni"tentiam injungere; sed quia ipsius est judi"care, quæ omnibus perspectis, hîc & nunc "pœnitentia sit injungenda. Est communis "Doctorum, & eam apertè docet Innocentius III. c. Deus qui, 1. de pœnitentiis.

Coninck. de Sacramentis, disp. 10. dub. 8. concl. 6. Theologorum sententiæ, pœnitentiam ex arbitrio Confessarii rectè imponi.

De veteris autem Ecclesiæ Confessariis, ita pronuntiat: *Imò etiam olim simili modo fuisse permissum sacerdoti, ut in hoc foro eam pœnitentiam injungeret, quam crederet hic & nunc maximè expedire injungi, colligitur ex C. mensuram 85. de Pœnitentia, D. 1. Quare Canones pœnitentiales, qui habentur in quibusdam Conciliis, aut solùm erant pro foro externo (quamvis etiam in hoc, multum permittebatur judicio Episcopi) vel non continebant præceptum, sed tantùm quasdam regulas, quibus Confessarii possent instrui, ut eas, quantum judicabant commodè fieri posse, sequerentur.*

Hæc jam dudum, ut recentiores mittam, principes Theologi tradidêre; *Albertus* scientiâ & sanctimoniâ *Magnus*, magni Thomæ Magister: *Dicendum*, inquit, *quòd numquam apertè præscribitur regula pœnitentiæ*, in Confessione servanda; *sed tria tamen ad minus attendenda sunt: scilicet peccati qualitas, contritionis quantitas, & status pœnitentis.* CANON *autem non attendit nisi unum* (nempe peccati qualitatem) *& ideò quod dicit, non est nisi quasi exemplar ad dirigendum in aliis; ad minorandum ab illo, vel illi addendum, secundùm arbitrium discreti sacerdotis, hæc tria solenniter observantis.*

D. Albert. M. in 4. dist. 20 art. 14.

In eundem sensum & sententiam Divus Bonaventura: *Canones instruunt in generali, qualiter imponenda est pœnitentia. Sed dum descendendum ad singularia, relinquunt sacerdotibus discretis, qui considerent personarum circumstantias.*

Bonav. in 4. dist. 20 part. 2. dub. 3.

Ex quibus patet, nihil ad hoc internum tribunal gratiæ, facere canones, & severas ac publicas pœnitentias in foro externo olim impositas; sed omnia arbitrio prudentis & discreti Confessarii pro circumstantiis, conditione, infirmitate corporis & animi, dispositione denique pœnitentis præscribendas. Quod pluribus comprobare aggredior.

Omnium instar, mihi ac vobis esse debet Doctor Angelicus, Theologorum Aquila, qui sic cum schola Thomistarum: *Requiritur ex parte pœnitentis, primò quidem voluntas recompensandi; quod fit per contritionem. Secundò quòd se subjiciat arbitrio sacerdotis Dei, quod fit in Confessione. Tertiò quòd recompenset,* SECUNDUM ARBITRIUM MINISTRI DEI, QUOD FIT IN SATISFACTIONE.

S. Thom. 3. par. q. 90. art. 2.

Cujus arbitrio cùm relinquatur quæ & qualis, parva an magna pœnitentia imponenda sit, ut prudenter procedat.

Primò attentè consideranda est in pœnitente, animi dispositio, peccati detestatio, sui cum lacrymis accusatio, contritio, propositum & cetera signa verè pœnitentis. Ita *Leo Papa* epistola 77. ad Nicetam Episcopum: *Tempora*, inquit, *pœnitudinis, habitâ moderatione, constituenda sunt tuo judicio, prout conversorum animos perspexeris esse devotos*; tantus enim, tamque nobilis potest esse dolor, ut sit æqualis omni pœnæ, cujus ille reus est, ita ut ab omni debito sit expeditus: & tunc sicut non superest aliqua pœna luenda, imponenda est levissima pœnitentia, potiùs ad integritatem Sacramenti, quàm ablutionem culpæ; præcipuè cùm hujusmodi pœnitentes sint adeò ferventes, & propensi ad vindictam de seipsis sumendam, ut fræno potiùs indigeant, quo contineantur, quàm calcaribus, quibus impellantur, ut videre est in S. Magdalena, & S. Petro, quorum adeò fuit insignis dolor, ut simul & culpa & pœna omnis iisdem remitteretur; tametsi illi postea gravissimis pœnis in se animadvertere nõ neglexerint.

In pœnitentiis imponendis 1. consideranda dispositio animi, detestatio & dolor pœnitentis.

Quæ autem vis & efficacia tam seriò dolentis & pœnitentis sit, ex eò, quod refertur exemplo discite. Sancto cuidam Anachoretæ erat soror prostitutæ libidinis, quam bonus frater ex prostibulo arte eductam, ita ad flagitiosæ vitæ detestationem permovit, ut in ipso itinere præ dolore extincta sit. Cùm ergò vir pius pro animâ vitâ functâ, sodalium monachorum preces postulasset, unus illorum, vir ætate & sanctitate conspicuus, cælitùs inter orandum accipit, mulierem illam concepto ingenti dolore, & eorum veniam apud Deum meruisse, & inter cælites receptam esse.

De alio nobili scorto quod sub concionem vi ardentissimæ contritionis expirârat, & omni populo, voce de cælo delapsâ beatorum choris animam ejus adlectam, nuntiatum fuisse, aliàs diximus. Ex quibus evidenter liquet, insigni

V. Festo cathedra S. Petri part. 1. Cæli Emp. §. 3.

signi animi dolore, omnia non tantum peccata, sed quæ debentur peccatis supplicia, fuisse remissa.

Sic fit quandoque, tanta sit peccatoris pœnitudo, tantus dolor animi per suspiria, uberesque lacrymas sese explicantis, ut sanctissimorum virorum exemplo, etiam levissima, pro gravissimis delictis, satisfactionis opera, prudenter omninò imponi possint & debeant illi, quia se commissa tam amarè deplorat, & tam seriò detestatur. Testem habeo Petrum de Corboel Archiepiscopum Senonensem, qui secundùm exuberantem dolorem pœnitentis, quem præ manibus habebat, mulctam planè rigidam, in mitissimam commutavit: cùm enim ad eum peccator accessisset, qui propriam filiam violenter oppresserat, septennem illi pœnitentiam injunxit. Tunc ille: quid est, ait, quod mihi mortalium flagitiosissimo tam levem & brevem pœnam imponis, qui si viverem ad extremum diem mundi, scelus numquam satis expiare possem? Cui Præsul, vade, inquit, & triduum dumtaxat in pane & aquâ jejuna. Tum ille amplius & amarius plorans, pectusque pugnis contundens, rogabat ut pœnitentiam salutarem injungeret.

Cantipratan. lib. 2. de univers. c. 51. part. 7. Dauroult. spec. exemp. part. 3. c. 5. tit. 37. §. 3.

Hanc tantam viri compunctionem Antistes admiratus, & exhilaratus, amicè hominem compellans, præcepit ut unicam orationem Dominicam recitaret, sciretque pro certo peccatum sibi remissum. Quo audito, altum ille ex imò corde trahens suspirium, in terram procidens expiravit. Nec dubia fides, sicut Illustriss. Præsul postea populo prædicavit, quin ille pœnitens sine ullâ purgatorii pœnâ, rectà in cælum evolarit.

Quid, quod & experientiâ compertum est, levissimam mulctam impositam peccatori scelestissimo, non raò occasionem dedisse, amarissimè deflendi scelera, eaque ingentibus exinde pœnis à se spontè exactis vindicandi? Pudebat enim hominem suæ impudentiæ, quod cùm Deum tam indignis modis offendisset, eum in Vicario tam facilem & benignum experiretur. Contigere hæc sæpius.

Huic practicæ doctrinæ vim addit *Nicolaus Papa* ut habetur 26. quæst. 7. cap. de his. Ubi sic Episcopum quemdam alloquitur: *Verum quia crimina non æqualia sunt, perhibes quoque alios horum propter nimiam hebetudinem in desperationem cecidisse: alios ob hoc ad Paganos fugisse; tibi hoc committimus decernendum: nimirum quæ loca & tempora regionis illius, & modum culpa,* NEC NON POENITENTIAM, ET GEMITUS HOMINUM AD CONFESSIONEM VENIENTIUM, PRÆSENS POSITUS INSPICERE VALES.

Sed hæc de fervidis, maximè contritis, & ardenter resipiscentibus peccatoribus, qui velut piscis Tobiæ ex cœno vitiorum in siccum extracti, ante pedes tuos palpitant. At qua ratione cum indispositis, minus spiritu ferventibus, curam cutis habentibus, & gravem omnem pœnam (ut passim fit) respuentibus, agendum?

Tobiæ 6. v. 4.

Vir virtute, scientiâ, & experientiâ clarissimus *Marchantius*, ex Pontificum, supra citatis, oraculis sic concludit: Judico, primò non " debere inquietari Confessarios etiam cum " magnis peccatoribus, *aliàs ad subeundas graves* " *pœnitentias indispositis*, (modò illos seriò faciant " intelligere gravitatem peccatorum suorum, " & necessitatem satisfaciendi pro illis in hoc " sæculo, vel futuro) sed posse etiam leviores pœnitentias injungere, committendo " illos judicio, & misericordiæ divinæ. Ita, inquit, planè sensit Chrysostomus, ad illa verba Matthæi 23. *Alligant enim onera gravia*, ubi ait: *Secundùm consequentiam autem, tales sunt etiam nunc sacerdotes, qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt; qui dicunt, & non faciunt, & sic dum pœna pœnitentiæ præsentis fugitur, contemnitur pœna peccati futuri.* SI ENIM FASCEM SUPER HUMEROS ADOLESCENTIS, QUEM NON POTEST BAIULARE, POSUERIS; NECESSE HABET UT AUT FASCEM REIICIAT, AUT SUB PONDERE CONFRINGATUR. SIC ET HOMINI CUI GRAVE PONDUS POENITENTIÆ PONIS, NECESSE EST UT AUT POENITENTIAM TUAM REIICIAT; AUT SUSCIPIENS, EUM SUFFERRE NON POTEST, SCANDALIZATUS AMPLIUS PECCET. Tum sic pergit: *Deinde, etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem dare, quàm propter crudelitatem? Ubi enim Paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, ut quid sacerdos ejus austerus?* Hæc ille. Dignè sanè Chrysostomo sententia. Si enim Deus ad unicum verum cordis contriti gemitum, " peccata nefandissima remittit, interdum et- " iam quo ad pœnam; quid fatigamus nos " onerando brevibus, & diuturnis pœnitentiis " peccatores? Qui etiam lucrando indulgen- " tias (quæ sæpius occurrunt) juvari possunt. Ita in tribunali suo non justitiæ, sed clementiæ doctissimus Marchantius.

Tribunal. tract. 4. tit. 7. q. 4. concl. 3.

Chrysost. hom. 43. in Matth. c. 23. v. 4.

Quaratione agendum cum pœnitentibus, qui, ut passim fit, graviores pœnitentias refugium.

Hoc spectarunt, & usurparunt viri sanctitate eximii. *Sanctus Franciscus Salesius*, gloriosus ille Gebennensium Antistes in monitis ad Confessarios suæ Diœcesis, sic mandat: *Pœnitentiæ injungendæ valde moderatæ esse debent, & iis verbis imponendæ, quæ mansuetudinem, consolationemque spirent;* PERCONCTANDO VERBI GRATIA: NUM HÆC AUT ILLA LIBENTER FACTURUS ES?

S. Franc. de Sales Mandat. Confess. ut moderatas pœnit. imponant.

P. Crenxius in vita ex Gallico part. 5. cap. 5.

Aliter qui rigidis illis aristarchis exemplar esse debet, est ardenti Dei & proximi charitate fervens *sanctus Philippus Nerius*, qui in omni patientiâ, & spiritu lenitatis velut escâ, inveteratos peccatores è turbidis aquis in siccum extraxit, quos alii rigidâ virgâ austeritatis, & hamis pœnarum in profundum abegissent.

Idem inculcat, & exemplo docuit S. Philip. Nerius.

Testis erit ille, qui ut esset uni flagitio addictus, immersusque totus, ita emersit. Cùm enim id unum injunxisset pius & clemens Pater, ut toties confiteretur, quoties in illud ipsum relabi contigisset, paruit ille, & hac pœnâ quali quali, levi certè sed salutari, ita sibi, virtuti Deoque redditus est, ut & scelus omne deposuerit, & Angelicum propè animi nitorem acquisiverit.

Lib. 2. vitæ cap. 6.

Salutares, seu medicinales pœnitentiæ injungenda.

Marchant

Eèdem

Eâdem indulgentiâ vicit, fregitque insolentem adolescentis animum, vitamque solutiorem; cùm enim id ei pœnitentiæ imposuisset, ut quot diebus *Salve Regina* septies decurreret, addito deinde terræ osculo, his verbis pronuntiatis: *Cras fortè moriar*, post modicum temporis in alium virum abiit, obiitque non sine famâ virtutis, ac sanctitatis. Ecce quam suavi escâ peccatores, ut pisces è fundo vitiorum extrahat, indulgens charitas; contrà quàm peccant feveriores illi Confessarii, qui emergere nitentes, solo pœnarum hamo protensu, ita stringunt, & deterrent, ut refugiant, jamque velut parturientes se retrahant, & in alveum recondant. Ubi id accidere videtur, quod Genesi 38 narratur: *Apparuerunt gemini in utero Thamar, atque in ipsa effusione infantium, unus protulit manum*, IN QUA OBSTETRIX LIGAVIT COCCINUM, *dicens: iste egredietur prior.* ILLO VERO RETRAHENTE MANUM, EGRESSUS EST ALTER.

Gen. 38. v. 27.

Sic habet multorum hodie ad virtutem conatus, & quædam velut ad vitam gratiæ nativitas. Apparent foras, manum exerunt, dein ubi se nimis stringi, & vinculis quibusdam pœnalibus ligari sentiunt, eodem ubi latebant, sese recondunt; quique *ad relinquendas peccatorum sordes, atque ad emittendam ritè, christianèque confessionem*, jam manum porrigebant, ut vestro obstetricante auxilio, in lucem gratiæ edi possent, novercalem manum experti, se retrahunt, & ut Rupertus loquitur: *Manum coccino ligatam citò retraxit, id est consuetam Christi sanguine pollutam avertet.*

Ferman. hic. La Haye ibid.

Rupert c. 31 lib. 8. comment. in Gen.

Immane quantum hi à lenitate sanctorum virorum (ut jam vidimus) à Patrum, & Theologorum doctrinis: à Pontificum ac sacri Tridentini decretis (quod præcipit *salutares & convenientes satisfactiones, prout spiritus & prudentia suggerit, injungere* (de quibus postea agemus) quantum inquam aberrent, & titulo sancti rigoris se palpent, S. Bernardus notavit: *Nonnulli tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, ut videri possint esurire, & sitire justitiam: si esset apud eos, de suo quoque peccatis judicium idem: sed nunc pondus, & pondus: nam contra alios tam impudenter, quàm inaniter æstuant, & seipsos tam insipientes, quam inutiliter palpant.* Sed de his jam satis.

Trident. sess. 14 c. 8

Bern ser. 4 de adven.

3. Considerãda personæ conditio. Ut cœptum prosequamur, tertiò considerãda est in pœnitente conditio personæ: cui enim prudentia, & spiritus autæ tenus, nisi potius commotionis suggereret, ut nautis, militibus, famulis, ancillis, qui sub alienâ potestate sunt: tum rusticis, rudibus, operariis, pauperculis, qui in sudore vultus sui vescuntur pane suo, triduana in pane & aqua jejunia (quos andivi) humi cubationes, templa tribus quatorve leucis distantia, visitanda: & his similia, etiam qui vix mortaliter deliquerant, salubriter imponat? Quartò habenda ratio est, ætatis, infirmitatis, officii, &c. ne pueris, puellis (crimen tamen suaviter exaggerando) conjugatis, gravidis, lactantibus, teneris, morbidis: famulis qui sine nota, & extrema penuria, cõditione suâ excedere nõ possunt, ea

4. Habenda ratio ætatis, infirmitatis, &c.

onera imponat, quæ ut supra Chrysostomus, cùm ferendo non sint, abjiciant; aut sub illis succumbant. Quæ omnia S. Raymundus in summa complexus est: *Videtur dicendum quod arbitrio Sacerdotis, pœnæ omnes taxantur, considerata circumstantiis criminis, quantitate, & dignitate & qualitate. Item personæ dignitate, officio, paupertate infirmitate, seu debilitate complexionis, consuetudine, societate, lacrymis & devotione: item regionis, & temporis qualitate.*

S. Raymundus in summa lib. 3 c. de pœnitent.

Hæc omnia consideranda sunt: ut enim pro quantitate, & gravitate morbi, non semper aptior est major & vehementior medicina; sed ubi vires stomachi, corporisque attritæ, etiam in acutissimis morbis, non nisi debilia & confortantia pharmaca præscribenda sunt; ita non rarò contingit, ut tam altum sit malum in animo pœnitentis, eaque corporis imbecillitas, ut satisfactione ingenti, medicinâ inquam vehementi, potius corpore & animo dejiciendus sit, quà in sanitati restituendus.

Sed clamant, obstare Tridentinum & omnes Patres. Audiamus sanctum decretum: *Debent ergò Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Objectio ex Tridentino & SS Patribus. Trident. sess. 14. c. 8

Singula expendamus. Primò decernitur generaliter, pœnitentias imponendas, relinqui judicio & arbitrio prudentis & spiritualis Confessarii, *pro qualitate criminum*, (de quantitate non fit mentio) *& pœnitentium facultate*, dispositione, contritione, corporis & animi infirmitate; adeòque sentiunt Doctores contra mentem Tridentini peccari, si hac neglectâ, nec perspectâ, indiscriminatim graves mulctæ pro gravibus delictis imponantur; sed *salutares, & convenientes* præscribit; graves & ingentes nusquam decernit.

Sed difficultas est in illis verbis: *Ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Contra quod gravissimum decretum non leviter peccati omnes fatentur, ab illis, qui *levissima opera*, (nullo respectu facultatis, aut infirmitatis pœnitentis habito) *pro gravissimis delictis* (pro levibus gravia injungenda non invenio) *iniungerent*; verbi gratia, pro enormibus multorum annorum flagitiis, nullis prævijs de offensâ immensæ bonitatis, conculcato Christi sanguine, æternis quas meruit, inferorum pœnis, aliisque salutaribus monitis, aut Pater & Ave semel aut iterum recitandum imponerent.

Tales non sunt *salutares, convenientes*, & medicinales mulctæ, de quibus agit Tridentinũ, Theologi, & Patres. Cardinalis de Lugo ad hunc locum: ex his verbis colligitur primò, hãc esse materiã obligationis gravis ex genere suo, respectu Confessarii. Secundò, relinqui men-

Lugo de pœnit. disp. 25. sect. 4. n. 6 a.

suram pœnitentiæ, arbitrio, & prudentiæ Confessarii. Olim quidem (ut supra diximus) erant definitæ certæ pœnitentiæ pro certis peccatis, quæ habentur *in fine decreti*; certum est tamen jam non observari; sed totum relinqui prudentiæ Confessarii.

Tertiò, colligitur in hoc judicio attendendum etiam esse ad vires pœnitentis & ejus facultatem (atque ut ostendat ex mente Tridentini non promiscuè graves pœnitentias injungendas) salubriter monet: nec enim pauperi imponendæ sunt eleemosynæ magnæ: nec infirmo jejunia, & sic de aliis.

Quartò denique, sic ait: debet esse salutaris, & conveniens, hoc est, primo loco attendi debet ad utilitatem spiritualem pœnitentis, ne scilicet laquei ipsi injiciantur, & nova peccata committat (ex onere intollerabili sibi imposito; quæ adversarii incurri volunt, si leve injungatur.) Tum subdit: ex hoc potissimum capite excusari potest hodierna praxis, qua leves pœnitentiæ (sed salutares) imponuntur pro gravissimis peccatis: id enim sæpe fit propter spiritualem (& corporalem) infirmitatem pœnitentium, qui gravioribus pœnitentiis scandalizabuntur, & vel confessionem fugient, vel certè Confessarios ineptos adhibebunt, qui eos curare nesciant. Ac tandem concludit: in dubio inclinandum in partem benigniorem, in qua est minus periculi, quàm in oppositâ. Monendi tamen sunt pœnitêtes de insufficientiâ satisfactionis injunctæ, & consulendus est illis usus indulgentiarum, & aliquando imponendus.

Approb. Censoris. March ãt. cit.

Sic ad dictum Tridentini locum Reverendissimus P. Marchantius (cuius opus inter tot libros à classicis Magistris conscriptos, lauro & auro dignum censetur) *Iudico tertio: attendere debere Confessarios ad modos pœnitentiarum: sunt enim aliqua levißima etiam pœnitentia, quæ tamen maximè castigant, meliusque medentur, quas pia & spiritualis industria suggerit.* Exempli gratia, inquit: ei qui frequenter in aliquod peccatum recidit, iniungere ut quoties cadit, aliquoties salutationem Angelicam recitet per mensem, vel hebdomadam: didici enim, hoc fræno peccatores reduci in memoriam sui lapsus, & fragilitatis, & timoratos magis effici. Sic injungi potest examen breve conscientiæ vesperi ad aliquod tempus: auditio Missæ, concionis, Confessio, S. Communio, visitatio alicuius Ecclesiæ, &c. Sic in ceteris operibus satisfactoriis, modi quidam sunt efficaciores, quàm ipsa substantia operis. Ut si quis non videatur jejunium servaturus, absolutè potest ipsi imponi aliqua abstinentia media, quâ à gulâ vel ebrietate sibi temperet. In elemosynis dandis non semper imponenda est pecunia, sed ut quis de suo prandio sibi subtrahat aliquid, & pauperi largiatur.

Isa. 14.

Subinde sententia aliqua ruminanda, medicinæ fuit: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*, quâ homo sceleratus resipuit, & Religioni animum adjecit. Ad abolendam malè precandi, & jurandi consuetudinem, injungi potest ut toties flexis genibus Deiparam salutet. Fecit id quidam miles diu & cõstanter, & jam propè vitium stirpitus evulsetat: cùm ecce in quodam conflictu, sub signis Cæsaris, cum instarent hostes, & plumbeis glandibus plurimos sternerent, hic miles cœpit hostes diris omnibus devovere, & imprecari ut diabolus omnes auferret; in medio prælii æstu, memor injunctæ sibi pœnitentiæ, in densissimo militum globo flexit genua, ac terram osculatus est. atque eodem ipso tempore glans ingens excussa è machinâ bellicâ, socium à tergore stantem abstulit, quâ ipse certò cecidisset, si stetisset; sed implendo pœnam, servavit vitam. Plura spiritus, prudentia, & usus suggeret.

Responderur objectioni adversariorum ex Patribus sumpta.

Quod Patres prætendant, frequenter & luculenter graves pœnitentias inculcare, neminem legi qui eas pœnitentibus injungendas præscribat; sed multi sunt ut ad ultroneas corporis afflictationes contra stimulos carnis, & vitia exstirpanda adhortentur; quod si Patres audire velint, opere exequantur quæ salubriter ab ipsis dicta & facta sunt; pœnitentibus compatiendo, collacrymando, eorum onera sublevando, & partem aliquam satisfactionis in cute propriâ explendo; quod illi minimè præstant, qui in alios maximè rigidi sunt, de quibus rursus audiendus Chrysostomus ad illa verba: *Alligant enim onera gravia, &c. Tales*, inquit, *sunt etiam nunc Sacerdotes, qui omnem justitiam populo mandant, & ipsi nec modicè servant; videlicet non ut facientes sint justi, sed ut docentes appareant justi. Tales sunt qui & grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt: qui dicunt & non faciunt.* Ac tandem concludit: *Vis apparere sanctus? Circa tuam vitam esto austerus; circa alienam autem benignus. Audiant te homines parva mandantem, & grandia videant facientem. Talis est autem Sacerdos qui sibi indulget, & ab alius gravia exigit, quemadmodum malus descriptor tributi in civitate, qui se relevat, & onerat impotentes.* Ulcus terigit, & prodit quod intus latebat pus. Utinam hoc cultro perstrictus abeat quorundam tumor!

Chrysost. hom. 43. in Mat. ib. c. 23. v. 4.

Confessarius pœnitenti compatiatur & partem satisfactionis in se suscipiat.

Alterum excellentem Ecclesiæ Doctorem audiant Augustinum, qui libro de verâ & falsâ pœnitentia cap. 20. hæc habet: *Sacerdos adsit benevolus, paratus erigere, & secum onus portare. Adjuvet confitentem orando, & cætera bona opera pro ipso faciendo: juvet leniendo, consolando, spem promittendo. Sit particeps laboris, qui particeps vult esse gaudii & meriti.* Hanc sanctissimi Præsulis doctrinam in se exprimat: *Paratus sit secum onus portare, sit particeps laboris*, quemadmodum *S. Xaverius*, magnus admodum juris divini propugnator, qui, cùm sceleratissimus quidam è classiariorum fæce pœnitens ad pedes eius accessisset, & enormium longoque usu inveteratorum criminum sese fecisset reum, homini cæteroqui perdito, *Pater & Ave* recitandum injunxit optimus Pater, & debitæ à reo satisfactionis onere, in humeros suos sublato, in nemus proximum secedens, flagris tam immaniter eus proscidit, ut sanguine totus difflueret. Ita nimirum alienæ infirmitati subveniebat, ut pœnâ scelerum in se translatâ, satisfactionis, flagrorumque suo corpori inflictorum fructû, pœni-

Aug. de vera & falsa pœnit. c. 20.

Tursellin. in vita l. 3. c. 15.

pœnitēti penitùs trāſcriberet. Hæc ſequere, & exhortare. Jam ante in bello animorum, victoriā non incruentā illuxerat, eximiæ ſanctitatis Præſul *Thomas à Villa Nova*, qui Sacerdotem corruptiſſimæ vitæ, ſæpius nequicquam monitum, ad ſe in intimum conclave evocarat, ubi graviſſimis verbis increpitum, ad omnem pœnitentiam obduratum, obortis lacrymis, ſic aggreſſus eſt: meum in hoc crimen eſt, profectò meum eſt, qui tamdiu ſonti pepercerim. Hæc ingeminans, abjecto cucullo, exuttus tunica humeros, pectuſque expapillatus, prompto in id flagello, acriter ſe pulſare, ſanguinemque crebro cum gemitu & lacrymis ciere, ac preces ardentiſſimis vocibus ad Chriſtum fundere, ante cujus cruci ſuffixam imaginem hæc agebantur. Dederat hominem in ſtuporem tam inopina Epiſcopi charitas, qui extorto illicò è manibus flagello, vitæque in melius commutandæ promiſſis ingentibus, ne in ſe ultra pro ſe ſæviret exoravit; & præſtitit dictis fidem: cum enim poſſet fallere, illo fulmine orationis, illo flagellorum tonitru uſque adeò perculſus, ut pallorem, trepidationemque ſexto vix demum menſe poſuerit.

Oran. ... tho de variis virt. hiſt. l. 11c. 3. §. 2.

Habent & hæc tempora ſuos Xaverianos, quos novi, habent & Novillanos, qui ingenti animorum fructu, abjectos rigoris virgā, & hamo ſeveritatis, pœnitentes ad frugem reduxerunt, ſuſcepto in ſe jejuniorum, flagellorum, aliorumque pœnalium operum, pro illis onere.

Ex quibus non ſolum communis omnium amor, ſed & honor ac veneratio in divinos illos viros tamquam de cælu delapſos redundavit.

§. IV.

Quis honor, reverentia & obſervantia Confeſſariis, animarum piſcatoribus exhibenda ſit.

Nihil hic de dignitate Sacerdotum ſupra omnem Regiam & Angelicam: nihil de honore & reverentiā illis debitā attingam, cùm aliàs hæc pertractata ſint; ſed inſuper ubi illi dignitati poteſtas & juriſdictio clavium ligandi atque ſolvendi acceſſerit, quanto majori in veneratione Confeſſarii habendi ſint, pauca exponemus.

V Part. 1. feſto Annunc. B. V. §. 1.

Illuſtre illud ſanctiſſimus Præſul Genevenſis de illis meritò tulit encomium: conſtituti „eſtis à Deo, fratres mei dilectiſſimi, ad ju„dicia exercenda in animas, & tantā quidem „auctoritate, ut quæ in terris juſtè & legitimè ſtatueritis, rata fixaque in cælu ſint.

In vita S. Franc. de Sales per P. Croxinum part. 4. cap. 1.

„ Eſt os veſtrum tanquam canalis, unde pax „in homines bonæ voluntatis defluit. Vox ve„ſtra, tanquam tuba, magni IESU, quæ mu„ros evertat Jericho, hoc eſt, iniquitatis. *Eſt profectò, eſt infinita cujuſdam dignitatis, hominei ad tantum munus acciri, quo ne Angelos quidem dignatus eſt Dominus: cui enim Angelorum dixit aliquando id, quod tum Apoſtolis, tum eorum ſucceſſoribus declaratum eſſe voluit*: ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM: QUORUM REMISERITIS PECCATA, REMITTUNTUR EIS?

Ioan. 20.

Unde nemo quiſquam mirabitur, ſi coronata capita, non ſolum ſe ad pedes eorum proſternant, ſed & veſtigia ipſorum lambant, & tanquam in terris Deos venerentur. Divini ac Sapientis Eccleſiaſtici pronunciatum illud eſt, velut ſummi Imperatoris edictum: *Honora medicum propter neceſſitatem.* Quibus verbis non intelligi, eſſe tantum eatenus honorandos, quod nonnumquam ad tuendam corporis ſanitatem neceſſarii videantur; ſed quod eorum præclara in hominum genus merita id poſtulent; ſubdit enim: *Diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatorum collandabitur.* Uſque eo, ut peritiſſimis medicis, Æſculapio, Machaoni, Podalirio, Chironi, exſtructis delubris ac ſtatuis, divini honores habiti ſint: Hippocrati etiam, teſte Plutarcho, corona aurea centum librarum à totā Græciā oblata ſit.

Eccl. 38. v. 1.

Ibid. v. 3

Divini honores medicis habiti.

Quod ſi mortales, eos ſibi Deos finxerint, qui morbis corporum mederi, ſanitatem reſtituere, vitam ad paucos dies aut menſes prorogare valuerint (multis interim neglectis, deſperatis, aut etiam per contraria *officiosè occiſis*) quid ni divini verè honores *medicis ſpiritualibus*, ut eos Hieronymus rectè nuncupat, deferantur, & debeantur, qui nullis ſectionibus, amatulentis potionibus, nullis impenſis, graviſſimis animæ morbis, vulneribuſque, de ore ſoo omni dolore & languore, ſubitò medentur? Imò, quod omnem medicorum artem & induſtriam excedit, mortuos vitæ & quidem immortali reſtituunt. Quam rem præclarè expreſſit Origenes, qui cùm Chriſtum nominaſſet *Archiatrum*, ſeu medicorum Principem, *qui tranſibat & ſanabat omnes*, ſubdit, eius ſucceſſores eſſe MEDICOS ANIMORUM, *quibus curandorum vulneribus diſciplina commiſſa eſt.*

Sidon. l. 8. epiſt. 12. Hieron. in cap. 4. Malach.

Plus honoris medicis ſpiritualibus exhibendum.

Origenes hom. 1. in Pſal. 37.

Illorum munus eſt, morbi magnitudinem artificio ſuperare, calculum obſtinati animi frangere, orexim noxiam ſedare, pus educere intimiſè viſceribus, excreſcentem avaritiæ hydropim ſapienti coercere diætā, fugientem animam revocare.

Munus medici ſpiritualis.

Nullo apud illos loco, Hippocratis oraculum eſt, *qui deſperatis vetat adhibere medicinam*; imò verò tum vehementius contendent, & præſentius artem & facultatem ſuam expromunt, cùm depoſitus & opinione ſuā conclamatus æger videbitur, cùm nullus ſit, quem ſi velit, curate uno verbo *Abſolvo* non poſſint. Quæ tam miranda unquam Poetarum fabulæ commentæ ſunt, aut Pæonis in herbis & Ponticis ad juventutem ſenibus reſtaurandam, aut Circæo poculo, quot & quanta indies prodigia per divinos illos medicos patrantur? Nam multi propè à numine fulminati evadunt incolumes, magnus curum eſt numerus, qui è tumulo, ubi diu computruerunt, ad vitam excitantur; ut libeat cum Nazianzeno Gregorio exclamare: *O medicam* admi-

Cicero lib. 16 epiſt.

Gregor. Naz. orat. 10. August. in Psal. 88.

admirabilitatem ! Atque in hujus contemplatione defixus subtilis Augustinus : *Vides*, inquit, *hominem*, *heri voraginem ebrietatis* , *hodie ornamentum sobrietatis* : *vides hominem heri cœnum luxuriæ* , *hodie decus temperantiæ* : *heri in servum creaturæ*, *hodie cultorem creatoris*. Quare magno Ecclesiæ bono fit quotidie, quod præcellens vaticinio David vix fieri posse putabat: *Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt?* Id verò divino præsidio freti, quod humanitus consequi non potuissent, Æsculapii nostri faciunt, ut gratiâ tanquam animâ & vitâ spoliati, iterum ad beatam vitam excitentur.

Psal. 87.

Ex quibus facilè colligitur , omnem amorem, honorem & venerationem possibilem huic Christi Vicario ab ipsis Regibus & Principibus, ac viris sanctissimis exhibitam, & à nobis exhibendam esse.

Quanto in honore & veneratione viri Principes ac Reges, suos Confessarios habuerint.

Præclarè hic præluxit nobis Pipini Regis pietas & religio , qui sancto Viromi non tantum nudo capite, sed nudis etiam pedibus, hoc est, semper discalceatus confiteretur , ut Baronius anno Christi 631. commemorat.

Perspectum illi erat illud sacri eloquii : *Vos estis presbyteri in populo Dei* (qui ut Lyranus , & Hugo Cardinal. *redditis rationem pro ovibus*) *& ex vobis pendet anima illorum* , id est , *salus dependet.*

Judith. 8. v. 21. Lyran Hugo hic. Dionys. Carth. hic cap. 8 art. 8. In vita P. Alvarez. c. 10. §. 1.

Quanti tum ab hoc sanctissimo Rege discrepant hujus sæculi leviculi & leviculæ, quæ non ut pœnitentes, sed ut saltatrices holosericis calceis, multum crepitantibus, sacra tribunalia accedunt? Ex quibus unam, P. Balthazar Alvarez, Mariam Diaziam adhuc vanitati deditam, postea S. Theresiæ filiam , & ad magnam sanctitatem evectam edocuit: hanc enim ad se accedentem, aliis prævie auditis , quod setius esset, inauditam dimittebat. Tandem ita rursus cum crepidis templum ingressam, exire, easque exuere jussit ; quibus ante fores templi relictis , ex tunc discalceatam excepit, sed S. Communionem prohibuit. Ubi nunc, quæ eam æmuletur?

Lohbetius Dom. 1. post Pascha quæst. 3.

Consimili reverentiâ erga intimum mentis suæ arbitrum ferebatur Augustus ac piissimus Imperator Ferdinandus Secundus, qui evocato ad se Confessario, & jussu ad se audiendum propè oratorium considere, ut illic sedile deesse advertit Cæsar, alterum quod ex adverso erat, manu prensat & attollit; præosat, & attollit Sacerdos; hic oritur lis pia & contentio, quis ex duobus sedile tulleret, & in opportunum locum deferret: dum id officii sibi quasi jure deposcit Sacerdos noster ; & è contrario illud humili & verè christianâ , id est, Austriacâ pietate sibi servarum vult Cæsar, evicit tandem, illud dignum cedro subjiciens : *sede mi Pater, quia in hoc tribunali tu judex, ego reus.* O plenas fidei voces! ô Religionis aviæ testes! ô dignas tanto Cæsare! ô transmittendas in posteros omnes, & longè futuras ætates! si sic sentiretis, si ad conscientiæ vestræ judicem, ut rei accederetis, alia esset de eo existimatio, alia veneratio: cui oe ex parte sua officiat Confessarius, lagenulas, sportulas, electuaria, bellaria admittendo, in agros & villas simul expatiando, rectè monet Ambrosius: PISCATOR *Christi es, eis dicit : amodò eris homines capiens. Sic mittebamus, sic mitte oculos tuos, sic mitte sermones tuos ut nullum opprimas*, (scandalizes) *sed alleves fluctuantem.* Nam *vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum*; id est ex vita vestra, ex instructione vestra, ex exemplo vestro, gravitate , moribus , sermonibus , pendet vita eorum spiritualis, fructus vester, honor, & existimatio sancta vestra. Summus ille orbis Imperator Carolus V. tanta in veneratione Petrum Soto, sibi olim ab arcanâ confessione habuit, ut cùm jam demortui sepulchrum transiret, aperto itidem capite ac profundè inclinatâ victrice illâ fronte, veneraretur.

Amb. lib. 2. Hexam. cap. 8. Judith. 8. v. 21.

P. Ribadeneira vitis illust. lib. 4 cap. 75. 1.

Illustrior hæc virtus in Cardinali Borromæo, vitæ sanctimoniâ eximio eminere visa est. Petiit is ultimo vitæ suæ mense à Patre Francisco Adorno, Societatis nostræ, dari exercitia spiritualia, quæ sæpius obire consueverat. In hoc secessu sacro tantâ reverentiâ prosequebatur Patrem Adornum, suum Confessarium & Patrem spiritualem, *ut ipse S. Carolus Cardinalis, manu illi lumen accenderet, & ante eum cum accenso lumine transiens, semper illi reverentiam profunda capitis inclinatione, quamvis adhuc dormienti exhiberet*, *ab ejus verò directione & obedientiâ totus penderet.*

Giussanus in vita l. 7. cap. 11. Lancicius tom. 2. pag 565.

Ad hoc exstimulet vos dictum Sapientis, ut non solum omnem reverentiam, sed & observantiam & obedientiam cum omni subjectione & humilitate Confessario, Christi Vicario exhibeatis, ejusque consilio acquiescatis; sic enim Ecclesiasticus. *Presbytero humilia animam tuam.* Hugo Cardinalis exponit : *Acquiescendo ejus consiliis, & exhortationibus, & mandatis obediendo.*

Eccl. 4. Hug. Car.

Cornelius Noster in hunc locum: presbyteri, inquit, id est, Sacerdoti: huic enim credita" est cura animæ tuæ , *qua providè illi humiliandaest, ut ab eo instrui, duci, regi, absolvi , & perfici" possit.*

Observantia Confessario debita, & consilia sequenda.

Hoc est, quo plures animæ ad apicem perfectionis, & summam sanctitatem pertigerunt, omnesque lusiones dæmonum eluserunt.

Seraphica virgo Theresia, fœcunda simul spiritualium filiorum ac filiarum Mater, eâ excelluit observantiâ & *obedientia, ut quidquid præciperet director animæ, id quam promptissimè exequeretur.*

Ribadeneira vita lib. 1. cap. XI.

Quid quod divinis visionibus sæpe recreata, ne fortè lusionibus deciperetur, Confessario jubenti, ut cōtra eas quasi satanicas, se crucis signo muniret, obtemperabat: *Cùm Christus ipse, sponsus animæ suæ, se illi spectandum daret, ut Confessarii consiliis acquiesceret, apparentem subsannabat ludificans.* Sed non poterat non facti veniam rogare ab eo ipso, cui hanc injuriam irrogarat; non aliter id à se fieri asserens," quàm ut morem servis ejus, qui illius sop-" plebant vices, gereret. *Cui deinde Dominus, optimè illam facere affirmavit , quod illis obtemperaret.*

Ibidem.

Quod si Sanctimoniales contemplativæ, exstaticæ filiæ, ita Confessarii consiliis & præceptis acquiescerent, exemplum Theresiæ secutæ,

cutæ, quæ unum se Confessarii sui verbum pluris asebat facere, quàm mille revelationes, non toties omnibus ludibrio & sibi exitio forent, quales apud nostrum Delrio non paucas legere, & quotidiana experientia invenire est. Unam ad illarum confusionem induxisse sufficiat. Virgo Gandensis nostris temporibus misella [illegible] vacarat orationi, & Sacramenta frequentarat; sed vel non satis exercitatum nacta futerat confessarium; vel ei sua secreta spiritualia non pandebat, vel bene monenti non credebat. Quidquid horum fuerit, paulatim variis revelationibus eam diabolus, superbiæ spiritu inflavit. Tandem persuasit, meritis parem esse Deiparæ Virgini; deesse solummodò fœcunditatem junctam virginitati illibatæ; si pergat, id quoque consecuturam. O vafrum commentum, & muliebri ingenio accommodatum! Jamilla se non esse confessionis indignam rebatur; ita per annos aliquot eam intermittens, non abstinebat à sacra synaxi. Quid multa? Semel dum in templo versatur, & Cõmunionem expectat, ardeo ti usque beneficium illud postulat, audit: bono sis animo, dilecta, exoraffete icito, concessa tibi fœcunditatis cum castimonia prærogativa, quam petis; de cælo confide te gravidatam: commiscuerat enim se cum dæmone, qui lucis Angelum mentiebatur. Domum reversa, sentir uterum intumescere; justo post partus tempore advenientè, pium quendam & prudentem adit civem, bene notum; narrat rem totam, petitque ut in domus eius penetralibus sibi liceat parere, & stipulatur arcanum fore. Ille nec credulus dictis de revelatione, nec tamen sustinens Virginem domo excludere: veritus, ne grassari jam incipientibus sectariis, materiam res vulgata blasphemis hæreticorum dicteriis præbeteret, eam suscipit, & adhibita obstetrice fida partum expectat. Misera dolotibus vehementer torquebatur: tandem, tandem magnam pro prole humana horridorum, & villosorum, fœdissimorumque vermium copiam effudit utero; quorum tam dirus erat aspectus, ut omnes exhorrescerent, tam teter odor, ut fœtore ferme exanimarentur. Sic demum misella se à tenebrione infernali turpiter deceptam intellexit, cujus fraudes facile detexisset, si Confessario pio ac prudenti aperuisset.

Hinc S. Pater noster Ignatius, si quis, in spi[illegible]us dignoscendis cælitus illustratus, hanc [illegible] dæmonis vafritiem apta similitudine de[illegible] sic enim regula 13. ad discernendos spiritus, tradit: quod inimicus noster morem planè sequitur nequissimi cujusdam amatoris, qui puellam honestorum parentum filiam: vel [illegible] viri alicuius probi volens seducere, summoperè procurat, ut verba sua & consilia occulta sint; nilque reformidat magis, ac ægrè fert, quàm si puella patri suo, vel uxor marito illa patefaciat; cum sciat hoc pacto de votis & conatibus actum esse. Ad eundem modum obnixè satagit diabolus, ut anima, quam circumvenire cupit, ac perdere, fraudulentas suas suggestiones teneat secretas. Indignatur verò maximè, & gravissimè cruciatur, si cui vel confessionem audienti, vel spirituali homini molimina sua detegantur. Hactenus S. P. Ignatius, quod verissimum multoties, & hic eveutus comprobavit, & serviet virginibus Deo devotis.

Superiore sæculo, anno 1590. Aronensis in Italia Virgo, cùm tentationum quibusdam stimulis agitaretur, dæmon noctu se illi ostendit specie S. Ursulæ, magno Virginum comitatu, crucis vexillum præferens, atque ita illam allocutus est: videt Deus, amatque tuum illud studium tuendæ pudicitiæ; sed quoniam difficile admodum est in paterna domo, in tanto strepitu occursantium, & præsenti periculo non aliqua ex parte contaminari, nos delegavit, ut te duceremus in cœnobium sacrarum Virginum, omissis curis omnibus, ipsi Numini jugiter famulantium. Hîc virguncula, Deo aspirante, signo crucis se muniens, talibus visis, tantoque honore se indignissimam profitetur: neque verò, inquit, vobis habeo magnam fidem, timeo & in speciosis consiliis fictos dolos, quod si Dei legatione fungimini, has Sanctorum reliquias (quas collo alligaras habebat) humiliter veneremini.

Mirum dictu! procubuerunt in genua larvæ venerabundæ & tanto magis urgent, ut maturet profectionem, ad ponendam ocyus in tuto virgineam pudicitiam. At illa: *Mihi non licet quidquam gravius statuere mei Patris spiritualis injussu: neque ad eum adire decet nocte intempestâ. Convenite vos illum, & exponite mandatum Dei; ubi diluxerit, ego accedam, & utar eius consilio.* Hoc responso dæmones, abjectâ omni simulatione, in suas se teoebras abdiderunt cum fremitu, contumeliis & probra certatim ingerentes io virginem ipsos irridentem. Subdit Auctor: ita tentationes & technas diaboli, Confessario revelasse, superasse est. Hoc spiritu ducta sancta Francisca Romana, obedientiam Confessarii, & Patribus spiritualibus summâ curâ inviolatam servabat, solita hanc potissimum commeodare suis in Christo filiabus, dicendo unicam hanc esse & compendiosissimam viam ad vitam æternam. Nec fuit res ulla tam difficilis unquã, quã non promptissimâ exequeretur voluntate mox ut fuerat imperata. Fuit cùm lecto infirmam visens Confessarius Fr. Antonellus, ipsam debili planè stomacho reperiens, ausus est præcipere, ut ei corroborando modicum vini sumeret. Numquam illa hactenus vinum gustaverat; volens tamen imperanti morem gerere, impleti scyphulum, & ad se deferri mandavit, atque allatum magnâ vultus alacritate exhausit coram ipso, alisque qui aderant pluribus; sed potus ignoti insolentia usque adeò commovit stomachum, cui remedium quærebatur, ut in evomitum coonnuò resolutus, evomere quidquid ingereretur, per triduum non cessaret: nec tamen vel minimo signo ostendit, quod pœniteret obedivisse.

Ubi per transennam notandum est, omnem observantiam & obedientiam Confessario tanquam Christi Vicario à pœnitentibus exhibendam & maximè laudandam, sed eam emisso voto à Confessariis exigendam non esse,

Marginal notes: [illegible] 10. | [illegible] 1. [illegible] 8. 5. | Arnaua Mediol 1590 Mancinus de passione lib. 8. diss. 2. p. 589 Delrio. c. 6. | Mencinus cap. 4. | Henschenius Acta Sancto rum tom. 2. Martii die 9. c. 5. n. 47. | Obedientia & observantia S. Franciscæ Rom. erga Confessarium | [illegible] de dis[illegible] Reg. 5.

Regula Sacerd. 19. esse, ut multis, gravibusque de causis, nostris vetitum est.

Hoc verò ad propositom nostrum maximè *Ibid. n. 50* facit, quod sancta Francisca in extasi polita, & naturalium sensuum usu destitura, Patri suo spirituali promptissimè obediret: adeò ut genuflexa, eo imperante, surgeret: erecta staret, vel jaceret, pru ut idem jussisset: locum de loeo mutaret in templo, & ad interrogata aptè responderet; cetera immobilis quasi lapis, qoicumqoe eam tangeret, vel appellaret. Ita enim assuerat, ut tes quas divinitus sen manifestâ revelatione acceperat, dum id vetatet ejus Confessarius, non exequeretur sine ejus consensu; idque in ea Deus probabat; quo fiebat, ut nullis unquam dæmonis illusiooibus exponeretut.

Rapta etiam obedit Confessario. *Idem c. 7. n. 68. in fine. Lancicius tom. 1. pag. 938 n. 26. ex vita.*

Hoc præsidio & consilio Confessarii, ionocua puella Deo devota feliciter fraudes dæmonis evasit, quibus innumeræ aliæ eo destitutæ implicitæ fuissent, ut parte 2. Lucis Evaog. Dom. 5. post Pent. §. 2. sub finem diximus, & apud Nierenberg. doct. Ascet. lib. 4. doct. 10. cap. 66. videre est.

Cùm igitur tanta nobis à Confessariis, Christi Vicariis conferantur gratiæ dona, æternæ vitæ bona: tot propulsentur animæ, æternæ mortis pericula, concludo aureo flumine Chrysostomi: *Rogamus vos fratres, ut eos qui inter vos laborant, in summo pretio habeatis, propter opus eorum, veluti filii Patres: per eos namque nati estis generatione æternâ: per eos regnum adepti estis. per eos cælorum nobis portæ reserantur,* & inferorum obseraotur. *Chrys. 1. ad Thessal hom. 10*

Si Primas, aut favorita in aula, tanta apod Regem gratiâ valeret, ut tibi reo remissionem delicti, insuper & regis gratiam, qua in aulam admitti, iioò io cohæredem regni adoptari posses, impetraret; quid satis honoris & amoris ei exhiberes? Hoc sensu Chrysostomus: *Dic mihi, si cupidus visendi regiam multo auro & gemmis collucentem, invenires eum qui claves haberet, intreque te mitteret, an non illum præ omnibus honorares? An non æquè ut oculos tuos diligeres? Hic tibi cælum aperuit, & illum non amplecteris? Si Christum amas, si amas regnum cælorum, agnosce eos, per quos illud habes.* *Chrysost. cit.*

* * *



FESTUM

FESTUM
S. FRANCISCI XAVERII, INDIARUM APOSTOLI.

3. Novemb.

Posuite in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Act.cap.13.v.47.



Eris alter ab illo. Virg.Eccl.5.

ARGUMENTUM.

INsolens naturæ miraculum, duos quandoque in cælo soles apparere, quos Astrologi parelion vocant; quod sol in nube spissâ refulgens, alteram sui imaginem in ea exprimat.

Tale parelion *in Paulo & Xaverio* vobis exhibebo, tam similes, ut quasi geminos, seu meoæchmos amabili errore intuearis; quodque in uno repereris, in altero invenias. Emphaticè olim de Tullio, Romanæ eloquentiæ Principe dictum est: *Demosthenes tibi præripuit ne esses* PRIMUS; *tu illi*, NE SOLUS.

Paulus primus Doctor Gentium, solis instar, idololatriæ tenebras discussit, vitiorum monstra fugavit, lucem fidei latè undique dispersit. *Xaverius* Apostolus Gentium, *ne solus esset*, in Occidente oriens novus sol exstitit, & *Paulo* per omnia similis, electus est, *ut portet nomen Domini* coram Gentibus. Quæ verò *Paulus*, quæ *Xaverius* pro nomine Domini passus sit, tam ardua fuêre, ut quotidie moriens, multa Martyrum tormenta adæquasse, imò superasse videatur. Uterque tantis signis & prodigiis claruerunt, ut Gentiles illos quasi homines divinos è cælo lapsos, etiam Deos indigetarint.

Fecerit Deus *per manus Pauli* virtutem: per sudaria & semicinctia, sacrosque eius cineres; hæc & majora, etiam quàm Christus fecit, *per brachium Xaverii* operatus est; è quo ut exigua dumtaxat pars ad nos translata sit, totius corporis virtutem in ea contineri, luculentis SS. Patrum testimoniis comprobabo.

§. I. *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus.* Act.9.v.15.
§. II. *Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Vers.16.
§. III. DII *similes hominibus descenderunt ad nos.* Act.14.v.10.
§. IV. *Si habes* BRACHIUM SICUT DEUS? Job.cap.40.v.4.

FESTUM
S. FRANCISCI XAVERII, INDIARUM APOSTOLI.

Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Actor. cap. 13. v. 47.

Quid parelia.



AMœnissimum quoddam naturæ miraculum, & gratissimum orbis spectaculum est, duos quandoque soles in cælo apparere, qui ab Astrologis *parelia* nuncupantur; sic porrò in quæstionibus naturalibus Romanus Philosophus: PARELIA *sunt imagines solis in nube spissa & vicinâ, in modum speculi*; sicut sol in nube, velut in speculo refulgens, alterum solem referre videatur. Hinc, inquit, *quidam* parelion ita definiunt: *Nubes rotunda & splendida*, SIMILISQUE SOLI: *sequitur enim illum, nec unquam longius relinquitur quàm fuit, cum apparuerit.*

Seneca lib. 1. natur. quæst. cap. XI.

Ibid.

Paulum exorientis Ecclesiæ solem, conniventibus oculis se aliquando conspexisse fatetur Chrysostomus: *Sæpè fulgido cæli globo delectatus oculus, ad spectaculum oppositi è regione luminis, sese violenter intendit: & licet sentiat aciem suam imparem esse certamini; desiderio tamen illius pulcherrimi luminis intuendi, libenter inaccessibili radiantis orbis reluctatur splendori. Tale igitur quidpiam ego ipse perpetior, qui cum videam propria mentis oculos ex radiis Apostolici splendoris hebetari; in pro tamen* PAULI *animam, miro fulgore virtutum radiantem velut eminus intueri*: SOL ENIM QUIDAM HOMINIBUS EST PAULUS; qui in Xaverio, tanquam in nube splendida, imaginem suam, ceu parelion adeo vivaciter & efficaciter expressit, ut similis soli, alter Paulus extitisse jure perhibeatur. Hoc enim de illo splendidum encomium scriptum lego: *O inauditum portentum!* SOL ORIENTIS *generatur, & quidem in Occidente.*

Chrysost. hom. 2. de laudib. Pauli.

Franc. Remond. a vot. 15. de S. Xaverio.

Quoties igitur meis oculis obversatur Doctor gentium *Paulus Apostolus*, toties animo objicitur ille *gentium Apostolus Franciscus Xaverius*; quos inter, similitudo tanta, ut in Paulo Xaverium, in Xaverio Paulum agnoscas: tam similes genio, ingenio, moribus, expeditionibus, animis fuêre, ut illum ideam, hunc ideæ imaginem: illum solem, hunc parelion, seu nubem solis instar relucentem credas.

S Xaverius alter Paulus Apostolus.

Alterum ergò cum altero conferre decrevi; quod hodiernæ Festivitatis argumentum & Xaverio multum adferet laudis (est enim grande quiddam cum Apostolo Paulo, qui *vas electionis, tuba Evangelii, flumen eloquentiæ*, ut loquitur Hieronymus, posse comparari) & ipsi Paulo nihil detrahet, qui sui æmulatores ardebat, (similis enim consimilem sui gaudet intueri) & vobis, mihi credite, pariet delectamenti non parum: nam quemadmodum illi, quos vultu & formâ simillimos natura finxit, omnium ad se oculos rapiunt illecebrâ similitudinis suæ; & tunc quoque cum fallunt, errore gratissimo recreant, ut in geminis seu menæchmis fieri videmus, de quibus ille:

Hieron. in Apolog. ad Pammach.

Nam ego hominem homini similiorem numquam vidi alterum:
Nec aqua aqua, nec lac lacti, crede mihi, usquam similius.

Plautus in Menæchmis.

Ita cum Xaverium à Paulo, Paulum à Xaverio propter omnimodam similitudinem discernere vix licebit, amœnus ille æquiparationis lusus non exiguâ vestros animos voluptate perfundet: nam multa Paulo soli tribuetis, quæ deinde & Xaverio tribuenda videbitis; multa soli Xaverio, quæ & Paulo vicissim tribuenda convincam. Ab errore tamen abesse qui volet, quidquid unius esse censuerit, censeat esse utriusque.

Quæ dum probare aggredior, hujus & illius primordia repetamus.

Paulus nobilibus & copiosis ortus parentibus, cujus nobilitatem probat Augustinus ex illis Pauli verbis 2. Philipp. ca. 3. v. 3.: *Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis.* Ambrosius non solum nobilem asserit, sed ex ordine Senatorio, quia veste senatoria utebatur.

Primordia Pauli & Xaverii conferuntur. Augustin. serm. 15. de verbis Apost. Amb. in 2. ad Timoth.

Xaverii genus clarum ac nobile, quod ortum duxit legitima serie ab Regibus Navarræ: hos illi atavos assignant veteres ejus familiæ monumenta, & juridicè testatur Antonius Zapata Cardinalis.

Bartol. in vita lib. 1. num. 1

Sed hanc generis nobilitatem longè illustriorem præclaris factis & heroicis virtutibus ambo reddiderunt; ad quam ut Eugenium Papam, suum olim discipulum excitaret sanctus Bernardus: *Vindica*, inquit, *tibi* NOBILE GENUS, *quod non aliunde* NOBILE, *quàm morum ingenuitate, & fidei fortitudine*; quod sibi Principes Ecclesiæ, origine piscatores peperere. Hanc si proferas nobilitatem, præferes non ab aliis haustam, sed à te petitam: & in hac debet esse unicus magnæ mentis labor, studiumque, ostentare scilicet non tam fumosas quàm famosas imagines & trophæa, quàm expressam in

Morale. Bern. lib. 2 de consider.

Vera nobilitas in virtute & claris factis.

moribus

motibus omnium virtutum formam, & præclara pro Deo cæloque gesta. Siquidem vel Gentili teste:

Nobilitas sola est atque unica, virtus. (Iuven. sat. 8.)

Hac certè vos omnes insignes esse, & familiam vestram nobilitare valetis: *Summa enim*, ut Hieronymus loquitur, *apud Deum* NOBILITAS EST, *clarum esse virtutibus*. (Hieron. ad Celant.)

Stulta profectò, ac stulta hominum jactantia, qui sibi à parentibus, ab avis & proavis nobilitatem accersunt; atque interim imbelles & inertes, sceleribus suis familiam dedecorant. Hinc scitè Philosophus, Atheniensi cuidam patriæ vilitatem sibi exprobranti, & Scytham, quasi Barbarum, & immiti cælo natum falsè nuncupanti, respondit Anaxarches: *Mihi probro est patria, tu patriæ.* Perinde ac si diceret, tametsi genere & patria minimè sim nobilis; sum tamen virtute, & animi fortitudine; sed te, licet Atheniensis sis, & nobili loco natus, vitia tamen, ac vitæ improbitas, ignubilem, ignavum ac planè infamem reddiderunt. Qui cavillus hodie in die in complures inani nomine gloriantes locum habet.

Fecerit ipse aliquid propter quod NOBILIS *esses*; (Iuven. sat. 8.)

Tua te virtus, probitas, invictus & excelsus animus per omnia adversa comprobatus, nobilem reddant.

Unde celebris illa olim & omni laude digna vox Marii septimum Consulis: *Non possum fidei caussâ imagines neque triumphos, aut Consulatus majorum meorum ostentare; at si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, aliaque militaria dona: præterea cicatrices adverso pectore, hæ sunt meæ imagines*, HÆC MEA NOBILITAS. (Salust. de bello Iugurt.)

Hæc vera & unica nobilitas Pauli, hæc Xaverii, hastâ, & gladio Verbi Dei, hostes Ecclesiæ configere, vexillum crucis erigere, per medios barbarorum ac gentilium cuneos irrumpere, cicatrices in corpore circumferre, pulchramque petere per vulnera mortem.

Ingenium, studium, & ardor gloriæ in utroque par fuit. Paulum studiorum caussâ parentes destinavêre Jerosolymam, Xaverium Lutetiam: illum Gamaliel Dei legem & ceremonias tradidit, ut ipse de se testatur: *Nutritus sum in istâ civitate* (Jerusalem) *secus pedes Gamaliel, eruditus juxta veritatem paternæ legis.* Hunc Sorbona altiores edocuit scientias. Et sanè cum essent ambo gloriæ cupidissimi, naturæ dotibus præditi, & ad magna nati, Paulus *proficiebat supra omnes coetaneos suos.* Unde Hieronymus: *Aliquoties diximus Apostolum Paulum, virum fuisse doctissimum & eruditum ad pedes Gamalielis*; nec immeritò ab Eusebio vocatur *inter ceteros Apostolos eruditior.* (Actor. 22. v. 3.) (Ad Gal. 1. v. 14.) (Hieron. epist. 150. ad Hed.) (Eus. eb. lib. 3 hist. cap. 24.)

At quid Xaverius? Longè supra æmulos eminebat: in hac etenim celeberrima orbis Academia, Philosophici magisterii laureâ & insignibus ornatus est: Philosophiæque insu-"per tradendæ præpositus, Aristotelem Pari-"siis publicè, nec sine laude aliquamdiu expli-"cavit. Inde animo à naturalibus rebus ad di-"vinas verso, Theologiam persequitur, eodem "vel animi ardore vel tenore vitæ. (Tursellin. in vita l. 1 cap. 2.)

Ubi illud mirandum, atque Academicis nostris potissimum inculcandum & imitandum occurrit, ambos in ipso lubrico ætatis flore; in tantâ pergræcantium & lasciviantium sociorum frequentiâ, illibatum castimoniæ decus servasse. De Paulo constat etiam per omnem vitam, cùm cupiat omnes esse, sicut ipse; de Xaverio quoque indubitatum est, qui ab eorum congressu abhorrere solebat, quorum amicitia quid minus honestum olebat. *Hinc ille pudoris illibati candor purissimus, quem à cunabulis ad usque supremum spiritum, sincerum servavit.* At quotus quisque nunc ex Academiâ, ubi fors nulla major morum corruptela, vel plura ad illecebras lenocinia, vel effusior ad quævis scelera libertas & licentia, illam quam intulit, intaminatam effert cum Paulo & Xaverio primam innocentiæ stolam? (Castitas Pauli & Xaverii in juventutis flore.) (V. Massutium in vita Pauli.) (Bartolus in vita lib. 1. n. 1.) (Nadasi annus dierum illust. 2. Decembr.)

Plerique Veneris magis, quàm Palladis studiosi, pro dote dolorem domum ducunt. Audiant hi Apostolum monentem: *Sapientia primùm pudica est*; quæ ad mores sic Cornelius exponit: Disce hic comitem individuam, & " quasi sororem sapientiæ esse pudicitiam. Hinc" ambæ apparuerunt in somnis S. Gregorio Nazianzeno, eumque complectentes dixerunt: *Ne molestè accipias, juvenis: nota tibi & familiares sumus: altera enim ex nobis* SAPIENTIA; *altera* CASTITAS *dicitur, & missæ sumus à Domino tecum habitare: quia jucundum nobis & mundum in tuo corde habitaculum præparasti.* (Epist. Iacobi cap. 3. v. 17.) (Cornel. hic.) (Ruffin. in prolog. apolog.)

Hæ sorores adamantino vinculo ita copulatæ sunt, ut nullo loco aut tempore ab invicem queant separari. Ita Clemens ille Alexandrinus: *Domi, foris, semper comes est sapientiæ, pudicitia.* Hoc vel Gentiles senserunt Plato, Cicero, Naso, neminem libris, & liberis operam dare posse. (Clem. Alexand. 3. pædag. c 5.)

Sed parelion prosequamur, de quo Seneca: *Num quis nostrum miratur si* SOLIS EFFIGIEM (in nube) *in aliquo fonte, aut placido lacu videt? Non, ut puto. At qui tam in sublimi* (nempè in nube, ut supra diximus) *facies ejus potest, quàm inter nos reddi; si modo idonea est materia, quæ reddat.* (Senecal. 1. natur. q. cap. XI.)

Hoc opus, hic labor est, (Virg 6. Æneid.)

Ut Paulus spirans minarum, nubis instar tonans & fulminans; Xaverius nil nisi ea quæ mundi sunt, spirans, nubis instar quæ omni vêtu inanis gloriæ circumfertur, seu turbidi fontis assiduis motibus agitati, in idoneam materiam formentur, *ut solis effigiem reddant.* Laboratum in Paulo, laboratum in Xaverio: utercq; enim *contra stimulum calcitrabat*; Paulus contra Christum, Xaverius contra Ignatium: atque ut erat ingenti spiritu juvenis, primò verè, proca-" citerque juvenili ferociâ obloquens, ultrò Ig-" natii dicta, ipsumq; Ignatium carpere, pieta-" temque ejus egregiam, petulantius interdum" illudere; quin ut in historia Societatis habe-" mus, suum intimum monitorem procacius irri-" debat, & saluberrima præcepta non modò a-" nimo, verum etiam auribus excludebat, *ac" Spiritui sancto* (non aliter ac Saulus) *obstinatè" resistebat.* Non parvi molimmis fuit conversio Pauli, *nec brevi, nec parvo stetit illa Xaverii.* (Act 9 5.) (Tursell l. 1 cap. 2.) (Hist. Soci. l. 1. n. 84.) (Bartol l. 1, n. 2.)

 Ad

Act. 9. 3. Bern. ser. 1 de Convers. S. Pauli.

Ad Paulum vox cælitus delapsa, & *circumfulsit eum lux*, quam Bernardus describens, ait: *Circumfusa erat* PAULO *claritas illa, non infusa: audiebat vocem Domini; sed faciem ejus non videbat, quoniam erudiebatur ad fidem.*

Pet. Blesen ser. de convers. Pauli.

Paulus ab Anania ad novam vitam & Apostolicam instruitur; cur non ab eo, qui in vas electionis, & lucem Gentium illum præordinarat? Rationem reddit cum Augustino & Ambrosio Petrus Cellensis: *Vult benignissimus justitiæ & misericordiæ Magister, ut blandè & socialiter doceatur ab homine, quem sciebat divinæ vocis tonitru sustinere non posse.*

Act. 9. 9. Bern. cit.

Paulus *Triduo non manducavit, neque bibit.* Quid illo triduo egerit, consideranti facile est conjecturare, & discretè Bernardus exponit: *Triduo Paulus sine cibo manens, in oratione persistit.*

Tursell. lib. 1. c. 2. Bern. cit.

At quale patchon in Xaverio intueor? Alterum Paulum mihi contemplari videor. Non voce in nube sonante, sed animum penetrante, *divino tactus spiritu* Xaverius: non injectâ divinæ lucis gratiâ, *non circumfusâ, sed infusâ*, pro Ananiâ, Ignatium accipit instructorem. Libet hic exclamare cum Bernardo: *O sapientia, suaviter omnia disponens! Erudiendum de tua voluntate mittis ad hominem, ut edoctus per hominem, discat & ipse secundùm datam sibi gratiam, hominibus subvenire*, propriæ vitæ impendio, divinæ gloriæ propagandæ deservire.

Quæ Ananias Paulo tradiderit, quibus eum præceptis imbuerit, & ad Apostolicum munus instruxerit, fusè apud Interpretes videre est. Quibus Ignatius Xaverium, paucis accipite.

Ignatii monita.

Quousque Francisce, brevi periturus, peritura sectaris? Ex his forte speras famæ immortalitatem? Erras Francisce, mortale omne hic mortalium bonum est. Quid ita pernox sudas ad nocturnas lampades? Ecquid proderit, si postquam sciveris omnia, cum nescias qui auctor est omnium? Age Francisce, hanc tuam excelsam, & orbis terrarum capacem indolem non unius Academiæ septo include: *Non uno*

Seneca epist. 28.

angulo natus es. Totus quaqua patet, te expectat Oriens, totus invitat Occidens. Illic invenies in quo industria palæstram, in quo fortitudo theatrum, in quo virtus arenam, in quo magnanimitas tua non tantum cum plausu, sed cum fructu poterit exerceri.

Hist. Soci. lib. 1. n. 85.

Ad hæc *illucescente Deo, reputare animo suo cœpit rerum humanarum inconstantiam, & varietatem cum veritate, momentum cum æternitate conferre*, &

Lucta Xaverii.

anceps animi fluctuare. Quid eligis Xaveri? Ut cum Scoto sis Doctor artium, an cum Paulo Doctor Gentium? Sed numquid satius in Christi scholâ occupare ima subsellia, quàm in Academiâ, prima & suprema pulpita? Quid tibi conferet, in quâ laboras, Academia? Eloquentiam? Quam multi dum assuescunt benè dicere, discunt improbè facere, & dum flores quærunt elegantiæ, florem perdunt pudicitiæ? Quid tanto labore vis ea discere, quæ scelus est facere? Et quid tibi conferet aculeatis sophismatis Philosophia, nisi tortas argutiarum strophas, & flexuosa argumentorum diverticula, & mæandros verborum? Et quot sunt ex illis sciolis, qui vel horam libris de anima & de cælo impendunt? Si gloriâ caperis, quid ad gloriam conciliandam aptius, quàm investigare cum Thalete sidera, cum Zetho pondera, cum Chrysippo numeros, cum Euclide mensuras? Sed quorsum illa? Hæccine mihi aditum facient ad cælum? Et quot sunt inter Astrologos, qui animo (ut loquar cum Jeremia) *amplexantur stercora*, dum oculis contemplantur Thren. 4. sidera? Eodemque tempore mens volutatur in cœno, quo vultus fixus est in cælo. Forte arridebit Hippocrates, Galenus, ars ipsa medica? Quid admirabilius, quàm quæ omnibus est infestissima, propulsare mortem: quæ omnibus est jucundissima, conservare vitam? Placeret Hippocrates, si traderet disciplinam propulsandi ut corporis, sic animi pestes. Sed nunc non rarò aliorum medicus, sui est carnifex: & dum aliis præscribit pharmacum, sibi propinat toxicum, atque ultima cura est, se non curare. At si quo adhuc sensu gloriæ titillatis, capiet te Justinianus cum Jurisprudentiâ? Sed ô periculosæ plenum forum aleæ! Quid hic non laburis, & post labores discriminis? Quot sunt qui numquàm minus sunt sui juris, quàm dum student juri? Imò tum maximè cum docent alios jura, ipsi injurii discunt & docent pejerare: In tribunalibus quid non periculi? Ubi ut plurimum propendet judicium, quo inclinat aurum: magisque ad plenam aurificis stateram, quàm ad justitiæ libram, sententiæ ponderantur.

Superest ergò ultima ordine, quæ prima est dignitate, Theologia; illa te vulgo eximet, cum fueris eximius magister. Placet illa, si quisquis conciperet divina, despiceret humana. Quid proderit, quid sit Deus intelligere, & ignorare quid sit Deum diligere?

Hæc apud se ancipiti animo volutans *divino* Tursellin. lib. 1. c. 2. *tactus spiritu*; post hac, inquit, mea sublimior Philosophia, & altissima Theologia erit, quam ex æternæ sapientiæ Academiâ hausit Doctor Gentium Paulus: *Non me aliquid scire, nisi Chri-* 1. Cor. 2. v. 2. *stum, & hunc crucifixum*; da Christe, ut quantum atramenti, sudoris & laboris insumpsi pro vanâ scientiâ, tantum fundam sanguinis pro tuâ gloriâ. Atque ita se totum imbuendum, instruendum, *regendum, gubernandumque tradidit* Ibid. IGNATIO; sub cujus disciplina, ut Paulus sub Anania, *spiritum meditando exercuit, eo statim fuit* Bartol. l. 1. n. 5 *odio, ut quatriduum totum jejunus planè transigeret*, & ut de Paulo diximus, plusquam *triduo, sine cibo in oratione persisteret.* Bern. s. 1 in convers. S. Pauli.

Hæc Pauli pariter & Xaverii transacta primordia, & gemini velut solis nascentis exordia; nunc quomodo ambo in Apostolos Gentium electi Orbem, solis instar celerrimè peragrarint, ex dicendis patebit.

§. I.

Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus. Act. 9. v. 15.

CElebérrimum encomium & pulcherrimum elogium de Marco Tullio Romanorum,

rum, & de Demosthene Græcorum oratorum Principe commemorat Hieronymus, dicens: *Demosthenes tibi præripuit ne esses primus; tu illi, ne solus.* Paulus Doctor Gentium *tibi*, ô Xaveri, *præripuit ne esses primus: tu illi, ne solus.*

Hieron. ... ad ... us & ... tius ...

Lucidissimum illum mundi oculum, solem, Ecclesiasticus præclaro elogio: *Vas admirabile, opus excelsi* pronuntiavit; verum ubi benignus Deus *Paulum vas admirabile, opus excelsi,* è tenebris vocavit in admirabile lumen suum, novus sol, nova lux, populo qui sedebat in tenebris, & in umbra mortis exoriri visa est, nobilioresque effectus divinus ac vividus sol Paulus, quàm ille inanimatus, in mortalium animis operatus est, ut de eo splendidè Doctor aureus: *Sicut radiis solis orientibus fugantur tenebræ, feræ latitant, retondunt se fures & latrones; sic fulgente, & Evangelium dessеminante PAULO, fugabatur error, veritasque remeabat: idololatria, ebrietates stupra, adulteria, aliaque dictu fœda, defecerunt sicut cera ante ignem,* & nix ante faciem solis.

Chrysost. hom. 4. de laud. Paul.

Aperuit Deus Ananiæ, Paulum sibi in Apostolum delectum, qui nomen ejus per gentes & regna circumferret; significavit quoque Deus Mariæ Magdalenæ, Francisci sorori, quæ magnâ sanctitatis famâ Gandiæ Discalceatarum Virginum cœnobium regebat, *Xaverium* novi orbis Apostolum à se constitutum, à quo nomen ad gentes, ultimumque Orientem perferretur. Hic vir *cælitibus magis similis quàm mortalibus,* Paulo præripuit ne solus esset: *Legante enim Christi Vicario,* Paulo III. *& cogente charitate, Oceanum ingressus, juvandos alio in orbe terrarum quæsivit Orientales populos, quibus in mortis umbrâ habitantibus, oriens ex alto Evangelii lux nondum affulserat;* quâ per Xaverium latè diffusâ, gentilitatis tenebræ discussæ, brutalia scelera evanuere, dæmonum fana & delubra diruta, idolorum simulacra supra quadraginta millia, certatim etiam puerorum manibus, solo allisa & pedibus contrita sunt, erectis in ora Piscaria, quæ piscatu animorum dives, quadraginta summo Numini templis. Quod si utriusque labores contemplere, si itinera, si difficultatum ac molestiarum, quas exantlarunt, moles; quem Herculem, quem Atlantem duxeris, non facile dixeris. Paulus pernicitate solem prævertere, & incredibili velocitate triginta annorum spatio orbem pervolare visus est: *Ab Ierusalem,* inquit, *per circuitum, ad Illyrium replevi Evangelium.* Quare D. Thomas hîc. *Nullus Apostolus per tot loca prædicavit, & annuntiavit Christum ut Paulus.* Cui accedit irrefragabile testimonium Divi Hieronymi: *Paulus ab Oceano usque ad Oceanum cucurrit, imitans Dominum suum, & solem justitiæ, de quo legimus: à summo cælo egressus eius, & occursus eius usque ad summum eius; ut ante eum terra deficeret, quàm studium prædicandi;* orbis angustus erat tam amplo & vasto Pauli animo, mille mundos complectenti: *Cor Pauli,* inquit Chrysostomus, *dilatatis charitas: nihil latius corde Pauli, quod totum orbem complexum est.*

Franc. Barbec. ... relatius ... sacra Congreg. coram Gregor XV. Nadasi annus dierum illust. ... Decemb. Greg. XV. Imago 1. sæculi pag. 600. Nadasi cit. Franc. Remond orat. 10. Ad Rom. 15 Hieron. Chrysost. hom. 3. ... ad ...

Quid ad hæc *Indiarum Apostolus* XAVERIUS; Cui India, industriæ in quo excurreret campus: Japonia, virtutis in qua exerceretur palæstra: universa Barbaria, illustrissimum in quo magnanimitas ejus se spectabilem exhiberet, theatrum; de quo exstat illud Urbani VIII. Pontificis Maximi oraculum: *Multa centena hominum millia, qui in tenebris & in regione umbræ mortis ambulabant, ad cognitionem veræ lucis perduxit: nam præter Indos, Brachmanes & Malabares;* IPSE PRIMUS *Paravis, Malais, Laus, Acenis, Mindanais, Malacensibus, & Iaponibus Evangelium Christi annuntiaverat: multique illarum nationum Reges & Principes ingenti cum fidei nostræ incremento, suavi Christi jugo colla subdiderant:* habent porrò veteres, recentesque litteræ, baptizatorum ab eo numerum duodecies centena millia, seu duodecim myriades excessisse. In ora Piscaria liquidissimis cæli gaudiis perfusus est, cum recogitaret plusquam mille infantes à se sacro fonte lustratos, mox terris mortuos, sideribus inseruisse. Fortunatæ animulæ, quæ vos ante sensistis felices esse, quàm vivere: quæ confestim evolastis Christi genitoris in gremium, ne fortè hic sugeretis e nutricis papilla venenum; unde jure meritissimo subinfert Magnus Pontifex: *Cùm ei benedictionem Patriarchæ Abrahæ Dominus spiritualiter elargitus esset, ut multarum gentium Pater efficeretur, & filios, quos Christo Iesu genuerat, super stellas cæli, & super arenam, quæ est in littore maris, multiplicatos videret, & ex eis* PLURIMOS PROPRIO SANGUINE LAUREATOS *ad cælestia regna præmisisset, Orientalium Indiarum* APOSTOLUS *ab universis Indiæ regnis, totoque Christiano orbe appellatus est.* Fides omnium laboraret credendo, si quot unus Xaverius brevissimo tempore ad Christi fidem perduxit recenserem: si magnitudinem laborum quos exantlavit, si multitudinem regionum, regnorum quæ peragravit, non decennii, sed sæculi opus rectè existimaveris, & Pauli animam in Xaverio spirantem judicaveris. Liceat hic mihi, magne Pater, illud Bernardi de te usurpare: *Orbe exeundum est ei, qui volet explorare quæ non ad tuam pertinent curam;* angustus hic nimis animo tuo, novi tibi orbes quærendi fuerunt: sic enim audio in sacro consistorio coram SS. Domino Gregorio XV. de te perorantem: tam insatiabili animarum siti flagrabat, ut tot populis, regnis, Regibusque ad Deum traductis, totoque penè Oriente, Evangelii luce lustrato, *adhuc in primordio operum esse, atque* ANGUSTUS ORBIS TERRARUM, *ingenti eius animo videretur.*

Alexand. VII in Martyrol. Urbanus VIII in Bulla Canoniz. Nadasi annus dierum illust. 2. Decemb. Remond. orat. 10. Bulla Urbani VIII. cit. Bern. lib. 3 de consid. ad Eugen. Pap. Imago 1. sæculi pag. 602.

Celeritatem Pauli amabili stupore admirans Chrysostomus, non minus verè, quàm magnificè pronuntiavit: *Apostolum totam sub cælo regionem, quanta quanta est,* VOLITANDO *circumivisse.* Et iterum: TANQUAM PENNATUS *totum docendo* PERVOLAVIT *orbem.*

Chrysost. hom. 1. de laud. Pauli.

Cursum Xaverii, qui solem rapidissimè in occasum vergentem strinxit, nullæ cæli injuriæ, nullæ Oceani procellæ, non scopuli, non

non pitatæ: non alta nivium juga, non ardentes Afticæ atenæ, non tyrannorũ minæ à cœpto retardare, aut sufflaminare potuerunt.

Metiatur qui volet aut valet viatum longitudines, locorumque distantias: vocet ad calculos roties in Japonia, India, ceterisque Afticæ atque Asiæ oris & insulis repetita itinera: innumerum digerat per tot flexus ac mæandros sæpè obitas regiones; abeant in summam hæc omnia: *Xaverius decennio, centies mille passuum millia*, seu milliaria non tam peragravit, quàm pervolavit. De Palladio cursore Romani Imperii celeberrimo ac celetrimo, dicere solebant ad Theodosium ejus Principes ac dynastæ com festivo quodam plausu: Palladium fecisse augustissimum illud Romanorum Imperium breve & angustum, quia tanta illud celeritate circuibat, ac perlustrabat. Quid verò Xaverius? Noo modò Imperium Romanum; sed onivetsum otbem augustum & exiguum teddebat, tanta illum pernicitate pervolabat, *cujus ingenti animo angustus orbu videbatur.*

Romond. orat. 18. Niceph. l. 14. c. 21.

Quis hic in Xaverio Paulum non cootemplerur, & alterum in altero nun admiretur?

Charitas Christi urgebat Paulum, ut animas Christo lucrifacetet: *Cor*, inquit, *nostrum dilatatum est*; cujus cordis extentionem & latitudinem dum amat & stupet Divus Chrysostomus, æstu quodam seu amoris seu stuporis excitus, abit in hæc verba: *Si quis totius orbu cor dixerit, & elementum primarium salutis nostræ non erraverit. Cor illud adeò latum fuit, ut in se susceperit integras urbes, populos & gentes*; contrahebatur, ut ebatur, si vel unica petitet anima.

2. Cor. 6.

Chrysost. hom. 32. in epist. ad Rom.

Eadem charitas extimulabat Xavetium, urgebat & urebat cor ejus taoto ardore, ut dilo-ricato pectore flammæ dilatandæ viam dare opottetet. Unde Auctor vitæ: si quod Chrysostomus io Apostoli sui laudaoda catitate mirabiliter extollit, persuaderem de Xaverio quoque iotelligi: *Quasi universum mundum genuisset; sic perturbatur, sic curabat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere.* Ardens & unicum illud Xaverii vutum, nec aliud Deum flagitabat, quàm illud, quod Rex Sodomorum, ab Abrahamo jam victore postulabat: *Da mihi animas, catera tolle tibi.* Coëaot alii in societatem ad pretiosas qualcumque merces ab extremo orbe advehendas, *da mihi animas.* Valeant alii apud Palatinos, proceres & optimates auctoritate, floreaot facultatum copiâ, legant in campo Martio victrices laureas & manubias: erigant sibi ad ominis sui immortalitatem illustria ttophæa, non invideo: *Da mihi animas*; pro animabus patiar omnia solus, quæ passi sunt singuli: pro animabus nihil oon agam, donec agam animam.

Bartolus l. 4. n. 62.

Chrysost. hom. 3. de laud. Paul.

Gen. 14. v. 21.

Unus Xaverius plores gentes adivit, quàm ceteri oovetunt: plura regna vidit, quàm ceteri audierunt: plures Provincias lustravit, quàm ceteri concupierunt. Ubi spes vel tenuissima affulgebat, animas ad Christum tedocendi, erat pedibus Mercurius, tam erat corteodo velox: manibus Centimanos, tam erat laborando strenuus: oculis Argus, tam erat videndo perspicax. Itaque oculi, manus, lingoa, pedes, singula totius corporis membra, si potuissent humana voce resonare, noo aliud clamassent, quàm illud: *Da mihi animas.*

Nos ne sine fructu, in hac tanta animarũ messe steriles, quas de Xaverio vel retulimus vel extolimus victores, Xaverii laudes transferamus ad mores: ut tot illustrium facinorum exempla, siot nobis ad imitaodum præcepta. Quantâ verborum pompâ, quantu dicendi fastu, utinam tanto & audienrium fructu, ille ventosissimus Orator recenset illud, quod digoissimum judicabat perennibus fastis facinus, dum quod meditabatur Urbi Catilina exitium, suâ indostriâ propulsavit; sic enim magnus ille è rostris Orator, & suatum laodum buccinator. *Remp. Quirites, vitamque omnium vestrum, bona, fortunas, conjuges, liberosque vestros, atq; hoc domicilium clarissimi Imperii, fortunatissimam, pulcherrimamque urbem, hodierno die, Deorum immortalium summo erga nos amore, laboribus, consiliis, periculis meis ex flamma, atque ferro, ac pene ex faucibus fati ereptam & vobis conservatam atque restitutam videtis.* Egregiam verò laudem. Quanta hinc Xaverio accrescit seges gloriæ, qui non unius urbis, clarissimique imperii unum domicilium, sed tot regna atque imperia: non aliquot lapidum rudera & saxorum congeries, sed multas animarum myriades, non ex faucibus fati, non ex flamma, quæ potest extiogui aquâ, sed flammâ tartareâ, quam tota alet æternitas, eripuit, otco sustulit, cælo intulit?

Dixerit olim & verè Seneca: *Nullum ornamentum Principis fastigio dignius, pulchriusque est, quam illa corona* (querna) *ob cives servatos*; cum pluris sit vel unum civem à morte servare, quàm hostiles muros, vel castra, vel naves occupare. Quòd si Romanis victoribus tanti fuit, vitam brevi perituram, civi servare; quæ corona, quis triumphus manet eum, qui aoimas æternæ morti creptas, in beatitudinem æternam asseruerit? Illis splendidè vallatus & cinctus, se Christo summo Imperatori præsentabit, sic censuit, atque è pulpito extulit S. Gregorius Pont. Max. *Ibi*, inquit, (hoc est in valle Josaphat,) *Petrus cum Iudæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Ioannes post se Achaiam, &c. in conspectum sui Iudicis conversam ducet. Ibi omnes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctu suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt.* Ibi numerosam animarum turmam, quàm cælo peperit, *S. Vincentius Ferrariensis*, ad vigioti quinque millia Judæorum, totidemque Saracenorum; Christianorum autem, quos ex solutiore vita ad arctiorem, redegit, centum viginti millia in campum adducet.

Seneca lib. 1. de clement.

Greg. ... in Evang.

Surius ... 5. Apr.

Xaverius post se Indiam, Japoniam, urbes, regna & Reges trahet, & agmina sua ad duodecies centena millia capitum, quæ lacro fonte lustravit, explicabit. Ex his milleni & milleni cælo præmissi, & turbæ parvulorum, choros ducentes parenti suo ac servatori cælos ingredienti occurrerunt, & peana ac epinicia accinuerunt.

Ne

Ne multis, rursus in oculos incurrit B. Seraphicus, & nomine, & zeli ardore Seraphicus; in cujus felici morte, vir sanctus, qui fortè aderat, conspexit aperiri cælum, & ex eo descendere beatarum animarum ad sexaginta sex millia, quæ illius animam exciperent, & in intima beatitatis adyta efferrent. Quæ dum oculis, dū animo spectat, simul audit & hanc vocem: *Numquid æquum est, ut eum ducamus in paradisum, qui nos eò duxit quà concionibus, quà etiam curâ verè paternâ?* Hæc beatæ animæ inter festivi gaudia, cælestesque plausus; qui si vobis placeant, & arrideant, ut simul & eveniant, potissimùm, quibus animæ commissæ sunt, quales Pastores, Præceptores, Patresfamilias, Gregorium Magnum monentem audiant: *In quantum vos profecisse putatis, etiam alios trahite: in via Domini socios habere desiderate; & si ad Deū tenditis, curate, ne ad eum soli veniatis*; unquam secum animarum turmam, omnes subditos trahant: Paterfamilias secum uxorem, filios, filias, famulos, famulas omnes trahat, curetque, ne solos ad Deum veniat, ne ex omnibus vel una anima pereat; quem zelom ut in homines Deus accenderet, manifesta revelatione

In vita. per Angelum S. Furceo declaravit: *Si Beati in cælo aliquâ tristitiâ affici possent, hoc solùm se deploraturos, quòd non plures animas salvas fecissent, & secum ad fruendum Deo in æternum addnxissent*; cujus vel unius jactura, omnibus Indiæ

De pretio animæ. gazis, & mille mundis ex auro obrizo, quia Christi sanguine empta & redempta, pretiosior est.

Michaël Curopalates, Nicephoro Imperatori successerat; cùm ecce audiit Leonem

Cedrenus. Armenum vi Imperium occupasse. Authores erant pleríque, ut vim repelleret, & arma armis opponeret. Et verò poterat, debebatque ex quadam Justitiæ lege. Sed juri cessit, & ultrò Leoni transmisit diadema, purpuram, & calceos coccineos, Imperii symbola, adjiciens illud, ut Cedrenus refert, cedro dignum: *non tantùm Imperio; sed & vitâ privari malim, quàm vel unicam Christiani sanguinis guttam effundere*; adeò cara illi fuit vel unius è subditis vita, salus, incolumitas, etiam illa, quæ corpori tantùm & tempori servit; quanta esse debet ea, quæ animæ, atque æternitati? de qua Hieronymus: *Quod majus lucrum potest esse, aut quid pretiosius, quàm si humanam animam quis lucretur?* Audeo dicere, nec Deliacum institorem, nec Batavum negotiatorem, nec Hispanum mercatorem, qui ab oris felicibus aromata, aut ab Indica Piscaria gemmas, aut ab Ophir, seu aurea Chersoneso aurum vehunt, & in portum deducunt, gaudere vehementius & justius, quàm is, qui vel unicam animam Deo, cæloque lucratos fuerit, duxeritque in portum beatæ æternitatis.

Sed ô perversos hominum mores! ô studia & lucra inania! Hi vani nominis auram, famamque aucupantur: illi quæstum pecuniarum, sordida sanè atque infelici negotiatione, quam & damnat, & deplorat Bernardus, dum

Bern. lib. 4. de consid. sic ad Eugenium Papam: *Vestri*, inquit, *qui terram Austri tam sæpè visitant; ecce hi sciunt, & possunt dicere tibi. Eunt & redeunt per medium illorum; sed quid boni cum illis egerint, nec dum audivimus, & forsitan audivissemus, nisi præ auro Hispania, salus populi valuisset.* Non valuisset profectò, si animæ pretium in oculis fuisset, atque in amoribus, ut fuit S. Maximo Taurinensi Episcopo, qui sic ad suos: *Est quæstus planè non modicus, ubi lucrum non pecuniarum, sed acquiritur animarum. Est magna negotiatio, ubi hominum constat redemptio.* S. Maxim. hom. ult. in Ep.

Tu, quisquis ades, & hæc audis, si illud tibi Dei immortalis munere non est indultum, ut in aliorum salutem incumbas; audi saltem monitum, & sequere consilium Angeli ad Lothum è Sodomæo busto fugientem: *Salva animam tuam*; quam, ut loquar ore magni Tertulliani, Deus amat ut manuum suarum operam, ingenii sui curam, molitionis suæ regimen, liberationis suæ hæredem, religionis suæ Sacerdotem: *Animam tuam*, propter quam, teste Chrysostomo, *cælum extensum est, Sol lucet, luna decurrit, aër diffunditur, fontes scaturiunt, expansum est mare, Prophetæ missi sunt, lex data est. Et quid opus est omnia persequi? Propter quam unigenitus Dei Filius factus est homo.* Si non ea es animi excelsitate, ac mentis robore, ut audeas cum Xaverio Deum sollicitare: *Da mihi animas*; dic saltem cum Esthere ad Assuerum: *Dona mihi animam meam.* Alienas animas si non potes cum Xavario cælo inserere, noli tuam excludere. Clamat jam è cæli Prytanæo ille innumerabilium animarum iodefessus in Indiarum silvis venator, in mari piscator, in terris mercator, ubique assertor & parens Xaverius: *Salva animam tuam.* Hoc ipse Imperator noster *Iesus*, toto corpore suo sacratissimo in cruce instar tympani extenso, hoc luxaris ossibus omnibus, quasi totidem clangentibus buccinis & tubis: hoc hiantibus vulneribus, quasi totidem resonantibus voribus non intonuit, intonatque etiamnum: ad extremum cruore suo pretiosissimo animis nostris inscribit: *Salva animam tuam*; ne ea, quæ Deo tuo tam pretiosa est, tanto stetit, tam carò empta & redempta est, tibi tam vilis fit, ut brevi & brutæ voluptate, levi terreni lucri utilitate eam commutes; ne illo tu milite Helveto stolidior sis, qui à pugna *de Granson*, grossiorem adamantem *Caroli* Burgundiæ Ducis, cui parem non viderat Europa, nec India tulerat, vendidit tamen uno floreno Brabantino, hoc est, assibus nostratibus viginti, qui pluribus aureorum millibus valebat, non sic venditurus, si pretium novisset. Gen. 19. v. 17. Chrysost. orat. in terræ motu. Esther 7. v. 3. In hist. Burg.

Et tu, ô homo, non nôsti pretium animæ tuæ? ignoras quanti valeat? in statera cum Filio Dei appensus es. Audi Eucherium Lugduonensem Antistitem, sive ut alii volunt, Eusebium Gallicanum, Crucem, bilancem facientem, in qua hinc hominis anima, illinc Dei vita, tanquam pretium pro ea persolutum, velut in trutina suspendantur: *In trutina ergo Crucis, non aurum vel argentum: non corpus aliquod angelicum; sed semetipsum passus est auctor salutis appendi: ut homini, qui à statu degeneraverat, natura sua dignitatem vel ipsa ostenderet pretii magnitudo.* Eusebius hom. 1. de symbolo.

Pupugit hæc pretii magnitudo Bernardum, qui sic exclamat : *Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est : gravis animæ casus, quæ non nisi Cruce Christi potuit reparari.* Expendit idem inæstimabile pretium S. Augustinus : *Redemptor noster pretium solvit, sanguinem fudit. O anima, erigite, TANTI VALES.*

Bernard. epist. 54.

August. in Psal. 102.

Omnia, quæ adferre possum, ut animam tuam serves, omnibus periculis, illecebris, lenociniis, quæ eam in æternum perdere valent, te generosè expedias, exsuperat, & satis est, quod Eusebius, & totidem verbis Hilarius Arelatensis ruminandum proponit : *Magnum mihi est de Deo, quòd esse me sentio opus suum ; sed multò plus est, quòd transisse ipsum video in pretium meum ; quandoquidem tam copioso munere ipsa redemptio agitur, UT HOMO DEUM VALERE VIDEATUR.* Quæ verba energiæ plena, fusiùs prosequitur Velasques.

Euseb. hom. 6. de Pascha.

Velasquez tom. 1. in Philipp. c. 7. v. 2. an not. mor. 5

Nunc ad Pauli & Xaverii parelia, seu parallela revertamur.

§. II.

Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Act: 9. v. 16.

VEtissimum illud magni *Pauli* exstat oraculum : *Spectaculum facti sumus*, (aut interprete Hieronymo, *theatrum facti sumus*) *mundo, & Angelis, & hominibus* ; in quo non mimos & histriones, non vilissimas animas cum ursis, & leonibus certantes ; sed duos fortissimos Athletas & luctatores, cum omnibus, quæ è cælo, terra, mari, & styge moveri possunt injuriæ & adversitates, fortissimè decertantes inducam.

1. Cor. 4. v. 6.

Pauli & Xaverii labores.

Talem spectandum, utinam & Christianis oculis conspexisset, proponit Romanus Philosophus : *Ecce SPECTACULUM dignum, ad quod respiciat operi suo intentus Deus. Ecce par Deo dignum : vir fortis cum malâ fortunâ compositus.*

Seneca lib. de provid. c. 2.

Ecce par Deo dignum, PAULUS ET XAVERIUS cum pessima fortuna, cum rerum omnium penuriâ : cum malorum omnium frequentia : cũ laborum, dolorum, persecutionum, periculorum, naufragiorum, mille mortium undique imminentium sævitiâ compositi.

Audax quibusdam videri posset magnificum illud Pauli effatum : *Abundantius omnibus laboravi* ; constat enim, alios Apostolos summo mane in vineam missos, tulisse pondus diei & æstus ; Paulum verò serius venisse ad laborandum anno ætatis suæ 34. quod nec ipse erubescit, dicens : *Novissimè autem omnium, tanquam abortivo, visus est & mihi.* Apostolos insuper atrociori supplicio affectos, in Crucem actos, bullienti oleo injectos, sagittis confixos, serrâ sectos, vivos excoriatos ; Paulum verò leni morte uno ictu, capite & vita minutum. Nihilominus testimonio ipsius Pauli, qui non vanus suarum laudum ostentator, sed verus laborum suorum ad ædificationem totius Ecclesiæ scriptor : *Abundantiùs omnibus laboravit* ; illũ

1. Cor. 15

Ibid.

porrò & temporum celeritate, & laborum difficultate, & meritorum multiplicitate omnibus antecellere, divi Hieronymi testimonium est epist. 13. ad Paulinum : *Noli fidem pensare temporibus : ne idcirco meliorem putes, quòd prior in Christi exercitu cœperim militare : Paulus Apostolus, & VAS ELECTIONIS, novissimus in ordine, primus in meritis est : quia extremus licet, plus omnibus laboravit* ; ut patet ex iis, quæ paucis, sed quam multa complexus est : *Esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus.* Et rursus 2. Cor. 11. v. 23. *In laboribus plurimis, in plagis supra modum : in mortibus frequenter : semel lapidatus sum, ter naufragium feci : nocte & die in profundo maris fui. In itineribus sæpè periculis fluminum, periculis latronum. In labore & ærumnâ : in vigiliis multis, in fame & siti : in jejuniis multis : in frigore & nuditate* &c.

Hieron. epist. 13. ad Paulin.

1. Cor. 4. v. 11. 12.

Quis hîc non exclamet : ECCE SPECTACULUM *dignum, ad quod respiciat operi suo intentus Deus!*

Seneca de provid. cap.

Sed & alterum panditur theatrum : non minus formosum, se præbet Xaverius spectaculum ; quod ad sui conspectum rapiat totum cæli amphitheatrum. Quid enim ? An non multò pulchrius est æquis virtutum amatoribus spectaculum, Xaverium cernere quatriduo, septiduo, sine cibo & potu marcidum, vitamque omnem, (quæ perpetua esuries fuit) emendicatis frustulis, & pauxillo frigidæ sustentantem ; quàm Sardanapalum inter opima & conferta fercula, aureosque vino spumantes calices helluantem!

Tursell. in vita lib. 2. cap. 14.

Esurivit enimverò & sitivit Xaverius, tum in India, ceterisque ad Orientem regionibus, æstu exhaustus, animarum magis sitiens, quam aquarum : in Meacensi potissimùm laboriosissimo itinere, pauculis oryzæ semitostæ granis victitans, cùm totum unius Neophyti per mensem integrum penu, manica esset ; ut jam non hominis, sed alitis alicujus diætam mihi scribere videar ; & verè alitem, sed paradisi, quæ aurâ vescitur ætherea. Exclamate hîc mecum, neque tamen verbis meis, sed Theodoreti : *Homo ales, insolens Angelis, & hominibus spectaculum in mundo, & supra mundum.* Gratiùs spectare Xaverium peditem, post barbarum equitem nudis pedibus & lacera ac tenui tunicâ succinctum, per medias nives, vepres, & saxa properantem, quàm Cæsarem trabeatum albis equis Romanum Capitolium intrantem.

P. Rho. hist. virt. lib. c. 7. nostra §. 2.

Theodor. Stud. tech. 35.

Valet hic & illud Pauli : *Nudi sumus* ; atque ut esset, ex mille ducatis aureis, ab Joanne Rege Lusitaniæ sibi attributis, ne obolo quidem sibi reservato, non minùs paupertatis studio, quàm animarum, omnia in egenos, ut parens in filios, divisit.

Bartol. lib. 3 n. 2

Jucundius sanè superis spectaculum videre Xaverium navigantem, super convolutos in spiram rudentes pro lectulo, atque anchoram pro cervicali ; domi verò, cùm semper cubiculo caruerit, aut super nudam humum, aut scabellum ad aram quiescentem, quàm Heliogabalum in molli ac rosco strato sterrentem atque lascivientem.

P. Rho l. 7. cap. nostra. §. 2

Quid

Urbanus VIII. in bulla Canonizat. Quid singula persequar? Paulum in Xaverio expressit nobis Pontifex Maximus Urbanus VIII. laboribus plurimis, ærumnis plurimis, persecutionibus & periculis exagitato: *Incredibilia, inquit, videbantur, quæ propter nomen* — vitã. *Domini nostri Iesu Christi toleraverat. Per diversa etenim regna, in vastis illis orbis terrarum spatiis, sæpè pedibus, sæpiùs nudis per arenas calidas pergebat: per spinas longissima itinera conficiebat. Contumeliis sæpenumerò, probris, & illusionibus, quin etiam verberibus, & lapidibus impetitus: in periculis hostium, in periculis itinerum versatus: sæpè naufragus, (ter.) vigilias, frigus, & nuditatem: sitim, faméque perpessus erat. Nec enim,* APOSTOLI EXEMPLO, *animã suam faciebat pretiosiorem quàm se, & ministerium Verbi, quod acceperat, testificari Evangelium gratia Dei.*

Seneca cit. Vidistis, ut opinor, *par Deo dignum*, spectastis mundo, Angelis & hominibus factum geminum spectaculum; nonne si tale theatrum clausis sipariis, oculis subducatur, meritò quis exclamet, quod olim Antigonus Rex, qui cùm intellexisset morte occubuisse [illegible]nem, stupore juxta ac mœrore oppress[illegible], hoc de illo acroama enuntiavit: *O quale theatrum amisimus!* Quod ne, ut ex oculis, ita animis elaberetur, moribus vestris exprimatur. Morale. Nos theatrum. *Nos spectaculum facti sumus*; convenit igitur, ut in te, velut in latè patenti theatro, illustri pompâ, & magnifico apparatu virtutes singulæ se conspicuas omnium oculis exponant. Producatur in scenam magnanimitas, quæ periculorum, quibus se experiatur, cupida: rerum arduarum sitientissimè avida, ipsis terroribus terrorem injiciat: omnibus se laboribus & periculis impavida objicat. Quod si hanc personam sustinere subterfugias: prodeat virginali fronte, in qua ipsa verecundia sedem sibi metata videatur, Angelica castitas, decertet illa exemplo Pauli cum Angelo satanæ, & castiget corpus suum; aut cum Xaverio in somnis ad sanguinem usque luctetur, & pervigil corpus funibus & flagellis domet. Sequatur tota aliarum virtutum honoraria turba; ut de te è vivis sublato, si in te velut in theatro virtutum electissimarum chorus apparuerit, sit omnium exclamatio: *O quale theatrum amisimus.* Cùm Hannibal videret fossam humano sanguine plenam, in has barbaras voces erupit: *O formosum spectaculum!* sed hæc vox fuit hominis non tam efferè crudelis, quam plius crudelitatis. Quod si illud Pauli expendendo: 1. Cor. 4. v. 12. *Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus* (quæ omnia Auctor vitæ in Xaverio expressit) injurias non ulciscendo vindices, sed silendo toleres; si percussus in una maxilla, præbeas percutiendam & alteram: si inter tot mala, quæ tibi inferunt mali, reddas bonũ pro malo: si cum tibi maledicitur, benedicis: si ores pro persequentibus te: si pro iis qui petunt tuum sanguinem, tu ultrò, ut Xaverius in Indico palmeto pro pervicaci & pertinaci homine, eũ fundas: si tale de te augustissimum virtutum theatrum præbueris, nunne & Angeli omnes è suis menianis, & superi è suo podio, & è sua orchestra supremus Brabeuta, utroque pollice applaudentes exclamabunt: *ô formosum spectaculum!* si in arena hic cum adversario compositi sumus, vel in theatro omnium oculis expositi; quis ambigat, quin & illustrius sit ad laudem illius qui spectatur, & jucundius ad voluptatem illius qui spectat, in hoc mundo laboribus, ærumnis, damnis conflictari, rerum adversarum vires infringere, insultare miseriis, fortunæ sævientis impetus retundere, ardua atq; periculosa excelso animo ultrò deposcere; quàm in umbra delitescere, ignaviam suam tenebrarum ac parietum septis tegere, dies noctesque totum se voluptatum illecebris, ac cupiditatum lenociniis dedere, otio ac deliciis supra fæminam circumfluere; ita ut prius tædeat lasciviæ, quam pudeat: nihil denique facere memoriâ dignum, quo nos posteritati aliquando vixisse testemur? si enim hic, tamquam in amplissima scena, quam theatralis tum hominum, tum cœlitum corona cingit, omnium conspectui expositi sumus; nemini dubium est, quin plausu dignius & visu jucundius sit spectaculũ, videre Herculem aliquem clavâ armatũ, & leonis exuviis, ex horrido speciosũ, nunc in Lernæa palude hydræ capita demetentem; quam in gynecæo cum Omphale, fæmineo cultu, gestuque fractum, deliciis ac libidinibus diffluentem.

Talem contra omnia infernalis hydræ capita, & erebi monstra Herculem decertantem, S. Chrysostomus Paulum inducit: *Quemadmodum si miles unus ab universo terrarum orbe, bello impetatur, inter medios hostium cuneos versatus, nec quidquam adversi patiatur: sic etiam* PAULUS *solus inter Barbaros, inter Gentiles*, inter sicas latronum, inter verbera, & saxorum grandinem, *ubique terrarum invictus permanebat.* Chrysost. hom. 25. in 2. ad Cor.

Alter Hercules *Xaverius*, non solum totum innumerabilium Barbarorum exercitum stitit; sed & dum idolorum monstra everteret, inter fulgentes gladios, lapidantium manus, inter verbera non hominum dumtaxat sed & atrocissima dæmonum, *invictus permanebat.* Torsellin. Bartolus in vita.

Et facere, quæ Paulus exantlavit, laborum pondera, tam gravia, & frequentia, ut non laborare, sed animam exhalare quotidie videretur, juxta proprium ejusdem testimonium: QUOTIDIE MORIOR *propter vestram salutem, fratres*: 1. Cor. 15. quod aureus Orator expendens, notat alios Apostolos semel mortuos fuisse: *Paulus verò semetipsum per singulos dies immolabat, quotidie moriens, & consummans voluntate* MARTYRIUM. Chrysost. hom. 1. de laud. Pauli. Et alibi expressius: *qui* MARTYRIO *persungitur, semel moritur; at Beatus ille vir, in uno corpore, atque unâ animâ, tot pericula, tamque gravia sustinuit, ut vel adamantinum pectus turbare possent.* Idem hom. 25 in 2 ad Cor. Nec minus disertè hom. 1. de laudibus Pauli: *quænam est ista adamantina anima, quæ Pauli patientiam possit imitari?* Hæc est Xaverii, qui felici nominis omine *vir saxeus*, seu adamantinus extitit; S. Xaver. Anag. vir Saxeus. quod à primo suo ad Deũ accessu se præstiturũ susceperat, *cum* UT OLIM APOSTOLO GENTIUM, *Deo longam perpessionum gravium seriem monstrante*, quanta oporteret eũ pro nomine suo pati, plura & plura his addi poposcerat, nedum ut eorum prospectu horreret. Bartolus in vita lib. 4 n. 59. Amanguccii, Meaci, & in una ex Mauri-

Ibid. cis Insulis appetitus est lapidatione: bis volneribus in ora Travancoris: cæsus alibi fustibus: ictus aliàs sagittis: bis in Japonia furente populo ad supplicium raptus: ab Saracenis & Badagis in tractu Piscariæ ad necem quæsitus, *Ad Hebr. 10 v. 33.* *opprobriis & tribulationibus* SPECTACULUM *factus*, nonne illud Paulinum jure usurpare poterat: *quotidie morior.* Quid est hoc: *quotidie morior*, & numquam mori? Quid est hoc: *Rom. 8. 36* *mortificamur tota die* & numquam mortuus est, sed vivit? Aptè Richardus Victorinus: *Richard. vict. in psal. 118.* *Quare mortuus non creditur, qui totâ die mortificatur? An fortè quia non dixit, morimur; sed mortificamur? Scimus tamen quia in Dei oculis majoris meriti est sæpe mortificari, quàm mori.* Nonne mors MARTYRUM *tantò erat pretiosior, quantò mortem præcedens pœna productior? quibus volentibus mori, non dabatur occidi.*

Xaverius ut alter Paulus quotidiè moritur.

Paulus, quem Xaverius sibi imitandū sumpserat, dicit: *quotidie morior.* Sed, amabo, unde quotidie moriebatur Paulus, qui semel pro Christo vitam & sanguinem fudit? Aureè ad rem præsentem Divus Chrysologus sermone de S. Apullinari Martyre: *Chrysolog. serm. 128.* *Nec enim quisquam Confessoris vocabulo minorem credat esse, quàm* MARTYREM: *quem Deinuntu, quotidianum & multiplicem, reversum conspicit ad agonem. Audi* PAULUM *dicentem,* QUOTIDIE MORIOR. *Semel mori parum est eum, qui potest Regi suo gloriosam sæpè de hostibus referre victoriam. Non tam mors, quam fides & devotio* MARTYREM *facit. Et sicut virtutis est, in acie, in conflictu, pro Rege, amore succumbere; ita perfecta virtutis est diu agere, & consummare certamina.*

Per mortem Paulus semel martyrii palmam consecutus est; sed dum innumera adit pericula, per gravissimos labores & dolores, quotidie moriens, gloriosa *consummavit certamina.*

Quâ ratione Xaverius martyr dici queat.

An non juge martyrium, mors quotidiana, vita Xaverii? qui quotidiè certabat & vincebat, quotidiè coronabatur. Ut in illum rectè cadat illud Cypriani: *Cyprian. epist. 4.* *Tot vestræ laudes sunt quot dies: quot mensium curricula, tot incrementa meritorum semel vincit, qui statim moritur; at qui manens semper in pœnis, congreditur cum dolore, nec vincitur, quotidie coronatur.*

Ecquis non malit cum sexcentis Martyribus laqueo aut gladio vitam finire, quàm cum Xaverio diu agere & pati, semper esse in pœnis & periculis, ac longa consummare certamina? Ex quo Doctor gravissimus Martinus Navar-*Bartolus lib. 4. n. 60.* rus non dubitavit affirmare, perpetuum *ejus vitam fuisse martyrium.* Atque ut aliquando pro fide victima occumberet, testantur ejus incensa desideria, quæ summo Pontifici testata fecere Rotæ Romanæ Patres: *Ibid.* *Peragrasse illum varia infidelium loca, ut pro Christi fide, non solum fidei lucem inferret,* SED ET SANGUINEM FUNDERET.

Hic audiendus Chrysostomus oratione de S. Eustachio, testatus id à se frequenter iteratum: *Chrysost. orat. de S. Eustachio.* *sæpenumerò, inquit, dixi vobis,* MARTYREM *non facere mortem tantum; sed animi quoque propositum. Non enim eventu solo,* SED ETIAM VOLUNTATE, MARTYRII CORONA COMPARATUR. *Et hanc non ego, sed Paulus affert martyrii definitionem, cum ita dicit:* QUOTIDIE MORIOR. *Quomodo quotidie moreris? Qui fieri potest ut uno corpore sexcentas mortes excipias? Proposito nimirum animi (inquit) quodque ad mortem sim paratus.* Quod in sacrificio Abrahami ostendit, ubi voluntas pro facto fuit.

Hoc desiderio inflammatus Xaverius, cùm jam moribundus è Sanciano Chinas moribundis oculis intueretur, cor æstuabat, sanguis in venis bulliebat, & amoris morte contabescens, *unum illud ægrè ferebat, omnibus expetitam votis,* MARTYRII *palmam sibi penè in omnibus infringi.* *Tursell. in vita lib. 5. cap. 12.*

Deuteronomio 34. jubetur Moyses ascendere montem Nebo; è cujus vertice, promissionis terram contempletur. Avidissimis oculis, & ardenti animo intuetur subjectas valles, messem copiosam, vineas uberrimas, civitates munitas, arduis montibus circumseptas: hæc est, inquit Deus, terra benedictionis, quam Patribus tuis pollicitus sum; & mox subditur: *mortuusque est Moyses servus Domini in terra Moab* [illegible]*e Domino.* *Deut. 34. v. 4.* At quo mortis telo Moyses è vivis eripitur? Quo lethi genere divini judicis sententia executioni mandatur? Appositè hunc locum ex Hebræo sic vertit Vatablus: *ostendi tibi eam, ut oculis tuis videres; illuc verò non introires;* causam hujus tam amœni spectaculi objiciendi non aliam innuens, quàm *ut oculis videret*, atque desiderio potiendi exardescens, spe frustratus, animo deficeret. Rem illustrat Petrus Cellensis: *Pet. Cellensis lib. de panibus cap. 11.* *Sed esto, nolebas illum introducere ad terram illam desiderabilem, & quare ostendebas quod non dabas? Quasi enim puero porrigis pomum, & retrahis manum. Fortè non tam fortiter doleret, si non videret: crescit aviditas scintillata ex visione, ardentius flammescit animus in muneris oblatione; sed quò uberius spei gaudet, desperata acrius dolet.*

Tormenti genus est; amare & non posse potiri, & mortis genus acerbissimum, rei frustratæ desiderio emori; quo flagrantissimo amoris & desiderii martyrio, ut magnus Indiarum Apostolus in conspectu Chinæ extinctus sit; strictè tamen, ut bene Raynaudus, nemo solâ voluntate dici eo dus est martyr, etsi merita martyrum adæquare possit. *Raynaud. de martyrio per pestem tom. 18. p. 41.*

At si tormenta & ærumnæ ad inferendam naturaliter mortem sufficissent, tantumq; divina manus hominē periculo exemisset, quod Xaverio sæpè sæpius accidit, talē in albo Martyrum adscribendū, non meo, sed sanctorum Patrū evincitur testimonio. Sui sanguinis ostro purpuratus martyr Cyprianus: *Cyprian. epist. 58.* *non in tribus pueris minor fuit* MARTYRII DIGNITAS, *quia morte frustratâ de camino igum incolumes exierunt: aut non consummatus Daniel exstitit in suis laudibus; quia qui leonibus missus fuerat ad prædam, protectus à Domino vixit ad gloriam. In Confessoribus Christi,* DILATA MARTYRIA *non meritum confessionis minuūt, sed magnalia divinæ protectionis ostendunt.* *Id. ep. 57.* Num in Xaverio minor fuit *martyrii dignitas*, quia inter Barbarorum sicas & tela, inter lapidum grandinem morte frustratâ incolumis exivit, *non enim ipsi tormenta, sed tormenta ipsi defuerunt*, & in ipsum, Deo protegente, non desævierunt.

In

In rem præsentem de Joanne, dilecto Christi discipulo, sic aptissimè ratiocinatur S. Gregorius: *Duo sunt martyrii genera, unum in occulto, alterum quoque in publico. Nam etsi persecutio desit exterius,* MARTYRII *meritum in occulto est, cum virtus ad passionem prompta flagrat in animo. Quod enim esse possit & sine aperta passione* MARTYRIUM, *testatur in Evangelio Dominus, dum Zebedæi filiis dicit:* CALICEM QUIDEM MECUM BIBETIS. *Quid autem calicis nomen, nisi passionis poculum signat? Et cum constet, quia Iacobus in passione occubuit; Ioannes verò in pace Ecclesiæ quievit, incunctanter colligitur* ESSE SINE APERTA PASSIONE MARTYRIUM. In eundem sensum Hieronymus, ubi enarravit Joannem *propter martyrium* in ferventis olei dolium immissum, vegetius exiisse, subdit: *Videbimus* MARTYRIO *animum non defuisse, & bibisse calicem confessionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinem.* Sic de S. Martino, quem & Ecclesia cantat martyrii palmam non amisisse, sentit Patriarcha Venetus: *Quomodo* MARTYII GLORIAM, *ipsum non habere censendum est, qui flagrans amore* MARTYRII *pro fidei testificatione, terrenorum Principum nec expavit potentiam, neque hæreticorum sævitia cessit, quin constanter veritatis propalaret regulam, eorumque confutaret errores.* Tum subdit: *magnum prorsus est hoc* MARTYRII GENUS, *ultrò se pro Christi honore dare periculis. Contempsit sanctus hic fugam, malens gloriosè occumbere, quàm ex passionis metu humaniter occultari. Toties igitur* MARTYRII PROMERUIT PALMAM, *quoties se inimicis fidei disputando opposuit.*

Greg. lib. 3. dial. c. 26.

Hieron. lib. 3. com. in Matth. cap. 19.

Laurent. Iustinian. serm. de S. Martino.

Quæ omnia cùm aptissimè quadrent Xaverio, quomodo martyrii gloriam ipsum non habere censendum est? Quomodo non toties martyr, quoties se inimicis fidei opposuit, sed & eorum gladiis, telis, venenis, quæ satis erant ad mortem millies inferendam, impetitus fuit?

Huic argumento favere videtur mirabile & amabile prodigium, quod apud Vascones in castro Xaveriano accidit, ubi etiamnum Crucifixi imago servatur, quæ toties in paterna domo sanguinem sudasse, quoties casibus & ærumnis vir sanctus in India conflictaretur, domestici ex litteris Indicis accuratè observarunt; consensione mutuâ gemini amoris Christi & Xaverii, ita duos inter se copulantis, ut alter dolores alterius doleret. Quid hoc, inquit Ildephonsus de Flores, certè portendi
“ putaverim hoc prodigio, Xaverii ærumnas,
“ calamitates & mortem, purpureâ martyrii coronâ dignissimas esse; quod illustrat divino Christi in horto sanguinem sudantis portento: *& factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Ubi solerter disquirit Augustinus, quorsum Dominus ad crucis martyrium ultrò properans, sudorem emittat sanguineũ? Respondet argutè & aptè in rem nostram: *orans cum sudore sanguineo Dominus, significabat de corpore suo toto, quod est Ecclesia, emanatura* MARTYRIA. Qui pretiosus Domini sudor, ut invictos Ecclesiæ Martyres, sic & ærumnas, labores & pericula quæ Xaverius in expeditione Evangelica pro Christi gloria pertulit, præsignaverit; voluit tamen Dominus in imagine sua
“ sanguineo madere sudore sæpè sæpius, cùm
“ Franciscus patiebatur, ut ostenderet ex cor-
“ pore suo toto, quod est Ecclesia, emanare
“ tunc unius Xaverii martyrium.

Bartolus in vita. lib. 4. n. 34

P. Flores. de inclyto arane martyrii. an 1451. pag 523.

Luc. 22. v. 44.

Aug. apud D. Thom. in catena hic

Supersunt alia, miranda magis, quàm imitanda in Paulo & Xaverio spectacula.

§. III.

DII SIMILES FACTI HOMINIBUS, DESCENDERUNT AD NOS.

Act. 14. v. 10.

Visis signis & miraculis, quæ Paulus Iconii & Lystris perpetrarat, & claudum ab utero ambulare fecerat, magnâ voce clamans: *Dico tibi in nomine Domini Iesu Christi, surge super pedes tuos rectus;* quibus ille auditis, repentè sanatus est, & exilivit. Tunc attonita miraculi novitate gentilis illa multitudo cœpit exclamare: DII SIMILES FACTI HOMINIBUS, *ad nos descenderunt: & vocabant Barnabam Iovem;* PAULUM *verò Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi.* Imò eò res devenit, ut non verbis tantum & faustis acclamationibus, illos ut homines divinos tanquam cælo delapsos mirarentur, sed ut deos venerarentur. Adfuit enim Gentilium acclamationibus sacerdos Jovis, cujus templum, & simulacrum visebatur ante civitatem: & ut est ad quamlibet superstitionem facilis ac proclivis idololatria, sacrificare tanquam novis diis, Paulo, & Barnabæ serio cogitavit: *Sacerdos quoque Iovis, qui erat ante [illegible]tatẽ, tauros & coronas ante januas offerens, cum populis volebat sacrificare.*

Act. 14.

Ibid. v. 10 & 11.

Paulus & Xaverius à Gentilibus pro diis habiti.

Act. 14. v. 12.

Ubi hæc Apostoli cognovissent, ægerrimè ferentes, & sacrificium, summum sacrilegium ducentes, quomodo se gesserint, S. Lucas his verbis exponit: *quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas & Paulus,* zelo Dei, & indignatione pleni: *conscissis tunicis suis* (ut mos erat Judæorum) *exilierunt in turbas, clamantes, & dicentes: Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis, converti ad Deum vivum, qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.*

Ibid. v. 13

Sed quorsum hæc, quid ista ad Xaverium? Multum & mirum in modum. Xaverius qui non uni claudo duntaxat gressum, cæcis visum, mortuis vitam, (ut mox dicemus) impertitus fuerat, alterum virum Apostolicum sibi socium habebat Andream Oviedum, Patriarcham Æthiopiæ; de quibus Nierenbergius hæc commemorat: invenio mandatum scriptis extranei Auctoris, qui ab ocularis testibus se accepisse fatetur, Japones Bongios coegisse comitia ut, *Xaverium consecrarent Deum, arâ, sacrisque colendum:* misisseque ad illum nuntios (ut olim Baptistæ) per quos, divinos deferrent honores. Gloria est christianæ modestiæ tales educasse viros, signis & portentis mirandos, per quos ipsa Religio ita posset periclitari. Respondit humillimus Pater: indignus sum, qui crea-

Nierenberg de arte volunta. in lib. 6. 1

tura sum, & vultis Creatorem esse: nec Barbaris visa fuit humilitas indigna Deo. Non potuit obstare Xaverius, quin procumbentes in genua, pedes ejus adorarent osculis. Sic quosdam consecrat humilitas usque ad sinceram simulationem Deitatis.

En quò virtus hominem efferat, ut non in cælis dumtaxat, sed & in terris divini honores illi decernantur. Athenienses adventanti Pompeio, divinosque honores recusanti, gratulabundi scripsere: *quatenus te censes hominem, tatenus nobis es Deus.* Adeò vel Ethnicorum oculos splendor humilitatis perstringit, ut honorum contemptores, Deos inter habere non dubitarint. Quod potiori jure de Christianis sensit S. Maximus, dicens: *quisquis cupit* DIVINITATIS *tenere fastigia, humilitatis ima sectetur*; quæ profectò hoc magis rara & præclara, quò illustrioribus signis & prodigiis decurata.

S. Maxim. serm. de S. Michaële.

Paulum Lycaones *Mercurium*, Deum eloquentiæ indigitarunt, ob divinam, quâ pollebat, facundiam & donum linguarum, quod Apostolis & ipsi cælitus infusum. Quis hic omni *Mercurio* facundiorem non obstupescat *Xaverium*? de quo in relatione coram SS. Domino Gregorio XV. *contigit non rarò ut dum apud circumfusam multitudinem diceret, variarum nationum homines illum audierint suâ quisque lingua loquentem.* Confirmarunt idipsum summi Pontifices; ad diversas nationes diversis linguis locutum, & dum etiam uno idiomate uteretur, à diversissimis, quasi linguâ earum maternâ uteretur, fuisse intellectum: sic enim
" Bulla Canon. Signa & prodigia, quibus
" Dominus Apostolorum suorum sermonem,
" in nascentis Ecclesiæ exordiis confirmavit,
" ad illius novæ sobolis incrementum in ma-
" nu etiam servi sui *Francisci* misericorditer re-
" novasse: *subitò enim à Deo, diversarum & incognitarum gentium linguas, quas non noverat, edoctus, disertissime quasi in eisdem terris educatus esset, loquebatur. Et accidebat quandoque ut cum ad diversarum nationum populos concionem habentem, unusquisque eodem tempore, linguâ suâ, in qua natus erat, magnalia loquentem, cum stupore & exstasi audiret, eoque miraculo multitudo magna commota, reciperet verbum Dei,* & eum tanquam Deum venerarentur.

S Tho. 12. q. 176. a. 1. ad 1.

Imago 1. saculi pag. 602.

Bartolim in vita lib 3. n. 10.

Paulus & Xaverius dono linguarum præditi.

Quod ne fortè quorumdam aures offendat; homines ab æterna sapientia Deos appellatos, divini Vatis evincit testimonium, psalmo 81. *ego dixi,* DII *estis vos, & filii Excelsi omnes.* Quæ sic illustrat Ecclesiæ lumen & columen Augustinus: *Si filii Dei facti sumus, &* DII *facti sumus; sed hoc gratiæ est adoptantis, non natura gener*[illegible]. Hieronymus verò illa cælestis tuba Evangelii, viros Apostolicos cumprimis Deos rectè compellari docuit, dū dixit: *pulchrè interrogat* (Christus) *quem dicunt homines esse Filium hominis? quia qui de filio hominis loquuntur, homines sunt; qui verò divinitatem ejus intelligunt, non homines,* SED DII APPELLANTUR.

Quâ ratione homines rectè Dii appellentur.

Psal. 81 & Ioan. 10.

Aug in Psal 49.

Hieron. in Matt. c. 16

Atq; hos inter, & vos accenseri posse, manifestò indicat, cùm ait: *qui cooperatores sunt Christi,* DII *vocantur.*

Hieron. in Ierem. c. 10.

Quid Jovem, supremum Deorum effecit, qui sic dictus, inquit Varro, quasi *juvans Pater*, nisi quod omnibus miseris & calamitosis patrocinari diceretur? unde Cicero de natura Deorum: *à Poëtis,* inquit, *dicitur Divûm atque hominum Pater; à majoribus autem nostris, Optimus Maximus. Et quidem ante Optimus, id est, beneficentissimus, quàm Maximus: quia majus est, certeque gratius prodesse omnibus, quàm opes magnas habere;* nihil enim ita divinitati proprium ac benefacere, & miseris subvenire; quod in Paulo & Xaverio (quod infinitum esset demonstrare) vos æmulari posse, docet Antistes Nazianzenus: *esto,* ait, *calamitoso Deus.*

Cicero l. 2. de nat. Deorum

Nazianz. orat. de cura paup.

Ita filiis Israël, qui omni humano subsidio destituti erant, Moyses, *juvans pater*, seu alter Jupiter; Aaron verò, seu Mercurius, id est os ejus, & interpres habitus est. Audi Deum ad Moysen loquentem: *Ecce constitui te* DEUM *Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Tum subdit: *tu loquêris ei omnia quæ mando tibi, & ille loquêtur ad Pharaonem ut dimittat filios Israël de terra sua*; quod ex doctrina Pauli, Xaverius in populo Gentili effecit. Sed nihil Jovem, ceterosque Gentilium Deos celebriores reddidit, quàm data per dæmones oracula & vaticinia quibus *Paulus & Xaverius* silere jussis, divina non è tripode, sed ex SS. Trinitatis sacrario ediderunt. Unum, ut infinita mittam, quæ in Actis à S. Luca conscriptis habentur, adduxisse sufficiat. Cùm in Italiam navigaret Paulus, imminente naufragio, salute omnium propè desperatâ: *suadeo vobis* (inquit) *bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis; propter quod bono animo estote, viri: credo enim Deo, quia sic erit quemadmodum dictum est mihi. In insulam autem quandam oportet nos devenire: & nullius vestrum capillus de capite peribit.* Quod totum statim eventus comprobavit in naufragis ducentis & septuaginta sex, tantò mirabilius, quantò periculum nave diffractâ inevitabilius videbatur.

Exodi 7 v. 1.

V. Massutii de vita Pauli lib. 14. c. [illegible]

Act. 27 v. 22. 25 26. 34.

De oraculis & vaticiniis *Xaverii*, prophetiæ spiritu afflati; vide Tursellinum, Ribadineiram, Bartholum, aliosque; hoc unum in quo *Paulo*, ut ovū ovo simillimus fuit, tacitus præterire non possum. Lusitana classis, hortatu *Xaverii*, adversus Acenos incitata, dum è portu Malacæ solvit, *prætoria biremis, salvis tamen militibus, submergitur in portu*, spectante civitate, atque omen infelicis exitus eam rem interpretante, simul in *Xaverium* obstrepente, qui contra validam ingentemque Acenorum classem, ducentos ac triginta Lusitanos milites in octo naves distributos animasset. *At Xaverius pergere illos constanti animo jubet, quò Deus ad certam victoriam vocabat*, eoque die pro una biremi amissâ, duas superventuras. Supervenêre ante Solis occasum è Molucis biremes duæ, militibus, omnique apparatu bellico instructæ, seq; hortante Xaverio ad reliquam classem adjunxêre. Sed cum post multos dies nuntius de clade nullus adferretur, spargitur ab ethnicis rumor, Lusitanos ab Acenis trucidatos. *Xaverius* mœstam, sollicitamque civitatem consolaturus, in concionem ascendit

In relat. coram Greg. XV

Et quâ horâ ad flumen Patles, quod Malaca distat trecentis miliaribus, Lusitani victoriam urgebant, occisis quatuor millibus Barbarorum, & captis vel demersis eorum navibus; ipse classium congressum describere primum cœpit: deinde, agite, inquit, Malacenses Deo gratias pro victoria, quam Lusitani hoc ipso temporis puncto reportant, tribus tantum aut quatuor è nostris in pugna desideratis. Id ubi dixit, etiam diem designavit, quo illi spoliis onusti in patriam redituri erant. Omnia, uti prædixerat, ac si oculis illa spectasset, evenêre. Quo verò plausu & gratulatione victores reduces exceperint, Xaveriumque non ut Prophetam, sed quasi Deum in cælum extulerint, nec lingua valet dicere, nec calamus exprimere. Nam quanto in honore apud mortales, divini Vates sint, qui aut loco maximè remota, aut multo post tempore futura denuntiant, Hieronymus & Cornelius noster *de Paulo* agens, cui Lystrenses volebant sacrificare, exemplo Prophetæ Danielis ostendit; qui cùm Nabuchodonosori somnium, atque ipsi eventura exposuisset: *Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & DANIELEM ADORAVIT, ET HOSTIAS ET INCENSUM PRÆCEPIT, UT SACRIFICARENT EI.*

[Hieron. in ... Cornel. in ... 4. 11]

[*Daniel. 2. 34.*]

Qui volet, cætera prosequatur. Multa paucis Remondus orat. 29. de S. Xaverio: *Vos testes, ô rem seculis inauditam! testes inquam estis Hebræi, Mahometani, Ethnici, aliique Barbari, qui* FRANCISCUM XAVERIUM, *non magis auditâ quàm perspecta sanctitate, ac prodigiis terrâ marique perpetratis,* DEUM TERRÆ AC MARIS, *communi ac publico nomine vocitastis.* Si ulterius provehi velim, *Xaveri*, non tam mihi pertimescendum in undis, quàm tua in laude naufragium.

[*Remondus orat. 29 de S. Xav.*]

Denique, si Paulus ubi claudum in pedes stare, & ambulare jussit, pro Deo habitus est; quid ni, ubi mortuos in vitam revocavit, majori admiratione, & elatiori vociferatione exclamarint: DII *similes facti hominibus descenderunt ad nos?* Divinos sibi honores crudelis Alexandri quondam ac Cæsaris jactantia meruerit, quod innumerabiles hominum legiones, quà ferro, quà flammâ mactavissent: summorum Imperatorum memoria ex aliorum interitu vivat; dicam, & quanta maximâ potero voce contendam, ut me quotquot sunt, fuerût & erunt fortissimi bellorum duces exaudiant: major virtus est ad gloriam, efficacior commendatio ad immortalitatem, uni tantum homini vitam reddidisse, quàm omnibus abstulisse. Etenim spiritus hic quem ducimus, mortalitatis semper vivæ testamento, naturæ tandem reddendus est: neque magnum est, si quis tibi præripiat, quod postea, velis nolis omninò cedendum est. At vitâ spoliatos ad hanc auram spirabilem revocare; putrida & exesa cadavera animare, mortuos è sepulchris excire, ipsamque mortem in triumphum docere, ita leges ac vim eorum, quæ cæli ambitu, continentur, infringit, *ut is qui præstare id queat, à Deo Optimo Maximo, ac præpotenti hujus pulcherrima universitatis effectore communicatam quodammodo habere videatur potestatem*, ad communia naturæ jura, voluntatis arbitrio immutanda; quam qui habet, qualis mortalibus habendus, & quomodo compellandus *Xaverius*, apud vus ipsos judicate.

[*De mortuis à Paulo ... vid. Massutill. l. ... 4. ... v. 1.*]

[*...mondus ...at. 30.*]

Etenim id quod me jam ad se vocat, ejusmodi est, ut non minus in credendo fides, quàm in dicendo eluquentia laboraret, nisi certissima quæ ex Orientis Provinciis exstant testimonia summorum Pontificum, ac jussu Rotæ producta, recepta & rata, veritatem sic astruerent, ut nemini fas sit, sine gravissimo genere impietatis ambigere. Atque utinam potentissimus ille Thaumaturgus, ita disserendi vim, si quæ unquam in me fuit, propè jam extinctam animaret, quemadmodum plurimos à morte suscitavit! Quid enim vel audiri, vel cogitari incredibilius potest, quàm quod de illo coram SS. Domino Gregorio XV. relatû est elogium: *miracula per ipsum, tum vita functum, patrata divinitus, tam multa, tam varia, tam insignia sunt*, UT PROFECTO XAVERIUS NIHIL FECISSE MINUS À MAGNIS APOSTOLIS (qualis fuit Paulus) AFFIRMARI POSSIT. *Certè mortui ad vitam restituti, ut cetera taceam, non pauciores quàm viginti in actis proferuntur.* Parum hoc, litteris exinde, ac testimoniis authenticis, ad hæc nostra tempora comprobatis, ad quinquaginta vitæ redditos, fidus Historicus, qui omnia discussit, his verbis exponit: *Viginti quinque mortuos ad vitam ab eo revocatos, ajunt jurati testes. Etiam quinquaginta universim à mortuis resurrexisse, Deo per Xaverium eos ad vitam revocante, affirmant litteræ antiquæ & novæ.*

[Mortui à Xaverio suscitati.]

[*In relat. coram Greg. XV.*]

[*P. Ioan. Nadasi Annus dierum Illust. 2. Decemb.*]

Celebrarint antiqui, Medicorum Principes, Chironem, Machaonem, Melampum, Podalirium, atque inter Deos indigetarint, quod subinde è corporibus humanis morbos dispulerint; at, qui vel uni mortuo vitam restituerit, hactenus repertus est nemo eorum: hæc sola divinitatis potestas, Xaverio communicata est.

Quæ majora putas miracula?

[*Martial. l. 1. epig. 6.*]

Hipponensis Doctor enarrabit, qui in illa Psalmistæ verba: *Narrabo omnia mirabilia tua*, quærit; ecquænam illa mirabilia, & maximè illustria miracula? Respondet non ea esse quæ in corporibus & quasi in aperto, mortalibus omnibus attonitis, patrantur; sed ea quæ in animabus, & in occulto, totâ cælesti curiâ cum stupore & gaudio spectante, exercentur, docetque: *Mirabilius fuisse resurrexisse in anima persecutorem* PAULUM, *quàm in corpore mortuum Lazarum.* Rationem reddit Divus Gregorius, Pontifex Maximus: *Constat, inquit, majus esse miraculum, prædicationis verbo, atque orationis solatio peccatorem convertere, quàm carne mortuum resuscitare. In isto enim resuscitatur caro iterum moritura; in illo verò anima sine fine victura.* Igitur

[*Psal. 9.*]

[*Aug. hic*]

[*S. Greg. lib. 3. dial. c. 17.*]

Quæ majora putas miracula.

[*Nadasi. Annus dierum ill. 2. Decemb.*]

Quàm duodecies centena animarum millia, morti æternæ erepta, vita immortali, sine fine duratura, à Xaverio donata?

Quæ

Quæ omnia tam magna, tam miranda & stupenda sunt, ut si vocante Ignatio, Xaverius in Europâ revertisset, & mors præoccupasset, quis unquam Barbaris, qui signa ejus & prodigia intuebantur & venerabantur, XAVERIUM *hominem & mortalem fuisse persuasisset? An ergò non fuit necesse in Indiis mori Xaverium*, UT NON DEUM, SED HOMINEM, SE APUD INDOS PROBARET? Quam causam de stupendis sanctis, morbis & morti subjectis, adfert Divus Chrysostomus hom. 1. de laudibus Pauli: *Ne ceteri majorem haberent de ipsis opinionem, quàm humana pateretur natura*: ET IPSOS DEOS, NON AUTEM HOMINES ESSE ARBITRENTUR.

Pinto Ramirez. Societ. Iesu stemmata pag. 428.

Chrysost. hom. 1. de laud. Pauli.

Verùm enimverò, novam laudandi materiam suggerit Augustinus, dum ait: *Si homines dicti sunt* DII, *quod in populo Dei sunt, quantò magis immortales eo nomine digni sunt, qui fruuntur beatitudine?* Quantò magis DII habendi, qui mortui non minus magna & mirabilia, quàm in vita perpetrarunt. Ad rem facit mysterium quod mortuo Christo Redemptore nostro: *unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua.* Nemo nescit ex communi Patrum sententia, Baptismum & Eucharistiam in his duobus liquoribus præsignitari; sed quorsum Sacramenta ad totius Ecclesiæ vitam præparata, non aliundè aptius, quàm à mortui seu dormientis latere, ex quo Ecclesia tunc formabatur, scaturire visa? Divus Augustinus in hunc locum: *ille sanguis*, inquit, *in remissionem fusus est peccatorum: aqua illa salutare temperat poculum; hæc & lavacrum præstat & potum.* Tum subdit de Eva ex Adami latere formata: *In habitu jacentis & dormientis secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit; ut inde ei formaretur conjux.*

Aug. lib. 9 de civit. c. 23.

Ioan. 19. v. 11.

Aug. tract. 120. in Ioan.

Simillimum prodigium narrat Martinez in vita Xaverii: cùm enim diutinam Xaveriani corporis post injectam etiam vivam calcem India miraretur, jurati medici, penè ad cor *latus ejus aperientes, recentem sanguinem & clarissimam aquam* è vulnere manantem cum reliquis adstantibus obstupuêre. Quasi Xaverio suo Christus concederet, ut Orientalis Ecclesia, sic ab ejus spiritu & precibus foveretur, ac si quodammodo videretur ab illius tunc latere formari. Exclamat hîc Pinto Ramirez: *O hominem, per immensa divinæ misericordiæ beneficia*, IN DEUM TRANSFORMATUM! Quo spectat illud Euthymii de hoc effuso Christi sanguine: *Res supra naturam, ac manifestè docens*: QUOD MAIOR QUAM HOMO ESSET, *qui fuerat vulneratus: siquidem à mortuo homine, etiamsi millies quis eum pupugerit, non exibit sanguis.* At à Xaverio, non solum mortuo, sed diu sepulto, Jesu sui dono, non semel, sed sæpè sanguis effluxit, etiam odoris suavissimi: nam *in eo condendo*, inquit Orlandinus, *cùm paululum corpus esset loculi brevitate compressum, & nonnihil inflexum, repentè sanguis ex humero effluxit, admirabilem suavitatem odoris, cunctis inhalans, ingenti stupore defixis, cum quintum jam mensem vacaret animo corpus.* An non quodammodo major erat quàm homo, qui hunc sanguinem id temporis emittebat?

Martinez. in vita lib. 6. c. 4. pag. 158.

Bartolus l. 4. n. 39.

Euthym. in Ioan. c. 19. v. 11.

Hist. Societ. lib. 13. n. 86.

Liber itaque non solum ut Lycaones de Paulo, & Japones de Xaverio exclamare: DII *similes facti, hominibus descenderunt ad nos*; sed ut prima Veritas pronuntiavit: *ego dixi, Dii estis vos.*

Act. 14. 10. Psal. 81.

Quod ut concludam, verbis Hussæi Vatis uti placuit, ad eas virtutes ostendendas, quæ Deus PER MANUM PAULI, *& per brachium Xaverii* operari dignatus est.

Act. ...

§. IV.

Si habes BRACHIUM SICUT DEUS: Iob. cap. 40. vers. 4.

CUm benigus Dominus noster electum populum è gravissima Pharaonis servitute liberare decrevisset, pervicaciam & arrogantiam ejus, jactantis quod nemo posset illos è manu sua eruere, immissis parvis animalculis infringere tentavit: *extendit Aaron manum suam super aquas Ægypti, & ascenderunt* RANÆ, *operueruntque terram.* Cùm nec illis moverentur, mandat Deus Aaroni: *Percute pulverem terræ, & sint* SCINIPHES *in universa terra Ægypti: percussitque pulverem terræ, & facti sunt* SCINIPHES *in hominibus & jumentis.* Ad quæ ostenta & portenta, Rex & Ægyptii exclamarunt: DIGITUS *Dei est hic*; per quem sancti Patres, Dei potentiam & virtutem passim designari asserunt. Et Isaias volens summi Numinis potestatem mortalibus declarare, ait: *appendit* TRIBUS DIGITIS *molem terræ*, fortes enimverò digitos esse oportet, qui totam hanc mundi machinam, ponderibus libratam suis, suspensam tenent. Sic in nova lege Deus homo factus, ut ostenderet quod in malignos spiritus haberet imperium, dicit: IN DIGITO DEI *ejicio dæmonia.* Quid, quòd purpuratus Vates, vastam illam cælorum machinam contemplatus, pronuntiatit: *Quoniam videbo cælos tuos*, OPERA DIGITORUM TUORUM: *lunam & stellas, quæ tu fundasti.* Sed, ut quid venustissimam hanc fabricam, *opus digitorum Dei* appellavit, nec manum ad hanc magnificam extructionem admovisse dixit? Respondet Chrysostomus: *Non quòd habeat Deus* DIGITOS, *sed minima operationis esse ostendit*: usque adeò mirabilis est Deus in operibus suis, tantaque fretus potentiâ, ut ad formandos cælos, quibus nihil oculis nostris majus, nihil pulchrius, nihilque admirabilius objici potest, non utramque manum, non brachium, sed digitos adhibuisse scribatur. Fortè, ne mortalis infirmitas, in iis condendis, omnes potentiæ vires exhausisse arbitraretur; cùm aliud opus manuum, aliud longè excellentius brachii ipsius superesset.

De v... te br... S X... eju qu... Rel qu...

Exodi 8.

V. 16.

Magna virtus digitorum Dei.

V. 19.

Isa. 40.

Psal. 8.

Chrysost. in psal. 8.

Majus porrò robur, virtus & potestas, longè majora ac mirabiliora opera *per manum Domini* significantur: nam ranas, muscas, sciniphes creare, terram in aëre suspendere, dæmonia ejicere, cælos fabricare, sunt *opera digitorum tuorum.*

Major potestas per ... nus ... figu...

At

At dum sacræ paginæ de forti & putenti manu Dei loquuntur, alias longè nobiliores & excellentiores operationes commemorant. Manus illæ formaruut hominem, *rerum omnium, quæ in mundo sunt, unam omnium præstantissimam*, ut eum vocat Aristoteles. *Divinum miraculum*, ut Plato. *Animal princeps*, *ceteris imperaturum*, & omnibus dominaturum, utpote propter quem omnia, quæ in cælis & in terris, creata sunt.

Formavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam; non microcosmum, ut vulgus autumat; sed *magnum mundum in parvo*, non mole, sed virtute, ut Nazianzenus eum compellat. *Ideam quandam, atque exemplar totius universi*, ut Theophrastus loquitur, rerum omnium artifex Deus suis manibus finxit. Ambrosium audiamus: SUAS OMNIPOTENS MANUS, *in quibus instituti sunt thesauri omnium bonorum, ad fingendum, formandúmque hominem sic demittit. Quis non stupeat? Quis etiam non (liceat dicere) invideat Angelorum? Voce Dei Angeli*, MANIBUS DEI HOMO CONDITUR. Quin & quisque nostrûm cum Propheta dicere potest: MANUS TUÆ *fecerunt me, & plasmaverunt me.*

ib. .ne. p.10

l.13. Quis filios Israël, quod omnes plagæ *digiti Dei* non potuêre, liberavit è tyrannicâ servitute Pharaonis? IN MANU FORTI *eduxit eos Dominus.* Regum ac Principum potestas, quæ in distans per suos ex mandato & imperio agunt, quanta sit, indicavit, qui dixit: *An esse* LONGAS *Regibus nescis* MANUS?

At longè magis extentæ ac porrectæ manus Domini, quæ attingunt à fine usque ad finem: *Non est qui effugiat* MANUM TUAM *Domine.*

Magna virtus digitorum, major potentia per manus; verùm maxima per brachium, unde digiti & manus, vim & virtutem suam habent, declaratur: *Fecit potentiam* IN BRACHIO SUO.

Hoc brachium, totum exercitum Pharaonis cum curribus & equitibus, maris fluctibus hausit: *Currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare* IN MAGNITUDINE BRACHII *sui.* Hoc brachium opus operatum, quod à nullo alio, nisi ab omnipotenti patrari poterat: *Fecit potentiam* IN BRACHIO SUO, quod Venerabilis Beda & Doctor Angelicus exponit: *Dispersit superbas potestates inferni, & hominem à diabolicâ servitute liberavit*; quo nihil majus, nihil excellentius per infinitam sapientiam & omnipotentiam & immensam bonitatem facere potuit. Nihil huic brachio impossibile: *Tuum brachium cum potentia.*

Psal. 88.

Sed quis est hic, qui *habet* BRACHIUM *sicut Deus*? Omnipotens Deus sanctum virum & Vatem eximium Job arguere videtur, dum ait: *Si habes* BRACHIUM *sicut Deus*? Præclarè in hunc locum Magnus Gregorius: *Dum dicit Dominus*: SI HABES BRACHIUM SICUT DEUS, *mirâ dispensatione dum eum increpat, exaltat: quia eum, quem suâ comparatione superat, superiorem cunctis demonstrat.*

Iob. 40. v. 4. S. Gregor. hic

Liceat hæc mihi de brachio Xaverii usurpare: quia *eum, quem suâ comparatione superat, superiorem cunctis demonstrat*, dum omnipotentis sui brachii potestatem illi quodammodo communicat. Nam ut doctissimus Interpres Pineda: Si hominis brachium aliquid potest " efficere, non aliter potuit, quàm ex *conjun-* " *ctione cum divino brachio.* Deniq; divini bra- " chii gloria esse solet, multa insulita & inau- " dita miracula patrare. Eccl. 36. v 7. *Innova* " *signa, immuta mirabilia*, GLORIFICA BRACHIUM.

Remond. orat. 30. Pineda in Iob c. 40. v. 4.

Quæ ut cognoscere, & virum hunc ex cælesti artifice, qui eum ad Apostolicum munus omnibus dotibus ac numeris perfectissimum efformavit, æstimare possitis, non ut olim ex pollice Colossum, sed ex brachio, opus absolutissimum, Xaverium metiemur, ingeniosum Itali artificis inventum æmulantes.

Michaël Angelus Banazotus, cùm juvenis Romam venisset, & Raphaël Sanctius Urbinas arti illius invideret, statuam miri artificii effinxit, quam brachio mutilavit, nomen suum basi insculptum, cœmento seu calce opplevit: eamque statuam in vinea cujusdam civis, ubi domum brevi exstruendam sciebat, defodi curavit. Cumque post annum ab iis, qui fundamenta jaciebant, statua reperta esset, & ad Pontificem delata, omnes artem mirari, antiquitatem extollere; solus Michaël dissimulabat.

Boterus polit. l. 1 de origin. urbium, cap. 6.

Jam lite inter illos exortâ, Sanctio affirmante, opus perfectissimi artificis, omne pretium excedere, nisi mutilum foret. Tum Michaël brachium in lucem protulit, & calce remotâ, nomen exhibuit, quo & invidiam superavit, & opus immortali memoriâ dignum commendavit.

Haud aliter Xaverium, opus divini Artificis, non solùm idololatræ, heterodoxi; sed & Catholici, imò viri Religiosi, nescio quâ invidiâ, aut æmulatione, despicere: miracula & portenta, ut figmenta illudere: novum hunc Sanctum, nil antiquæ aliorum sanctitatis spirare: nomen Apostoli, aut Thaumaturgi, sordidè ac superbè nimis illi affingi; donec tandem allato potenti ac prodigioso brachio, totum virum, visis signis & mirabilibus, suspexerunt; quod & obtrectantium ora obturavit, ac laudantium Deum in Sanctis suis reseravit.

Anno millesimo sexcentesimo decimoquarto, Claudio Aquavivæ Societatis Præposito visum decere, ut India particulam illam Xaverii Romæ, primario Societatis templo redderet, à quo totum olim accepisset.

Bartolus in vita, l. 4. n. 40.

Devehebat fortissimum illud brachium Sebastianus Gonzales, Indiæ Procurator, navi, seu cercuro mediocri, prædonum incursionibus non obstituto, quæ illa maria oberrabat. Cùm ecce tibi piraticus Batavorum myoparo plenis velis adversum ingruere; nostrorum cercurus de se actum, quòd nec ad fugam vela, nec ad defensionem arma suppeteret eorum. Jacturam mercium jam nostri inchoaverant, ne pretiosâ gazâ hostis ditesceret; *cùm succurrit*

Ingens miraculū in translatione brachii S. Xaverii.

animo XAVERII BRACHIUM, *quo satis potenti præsidio tueri se possent.* Gonzalem rogant, hostium oculis illud objiciat; Sancto supplicant; si minus sua, qua essent indigni, gratia servari; *at saltem ipsius, qui esset alioqui tam nobilis sui parte, in manus impiorum venturus.* Instabant navigio nostro tam propinqui piratæ, ut perciperentur eorum minæ, vocesque jubentium navigio cedere tanquam expugnato.

Cùm prodit ad navigii marginem in eorum conspectum Gonzales CUM APOSTOLICO BRACHIO, projectis in genua cunctis, qui vehebantur. Quo potenti brachio objecto, & conspecto, tradit vitæ auctor, *myoparonem piraticum plenis rapidum velis, ita ilicò fixum hæsisse, ut duratum circa illud mare gelu, subitò videretur*; atque ita Ulyssiponem, navim nostram in brachio potenti, feliciter appulisse, *stupente ad miraculum, & syderato pradone Batavo, qui tanta spectator novitatis, causam illius ignorabat.*

Isa. cap. 52.

Hoc vaticinatus fuisse videtur Isaias Propheta: *Paravit* BRACHIUM SANCTUM SUUM, in salutem Gentium, solatium miserorum, auxilium corpore & animo periclitantium, imò & desperantium.

Christus majora per brachium Xaverii, quàm per se operatus.

Ioan. 14. 1

Nec quisquam divinæ potentiæ quidquam detractum suspicabitur, si Christum per brachium Xaverii, majora quàm per se operatum contendero: quod ipsius primæ Veritatis evincitur testimonio: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet,* ET MAIORA HORUM FACIET. Quærit solerter hîc Augustinus: *Quæ sunt ista majora?* Et adducit Petrum umbra sua ægros sanasse, quod & de *Paulo* Chrysostomus affirmat; hoc autem de Christo non legitur: MAIUS EST, inquit, *quòd sanet umbra, quàm fimbria.*

Augustin. tract. 71. in Ioan. cap. 14. Bartolus l. 4. n. 36. Vide miracula Potamien. Bern. serm 1. de Circumc.

Quid de Xaverio dicam? Nónne corporis umbrâ, dum sacrum pignus non vivi, sed mortui per plateas Malacenses deferretur, ilicò pestem omnem, quæ urbem afflarat, extinxit? Sola sui imagine, quæ rudis corporis umbra; quodque mirabilius, vel sola *nominis umbra*, dæmones fugavit, ægros sanavit?

Quæ sunt ista majora? Christus tres mortuos suscitavit, ut Evangelistæ testantur; Xaverius virtute Dei, supra quinquaginta ad vitam revocavit.

Quæ sunt ista majora? etiam quàm creatio cæli & terræ? Hac majorem & præstantiorem docet Hipponensis Præsul esse conversionem animarum: *Prorsus* MAJUS *hoc esse dixerim, quàm est cælum & terra, & quacumque cernuntur in cælo & terrâ.* Rationem reddit primò: *Cælum enim & terra transibit; prædestinatorum autem salus, & justificatio permanebit.* Secundò: *In illis tantùm opera Dei; in his autem* (justificatis) *etiam est imago Dei.* Tertiò: *quod facit in nobis, non sine nobis,* MAJUS *est his, quæ sine nobis facit,* ut cælum & terra, atque omnia elementa, quæ sine resistentia obediunt voci ejus.

Aug. cit. tract. 72.

Quantò ergo majora Xaverius patrasse censendus est, qui forti ac potenti brachio, duodecies centena animarum millia sacro fonte lustravit, & in vitam æternam regeneravit? *Majora* etenim, inquit Dominus, *faciam per eum, qui credit in me, quàm præter eum, per me*; ut meritò Christi & Ecclesiæ brachiū constitutus sit; nam quemadmodum *Paulus* in stabilienda, instituendaque Ecclesia, ejusq; finibus proferendis, & animis Christo adducendis, velut dextrum Christi, & Petri brachium fuit; ita Xaverius dextrum Dei ac Ecclesiæ brachium dicī posse, sacer Vates insinuare videtur, dicens: *Brachia mea populos judicabunt: me Insulæ expectant;* ET BRACHIUM MEUM SUSTINEBUNT. Priora verba Christum indigitant, è cruce oculis Orientales populos spectantē, & extensis brachiis ad amplexus invitantem; extremas nempe Japoniorum Insulas, ut Interpretes non pauci exponunt. *Xaverium verò ut brachium Dei potentissimum* ad mysticam illam idololatriæ stragem sustinuerunt. Unde perappositè hæc verba: *Et* BRACHIUM MEUM *sustinebunt*; Septuaginta, & Vatablus exponunt: IN BRACHIUM MEUM *sperabunt.* Forerius: *Ad* BRACHIUM MEUM *expectabunt*; Xaveriū nempe, inquit P. Ildephonsus, vi, robore, & efficaciā Evangelii ac Crucifixi Jesu armatū. Verè de nostra familia, vel ob unius Xaverii magnalia (etsi alii multi deessent) illa protulit verba Clemens VIII. *Ego puto Societatem Iesu,* DEXTRUM BRACHIUM ESSE ECCLESIÆ.

Aug. serm 13. de verbis Apost.

Paulus & Xaverius Christi & Ecclesiæ brachiū.

Imago 1. sæc. pag. 84.

Isa. cap 51

Ildephonsus de Flores de su chyloagone martyrio, pag. 321. n. 1445.

Suarez tom 4. de Religione, l. 1. cap. 7. n. 5. de immunitate.

Hispositis, nemini dubium est, quin quidquid roboris, vigoris, virtutis ac virium latet in corpore, palam omnibus manifestum fiat, si mira ac stupenda forti brachio quis patrarit facinora. Quid Georgiū Castriotum, Scanderbechom dictum, virum bellicosissimum, toti orbi celebrē, & super æthera notum fecit? nisi quæ latebant in corpore nervi & vires, ac generosi animi spiritus, brachio suo Turcas cataphractos, transversim medios dissecando: aut à vertice ad umbilicum dividendo, ostentasset; quo fortitudinis ostento Solimannus attonit⁹, petiit acinacem ipsius utraq; parte acutū ad se mitti; quē cùm accepisset, atque ipse aliiq; Bassæ vulgarem ducerent, & sibi impositum, aut suppositium gladiū suboriſsum Turca quereretur; respondit Castriotus: *Se gladium suum misisse, sed non brachium, in quo omne robur & vires totius corporis continebantur & ostendebantur.*

Robur totius corporis patet in brachio.

Iovius. Camerarius.

Ita, si miscere liceat sacra profanis, qualis, quantusque fuerit Xaverius: quid animi, spiritus, roboris, latuerit in Xaverio, ex solo brachio noscere potestis.

Hoc brachio extento, Solem stare jussit: hoc brachio forti ingentem terræ motū, quasi cardine suo evulsæ, ad obduratos animos romovendos, excitavit: hoc brachio extento, duobus navigiis simul præsens, imperavit ventis & mari: hoc brachio in cælum erecto, flammas & fulmina in Tollenses evocavit: hoc brachio extento, naufragum undis eripuit, & incolumem littori stitit: hoc brachio omne genus morborum fugavit, mortuos ad vitam revocavit.

At Europæos audire clamantes mihi videor: quæ in Iudicis, Japonicis regnis ac regionibus fecisti, Xaveri, *fac & hic in patria nostra.* Manus ejus, & brachium ejus abbreviatum non est: testis Roma, testis Neapolis, testis Potamus, testis Belgium nostrum, quanta, quàm innumera Bruxellis, Luc. 4. 23

Antver-

Antverpiæ, Mechliniæ, Brugis, Insulis, Tornaci, aliisque in Urbibus etiamnum patrantur prodigia & miracula. *Esto* BRACHIUM NOSTRUM, Xaveri: *& salus nostra in tempore tribulationis.* In hoc brachio, quacumque corporis aut animi infirmitate: quacumque rerum temporalium inopia aut necessitate pressi, confidite; non in malagmis aut medicamentis, non in humanis adjumentis: non in aruspicum aut sagarum amuletis spem reponentes; sed in hoc potenti brachio: nam ut verè & severè monet Jeremias: *Maledictus homo, qui confidit in homine, &* PONIT CARNEM BRACHIUM SUUM. S. Thomas docet hîc, *poni maledictionem eorum, qui confidunt in auxilio humano.* " Carthusianus & Cornelius: Carpit hîc " Propheta eos, qui in homine tanquam in " Deo; aut magis quàm in Deo, vel in San- " ctis, tanquam amicis Dei, confidebant. Et tales, inquit Hugo Cardinalis multi maledicti, qui *carnem ponunt brachium suum*; expressius Augustinus: *Homo hominem,* à quo sperat auxilium, BRACHIUM SUUM *appellat*; *& si ei auferatur, dolens dicit*: BRACHIUM MEUM PERDIDI: *& ei, qui abstulerit, dicit*: BRACHIUM MEUM MIHI ABSTULISTI; sed hoc *Brachium sanctum* Xaverii numquam auferetur à vobis.

Is. cap. 33 v. 2. — *Jerem. 17. v. 5.* — *S. Thomas hic* — *Carthus.* — *Cornel.* — *Hugo.* — *August. tract. 13. in Ioan.*

Verùm enimverò, quid ego hîc tam multis de virtute Brachii hujus Indiarum Apostoli? Quid Brachium extollo & deprædico? Quid ad fiduciam in hoc Brachio ponendam vos adhortor? cùm omnium oculis pateat non Brachium, sed ex eo vel exiguam dumtaxat particulam ad nos transmissam. Unde fuerunt, qui viderunt, & inviderunt, dum hæc sacra Lipsana per urbem deferrentur; tantâ pompâ, tanto splendore, ac veneratione fuisse translata. Quos cum Hieronymo adversus Vigilantium & Eunomianum, aliosque lipsanomachos, ubi paucis confutaro, ad pietatem, cultum, & fiduciam in animis vestris excitandam & fovendam, minimis Sanctorum reliquiis ac pulvisculis, eam vim ac virtutem inesse, quæ toti corpori, non meo, sed authenticis SS. Patrum testimoniis comprobabo.

Responderur sanctis hæreticorum contra S. Reliq. & Catholicis quòd tantùm exigua pars brachii.

Divorum corporum, etiam in minima particula venerationem fieri solitam, me silente, satis superque proloquitur auri, argenti, marmorum, gemmarum, aliarumque id genus rerum præstantissimarum vis ingens, fulgor lampadum, ac pretiosarum, pro acceptis beneficiis, anathematum, tam profusa à Catholicis conferri solita, ut Vigilantio bilem olim acerrimè commoverint, stomachumque everterint funditus.

Dormitantium rectiùs quàm Vigilantium Hieronymus affatus, reponit: *Audes*, inquit, *dicere, illud, nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis? Quid est illud nescio quid? scire desidero, expone manifestiùs, ut totâ libertate blasphemes.* PULVISCULUM, *inquit, nescio quod, in modico vasculo, pretioso linteamine circumdatum. Dolet Martyrum Reliquias pretioso operiri velamine; & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel* PROIICI IN STERQUILINIUM.

Hieron. adv. Vigilant. cap. 2.

Audiant, audiant, quo fulmine & flumine orationis percellat eos, obtuatque Gennadius Massiliensis, qui insectantur honorem, cultum, & venerationem non integris tantùm corporibus, sed varias in partes sectis, & in pulverem resolutis, religiosè exhiberi: *Sanctorum corpora, & præcipuè Beatorum Reliquias, ac si Christi membra, sincerissimè honoranda. Si quis contra hanc sententiam venerit,* NON CHRISTIANUS, SED EUNOMIANUS, ET VIGILANTIUS CREDITUR. Iisdē propè verbis Rabanus.

Gennad. lib. de Eccl. dogm. c. 73. — *Raban. lib. 4. de universo, cap. 10.*

Mitto recentiorum hæreticorum scommata & figmenta, quibus sacris Divorum lipsanis illudunt; ut nuper quidam Lutheranus libello edito, ubi ex Bocatio enarrat & affirmat à Catholicis coli, ac magna in veneratione haberi insignem pennam S. Michaëlis Archangeli, quam prælio in cælo exorto, Lucifer illius alis extraxerat. 2. concentum campanarum templi Jerosolymitani, quem in pyxide Monachus quidam ex Oriente in Europam detulerat. 3. digitum S. Spiritus tam vividum ac vegetum, ac si primùm obiisset. 4. frustum pretiosæ vestis sanctæ Matris Ecclesiæ:

Ridiculæ ac blasphemæ fabulæ hæretici de Reliq.

Risum teneatis amici.

Horat.

His enarratis, fatetur Bocacius, homo nugivendulus, se ea ex proprio cerebro confinxisse, additque: *Hæc saltem sunt palpabilia mendacia.* Rectè; nam ejusmodi Reliquiæ non solùm apud Catholicos (ut hæreticus ille deblaterat) sed nec in toto orbe unquam repertæ fuerunt.

At veræ & authenticæ, examinatæ & approbatæ, omni honore & reverentia digni sunt, ut sacræ paginæ testantur, Gen. 50. ubi mandat Joseph ossa sua transferri in terram Chanaam, quò summa solennitate, pompâ & comitatu curruum & equitum, & turbâ non modicâ, translata sunt. Testatur Psaltes Regius, vel apud ipsum Deum in veneratione esse: *Custodit Dominus ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Virtutem autem ab illis exire, habes 4. Reg. 2. Quod præclarè contra Lipsanomastyges exponit Cyrillus Hierosolymitanus: temere projectus, & *jaciens in sepulchro Elizæi mortuus, mortuúmque Prophetæ corpus attingens, vivificatus est; atque ita mortuum corpus Prophetæ perfecit opus animæ, & mortuum jacensque vitam præbuit defuncto, exhibénsque alteri vitam, ipsum nihilominus mortuum permansit. Quâ de causâ? Ne si resurrexisset Elizæus, factum id soli animæ adscribatur: & ut demonstretur, quòd absente etiam animâ, inest quædam ejusmodi virtus corporibus Sanctorum, propter tot annorum inhabitatas in illis animas justas, quorum ministerio usa sunt.*

Scripturis probantur veræ Reliquiæ. *Gen. 50. v. 8.* — *Psal. 33.* — *S. Cyrill. Hierosol. catech. 18*

Confirmat sudariis & semicinctiis *Pauli, quæ si extra corpus existentia, contacta ab ægrotis, liberabant illos ab infirmitate; quantò magis corpus Prophetæ, mortuum excitavit?* Sed hæc satis apud Catholicos contra hæreticos.

Act. 19. v. 12.

Superest, ut tantam virtutem exiguæ particulæ & minimo pulvisculo, quàm toti corpori cujuspiam Sancti, & consequenter non minorem venerationem exhibendam, atque fiduciam habendam, cognoscatis.

Probatur tantam virtutem exiguis Sancto. ū

reliquiis, quamiou corpori inesse.

Doctè & disertè tractat hoc argumentum Baronius Cardinalis : Ansam calumniandi, " inquit, nacti sunt Novatores, ut sicut stul- " tè, ita & temerè dicerent, Catholicos qui- " busdam illusisse præstigiis, ut frequenter " unius Martyris corpus, diversis in locis tra- " derent situm esse : ignorantes, vel dissimu- " lantes, nos non dicere in diversis sepulchris, " unum idemque integrum esse corpus ; sed " in singulis sepulchris unius Martyris con- " servari reliquias ; *ac proinde eidem honorem eundem impendi, ac si integrum esset corpus* ; nam sententia D. Nazianzeni est, oratione in Julianum : *Exiguus etiam pulvis, vel ossium veterum quapiam particula, aut paululùm coma, vestisve, aut sparsi sanguinis quædam nota, cultum* PAREM *habent, atque* INTEGRUM CORPUS; nec immeritò idem exiguis Sanctorum Reliquiis cultus & veneratio adhibetur, cùm eadem illis vis & virtus, quæ toti corpori insit : *Sectis enim*, inquit, *eorum corporibus, integra tamen vis, & gratia perseverat : tenuésque ac tantillæ Reliquiæ, toti* PAREM *habent, multas in partes Martyre dissecto*, VIRTUTEM. In eundem sensum Ambrosius, Elias Cretensis, Paulinus, aliique apud Joannem Ferrandum Disquisit. Reliquiar.

Baron. in appar. ad Martyrol. Rom.

Greg. Nazianz. orat. 3. contra Iulian.

Ibid.

Hinc S. Chrysostomus Venerabiles *Divi Pauli* exuvias Romæ asservatas, ac religiosissimè cultas, coram venerari ardenter desiderans, exclamat : *Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori* PAULI, *affigi sepulchro, videre* PULVEREM CORPORIS ILLIUS ? ORIS ILLIUS PULVEREM VIDERE VELLEM, *per quod Christus magnalia & ineffabilia locutus est, & majora etiam, quàm per seipsum. Quemadmodum enim majora per discipulos suos operatus est, ita & majora locutus est.*


S. Chrysost. hom. 32. in epist. ad Rom.

Optat videre pulverem corporis & oris Pauli.

Videor mihi videre non unius flagrans desiderium, optantis & clamantis : *Quis mihi dabit circumfundi corpori* XAVERII ? Quod ut concessum non sit, hoc tamen estis felices, quòd pulverem & particulam *corporis illius*, Brachii tam potentis, (cui totius corporis inest,) non solùm videre, sed & osculis libari, & cultu, amore, & veneratione vobis propitium reddere possitis, illud identidem ingeminando : *Esto* BRACHIUM *nostrum* XAVERI, *& salus nostra in tempore tribulationis.* Illud urbem, domos, familias, vos omnes protegat, & mille benedictionibus repleat.

An non nos feliciores, qui Xaverii videre & exosculari possimus ?

Isa. 33. v. 2.



FESTUM

FESTUM

6. Decemb. # SANCTI NICOLAI

PONTIFICIS ET CONFESSORIS.

Data est gratia SECUNDUM MENSURAM. Ad Eph. 4. ℣. 7.



HÆC ILLI MENSURA *viro est.* Ovid. lib. 12. Metam:

A R G V M E N T V M.

OMnia benè fecit, & rectè disposuit Divina providentia, quòd non uni regioni, aut regno, de frumento, vino, & oleo, de lana & lino, de lacte & caseo, de sale & sepia, alisque mercibus prospexerit, ne omnibus abundans, ceteras, omni commercio interdicto, despicere, & superbire posset. Haud aliter Deus, in iis, quæ animum concernunt, diversis diversa talenta
Matt. 25. ad Eph. 4. dispertiit: *Vnicuique secundùm propriam virtutem*, ne unus præ alio extollatur. Hoc est, quod
S. Thom. hic Apostolus ait: *Gratia Dei datur unicuique* SECUNDUM MENSURAM *donationis Christi*. Ubi S. Thomas: *Vnicuiq; dat gratiam proportionatam ei, ad quod eligitur.* Ideò longè majorem Fundatoribus, Doctoribus Ecclesiæ, Episcopis, Prælatis, &c. unicuiq; statui ac conditioni proportionatam elargitur, ut idonei inveniantur, si mensuræ gratiæ & talentis sedulò uti, & cooperari velint.

Nec est quòd quis queratur, se unum dumtaxat talentum, aut minus accepisse, cùm subinde Deus aliunde suppleat, etiam in defectibus naturæ, ut variis historiis comprobatur.

Quare quisq; suo talento *secundùm mensuram*, contentus vivat; nam majus, illi non magis congrueret, quàm calceus gigantis, pedi infantis.

Interim ejusmodi stolidos, ac malesanos invenire est, qui cùm unicum, idque exiguum talentum nacti sint, ineptè se muneri ingerunt, quod tria, vel quinque requirit, cum gravi sua, aliorumque jactura. Alii talentum in terra defodiunt, gravissimè rationem reddituri, qui plus acceperunt.

§. I. *Vnicuiq; nostrûm data est gratia* SECUNDUM MENSURAM. Ad Ephes. 4. v. 7:

§. II. *Qui unum talentum habent, aut nullum, quàm ineptè se muneri, quod tria vel quinque requirit, imdoneos intrudant.*

§. III. OMNI AUTEM, CUI MULTUM DATUM EST, MULTUM QUÆRETUR AB EO. Luc. 12.

FESTUM
SANCTI NICOLAI
PONTIFICIS ET CONFESSORIS.

Vni dedit quinque talenta, alii autem duo; alii verò unum:
UNICUIQUE SECUNDÙM PROPRIAM VIRTUTEM. Matth.25.v.15.



Mabilis Dei providentia mirabiliter in eo elucet, quòd non uni provinciæ, regioni, regno, omne genus fructuum, metallorum, mercium contulerit; sed varias terrarum partes, regiones, urbes, ac oppida, suis propriis, ac nativis, iisque exquisitis excellere voluerit fructibus, ac mercibus. Sic videre est per Europam, Italiam frumento, Hispaniam lanâ, Galliam, Germaniamque vino, Flandriam lino, Angliam stanno, Hollandiam lacte & caseo abundare:

Virg. 1. Georg.

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ,
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Quin & argentum, & aurum, simias, & pavos, uniones & gemmas. Carthago leones. Scotia falcones. Dacia grues. Westphalia sues, Frisia boves, &c.

- - *Non omnis fert omnia tellus.*

Habent & per Belgium oppida, à quibus præ cæteris commendantur, Ganda, Brugæ, Bruxella, Antverpia, Mechlinia, &c. hi vitulos saginatus, illi prægrandes & præpingues capos, alii quæ in exteris urbis tractus asportantur, liba, &c. quæ quisque in sua patria, quibus excellit, suis deprædicare poterit.

Ex quibus hic primò fructus existit, ut nulla regio omnibus affluens, cæteris spretis, nullius egens, seipsam efferat. Alter verò (ut princeps Philosophorum in ethicis solerter advertit) *cùm necessarium sit, in omni civitate aliquid vendi, & aliquid emi*, commercium, & communicatio, atque arcta societas mercatorum, non mercium dumtaxat, sed & animorum etiam inter longissimè dissitos, nec unquam nisi calamo notos contrahatur necesse sit; unde utilitas, in commune mortalium bonum, non exigua redundat: Respublica enim sine mercatoribus ubertim vivere non potest, cùm oppida omnia non omnibus affluant rebus, quibus indigent; sed pro varietate regionum, hic terræ tractus abundat fructuum copia, quorum alius nihil habet. Mercatoribus ergò opus est, ut merces ex uno in alium locum transferantur.

Aristot. lib. 6. ethic.

Fregosius de regimine Reip. Christian. tom. 1. lib. 7 d. 19. n. 81

Ita usu venit ut Sicilia, quæ horreum Italorum est, frumentum suppeditet & lanam, & linum conundinetur, Hispania serico; sic enim Marinæus lib. 20. rerum Hispanie. quidum Granatæ urbis agrum à fertilitate laudat, testatur eum ex arborum foliis, quæ serico deserviunt, singulis annis vectigal aureorum millium & triginta quinque Regi pendere, præter plurimas serici libras. Sic ferrum auro, linum lana, lac vino, indies communi commercio permutari videmus.

Scribanius curiosa subductione, scribit, unam Hollandiam, provinciarum non maximam, tot lacte annis singulis implere mulctralia, quot Gallia tota vini dolia: tantum lactei depluere totis, provinciam è septemdecim Belgii unam, quam Gallia universa vini, quod pro portento, inquit, esse potest. Tum subdit: Quis non obstupescat, Belgium unum, orbem prupè universum divitissima lineâ supellectile, arte materiam superante, universum orbem ditare, qua & serica, & Damascena, & attalica, aliaque pretiosissima mercimonia, commutare, & sibi comparare solet.

Scribanius in politico Christian. lib. 1. cap. 14.

Et quisquam mirabitur, aut indignabitur in unum hominem non omnia simul talenta collata esse, & non potiùs æternam Numinis sapientiam, ac suavem providentiam sancto stupore venerabitur, qui uni quinque, illi tria, alteri unum contulerit? sed quoniam ita libitum est, fingite animis vestris unum aliquem memoriâ Mithridatem, judicio Xenocratem, facundia Ciceronem, elegantiâ Roscium, ingenio divinas adæquare intelligentias, atque in omni scientiarum genere planè eximium: adde eundum & divitiis Crœsum, & deliciis Sardanapalum, & corporis venustate Absolonem, robore Sampsonem exsuperare. An eum non se circumspicere, cæteros despicere, se nō capere, quòd si Aristoteles dixerit, nullum ingenium sine mixtura insaniæ reperiri, an eum non sui impotem fore existimatis?

Excellens Philosophus habet quod suspiciat Jurisperitum; hic Medicum, Medicus Mathematicum, ille Theologum. Sic inter artifices, qui pingendi arte excellit, habet, in quo concedat statuario, hic architecto, ille musicu, &c. idem est in talentis supernaturalibus; varia talenta variis distributa, causam cuilibet humiliter de se sentiendi, aliosque suspiciendi

præ-

præbet : nam si unus omnibus præcelleret, facilè evanesceret, cæterosque despiceret, ut scitè Doctor Angelicus : *In homine possunt duo considerari, scilicet id, quod est Dei, & id, quod est hominis. Hominis est, quidquid pertinet ad defectum; sed Dei est, quidquid pertinet ad salutem. Homo secundùm id, quod suum est, debet se exhibere proximo subjicere, quantum ad id, quod Dei est, in seipso;* quam doctrinam P. Valentia confirmat. 1. *Comparando*, inquit, *quod ipse naturaliter habet ex se, cum eo, quod alter habet ex peculiari Dei dono, id, quod est majus aliquid. 2. Comparando donum ipsum minus, quod ipse habet ex Deo, cum dono reliquo majore, quod ex Deo habet alter; atque ita impleri potest, quod Apostolus monet, in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* Ita Deus Maximus etiam Sanctis, ad sui humilitatem, suos nævos, defectus & passiones habere permisit, quibus sancti minores caruêre. Sic Doctor Angelicus, Theresa, & B. Aloysius, non habuêre stimulos carnis; ecquis tamen eos audeat S. Paulo præferre, de quo Thomas Abbas illud magnificè pronuntiavit : *Nihil fuisse boni, cujus perfectione S. Paulus caruerit.* Divus verò Chrysostomus : *Neminem ex omnibus, qui Solem aspiciunt, Paulo justiorem fuisse : neque post hominum memoriam quemquam asperiora passum;* ille tamen passus est stimulos carnis, seu veras libidinis tentationes, ut S. Augustinus, S. Hieronymus, & S. Thomas exponunt. Quin & de se ipso fatetur : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet.* Ita enim Deus disponit, ut sicut aliæ virtutes, habent suos gradus, haud aliter dominium passionum non est in omnibus æquale, & potest cum eo aliqua passio inordinata rebellans rationi consistere, sicut & cum virtutibus eximiis, aliqua parva peccata, quæ magis fœdant animam, quàm involuntarii motus passionum, idque ad majorem sui humiliationem. Unde S. Gregorius : *Magna est omnipotentis Dei dispensatio, & plerumque contingit, ne quibus majora bona præstat, quædam minora non tribuat, ut semper eorum animus habeat, unde se reprehendat; quatenùs dum appetunt perfecti esse, & non possunt, & laborant in hoc, quod non acceperunt, nec tamen in laborando prævalent, ne in his, quæ accepta habent, se maximè extollant; sed dicant, quia ex semetipsis vincere parva vitia, atque extrema non possunt.* Habet igitur quisque in se, & ex se, quo se alteri subjiciat, cùm nihil sit ex omni parte beatum. Augustinus serm. 5. de verbis Dom. *Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum, habet vermem suum. Alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici :*

S. Thomas 2. 2. quæst. 161. a. 3.

Valentia tom. 3. quæst. de temperantia. punct. 1.

Thomas Abbas in 2. Cor. 4. cap.

Chrysost. hom. 1. de laudibus Pauli.

2. Cor. 12.

S. Greg. Moral.

QUISQUE SUOS PATIMUR MANES.

Alter fructus ex hac divisione gratiarum, & talentorum exurgit, mutuæ inter homines charitatis, & communicationis, ut de commercio mercatorum supra diximus; quod rectè observat purpuratus ille Doctor Hugo Cardinalis, exponens illud ad Ephesios 4. *Unicuique nostrûm data est gratia,* SECUNDUM MENSURAM DONATIONIS CHRISTI, ubi sic ait : *Christus* MENSURAT *uni hoc, alii aliud : & nota, quod* ILLA DIVERSITAS GRATIARUM, *facit ad unitatem corporis Ecclesiæ.* Uti in membris corporis, quæ singula, *non eundem actum habent,* sed quodq; sibi proprium : oculus videt, manus palpat, lingua gustat &c. *si totum corpus oculus, ubi auditus, ubi odoratus?* monstrosa foret corporis humani fabrica, ita de politico cujusque reipublicæ, imò totius generis humani corpore sentiendum est : *si omnes Prælati, non essent qui obedirent,* inquit Hugo hîc : si omnes nobiles, Principes, Duces, quis illis serviret? si omnes divites, quis panem pinseret, vestes sarciret, ædes extrueret? &c. verè Chrysostomus : *non tantùm pauperes divitibus, sed hi illis indigent, & magis.* Fingamus duas urbes, quarũ illam soli divites, hanc pauperes, qui in sudore vultus sui vescuntur pane, soli habitant, & nullum inter hos sit commercium; in illa nulli erunt opifices, non operæ mercenariæ, nullus illic sartor, pistor, sutor, nullus faber, institor, agricola; has artes opulenti non factitant; nulli hic servi, ancillæ nullæ. Qualis igitur hæc urbs, si alienâ operâ destituatur? In altera sat erunt eorũ qui agros colant, qui vestes conficiant, qui sibi denique modicâ sufficiant. Jam olim hæc observavit Doctor Seraphicus : *Si omnes homines essent Reges, ubi servientes, & quibus imperarent? nullus ergò Rex esset, si omnes homines essent æquales, item si in corpore nostro, omnia membra oculus essent, ubi esset auditus, ubi olfactus, ubi tactus? & si hoc, ubi corpus?* Denique, si omnibus abundè supperterent ea, quæ vitæ sustentandæ sunt, quid demum sequeretur? interitus omnium opificiorum fabrilium, artificiorum, famulatus omnis; substructiones, navigationes, aucupia, piscationes, mercaturæ pessum irent; & qui Domini forent, si nulli essent qui servos se profiterentur? ita paupertas, de qua quis contra Dominum queritur, conservat humanam gentem, & ornat : paupertas *talentum est,* quod industrios facit, & laboriosos; suscitat artes, qua cælum sibi plurimi lucrantur.

Hugo Car. ad Ephes. 4.

1. Cor. 12. v. 17.

Hugo Car. hic

Chrysost. hom. 5 orat. de divit. & paup.

Bonavent. serm. de Sanctis in comm. de B. Virg. serm. 2.

Hoc spectavit providum Numen, dum talenta sua in varios dispersit, & *tradidit suis bona sua, naturæ, fortunæ, & gratiæ,* ut Lyranus, & Hugo Card. exponunt. S. Thomas in 1. ad Cor. 12. *divisiones gratiarum sunt, quia quidam abundant in una, quidam in alia.* Et hæc divisio pulcherrimam facit concordiam, & suavissimum concentum virtutum, dum unus talento docendi, alter dicendi; ille scribendi, alius psallendi, quidam cum proximo agendi, excellunt. Dum unus humilitate, alter corporis austeritate, alius paupertate, hic obedientiâ, ille castitate, alter patientiâ, nonnulli zelo, & charitate eximii sunt; sic Hugo Cardinalis illud exponit. *Divisio virtutum non attenditur quantum ad separationem earum, sed quantum ad usum, & statum earũ: aliquis enim præcellit multum in usu patientiæ alios : alius in usu humilitatis, & alius qui non habet hanc, habet fortè majorem illa.*

Hugo in 1. Cor. 12.

Quæ

S. Thom. 1. quæst. 111. art. 1. Suarez de gratia to. 1. proleg. 3. cap. 4.

Quæ ut uberius exponamus, audiendi in hac materia Theologi, quorum Princeps S. Thomas. Suarez de gratia tom. 1. prolegom. 3. c. 4. *de divisione gratiæ in gratum datam, & gratum facientem, sic differit.* Advertendum ex D. " Thoma, omnem veram, & supernaturalem " gratiam dari hominibus, vel ad sanctificationem ejus, cui datur, vel ad utilitatem, utique spiritualem aliorum. Et prior ad hominis salutem, primum omnium necessaria " est, quæ ipsum hominem Deo jungat, eumque ad se sanctificandum juvet: & hæc tota " gratia, dicitur sanctificans, justificans, seu " gratum faciens, ut ad Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius* (etsi ea uberior uni, quàm " alteri detur, ut videbimus) quia verò suavis " providentia Dei, quosdam per alios ad finem & salutem permovet, ideo quibusdam " peculiares gratias confert ad ipsorum utilitatem, quem finem principaliter respiciunt, " etiamsi accipientes per illas non sanctificentur; & hæ vocantur gratiæ gratis datæ, de " quibus Apostolus Cor. 12. *divisiones gratiarum sunt.* & ad Rom. 12. *habentes donationes* " *secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes,* " *sive prophetiam &c.* & de eodem genere gratiæ videtur esse sermo 1. Petri 4. cùm dicitur. *Unusquisque autem sicut accepit gratiam,* " *in alterutrum illam administrantes.*

Differunt autem hæ gratiæ ex fine, quia una " ad privatam sanctitatem, alia ad communem " utilitatem per se primò ordinatur. Nam " sicut in corpore humano, quædam potentiæ " ordinantur ad bonum habentis, aliæ ad speciei conservationem, seu individuorum " propagationem: vel sicut in membris corporis, aliquæ sunt facultates unicuique parti deservientes ad propriam utilitatem; aliæ " verò, quibus quædam membra in alia influunt, ad eorum utilitatem; ita in corpore " Ecclesiæ, & ut quædam membra aliis prodesse possint. Quod docuit Clemens Romanus, dicens hæc charismata prius data " esse Apostolis, deinde aliis esse communicata: *non quidem ad illorum utilitatem, qui tha- rismata illa operantur; sed ut qui non credunt, ad credendum adducantur.* Et infra: *neque enim expellendis dæmonibus utilitas nostra agitur, sed eorum qui ab iis eripiuntur.* Et addit: ideo dixisse Christum Luc. 10. *Nolite gaudere, quod spiritus subjiciantur vobis, sed &c. nam illud sit potestate Dei,* " *hoc efficitur nostra in Deum benevolentia, & studio, atque adjuvante Deo.* Ex hac differentia, " oritur secunda, quod gratiæ gratis datæ, " sint communes peccatoribus & justis, " quamvis non omnibus justis, & etiam perfectis conferantur: quia non est necesse " ad communem Ecclesiæ utilitatem; nam ut ait Clemens: *non est necesse omnes fideles expellere dæmones, aut suscitare mortuos &c. sed eos, qui causa quapiam utili, charismate digni sunt ad aliorum salutem.* Imò addit S. Aug. l. 60. quæst. 479. ideo non omnibus Sanctis illa tribuuntur, *ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis majora dona esse, quàm in operibus justitiæ, quibus æterna vita comparatur.* Quod autem istæ gratiæ possint esse in peccatoribus, docet D. Thomas 22. q. 172. a. 4. patet in Caipha Joan. 11. in Balaam, qui cùm ariolus esset, & idololatra, donum habuit Prophetiæ: in Juda, quem Anastasius Niss. tradit dæmones ejecisse, & miracula patrasse: & Paulus 1. Cor. 13. dicit: *si linguis hominum loquar, si habuero prophetiam, &c.*

Clemens Rom. lib. 8 constit. cap. 1.

§. I.

Unicuiq; nostrum data est gratia SECUNDUM MENSURAM. ad Ephes. 4. ℣. 7.

Mos patriæ hic in Belgio, & per Germaniam obtinuit, ut ubi liberi cubitū concessère, parentes personam divi Nicolai æmulati, calceis in camino expositis diversa imponant munuscula, pro cujusque propè indole & propensione; sic quem filium Martem & militiam spirare sciunt, gladiolum, pugionem, aut cristam plumeam: quem ad canonicatum aspirare, & talari tunica bonæ spei indutum vident, et elegans Breviarium, aut Diurnale inauratum: si ad familiam ministrandam idoneus censeatur, crumenam, vel aureos aliquot, aut his similia. Si filia nubilis videatur, specilla, pectines, lemniscos &c. si illibatam virginitatem cælesti sponso consecrare, & claustro religioso se dicare insinuet, elegans Rosarium, officium B. Virginis, ex ebore aut ebeno crucifixum, &c.

Haut aliter nobiscum agit Deus, qui quos vocavit, singulari gratiâ, & donis ditare, secundùm propriam cujusque virtutem consuevit; quod quomodo intelligendum, S. Thomas exponit, *pro accipientium viribus, quomodo Apostolus eos qui solidum cibum capere non poterant, lacte potasse se dicit.* Græce habetur δύναμιν, secundùm potentiam cujusque, & vires. Sicut sclopus, aut parva fistula ænea, non oneranda pulvere nitrico, ut majora tormenta. Sed cum hodierna festivitate moris sit, ut in patria nostra liberi calceos exponant, quos noctu parentes nomine sancti Nicolai clam bellariis instruunt, similitudinem à calceis desumam, quos sutor, juxta mensuram cujusque pedis accommodat, alium parvulis, alium viris, alium grandævis, parvis & magnis unicuique juxta proportionem adaptat. Ita Deus secundùm capacitatem, & magnitudinem, ac munus cujusq; talenta partitur. S. Thomas 3. p. q. 27. a. 4. disputans *utrum per sanctificationem beata Virgo fuerit consecuta, ut nunquam peccaret?* Respondet: *dicendum illos, quos Deus ad aliquid elegit, ita præparat & DISPONIT, UT AD ID, AD QUOD ELIGUNTUR, INVENIANTUR IDONEI, secundùm illud 2. Cor. 3. idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Ex quibus concludit: *Beata Virgo fuit electa divinitùs, ut esset mater Dei, & ideo non est dubitandum quod Deus per suam gratiam, eam ad hoc idoneam reddidit; non autem fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando.*

S. Thom. in Matth. cap. 25.

S. Thom. 3. part. q. 27. a. 4.

Similiter Apostolis uberiorem gratiam, & excellentiora talenta contulit, quàm cæteris Sanctis. Unde exponens illud ad Rom. 8. *nos autem primitias spiritus habentes,* sic ait: *Spiritum sanctum tempore prius, & cæteris abundantius* S. Thom. in c. 8. ad Rom. lect. 5

Apo-

Apostoli habuerunt. Addit: *Quod Apostoli sunt, omnibus aliis Sanctis, quacumque prærogativa præfulgeant, sive virginitatis, sive doctrina, sive martyrii præferendi, tamquam abundantius sanctum Spiritum habentes*; rationem subdit: *quia gratia datur unicuique* SECUNDUM MENSURAM DONATIONIS CHRISTI, ad Ephes. 4. *Unicuique autem dat gratiam proportionatam ei, ad quod eligitur.* Ideò longè majorem dat Fundatoribus Ordinum, Doctoribus Ecclesiæ, Episcopis, Prælatis, &c. unicuique proportionatam suo statui, & conditioni, ut idonei inveniantur, si modò gratiæ, & talentis à Deo concessis, sedulò uti, & cooperari velint; quo spectat illa expositio 2. Cor. 3. *Qui & idoneos ministros nos fecit Novi Testamenti*; ubi sic disserit: *Non solum fecit nos ministros, sed idoneos: Deus enim cuilibet rei dat ea, per quæ posset consequi perfectionem suæ naturæ. Unde quia Deus constituit ministros Novi Testamenti, dedit & eis idoneitatem ad hoc officium exercendum, nisi sit impedimentum ex parte recipientium.*

S. Th. in 2. Cor. 3.

Morale. Deus te elegit ad statum religiosum, Ecclesiasticum, & dedit ea *per quæ possis consequi perfectionem*: sed commodis tuis nimium studens, & sensualitatibus indulgens, *impedimentum ex parte recipientis ponis.* Imitare sacrum Antistitem, de quo Dionysius Carthusianus: *Tam perfectè Nicolaus vixit in sæculo, quod ejus conversatio exemplar virtutum est omni religioso.* Te Deus elegit ad officium exercendum Præsidis, Prætoris, Cōsiliarii, Advocati, & dedit tibi idoneitaté, ingenium, judiciū, peritiam *ad hoc officium exercendum*; sed affectu propinquorum, aut odio partis, discedis à justitia, aut muneribus excæcatus, contra jus & æquum, contra conscientiam, fers sententiam, lites protrahis, utrique parti studes, pupillos, & viduas opprimis, & sic *impedimentum ponitur ex parte recipientium.*

Exemplar vobis propono hunc præsulem, pupillorum, & viduarum patronum, ac Advocatum; de quo Joannes Diaconus: *Res orphanorum, & viduarum, tamquam suas agebat.* Te Deus in mercatorem lini, lanæ, serici, frumenti, &c. elegit, & idoneitatem, media, industriam, solertiam dedit; sed si fraudibus, dolis, fallaciis, perjuriis agas, *impedimentum ponitur ex parte recipientis*, & graviter timendum, ne ut servus nequam graviter vapules, uti accidisse referunt graves Historici in vita S. Nicolai mercatori cuidam Christiano, qui infortunio quodam ad incitas redactus, opulentum Judæum adiit, & summam pecuniæ mutuam sibi dari postulavit; sed cùm pignus nullum quod traderet, haberet, S. Nicolaum obsidem, ac fidei jussorem dedit, contentumque Judæum, qui multa de S. Nicolao inaudierat, ad oratorium ubi imago *S. Nicolai* colebatur deducens. Sic Judæum affatus est: *Ipsum sanctum* NICOLAUM *pro me fidei jussorem præbeo, ante cujus etiam conspectum promitto, quod ea quæ mihi nunc in tali angustia præstiteris, tibi reddam die nominato.* Acceptâ itaque auri non modicâ quantitate, brevi ad pristinas fortunas redit. At tempore finito, cum Judæus sua repeteret, ille humiliter inducias petiit, & impetravit; verùm trium induciarum elapso spatio, cùm Judæus cediisset, ille diaboli deceptus astutiis, asserit se jam dudum omne debitum reddidisse. Appellat Judæus ad Judicem, qui decernit, aut pecuniam numeret mercator, aut ante imaginem D. Nicolai sacrosanctè juret, se pecuniam reddidisse. Utrique placet conditio: Judæo, quia confidebat non perjurum fore Christianum; Christiano, quia callidâ machinatione fallere Judæum putabat. Conficì itaque mercator concavum baculum jubet, eique aureos inserit, dumque unà ad sacram ædem properant, baculum in via Judæo tenendum commodat, juratque tactâ sacrâ arâ se pecuniam reddidisse; quo attonitus perjurio Judæus: præstolabor, inquit, quid de tanta falsitate *Nicolaus iste*, cui credidi, vindictæ sumpturus sit. Cumque Christianus recepto baculo, lætus domum properaret, in itinere tanto sopore oppressus fuit, ut in bivio se projiciens, altum indormierit, ibique curru obtritus sit, atque omnia intestina è corpore, & aurum baculo simul confracto in plateas diffluxerit. Cùmque ad spectaculum plurimi undiq. convolarent, Judæus quoque accurrit, & judice adstante, aurum suum recepit, atque è vestigio ad oratorium *S. Nicolai* contendit, & coram eo adstans dixit: *Gratias tibi ago bone vir* NICOLAE, *quia fideliter mihi aurum restituisti, quod tuæ fidei commisi. Amodò te venerabor ut Dominum, & ut summi Dei amicum. Verum si tantæ procacitatis virum resuscitando, mihi virtutem tui meriti propalares, cum omni familia juris mei, Deo tuo crederem, & omnes quos possem religionis meæ viros, ad Christianorum sectam conferrem.* His dictis, cum ad invicem de re quæ acciderat, confabularentur, ecce ille qui mortuus fuerat, limina templi ingressus, coram altari *S. Nicolai* procidit, & de his quæ gesserat, culpam agnoscens, domum redit; quod Judæus ut vidit, baptizatus confestim cum domo sua, Christo, *sanctoque Nicolao* fidelis permansit.

S. Antonin. hist. tit. 9. c. 3. §. 5. Vincent. Bellov. hist. lib. 13. cap. 77. P. Ant. Beatillo.

Te Deus elegit ad Episcopatum, prælaturam, pastoratum, superioratum, & *dedit tibi idoneitatem ad hoc officium exercendum*; sed negligentiâ, incuriâ, indulgentiâ, tuos negligens, nec disciplinam domesticam, nec gregem curans, ponis impedimentum.

Aliter *sanctus Nicolaus* suis invigilavit, de quo Andreas Cretensis: *Nullum tibi bonum elapsum est, Pastorum optime, atque Pontificum famâ celeberrime* NICOLAE: *omnes enim præstantiores virtutes, illustres veluti margaritas, in beato animo tuo, tamquam in pretiosissimo thesauro condidisti.*

Quod de Prælatis, & pastoribus, idem de patribus familias sentiendum est, quibus cura domesticorum, imprimis liberorum, tum ancillarum, ac famulorū incumbit, ut in pietate, probitate, & omni honestate instituantur, ut *honorabile conjugiū* sit. In quo gravissimè delinquunt conjuges, qui coram suis, licentius agunt: qui in eodem cubili liberos quantumvis teneræ ætatis, & ancillas dormire, parturientibus quoque adesse sinunt: quàm hoc detestandum, & execrandum, stupendo prodigio *sanctus Nicolaus* declaravit, quod verbis Cæsarii describere placuit: In Porceto monasterio, quod juxta A- " quisgranū sitū est, tabula cubitalis est, imagi- " nem

Cæsarius lib. 8. c. 76. P. Ant. Beatillo in vita.

"nem Beati Pontificis *Nicolai* ab umbilico &c. "sursum in se repræsentans, quam beatus Gregorius, Regis Græciæ filius, & cœnobii ejusdem primus Abbas, atque fundator, illuc advexit. Plurimæ per eam virtutes factæ sunt; "sed tempore quodam, cùm ad domum cujusdam honestæ matronæ in partu laborantis fuisset deportata, & contra eam ad parientem appensa, eâ horâ quâ partum edidit, ne parientem quasi attenderet, cunctis qui aderant intuentibus, tabula se vertit; ut ostenderet virginibus, nil cum conjugatis commune esse, & pudicitiam conjugalem matronas doceret, ne pusillis scandalo sint.

Pro quovis statu, & gradu, Deus talenta largitur, quibus si rectè utatur, ad majora recipienda disponit, ut scitè Hugo Cardinalis: *Deus semper, quantum in se est, dat æquè; sed tamen quando unus, plus aperit os cordis, quàm alius, majorem datei gratiam, juxta illud Matth. 25. unicuique* SECUNDUM PROPRIAM VIRTUTEM, *idest, secundùm quod magis, vel minus præparat se.*

Hug. Car. in 1. Cor. 12.

In eundem sensum Cornelius noster, exponens illud ad Ephes. 4. *Vnicuique nostrùm data est gratia* SECUNDUM MENSURAM *donationis Christi*, ait: Sæpe Deum mensuram gratiæ suæ emetiri, mensuræ dispositionis nostræ, ut quò major vel minor fuerit dispositio, eò majorem, vel minorem det gratiam; "sed & hæc dispositio, à Dei gratia, inchoare, "& manare debet: *Deus*, inquit Hieronymus, *cujus magnificentia non est numerus*, NON DAT AD MENSURAM; SED JUXTA MENSURAM VASCULORUM, *infundit liquorem, tantum muneris largiens, quantum potest ille, cui donatur, accipere.* Et addit aptam similitudinem: "sicut, inquit, mare in se immensum est, sed "quisque ex eo haurit, quantum capere potest, "& portare; sic Spiritus sanctus in se immensus est, sed cuique ex eo datur tantum, quantum expedit, & capere potest.

Corn in c. 4. ad Eph.

Ne quis autem, cui unum duntaxat talentum concessum est, queratur, aut alteri invideat, qui quinque accepit, solatio esse poterit, quod Paulus ait: *Divisiones gratiarum sunt*, & unum talentum sæpe Deus altero, & aliundè compensat.

Suavi Dei providentiâ, & ingeniosâ naturæ solertiâ fieri videmus, ut defectus in membris, in sensibus, in facultatibus corporis, vel animi, alio talentu compensentur. Ita narrat Philippus Camerarius, vidisse se è salinis Suevicis evocatum quemdam Thomam Schvvikerum, natum annos 31. & quidem honestis parentibus: quem licet mater sua absque brachiis in lucem enixa fuisset; omnia tamen munia manuum, pedum subsidio ita exequebatur, ut quod in uno desideratet, in altero compensatum sibi esse affirmaret: nam cùm in editiore loco, qui æquaret altitudinem tabulæ, in qua esculenta apposita erant, consedisset, apprehenso digitis pedum cultro, scindebat panem, & alios cibos, potum quoque, veluti nos manu, ori porrigebat. Peracto prandio, pedibus pingebat, nobis omnibus videntibus, tam elegantes latinas, & germanicas literas, ut exempla earum, quasi rem insolitam nobiscum sumpserimus. Postulantibus etiam nobis, cultello parabat calamos, ad scribendum aptissimos, quos postea donabat. Cùm esset ita occupatus, diligenter inspexi formam pedum, quorum digiti erant ita longi, & ad res tenendas apti, ut procul aspicientibus, manus, (pallio enim suo verecundè admodum eas tegebat) viderentur. Hoc spectaculum nobis sanè jucundum, & antea non visum. Jussus etiam fuerat paulò ante, Cæsareæ Majestati, cùm illac transiret, eadem exhibere, quæ hanc mirandam naturæ compensationem, non absque munificentia, lubens spectavit. Hoc ipsum Joannes Posthius, Medicus, & Poeta eximius, his versibus illustravit, & sicut ad me misit, adscribendum duxi.

Camerar. opera subsecivæ. cap. 37.

Unum talentum subinde aliundè suppletur, uti & defectus naturalis.

Mira fides! pedibus dextrè facit omnia Thomas,
Cui natura parens, brachia nulla dedit:
Namque bibit pedibus, pedibus sua fercula sumit:
Volvit & his libros, aptat & his calamos.
Quin & literulas pede tam benè pingere novit,
Artifices superet grammata ducta manu.
Maximus hoc Cæsar stupuit quondam Æmilianus.
Donaque scribenti largus honesta dedit.
Omnia namque potest vigilans industria, quodque
Natura ipsa negat, perficit ingenium.

Hæc, aliaque ab aliquot annis mulier Antverpiæ conspecta, pedibus exercebat, suebat insuper, ac filum acui inserentem vidi. Addit idem Historicus similem hominem brachiis, Hermetis instar, truncum, suo tempore totam Germaniam pervagatum, qui collo, & mento gladium vibrare, hastilia ejaculari, & alia multa mira dexteritate, & longo usu, quæ artem seu naturam superabant, didicerat, ut à proposito scopo, raro aut numquam aberrare solitus sit: reliqua officia manuum, pedum ministerium supplebat: defectus quoque naturæ, & formæ, vivax ingenium, & mentis acies quandoque compensat ut ille cecinit:

Camerar. ca.

- - *Ingenio, formæ damna rependo meæ.*

Ovid. epist. 15.

Inter dona Regum Indiæ, Octavio Augusto oblata, ut referunt Historici, præter opulentam mercium Indicarum, & auro, & gemmis ostentationem, adolescens brachus ad humeros usque præsectis, (qui pedibus omnia manuum officia præstabat) adductus fuit. Apud nos, inquit, adhuc habemus adolescentem, & virginem ex iisdem parentibus, & quidē celebri & honesto genere prognatos, qui peculiari acumine ingenii sunt præditi: & licet mutos, & surdus eos ambos natura procreârit, tamen utterq; scitè legere, & scribere elegantissimè, nec non & rationes mercatorias computare potest. Ut autē hic ex nutu quæ sibi facienda sunt, dextrè percipit, & si deest calamus, gesticulationibus cogitationes exprimit: quin & in omnibus aleæ lusibus, qui apud nos usitati sunt, & non sine accurata ratiocinatione perfici possunt, excellit: ita illa, acu & ingeniosâ textura aliâs puellas facilè superat. Inter cæteras autem mirificas dotes, quas illis natura compensavit, memorabile est, quòd ex motu labiorum inter-

interdum percipere videntur, quid aliquis loquatur. Unde videas ipsos conciones sacras sæpissimè frequentare; ut aliquis non absurdè dicere possit, videri intentis oculis, visu eos haurire, quod alii auditu facere solent; siquidem orationem Dominicam, aliasque preces, quando volunt, absque suggestione, aliisque admiuiculis scribunt: & Evangelia festis propria, non secus ac alii, memoriæ mandant, ita ut expeditè ea scribere queant. Quod si in templis SSmum Jesu nomen profertur, hic præ cæteris in cœtu detracto capiti pileo, & genuflexo venerabundus conspicitur. Adeò natura, veluti fidelis mater, compensando solicita & studiosa est, ne tamquam dura noverca accusari possit; quod solatio esse potest parentibus, qui liberos defectuosos nacti sunt, ipsisque liberis, ne auctorem naturæ insimulare præsumant: quod enim in aliquibus sensibus adimit, in aliis restituit, nam

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

Id olim accidit Dydimo Alexandrino, de quo Ruffinus scribit, cùm luminibus (quæ cum muscis, & muribus habemus communia) orbus esset, eum assiduis studiis, & lucubrationibus non ad legendum, sed audiendum adhibitis, ad tantam divinarum, humanarumque rerum eruditionem & scientiam devenisse, ut scholæ Ecclesiasticæ Ductor existeret.

Ruffin. hist. Eccl. lib. 2 cap. 7.

Hujusmodi exempla plura congerit Stengelius noster de judiciis divinis, è quibus pauca adferam ad lectoris delectum, ut pro palato suo seligat. *Nicasius Mechliniensis*, tertio ætatis anno, oculis captus, ad elementa litterarum planè ineptus; marte tamen proprio, ex iis quæ auditu assequebatur, in divina & humana scientia adeò profecit, ut admirationi omnibus esset: cumque Lovanii gradum Magisterii adeptus esset, scholis aliquamdiu Mechliniæ cum laude præfuit; Tandem laureâ Doctoratus insignitus, cæcus publicè jura cum stupore omnium docuit, atque libros utriusque juris, quos numquam viderat, nec legerat, memoriter recitavit, donec anno 1492. fatis concessit.

Stengel de judiciis divinis tom. … cap. 66. … Belgarum part. … admirab. cap. 10.

Nec minus stupendum, quod de Roberto Wacopio refert Raderus de Sanctis cæcis Natus is anno 1551. natione Scotus, à nativitate cæcus, in studiis ita profecit, ut Parisiis Doctor Theologiæ evaserit, & proindè ad infulas Episcopales admotus, Concilio Tridentino cæcus interfuerit. Ubi etiam inter maximè oculatos se Lynceum ostendit.

Raderus … vidarum Sanctorum part. 3. de sanctis cæcis.

- - *Multum animo vidit, lumine captus erat.*

Ovid. 6. fast.

Ad propositum S. Augustinus lib. de bono viduitatis. cap. 21. *In ipsis sensibus corporis, acutius audiunt, qui non vident, & tangendo multa discernunt, nec tantâ vivacitate tangunt, qui oculis utuntur. Ubi intelligitur ex uno animi, id est oculorum repressâ intentione, sentiendi vim in alios sensus promptiorem, dignoscendi acumine exercere; tamquam ex altero conetur implere, quod negatur in altero.* Nonnullos auctor naturæ corpore pusillos condidit; sed aliis variis dotibus, ac talentis locupleravit. *S. Paulus* nomine & corpore parvus; sed ingenio, animo, virtute, & factis magnus. *S. Hieronymus*, pusillæ staturæ, sed excelsa mente fuit, ut habet Ribadeneira; aliique. Idem de se innuit S. Augustinus: *Quæso*, inquit, *per Dominum, ne vos homuncionis fœditas offendat, dummodò qualibet occasione, de cordibus vestris peccatorum sordes abstergat.* Et serm. 6. inter comm. *obsecro*, ait, *vos fratres, ut oretis pro me exiguo, & pusillo.* Quod de pusillo ejus corpore sensit Cornelius. *S. Antoninus*, memoriæ portentum, æque ac sanctitatis, ac miraculorum, ab exigua statura cùm antea *Antonius* vocaretur, diminutivi nomen accepit. Nimirum ut ait Poëta:

Augustin. lib. de bono viduit. cap. 21.

Corpore parvi, aliis magnis talentis præditi.

Ribaden. in vita Corn. me. 1. ad … mano. August. hom. de transfig. Dom.

Major in exiguo regnavit corpore virtus.

Eleganter Phavorinus Philosophus: *Nihil in terris magnum, præter hominem: nihil in homine magnum, præter mentem*; hanc autem in parvis maximè vividam, ac vegetam, divina Veritas non obscurè significavit. Eccl. 11. his verbis: *Ne laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo; brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris fructus ejus.* Hoc est interprete Jansenio Gandensi: *Ne suspicias, aut demireris procerum atque elegantem corporis habitum: quia in parvo corpore invenitur sapientia.* Tullius verò de proceris: *Valentissimo quisque corpore, longè abest à sapientia.* Accinit Poëta:

Cicero.

Nulla in tam magno corpore mica salis.

Catull. elog. 87.

Quod staturâ pusillus, salso sarcasmate notavit, dicens: *superiora magnarum ædium non habitari.*

Idipsum in parvis, & pusillis animalculis cernere est, quibus cùm vires desint, solertia à natura concessa est, qua etiam maxima ingenia exsuperent: *Imitare si potes*, inquit Tertullianus, APIS ÆDIFICIA, FORMICÆ STABULA, ARANEÆ RETIA, *bombicis stamina, formicarum horrea.* Hæc omnibus stupori, & admirationi magis sunt, quàm portentosæ molis corpora, ut rectè Augustinus: *Illa plus habent admirationis, quæ molis minimum: plus enim formicarum, & apicularum opera stupemus, quàm immensa corpora balenarum.* Idem confirmat Sapiens, Proverb. 30. *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus: formica murium, lepusculus, locusta, & stellio.* Mentem quantumvis pusillis pumilionibus ingentem inesse, probat Nicephorus lib. 12. Eccl. cap. 37. ubi ait: *Imperante Theodosio, in Ægypto degisse hominem, eâ corporis parvitate, ut perdici similis esset, neque ingratum, inquit, spectaculum erat, si cum illo, in globo hominum conversaretur, & ad contentionem excitatus, colluderet, & quod mirabile dictu est, prudentia ei inerat, vox à musis non abhorrebat.*

Tertull. adv. … Marcion. lib. 1.

Aug. lib. 12. de civ. cap. 24.

Ipseque noque Romanus Philosophus, plus animorum, ac virium, velut condensatarum, parvis inesse declaravit: *Ad bellum habiliora corpora pusilla, quæ in arma sua contrahi possunt, quàm quæ superfunduntur: & undique magni-*

Seneca de tranq. c. 8.

magnitudo ſua abjecit. Teſtis Virgilianus miles.

Virg. lib. 10 Æneid.

- - - - Bellis acer haleſus
Tendit in adverſum, ſeque in ſua colligit arma;

Uti & ille, qui

Ingentes animos anguſto in pectore verſat.

Parva fœmina laudatur.

Unde non eſt, quod quis exiguæ ſtaturæ juvenes, aut juvenculas, viros ac fœminas deſpiciat, nec maritus puſillam uxorem contemnat. Ubi non poſſum, quin ad ſolatium earum, quæ parvæ ſunt, illa adducam, quæ ſanctus Gregorius Nazianzenus, ſcribens ad Nicobulum, qui Alipianæ uxori ſuæ, exiguam ſtaturam exprobrant; ita reſcribit: *Alipianam apud nos cavillis inceſsis,* UT PARVAM, *& tuâ proceritate indignam, ô magne, & vaſte, ac gigantine, tum formâ, tum robore. Nunc demum intelligo, animum menſura ſubjici; ac rupes margaritis præſtantiores eſſe, corvoſque lusciniis anguſtiores. Tu verò magnitudine tua, & cubitis fruere.* Deinde ſubdit: *Quod hoc quoque adjicias, eam orationis cauſa curvam eſſe, ac per ingentes mentis agitationes, perpetuam cum Deo conſuetudinem habere. Quid hic de tua ſublimitate, corporiſque menſura te jactabis? Vide tempeſtivum ſilentium. Quam ne fœmina fortis, & ſtrenua, quas rei domeſtica utilitates adferat, quam viri amans. Ac tum illud Laconis dices: certè* ANIMUS IN MENSURAM MINIME CADIT. *Atque externum hominem, oculos conjectos in internum, habere oportet. Ita eam* UT PARVAM *deridere deſines, & tuum conjugium fauſtum, ac felix judicabis.*

S. Greg. Nazianz. epiſt. 155. ad Nicobulum.

Deformes corpore, ſæpè pulchra mente.

Quis maritus eas dotes in procera, & gigantea fœmina inveniet, & non potiùs audacem, contumacem, protervam, vacuum cerebellum reperiet. Nec eſt quod defectuoſa, ac deformis ſpecies corporis, homines deſpicabiles faciat: nam & ſub putri vaginâ, ſæpè latet iberus acinaces, & chalibeus gladius; & ſub gemmea, cui auratus balteus, non rarò plumbeus; quod disertè Seneca pertractavit. Epiſt. 66. ad Claranum corpore deformem, ſed ingenio præſtantem. Dicet quis: *Iniquè ſe natura geſsit, & talem animum malè collocavit.* Reſpondet: *Forteaſſe voluit per ipſum nobis oſtendere, poſſe ingenium fortiſsimum, ac beatiſsimum, ſub qualibet cute latere.* Quod ſic probat: *Poteſt ex caſa vir magnus exire. Poteſt ex deformi humilique corpuſculo, formoſus animus, ac magnus. Quoſdam itaque videtur mihi in hoc natura tales generare, ut approbet virtutem omni loco naſci. Claranus videtur mihi in exemplar editus, ut ſcire poſſemus,* NON DEFORMITATE CORPORIS, FÆDARI ANIMAM; SED PULCHRITUDINE ANIMI, CORPUS ORNARI: pulchritudine virtutum, ſcientiarum, *corpus,* totumque hominem *ornari.* Facit hic quod refertur in ſpeculo exemplorum. lib. 26. cap. 12. tempore Henrici II. Imperatoris, fuiſſe propè Coloniam presbyterum, vultu admodum deformi: ad quem cum fortè in venatione advenisset Imperator, ſpecie militis, petens ſibi fieri miſſæ ſacrificium;

Seneca epiſt. 66.

ſub ipſam miſſam cogitabat ſecum: ut quid Deus hominem tam invenuſtum permiſiſſet ſacris admoveri? Interea legebat ſacerdos verſum illum pſalmi: *Scitote, quoniam Dominus ipſe eſt Deus;* & ad miniſtrum converſus, clarà & clarâ voce, quaſi cogitationes Imperatoris intueretur; ſubjunxit: *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Quod veluti ſibi dictum accepit Imperator, & virum illum ſanctum ratus, Epiſcopum Colonienſem creavit. Quid, quod experientia quotidiana in Gymnaſiis nos docet, ubi ſub deformi ſpecie, & ſordido palliolo ſæpè latet ſapientia, & excellens ingenium, licet ut de Galba jactatum fuit malè habitet; econtra verò comptulos, formoſulos, croſſulos, & meros Narciſſos, ſtupidos, hebetes, ſtolidos, ſtolones, & ſæpè perverſos. Compello te, quiſquis es, dum ſervum, aut ancillam tibi quæris an ſatis tibi, ſi formoſus ille, ſi ſpecioſa illa ſit An non, inquit Auguſtinus, gnavum, intelligentem, obſequentem, fidelem, licet deformi corpore, præferes formoſo, ſed ſegni, ſtupido, contumaci, infido? Et quæ, non ab ancilla ſpecioſa, pericula animæ: hero concupiſcentiæ, uxori zelotypiæ?

Pſal. 99.

Sic nec uxor ex ſola forma, & pulchritudine ducenda, quia *fallax gratia, & vana pulchritudo,* quæ primo puerperio paſſim deflorescit, ac omnis ſimul conjugalis amor marceſſit. Unde non paucis illud ingeri poteſt: *Species decepit te.* Formam minus præſtantem, ſæpè aliæ gratiæ, indolis, prudentiæ, obſervantiæ, aliaque talenta, quæ longè pluris facienda, compenſant. Exempli inſtar habere poſſunt, duæ ſorores, filiæ Laban: *Hic habebat duas filias, nomen majoris Lia; minor verò appellabatur Rachel. Sed Lia erat lippis oculis, Rachel decora facie & venuſto aſpectu.* Utramque duxit Jacob. *Videns autem Dominus, quod deſpiceret Liam, aperuit vulvam ejus, ſorore ſterili permanente; quæ conceptum genuit filium, vocavitque nomen ejus, Ruben, dicens: vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus, &c.* Rachel pulchra erat, ſed infœcunda; Lia lippiebat, ſed & pariebat, ita quod uni deerat de forma, acceſſit illi à prolis gloria: & quæ gloriabatur forma, ſterilitate humiliabatur; nec quemquam eſſe exiſtimem, qui non præferat gallinam fuſcis & inconcinnis plumis, ova parientem, candidis & nitidis, quæ tantum fruges conſumere nata. Ecquis non reſtam cretico vino, quam elegans cryſtallum frigidâ, aut vappa plenum eligat? Quid? Rodopone roſeo aſpectu impudica, an dejectis oculis Lyduvina laudabilior erit? Pleræque virgines ſanctitate illuſtres, naturâ deformes, aut ipſam nativam pulchritudinem deturparunt, ut illecebras fœdi amoris tollerent, & animo pulchriores cæleſti ſponſo apparent. Sic ſancta Brigida oculi deformitatem impetravit à Deo, ne præter voluntatem nubere cogeretur, & à religionis ingreſſu impediretur.

Prov. 31. v. 30.

Daniel. 13. v. 56.

Gen. 29. v. 16.

Surius 1. Feb.

Sic & infirmitas, & paupertas, aliæque humanæ miſeriæ, ſuis commodis, & cæleſtibus gratiis, ac meritis compenſantur: carent quoque innumeris curis, & periculis, quibus qui proſpera valetudine, & amplis fortunis

fruuntur,

fruuntur, expositi sunt, quæ omnia si pergam recensēre, infinitus sim; unum ut hunc discursum absolvam, observandum inculco, Deum omnium moderatorem, non hominibus dumtaxat, sed & ipsis rebus inanimatis, quod in uno negat, in altero cum fœnore compensare,
,, ita reste Alberto Hierone, ubicumque locorum alicujus rei ad vitam necessariæ inopiâ
,, laboratur, ubi aliud quoddam, quod eius
,, vicem suppleat, invenitur. In Ægypto, ubi
,, raræ pluviæ, Nilus ripas alvei supergressus, id
,, quod à cælo, regioni isti negatum est, etiam
,, abundè suâ irrigatione compensat. In locis
,, mediterraneis, ubi salis factitii deest mate-
,, ria, fodinæ salis à naturâ confecti reperiun-
,, tur, ne ulla terræ pars condimento ciborum
,, tam necessario destituatur. In Norvegia. &
,, Suecia, ubi perpetuo gelu omnia rigent, non
,, solùm quercus, pinus, abietes, & id genus a-
,, liæ arbores, tantâ copiâ, quantâ vix umquam
,, alibi proveniunt; verùm etiam ursi, nigræ &
,, albæ vulpes, quarum pelles ad frigoris aspe-
,, ritatem mitigandam apprimè idoneæ sunt,
,, plures quàm aliis locis visuntur. In Frisia,
,, Hollandia, Taxandria, ubi nullæ aut raræ sil-
,, væ inveniuntur, cespitis quoddam genus è
,, terra effoditur, quod ad solem siccatum,
,, tam idoneum fit ignis fomentum, ut ligno-
,, rum desiderium facilè harum regionum in-
,, colæ ferant. M. Paulus Venetus dicit in reg-
,, no Cathay, quod lignis caret, nigros lapides
,, inveniri, qui in ignem missi sunt, ut lignum
,, ardent. Hujusmodi naturæ succursus, in quaque regione, facilè videre est in Orthelio, ubi cujusque proprietates describit.

Consimile quid in moribus humanis usuvenit, ut cui minus ab eloquentia prospectum est, is ingenio præcellat; cui hoc deest, illi vox gracilis, vel formæ venustas accedat, &c. atque ita, SECUNDUM MENSURAM *donationis Christi*, omnia rectè dispertita sunt. Ephes. 4.

§. II.

Qui unum talentum habent, aut nullum, quàm ineptè se muneri, quod tria vel quinque requirit, inidoneos intrudant.

NUnc ad ecclesiastica munia, ad sacros Ordines, ad animarum curas, & Prælaturas, *ipsis etiam angelicis humeris*, ut loquitur Bernardus, *formidandas*, nulla ætatis, doctrinæ, probitatis, capacitatis habitâ ratione, potentum gratiâ ac favore, Magnatum commendatione, munerum corruptelâ promoventur: & per aureos gradus, plerique hoc corruptissimo sæculo, sibi, aut filiis, aut nepotibus viam sternunt, cùm Deus nullum eis ad id officii, aut muneris talentum, aut idoneitatem dederit. (Bern. serm. ... de A...)

Quis ferat, inquit Doctor Angelicus, *si quis divitem eligat ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore, & sanctiore?* idque absurdum probat, adducto S. Augustini testimonio epist. 29. ad Hieronymum. Quis ferat, sutorem, qui viro nobili, & opulento, ob prosapiæ amplitudinem, & opum affluentiam, calceum quinque, aut sex digitis, pede laxiorem conficiat? nam cuique sua est mensura viro. Quod in moralibus minimè ferendum, dum officia non ad mensuram pedis, id est, talenti, sibi à Deo concessi, sed ampliora, quàm illi conveniant, conferuntur. Rectè Poëta: (S. Thom. 2.2 quæst. 63. art. 2.)

Metiri quemque suo modulo, & pede verum est. (Horat. epist. 7.)

Quemque suo genio, ingenio, scientiâ, experientiâ, probitate, ætate, metiri oportet.

Prima surgentis Ecclesiæ ætas, utpote magis innoxia, non tam annorum rationem habuit, quàm meritorum: neque temporis calculos subduxit, sed virtutis numeros spectavit; eoque factum, ut neque sacerdotio, neque capescendis beneficiis ætas aliqua jam inde à primis illis Patribus sit constituta.

Nimirum eò loci, ac temporis, vigebat illud Cassiodori: *Ætatem legitimam, virtus facit.* Ita vel ipso judice *Paulo*, Doctore Gentium, in Episcopum adlectus Timotheus, ob singularem in eo indolem, candidissimos mores, & dignam canis virtutem, ac prudentiam, cùm tamen annum dumtaxat ageret 23, ut vult Hugo Card. (Iuvenes talentis prædìti, senibus ineptis præferendi.)

Ita Eleutherius, Episcopus Illyricus, anno ætatis suæ vigesimo est renuntiatus.

Ita Remigius Galliæ delicium, in primo adolescentiæ flore, hoc est, anno secundo supra vigesimum, Rhemensis Ecclesiæ clavum tenuit, & amplissimæ Diœcesis habenas moderandas suscepit. (Niceph. or. lib. 3. cap. 29.)

Ita posteris sæculis sexcenti alii, quorum adolescentia præclaris virtutibus ornata, Religioni eos præfecit; in quos verti poterat illud, quod de Aurelio Clerico magnificè prædicavit Cyprianus: *In annis adhuc novellus; sed in virtutis, ac fidei laude provectus, minor in ætatis suæ indole, sed major in honore.* Ita *Nicolaus* ad Archiepiscopum Mirensem suis meritis, non annis admotus est. (Cyprian. epist. 33.)

Postea tamen labentibus annis, etiam labente virtutis studio, addi debuit ætati, quod meritis, quod gratiæ, quod præstantibus animi ornamentis detractum esse videbatur. Itaque in sacris cœtibus, & universo orbis terræ Concilio decretum sæpiùs, ut nemo unus omnium, ad eas dignitates, & officia Ecclesiastica ascenderet, nisi quem matura ætas, & annorum lapsu probata, & exercitata ad aliquam prudentiæ legem, lauream que promovisset, & vitæ integritas probasset. Et quidem infulæ, ac pedo, ætas constituta triginta annorum: quia ut ea dignitas, virum ab omni virtute perfectum requirit, ita & ab ætate. Beneficiis autem, quibus annexa animarum cura, decreti anni viginti quinque: dignitatibus aliis, duo supra viginti. Denique ad alia beneficia, quæcumque demum illa sint, ætatis terminus is fuit, qui annum decimumquartum jam attigisset, imò & (Concil. Lateran. sub Alexand. III.) (Trident. sess. 14.)

 excel-

cap. 12. & sess. 23. cap. 6. excessisset. Huic Ecclesiasticæ sanctioni, & clarissimorū Patrum decretis, consentit antiquitatis sensus, & auctoritas, ipsa ratio, optima legum interpres, ac moderatrix.

Certè in veteri lege, nonnisio vigesim quinto ætatis anno consecrabatur; quod si divino nutu datum illud figuris ficis sacris illius ævi; est enimverò, quod christianis officiis, & augustæ Religioni id jure, meritissimo conveniat, fateamur.

Et faoè sanctus Hesiodus, è principibus Græciæ Poëtis longè celeberrimus, in eo, qui uxorem duceret, trigiota censuit, & amavit annos, easque nuptias tempestivas esse pronuntiavit; quid ni in Ecclesiæ sponso, qui pulchras animas, seu nobilem cælo, Deoque sobolem generare debet, & aleread immortalitatem, pat omninò ætas postulatur? Certè, quantum corpus inter & animam, profana & sacra, cælum & terram interest, tantum necesse est, inter hujus, illiusque sortem, ac nuptias interesse. Proinde meritò arguendi sunt illi, qui jam inde à cunis, & propè ab utero, infantibus beneficia, amplissimasque in Ecclesia dignitates meditantur, ac procurant; quibus provectioribus, quando vita dissoluta, mores corrupti, & in sæculum, ac carnem proni, consulmus fore *adjutorium* simile sibi quæri, quàm Deus *in adjutorium meum*, in choro canere. Scio Saporem, Persarum Regem, ex ipso parentis utero coronatum, Cigati matri gravidæ, impositā, Regemque proclamatum; sed hoc datum est nimiæ subditorum indulgentiæ, & præcipitimus popelli genio.

Greg. Turon. in vitis Patrū, cap. 17. Audivimus quoque Nicetium, deinde Archiepiscopum Trevirensem ex ipso matris utero clericum & coronatum: jam inde enim à primo ortu, caput, more infantium, nudum à capillis habuit; quod tamen exiguus pilorum ordo in circulum ad modum coronæ cingebat; ut non tam factus, quàm natus clericus videatur. Fuit ille amabilis cæli ludus, & insigne prodigium futuræ sanctitatis, ob quam jam inde ex illo naturæ carcere, veluti coronā redimitus, in mortales auras emersit.

At non sic evocantur alii: non aperto cæli judicio, non scripti divinis in tabulis, non divino, ut *S. Nicolaus* oraculo; sed præpropero parentum amore, & nescio qua, vel imperandi, & dominandi libidine, vel avaritiæ prurigine, infulas involant, irrumpuntque in amplissimas dignitates; contra quos, altiore ut solet

Tertull. advers. Iud. cap. 9. stylo, tonat Tertullianus: *Infantes*, inquit, *ad prælium erumpunt, credo ad Solem uncti prius, dehinc pannis armati, & butyro stipendiati, qui neque norunt lanceare, neque lanceare*; quod tamen eorum proprium est, ac singulare, qui debent esse veluti duces militantis Ecclesiæ. Quid

Cressol. mystag. lib. 2. c. 7. mirum, præcipuis matronis difficillimum parturire, cùm prolem pedo, & mytrā instructam enitantur? Istos puellos infulatos pungit acutā

Bernard. epist. 42. Notādum oratione Abbas Claravallensis in hunc modum: *Scholares pueros, & impuberes adolescentuli, ob sanguinis dignitatem promoventur ad Ecclesiasticas dignitates, & de subferulā transferuntur ad principandum presbyteris; lætiores interim;* QUOD VIRGAS EVASERINT, *quàm quod meruerint principatum.* Quàm paucis nunc hoc laudati Pontificis dicto gloriari contingit: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* *Psalm. 18. v. 14.*

Ivo Carnot. epist. 67. Ivo Carnotensis prudentiæ nomine celebratus, & virtutis laude clarus, talem *electionem*, *puerilem* vocat, adfertque jocum antistitis cujusdam, viri magni, & acuti, qui cùm Regis jussu fuisset coactus, adolescentuli unius consecrationem meditari, quæ in natale SS. Innocentium incidebat, ita lusit:

Eligimus puerum, puerorum festa colentes:
Non nostrum morem, sed Regis jussa sequentes.

Idem error, & abusus gravis in sæcularē, & politicam Rempublicam irrepsit, ubi pueri imberbes, juvenes, stolones, ad clavum sedent, digni poni ad remos.

P. Ant. Beatillo. in vita Amb. Nolan. de re-bus Nolan. Carduci. M S. Asinina quædam capita S. Nicolaus asinis restituit, sed numquam ullus Sanctus, cervicem asininam corpori equino apposuit. Festivum hoc, & inter miranda, quæ Myrensis Antistes patravit maximè ridiculum miraculum. Nolam ipse cum Diacono, asinis ambo insidentes, proficiscebantur; quo eodem tempore, alidem hospitium alii quoque equis, aut lectica vecti, divertebant; quod ut vidit stabularius, hypocritam *S. Nicolaum* sugillavit, qui hac humilitatis specie se Sanctum venditaret; utigitur illum cum socio, ultrò perfectum, equos sumere cogat, de nocte utrumque asinū capite obtruncat. Diaconus manè venit, ut asinos itineri pararet, & nonnisi trunca capitibus vider cadavera. Accurrit ad *divum Nicolaum*, qui subridens, accipe, inquit, acum cum filo, & assue capita cadaveribus, & divino auxilio ad viram redibunt asini, ac sibi, nobisque restituentur. Jussa exequitur Diaconus, rejecta in angulum arripit capita; sed ut adhuc tenebræ erant, caput subnigri assuit albo, atque ita cum alieno capite uterque asinus revixit, mirante cum socio stabulario, & veniam delicti à viro sancto postulante. *Stupendum miraculum in asinis perpetratum.*

Hæc, ut concludam, simul demonstrant, in rebus desperatis, hunc sanctum Præsulem auxilio esse, & qui vitam brutis restituit, humanis corporibus, & potissimùm animabus, in quavis necessitate præsidio futurum. Quare omnibus proponitur, ut omnes ad eum recurrant. Hortatur sanctus Bernardus, aut si lubet, Petrus Damianus, utriusque enim idem sermo est.

Bernard. Pet. Dam. serm. de S. Nicolao. NICOLAUS *ille meus, imò & vester, electus ab utero, sanctus à puero, juvenum gloria, reverentia senum, Sacerdotum honor, splendor Pontificum.* Omnibus in quacumque necessitate præsto est: *Crebrescunt enim quotidie mirabilia, nec requiescit spiritus Dei ad memoriam militis sui, sua continuare miracula. Glorificatur in mari, laudatur in terra,* IN OMNIBUS PERICULIS INVOCATUR. *Denique qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis; ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Ipsi viderunt opera Domini, & NICOLAI, per Deum miracula in profundo.*

Quia,

Quid, quòd post sanctissimam Dei Matrem *ad Nicolaum* consugieodum monet; *Nónne post memoriam Virginis, tam dulcis pietas, vel pia dulcedo in cordibus fidelium obversatur, ut in die tribulationis*, NICOLAI NOMEN TENEATUR *in ore, & requiescat in corde?* Si cælum iratum tonet, & fulminet, si mare despumet, & extrema nautis minetur, *sic coruscationes fulgurant, & procellis detonantibus, à supernis vindicta procedit*, NICOLAUS IN PATRONUM ELIGITUR, NICOLAUS DULCITER INCLAMATUR. *Si tempestas saviens, & crudelitas maris navigantibus mortem intentat*, NICOLAUS FLEBILITER EXORATUR UT AUDIAT: *suppliciter invocatur, ut veniat, & eruat, misericorditer acclamatur. Si pulsamini incommodis, &c. in omnibus periculis invocatur.* Quid mirum, si subdat: *Lætantur pueri, juvenes gratulantur; ornantur virgines, senes exhilarantur, & omnis ætas personanter alludit. Unusquisque autem habet materiam gaudiorum: ut laudent pueri puerum jejunantem; juvenes juvenem, juvenes liberantem: virgines virginum infamiam redimentem, senes senis inopiam miserantem! juvenes & virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini hujus.*

§. III.

Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo, Luc. 12. v. 48.

HUgo Cardinalis hoc *multum*, paucis exponit, & omnia complectitur: *Multum*, inquit, *quæretur ab eo, videlicet* MULTUM *de bonis naturalibus, de bonis gratuitis, de bonis temporalibus, de his omnibus oportet reddere rationem secundùm quantitatem* (talenti) *commissi; quia multum quæretur ab eo in die judicii.*

Obgannientes & obstrepentes quosdam audio, an dona à Deo ipsis concessa, data sint in damnationem? sic enim apud D. Thomam argumentantur: *Nullus debet ex bono incommodum reportare; reportat autem, si id, quod agit, magis ei imputetur ad culpam. Ergò propter magnitudinem personæ peccantis non aggravatur culpa.* Quam objectionem instar stupæ dissolvit, dicens: *Quòd homo magnus*, (dignitate, sciētiâ, opulentiâ, aliisque talentis) *non reportat incommodum ex bono quod habet, sed ex malo usu illius:* duplici autem ratione malè utitur quis, cùm servo nequam, talento sibi commisso, dum vel illud abscondit, & otiosum relinquit; vel dum illud non in bonum domini sui, sed ad pravos usus in injuriam dantis pervertit. Ac primò quidem exponendum est, quinam abscondant talentum in terra. S. Isidorus Pelusiota scribens cuidam viro, qui *Candidus* vocabatur, insaniam ejus perstringit, quod instructissimam librorum in omni scientiarum genere bibliothecam, sibi comparasset, quorum ne unum umquam inspiceret, aut alteri volvendum traderet, solâ exteriori compacturâ homo minimè studiosus sese oblectans, & ut thesaurum reconditum, in quo utilitas nulla, asservans; quem ut ad saniorem mentem reduceret, tragicum in re simili eventum adducit: "Frumentum quispiam, quod ex agricultura collegerat, compressit: & quia id egentibus civibus minimé dono dederat, lapidibus obrutus, atque igne consumptus periit. De ejusmodi Sapiens: *Qui abscondit frumenta in populis.* Prov. 11. vers. 26. Quòd si ille frugibus suis conclusis, tamquā publica comprimens, de medio sublatus est, tu, cùm nihil proprium, quod ad litterarum studia attineat, possideas, verùm multos eruditorum virorum libros emercatus, nec utilitatis hujusce particeps ipse sis, neque cùm iis, qui ipsius desiderio tenentur, impertias, quo non malo mulctaberis, tum hic accusatus, tum à Deo, pœnâ, & cruciatu affectus, ut qui inutilem, & infrugiferum thesaurum tibi comparaveris?" etenim:

Isidor. Pelusiota. lib. 1. epist. 399.

Quò mihi divitiæ, si non conceditur uti? — *Horat. lib. 1 epist. 5.*

Si is, qui frumentum suppressit, adeo severas pœnas subiit, atque graviores illi à Deo infligendas S. Isidorus interminetur, qui plurima, & ingentia librorum volumina, nulli usui recondita, asservavit; quid non fiet illis, qui talenta à Deo sibi concessa, ad suam, aliorumque utilitatem, & salutem, otiosa relinquunt, & quasi in terram defodiunt? Nónne audient: *Inutilem servum injicite in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium;* non arguitur, aut plectitur, quod aliena rapuerit, viduas oppresserit, virgines violârit; sed dona sibi à à Deo concessa, otiosa reliquerit; unde S. Hieronymus: *Vailli, qui acceptum talentum in sudario ligans, cæteris lucra facientibus, id quod acceperat, reservavit. Ilicò indignantis Domini responsione ferietur: serve nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam.*

Matth. 25 — *Hieron. epist. 1. ad Heliodor.*

Est qui 10. 12. 20. millia florenorum in arcâ clausa, & otiosa retineat, quæ si ad censum annuū mercatoribus traderentur, egenos, & pauperes illis reditibus alere posset. Ex mille coris tritici, ex 100. cadis vini, quæ Deus in cellaria reposuit, si ne guttam, ne micam esurientibus & sitientibus elargitus fuerit; bonis sic concessis abutitur; nec unus pro hujusmodi servo nequam deprecabitur. Chrysostomus: *Vide* TALENTUM *creditum habentem, & non negotiatum, quomodo nullus intercedit pro eo.*

Chrysost. hom 22. ad popul.

Est juvenis, qui acuto ingenio præditus, memoriâ valet incredibili, facundiâ pollet Tullianâ, talentum habet linguarum, quibus ingens lucrum animarum facere queat, hic se in vasta solitudine, inter monastica claustra, aut Carthusiæ deserta recondit, ut sibi soli vivat; in hunc juvat illud Doctoris Angelici pronuntiare: *Habet aliquis donum intellectus, & tamen vult religiosè vivere, & sibi solum vivere, cum tamen multis potest proficere, ille abscondit in terrâ, talis enim pecunia est ad multiplicandum, non ad abscondendum.* Nec leves solent tentationes postea suboriri; dum quibus præditi sunt, dona recogitant. Unde S. Basilius: *Quam periculosum est aliquod donum defossum detinere, & inutile reddere!*

S. Thom. in Matth. c. 25. — *S. Basil. in Reg. fus. disput.*

Ingenii talentum quoque defodiunt, insanien-

nientis sapientiæ studiosi, ác magistri, qui futilibus ac inutilibus, relictis sublimioribus ac salubrioribus, studiis se impendunt, de quibus magnus Gregorius: *Talentum in terrâ abscondere, est acceptum ingenium terrenis actibus implicare, lucrum spirituale non quærere, cor à terrenis cogitationibus numquam levare.* Horum integram classem Romanus Philosophus inducit. *Didymus ille Grammaticus, qui ab assiduitate laboris χαλκέντερος, id est, ferreis visceribus dictus est, quatuor millia librorum scripsisse dicitur. Miser si tam multa supervacanea tantum legisset. In his libris de Patria Homeri quæritur: in his de Æneæ matre verâ: in his libidinosior Anacreon, an ebriosior vixerit? In his an Sappho publica fuerit: Et alia quæ erant dediscenda, si sciret.* Non inscité in hos Martialis:

S. Gregor. hom. 9. in Evang.

Seneca epist. 88

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

Martialis lib. 2 epig. 95.

Ejusmodi tamen nugis Tiberium Imperatorem Romanum, ingenium occupasse scribit Suetonius; has etenim quæstiones sciscitari solitus: quæ mater Hecubæ? Quod Achilli nomen inter filias Chironis? Quid Sirenes cantare consuescent? Quorumdam studium fuit scire, quem remigum numerum Ulysses habuerit? Prior ne scripta sit Ilias, an Odyssea? Dextero ne an sinistro pede Æneas exscenderit? *Utrum prius fuerit ovum, an gallina?* De quo septem Sapientes fusè apud Plutarchum: quid inter stillam & guttam intersit? Repetire & invenire quantum differant apud Nasonem:

Plutarch. in convivio 7. Sapient.

- - Et non inventa reperta est.

Ovid. lib. 1. Met.

Socratem quis credat omnes ingenii nervos contendere, ut saltum pulicis, pede ceræ impresso, metiri queat? Quis non rideat passerem Catulli, culicem Virgilii, pulicem Ovidii, muscam Luciani, Homeri vatrachomyomachiam, id est ranarum & murium pugnam? *De illis nemo dubitabit,* inquit Seneca, *quin operosè nihil agant qui in litterarum inutilium studiis detinentur, quæ jam apud Romanos quoque magna manus est. Græcorum iste morbus fuit, quærere quem numerum remigum Ulysses habuerit, &c.* Hæc ille, & subdit: *Quàm insanum sit quærere utrum major ætate fuerit Homerus, an Hesiodus: An minor Hecuba fuerit, quam Helena: Ulysses ubi erraverit? Et eheu!* inquit, *non æstimus ne nos semper erremus;* ne oves nobis commissæ, à beatis pascuis aberrent, nullum nobis studium est. Quàm insanum sit quærere, quot annis erraverit Æneas, & non attendere quot annis in terram longinquam cum filio prodigo aberraverit à patria? Quid quod & hujus ævi viri, cæterùm docti, his annumerari possint, qui investigant, si chimera esset homo, cui scientiæ sese traderet; inter quos Professor ille accensendus est, qui, ut Drexelius commemorat, quæstiones solidiores Theologicas, nihili faciebat; sed si modales incidissent, UBI *absolutum, an respectivum,* quasi Solimannum debellasset, insurgebat.

Aristoph. nubes Act. 1. Scen. 2.

Raderus in Martial p. 86. Senec. de brevit. vitæ c. 13.

Drexel. Rhetor. l. 1. cap. 10.

Hujusmodi ingeniis curiosis, & otiosè studiosis, aptè responderi posset, quod olim Augustinus Afro, curiosè percunctanti: *Quid ante creationem mundi Deus fecisset?* Respondit S. Præsul; *curiosis parabat infernum;* quod utinam non plures experientiâ comprobassent. Aristoteles ille Princeps Philosophorum, qui ut Lucretius loquitur, humanum genus ingenio superavit, dum illud in fluxu & refluxu Euripi totum exhaurit, nec capere potest, se ipsum perdidit, dicens: *Aristoteles non capit Euripum, Euripus capiat Aristotelem.* Idem exitus Plinii fuit, qui cùm ingenio suo flammas Vesuvii non caperet, se in eas præcipitem egit. Nihilo melius, sed nequius agunt, qui talentum à Deo sibi concessum, impendunt vanitatibus, scurrilitatibus nequitiis omnibus: qui toti sunt, ut novos indies modos, in vestibus, in cōvivus, in rhedis, equis, &c. adinveniant: qui libros necromanticos, vel amatorios volvunt, nulli alteri rei student, quàm ut novas indies explendæ veneri, aut seducendæ, ac pelliciendæ virgini, artes excogitent; quos verbis Augustini libet compellare epist. 39. ad Liberium: *Si calicem aureum invenisses in terrâ, donares illum Ecclesiæ Dei. Accepisti à Deo ingenium spiritualiter aureum, & ministras inde libidinibus, & in illo sathanæ propinas teipsum:* eique te similem reddis, qui ut ingenio mortales omnes antecellat, numquam eo nititur, nisi ad malum. Raptum scribit se Hieronymus ad judicium, ac acriter flagellis cæsum, *quod magis Ciceronianus esset, quam Christianus:* oblectare enim se solebat gentilium librorum potius, quàm sacrarum litterarum lectione. Quid iis fiet, qui omne ingenium lascivis, & obscænis studiis impendunt? Non unus profectò, hodierna die cum perditissimo Poeta queri posset?

Beyerlinc apophteg. sacra pag. 187.

Aug. epist. 39. ad Liberium.

Hieron. in Reg. Monach. c. 35.

Ingenio perii, qui miser ipse meo.

Ovid. l. trist.

Idem usurpare possunt, qui ingenii acumine, ad dolos, & fraudes, ad lités concitandas, producendas, subvertendos pupillos & viduas, fraudulentas mercaturas, versuras, & usuras abutuntur. Theophylactus cit. à D. Thoma: *Si bonæ mentis videmus, & studiosum hominem qui ingenio suo ad negotiationes, dolos, & terrena opera abutitur, de illo dicas, quod defoderit talentum suum sub terrâ, hoc est in terrena opera;*

S. Thom. Matth. cap. 25

Ingenio perit, qui miser ipse suo.

Nec pauciores divitiis, aut naturali, quâ præditæ erant formæ venustate, periere. D. Gregorius quem citat, D. Thomas ad propositum nostrum: *Ille thesaurum abscondit, qui donum acceptum abscondit in peccatis carnis, vel temporalibus.* Sic filia eleganti specie, quæ scintillantes oculos in lascivos juvenes vibrat: corallina labra in verba, & cantica obscæna deducit: rubicundas genas impuris osculis tradit, &c. *Donum acceptum abscondit in peccatis carnis.* Homo verò opulentus, qui pecunias in *temporales nugas,* in vestium, & conviviorum luxum, in moriones, histriones, assentatores effundit, in commessationes, aleas, canes, & aves prodigit, *talentum abscondit in temporalibus,* & servus ille nequam vapulabit multis; quis enim Dominus non durè exciperet servum, qui missus

S. Greg. apud S. Thom.

cum

cum ingenti pecuniæ summâ, ad pretiosas merces comparandas, nihil alind emisset, secumque ferret, præter quisquilias, & puppas infantiles? Hinc rectè monet Doctor Angelicus verbis Gregorii Magni: *Habens intellectum, curet omninò ne jaceat: habens rerum affluentiam, à misericordiâ non torpescat: habens artem qua regitur, usum illius cum proximo partiatur: habens loquendi locum apud divitem, pro pauperibus intercedat; talenti enim nomine cuilibet reputabitur, quod vel minimum accepit; sed talentum commissum non abscondere, sed fideliter dispensare quilibet tenetur, quod patet ex pœnâ servi abscondentis talentum: ergo. Hac S.Thomas.* 22.q. 61.a.1. Quæ quàm fideliter adimplerit, & quàm utiliter talentum acceptum, & facultates concessas, *sanctissimus Præsul Nicolaus* expenderit, attendite. Postquam paternam hæreditatem adiit, non cogitabat quomodo eam reconderet, aut temporali lucro augeret; sed quomodo utiliter expenderet. Succurrebat viduis, & pupillis pecuniâ, consilio, & auxilio. Imprimis verò tres illas pauperes filias, civis Patarensis, jam jam prostirnendas, in sua pudicitiâ servavit, effecitque submissâ clam dote, ut nuptui honestè traderentur; atque ita non corpus dumtaxat, sed & animas earum servavit.

Matth. 21. S.Thom. 22. q.71. a.1. S.Gregor. hom. 9. in Evang.

Cavit hic maximus Præsul, pallente auro, ne purpureus pallesceret metu pudor: puduit hunc interdiu largiri opes, quo nihil est illustrius factum: tot enim oculi noctu spectavêre, quot sidera. Gavisus est tamen pudor, tutorem sui nactus pudentem: fecit auro, ne pudor esset venalis. Eripere quodammodo visus est virginem Plutoni Plutus. Item famis tempore ipse etiam sibi omnem superfluitatem interdixit; & vix necessaria concessit, tam in victu, quam vestitu. Hæc à puero cum illo crevit miseratio: nam cùm infans (juxta morem tunc Ecclesiæ ut feria 4, & 6. jejunium observaretur) ab uberibus abstinebat, & jejunio eleemosynam jungebat: quia semper unam dumtaxat, & eandem mammam sugens, alteram pauperi infanti, ut mater lactaret, relinquebat. Victoris merito nomen assecutus nascens, qui à sinu matris vicit amorem uberum, atque eo imprimis die parcus fuit ducendi lactis, quo Deus prodigus fuerat educendi sanguinis. Unde magnificum hoc de sancto Præsule tulit elogium D. Michael Archimandrita: *Opum sibi à Domino creditarum largissimus distributor & erat, & prodebatur.* Nec minus augustum illud Leonis Imp. *Desideratis adhuc in* PONTIFICATU NICOLAI *similia misericordiæ opera audire? Sed vereor ne mare haurire videamur*; cujus munificentiam altius extollere non potuit, quàm divinæ comparando: *Quis,* inquit, *sicut* NICOLAUS, *Dei misericordiam excellentissimo modo imitatus est, & egentes ita sua miseratione ditavit? nam ut Deus propter nos pauper effectus est*, ita & *Nicolaus* propter Deum.

P. Anton. Beatillo in vita.

Quotidie teste Metaphraste tantum pauperibus elargiri solitus, quantum abunde erat; ita ut ne lectum sibi reservaret, & à vicinis & amicis libros, quibus uti volebat, mutuo dari sibi peteret.

Denique donavit tibi Deus firmas corporis vires, valetudinem, membra omnia integra; vividos ac vegetos sensus, id est, quinque talenta inquit Gregorius: *Quinque talentis, donū quinque sensuum, id est, exteriorum scientia exprimitur.* At ea in terrâ defodisti, dum turpiter in contemptum donatoris abusus es, dum *odoratus*, odoriferos flosculos, chirothecas, munuscula, ad amorem puellarum aucupandum obtulit: dum *visus* in tot obscenas tabulas, lascivos libros, fœdos aspectus, se effudit: dum *gustus* in omnem gulam, & crapulam proruit: dum *auditus* ad omnes obscænos sermones, cantilenas, verba calumniosa, detractoria numquam non patuit.

S. Greg. hom. 9. in Evang.

Non sic sanctissimus Antistes noster, de quo illud D.Hieronymi usurpare possum: *acceptis terrenis sensibus, cælestium sibi notitiam duplicavit: ex creaturis, intelligens creatorem: ex corporalibus incorporalia: ex brevibus sempiterna.*

Hieron. apud D. Thom. in cap. 25. Matth.

Incipe & tu sensibus uti ad cælestium notitiam, sint oculi videntes Creatorem in cruce suffixum, duo lumina, flumina fiant.

Divini verbi præcones talentum abscondunt, qui histriones agunt, qui plausum, non planctum spectant, se, non Christum prædicant.

D.Hieronymus: *Ille Doctor est Ecclesiasticus, qui lacrymas, non qui risum movet.* Idem sacro Ecclesiaste alibi indignum exaggerat: *Verba volvere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est, & rabulam & declamatorem agere.*

S. Hieron in Isaiam. cap. 3 idem epist. ad Nepotian.

Talis pretiosum, quod ei à Domino talentum concessum est, flocci pendit, & vili vendit, pretio popularis auræ; ad quam captandam insano labore, operoso quidem, sed inutili studio consumitur; quod meritò deplorat S.Chrysostomus: *Propter hoc tantum laborem suscipimus, non ut plausum, strepitumque feramus; sed ut avulsos à via veritatis reducamus.*

Chrysost. orat. 4 contra Iudæos.

Sic D.Ambrosius talentum dicendi impendit; incredibilem, quâ pollebat, facundiam salubri doctrinâ attemperans, & spiritu suo animans, in Augustini animum penetravit, atque ab errore in viam veritatis deduxit, ut ille de se fatetur, aures, & cor aperiens, *ad audiendum quàm disertè diceret, pariter intrabat & quam verè diceret.*

August. n. lib 5 conf. cap. 13.

Ipsius dicendi spiritum Surius exprimit, in vitâ S.Athanasiæ: ædificavit, inquit, sancta Athanasia templum sancti Nicolai divini Præsulis, qui obibat Diœcesim suam per urbes, & pagos, atque *avulsos à via veritatis*, sermonis suavitate, & morum maturitate, ac vultus serenitate reducebat. Unde S. Michael Archimandrita de illo: *Ita erat* NICOLAUS *divinus & Evangelicus facie, ac sanctitatem spirans, plenam boni odoris, ut ex solo etiam aspectu illius, ad meliorem frugem converteret accedentes, & ad melius, atque salutare impelleret, ac reduceret:*

Antiquam Sabellii, ac præsentem Arii hæresim stirpitus eradicare aggressus, ac primo pontificatus sui anno, in Provinciali Concilio quatuor hæreses damnavit, non modo duorum priorum, sed quas & spiritu prophetico futuras præviderat, Nestorii, & Eutichetis. Occurrens

Niceph. Beatillo

rens in viâ publicâ obstinatissimo hæretico, clausit primum aliquantu tempore oculos, tum hominem intuitus, solo aspectu, & oculorum radiis ita perstrinxit, ut orthodoxæ fidei lumen toto pectore hauserit. Sed nihil in hoc genere illustrius, quàm dum Marcionistam accepit in suâ Diœcesi ad infulas Episcopales promotum; virum convenit, & dum in vesperam acriter protrahitur altercatio, alteri vehementius commoto, his verbis D. Nicolaus suavissime valedicit: *Sol non occidat super iracundiam vestram*, atque illicò hæreticus ad pedes ejus se postravit, veniam petiit, & hæresim ejuravit.

Ephes. 4. v. 26.

Ut & iis, quæ nobis concessa sunt, rectè, ac utiliter utamur, hortatur Augustinus ad Castorium Episcopum: *Eloquentia, prudentia, eruditio*, atque alia talenta, *cui melius serviunt, quàm ei, à quo tributa sunt? Ut & custodiantur, & augeantur, & perficiantur, & remunerentur?* Ipse qui donavit, si ad se, ac gloriam suam referri viderit, eadem amplificabit, & plura, ac majora adjiciet, & in æternum conservabit: *Non serviant igitur huic sæculo, ne vanescant, & pereant cum eo; sed Deo, ut vivant, & regnent cum eo.*

Augustin. epist. ad Castorium Episc.

Ibid.

Nunc ad alteram classem veniamus eorum, qui perversè abutentes talentis sibi concessis, gravius inde judicabuntur, & cruciabuntur: Quia *cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* Pro cujus pleniori notitiâ, Theologorum Princeps præceptor S. Thomas, doctè, ac disertè disceptans: *Utrum magnitudo personæ peccantis aggravet peccatum?* Seu, an homo qui per talenta ei à Deo concessa, ut sunt *bona fortunæ* divitiæ, fundi, prædia, pecora, honores, dignitatis prima subsellia: aut *bona naturæ*, ingenium subtile, judicium acre, memoria tenax, lingua prompta: forma imperio digna, valetudo firma, aut etiam *gratiæ* prævenientis, illuminantis, adjuvantis, sanctificantis, planè magnus, & inter omnes eximius extiterit, gravius peccet, & consequenter puniendus sit, quàm is, qui his destitutus fuit? Quæstionem resolvit ex sancto Isodoro, lib. 2. de summo bono: *Tantò magis cognoscitur peccatum, quantò major qui peccat habetur*; quod quatuor solidissimis probat rationibus: *Peccata tantò magis alicui imputantur, quantò major* (seu dignior) *est; & hoc potest esse propter quatuor.*

Luc. 12. v. 48.

S. Tho 1. 2. quæst. 73. art. 10.

Peccata Christianorum, Sacerdotum, Religiosorum graviora, quia plus acceperunt.

S. Th. cit.

4. Rationes, quare peccatum ejus, qui plus accepit, gravius sit & severius puniatur.

Primò, quia facilius possunt resistere peccato majores, puta qui excedunt in scientiâ, & virtute. Unde Dominus dicit Lucæ 12. quod servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis.

Secundò, propter ingratitudinem: quia omne bonum quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando; & quantum ad hoc, qualibet majoritas, etiam in temporalibus bonis, peccatum aggravat, secundùm illud Sap. 6. POTENTES POTENTER TORMENTA PATIENTUR.

Tertiò, propter specialem repugnantiam actus peccati, ad magnitudinem personæ; sicut si Princeps justitiam violet, qui ponitur justitiæ custos: & si Sacerdos fornicetur, qui castitatem vovit.

Quartò, propter exemplum, sive scandalum: quia ut Gregorius dicit in pastorali part. 1. cap. 2. in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia gradus peccator honoratur: ad plurium etiam notitiam perveniunt peccata magnorum, & magni homines ea indignè ferunt. Hoc fundamento Angelici Doctoris jacto, quis Concionatorum non facillimè, & solidissimè exædificet, cùm omnes sancti Patres illi innixi sint?

Sanctus Augustinus, cujus auctoritate D. Thomas plerumque utitur, & nititur, manifestò probat in ruina angelorum, quò major fuerit eorum nobilitas, dignitas, & capacitas, eò gravior ipsorum fuerit iniquitas, adeo ut redemptione prorsus indigni habiti sint, sic enim ait: *Cùm noverimus bonorum omnium creatorem, reparandis angelis malis, nihil gratiæ contulisse, cur non potius intelligimus, quod tantò damnabilior eorum judicata sit culpa, quantò erat natura sublimior?* TANTO ENIM MINUS, QUAM NOS PECCARE DEBUERUNT, QUANTO MELIORES NOBIS FUERUNT.

S. Thom. 3. part. q. 1. S. August. tract. 110. in Ioan.

Hinc per Ezechielem, Dei verbis, angelica excellentia, & naturæ præstantia exaggeratur, cùm dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore, in deliciis Paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Hæc præmittitur tam sublimis laus, & gloria, ut culpa gravior, & damnationis atrocitas æquior habeatur; mox enim subjungitur: *Peccasti, & ejeci te de monte Dei.*

Ezech. 28.

Ex quibus rectè deducitur, quod culpa, & pœna Christianorum, multò gravior judicabitur, quàm infidelium: multúque enormior Clericorum, ac Religiosorum, quàm sæcularium: quia & Religionis, & gratiæ dignitas multò sublimior, tum auxiliorum, ac mediorum ad omnem perfectionem affluentia longè uberior: sicut enim in byssu candidâ, aut veste bombycinâ, acu phrygiâ pictâ, turpior apparet macula, quàm in sago rustico, aut mastrucâ nauticâ: in horto cultissimo, pretiosis floribus consito, vepres, ita in Christiano fœdior macula peccati: animos verò infidelium, quasi vasta solitudo est, quam nemo incultam mirabitur: sic in Regio ædificio, pario marmore exstructo, si columnæ, projecturæ, fenestræ, à libellâ suâ exorbitent, nemo non vitium illud longè maximum dicet, quod in luteâ casâ, vix reprehenditur, malletque in cá centies, quàm in illo vel semel peccari: sic in statuis, gravius damnum incurrerit, si Phidias in ebore & auro, quàm si dibotades in argillâ, & luto peccari: nec æquè tolerandum putas, si cacula, aut rusticellus patinas ligurierit; & idem filium Regis agere conspexeris: puerum qui vix prima rudimenta hausit, solecismus non ita dedecet, ut Rhetorem: si Thersites & Achilles fuerint in eâdem ignavia deprehensi, in Achillem profectò longè major ignavia redundabit. Quid ita? Quia nimirum quod gentilis observavit, & decantavit:

Omne animi vitium, tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat habetur. *Iuvenal.*

Quan-

Quanto excelsiori gradu positus, tantò lapsus ex alto gravior; quantò digniori in ordine collocatus, & donis, ac gratiis uberioribus cumulatus, tantò minus peccare debuerat, quia tantò melior aliis fuerat.

Genesi 94. Jacob Patriarcha, ut infame flagitium filii sui Ruben vivacius depingat, nescio quibus splendidæ laudis, & gloriæ illud decoloret, dicens: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in dona, major in imperio.* Quid inde? *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum ejus.* Quorsum tam ingens commendatio in eum, in quem statim tam acris vituperatio, & maledictio impingenda erat? Respondet egregiè Origenes: *Quod*, inquit, *in initiis, laudis ei aliquid videtur adscribere, dicens: tua virtus mea; idcirco fit, UT GRAVIUS NOTETUR IN CRIMINE; qui cùm virtus patris haberetur, & initium filiorum, nescit servare reverentiam patri.* Meritò inter fratres Ruben minor constituitur, abjicitur, & damnatur: quia cùm prior in donis, & major in imperio, utpotè primogenitus, *effusus est sicut aqua*; & tam turpi scelere, cùm talis ac tantus esset, se, & gloriam suam commaculavit.

Gen. 94. — Origenes hom. 17. in Genesim.

Sic etiam turpior Christianorum noxa, & gravior damnatio, qui cùm sint priores in donis, & majores in imperio, tamē effusi sunt sicut aqua, ea quæ religioni, professioni tam sublimi, maximè adversantur, in se admittentes; quos quasi Christi primogenitos ad tantam dignitatem evectos, & inde ad vitiorum indignitatem abjectos, spiritu prophetico prospiciens Psaltes Regius, sic eos incusat: *Filii hominum usquequo gravi corde: ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Ubi Septuaginta vertunt, *usquequo inclyti mei ignominiosè diligitis vanitatem?* Chaldæus transfert. *Usquequo honor meus ad vituperium?* Aquila, & Symmachus: *Usquequo gloriosi mei, seu gloria mea?* Vatablus legit: *Usquequo potentes, ac Principes?* Cum his ergò singulariter expostulat, qui cùm sint inclyti & gloriosi Dei Principes, & potentes, multò gravius delinquunt, & damnantur, quod diligant vanitatem, & quærant mendacium.

Psal. 4.

Hinc amara illa Jeremiæ lamentatio: *Filii Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt vasa testea, opus manuum figuli!* Ubi Hieronymus perappositè in rem nostram: *Filii Ecclesiæ, qui inclyti fuerunt Christiana religione, & ornati sapientiæ fulgore, & decore virtutum, nunc emolliti carnalibus desideriis, & terrenis cupiditatibus tabefacti, vasis testeis comparantur.*

Thren. 4. — Hieron. hic.

Hæc autem mutatio quò indignior, eò culpa gravior, & animadversio severior: unde S. Paschasius in hunc sensum pulcherrimè disserit: *Angelo Ephesinæ Ecclesiæ scribitur; memento unde cecideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Quod est apertè dicere, scito, & intellige cujus dignitatis fueris per gratiam, & adoptionem Dei: quàm inclytus & nobilis, vestitus auro primo, & purissimo, indutus siquidem stola immortalitatis; ac deinde quàm vilis, ac luteus propter corruptionem, & pœnam peccati, vasis fictilibus comparatus; sic, ne in desperationem venias, Prophetam imitare lugentem, quod talis effectus sis, & prima opera fac*, ac ad pristinam dignitatem enitere. Hæc Basilius, Bernardus, Rabanus, Clericis, & Religiosis, utiliter accommodant; ut apud Cornelium nostrum videre est in hunc locum. Horum peccata exaggerantur Levitici 4. v. 3. & 13. præcipit Deus, ut pro peccato totius populi non major hostia, quàm pro peccato unius Sacerdotis nempe, vitulus offeratur; docens, inquit, Theodoretus, quod Deus illud præcepit, ut innotesceret, *quanta sit Sacerdotii dignitas, quam universo populo parem facit.* Luculentius idem pertractat Chrysostomus: *Pro universo populo qui peccarat, tantum offerebatur, quantum pro solo Sacerdote* (peccante;) *quia quò major est authoritas, eò est majus eorum, qui peccant, supplicium;* sic ut unum eorum flagitium, totius populi malitiam exsuperet, aut exæquet. Unde rectè subdit, gravius ejusmodi manere supplicium.

Paschasius in thren. cap. 4. — Theodoret. in Levit. cit. — Chrysost. in Psal. 6.

Audîstis ex personæ dignitate fœditatem culpæ; nunc gravitatem pœnæ, ac supplicii attendite. Viri Ecclesiastici, Religiosi, Regali Sacerdotio inclyti, habitu venerabili & sancto amicti, Ordinis dignitate conspicui, sanctimoniâ status honorandi, quamdiu Deo ac Religioni sanctè inhærent, sunt veluti lignum vitis, suis pampinis ac fructibus turgens; at si à Deo, à Religione, ab Instituto suo præcisi sint, ad nihilum valent, sicut lignum vitis, si non manserit in vite, nisi ut humi serpat, conculcetur, & in ignem mittatur ad comburendum; quâ similitudine usus est doctissimus Origenes: *Lignum vitis ut honorabilius est lignis omnibus, si afferat fructus; sic omnibus inferius judicatur, si id non habeat, unde præcellit: quia ex reliquis lignis varia opera; ex vite verò nisi fructificet, nil fieri potest, tantum igni utilis est.* Quæ sic proposito nostro applicat: *Ita Christi quidem discipulus, si fructum hoc nomine dignum ferat, honorabilior est reliquis gentibus; sin minus, abjectior.* De his inutilibus palmitibus Veritas dicit: *si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet* (ad omnia inutilis, & contemptibis) *& colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*; quasi tales damnationem ignis æterni secum ferant, utque in eo atrocius præ aliis cruciandi sint. Quod Rufinus probat eventu mirabili, qui B. Macario contigit: hic dum perambularet aliquando eremum, invenit caput hominis mortui in terrâ jacēs, quod cū moveret baculo, quē in manu habebat, locutū est caput ad eum. Cui dixit senex: quis es tu? Respondit caput illud ad senem: ego eram Sacerdos Gentilium; tu vero es Abbas Macarius, qui habes spiritum Dei; ac tandem, ubi horrenda quæ apud inferos tormenta patiebatur, enarrasset, terrificum illud effatus est: *Nos qui ignoravimus Deum, mitius quidem cruciamur; hi verò qui cognoverunt Deum, & negaverunt eum, nec fecerunt voluntatem ejus, hi sunt subtus nos; & longè atrociores pœnas patiuntur.*

Origenes hom. 5. in cap. 15. Ezech. — Ruffin. lib. 3. n. 172. Rosvveydus vitæ Patrum pag. 617.

Jessæus vates de supremo ac tremendo Dei judicio agens: *Congregate*, inquit, *illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia;* ubi

Psal. 49. v. 5.

ubi docet Chrysostomus, his verbis imperari Angelis, ut sistant ad Christi tribunal Sacerdotes imprimis sceleratos, ut severius inde judicentur. Deinde quærit, si mali jubentur sisti, cur *sancti* appellentur? *Cur*, inquit, *quos accusaturus, & condemnaturus*, SANCTOS *appellat?* Respondet quod Deus *sanctos* appellet, *accusationem augens, & honorem adjiciens, ad majorem significationem supplicii*; ut ex dignitate status, & muneris, gravitas culpæ & pœnæ manifestior redderetur. Ut diserte Lucæ 12. significatur: *Servus sciens voluntatem Domini sui* (quam haustâ scientiâ, ex tot libris, & concionibus, illuminationibus perspectam habent viri religiosi) *& non faciens, plagis vapulabit* MULTIS.

Chrysost. hic. — *Luc. 12.*

Quæ D. Thomas ex Theodoreto, graphicè, & graviter exponit, dicens: *Hic nobis Dominus majus aliquid, & terribilius ostendit: non enim dispensator infidelis, acceptâ privabitur gratiâ, ut nihil eum juvet, ad vitandum supplicia; sed magis fiet condemnationis causa, dignitatis immensitas. Unde dicitur: ille autem servus qui novit, &c.*

S. Th. hic.

Cuivis manifestum est, si homo agrestis quid alienum à mysteriis fidei proferat, in eum non sic ab Inquisitoribus animadvertendum, quàm si quis vir litteratus, Doctoratus laureâ insignis, & nominis famâ celebris, impingat, aut hæresim spargat: ita, inquit, Antiochenus Præsul: *Non similiter in omnibus omnia judicantur; sed major cognitio fit majoris pœnæ materia. Unde Sacerdos eadem peccans cum populo, multò graviora patietur; quia majorem peccati, & gratiæ quam perdit, notitiam habet: homo enim perspicax, qui in pejoribus suam voluntatem inclinavit, inexcusabile peccatum commisit, quasi propter malitiam recedens à Domini voluntate; sed homo rusticanus, rationabilius impetrabit veniam vindicantis; unde subditur:* QUI AUTEM NON NOVERIT VOLUNTATEM DOMINI SUI, PLAGIS VAPULABIT PAUCIS.

Chrysost. hom 27. in Matth. & D Thomas cit.

Cogitent ergò seriò, & sedulò expendant Christiani, & imprimis Sacerdotes, viri Religiosi, ac Sanctimoniales, quàm misera ac miseranda conditio sit pravè viventium in suo tam excelso & sublimi statu, in quo nec præsenti sæculo, nec futuro fruuntur; hîc gehennam, & alteram postea habituri. Ut meritò lamentabiles illas voces usurpare queant, quas commiseratione ductus, ejusmodi convenire dicit Apostolus: *Miserabiliores sumus omnibus hominibus*, etiam Gentilibus, & Barbaris, quibus mitius judicium, sed & sceleratissimis hominibus, qui sæculi divitiis, & deliciis hic perfruuntur.

1. Cor. 15.

Quod exaggerat, & inculcat Doctor mellifluus, salubrem hunc stimulum suis, & Monachis sancti Bertini subdens: *Nos Monachi, quorum velimus, nolimus, in labore, vita est*, PLANE MISERABILIORES SUMUS *omnibus hominibus, si pro tam exiguis* (levis vanitatis, voluptatis, licentiæ, inobedientiæ, arrogantiæ, pertinaciæ, &c.) *tanta patimur detrimenta*; quæ quàm gravia sint, attendite: dissidia domestica, perturbatio interna, amaritudo animi, aversio Superiorum, oblivio Dei, omnium gratiarum, & pœnitentiarum, ac animæ extrema perditio.

S. Bern. epist 141. ad Monachos S. Bertini.

Tum pergit: *Quid insipientiæ, imò quid insaniæ est, ut qui majora reliquimus*, millia florenorum in nummis & fundis deseruimus, sursum uno floreno in esculenta aut poculenta impenso, animam damnemus? Qui delicias carnis & nuptias sæculi reliquimus, quibus juxta Apostolum frui licitum, spontè propria nos perpetuæ virginitatis vinculo Christo sponso alligavimus, ut brutam & brevem aliquam voluptatem, aut insanam petulantiam sectemur, *ut*, inquam, *qui majora reliquimus, minora tanto discrimine* (æternæ damnationis) *teneamus.*

Quid infelicissimo mortalium luctuosius, & acerbius accidere potest, quàm de tormentis ad tormenta transire, & quò acerbiora tulerit, eò longè graviora tolerare: quod iis accidit, quibus omnia jejunia, afflictiones, austeritates, carceres Religionis perpetui non prosunt, sed cedunt in novum, & acerbius tormentum. Solidè ac solerter Bernardus: si religiosus medius sibi ad omnem perfectionem, & sanctitatem daris abutitur, si perversè vivat, &c: *Si hoc ita est, ut quid sine causa mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oves occisionis? Quid nobis prodest tanta in victu parcitas, & asperitas: in veste notabilis vilitas: in opere manuum quotidiana desudatio: in jejuniis & vigiliis jugis exercitatio, totius denique vitæ singularis quædam, atque austerior conversatio?*

Bern apolog. ad Guliel. Abbat.

Quia non prodest nobis quidquam, sed potius est ad damnationem, sicut quilibet eorum amarè lamentari posset: *Miser ego homuncio, qui tanto labore & industriâ studeo non esse, vel potius non videri, sicut cæteri hominum;* MINUS TAMEN ACEPTURUS, IMO GRAVIUS CRUCIANDUS, QUAM QUILIBET HOMINUM.

Ibid.

Multò certe feliciores filii hujus sæculi censendi viderentur, qui saltem præsentibus gaudent. Ut illi sic meritò queri possent: *Siccine non inveniebatur nobis via* (ut ita dicam) *utcumque tolerabilior ad infernum? Si ita necesse erat, ut eo descenderemus, cur saltem illam quam multi incedunt viam, scilicet latam, quæ ducit ad mortem, non elegimus; quatenus vel de gaudio, & non de luctu ad luctum transiremus?* Quam misere & miserabiliter hi homines corpore & spiritu divellantur, & torqueantur, alibi enucleatius exponit, dum eorum cruciatus exaggerat, quod voluntatem Domini sciverint, sed non fecerint; notitiam cælestium rerum habuerint, & vilipenderint: intelligunt pariter bona quæ faciunt; sed non pariter diligunt intellecta. Nam de ignorantia, Fratres, quænam excusatio nobis, quibus numquam doctrina cælestis, nunquam divina lectio, nunquam spiritualis eruditio deest? Quæcumque vera sunt, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ: si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc discitis, & accipitis, hæc auditis pariter, & videtis in exemplis videlicet, & verbis eorum, qui inter vos sunt perfecti: quorum & hortatio, & conversatio plenius erudit universos.

Ibid. — *Bern ser. 1 de Ascen. Dom.*

En

En quot, quàm potentia ad omnem sanctitatem media, & motiva; quibus utentes, hos *[Bern. cit.]* uberrimos fructus referre adstruit: *Advertere potes, viros repletos omni cōsolatione, superabundantes gaudio, jucundos semper, & hilares ferventes spiritu, die ac nocte meditantes in cœlum, & puras manus in oratione levantes, solicitos observatores conscientiæ, & devotos sectatores bonorum operum: quibus amabilis disciplina, dulce jejunium, vigiliæ breves; labor manuum delectabilis, & universa denique conversationis huius austeritas refrigerium videatur.* Quod lucrum, & suavissimum fructum colligunt, qui gratiis, & adminiculis sibi concessis, rectè utuntur.

Contra sanè invenire est, (laxos, & legis prævaricatores) *remissos, deficientes sub onere, virgâ & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est; quorum brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio: quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione: quos denique, ut videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coercet.*

Quid tandem de his concludit? *Nonne tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur?* Et de uno inferno in alterum tales præcipitare? Quæ tam atrocia mala ut evitemus, quisque studeat talenta sibi à Deo commissa, rectè impendere, & cum iis lucrum facere, ut Domino suo redditurus rationem, verè & sincerè fateri queat, quisque suo modulo: *Domine duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum:* & alter: *Quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.* Talis cum D. Nicolao audire merebitur: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* *[Matth. 25. v. 20. & 21.]*



FESTUM
IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS
SANCTISSIMÆ
VIRGINIS MARIÆ.

8. Decemb.

Quaeretur peccatum illius, & non invenietur. Psal.10.v.15.



Sol etiam caecat, contra si cernere pergas. Lucret.lib.4.

ARGUMENTUM.

QUas nemo veterum Astrologorum spectavit, nemo cogitavit, aut somniavit, has novi optici per tubos, & dioptra, se in sole, lucidissimo mundi oculo, maculas quaesivisse, & invenisse, vanè gloriantur; sed error illis ex oculi à Sole distantia, ex nebulis, aliisque corporibus interjectis, aut ab ipsis vitiosis instrumentis, facilè suboriri potuit. At crassius hallucinati sunt, qui post mille & amplius saecula, contra communem SS. Patrum ac Doctorum sensum, in Virgine semper Immaculata, quae *electa ut Sol*, spurcissimas originalis noxae maculas se invenisse, arbitrantur, & non sine gravi in Matrem Dei injuria, non dico de inventione, sed fictione sua gloriantur. *Quid* enim, inquit Sapiens, *lucidius Sole?* Et *quid*, inquit Ambrosius, *splendidius eâ, quam splendor elegit?*

Eccl.17. Amb. l. 2. de virginib. sub initium. Cassian. l. 1. de Incarn. c. 6.

Sed ut ex dubitatione Thomae Apostoli, fides in animis credentium magis solidata est; ita ex adversariorum altercatione, veritas immaculatae Conceptionis Mariae magis illuxit, juxta illud Cassiani: *Semper veritas ventilata, plus rutilat*; ut in controversiis de virginitate & maternitate, in Ecclesia agitatis, manifestò paruit. Quare *quaeretur peccatum illius, & non invenietur*; quod nihilominus dum confictis etiam miraculis, homines impii ac sacrilegi astruere ausi sint, veris signis ac prodigiis, Mariam totam pulchram & immaculatam luculenter comprobabimus. Tandem facio partibus indicto silentio, unâ voce sine fine Immaculatam Virginem cantemus, ejus Festum celebremus, omni cultu & obsequio honoremus, ut per primum illud instans Immaculatae Conceptionis Mariae, ultimo vitae nostrae instanti, quo viam aeternitatis ingrediuri, immaculati inveniri mereamur.

§. I. *Quaeretur peccatum illius, & non invenietur.* Psal.10.

§. II. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cant 4.

§. III. *Sentiant omnes tuum juvamen,* QUICUMQUE CELEBRANT TUAM SANCTAM CONCEPTIONEM, in Breviar. Rom.

FESTUM

IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS SANCTISSIMÆ

VIRGINIS MARIÆ.

Quaeretur peccatum illius, & non invenietur. Psal. 10. v. 15.

Illustre solis encomium.



Apientissimus mundi Architectus, & summus rerum omnium artifex Deus, jam universam hanc terrarum molem, ex rudi indigestaque massa eduxerat, herbis, floribus, fructibus exornarat: jam flumina & fontes, & vastos coelorum orbes, atque immensam illam Empyrii domus regiam è nihilo eduxerat; cùm omnia quantumvis ingeniosè à divino opifice adinventa, artificiosè disposita, speciosè in genere suo adornata, omni luce ac splendore orbata, altâ in noctis caligine sepulta jacerent; donec tandem confecto hoc mirando trium dierum artificio, illud *vas admirabile, opus excelsi*, Solem procreavit; ad cujus serenissimum conspectum: *Laudarunt eum simul astra matutina* (quae hactenus luce omni privata in tenebris delituerant) *& jubilarunt omnes filii Dei*; extemplo omnium caelitum ora in laudes conditoris resoluta sunt, ut ore aureo Chrysostomus: *Laudarunt te simul omnes Angeli cùm creares* SOLEM.

Eccl. 43.

Job 38. 7.

Chrysost. serm. 4. in epist. ad Philip.

Lucidissimum hunc mundi oculum, primi quique in omni scientia viri contemplantes, supra solem, supra se rapti sunt; nec immeritò; speculum quippe è pura crystallo, si in centum aut mille stadiorum spatia extenderetur, omnes hoc attoniti spectaremus; quid miri, si se Soli natum Anaxagoras dictitarit: si huic semel propius viso Eudoxius immori concupierit: si Orpheus & Homerus hymnis prosecuti fuerint: si omnes Philosophi & Astrologi, ac praelis, factae paginae, omnium SS. Patrum ac Doctorum linguae & calami in caelum extulerint? Plinius naturae ocellus, hunc siderum principem laudans, se quasi extra se quodam impetu effundens, ubi ceteros planetas & sidera quasi ignes minores contemplatus fuerat, attonitus exclamat: *Medius* SOL *fertur amplissimâ magnitudine ac potestate. Hic lucem rebus ministrat, aufertque tenebras. Hic reliqua sidera occultat. Hic caeli tristitiam discutit, atque etiam humani nubila animi serenat: hic suum lumen ceteris quoque sideribus foenerat.*

Plinius l. 2 cap 6.

Quidquid ridet in iride, quidquid in pavone floret, in adamante rutilat, in floribus, tabulis, peristromatis, vultibus humanis delectat, ab illo est. Illius flos & anima in radio est, quem fax solis, omnium colorum mater accendit. *Magnus Dominus qui fecit illum.*

Eccli. 43.

Hic prima est & optima quae in mortales oculos influit pulchritudo: hic est mundi oculus qui omnia lustrat, & illustrat, aeternùm pulcher, & à quo pulchra sunt omnia. Praeclarè Ambrosius: SOL OCULUS MUNDI, *jucunditas diei*, CAELI PULCHRITUDO, *naturae gratia, praestantia creaturae.* Verbo D. Dionysius: *Imago Dei.*

Amb. lib. 4. hexam. cap. 1. Dionys. l. c. c. 4. de div. nom.

At hujus luce, à qua rerum omnium claritas, nihil ferè obscurius; ita nos inaspectabilis fulgor obruit, & divinus quidam candor perstringit; ut ille olim decantavit:

Sol etiam caecat, contra si cernere pergas.

Lucret. lib 4. v. 324.

Reperti tamen sunt, qui devolutis jam tot millium annorum saeculis, & saeculorum spatiis, ausu magno, *curiosè agentes*, caelestes domos irrumpere, & dioptris nuper, telescopiis, ac tubis opticis, quasi in familiare contubernium principis fidetis admissi, detrivere figmentis majestatem, atque huic tam admirabili operi Excelsi, quod nec Plato, nec Ptolomeus, nec Aristoteles, nec Plinius, nec ullus veterum Philosophorum aut Astrologorum, unquam per umbram cogitavit, foedissimas ac spurcissimas maculas, in ipsum artificem injuriâ, aspergere non dubitârunt. Qui quàm longè à verò aberrârint, & in hoc fulgentissimo sidere contemplando, meri myopes, ac talpae caecutierint, video aures, animosque vestros arrectos, ut intelligere valeatis. Quod ubi paucis expedivero, majus opus aggredior, post tot, quibus orbis stetit, saecula, tandem repertos esse, qui ausu temerario, in candidissimam lucem, in illam quae ab aeterno ordinata, & *electa ut* SOL, in quo Altissimus posuit tabernaculum suum, in admirabile illud opus Excelsi, aciem intendere praesumpsere, & nescio quibus perversis conspicillis usi, aut nimio fulgore praestricti, quas nemo in universa Ecclesia Doctorum aut Sanctorum, per saecula saeculorum labes observavit, ipsi in Augustissima Dei Matre, maximam ac foedissimam maculam se competisse, & conspexisse, malè argutantur, & pessimè gloriantur.

1. Thessal. 3. Recentiores se maculis in sole invenisse, vanè gloriantur. Cant. 6.

* * *

§. I.

§. I.

Psal. 10. v. 15.

QUÆRETUR PECCATUM ILLIUS *per omnia sæcula.*

Eccl. 17.

Casius de Mineral. pag. 40. Caussin. de domo Dei. lib. 2. c. 8.

FRustra ac falsò clamat Ecclesiasticus: *Quid lucidius sole,* si, ut recentiores contendunt, in prima & maxima omnium face, se tenebras ingentes, maculas quæ Asiam, quæ Africam, quæ totum terræ globum magnitudine superent, se quæsivisse, & bis mille observationibus deprehendisse arbitrentur; quod nemo veterum dixit, nemo cogitavit: quibus per tot sæcula intuentibus nihil in sole apparuit, nisi purissima lux, & ab omni labe defœcatissima.

Certè fidelissimus ille cæli & siderum speculator *Tycho Brahe* ducenta aureorum millia in conficiendis instrumentis, alendisque operis (ut ajunt) insumpsit; nihil tamen de istiusmodi solis maculis commentus est: nihil *Lansbergius* Tychonis æmulus, qui se totum lynceum in illis putat; dum alii non sine injuria tanti operis & divini Artificis, non unam aut alteram, sed copiosas, quadratas, triangulares, pyramidales, omni figura diversissimas, colore nigras, ac planè fœdas maculas impingere non dubitârunt.

Ecquis enim, si humanâ manu ac mente hoc *vas admirabile,* tot tenebris obfuscatum, tot maculis deturpatum, fabricatum esset, non ut ineptum, stolidum, stupidum artificem exploderet? Quis non cum risu & sannis exclamaret? *Quid sole,* lucidissimo illo vultu, tot crassis maculis aspersο, turpius, quid fœdius, quid deformius? Quis hoc Titanum ausus? Quis non indignetur præpotentis Dei maximum & immortale simulachrum in hoc cœno volutari?

Sed demus curiosos hos siderum exploratores, quos inter Schereinus sagacissimi ingenii vir, & profundæ eruditionis, maculas manifestis apparitionibus deprehendisse; nec verò, ut scientiâ & eloquentiâ clarissimus, Nicolaus Caussinus, is sum, qui putem omnia quæ per tubos opticos, videntur, mera esse figmenta: aut qui velim tot eruditorum sensibus, tot experimentis contraire; at quis non videat multa esse quæ in rebus visu discernendis magnas pariunt umbras & fallacias; ut est agitatio oculi & spirituum: velox motus objecti: brevitas temporis quo videtur: interjectio corporum, vaporum, exhalationum continuò obervantium: immanis rei distantia: denique ipsius vitri vitium quamtumvis pellucidi, quo in tubis utuntur: clarissimè enim deprehendi microscopio (quod & quilibet experiri potest) in purissima crystallo, montes, valles, tenebras, maculas; quâ dum solem speculantur, quæ in vitro, in aëre medio ex interjectu corporum nævi, maculæ, ac tenebræ, lucem solis respectu nostri intercipiunt, malè soli inesse contendunt. Nam ut scitè & eruditè Romanus Philosophus: quæ infra solem, non turbant solem. *Solis vis, & lux integra est etiam inter opposita. Quoties inter nubila luxit, non est sereno minor.*

Seneca epist. 92.

Quare inquit Caussinus: demus maculas esse & videri, *negamus tamen esse in sole*; quæ si soli essent affixæ, tanquam nodi in arbore, seu in tabula clavi, solé perpetuo comitarentur, & in ipso hærerent suis locis immotæ: cum eo circumagerentur, & ejus circumactu redirent semper sui similes, ut patet in luna. At cum aliæ aliis succedant, numero, figura, quantitate longè diversæ, *certum est easdem intra solis substantiam non contineri.*

Hoc ipsi non negant, nec præcipuos istius phenomeni authores tam læva mens egit, ut crederent inesse corpori solari tam variam & vagam tenebrionum, quam fingunt, turbam. In vicinia solis esse dictitant, ab iis solem tangi aut infici negant. Nimis igitur præposterè se maculas in sole deprehendisse jactant, quas potiùs in æthere constituere debuerant: neque enim si ad candidissimi hominis latus consistat Æthiops, putandus est hujus ille nigredine illini, cùm formæ venustas ex contrariorum opposito magis illucescat.

Divinus ille ex Ariopago Antistes, nullas fuligines, aut minimas labeculas in fulgentissimo illo solis globo invenit; sed totum & semper splendidum depingit: *Ingens ille, &* TOTUS SPLENDIDUS, *ac* SEMPER LUCENS SOL, *imago expressa est Divinæ Bonitatis.* Quid aptius ad splendorem Mariæ, quæ ab æterno ordinata, & ELECTA UT SOL, *tota splendida,* non ex parte: *semper lucens,* non prius densis tenebris & fœdâ caligine involuta; sic illam sine nævo, sine macula, toti lyncei, & acutum videntes acie mentis divinitus illustratâ, summi Ecclesiæ Principes ac Patres, elapsis jam tot sæculis, illimis oculis conspexerunt, & peccatum non invenerunt.

S. Dionys. lib. 4. de divin. nomin.

Percunctemur eos à primis Ecclesiæ incunabulis. Præferre in hac prolixa serie cerocem posset Divus Andreas Apostolus, qui morti jam proximus, quasi extremum legatum, suam fidelibus, de Immaculatæ Virginis perpetua puritate sententiam his verbis tradidit: *Sicut primus Adam formatus fuit ex terra, antequam esset maledicta: ita secundus formatus est ex terra virginea* NUMQUAM MALEDICTA; unde sicut non maledicta, sic nec maculata: nihil hoc *sole lucidius* illi visum est.

Patres, qui elapsis tot sæculis, nullam in Maria maculam invenerunt.

Quid Jacobus Major? vel hoc titulo maximus, quod nil nisi lucem, & tenebras nullas in hoc sole invenerit, ut ipse Hispanos suos de Immaculata Virginis Conceptione docuit, ejusque discipulus Beatus Thesiphon. S. Jacobi doctrinam posteris tradidit, & ab Apostolis definitam asseruit, quorum decretum his verbis subjicit: *Illa Virgo, illa Maria, illa sancta,* PRÆSERVATA FUIT A PECCATO ORIGINALI IN PRIMO INSTANTI SUÆ CONCEPTIONIS, ET LIBERATA AB OMNI CULPA: *& qui ita non senserit* (quasi anathema sit) *non consequetur salutem æternam*; ut patet ex libris quos Thesiphon conscripsit, & Granatæ magni instar thesauri reperti sunt. Quin & aurea illic hæc D. Jacobi sententia legitur: *Mariam non tetigit primum peccatum*; tantum abest ut maculam in ea invenerit.

I. Sæcul. S. Andreas S. Iacobus Major.

Jacobus alter in celebranda & prædicanda, inte-

S. Iacobus Minor.

integerrimæ Virginis puritate, altero non minor, in sacra sua liturgia, post lectiones & preces, ita B. Mariæ opem implorat: *Commemorantes sanctissimam*, IMMACULATAM, *gloriosissimam Dominam nostram Matrem Dei, & semper Virginem Mariam.* Ac ne quis de hujus Apostoli mente addubitet, audiat eundem post consecrationem aliasque preces ita exclamantem: *Præcipuè sanctissima*, IMMACULATÆ, *super omnes benedicta, gloriosa Domina nostra Deipara*; cui chorus accinuit: *Dignum est ut te verè beatam dicamus Deiparam*, SEMPER BEATAM, ET OMNIBUS MODIS IRREPREHENSAM. O dulcis chorus! ô suavis cantus! ô cælestis melodia! *semper beata* canitur Maria; quod verè pronuntiari non posset, si aliquando in summa peccati illius miseria & macula sorduisset: neque *omnibus modis irreprehensa* extitisset.

Non minus illustria de intemerata & immaculata Virgine, D. Marci exstant encomia.

Hujus ævi, viri Apostolici, Ignatius & Dionysius, lucidissima Ecclesiæ sidera, nil hoc sole lucidius viderunt aut invenerunt; prior quidem sic in epistola ad suos scribit: *In Maria Matre* JESU, *humana natura, natura sanctitatis Angelicæ sociatur*; non postquam diabolo conjunctafuit; sed si *Deus*, (ut Augustinus de natura angelica loquens) *in eâ simul erat condens naturam, & largiens gratiam*, quid ni in Angelorum Regina, & Matre suâ eam sociârit? Dionysius cum Mariam & oculis mentis & corporis contemplatus & admiratus est, sic ad Paulum Præceptorem suum scribit: *Perspexi, atque propriis oculis* (non per tubos opticos, ac dioptra) *intuitus sum* DEIFORMEM, *atque* SUPRA OMNES CÆLICOS SPIRITUS SANCTISSIMAM *Matrem Christi Iesu Domini nostri.* Quàm verò hic sol ille fulgidus & omnis fuliginis expers apparuerit; testatur his verbis: *ductus fui ad* DEIFOREM *præsentiam altissimæ Virginis, & tantus me, atque immensus divinus splendor circumfulsit, &c. nec corpus tam felix, nec spiritus posset totius, ac tam* ÆTERNÆ FELICITATIS *insignia sustinere.* Ac deinde mox subdit: *Testor, qui aderat in Virgine Deum: tua divina præcepta non me docuissent, hanc ego verum Deum esse credidissem; quoniam nulla videri major esse posset gloria Beatorum, quàm felicitas illa.* Ultra autem Deiformis, sed potius deformis appellanda, si fœdam originis maculam contraxisset, cùm nullum in Deo peccatum, aut tenebræ sint. Nec *sanctissima supra omnes cælicos spiritus* esset, si vel primo Conceptionis instanti gratia vacua, diaboli mancipiū fuisset. Deniq; quid Mariæ perpetuâ & æternâ felicitatē depræcat, si aliquando fuit, & felix non fuit; sed atra teterrimi ac misertimi peccati nocte involuta?

Alterum sæculum plus sanguine quàm atramentu redundavit: plus martyribus, quàm scriptoribus triumphavit; hosinter, quid de Virginis integritate senserit Justinus, sui sanguinis ostro purpuratus Martyr, audite: *Verbum* animadvertit creaturam suam opus habere instauratione, & injungendas esse pœnas, quas illam per transgressionem incurrerat. Tunc descendo ad nos descendit, *& ad eam dispensationem*, UM EST SEQUESTRA VIRGINE *stirpis Davidica, sicut illi Regis promissum fuerat.* Jure appel-

lat Justinus Mariam nostræ reparationis *sequestram*: est enim sequester, de quo contentio non est, & cujus causa non agitur, quasi mediator, uti & illa inter Deum & hominem, litis omnis expers, exstitit; quo sensu Tertullianus, de Christo: *Hic* SEQUESTER *Dei, atque hominum appellatur, ex utriusque partis deposito commisso sibi*; atque ita hic sanctus Pontifex & Martyr, lucem à tenebris & maculas à sole, longè abesse ad invenit. *Tertullian lib. de Resurrect. carnis.*

Sed oculatiores fortè erunt, uti & frequentiores hujus solis speculatores. Paucos paucis percunctabor, quæ apud nostrum P. Salazar pluribus videre est. *3. Salazar.*

Ac primum quidem acutissimo ingenio Origenes compellandus est, de quo Hieronymus: *Ubi bene, nemo melius; ubi malè, nemo pejus*, hic fortè, quod alii non viderint, inveniet. Intendit aciem in hunc solem, eamque puritatem invenit, quæ unigeniti sanctitati, & puritati, soli justitiæ, dignè, & unicè responderet; sic enim ait: *Hujus itaque unigeniti Dei dicitur hæc mater Virgo* MARIA, *digna Dei*, IMMACULATA SANCTI IMMACULATI, *una unius, unica unici.* Unde cùm indignum sit, hic sibi imaginari aut speculari maculas aliquas, sic Angelum ad Joseph loquentem inducit: *Accipe eam sicut unigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut Regis cælestis sponsi* DOMUM IMMACULATAM; quam unigeniti mansionem absit, ut tartareus leno occupârit, honorabile illud templum profanârit ac deturpârit, summique Regis aulam, sat cælestis sponsi thalamum spurcitiis suis violârit, ac temerârit; nam ut idem Doctor magnificè pronuntiavit: *Beata Virgo Maria neque serpentis persuasione fuit decepta, neque ejus venenosis afflatibus infecta.* *Origenes hom. 1. in Matt. c. 1. in diversos* *Ibid.* *V. Salazar cit.* *Orig.*

In hunc solem oculos quoque, animumque defixit Divus Gregorius, Neocæsariensis Antistes, nec quidquam in eo maculæ invenit: *Conveniente enim, inquit, sanctam Mariam ex omnibus generationibus* SOLAM GRATIA ELEGIT: *nec similis ei ex omnibus generationibus ulla nunquam est reperta*; electi quidem alii ad gratiam per gratiam; sed post culpæ maculam; Mariam verò ante culpam, atque adeò *solam gratia elegit*, & selegit; unde & eandem mox vocat *Virginem solam sanctam.* At quo sensu hæc *sola sancta* prædicatur, cùm de Christo enunciet Ecclesia: *quoniam tu solus sanctus?* quia juxta D. Thomam, hic habet sanctitatem naturalem; illa autem supra omnes mortales à Deo communicatam & participatam. Atque ut noris, nihil in ea labis repetiri subdit: *Dominus noster Iesus Christus immutabiliter* EX PURA ET CASTA, ET IMPOLLUTA, *ac sancta Maria Virgine progreditur*; ut qui omnis peccati expers, ex impollutâ, sanctâ, & omni culpa immuni Virgine, carnem sumeret. Quare inquit, *& tu sanctâ, & omni humanâ creaturâ gloriosior ac purior, sanctior effecta es; ac nive quidem* (quæ, non ut lilium, antea sordida) *candidiorem habes mentem; quovis autem auro quamtumvis probato, purificatum magis corpus.* Tandem sermone 3. *missus servus incorporeus* AD VIRGINEM INVIOLATAM, ATQUE IMMACULATAM *missus est à peccato liber, ad* CORRUPTIONIS SEU LABIS *Greg. Neocæsar. ser. 1. de Annunt. B. V.* *Greg. cit.* *Ibid.* *Idem ser. 3. de Annunt. B. V.*

inex-

INEXPERTEM. Quid clarius? Non minus Virginem quàm Angelum ab originali culpa vult immunem.

Acutius fortè magnus ille Carthaginiensium Præsul speculatus fuerit. Quid vides Cypriane? Quid sentis? Luxit jam ille sol in Ecclesia propè 300. annos nihil in eo maculæ, nil tenebrarũ conspicis? *Nihil*, inquit, nam *Spiritu sancto obumbrante*, INCENDIUM ORIGINALE EXTINCTUM EST: *nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis*, COMMUNIBUS LASSARETUR *injuriis*; *quoniam* PLURIMUM À CETERIS DIFFERENS, NATURA COMMUNICABAT, NON CULPA. Vidit vas illud electum, cæterorum sordibus non inquinatum, quod à ceteris differens, naturâ tantum cum illis communicabat, *non culpâ*. Ut plura in laudem integerrimæ Virginis scripserit, nihil eò adserri potest illustrius. Mitto brevitatis causa alios à Salazar citatos.

S. Cyprian. lib. de car. din. Chri. operibus c. de nativit.

4 Sæculũ.

Sæculum quartum magnorum virorum & ingeniorum ferax, quorum *omnium vultus in calo est*, non ut Seneca, dum eclipsis est, ut defectus solis ex interpositio lunæ, aut molis terræ observent; sed ut vas illud admirabile electionis contemplentur, & admirentur, de quo D. Ephrem Syrus: IMMACULATA, *intemerata, incorrupta, & prorsus pudica*, AB OMNI SORDE ET LABE PECCATI ALIENISSIMA, *Virgo Dei ac sponsa*, *Domina nostra*. Sed hic cum ceteris supra recensitis & recensendis gravissimè halucinatus fuerit, & crassè cæcutierit, si novi optici labem in sole hoc invenerint, quam nemo tot Sanctorum Patrum ac Doctorum viderit. Quam nec Athanasius, nec Basilius magnus, nec Epiphanius, nec Gregorius Nissenus, nec Hieronymus, nec Ambrosius, Chrysostomus, aliique plurimi, qui hoc sæculo vixerunt, vel per umbram, ut ex eorum locis citatis patet, adinvenerunt; ut cum illis exclamare libeat: *Quid lucidius sole?* Et cum Ambrosio: *Quid* SPLENDIDIUS *eá, quam* SPLENDOR elegit?

Seneca lib. 7. nat. quæst. c. 1.

S. Ephrem. orat. ad Deiparam

V. Salazar

Eccl. 17.

Amb. lib. 2 de virginib. sub init.

Quid verò Doctor Doctorum Augustinus, qui ut Paulinus epist. ad Valerium loquitur, *subtilius omnibus volans, omnia reseravit*, omnia penetravit, & instar Aquilæ irretortis oculis hunc solem spectavit? Hic sic pronuntiavit, libro de natura & gratia: *Excepta itaque sancta Virgine* MARIA, *de qua, propter honorem Domini*, NULLAM PRORSUS, CUM DE PECCATIS AGITUR, HABERE VOLO QUÆSTIONEM. *Vnde enim scimus* (Vasquez vertit *inde* enim scimus) *quod ei plus gratia collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, qua concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Hic magnus Pater cum *de peccatis*, hoc est, de maculis hujus solis *agitur, nullam habere vult quæstionem*, quæ acerrima contra tot Patres & Doctores, Basilium Cyrillum, Theodoretum, Eusebium, Leonem, Chrysologum, Augustino coævos, postea habita est.

5. Sæculũ.

Aug. lib. de nat. & gratia c. 36.

Mitto, ne fastidio sim, plures consequentium sæculorum Patres ac Doctores recensere, qui ut lucernæ ardentes luxerunt in domo Domini; sed eas, supervacaneũ est, in meridie proferre; cùm omnes una voce proclament: *Tota pulchra es*, ET MACULA NON EST IN TE: quis enim in igne frigus, in calcaria carbones, in columba fel, in nive sordes, in luce tenebras, in sole maculas inveniet? Nemo quisquam sæculis mille & annis trecentis.

V. Salazar cit.

Cant. 4.

Donec tandem speculatores reperti, qui videre sibi visi sunt, quæ non sunt. Libuit illis, & licuit solem speculari: nam ut inquit sapienter Sapiens: *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre* SOLEM; at lippientibus & ægris, ac perspicilliis egentibus lux maximè invisa, ut rectè Augustinus: *Palato non sano, pœna est panis, qui sano est suavis*; & OCULIS ÆGRIS ODIOSA EST LUX, *qua puris est amabilis.*

Eccl. cap. 11. v. 7.

Aug. lib. Confess. cap. 16.

Hi tamen vel nimiâ luce præstricti, vel perversis usi dioptris, in Virgine Matre quæ *electa ut sol*, & in quo altissimus *posuit tabernaculum suum*, putissimas peccati maculas, quibus vix majores orcus eructare poterat, se invenisse vanè jactitant & insanè gloriantur; quo ubertimum hunc fructum retulerunt, ut omnium Theologorum ingenia, Academiarum pulpita, Pontificum oracula, totius populi vox & vota conspirarint, ut absconditum hactenus *Immaculata Conceptionis* mysterium de tenebris splendesceret, & veritas elucesceret; quod amabili Dei providentiâ in hæc tempora dilatum, ipsamet sanctissima Virgo Divæ Birgittæ declaravit: *Scito*, inquit, *quod* CONCEPTIO MEA *non omnibus nota fuit: quia placuit Deo, quod amici sui piè dubitarent de* CONCEPTIONE MEA, *ut quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret in tempore destinato*; ut dum inter Catholicos Doctores de immunitate *Maria* ultrò citròque religiosa æmulatione concertaretur, non modò planum fieret *Mariam* immaculatè conceptam, sed etiam hujus immunitatis excellentiam & Regum sceptra, & Pontificum decreta tuerentur: & tot Scriptorum calami, tot Oratorum ora in omnem terram diffunderent, atque Ecclesiæ universæ pietas & cultus testaretur; quæ numquam, nisi hæc disceptatio suborta fuisset, adeò eluxissent; sic enim sapientissimus mortalium: *In certamine loquela illius sapientia*; quod illustrans Cassianus ait: *Semper veritas ventilata, plus rutilat.* Eodem sensu summus Pontifex Joannes XXII. in cap. *quia numquam*, de verborum significatione: *Argumentis frequenter, & collationibus, latens veritas aperitur*; quæ sententia pervenuste à Severino Boëtio illustratur, dum adstruit, esse operæ pretium, rationes invicem inter se collidere, quod ex eorum conflictatione (quasi silicum) *pulchra quadam veritatis scintilla* absistat. Aliam non minus aptam similitudinem inducit Origenes: ex vivis & animatis nubibus, collisione sermonis & altercationis, haud aliter illucescere veritatis claritatem, *quàm è concussis nubibus rutilent fulgura.* Sic in dies videre est, ut qui distortam arborem, in alteram partem violenter detorquet, ad debitam rectitudinem reducat.

De los Rios Hierar. mariana. p. 516 v. Spinam. apud Raynaud. tom. 7 pag. 152. & tom. 8. pag. 326

Lib. 6. Revel. c. 55

Veritas & celebritas Immacul. Conceptionis dū oppugnatur, magis declaratur.

Sapient. 8 v. 12.

Cassian. lib. 1. Incarn cap. 6.

Boet. lib. 3.

Origen. hom. 5. in Ierem.

Verissimum illud Aristotelis pronuntiatum: *Multa sunt, qua contradictione firmantur.* Ita usu & experientiâ compertum est, scientiam Philosophicam, aliasque artes ardore & æmulatione patrium, inter se de erudienda veritate contendentium, maximè illustratas ac confir-

Arist. lib. 2. de anima c. 4 text. 45.

matas fuisse, ut docet Themistius oratione ad Imperatorem Valentinianum, ubi sic differit: "artes quidem quarum magnus in vita usus & "delectatio est, numquam ad tantam sublimi- "tatem & elegantiam pervenissent, *nisi artifi- "cum inter ipsos discrepantia judiciorum, & certa- "men quoddam extitisset.* Quippe ipsa Philoso- "phia, mater omnium laudatarum artium, "ab exiguis orta principiis, *nonne Doctissimorum "hominum dissensione ita crevit*, ut ad ejus absolu- tionem (seu perfectionem) nihil desiderari videatur; quod in abstrusis Theologiæ quæstionibus, & reconditis fidei mysteriis magis locum habet: hanc etenim sanctus Augustinus de obscuritate Scripturæ, & Divus Prosper, de occultiore Dei ordinatione, rationem reddit: *Vt interpositis quibusdam inumbrationibus* (& obscuritatibus) EA QUÆ SECRETIUS MICANT, MIRABILIUS INNOTESCANT; *ne negligentior fiat acies de facilitate cernendi, & quodammodo dormitet assuetus, si non excitetur insolitis*; & partium altercationibus, ad veritatem erudiendam; & in lucem producendam.

...st. ... per ... de ... em. ... 3.

Id in mysterio Resurrectionis Christi eluxit, cui Divus Thomas Apostolus, plus lucis, dubitando & altercando deeo contulit, quàm si cum ceteris Apostolis in luce fidei non caligasset: sic enim factum, ut de tenebris Thomæ, divina lux in cordibus fidelium clarius splenduerit, & veritas ventilata, plus radiârit; hæc Magni Gregorii doctrina est: *Plus*, inquit, *nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens, omni dubitatione postposita,* IN FIDE SOLIDATUR.

...reg. ...26. ...vang.

Ita alter Divus Thomas, de arcano Immaculatæ Conceptionis mysterio dubitando, & disputando: imò etiam, ut quidam asseclæ ejus volunt, illud negando, plus ad piam opinionem, & venerationem in fidelium cordibus solidandam contulit, quàm omnium Patrum ac Doctorum elapsis ante tot sæculis, omni dubitatione posthabitâ, sententia profuit. Etsi Angelicum Thomam pro immaculata Virginis Conceptione stare, manifestò aliàs ex authenticis ejus scriptis demonstrârim.

...pone ...ap. 10. ...1 a 4. ...nf. 2.

Pan... ...on festo ...macul. ...ncep B. ...rg § 2. ...nd. §. 1.

Quare contra eos dumtaxat ago, qui ex apocryphis, & corruptis ejus chartis (quod claris testimoniis convici) tubos sibi opticos conflarunt, ut maculas solis quærerent; quas dum se invenisse, magnâ animi contentione, & vasto oris hiatu jactitarent, easque tam fœdas ac spurcas, ut mox dicemus, purissimæ Dei Matri impingere non verentur, omnium in se fidelium animos concitârunt; invidiam conflarunt, linguas acuerunt, calamos armarunt, ad has gravissimas *in Mariam* confictas injurias & maculas dissipandas, ejusque immunitatis ac integritatis prærogativas etiam sanguine propugnandas, & propagandas.

Ut autem zelus vester ad Immaculatæ Virginis honorem tuendum magis exardescat, quàm horrendum, immane, informe monstrum, originale illud peccatum sit, fœdis, quàm maximè potero, hoc est, vivis & veris coloribus adumbrabo.

Doctor Angelicus Thomas Aquinas, terrificam multorum capitum belluam, teterrimam omnium scelerum hydram sic depingit: *Peccatum originale est multiplex virtute* (hoc est virtualiter omnia peccata continet) *quia in peccato primi parentis fuerunt plures deformitates, scilicet superbia, inobedientia, gula, &c.* Adeò ut numquam perniciosior lues, aut tetrius monstrum, orco caput suum extulerit: nam si formam spectes, tantæ est fœditatis: si naturam, tantæ perversitatis: si genium & ingenium, tantæ crudelitatis, ut dubium non sit, quin cacodæmonum singuli suum symbolum contulerint, quo effingerent monstrum omnibus inferni spectris horribilius; quod non aliâ intentione in auras hasce vitales protruserunt, quàm ut fœtidissimo, quem exhalabat, supra omnem cerberum, halitu, mundum universum contaminaret, atque excubans ad vitæ nostræ limina, prius nobis venenum infunderet, quàm vitalem spiritum haurire liceret. Quis autem sine horrore, & horripilatione audiat hanc tam immanem hydram, tam infame monstrum Dei Matrem *constuprasse usque ad verticem?* Gratior auribus nostris insonuit vox illa S. Dionysii Alexandriæ Episcopi: Christum, MATREM INCORRUPTAM *à pedibus usque ad caput benedictam servasse*; id est, Matrem suam à primo vitæ momento, ad extremum usque spiritum, puram prorsus, & ab omni labe liberam esse voluisse; ut unquam tam execranda pestiferi mali prædicata: Mariam, Dei matrem, gratiâ vacuam, maledictam inter mulieres, inimicam Numini, mancipium diaboli extitisse, aliquando exprobrari posset; quæ ne Turca quidem æquis auribus audire sustinuit; sed ut blasphemas voces animo efferato execratus est.

Fœditas & deformitas peccati Originalis.

S. Thom. 1. 2. qu. 28. art. 2. ad 1.

De los Rios cit. p. 516.

Ierem. 2. v. 16.

S. Dionys. Alex. epist. contra Paulum Samosatenum.

Sententia quæ adstruit Deiparã cum macula originali conceptam, ipsis Turcis & Barbaris scandalo est.

Historiam, de qua aliàs memini, apud Jacobum Perez de Valentia, enucleatiùs descriptam, ejus verbis referam, ne quid affinxisse aut appinxisse videar. Hic itaque pro nitore & puritate Conceptionis Deiparæ decertans: magnum, inquit, scandalum tam auribus fidelium, quàm infidelium adfert, dicere Matrem Dei aliquando fuisse in odio & ira Dei, & in servitute & captivitate diaboli. Unde anno Domini 1322. sedente Joanne XXII. Pont. Avenione in Galliis, ad partes nostras venit, filius Soldani Armeniæ, græcè & latinè peritus, qui summo honore, pontificali in curia exceptus, quotidie sacris ritibus ac solennitatibus, quibus mirè capiebatur, intererat: jamque catechumenus & Religionis nostræ candidatus, accidit ut luce hâc festivâ Conceptionis Virginis Mariæ, oratorem audierit, multis & scripturis & figuris probare conantem, Dei Matrem cum cetero mortalium grege, originalis peccati maculam contraxisse.

Iacobus Perez de Valent ad v 3 magnificat. Pelbartus. Raynaud. tom. 7. pag. 143. & tom 8. pag. 265.

Ad quæ ille in tantum scandalizatus, ut surrexerit è loco, & cum magno fremitu ac furore dixerit: apage tetrum spurciloquium! Si in conspectu Califæ, aut Soldani Ægypti, aut in conspectu aliorum Saracenorum quis talia dixisset, nullo pacto evadere potuisset, quin ab omnibus lapidaretur, etsi Primas regni foret. Imò si quis talia de matre Mahumeti inter nos effutire auderet, vivicombustio piaret. Itaque vale Christianitas: nihil mihi & baptismo: nihil

mihi & Religioni, in qua Dei Mater impura & turpis audit. Dixit, & obfirmatè à sacris nostris resiliens, taliter scandalizatus in regionem suam reversus est. Hunc fructum è sacro suggesto Orator ille minimè sobrius retulit, edoctus aliam effundendæ pectoris purulentiæ sedem quærere.

Eadem de initiali puritate Deiparæ sententia insedit alteri Saraceno; Regis cujusdam transmarini filio, ac Soldani nepoti; quem Joannes de Capistrano, testis omni exceptione major, Romæ apud Cardinalem Prænestinum, contra inquinationem Conceptionis B. Mariæ fortissimè agentem inducit. Turcas, Persas, Arabes, Mauros, Tartaros, in suis Alcoranis diserrè affirmare, B. Virginem (quippe futuram Dei matrem) absque originalis peccati macula fuisse conceptam, Feuardentius notavit.

Ioan. Capistranus serm. de Concept.

Feuardent lib. 10. Theomach Calvin. cap. 2.

Hausere illi hunc pium sensum è suo Mahumete, qui conceptis verbis asseruit, *mortales omnes, quotquot sunt, fuerunt, & erunt, venenato satanæ telo configi,* PRÆTER MESSIAM CHRISTUM, ET MATREM EIUS. Nec desunt qui scribant in codice legis Mahumeticæ, hæc legi exarata: *Mater JESU est anima legis, quia tantum Prophetam portavit in utero. Ideo si quis diceret in ea fuisse peccatum, evelli debent ei illico dentes secundùm legem.*

Bern. de Bust ser. 5. de Concept. part. 2.

Quid nimium cohorrescere Christianum ad ferales adeò injurias, & fœdissimas maculas Christi Matri affixas, quas ne Saraceni quidem in ea tolerarunt, non auctoritate sacra, non revelationibus, non miraculis, sed indignitate rei permoti; quod dedecuerit Christum tale monstrum in solio suo tolerare, ut primò esset sedes satanæ, & cathedra pestilentiæ, cùm posset arcere, & omninò congrueret, ut arceret; atque hæc est illa inevitabilis ratio quam Scholastici adducunt, & inter eos Dionysius Richelius: quidquid Deus potuit & voluit, factum sit, necesse est: quis enim potentem & volentem cohibebit? At potuisse Deum, B. Virginem ab æterno in matrem electam in infusione animæ servare illimem, nemo jure dubitarit; voluisse quoque Deum, hanc turpissimam notam ab illa dimovere, ne probrum matris aliquatenus in filium redundaret, perspicuum videtur.

Richel. in 3. d. 1. q. 1 sub finem.

Vetabat Magnus Gregorius, ne Castorius Ariminensis Antistes, sacellum quoddam ritu Christiano inauguraret, si priùs in eo cadaver, demortui hominis jacuisset; dedecere ratus in loco Christiana consecratione sanctificando, morticinum fuisse tumulatum. Et non existimabimus abhorrere maximè à Christi sanctitate, ut ejus ad nos venientis locus primus, mortalis peccati (quale originale est) teterrimâ contaminatione sorduerit?

S. Greg. l. 6. epist. 9.

Bene de te, (*ô pulcherrima mulierum*) olim Prophetæ vaticinati sunt: SOLIUM *altitudinis gloria à principio, locus sanctificationis nostra.* Benè Princeps Varum: *In me sit Domine Rex hac iniquitas, & in domum Patris mei; Rex autem &* THRONUS EIUS SIT INNOCENS: Benè Isaias: præparabitur in *misericordia solium Agno dominatori terra, & sedebit super illud.* Benè & optimè sancti Patres hæc de Dei Matre interpretati sunt, è quibus, ut more meo, brevitati studeam, Divus Damascenus de dormitione Virginis: *Tues* SOLIUM *illud Regium, cui astiterunt Angeli, Dominum & effectorem, in eo considentem videntes.*

Cant. 5. 9. Ierem 17. 2. Reg. 14.

Damascen orat. 2. de dormit. Virg.

Doctor Seraphicus, alludens ad illud: *Seraphim stabant super illud,* sic de intemerata Virgine exclamat: *O verè beatissimum! ô verè stabilissimum solium! Hoc solium excelsum est intellectu, elevatum in affectu: excelsum est gratia, elevatum in gloria. In solio mentis Maria Dominus sedet, & domus corporis Maria, plena erat majestate ejus.*

Isa. 6. v. 2.

S. Bonav. in speculo

Sed quàm male de te, ô purissima Virgo, augurati, & pessimè interpretati sunt, qui hoc solium, hunc thronum, priusquam filius Altissimi, Rex gloriæ intraret, volunt iis sordibus à dæmone conspurcatum, & supra omnem camerinam & latrinam, supra ipsum, quo nihil fœdius fingi potuit, *Augia stabulum*, ter mille boum per annos plures, fimo oppletum, longè detestabilius extiterit; atque ita Christus introitus terræ nostræ possessionem, injecto (ut impii ferunt) pede, infixus sit in limo profundi, & sederit in solio satanæ, quod numquam per omnem potentiam expurgare poterat, non relicto fœtore, quem contraxerat.

Ovid lib. 6. metam. Pontan. ibid.

Denique abominanda originalis noxæ fœditas, Dei Matri temerè & injuriosè impacta, tanta in eam injuria est, ut minus honori ejus derogarunt, qui illam in Deiparam Virginem esse negarunt (ex conjugata enim concipi poterat) quales Ebionem, Cherintum, Jovinianum, Helvidium extitisse novimus, de quibus triumphans Ecclesia per orbem insonat: *Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem* quod & symbolo insertum: *natus ex Maria Virgine.*

Dispensa tom. 1. in sapien. c. 1. n. 4 digress. 2. §. 3.

Plus dico, Virginem Mariam non tanto honore condecoratam, quando in Dei Matrem, qua nulla dignitas aut excellentia major conferri potest; quantum spurcissimi dedecoris per originalem maculam ei illata fuisset. Quâ verò animositate, exorta per Nestorium voce *Theotocos* controversia, totus orbis terrarum pro maternitate pugnârit, quanta omnium Patrum, universique populi acclamatione & gratulatione, hæc victoria de Nestorio in facie Ecclesiarum undique divulgata sit, sanctus Cyrillus Alexandrinus testis ocularius, epist. 34. ad Alexandrum de rebus in Synodo Ephesina gestis, sic refert: *Perduravit autem universus civitatis populus à mane usque ad vesperam, sancta synodi judicium expectans; ut autem audierunt infelicem illum* (Nestorium) *esse depositum, cœperunt omnes unâ voce sanctam prædicare synodum, & Deum glorificare, quod cecidisset fidei inimicus. Egredientes verò nos ab Ecclesia deduxerunt cum lampadibus usque ad diversorium nostrum (erat enim jam vespera) & facta est multa lætitia, & luminaria in civitate posita: ita ut mulieres quoque adolentes thymiamata cum thuribulis nos præcederent.* Ex quibus patet; quàm ingens Mariæ gloria & splendor ab interpositis à Nestorio inumbrationibus accesserit: & quàm pulchra, ab ejusmodi conflictatione, veritatis scintilla, imò verò ardentissima flamma prosi-

Velasquez de immac. Concept. l. 5. dissert. 2 p. 405. Cyrill. Alexan epist 34 ad Alexandrū V. Baronium anno Chr. 431.

prosilierit. Nec dixeris minori congratulatione & festivitate, Immaculatam Virginis Conceptionem, publico omnium cultui expositã, & ut Dei matrẽ decet, fœdissimâ hâc labe liberam, liberè omnium linguis prædicari posse, eoque plausu & totius populi lætitiâ hanc piam sententiam exceptam fuisse, ut eo die quo cursor Regius Pontificium Diploma Sixti IV. Madritum detulit, *nova lux oriri visa: gaudium, honor, & tripudium, apud omnes populos urbes atque Provincias, quocumque Pontificis jussa veniebant*, quibus obstructum est os, asserentibus Estherem nostram ab infami Amano, qui *spiritus impuri supplementum* dicitur, oppressam fuisse. Hæc faustissima nova Deus etiam insigni miraculo comprobare voluit: nam lampas nocturnis dumtaxat horis coram Deiparæ imagine immaculatè conceptæ accendi solita, medio foro clarâ die, eo ipso quo Cursor appulit momento, spontè ardere cœpit, omnibus stupore defixis: consumptoque oleo perexiguo quod à præterita nocte supererat, aquâ pabulum flammæ subministrante; cujus prodigii testes, idem Auctor proferr innumeros propè mortales, qui in urbe popolosissima ad hoc spectaculum confluxerant.

Bourghesius Societ. Iesu Maria sacra. c. 21. Raynaud. to 8 p 323. Esther. c. 8 v. 16. Greg Naz. orat. 1.

Pontificium diploma miraculo confirmatur.

Hoc tamen hic monitos velim, dum fœditatem maculæ originalis talem depinxi, ut ejus immunitas, & nitor animæ primævus majus bonũ sit, quàm intemerata corporis virginitas, vel omnia charismata gratis data, vel etiam quam maternitas Dei, quo nihil majus aut excellentius creaturæ conferri potest, ut scitè & eruditè Suarez; eosqui ante Pontificum decreta & amica silentia indicta, illam controversiam ventilarunt & exagitârunt, non modò censurâ aliquâ perstringendos, quasi Dei Matris pretiosissimum monilé auferre voluissent, dum Rosario suo pueri Jesu collo injecto, amore Matris eblandiuntur; sed memoriâ æternâ celebrandos quod altercatione & discussione veritatis, eò rem promoverint, ut *mira omnium Ordinum* ac potissimum Seraphici, coryphæo S. Bonaventura, & gloriosissimo propugnatore & triumphatore, subtili Doctore Scoto, ac minimæ Societatis nostræ, *exultatio, & festus dies*, & officium, & celebritas per omnes Ecclesias exorta sit: *intantum ut plures* (imò omnes) alterius opinionis, huic *religionibus & ceremoniis* immaculatæ semper Virginis *jungerentur*. Junxit & se celeberrimus & pulcherrimus Ordo PP. Prædicatorum, Filiorũ Mariæ, ut patet ex manuali Patrum Dominicanorum Hispali, anno 1524. impresso, in quo illud planè illustre in laudem purissimæ Virginis exstat edictum: *quia Ordo* PRÆDICATORUM *solitus est semper Sanctorum doctrinæ adhærere, sustinuit huc usque opinionem, quod B. Virgo fuit concepta in originali; sed jam de hoc non est curandum, cùm sit materia nullius utilitatis, &* VALDE SCANDALOSA: *præsertim cum tota ferè Ecclesia (cujus usus & auctoritas secundùm B. Thomam 2. 2. quæst. 10. art. 12. prævaleat dictis Hieronymi & cujuscumque Doctoris)* JAM ASSERAT, QUOD SIT PRÆSERVATA. Meminere hujus Statuti, quotquot hac de re agũt, præsertim PP. Hispalẽses nostræ Societ. Pineda, Granado, Petrus de Ojeda. Rmus. Joannes Serranus Episcopus Azernensis, qui addit sub P. Hieronymo Xavierre totius Ordinis Generali Anno 1602. simile statutum pro toto Ordine Dominicano ordinatum fuisse, quod sic habet: *strictè prohibemus, ne quis audeat in publico prædicare, vel docere, quod B. Virgo fuit concepta in originali, propter scandalum fidelium.* Ejusdem Ordinis eximius ille vitæ sanctitate & doctrinâ insignis Magister Vincentius Justinianus Antistes venerandus, in additionibus ad historiam B. Ludovici Beltrani cap. 3. §. 14. sic suos salubriter commonet, ut conceptam opinionem deponant: "siquidem jam in Hispania, & in Indiis, & in Gallia, & penè in tota Europa, contra piam opinionem aut scribere, aut docere, aut concionari velle, nihil aliud fuerit, quàm malè canere, & in malo cantu durare, atque eos imitari, qui per montis clivum molarem lapidem deferre contendunt, & occasionem dare ut ipsis illud ex Terentio occinatur: *frustra niti, & laborando nihil aliud, quàm odium quærere, extrema dementia est.* Nimirum qui huic opinioni operam navant, & aliis persuadere volunt, numquam voti compotes evadent, & omnibus modò fastidio sunt. Magnæ prudentiæ fuerit, eam jam opinionem omninò deserere, *quemadmodum ii, qui collabentem jam jam domum vident* quod Plinius de muribus scribit) *matura fuga ab ipsa se subducunt*. Talis quippe est opinio non pia, ut hodie vix inveniatur, qui eam sustentare nisi invitus velit. Jam illi desunt cathedræ, suggesta, confessionalia, & libri typis excusi. Jam Regum diademata, jam Episcoporum mitræ, jam Cardinalium galeri, jam Pontificum tiaræ, & ipsamet Concilia, quando œcumenicum, & sacrosanctum Concilium Tridentinum omninò protestatum est: *non esse suæ intentionis, non fuisse, in decreto de peccato originali*, DEIPARAM *comprehendere*, Atque ita.

Suarez. t. 2. 3. p. disp. 1. sect. 2.

V. Raynaud to. 8 pag 366. & 368. Esther. cap 8. v 17. Ibid.

Ordo PP. Prædicatorum, accedit ad sententiã immaculatæ Concept.

V. Velasquez. de immacul. Concept. pag 368.

Idem pag. 250. & 267.

Plinius l. 10 c 41.

Conticuere omnes, intentique ora tenentes.

Virgil. lib. 2. Æneid.

Sacro & sonoro suo silentio firmissimum illud Psaltis Regii contestati sunt: *quæretur peccatum illius, & non invenietur*: ex quo litteratissimus Auctor Aloysius Novarinus rectè deducit, contrariæ sententiæ quasi brevi morituræ, vocem deficere: *jam*, inquit, *ad ea tempora devenimus, in quibus opinioni, quæ originale peccatum in Virgine agnoscit, silentium judictum à summo Pontifice, ut jam jam morituram tomiti possit.*

Psal. 10. v. 15.

Novarin. umbra virginea. excur. 17. n 202.

Quàm autem temerarium & periculosum sit nondum obmutescere, sed adhuc obmutire, tragico tradit eventu, quod contrariæ sententiæ *sectatoribus, mortis occasio fuerit*. Unde illud celebre quod Cracoviæ accidit, in hujus rei testationem adducit: ibi enim cùm Doctor quidam nomine Paulus, prædicare contra immaculatam Virginis Conceptionem cœpisset, nondum finito sermone, cecidit, & expiravit, ut testatur Henricus de Hassia, aliique.

Ibid. Vide Raynaud to 7 pag. 139 & tom 8 pag 321.

Tum subdit: *contra, ad vitam alta opinio est, cui vox adempta non est: numquam interibit, semper*

per magis, magisque in omnium mentibus vivisset.

Cùm vox adempta non sit, ut magis, magisque immaculatæ Virginis dignitas & celebritas in omnium mentibus vivificet, & reviviscat, clamemus omnes unâ voce sine fine dicentes:

§. II.

TOTA PULCHRA ES AMICA MEA, ET MACULA NON EST IN TE: Cant. 4.

Hugo à S. Victore ser. de Assump. Virg. AUdio Verbum Patris, speciosum præ filiis hominum sic Virginem alloquentem *ego totus pulcher, & tu tota pulchra: ego per naturam, & tu per gratiam: Ego totus pulcher, quia totum quod pulchrum est, in me est, tu tota pulchra, quia nihil, quod turpe est, in te est*, quibus Hugo omnem omninò maculam, aut nævum, à Mariæ pulchritudine removet, ut inde tota pulchra per gratiam, sicut filius totus pulcher per naturam extitisse cognoscatur: nam ut rectè Antistes ille *Dionys. Areop. lib. de divin. Nom. c. 4.* Areopagita: *pulchrum appellatur ex eo, quod omni ex parte pulchrum sit, & plusquam pulchrum, & quo eodem modo semper se habet, ita ut non oriatur, nec intereat, nec minuatur: neque partim pulchrum, partim turpe sit: neque hoc tempore pulchrum sit, illo non item*; unde quod semel aliqua labe aspersum fuit, juxta Dionysium, omnino pulchrum non est; uti non omni infamiæ notâ immunis spurius, etsi primo quo in utero conceptus, aut natus momento, legitimetur.

Jacobi 1. v. 17. Ansbert. Huc spectat illa D. Ansberti in epist. Jacobi expositio: *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, dum hisce verbis Mariam salutat: *tota pulchra es, & macula non est in te, nec vicissitudinis obumbratio*; ut nullo unquam temporis instanti, ab umbra ad lucem, à luce ad tenebras, mutatione ex alio ad aliud, transierit. Confirmat idipsum collactaneus Christi Bernardus, serm. in illud: *signum magnum*, de Virgine agens: *Bern. serm. in illud: signum magn.* *cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea* NON DICO TENEBROSUM, SED NE OBSCURUM SALTEM, *vel minus tenebrosum aliquid liceat suspicari*. Si nequid in hoc Sole *tenebrosum, vel obscurum* aliquando latuisse, *suspicari* fas sit, temerè profectò egerint, qui in eo maculas crassissimas se speculari commenti sunt, quas postea in aëreaut proprio cerebro enatas umbras, nil Soli officere deprehenderunt.

Morale. Hoc tibi solatio sit, quisquis es, in toga, in sago, in curia, in claustro.

Horat. lib. 1. Sat. 3. *Integer vitæ, scelerisque purus.*

Quem invido oculo lippus observat, & in aliorum *vitiis tam cernit acutum*, umbras & maculas quas tibi affingunt & impingunt, non magis obscurare splendorem nominis & virtutis tuæ, quàm nubila Solem, qui his supra, semper serenus est. Placuit hic conceptus Petro Aloysio *Silvest. Petra sancta, symbola heroica* Carafæ, Episcopo Tricaricensi, ac sedis Apostolicæ Legato, hoc symbolo expressus: per specillum, seu tubum opticum solem speculanti, ex nube vel corpore interjecto, maculæ apparent, Sol verò fons luminis, cùm nihil in se *lib. 1. pag. 23* obscurum aut tenebrosum habeat, si loqui posset, diceret, conscius suæ pulchritudinis: *non ideo maculor.*

Haud aliter, maxima quæ in Ecclesia fulserunt lumina, ex omnibus calumniis, injuriis, opprobriis, quæ illis malignè afflicta, ne minimam maculam incurrerunt; sed potentius, quasi per antiperistasim, fervorem suum: & quasi per obstantia, illustrius splendorem suum latè diffuderunt. Et tu vir probus, & æquus, si à politicis hujus mundi, & iniquis judicibus, quibus venalia jura, fortassè hypocryta, si stoicus, si simplex audias; hoc tibi solatio sit: *non ideo maculor.*

Tu adolescens pietati & honestati vacans, si pravis sociis irrisui & ludibrio sis, quod diversoria, noxia contubernia devites, virtute tuâ te involvens, hoc illis gloriosè occlamare poteris: *non ideo maculor.*

Tu filia, quæ mundo spreto, vili lacernula induta, inter parietes domesticos clausa, humilitati, pietati, austeritati, vitæ cælesti te totam immaculatam à teneris consecrasti, si à parentibus, sororibus, propinquis, petulantibus procis, pro stulta & fatua exsibileris, solatio tibi sit illud: *non ideo maculor.*

Non melior tu Sponso tuo, Sole justitiæ, de *Psal. 63. 7* quo purpuratus Vates: *scrutati sunt iniquitates.* *Hugo Car.* Hugo Cardinalis hîc: *scrutati sunt iniquitates, sibi aliquid invenirent, quod possent obiicere.* Sed statim subdit Propheta: *defecerunt scrutantes scrutinio*; id est, inquit idem Hugo: *licet diligenter scrutarentur*, mores, verba, vitam observarent Christi: licet famam obscurare, & linguis suis *immaculatum* configere conarentur, *fraudati sunt ab intentione sua.* Quæ Doctor Hipponensis solerter, ut solet, illustrat, de Christo exponēs: *Aug. in psal. 63. 7* *qui ne tantùm habebat macula, quantùm potest pungi à sagitta* AGNUS, *quippe immaculatus*, TOTUS IMMACULATUS, SEMPER IMMACULATUS, *qui maculas nullas contraxerit.* Unde subdit: *mentita est iniquitas sibi, defecerunt scrutantes scrutationes. Defecerunt a luce Dei; defecerunt in ipso effectu consiliorum suorum.* Interim quas non blasphemas maculas huic immaculato Agno, divino isti justitiæ Soli impegerunt? dum seductorem populi, vinolentum, malefactorem, energumenum, dæmonum Archistrategum, qui in Beelzebub principe dæmoniorum ejiceret dæmonia, compellare non veriti sunt; atque inter hæc omnia, verissimè & æquissimè jactare poterat: *non ideo maculor.*

Quæ si à pulchro ad pulchram, à semper immaculato ad semper, & totam immaculatam transferre velimus, comperiemus omnes, qui *scrutati sunt iniquitates*, defecisse in ipso effectu consiliorum suorum, & fraudatos ab intentione sua. *Quæretur peccatum illius, & non invenietur*: quia tota pulchra es: ô Maria, & macula non est in te; ubi sapientissimus Idiota, *Psal. Idiot. cont. Mariæ.* cum hæc canticorum verba in omnem partem versasset, inter alia inquit: *Tota pulchra Virgo gloriosissima, non in parte sed in toto, & macula peccati mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te, nec unquam fuit, nec erit*; nam si fuit in ea aliquan-

quando macula, fuit tempus quo verum non erat dicere: *tota pulchra*; qualem eam ante quingentos annos pulcherrimis coloribus depinxit Hugo de sancto Victore: *O qualis societas! totus pulcher totam pulchram sibi sociat. Pulchra in corpore, pulchra in mente. Tota ergò pulchra es corpore, nivea mente. Tota pulchra es: nihil enim in te pulchritudo reliquit, quod non possideat: totum decor obtinet: formositas tenet, regit honestas: nec alia Mater talem decebat Filium, nec alius Filius talis inveniri poterat Matri. O digna digni, formosa pulchri, munda incorrupti?* Et alibi: *totum quod in te est, pulchrum est, & nihil inest tibi, quod sit sordidum: in toto grata, in nullo ingrata: in toto places, in nullo displices.*

Hugo de S. Victore ser. de Assump Virg.

Serm 9 de instit. monastica.

Nec minùs disertè Richardus à sancto Laurentio. lib. 10. de laudibus Virginis Mariæ, ubi dum eam composuisset cum throno illo, quem *fecit sibi Salomon de ebore grandem*, atque in ebore nativam munditiam observasset, illam Mariæ adaptans, ait: *In nullo alio invenit sibi thronum mundum, quia de ipsa sola dici potest: tota pulchra es amica mea & macula non est in te.*

3. Reg. 10 v. 18.

Rich. à S. Laur. lib. 10.

Sed omnium disertissimè & solertissimè Divus Anselmus: *decens*, inquit *erat, ut eâ puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris & Virginis Filius: & quam ipse Filius facere sibi Matrem eligebat, & de qua Spiritus sanctus volebat, & operaturus erat, ut conciperetur, & nasceretur ille de quo procedebat.* Ac potuisset certè sub Deo intelligi major puritas, si Virgo fœdissima peccati originalis labe sorduisset. Imò teipsâ Angeli, & protoplasti, majorem obtinuissent puritatem, quàm ipsa Mater Dei.

S. Anselm' ep st. ad Coepiscopos Anglos & lib. de Concept. Immac. in editione ultim. opusc. part. 2 & lib de concept. Virg cap. 18.

Verùm enimverò post tot tam illustria, & innumera quæ prætereo, sanctorum Patrum de immaculata Virgine testimonia, quis credat, quis ferat repertos esse, qui hanc immaculatam & totam pulchram, ut teterrimum monstrum, & mancipium diaboli deturpare ausi sint, eos etiam hæreseos insimulantes, qui de Dei Matre piè & purè sentirent. In hos acerrimos adversarios, quos apud Velasquem videre est, & quid passi sint, nihil mihi aptius occurrit quàm illud sancti Anselmi in clausula lib. de Conceptione: *de Domina nostra*, inquit, *quam in tantum culmen prædestinavit, & extulit divina potentia, quam tot prærogativis dotavit; quam sibi Matrem elegit ad mundo subveniendum, ipsa omnium salvandorum ineffabilis Dei misericordia;* DICERE MORTE VACCATI, *quæ per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum, in suo* CONCEPTU AGGRAVARI, ANIMUS EVITAT, INTENTIO ABHORRET, LINGUA FATERI NON AUDET.

V. Raynaud tom. 8 pag. 326 327. Velasquez de immac Conceptione Virg. l. 3 dissert. 1. ad not. 4. n. 3 4. 5.

Quamquam animus meminisse horret; tamen ad immunitatem Virginis tuendam, unum è pluribus confictis miraculis, hic adseram, quod in officio Conceptionis Immaculatæ, concinnato à Bernardino de Bustis, & per Sixtum IV. approbato habetur, de nebulone qui ex pacto cum socio, finxit se defunctum, & in feretro collocatus est, ut ad vocem socii resurgeret; *testaturus eo miraculo Beatæ Virginis Conceptionem fuisse maculatam.* Justo autem Dei judicio, ad socii inclamationem, ut in confirmationem conceptæ in peccato Virginis surgeret, qui mortuum se simulaverat, mortuus reipsa est, ut contrariam illi falsitati veritatem suâ morte comprobaret in actu exercito. Quod miraculum simile illi, quod habetur in vita Calvini de Bruleo se fingente mortuum ex pacto cum Calvino, ut per eum suscitatum, attestaretur doctrinæ Calvinianæ.

Falsum miraculū contra immacul Concept. Raynaud. tom. 8. pag. 325.

Vita Calvini. c. 13.

Quæretur peccatum illius etiam per falsa miracula, *& nō in venietur.* Quæretur ab ipsis inferis, & *non invenietur*: nam Satan ab homine Dei adjuratus, & cujusmodi fuisset B. Virginis Conceptio, aperiri adactus, respondisse immani clamore sublato proditur: *Sine macula, sine macula.* A Duce quoque Ferrariensium, in energumeno idiota, adjuratus dæmon, ut qualis fuisset B. Mariæ Conceptio edisseret, latinè respondit: intervenisse in ea manum Dei, à communi peccato præservantem; idque multis & validis rationibus confirmavit, stupentibus omnibus rupicis illius facundiam, atque doctrinam. Posse autem hujusmodi adjurationem dæmonis, ad aliquam veritatem eruendam, labe vacare, ex S. Thoma aliisque Doctoribus probat Sanchez, & Suarez. Neque ex eo quod dæmon mendax sit, & mendacii pater, infringitur necessariò, dæmonis aliquid aperientis testificatio; cùm constet dæmones adjuratione debitè adhibitâ compulsos veritatem enunciare, & sæpe quoque adigente Deo, adjurante licet nemine, veritatem fateri, ut circa Christum fecerunt.

Psal. 10. *Raynaud. tom 8. pag 277.* Testimonium diaboli.

Bern de bust. ser. 1. pag. 2. & ser. 7.

Sanchez. lib. 2. in decal. c. 4. n. 14 *Suarez lib de adjurat c. 3. n. 9.*

Luca 4 v. 34

Plura horret calamus, ut injurias & opprobria in Matrem Dei, & scandala in populo, tandem compescere, & frenum injicere opus fuerit, ut patet in Extravag. Sixti IV. *Grave nimis. Perstringitur enim vulgus fidelium, percutitur & torquetur*, inquit Melchior Canus, *Ordinis Prædicatorum*, quis enim legem illam juris ignorat: *tamdiu quis habendus est innocens, quamdiu non probatur nocens*; quod & jus naturæ est: nulla etenim Matrona tam honesta, tam pia, & sancta, quin ab homine maligno aut zelotypo, macula & nota, illi non dico inuri, sed affingi, & afflari possit? quam ut nemo non vir nobilis, & excelsi animi, in matrem suam confictam & cōflatam, ferro & sanguine statuit propugnandam, & maculam eluendam; ita & totus Ordo Seraphicus, ejusque invictissimi pugiles, Societás Jesu universa, omnia Regna & Academiæ, dicto sacramento, statuerunt defendendam; ut quisquis ad Doctoratus Lauream aspiret, primo in hanc formulam juret, quæ omnibus præscribitur: *jurabitis quod tenebitis determinationem Facultatis de Conceptione Immaculatæ Virginis Mariæ: videlicet, quod* IN SUA CONCEPTIONE PRÆSERVATA FUIT AB ORIGINALI CULPA.

Raynaud tom. 7. pag. 30?.

Idem tom. 8. p. 281.

Ad has itaque adversariorum offucias, & spurcitias in Matrem Dei dissipandas, obscuris clara, falsis vera opponam.

Inductioni serviet exordium, quo celeberrimus Orator, Joannes Posoniensis concionem suam, sub themate: *tota pulchra es &c.* auspicatus est: *monet Apostolus Romanos c. 13.* HORA

Chrysogonus in

251

mundo Mariano. discursu 10. n. 43.

EST IAM NOS DE SOMNO SURGERE, *id est, de cæcitate & ignorantia, quâ multi in hodiernum usque diem ita tenentur, ut nequaquam cognoscere possint, aut velint gloriosissimam Virginem Mariam à peccato originali fuisse præservatam, eique omnem pulchritudinem, cujus creatura capax esse potest, tanquam dilectissimæ Parenti communicatam, negant*; quam divinis miraculis & cœlestibus prodigiis, ad eos confutandos & confundendos, Deus in honorem Matris suæ illustrare voluit.

Conceptio imm. veris miraculis comprobatur.

Mortuum redivivum, ex orbe altero testem omni exceptione majorem, ad Immaculatæ Conceptionis mysterium declarandum & contestandum, aliàs induximus.

V. Pantheon. hoc festo §. 2. in fine.

Mortui resuscitati in confirmat. Concept. immac.

Raynaud tom pag. 274.

Illud fortè inauditum, quod gestum tunc recens, gravis Auctor Robertus Gaguinus commemorat: sacerdotem nequam in Normannia, cùm in cubilibus & impudicitiis egisset animam, essetque idcirco æternis ignibus mancipandus, *Virginis immaculatè conceptæ favore*, à prima & secunda morte ereptum, vitæque restitutum, eo imposito ab ipsa Deipara grato onere, ut gradus sui sacerdotalis dehonestatione deinceps abstineret, *& festum immaculatæ Conceptionis*, Octavo Decembris religiosé coleret.

Curationes morborum ope Virginis immaculatè conceptæ

Curationes gravium morborum editas divinitus, ad interpellationem Deiparæ immaculatè conceptæ, & jam olim, & recentiore memoriâ, habemus plerasque à fide dignis conscriptas. Ego è plurimis specimen exiguum decerpo.

Velasquez. de Maria immacul. concepta l. 2. assert. 6. annot. 8 n. 6. Raynaud. tom 8. pag. 273.

Alexander Alensis scholæ Theologicæ lumen, ac summorum Doctorum SS. Thomæ ac Bonaventuræ Magister, cùm priùs stetisset contra immaculatam Virginis Conceptionem jamque ipsa die octavâ Decembris cathedram ascendisset, ut conceptam opinionem palam firmaret & inculcaret, subito, eoque gravissimo morbo correptus est, ut penè expirare videretur. Quod cùm semel & iterum festâ conceptæ Virginis luce ei accidisset, vexatio dedit intellectum, atque ilicò meliora de Virgine cogitare, & tutiora sibi consilia parare decrevit: jamque totus in piam opinionem manibus & pedibus se conferens, librum de pura Mariæ Conceptione super illud Cant *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, typis evulgavit, quem à se perlectum Tolosæ, Joannes de Celaya, & Gulielmus Vortilongus testantur. In hac autem de immunitate Virginis sententiâ adeò perduravit Alexander, ut quemadmodum sæpius in vita, ita etiam ad extremum spiritum exclamasse dicatur: *Maria Domina mea, tota pulchra es, & formosa, & macula originalis aut actualis, in te nunquam fuit.* Testes plures, & irrefragabiles vide apud citatos auctores.

Raynaud. cit. p. 293.

Consimile est, quod Joanni de Viterbio accidit. Egerat primum hic Auctor contentissimè contra Immaculatam Conceptionem; sed ictus sapuit: cùm enim infirmaretur ad mortem, recordatus recuperatæ ab Alexandro Alensi sanitatis, post emissum votum de propugnanda Conceptione Immaculata, emisit ipse „ quoque votum in hæc verba: O Beata Virgo „ Maria, si verum est quod sine peccati macula concepta fuisti, rogo mihi sanitatem dare " digneris in signum tuæ puritatis. Et ego vo- " veo, & promitto, toto tempore vitæ meæ, ce- " lebrare festum Conceptionis, & prædicare, " atque annuntiare populis innocentiam tu- " am, & retractare quidquid alias in contrari- " um prædicavi.

Dixit, & ilicò sanatus, dato campanæ signo, populum ad concionem evocari curavit, narraturus magnalia Deiparæ, & nitentissimam eius Conceptionem; stupentibus medicis qui conclamatum viderant, nec verbo solum, sed & scripto integrum opus pro Immaculata Virginis Conceptione composuit.

Raynaud. tom 8. pag. 323.

Quod si ad canonizationem Sanctorum, plurimum ponderis conferant miracula, quis ad immaculatam Dei Matris Conceptionem declarandam, tantæ sanctitatis ac dignitatis præcellentiâ suppositâ, majora requirat? Sed plus fortè feriunt recentiora, quæ in oculis viventium, & in ipsa orbis Domina Roma, Præsidente summo Pontifice patrata sunt. Nuperrimè Romæ in monte Quirinali, è regione Pontificii palatii, Monialis ex Ordine Capucinorum, gravissimè ex calculo laborans, à Confessario ex eodem Ordine, chartulam parti malè affectæ, extrinsecus admovendam accepit, cui hoc lemma erat inscriptum: *Immaculata Conceptio S. Genitricis Dei Mariæ.* Sed Sanctimonialis attactu non contenta, chartam glutivit, effectu, quem exprimunt hi versiculi, à Hieronymi Petrucii vena:

Virgo laborans calculo, chartam vorat,
CONCEPTIO IMMACULATA *quam scripto notat.*
Charta involutos, quam prius voraverat,
Duos repentè Virgo calculos parit,
Inscriptione colligatos calculos,
CONCEPTIO IMMACULATA *præcones facit.*
Conceptionem labis expertem negas?
Lapides loquuntur: lapidis hoc verbum, sat est.

Idem pag. 324.

Calculi hujus momentaneam curationem, excepit consimili planè modo alterius Monialis in eodem cœnobio, hydrope laborantis curatio; quam ut æmuli supprimere, & abscondere niterentur, Deus anno 1657. altero non minùs prodigioso beneficio in Eminentissimo Cardinale Rapaccioli confirmavit. Quin & annales Societatis nostræ testantur, Patrem Jacobum Laynes, secundum à B. P. N. Ignatio Generalem, qui Concilio Tridentino piæ opinionis mirificè studiosus interfuit, purissimæ Conceptionis Mariæ invocatione, plurimis ægris salutem obtinuisse.

Velasquez de Immac. Concept. pag. 269. & 221.

Prov. 8.

Curationes animorum invocatione Virg. immac. conceptæ

Quacumque ergò infirmitate correpti, opem Mariæ per immaculatam ejus Conceptionem imploremus, & verissimum experiemur, quod de illa Sapiens: *qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Sed quantum corpori præstat animus, tantum curationes spirituales corporalibus antecelliunt, de quibus eximius omnis perfectionis Magister, & sæculi sui decus *Ioannes Avila*, in libro quem inscripsit: *Audi Filia*, eos qui acriores carnis stimulos

mulos

...catimos ... Aug. serm ... de temp.

malos patiuntur, admonet, ardentes quasdam ad Deum in honorem illibatæ Conceptionis Mariæ preces fundere, seriò affirmans, experientiâ compertum esse, hâc medicinâ adhibitâ, plurimos à libidinis æstu illæsos abiisse. Vis & tu in hoc *omnium periculosissimo certamine* (ut Augustinus loquitur) victor evadere? vis animum ab hac fœda contagione immaculatum servare, ad Virginem immaculatam recurre, & *hauries medelam ac salutem à Domino*: quam homo etiam maximè nefarius consecutus est;

Novarin. umbra virginea. excursu. 17. §. 63.

filius is erat fortè unicus matris suæ, qui eò desperationis venerat, ut stricto ferro se transfodere, vim sibi afferre, & mortem inferre pararet. Vidit hoc mater, & statim ad Virginem mentem dirigit, imò & vocem: Mariam invocat, *ut ad reverentiam purissimæ Conceptionis*, filium hoc periculo eximeret.

Audivit preces Virgo, in Conceptionis Immaculatæ reverentiam: nam dum filius furibundus toto pectore in gladium incumbit, gladius vestes penetrat, sed dum ad carnis cutem pervenisset, tanquam cereus se reflexit: morti eximitur qui quærebat mortem. Ergò qui vitam amat, qui æternæ salutis curâ tangitur, Immaculatam Virginis Conceptionem colat, ac veneretur, quam velut tesseram beatæ prædestinationis Divus Anselmus assignat dicens: *hujus solennitatis celebratoribus datur à filio Virginis Domino nostro Iesu Christo pax, & longa salus, & post* TRANSITUM HUIUS VITÆ REQUIES ÆTERNA.

Cultus immacul. Concept. signum ... æternæ. Anselm. hom. de Concept. Virg. Bernardin à bustis. serm. 7.

Præter hæc, non exigua hujus mysterii commendatio est, Ordinis alicujus Religiosi sub titulo immaculatæ Conceptionis ab Ecclesia, & non sine illustri miraculo, approbatio.

Commendat Immac Concept. Ordinis approbatio. Hippolyt. Maraccius ... Mariana. §. 14. p. 31. Chrysost. Henriq. in menolog. Cisterc. 8. Octob. chron. Minor p. 3. l. 8 c. 11. & 12.

Fundatrix Sanctimonialium sub *titulo immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis*, extitit *Beatrix à Silva*, generis nobilitate & virtutum splêdore in Lusitania Virgo celeberrima. Huic, ubi suam sponso Virginum, castitatem vovit, videndam se exhibuit Deipara, candido & cæruleo ornatu amicta.

Nec diu post, eidem duo Minoritæ, quos divos Franciscum & Antonium, ob singularem suam in eos devotionem esse judicabat, apparuêre; eique inter alia dixerunt: scias, ô Beatrix, te Dei Matre favente, multarum spiritualium filiarum Matrem futuram.

His dictis sese *Beatricis* oculis subducentes, animam ejus cælesti consolatione delibutam reliquerunt. Cùm verò erga Deiparam, ac præcipuè ergâ purissimam illius Conceptionem summâ devotione afficeretur *Beatrix*, diu noctuque quomodo eam dignè honorare & exaltare posset, animo volvebat, ideoque Religionem *sub Immaculatæ Conceptionis nomine* instituere ardentissimè desiderabat.

Consilio cum Elisabetha Regina communicato, in opus hoc divinissimum adeò propensam invenit, ut ipsi statim Toleti palatium ad hoc obtulerit, ubi *Beatrix* duodecim Monialibus ex monasterio S. Dominici assumptis, optatum Ordinem anno 1484. inchoavit, quem Innocentius VIII. Pontifex Maximus, Apostolicâ auctoritate confirmavit, & gratiis auxit. Sed cum hujus institutionis Bulla in mari pe-

Raynaud. tom. 8. pag 173. Vasconcell. descript. ... Lusitan.

riisset, ingens mœror piissimam Virginem invasit; interpellatione tamen Deiparæ *per immaculatam suam Conceptionem*, diploma Pontificium in scrinio, aliis chartis insertum reperit, tantâ admiratione, ut Episcopus Accitanus, decernente Toletano Archiepiscopo, solenni pompâ, diploma circumferre, & in novum *Virginis immaculatè conceptæ* Parthenonem deportare dignatus sit.

Miraculum in confirmat. Ordin. de immacul. Concept.

Hujus Ordinis sanctimoniales, *Conceptionistæ* dictæ, sub directione quidem Patrum S. Francisci; sed sub Regula propria, ac particulari viventes, habitum gerunt, *Beatrici* à B. Virgine in visione, supra ostensum, scilicet vestem & scapulare candidi coloris, & pallium cærulei, cui inserta imago B. Mariæ, radiis cinctæ, ac stellis coronatæ, cum filio in ulnis; quâ docentur, ac monentur, profundam cordi suo memoriâ, & imitationem insculpere. Atque ut continenter honori *purissimæ Conceptionis* animum intenderent, præscriptum iis Breviarium est, quod aliud in singulos dies officium non continet, quàm *immaculatæ Conceptionis*, exceptis Dominicis & festis solennioribus.

Variis claruit miraculis tam sancti Ordinis Fundatrix, ac tandem B. Virgine præmonente, ad superos evolavit, anno Dom. 1490. ætatis 66. Stella aurea insoliti fulgoris post mortem fronti irradiavit: ipsiusque cadaver à Præsule Toletano non Patribus Dominicanis, quorum monitis prius paruerat; sed Franciscanis, fortissimis Conceptionis intemeratæ propugnatoribus, post longam controversiam adjudicatum est, ut eodem coleretur loco, quem sibi in honorem immaculatæ Virginis delegerat.

Tandem, ut concludam, convincens illud apud omnes Thomistas & scholasticos, argumentum Angelici Doctoris est: *Ecclesia celebrat Nativitatem B. Virginis* (dicam ego, sed & celebrat Conceptionem B. Virginis) *non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo Sancto; ergò B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit sancta*. Rectè infero, *ergò & B. Virgo in ipsa sua Conceptione fuit Sancta* quod festum in cælis priùs celebrari quàm in terris, manifestâ visione B. Oringæ demonstratum est.

Ex festo miraculis claro, Concept. Immac. probatur. S. Thom. part. 3 q. 27. art. 1.

Tot itaque signa & prodigia, tam urgentia & convincentia Immaculatam Virginis Conceptionem argumenta, qualia pro alicujus Sancti canonizatione inventa nõ sunt, eò rem deduxerunt, ut Pius V. *Conceptionem sanctam* declarârit, dum in officio de Conceptione Virginis, per universam Ecclesiam decantari voluit: *sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant* TUAM SANCTAM CONCEPTIONEM. *Est* autem, ut eam definit D. Dionysius, *sanctitas ab omni scelere libera, perfectaque, ac omnis ex parte incontaminata*; sive ut alii legunt, *immaculata*; quæ definitio quoque sancto Thomæ probatur in 3. dist. 3 quæst. 5. art. 1. Ex quo primum conficitur perinde esse, Conceptionem sanctam dici, ac omnis labis expertem; alterum, huic elogio semel ab Ecclesia Conceptioni Deiparæ attributo, non posse subesse falsum: nam ut docet S. Thomas: *In officio Ecclesiæ non decet esse aliquam falsitatem.*

Conceptio B. V. sancta declaratur. in Breviar Rom. responsorio octavo. Dionys. Areopag. lib. de divin. Nom. cap 12. S. Thom. in 4 dist 38.

His itaque stabilitis, ad honorem illibatæ Virgi-

q. 1. a 5. in argumento. Sed contra *& ad 1. Velasquez. cit p. 324.*

Virginis amplificandum, cui adversarii turpissimam labem inurere conati sunt, omnem cultum ac venerationem possibilem, omnia pietatis ac religionis obsequia, omnia denique laudis encomia conferamus, quæ, ut videbimus, Immaculata Virgo Maria, cælesti favore prosequi, & mille benedictionibus remunerari solita est. Ad quæ universa nos hortatur Ecclesia.

§. III.

Sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant TUAM SANCTAM CONCEPTIONEM. Ecclesia in Breviar. Rom.

S. Proclus. hom de Nativit. Dom.

QUis hodie pro Virgine non sit Panegyricus, dum illa concipitur (quod à nullo percipitur) quæ, ut S. Pruclus loquitur: *est salutaris reconciliationis Panegyris?* Quaotam nos omnes pat est lætitiam concipere, dum illa, quæ est causa nostræ lætitiæ, concipitur.

Quanto & amoris impetu in eam ferri, quæ est mater ipsius Amoris, & quo post Deum, nihil est amabilius, & extra se Deus nihil supra Mariam amavit vehementius, quia nihil pulchrius, nihil purius. In quam, perfectissimam divinitatis imagioem, ut omnes, oculos & animos coovertamus, ipse qui bullit in venis sanguis, & nobilissima quæ viget in filiis Marianis indoles, quam non tam accepimus, didicimus, legimus; sed ab ipso sacro fonte, & quasi ab ipsa natura noo docti, sed facti: oon instituti, sed imbuti sumus, nos impellit, ut cùm partes Concionatoris non agam, omnium Oratorum linguas, optem esse disertas, ut in omnem terram exeat soous eorum, in laudem Immaculatæ Conceptioois Deiparæ, *de qua*, rectè Basilius, *qui omnia illustria, & gloriosa dixerit, nunquam à scopo veritatis aberrabit; attamen dignitatis magnitudinem, nulla unquam ratione adæquabit.*

S. Basilius. orat. 39.

Quàm autem hæc per sacros præcones pro Immaculata eius Conceptione, gratissima sint præconia, ex eo patet, quod omnes sancti Patres, tot homiliis & panegyricis de virginitate & maternitate, non tantum Dei Matris excellentiæ contulerint, & dignitati ac honori consuluerint; quantum, dum eam ab hac infami labe, & totam pulchram ac immaculatam prædicârunt: poterat enim io connubio honorabili, & thoro immaculato, Mater fieri absque flagitio; non potuisset autem communi maculæ subesse sine peccato, & cum odio Dei, Mater fieri Christi.

Hinc celeberrimus ille & pulcherrimus mos in Hispania omnibus sacris Ecclesiastis, ab hac laudatissima formula concionem exordiri: *laudetur Immaculata Conceptio B. Virginis*; cui veritati ut inhærere studeamus, non pauca di-

Raynaud. tom. 8. pag. 322.

vini in Matrem suam zeli, Omnipotens dedit specimina. Scribit Antonius Chanutus, virum hâc laudabili formulâ uti solitum, alteri, fortassis alteram de Conceptiooe maculata sententiam profitenti, nummum aureum porrexisse; qui cum solenni hac: *Laudetur Virgo sine macula*, præfatione omissâ, dicere aggressus, repentino prodigio apparuit io nummi orbe hæc salutatio inscripta.

Chanutus lib. 6. de Concept. à mirac. 9.

Quid sub Martino V. actum sit illi, qui condicto die, excito iogenti Doctorum cœtu, contra piam sententiam dicturos expectabatur, pluribus noo attingo, cùm non alia morte, quàm qua Arrius expirasse repertus sit.

Bernardus de bustis Offic. de Concept. à Sixto IV. Idem serm. 7 de Concep part. 2 Raynaud tom 8. pag 325. Num. 25.

Benignios actum est, cum altero Divini verbi Prædicatore, qoi ausus apud Mantuanos, coram Marchione, & civitate propè universâ, ac præcipuis quibusque viris primariis, ac Doctoribus invitatis, impugnare & astruere Virginem maculatam, accidit ei, quod Baalamo, per Balac subornato ad maledicendum Israëli: mutata porrò sunt verba in ore ejos, & cum Cōceptionem maculatam asserere cogitaret, asseruit *labis puram, & immaculatam*. Cumque à sodalibus increpitus, statuisset emeodare quod dixerat; iteratò, *Immaculatam Deiparæ* Conceptio*nem volens nolens propugnavit* Mitto cetera.

Quod si Dei filius pro Matris suæ honore adeò potenter zelatus est, ut ei maculam impingere conantibus, os obturârit, nonne omnium Oratorum linguas faciet esse disertas, ut patti silentio indicto, pleois buccis, & buccinis, ex cathedris, & exedris detooent: *Laudetur Virgo sine macula concepta.*

Ad quem cultum, & hooorem promovendum, pauca praxes suggeram, benignis Dei prodigiis in Matrem suam comprobatis.

Praxes colendi Immaculatam Concept. B. Virg.

Prima est, ut parvulis in Catechesi, domi à parentibus, nutricibus & ancillis, fœditas peccati, & nitor ille immaculatæ Deiparæ imprimatur, his paucis verbis: *laudetur Virgo Immaculata*; Incredibile est quanta laus ex ore infantium, in Dei Matrem redundet. Cui argumento servit divinum illud Psaltis oraculum: *ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem*; quod de pueris Hebræorum obviam Christo factis, & accinentibus: *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini*, passim Interp retes exponunt; hoc autem lactentes & balbutientes, ac rationis impotes, nisi divinitùs illustrati, minimè canere potuissent: sic eteoim S. Eulogius: *quàm planè admirabile, ac præter naturam, spectaculum illud lactentium infantium maternis in ulnis sugentium ubera! Unâ quidem manu tenentium matrum mammam, alterâ autem Deo Matre Virgine nato, protendentium ramos palmarum: lacque maternum ad Dominicam doctrinam ab ore fundentium*, NECDUM CONCESSO VERBORUM usu, *Deo verbo labiorum acclamantium fructum, & dicentium*: HOSANNA, id est, *salva quæso, qui es in altissimis.* QUIS VOS, ô PUERI DOCUIT? QUIS VOBIS SAPIENTIAM INDIDIT? QUIS NONDUM PER ÆTATEM LIBERO SERMONIS USU, SECRETIORI DOCTRINA AD SERMONEM FORMAVIT?

1. Parvulis instillare: laudetur Virgo sine macula concepta. Psal 8. Matt. 21 v 9.

S. Eulogius hom de ramis palmarum

Haud aliter parvulos & lactantes, laudem Vi-

Raynaud. tom. 8. pag. 322.

Virginis enuntiantes percunctari possem: nam inter miracula anno 1617. in Congregatione sacri Officii coram Paulo V. recensita, primum fuit, quod Archiepiscopus Hispalensis ritè discussum & approbatum, Romam transmiserat; nempe pueri tredecimestris, qui ne verbum quidem effari valens, sed tantum inconditè balbutiens, *tamen versus quatuor in honorem B. Virginis Immaculatè Conceptæ, distinctissimè est elocutus.*

2. Officiũ Immaculatæ Concept. indies recitare.

Parvulis jam provectioribus, *Officium Immaculatæ Conceptionis* in manus dandum & indies recitandum; qui piissimus usus inter studiosos meo tempore sic viguit, ut inter sexcentos, nõ esset qui illud nõ circumferret, & quot dieb⁹ volveret. Scire vultis quo fructu. Ex uno discite omnes audus Rẽ narravit P. Theophilo Rayn. vir fide dignus: amicus, inquit, mihi erat profligatæ honestatis, cui amica erat, verè inimica, & quæ sunt cũ eo scelere nexa, ganeæ, ingluvies, ludendi, & tempus perdendi assiduũ studium haudquaquam deerant. Miseratus exitium chari capitis, *Officium de Immaculata Conceptione* Antvverpiæ vulgatum, & hic Lugduni recusum, homini dedi, ut illud recitaret, impensè adhortans. Vix pium illud pensum, Deiparæ immaculatè Conceptæ pendere aggressus erat, cùm miratus seipsum, alios se induisse animos, & hororrem vitæ prioris concepisse, gratulatus de tanto thesauro (sic piũ hunc libellũ appellabat) sibi à me concesso, quantas potuit egit gratias. Hæc ille compertæ probitatis ac fidei testis; beneficiũ verò illud animæ perditæ collatũ, longè pluris, teste Chrysostomo, faciendum, quàm ipsa resurrectio mortuorum.

Raynaud. pag. 324. Conversio hominis scelerati per offic. Immac. Concept.

3. Imaginem Virginis immaculatè Concept. venerari & exornare.

Tertia praxis est, *imaginem Virginis immaculatè Conceptæ* circumferre, aut in oratorio frequenter ob oculos habere; in templo ubi eius tabula vel statua exstat, visere, salutare, venerari, & exornare. Hujus amabilis mysterii imagines, quàm ipsi Numini charæ sint, illustri non uno prodigio comprobavit. *Imaginem Conceptionis Immaculatæ*, typis lenibus excusam, & in charta modica expressam, puer manibus in glomum convolutam conjecit in flammas camini luculentas; at imago in altum se efferens, ac explicans, hæsit in flammis inconsumpta ad non brevem moram, stupentibus omnibus, donec evocatus ad spectaculum & miraculum Episcopus, illæsam recepit, pauculis dumtaxit locis rufuscentem, ut constaret fuisse ex igne eductam, & flammam ei non nocuisse. Henricus Albi, visum à se transmissum ex Hispania scriptum authenticum Ordinarii adscriptione & sigillo munitum, quo res jam recitata continebatur, litteris mandavit.

Henricus Albi in defension. Concept. Immac. c. 8. serm. 6. Raynaud. tom. 8. pag. 322.

Quid quod hanc Matris suæ imaginem, præ omnibus aliorum Sanctorum, Dei Filius majori in pretio ac veneratione habere visus sit & haberi voluit: nam dum anno 1513: die 6. Aprilis universum Franciscanorum cœnobium Duaci horrendo incendio conflagrasset, nec templo, picturis, totique sacræ suppellectili parcitum esset; *sola tabella sacelli Immaculatæ Conceptionis*, mansit intacta: quam idcircò, hodieque magnæ esse in veneratione apud Duacenses, oculis cernere est.

P. Balinghem in Calend. Mariano. 6. Aprilis.

Exclamârat olim Xeuxis, dum officinam suam pretiosissimis tabulis instructam, vidit conflagrantem: *servate mihi Adonidem*, quam præ omnibus, ut artis suæ miraculum incendio ereptam voluit, ita, si liceat humana divinis conferre, supremus omnium artifex Deus, qui in communi illo originalis somitis incendio, Mariam opus perfectissimum, *quod solus artifex supergreditur*, eximendam, & servandam ab æterno pronũtiârat, etiã in imagine testari decrevit.

Damian. serm. 1. in nativit.

Quia ad hæc non totus exardescat, non totus in amorem hujus marianæ excellentiæ liquescat? ut omnem honorem cultum ac venerationem sacris ejus Immaculatæ Conceptionis imaginibus impendat? Quis non omnem fiduciam, in hac ejus imagine repositam habeat? Exemplo sit *Maria Magdalena Pincheneta*, Ordinis Cisterciensis Antistita, maturâ ætate, & testatæ pietatis Virgo; quæ ex acri & periculosa febri jam diu decumbens, ac capitis præsertim diro cruciatu pessimè divexata, toto autem corpore adeò attrita, & luxata, ut commovere se non posset absque plurium adminiculo, ab *imagine Immaculatæ Conceptionis* à valetudinaria circumjacentis, nec advertentis cubiculo illata, levamen sensit: ilicò enim cœpit ipsi esse meliusculè, & morbi status notabiliter est mutatus. Sed cùm aliquanto post tempore (hoc est post unum, aut alterum diem) valetudinaria per incogitantiam, imaginem ab ægræ lectulo removisset, ignara unde ægræ melius factum esset, confestim recurrente & recrudescente morbo; iteratò misella in vitæ discrimen recidit.

Raynaud tom. 8. pag. 321.

Attonitis quæ diu noctuque ægræ aderant sororibus, subiit sublatæ imaginis cogitatio; quam ut ad ægram retulerunt, *Magdalena* piè ipsam exosculata est, & capiti admovit. Nec mora, in placidum somnum per semihorã soluta, mox experrecta, omni se ægritudine liberant deprehendit. Hoc pia Virgô magno animi sensu frequenter memorat, affectum erga Deiparam immaculatè conceptam, in omnibus accendendi cupidissima.

Verùm enimverò, quæ benevolos clientes, addictasque animas Immaculatæ suæ Conceptionis, tot favoribus dignatur, ut jã audivimus; è contrariò præfractè adversantes, & huic puncto honoris Mariæ, labem, aut injuriam aliquam irrogantes, non tam ipsa quã Filius, gravissimè ultavit, & se lædi in matre testatus est.

Lugduni in templo Athanacensi, ubi primũ in Gallia Conceptio immaculata honores sideliuio tulit, impius hæreticus anno 1562. cum dira Erynnis in sancta & sacra fureret, & incendiis, rapinis, sacrilegiis, omnia everteret & conculcaret, hic œstro dæmoniaco percitus, *in imaginem immaculatæ Conceptionis*, hodieque asservatam, hastâ quam manu gestabat, intorsit ictum, quo illato, imago ilicò sanguinavit. Qui aderat Monachus Benedictinus, canæ fidei, Priori etiamnum superstiti prodigium aperuit, à quo inquit auctor, nos accepimus.

Raynaud. cit. p. 326.

Scio Philosophos ac Medicos, cùm inquirunt in sanguinationẽ cadaveris ad occursum latentis homicidæ, eum sanguinis effluxum referre in cædis detestationẽ, & vindictæ expeti-

tionem, per clamantem ad Deum vocem sanguinis, à scelerato Camita effusi. Simili igitur de causa, ad truculentiam hæretici, sanguinavit imago Deiparæ. Nec vanus Vates conjectare posse videor, eandem cæli ac terræ Imperatricem, non modò in ectypo, sed & in prototypo ipso, offensionem erga hostes testari, qui non ferro, sed linguæ gladio punctum honoris ejus impetere non reformidant; quibus timendum ne quam poterant habere misericordiæ Matrem, habeant impietatis ultricem, ut innumeris patet tragœdiis.

Plurimum quoque ad hunc cultum promovendum & pietatem in Virginem Immaculatam contestandam confert, cereos ante ejusdem imaginem accendere, pretiosis pallis convestire, gemmis & unionibus, quibus dignissima est, adornare.

Joan. Bourghesius lib. de societate Mariæ sacra. c. 21

Quâ munificentiâ excelluit præ ceteris civitas Hispalensis, ubi cùm Prædicator improvidus pro Conceptione maculata dixisset, commota urbs universa, non contenta in contrarium habitâ à gravissimo viro Patre Pineda concione, adornavit suæ testem pietatis, telam pretiosissimam, in qua maximis characteribus ex gemmis & adamantibus intexta erat hæc inscriptio: *Beata Virgo Maria concepta est sine peccato.* Totum illud opus stetit *octoginta millibus ducatorum.*

4. Supplicationes in honorem Immac. Cōcept. cohonestare

At ne domesticis dumtaxat, aut sacris parietibus hæc devotio contineatur, publicas etiam in honorem Conceptionis Immaculatæ supplicationes, præsentiâ ac reverentiâ cohonestemus, ac palam veneremur; cui singulari pietati qui obsistere nisus est, non impunè tulit: inter alia porrò miracula, pro nitore Conceptionis à Cardinale Bellarmino recensita in Congregatione S. Officii, coram Paulo V. anno 1617. tertium fuit, repentinæ mortis Episcopi Carthaginensis apud Indos occiduos, Petri de la Vega; qui ferociter egerat contra nonnullos, in honorem Immaculatæ conceptionis religiosam processionem obeuntes, quos insolenti lapidatione dissipari jusserat: nocte enim proximè consequenti, cùm valens ac vegetus lectum subiisset, morte subitâ, utinam non etiam improvisa extinctus est.

5. Festum Immac. Concept. dignè celebrare.

Denique festum hujus diei solenniter celebremus, quod ab Ecclesia institutum, fortissimum pro sancta & Immaculata Virginis Conceptione argumentum est, ut ex Divo Thoma infallibiliter evincitur. Quod festum cùm adeò aversatus sit diaboli primogenitus superiori sæculo Lutherus, ut palam pro populo contestatus sit: *Nullum festum magis odi, quàm festum Conceptionis & Corporis Christi*; eò nos impensiori studio, & ardentiori animo illud celebrare par est. Aptè sanè in hoc festum cadit, quod sanctus Damascenus orat. 3. de Nativitate Virginis; nam & hæc est nativitas quædam, juxta illud: *Quod in eo natum est,* (nempe gratia) *de Spiritu sancto est.* Ait ergò Damascenus: *Virginis nativitas, festorum est anteambulo, mysterii Christi præludium: oportebat enim priùs palatium parari, atque ita Regem adesse.* Juverit mirabili & amabili prodigio mentes vestras ad hanc celebritatem inflammare. Refert Spinellus, aliique, Nicolaum Prætensem ex Ordine Cælestinorum, virum singularis in puram & immaculatam Deiparæ Conceptionem pietatis, cùm solicitè egisset ut octava Conceptionis in toto Ordine celebraretur, idque obtinuisset, eventu lætum, in hæc verba precatum esse coram Beatissimæ Virginis imagine, carptam in horto rosam, piè offerendo Mariæ, Rosæ mysticæ: *Mater mea, si tibi gratum fuit, quod noster Ordo* (uti & nunc Ordo Seraphicus ac Societas nostra) DE OCTAVA TUÆ IMMACULATÆ CONCEPTIONIS, *me agente, constituit, rosa hac rubicunda, quam tibi offero, vertente anno, recurrente hoc ipso die, viriditatem suam, pulchritudinemque conservet:* Auditus est pius cliens, nec Rosæ quidquam elegantiæ aut floridentiæ decessit. Quo & nos taciti monemur, ut non hodie dumtaxat, sed per octavam diem festùm celebremus in honorem Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ: *Corde & animo Christo canamus gloriam* IN HAC SACRA SOLENNITATE *præcelsa Genetricis Dei Mariæ, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum nostrum Iesum Christum.*

S. Thom. pars 3 q. 27. art. 1. Luther. serm. de Concept.

S Damasc. orat. 3. de Nativ. Virg.

Ant. Solorius lib. de veneras. & invocat. Sanct. Spinellus tract. de festis Deip. §. 1. n. 1.

Miraculū in Rosa quæ non marcescit

Breviar. Rom. in laudib.

Hæc mihi laus semper ad extremum usque spiritum cum pissimo cliente tuo Alexandro Alensi, in ore hæreat: *Tota pulchra es amica mea, &* MACULA ORIGINALIS, *aut actualis numquam fuit in te,* ut per primum illud instans Immaculatæ Conceptionis tuæ, pro qua millies sanguinem profundere paratus sum, in illo ultimo instanti vitæ meæ, quo viam æternitatis, & alterum orbem ingressurus sum, immaculatus inveniar.



FESTUM

FESTUM SANCTI THOMÆ APOSTOLI.

21. Decembr.

Filius hominis veniens, putas inveniet Fidem in terra: Luc. 18. v. 8.



Nulla Fides. Lucan, lib. 1.

ARGUMENTUM.

Fides, quæ virtutum omnium radix ac fundamentum, Thomæ defuit; sed vide, ne & hæc in te, potissimum circa Eucharisticum mysterium, ubi omnes sensus cum intellectu captivandi, desideretur. Quid, quod manifestâ ratione convincitur, etiam inter Catholicos, perpaucos verâ ac vivâ fide præditos reperiri; quâ si pollerent, proposito sibi centuplo, & mercede magna nimis, omnia sua in egenos effunderent, omnia quamtumvis ardua tolerarent. Econtra verò, si in conspectu judicis cuncta cernentis, & vel unam noxam lethalem, æternùm punientis, se omni loco & tempore agere crederent, nullum unquam scêlus anhelarent; nam ut Divus Augustinus ait: omne peccatum, omnis iniquitas, *omnis corruptio à mala fide est.*

Unde rectè quæritur: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* ore quidem fatentur, & se credere profitentur, *factis autem negant*: quo fit, ut fides eorum ficta, & sine operibus mortua, pejor sit, quàm nulla fides, & execrabilior fide diabolicâ, ut disertè S. Thomas. Sed numquid & fides humana terris exulavit? Hanc vix in aulis Principum, curiis judicum, officinis mercatorum invenies, quia omnia plena dolis & fucis illita. *August. in psal. 52.*

§. I. *Noli esse incredulus sed fidelis.* Joan. 20.

§. II. *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Luc. 18. v. 8.

FESTUM SANCTI THOMÆ APOSTOLI.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Ioan. 20.



Item, quæ virtutes inter Theologicas oriri posset, an fides spei, an hæc charitati præcellat, diremisse vitus est Doctor Gentium, cùm dixit, & docuit: *Nunc autem manent, fides, spes, charitas; major autem horum est charitas.* Ea tamen est fidei præstantia & excellentia, quæ omnium virtutum radix & fundamentum est, ut in Theologorum, & sanctorum Patrum suffragiis, ei quodammodò principatum tribuere pusse videat; quia ut ait idem Apostolus: SINE FIDE *impossibile est placere Deo.*

I. Cor. 13. v. 13. Fides omnium virtutum radix & fundamentum.

Ad Hebr. 11. v. 6.

Fides omnia quæ in orbe mira, mirabilia, & miracula extitere, quâ quis in verum Numen credidit, operata est. Hæc cæcos, claudos, mutos, paralyticos sanitati, & mortuos vitæ restituit, ut in fide sororum Lazari, Evangelista declaravit.

Ioan. 11.

Quin & ipsa peccatorum absolutio, & veteris hominis in novum generatio, in fidem referenda est. Facem præfert Chrysostomus: qui expendens illud Chananææ Matth. 15. v. 18. MAGNA EST FIDES TUA, *fiat tibi sicut vis;* sic differit: FIDES *quidem tua, majora quàm petis, impetrare posset; verumtamen fiat ut vis.* (quidquid petis impetrabis, quia fides ad omnia efficax est) *Hac vox illi affinis est, qua dictum est: fiat calum, & factum est calum.* Ergò sicut nulla vux potentior & beneficentior fuit huic universitati, quàm divinum illud, *fiat*; ita inter virtutes, nulla divinior *fide* reperiri videtur; quæ non creaturas duntaxat, sed & Omnipotentem sibi quodammodò facit obtemperare. Hac fretus cum Thaumaturgo, montes transferes; hoc est, omnium impendentium malorum molem, quæ exadversa fortuna, à numerosa & discola prole, à calumniis & injuriis, à litibus & iniquis judicibus, ab omni denique infirmitate, ac calamitate incumbere censetur, humeris excutere, & à te amoliri poteris.

Chrysost. in Matth. c. 15. v. 18.

Hac fretus inermis non solum confidenter congrederis cum armatis, sed & victor evadet. Fides in Deum adeò robusta est, adeò fortis, adeò invicta, ut ea munitus, cujusvis inimici non sustinere modò impetum queat; sed contemnere, illudere, & illidere valeat, ac de hoste triumphate.

§. I.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Ioan. 20.

VNius mihi instar est omnium, juvenis ille opilio, de quo sacri Regum annales referunt, eum cum gigante congressum, oblata à Saule arma abjecisse. Quò te nimium audax juvenis impellit impetus? Ergò tanti furorem hostis subibis inermis? At David: non possum *sic incedere, & deposuit ea*, scilicet arma Saulis. Sed priusquam hunc juvenem nimiæ præfidentiæ, & juvenilis audaciæ, aut temeritatis arguamus, Chrysostomum audiamus brevissimè, sed disertissimè ad rem nostram sic loquentem: *Projicit arma, & induit fiduciam: ingreditur nudus, &* LORICATUS FIDE; inermem ne dixeris, quem fides obarmat. Antistes Nolanus hanc præ omnibus armatis invincibilem deprædicat, & divino carmine decantat:

I. Reg. 17.

Chrysost. hom. 1. in psal. 50.

> - - - - - *Super omnia semper*
> *Arma*, FIDES VALUIT; *tali puer ille pusillus,*
> *Robore grandis erat, qui spretis fortior armis*
> *Perculit armatum, flicu virtute gigantem.*
> *Arma* FIDE *semper: numquam cognovimus armis*
> *Indiguisse* FIDEM.

S. Paulin. poemate in Natalis octavo.

Est & cuique suus infestus Philisthæus, quem Augustinus *figuram diaboli* appellat: est & suus cuique gigas, quicum indies congreditur, effrenes animi motus, indomitus appetitus, impotens omnis carnalis hominis sensus, qui ut ex quinque partibus solum & inermem aggrediantur, ab uno divinâ fide armato vincuntur & subduntur; quod probat idem Paulinus exemplo Abrahami, qui armis fidei munitus, quinque Reges cum exercitibus suis debellavit; sic enim ait: *Sicut Abraham dedit adversis quinque Reges, quos ille* FIDEI PATER *hoc mysterio superavit; quo fides nostra totidem corporis nostri elementa Verbo Dei subiget: & sicut ille pro fratre, à quinque Regibus victor, ita & fides pro anima,* QUÆ TOTIDEM SENSIBUS VIGET, *victrix de exteriore homine triumphat.*

August. in psal. 33

Gen. 14. 15. S. Paulin. epist. 2. ad Severum.

Hos quinque sensuum Reges cum intellectu fides in obsequium suum captivos ducit, quod in amabili & maximè mirabili Eucharistiæ mysterio potissimè locum habet, in quo *præstat fides supplementum sensum defectui.*

Quinque sensus cum captivandi in obsequium fidei, maximè in Euchar.

De

Joan. 20. v. 29. Aug. ser. 17. de verb. Apoſt. Matth. 5. v. 29. S. Thom. opuſc. 57. Ovid. 2 Cor. 11. 14. Joan. 20. Chryſoſt. hom 83. in Matth.

De viſu fides pro anima victrix evadit & triumphat, quia dicit: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*: & ipſe Auguſtinus intonat: *Fides eſt, credere quod non vides.*

Matthæi 5. legimus: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te*; ſi oculum quantumvis dexterum, imò dextertimum mentis tuæ ad alias ſcientias expertus es; in hoc verò myſterio te fallat & ſcandalizet, erue eum. Balduinus ad hunc locum apud Godefrid: *Itaiu Sacramento altaris*, FIDES ET HUMANA RATIO *compugnant & hoc agitur inter eas, ut altera alteri oculos eruat: nec eſt finis hujus pugna, citra alterius excæcationem: habet enim humana ratio oculum ſuum. Habet fides & ſuum. Oculus rationalis quaſi lippus eſt; oculus autem fidei acutus, quo inviſibilia Dei intellecta conſpiciuntur.*

Oculus itaque ipſius intellectus & viſus excæcandus eſt, *ut* FIDES *locum habeat, & ſenſus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus judicant ſibi notis.*

Quare idem Doctor Angelicus divinè monet: *Quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides.*

Quot viſus, ac oculorum lenocinia, tot ſunt ludibria: vitrum, margaritum: pertica recta in aquis curva: colores iridis & in collo columbarum: albedo in nive, in ſpuma maris, in vitro contuſo appatet; ſed viſus fallitur, & craſſiſſimè hallucinatur in accidentibus ſibi notis, cùm & ea jam apud plurimos recepta ſit Philoſophorum opinio, nullos dari colores, nullum parietem album, aut nigrum: viridem aut cæruleum eſſe, ſed ſolam lucem pro incidentia in tale, vel tale objectum ſic diſpoſitum, tam miros, tam varios colores effingere & pingere; juxta illud Poetæ, *nox abſtulit aera colorem.* Quid, quod præſtigiis dæmonis non ſemel, ut pluribus Delrio noſter demonſtrat, ſpecies hominis ſuis & eiſdem lineamentis phantaſtica objecta eſt, & ut fide divinâ patet: *Angelus ſatanæ transfigurat ſe in Angelum lucis*, quibus fallaciis innumeri decepti ſunt.

Quid eſt ergò quod clamat Thomas: *Niſi videro, non credam*? phantaſma eum, ut etiam magnis Sanctis accidit, ei objici potuiſſet. Solus oculus fidei non fallitur, illo videndus eſt, de quo Chryſoſtomus: *O quot modò dicunt; vellem formam & ſpeciem ejus, vellem veſtimenta & calceamenta videre.* Quibus os illud aureum reſpondet: *Ipſum igitur vides, ipſum tangis, ipſum comedis. Veſtimenta ejus videre deſideras; ipſe verò ſeipſum tibi eradidit, non ut videas ſolum, verùmetiam ut tangas & in te habeas.*

Sic ſenſit ſanctiſſimus Galliarum Rex Ludovicus: cùm enim anno ſalutis 1258. faciente ad aram Sacelli Regii ſacerdote, divina Euchariſtia venuſtiſſimi puelli formam induiſſet, ipſe ad ſpectandum accerſitus, negavit ſe iturum, quod certius Deum illic præſentem oculis fidei, quàm corporis perſuaſum haberet; cui non abſimile D. Hugonis Lincolmenſis Epiſcopi reſponſum: qui impensè rogatus, ut ſanguinem videre vellet, qui ex hoſtia à ſacerdote diviſa divinitus fluxerat, prorſus abnuit, ſubjecitque ſibi hoc præſentis in Euchariſtia Chriſti, teſtimonio minimè opus eſſe. *Hic etenim fallitur viſus Iſaac caliginoſus, id eſt debilis corporis noſtri: quia putat præ oculis habere Eſau, id eſt panem, & tantùm habet veſtes ejus, ſcilicet ſpeciem panis, & ſub illa latet Iacob velatus, id eſt, corpus Chriſti.*

S. Thom. opuſc. 58. cap. 7.

De auditu quoque fides victrix triumphat: quis eoim auribus ſuis fidat, quibus indies prurientes falſa pro veris denuntiant, ut illud Pſaltis Regii quiſque meritò uſurpare queat: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes; ſed non ut lex tua*, non ut vox tua: clamat enim Apoſtolus: FIDES *ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti*, cui omni argumentatione, & humanâ ratione ſepoſita, ſupra omnium Philoſophorum axiomata, aut Metaphyſicorum principia, firmiſſimè adhærendum, ut appoſitè D. Ambroſius: *Auſer hinc argumenta, ubi* FIDES *quæritur. In ipſis gymnaſiis ſuis jam dialectica taceat. Non creditur Philoſophis, creditur piſcatoribus: non creditur Dialecticis, creditur Publicanis.*

Pſal. 118. v. 85. Ambr. de fide ad Grat.

Congeramus in cumulum, quæcumque omnimodò certiſſima vulgò æſtimantur, qualia ſunt Dialecticorum elenchi, Phyſicorum experientiæ, Philoſophorum ſyllogiſmi, Mathematicorum demonſtrationes, Medicorum aphoriſmi, Juriſperitorum regulæ, Theologorum axiomata, denique principia lumine naturæ nota. Adde jam illa, quæ ſenſibus comprehendimus; fidei tamen certitudo infinito intervallo poſt ſe relinquit iſta omnia: & prius negandum eſt, illa eſſe certa, quàm vel unicum ſacris litteris expreſſum, aut divino Chriſti ore effuſum pronuntiatum, quale illud: *Hoc eſt corpus meum.* At quis prudens obſcuris Propheturum vaticiniis, incomprehenſibilibus fidei myſteriis aures præbeat? *Non omnes obediunt Evangelio*; nec Thomas credit auditui: nuntiat Magdalena Chriſtum reſurrexiſſe, mulier eſt. Id Petrus affirmat, ſed qui vivum negavit, quomodo de redivivo fidem inveniat? Joannes, qui ad crucem eum confeſſus eſt, jurat, in ſepulchro præter ſiodonem corporis ſe nihil vidiſſe, juvenis eſt, affectu temerè credit. Thoma non credis, quod omnes nos ejus diſcipuli his ocolis noſtris in cœnaculo iſto conſpeximus, in quod medio die clauſis foribus Jeſus penetravit, non tantùm vivus, ſed immortalis. Hæc major ab eo ſimplicitas habita eſt: quamquam, ut vultis, excitatus eſſet magiſter à mortuis, ideone credam impaſſibilem & immortalem? Nonne Lazarus inſpectantibus nobis, & filia Jairi, ac viduæ filius excitati à mortuis ſunt; ſed ideo nemo ita deliravit, ut eos negatet viventium caſibus ut ante ſubjectos, & mortis immunes. Scitis, quid vanos hos rumores conſequetur, delruemus Evangelium, & quod hactenus tanto labore conſecutum, ſigna & mirabilia ejus populo manifeſtantes, prorſus evertemus. Palam edico, eum reſurrexiſſe, deliramenta ſunt, quæ ego numquam mente admittam, nec ore emittam. Quomodo ergo *fides ex auditu*? nonne Thomas audierat? ſed pius motus, qui aurem cordis inclinaret, illi deerat, ut rectè Doctor Angelicus obſervat, in illud ad Rom 10. FIDES

Matt. 26. Ad Rom. 10. 16. Quomodo fides ex auditu? Rom. 10. S. Thom. hic.

ex auditu, ubi sic ait: *sed contra videtur esse, quod* FIDES *est virtus infusa divinitus. Philip. 1. Vobis datum est, ut in ipsum credatis. Dicendum ergo quòd ad* FIDEM *duo requiruntur; quorum unum est, cordis inclinatio ad credendum, & hoc non est ex auditu, sed ex dono gratiæ. Aliud est determinatio de credibili, & illud est ex auditu.* Sic fides ex obscurâ Prophetarum, & ænigmaticâ Scripturarum enarratione, non ex clara demonstratione seu finitione, nisi quam auctoritas Dei id attestantis, & Ecclesiæ revelantis addit, habetur. Sic sentit sacræ princeps eloquentiæ Chrysostomus, considerans illud Psalmi 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam*; quæ sponsi cælestis sunt verba, ab anima postulantis ut credat: *Audi, hoc est, crede*; fides enim ex auditu; quam qui habet, à divino sponso nobilem dotem accepit: *Dos sponsæ*, inquit, *in auditu erat. Quid est in auditu?* IN FIDE, *non in fruitione.* Ergò si fides dos est dilectæ, à sponso cælesti; quis non videat virtutibus reliquis præstare fidem? Virtutes enim divitiæ sunt, & quædam veluti animæ indumenta, vestiunt sponsam & exornant: quædam aureo torque, ut charitas: aliæ velut mundum muliebrem componunt; sed fides est, quæ dotat, & ditat.

Psal. 44. v. 11. Chrysost. hom. in Eutropiũ.

Odoratus animæ lenocinatur, & instar Pantheræ ad se trahit & pellicit; sed & gratissimus odor sæpè officit, fœminis potissimum gravidis, & sensum decipit; sed fides reficit. In Eucharistico epulo, odor panis & vini decipit; sed fragrantia divini illius frumenti & vini, incredibiliter reficit. Quod Doctor Aquinas in figura Jacob, vestibus Esau miræ fragrantiæ induto, docet adumbrari: *Hoc pulchre figuratur Gen. 27. in benedictione Jacob, ubi sensus Isaac sunt decepti, putantis sentire Esau, dum sentit similitudinem ejus, qui velatus erat Jacob, Esau, quem amabat Isaac, id est, corpus quod de cibis suis vescitur, significat substantiam panis cum suis accidentibus, scilicet colore, sapore, & cæteris. Dum itaque Isaac quasi homo exterior, id est, sacerdos benedicere debet, Esau, id est, substantia panis recedit; sed similitudo Esau, scilicet vestes* CUM ODORE, *cibus cum sapore, id est, accidentia manent circa Jacob, &* SENSUS NOSTRI FALLUNTUR. Hic Jacob, vestimentis sui, id est, sanctissimi Corporis sui fragrantiâ, verâ ac vivâ fide sagaces trahit in odorem unguentorum suorum: hic etenim nobis propinat *poculum ex vino condito*, ex omnibus odoriferis dolorum suorum aromatibus, & *mustum malorum granatorum*, quæ odore suo cor recreant & confortant. Hic nobis promitur *vinum germinans virgines*, Septuaginta vertunt: *odoratum ad virgines*, scilicet ob fragrantiam virtutum & odorem gratiarum, qui si è corpore Theresiæ, aliorumque Sanctorum minus exhalavit, longè fragrantiorem eximiæ sanctitatis viri ac fœminæ, ex hoc sacratissimo corpore spirare, etiam sensibiliter experti sunt; quos inter S. Philippus Nerius, qui sacris operans, cùm sacrum calicem hauriret, suavem & suavissimum odorem sibi afflari experiebatur. Sensisti illum quoque, ô integerrime sponse Virginis, Hermanne Joseph, qui cùm à cœnaculo ad templum ritè procedetes cum choro fratrum supplicabundus, tam delicioso odore perfundebatis, ut in paradiso tibi esse viderere. Tu verò, ô Angelica Francisca Romana; etiam loco tuo, ubi convivio divino accubueras, inusitati odoris fragrantiam adspergebas, adeò ut qui præsentes aderant, tam hiberno, quàm æstivo tempore, rosis ac liliis stratum crederent. Undè? nisi ex fragrantissimo Corporis Domini vestimento; ut qui per fidem hic verum Jacob complexi & osculati sint, statim sentiant vestimentorum ejus fragrantiam, & à se & sensibus abrepti, meritò exclament: *Ecce odor filii* DEI, *sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus*; hic etenim *fallitur* corporeus *olfactus, quia putat sentire* ODOREM *Esau, id est, panis qui verè non est ibi; sed sentit* (per fidem) ODOREM *vestimentorum ejus*, sacrosancti Corporis ipsius; ex quo non solum quidquid pulveris pigmentarii, quidquid balsami ex ullis unquam Sanctorum corporibus eliquavit, transcendentaliter exhalat; sed odor sanctitatis, in cœnaculo relictus, Thomam minus emunctæ naris non afflavit.

S. Thomas opusc. 58. cap. 7.

Cant. 8. 2.

Gen. 27. v. 27.

S. Thom. ibi.

Gustus quàm maximè fallitur, qui pro dispositione stomachi ac palati, *etiam amarum pro dulci sumet*, & quod uni sapidum, alteri insipidum erit. Ecquis non indies à cocis, & œnopolis fallitur? ex rapis fungos, ex musculis ostrea fingunt, bubonem in perdicem condiunt: quis palato credat? Quem si nec in humanis tuto adhibemus, in divinis penitus submittamus necesse est: *Ibi enim fallitur* GUSTUS *quia putat comedere cibum Esau, id est, panem, & gustat tantum similitudinem ejus.* At fides gustat, & manducat panem vitæ, *omne delectamentum in se habentem, & omnis* SAPORIS *suavitatem.* Hortatur te, quisquis es, sanctissimus Præsul Carnotensis, ut gustes quàm suavis sit Dominus: *Gusta*, inquit, *& vide quàm suavis cibus, & pergusta quid sapit. Sapit, ni fallor, cibum illum Angelicum habentem intra se mystici saporis delectamentum: non quod ore discernas, sed quod affectu interiori degustes. Exere palatum fidei, dilata fauces spei, viscera charitatis extende*, est etenim hic, ut Doctor mellifluus loquitur: *dulcedo dulcedinum.* Quid multis? nec lingua valet dicere, nec littera exprimere, quæ hic deliciæ reconditæ sint: *suavitatem hujus sacramenti nullus exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo, non per rivulos aut canales deducta, sed in suo fonte gustatur.*

Prov. 27. v. 7.

S. Thom. ea.

Sap. 16. 20.

S. Fulbert. epist. 1.

Bern. ser. de dign. sacer. & S. Thom. opusc. 57.

Quid, quod experti sint, qui non spiritualem duntaxat, sed & sensibilem dulcedinem super mel & favum hic degustârunt. Sic à *S. Elzeario* divinus ille cibus acceptus, in ore ejus suavis erat sicut saccarum, & *B. Maria Ognacensis* cum mellis gustu, & odore aromatico percipiebatur, ut scribit Jacobus de Vittiaco. Idipsum S. Lutgardis experta est.

In actis Elzearii cap. 10.

In vita l. c 8 & prolog.

At quî fit, ut quisque banc dulcedinem non deguster, non capiat, non sapiat? quia infidelis, incredulus, infirmus, ut rectè Doctor Hipponensis: *Hic homo impius si dicat, ubi est illa multitudo dulcedinis? Respondebo: quomodo tibi ostendam multitudinem hujus dulcedinis, qui palatum de febre iniquitatis perdidisti? Mel si non nosses, quàm bene saperet, non clamares nisi gustasses. Palatum cordis non habes ad hæc bona gustanda.* Mel & favus

August. Psal. 30. conc. 4.

& favus fabricitantibus amara cenſentur, loquor cum Romano Philoſopho: iſto modo di-" cas non eſſe in melle dulcedinem: nam ille " qui edit, debet eſſe ita aptatus linguâ, palato-" que ad ejuſmodi guſtum, ut ille tali ſapore " capiatur, non offendatur: *ſunt enim quidam,* " *quibus morbi vitio, mel amarum videatur.* Sed de " his aliàs diximus.

Tactus denique graviſſimè ſallitur, & puerorum more obvelatis oculis palpando craſſiſſimè erramus: ex capillitiu, ex veſtitu, ex levibus indiciis, tangendo judicat ſe tenere Petrum, & eſt Joannes. Ita Iſaac cùm jam caligaret, dixit *accede huc ut tangam te fili mi, & probem utrum tu ſis filius meus Eſau an non.* Et nón *cognovit eum*: verus enim Jacob erat. Hæc omnia in figura diviniſſimi Sacramenti facta ſunt, ut rectè proſequitur Doctor Angelicus: *Sacramentum quod* TANGO, *ſubſtantia panis eſt, nihil falſius: vox Chriſti dicentis, hoc eſt corpus meum, nihil verius. Manus quas* TANGO *ſunt Eſau, nihil falſius; ſed vox quam audio:* EGO SUM, *vox eſt Iacob, nihil verius.* Pelliculas Eſao tangimus, id eſt, ſpecies panis; quo ſenſu intelligendus Chryſoſtomus: *ut majori nos charitate adſtringeret, & ut ſuum in nos oſtenderet deſiderium, non ſe tantū videri permiſit deſiderantibus, ſed* ET TANGI, *& manducari.* Sic ob fimbriam veſtimenti contactam, ſe tactum exclamat Chriſtus: *quis eſt qui me tetigit?* Hic modus loquendi familiaris, ut quis ſe totum perplutum aſſerat, eò quod veſtis compluta ſit: ſe ſordidum pronuntiet, eò quòd eadem lutulenta ſit. Non manibus, ut Thomas voluit, Chriſtus palpandus, ſed fide. Acceſſit ad Jeſum mulier *quæ ſanguinis fluxum patiebatur,* & dicebat intra ſe: *ſi tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero, & ſalva facta eſt mulier ex illa hora;* non ex contactu fimbriæ; ſed ex vera & viva quam de ipſo habebat fide. Accedimus nos quotidie modo longè excellentiori & penitiori; & tamen veteres animæ morbos, hujus ſolius defectu non excutimus, ut aureè Chryſologus: *tetigit veſtimentum mulier, & curata eſt, & ab antiquo eſt abſoluta languore. Miſeri! qui quotidiè* (ut ſolent ſacerdotes) *corpus Domini tractamus, & ſumimus, & à noſtris vulneribus non curamur; non Chriſtus infirmitatibus, ſed* FIDES OBEST: *nam multò magis modo in* NOBIS MANENS *poterit vulneratos curare, qui latentem mulierem* PRÆTERIENS *ſic curavit:* Nemo hic incredulus & infidelis Thomas aſſiſtat, qui eum tactu palpare, & manum in latus mittere præſumat; ſed ſi à languoribus ſuis curari deſideret, fide vivâ accedat, quâ freti *quotquot* TANGEBANT *eum, ſalvi facti ſunt,* non ſolum ab infirmitatibus corporis, ſed & animi. Sic & tu cum virguncula illa S. Agnete exclamare poteris: *quem cum amavero, caſta ſum:* CUM TETIGERO, MUNDA SUM: *cum accepero, virgo ſum;* in hoc etenim Sacramento, ut ex dictis patet, *ſenſus noſtri piè ſunt decepti.*

Verùm ad Fidei ſupra virtutes reliquas præſtantiam prædicandam, ſit parum, fidem, animæ Chriſti ſponſæ dotem eſſe: ſit parum Fidem, animæ pro Deo militantis impenetrabile ſcutum eſſe: inſuper fidem, animo robur, pectori fortitudinem (ut in virgunculis, & parvulis patet) pugnantibus palmam triumphi tribuere parum ſit. Illud certè parum non eſt: Fidem bonorum omnium fontem, promiſſæ pignus beatitatis eſſe, qua deſtituti, & extra Eccleſiam poſiti, quidquid ſuppliciorum Martyres diaboli tolerârunt, nihil conſecuti ſunt, quàm ut à tormentis hujus ſæculi, ad *locum tormentorum* æternorum devoluti ſint; qui ſi fide Chriſti dotati fuiſſent, inter glorioſos Eccleſiæ pugiles, immarceſſibili in cælis corona redimiti fuiſſent, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Unde diabolus inter ſuos Martyres numerat hæreticos, qui ex merito flammis, aliiſque atrocibus pœnis addicti, diabolicâ pertinacia omnia perpeti maluerunt, quàm errores ſuos, & falſa dogmata revocare; quorum conſtantiam ſectarii fruſtra deprædicant: *nam ſi de paſſionibus gloriandum eſt,* inquit magnus Auguſtinus, *poteſt & ipſe diabolus gloriari.* Alibi verò propoſitis Chriſtianorum vexationibus, heterodoxis nihil tormenta profuiſſe tradit, dicens: *non iſta perpeti fructuoſum eſt; ſed iſta pro Chriſti nomine non ſolum æquo animo, ſed etiam cum exultatione tolerare. Nam multi hæretici nomine Chriſtiano animas decipientes, multa talia patiuntur; ſed additum eſt: propter juſtitiam.* UBI AUTEM SANA FIDES NON EST, NON POTEST ESSE IUSTITIA: QUIA IUSTUS EX FIDE VIVIT.

Idem confirmat Carthaginienſis Antiſtes, ſuo ſanguine pro fide fuſo, purpuratus Martyr: *eſſe martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt: ad regnum pervenire non poteſt, qui eam, quæ regnatura eſt, dereliquit.* Et pauló poſt: *ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel objecti beſtiis, animas ſuas ponant; non erit illa* FIDEI CORONA, *ſed pœna perfidiæ: nec religioſæ virtutis exitus glorioſus; ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt.*

Inter hos diaboli martyres recenſendi, & ſanguineis lacrymis deflendi, ab Eccleſia & fide alieni, qui nudis pedibus incedunt, jejuniis ſe macerant, flagellis enecant, nihil non auſteritatis ſupra omnes viros Religioſos, & priſcos Anachoretas aſſumunt, quorum ſectas *Flagellantium, Crucíferorum, Lolhardorum, Begardorum,* Spondanus Apamearum Epiſcopus in ſacris ſuis Annalibus commemórat. Nec quidquam horum afflictiones conferunt, uti nec hæreticorum prolixæ preces, pſalmorum cantus, jejunia, eleemoſynæ, aliaque pietatis opera, ſalutis æternæ minimè meritoria ſunt: quia SINE FIDE *impoſſibile eſt placere Deo,* quæ prima omnium virtutum, ſplendorem confert, & ultima triumphat.

Ut itaq; diſcamus & concludamus, omnium operum perfectionem, & quaſi characterem ac notam, fidem eſſe, eamque primum, hoc eſt, præcipuum, hoc maximum decus & præſidiū, ſuper omnes virtutes eminere, non obſcuro ſymbolo, ſeu ſimulachro adumbrari mihi poſſe videtur in illo celeberrimo & pulcherrimo, Cnei Pompei triumpho, quem apud Plinium deſcriptum reperio.

Tertiò triumphum egit nobiliſſimum Pompejus, non modò de piratis, ſed etiam de Aſia, Ponto, aliiſque Regibus debellatis. Vix credi poteſt,

[Marginal notes, left column:] ...cap. ... / part. 1. ... / ...chan. 3. / Gen. 27. v. 21. / S. Thom. opuſc. 58. cap. 7. / Chryſoſt. hom. 45. in Ioan. / Luc. 8. 44 / Matth. 9. v. 20. / Chryſolog. ... 33. / Marc. 6. v. 56. / Breviar. Rom. 21. Ian. / S. Tho. cit.

[Marginal notes, right column:] Luc. 16. v. 28. / Heb. 11. 6. / Aug. ſerm. 117 de diverſis c. 4. / Aug. de ſerm. dom. in monte. cap. 9. / S. Cyprian. lib. de unitate Eccl. / Spondan. Annal. Eccl. a. 1349. n. 11. 12. & a. 1414 n. XIV. / Ad Heb. 11 v. 6 / Fides de omnibus virtutibus triumphat. / Plinius l. 37. cap. 2.

potest, quot, qualesque divitias eo triumpho ostentaverit: gemmas eximiæ magnitudinis & pretii: statuas aureas tres, montem aureum cum cervis & leonibus, & pomis omnis generis, circumdata vite aureâ. Hisce, aliisque, tradit Plinius, omnium stupore celebratum fuisse Pompei triumphum. Sed inter omnia pretio & pulchritudine eminebat Musæum ex margaritis, inter quas omniū oculos, admirationemq; rapiebat ad sese imago Cnei Pompei, è margaritis mirâ arte fabrefacta, & concinnata, adeò ut quidquid splendoris & stuporis in illâ tam magnificâ divitiarum pompa fuerit, uoom Pompei simulachrum obscurarit.

Dicerem inter reliquarum virtutum margaritas, gemmasque nitidissimas, eum tenere locum, præstantissimam & pretiosissimam Fidei imaginem, excellentioribus longè, quàm imago Pompei expressam margaritis. Fides enim, præter alias virtutes, Deum objicit oculis mentis, nec solùm monstrat, quem postea videbimus sicuti est; sed etiam hic ejus format signum & simulachrum tam vivum, & verum, ut de ipso ectypo & prototypo dubitare, nec enarrare possimus.

S. Thom. Apostolus fidem longius, quàm alii Apostoli promulgavit.

Hanc fidem, quis credat? Thomas hactenus incredulus & infidelis, usque in alterum, & omnibus incognitum orbem, in triumphum duxit, gloriosa de pertinacia sua, reportatâ victoriâ; quæ si tollatur, non modò omnis hæresis, sed & perseverantia in malo evanescet.

S. Thom. 22. q. 138. a 2. Isidor. lib. 10. etym. cap. 15. Ioan 19. v. 22.

Thomas Aquinas de pertinacia & pervicacia agens, sic docet: *pertinax dicitur aliquis secundum Isidorum, qui est impudenter tenax, & quasi omninò tenens; & hos Philosophus lib. 7. eth. cap. 9. vocat idiognomones, id est, propriæ sententiæ: quia scilicet perseverant in propria sententia plusquam oportet*; mordicus tenentes ac tuentes illud Pilati: *quod scripsi, scripsi*: quod dixi dixi: *semel locutus sum, non adjiciam*; & ne quid honori aut existimationi meæ decedat, etsi omnes starent in caput suum, à proposito non recedam.

Quantæ virtutis sit pertinaciam vincere.

Ille interim dum suo capiti & judicio stat, non plus consulit honori suo, quàm qui à recta via aberrans, edoctus quâ eundum sit, eidem insistit, & vel rusticis ludibrio est; nec velle gradum revocare, juxta Salvianum, intollerabilis contumaciæ est: *incidere enim in falsa opinionis errorem, priusquam vera cognoscas, animi est simplicis; perseverare verò meo, postquam agnoveris, contumaciæ*; atque hac fretus, Catonis instar:

S. Salvian epist. ad Aprum.

Horat.

Fortem & tenacem propositi virum.

Se omnibus spectandum & prædicandum ostentat. Rectè, si rectè, si in bono pertinax sit; at si in malo, pessimè, ac perditissimè, non secùs ac si quis adverso flumine & flamine, velit navarchum, quò ille obfirmavit animum, navigium impellere; cùm politicæ prudentiæ magister Seneca dicat: *Prudentis naucleri esse, pro vento mutare navigium.*

Prudentis est, pro tempore, pro circumstantiis, & mutatis rationibus, mutare agendi modum ac propositum; ita Richardus à sancto Victore: *Pro tempore, & moribus hominum (viri in Ecclesia eximii) se mutant: nec hac mutabilitate fiunt instabiles; sed stabiles & firmi.* Cujus veritatis hanc rationem reddit: *Mutant enim modum sed non animum, & manet eadem intentio, etsi non eadem actio.* Quæ doctrina adeò vera est, ut prudens quis, & constans dici non posset, qui in variis eventibus, agendi non mutaret modum, ut eleganti similitudine Pontificius Orator exponit: Morbo decumbat Dynastæ filius unicus, in spes amplas educatus, & futurus hæres. Febris tanto sæviat impetu, ut primo æstu delirium inferat ægrotanti. Tunc pater, cui antea indulgebat delicias, venationes in silvas, exercitationes equestres, omnesque corporis ac animi relaxationes, repentè omnia subducit: cubiculo inclusum servat, lecto alligat, sanguinem educit, urit, secat, mille modis excruciat, & præter inediam peracerbam, sitienti in summo æstu, aquæ poculum negat. O tyrannum! ò barbarum! ô pyratam! Quid hominem mutavit in belluam, parentem in carnificem? At multò magis parens est, modum, non animum mutat; tunc enim maximè perseverat in amore filii, & curam ejus habet. Vitricus foret, non parens sed peremptor, si ægrotanti concederet modulos musicos in insomnia, frigidam in ardoribus, libertatem in deliriis, ciborum copiam in febris æstibus, expatiandi licentiam in rigore frigoris. Optimè itaque Richardus dixit, cùm de præstantissimis viris scripsit: *Pro tempore & moribus hominum se mutant; nec hac mutabilitate fiunt instabiles, sed stabiles & firmi. Mutant enim modum, non animum.*

Richard. à S. Victore, part. 1. ... Cant.

Adm. P. ... cone. 14.

Richard. ut

Quòd si in moralibus, prout ratio dictat, modum agendi & propositum sentiendi mutare prudentis est, in divinis, & iis, quæ fidem concernunt, à pertinaciâ decedere, Christiani & fidelis est. Petrus animum obfirmarat non permissurum se, ut humilitatis magister sibi pedes lavaret, dicens: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* At ubi severam Christi comminationem audiit, animi pertinaciam detestatus, ait: *Domine, non tantum pedes, sed & manus, & caput.* Quibus vocibus dum applaudit S. Cyrillus, admonet, ut abscedamus à proposito, si meliùs quid occurrerit: *Tu tibi Petrum propono, qui etsi dixerit, non lavabis mihi pedes in æternum, cedit tamen confestim. Et nos, si quid exciderit, etiamsi probè dictum videretur, cùm tamen aliud melius appareat quàm primum illud, amplectamur.*

Ioan. 13. v. 7.

S. Cyrill. lib. 4. in cap. 13 Ioan.

Quòd si testimonium majus requiritis, Christus Chananææ clamanti, & sanitatem filiæ postulanti respondit: *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël*, & spem omnem præscindens, addit: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Tunc verò mater & lacrymis & querelis tam potenter ... rotavit, ut Christus mutatus prec... eloquentiâ, quòd petebatur, benignè concesserit: *O mulier! magna est* FIDES *tua: fiat tibi sicut vis, & sanata est filia ejus ex illa hora.* Quis nunc ausit dicere, lædi famam ex mutatione sententiæ, si Petrus Princeps Ecclesiæ, si Christus, Dei Filius,

Matth. 15.

Filius, Rex Regum, diſceſſit à propoſito? Quòd ſi è bono in melius commutare, laudabile ſit; à malo & ſcelerato in optimum & planè divinum commutare, quantò laudabilius erit? Sed divus Ambroſius ob innatam mortalium animis pertinaciam, id adeò arduum & difficille aſſerit, ut vix hominem, niſi excelſæ omninò mentis reperiri exiſtimet, qui ſe erraſſe fateatur: *Nihil peccare*, inquit, *ſolius eſt Dei: emendare ſapientis eſt. Id tamen eſt difficile: quid enim tam rarum, quàm ut invenias virum, qui ſeipſum coarguat, & factum condemnet ſuum? Itaque rara pœnitentia: repugnat enim verecundiæ.*

Amb. epiſt. 3. ad Simplic.

Rarum hoc & præclarum exemplum glorioſus Apoſtolus Thomas nobis reliquit: hic etenim viſis Chriſti reſurgentis plagis, ſeipſum ad pedes ejus ſummâ ſui demiſſione proſternens, à tactu abſtinuit, & fide planè divina exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus*; ubi Thomas Aquinas: *Sufficit THOMÆ ad fidem proprium vidiſſe quod viderat; ſed nobis operatum eſt, ut tangeret quod videbat*; nam Chriſtus pro ſuo in diſcipulum affectu, manum ejus arripuit, & ſingulis plagis admovit: *ut effundant toto orbe, iterum te Thoma aperiente, hæc vulnera FIDEM, quæ aquam in lavacrum, ſanguinem in omnium pretium jam fuderunt*; unus porrò qui longiùs à fide receſſerat, quaſi generoſo ſaltu, longius præ cæteris Apoſtolis peregrinatus, quod audierat, quod viderat, quod manus ejus contrectaverant, Medis, Perſis, Hircanis, Bactris, Chinenſibus, Americanis de verbo vitæ annuntiavit; adeò ut dubitando, fidem omnium ſtabiliverit, & dubium omne deterſerit. Chryſologus ſic illum alloquitur: *cur tibi ſolus, Thoma, ſola vulnera præſentari ad iudicium FIDEI unus callidus explorator expoſtulas?* Tum ſic ad ſuos olim Auditores, & ad nos: *quæſivit, fratres, pietas iſta, exegit iſta devotio, ut reſurrexiſſe Dominum nec ipſa impoſterum dubitaret impietas.* Altera ratio eſt: quod *Thomas non ſolum cordis ſui, ſed hominum omnium* CURABAT INCERTUM, *& prædicaturus hæc gentibus, quemadmodum tanta* FIDEI *adſtrueret ſacramentum, executor ſtrenuus perquirebat.*

Ioan. 20. S. Thom. 3. part q. 54 art. 4. ad 1.
Chryſolog. ſerm. 84.
Chryſolog. ibi.

Quæ fides firma & viva, quàm inconcuſſa animo Thomæ inhæſerit, vel ipſi parietes teſtantur; ſic enim qui de admirandis Paleſtinæ ſcribunt, affirmant, ædes ſancti Thomæ Apoſtoli etiamnum perſtare, & hoc virtutis ab eo traxiſſe, ut habitatores non ferant niſi fideles: quod ſi qui inibi degere audeant alieni ritus & religionis, ii ſtatim experiuntur atroci obitu, facinus illud ſuum puniri. Ne verò audeant, jam exempla plurimorum deterrent, qui ſuo id periculo, imò & interitu pertentârunt.

Nierenberg. de miraculis nat. c. 16. Silveſter Petra ſancta. Thaumaſia 10. 3 cap. 1.
Ædes S. Thomæ nullus infidelis inhabitare poteſt

Crederes Apoſtolum etiam in tecto, domoque, animâ & ſenſu vacuâ, teſtari velle quæ fuerit illi fides à contactu pretioſi Corporis: crederes etiam in aliis reparari velle ea diſpendia, quæ fortè ab illius quondam fidelitate paſſa fuit primæva in Chriſtum fides: crederes protendere velle miracula eam fidem ad poſteros, ſeraſque ætates totis Indiis promulgandam. *Veniant*, ut cum Chryſologo concludam, *& audiant hæretici*, ſepoſitâ cum Thoma pertinaciâ, *& ſicut dixit Dominus, non ſint increduli, ſed fideles*; nec pertinaciores ſint gentilibus, Indis, ac Hircanis, quorum fidem, & eximiam hujus Apoſtoli gloriam, mirabili prodigio Deus declaravit.

Chryſolog. ibi.

Edeſſæ urbe Syriæ, in quam S. Thomæ corpus eſt deportatũ anno Domini CCXXXVI. uti refert Baronius, viſitur illius ſepulchrum eâ frequentiâ populi, ac celebritate, quâ ferè Romæ SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ut affirmat Chryſoſtomus. Ad illud, ſicut admiratione ac veneratione digna ſunt plurima, tum illud vel maximè, quod in pervigilio feſti illius, aurâ hiemali acrigidâ, poſt exactum penſum veſperarum illius diei, Epiſcopus apertâ urnâ ſepulchrali, aridum vitis palmitem inter manus Apoſtoli cùm collocaſſet, poſtridiè ſummo diluculo eundem non virentem modo cum pampinis; ſed & turgentem cum botris invenerit, ut aſſolet in ubere, maturaque vindemiâ. Ex his porrò uvis tantum vini exprimi placuit, quantum ſacrificio illius diei ſatis eſſet. Quo quid aliud innuere voluit, quàm quod aridus ille palmes, qui in ſacris Divi Thomæ manibus, cœu fertili, fœcundoque ſolo implantatus vixit, & pampinos, uvaſque extulit, indicet eam ubertatem quam Indiæ, & Indis omnibus, ceu arido palmiti dedit: dum iis & primam Chriſtianæ fidei radicem, & amœnam ſpei viriditatem, & amoris divini muſtum, vinumque charitatis fudit: vinum nempe divini amoris, quod è cellis illis vulnerum Chriſti hauſerat.

Aliud miraculũ.
Chryſoſt. hom. 26. in epiſt. ad Hebræos.
Silveſter Petra ſancta. Thaumaſia. 10. 3 cap. 15.

Sed non ad Indos & Gentiles hic mihi ſermo eſt, è quibus multi crediderunt; verum enimverò hoc deplorandum & execrandum eſt, inter Chriſtianos tam multos incredulos & infideles reperiri, ut ſanctus Evangeliſta meritò queratur & quærat:

§. II.

Filius hominis veniens, PUTAS INVENIET FIDEM *in terra?* Luc. 18. v. 8.

PAradoxum hoc videbitur, ſed nimis quàm verum. Primùm quidem in cœlo fides quærenda non eſt, quæ eſt *argumentum non apparentium*; beatæ autem mentes Deum intuitivè contemplantur, ut Auguſtinus loquitur: *Iam non dicitur nobis*: CREDE *quod non vides; ſed gaude quia vides.*

Ad Hebr. 11. v. 1.
Auguſt. in pſal. 91.

Nec apud inferos fides invenienda eſt, licet Apoſtolus dicat: *dæmones* CREDUNT *& contremiſcunt*; ſic enim illud exponit Doctor Angelicus: *illa dæmonum fides, qua credunt quod unus eſt Deus, non propriè eſt fides: quia non eſt habitus infuſus; ſed eſt quadam credulitas non voluntaria, ſed neceſſaria, & quaſi tormentis extorta. Unde non aſſentiunt primæ veritati propter ſe, ſed magis ſentiunt eam.* Sed ſi nec in cœlo nec inferno, ſaltem *filius hominis veniens, putas* IN-

Iacob. 2. v. 19. S. Thomas hic
Vera fides apud paucos invenitur.

VENIET FIDEM *in terra?* Non in gentilibus, non in idololatris, non in hæreticis & schismaticis: at numquid in Christianis, in Catholicis, in vobis hic præsentibus, veram Christi fidem profitentibus? Asserere non audeo, reclamante Scriptura: *confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cùm sint abominati, &* INCREDIBILES, *& ad omne opus bonum reprobi.*

Ad Titum c. 1. v. 16.

Hominem mihi date, qui conceptissimis verbis profiteatur: ego Christianus sum, ego Catholicus, ego virginis matris sodalis (& ego quid non?) Ego Ecclesiam Catholicam cum uxore & liberis ad usque supremum spiritum defendam. Rectè hæc quidem & fortiter dicuntur, si modo seriò & ex ipsis animi fibris dicerentur. Exploremus itaque viri fidem, & videamus, quantum os à corde distet, quantum ficta fides abfit à vera. Dicamus huic viro nummorum tenacissimo: da, quæso, huic pauperi unum alterumve aureum, & pro iis mille recipies in cœlo: nam Salomone teste, *fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Ergò *perde pecuniam tuam propter fratrem tuum*, & abundantissimè recipies eam. Observate vos jam hominis fidem: vultum contrahit honos iste vir, & obliquum tuetur: capite abnuit, & melior est, inquit, passer in manu, quàm aquila super tectum: incertis certa præferenda.

Prov. 19. v. 17. Eccl. 29. v. 19.

Fide certâ & indubitatâ tenetis, verba esse Christi: *si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* Nonne etiam creditis, bona æterna, cælestia, divina, longo intervallo anteire terrena, humana, peritura? Quisque respondet, scimus. Cur ergo non sequimini Christi consilium, cur non relinquitis perituros nummulos pro thesauro cælesti? Quid vobis deest, cur non æmulemini tam multos per orbem dispersos viros opulentos, & pecuniosos, qui omnia sua abjecerunt, ut thesauro illo à Christo promisso, potirentur? vos creditis, & illi crediderunt; in illis fuit fides, & in vobis est. Cur igitur non sequimini eorum exemplum? Hæc una est ratio; quia in illis fuit fides, sed viva, sed efficax, excitata, heroica, quâ certius credebant vera esse Christi promissa, quàm si oculis coram intuerentur; & illa in vobis desideratur. Talis erat fides in magno illo ascetarum Patre *Antonio*: hic solus jam parentibus defunctis, luculentâ admodum hæreditate potiebatur: dives erat opum, supellectilis, fundorum, rerum omnium. Affluebat divitiis, innatabat pecuniis, cor, cogitationesque omnes ad opes convertebat. Hæc illo agitante, ingreditur templum, ut rei sacræ intersit; legitur Evangelium in quo hæc Christi verba referebantur: *si vis perfectus esse, vade, vende, &c.* Extemplò, momento unico mutat animum, & consilium, domumque reversus arcas reserat, involat in pecunias, easque plenis manibus in pauperum sinus velut aureum imbrem depluit, alia bona dicto citius vendit, dat egentibus, & omnium inops ad vastissimam solitudinem se confert, ibique inopem vitam degens 98. annis, spe certâ illius thesauri à Christo promissi, aliquando obtinendi, se fovebat. Quid eum ad ista adegit? magna fides, quæ si in nobis esset, inquit Nierenbergius, primâ vice quâ audivissemus verba Christi: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, vix ultima syllaba esset pronuntiata, cùm jam renuntiavissemus omnibus quæ possidemus; quis enim non contemneret illicò mundum, ex eoque fugeret, si fide vivâ & verâ illustratus, audiret hæc tam speciosa, tam ampla Christi promissa: *Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Hæc verba contemptum mundi in universo mundo, & spontaneam paupertatem tot nobilibus ac opulentis adolescentibus suaserunt: hæc verba, claustra virginibus, monasteria viris, deserta anachoretis, urbes Religiosis repleverunt: hac spe tot viri Principes, Reges, Imperatores, exuerunt se purpurâ, deposuerunt diademata, abjecerunt sceptra, & è palatio ad mapalia, ex aulâ in caulam, in antra & speluncas confugerunt. Quid vos retinet terrenis affixos? Cur non renuntiatis omnibus quæ possidetis? Quia non creditis, quod exemplo Ægydii, qui fuit primus S. Francisci in religioso vitæ instituto socius, palam vobis faciam.

Matth. 19 v. 21. *Matth. 19* *Matth. 19 v. 29*

Hic scitè ostendit viro cuidam litterato ac opulento, eum nō credere vera esse, quæ Christus, omnia bona, sui causâ deserentibus promittit. Sciscitatur ab illo: Credisne magna esse præmia quæ præparavit Deus diligentibus se, & spretis omnibus, sequentibus se? Credo ait. Atqui ego ostendam te non credere. Quanti valent facultates, & census tui? Mille, ait, aureos. Si hos ergò ita collocare posses, ut subitò centū millia conficerent, nónne mox exponeres? Illas ergò abjice, & da pauperibus, & centuplo amplius recipies, restante Domino: *Omnis qui reliquerit* &c. cùm igitur hoc non facias, patet te non credere.

Idem argumentum valet in omnibus operibus misericordiæ, quæ si ad salutem non conferrent, ut hæretici insanè jactitant, solam fidem salvare & justificare: (quia *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*) frustra in judicio Christus exprobabit, & dicit his, qui à sinistris erunt: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Quid causæ? quòd fornicarii, adulteri, fures, latrones? Non. Sed *esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum &c.* Quam veritatem cornuto syllogismo ad hæreticos confutandos, aliquando probatam reperio.

Marci 16 *Matth. 25 v. 41.* *Refutantur hæretici, qui volunt solam fidem sine operibus salvare.*

Pater Campianus invictus ille in Angliâ pro fide pugil, cùm esset ab eculeo semivivus in disputationem pertractus, contra *Novellum* atque *Dayum*, magna tum Ecclesiæ Anglicanæ lumina, hac usus ratiocinatione: si sola fides justificat, sine charitate justificat; sed sine charitate non justificat, ergo non sola justificat; ita adversarios perculit, ut cùm negare ea, quæ sumebantur, non auderent, id solùm occlamarint, vitiosam esse collectionem; quam tamen examinari ad leges dialecticas (quod urgebant

Imago primi sæculi Societ. pag. 341.

unicè Catholici,) numquam sunt passi, ne videlicet sua aut fraus, aut ignorantia, seu pertinacia proderetur.

Sed missâ controversiâ, hoc contendo, omnia bona opera cessare, omnia scelera ex eo fonte promanare, quòd verâ ac vivâ fide destituamur. Hæc incomparabilis viri, ipsius divi Augustini doctrina est, qui in illud psalmi 52. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, sic disserit: *Prodeant in medium, qui malè vivunt. Inspiciamus facta flagitiosorum, sceleratorúmque hominum, quorum magna turba est, qui factis in consuetudinem versi, etiam verecundiam perdiderunt. Et isti tales sunt, ut dicant in corde suo, quia ore dicere non audent*, NON EST DEUS; non est Deus, qui nos videat, qui nos puniat.

Omnia peccata pullulant ex defectu veræ fidei August. in psal. 52.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis. Unde omnis hæc iniquitas? unde hæc perversitas? Causam nosse vultis? *Cœpit*, inquis, *corruptio* A MALA FIDE; *inde itur in turpes mores, inde in acerrimas iniquitates.*

Quid homines carnales impellit ad furtivam libidinem, ut nec oculum Dei omnia videntis, & in æternum punientis reformident? unde *fic itur in turpes mores*, & lascivos amores, nisi *à mala fide*? Dicunt enim in corde suo, ac si non esset Deus: *Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me, quem verear? Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius.*

Eccl. 23.

Quid helluones & bibones in eam agit ingluviem & temulentiam, ut ratione omni extinctâ, quasi in belluas degenerent, nec Deum suum agnoscant? Respondet citatus Doctor: AB HAC MALA FIDE *sequitur illud, quod & Apostolus dixit*: MANDUCEMUS ET BIBAMUS, CRAS ENIM MORIEMUR, more pecorum, ac si nec cælum, nec infernus, nec esset Deus.

August. cit. 1 Cor. 15.

Unde avaris tanta fames auri & lucri, nisi *à mala fide*?

Tibull. l. 3. eleg. 12. *Auro pulsa* FIDES, *auro venalia jura.*

Divinius Hipponensis Antistes: *multis fulget aurum*, FIDES NON FULGET: *habent quippe oculos unde aurum videant; unde* FIDEM *videant, non habent*; unde videant & credant illud Pauli: *neque avari, neque ebriosi regnum Dei possidebunt*, non habent.

August. in psal. 56. conc. 2. 1 Cor. 6. v. 10.

Unde plures sibi impossibile ducunt, injuriam remittere, hosti ex animo ignoscere, nisi *à mala fide*? reclamante Scriptura: *dimittite, & dimittemini: diligite inimicos vestros.* Unde tanta in templis, in domo Dei, coram divina illa majestate, cui assistunt Angeli atque Archangeli, throni & dominationes, tremunt potestates, unde inquam tanta irreverentia & impudentia, ac si Deus noster ligneus aut saxeus esset? nisi *à mala fide*?

Luc. 6.

Tu qui templum ingrederis, credis hîc realiter Christū sub speciebus Eucharisticis contineri, qui mox nulla exhibita Numini reverentiâ, uno genu flectis, animo huc illuc evagaris, tum dorso altari obverso, cum socio fabularis, oculos in omnem partem convertis: si comptula una puella, vel è tenebricoso fornice saltatricula prodeat, mox pede terram verris, toto corpore pronus reverentiam exhibes, in eam mentem, cogitationes, oculos & animum totus intendis & corde fornicaris. Tu Christum credis esse præsentem, Patrem, Judicem tuum? si ais te credere, responde illi dicenti: *si Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* si verâ polleres fide, si firmiter crederes Regem gloriæ ibi præsentem, accederes ad templum tanquam Publicanus, nec auderes vel oculos attollere, incurvares non genu tantum sed & corpus totum pronus in terram usque, manus supplicum more conjungeres, tunderes pectus, lachrymis genas ubertim profunderes, audirentur crebri singultus, resonarent suspiria & gemitus, & illo situ, ac corporis habitu, ad horas aliquot in oratione, & ferventi cum Deo colloquio constanter perseverares. Imò verò si in nobis esset vera & viva illa fides, nulla nobis lætitia, nullum gaudium, nulla voluptas major foret, quàm in sacra æde coram Christo in venerabili Eucharistia præsente consistere, cum illo colloqui, cum illo manere: nec major esset dolor, quàm ab ejus familiaritate, consuetudine & præsentiâ debere avelli. At quàm longè alia, & ab hac fide maximè aliena monstrat nobis quotidiana experientia, & abominanda quæ in conspectu Dei committuntur scandala? Ambrosius hos pravos sui temporis mores & errores, quibus nostri pejores, sic increpat: *non revereris esse Angelorum præsentiam, si præsentes esse* CREDERES! *Non metueres, non dicam facere, sed loqui, aut aliquid cogitare quod pravum est, si tibi divina Scriptura suasisset, quia Deus cogitationum arbiter est, secretorum testis? Hominem vereris præsentem, Dei Patris & Filii non vereris præsentiam. Sed* NON VIS CREDERE, *ne possis cavere. Tu putas quod sine teste delinquas, putas te solum esse cum fornicaris; & non recordaris, quia oculi Domini lucidiores Sole? Adest Pater, adest Filius, adsunt ministri, adsunt Cherubini & Seraphim, qui dicunt SS. SS. SS. plena est omnis terra majestate tua. Putas quod in adulterio te non deprehendet, quem videt adulterium cogitantem?*

Malachiæ 1. v. 6.

Ambr. in psal. 118. serm. 1.

Profectò habent sectarii, quod ejusmodi Catholicis illudant, & Christum in ara præsentem non credant, dum fabulis suis, risu, gesticulationibus, omnique irreverentiâ, illum nobis adorandum proponi negant: ex eo enim quod fides Christianos convincat, Deum nostrum omni loco ac tempore præsentem esse, rectè *Athenagoras* inferre voluit, nos quasi impeccabiles esse. Volens porrò probare *Marco Antonio* Imperatori, & filio ejus *Commodo*, quantum Christiani abessent à sceleribus, quæ Ethnici illis imputabant, ut modium illos adduceret, hanc rationem adfert: quod fides Christianos obliget credere, quod Deus illos videat noctu diuque, ac omni loco, non modò dicta & facta, sed & cogitationes ac intimos animi sensus. Unde, inquit, necesse est, in illis sit magnus timor pec-

peccandi, & reverentia tantæ Majestatis præsentis, sic ut necessitatem quandam rectè agendi inducere videatur, si Deum vivâ fide semper ob oculos habeamus. Qui ergò Christianos tam protervè in conspectu Dei cernentis ac severissimè punientis, in omnia flagitia prorumpere audierit, illos minimè credere, rectè in animum induxerit: nam ut verissimè Augustinus: *illi qui malè vivunt, nihil aliud dicunt,* QUAM NON EST DEUS. Sic ut omnis iniquitas, omne peccatum, omnis *corruptio à* MALA FIDE *oritur.* Similitudine res clarior evadet: si quis præmoneret te, ex illo poculo quod toxico infectum, ne biberes; tu verò non desisteres, evidenter pateret, te illi fidem non habere. Haud aliter, fides tibi poculum aureum avaritiæ, luxuriæ, gulæ, iracundiæ, lethali veneno commixtum, tibi dictat deviirandum, ni certissimam mortem animæ incurrere velis; si nihilominus deliberato animo statutum sit, potum hunc appetere, dictis quibus fides habenda est, te diffidere, manifestò convinceris. Vel si lubet, rursus percunctabor: creditis vos tam horrenda esse reproborum apud inferos supplicia? Creditis hominem mittendum in ignem æternum, quisquis noxam unam lethalem admiserit? Ostendam vos credere. Deligamus aliquem deditum voluptatibus, & in hunc modum quæramus: quantum tibi voluptatis deposcis, ut diem unum nudus in ardenti fornace consumas? Respondebit haud dubiè, etsi omnes mundi voluptates offertes, non pateret. At paciscamur ulterius: quid præmii petis ut medio die ardeas? Pone, inquit, quidquid voles opum, & deliciarum, non ferrem. At ut conveniamus tandem: quid præmii aut voluptatis postulas, ut unâ horâ duntaxat ardeas? da totum mundum, recusarem. Nonne de illo liceat cum Bernardo jure expostulare: *putasne filium Dei reputat Iesum, quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit?* Nonne is, ETIAMSI FATEATUR SE NOSSE DEUM, FACTIS TAMEN NEGAT? O cæcitatem hominum! ô imbellem & mortuam fidem Christianorum! ut unâ horâ in pictis his ignibus simus, positis in præmium omnibus mundi divitiis & deliciis, persuaderi nobis non potest; ut æternos inferorum ignes ob momentaneam voluptatem patiamur, dæmon facilè persuadet. Egone mihi persuadeam tales Catholicos esse, illos pollere fide, illos credere, esse supplicia æterna improbis parata? Illumne dicam credere in Deum, *cujus declinat affectum, contemnit superrium, vellet non esse judicium?* Quid sentis Abba pater? *periculosior est fidei victa, fides dolosa, quæ se ipsam dissimulat, quàm fides nulla.* FIDES NULLA *per insipientiam dicit in corde suo:* NON EST DEUS. FIDES *ficta per nequitiam dolosè agit in conspectu ejus, & se scire Deum, vel sciri à Deo dissimulat: dum sciens & prudens; imò imprudens & impudens sub oculis ejus peccat. Nescio tamen quomodo possit dici* FIDES, *quæ fictos & dolosos potius facit, quàm fideles.*

Tum fidem veram vix in terris reperiri, sic paucis prosequitur: *scio quidem quia confessione fides plena est terra; sed audio Prophetam plangentem: quia* PERIIT FIDES DE TERRA. PUTAS ENIM FILIUS HOMINIS SI VENERIT, INVENIRET FIDEM SUPER TERRAM? *Numquid fidem reputaret, hanc fidem fictam?*

Profectò hujusmodi fidem multo deteriorem probat quàm sit fides dæmonum; subdit enim: hâc fide *meliorem judicat credulitatem dæmonum: dæmones enim credunt & contremiscunt; homines credunt, nec contremiscunt: dæmones quem credunt, verentur; homines, dum quem credunt, nec timent, nec verentur, gravius de contemptu judicantur.*

Quis hæc unquam Christianorum pravè & perversè viventium sibi persuasit, aut nullam se fidem, aut deteriorem & noxiorem dæmonibus habere? Hoc interim & Theologorum Princeps pro indubitato asserit, in illud Jacobi 2. vers. 19. *dæmones credunt, & contremiscunt;* ubi ait: *in hoc, pejoris conditionis est* FIDES *malorum hominum; quoniam non timent divinum judicium. Qui Deum non credunt, vel creditum non timent, dæmonibus crudeliores & proterviores sunt.*

Concludo itaque cum Augustino, inprimis omnem Christianum benè, piè, ac sanctè vivere, hoc est, mandatis Dei servandis, pietatis ac misericordiæ operibus incumbere, qui verè, ac vivaciter credit: quia *difficile est, ut malè vivat, qui benè credit. Fides appellata est ab eo, quia fit, quod dicitur. Dua syllabæ sonant cùm dicitur fides: prima syllaba est à facto, secunda à dicto. Interrogo ergò te, utrum credas? Dicis, credo; fac, quod dicis, & fides est.* Quid enim, inquit Guerricus, *sic hominem à peccato revocat, & servat, sicut fides qua invisibilem tanquam videns sustinet.*

E contra verò omnia flagitia Christianorum ex mala fide, ex fide ficta & mortua oriri, supra demonstravimus; nam *sicut à fide, qua Deus esse creditur, timor salubris nascitur; ita cùm minimè creditur, aut dissimulatur,* OMNIBUS MALIS FRENA LAXANTUR.

Unde hæc praxis paucis nota, nec unquam satis æstimanda, omnibusque aliis pietatis & austeritatis exercitiis antefereṅda, & sedulò inculcanda, ut frequenter per diem hanc veram ac vivam fidem, potissimum sub sumptionem Eucharistici mysterii, per Theologicos actus exerceamus: *Tu es, filius Dei vivi. Domine adauge nobis fidem. Domine adjuva incredulitatem nostram;* quæ praxis passim in P. S. Jure, P. Barrii, aliisque exstant, ut *fides nostra non ficta, sed vera sit: fides non mortua, sed viva & vivida fit,* ex qua tantus fructus, ut audistis, redundet. Hæc de fide divina. Sed ulterius quæro de fide humana:

Filius hominis veniens, putas INVENIET FIDEM *in terra?*

Putas inveniet fidem in aula, in curia, in castris, in foro, in propolis, œnopolis, pharmacopolis, &c. quæ jam propè urbibus & orbe exulavit?

Ut

Margin notes:
August. in psal. 52.
Ibid.
Simile.
Matth. 25
Bern. in octava Pascha. serm. 1.
Guerricus serm. 4. de S. Benedicto.
Nulla fides melior quam ficta fides.
Ibid.
Ierem. 7. 28.
Luc. 18. 8
Fides ficta pejor & nocentior fide dæmonum.
S. Thomas in epist. Iacobi c. 2. v. 19.
Aug. serm. 237. de temp. qui est 2. Dominica 1. post Trinitat.
Guerric. cit.
Aug. cit. Guerric. cit.
Matth. 16. Luca. 17. Marc. 9.
Guerric. cit.
Luc. 18. 8
Fides hu mana in terris vix reperitur.

Ut simplicitas verborum, sic fidelitas, est quædam veritas factorum, quam Seneca *sanctissimum humani pectoris bonum* appellat, quod nullâ vi expugnari, nullo auro corrumpi potest: nam si ullo casu, aut pretio comparando, aut ullo damno evitando, dictis fidem fallere, aut mentiri liceat, omnis convictus humanus, commercium omne mutuum tollitur, ac Respublica omnis evertitur; cum hoc semper dubitari possit, an mentiri hic & nunc licitum sit. Fides passim aulis exulat; qui technis, fraudibus, dolis uti nescit, exeat aulâ. *Fraus sublimis regnat in aula*; quam alibi Seneca, scholam fraudium ac seminarium mendaciorum nuncupat: *Seneca epist. 88.* *Seneca Hippol.*

Ut nemo doceat fraudes, & scelerum vias,
Regnum docebit. *Idem in Thyest.*

Regna Pharaonis, Herodis, aliorumque Principum, etiam Christianorum adi, *putas, invenies fidem?*

Quoties Pharao Moysi imposuit? quoties filios Israël illusit? Quàm fraudulenter, quàm sacrilegè Herodes Christo nato insidiatus est? Quid de aliis dicam? Constantino patre dispar filius Constantius, fœdâ hæresis labe infectus, majestatem regni transfert in sæva Arianorum patrocinia: stridunt Episcoporum catenis ergastula: desertæ insulæ, Sanctorum frequentantur exiliis: undique vis, & intentus in cervices innocentium mucro. Huic non melior succedit Julianus, hæretico apostata. Insanit Valens Arii signifer in sanguine sacerdotum, & dum flammas vomit in Deum, flammis Gothorum incensus est, Imperio non tam afflicto, quàm lethaliter concusso.

Vix duo sæcula sub Catholicis Imperatoribus Roma numerabat, cùm translatum est in alienam gentem, Occidentis Imperium. Nemo illos homini fidos credat, qui Deo non fuerunt; nec ullus qui homini fidem frangit, Deo servare existimandus est.

Certè inprimis regium & nobile est, fidem datam servare inviolatam. Ignobile autem, & vile, nec tam virile quàm muliebre, vel etiam puerile vitium, à fide datâ recedere. Omnes qui nectendis dolis student, pusilli, infelices, odiosi.

Fide Græca Dercyllidas homo vaferrimus, è dolis consitus, cum Cleomene Spartano septem dierum inducias est pactus. Ab hoc fœdere, tertiâ nocte Cleomenis castra invasit, hos peremit, illos abduxit, fidem omnem violavit. Insimulatus perfidiæ, impio cavillo flagitium eludens: *In faciendo fœdere, nullam noctium, sed dierum duntaxat mentionem esse factam* affirmavit. Sed ob hanc fraudem Argos ei redire non permissum; quæ ignominiæ nota ad insaniam hominem redegit. *Livius. Decade 1. lib 5.*

Architophel post tot dolos & laqueos aliis structos, induit laqueum, quo cunctaminatam animam insani morte extrudit: Jugurtha Romanorum triumphis ludibrio fuit: Tiberius ab hærede suffocatus: Andronicus Imperator Constantinopolitanus, qui pupillum vafrè deceptum interemerat, effossis oculis, nudus asino vectus, & dirum in modum laceratus à populo, expiravit: Ludovicus Sforcia cum tutelæ specie Mediolanensem Principatum usurpasset, spe poriundæ Apuliæ, Gallos in Italiam accivit, ut Alphonsi sibi imminentis arma diverteret. Mox idem quos evocarât socios, pessimis artibus prodidit, præcipuus omnis doli tum in Europa artifex. Sed tandem potestate exutus, spoliatus libertate, in arce conclusus per decennium, pœnas veritati dedit, & extremum spiritum exhausit in carcere. *Caussin de regno Dei.*

Romani ne victorias quidem amabant fraude acquisitas; pudet dicere, religiosius Ethnici tractabant bella, quàm plerique Christianorum Principum, amicitias. Quis non obstupescat, quod Romanæ Scriptor historiæ tradidit. *Camillus*, Phaliscos obsederat, cùm ludimagister qui civium ac primatum pueros sub disciplina habebat, atque ad relaxandos animos extra urbis pomæria in campos ducere consueverat, ubi extra teli jactum erant; tandem inter ludendum & differendum sensim illos in stationes hostium, atque inde in ipsum prætorium ad *Camillum* perduxit, dicens repetendis eis obsidibus necessariò civitatem imperata facturam. Camillus non solum sprevit perfidiam, sed & pueris virgas in manus dedit, quibus Magistrum proditorem vinctis post terga manibus, ad parentes agendum commisit. *Livius lib 43.*

Noluit hic facere quod per jura belli licebat, ne faceret, quod per generositatem Rumanam non decebat.

An idcircò invalidior? Imò adeptus est beneficio victuriam, quam fraude non concupierat. Nam Phalisci tantæ magnanimitatis attoniti spectaculo, ultrò se dediderunt.

Quid ad hæc Christiani? Idololatras à fraude oblata tam alienos cernimus, & nos fallaciarum modos omnes rimabimur? Dicta non dicta, facta infecta, pacta non pacta habebimus, fœdera & fidem rescindemus? Absit. FIDEM Quintilianus appellat, *supremum rerum humanarum vinculum*. *Quintil. declam. 343.*

Immortalem se reddidit, in hoc vinculo servando, quod frangere in manu erat, magnus Galliarum Rex *Franciscus* I. Ille *Carolum Quintum* nostrum, solâ fide Regis, & suâ fortunâ nixum, in Belgis, & turbidos tunc *Gandenses* propetantem, sine copiis, pœne sine comitibus, comiter & regaliter excepit, apud se habuit, deduxit. Sermones inter eos varii, & de pace etiam fuerunt, donando Ducatu Mediolanensi, Carolo Regis filio. Sed cùm Cæsar jam apud suos, pacatique domestici motus essent, tardior in hanc rem videbatur, sive quia nec ante seriò cogitasset. *Lipsius Monita & exempla polit. l. 2. cap 15.*

Tum

Tum igitur vapulare multorum sermonibus Regia comitas, aut credulitas : *cur non hominem, in quo rerum omnium momentum, tenuisset? Ecquando tam bella unquam occasio? Et invidia aliquid, aut infamia, pro tam spectabili utilitate, subeundum fortiter fuisse. Nunc quid nisi maxiem gloriam apud vulgus, apud prudentiores risum quæsitum?* Neque nescit Franciscus, & in conventu Procerum celebri, cum alia in purgationem sui dixit, tum hac ipsa in clausula Christianissimè : *etiamsi* FIDES *toto orbe exularet*, TAMEN REGIBUS TENENDAM ESSE, *qui eâ solâ, & nullo metu, cogi adstringique possunt.* Notabile dictum subdit Lipsius, & res sic habet. Nos lex aut pœna coercet; Principes solus pudor, aut fides. Alia de aliis, ibidem.

Quid, quòd fides non modò inter Christianos Principes, sed etiam Barbaris, Turcis, & hæreticis servanda est. Quintilianus: *Ego publicam appello* FIDEM, *qua inter piratas facta est, qua inter armatos hostes, induciæ facit, qua deditarum civitatum jura conservat;* quæ etiam libertate & vitâ posthabitâ, servanda est. Præclarè Augustinus: FIDES *magnum animi bonum, saluti quoque corporali, quâ etiam vita ista continentur, certum est debere proponi.* Rariora hic & præclariora exempla sunt. *Guido* Morinorum, maluit redeundo ex pacto inito, carceri denuò mancipari, quàm datam *Philippo* Gallorum Regi fidem frangere.

Quintilian. declamat 267. Fides etiamliberitati & vitæ præferenda. August. lib de bono conjug. cap. 4. V. Raynaud. tom 4 pag 508 Lipsius cit.

Clando non minus illustri fidelitatis testimonio : *Ioannes I.* Gallorum Rex ingenti clade *ab Eduardo* Walliæ Principe victus, captusque, in Angliam abductus fuit. Ibi quatuor annis in custodiâ liberiore habitus, ad suos rediit certis conditionibus cum hoste depactus; quæ tamen cùm graviores subditis viderentur, nec civitates Anglis dedendæ, novum jugum, præsidiumque admitterent; ipse placando hosti, & fidei testandæ, iterum in Angliam trajecit, ibique ex morbo decessit. Clade acceptâ famosus, sed sic latâ clarus, & *fide clarissimus.*

Q. Marcius hoc benè apud Livium : *Favere pietati*, FIDEIQUE *Deos, per qua Populus Romanus ad tantum fastigii venerit.* Opportunè hæc ad Persem Regem, qui spem in astu & fallaciis ponebat, fœderum parum constans; at divinâ moderante providentiâ callidi illi, & impostores, quamtumvis subtilibus consiliis, rarò aut numquam ad potentiam perveniunt.

Livius lib. 44.

Nunc prætorium Pilati, nunc curias Judicum ingredere, putas *venerabile hoc* FIDEI NUMEN, *certissimum salutis humana pignus illic invenies?* Hîc omnia controversiis, clamoribus, litibus plena. Hîc quid non fraudis? Quanta Judicû corruptela? Quot inter clientes & patronos imposturæ? Quot inter falsos testes perjuria & adulterinæ syngraphæ? Quot inter causidicos fintelæ, doli, ac fallaciæ? Quæ si in medium protulero, dies me deficiet. De his aliàs egimus.

Fides in curia deest. Val Max. lib. 6. cap. 6.

Forum inambula, omnia plena dolis & iniquis contractibus. Miratur optimus magister morum Seneca, tabulas matrimoniales, testamentales, aliosque civiles contractus tot testibus, clausulis, conditionibus, [illegible] lis, vadibus stipulari, cùm sola fides sufficere deberet, quæ si deficiat, omnia corruunt: *Vtinam*, inquit, *nulla stipulatio emptorem venditori obligaret, nec pacta conventaque impressis signis custodirentur.* FIDES *potius illa servaret, & æquum colens animus; sed necessaria optimis prætulerunt, & cogere* FIDEM, *quam spectare malunt: Adhibentur ab utraque parte testes. Ille per tabulas plurium nomina, interpositis parariis, facit: ille non est interrogatione contentus, nisi manu suâ tenuit.* Tum exclamat hic gentilis, ab omnibus Christianis audiendus: *O turpem humano generi fraudis ac nequitiæ publica confessionem! Annulis nostris plusquam animis creditur. In quid isti viri ornati adhibiti sunt? In quid imprimunt signa? Nempe ne ille neget accepisse se quod accepit. At his ipsis statim non aliter pecunia committetur. Ita non honestius erat à quibusdam fidem falli, quàm ab omnibus perfidiam timeri?* cum etiam adhibitis iis omnibus firmamentis, quæ industria & cautio suggessit, vix stet promissorum fides; fallunt sigatores, fallunt vades, fallunt testes.

Seneca lib. 3 de ben. cap. [illegible]

Id indies in testamentis, in sponsalibus videre est: tabulæ conscribuntur, ampla hæreditas, ingens dus, testibus, syngraphis, juramentis, sigillis condicitur: nova nupta domum deducitur, & vixdum finitis nuptiis, sola restant nomina, pro dote lites, injuriæ, & perjuria, splendida paupeties & nulla fides; ut quod de suis temporibus à Petrarcha proditum est, hoc quoque sæculo usurpare liceat *Nunc nec promittendi modus est, nec promissa frangendi pudor ullus*; Itemque quod de sua ætate scripsit Menander apud Stobæum serm. 28. *Ætate nostrâ*, FIDES *omnis confunditur*; ut rectè queri possit:

Petrarcha lib. 1 de remed. utriusque fort dial. 110

Cur modò tot fidibus luditur una FIDES?

Denique si introspicere, imò introire libeat,

Ambubajarum collegia, pharmacopolæ,

Horat.

Putas illic invenies fidem? Stant in pharmacopoliis decorâ serie pixides & testæ complures, suisque quæque signata titulis, grande valetudini auxilium pollicentur: hæc oleum rosarum, illa syrupum violarum, ista Rhabarbarum, aliæ cassiam, manna, & speciosissima quæque nomina piæ se ferunt. Aperi quæso, & latentem thesaurum scrutare; in plurimis illarum araneas, & inanias meras reperies. Parum hoc; si præscripta medico pharmaca in officina non sint, quid pro quo inserunt, & de corio humano ludunt. Herbas obvias, pulveres radicis lappæ, aliaque quæ flocci ac nauci veneunt, ut ratas ac pretiosas novi orbis medicinas appendunt.

Fraus medicis


At numquid apud alios propolas, œnopolas fidem invenies? Falleris: hi plus unâ candelâ, quàm coctores cerevisiæ centum fascibus braxare: uno è dolio album & rubrum, aliquantulo tincturæ admixto, promete; hoc pro Parisino, illud pro Rhenano aut Mosellano, fide sanctâ, vendere solent, quæ numquam eas Galliæ aut Germaniæ partes prætervecta [illegible]

Sic caupo, ut vino dubio ac pendulo gratiam conciliet, splendorem det, lac commiscet, sulphure corrigit, vinum sublimatum affundit, & ut purum putum, quo nullum in urbe præstantius deprædicat: mulsum pro musto propinat.

Longum esset omnes officinas obire, & quàm multa illic fucis illita lustrare. Mercator panni, aut serici, si quid exoletæ mercis habet, sub fornice obscuru vendit, & mirè commendat.

Mitto fraudes, dolos, imposturas, cuique eorum notas, quibus proximum circumveniunt, damnum inferunt, fidem suam & famam, imò & animam perdunt: & qui fidem homini negavit, Deo non servabit.

Quare, quantum, quàmque necessarium Fides bonum sit, quam servus Domino, uxor marito, quisque proximo debeat, splendidè Cassiodorus exposuit: *Cunctis laudibus* PRETIOSIOR FIDES, *quam divina diligunt, mortalia venerantur. Nam inter mundi fluctuantes procellas, unde se humana fragilitas contineret, si nostris actibus mentis firmitas non adesset? Hac inter socios amicitiam servat: hac Dominis purâ integritate famulatur: hac supernæ Majestati reverentiam pia credulitatis impendit: & si beneficium tanta rei latius quæras, immutabilis fidei est omne quod benè vivitur.* *Cassiodor. lib. 2. epist. 40.*



SOLEMNITAS
NATALIS DOMINI.

Nisi efficiamini SICUT PARVULI, *non intrabitis in regnum cælorum.* Matth. 18. ℣. 3.



Sic *regia tecta subibis.* Virg. 7. Æneid.

ARGVMENTVM.

Moyses formosissimus infans in lucem editus, Parvulum hodie è Virgine natum adum-
Psal. 44. bravit, qui *speciosus forma præ filiis hominum*, omnium in se oculos, animosque meritò
Gen. 49. defixos habet. Quare si olim *filiæ Ierusalem discurrerunt super murum*, ut Joseph deco-
rum aspectu viderent; nos non pedibus, sed desideriis, & amoris alis in Bethlehem excurra-
mus, ut filium Mariæ, *cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur*, contemplari valeamus, &
Verbum Infans è cunis elegantius, quàm Tullium è rostris perorantem audiamus; de illo e-
Isa. 30. tenim Isaias vaticinatus est: *Erunt oculi tui videntes* PRÆCEPTOREM TUUM. Dixerit
Seneca epist. 94. olim & verè Seneca: *Est aliquid quod ex magno viro vel tacente proficias.* Regina Saba ab ultimis
3 Reg. 10. finibus terræ excurrit, ut *audiret sapientiam Salomonis*; sed *plusquam Salomon* HIC, qui scho-
Matth. 12. lam divinarum artium disciplinam, & gymnasium omnium virtutum tam viris quàm fœminis,
Matt. 18. tam pueris quàm senibus aperuit, ut hanc unicam brevem, sed salubrem ab eo lectionem au-
diamus, & dicamus: *Nisi efficiamini sicut* PARVULUS ISTE, *non intrabitis in regnum calo-
rum:* cujus porta angusta, quam superbiâ elati, avaritiâ inflati, aliisque vitiis onerati non in-
trant; sed opus est, ut quasi modò geniti infantes, spirituali regeneratione renascamur, ad
mores Parvulorum, ac potissimùm divini hujus Infantis redeundo, eosque, quod Religiosi
per tria vota; Christiani verò humilitate, amabilitate, & vitæ puritate præstare possunt, in
se exprimendo.

§. I. *Erunt oculi tui videntes* PRÆCEPTOREM TUUM. Isa. 30.
§. II. *Nisi efficiamini* SICUT PARVULI, *non intrabitis in regnum calorum.* Matth. 18. v. 3.
§. III. *Ut efficiamini* SICUT PARVULI, *& quasi modò geniti infantes, opus est ad innocentiam infantum, spirituali generatione renasci.*

IN SOLEM-

IN SOLENNI FESTIVITATE

NATALIS DOMINI.

Parvulus natus est nobis, Filius datus est nobis.
Isa. 9. ℣. 6.

Quo anno mundi natus sit Moyses.



Anno, ab orbe condito, bis millesimo, quadringentesimo, sexagesimo quarto. Diluvii octingentesimo octavo, quartæ ætatis primo. Ante Christum millesimo, quingentesimo, octuagesimo nono, faustus ac festivus Israëlitico populo inter Ægyptias calamitates dies illuxit. Durum illis, ac dirum erat Regis cruentissimi edictum, quo eorum infantes à maternis visceribus fusi, in ipso vitæ limine coguntur mortis spiculum jugulo excipere, & prius implere sepulchra, quàm cunas. Calamitati tantæ, hora successit fortunatissima, quæ Hebræum puerulum luci dedit, adeò *elegantem* & formosum, adeò in ipsis puerperii exordiis splendidum, *ut parentes in illum insolita pulchritudine communem salutem præsagirent*, & niterentur illum imminenti cladi eripere. Paratur igitur arcula, seu fiscella, cui infans includitur, & Nili fluvio exponitur; dicit enim textus: *Sumpsit* (mater) *fiscellam scirpeam, & linivit eam bitumine, & pice, posuitque intus infantulum, & exposuit eum*; sic tamen, ut à longè soror ejus, Maria nomine, specularetur quid puero accideret. Cæpit infantulus cunas lachrimis, & ripas vagitibus complere; cum eò fortè lymphis se tinctura, propiùs accessit filia Pharaonis: *Ecce autem descendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine, & puellæ ejus gradiebantur per crepidinem alvei. Quæ cùm vidisset fiscellam in papyrione, misit unam è famulabus: & allatam aperiens, cernensque in ea* PARVULUM VAGIENTEM, *miserata ejus*, servavit puerum, & in deliciis habuit, qui postea magnus ille Nomothetes, & Hebræi populi ductor, ac à durissima Ægyptii tyranni servitute, eorum vindex, ac liberator exstitit. Prospicitis, ut auguror, quorsum hæc tam longè de ortu Moysis infantuli, in cunis vagientis petita narratio, quæ rudis est divinissimi Infantis, qui hodie natus, & datus est nobis, adumbratio.

Exodi 2. v. 2. *Baeza Moyses figurat. c. 2.*

Moyses in fiscella expositus

v. 5.

Quo anno Deus homo natus.

Baronius in Martyrol. 25 Decemb.

Anno à creatione mundi, quando à principio creavit Deus cælum & terram, quinquies millesimo, centesimo, nonagesimo nono; à diluvio verò, anno bis millesimo, nongentesimo, quinquagesimo septimo. A Moyse, & egressu populi Israël de Ægypto, anno millesimo, quingentesimo decimo: ab unctione Davidis in Regem, anno millesimo, trigesimo secundo. Hebdomadâ sexagesimâ quintâ, juxta Danielis Prophetiam, Olympiade centesimâ nonagesimâ quartâ. Ab urbe Roma condita, anno septingentesimo, quinquagesimo secundo. Anno Imperii Octaviani Augusti, quadragesimo secundo. Toto orbe in pace composito, sexta mundi ætate, *Iesus Christus æternus Deus, æternique Patris Filius*, mundum volens adventu suo piissimo conservare, de Spiritu sancto conceptus, novem post conceptionem devolutis mensibus, in Bethlehem Judæ nascitur; *cujus typum*, ut Lyranus, Theodoretus, aliique, *Moyses expressit*. Ac primùm quidem fiscellæ committunt, inquit eruditissimus Interpres: de tanta enim Christi venturi similitudine, certissimum jam dabant puero, vitæ auspicium. Neque id casu fiebat, quòd soror ejus nomine Maria, à longè specularetur, quid infantulo accideret, quando Hebræorum Salvatoris cunabulis non semel debebatur Mariæ Virginis solicitudo. Mysticè subtilissimus Doctor Augustinus: *Audivimus*, inquit, *posteaquam sanctus Moyses natus est, propter metum Pharaonis, missus sit in fiscellam scirpeam, & projectus in carectum fluminis. Si diligenter attendimus Moysem, typum Christi prætulisse cognoscimus.* Quod sic prosequitur: *Considerate diligentiùs, & videbitis, quanta in illo sint figurata mysteria. Moyses à muliere Iudæâ nascitur, & à Pharaonis filia adoptatur: filia enim Pharaonis, Ecclesiam figuravit, quæ exierat de domo patris sui, & veniebat, ut lavaretur ad aquam. Pharao in diaboli typum accipitur.* Tum subdit: *Moyses ergò à matre suâ projicitur, & à Pharaonis filia invenitur, atque colligitur: Et Christus Dominus à synagoga, de qua natus est, repudiatur; Et ab Ecclesiâ, quam filia Pharaonis figuravit, quæ de domo patris sui diaboli exierat, ut Baptismi flumine lavaretur, invenitur, atque suscipitur.* Nec minus propriè Doctor mellifluus, Herodem Pharaoni, Iesum parvulum Moysi comparavit. Ipsum audite: *Moyses in aqua venit, à qua & nomen accepit, ut Moyses vocaretur. Recolant, quibus nota est victoria veteris Testamenti, quemadmodum in Ægypto, dum parvuli omnes Israëlitici germinis necarentur, expositum in aquis Moysen tulerit filia Pharaonis. Et vide, si non manifestè Christi in hoc ipso videtur præcessisse figura. Similis nempe cum Pharaone etiam Herodes suspicione laborans, ad eadem conversus est crudelitatis argumenta, sed eodem modo est & ipse*

Lyranus. Theodoretus in Exod. c. 2. interp. 4.

Baeza cit. Moyses infantulus typus pueri JESU.

Augustin. serm. 86 de temp.

Bernard. in octava Paschæ. serm. 1.

delusm. Vtrebique pro unius suspecta persona, trucidatur unmeresitas puerorum : utrobique qui quarebatur, evadit. Et quomodo Moysen filia Pharaonis; ita Christum quoque Ægyptus (qua non immeritò Pharaonis intelligitur filia) suscipit conservandum. Manifestè tamen plusquam Moyses hic, utpote qui venerit non in aqua tantùm; sed in aqua & sanguine : aqua enim multa, populi multi. Venit ergò in aqua tantùm, qui congregavit quidem populum; sed populum non redemit. Nam & ipsa quoque de servitute Ægyptia liberatio, non Moysi, sed agni sanguine facta est; liberandos nos præfigurans à vana nostra conversatione hujus sæculi, sanguine agni immaculati Christi Iesu.

Oecumen. in Acta Apost. c. 3. Barza cit.

Hic est verus Legifer noster, apud quem copiosa est redemptio; sed ad propositum nostrum accommodatiùs Oecumenius, qui in hac vili fiscella, agnuscit imaginem quandam, & similitudinem præsepii illius, in quo Christus Jesus recens natus expositus à matre sua, vagiit.

Pulchritudo Moysis infantuli, cum illa pueri JEsu cõparatur.

Philo l. 1. de vita Moysis.

Quod verò Moysis speciem elegantem & venustam spectat, teste Philone, qui ait : *Nam puer, statim oris specie visus est elegantiore, & supra vulgus & plebem*, proprissimè Jesu infantulo convenire, omnibus indubitatum est : sic porrò Carthusianus : *Per Moysem allegoricè intelligitur Christus : & sicut Moyses fuit infantulus elegans, sic Christus infans fuit speciosus præ filiis hominum*, ut exi-

Dionys. Carthus. cap. 4. in Exod.

" lius insolita pulchritudine, longè præ Moy-
" sis, communem salutem præsagire liceret.
" Addit Hugo Cardinalis, de forma Hebræi infantuli agens : *Sic Deus venustaverat infantem, ut etiam ab hostibus amaretur*, quod probat ex relatione Josephi : *Tanta pulchritudinis fuit, ut nullus adeò severus esset, ut non aspectui ejus adhæreret : multique dum eum cernerent per plateas ferri, occupationes, quibus studebant, desererent.*

Barza cit. Hugo Car. in Exod. c. 2. Joseph. l. 2. antiq. c. 9.

Verùm enimverò nulla sub cælo est pulchritudo, quæ cum specie divini illius infantuli Bethlemitici comparari, vel adumbrari possit : quia, ut inquit Hieronymus : *Vniversis* PULCHRIOR *est virgo de virgine. An non Spiritus sancti operâ corpus Christi fabricatum? Corpus Christi exemplar* PULCHRITUDINIS *omnium corporum beatorum*; quorum si vel unum contemplari liceret, omnes omnium venustissimas humanæ pulchritudinis formas, ut Megæras, aut Medusas, aversaremur.

Hieron. epist. 140. ad Principiam.

Gen. 49. v. 22. Perer. hic

Genesi c. 49. depingitur *Ioseph decorus aspectu : filiæ discurrerunt super murum*, ut eum viderent. Pererius, per filias discurrentes super murum, non ineptè, inquit, intelligimus animas sanctas veteris Testamenti, quæ cupientes videre pulchritudinē venturi Messiæ, *discurrebant super murum*, id est, mente & animo discursus formabant, super humanitatem Christi : corpus enim quasi murus, animum includit. Illæ igitur spiritu Prophetico, Messiæ pulchritudinem perspectam habentes, eum videre cupiebant, sicut Dominus dixit : *Multi Prophetæ, & Reges, voluerunt videre, quæ vos videtis*; sic refert Josephus, omnes accurrisse, dum Moyses parvulus per plateas deferretur, ejus aspectui adhæsisse, & occupationes, quibus studebant, deseruisse.

Luc. 10. v. 24.

Quid ni nos omnes hodie *ad Bethlehem* accurramus, omnes occupationes, & negotia sæcularia seponamus, ut *speciosum præ filiis hominum* videamus, eique adhæreamus. Aureo ore & more Chrysostomus super illud Marci 1. & Lucæ 4. *Detinebant illum, ne discederet ab eis. Et quia omnes quærunt te*, sic ait : *Erant et affixi non pauci, amantes, admirantésque ipsum, videreque ipsum semper cupientes. Et certè quis vel faciem solam aspicere ingenti desiderio non arderet? quam visu gratiosissimus traditur fuisse; idque ipse Propheta significans multò ante clamaverat, speciosus pulchritudine super filios hominum.*

Chrysost. hom. 28. in Matth.

Quidquid nitet in gemmis, quidquid rubet in rosis, candet in liliis, scintillat in stellis, quidquid venustatis est in ullis formis humanis, id omne longè eminentissimo modo in geminis ac gemmeis divini hujus infantuli ocellis, in corallinis labellis, in lacteo colle, in mirabili & amabili totius corporis pulchritudine reperitur. Hujus rei testem habeo oculatum, *Beatum Bonifacium* Bruxellensem, qui ex Episcopo Lausanensi in Burgundiâ, factus est Monachus Cisterciensis, divino admonitu habitum assumens in Cameta, prope Bruxellas.

Menolog. Cisterc. ad 19. Febr.

Dejectus morbo jacebat vir sanctus, festiva hac nocte Natalis Domini; ideoque ad vigilias matutinas consurgere cum cæteris non valebat; sed lecto affixus, tristis & mœrens, Virginem Matrem cum lachrymis interpellare, & amarissimè queri cœpit, se solũ, ac desertum ab omnibus jacere, atque ardenti natum infantulum contemplandi desiderio æstuare. Cùm ecce, apparuit ei piissima Mater, portans in ulnis suis Parvulum desideratum Gentibus, pannis involutum, & posuit eũ super lectulum ejus; Infans verò manum exerens panniculis, tenue siparium, quo facies obducta erat, semovit, exhibens ei pulchritudinem divini vultus sui, *in quem desiderant Angeli prospicere*, quem Sol, & Luna mirantur. Quo amœnissimo spectaculo totus à se raptus, in has voces erupit : *Si nihil aliud esset in Paradiso, nisi facies ista benedicta, dignum esset pati omnes tribulationes, ut possemus videre faciem tam gloriosam.*

B. Bonifacius ab-tipitoe pulchritudine pueri Jesu sibi oblatu

Quis itaque ad hanc pulchritudinem contemplandam & amplexandam, sepositis rebus omnibus humanis, non advolet?

Fingite animo ex omnibus rerum omnium formis, quæ in divina mente continentur infinitæ, excellentissimam speciem, atq; ideam; hoc quidquid est, hic Parvulus est. Cogitate absolutissimum opus, in quo efficiendo divinæ virtutes singulæ toto conatu, atque impetu elaborarunt : quo nil sapientia mirabilius, nil melius bonitas, nil potentia majus, nil augustius majestas, nil ipsa Dei charitas ad amorem potentius possit effingere; hic Parvulus est, qui serenissimo vultu suo omnes doloris nubes detergit, & dejectos quavis afflictione animos erigit, ac reficit, ut ex revelatione S. Brigittæ manifestum est :

S. Brigitta lib. 4. revelat. cap. 70.

" Christus tam pul-
" cher facie erat, ut nullus videret eam facie,
" qui non consolabatur in aspectu ejus, etiamsi
" præcordialiter dolorem haberet; justi verò
" spirituali consolatione consolabantur; mali
" autem à tristitia sæculi, tanto tempore, quo
" eum videbant, relevabantur. Unde & do-
" lentes dicere consueverant : *Eamus, & filium*
" *Mariæ videamus, ut saltem tanto tempore relevemur.* Huc, huc, quisquis peccator es, accurre,

quia

quia & mali hujus infantis aspectu relevantur: semel in hanc divinam faciem attentos mentis oculos vibrasse, animam salvasse est. Audite " rem inauditam: Petrus de Natalibus lo- " quens de bono latrone, tradit, occurrisse il- " lum puero Jesu, Mariæ, & Josepho pergen- " tibus in Ægyptum, ut eis substantiam aufer- " ret; visa verò Virginis mansuetudine, & " pueri speciositatem admiratus, substitit, & " quasi divinitùs inspiratus, hoc verbum pro- " tulit: *Non esse possibile puerum ab homine geni-* " *tum tanta pulchritudine esse decoratum: & si pos-* " *sibile esset, ut Deus haberet Filium, elegantissimum* " *illum infantem diceret ex aliquo Numine genera-* " *tum.* Igitur & propter pueri speciem, & Ma- " tris aspectum placabilem, non solùm ab e- " orum deprædatione abstinuit; sed etiam eos " in illâ nocte in domū propriam introduxit, " & necessaria ministravit. Addit Author libri de vita Eremitica ad sororem, cap. 48. inter opera S. Augustini; & S. Anselmus de beneficiis divinis part. 1. incalescens amore latro, amplexatus est eum: &, ô, inquit, beatissime Parvulorū, si aliquando se tempus obtulerit mihi miserendi, tunc memento mei, & hujus temporis noli oblivisci. Idem confirmat Luitprandus, Amadeus, Mendosa, Raynaudus, Quintanadvennas, aliiq; gravissimi Auctores apud Henao eit. Quæ gratia latroni facta est, eadem & amplior vobis hunc parvulum fidei oculis contemplantibus, & cordis hospitio excipientibus concessa est. Age Christiane, ad Christi te citò cunabula, hîc, hîc specta dignū cælo, & omnium cælitum oculis spectaculū: conquiescit in sinu Virginis, infantilibus fasciis illigatus puer, quem in sinu æterni Patris uberrimo lucis splendore circumfusum, cælites omnes venerantur. O mirificum divinæ pariter ac humanæ naturæ commerciū! Hic puer, quem intueris, Deus est. Deus, quem adoras, puer est. Parvulus in fœno, immensus in cælo: Abjectus in pannis, excelsus in stellis, angustus in præsepio, augustus in solio. Manus illæ imbecillæ, orbem torquent: tam exigui oculorum orbes, Solem illuminant: tam infirma brachia, firmant machinam mundi: tam tenelli pedes, tenebricosum dæmonis imperium calcant. Nil addam ampliùs, obstupescit oratio admirabilitate rei, nec laudandi principium invenit, quia finem facere non potest admirandi. O si hîc puer, qui voluit pro nobis nasci, vellet & nobis loqui! Aelredus Abbas homilia de Jesu puero duodenni, *cogitandum proponit, quanta fuerit eorum felicitas, quibus datum est tot diebus* (quot consumpti sunt in itinere à Nazareth, usque Hierosolymam:) *videre faciem Iesu, & mellifluos ejus audire sermones: considerare in homine, & puero signa quadam cælestis radiare virtutu: & inter consabulationes mutuas, mysterium sapientia salutaris inserere. Stupent senes, juvenes admirantur, & sua tunc ætatis pueri, motuum gravitate, & sermonum illius pondere deterrentur. Credo enim in illo speciosissimo vultu, totam gratia calestu elegantiam resulsisse, ut omnium in se converteret aspectum.* O si hic pugio speciosissimus ad nos mellifluos habere sermones & doctorem agere dignaretur! Sed quasi infanti fandi deesset facultas, dicit jam tacitè Patri, qui est Verbum Patris, *A. A. A. Domine, nescio loqui, quia puer ego sum.* Nescis, ô puer, loqui, non quia loquendi tibi deest facultas, sed voluntas. Interim dum taces, optimè doces, fortissimè moves. Dum siles, omni Oratore potentiùs peroras: vagitibus, lachrymis, pannis, membris omnibus clamas. O clamosum silentium! ô diserta Verbi infantia! Hunc parvulum mutum, & elinguem, vobis hodie è cunis, velut è rostris docentem, & perorantem proponam: juxta illud Prophetæ:

Pet. de Natalib. lib. 3. Catalogi c. 128.

Michaël Henao in Empyreologia part. 2 lib. 8. exerc. 18. sect. 9. Latro puero Jesu parcit, tactus ejus pulchritudine.

Ierem. 1.

§. I.

Erunt oculi tui videntes PRÆCEPTOREM TUUM. *Isa. 30.*

EXstat aureum illud propilæo Apollinis dignum oraculum, Aristotelis ore pronunciatum: *Omnis homo naturaliter scire desiderat*; hujus rationem, Principe Philosophorum dignam, ab ipsa, quæ inest utilitate, & voluptate, alibi assignat, dicens: *Sicut nulla est functio homine præstantior cognitione, ita nulla majorem habet voluptatem*: quæ, quales, & quantæ sint, suo " exemplo, inquit Lessius, satis testati sunt Phi- " losophi, qui vel divitias, vel honores, vel pa- " triam contempserunt, & maximos subiêre " labores, ut vanam, & insanam futilium, & inutilum rerum sibi scientiam conquirerent. Quis non suspiciat admirabundus Pythagoræ, Platonis, Apollonii exantlatos labores, susceptaitinera, longissimas peregrinationes, unius perdiscendæ Philosophiæ cupiditate? Audi Hieronymum: *Pythagoras Memphyticos vates: Plato Ægyptum, & Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laboriosissimè peragravit: ut qui Athenis magister erat, & potens, cujusque doctrinā Academiæ, gymnasia personabant, fieret peregrinus, atque discipulus.* Et paulò infra: *Apollonius sive ille magus, ut vulgus loquitur, sive Philosophus, ut Pythagorici tradunt, intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetravit,* aliisque quamplurimis Regionibus remotissimis, quas Apollonius adivit, enumeratis, concludit his verbis: *Invenit ille vir quod disceret, & semper proficiens, semper se melior fieret.* O stulta mortalium studia! ô frustra suscepti labores! Non longæ instituendæ peregrinationes, non tranandâ maria, non ad Garamanthas, & Indos excurrendum, facer Vates Isaias nobis Præceptorem, in quo quidquid doctrinæ unquam traditum, sive in Stoâ Zenonis, sive in porticu Chrysippi, sive in Academia Platonis, sive in Lycæu Aristotelis, sive aliis scientiarum palæstris, *verbo unico Verbum* infans nobis exponit, & è cunis, quasi è cathedra, magistrum proponit, dicens: *Erunt oculi tui videntes* PRÆCEPTOREM TUUM, non tantùm Redemptorem & Salvatorem tuum, in quo *inveniet quisque quod discat, & semper proficiens, semper se melior*, mitior, & melior, humilior, & castior, ferventior & sanctior *fiat.*

Arist. initio Metaphys.

Arist. l. 10 Eth. c. 7.

Omnis homo naturaliter scire desiderat.

Lessius de summo bono lib. 1. c. 5.

Hieron. epist. 103. ad Paulin.

Quanto labore Gentiles vanam scientiam sectati.

Hieron. cit.

Parvulus natus, in præsepio rem proponitur.

Isaia c. 30.

Inveniet hîc quisque quod discat, longè meliùs, quàm si omnium Philosophorum codices pervolverit, omnes instructissimas bibliothecas lustraverit, & mente complexus fuerit, omnes deniq;, qui unquam in sacra ac profana scientia Doctores exstitere, magistros habuerit. Antrum Bethlemiticum hodie in nobilissimum transiit gymnasium, ubi *apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus,* ERUDIENS NOS. Græcè παιδεύουσα, quasi pueros instruens Pædagogus. MAGISTRUM *omnes unum habemus,* inquit Augustinus, *& in una schola omnes discipuli sumus.* Sub hoc magistro parvuli rudimenta fidei, Philosophi libros de anima, Theologi sublimiores de Deo scientias, Astrologi libros de cælo discere, & propugnare poterunt. Dixerit olim Synesius Antistes: *si hominem nactus fuerit, qui strenuè ac viriliter philosophetur, ad eum investigandum, & Græciam, & Barbarorum oras peragrare, minimè reprehendendum fuerit.* Si tantum itineris, & laboris, laudabiliter suscipi prædicetur pro scientia, quæ inflat, quantò laudabilius in scholam Bethlemiticam nos conferemus, ad hauriendam doctrinam, quæ ædificat? De Aristotele oculatissimo illo naturalium arcanorū indagatore, auditu dignum censeo, quæ scripsit Plinius his verbis: *Alexandro Magno Rege, inflammato cupidine, animalium naturas cognoscendi: delegatáque hac commentatione Aristoteli, summo in omni doctrina viro, aliquot millia hominum, in totius Asiæ, Græciæque tractu parere jussa, omnium, quos venatus, aucupia, piscatúsque alebant, quibúsque vivaria, armenta, alvearia, piscinæ, aviariáque in cura erant: quos percunctando quinquaginta ferme volumina illa præclara de animalibus condidit.* Cujus narrationis consideratione, exclamare cogor: Magne Deus! aut potius parve Deus! tot expensis, tot lucubrationibus, tot laboribus Aristoteli, *summo in omni scientia viro,* desudatum est, ut naturas animalium in canibus venaticis, in volucribus, in bobus, & ovibus, in apibus, in piscibus assequeretur, quas per multas, & prolixas lucubrationes, quinquaginta voluminibus complexus est; multò saniorem, & salubriorem scientiam rerum omnium conditor, nullo labore, aut impendio, *Verbum infans* inter duo animalia nos docebit. Nam, ut inquit Hugo Victorinus, *ponitur Dei sapientia inter bovem & asinum, ut erudiret rudem, moveret tardum: rudem sensu, tardum intellectu.* Pluris incomparabiliter facienda sunt bina illa, quæ stipabant infantis Dei præsepe jumenta, quàm duodecim illi, licèt auro rigidi, qui thronum Salomonis stipabant leunculi. Sed illud deplorandum, & execrandum, cum gentili Philosopho loquor, *erubescimus discere bonam mentem,* erubescimus discere christianam humilitatem, mansuetudinem, patientiam, continentiam: piget, & pudet *audire* VERACEM MAGISTRUM, *divinum Redemptorem, humanum Salvatorem.* Edicto caverant Athenienses, ne Megarenses venirent Athenas: Euclides sub noctem tunicâ muliebri tectus, Megaris clam Athenas irrepebat, ut vel noctis aliquo tempore, doctrinam Socratis audiret; rursumque sub lucem, viginti quatuor millia passuum, eadem veste tectus redibat. Tantus eum ardor sciendi, tantum etiam vanæ ac profanæ sapientiæ desiderium eum tenebat: tanta peritioris alicujus magistri admiratio, existimatioque eum rapiebat. At Clemens Alexandrinus: *Iam certè,* inquit, *quoniam ipsum* VERBUM *venit ad nos cælitùs, non est nobis ampliùs eundum ad humanam doctrinam Athenas, & reliquam Græciam, vel etiam Ioniam, ad inquirendum curiosè: si est enim nobis* ILLE MAGISTER, *qui implevit omnia sanctis potestatibus, opificio, salute, beneficio, prophetiâ, doctrinâ: omnia nunc instruit* MAGISTER, *& universum jam Athenæ & Græcia factum est* VERBO. Excitrant hîc divini Verbi Præcones, non ampliùs eundū ad humanam doctrinam, & quia divinus hic è cælo magister, ut inquit Lessius, sedentibus in tenebris, & in umbra mortis apparuit, ac doctrinæ suæ radiis tenebras dispulit, errores detexit, diaboli fraudes, & tyrannidem elisit, in Bethlehem ludum litterarium aperuit; venit enim *ludens in orbe terrarum,* præcepta tradens vitæ, & disciplinæ, quod ex eo patet, quod subdit: *Venite filii, audite me,* quem ipsæ cælestes intelligentiæ magistrum audiūt; nam ut docet S. Thomas in Joan. cap. 3. Verbū Infans MAGISTER EST, *non hominum tantùm, sed Angelorum: si enim docti sunt Angeli,* VERBO *Dei docti sunt, si* VERBO *Dei docti sunt, quærite unde docti sunt, & invenietis: In principio erat* VERBUM *&c.* Cogor hic admirari & indignari, tanto in honore, & merito fuisse Præceptores, cujuscumque scientiæ, ut undique ad illos, relictis omnibus, confluerent, ac beatos se crederent, si alloquio, si consortio, si brevis & nervosæ sententiæ documento instructi discederent, atque ipsum talem, tantumque præceptorem contemplari possent; ipsam verò æternam, & increatam Patris sapientiam, ultrò nos rudes, bardos, & blennos invitare, atque eo spreto, ad magistros prurientes auribus nos convertere. Hoc mirandum, & maximè indignandum, adeò ut eum tam paucos novus Præceptor noster ad se accedentes habeat discipulos, cælestis doctrinæ suæ gymnasium meritò claudere posset. Ad rem facit quod Ælianus commemorat: cùm Antisthenes multos ad Philosophiæ studium invitaret, & nemo accederet ad eum; tandem indignatus acerrimè, nemini potestatem fecit audiendi, & scholam omninò dimisit: nullum præterea non lapidem movit, ut Diogenem etiam à sua conversatione repelleret, atque excluderet disciplinâ. Cùm autem discendi studio inflammatus frequentior, & magis assiduus esset Diogenes, increpuit illum, minatusque est ei se plagas inflicturum; quin imò sæpius à verbis ad verbera ventum est: Aliquando enim in caput Diogenis baculum impegit perquam asperè; ille verò quasi vehementioribus stimulis excitatus, miro moderationis exemplo inquit: *Ego tibi lubens caput præbebo, quod jam diu discendi cupiditate subdidi: neque profectò tam durum fustem invenerit, quo me tuâ disciplinâ, & doctrinâ abigas.* Quod primum spectat, solidiori, & sanctiori ratione, posset Magister noster, *Verbum Infans,* de quo Evangelista, *unus Magister est,* sapientia Patris, scholam claudere, quia non habet qui doctri-

Ad Titum c. 2.
Aug. super Ioan. c. 16.
Synesius ep. 100.
Plin. l. 8. c. 16.
Hugo Vict. l. 4. de claust. perfect.
Seneca ep. 51.
August. de verb. Apost. ser. 1.
Brusonius. Gellius l. 6. c. 10.
Clem. Alexand. adm. ad gentes.
Less. de perfect. divin. l. 12. c. 8.
Prov. 8. v. 31.
S. Thomas in Ioan. c. 3.
Verbum non solū Doctor hominū, sed & Angelorum.
Ælianus l. 10. c. 16.

doctrinam excipiant, qui Præceptoris præcepta audiant, qui præceptorem agnoscant, & æstiment, cum illius cælestis magistri intuitu, illius disciplinæ hauriendæ, vel præsentiæ fruendi gratiâ, hisce natalitiis festis & choreæ, & convivia, & omnia oblectamenta humana sepoenda, & posthabenda sint. Liquidè id vobis probabo; de Platone scribit Marsilius Ficinus, quod omnem superat admirationem. Reversus ex Sicilia Plato, cùm ad magnificentissimam illam Olympiorum celebritatē, quasi ad quendam orbis terrarum conventum pervenisset, tam lætis cunctorum occursibus exceptus est, ut è cælo Deus ad mortales demissus videretur. Ludos deseri, Athletarum spectacula relinqui, pugiles solos omitti cerneresi Er quod admirabilius est, qui tam longis terrarum, marisque tractibus pascendorum oculorum, animorumque, & aliorum gratiâ, ad Olympia venerant, omnis voluptatis obliti, Platonem adibant: Platonem intuebantur, in Platone perinde atque in amœnissimo diversorio conquiescebant. Tantum valuit vel sola Sapientis hominis fama, & nudus conspectus, è quo nihil ad animum referebant. Quale ergò exardescere par est in nobis desiderium, non videndi dumtaxat, sed & audiendi illum Præceptorem de cœlo delapsum, præ quo elinguis Pythagoras, infantissimus Plato, *stulti Principes Taneos, sapientes Consiliarii Pharaonis*: Ignarus Architas, Livius balbucinator. Interim tam raros hic Divinus magister, æterna sapientia Patris, discipulos numerat, ut suam cælestis sapientiæ scholam meritò claudere posset. Ubi vel unus inter vos, qui quod Diogenes pro humana, ipse pro cælesti doctrina hauriendā perpeti velit? qui dicat: *Ego tibi libens discendi cupiditate caput subdo*, nullum tam durum fustem, tam gravem ictum, tam diram injuriam, tam molestam crucem inflixetis, qua *me tuâ disciplinâ & doctrinâ abigas*? Quæ omnia, & quamtumvis alia longè gravissima Christianus discipulus gratanter exciperet, si vel unicam ab hoc Doctore, licet elingui, & infante, lectionem audivisset.

Cælestis Magister non auditur.

Avendanus Epitha-lamium. Cārp. 107.

Relictis ludis & certaminibus cōcurrunt ad Platonem spectandum.

Isa. 9. 11.

3. Reg. 10. Regina Saba, auditâ famâ Salomonis, è longinquo venit, ut eum videret, & *audiret sapientiam Salomonis*, seque vel eo titulo beatam ducebat. Fœmina cùm esset, in quarum genere non ita scientiarum fervet desiderium: cum longa illi peregrinatio, tenero & imbecillo corpusculo obeunda: cum Regina esset, nec regnum aliis moderandum relinqui expediret, nil cunctata, profectionem adornat, & voti compos facta, labores itineris, & impensas pro nihilo ducit, & benè sibi locatum studium gratulatur. Liceat hic mihi exclamare: *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis*: Er ecce plusquam Salomon hic, & non est qui illum adeat, & audiat, qui plusquam Salomon, & omnes sapientes sæculi.

3. Reg. 10. 2. paral. 9 Matth. 12 Regina Saba à longinqua regione venit ut audiret sapientiam Salomonis.

Matth. 12 v. 42.

Hic unus (quod olim de Platone) plus est, quàm omnis Atheniensis populus, hic unus plus est, quàm omnium sapientum Senatus.

Libet ad exemplum fœminarum, unam, alteramve illustrissimam matronam, sanctā verè curiositate ductam, in medium proferre; primam quidem ex B. Petro Damiano Cardinali, qui sic de Augustissima Imperatrice Agnete: *Venisti Regina Saba ad Regem nostrum* SALOMONEM; *sed vidisse tunc te, & qua circa te, mirandum valdè spectaculum. Venisti humilis ad humilem: pauper ad pauperem: venisti adorare* PUERUM *in præsepio vagientem: mutaveras enim coronam velo, purpuram sacco, & manus qua gestare consueverat sceptrum, attrita jam erat portare psalterium.* Mirandum sanè spectaculum, insulens, & ut video vix imitandum. Venistis hâc nocte, & die, vos matronæ, ac virgines *adorare* PUERUM *in præsepio vagientem*; sed quota quæque vestrûm, *humilis ad humilem: pauper ad pauperem* accessit? Estne vel una quæ mutaverit non dicam *coronam velo, purpuram sacco*, sed vanum capitis ornamentum nigro peplo: damascenam pallam, modesto sago, ac vili amictu? Et quæ manu cithatam pulsare consuêrat, jam illa cotollam marianam, aut pium libellum gestavit? &c.

Agnes Imperatrix, ac alia Regiæ matronæ in Bethlehem profectæ. Damian. l. 7. ep. 5.

Altera, de qua D. Hieronymus, Paula Romana est, *nobilis genere; sed multo nobilior sanctitate: Potens quondam divitiis; sed nunc Christi paupertate insignior. Gracchorum stirps. Soboles Scipionum &c. Româ pratulit Bethlehem, & auro tecta fulgentia, informis luti* (nempe stabuli) *vilitate mutavit.* Hæc plusquam Regina Saba exarsit, ut videret Thronum Salomonis, & in eo oculis fidei, ipsum conspiceret. Jerosolymam contendit, & patriâ, & propinquis, & liberis relictis: *Descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, & quod his majus est, liberis prosequentibus, & clementissimam matrem pietate vincere cupientibus. Iam remorum ductu, navis in altum protrahebatur, parvulus Torotius* (filiolus) *supplices manus tendebat è littore*; sed longè potentius parvulus Jesus, Verbum Infans trahebat. *Rufsina jam nubilis, ut suas expectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat; & tamen illa siccos tendebat ad cælum oculos, pietatem in filios, pietate in Deum superans. Nesciebat se matrem, ut Christi probaret ancillam.* Mitto cetera. *In Bethlehem ingressa, & in specum Salvatoris introiens, postquam vidit sacrum virginis diversorium, & stabulum, in quo agnovit bos possessorem suum, me audiente* (inquit Hieronymus) *jurabat cernere se oculis fidei, infantem pannis involutum, vagientem in præsepe Dominum*: Quem videre, quem audire ad cor loquentem, super omnem Salomonem, atque in hac humilitatis schola vitam degere, ardentissimè exoptabat: quam verò lectionem ibi brevi didicerit, ex his ejus verbis, demissione plenissimis, colligere est: *Ego inquit, misera atque peccatrix, digna sum judicata deosculari præsepe, in quo Dominus parvulus vagiit: orare in spelunca, in qua virgo puerpera Dominum fudit infantem. Hac requies mea: quia Domini mei patria est. Hic habitabo, quoniam Salvator elegit eam.*

Hieron. in Epitaph. Paula.

In hoc illustri Principum matronarum numero censenda Imperatrix Helena, quæ & Jerosolymam profecta, non aliam scholam, quàm stabulum Bethlehemiticum frequentavit, & quam

quam Parvulus magister illic exemplo suo humilitatem tradiderat, hausit, sic ut à quibusdam stirpis rusticæ, & agrestis fuisse, ac vulgo stabularia dicta, perpetam perhibeatur; quod nomen illi Ambrosius magno vertit honori: BONA STABULARIA, inquit, *quæ tam diligenter præsepe Domini requisivit*: BONA STABULARIA, *quæ* STABULARIUM *non ignoravit illum, qui vulnera curavit à latronibus vulnerati*: BONA STABULARIA, *quæ maluit existimari stercora, ut Christum lucrifaceret.* Hæc quoque hujus Doctoris cathedram, præsepe inquam, venerata, argento illud inclusit, ut inquit Eusebius; sed suâ illud, in quo divinus hic magister vagiit, paupertate longè pretiosius; ut aureo dicendi flumine disertissimè Chrysostomus, qui ita devotionem suam affectumque explicat: *ô si mihi videre liceret præsepe, in quo Dominus jacuit! nunc nos Christiani, quasi pro honore tulimus luteum, & posuimus argenteum. Sed mihi pretiosius est illud, quod ablatum est. Argentum, & aurum, meretur gentilitas; Christiana fides meretur illud luteum. Non tamen condemno eos, qui honoris causâ fecerunt: neque condemno eos, qui in templo dederunt vasa aurea; sed admiror Dominum, qui Creator est mundi, non inter aurum, & argentum, sed in luto nasci,* in stipula, & fœno, inter duo animalia collocari. Hæc miranda, hæc imitanda sunt. Non ea vobis necessitas imposita, patriam, propinquos, liberos deserendi, non in exteras terras excurrendum, ut oculis fidei hunc Parvulum videre, & intus loquentem audire possitis; oculos in aram intendite: Ecce adest.

Ambros. de obitu Theodosii.

V. Alfordum. Annal. Britan. fusè.

Chrysost. in Lucam. c. 2. hom. de nativ. Dom.

Sed cœptum prosequamur: si magno teste Ambrosio, *primus discendi ardor*, NOBILITAS EST MAGISTRI, quis illo nobilior, dignior, excellentior? *Plusquam Salomon hic*: Ipse enim est in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, de cujus plenitudine omnes, qui unquam in Ecclesia Doctores, & Divini verbi præcones fuêre, delibârunt. Omnes qui rectè vivendi & sanctè agendi normam secuti, omni virtutum genere eximii exstitere, ab hoc magistro præcepta acceperunt, ejusque doctrinam secuti, & professi sunt: Hic etenim non tradit præcepta rectè, & concinnè dicendi, ut Rhetorica: nec metra pangendi, ut Poëtica, nec syllogismos texendi, ut Dialectica: nec stellarum domicilia scrutandi, ut astronomia: nec fundos, & agros dividendi, ut geometria: nec morbos pellendi, ut medicina: nec lites dirimendi, ut jurisprudentia; sed docet rite Deum orare, divinos hymnos cantare, simpliciter sine discursu, & syllogismis, intellectum in obsequium fidei captivare: in cælestibus mente habitare, terram ut punctum indivisibile calcare; morbos animæ curare: pacem cum Deo, & proximo servare; omnia denique peccata vitare, & omnia virtutum genera sectari. Possum hîc uti verbis magni Basilii, quæ ipse aliò derivat: ô BETHLEHEM! CÆLESTIS DOCTRINÆ SCHOLA, AC DIVINARUM ARTIUM DISCIPLINA: *Hic Deus est totum* QUOD DISCITUR. De illo olim Propheta Joël vaticinatus est: *Dabit vobis* DOCTOREM *justitiæ*, quo nomine justitiæ, omnis virtus, & sanctitas designatur, unde Patriarcha Venetus: *Alio nullo indiget plebs fidelium* VIRTUTUM DOCTORE: *In Christo solo fulgent omnium documenta virtutum.*

Ambr. l. 2. de virg. Cælestis Magistri encomium.

Basil. de laude Erem. Bethlehem schola omnium virtutum.

Joel c. 2.

Laur. Justinian. de triumphali Chri. agone c. 5.

Schola Christi omnes cujuscumque ætatis, sexus, conditionis, discipulos admittit; eumque non solum viri naturaliter scire desiderant, sed & fœminæ curiosum animal (ut in Regina Saba ostendimus) & adolescentes, & adolescentulæ, & pueri, & puellæ, hujus disciplinæ capaces sunt: quia *ubi Deus magister est, quàm facilè discitur, quod docetur?* Quid non egerunt propè omnes omnium sæculorum homines, ut vel callerent aliquam, quâ vitam sustinerent artem? vel quâ famam propagarent, scientiam? Deus immortalis! Quid hic non actum mortalibus? Quantum hic consumptũ olei, quot evigilatæ noctes, quot exacti dies, quot elucubrata opuscula, quot volutata decumana librorum volumina? Quàm multi impalluerunt chartæ, quot scriptorios calamos consumpserunt, quoties pulsarũt pulpita, quoties ad ravim usque vociferando disputarunt, totos dies sese abdiderunt in bibliothecis, ibique ungues arroserunt, atque adeò omnes ingenii & industriæ vires, sæpe ad sudorem, non rarò ad pallorem, imò interdum ad mortẽ usq; defatigarunt? Et tamen post hos omnes tot immanes, quibus se fregerunt, labores, ut aliquid scirent, plerique, si verum loqui vellent, cogerentur dicere quod Socrates, cui illud erat familiare: *nihil se scire, nisi hoc ipsum, quod nihil sciret.* Omnis eorum scientia (quia omnia scientem ignorabant) erat vana, vel penitus nulla. A nullo hauritur vera scientia, nisi ab illo, qui est Patris sapientia. Sufficit ut scias omnia, unũ VERBUM, *quod pro nobis caro factum est.* Juvat de hoc *Verbo*, ponderare verba doctissimi illius in schola Christi idiotæ: *cui æternum* VERBUM *loquitur, à multis opinionibus expeditur, &* UNO VERBO *omnia, & unum loquuntur omnia, & hoc est quod loquitur nobis, nemo sine illo intelligit.* At quo pacto nos audire hunc Magistrũ, & quomodo hic nos docere poterit, qui nondum unius diei infans est? Dixerit olim, & verè Seneca: *Est aliquid quod ex magno viro, vel tacente proficias.* Dicam ego, & longè verius: *est multum quod ex parvo infantulo vel tacente proficias.* Hunc vobis hodiernâ luce Doctorem, & Concionatorem proponam, & me tacente, *Verbum Infans* sine voce, sine verbis, absque ullo discursu, disertissimè, novo & inusitato modo, perorabit. Hic Infans sacerdos maximus, pannos infantiles, quibus involutus est, pro lineo amiculo indutus, stolâ humanitatis nostræ præcinctus, præsepi utitur pro cathedra. Omnes gymnasium & scholam Bethlemiticam subeamus: transeamus usque Bethlehem. Concio erit brevis, quia *verbi abbreviati*, clara, apta ad captum, moralis & pathetica. Redemptor noster non modò à trigesimo ætatis anno, Doctorem egit: *Cœpit Iesus facere &* DOCERE, idque ad extremum spiritum, nam ut Augustinus ait: *Lignum illud in quo erant fixa membra morientis, fuit etiam* CATHEDRA MAGISTRI DOCENTIS; verum ab ipsis incunabulis, & ex illis, velut è rostris, Oratorem, & Doctorem sese exhi-

S. Leo serm. 1. de jejun.

Thom. à Kemp. l. 1. c. 3 de imit. Chri.

Seneca ep. 94.

Puer J[...] su, C[...] cionator.

Rom. 9.

Aug. tract. 119 in Jo.

exhibuit, quod idem Hipponensis Antistes

Aug. l. 22. contra Faustum.

comprobat, dicens: *Christus non solum loquendo; sed etiam* NASCENDO MAGISTER FUIT, qui ut spero omnes vos attentos habiturus est. Sermo ejus brevis & efficax; quia

Psal. 64.

Verbi est: ab æterno *semel locutus est Deus, & Verbum* unum protulit, quod ex corde, id est, intellectu Patris prodiit: juxta illud Psaltis:

Psal. 44.

Eructavit cor meum VERBUM BONUM, unicum omnia complectens, & dixit omne quod

Guil. Parisien. tr. de universo.

dici potest. Guilielmus Parisiensis: *dicit omnia dicibilia.* Hoc *Verbo* prolato asserit Augustinus, nihil amplius desiderari, vel addi posse:

August. in Psal. 44. ibid.

Quia nihil prætermissum est, cùm in uno sint omnia; unde & celerrimè prolatum, quia ibi nihil velocius, *ubi non multa sunt verba.* Quid velocius, quid brevius, quàm verbo unico om-

Psal. 147. v. 15.

nia complecti? *Velociter currit sermo ejus.* Ubi multa verba, necesse est ut unum alterum consequatur. Hoc *Verbum* Pater æternus in Fi-

1 ad Hebr. v. 1.

lio incarnato nobis proposuit. 1. ad Hebræos v. 1. *Multifariam, multisque modis, olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissimè diebus istis locutus est nobis in filio.* At quàm paucis, & brevibus locutus sit, liquet ex eo quod Paulus tra-

Ad Rom. 9. v. 28.

dit ad Rom. 9. VERBUM BREVIATUM *fecit Dominus super terram*, quod dum non auribus, sed animis, & cordibus nostris loquitur ad instructionem nostram, est verbum incredibiliter breve, & efficax, quod mira, & magna, su-

Conditiones boni Oratoris & Doctoris. 1. Ut sit brevis.

per omnes prolixas Tullii, Demosthenis, aliorumque oratorum perorationes, prodigia, & animorum motus, ut in Paulo exterius, aliisque interius, quos adducere infinitum esset, operatum fuit: quia ut communi parœmia, quæ in hoc magistro maximè locum habet: *Intelligenti pauca, a un bon entendeur, un demi parole.* Indies hoc videre, & audire est, sacros Ecclesiastes prolixâ suâ dictione obtundere, Auditores somniculosè, & fastidiosè eos audire.

S. Thom. in epist. ad Hebr. c. 13

Unde S. Thomas in illud Pauli: *Perpaucis scripsi vobis*, sic ait: *sermones breves valdè accepti sunt*; quod hoc arguto probat dilemmate: *quia si sunt boni, avidius audiuntur; si verò mali, parum*

2. Clarus.

gravant. Altera Oratoris, & Doctoris conditio est, ut sit *clarus*, qui ut simul brevis sit, non humanæ, sed divinæ est potentiæ, & eloquentiæ: raro quis multa paucis laconicè, clarè explicet: nam ut rectè Poeta:

Horat. de arte.

Brevis esse laboro,
Obscurus fio.

Huc solius est *Verbi abbreviati*, paucis, verbo unico, clarè loqui & dulcidè docere, etiam maximè imperitos, & ignaros. Sic etenim de hoc verbo sensit gravissimus Doctor Gui-

Guil. Parisi. tr. de universo.

lielmus Parisiensis: *Dicit omnia dicibilia, dictione perpetuâ, & lucidissimâ.* Nunc autem ut cognoscatis, quàm lucidum, & clarum hoc *verbum* sit, non ad illud audiendum, sed quod omnem superat admirationem, ad vivendum, vobis omnibus excurrendum est: quia *factum*

Luc. 2.

est verbum. Hæc ratio excivit pastores, ut nuntio per Angelum accepto, se invicem anima-

Ibid.

rent, & dicerent: *Transeamus usque Bethlehem,* ET VIDEAMUS HOC VERBUM, *quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* Verba audiri

Invitamur ad verbũ videndum.

solent, non videri. Magdalena sedebat ad pedes Magistri sui, AUDIEBAT *verbum illius.*

Luc. 10.

Ad quæ verba Africanus Antistes, docet hoc

S. Aug. ser. 15. de verbis Apost.

cælesti pabulo verbi divini, quod audiebat Magdalenam pastam fuisse, & vitam, ac spiritum duxisse: *Modò*, inquit, *isto vivebat de verbo, sed sonante* VERBO; At hic in stabulo verbum Infans, & mutum audire non datur, sed videre: VIDEAMUS HOC VERBUM, *quod factum est*, quod permanens, quod non sonans, aut prætervolans est; sic perappositè idem Doctor, agens de verbo in sinu Patris, ait: *Verbum*

Aug. tr. 21 in Ioan.

Patris, doctrina stabilis VERBUM EST, *non sonantis per syllabas, & volatilis, sed manens.* Varias inter prærogativas, quas Isaias Christianis concedendas vaticinatur, non parùm æstimanda, & consideranda est illa: *Non faciet avolare à te ultra* DOCTOREM TUUM, id est inquit Lyra-

Isa. 30. Lyran. hic

nus *Christum, qui nobiscum manet usque ad consummationem sæculi.* Si quem hic in quavis scientia Doctorem nacti sumus; aut alio illum commigrare, aut morbo, vel morte eripi contingit, & unus alteri succedit, ejusque verba prætervolant; at VERBUM *Domini manet in æternum*, quod oculis nostris videndum proponitur: *Erunt oculi tui videntes* PRÆCEPTO-

Lyran. ibid.

REM TUUM; id est *Christum, qui apparuit visibilis etiam oculis corporalibus in forma humanitatis.* Sed quid est hoc? *videamus hoc verbum* quod factum est? An exstatici loquuntur Pastores? An simplicitate illusi, quod invisibile videre, quod dictum est, factum esse arbitrantur? Ut quid dicunt: *Videamus hoc verbum?* gratiâ instructi, & illuminati, meritò sic sentiunt, cùm Paulus dicat: *Factum ex muliere.*

Ad Gal. 4. v. 4.

Voluerunt igitur hoc verbum videre, non ore prolatum, sed ex Virgine natum: non articulatum, sed incarnatum: utque sanctæ suæ curiositati satisfacerent, non auribus illis opus erat, sed oculis; sic enim ajunt: *Quod Dominus ostendit nobis.* Quid clarius, quàm quod oculis cernimus, & vel intuitu uno complectimur? Quid clarius, quàm illud *Verbum* habere Doctorem, quod continet totum Evangelium, imò ipse Evangelium, in opus redactum, quod momento mentes plus illuminare, & omni scientiâ donare potest, quàm omnes profani omnium sæculorum libri, quibus plena sunt musæa, plenæ liberariæ officinæ, plenæ Bibliothecæ?

Sed jure quærit, & queritur Bernardus, tam paucos hunc divinum Magistrum audire, & intelligere: *Quoniam*, inquit, *non potest capere*

Bern. ser. 79 in cant.

ignitum eloquium, frigidum pectus: quomodo enim græcè loquentem non intelligit, qui græcum non novit: nec latinè loquentem, qui Latinus non est, & sic de ceteris; sic lingua amoris (dixit hujus pumilionis) *ei qui non amat, barbara erit.* Quid remedii? *Si quis cupit adipisci notitiam*, non longo, & laborioso studio opus est, *amet.*

Tertia Oratoris, & Doctoris conditio est, ut

3 Doctoris & Oratoris conditio, ut dicat ap-

dicat appositè ad persuasionem, & ad *captum*, Auditurum. Materia *Verbi Infantis* nos docentis, & exhortantis, non sublimis, sed humilis,

positè ad captum Auditorũ nonin persuasibilibus humanæ scientiæ verbis; sed verbo unico, de parvulo ad parvulos est, quales omnes nos esse vult, ut dicemus. S. Gregorius Nazianzi Antistes, hoc unum sacros Oratores prudenter monitum cupit, Doctrina Christi non sublimis. ut ne crudis, & solidis ferculis stomachum; ita nec verbis sublimibus, & subtilibus, animum opplendum; quare alludens ad illud Act. 3. Hebr. 5. Apostoli: *Lac vobis potum dedi, non escam*; & ad Hebræos 5. *Facti estis quibus lacte opus est*, docet, sermonem Domini, cibo persimilem esse, qui modicus, levis ac facilè digerendus, avide appetitur, sapit, ac nutrit; immodicus, & crassus obruit, indigestionem, fastidium, & nauseam parit. Quod fastidium, quæ nausea ne animis nostris accidat, verbum Infans lactescere voluit, ut Hipponensis Doctor solerter observavit, dicens: *In principio erat verbum. Ecce* Aug. ser. 117. de temp. *qualis cibus sempiternus; sed manducant Angeli, manducant superna virtutes, manducant cælestes spiritus; & integrum manet quod eos satiat, & latificat. Quis autem homo posset ad illum cibum ascendere? quia ergò ad illum panem, homo non poterat ascendere, dignatus est panis ipse descendere ad hominem, & hoc cum ineffabili pietate factum est, quia oportebat ut mensa illa Angelorum* LACTESCERET, ET AD PARVULOS PERVENIRET. Guerric. serm. 1. de nativ. Dom. Abbas Igniacensis: *Vere tu puer Deus, cum totus sit dulcedo, & desiderium; dulciorem tamen te mihi facit teneritudo membrorum: hæc nimirum te capabilem (aliàs captabilem) facit sensibus, & affectibus* PARVULORUM, *qui nondum sunt te solidum idonei capere cibum.* Unde sermo ejus simplex, & ad captum parvulorum. Thema, seu argumentum est, quod moraliter, & pathetice tractabitur:

§. II.

Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Matth. 18. vers. 3.

Doctrina Christi humilis, ut efficiamur sicut parvuli. **D**Iscipulos inter, nondum ex alto confirmatos, gravis exorta est controversia; *quis eorum videretur esse major.* Hanc contentionem sic exponit ingenius ille Hispanorum Ecclesiastes S. Vincentius Ferrariensis: Vinc. feria 3 post Dom 2 Quad. primò Petrus dixit: Quid contenditis inter vos? Jam "conclusum, & decisum est, quod ego, quia "jam Christus mihi promisit majoritatem Vi"cariatus, & quod sim caput, cùm dixit, *tu vo*"*caberis Cephas*, quod interpretatur caput. Se"cundò dicit beatus Andreas, quid dicis Pe"tre, quod tu eris major? Imò ego ero major; Reprehēdit discipulos contendentes, quis eorum major. "& ratio est, quia Christus Salvator mundi, "primò vocavit me. Tertiò dicebat S. Joan"nes: quid dicitis vos, quod vos eritis majo"res? Imò certè ego ero major: nam ego sum "virgo, & vos habuistis uxores, & virginitas "multum placet Deo. Item venit alius, sci"licet S. Jacobus Major, & dixit: quid dicis tu Joannes, quod eris major? Certè non eris:" "nam ego primogenitus, ergò ego ero primus" paradiso. Item dixerunt Jacobus minor," Thadæus, & Simon: quid dicitis vos, quod" eritis majores? Certè non erit verum, imò" nos: nam sumus nepotes ex prima sorore Ma-" riæ Virginis, ideò erimus majores. Item ve-" nit S. Matthæus dicens: quid fecistis vos pro" Christo? Tu Petre dimisisti navem torqua-" tam, & retia fracta, & ego dimisi plures pecu-" nias, & multa alia bona temporalia; non est" ergu facienda quæstio ultra, ergò ego ero ma-" jor. Jam venit S. Philippus dicens, ego ero" major: nam ego fui primus Apostolus, quem" Christus ore proprio vocavit, dicens: *Veni se*-" *quere me.* Ergò non est quæstio facienda ul-" terius. Venit S. Bartholomæus, ha taceatis;" non sum ego de genere regio? Ego ero ergò" primus, qui sum magis generosus. Dein-" de venit S. Thomas, dicens: quid dicitis vos," & non sum ego Doctor? Et jam vocor Tho-" mas, id est, abyssus sapientiæ; & vos estis om-" nes rudes, & grossi: numquam didicistis lit-" teras, tacete. Inpostrerum venit Judas Sea-" riotes, dicens: & nonne ego sum Procura-" tor omnium, & ex manibus meis habetis vi-" vere? Hæc cùm ardenter, & ferventer discep- tarentur, *advocans Jesus* PARVULUM, *statuit* Matth. 18. v. 3. *eum in medio eorum, & dixit: nisi efficiamini, &c.* SICUT PARVULUS ISTE. SS. Patres, & sacri Interpretes disquirunt hic solerter, quis Corn. in Matt. c. 18. fuerit parvulus iste? Quo nomine vocitetur, quâ virtute, & sanctitate præditus, ut in exemplar discipulis Christi, & nobis omnibus proponatur? Anselmus, Lyranus, Barradius, Barradius l. 10. c. 35. de majoritate in regno calorum. aliique docent hunc parvulum fuisse sanctum Martialem, D. Petri discipulum, & ab eo posteà in Gallias Apostolum delegatum. Metaphrastes cum aliis sensit, hunc puerum fuisse sanctum Ignatium, dein Antiochenum Episcopum; sed ad rem nostram sanctus Ambrosius, Doctor, & Pontifex Maximus, exponens illud Matth. 18. *Nisi efficiamini sicut parvulus* Ambr. ser. 33. Quis parvulus in medio positus. *iste* sic disserit: *nisi efficiamini sicut puer iste. Non dicit, sicut pueri isti, sed sicut puer iste. Unum eligit, unum proponit: videamus igitur quis ille tantus sit, qui discipulis proponitur imitandus. Non hunc arbitror esse de plebe, non de publico, non de multitudine ceterorum; sed de cælo.* IPSE EST PUER, *de quo dicit Isaias Propheta:* PUER NATUS EST NOBIS, *filius datus est nobis.* Quæ ut ad mores aptè nobis proponantur, opus est ut statuamus hunc parvulum in medio nostri, & cum Doctore mellifluo exclamemus: 4. Contio Doctoris, ut moraliter doceat. O PARVULUS, PARVULUS DESIDERABILIS! *studeamus effici sicut* PARVULUS ISTE. S. Bern. serm. 3. super miss. Ar quanti molimінis sit, ut vir magnus parvus fiat, quantæ difficultatis, ut vir opulentus, qualis fuit Job, de quo sacer textus: *Fuit* Job. c. 1. Quam difficile & magnum hic esse parvum. *possessio ejus septem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis*; his subjungit scriptura: *Eratque* VIR ILLE MAGNUS *inter omnes orientales*, ut talis parvus fiat? ut vir in gratia, & favore Principis, apud Regem magnus & magnes, parvus fiat, qualis fuit Mardochæus

dochæus in aula Assueti, VIR MAGNUS, *& inter primos aulæ Regis* habitus. Ut vir nobilitate, & generis splendore magnus, parvus fiat, qualis apud Tobiam *magnus* nuncupatur: *Ego sum Azarias,* ANANIÆ MAGNI *filius,* cui respondit Tobias: *Ex magno genere es tu, &c.* ut ejusmodi, ex magnis parvi fiant, quàm difficilè sit, ex eo liquet, quod omnes impotenter ferantur ut magni sint, omni studio, & amore insaniant magnitudinis, quod suâ auctoritate, & magni Pompei illustrat exemplo sapientissimus Seneca his verbis: *Nec Cneo quidem Pompeio externa aut domestica bella, virtus aut ratio suadebat; sed insanus* AMORE MAGNITUDINIS FALSÆ, *modò in Hispaniam, & Sertoriana arma, modò ad colligendos piratas, ac Maria pacanda vadebat. Quid illum in Africam, quid in Septentrionem? Quid in Methridatem & Armeniam, & omnes Asiæ angulos traxit? Infinita scilicet cupido crescendi: cum sibi uni parum* MAGNUS *videretur.* Expende illud *magnitudinis falsæ,* quam ut detestemur, MAGISTER HUMILITATIS, HOMO PARVUS AD PARVOS, *humilis ad superbos, parvitatem suam docet hominem, ut se agnosceret* PARVUM, *non grandescendo se crederet* MAGNUM: *est enim superbia non* MAGNITUDO, *sed tumor; quod autem tumet, videtur* MAGNUM; *sed non est sanum,* ut in hydropico, aliisque inflatis apparet. Nihilominus hunc insanum falsæ magnitudinis amorem, in omni classe hominum, mercatorum, militum, litteratorum, nobilium, quin & Religiosorum fervere cernimus, atque in ipsa schola humilitatis, non rarò contentio, *quis eorum videatur esse magnus, & major:* Nec sibi quis magnus videtur, nisi è remis ad clavum promoveatur: de officio ad officium, Procuratoris, Cellarii, Præfecti Ecclesiæ, Prioris, Definitoris, Commissarii Generalis, Prælati (ut quæque fert Religio) conscendat. Sic inter sanctimoniales una ad officium Æditux, Magistræ tironum; altera Procuratricis, plures Capellanissæ, Abbatissæ, se capaces sentiunt. Quæ expendens sanctus Augustinus, exclamat: *Itane* MAGNUM *est esse* PARVUM, *ut nisi à te, qui tam* MAGNUS ES, *fieret, disci omninò non potuisset.* Ut quis magnus fiat, facilè discitur, infinitæ praxes, & artes sunt; imò quisque non discendo, hic sibi Doctor, auctor, & inventor est. Hic sibi per divitias gradum struit: alter improbo labore, & studio: tertius potentum favore, & gratiâ, plerique per fraudes, & dolos, magni fiunt. Sed tam excelsum, tam sublimè, TAM MAGNUM EST ESSE PARVUM, ut nec in opificum guldis, nec in mercatorum societatibus, nec in causidicorum dicasteriis, nec in Philosophorum gymnasiis, nec in Theologorum scholis: nec ex Doctorum pulpitis, nec ex Concionatorum cathedris, nec ab ullo mortalium, *nisi à te* (ô Deus) QUI TAM MAGNUS *es, fieret, disci omninò non posset.* Nunc videamus quomodo hanc tam difficilem, tam subtilem, & sublimem lectionem, verbum Infans doceat: nec plures, aut alios magistros audiamus, quia

Esther. c. 2. Illustri domo.

Tobiæ 5.18

Seneca ep. 95. Omnes volunt esse magni.

Aug. ser. 22. de temp.

S. Aug. de S. virginit. c. 34.

hic *unus magister est,* quem adire, & audire debeamus, qui non solum docuit verbo: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde;* sed opere, & exemplo. Hanc cælestem doctrinam mitis, humilisque magistri hausit, & sui stradidit in Clara Valle sua Doctor mellifluus, disserens super illud Matth. 18. *Nisi conversi fueritis, & efficiamini* SICUT PARVULUS ISTE, *&c.* sic ait: *Ad* PARVULUM *converti necesse est, ut discamus ab eo, quia mitis est, & humilis corde. Ad hoc siquidem* PARVULUS *datus est nobis. Sanè idem magnus est; sed in civitate Domini, cui & dicitur: exulta & lauda habitatio Sion: quia* MAGNUS *in medio tui sanctus Israel.* Tum exsurgit, ubi Deus magnus, se Parvulum fecit: *Quid tu inflaris, ô homo! quid extolleris sine causa? Quid alta sapis?* Suspicere quidem, & laudare, mirari ac venerari debemus ejus magnitudinem; sed imitari ejus humilitatem; unde subdit: *Sublimis quidem Dominus; sed non ita proponitur tibi. Laudabilis magnitudo illius; non etiam imitabilis.* Quod si nos non parvulos, sed magnos, & ambulantes in excelsis voluisset, quot, & quàm innumeros sectatores habuisset? *Si forte sublimitatis esset via proposita, & illicitter, quo ostenderetur salutare Dei, quanta facerent homines, ut exaltarentur? Quàm crudeliter invicem sternerent, invicem conculcarent? quàm impudenter manibus, pedibusque conarentur in altum, ut imponerent sese homines super capita aliena?* Illud tandem assequi non potest, cùm facilius sit descendere, quàm ascendere, quomodo homo audeat, & ardeat summo labore, invidiâ, periculo in altum conscendere? *Cùm nihil,* inquit, *facilius volenti, quàm humiliare semetipsum, & ad* PARVULUM, *ad magnitudinis* (verè) & HUMILITATIS MAGISTRUM *converti.*

Matth. 25.

Matth. 11. v. 29.

Bern. in capite de jejunio. serm. 2. Parvulus natus docet nos parvulos esse debere.

Isa. 12.

Ibid.

Ipsum audite, docet, & clamat è præsepio, clamat signis, clamat nutibus, clamat lachrymis. Bernardus serm. 1. de nativ. *Iam inquit, clamat exemplo, quod postea prædicaturus est verbo.* Et alibi: *Nondum loquitur lingua, & quæcumque de eo sunt, clamant, prædicant, Evangelizantur.* Atque ita exemplo docens, utitur brevissimo, nobilissimo, efficacissimo docendi genere: *Hic syllogismus certissimus,* inquit Chrysostomus, *qui per opera efficitur,* estque demonstratio ad oculum, maximè infallibilis.

Puer natus clamat e præsepio.

Bern. ser. 1. nativ. Serm. 3. de nativ.

Chrysost. in 1. ad Cor. hom. 10.

In veteri quidem lege *Verbum Patris,* instar magistri Matheseos (qui verbis, & figuris: demonstrationes in tabula exprimit) doctrinam suam per scripturas, & figuras proposuit; at nunc demonstrationes verborum, ad experientiam deduxit, & in suo corpore, nostris oculis, in Bethlemitico gymnasio subjecit; sic quippè sanctus Augustinus: *Omnis hujus* NATIVITATIS SCHOLA, *humilitatis est officina.* Filii hujus sæculi, superbi, & fastuosi, *qui ambulant in magnis, & mirabilibus,* ad hanc scholam humilitatis conveniant, & brevi discent omnem pompam, & vanitatem mundi aspernari, ubi viderint in Bethlehem, quomodo factus est PARVUS,

Aug. ser. 18. de tempore 2 de nativit.

Bern. ser. 1. in vigil. nativ. Idem ser 3 super miss. sus Iudic. c 6.

EX MAGNO DEUS ; ibi discent, quomodo majestatem & magnitudinem suam abscondat. *Magnificetur ergò à nobis* PARVULUS, MAGNUS DOMINUS, *quos ut faceret magnos, factus est* PARVUS. Libro Judicum.cap.6. Gedeon petiit à Domino in signum liberationis populi sui, ut pluvia descenderet super solum vellus, quod & præstitit Deus. Eo signo adventum Domini significatum fuisse, docet Ecclesia, dum hâc solennitate cantat : *Sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum.* Quid illud signum nobis innuit, nisi illum ad nos modestè, silenter, & sine strepitu descendisse ? non sicut Princeps, de novo civitatem ingrediens, ingenti cum strepitu, & honorifico apparatu, magnâ stipante nobilium, ac militarium ducum, super sonipedes catervâ, multis rhedis, & curribus, festivo tubarum, tympanorum, ac tormentorum boatu ; sed Princeps noster à l'incognito, ut rectè Isaias : *Verè tu es Deus absconditus* : quomodo enim magis abscondere potuit copiam, & abundantiam divitiarum suarum, quàm sub vilibus illis, quibus involutus est pannis ? Quàm sub summa illa rerum omnium indigentia ? Quomodo majestatem altiùs abscondere poterat, quàm sub humilitate, & vilitate stabuli, ac præsepis ? Quomodo omnipotentiam, quàm sub Infantili imbecillitate, & puerilibus brachiis ; fasciis colligatis ? Infinitam sapientiam, quàm sub elingui silentio ? Divinitatem denique, quàm sub abjecta humilitate nostra ? Sed quorsum hæc ? Rationem reddit Divus Gregorius : *Ad hoc unigenitus Dei Filius formam humilitatis nostræ suscepit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus.* Hanc lectionem edocta est Beata Catharina Riccia, quæ cùm divinum parvulum à Deipara porrectum, in ulnas accepisset, rogavit Matrem Virginem, quâ vivendi ratione, quo obsequio, Jesu Infantulo potissimùm placere, & gratificari posset ? quæ respondit : *Humiles, & obsequentes instar parvulorum*, FILIO SUO PARVULO *placere super omnes.* Hanc quoque lectionem, ubi hausit à Magistro humilitatis sanctus Augustinus, ad illa verba : discite à me, &c. sic exclamat : O MAGISTRUM, *Dominumque mortalium ! noluit* DOCERE, *quod ipse non esset : noluit jubere, quod ipse non faceret : audio clamantem, quid ? ut discamus a te, venimus ad te : quoniam mitis sum, & humilis corde.* Tum enim parvulum humilem, & pauperculum contemplatus, ac opere exercentem quod docuit, admiratione defixus, ait : *Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi in te, ut hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es, & humilis corde ? Itane* MAGNUM *est esse* PARVUM, *ut nisi à te, qui tam magnus es, fieret, disci omninò non posset ?* Ita planè ; testis mihi est insignis discipula B. Angela de Fulginio, quæ hac lucidissima nocte, puerum JESUM brachiis excepit, eique breve, & salubre documentum dedit, dum dixit : *Non videbit me* MAGNUM, *qui non videt me* PARVUM. Eja, Domine, videam te *parvum* in præsepio, in fœno, in stabulo, ut te magnum videre merear in cælo, in throno : imiter te parvum, & humilē, ut magnum, & sublimem valeam contemplari.

Puer Natus tradit lectionem humilitatis & paupertatis.

Isa. 45. 15.

S. Greg l. 34. mor. cap 21.

In vita c. 21.

S. August. serm 10. de verb. Dom.

Aug. de S. Virg. c. 34

Exempla Virginũ, quæ parvuli humilitatẽ edoctæ. In vita. Paradisus puerorum.

Ad hoc suos olim, & nos hortatus est S. Bernardus, tractans illud Matthæi : *Nisi efficiamini sicut parvulus iste, &c. nimirum*, inquit, *ipse magnus Dominus*, PARVULUS FACTUS EST NOBIS. PARVULUS EXHIBETUR, *ut seipsum faciat gratum, & efficax* PARVITATIS EXEMPLUM. *Ad* PARVULUM *ergò sit conversio tua, ut discas* PARVULUS ESSE : *signanter enim ea, quæ* PARVULI *sunt, in seipso imitanda proponens, discite à me*, inquit, *quia mitis sum, & humilis corde* : GEMINA PARVITAS, *humilitas, & mansuetudo.* Hanc humilis magistri lectionem, ne excideret, B. Joanna Lusitaniæ Regina, monialis facta, colo inscripserat : *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde* ; ut dum eâ manu, quâ sæpissimè nebat, filum nendo duceret, numquam non in oculis haberet, & animo volveret. Hauserat fortè illud ejusdem Antistitis : *Doctrinam humilitatis agnosce*, NONDUM LOQUENTE DOCTORE. Quidquid in Christi nascentis antro intuearis, humilitatem, & paupertatem spirat æternam. Locus ipse ventis pervius, omni supellectile vacuus. Hîc illa certè velut in sede sua regnat, & velut è cathedrâ docet, opum contemptu, & irrisu maximo. Videte pueri cunas, & cunarum lintea, pulvillos, stragula. Videte culinam, & focum, quæque à foco recentia feruntur fercula. Explorate manu, lectuli plumeam mollitiem : circumspicite famulos, & ancillas : ingredimini penum, & cellam generoso cretico spumantem. Omnia domus ornamenta, belluata tapetia, annonæ copiam, mensarum cellaria considerate. Prima statim fronte, summa rerum omnium inopia sese oculis affundet. Hæc omnia clamant, quia pauper, & humilis magister noster est.

Bern ser. 1. de conversione Pauli.

Vasconcelus in vita de Reg. Lusit.

Aug serm. 22. de temp.

Paupertas pueri JESU, quam nos docet ut parvuli simus.

Liceat mihi illud Annæi Senecæ adserere, quod ille de Demetrio jactavit : *Magnificentior, mihi crede, sermo tuus in grabato videbitur, & in panno : non enim dicentur tantùm illa, sed probabuntur. Ego certè aliter audio Demetrium* (dicam ego Christum) *nostrum, dum illum video* NUDUM STRAMENTIS INCUBANTEM : *Ita enim* NON PRÆCEPTOR TANTUM VERI ; *sed & testis est.* Nec paupertatem, humilitatemque solum laudat, sed & amat, & experitur ; ut & hanc nos moribus, & vitâ referamus, *revertendum est ad simplicitatem* PUERORUM ; *quia in ea collocati, speciem humilitatis Dominicæ circumferemus.* Hæc unica ad beatam æternitatem via, hæc recta ad regnum cælorum semita. Nemo se fallat, Infantis Verbi irrefragabilis doctrina est : *Nisi efficiamini sicut* PARVULI, *non intrabitis in regnum cælorum.* Vidistis belli tempore, vastas urbium portas passim clausas, & quod in illis est medium, parvum ostiolum dumtaxat ingressuris patefieri. Sic de porta cæli sentiendum est, quæ *augusta* est ; per hanc, ut quis ingrediatur, debet avarus ponere gibbum divitiarum : temulentus, & gulosus abdomen suum : superbus turritum verticem ; non ingressu-

Seneca ep. 20.

S Hilarius in Matth. cap. 18.

Matt. 18.

gesturi,nisi efficiantur sicut *parvuli*. Hoc spectasse videtur Guerricus Abbas,qui serm. 1.de nativ.in has liquidissimæ dulcedinis plenas voces erumpit:*O sacra,& dulcis infantia,qua veram humanis cordibus innocentiam infudisti:per quam omnis ætas in beatam redeat infantiam, tibique conformis fiat,non pusillitate membrorum sed humilitate sensus,& pietate morum.* Tum ad propositum emblema alludens,ait: *Propius vos filii Ada, qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in gigantæam enormitatem,per superbiam excrevistis, nisi conversi fueritis,& effecti sicut* PARVULUS ILLE, *non intrabitis in regnum cælorum. Ego sum ostium regni, ait* PARVULUS ISTE, *nisi incurvetur altitudo virorum*, NON EOS ADMITTIT ISTIUS HUMILITAS JANUÆ. Quàm verò illis elatis, & proceris,sua magnitudo exitialis futura sit,subjungit:*Ideò nimirum conquassabit capita in terra multorum,& qui elati accedunt, repulsi capite elisocadent retrorsum.* Tum eleganti hac parenesi concludit: *Adhuc tu* MAGNUS *es in oculis tuis*, POSTQUAM DEUS PARVUS FACTUS EST SUIS OCULIS TUIS? Adhuc tu mercator,quia divitiis affluis, MAGNUS *es in oculis tuis? postquam* DEUS PARVUS,& pauperrimus, FACTUS EST SUIS OCULIS TUIS? Tu Nobilis,quia illustri domo natus, MAGNUS *es in oculis tuis? Postquam Deus*, Filius Altissimi,posità Majestate,*factus est* PARVUS *sub oculis tuis?* Adhuc tu Jurisperite, Medice, Theologe, MAGNUS *es in oculis tuis*, quia ingenio, experientiâ, scientiâ aliquâ polles? Postquam Deus, æterna Patris sapientia, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei reconditi,*factus est* PARVUS *sub oculis tuis.* Adhuc tu filia vana,& vaga, MAGNA *es in oculis tuis*,quia fluxâ venustate,formæ elegantiâ,tripudiandi,canendi voce & fidibus, aliqua dexteritate excellis,*postquam Deus*,candor lucis æternæ,& speculum sine macula, PARVUS *factus est*, vermis factus est, & quasi leprosus, in quo non esset species,neque decor,*sub oculis nostris?* Adhuc tu Concionator, quia eloquentiâ, & gratiâ verbi vales, MAGNUS *es in oculis tuis, postquam Deus*,Verbum Patris, qui verbo fecit omnia, PARVUS , & infans *factus est sub oculis nostris?* Adhuc tu Religiose,tu Sanctimonialis, MAGNI *estis in oculis vestris* , quia aliqua cæli cōsolatione,divinâ illustratione,sanctitatis opinione cæteris vos præcellere putatis? postquam Deus,qui solus *sanctus*, PARVUS *factus est sub oculis tuis?* &c.

Morale ne quis se extollat, ubi parvulus natus se humiliat.

Præiverat doctrinâ suâ,Guerricum discipulum,optimus Magister S.Bernard. serm.1. de Nativ. *Obsecro vos fratres,non patiamini sine causa tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse. Quid enim magis indignum,detestandum, graviùs puniendum, quàm ut videns Deum cæli*, PARVULUM FACTUM, *ultra apponat homo* MAGNIFICARE *se super terram? Intolerabilis impudentia est,ut ubi sese exinanivit Majestas, vermiculus infletur , & intumescat.* Quicumque ejusmodi estis,scitote, Magister hic humilitatis non fallit : *Nisi efficiamini sicut* PARVULI,*non intrabitis in regnum cælorum*;quam sententiam pluribus inculco, quia hæc unica, & brevis oratio pluris est, quàm omnia omnium Philosophorum axiomata, Poëtarum carmina,Vatum oracula,Oratorum rostra , Mathematicorum problemata,Medicorum aphorismi,Juris regulæ,Sapientum effata , Doctorum apophtegmata: quia hoc in doctrina Christi igitur,&quod omnes agimus,& satagimus, ut intremus in regnum cælorum. Illud autem *nisi*, tantæ virtutis , & primæ Veritatis est, ut nemo magnus, nullus *nisi* parvus intrare valeat.

Guerric. serm. 1. de nativ.

Bernard. serm. 1. de Nativit.

Idipsum videtur Verbum Patris,æterna Dei sapientia hîc in terris præsignasse,dum ad regnum terrenum,non nisi parvos, & pusillos delegit. Sic Doctor Seraphicus,inter conditiones parvulorum,ponit hanc : *Ut sint ad obediendum flexiles,nunquam imperiis majorum rebelles.* In exemplum adducit Estherem parvulam,hoc titulo ad regnum evectam: *Sic dicitur de Esther, quòd quidquid ei Mardochæus præcipiebat, omnia observabat, sicut eo tempore solita erat, quo* EAM PARVULAM *nutriebat.* Tum subdit: *Et quia fecit sic, ad regnum exaltari meruit.* Paucis hîc , filiolæ monendæ,& monendæ,si ea, quæ à parente, à Patre spirituali,& potissimùm à Deo præcipiuntur,observent,non ad terrenum, (ad quod hæc etiam conferunt,) sed cæleste,& æternum regnum exaltari. Sic Regina Regum *Maria*, cujus typum Esther gessit,*cùm esset* PARVULA, *placuit Altissimo.*

Parvuli ad regnū terrenum evecti.

Bonav. ser. 1. de S Antonio de Padua.

Esther 2.

Alterum parvulum inducunt nobis sacri Regum annales *Saulem* , ad quem Samuel; CUM PARVULUS ESSES IN OCULIS TUIS, *caput in tribubus Israel factus es,unxitque te Dominus in Regem super Israel.* Capite verò sequenti, cùm Isai omnes filios suos majores natu adduxisset ad Samuelem,*ait Samuel ad Isai: Non elegit Dominus ex istis. Dixitque Samuel ad Isai: Numquid jam completi sunt filii? qui respondit:* ADHUC RELIQUUS EST PARVULUS, *& pascit oves*: qui jussus adduci.*ait Dominus: Surge,unge eum,ipse est enim,quem elegit Dominus*,ut regat non oves, sed populum suum.

1. Reg 15. v.17.

1. Reg 16. v.9.

Ita non rarò videmus,& recensere possem illustres familias,ubi majores natu, omnes immaturo fato sublati sunt, quia *non elegerat Dominus ex istis*,& feuda,domoia,Toparchiæ, ad parvulum,qui reliquus erat,devoluta sunt. Sic & parentes , qui filios primogenitos student potentum gratiâ,per fraudes, & dolos, per aureos gradus,ad munia, & dignitates evehere, frequenter se spe suâ deceptos inveniunt , & quem suppresserant parvulum,ad ea Dominus illum elegit.

Hæc potissimùm locum habent in electione ad regnum cælorum, ad quod nemo nisi parvulus exaltari meruit;sic etenim primæ Veritati subscribit S.Hilarius: *Nou nisi reversos in naturam* PUERORUM , *introire in regnum cælorum.*

Hilarius in Matth. c.18.

In familia vestra filius parvulus, puer claudus,ingenio parvus,filia minus gratiosa,specie deformis,lusca,gibbosa,ocilla, famulus,quos ut parvulos contemptui habes, illi sæpè sunt, qui rejectis Dominis,& majoribus natu,electi sunt ad regnum cælorum. Quare nemo contemnat unum de pusillis istis. Sed paradoxa quibusdam,imò propè pugnantia videbuntur hæc primæ Veritatis documenta: Mart.18. *Nisi efficiamini* SICUT PARVULI , *non intrabitis in regnum*

Matt 18.

Matt. 11. Quomodo parvuli violenti, utrapiant regnum cælorum.

regnum cælorum. Et Matt. 11. *A diebus Ioannis Baptistæ, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quod parvulis robur, ad cælus ære fusus perrumpendum, ad portas Empyrei, adamante clausas infringendum? quæ teneræ, ac imbelli ætati, cum validis, ac violentis viris comparatio? cur à diebus Joannis Baptistæ? Nunquid & priores Prophetæ, ac Patriarchæ, piis insultibus hanc arcem validè aggressi sunt? Sed penetrare non valuerunt. Attendite, quæ vis adhibenda, quibus expugnanda, & Joannem ducem ac inventorem fuisse deprehendetis, qui humiles & parvulos, violentos esse demonstravit: sic etenim D. Augustinus, ubi primò egit de violentiâ, quâ quis per summum vitæ rigorem, & pravos animi affectus superando, cælum expugnare docuit, tandem subjungit: *Adhuc & alio ordine, regnum cælorum vim patitur, quando illud homines acquirunt, quod Angeli perdiderunt: quando illuc adoptati* HUMILES *ascendunt, unde superbi in cælo ceciderunt.*

Augustin. ser. 1. de S. Ioanne Bapt.

Verùm enimverò ad propositum nostrum longè accommodatius, stylo & sermone aureo S. Chrysologus, dum viros robur habere in lacertis, pueros in lacrymis, ingeniosè observat; ipsum audite: *Violenti rapiunt illud,* INFANTIAM *dico, fratres, quæ totum obtinet: quæ* PLUS LACHRYMIS, *quàm virium robore contendit.* Si pater minetur, si lac, si pomum, aliudve quod appetit, negetur, puer arma sua, lacrymas promit, quibus semper victor evadit.

Chrysolog. serm. 128.

Violentia parvulorum, la chrymæ.

Huic magni Ambrosii accedit auctoritas, dicentis: *Vim facimus Domino, non compellendo; sed* FLENDO. *Non provocando injuriis, sed* LACHRYMIS *exorando,* quod parvulorum est.

Amb. l. 4. in Luc. c. 5

Hinc etiam agni aliquando admovetunt, & Henrici Imperatoris animum, etiam efferatum expugnavêre. Obsidebat hic Trojam, Apuliæ urbem, ac civium pertinaciâ variè lacessitus juravit ne imbelli ætati quidem parcere. Suppetus, axibusque omni præciso, cives seriò, sed serò supplices, in orbem repulsi, extrema jam omnibus metuebant; dum ecce necessitas ingeniosum, nec minus pium stratagema adinvenit,

Bellarmin de SS. Princ. ipibus. Raderus aula sancta.

Miserisque venit solertia rebus.

Ovid. l. 6 Metam.

Puerile totius urbis agmen instituunt, signum crucis præit, laxatis portis legationem istam emittunt: hæ copiæ flentes, atque ejulantes, ad Imperatoris tentorium seorsim pergunt. Quis credat? innocuam parvulorum turbam, amarè flentem conruitus, derepentè Imperatori ad lachrymas eorum, irâ omni restinctâ, collachrymatus est, & misertus super turbam, urbem libertate, cives gratiâ donavit. Paradigma est, quemadmodum nos ad tentorium Imperatoris nostri Jesu accedere, iram animum placare, & quo ariete cælestis illa Jerusalem impetenda sit. Si pacem, si gratiam, si libertatem impetrare velitis, piæ doloris, & amoris lachrymæ, legatione fungantur, & quidvis obtinebunt. Dictis fidem adstruit S. Thomas in illud Lucæ 14. *Legationem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt,* ubi ait: *Mittamus ad eum* LEGATIONEM, LACHRYMAS NOSTRAS. Hæc est nostra legatio, quæ Deum iratum placat: lachryma enim omni Oratore facundior, in cælesti curiâ perorat, omni balistâ fortior, ut portas cælorum effringat. Sic Patris cælestis iram restinxêre Infantis Jesu lachrymæ. Ad huc ut & nos induceret, & pias lachrymas ex oculis nostris, qui pumice sicciores, eliceret, & nos more parvulorum flere doceret, ipse intrans *in mundum, primam vocem similem omnibus emisit plorans.*

S. Thom. in Luc. c. 14.

Sap. c. 7. v. 3.

Quò spectat illa, quæ superest, ultima Doctoris parvuli è cunis conditio, ut pathèticè, & cum lachrymis perorantem andiamus. Sapientissimus mortalium Salomon de se ipso: *Et ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi* PLORANS. Jesus noster parvulus plusquam Salomon, *primam vocem,* quam supra omnes Tullios, & Demosthenes efferre potuisset, *emisit plorans.* Lachrymæ Salomonis *volvuntur inanes,* omnes nostris similes; sed lachrymæ Jesu, potentes sunt, & eloquentes. Hæ lachrymæ, mare sunt, in quo stygius Pharao submersus est: hæ lachrymæ lavant delicta criminum; sic de se S. Ambrosius, ingenii affectu, & dulci sensu: *Mei infantis Christi vagientis* ABLUUNT FLETUS; *illa lachryma, mea delicta lavant.* Hæ lachrymæ ex humili præsepis suggestu fusæ, & parvuli plorantis, & cum lachrymis perorantis, nos flere docent, & parvulorum more lachrymas fundere.

Ultima conditio Oratoris, ut pathèticè dicat. Sap. 7. v. 3.

Ostentum olim Ezechieli ostensum fuit: *Mulieres plangentes Adonidem.* Ex ære solido hic consistebat, cui intus substructo igne, plumbeæ ex oculis lachrymæ defluebant: quibus non potuerunt non præsentes in fletum ubertim solvi, & Deo suo flenti collachrymari. Adonai noster est, qui corde intus divino amore succenso, non fictis, nec plumbeis, sed veris, iisque pretiosissimis, supra omne electrum, uniones, & gemmas, lachrymis ubertim flevit: *Plorans ploravit in nocte, & lachrymæ in maxillis ejus;* idque ut nos, Doctore suffragante Angelico, fletum doceret: *Quare,* inquit, *flevit Christus? nisi quia* HOMINES FLERE DOCUIT? Optimi siquidem Oratoris officium sic explesse videtur, cujus primariæ partes sunt, eos in se affectus coocitare, quos in aliis exprimere conatur, juxta illud:

Ezech. c. 8.

Threno. c. 1. v. 1. S. Thom. in Ioan. c. 11.

Lachrymæ pueri Iesu excitant lachrymas nostras.

Si vis me flere, dolendum
Est primùm ipsi tibi.

Horat. de arte.

Hujus certè divinissimi Infantis perorantis lachrymæ, quibusdam piis mentibus, doloris, & amoris lachrymas expressere. Utinam & vobis, ut enormia vestra flagitia eluatis! Utinam æmulemini virginem illam, quæ post juventutem perditè, & prophdiosè traductam, se intra religiosi claustri septa recepit, ut multo corporis cruciatu, & monasticæ disciplinæ rigore, admissa scelera expiaret, sed conscientiæ stimulis exagitata, incassum sibi pœnitere videbatur: etenim si oculos in cælum attolleret, occursabat animo: nihil coinquinatum intrare in regnum cælorum, nec nisi mundo corde, quempiam Deum videre. Quòd si Redemptoris nostri cruciatus, & acerbissimam mortem, mente vol-

Pelbartus serm. 15. de nat. v. Parati ... puerorum p. I. c. S. 3 10.

Peccatrix per infantiam & lachrymas pueri Iesu, omnibus peccatoribus veniam impetrat.

volveret, impudentem suam illi ingratitudinem opponendo, Christum sibi quasi exprobrantem audiebat: *quæ utilitas in sanguine meo?* Eundem verò Judicem, ac justissimum scelerum vindicem recogitando, tota in desperationem agebatur. *Mens itaque* (etiam in claustro) *quasi quendam populum patiebatur, qua insolenti cogitationum tumultu vastabatur.* Quid agat? dies fortè puerulo Jesu natalis aderat: hic in Palæstinæ solitudinem, ad antrum Bethlemiticum, à se, à sensibus rapta, attento animo Deum majestate positâ parvulorum pannis involutum, flentem & ejulantem, suavissimè contemplari, nihilque pumilionem hunc iratum, aut minatum spirare, quin sibi brachia, & basia lachrymantibus oculis deferre animadvertens, rota & ipsa in dulcissimas lachrymas soluta, animo resumpto, has fiduciæ plenas, ad parvulum in sinu matris flentem, & quiescentem, preces cum lachrymis fudit: per suavissimas lachrymas tuas, & benignissimam infantiam, dulcissime Jesu, qua venisti peccatores salvos facere, meæ miserrimæ peccatricis miserere. Atque extemplo, *Verbum Infans*, Oratore omne disertior, clarâ voce, hanc cœlestis consolationis plenam protulit sententiam: Ob lachrymas, & infantiam, quam illa peculiari religione venerabatur, omnia peccata penitùs remissa esse; nec multò pòst, ad æterna gaudia, & amplexum parvuli evolavit.

Greg. l. 4. mor. c. 28.

Huc & tu, ô peccatrix! Animo peregrinare, & quæ hactenus velut Marpesia cautes, ne stillam lachrymarum effudisti, ad ejulantis Jesu, & cum fletu peiorantis lachrymas ingemisce, & collachrymare.

Vindocini in Gallia perdurat lachryma Christi, quæ stupenda etiamnum edit pietatis miracula, & summa quidem, sed numquam satis digna in veneratione, & pretio habenda: cùm vel unica, omnes orbis margaritas, nimium quantum sua dignitate antecellat. Et tibi non una, sed quas fudit, teste Petro Calentino, ad ducentas supra sexaginta duo millia, viles habentur.

Pet. Calent. in vinea crucis. Lobbetius vita & mors. c. 2. §. 2.

Proposui fœminis, quam imitentur virginem, piis Jesu infantis lachrymis motam; ut & viri parvulo lachrymanti collachryment, & habeant, quem imitentur, virum è Societate nostra religiosissimum adducam.

Benedictus Goëzius, natus in Insula sancti Michaëlis, vicinâ Lusitaniæ, in Indiam militaturus solvit: ubi post aliquot annorum stipendia, mutato consilio, Societatem nostram expetiit, in quam tanquam coadjutor temporalis admissus est. Mutationis porrò occasionem præbuit hujusmodi prodigiosus eventus.

Crombet. de studio perfect. l. 1. c. 4. n. 14.

Anno 1583. Lusitana classis circa oram Travancoranam versabatur. Sesqui milliari ab oppido Colech, templum erat cujusdam pagi, in quod cùm Goëzius ludis, & gravioribus vitæ militaris vitiis perditè addictus, & penè desperabundus ingressus esset cum commilitone, tabulæ altaris conspectu (illa depictam B. Virginis, Filium parvulum, fortè lactentem, gestantis effigiem referebat,) stimulis actus conscientiæ, procidit in genua, *fusóque copioso lachrymarum imbre*, obnixè rogavit Deiparam, ut

Goëzius peccator lachrymis pueri JESV è pictura fluentibus conversus

à Filio suo, peccatorum veniam, ac remissionem sibi imperraret. Res mira. Ecce, Infantulus Jesus, in brachiis Matris efformatus, ubertim lachrymas lactei coloris effudit, tam copiosas, ut undique in suppositum Altare diffluerent; scilicet ut pœnitens disceret, quique amore parvuli ducuntur, & amoris, ac contritionis lachrymas fundunt, se compassionis, & amoris sui lachrymas Patri offerre.

Rei novitate attonitus uterque, aliquot commilitones in templum advocant, ostensum explorant: comperiunt eum liquorem ex oculis picti pueruli emanare. Dubitationem eximebat summa per eos dies siccitas, & æstas in iis locis præfervida: intingunt strophiolum eo liquore in pignus veritatis. Concurrère mox quamplurimi, & rem observatam, festâ bombardarum majorum, & minorum explosione, classiarii omnes celebrarunt. Id contigit A. 1583 & Anno 1600. factâ diligenti inquisitione, à Patribus nostris veritas comprobata est, cujus etiam vestigia imago retinet. Hac ergò visione compunctus Goëzius, de tota vita apud Patrem Societatis confessionem instituit, Religionis ingressum vovit, & in Ordinem nostrum adscriptus est anno sequenti, hoc est 1584. Hanc vitæ militaris, & licentioris, in vitæ Regularis, & sanctioris mutationem, causarunt è picta tabula, pueri Jesu prodigiosè defluentes lachrymæ. Non miraculis opus est nobis, ubi de lachrymis divini Infantis, fides præstat supplementum, sensuum defectui. Clamat stabulum, clamat præsepe, *clamant panni*, inquit Bernardus, *clamant* LACHRYMÆ, intelligetis, si modò aures interioris auditus, accommodare velitis.

Serm. 5. de nativ.

Hactenùs audistis Verbum Infans, parvulum è præsepi, sine voce concionantem, elinguem lachrymis docentem, & perorantem, ut *efficiamini sicut parvulus iste*; quod ut fiat, opus est nova, & spirituali nativitate. Quam adepti exclamare possimus cum dilecto illo mellifui Doctoris discipulo: *O sacra, & dulcis* INFANTIA, *quæ veram humanis cordibus innocentiam infudit: per quam omnis ætas*, (& juvenes, & viri, & fœminæ, & omnes provectioris ævi senes & anus, omnis denique ætas) *in beatam redeat* INFANTIAM.

Guerricus serm. 1. de nativ.

§. III.

Ut efficiamini SICUT PARVULI, *& quasi modò geniti infantes, opus est ad innocentiam parvulorum, spirituali generatione* RENASCI.

Cum Christo Nato, omnes renasci debemus.

PUerum semel natum, morte sublatum, ut quasi renatum, luci restitueret Elizæus, miserat cum baculo suo famulum; sed ille frustra omnia tentavit, nec movit se puer, donec ipse Propheta eò properavit: *Et ecce puer mortuus jacebat in lectulo: ingressusque clausit ostium super se, & super puerum, & oravit ad Dominum: & ascendit, &*

4. Reg. c. 4. v. 32.

dit, & incubuit super puerum, posuitque os suum, super os ejus, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, ET INCURVAVIT *se super eum, & calefacta est caro pueri.* Dei Filius miserat cum virga, & tabulis lapideis Moysem, miserat Prophetas alios, miserat Reges sanctos; sed nemo erat, qui gentem humanam jam deploratam, à morte reduceret ad vitam. Demum ipse venit, contraxit, & incurvavit se:

Greg. lib. 9 mor. c. 32.

Cùm per Moysem, terrorem legis protulit, quasi per puerum virgam misit, ipse autem per semetipsum veniens, quem terroris virgâ suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam redit; super mortuum corpus, humanis se motibus attemperavit, nostræ se balbutiei, & infantilibus membris accommodavit, humiliavit, exinanivit se, & in novam vitam revixit, ac renatum est genus humanum.

Bern. ser. 16. in Cantic. Idem in vigilia nativ. ser. 3. Lanuza tract. evang. tom. 1 tract. 2. part. 3. §. 10.

Ego, inquit Bernardus, *nec illud vacare reor* (mysterio) *quod Propheta incumbens super mortuum, ad mensuram* PUERILIS CORPORIS SE CONTRAXIT; quia parvuli formam assumens, *contraxit se majestas*, ut nos ad innocentiam parvulorum redactos, feliciùs quàm Paulus filiolus suos, parturiret, novæ luci gratiæ restitueret; ut fusiùs Lanuza ad mores prosequitur.

Miserum esset naturaliter renasci.

Verùm enimverò, dum vos renasci debere assero, & ad puerilem infantiam revoco, multis fortè rem incredibilem, & impossibilem; imò & odibilem & terribilem proponere velle videor: Ecquis enim vestrûm ad uteri angustias, ad primas infantiæ lachrymas, ploratus, imbecillitatem, ignorantiam, servitutem, miseriasque innumeras redire vellet? Fuerunt, qui nondum nati, & miserias mundi, ac mortalis nativitatis exosi, mala obventura adhuc in utero fletibus indicarunt. Flens in utero natus est, teste Fabritio, qui hunc & versibus illustravit, & baptismo adstitit. Nostris etiam his paucis annis, clarissimé vociferari ex utero auditus est in hac ipsa Urbe Vratislaviâ, homo in omni vita sua postea miserrimus.

Nieremberg. hist. natura l. 3 c. 23.

Anno 1546. infans in utero materno flevit, unus in Misnia, alter Rotervicæ. Hæc præfatio vitæ, & lachrymatio nascentis, cæteras vitæ partes tacitè prædicat, ac prædicit. Sed quid ea prodigia, & præsagia sectamur? cùm vix utero soluti, & nati, ad miserias damnati, clarâ voce infantes noctes atque dies, flentes & ejulantes satis testentur, in vallem se lachrymarum, & *in locum flentium* expositos, suarum miseriarum vates, ac præcones esse, magno testante Augustino: *Dum infantia*, inquit, *non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit, prophetat quodam modo.* Nulli animantium tam miseranda, ac deploranda nativitas, quàm homini: *Quoniam cæteris animantibus*, inquit Seneca, *in tutelam sui, satis virium est. Quæcumque vaga nascuntur, & acturæ vitam segregem, armata sunt: hominem imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit: nudum & infirmum natura effundit.* Insuper & mentis inops, & rerum omnino ignarus, & tetrà peccati nocte involutus, in auras prodit; quod igneus ille Hispaniæ Ecclesiastes expendens, ait: *Pueri nascuntur cum macula culpæ peccati originalis, & macula pœna, id est, ignorantia: quia pueri nullam habent scientiam, aut industriam, uti animantia, & aves, Ut pullus statim natus, scit eligere grana milii, sive panis inter paleas, si opponantur. Item agnus, vel capreolus noviter natus, statim invenit ubera, & puer nihil. Item in clamore agnoscit matrem, & puer nihil. Item pullus si videt milvum, & agnus lupum, statim cognoscunt, quòd sunt inimici sui, puer nihil.*

Nativitas hominis præ illa brutorum longè miserrima.

Aug. lib. 21. de civit. c. 14

Seneca de benefic. l. 4. c. 18.

S. Vincent. serm. in festo SS. Innocent.

Sic Plinius observat, quòd natura cæteris animantibus varia tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, pennas, squammas, vellera: truncos etiam, arboresque cortice, interdum gemino, à frigoribus, & calore tutata est; hominem tantùm nudum, & nuda humo natali die abjicit ad vagitus statim, & ploratum, nullumque tot animalium ad lachrymas, & has protinùs vitæ principio. Ut consultò multæ nationes morem induxerint, planctu celebrandi nativitatem; mortem verò planctu.

Plinius in proem. l. 7. nat. hist.

Sic Gades, sic Traces sibi sapientiæ laudem vindicarunt, quòd natales hominum flebiliter; exequias cum hilaritate celebrarent. Quod ipsum commendat, & deprædicat D. Ambrosius, dicens: *Fuisse quidam feruntur populi, qui ortus hominum lugerent, obitusque celebrarent; nec imprudenter: eos enim, qui in hoc vitæ sæculum venissent, mærendos putabant &c.* quo anno civitas Saguntina, ab Hannibale deleta est, infans in uterum matris protinus reversus traditur. In uterum, credo, reverterentur omnes, & in auras prodire reformidarent, si miserias humanas præviderent, quæ tantæ, ut Philosophus Romanus asserere non dubitârit: *Nullus vitam accepisset, si daretur scientibus.* Quæ cùm ita sint, quid mirum, si flentes nascimur? *Solent parvuli flere in nativitate, ut sint prophetæ suæ miseriæ.* Quid mirum, si Job exclamet: *Pereat dies, in qua natus sum.* Et Hieremias: *Maledicta dies, in qua natus sum.*

Val. Max. l. 2. c. 6

Ambr. de fide resurr.

Seneca in sent.

Hugo Car. in Ioan. c. 3. Iob c. 3. Hierem. c. 20.

Audîstis miserias nativitatis humanæ; at nativitas, quâ vos hodie renasci percuperem, non flenda, sed ridenda: non miseranda, sed miranda: non ploranda, sed cantanda: non execranda, sed optanda; felix prorsus, fausta, ac beata est, quæ non planctu, sed plausu, non lachrymis, sed risu & gaudio celebranda est; quæ omnibus necessaria, quia ut loquitur Augustinus in enchiridio c. 48. *Solus Christus sic potuit nasci, ut ei opus non esset* RENASCI. Hæc novi hominis genesis, seu nativitas, sine longa temporis mora, fit citissimè; sine ulla corporis molestia, facillimè; sine ullo tædio, aut fastidio jucundissimè peragitur; si modò divinam sapientiam è cunis perorantem audierit: *Nisi efficiamini sicut parvulus iste.* Et convincit id lacteus orator Lactantius: *Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus; paucissimis Dei verbis, tam placidum quàm ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem; jam eum tibi liberalem dabo, & pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris, ac mortis; jam cruces, & ignes, & periculum omne contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem; jam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem, & sanguinis appetentem, jam in veram clementiam furor ille mutabitur, &c.* tanta divinæ sapientiæ vis est, ut in hominum pectus infusa, matrem delictorum stultitiam, uno semel impetu expellat.

Nativitas spiritualis non misera, sed felix & beata.

August. in Enchirid. c. 48.

Hæc citò fit, & sine molestia.

Lactant. lib. instit. c. 25.

Sic

Sic invetetatus dierum malorum, citò, sine mora, sine molimine renasci, & ad infantilem innocentiam redire potest, eodem restante Lactantio, qui subdit: *Gratis ista fiunt, facilè, citò, modò pateant aures, & pectus sapientiam sitiat, &c. Quis hac Philosophorum, aut unquam prastitit, aut prastare, si velit, potest? qui cùm atates suas in studio Philosophia conterant: neque alium quemquam, neque seipsos (si natura paululùm obstitit,) possunt facere meliores. Pauca verò Dei pracepta,* (& infantis Verbi exempla) *totum hominem immutant, & exposito vetere, novum reddunt, ut non cognoscas eundem esse,* ex sene puerum, ex vetula puellulam factam.

Quod multis non minus incredibile, quàm ipsi Nicodemo videbitur. Nicodemus Princeps Judæorum, & ut esset *Magister in Israel*, alium se superiorem, & supremum omnium Magistrum convenire, & consulere, eique se discipulum præbere voluit, idque jure longè meritissimo: quia, ut inquit S. Thomas: *Aliter* DOCENT *homines, aliter Christus: Alii enim* MAGISTRI DOCENT TANTUM EXTERIUS; *sed Christus etiam* INTERIUS: *ipse solus dat sapientiam. Luc. 10. Ego dabo vobis os, & sapientiam. Et hoc nullus purus homo dicere* (aut dare) *potest.* Quare *venit ad eum nocte, & dixit ei: Rabbi scimus, quia à Deo venisti* MAGISTER. Quem intuitus divinus Præceptor, sub primum congressum, implexum illi de spirituali regeneratione, & nova nativitate axioma, hactenus in scholis inauditum, & paradoxum principiũ, longè tamen certissimum, & verissimum proposuit, dicens: *Nisi quis* RENATUS *fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* Attonitus ad hæc Nicodemus, regenerationem carnalem intelligens: quia *animalis homo non concipit ea, qua sunt Spiritus*, quæstionem ut impossibilem, & risibilem explosit, dicens: *Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? Numquid potest in ventrem matris sua iteratò introire, &* RENASCI? Inscitiam hujus Magistri in Israël, disertè exponit Doctor Hipponensis: *Non noverat iste nisi* UNAM NATIVITATEM *ex Adam, & Evâ; ex Deo & Ecclesia non noverat. Non noverat nisi eos parentes, qui generant ad mortem, non noverat eos parentes, qui generant ad vitam? non noverat nisi eos parentes, qui generant successuros* (& morituros) *nondum noverat eos, qui semper viventes generant permansuros.* Tandem concludit: *Cùm ergò sint* DUÆ NATIVITATES, *ille unam intelligebat. Una est de terra, alia de cælo: una est de carne, alia de spiritu: una est de masculo & fœmina, alia de Deo & Ecclesia.* De hac Christus illum instruens, his verbis respondit: *Amen, Amen dico tibi, nisi quis* RENATUS *fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: quod natum ex carne, caro est; quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Ubi cælestis Magister noster, tradit hominem per Baptismi Sacramentum regenerari, ac spiritualiter renasci; sed si quis ex aqua & Spiritu sancto sic renatus est, ut vos omnes; postea inveteratus dierum malorum, in gravissimis flagitiis senuerit, jure illud Nicodemi objiciet? *Quomodo potest homo nasci cùm sit senex? Numquid potest in ventrem matris sua iteratò introire, &* RENASCI? Hanc controversiam, priusquam ad mores resolvam, paucis exponendum est, quomodo homo per scelera inveterascat, & per assidua flagitia, subitò senescat. Id sacræ paginæ, ac sanctorum Patrum testimonia, satis superque loquuntur: *Zelus*, inquit Sapiens, *& iracundia, minuent dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus.* Innumeros reperire est, quos immoderatus zelus, præceps ira, vehemens cholera, in ipso juventutis flore senescere fecit, & caput canis aspersit. Quod & in lascivo amore sæpè sæpiùs compertum est, quo qui correpti sunt, pallescere, enervari, tabescere, canescere, & senescere (si cum innumeris aliis immatura morte non succumbant,) indies videmus. Ut aptè Theocritus: *Amantes in die senescunt*; quasi non longa annorum series requiratur, sed vel unus dies, aut nox, canos adferat. Quid dico unum diem, cùm alius Poëta Græcus, unum dumtaxat temporis momentum satis esse arbitretur: *Amantes*, inquit, *repentè senescunt.* Quod in quibusdam locum habuit, qui dum impotenter feruntur in amatam, & voto frustrantur, una nocte incanuêre. Hoc omnibus lascivis amatoribus proprium, qui eodem temporis puncto, quo in luxuriæ peccatum ruunt, in senium devolvuntur.

De Salomone sacri Regum fasti habent: *Cùm esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres.* Ubi Interlinearis: *Senex non atate, sed moribus:* Obscœni enim mores juvenilem ætatem fregerant, & debilitarant in senilem. O si inter vos invenire esset vel unum malitiâ parvulum, qualem S. Paulinus epist. 34. describit Victorem virum sanctissimum: *Ingenita simplicitate, tam purus animi fuisse perhibetur,* UT PECCARE NESCIERIT; *jam in extrema atare,* TENELLUS PUER, *&* MALITIA PARVULUS *non solùm gratia, sed &* MENTIS INFANTIAM GERIT. Quid verò de cupiditate divitiarum? Et ipsa profectò velocissimam adfert senectutem.

Non unum, sed plures novi, & vos nôstis, ex avaris istis Euclionibus, qui assiduis curis, studiis, molestiis, anxietatibus, florenti adhuc ætate, capulares senes æquabant. De ejusmodi Job: *Sublevati sunt, confortatique divitiis.* Ubi in rem nostram Septuaginta: *Senes facti sunt in divitiis.* Non quidem quòd in multam ætatem divitiis fruiti sint; sed quòd citò, eas possidendo, magnis curis congerendo & asservando consenuerint, ut apposité S. Ambrosius interpretatur: *Inveteraverunt in divitiis dixit, ut non tam diuturna divitiarum possessio, quàm* INVETERATA *pecuniarum molestia significata videretur.* Ubi hanc molestiam senè inveteratam ab affectu appellavit, inquit Mendosa, eò quòd efficiat senectutem. Invidia etiam, incredibile quàm citò juvenes in senectutem devolvat.

Cùm filius prodigus à parente genialiter exciperetur, non sine mysterio dicitur illi invidisse *filius senior*, ut peracutè Mediolanensis Antistes in Luc. c. 16. observavit: SENIOR, inquit *dicitur, eò quòd* CITO ALIQUIS PER INVIDIAM CONSENESCAT. Invidia nec dies, nec noctes cõquiescere, nec cibũ sumere, nec genio indulgere sinit. Tandẽ ne per singula lõgius excurramus, Orator aureus, paucis his omnia cõ-

Ioan. 3. 10. Nicodemus docetur, quomodo homo renasci possit. — S. Thom. in Ioan. c. 3. — Ioan 3. — Ibid. — 1 Cor. 2. v. 14. — Aug. in Ioan. c. 3. tract. 11. Duplex nativitas. — Ioan 3. — Quomodo homo per scelera inveteratus renasci queat. — Eccl. 30. — Mendosa l. 1. Reg. c. 10. ann. 13 ad litt. sect. 2. — 3. Reg. 11. v. 4. — S. Paulin. epist. 34. — Iob. 21. 7. — Amb. l. 2. de interpellatione in Iob. c. 4. — Mendosa l. 1. Reg. c. 13. — S. Ambr. in Luc. c. 16.

Chrysost. in epist. ad Rom. 6. n. 4.

plexus est: *Quodvis peccatum,* SENEM *solet efficere eum, qui illud commiserit.* Nunc ad propositam quæstionem, quomodo talis senex renasci, & in ventrem matris iteratò introire possit, videamus. Ad rem nostram solerter, ut solet, Hugo Cardinalis: *Nicodemo, difficile videtur* SENEM *in peccatis, rursum provocare ad pœnitentiam, & difficile est in veritate.* Tamen, inquit, QUIDAM NASCUNTUR DENUO, *id est spirituali generatione per pœnitentiam.* Tum modum subdit, quo possit quis spiritualiter in ventrem matris introire, dicens: *In ventrem matris intrat, qui se Ecclesiæ per pœnitentiam reconciliat.* Alterum verò modum suggerit: *vel qui ingreditur religionem, & committit se custodiæ & solicitudini bonorum Prælatorum,* (vel Abbatissarum) *qui sunt matres solicitudine, compassione, supportatione, & fœcunditate, de quorum numero fuit Paulus, qui dicit: Filioli mei,* QUOS ITERUM PARTURIO. Sic S. Paulinus, distributis in pauperes omnibus facultatibus suis, ut vitam religiosam auspicaretur, scribens S. Augustino, illum diem, quo statum illum amplexus est, vocat NOVUM NATALEM. Ingressus in Religionem, veteris hominis genesis est, & nova nativitas, ut apud Platum, Nierenbergium, Lancicium, aliosque asceticos videre est. Religiosi porrò, & Sanctimoniales, quasi modò geniti infantes efficiuntur, si parvulo nostro Jesu in omnibus, potissimùm verò in tribus, quæ professi sunt, votis, similes se reddere studuerint. Sed cœptum prosequamur. Seleuciensis Antistes, modum ac methodum hujus spiritualis nativitatis, & sanctæ metamorphoseos præscribit: *Si quis,* inquit *tibi diceret, se arte quadam, atque industria, juvenem te ex sene facturum, nonne desiderares diem illam illucescere, quâ te pristino vigori restitutum conspicere posses? At nunc, cum pœnitentia promittat animæ tuæ, velut novi germinis renovationem, quam tu veterem effecisti, & pravitate rugosam, atque maculatam reddidisti, contemnis benefactorem, non videre desideras magnum illud promissionis miraculum,* QUOMODO SINE MATRE RENASCI SOLEAT HOMO. Si quis te decrepitum senem, te rugosam vetulam, in puerum, in puellam renasci faceret, quæ non incommoda subire, quas non quamtumvis amaras potiones deglutire, quæ non emplastra tibi imponi, quas non sectiones tolerare velles, ut sic quasi renasci, & infantiæ, aut juventæ restitui posses? Non iis tam acerbis medicamentis opus est, vel gemitus, vel paucæ lachrymæ, Infantis Jesuli commixtæ lachrimis, *hoc miraculum, quo sine matre* RENASCI *valeat homo,* præstare poterunt. Hæc secunda nativitas peragitur, dum quis è peccato, in quo natus est totus, gratia renovatur: vita prava ac seculo spreto, & carnem exutus, spiritualiter renascitur. Ita S. Cyprianus, de sua secunda nativitate disserit: *Cùm in tenebris, atque in cæca nocte jacerem, cumque in salo jactantis seculi nutabundus, ac dubius, vestigiis oberrantibus fluctuarem, difficilè prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut* QUIS RENASCI DENUO POSSET; *corporis licet manente compage, hominem ex animo, ac mente mutaret. Qui possibilis ajebam, est tanta conversio, ut repente, ac perniciter exuatur, quod vel genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inolevit? Altâ hæc, & profundâ penitus radice sederunt. Quando parcimoniam discit, qui epularibus cœnis, & largis dapibus assuevit? Et qui pretiosa veste conspicuus, in auro, atque in purpura fulsit, ad plebeium se, ac simplicem cultum componit? Hic stipatus clientum cuneis, frequentiore comitatu, officiosi agminis honestatus, pœnam putat esse cùm solus est. Tenacibus semper illecebris necesse est ut inhæreat: vinolentia invitet, inflet superbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido præcipitet.* Hæc vitia, hos pravos animi motus, quos parvuli ignorant, exuere, ut spiritualiter renasci posset, *dolores illi parturientis* concitabant. At *ubi purum desuper se lumen infudit, postquam cælitus spiritu hausto, in novum me hominem* NOVITAS (& nativitas) *secunda reparavit, non memini amplius pressura: mirum enim in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa; facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse, quod impossibile videbatur.* Hæc quidem, & multa alia Purpuratus martyr; quæ eadem in se recognoscere potest, quisquis vitiis, pravis affectibus, mundo & carni valedicens, Deo, vitæque spirituali renascitur. Anima pœnitens, magnas angustias, & dolores parturientis patitur, ut hunc felicem fœtum, novum hominem, quasi modò genitum infantem enitatur. Sed feliciter his D. Hieronymus, Doctor maximus obstetricatur, dum sic ad Mauritii filiam: *In originem tuam respice, genus intuere, gloriam nobilitatis adverte, ac non hominis tantum esse, sed Dei filiam, &* DIVINÆ NATIVITATIS NOBILITATE DECORATAM. *Ita te exhibe, ut in te divina ingenuitas clarescat: sit vita nova gravitas, honestas admirabilis, & stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, & vera pudicitiæ habitus. Sermo semper modestus, & suo in tempore proferendus, ut qui te viderit, admiretur & dicat: quæ est hæc nova inter homines gravitas? quæ maturitas sapientia? non est ista humana institutio, nec disciplina mortalis. Cæleste hic aliquid in corpore humano refulget.* Hæc quæcumque Virgo Deo devota, renasci volens, audierit, & in se expresserit, non est quod alios vitæ suæ libros, aut directores consulat, quia omnia hic sanctissimus Doctor complexus est. De simili nativitate scribit S. Paulinus ad Severum:

Ad Gal. 4. | *Peccator renasci potest per pœnitentiam.* | *Vel per ingressum in Religionem* | *S. Basil. serm. de pænit.* | *Cyprian. ep. 2.* | *Hieron. ep. 14 ad Mauritii filiam.*

Culpa perit, sed vita redit, vetus interit Adam:
Et novus æternis nascitur imperiis.

Cyprian. cit.

Quantum hæc secunda nativitas differt à prima, de qua Bernardus: *Homo damnatus, antequam natus?* In secunda, *spiritu cælitus hausto, in novum hominem* NATIVITAS SECUNDA *reparavit.* In prima, homo nascitur in peccato, inimicus Dei, mancipium diaboli, extorris Regno cælesti, monstrum teterrimum, de qua jure Propheta: *pereat dies in qua natus sum.* De altera exultandum, & clamandum, vigeat dies, floreat dies, benedicta dies, quâ spiritualiter renatus sum: sic enim fit, teste S. Ambrosio serm. 2. de quadrag. *ut deponens veteris hominis corrup-*

Job. 3. | *Ambr. serm. 2. de quadrag.*

corruptelam, nova indolem juventutis acquirat: & mirum in modum, in uno eodemque homine, delicto sanctitas, iniquitati justitia, senectuti succedat infantia, novoque NATIVITATIS *genere*, ALTER EST QUI RENASCITUR. Verè alter, alter vitâ, alter gratiâ, alter moribus, alter amoribus, alter linguâ, alter oculis, alter manibus, alter cogitationibus, alter mente, & corpore. Meritò in nativitate tali, non solum multi, sed omnes mortales, & Angeli gaudebunt. Unum itaque super est, ut hodiernâ luce ad Christi nascentis cunabula, moriantur in te omnia vitia, & nascantur virtutes. Hic tibi nascatur modestia, moriatur arrogantia, nascatur castimonia, moriatur impudicitia: nascatur mansuetudo, moriatur iracundia: nascatur homo novus, moriatur homo vetus; ita ut, quæ dies Christo, etiam Christianis omnibus sit natalis, idemque vitiis omnibus fatalis, ut illud mellifluí Doctoris verè usurpare possimus: IN HAC DIE NASCIMUR UNIVERSI. Si in hac die nascimur universi, oportet nos parvulorum more, eorum innocentiam, mores, & conditiones induere, & vitia quibus carent parvuli, exuere, juxta illud, quod probandum suscepi: *Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Quæ verba D. Leo Pontifex, doctrinâ & sanctitate maximus, sic in rem nostram exponit: *Amat Christus* INFANTIAM, *quam primùm suscepit, & anima & corpore. Amat* INFANTIAM, *humilitatis magistram, innocentiæ regulam, mansuetudinis formam. Amat Christus* INFANTIAM, *ad quam majorum dirigit mores, ad quam senum reducit ætates, & eos ad suum inclinat exemplum, quos ad regnum sublimat æternum.* Ubi illud maximè observandum, non hic agi, ut vitia, & imperfectiones, inania studia parvulorum in exemplū trahantur, sed ut *malitiâ* PARVULI efficiamur. Docuerat idipsum multò antè eadem Divina bonitas, cælesti effato Sapientis, his verbis pueros moribus, & malitia describens, INFANTIUM *insensatorum more viventes*; in textu Græco: INFANTIUM *more stultorum illusi*. Hinc sequitur: *propter hoc tanquam* PUERIS INSENSATIS *judicium in derisum dedisti*. Videmus, & ridemus sæpe pueros, dum quasi superbam extructuri molem, ædificant in arena, & pro trabibus festucas, pro marmore lutum coagmentant, recreantur illi quidem, veluti molis nobilissimæ architecti; sed non tam ludunt inter se fallendi temporis gratiâ, quàm illudunt seriò puerilibus mortalium studiis, qui magna atque insignia in speciem molientis, reipsa, luto, veluti pueri, occupantur. Sic visum est Augustino, qui loquens de iis quæ tanquam excelsa, humana cupiditas expetit, atque admiratur, dixit esse *volatica ludibria temporum, & lucrum luteum.* Quàm verè dicuntur *infantium insensatorum more viventes*, quoniam lucrum est luteum; quia magni laboris, & nullius pretii: Pulchrè argumentum hoc prosequitur Chrysostomus, ad illa verba Pauli: *Fratres, nolite* PUERI *effici sensibus*, quæ sic ad mores traducit: *Hæc non modò ad scripturas intelligendas legenda sunt; sed ad vitam investigandam. Etenim* PUERI PARVI *magna non desiderant, vilia solent admirari, currus equos, aurigas, & rotas luto factas, hoc aspectu delectantur; quod si Regem in curru aureo sedentem, & mulos albos junctos & eximium cultum viderint, non respiciunt quidem. Præterea & puellas excreta ornant* (pupos amant) *veras autem, pulchras nesciunt, &c. Tales nonnulli jam reperiuntur: nulla his cælestium cura; sed ad lutea*, TAMQUAM PUERI, *obstupescunt.*

S. Bern. serm. 3. de vigil. nat.

Matt. 18. Ut renascamur, debemus redire ad infantiā & mores parvulorum.

S. Leo. ser. 7. de Epiphania.

1 Cor. 14.

Sapientia 12 v. 24.

Vitia parvulorum exuenda.

Aug. l. 5. conf. c. 12.

Chrysost. hom. 80. in Ioan.

Ridiculum sanè est videre pueros, qui papyraceos lembos per lacunam, aut rivulum deducunt, quasi opes Indicas vehant; vel exercitus disponunt, quasi orbem cum Alexandro expugnaturi. Vel magistratus creant, mercaturam exercent, equitant in arundine longa. Hæc viri ridetis, & vana vestra, pueris similia, studia, & negotia, & inanes labores, & futiles honores superi rident, & tanquam *pueros infensatos* jure deludunt. Sed neque clarius, neque accommodatius declarari potest, quod in præsenti contendo, quàm ut aureo ore explicetur: *Non videtis* PUEROS, *quando ludentes struxerint aciem, & ordinarint milites, & eos præcedunt lictores, & præcones, &* PUER *in medio incedit, loco Imperatoris; quàm sunt ea quæ fiunt* PUERILIA? *Tales sunt res humanæ, usque viliores, & abjectiores, ut quæ sint hodie, cras non sint.* Deflenda planè consultorum hominum pueritia: Quemadmodum enim pueri, quæ fortè præ manibus habent pretiosa, puta, aurum, vel argentum, dimittunt facilè, si pomum offeratur, aut icuncula, aut nolula ad ludendum; ita planè filii hujus sæculi, pro humanis divina contemnunt. Usquequo, exclamat mortalium sapientissimus, *usquequo* PARVULI DILIGITIS INFANTIAM? In illos sine dubio invehitur pueros, plenus Dei spiritu sapiens Rex, quorum miseram conditionem fletu dignam, proponit Jeremias: *Matribus suis dixerunt, ubi est triticum, & vinum? cùm deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis: cùm exhalarent animas suas* IN SINU MATRUM SUARUM. Vides sine remedio calamitatem, puerum esse non ætate, sed moribus. Judæi Deo inimici, fame pereunt, quasi confossi vulneribus moriuntur, quia semper pueri, & viribus, viro dignis destituti, puerilibus detinentur blanditiis in sinu Matrum, Væ vobis comminatur Gentilis Gentilibus, quantò verius nos Christianis, *in quibus* NON PUERITIA, SED PUERILITAS REMANET. Sic porrò ad Lucilium suum: *Tenes utique memoriâ, quantum senseris gaudium, cùm prætexta posita, sumpsisti virilem togam, & in forum deductus es: majus expecta, cùm puerilem animum deposueris; adhuc enim* PUERITIA *in nobis; sed quod est gravius*, PUERILITAS *remanet. Et hoc quidem pejus est, quod* AUCTORITATEM HABEMUS SENUM, VITIA PUERORUM. *Nec puerorum tantum, sed* INFANTIUM. *Illi levia, hi falsa formidant, nos utraque*; pueri umbras, larvas, inania terriculamenta formidant, & quæ verè terrifica, ac noxia sunt, non cavent. *Pueri*, inquit Chrysostomus, *larvas timent, ignem non timent. Sic nos timemus mortem* (& mortuum) *peccatum non timemus*, ignem æternum *non timemus*; sic viros, Apostolos, Christus pueros cōpellat: PUERI *numquid pulmentarium habetis?* In quæ verba Chrysologus:

S. Chrysost. hom. 1. in epist. 1 ad Corinth.

Prov. 1. v. 22.

Ieremiæ thren. 2. v. 12.

Seneca epist. 4.

Chrysost. hom. 5. ad pop.

Ioan. 21. 5. Chrysolog. serm. 78.

Ibi enim erat Petrus, qui negaverat: Thomas qui dubitaverat: Ioannes qui fugerat. Non ergò ut fortissimos milites, sed PUEROS *compellat, ut timidos.* Quare liberè iterum exclamare: *Usquequo* PARVULI DILIGITIS INFANTIAM? *Usquequo* vos viri in toga, in primis Reipublicæ subselliis, *diligitis infantiam?* Crepundiis infantium vos occupatis, domi tori io ædificiis, in amplis atriis intenti, quæ *Chrysostomus nidos hirundinum*, & casulas puerorum more in arena, exsibilat, & ut talia superi rident. *Usquequo*, vos viri nobiles, quos majorum præclara facta, & heroica facinora, in bello, & republica, illustres reddidere, DILIGITIS INFANTIAM, ut tempus vestrum cum puppis, & domicellis, cum basiis, & amasiis, infantum more, cum canibus, & avibus, cum talis, & fritillis, inutiliter, & viliter consumitis?

Seneca cit. *Anctoritatem habetis senum*, VITIA PUERORUM.

Usquequo vos Dominæ, & domicellæ, *diligitis infantiam*, dum infantum more, in multam lucem stertitis, aliena manu comi, pecti, indui, duci, aut vehi ut infantes (*in Rolvvaegen*) debeatis, pedibus incedere non valentes, aut volentes: In his omnibus, NON PUERITIA, SEU PUERILITAS REMANET, *&* VITIA PUERORUM.

Prov. 1. v. 22. HugoCar. in prov. c. 1. v. 22.

Hugo Cardinalis in illud prov. *usquequo* PARVULI DILIGITIS INFANTIAM? Id est, inquit, *seculi vanitatem, & potest referri generaliter ad omnes malos, quia lectum propria conscientia inquinant, ut pueri. Et gremium matris suæ, id est Ecclesia, in cujus sinu foventur, sordidant, & polluunt.* Exuentes itaque vitia parvulorum, virtutes quæ in parvulis prædicantur, & in puero Jesu relucent, imitemur: *Studeamus effici* SICUT PARVULUS ISTE.

Bern. cit. S. Nilus in Asceticο. Exuentes vitia parvulorum, debemus exemplo Nati parvuli induere proprietates virtutum, quæ elucent in parvulis

Gravissimis id verbis inculcat Antistes Nolanus: *Quamdiu, inquit, ludis puerilibus delectabimur, nondum virilem sensum accepimus. Quamdiu in agendo erimus* INFANTIBUS IMBECILLIORES? *Ab illis saltem discamus ad præstantiora contendere: natu ipsi ætatem mutantes, mutant etiam in rebus ludicris voluntatem, abjiciuntque quã habebant ad res ludicras propensionem. Nucibus, exempli gratia, & talis, & pila ludunt, his illi se oblectant, & sibi honori ducunt hæc comparare, quoad prudentia sunt imperfecti. at cùm aliquis in virum evaserit, ea abjicit; & ad gerendam rempublicam, unicè studium confert.* Sic Paulus: CUM *essem* PARVULUS, *loquebar* UT PARVULUS, *sapiebam* UT PARVULUS; *at postquam factus sum vir*; ut & nos, detestanda quoque in parvulis exuamus, ea quæ probanda sunt, induamus. Ad hoc hortatur Ambrosius: PUEROS *aptos regno cæli esse*

Ambr. in Luc 18. sinite parvulos.

calorum, fortasiè quia malitiam nesciant, fraudare non noverint, referire non audeant: scortari ignorent, opes, honoremque non appetant. Verum non ignorare ista virtutis est; sed contemnere. Non igitur PUERILIA; *sed æmula* PUERILIS SIMPLICITATIS BONITAS DESIGNATUR.

Virtutes quæ in parvulis prædicantur, imitandæ. Bonav. serm. 1. de S. Antonio de Padua.

Alias parvulorum proprietates, Doctor Seraphicus prosequitur: „Parvuli, inquit, has habent proprietates Primò, ad discendum dociles. 2. ad obediendum „faciles. 3. ad amandum habiles. 4. ad indulgendum faciles. 5. ad dona, sive munuscula promptiores. 1. dociles: omnis enim res quando est tenera, potest aptari ad omnem formam, sicut manifestè apparet in virga, in teneris plantis; sic *& pueri*, quamdiu sunt *in pueritia*, habiles sunt ad omnem doctrinam: est enim prima ætas, ut dicit Avicenna, calida & humida; & ideò ad modum ceræ, & liquidæ, facilè recipit omnem formam. *Cereus in vitium, & in virtutem flecti puer.* Ita & nos, si velimus esse similes *parvulis*, debemus esse docibiles, ad omnem nutum, & voluntatem Dei faciles.

2. Ad obediendum flexibiles, numquam imperiis majorum rebelles. Parvuli non audent contradicere, murmurare, rationes opponere. Si nos ita obedientes mandatis Dei, & Ecclesiæ: si filii, & filiæ parentibus, servi & ancillæ heris, Religiosi Prælatis, subditi superioribus flexiles fuerint, cum parvulis intrabunt in regnum cælorum.

3. Ad amorem habiles: amant valdè se amantes, quod etiam videmus *in parvulis animalium*, & maximè equarum; inde *quamdiu sunt parvuli*, mirabili affectu, parentes sequuntur, & amant, & plurimum amantur. Videmus quod *parvuli* ab omnibus amplexantur, ab omnibus in collum feruntur. Ipse Christus dilexit *parvulos*, complexans *parvulos*, & imponens illis manus, benedicebat eis, dicens, *sinite parvulos venire ad me, quoniam &c.* Vultis & vos placere, & grati ac amabiles esse Parvulo nostro, parvuli estote: nam ut inquit Doctor Angelicus: *Nemo ex spiritu* NASCETUR, *nisi humilis fuerit. Nicodemus ille* MAGISTERIO *inflatus erat. Deponit ei Christus superbiam, ut possit* NASCI *de spiritu, insultat tanquam indocto: Tu es* MAGISTER *in Israel, & hæc ignoras?* S. Thom. Ioan c. 3

4. *Parvuli* ad indulgendum perfaciles: mox enim verberati, de collo depositi, & repulsi, mox ad complexum redeunt vocati. Simus & nos ut parvuli, si injuriâ affecti, læsi, lacessiti, exacerbati, verberati, in collum irruamus. Sic parvulos parvulus, qui natus est nobis, quem toties lacessivimus docet. Idque ut à brutis discamus, idem Doctor subjungit: nam & canes adeò Domino sunt fideles, quod quandocumque exasperati, verberibus affecti, foras repulsi, mox redeunt vocati, quasi nihil omninò sint passi. Sic & parvuli non sunt maleroli, sed ad injurias remittendas, & oblitterandas, promptissimi. Unde dicebat Apostolus: *malitia* PARVULI *estote*, sine malevolentia, sicut est puerilis natura: Tales enim nihil habent impietatis, nihil crudelitatis. 1. C.

Si vos, ut parvuli, ut catelli, à Deo, Domino, aut hominibus læsi, injuriis, morbis, adversitatibus affecti, mox redeatis, quasi nihil omninò passi, & in collum hujus parvuli involetis, amabiles vos prorsus parvulos exhibetis. Ut nullus hoc die in animis vestris rancor remaneat, ignea D. Guerici Igniacensis Abbatis verba to flamment: *Dulce prorsus, & sapidum cogitare, & recogitare* PUERUM DEUM; *quin etiam efficax, & operatorium ad medendum, si quis in nobis est, rancorem animorum, sermonum amaritudinem, morum austeritatem. Ita fiet ut* QUASI MODO GENITI INFANTES, MODO

GENI-

GENITUM INFANTEM DOMINUM *dignè laudemus, & in consonantia morum, & vocum,* ex ORE INFANTIUM ET LACTENTIUM PERFICIATUR LAUS INFANTIS, ET LACTENTIS DOMINI JESU.

5. Parvuli ad accipiendum veloces ; nun"quam ita plorant, quin statim cessent, & ri"deant, si quis eis pulchrum pomum porrigat, "vel denarium album offerat : valdè enim munuscula amant ; quæ si ablata eis fuerint, plorant. Eodem spectat illud Bernardi, parvulos munusculis delectari, & placari : *Quis nesciat, quia* PUER *facilè donat.* PUER PARVULUS *venit Christus* , FACILE PLACARI POTEST. Charissima quæ cuique sunt, huic puero , ut placari possit, offerenda. Tu adulter ad placandum hunc divinum puerum ancillam tuam, aut pedissequam, quam deperis : Tu causidice, tu mercator, quæ ex injustis lucris conquisivisti, huic pauperrimo infantulo, &c. Tu Pater, & materfamilias, tuum quem diligis Isaac, unam, & unicam, quam diligis filiam. Vos Religiosi, & Sanctimoniales, affectus vestros consulite ad officia, dignitates, commoditates, parentes, amicos, propinquos : cellas vestras excutite, an quis affectus inordinatus in libellis, rosariis, icunculis, bellariis, & hæc ad pedes Nati parvuli in cunis deponite, & quidquid volueritis , à parvulo impetrabitis : *Quia puer facilè donat,* pro pomo paradisum. Huic itaque parvulo similes esse studeamus, ut REDIVIVA NATIVITATE INFANTIÆ, *quisque innocentiam præferat, juventutis scelera non agnoscat.* Hæc hactenus ad sæculares; ad vos verò viros Religiosos , & Sanctimoniales, Abbatem Claravallensem exhortantem audio : O PARVULUS, PARVULIS DESIDERABILIS? *studeamus effici* SICUT PARVULUS ISTE. Quod fiet si *in paupertate, castitate, & obedientia,* quæ essentialia Religionis vota, huic parvulo similes extiteritis. Quod paupertatem spectat, sanctissimus Patriarcha noster *Ignatius,* teste Ribadineira, nocte nativitatis, sub missæ sacrificiis, tantis deliciis perfusus fuit, ardore tanto exarsit, ut post secundum quod peregerat sacrum , omnibus corporis sensibus, & animæ facultatibus in hoc mysterium exhaustis , ad extremum vitæ adductus sit. Expresserat siquidem in se sublimi contemplatione , quæ nobis per vivam sensuum applicationem in libello exercitiorum reliquerat animo ruminanda. Hauserat , ut credo, hunc in pauperes Christi infantis cunas , tenerrimum spiritum Ignatius nondum natus, ex piissima matre infantulus. Hæc Marina nomine, domo Baldensis, claro genere, & stirpe fœmina, cùm hunc ipsum filium parturiret, ingenti erga natalem Domini affectu , in stabulum se deferri jussit, ut eo loci pareret , ubi Virgo Mater Deum genuisset. Hic itaque exemplo parvuli nostri, in stabulo natus, ad sanctam vos curiositatem invitat, dicens : *Nativitatis locum rimabimur, speluncæ similem.* Quem dum attentè rimabimur , quæ & quanta non mirabimur. Excelsus in cælo , jacet in fœno. Quidquid in Christi nascentis antro intuearis, paupertatem spirat. Locus ventis pervius, omni suppellectile vacuus, nobile paupertatis Palatium. Videte pueri cunas, lintea, pulvilos, stragula. Sentire mollem culcitram, videte culinam, quæ fercula, quæ puerperæ, quæ infanti delectamenta. Circumspicite ancillas, famulos. Ingredimini penuariam cellam. Ubique paupertas habitat , Christo chara : *Summus omnium Dominus, in summa natus est egestate* ; qui terram herbis & floribus, cælum stellis, arbores foliis , volucres plumis , feras pilis, pisces squammis, homines mollissimis & pretiosissimis induit vestibus , *qui totum mundum, inquit S. Thomas in Luc. 7. cap. 2. vario vestit ornatu, pannis vilibus involvitur* ; tremens, & algens, omnibus destitutus jacet in stabulo, vagit in præsepio : *Tempus elegit quod molestius est parvulo, & pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum præsepe ad reclinandum & cùm esset tanta necessitas,* clamat Bernardus , *nullam audio pellium fieri mentionem* ; & vos de vestimentis, de lana & lino meliori, de calceis, & crepidis, quæ dignioribus dantur, soliciti estis ? Quæ habitatio, quod cubile, quæ cella Religiosa, valet huic stabulo, ventis, & frigori , & pluviis undique pervio, comparari ? Quod stratum adeò miserum, aut durum, huic præsepio, fœno, & stipulis potest adæquari ? *Studeamus effici* SICUT PARVULUS ISTE. Cujus paupertatem in se, & suis, vobisque omnibus , ut exprimeret S. Ignatius, sic ait : *Me adesse fingam, tanquam* PAUPERCULUM , *eorum utcumque necessitatibus, cum reverentia maxima famulantem.* Hæc si attentâ mente contemplati estis, compello vos viros Religiosos , & Sanctimoniales, quis vestrûm, si verbo infanti , Virgini Matri, Josepho sponso, in Bethlemitico stabulo adesset, omne quantumvis incommodum servitium subterfugeret, se ad majora natum, ad majora commoda educatum , & vocarum dictitaret? Religiosus vanus , & profanus sit, necesse est, qui seculo spreto, Religionem sacram amplexus , in animum non induxit, se paupertatem in matrem elegisse. Victor Antiochenus in cap. 10. Marci, v. 13. mirabilem & amabilem ex parvulis tradit eruditionem : MATREM (quamtumvis pauperem) *puer præ ceteris aliis mulieribus potiorem ducit , etsi Reginam diademate redimitam ostenderis, non antepouit eam* MATRI , *quamtumlibet vilibus pannis induta , avetque magis illam videre pannis obsitam, quam Reginam splendido corporis cultu ornatam.* Ita parvulus noster Jesus, præ omnibus Reginis, & opulentis matronis mundi, matrem pauperem, & inopem elegit, & tenerrimè dilexit, suffragante Doctore Angelico : *Non tantum homo, sed* PAUPER *fit homo, &* PAUPEREM MATREM ELEGIT. Noluit nasci ex Augusta, Julia, Livia, Agrippina, sed *Mariam* PAUPEREM MATREM ELEGIT , quam super omnes orbis Reginas , infinito intervallo adamavit. Hujus parvuli exemplo, tot illustres, ac potentes Regum, Principumque filii, ac filiæ, opibus ac divitiis spretis, paupertatem voluntariam professi, eam sibi in matrem elegerunt, & dilexerunt. *Studeamus & nos effici* SI-

LIII 3 CUT

Marginal notes, left column:

S. Bern. ser. 1. in Epiph.

Quomodo puer Jesus placari possit.

Bern. cit.

Bern. ser. 3. super missus.

S. Amb. in c. 3 Eccl. serm. 2.

Bern. ser. 3 super missus.

Ad Religiosos ut per tria vota fiant sicut parvulus iste.

Ribaden l. 5. c. 1.

Lancicius opusc. 6. n. 7.

S. Ignat. in stabulo natus exemplo Christi parvuli.

Libell. exercit. contempl. de nativit.

Paupertas pueri Jesu.

Marginal notes, right column:

Libell exercit. ibid.

S. Thomas in Luc c. 7 v. 2.

Bern. ser. 3. in nativ.

S. Bern. serm. 3. super miss. Lib. exerc.

Corn. in c. 19 Mat. v. 14.

Victor. Antioch. c. 10 Marci.

Paupertas diligenda ut mater.

S. Th in Luc c. 2.

V Platum

Bern. cit.

positè ad captum Auditorũ

nonin persuasibilibus humanæ scienriæ verbis; sed verbo unico, de parvulo ad parvulos est, quales omnes nos esse vult, ut dicemus. S. Gregorius Nazianzi Antistes, hoc unum sacros Oratores prudenter monitum cupit, ur ne crudis, & solidis ferculis stomachum; ita nec verbis sublimibus, & subtilibus, animum opplendum; quare alludens ad illud Apostoli: *Lac vobis potum dedi, non escam*; & ad Hebræos 5. *Facti estis quibus lacte opus est*, docet, sermonem Domini, cibo persimilem esse, qui modicus, levis ac facilè digerendus, avide appetitur, sapit, ac nutrit; immodicus, & crassus obruit, indigestionem, fastidium, & nauseam parit. Quod fastidium, quæ nausea ne animis nostris accidat, verbum Infans lactescere voluit, ut Hipponensis Doctor solerter observavit, dicens: *In principio erat verbum. Ecce qualis cibus sempiternus; sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cælestes spiritus; & integrum manet quod eos satiat, & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum ascendere? quia ergò ad illum panem, homo non poterat ascendere, dignatus est panis ipse descendere ad hominem, & hoc cum ineffabili pietate factum est, quia oportebat ut mensa illa Angelorum* LACTESCERET, ET AD PARVULOS PERVENIRET. Abbas Igniacensis: *Vere tu puer Deus, cùm totus sis dulcedo, & desiderium; dulciorem tamen te mihi facit teneritudo membrorum: hæc nimirum te capabilem* (alii capiabilem) *facit sensibus, & affectibus* PARVULORUM, *qui nondum sunt te solidum idonei capere cibum.* Unde sermo ejus simplex, & ad captum parvulorum. Thema, seu argumentum est, quod moraliter, & patheticè tractabitur:

Doctrina Christi non sublimis. Act. 3. Hebr. 5.

Aug. ser. 127. de temp.

Guerric. serm. 1. de nativ. Dom.

§. II.

Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Matth. 18. vers. 3.

Doctrina Christi humilis, ut efficiamur sicut parvuli. Vinc. feria 3 post Dom 2. Quad.

Reprehēdit discipulos contendentes, quis eorum major.

DIscipulos inter, nondum ex alto confirmatos, gravis exorta est controversia; *quis eorum videretur esse major.* Hanc contentionem sic exponit igneus ille Hispanorum Ecclesiastes S. Vincentius Ferrariensis: primò Petrus dixit: Quid contenditis inter vos? Jam "conclusum, & decisum est, quod ego, quia "jam Christus mihi promisit majoritatem Vi-"cariatus, & quod sim caput, cùm dixit, *tu vo-*"*caberis Cephas*, quod interpretatur caput. Se-"cundò dicit beatus Andreas, quid dicis Pe-"tre, quod tu eris major? Imò ego ero major; "& ratio est, quia Christus Salvator mundi, "primò vocavit me. Tertiò dicebat S. Juan-"nes: quid dicitis vos, quod vos eritis majo-"res? Imò certè ego ero major: nam ego sum "virgo, & vos habuistis uxores, & virginitas "multum placet Deo. Item venit alius, sci-"licet S. Jacobus Major, & dixit: quid dicis ru Joannes, quod eris major? Certè non eris:" nam ego primogenitus, ergò ego ero primus" paradiso. Item dixerunt Jacobus minor," Thadæus, & Simon: quid dicitis vos, quod" eritis majores? Certè non erit verum, imò" nos: nam sumus nepotes ex prima sorore Ma-" riæ Virginis, ideò erimus majores. Item ve-" nit S. Mathæus dicens: quid fecistis vos pro" Christo? Tu Petre dimisisti navem torqua-" tam, & retia fracta, & ego dimisi plures pecu-" nias, & multa alia bona temporalia; non est" ergo facienda quæstio ultra, ergò ego ero ma-" jor. Jam venit S. Philippus dicens, ego ero" major: nam ego fui primus Apostolus, quem" Christus ore proprio vocavit, dicens: *Veni se-*" *quere me.* Ergò non est quæstio facienda ul-" terius. Venit S. Bartholomæus, ha taceatis;" non sum ego de genere regio? Ego ero ergò" primus, qui sum magis generosus. Deinde venit S. Thomas, dicens: quid dicitis vos," & non sum ego Doctor? Et jam vocor Tho-" mas, id est, abyssus sapientiæ; & vos estis om-" nes rudes, & grossi: numquam didicistis lit-" teras, tacete. Inposterum venit Judas Sca-" riotes, dicens: & nonne ego sum Procura-" tor omnium, & ex manibus meis habetis vi-" vere? Hæc cùm ardenter, & ferventer disceptarentur, *advocans Iesus* PARVULUM, *statuit eum in medio eorum, & dixit: nisi efficiamini, &c.* SICUT PARVULUS ISTE. SS. Patres, & sacri Interpretes disquirunt hic solerter, quis fuerit parvulus iste? Quo nomine vocitetur, quâ virtute, & sanctitate præditus, ut in exemplar discipulis Christi, & nobis omnibus proponatur? Anselmus, Lyranus, Barradius, aliique docent hunc parvulum fuisse sanctum Martialem, D. Petri discipulum, & ab eo posteà in Gallias Apostolum delegatum. Metaphrastes cum aliis sensit, hunc puerum fuisse sanctum Ignatium, dein Antiochenum Episcopum; sed ad rem nostram sanctus Ambrosius, Doctor, & Pontifex Maximus, exponens illud Math. 18. *Nisi efficiamini sicut parvulus iste* sic disserit: *nisi efficiamini sicut puer iste. Non dicit, sicut pueri isti, sed sicut puer iste. Unum elegit, unum proponit: videamus igitur quis ille tantus sit, qui discipulis proponitur imitandus. Non hunc arbitror esse de plebe, non de publico, non de multitudine ceterorum; sed de cælo.* IPSE EST PUER, *de quo dicit Isaias Propheta:* PUER NATUS EST NOBIS, *filius datus est nobis.* Quæ ut ad mores aptè nobis proponantur, opus est ut statuamus hunc parvulum in medio nostri, & cum Doctore mellifluo exclamemus: O PARVULUS, PARVULUS DESIDERABILIS! *studeamus effici sicut* PARVULUS ISTE. At quanti moliminis sit, ut vir magnus parvus fiat, quantæ difficultatis, ut vir opulentus, qualis fuit Job, de quo sacer textus: *Fuit possessio ejus septem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis*; his subjungit scriptura: *Eratque* VIR ILLE MAGNUS *inter omnes orientales*, ut talis parvus fiat? ut vir in gratia, & favore Principis, apud Regem magnus & magnes, parvus fiat, qualis fuit Mardochæus

Matth. 18. v. 3.

Corn. in Matt. c. 18

Barradius l. 10. c. 33. de majoritate in regno cælorum.

Ambr. ser. 55. Quis parvulus in medio positus.

4. Conditio Doctoris, ut moraliter doceat.

S. Bern. serm. 3. super missus. Iob. c. 1. Quam difficile & magnum sit esse parvum.

dochæus in aula Assueri, VIR MAGNUS, *& inter primos aulæ Regis* habitus. Ut vir nobilitate, & generis splendore magnus, parvus fiat, qualis apud Tobiam *magnus* nuncupatur: *Ego sum Azarias, ANANIÆ MAGNI filius,* cui respondit Tobias: *Ex magno genere es tu, &c.* ut ejusmodi, ex magnis parvi fiant, quàm difficilè sit, ex eo liquet, quod omnes impotenter ferantur ut magni sint, omni studio, & amore insaniant magnitudinis, quod suâ auctoritate, & magni Pompei illustrat exemplo sapientissimus Seneca his verbis: *Nec Cneo quidem Pompeio externa, aut civilia bella, aut domestica, virtus aut ratio suadebat; sed insanus AMORE MAGNITUDINIS FALSÆ, modò in Hispaniam, & Sertoriana arma, modò ad colligendos piratas, ac Maria pacanda vadebat. Quid illum in Africam, quid in Septentrionem? Quid in Methridatem & Armeniam, & omnes Asiæ angulos traxit? Infinita scilicet cupido crescendi: cum sibi uni parum MAGNUS videretur.* Expende illud *magnitudinis falsa,* quam ut detestemur, MAGISTER HUMILITATIS, HOMO PARVUS AD PARVOS, *humilis ad superbos, parvitatem suam docet hominem, ut se agnosceret PARVUM, non grandescendo se crederet MAGNUM: est enim superbia non MAGNITUDO, sed tumor; quod autem tumet, videtur MAGNUM; sed non est sanum,* ut in hydropico, aliisque inflatis apparet. Nihilominus hunc insanum falsæ magnitudinis amorem, in omni classe hominum, mercatorum, militum, litteratorum, nobilium, quin & Religiosorum fervere cernimus, atque in ipsa schola humilitatis, non rarò contentio, *quis eorum videatur esse magnus, & major:* Nec sibi quis magnus videtur, nisi è remis ad clavum promoveatur: de officio ad officium, Procuratoris, Cellarii, Præfecti Ecclesiæ, Prioris, Definitoris, Commissarii Generalis, Prælati (ut quæque fert Religio) conscendat. Sic inter sanctimoniales una ad officium Æedituæ, Magistræ tironum; altera Procuratricis, plures Capellanissæ, Abbatissæ, se capaces sentiunt. Quæ expendens sanctus Augustinus, exclamat: *Itane MAGNUM est esse PARVUM, ut nisi à te, qui tam MAGNUS ES, fieret, disci omninò non potuisset.* Ut quis magnus fiat, facilè discitur, infinitæ praxes, & artes sunt; imò quisque non discendo, hic sibi Doctor, auctor, & inventor est. Hic sibi per divitias gradum struit: alter improbo labore, & studio: tertius potentum favore, & gratiâ, plerique per fraudes, & dolos, magni fiunt. Sed tam excelsum, tam sublimè, TAM MAGNUM EST ESSE PARVUM, ut nec in opificum guldis, nec in mercatorum societatibus, nec in causidicorum dicasteriis, nec in Philosophorum gymnasiis, nec in Theologorum scholis: nec ex Doctorum pulpitis, nec ex Concionatorum cathedris, nec ab ullo mortalium, *nisi à te* (ô Deus) QUI TAM MAGNUS *es, fieret, disci omninò non posset.* Nunc videamus quomodo hanc tam difficilem, tam subtilem, & sublimem lectionem, Verbum Infans doceat: nec plures, aut alios magistros audiamus, quia hic *unus magister est,* quem adire, & audire debeamus, qui non solum docuit verbo: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde;* sed opere, & exemplo. Hanc cælestem doctrinam mitis, humilisque magistri hausit, & suis tradidit in Clara Valle sua Doctor mellifluus, disserens super illud Matth. 18. *Nisi conversi fueritis, & efficiamini SICUT PARVULUS ISTE, &c.* sic ait: *Ad PARVULUM converti necesse est, ut discamus ab eo, quia mitis est, & humilis corde. Ad hoc siquidem PARVULUS datus est nobis. Sanè idem magnus est; sed in civitate Domini, cui & dicitur: exulta & lauda habitatio Sion: quia MAGNUS in medio tui sanctus Israel.* Tum exsurgit, ubi Deus magnus, se Parvulum fecit: *Quid tu inflaris, ô homo! quid extolleris sine causa? Quid alta sapis?* Suspicere quidem, & laudare, mirari ac venerari debemus ejus magnitudinem; sed imitari ejus humilitatem; unde subdit: *Sublimis quidem Dominus; sed non ita proponitur tibi. Laudabilis magnitudo illius; non etiam imitabilis.* Quod si nos non parvulos, sed magnos, & ambulantes in excelsis voluisset, quot, & quàm innumeros sectatores habuisset? *Si fortè sublimitatis esset via proposita, & illic iter, quo ostenderetur salutare Dei, quanta facerent homines, ut exaltarentur? Quàm crudeliter invicem sternerent, invicem conculcarent? quàm impudenter manibus, pedibusque conarentur in altum, ut imponerent sese homines super capita aliena?* Illud tandem assequi non potest, cùm facilius sit descendere, quàm ascendere, quomodo homo audeat, & ardeat summo labore, invidiâ, periculo in altum conscendere? *Cùm nihil,* inquit, *facilius volenti, quàm humiliare semetipsum, & ad PARVULUM, ad magnitudinis* (verè) *& HUMILITATIS MAGISTRUM converti.*

Esther c. 2. Electri domo.

Tobiæ 5. 18

Seneca ep. 95. Omnes volunt esse magni.

Aug. ser. 22. de temp.

S. Aug. de S. virginit. c. 34.

Matth. 23

Matth. 11. v. 29.

Bern. in capite de jejunio. serm. 1.

Parvulus natus docet nos parvulos esse debere.

Isa. 12.

Ibid.

Ipsum audite, docet, & clamat è præsepio, clamat signis, clamat nutibus, clamat lachrymis. Bernardus serm. 1. de nativ. *Iam inquit, clamat exemplo, quod postea prædicaturus est verbo.* Et alibi: *Nondum loquitur lingua, & quæcumque de eo sunt, clamant, prædicant, Evangelizantur.* Atque ita exemplo docens, utitur brevissimo, nobilissimo, efficacissimo docendi genere: *Hic syllogismus certissimus,* inquit Chrysostomus, *qui per opera efficitur,* estque demonstratio ad oculum, maximè infallibilis.

Puer natus clamat è præsepio.

Bern. ser. 1. nativ. Serm. 5 de nativ.

In veteri quidem lege *Verbum Patris,* instar magistri Matheseos (qui verbis, & figuris: demonstrationes in tabula exprimit) doctrinam suam per scripturas, & figuras proposuit; at nunc demonstrationes verborum, ad experientiam deduxit, & in suo corpore, nostris oculis, in Bethlemitico gymnasio subjecit; sic quippè sanctus Augustinus: *Omnis hujus NATIVITATIS SCHOLA, humilitatis est officina.* Filii hujus sæculi, superbi, & fastuosi, *qui ambulant in magnis, & mirabilibus,* ad hanc scholam humilitatis conveniant, & brevi discent omnem pompam, & vanitatem mundi aspernari, ubi viderint in Bethlehem, quomodo factus est PARVUS,

Chrysost. in 1. ad Cor. hom. 10.

Aug. ser. 18. de tempore & de nativit.

Bern. ser. 3. in vigil. nativ. *Idem ser 3 super missus* *Iudic. c. 6.*

EX MAGNO DEUS; ibi discent, quomodo majestatem & magnitudinem suam abscondat. *Magnificetur ergò à nobis* PARVULUS, MAGNUS DOMINUS, *quos ut faceret magnos, factus est* PARVUS. Libro Judicum. cap. 6. Gedeon petiit à Domino in signum liberationis populi sui, ut pluvia descenderet super solum vellus, quod & præstitit Deus. Eo signo adventum Domini significatum fuisse, docet Ecclesia, dum hâc solemnitate cantat: *Sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum.* Quid illud signum nobis innuit, nisi illum ad nos modestè, silenter, & sine strepitu descendisse? non sicut Princeps, de novo civitatem ingrediens, ingenti cum strepitu, & honorifico apparatu, magnâ stipante nobilium, ac militarium ducum, super sonipedes catervâ, multis rhedis, & curribus, festivo tubarum, tympanorum, ac tormentorum boatu; sed Princeps noster *à L'incognito*, ut rectè Isaias: *Verè tu es Deus absconditus*: quomodo enim magis abscondere potuit copiam, & abundantiam divitiarum suarum, quàm sub vilibus illis, quibus involutus est pannis? Quàm sub summa illa rerum omnium indigentia? Quomodo majestatem altiùs abscondere poterat, quàm sub humilitate, & vilitate stabuli, ac præsepis? Quomodo omnipotentiam, quàm sub Infantilis imbecillitate, & puerilibus brachiis; fasciis colligatis? Infinitam sapientiam, quàm sub elingui silentio? Divinitatem denique, quàm sub abjecta humilitate nostra? Sed quorsum hæc? Rationem reddit Divus Gregorius: *Ad hoc unigenitus Dei Filius formam humilitatis nostræ suscepit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus.* Hanc lectionem edocta est Beata Catharina Riccia, quæ cùm divinum parvulum à Deipara porrectum, in ulnas accepisset, rogavit Matrem Virginem, quâ vivendi ratione, quo obsequio, Jesu Infantulo potissimùm placere, & gratificari posset: quæ respondit: *Humiles, & obsequentes instar parvulorum*, FILIO SUO PARVULO *placere super omnes.* Hanc quoque lectionem, ubi hausit à Magistro humilitatis sanctus Augustinus, ad illa verba: discite à me, &c. sic exclamat: O MAGISTRUM, *Dominumque mortalium! noluit* DOCERE, *quod ipse non esset: noluit jubere, quod ipse non faceret: audio clamantem, quid? ut discamus a te, venimus ad te: quoniam mitis sum, & humilis corde.* Tum enim parvulum humilem, & pauperculum contemplatus, ac opere exercentem quod docuit, admiratione defixus, ait: *Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientia absconditi in te, ut hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es, & humilis corde? Itane* MAGNUM *est esse* PARVUM, *ut nisi à te, qui tam magnus es, fieret, disci omninò non posset?* Ita planè; testis mihi est insignis discipula B. Angela de Fulginio, quæ hac lucidissima nocte, puerum JESUM brachiis excepit, eique breve, & salubre documentum dedit, dum dixit: *Non videbit me* MAGNUM, *qui non videt me* PARVUM. Eja, Domine, videam te *parvum*, in præsepio, in fœno, in stabulo, ut te magnum videre merear in cælo, in throno: imiter te parvum, & humilē, ut magnum, & sublimem valeam contemplari.

Puer Natus tradit lectionem humilitatis & paupertatis.

Isa. 45. 15.

S. Greg l. 34. mor. cap 21. *In vita c. 21.*

S. August. serm. 10. de verb. Dom.

Aug. de S. Virg. c. 34

Exempla Virginū, quæ parvuli humilitatē edoctæ. *In vita.* Paradisus puerorum.

Ad hoc suos olim, & nos hortatus est S. Bernardus, tractans illud Matthæi: *Nisi efficiamini sicut parvulus iste, &c. nimirum*, inquit, *ipse magnus Dominus*, PARVULUS FACTUS EST NOBIS. PARVULUS EXHIBETUR, *ut seipsum faciat gratum, & efficax* PARVITATIS EXEMPLUM. *Ad* PARVULUM *ergò sit conversio tua, ut discas* PARVULUS ESSE: *signanter enim ea, quæ* PARVULI *sunt, in seipso imitanda proponens, discite à me, inquit, quia mitis sum, & humilis corde*: GEMINA PARVITAS, *humilitas, & mansuetudo.* Hanc humilis magistri lectionem, ne excideret, B. Joanna Lusitaniæ Regina, monialis facta, colo inscripserat: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*; ut dum eâ manu, quâ sceptrum texerat, filum nendo duceret, numquam non in oculis haberet, & animo volveret. Hauserat fortè illud ejusdem Antistitis: *Doctrinam humilitatis agnosce*, NONDUM LOQUENTE DOCTORE. Quidquid in Christi nascentis antro intuearis, humilitatem, & paupertatem spirat æternam. Locus ipse ventis pervius, omni suppellectile vacuus. Hîc illa certè velut in sede sua regnat, & velut è cathedrâ docet, opum contemptu, & tritu maximo. Videte pueri cunas, & cunarum lintea, pulvillos, stragula. Videte culinam, & focum, quæque à foco recentia feruntur fercula. Explorate manu, lectuli plumeam mollitiem: circumspicite famulos, & ancillas: ingredimini penum, & cellam generoso cretico spumantem. Omnia domus ornamenta, belluata tapetia, annonæ copiam, mensarum cellaria considerate. Prima statim fronte, summa rerum omnium inopia sese oculis affundet. Hæc omnia clamant, quia pauper, & humilis magister noster est.

Bern. ser. 2. de conversione Pauli.

Vasconcelus in vita de Reg. Lusit.

Aug. ser. 22. de temp.

Paupertas pueri JESU, quæ nos docet ut parvuli simus.

Liceat mihi illud Annæi Senecæ adferre, quod ille de Demetrio jactavit: *Magnificentior, mihi crede, sermo tuus ingrabato videbitur, & in panno: non enim dicentur tantùm illa, sed probabuntur. Ego certè aliter audio Demetrium* (dicam ego Christum) *nostrum, dum illum video* NUDUM STRAMENTIS INCUBANTEM: *Ita enim* NON PRÆCEPTOR TANTUM VERI; *sed & testis est.* Nec paupertatem, humilitatemque solum laudat, sed & amat, & experitur; ut & hanc nos moribus, & vitâ referamus, *revertendum est ad simplicitatem* PUERORUM; *quia in ea collocati, speciem humilitatis Dominicæ circumferemus.* Hæc unica ad beatam æternitatem via, hæc recta ad regnum cælorum semita. Nemo se fallat, Infantis Verbi irrefragabilis doctrina est: *Nisi efficiamini sicut* PARVULI, *non intrabitis in regnum cælorum.* Vidistis belli tempore, vastas urbium portas passim clausas, & quod in illis est medium, parvum ostiolum dumtaxat ingressuris patefieri. Sic de porta cæli sentiendum est, quæ *angusta* est; per hanc, ut quis ingrediatur, debet avarus ponere gibbum divitiarum: temulentus, & gulosus abdomen suum: superbus turritum verticem; non ingressu-

Seneca ep. 20.

S. Hilarius in Matth. cap. 18.

Matt. 18

gressuri, nisi efficiantur sicut *parvuli*. Hoc spectasse videtur Guerricus Abbas, qui serm. 1. de nativ. in has liquidissimæ dulcedinis plenas voces erumpit: *O sacra, & dulcis infantia, qua veram humanis cordibus innocentiam infudisti: per quam omnis ætas in beatam redeat infantiam, tibique conformis fiat, non pusillitate membrorum sed humilitate sensus, & pietate morum.* Tum ad propositum emblema alludens, ait: *Propius vos filii Adæ, qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in giganteam enormitatem, per superbiam excrevistis; nisi conversi fueritis, & effecti sicut* PARVOLUS ILLE, *non intrabitis in regnum cælorum. Ego sum ostium regni, ait* PARVULUS ISTE, *nisi incurvetur altitudo virorum*, NON EOS ADMITTIT ISTIUS HUMILITAS JANUÆ. Quàm verò illis elatis, & proceris, sua magnitudo exitialis futura sit, subjungit: *Ideò utrumque conquassabit capita in terra multorum, & qui elati accedunt, repulsi capite eliso cadent retrorsum.* Tum eleganti hac parenesi concludit: *Adhuc tu* MAGNUS *es in oculis tuis*, POSTQUAM DEUS PARVUS FACTUS EST SUB OCULIS TUIS? Adhuc tu mercator, quia divitiis affluis, MAGNUS *es in oculis tuis? postquam* DEUS PARVUS, & pauperrimus, FACTUS EST SUB OCULIS TUIS? Tu Nobilis, quia illustri domo natus, MAGNUS *es in oculis tuis? Postquam Deus*, Filius Altissimi, positâ Majestate, *factus est* PARVUS *sub oculis tuis?* Adhuc tu Jurisperite, Medice, Theologe, MAGNUS *es in oculis tuis*, quia ingenio, experientiâ, scientiâ aliquâ polles? Postquam Deus, æterna Patris sapientia, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei reconditi, *factus est* PARVUS *sub oculis tuis*. Adhuc tu filia vana, & vaga, MAGNA *es in oculis tuis*, quia fluxâ venustate, formæ elegantiâ, tripudiandi, canendi voce & fidibus, aliqua dexteritate excellis, *postquam Deus*, candor lucis æternæ, & speculum sine macula, PARVUS *factus est*, vermis factus est, & quasi leprosus, in quo non esset species, neque decor, *sub oculis nostris?* Adhuc tu Concionator, quia eloquentiâ, & gratiâ verbi vales, MAGNUS *es in oculis tuis, postquam Deus*, Verbum Patris, qui verbo fecit omnia, PARVUS, & infans *factus est sub oculis nostris?* Adhuc tu Religiose, tu Sanctimonialis, MAGNI *estis in oculis vestris*, quia aliqua cælesti cõsolatione, divinâ illustratione, sanctitatis opinione cæteris vos præcellere putatis? postquam Deus, qui solus *sanctus*, PARVUS *factus est sub oculis tuis?* &c.

Guerric. serm 1 de nativ.

Morale ne quis se extollat, ubi parvulus natus se humiliat.

Præiverat doctrinâ suâ, Guerricum discipulum, optimus Magister S. Bern. serm. 1. de Nativ. *Obsecro vos fratres, non patiamini sine causa tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse. Quid enim magis indignum, detestandum, gravius puniendum, quàm ut videns Deum cæli*, PARVULUM FACTUM, *ultra apponat homo* MAGNIFICARE *se super terram? Intolerabilis impudentia est, ut ubi sese exinanivit Majestas, vermiculus infletur, & intumescat.* Quicumque ejusmodi estis, scitote, Magister hic humilitatis non fallit: *Nisi efficiamini sicut* PARVULI, *non intrabitis in regnum cælorum*; quam sententiam pluribus inculco, quia hæc unica, & brevis oratio pluris est, quàm omnia omnium Philosophorum axiomata, Poëtarum carmina, Vatum oracula, Oratorum rostra, Mathematicorum problemata, Medicorum aphorismi, Juris regulæ, Sapientum effata, Doctorum apophtegmata: quia hoc in doctrina Christi agitur, & quod omnes agimus, & satagimus, ut intremus in regnum cælorum. Illud autem *nisi*, tantæ virtutis, & primæ Veritatis est, ut nemo magnus, nullus *nisi* parvus intrare valeat.

Bernard. serm. 1. de Nativit.

Idipsum videtur Verbum Patris, æterna Dei sapientia hîc in terris præsignasse, dum ad regnum terrenum, non nisi parvos, & pusillos delegit. Sic Doctor Seraphicus, inter conditiones parvulorum, ponit hanc: *Ut sint ad obediendum flexiles, numquam imperiis majorum rebelles.* In exemplum adducit Estherem parvulam, hoc titulo ad regnum evectam: *Sic dicitur de Esther, quòd quidquid ei Mardochæus præcipiebat, omnia observabat, sicut eo tempore solita erat, quo* EAM PARVULAM *nutriebat.* Tum subdit: *Et quia fecit sic, ad regnum exaltari meruit.* Paucis hîc, filiolæ monendæ, & movendæ, si ea, quæ à parente, à Patre spirituali, & potissimùm à Deo præcipiuntur, observent, non ad terrenum, (ad quod hæc etiam conferunt,) sed cæleste, & æternum regnum exaltari. Sic Regina Regum *Maria*, cujus typum Esther gessit, *cùm esset* PARVULA, *placuit Altissimo.*

Parvuli ad regnũ terrenum evecti.

Bonav. ser. 1. de S. Antonio de Padua.

Ester 2.

Alterum parvulum inducunt nobis sacri Regum annales *Saulem*, ad quem Samuel; CÙM PARVULUS ESSES IN OCULIS TUIS, *caput in tribubus Israel factus es, unxitque te Dominus in Regem super Israel.* Capite verò sequenti, cùm Isai omnes filios suos majores natu adduxisset ad Samuelem, *ait Samuel ad Isai: Non elegit Dominus ex istis. Dixitque Samuel ad Isai: Numquid jam completi sunt filii? qui respondit:* ADHUC RELIQUUS EST PARVULUS, *& pascit oves*: qui jussus adduci. *ait Dominus: Surge, unge eum, ipse est enim, quem elegit Dominus*, ut regat non oves, sed populum suum.

1. Reg 15. v. 17.

1. Reg 16. v. 9.

Ita non rarò videmus, & recensere possem illustres familias, ubi majores natu, omnes immaturo fato sublati sunt, quia *non elegerat Dominus ex istis*, & feuda, dominia, Toparchiæ, ad parvulum, qui reliquus erat, devoluta sunt. Sic & parentes, qui filios primogenitos student potentum gratiâ, per fraudes, & dolos, per aureos gradus, ad munia, & dignitates evehere, frequenter se spe suâ deceptos inveniunt, & quem suppresserant parvulum, ad ea Dominus illum elegit.

Hæc potissimùm locum habent in electione ad regnum cælorum, ad quod nemo nisi parvulus exaltari meruit; sic etenim primæ Veritati subscribit S. Hilarius: *Non nisi reversos in naturam* PUERORUM, *introire in regnum cælorum.*

Hilarius in Matth. c. 18.

In familia vestra filius parvulus, puer claudus, ingenio parvus, filia minus gratiosa, specie deformis, lusca, gibbosa: ancilla, famulus, quos ut parvulos contemptui habes, illi sæpè sunt, qui rejectis Dominis, & majoribus natu, electi sunt ad regnum cælorum. Quare nemo contemnat unum de pusillis istis. Sed paradoxa quibusdam, imò propè pugnantia videbuntur hæc primæ Veritatis documenta: Matt. 18. *Nisi efficiamini* SICUT PARVULI, *non intrabitis in* Matt 18.

 regnum

volveret, impudentem suam illi ingratitudinem opponendo, Christum sibi quasi exprobrantem audiebat: *qua utilitas in sanguine meo?* Eundem verò Judicem, ac justissimum scelerum vindicem recogitando, rota in desperationem agebatur. *Mens itaque* (etiam in claustro) *quasi quendam populum patiebatur, qua insolenti cogitationum tumultu vastabatur.* Quid agat? dies fortè puerulo Jesu natalis aderat: hic in Palæstinæ solitudinem, ad antrum Bethlemiticum, à se, à sensibus rapta, attento animo Deum majestate positâ parvulorum pannis involutum, flentem & ejulantem, suavissimè contemplari, nihilque pumilionem hunc iratum, aut minarum spirare, quin sibi brachia, & basia lachrymantibus oculis deferre animadvertens, tota & ipsa in dulcissimas lachrymas soluta, animo resumpto, has fiduciæ plenas, & ad parvulum in sinu matris flentem, & quiescentem, preces cum lachrymis fudit: per suavissimas lachrymas tuas, & benignissimam infantiam, dulcissime Jesu, qua venisti peccarores salvos facere, meæ miserrimæ peccatricis miserete. Atque extemplo, *Verbum infans*, Oratore omne disertior, elatâ voce, hanc cælestis consolationis plenam protulit sententiam: Ob lachrymas, & infantiam, quam illa peculiari religione venerabatur, omnia peccata penitùs remissa esse; nec mulrò pòst, ad æterna gaudia, & amplexum parvuli evolavit.

Greg. 14. mor. c. 28

Huc & tu, ô peccatrix! Animo peregrinare, & quæ hactenus velut Marpesia cautes, ne stillam lachrymarum effudisti, ad ejulantis Jesu, & cum fletu perorantis lachrymas ingemisce, & collachrymate.

Vindocini in Gallia perdurat lachryma Christi, quæ stupenda etiamnum edit pietatis miracula, & summa quidem, sed numquam satis digna in veneratione, & pretio habenda: cùm vel unica, omnes orbis margaritas, nimirum quantum sua dignitate antecellat. Et tibi non una, sed quas fudit, teste Petro Calentino, ad ducentas supra sexaginta duo millia, viles habentur.

Pet. Calent. in vacrucii. Lobbetius vita & mors. c. 3. §. 1.

Proposui fœminis, quam imitentur virginem, piis Jesu infantis lachrymis motam; ut & viri parvulo lachrymanti collachrymentur, & habeant, quem imitentur, virum è Societate nostra religiosissimum adducam.

Benedictus Goëzius, natus in Insula sancti Michaëlis, viciná Lusitaniæ, in Indiam militaturus solvit: ubi post aliquot annorum stipendia, mutato consilio, Societatem nostram expetiit, in quam tanquam coadjutor temporalis admissus est. Mutationis porrò occasionem præbuit hujusmodi prodigiosus eventus.

Crombec. de studio perfect. l. 1. c. 4. n. 14.

Anno 1583. Lusitana classis circa oram Travancoranam versabatur. Sesqui milliari ab oppido Colech, templum erat cujusdam pagi, in quod cùm Goëzius ludis, & gravioribus vitæ militaris vitiis perditè addictus, & penè desperabundus ingressus esset cum commilitone, tabulæ altaris conspectu (illa depictam B. Virginis, Filium parvulum, fortè lactentem, gestantis effigiem referebat,) stimulis actus conscientiæ, procidit in genua, *fusóque copioso lachrymarum imbre*, obnixè rogavit Deiparam, ut à Filio suo, peccatorum veniam, ac remissionem sibi impetraret. Res mira. Ecce, Infantulus Jesus, in brachiis Matris efformatus, ubertim lachrymas lactei coloris effudit, tam copiosas, ut undique in suppositum Altare diffluerent; scilicet ut pœnitens disceret, quique amore parvuli ducuntur, & amoris, ac contritionis lachrymas fundunt, se compassionis, & amoris sui lachrymas Patri offerre.

Goezius peccator lachrymis pueri IESV è picturâ fluentibus conversus

Rei novitate attonitus uterque, aliquot commilitones in templum advocant, ostensum explorant: comperiunt eum liquorem ex oculis picti pueruli emanare. Dubitationem eximebat summa per eos dies siccitas, & æstas in iis locis præfervida: intingunt strophiolum eo liquore in pignus veritatis. Concurrêre mox quamplurimi, & rem observatam, festâ bombardarum majorum, & minorum explosione, classiarii omnes celebrarunt. Id contigit A. 1583 & Anno 1600. factâ diligenti inquisitione, à Patribus nostris veritas comprobata est, cujus etiam vestigia imago retinet. Hac ergò visione compunctus Goëzius, de tota vita apud Patrem Societatis confessionem instituit, Religionis ingressum vovit, & in Ordinem nostrum adscriptus est anno sequenti, hoc est 1584. Hanc vitæ militaris, & licentiosis, in vitæ Regularis, & sanctioris mutationem, causarunt è picta tabula, pueri Jesu prodigiosè defluentes lachrymæ. Non miraculis opus est nobis, ubi de lachrymis divini Infantis, fides præstat supplementum, sensuum defectui. Clamat stabulum, clamat præsepe, *clamant panni*, inquit Bernardus, *clamant* LACHRYMÆ, intelligetis, si modò aures interioris auditus, accommodare velitis.

Serm. 5. de nativ.

Hactenùs audistis Verbum Infans, parvulum è præsepi, sine voce concionantem, elinguem lachrymis docentem, & perorantem, ut *efficiamini sicut parvulus iste*; quod ut fiat, opus est nova, & spirituali nativitate. Quam adepti exclamare possimus cum dilecto illo mellisflui Doctoris discipulo: *O sacra, & dulcis* INFANTIA, *quæ veram humanis cordibus innocentiam, infudit: per quam omnis ætas*, (& juvenes, & viri, & fœminæ, & omnes provectioris ævi senes & anus, omnis denique ætas) *in beatam redeat* INFANTIAM.

Guerricus serm. 1. de nativit.

§. III.

Vt efficiamini SICUT PARVULI, *& quasi modò geniti infantes, opus est ad innocentiam parvulorum, spirituali generatione* RENASCI.

Cum Christo Nato, omnes renasci debemus.

Puerum semel natum, morte sublatum, ut quasi renatum, luci restitueret Elizæus, miserat cum baculo suo famulum; sed ille frustra omnia tentavit, nec movit se puer, donec ipse Propheta eò properavit: *Et ecce puer mortuus jacebat in lectulo: ingressusque clausit ostium super se, & super puerum, & oravit ad Dominum: & ascendit, &*

4. Reg. c. 4 v. 32

dit, & incubuit super puerum, posuitque os suum, super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus, ET INCURVAVIT *se super eum, & calefacta est caro pueri.* Dei Filius miserat cum virga, & tabulis lapideis Moysem, miserat Prophetas alios, miserat Reges sanctus; sed nemo erat, qui gentem humanam jam deploratam, à morte reduceret ad vitam. Demum ipse venit, contraxit, & incurvavit se: *Cùm per Moysem, terrorem legis protulit, quasi per puerum virgam misit, ipse autem per semetipsum veniens, quem terroris virgâ suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam redit*; super mortui corpus, humanis se moribus attemperavit, nostræ se balbutiei, & infantilibus membris accommodavit, humiliavit, exinanivit se, & in novam vitam revixit, ac renatum est genus humanum. *Ego*, inquit Bernardus, *nec illud vacare reor* (mysterio) *quod Propheta incumbens super mortuum, ad mensuram* PUERILIS CORPORIS SE CONTRAXIT; quia parvuli formam assumens, *contraxit se majestas*, ut nos ad innocentiam parvulorum redactos, feliciùs quàm Paulus filiolos suos, parturiret, novæ luci gratiæ restitueret, ut fusiùs Lanuza ad mores prosequitur.

Greg. lib. 9 mor. c. 32.

Bern. ser. 16. in Cantic. Idem in vigilia nativ. ser. 3.

Lanuza tract. evang. tom 1 tract. 2. part. 3. §. 10.

Miserum esset naturaliter renasci.

Verùm enimverò, dum vos renasci debere assero, & ad puerilem infantiam revoco, multis fortè rem incredibilem, & impossibilem; imò & odibilem & terribilem proponere velle videor: Ecquis enim vestrûm ad uteri angustias, ad primas infantiæ lachrymas, ploratus, imbecillitatem, ignorantiam, servitutem, miseriasque innumeras redire vellet? Fuerunt, qui nondum nati, & miserias mundi, ac mortalis nativitatis exosi, mala obventura adhuc in utero fletibus indicarunt. Flens in utero natus est, teste Fabritio, qui hunc & versibus illustravit, & baptismo adstitit. Nostris etiam his paucis annis, clarissimé vociferari ex utero auditus est in hac ipsa Urbe Vratislaviâ, homo io omni vita sua postea miserrimus.

Nierenberg hist. natura l. 3 c. 23.

Anno 1546. infans in utero materno flevit, unus in Milnia, alter Rotervicæ. Hæc præfatio vitæ, & lachrymario nascentis, cæteras vitæ partes tacitè prædicat, ac prædicit. Sed quid ea prodigia, & præsagia sectamur? cùm vix utero soluti, & nati, ad miserias damnati, elatâ voce infantes noctes atque dies, flentes & ejulantes satis testentur, in vallem se lachrymarum, & *in locum flentium* expositos, suarum miseriarum vates, ac præcones esse, magno testante Augustino: *Dum infantia*, inquit, *non à risu, sed a fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit, prophetat quodam modo.* Nulli animantium tam miseranda, ac deploranda nativitas, quàm homini: *Quoniam cæteris animantibus*, inquit Seneca, *in tutelam sui, satis virium est. Quæcumque vaga nascuntur, & actura vitam segregem, armata sunt: hominem imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit: nudum & infirmum natura effundit.* Insuper & mentis inops, & rerum omnium ignarus, & tetrâ peccati nocte involutus, in auras prodit; quod igneus ille Hispaniæ Ecclesiastes expendens, ait: *Pueri nascuntur cum macula culpa peccati originalis, & macula pœna, id est, ignorantia: quia pueri nullam habent scientiam, aut industriam, uti animantia, & aves, Ut pullus statim natus, scit eligere grana milii, sive panis inter paleas, si opponantur. Item agnus, vel capreolus noviter natus, statim invenit ubera, & puer nihil. Item in clamore agnoscit matrem, & puer nihil. Item pullus si videt milvum, & agnus lupum, statim cognoscunt, quòd sunt inimici sui, puer nihil.* Sic Plinius observat, quòd natura cæteris animantibus varia tegumenta tribuit, testas. corti-“ ces, coria, spinas, villos, setas, pilos, pennas, “ squammas, vellera: truncos etiam, arboresque “ cortice, interdum gemino, à frigoribus, “ & calore tutata est; hominem tantùm nu-“ dum, & nuda humo natali die abjicit ad va-“ gitus statim, & ploratum, nullumque tot ani-“ malium ad lachrymas, & has protinùs vitæ “ principio. Ut consultò multæ nationes morem induxerint, planctu celebrandi nativitatem; mortem verò planctu.

Nativitas homini præ illa brutorum longè miserrima.

Aug. lib. 22. de civit. c. 14

Seneca de benefic. l. 4. c. 18.

S. Vincent. serm in festo SS. Innocent.

Plinius in proem l. 7. nat. hist

Sic Gades, sic Traces sibi sapientiæ laudem vindicarunt, quòd natales hominum flebiliter; exequias cum hilaritate celebrarent. Quod ipsum commendat, & deprædicat D. Ambrosius, dicens: *Fuisse quidam feruntur populi, qui ortus hominum lugerent, obitusque celebrarent; nec imprudenter: eos enim, qui in hoc vitæ sæculum venissent, mærendos putabant &c.* quo anno civitas Saganti, ab Hannibale deleta est, infans in uterum matris protinus reversus traditur. In uterum, credo, reverterentur omnes, & in auras prodire reformidarent, si miserias humanas prævidetent, quæ tantæ, ut Philosophus Romanus asserere non dubitârit: *Nullus vitam accepisset, si daretur scientibus.* Quæ cum ita sint, quid mirum, si flentes nascimur? *Solent parvuli flere in nativitate, ut sint propheta sua miseria.* Quid mirum, si Job exclamet: *Pereat dies, in qua natus sum.* Et Hieremias: *Maledicta dies, in qua natus sum.*

Val. Max l. 2. c. 6.

Ambr. de fide resurr.

Seneca in sent.

Hugo Car. in Ioan. c. 9

Iob c. 3.

Hierem c. 20.

Audîstis miserias nativitatis humanæ; at nativitas, quâ vos hodie renasci percuperem, non flenda, sed ridenda: non miseranda, sed miranda: non ploranda, sed cantanda: non execranda, sed optanda; felix prorsus, fausta, ac beata est, quæ non planctu, sed plausu, non lachrymis, sed risu & gaudio celebranda est; quæ omnibus necessaria, quia ut loquit Augustinus in eochridio c. 48. *Solus Christus sic potuit nasci, ut ei opus non esset* RENASCI. Hæc novi hominis genesis, seu nativitas, sine longa temporis mora, fit citissimè; sine ulla corporis molestia, facillimè; sine ullo tædio, aut fastidio jucundissimè peragitur; si modò divinam sapientiam è cunis perorantem audierit: *Nisi efficiamini sicut parvulus iste.* Et convincit id lacteus orator Lactantius: *Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrænatus; paucissimis Dei verbis, tam placidum quàm ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem; jam eum tibi liberalem dabo, & pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris, ac mortis; jam cruces, & ignes, & periculum omne contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem; jam sobrium, castum, continentem videbit. Da crudelem, & sanguinis appetentem, jam in veram clementiam furor ille mutabitur, &c. tanta divinæ sapientiæ vis est, ut in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam, uno semel impetu expellat.*

Nativitas spiritualis non misera, sed felix & beata.

August. in Enchiridio c. 48.

Hæc subitò fit, & sine molestia.

Lactant. lib. institut c. 25.

Sic

Sic inveteratus dierum malorum, citò, sine mora, sine molimine reoasci, & ad infantilem innocentiam redire potest, eodem testante Lactantio, qui subdit: *Gratis ista fiunt, facilè, citò, modò pateant aures, & pectus sapientiam sitiat, &c. Quis hac Philosophorum, aut unquam prastitit, aut prastare, si velit, potest? qui cùm atates suas in studio Philosophia conterant: neque alium quemquam, neque seipsos (si natura paululùm obstitit,) possunt facere meliores.* Pauca verò Dei præcepta, (& infantis Verbi exempla) *totum hominem immutant, & exposito vetere, novum reddunt, ut non cognoscas eundem esse*, ex sene puerum, ex vetula puellulam factam.

Quod multis non minus incredibile, quàm ipsi Nicodemo videbitur. Nicodemus Princeps Judæorum, & ut esset *Magister in Israel*, altum se putantem, & supremum omnium Magistrum convenire, & consulere, eique se discipulum præbere voluit, idque jure longè meritissimo: quia, ut inquit S. Thomas: *Aliter* DOCENT *homines, aliter Christus: Alii enim* MAGISTRI DOCENT TANTUM EXTERIUS; *sed Christus etiam* INTERIUS: *ipse solus dat sapientiam. Luc. 10. Ego dabo vobis os, & sapientiam. Et hoc nullus purus homo dicere* (aut dare) *potest*. Quare *venit ad eum nocte, & dixit ei: Rabbi scimus, quia à Deo venisti* MAGISTER. Quem intuitus divinus Præceptor, sub primum congressum, implexum illi de spirituali regeneratione, & nova nativitate axioma, hactenus in scholis inauditum, & paradoxum principiũ, longè tamen certissimum, & verissimum proposuit, dicens: *Nisi quis* RENATUS *fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Attonitus ad hæc Nicodemus, regenerationem carnalem intelligens: quia *animalis homo non concipit ea, qua sunt Spiritus*, quæstionem ut impossibilem, & risibilem explosit, dicens: *Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? Numquid potest in ventrem matris sua iteratò introire, &* RENASCI? Inscitiam hujus Magistri in Israël, disertè exponit Doctor Hipponensis: *Non noverat iste nisi* UNAM NATIVITATEM *ex Adam, & Evâ; ex Deo & Ecclesia non noverat. Non noverat nisi eos parentes, qui generant ad mortem, non noverat eos parentes, qui generant ad vitam? non noverat nisi eos parentes, qui generant successuros* (& morituros) *nondum noverat eos, qui semper viventes generant permansuros.* Tandem concludit: *Cùm ergò sint* NATIVITATES, *ille unam intelligebat. Una est de terra, alia de cælo: una est de carne, alia de spiritu: una est de masculo & fœmina, alia de Deo & Ecclesia.* Dehac Christus illum instruens, his verbis respondit: *Amen, Amen dico tibi, nisi quis* RENATUS *fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: quod natum est ex carne, caro est; quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Ubi cælestis Magister noster, tradit hominem per Baptismi Sacramentum regenerari, ac spiritualiter renasci; sed si quis ex aqua & Spiritu sancto sic renatus est, ut vos omnes; postea inveteratus dierum malorum, in gravissimis flagitiis senoerit, jure illud Nicodemi objiciet? *Quomodo potest homo nasci cùm sit senex? Numquid potest in ventrem matris sua iteratò introire, &* RENASCI? Hanc controversiam, priusquam ad mores re-

Ioan. 3. 10

Nicodemus do. cetur, quo modo homo renasci possit.

S. Thom. in Ioan. c. 3.

Ioan. 3.

Ibid.

1 Cor. 2. v. 14.

Aug. in Ioan. c. 3. tract. 11.

Duplex nativitas.

Ioan. 3.

solvam, paucis exponendum est, quomodo homo per scelera inveterascat, & per assidua flagitia, subitò senescat. Id sacræ paginæ, ac sanctorum Patrum testimonia, satis superque loquuntur: *Zelus*, inquit Sapiens, *& iracundia, minnent dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus.* Innumeros reperire est, quos immoderatus zelus, præceps ira, vehemens cholera, in ipso juventutis flore senescere fecit, & caput canis aspersit. Quod & in lascivo amore sæpè compertum est, quo qui correpti sunt, pallescere, enervari, tabescere, canescere, & senescere (si cum innumeris aliis immatura morte non succumbant,) indies videmus. Ut aptè Theocritus: *Amantes in die senescunt*; quasi non longa annorum series requiratur, sed vel unus dies, aut nox, canos adferat. Quid dico unum diem, cùm alius Poëta Græcus, unum duntaxat temporis momentum satis esse arbitretur: *Amantes*, inquit, *repentè senescunt.* Quod in quibusdam locum habuit, quidam impotenter feruntur in amatam, & voto frustrantur, una nocte incanuère. Hoc omnibus lascivis amatoribus proprium, qui eodem temporis puncto, quo in luxuriæ peccatum ruunt, in senium devolvuntur.

Quomodo homo per scelera inveterascat.

Eccl 30.

Mendosa l. 1. Reg. c. 18 ann. 12 ad lit. sect. 1.

De Salomone sacri Regum fasti habent: *Cùm esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres* Ubi Interlinearis: *Senex non atate, sed moribus*: Obscœni enim mores juvenilem ætatem fregerant, & debilitarant in senilem. O si inter vos inveniretur vel unum malitiâ parvulum, qualem S. Paulinus epist. 34. describit Victorem virum sanctissimum: *Ingenita simplicitate, tam purus animi fuisse perhibetur*, UT PECCARE NESCIERIT; *jam in extrema atate*, TENELLUS PUER, *&* MALITIA PARVULUS *non solùm gratia, sed &* MENTIS INFANTIAM *GERIT.* Quid verò de cupiditate divitiarum? Et ipsa profectò velocissimam adfert senectutem.

3. Reg. 11. v. 4.

S. Paulin. epist. 34.

Non unum, sed plures novi, & vos nôstis, ex avaris istis Euclionibus, qui assiduis curis, studiis, molestiis, anxietatibus, florenti ad huc ætate, capulares senes æquabant. De ejusmodi Job: *Sublevati sunt, confortatique divitiis.* Ubi in rem nostram Septuaginta: *Senes facti sunt in divitiis.* Non quidem quòd in multam ætatem divitiis fruiti sint, sed quòd citò, eas possidendo, magnis curis congerendo & asservando consenuerint; ut appositè S. Ambrosius interpretatur: *Inveteraverunt in divitiis dixit, ut non tam diuturna divitiarum possessio, quàm* INVETERATA *pecuniarum molestia significata videretur.* Ubi hanc molestiam scitè inveteratam ab affectu appellavit, inquit Mendosa, eò quòd efficiat senectutem. Invidia etiam, incredibile quàm citò juvenes in senectutem devolvat.

Iob. 21. 7.

Amb. l. 1. de interpellatione in Iob. c. 4.

Mendosa l. 1. Reg. c. 15

Cùm filius prodigus à parente genialiter exciperetur, non fine mysterio dicitur illi invidisse *filius senior*, ut peracutè Mediolanensis Antistes in Luc. c. 16. observavit: SENIOR, inquit dicitur, *eò quòd* CITO ALIQUIS PER INVIDIAM CONSENESCAT. Invidia nec dies, nec noctes côquiescere, nec cibũ sumere, nec genio indolgere sinit. Tandè ne per singula lôgius excurramus, Orator aureus, paucis his omnia cô-

S. Ambr. in Luc. c. 16.

corruptelam, nova indolem juventutis acquirat : & mirum in modum, in uno eodemque homine, delictu sanctitas, iniquitati justitia, senectuti succedat infantia, novoque NATIVITATIS *genere*, ALTER EST QUI RENASCITUR. Verè alter, alter vitâ, alter gratiâ, alter moribus, alter amoribus, alter linguâ, alter oculis, alter manibus, alter cogitationibus, alter mente, & corpore. Meritò in nativitate tali, non solum multi, sed omnes mortales, & Angeli gaudebunt. Unum itaque super est, ut hodiernâ luce ad Christi nascentis cunabula, moriantur in te omnia vitia, & nascantur virtutes. Hic tibi nascatur modestia, moriatur arrogantia, nascatur castimonia, moriatur impudicitia: nascatur mansuetudo, moriatur iracundia: nascatur homo novus, moriatur homo vetus; ita ut, quæ dies Christo, etiam Christianis omnibus sit natalis, idemque vitiis omnibus fatalis, ut illud melliflui Doctoris verè usurpare possimus: IN HAC DIE NASCIMUR UNIVERSI. Si in hac die nascimur universi, oportet nos parvulorum more, eorum innocentiam, mores, & conditiones induere, & vitia quibus carent parvuli, exuere, juxta illud, quod probandum suscepi: *Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Quæ verba D. Leo Pontifex, doctrinâ & sanctitate maximus, sic in rem nostram exponit: *Amat Christus* INFANTIAM, *quam primùm suscepit, & anima & corpore. Amat* INFANTIAM, *humilitatis magistram, innocentiæ regulam, mansuetudinis formam. Amat Christus* INFANTIAM, *ad quam majorum dirigit mores, ad quam senum reducit ætates, & eos ad suum inclinat exemplum, quos ad regnum sublimat æternum.* Ubi illud maximè observandum, non hic agi, ut vitia, & imperfectiones, inania studia parvulorum in exemplũ trahantur, sed ut *malitiâ* PARVULI efficiamur. Docuerat idipsum multò antè eadem Divina bonitas, cælesti effato Sapientis, his verbis pueros moribus, & malitia describens, INFANTIUM *insensatorum more viventes*; in textu Græco: INFANTIUM *more stultorum illusi.* Hinc sequitur: *propter hoc tanquam* PUERIS INSENSATIS *judicium in derisum dedisti*, Videmus, & ridemus sæpe pueros, dum quasi superbam extructuri molem, ædificant in arena, & pro trabibus festucas, pro marmore lutum coagmentant, recreantur illi quidem, veluti molis nobilissimæ architecti; sed non tam ludunt inter se fallendi temporis gratiâ, quàm illudunt seriò puerilibus mortalium studiis, qui magna atque insignia in speciem molientis, reipsa, luto, veluti pueri, occupantur. Sic visum est Augustino, qui loquens de iis quæ tanquam excelsa, humana cupiditas expetit, atque admiratur, dixit esse *volatica ludibria temporum, & lucrum luteum.* Quàm verè dicuntur *infantium insensatorum more viventes*, quoniam lucrum est luteum; quia magni laboris, & nullius pretii: Pulchrè argumentum hoc prosequitur Chrysostomus, ad illa verba Pauli: *Fratres, nolite* PUERI *effici sensibus*, quæ sic ad mores traducit: *Hæc non modò ad scripturas intelligendas legenda sunt; sed ad vitam investigandam. Etenim* PUERI PARVI *magna non desiderant, vilia solent admirari, currus equos, aurigas, & rotas luto factas, hoc aspectu delectantur; quod si Regem in curru aureo sedentem, & mulos albos junctos, & eximium cultum viderint, non respiciunt quidem. Præterea & puellas ex creta ornant* (pupos amant) *veras autem, pulchras nesciunt, &c. Tales nonnulli jam reperiuntur: nulla his cælestium cura; sed ad lutea*, TAMQUAM PUERI, *obstupescunt.*

S. Bern. serm. 3. de vigil. nat.

Matt. 18.

Ut renascamur, debemus redire ad infantiã & mores parvulorum.

S. Leo. ser. 7. de Epiphania.

1 Cor. 14.

Sapientia 12. v. 24.

Vitia parvulorum exuenda.

Aug. l. 5. conf. c. 12.

Chrysost. hom. 80. in Ioan.

Ridiculum sanè est videre pueros, qui papyraceos lembos per lacunam, aut rivulum deducunt, quasi opes Indicas vehant; vel exercitus disponunt, quasi orbem cum Alexandro expugnaturi. Vel magistratus creant, mercaturam exercent, equitant in arundine longa. Hæc viri ridetis, & vana vestra, pueris similia, studia, & negotia, & inanes labores, & futiles honores superi rident, & tanquam *pueros insensatos* jure deludunt. Sed neque clarius, neque accommodatius declarari potest, quod in præsenti contendo, quàm ut aureo ore explicetur: *Non videtis* PUEROS, *quando ludentes struxerint aciem, & ordinarint milites, & eos præcedunt lictores, & præcones, &* PUER *in medio incedit, loco Imperatoris; quàm sunt ea quæ fiunt* PUERILIA? *Tales sunt res humanæ, usque viliores, & abjectiores, ut quæ sint hodie, cras non sint.* Deflenda planè consultorum hominum pueritia: Quemadmodum enim pueri, quæ fortè præ manibus habent pretiosa, puta, aurum, vel argentum, dimittunt facilè, si pomum offeratur, aut icuncula, aut nolula ad ludendum; ita planè filii hujus sæculi, pro humanis divina contemnunt. Usquequo, exclamat mortalium sapientissimus, *usquequo* PARVULI DILIGITIS INFANTIAM? In illos sine dubio invehitur pueros, plenus Dei spiritu sapiens Rex, quorum miseram conditionem fletu dignam, proponit Jeremias: *Matribus suis dixerunt, ubi est triticum, & vinum? cùm deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis: cùm exhalarent animas suas* IN SINU MATRUM SUARUM. Vides sine remedio calamitatem, puerum esse non ætate, sed moribus. Judæi Deo inimici, fame pereunt, quasi confossi vulneribus moriuntur, quia semper pueri, & viribus, viro dignis destituti, puerilibus detinentur blanditiis in sinu Matrum, Væ vobis comminatur Gentilis Gentilibus, quantò verius nos Christianis, *in quibus* NON PUERITIA, SED PUERILITAS REMANET. Sic porrò ad Lucilium suum: *Tenes utique memoriâ, quantum senseris gaudium, cum prætexta posita, sumpsisti virilem togam, & in forum deductus es: majus expecta, cùm puerilem animum deposueris; adhuc enim* PUERITIA *in nobis; sed quod est gravius*, PUERILITAS *remanet. Et hoc quidem pejus est, quod* AUCTORITATEM HABEMUS SENUM, VITIA PUERORUM. *Nec puerorum tantum, sed* INFANTIUM. *Illi levia, hi falsa formidant, nos utraque*; pueri umbras, larvas, inania terriculamenta formidant, & quæ verè terrifica, ac noxia sunt, non devitant. *Pueri*, inquit Chrysostomus, *larvas timent, ignem non timent. Sic nos timemus mortem* (& mortuum) *peccatum non timemus, ignem æternum non timemus*; sic viros, Apostolos, Christus pueros cõpellat: PUERI *nunquid pulmentarium habetis?* In quæ verba Chrysologus:

S. Chrysost. hom. 1. in epist. 1 ad Corinth.

Prov. 1. v. 22.

Ieremia thren. 2. v. 12.

Seneca epist. 4.

Chrysost. hom. 5. ad pop.

Ioan. 21. 5. Chrysolog. serm. 78.

Ibi enim erat Petrus, qui negaverat: Thomas qui dubitaverat: Ioannes qui fugerat. Non ergò ut fortissimos milites, sed PUEROS *compellat, ut timidos.* Quare libet iterum exclamare: *Usquequo* PARVULI DILIGITIS INFANTIAM? *Usqueque* vos viri in toga, in primis Reipublicæ subselliis, *diligitis infantiam*? Crepundiis infantium vos occupatis, dum toti in ædificiis, in amplis atriis intenti, quæ *Chrysostomus nidos hirundinum*, & casulas puerorum more in arena, exsibilat, & ut talia superirident. *Usqueque*, vos viri nobiles, quos majorum præclara facta, & heroica facinora, in bello, & republica, illustres reddidere, DILIGITIS INFANTIAM, ut tempus vestrum cum puppis, & domicellis, cum basiis, & amasiis, infantium more, cum canibus, & avibus, cum talis, & fritillis, inutiliter, & viliter consumitis?

Seneca cit. *Aucteritatem habetis senum*, VITIA PUERORUM.

Usquequo vos Dominæ, & domicellæ, *diligitis infantiam*, dum infantum more, in multam lucem stertitis, aliena manu comi, pecti, indui, duci, aut vehi ut infantes (*in Relvvaegen*) debeatis, pedibus incedere non valentes, aut volentes: In his omnibus, NON PUERITIA, SED PUERILITAS REMANET, *&* *vitia* PUERORUM.

Prov 1. v 22. HugoCar. in prov. c. 1. v. 22. Hugo Cardinalis in illud prov. *usquequo* PARVULI DILIGITIS INFANTIAM? Id est, inquit, *sæculi vanitatem, & potest referri generaliter ad omnes males, quia lectum propria conscientia inquinant, ut pueri. Et gremium matris suæ, id est Ecclesiæ, in cujus sinu foventur, sordidant, & polluunt.* Exuentes itaque vitia parvulorum, virtutes quæ in parvulis prædicantur, & in puero Jesu relucent, imitemur: *Studeamus effici* SICUT PARVULUS ISTE. Gravissimis id verbis inculcat

Bern. cit. S Nilus in Ajcetico. Exuentes vitia parvulorum, debemus exemplo Nati parvuli induere proprietates virtutum, quæ elucent in parvulis

Antistes Nolanus: *Quamdiu, inquit, ludis puerilibus delectabimur, nondum virilem sensum accepimus. Quamdiu in agendo erimus* INFANTIBUS IMBECILLIORES? *Ab illis saltem discamus ad præstantiora contendere: nam ipsi ætatem mutantes, mutant etiam in rebus ludicris voluntatem, abjiciuntque quã habebant ad res ludicras propensionem. Nucibus, exempli gratia, & talis, & pila ludunt, his illi se oblectant, & sibi honori ducunt hæc comparare, quoad prudentia sunt imperfecti, at tùm aliquis in virum evaserit, ea abjicit; & ad gerendam rempubliam, unicè studium confert.* Sic Paulus: CUM *essem* PARVULUS, *loquebar* UT PARVULUS, *sapiebam* UT PARVULUS; *at postquam factus sum vir*; ut & nos, detestanda quoque in parvulis exuamus, ea quæ probanda sunt, induamus. Ad hoc hortatur Ambrosius: PUEROS *aptos regno dicit esse cælorum, fortassè quia malitiam nesciant, fraudare non noverint, referire non audeant: scortari ignorent, opes, honoremque non appetant. Verum non ignorare ista virtutis est; sed contemnere. Non igitur* PUERILIA; *sed æmula* PUERILIS SIMPLICITATIS BONITAS DESIGNATUR. Alias parvulorum proprietates, Doctor Seraphicus prosequitur:

Ambr. in Luc 18. sinite parvulos. Virtutes quæ in parvulis prædicantur, imitandæ.

Bonav. serm 1. de S. Antonio de Padua.

„Parvuli, inquit, has habent proprietates: Pri-
„mò, ad discendum dociles. 2. ad obediendum
„faciles. 3. ad amandum habiles. 4. ad indul-
„gendum faciles. 5. ad dona, sive munuscula promptiores. 1. dociles: omnis enim res quando est tenera, potest aptari ad omnem formam, sicut manifestè apparet in virga, in teneris plantis; sic *& pueri*, quamdiu sunt *in pueritia*, habiles sunt ad omnem doctrinam: est enim prima ætas, ut dicit Avicenna, calida & humida; & ideò ad modum ceræ, & liquidæ, facilè recipit omnem formam. *Cereus in vitium*, & in virtutem *flecti puer*. Ita & nos, si velimus esse similes *parvulis*, debemus esse dociles, ad omnem nutum, & voluntatem Dei faciles.

2. Ad obediendum flexibiles, numquam imperiis majorum rebelles. Parvuli non nôrunt contradicere, murmurare, rationes opponere. Si nos ita obedientes mandatis Dei, & Ecclesiæ: si filii, & filiæ parentibus, servi & ancillæ heris, Religiosi Prelatis, subditi superioribus flexiles fuerint, cum parvulis intrabunt in regnum cælorum.

3. Ad amorem habiles: amant valdè se amantes, quod etiam videmus *in parvulis animalium*, & maximè equarum; inde *quamdiu sunt parvuli*, mirabili affectu, parentes sequuntur, & amant, & plurimum amantur. Videmus quod *parvuli* ab omnibus amplexantur, ab omnibus in collum feruntur. Ipse Christus dilexit *parvulos*, complexans *parvulos*, & imponens illis manus, benedicebat eis, dicens, *sinite parvulos venire ad me, quoniam &c.* Vultis & vos placere, & grati ac amabiles esse Parvulo nostro, parvuli estote: nam ut inquit Doctor Angelicus: *Nemo ex spiritu* NASCETUR, *nisi humilis fuerit. Nicodemus ille* MAGISTERIO *inflatus erat. Deponit ei Christus superbiam, ut possit* NASCI *de spiritu: insultat tanquam indocto: Tu es* MAGISTER *in Israel, & hæc ignoras?* S Thom. Ioan c.

4. Parvuli ad indulgendum perfaciles: mox enim verberati, de collo depositi, & repulsi, mox ad complexum redeunt vocati. Simus & nos ut parvuli, si injuriâ affecti, læsi, lacessiti, exacerbati, verberati, in collum irruamus. Sic parvulos parvulus, qui natus est nobis, quem toties lacessivimus docet. Idque ut à brutis discamus, idem Doctor subjungit: nam & canes adeò Domino sunt fideles, quod quandocumque exasperati, verberibus affecti, foras repulsi, mox redeunt vocati, quasi nihil omninò sint passi. Sic & parvuli non sunt malevoli, sed ad injurias remittendas, & oblitterandas, promptissimi. Unde dicebat Apostolus: *malitia* PARVULI *estote*, sine malevolentia, sicut est puerilis natura: Tales enim nihil habent impietatis, nihil crudelitatis. 1. Cor

Si vos, ut parvuli, ut catelli, à Deo, Domino, aut hominibus læsi, injuriis, morbis, adversitatibus affecti, mox redeatis, quasi nihil omninò passi, & in collum hujus parvuli involetis, amabiles vos prorsus parvulos exhibetis. Ut nullus hoc die in animis vestris rancor remaneat, ignea D. Guerici Igniacensis Abbatis verba inflamment: *Dulce prorsus, & sapidum cogitare, & recogitare* PUERUM DEUM; *quin etiam efficax, & operatorium ad medendum, si quis in nobis est, rancorem animorum, sermonum amaritudinem, morum austeritatem. Ita fiet ut* QUASI MODO GENITI INFANTES, MODO GEN

GENITUM INPANTEM DOMINUM *dignè laudemus, & in consonantia morum, & vocum, ex* ORE INFANTIUM ET LACTENTIUM PERFICIATUR LAUS INFANTIS, ET LACTENTIS DOMINI JESU.

5. Parvuli ad accipiendum veloces " nun-"quam ita plorant, quin statim currant, & ri-"deant, si quis eis pulchrum pomum porrigat, "vel denarium album offerat: valdè enim munuscula amant; quæ si ablata eis fuerint, plorant. Eodem spectat illud Bernardi, parvulos munusculis delectari, & placari: *Quis nesciat, quia* PUER *facilè donat.* PUER PARVULUS *venit Christus*, FACILE PLACARI POTEST. Charissima quæ cuique sunt, huic puero, ut placari possit, offerenda. Tu adulter ad placandum hunc divinum puerum ancillam tuam, aut pedissequam, quam deperis: Tu causidice, tu mercator, quæ ex injustis lucris conquisivisti, huic pauperrimo infantulo, &c. Tu Pater, & materfamilias, tuum quem diligis Isaac, unam, & unicam, quam diligis filiam. Vos Religiosi, & Sanctimoniales, affectus vestros consulite ad officia, dignitates, commoditates, parentes, amicos, propinquos: cellas vestras excutite, an quis affectus inordinatus in libellis, rosariis, iconculis, bellariis, & hæc ad pedes Nati parvuli in cunis deponite, & quidquid volueritis, à parvulo impetrabitis: *Quia puer facilè donat*, pro pomo paradisum. Huic itaque parvulo similes esse studeamus, ut REDIVIVA NATIVITATE INFANTIÆ, *quisque innocentiam præferat, juventutis scelera non agnoscat.* Hæc hactenus ad sæculares; ad vos verò viros Religiosos, & Sanctimoniales, Abbatem Claravallensem exhortantem audio: O PARVULUS, PARVULIS DESIDERABILIS: *studeamus effici* SICUT PARVULUS ISTE. Quod fiet si *in paupertate, castitate, & obedientia*, quæ essentialia Religionis vota, huic parvulo similes exstiteritis. Quod paupertatem spectat, sanctissimus Patriarcha noster *Ignatius*, teste Ribadineira, nocte nativitatis, sub missæ sacrificiis, tantis deliciis perfusus fuit, ardore tanto exarsit, ut post secundum quod peregerat sacrum, omnibus corporis sensibus, & animæ facultatibus in hoc mysterium exhaustis, ad extremum vitæ adductus sit. Expresserat siquidem in se sublimi contemplatione, quæ nobis per vivam sensuum applicationem in libello exercitiorum reliquerat animo ruminanda. Hauserat, ut credo, hunc in pauperes Christi infantis cunas, tenerrimum spiritum Ignatius nondum natus, ex piissima matre infantulus. Hæc Marina nomine, domo Baldensis, claro genere, & stirpe fœmina, cùm hunc ipsum filium parturiret, ingenti erga natalem Domini affectu, in stabulum se deferri jussit, ut eo loci pareret, ubi Virgo Mater Deum genuisset. Hic itaque exemplo parvuli nostri, in stabulo natus, ad sanctam vos curiositatem invitat, dicens: *Nativitatis locum rimabimur, speluncæ similem.* Quem dum attentè rimabimur, quæ & quanta non mirabimur. Excelsus in cælo, jacet in fœno. Quidquid in Christi nascentis antro intuearis, paupertatem spirat. Locus ventis pervius, omni supellectile vacuus, nobile paupertatis Palatium. Videte pueri cunas, lintea, pulvilos, stragula. Sentite mollem culcitram, videte culinam, quæ fercula, quæ puerperæ, quæ infanti delectamenta. Circumspicite ancillas, famulos. Ingredimini penuariam cellam. Ubique paupertas habitat, Christo chara: *Summus omnium Dominus, in summa natus est egestate*; qui terram herbis & floribus, cælum stellis, arbores foliis, volucres plumis, feras pilis, pisces squammis, homines mollissimis & pretiosissimis induit vestibus, *qui totum mundum, inquit S. Thomas in Luc. 7. cap. 2. vario vestit ornatu, pannis vilibus involvitur*; tremens, & algens, omnibus destitutus jacet in stabulo, vagit in præsepio: *Tempus elegit quod molestius est parvulo, & pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum præsepe ad reclinandum & cùm esset tanta necessitas*, clamat Bernardus, *nullam audio pellium fieri mentionem*; & vos de vestimentis, de lana & lino meliori, de calceis, & crepidis, quæ dignioribus dantur, soliciti estis? Quæ habitatio, quod cubile, quæ cella Religiosa, valet huic stabulo, ventis, & frigori, & pluviis undique pervio, comparari? Quod stratum adeò miserum, aut durum, huic præsepio, fœno, & stipulis potest adæquari? *Studeamus effici* SICUT PARVULUS ISTE. Cujus paupertatem in se, & suis, vobisque omnibus, ut exprimeret S. Ignatius, sic ait: *Me adesse fingam, tanquam* PAUPERCULUM, *eorum utcumque necessitatibus, cum reverentia maxima famulantem.* Hæc si attentâ mente contemplati estis, compello vos viros Religiosos, & Sanctimoniales, quis vestrûm, si verbo infanti, Virgini Matri, Josepho sponso, in Bethlemitico stabulo adesset, omne quantumvis incommodum servitium subterfugeret, se ad majora natum, ad majora commoda educatum, & vocatum dictitaret? Religiosus vanus, & profanus sit, necesse est, qui seculo spreto, Religionem sacram amplexus, in animum non induxit, se paupertatem in matrem elegisse. Victor Antiochenus in cap. 10. Marci, v. 13. mirabilem & amabilem ex parvulis tradit eruditionem: MATREM (quamtumvis pauperem) *puer præ ceteris aliis mulieribus potiorem ducit, etsi Reginam diademate redimitam ostenderis, non anteponit eam* MATRI, *quamtumlibet vilibus pannis induta, averque magis illam videre pannis obsitam, quam Reginam splendido corporis cultu ornatam.* Ita parvulus noster Jesus, præ omnibus Reginis, & opulentis matronis mundi, matrem pauperem, & inopem elegit, & tenerrimè dilexit, suffragante Doctore Angelico: *Non tantum homo, sed* PAUPER *fit homo, &* PAUPEREM MATREM ELEGIT. Noluit nasci ex Augusta, Julia, Livia, Agrippina, sed *Mariam* PAUPEREM MATREM ELEGIT, quam super omnes orbis Reginas, infinito intervallo adamavit. Hujus parvuli exemplo, tot illustres, ac potentes Regum, Principumque filii, ac filiæ, opibus ac divitiis spretis, paupertatem voluntariam professi, eam sibi in matrem elegerunt, & dilexerunt. *Studeamus & nos effici* SI-

Marginal notes (left): S. Bern. ser. 1. in Epiph. — Quomodo puer Jesus placari possit. — Bern. cit. — Bern. ser. 1 super missus. S. Amb. in c. 3 Eccl. serm. 1. Bern. ser. 3. super missus. — Ad Religiosos ut per tria vota fiant sicut parvulus iste. Ribadin. l. 5 c. 1. Lancicius opusc. 6. n. 7. — S. Ignat. in stabulo natus exemplo Christi parvuli. — Libell. exercit. contempl. de nativit. — Paupertas pueri Jesu.

Marginal notes (right): Libell exercit. ibid. — S. Thomas in Luc c. 7 v. 2. — Bern. ser. 3 in nativ. — S. Bern. serm. 3. super miss. Lib. exerc. — Corn. in c. 19 Mat. v. 14. Victor Antioch. c. 10 Marci. Paupertas diligenda ut mater. — S. Th. in Luc c. 2. — V. Platum — Bern. cit.

CUT PARVULUS ISTE. Parvulus, qui tenero in pauperem matrem fertur affectu, mavult cum ea in vili tugurio, angusta casa commorari, incommodo strato, tenui victu, vili amictu uti, quàm matre desertâ, Reginam sequi, & omnibus affluere. Paupertas mater nostra est, quam diligere, & omni affectu complecti debemus. Regulâ 24. summarii hoc præcipit S.P.N. *Diligant omnes paupertatem* UT MATREM. Quo fiet, ut Religiosus omnis diligat pauperem habitationem, pauperem victum, vestitum, stratum, &c. *Victus, vestitus, & lecti ratio, erit* UT PAUPERIBUS *accommodata.* Si quis ea aversetur, is nec diligit, nec agnoscit matrem suam. Cùm Benedictus XI. ex tenui fortuna ad Pontificatum evectus esset, mater quæ lotrix paupercula erat, hoc nuntio audito, illicò Romam advolavit, ubi à potenti forte Domina, omni mundo muliebri pretiosè induta, audientiam petiit. Benedictus qui matrem in rubra subucula, & vili lacerna, ut conditio ferebat, expectabat, eam instar opulentæ matronæ, splendidè convestitam intuitus, e vestigio se recepit, dicens: *Matrem ego pauperem habeo, & diligo, aliam non agnosco.* Has voces usurpare potest, quisquis in Religione, in omnibus, maximè attrita, & abjecta, vilissima quæque amârit, & amplexus fuerit. Paupertatem pueri Jesu à cunabulis, & per omnem vitam ad extremum spiritum, prolixum foret enarrare; unus mihi instat omnium Doctor mellifluus: PAUPER *utique ille, qui de cælo descendit, & positus in præsepio: Et hæc quidem conversionis vita,* QUASI SPIRITUALIS CUJUSDAM NATIVITATIS INITIUM, *ut conformetur* PARVULO, PAUPERTATIS SUSCIPIAMUS INSIGNIA; hæc *insignia* adeò illi propria, ut ex ipsis inveniri, & agnosci voluerit: *Hoc vobis signum*, pauperculi nempe panni, & thorus stramineus. Hujusmodi *insignibus* nos S. Ignatius indui, & dignosci cupit, cui Domino servimus. Mitto hîc, quod Christus parvulus *aliquando famem patiens, panem petiit, nec unde daret, mater habuit.* Ac stipem ostiatim mendicavit, qui esurientes replet bonis, per quem nec ales esurit: *Quasi unus è turba* PAUPERUM, *stipem per ostia mendicabat*; ut per omnem vitam, exemplo duceret, paupertatem se complecti ut matrem. Alterum hic considerandum occurrit, quod liberi, qui matrem pauperculam diligunt, valdè seduli, soliciti, & diligentes sunt, ut ope manuum suarum, labore, & sudore, cura, & industria, illi victum lucrentur, inopiam sublevent, & in necessitate juvent. Religiosi qui *diligunt paupertatem ut matrem*, id optimè præstare poterunt: Hortulanus v.g. potest annue magnum lucrum pauperi sui matri adferre, hortum bene excolendo, ut uberes fructus adferat: obsonator si parcè, & tenaciter liciteretur, quotannis aliquot centenorum florenorum emolumentum contulerit. Sic cocus, dispensator, sartor, sutor, &c. quisque suo si officio utiliter, & gnaviter fungatur. Alii verò, nihil sine facultate superiorum usurpando, nulla superflua sectando, paupertatem etiam in minutissimis spectando. Quo in genere eluxit B. Aloysius, qui ne folium chartæ, ne acum: Fabius de Fabiis, qui ne calamum è bibliotheca ad communem usum usurpare, nisi obtentâ facultate præsumebat. Quidni etiam inter primos paupertatis Evangelicæ enumerem Oviedum, Æthiopiæ Patriarcham, qui domestico omni instrumento, vestibusque ipsis in pauperes distractis, egens, ac seminudus, non tunicam, non lectum, non arcam, non cibum nisi emendicatum habuit. Venit ab Oviedo jam Patriarchâ, ex Æthiopia ad Pium V. Pontificem data epistola, extremæ paupertatis testis locupletissima: etenim cùm nusquam magno Patriarchæ charta suppeteret ad scribendum, præcisæ foliorum Breviarii oræ, & filo invicem assutæ, epistolam exceperunt, & suo tutam neglectu, in urbem pertulerunt ad Pium. O epistolam Apostolico plenam spiritu! ô verè dignam, quam Pius lachrymis ubertim obortis legeret, ac veneraretur! ingens paupertatis pretium fuit, Pontificis, & Pii lachrymis, velut unionibus decorari. Hunc non paucos novi paupertatis amatores æmulari, qui segmenta epistolarum, ad discipulorum argumenta in scholis excepta, ex adversa faciem usus concionum suarum utiliter transtulerunt. Unius hic P. Joannis Vaalcsii non possum non meminisse. Hic calculo immaniter excruciatus, medici ferrum, & vulnus incitatissimè postulabat. At ubi audiit pro ea curatione 300. florenos Belgicos deposci, ut secari etiam tuto posset, adduci non potuit, ratus hoc matri suæ paupertati obesse, per cujus sibi adamatæ vulnera, noller convalescere. Hæc de te pluribus Euseb. Nierenberg. in Asceticis, pag. 356. Lancicius opusc. spirit. 2. cap. 6. Illustria cuique Religioni, ex suis, ad manum sunt exempla, qui pauperes facti sunt, ut illi similes essent, qui pro nobis *egenus factus est, cùm esset dives.*

Reg. 25. summ.

Bern. hom. infra octav. Epiph.

Quæ insignia paupertatis.

Reg. 11. summ.

Ludolphus à Saxonia. de vita Christi. part. 1. cap. 13.

Bern. cit.

Quomodo Religiosa paupertas exercenda.

Joannes Rho variorum virtutum hist. l. X. nostra.

P. Rho ib.

P. Nierenb.

2. Cor. 8.

Nunc ut paucis quæ castitatem concernunt, ab hoc virgineo infantulo, sponso virginum hauriamus, utar verbis D. Augustini ad suos: *Nunc ergò propter* PARTUM MARIÆ (virginis) *mihi sermo est* AD VIRGINES, quæ voto castitatis perpetuæ, huic Virginis filio sese obstrinxere. Pueri, sic dicti, inquit Varro, *quasi pueri*, quia anima instar tabulæ rasæ, nullis fœdis imaginibus, aut affectibus infecta, ut docet Victor Antiochenus: *Est enim* PARVULI ANIMA CANDIDA, *ab omnibus vitiosis affectibus libera.* Hunc candorem & virgineam castimoniam innuunt nobis nivea, & candida, quibus purissimus hic infans involutus fuit, linteola, quæ non alia, quàm ex ipsius Virginis Matris velo, ut P. Morales, qui ea vidit, in cap. 1. Matthæi, commemorat, pag. 849. Hunc ut nos casto corpore, & mente, dignè contrectare, & æmulari valeamus, hortatur hisce verbis Eminentissimus Cardinalis Damian. *Si Redemptor noster tantopere dilexit* FLORIDI PUDORIS INTEGRITATEM, *ut non modò* DE VIRGINEO UTERO *nasceretur* (mundis linteis involveretur) *sed etiam à* NUTRITIVA VIRGINE *tractaretur, & hoc* cùm

August. serm. 3. nativit.

Castis exemp[illegible] pueri s[illegible] lect. in [illegible] Vict. [illegible] tioch. in [illegible] 10. Ma[illegible]

Pag. 8[illegible] Pet. [illegible] mian. [illegible] ep. 6

cùm adhuc PUERULUS *vagiret in cunis*: *à quibus nunc obsecro tractari vult corpus suum, cùm jam immensus regnat in cælis*? Haud dubie ab iis, quibus castæ, & virgineæ manus, oculi, sensus omnes, cogitatus, corpus, & anima tota, ut ita castis desideriis & amplexibus, velut purissimis linteolis hunc parvulum involutum recipiamus. Hinc S.P.N. Ignatius, ad hanc Angelicam puritatem servandam, legem nobis, velut parvulis præscripsit, qui non nôrunt, nec debent soli incedere; ne in lutum, in aquas, in ignem incidant, ubi nunquam soli relinquendi. Quæ *regula de socio secum retinendo*, quàm sancto Patri cordi, & curæ fuerit, hoc argumento est: Sanciverat Ignatius, ne nostri, matronas incomitati aut adire, aut alloqui auderent; eam legem, cùm bonus senex supinâ violasset simplicitate, sanctos Ignatius coactis in unum septem aut octo Patribus, hominem productum in medium, tamdiu flagellis in se animadvertere jussit, donec à quinquagesimo, singuli unum psalmum recitassent: nec sine causa ea cautio adhibetur, quæ si ubique vigeret, non tot incauti, deterius quàm parvuli, in fetalem ignem inciderent. Nam ut rectè Philosophus: *Omnia nobis mala solitudo persuadet.* Luculentius hic Angelici Doctoris testimonium est, qui consuetudinem de socio secum retinendo adeò collaudavit, ut eum dicere solitum ferant: *Monachum solum, esse dæmonem solitarium.* Quod ejusdem venerabilis Ordinis beatus Antistes, verissimum comprobavit, dum hæc palam fassus est, quàm vera sit hæc Eccl. sententia *væ soli*, ego novi, inquit, qui 30. annis, & eò amplius, vices Episcopi in diversis Provinciis, & diœcesibus habui, in hoc articulo, quo Religiosi, vel soli vadunt in viis, vel soli manent in curiis, horrenda mala, horrenda scandala, horrenda pericula frequenter audivi, quæ nunquã sustinuissent adjuncto socio, vel fecissent: *Nam magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat.* Plura in hanc rem Nigron. Reg. 43. n. 15. & 26.

Reg. 18. sacerd. & 5 Coadjut. Ioan. Rho varia virt. hist. l. 4. c. 2 nostra. Religiosus pro castitate tuenda, numquã sit solus.

Seneca ep. 25.

Cit. Nigrõ. Reg. 43 Cantipratan. l. 2. apum sec. 1 Eccl. 4.

Seneca ep 11.

Tertiò, si obedientiam spectemus: *Studeamus effici* SICUT PARVULUS ISTE, qui hanc virtutem nondum natus, & ex utero complexus est; dum edicto Imperatoris etiam Gentilis obtemperavit. Ascendit enim Maria Deo gravida à *Galilæa de civitate Nazareth in Iudæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem*, itinere trium dierum: distat enim Nazareth 30. leucis. Eluxit hic obedientia singularis. Parum hoc, Suarez. tom. 2. de vita Christi, & tom. 6. de Religione, docet, *Christum primò instanti conceptionis suæ, se* VOTO *consecrasse Deo ad redimendos homines, & in hunc finem omnes actiones, & passiones vitæ suæ*, VOTO *obtulisse*. Juxta illud Psalmi 13. *Sicut juravit Domino*, VOTUM VOVIT *Deo Iacob*. Adeò, ut Interprete Nierembergio, Velasquez in Philippenses, aliisque, hic divinus Infantulus, à primo Conceptionis instanti, nullum membrum moverit, nec corporis, aut animi actum exercuerit, nisi ex beneplacito cælestis Patris, ac Virginis Matris. Velasquez solerter expendens illa verba: *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*, asserit obedientiam, parvulo vitam fuisse, nec unquam sine illa respirasse. Quod ut paulò prolixius deducamus, sancti Patres studiosè disquirunt, quid hic parvulus à prima ætate, ad annum 30. in privata vita egerit, de quo nihil sacræ paginæ explicitè tradiderunt.

Bern. cit.

Obedientia pueri Jesu imitanda proponitur.

Luc. 2.

Suarez. 3. part. tom. 2. de vita. Chri. disp. 28 sect. 2. & de statu Relig. tom. 6 l. 3. de voto c. 2.

Sed unus sanctus Lucas, tribus verbis mihi omnia complexus videtur: *Erat subditus illis*; adeò ut juxta Salmeronem, divinus hic puer, sapientia Patris, nec manum moverit, aut nictum oculi fecerit, nec pedem fixerit, nec cibum, aut somnum cœperit, nisi ad nutum, & beneplacitum parentum, Mariæ & Joseph.

Luc. 2.

Quam stupendam maximè observantiam, & perfectissimam numeris omnibus obedientiam, in secessu suo Claravallensi, altâ contemplatione demiratus sanctus Bernardus, exclamat: ERAT SUBDITUS ILLIS! *quis, quibus*? QUIS ILLE SUBDITUS? Isaias dicit: *Qui appendit tribus digitis molem terræ.* QUIS ILLE SUBDITUS? Respondet Psaltes Regius: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Libet iterum percunctari: *Quis ille subditus*? Danielem attendite: *Millia millium ministrantes, & decies centena millia assistentes.* Si sacros novæ legis Scribas percunctemur: *Quis ille subditus*? Joannes, quo non surrexit major, ejus dignitatis testimonium perhibebit, dicens: *Cujus ego non sum dignus corrigiam calceamentorum solvere. Quis ille subditus*? Lucas ait: *Filius* ALTISSIMI *vocabitur, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis, &c.* Et qui nos, & quibus obedire detractabimus? Denique S. Leo epist. ad Dioscorum: OBEDIENTIAM, inquit, *Dominus Iesus ab utero matris, usque ad supplicium crucis elegit, & docuit*, usque ad extremum spiritum, *factus* OBEDIENS *usque ad mortem.* Ubi S. Gregorius: *Ne perderet* OBEDIENTIAM, *perdidit vitam.*

Bern. serm 1 super missus. Isa. 40. 12

Psal. 144.

Dan. 7. v 10

Ioan. 1. v 27. Luc. 1. v 32.

S Leo epist. ad Dioscor. Philipp 2. v 8.

Hæc legitima veluti nota est generosæ Ignatii prolis, ut obedientiam malint retinere, quàm vitam.

P. Gonzalus Cardosus, quamquam divinitùs admonitus fuisset, in eo quod imperabatur itinere, sibi consceleratorum hominum sicis esse occumbendum; non ideò tamen ab eundo se continuit; sed jubenti dixit: ego verò iter ingrediar, sed scito me, neque eò quò mittor, perventurum, neque huc porrò reversurum; cùmque ea dicta joco elevarentur, illud iter sibi supremum intrepidè ingressus est, in eoque, monito priùs socio P. Francisco Lupio, ut fugâ se periculo jam jam instanti subduceret, paulò post ab impiis cæsos, obedientiæ laudem ab ipsa morte decerpsit, dum, *ne perderet* OBEDIENTIAM, *perdidit vitam*. Et reperire erit inter viros Religiosos, sæculo mortuos, qui inordinato servandæ valetudinis, aut vitæ producendæ affectu, contra moderatorum imperia, & obedientiæ præcepta, cælum sibi insalubre, aërem noxium, habitationem infirmitatibus, ac morbis suis adversam, mutationem sibi mortem allaturam obtendant? Audiant hi illustre, quod suis præscripsit documentum, & exemplo præluxit S. Ignatius, qui vitam perdere maluit, quàm obedien-

Nieremb. Asceti. P. Ioan Rho varia virt. hist. l. 4 c. 6. nostræ

Nieremb. Ascetic. p 479.

Maffaus in vita. Nieremb. in doct. ascetic. l. 6. doct. 7. c. 19.

dientiam, quam Nostros medico, vito etiam externo præstari voluit; sic etenim Maffæus: Medico, quoties ægrotabat, ita se dicto audientem præbebat, ut ejus monita pro oraculis duceret, ac quodammodo prudentiam peritiis instar parvuli exuisse, & omnem suæ salutis curam, & solicitudinem, in eundem projecisse videretur.

Cùm gravissimè laboraret aliquando, ex nimio hepatis calore, medicus adolescens, & artis suæ minus peritus, quo domus eo tempore utebatur adhibitus, frigidæ corporis constitutioni causam ilicò tribuit. Nec mora, quidquid excogitare potuit ad corpus & præcordia calefacienda præscripsit; ac primùm fenestras, foresque cubiculi, ne quid afflaret auræ, obserari diligenter jussit. Deinde languentem multa sub veste continere se se. Postremò, quàm calidissimo cibatu & potu refici. Quæ omnia Ignatius, licèt sibi non levibus argumentis contraria sentiret, ac medicum ipsum, nec literatissimum, neque exercitatissimum sciret esse; tamen ne cum extremo quidem vitæ periculo, contra ejus edicta nihil unquam effatus est. Satius ducens vitam, quàm obedientiam perdere.

Æstas erat summa, calores ut in Urbe maximi: ingenti stromatum pondere premebatur Ignatius: manabat è membris omnibus tanta sudoris copia, ut culcitræ, ac vestes maderent: nihilominus ex præcepto, se intra calida fomenta cohibebat ægrotus. Ardebat siti, nihil omninò poscebat; discruciabatur doloribus acerbissimis, nullam edebat vocem; linquebatur animo interdum, neque tamen significabat, denique perversa curatione eò adductus est, ut cùm ultimum sibi discrimen adesse intelligeret, Societatis administratione Patribus delegatâ, aditu cubiculi, domesticos prohiberet omnes, uno excepto valetudinarii curatore. Atque id demum exstitit signum desperatâ jam valetudine, se ad vitæ exitum comparantis. Itaque Patres in re tam subita, consilio habito, cùm non deessent, qui medici præsertim junioris placita reprehenderent, Alexandrum Petronium, ætate provectâ virum, & medicæ artis laude præstantem, extemplo acciri jubent. Is ut inspexit S. Ignatium, genusque, & ordinem adhibitæ medicinæ cognovit, per summam indignationem vociferatur, hominem calore necatum esse: pandi confestim fenestras, & ostia; levari stragulis lectum; frigidæ haustus affatim dari æstuanti imperat. Quæ res prioris medici inscitiam planè coarguit; siquidem refrigerato hepate, ventriculi tormina quievêre, & obedientiæ meritis sanctus Pater auctus, pristinam insuper valetudinem brevi recepit.

S. Basil. Regul. Breviter. 166.

S. Basilius docet, *veros* OBEDIENTES *similes esse* PARVULIS; hos si cellæ affigas, si curriculo imponas, si ad alias urbes ableges, apud exteros commoraturos colloces, bæt enr ibi, quamdiu parentibus visum fuit, uti & parvulus noster abductus in Ægyptum, audiut:

Matth. 2. v. 13.

Esto ibi, usque dum dicam tibi. Esto & tu in tali civitate, tali domo, tali officio, *usque dum dicam tibi.*

Simile.

Non est, quòd quis valetudinem, aut vitam, obedientiæ præponat: vera salus (*her vvel vaeren*) in sola obedientia est. Oportet omnem, qui navigio vehitur, si feliciter navigare velit, navarcho obtemperare; si ad dexteram, si ad sinistram recedere, si descendere, si ascendere jubeat, in omnibus obsequi; sic in religiosâ domo, ubi Superiori, ut navarcho obtemperatur, omnes feliciter navigant. *Sy vaeren vvel.*

Alteram similitudinem Scriptor Italus desumit ab eo, qui sub tonsoris manu est, qui tondetur. Huic si dextrorsum, sinistrorsum, horsum, sursum, deorsum caput movere jubeatur, promptè, & ad nutum parendum est; & sic benè tonsus (*vvel geschoren*) progreditur. At si obluctetur, si pertinaciùs obsistat, hinc pars auriculæ præciditur, hinc plagacollo, aut genis infligitur, & malè tonsus, multa etiam cum murmuratione, & indignatione abscedit, sociis etiam justo ludibrio expositus.

Haud aliter accidere videmus in religiosâ familia, ubi omnes Prælato ad nutum obtemperant, omnes benè tonsos (*vvel geschoren*) quod vernaculè, lætos, benè contentos, & vocationi suæ acquiescentes, significat. Ubi econtra, qui duro, (ut capita ovina) cerebro sunt, sæpè plagas incurrunt, omnia murmurationibus complent, & malè tonsi, suis contemptui, & despectui sunt.

Concludo hìc amœno Fratris Juniperi elogio, qui Religiosos, caput tenerum, molle, & flexile, quale parvulis est, habere volebat.

Quare cùm audisset quendam è suis, qui suum caput ad nutum Superiorum semper flectere solitus, è vivis excessisse, poculis & vasculis suis omnibus testaceis confractis, demortui cranium instaurer sibi deposcit; quo in duas partes diviso, ex una cibum, ex altera potum sumebat, ut nunquam non recordaretur suum sub jugo obedientiæ caput flectere, & frangere; nam qui proprio innititur capiti, instabilis est, & facilè cadit.

Si itaque has primarias Religionis virtutes in nobis expresserimus, ut similes efficiamur JESU parvulo, optimè sperare, & confidere possumus, illû solennis hisce vestris natalitiis libenter interfuturum, in oscula, & amplexus involuturum.

S. Anton. Chr. part. 2. tit. 17. § 7. & Hugone.

Quod suis Monarchis S. Hugo Cloniacensis, instante nocte nativitatis, veraciter prædixit, dum hæc ad eos verba habuit: Noveritis fratres, Jesum disposuisse vestris solennis interesse, quod hostis diabolus conatur impedire: hac enim nocte, vidi matrem cum puerulo lusitantem, & sic matrem alloquentem audivi: Hæc est illa nox gaudiis illustranda, & cælo, & terræ colenda. Ubi nunc hostis? Cùmque adstaret, & veniam impetrasset nos adeundi, nullibi aditum reperit: non in capitulo, cujus ei aditus nimis angustus: nec in dormitorio, nec in refectorio; unde eo dimisso, solus

solus Jesus mansit nobiscum solennia celebraturus.

Ejusmodi vobis fausta apprecor solennia, læta, ac festiva natalitia, quibus omni aditu, excluso hoste maligno, Natum parvulum excipere, cum colludere, ac oblectare, semperque in corde & oculis habere valeatis; quemadmodum de Patre Alphonso de Barzana legimus, qui magistri Joannis Avilæ discipulus, anno 1598. in Americam profectus est, crebrò quinos, senosque dies sine cibo extraxit, sola pastus Eucharistiâ. Cacodæmon nulla infestatione impedire valuit, ne quot noctibus ad orandum surgeret; semel, cùm se terrificâ specie objecisset, Pater nihil exterritus: Sede, inquit, in hac sede mea, quia me dignior es. Quâ submissione, se horrendo cum ejulatu inde proripuit. Omnis illi cum infante Jesulo lusus, & deliciæ, cujus memoriam jugi veneratione recolebat, ejusque effigiem circumferebat, quam per noctem ad lecti caput admovebat. Id cùm extremo in morbo, nocte quadam oblitus, & infirmarium inclamaret, ut suum sibi Jesulum porrigeret, ipse se divinus infans stitit, dicens: Ne fatigare, en hîc ego tecum sum. Erit & vobiscum, si ut parvuli effecti fueritis, ac tandem per angustam portam, quæ parvulos capit, intrabitis in regnum cælorum.

P. Alegambe Bibloth. Script. Soc.

* * *



FESTUM SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Benefacite his, qui oderunt vos. Matth. 5.



A populo SAXIS *prætereunte petor.* Ovid. de nuce.

ARGUMENTUM.

OMne animal naturali quadam antipathiâ abhorret ab omni, quod sibi contrarium est; unde quidam inducere voluerunt, dilectionem inimicorum, naturæ ac rationi repugnare, ejusque præceptum homini servatu impossibile censeri: quorum objectiones sacris paginis, sanctorum Patrum testimoniis & argumentis etiam gentilium confutantur. Ac primùm quidem utilitas ingens probatur, quæ ex dilectione inimicorum redundat. 2. Honorificum, & viro nobili gloriosum, injurias remittere; imbellis verò ac muliebris animi vindictam sumere. 3. Remissio injuriæ necessaria ad æternam salutem ostenditur; nam *si non di-* Math. 6. *miseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*, ut infelices exitus eorum, qui inimicis ignoscere noluerunt, satis testantur.


Alterum & amplius Christus verbo præcipit, & exemplo docuit, non solùm inimicos diligere, sed & beneficiis delinire, ac prævenire. Quæ autem benevolentiæ signa quis hosti, & in quibus circumstantiis exhibere debeat, è doctrina Theologorum deducitur. Sed ut non semper hæc signa particularia benevolentiæ exhibenda sint; numquam tamen odium animo fovere, vindictam spirare, aut malum imprecari licet; quo malo se, & omni scrupulo liberabit, si ex corde oret pro inimicis; quæ oratio Deo gratissima, filios Dei constituit, conversionem peccatorum impetrat, & mortem, somni instar, tranquillam conciliat.

§. I. *Diligite inimicos vestros.* Matth. 5.
§. II. *Benefacite his, qui oderunt vos.* Ibid.
§. III. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Ibid.

FESTUM

FESTUM SANCTI STEPHANI, PROTOMARTYRIS.

***Benefacite his, qui oderunt vos.* Matth. 5.**



Omnibus non tam hominibus, quàm ipsis etiam belluis ratione carentibus, naturâ insitum est, iis quadam sympathiâ sociari, ad blandiri, uniri, à quibus esse, vel benè esse, acceperunt; sic ursi, leones, tygrides inter se conveniunt: catuli, quarum uberibus lactantur, & amore foventur, matres amant, sequuntur, & unguibus, ac dentibus propugnant: hoc solertissimus naturæ indagator Plinius observavit: *Catera animantia in suo genere probè degunt: congregari videmus, & stare contra dissimilia: leonum feritas inter se non dimicat.*

Plin lib. 7 in proœmio

Omne animal naturali antipathiâ odit sibi contrarium.

Contra verò, hostes suos ac suorum, damnum, injuriam, aut lanienam infere paratos, vix in lucem editi, antipathiâ quâdam innatâ aversantur, fugiunt, & si possint, discerpunt, nullâ hauftâ aliunde scientiâ, aut experientiâ; sed ex natura odio insectantur, quæ sibi inimica sunt: sic ovis lupum, passer milvum, columba accipitrem, mus felem, lepus canem horret, & execratur, ut disertè Pelignus vates:

Ovid lib. 1. metam.

> *Sic agna lupum, sic cerva leonem,*
> *Sic aquilam pennâ fugiunt trepidante columba,*
> *Hosti quaeque suos.*

Non alia de causa, quàm quòd sibi inimica & contraria, naturâ ipsa horreant ac refugiant. *Quid est*, inquit Philosophus Romanus, *quare pavonem, quare anserem gallina non refugiat, cùm tantò minorem, & ne notum quidem sibi accipitrem fugiat? Quare pulli felem timent, canem non timent?* APPARET ILLIS INESSE SCIENTIAM NOCITURI, *non experimento collectam: nam antequam possint experiri, cavent. Æqualis est illis à pernicioso fuga.*

Seneca epist. 121.

Quod saniori ac sanctiori Divi Thomæ, Angelici Doctoris probare libet testimonio: *Unaquaque res etiam irrationabilis, naturaliter odit suum contrarium, sicut ovis lupum, &c.*

S Thom. 2.2 q. 25. art 8.

Hos inter, si quis concordiam, & amicitiam firmare studuerit, ne ille prorsus amens, & insanus fit.

Hæc antipathia etiam in ipsis inanimatis reperitur, ut S. Thomas tradit, & experientia comprobat: cadaver occisi, ad præsentiam homicidæ naturaliter è vulnere sanguinem emittit, quod eventu vario, pluribus, tam Medicis, quàm Theologis adductis, Clarissimus Doctor Vincentius Moses, Catholicæ Majestatis Philippi IV. Medicus, in Philosophiâ suâ naturali cap. 14. dub. 3. ostendit.

Idem ib.

Vincent. Moses in Philosoph. nat. cap. 14. dub. 3.

Anno 1510. in Hispania occisus fuit Joannes Abusthetus; venatores duo in suspicionem adducti, in vincula conjiciuntur; sed cùm nil solidæ contra eos probationis adferri posset, cadaver sepulchro eductum, coram primo nil alterationis dedit; coram secundo per vulnera sanguis latè prorupit: quo viso naturæ prodigio, homicidium suum fassus est. Ibidem de altero commemorat, qui uxorem occiderat, cujus cadaver post viginti dies exhumatum ac in conspectum mariti positum, toto corpore sanguinem sudavit.

Hippolytus Marsilius scribit, se hoc indicio plura homicidia detexisse; adeò natura etiam in rebus inanimatis sibi inimicis, & contrariis adversatur; ut pluribus videre est in Campo Elysio jucundarum quæstionum Gasparis à Reyes quæst. 35. ubi & illud Abulensis testimonium adducit: *Est enim naturale quoddam quasi miraculum, ut si occisor advenerit ad cadaver occisi, vulnera sanguinem fudent.*

Nec minus mirum, ad tympanum pelle lupi tensum, si pulsetur, alterum ovina tensum disrumpi, & crepare.

Quo antipathiæ instinctu, & vindictæ spiritu quidam ducti, non modò difficile, sed & naturæ contrarium, ac prorsus impossibile servatu, illud autoris naturæ præceptum, *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*, palam jactitarunt, ipsius Augustini nixi suffragio, qui ait: *In omnibus justificationibus Domini nihil mirabilius, & difficiliùs est, quàm ut suos quisque diligat inimicos*; & alibi ut rem impossibilem describit: *Sed dicet aliquis: Non possum diligere inimicum meum, quem quotidie velut hostem patior crudelissimum*; sanguis bullit in venis, dum vel in conspectum venit: manus prurit ad ferrum, dum injuriæ memoria recrudescit. Quin & S. Hieronymum, Doctorem Maximum in suam sententiam adducunt: *Multi præcepta Dei imbecillitate sua, non Sanctorum viribus æstimantes, putant esse* IMPOSSIBILIA, *quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus, non odisse inimicos*; CÆTERUM DILIGERE, PLUS PRÆCIPI, QUAM NATURA HUMANA PATIATUR.

August in Psal. 118 serm. 7.

V. August. jo m. 5. de S. Stephano.

Hieron in c. 5 Matt. & v. 44.

Altero se clypeo tuentur: sanctissimos viros

Argumenta adversa.

sariorum, qui impugnant dilectionem inimicorum. *Psal. 39. v. 15.*

diris devovisse inimicos, & gravissima mala illis imprecatos fuisse, quo spiritu vindictæ, asserunt Davidem, virum secundùm cor Dei, inflammatum fuisse, dum dixit: *Confundantur, & revereantur, qui volunt mihi mala.* Et alibi: *Descendant in infernum viventes.* Disertè Psal. 118. *Iniquos odio habui.* Et Psalmo 108. innumeras imprecationes congerit: *Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris ejus. Cùm judicatur, exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies ejus pauci, &c.* Quas Rupertus hic supra triginta numerat. Sacer verò Vates Jeremias: *Confundantur, qui me persequuntur*: atque ipsi Ecclesiæ Principes, *Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de cælo, & consumat illos?* Clamant & universi Christiani ad Dominum: *Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris.*

...ue. 9. v. 51.

S. Thom. 2. 2. q. 27. art. 7.

Quartò, opponunt perfectiùs esse, & rationi magis consentaneum, diligere amicos, quàm inimicos, & pro se militantem citant D. Thomam, qui hanc quæstionem disceptat: *Utrùm sit perfectiùs, & magis meritorium, diligere inimicum, quàm amicum?* Respondet primò ex parte objecti; nobiliorem, ac meliorem actum esse, dilectionē amici, quàm inimici: *Dilectio amici*, inquit, *præeminet dilectioni inimici: quia amicus & melior est, & magis conjunctus; unde est materia magis conveniens dilectioni, & ideò actus melior*; qualis est dilectio Dei, ejusque Matris, ac Sanctorum, imò & parentum, ac benefactorum, quibus præcepto Dei, & jure naturæ obstricti sumus.

S. Th. ibid.

Secundò. Idipsum probat à contrario: *Unde ejus oppositum est deterius: pejus enim est odisse amicum* (& hominis maximè ingrati) *quàm inimicum.*

Tertiò, à simili: *Sicut ignis in propinquiora fortiùs agit, quàm in remotiora; ita etiam charitas ferventiùs diligit conjunctos, quàm remotos: & quantum ad hoc, dilectio amicorum secundùm se considerata, est ferventior, & melior, quàm dilectio inimicorum.*

Mendoza Viridarii lib. 4. problem 4. num 30.

Ad hanc sententiam stabiliendam, non parùm conferunt, quæ Mendoza noster suggerit ab inconvenienti: si dilectio inimicorum esset majoris meriti, quàm dilectio amicorum, excederet etiam dilectionem parentum, & suiipsius, quæ dilectio ejusdem rationis est cum dilectione amicorum, sed hoc apertè falsum est, ergò.

Dicta confirmat principio Divi Thomæ: perfectio substantialis actus (v. g. hic amoris) desumitur ab objecto (seu persona) quò enim illud præstantius, eò actus in se perfectior evadit; sed melius, & præstantius est objectum, amicus quàm inimicus: est enim amicus Deo per bonitatem, & nobis per amicitiam, & beneficentiam conjunctior: ergò.

Denique odium amici, est peccatum ex genere suo gravius, quàm inimici; ergò vice versâ, dilectio amici in perfectione excedit dilectionem inimici.

His & similibus, homo vindictam, bella, & duella spirans, insultat, exultat atque triumphat, ut lavet manus in sanguine peccatorum.

Verùm enimverò, ad has frivolas excusationes, sed planè falsas objectiones, facilis est responsio, & in promptu solutio.

S. Thom. 2. 2. q. ... art. 8. Solvuntur objectiones contra dilectionem inimicorum.

Ad primum respondet S. Thomas: *Unaquæque res naturaliter odio habet id, quod est sibi contrarium, in quantum est sibi contrarium, inimici autem sunt nobis contrarii, in quantum sunt inimici, unde hoc debemus in eis odio habere: debet enim nobis displicere, quòd nobis* (& Deo) *inimici sint; non autem nobis sunt contrarii, in quantum homines sunt, & beatitudinis capaces,* (Christi sanguine redempti, & forte consortes regni cælestis nobiscum futuri) *& secundùm hoc, debemus eos diligere.*

Ibid. art. ...

Quod ut clariùs innotescat, *duo in peccatoribus, & inimicis considerari possunt: scilicet natura, & culpa; secundùm naturam, quam à Deo habent, capaces sunt beatitudinis, & ideò ex charitate diligendi sunt; sed secundùm culpam, qua Deo* (& nobis) *adversatur, sunt odiendi* & hoc modo Propheta iniquos odio habuit, " in quantum iniqui sunt, habens odio iniquitatem ipsorum: & hoc est perfectum o- " dium, de quo ipse dicit: *Perfecto odio oderam* " *illos.*

S. August. de doctr. christ. cap. 30. S. Thom. cit.

Accedit, ut Augustinus ait, hoc præcepto, *diliges proximum tuum*, omnes homines comprehendi, malos & bonos; sed peccatores, & inimici non desinunt esse homines; quia peccatum non tollit naturam, ergò ex charitate diligendi sunt propter Deum, qui & peccatores, & inimicos dilexit.

August. serm. 168. de temp. Dom. 3. post Pasc.

Ut autem vobis omnibus manifestum sit, quomodo possitis inimicos diligere, secernendo culpam & malitiam à persona, medicum consulite, qui in ægro odit, & exscindere conatur malam febrim, pestilentem morbum; non verò odit, sed amat, & juvat ægrotum. malo insensus est, non homini: rem hanc acu tetigit præfatus Doctor: *In ipso enim, qui malus est, & proximum habes inimicum: nam quod homo est, proximus tuus est: quod malus est, non solùm tuus, sed etiam suus inimicus est: dilige ergò in eo carnem & animam, hoc est, proximum tuum, quem Deus fecit; & odio habe malitiam, quam ipso consentiente diabolus intromisit. Quod cùm sancto & pio animo feceris, vices cælestis medici agis, odio habens morbum, & diligens ægrotum*; quæ aptissima similitudo est. *Nam absit à Catholicis, ut eo animo quisque boni aliquid inimico suo conetur impendere, ut cùm pro hoc beneficio velit externo incendio concremari.*

Augustin. epist. 54. Macedon.

Sic parens phreneticum filium non odit, non domo exturbat, non execratur, sed phrenesim ejus; filio verò compatitur, eique omni solatio & auxilio est. August. epist. 54. ad Macedon. *Meritò, ait Seneca,* (*cujus etiam quædam ad Paulum Apostolum leguntur epistolæ*) *omnes odit, qui malos odit; & tamen ideò diligendi sunt mali, ut non sint mali: quemadmodum ut non permaneant, sed ut sanentur, à medicis diliguntur ægroti.*

Indies hoc videre est; nemo ita amens, qui calicem aureum, si fortè venenum infusum fuerit, in mare præcipitet: aut gemmam in lutum aut sterquilinium lapsam, detestetur,

sed

Augustin. tom. 6. lib. 19. contra Faustum, cap. 24.

sed ipsas foedes; simili ratione, inquit Hipponensis Doctor: *Hac regula est, qua & oderimus inimicum, propter id, quod in eo malum est, id est, iniquitatem: & diligamus inimicum propter id, quod in eo bonum est, id est, socialem, rationalemque naturam. Audito igitur, & non intellecto, quod antiquis dictum erat:* ODERIS INIMICUM TUUM, *ferebantur homines in hominis odium, cùm deberent non odisse, nisi vitium. Hos corrigit Dominus, dicendo:* DILIGITE INIMICOS VESTROS, *quo cogeret nos intelligere, quonam modo possemus unum eundemque hominem & odisse per culpam, & diligere propter naturam.*

Seneca lib. 1 de ira. cap. 26.

Ad secundum veeò: hoc peæceptum difficile, imò impossibile censeti, quisqnis hoc dixerit, non me, sed liberé eedarguentem audiat Romanum Philosuphum: *Non possum, inquit, pati: grave est injuriam sustinere. Mentiris*; ne mihi hoc indigneris verbo, aut duellum spires; non ausus ille meus, Senecæ est, & geneilis quidem, & hoc possibile, eationis ductu, & viribus natutæ asseeie; tibi veeò geatiæ subsidio id impossibile erit? Potes feete injuriam temporum, injuriam aëeis, rigoeem hyemis, ardotem æstus, injueiam à beuris, ab hominibus stultis,

Seneca ib.

aue pheeneeicis, & *quare fers agri rabiem, & phreneeicis verba? Puerorum protervas manus?* NEMPE QUIA VIDENTUR NESCIRE QUID FACIANT. Idem senei de iis, quos furoe & rabies contra te concitavit, ut Redemptoe nostee de crucifixotibus pronuntiavie: *Non enim sciunt quid faciune.* Tum

Seneca ib. cap. 27.

pergit: *Num quis satis constare sibi videatur, si mulam calcibus repetat, & canem morsu? ista, inquit, peccare se nesciunt; at si catera animalia ira tua subducis, quòd consilio carent, eo loco tibi sit* inimicus, *quisquis consilio caret, & similem habet caliginem mentis*; profectò ne ille

Ibid.

prorsus *iniquus sit, apud quem hominem esse, ad impetrandam veniam, nocet.* Ac eandem, ubi humanis rationibus convicie, pussibile esse inimico paecere, nec vindictam spirare, præclaris id veeerum Impeeatorum, ac Philosophorum exemplis confiemat, è quibus pauca infra adferemus.

August. serm. 151. de temp. Aug. lib. de natur. & gratia, c. 69. Idem ser. 5 de S. Stephano.

Nunc Deum impossibilia non præcepisse, ex ipsis, quos in partes suas traduxerunt Patres, audiamus. Augustinus: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse prascriptum*: ae conera inquit: firmissimè eeadieur, *Deum justum & bonum, impossibilia non potuisse pracipere*; nisi quovis tyranno longè eeuculentiorem affirmare non verearis; iis verò, qui dicunt: *Non possum diligere inimicum*, respondit: *O quicumque ille es, attendis quid tibi fecerit homo, & non consideras, quid tu feceris Deo.*

Aug. ser. 61 de temp.

Tum alibi, hoc coenutum & acutum dilemma in eos stringit: *In omnibus Scripturis, Deus tibi dicit, quia potes; tu verò econtrario respondes, non posse. Considera nunc, utrùm Deo, an tibi debeat credi: & ideò, quia veritas mentiri non potest, nunc vanas suas excasutiones relinquat humana fragilitas: quia nec impossibile aliquid potest imperare, qui justus est; nec damnaturus hominem pro eo, quod non potuit vitare qui pius est.*

Nec minus dilucidè idem argumentum prosequitue Hieronymus, contra eos, *qui dicunt plus pracipi, quam natura patiatur: sciendum est ergò*, inquit, *Christum non impossibilia pracipere, sed perfecta, qua fecit David in Saul, & Absalon: Stephanus quoque Martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus est. Et Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis. Hac autem Iesus docuit, & fecit, dicens:* PATER IGNOSCE ILLIS: QUOD ENIM FACIUNT, NESCIUNT.

Hieron. in Matt. cap. 5. v. 44.

Ad eertium, Vieos sanctos peccatores, & inimicos execraros, iisque mala impeecatos fuisse; concessum & vobis ram sancto, & perfecto odio inimicos odisse, & vindictam imprecaei, ad coreectionem, & exemplum aliorum, *ut desiderium referatur ad remotionem culpa, non ad ipsam pœnam, ut scilicet peccata destruamur*, & homines salventue; sic S. Beenardus, dum illud Psalris Regis peccatoeibus imprecaeur: *Descendant in infernum viventes*, sanè, ac sanctè intelligendum exponit: *Ne videlicet descendant morientes.*

S. Thom. 2. 2 quæst. 25. A. 6. ad 3. Bern. ad Fratres in monte Dei de vita solitar.

Ad quattum eesponder S. Thomas: *Dupliciter illa dilectiones* amici & inimici *comparari possunt: uno modo ex parte proximi* (seu subjecti) *qui diligitur*; & sic procedunt aegumenta superiùs allata; *alio modo, ex parte rationis* (seu ubjecti foemalis) *propter quam diligitur*; & sic *dilectio inimici praminet propter duo. Primò quidem, quia dilectionis amici potest esse alia ratio, quàm; Deus sed dilectionis inimici, solus Deus est ratio.*

S. Thom. 2. 2 quæst. 27. art. 7.

Perfectius & magis meritorium, diligere inimicum, quàm amicum.

Secundò: *Posito, quòd uterque propter Deum diligatur, fortior ostenditur esse Dei dilectio, qua animum hominis ad remotiora extendit, scilicet usque ad dilectionem inimicorum. Sicut virtus ignis tantò ostenditur esse fortior, quantò ad remutiora diffundit calorem*; ex qua compatatione eectè concludit: *Tantò ergò ostenditur divina dilectio esse fortior, quantò propter ipsam difficiliora explemus. Sicut & virtus ignis tantò est fortior, quanto combnrere* (& ignire) *potest materiam minus combustibilem* Sic ignis stupæ, stipulæ, aut fœni, nun candefaciet ferrum, aut silices, nec liquescere faciee metalla, ne ignis caebonum ardeneium. Ulteriùs probatur: ille actus chariratis est perfectior, qui perfectioeis legis; sed actus diligendi inimicos, est nobiliotis & perfectioris legis, ergò.

Ibidem.

Mendosa viridar. lib. 4. probl. 4.

In veteri lege pœna talionis vigebat. Deuteronomii 19. *Oculum pro oculo, dentem pro dente*; adeò, ut si quis alterum occideret, consanguineus occisi poterat in foeo interno & externo humicidam inteeimere. At in lege nova, quid altius, & magis dueum præcipitue: *Diligite inimicos vestros, & benefacite eis*: quod expendens Augustinus, ait: *Minus enim est magnum, erga eum esse benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecit; illud multò grandius, & magnificentissima bonitatis est, ut tuum etiam inimicum diligas;*

August. in enchiridio, cap. 73.

Conin. l. de actibus.

Quia ue eectè Ægidius de Coninck, perfe- "
ctio actus ceescit ex majoei appretiatione "
Dei, v.g. qui amore Dei jejunat, vel dar e- "
leëmosynam, non ita Deum appretiae, "
sicut qui vitam exponit: & qui beneficio "
obtinendo 100. aureos offert, & cuerit ad "
20. milliaeia, non tanei illud facere videtur, "
quàm qui 1000. offeet, & peocurrie ad 10. "
milliaria, Romam usque.

Postremò: ille charitatis actus est perfectior, qui nos Deo similiores reddit: cùm enim sit mensura totius perfectionis, ille actus qui nos Deo similiores reddit, is etiam reddat perfectiores necesse esse; sed actus diligendi inimicos, reddit nos similiores Deo, quàm actus diligendi amicos: in hoc enim convenimus cum cæteris hominibus, etiam improbis, & Gentilibus, & publicanis: omnes enim amicos diligunt. Unde Christus Matth. 5. *Si diligitis qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt? nonne & ethnici hoc faciunt?*

Matth. 5. v. 46.

Imò & ipsæ ferocissimæ belluæ, sic diligunt, ut præclarè Augustinus: *amicos, & benefactores, quis non amet? amat latro, amat draco, amant lupi, amant ursi,* at verò per dilectionem inimici à cæteris tam brutis, quàm sceleratis hominibus recedimus, soli Deo appropinquamus & assimilamur quàm maximè: *diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri*, ac si nullo alio amoris actu tam expressa divinæ perfectionis similitudo â nobis exprimi posse videatur: solius enim Dei bonitas ad ipsos quoque amplectendos effunditur inimicos. Benè exclamat David: *Domine quis similis sit tibi?* respondet subtilissimus Doctor: *Qui benè vult inimico suo, Deo similis est, nec est ista* (Luciferi) *superbia; sed obedientia est*; quia præceptum est. Sic sanctè, & securè fieri poteris *similis altissimo*. Dixerit Evangelista: *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* Excogitavit quid altius Bernardus: *Tu majorem Christo Domine habuisti, ponens etiam* PRO INIMICIS; quænam alia videtur esse, vel forè huic similis Charitati.

August. serm 61. de tempore

Psal. 39. 6 Augustin.

Ioan. 15. v. 13.

Bern. serm. de passione Dom feria 4.

His jactis fundamentis, solidum perfectionis, diligendo inimicos, ædificium superexstruendum est.

§. I.

Diligite inimicos vestros. Mat. 5.

Hoc præceptum servandum, & probandum suscepi ab utili, honesto, & necessario. Ut exordiar, & ordine singula prosequar, quantum boni, dilectio inimicorum non tantum animo, sed & corpori conferat, ex dicendis patebit.

Prima, si injuriam remittis, nec parva utilitas, est pax animi, & corporis tranquillitas: qui enim alium persequitur, ipsemet non quiescit, juxta vulgarem parœmiam: *die een ander jaecht, en can selver niet rusten.*

Utile remittere injurias. Prima utilitas, pax animi. & corporis tranquilitas.

Homo iracundus odium animo fovens, & vindictam spirans, quàm animo inquieto & turbulento sit, quàmque atrox sui carnifex, ex ipso corporis habitu, quasi per hipotyposim vivacissimè describit Seneca: *Clamore, & tumultu, & totius corporis jactatione, quos destinavit, insequitur;* ut ab insano nihil differat, & non rarò in phrenesim, aut apoplexiam rapiatur. *Totas domus funditus tollit, & familias cum conjugibus, ac liberis perdit, Frendens, ac quassans caput, tecta ipsa diruit, & solo exaquat.* Quid uxor, quid liberi metuere? Tum subdit: *Quid opus est, inquit Hieronymus: cum velis cadere aliquem, prius tua labia mordere? quid opus est mensam evertere? quid pocula affligere? femur, pectusque percutere? quantam iram putas, quæ quia non tam citò in alium quam vult, erumpit, in se revertitur?*

Seneca. lib. 1. de ira cap. 3. ultimo.

Idem ibid.

Ejusmodi turbæ, & tragœdiæ in familiis à viris iracundis vindictam spirantibus, sæpè sæpius concitantur, & nulli pejus, quàm sibi, ac suis nocent. Qualis insania, quanta rabies: si medicaturus te ægrotantem, non parti tuæ læsæ, sed alieno corpori pharmacum adhibeas? vulnus tuum non claudis, si aperias sæviori ictu alterius latus: damnum quod putas tuum, non sarcit aliena vindicta: non erit ulceri proprio fomentum, apophtema extranei. Quid igitur vis furibundè? ultione damnum restaurare? culpa pœnam vis tollere, invertis rerum ordinem, addis pœnæ culpam, illum sanctissimum justitiæ ritum, quo culpam sequitur pœna, pervertis: vis ut pœnæ tuæ succedat culpa. Causa tu sine honorem tuum, solum alieno Domino reparandum, solum vindicta fulciendum? Quid egregiùm, tam turpi basi, stabiliri potest? Erras, si putas, nomen furore servari, famam irâ, & vindictâ; si credis hoc, putabis jam Deum infamem, qui patientissimus est, qui ignoscit, qui ultra benefacit, & nostra innumera scelera, & injurias atroces, beneficiis suis vincit. Quis studiosior honoris sui, quàm Deus: & tamen cum patientia illum componit, imò sustentat.

Sed age, vindictam ab inimicis sume; cum illa tamen justissima lege ut à majori incipias, Majorem omnium hostium iram tuam habes, hæc plus te offendit, ab ista auspicare vindictam. Primo inimico deleto, procede ad alios. Justissime Plato sæviturus in servum, suspendit vindictam: *caderem*, dicens, *nisi irascerer*. Imprimis è domo pellendus est hostis, quàm alii per plateas quærendi; priùs voluit Plato, postquam sentiit nasci, flagellare iracundiam dominantem, quàm servum: suspensam diu tenuit dexteram, quàm sustulerat cæsurus, rogatus quid ageret, *ab iracundo*, inquit, *exige pœnas* transtulit ad se supplicium: digniorem censuit flagris irascentem Dominum, quàm negligentem servum, nec Dominum se putabat, dum in sua potestate non erat.

Finge animo te probè injuriam ultum esse, & per latus inimici vindictam sumpsisse, num tunc hilariter epulaberis: genio indulgebis: & securè dormies: nonne sanguine illo dapes respersæ, tincta vina, omnibus umbra locis adesse videbitur: ut plures experti sunt. Nonne sanguis ille vindictam clamabit: quam tu tibi iniquus judex sumpsisti; cum *Deus ultionum Dominus* apertè testetur: *mea est ultio*; quem Divus Paulus sic loquentem inducit: *mihi vindicta, & ego retribuam.* Audi Cassiodorum: *si malum pro malo, maledictum pro maledicto retribuis, jus in causa propria tibi dicis, eeque in re tua tibi judicem faciens, eum cui omne judicium dedit pater* (qui dicit mihi vindicta, & ego retribuam) *quantū in te est variandi, ac retribuendi potestate destituis.*

Psal. 9[illegible] Deuter. [illegible] Rom. [illegible] Cassiod. lib. de [illegible] cus. cap quod [illegible] præcepto Dei.

ftituis. Si quis tibi intimè amicus, armis, & digladiandi arte optimè instructus, cerneret hostem stricto gladio te inermem invadere: seque interponeret, paratus cum armato congredi, & causam tuam suscipere; tu verò irâ furens, nolles desistere, sed utrumque contra te concitares, ac inde tibi grave detrimentum, & infortunium accideret, cùm ne Hercules contra duos, nonne in te omnis culpa redundaret? Haud aliter, cùm cernat Deus nocentē, ac te lædentem, ait tibi: *Ecce ego judicabo causam tuam & ulciscar ultionem tuam,* desiste, desiste: *Mihi vindicta, & ego retribuam;* ego justissimus Judex, & vindex, dignas de eo pœnas sumam, nec manus meas effugiet: *ultionem capiam, & non resistet mihi homo;* quis te constituit Judicem? quod si renuas illi vindictam relinquere; sed velis tu ipse eam sumere, quid mereberis, nisi ut te Deus deserat, nec defendat; imò verò & contra te exsurgat, & ulciscatur, juxta illud Sapientis: *qui vindictam vult, à Domino inveniet vindictam;* atque ita eveniet, ut à to pœnas exigat, qui eas, usurpatu tibi Deo dominio, ab inimico injustè sumpsisti, quod maximè expertiêris in extremâ vitæ tuæ, cum motte, & diabolo, luctâ: dum in lectulo constitutum *sanguineus lethi sopor* occupabit, umbra terribilis inimici occisi, quem in lethali noxa ad inferos, & æternos cruciatus demersisti, oculis obversabitur, & concretus ille sanguis angustiabit, aggravabit, & similem à justo judice de te vindictam, postulabit. Qui ephialte laborant, (vulgo de maat (quàm anxius illis fumnus, & *noctes laboriosæ,* mulare saxum, aut turrim pectori impositam sibi imaginantur, cùm ex medicorum judicio, non nisi gravis, ac concretus sanguis sit. Talis est, qui tibi diu, noctuque incumbit inimici sanguis, hic te, velut pondus Etbna gravius, angit, & inquietat. Dum

Jeremia 51
Rom. 12.
Isa 47.
Eccl. 28.
Spirans vindictā, sui carnifex
6. Æneid.
Isa. 7.

> *Olli dura quies oculos, & ferreus urget Somnus.*

Virg. 10. Æneid.

Ubi è contra, qui ex animo generosè, & christianè ignoscit, omnium delictorum suorum veniam consequitur, atque *in pace in idipsum dormiet, & requiescet.*

Psal. 4.

Talis fumnus Martyrum Antesignani Srephani, de quo non fine mysterio facer Historicus, cùm pro lapidantibus seorasset: OBDORMIVIT IN DOMINO; quod solerter expendens S. Augustinus, sic de dormitione ejus disserit: *Lingua clamat, cor amat: audivimus linguam clamantem, probemus animum diligentem: pro ferogans flevit, pro illis genu flexit, & ait: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et hoc dicto obdormivit* Cum in has voces prorumpit: O SUMNUS PACIS! qui inter lapides inimicorum DORMIVIT, quomodo in sinu cineribus vigilabit? DORMIVIT SECURUS, QUIETUS IN PACE.

Actor. 7. v. 60. August. serm. 92. de diversis

Nec minus eleganter Cardinalis Damiani: FELIX SOMNUS cū requie requies cū voluptate, voluptas cum satietate, satietas cum securitate, securitas cum æternitate. OBDORMIVIT in Domino, absorptus in charitatis abyssum, ET INTER DEI BRACHIA REQUIESCENS.

Pet. Damian. serm de sancto Stephano.

Quo non pretio quis vestīum emeret talem somnum? quis non omnes facultates suas in cibos pauperum lubens profunderet, quæ equidem deserendæ sunt, ut sic obdormite in Domino, & *inter brachia Dei requiescere* valeret? sed hæc omnia frustranea, si non remiserit fratri ex corde suo. Vis dormire in pace? parce; vis requiescere in æternum? injuriam remitte, & odium ex animo depune. *Sic nobis aderit* S. STEPHANUS, *& suggeret de nobis Domino suo, judici nostro: ne statuas illis aliquid ad peccatum.* Sic quod gloriosissimo martyrum Principi accidit, *qui veluti teneris floribus, vel rore quodam levi circumfusus,* IN DULCEM SIMUL AC BEATUM SOMNUM DELAPSUS EST, nobis quoque eveniet.

Pet. Damian. cit.
Nyssenus orat. de S. Stephano

Altera quam ex illatis injuriis, & ingestis calumniis, haurire possumus, utilitas est, ut benè vivendo, malè de nobis loquentibus non credatur. Si injuria inferatur, ac per calumniatorem, mendax potator, scortator audias, esto probus. Hoc Philosophus Cynicus nos Christianos docuisse visus est, dū rogatus à quodam, quo pacto maximè ulcisci posset inimicum? *si te ipsum,* inquit, *probum, & honestum virum probaris;* sic enim tibi prodes maximè, & inimicum excrucias gravissimè: nam si agrum tuum fertilē, & benè cultum inimicus conspiciens, ringitur, & cruciatur; quid fiet, si te ipsum viderit veris exornatum bonis? Ingeniosè hoc expendit Cardinalis Bellarminus: si quis fortè avarus, vel intemperans, vel irreligiosus appelletur, mox " cum stomacho respondebit: non est ita, men- " tiris. Hoc ferro ostendam me virum probum, " atque integrum esse. Quid habet gladius cum " probitate? etiam si ille hostem occidat, num- " quid propterea constabit nobis illum, neque " avarum, neque intemperantem esse, neque " irreligiosum? optimum ergò, & saluberri- " mum ultionis genus hoc est: avarum te appel " lavit? exhibe te etiam erga illum ipsum libe- " ralem, macta illum beneficiis. Intemperan- " rem te esse dixit? sobriè vivito, jejuniis ope- " ram dato. Irreligiosum te nominavit? tu " templa, sacram synaxim, conciones frequen- " tato. Sic vinces in bono malum.

2. Utilitas ex calumniis sumpta, benè vivendo efficere ut maledicentibus non cre datur.
Laertius. lib 6. c. 2.
Bellarm. conc. 26.

Quod Gentilis in alio, hoc in te exprime. Lycurgus Rex Lacedæmoniorum, ut auctor " est Plutarchus, cùm à feroce Juvene Alcandro, oculo orbatus esset, eumque à populo in suam accepisset potestatem, ut pro arbitrio plecteret & tractaret, nihil gravius in eum statuit, sed optimè instituit, correctisque vitiis, ad omnem honestatem efformavit, bonisque moribus præditum in theatrum produxit, dicens: *en juvenem, quem à vobis injurium, & violentem accepi, jam frugi, & popularem vobis restituo.*

Plutarch in vita Lycurgi

Hoc putuit Ethnicus, quid poterit, imò debebit Christianus? A te incipe, & in adversario quoque tuo id ipsum imitare. Tertiò, ut injuriarum remissio, est actus heroicæ virtutis; ita est summi meriti, ut supra ex D. Thoma attigimus, sic ut omni reatu peccatorum deleto, sine purgatorio talis rectà in cælum evolasse ac ratò competetus sit, quod fusius ostendimus, & variis exemplis comprobavimus in Luce Evang. part. 1. Dom. 21. post Pentecost. §. 3. In secundu magis mihi laborandum video, ut inimicum dilige-

diligere, injuriam remittere, vindictam sponere, homini honorificum, gloriosum, & virum nobilem maximè decere, comprobem.

Probatur à honorificum ac gloriosū esse, injurias remittere. Tiberius Romanorum Imperator, calamo felicius, quàm gladio usus, illud olim, & verè pronuntiavit: *Optimos quosque mortalium altissima cupere*, & quibusdam veluti laudis, ac gloriæ claviculis ad excelsa conniti. Id à natura nobis inditum, solertissimus morum magister tradidit: *Tacitus.* *Seneca epist. 104.* *Magnanimos nos natura produxit : & ut quibusdam animantibus ferum dedit, quibusdam subdolum, quibusdam pavidum; ita nobis gloriosum, & excelsum spiritum*; quò fit, ut pueris nativo quodam glutiæ fomite scintillæ absistant, qui adeò non sopiendi, aut restinguendi; ut ipse etiam divinus cælo Spiritus, eos vehementissimè succendi, ac inflammari desideret, sic quemque cohortando: *Eccl. 41.* *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri magni, & pretiosi.* Et Proverb. 22. sapientissimus mortalium: *Prov. 22.* *Meliùs est bonum nomen, quàm divitiæ multæ*; nam divitiæ saccis, & sarcinis abdunturi, bonum famæ in publico est; illas aut fures effodiunt, aut tinea, & ærugo demolitur; illam nemo, nisi quis sibi, auferre potest: illæ relinquendæ sunt, nomen bonum post fata superstes, & in aliorum mentibus vivit, juxta illud Horatii:

Horat.
Non totus moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam.

Hinc multi maluerunt vivere in aliorum mentibus per gloriam, quàm in corpore proprio per animam; unde Cicero pro Milone: *Cicero pro Milone.* *Ex omnibus præmiis virtutis, amplissimum est præmium* GLORIA, *quæ vitæ brevitatem, posteritatis memoriâ consolatur: quæ efficit, ut absentes adsimus, ut mortui vivamus: cujus gradibus etiam homines in cælum videntur ascendere.*

Quare & SS. Patrum autoritas, & annalium vetustas, famam vel sanguine, & vitâ conservandam, amplificandamque meritò testantur. Aristoteles imprimis Philosophorum, & Theologorum princeps Aquinas, honorem inter maxima humanis bona collocant: *Aristot. lib. 4. ethic. cap. 3. S. Thomas 2. 2. quæst. 73. art. 2.* INTER RES TEMPORALES, VIDETUR FAMA ESSE PRETIOSIOR, *per cujus defectum impeditur homo à multis benè agendis*, & ad omnia munia sua rectè obeunda, aut acquirenda, inidoneus redditur. Quid mirum, *si punctum honoris*, puncto gladii vindicent?

Qui touche mon honneur, touche mon & esse.

Nam ut ille canit:

Omnia perdideris, famam servare memento.

Ad hoc tam necessarium, tam excellens bonum honoris, & famæ tuendum, tam nobilibus sago, & togâ claris, quàm Ecclesiasticis in dignitate constitutis, & cuivis viro honesto, certa principia, & argumenta ex lege mundi, & ratione politica, exemplis Romanorum, aliorumque gentilium stabilita: tum saniora, & sanctiora ex sacris paginis, Theologis, sanctis Patribus adducam, quibus honorem suum, & famam non modò contra omnes calumnias, & injurias tueri, sed amplificare, illustrare, & omni posteritati immortalem reddere queant, posito hoc principio, quod probandum suscepi: *Virum nobilem magis decere injurias remittere, quàm vindicare.*

Primus hujus doctrinæ magister, homo gentilis, Philosophus Romanus, qui ut fuerit apperentissimum gloriæ animal, hæc verissimè tradidit: *Ille magnus*, ET NOBILIS *est, qui more magnæ feræ, latratus minutorum canum securus exaudit*; similitudinem ducit à magnanimis leonibus, & generosis equis, qui, ut indies videre est, ad minores fetas incursitantes, aut catellos oblatrantes, non respiciunt; sed sua majestate procedunt, quod veri nobilis, & magnanimi est, ut solidè convincit: *Seneca lib. 2. de ira cap. 32.* *Proprium est* MAGNITUDINIS VERÆ *non se sentire percussum: sic immanis fera ad latratum canum lentè respexit: sic irritus ingenti scopulo fluctus assultat.* *Idem lib. 3. de ira, c. 25.*

In exemplum adducit Catonem, qui per contumeliam à quodam percussus, postulanti deinde veniam percussori, *non memini*, inquit, *me percussum, meliùs putavit non agnoscere, quàm vindicare.*

Hæc Seneca in laudem & gloriam æternam magni Catonis, viri nobilissimi, qui Romani Imperii decus, tot triumphos egit, & duxit in Urbem.

Et vos de honore, & famæ æstimatione quidquam decedere creditis? imbelles vos, ac effeminatos habendos existimatis? si more nobilis, ac generosæ feræ, cujus animos laudatis, si exemplo Catonis, & documentis, ac argumentis, hujus Philosophi minus fidei, quàm leviculorum & insanorum judiciis, imò & puerorum, ac mulierculatum interpretis habeatis.

Tu, quicumque es, in puncto honoris maximè sensibilis, injuriam non levem tibi irrogari ducis, si quis te ignavum, imbellem, meticulosum, effæminatum, aut puerum dixerit; at hanc notam tu tibi ipsi, vindicādo inutis: PUSILLI HOMINIS, ET MISERI EST, REPETERE MORDENTEM, *ut mures, formicæ; ad quam si manum admoveris, ora convertunt. Imbecilla, se lædi putant, si tangantur.* Certè *non magnus animus, quem perturbat injuria*, umbratico & indomito equo, si vel setam evulseris, aut virgula percusseris, recalcitrat; hisce te similem dicere patum est, pueres, & imbelli muliercula ignavior, qui leviter lacessitus turbaris: *ut ulcerata, & ægra corpora ad ictus levissimos gemunt*, (imò & exclamant, ac vociferantur podagrici) ita MULIEBRE *maximè*, & PUERILE *vitium est.* *Vindicta somere imbellis, puerilis, muliebre vitium est. Probatur ex ethicis. Seneca l. 2. de ira c. 34. Idem lib. de ira c.*

Vis fœminam te probem? & hoc probro jure exsibileris, ab ipso Satyrico, toroque mundo?

Juvenalis Sat. 13.
- - - - - *quippe minuti*
Semper, & infirmi est animi, exiguique voluptas
ULTIO, *continuè sic collige, quod vindictâ*
Nemo magis gaudet, QUAM FÆMINA.

Quis ergò laudem in vindicta ponat? quis honori

nori suo satisfactum non arbitretur, nisi ol ciscatur: cùm juxta leges mundi, hoc Gentilis effatum sit: *Vltionis contumeliosissimum genus est, non visum dignum* (servum, puerum, fœminam, aut hominem scurram) *ex quo peteretur ultio*; nihil hosti magis contumeliosum, tibi gloriosius, quàm generoso contemptu se non vindicare de eo; quasi is nimis vilis sit, in quem excandescas, aut cholerâ tuâ indignus. Sic elusus conatu injuriam inferre volentis, ille victus est, & victor tu manes, atque ultus abunde es; nam ut idem Gentilis, in foro, & aulâ Romanâ versatus, philosophatur: *Genus ultionis est eripere ei, qui fecit, contumeliæ voluptatem. Solent dicere: miserum me puto, quod non intellexit, adeò fructus contumeliæ, in sensu, & indignatione patientis est.*

Senec. lib. 2. de ira. cap. 32.

Seneca de constantia cap. 17.

Hoc iodies usui venire coosuevit: est qui super mensam, io convivio, in foro, in plurium congressu, sarcasma, cavillum dicaci linguâ, velut jaculum in alium figit; hic, si quasi ad se non spectaret, aliò sermonem cum risu convertat, hostis sua spicula in irritum jacta, & ut in incude mallei, in percussorem regesta, tingitur, & spe, ac fructu atque voluptate vindictæ, quâ à nobili, & magnanimo destituitur, se illusum, sibi merito indignatur. Contumelia à contemptu dicta est. Exempla non è plebe, sed ex viris nobilissimis, & coronatis capitibus inducit: *Antigonus Rex, quadam nocte, cùm quosdam è militibus suis exaudisset omnia mala imprecantes Regi* (fingite hic quæ sparsa fuerunt dicteria, & maledicta in auctorem, quem ignorabant) *qui ipsos in illud iter, & inextricabile lutum deduxisset: accessit ad eos qui maximè laborabant, & cùm ignorantes à quo adjuvarentur, explicuisset; nunc inquit, maledicite Antigono, cujus vitio in has miserias incidistis; ei autem benè optate, qui vos ex hac voragine eduxit.*

Senec. ibid. cap XI.

Quis vestrûm, non ago adhuc cum Christianis, sed Macchiavelli discipulis, & mundi mancipiis, honoris ac famæ studiosis, quis unquam vestrûm, domo clausus, vicinum sibi obtrectantem audiat; aut ad ostium auscultans, ancillas ac famulos sibi audiat conviciantes, & non excandescat? nec interim attendis hoc Regibus, qui jam toti orbi Gentilibus, & Christianis in exemplum ducuntur, laudi & decori fuisse.

Virtutis quippe hæc victoria est, vindicta verò pusillanimitatis & ignaviæ.

Quis non infra se ducat, si à puero lacessitur? Infantes matrum crines vellunt, ubera & ora feriunt, sinus sordidant, in faciem spuunt, nec his mater irascitur: *Pueri os parentum feriunt: & crines matris turbavit, laceravitque infans, & sputo aspersit, &c. & nihil horum contumeliam dicimus. Quare? quia qui fecit, contemnere non potest.*

Seneca de constant. cap. 11.

Sic injuriantem ut puerum contemne; aut si lubet, ut catellum adlatrantem irretorto oculu, & celso ac sublimi animo despice, quod Davidem Regem, aliósque Christianos Principes fecisse, mox ostendemus.

Sed ethnicis adhuc principiis inhæreamus, nemo non sentit; verissimum illud Aristotelis in motalibus: *Sicut* DEBILIS EST STOMACHI, *non posse duriorem cibum concoquere, ita* HOMINIS PUSILLANIMIS *est, verbum duriusculum non posse sustinere*; at robusti, ac fortis, etiam chalybem, instar struthionis, digerere, & in substantiam regiam convertere; sic magnus ille Alexander, cùm ab illo captus Porus, Indiæ Rex, hoc unum rogaret: REGALITER *mecum age*, captivum suum percunctatus est: *Num quid ampliùs velles*? At ille scitè respondit: *In verbo* REGALITER *omnia insunt*. Si hoc regium sit, si regaliter agat, qui inimico ignoscit, injuriam remittit, in gratiam recipit, *si in verbo* REGALITER *hæc omnia insunt*, & continentur, quis adhuc nobilitati, dignitati, famæ, honori, ignobiliter se consuluisse arbitrabitur, si regaliter ignoscat? Ille non solùm nobilis, sed Rex, & verè magnus, omnium prudentum judicio habetur; ille verò, qui inani fastu turget, & instar inflati uteris intumescit, donec crepat, quorundam vanis & ventosis suggestionibus patulas aures præbens, non mihi magis magnus videtur, quàm qui aquâ intercute laborans, ingens abdomen præ se fert, & imperito vulgo magnus habetur. Iterum cõfundo tales Philosophi Romani dicto, qui solus satis est, ut Christianis ruborem incutiat: *Ne illud quidem judicandum est, aliquid iram* (aut vindictam) *ad magnitudinem animi conferre: non est enim illa magnitudo.* TUMOR EST; *nec corporibus copia vitiosi humoris incussi morbus incrementum est*, (& magnitudinem confert,) *sed pestilens tumor.*

Aristot. lib. 4. Ethic. cap. 5.

Plutarch. in apophtegm. Regum & Imper.

Seneca lib. 1. de ira. cap. ult.

Hæc à gentilibus, ex mundi legibus petita, politicis, & mundi, ac honoris sui sectatoribus sufficere possent: sed cùm ad Christianos mihi sermo sit, spero rationes divinas è sacris paginis, sanctorum Patrum testimoniis, Regum ac Principum exemplis petitas, plus ponderis habituras, ut honori vestro, juxta Dei leges, quàm optimé, & sanctissimè consulatis.

Non existimem ullum virum nobilem, ita curæ, ac cordi habere honorem suum, (levículos & stultos exceperis) quàm Rex Israël fortissimus, & gloriosissimus David, qui ad eum adipiscendum, etiam vitam cum gigante pumilio, & opilio exposuit, ut regio thoro potiretur; hic tamen jam imperio potitus, cùm Semei, vilis homo in faciē malediceret, nec verbis solùm, sed & lapidum, ac sordium jactu insultaret, & ultio esset in promptu, vindicta parata; ille magni ac nobilis animi Rex, ut 2. Regum c. 16. sacræ paginæ referunt, populo stipatus valido, & forti bellatorum manu, in regum læsæ majestatis, severiùs, (& ut passim in praxi est, calidius animadvertere non voluit, sed & Abisai, filio Sarviæ ultionem petenti, acdicenti: *Quare maledicit* CANIS HIC *mortuus, Domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput ejus*: non solùm nõ permisit ultionem, sed & sic exarsit in vindicantem: *Quid mihi, & vobis filii Sarviæ cur efficimini mihi hodie in Satan?* (execratur eum ut diabolum) *ergóne hodie interficietur vir Israël?* & ut agnoscas, honorem suum in parcendo, & miserando, non in vindicando Davidem posuisse, subdit: *An ignoro*, HODIE ME FA-

Probatur à rationibus divinis, & Christianorum Principū exemplis.

2. Reg. 16. v. 9.

2. Reg 19. v. 22.

CTUM REGEM *super Israel? & ait Rex Semei: Non morieris, juravitque ei.*

Nunc vos ulteriùs compello, qui injuriâ gravi vos, aut vestros lacessitos jactatis, & vindictam, ad honorem restaurandam, spiratis: num quis amicus ingratus, in quem summa beneficia contulistis, num propinquus, aut socer, vel gener, imò genuinus filius, plus vobis incuriæ, infamiæ, ingratitudinis, rebellionis intulit, quàm Absalon parenti, & Regi Davidi, cujus regnum, & jugulum, caput cum diademate petebat?

Et hæc quis, ut à puero gesta, contemnenda, & ignoscenda, regium arbitrabitur? Sacros Regum annales consulite: omnes injurias, machinationes, persecutiones, quas rebellis, & perduellis filius Absolon irrogarat, magnanimus Rex David, ut à puero pueriliter illata contemnit, & puerum vocitans, ac parcens, ait: *Servate mihi* PUERUM *Absolon*. Ubi Hugo Cardinalis, & Lyranus puerum compellat, *non ætate, sed parvitate sensus, & malitiâ parvulum*; quia autem fructu, & gloriâ, sic hostem ut puerum contempsit, edisserit Ambrosius: *Securus erat victoria, qui rogabat ut parcerent.* Hujus exemplo quisque vestrûm, hostem lacessentem, & persequentem, ut puerum contemnat, eique parcat, ut gloriâ, & victoriâ potiatur.

2. Reg. 18. v. 5. Hugo Car. hic. Liran. hic. Ambr. apolog. 1. pro David. cap. 6.

Absque pugna, & sanguine, sic hostem prosternere potes, solo contemptu, quia non sentis te læsum.

Quò spectat illud Tertulliani: *Idcircò quis te lædit, ut doleas: quia fructus omnis lædentis in dolore læsi est. Ergò cùm fructum eius evertis, non dolendo, ipse doleat, necesse est, amissione fructus sui.*

Tertull. de patient. cap. 8.

Quare non regerendo injuriam, contemptum irrogas, sumisque vindictam securus, & cum virtute telum retorques in jacientem, qui dolore, quo cares, aut carere te simulas, transfixus ille, suo mucrone configitur. Factum illud collaudat Mediolanensis Antistes, & suavissimus Doctor Ambrosius: *Melior itaque est, qui contemnit injuriam, quàm qui dolet, qui enim contemnit, quasi non sentiat, contemnit; qui autem dolet, quasi sentiat, torquetur, & spem injuriantis implevit unicam, itaque suggerit læso, dissimulasse remedium.*

Ambr. lib. 1. de offic. c. 6.

Sed hoc, salvo honore viri nobilis fieri posse, probandum est. Patuit in Ethnicis, injuriam non solùm contemptu, sed & hostium complexu, à summis viris, cum laude & gloria vindicatam; nunc attendite in Christianis, usque Regibus, & Principibus.

Cardinalis Baronius, illustrissimum in hoc genere Constantini Imperatoris exemplum inducit verbis Chrysostomi, qui hoc ad populum aureo ore deprædicavit: *Fertur beatus* CONSTANTINUS, *effigie suâ quandoque lapidatâ, multis ipsum instigantibus ad supplicium de auctoribus contumelia sumendum, & dicentibus, quod omnem ipsius faciem saxis convulneraverint: manu faciem palpans, ac leniter videns dixisse:* EGO VERO NUSQUAM VULNUS IN FRONTE FACTUM SENTIO, SED SANUM CAPUT, SANA VERO ET FACIES TOTA.

Baronius anno Chri. 324. n. CLVIII. Chrysost. hom 10. ad pop.

Hic actus solus, illum Magnum fecisset, nisi fuisset; atque adeò in gloriam eius cessit, ut omnium calamis, ac linguis, per omnem posteritatem deprædicetur: *Hoc etenim*, inquit Chrysostomus, *omnibus trophæis illustrius. Multas urbes ille condidit, & multos barbaros superavit, sed meminimus illorum nihil: hoc autem verbum usque in præsentem diem canitur: nec ullus est, qui hæc audiens, silere possit, quin pariter exclamet, & talia dicentem* (Imperatorem) *laudet, & innumera ipsi etiam defuncto bona precetur.* Nec tantùm apud homines famam immortalem; sed & apud Deum externos honores consecutus est, Oratore aureo testante: *Quòd si propter illud verbum, apud homines tanta est potitus gloria; quot apud benignum Deum coronas consequetur?*

Chrysost. ibid.

Hoc factum Constantini, mitissimi Imperatoris, qui ante Baptismum animo cruento erat, & truculento, Chrysostomus, aut potiùs Flavianus Episcopus in memoriam revocat Theodosii ministris, paratis ulcisci scelus Antiochenorum de statuis ejus prostratis, & conculcatis; quam gravissimam injuriam Theodosius, virtute, quam diademate clarior, motivo planè divino, generosè ignovit; oratione quippe Flaviani in lachrymas solutus, non opus " habuit verbis: sed unum solum locutus est " verbum, quod ipsum diademate multò ma- " gis ornavit. Quod autem huc? quid admi- " rabile, & magnum est, si his, qui contumeliis " affecerunt, iram remittamus hominibus exi- " stentibus, cùm & ipsi homines simus? cùm " mundi Dominus propter nos servus factus, " pro crucifixoribus suis Patrem oraverit; quid " igitur admirabile, si nos conservis ignosca- " mus? & his dictis se civibus reddidit, ac in " gratiam recepit.

Baron. cit.

Baron anno Chri. 388

Quid, quòd *ab amicis rogatus, cur neminem eorum, à quibus injuriâ affectus, capitis supplicio damnaret? Utinam*, inquit, *mihi daretur & mortuos ad vitam revocare!* Adeò ille magnanimus Princeps, facilis erat, ut beneficium se putaret accipere, cùm rogaretur ignoscere; quod in eo ad exemplum Regum, quidni & nobilium, ac plebeiorum commendat Ambrosius: *Tunc promptior erat venia, cùm fuisset commotio major iracundia. Prærogativa ignoscendi erat, indignatum fuisse: & optabatur in eo, quod in aliis timebatur ut irasceretur:* tum enim maximè sibi temperabat, & imperabat.

Ambr. in obitu Theodosii.

Nobile, & ingenuum est, miseris compati, ac clementiæ genus alieno malo succurrere; qui teneritudinis affectus etiam fœminis innatus est; sed majoris ac nobilioris animi, injurias illatas remittere. *Clementem*, inquit Philosophus, *vocabo non alieno dolore facilem, sed eum, qui cum suis stimulis exagitetur, non prosilit: qui intelligit* MAGNI ANIMI ESSE, *injurias in summa potestate pati*; NEC QUICQUAM ESSE GLORIOSIUS PRINCIPE IMPUNE LÆSO.

Seneca lib. 1. de clementia. cap. 20.

Hâc animi fortitudine, & generosâ indole excelluere innumeri viri, Principes, & coronata capita. Sigismundus Imp. quem cùm Hungariæ Palatinus ad vindictam de hoste sumendam incitaret, illud regio animo dignum protulit: *Ego inimicum occido, dum parco: & amicum facio, dum extollo.* Dum quis occisus est,

Beyerlinck apophteg. sacra. tit. hostis.

est, verè de illo dicitur: *non amplius est*. Id verum est dicere de inimico tuo, quem tibi reddidisti amicum. Sic juvat mactare: macte, beneficiis macta, & omnis inimicitia cadet victima, quia tunc tu vicisti, dum pepercisti. Hos inter censendus Rudolphus Austriacus, Alphonsus Rex Aragoniæ, Henricus IV. Rex Castellæ, Ludovicus XII. Galliæ, aliique innumeri, quibus illud Divi Ambrosii jam pridem perspectum erat: *Vindicare se, non est actus fortitudinis, sed abjectionis, & timiditatis. Vincitur ab inimico, non vincit, qui se vindicat.*

Ambros. lib. 5. offic. cap. 36.

Hoc verò principium, vindicare se, esse actum hominis abjecti, & timidi, ac prorsus imbecillis, maximè patet in leviculis, & novis istis hominibus, primæ togæ nobilibus, qui titulos, & toparchias sibi pecunia comparârunt; & ut stirps nobilitatis, nullâ progenitæ majorum arbore radicata est, facilè se de statu deturpandos, & cùm parum honoris habeant, totum levi calumniæ statu dissipandum, & ad stivam aut textrinam, unde filum duxerunt, se revocandos anxiè, & solicitè reformidant.

Probatur 3. etiam Ecclesiasticis gloriosum, injuriam remittere. Psal. 104.

Sed major cura fortè honoris, ac nominis tuendi incumbit, in Ecclesiastica dignitate cōstitutis, de quibus Deus severè cautum voluit: *Nolite tangere Christos meos*; unde & in eos injuria major meritò censeri debet; huic tamen etiam gravissimæ, quàm nobiliter, tricoronides Pōtifices, & purpurati Patres, Ecclesiæ Principes, salvo non tantum honore, sed æternâ posterorum memoriâ ignoverint, ne prolixior sim, in uno, altero ve demonstrabo.

Surius comment. rerum in orbe gestarum p. 817. In vita Pii

In *Pium*, hujus nominis V. Pontificem maximum, ac pijssimum, ediderat unus aliquis libellum famosum, & quidem vel maximè probrosum; calumniatorem ad se adduci jussit, verè Pius Pontifex; tum viam aperuit, ut parcere posset: hæc, credo, non in Pontificem, Christi Vicarium, sed in Fratrem Michaëlem Gislerium scripsisti (hoc enim nomine gaudebar, cùm adhuc essem in Familia religiosa) ita factum esse, altero annuente, dimitti jussit, monitum, abstineret exinde maledicâ linguâ, & virolento calamo.

Et ubi nunc hæ voces, non dico Pontificiæ, sed eorū, qui è stercore emerserunt, & ubi quid scientiæ, quæ inflat, hauserunt, ad ecclesiastica munia elati, parum spiritus, & multum vanitatis habentes, punctum honoris animosius, quàm ulli seculares defenduunt; qui utinam suave, ac salubre Divi Bernardi monitum attenderent, qui de modo benè vivendi cap. 40. docet, optimum modum benè vivendi supra omnes modos mundi, & aulæ sæcularis, monstratque quâ ratione vos fōrtes verè, & gloriosos probare possitis, quod in singulari certamine unicè spectatur: *Magna*, inquit, *virtus est, si non ladas à quo læsus es. Magna fortitudinis est, etiam læsus, dimittis. Magna est gloria, si de quo potuisti ulcisci parcas.*

Bernardus de modo benè vivendi. c. 40. In vita.

E purpuratorum Parrum senatu Carolus Borromæus, qui cùm ab Episcopo de Savona, per nobilem literas accepisset, quibus auctor conspirationis in caput ejus detegabatur, bajulo in-spectante, obsignatas in ignem conjecit, dicens, jam sibi sacrificandum, cui hanc hostiam immolabar. Nec reformidant homines sacrilegi odium animo foventes, & vindictam spirantes, ad sacram mensam accedere.

Ardevita mea agitur; agebatur & de vita Caroli Cardinalis, familiæ illustrissimæ Borromææ, in hunc precabundum ante Christi imaginem, cum sicarius explosisset, & irrito ictu glans ad pedes accideret, domesticis ad strepitum accurrentibus, præcepit, ne quis se palatio eriperet, & in auctorem inquireret.

Ejusmodi exempla in Pontificibus, in Cardinalibus, in Episcopis innumera suppetunt, & quibus lubet, consulant Lobbetium, virum litteratissimum, in gloria Patriarcharum, aliisque operibus Patris Joannis Rho varias virtutum historias lib. 1. c. 5. & quæ in Luce Evang. part. 1. Dom. 21. diximus.

Lobbetius gloria Patriarch. fo S. Norberti, § 4. Et festo S. Theresiæ quæst. 2. corona Martyrū.

Et quisquam adhuc inglorium duxerit, injuriam remittere, quo Imperatores, Reges, Pontifices, Cardinales gloriantur? Profectò, si hæc non evincant, divinum vos confundat testimonium, exemplum, documentum & argumentum.

Probatur 3. exemplo ipsiusmet Dei, gloriosum esse injuriam remittere. Isa. 42. 8. Cyprian. lib. de bono patientiæ.

Nemo quisquam ira studiosus honoris proprii, zelosus gloriæ suæ, sicut Deus noster, qui ut omnia nobis donarit, solam suam sibi gloriam servavit, dicens: *Gloriam meam alteri non dabo*, nec quidquam illi derractum cupit: quod expendens Carthaginiensis Doctor, & suo sanguine purpuratus Pater Cyprianus: *Nullus*, inquit, *qui magis honorem suum tuetur, quàm Deus, quique minus permittat honori suo detrahi*; *Deus autem non tantùm censet esse contra honorem, inimicis parcere, & benefacere; sed potiùs* SUPREMUM HONOREM, ET GLORIAM. Et adhuc invenire erit, hominem tantæ arrogantiæ, aut ut veriùs dicam, intolerabilis amentiæ, qui judicium suum, aut mundi, aut leviculorum aliquot, qui vitam vilem, & animam venalem habent, divino, & æternæ, ac infallibili Sapientiæ præponat? nec attendat, dum inimicum provocat ad cædem, vulnera, & ad duella properat, fulmen Varicanum vertici imminere, sepultura asini humandum, bona omnia fisco addicenda, animam ad externos cruciatus præcipitandum? si punctum honoris vos exstimulet, salubre Nysseni Antistitis monitum excip te: *Extremum* PUNCTUM VIRTUTIS (ac veri honoris) *si quis dimittat debitoribus suis.*

Greg. Nyssen. in illa verba orationis Dominicæ Dimitte nobis debita nostra.

Post hæc omnia, Gentilium & Christianorum argumenta, & documenta, satis superque cujusvis dignitatis, & conditionis sint, honori prospectum erat, *si mens non læva fuisset*, ut inimicis ignoscerent; voluit insuper æterna Patris Sapientia, ut mundi leges, & diaboli axiomata, prorsus destrueret, ad summum qui in terris, & in cælis est, honoris, & gloriæ apicem, dilectionem inimicorum extollere, dum dixit: *Diligite inimicos vestros, ut* SITIS FILII PATRIS VESTRI, *qui in cælis est*; quæ verba ruminans D. Cyprianus, ait: *Quæ enim gloria est*, UT SITIS FILII PATRIS

Probatur 4. maximè honorificum esse injuriam remittere, ex eo, quòd fiant filii Dei.

Matth. 5. v. 44. S. Cyprian. de bono patientia.

TRIS VESTRI? *Similem Deo fieri: qualis, & quanta felicitas, habere in virtutibus, quod divinis laudibus posit æquari?* Estne aliquid ultra, quo homo, honoris appetens, & gloriæ mancipium, altiùs ascendere se posse spetat, aut optat? Amando inimicum, filii non terreni Principis, aut Regis; sed filii Dei, filii *Altissimi* nominamur & sumus; quod Christus confirmare visus est Lucæ 6. *Diligite inimicos vestros, &c. & eritis filii* ALTISSIMI. Ubi notanda maximè illa *Altissimi* compellatio, qua unicè in toto Evangelio, Patrem suum hac occasione condecoravit.

Luca 6. v. 35.

Cui Angelorum, quærit Doctor Gentium, *aliquando dixit*: FILIUS MEUS ES TU? quod expendens Chrysostomus, exclamat: *qualis, putas, sit actus dilectionis inimicorum, cùm filiationis divina titulo remuneretur: Diligite ergo inimicos vestros,* UT SITIS FILII PATRIS VESTRI, *qui in cælis est.*

Hebr. 1. Chrysost. hom. 13. in cap. 5. Matth.

Sic divinæ participes, & consortes simus naturæ, Deo simillimi, ut luculento patet D. Augustini testimonio, dum hominem, hostis sui amantem, ipsi Deo conferre, non dubitavit, dicens: *Qui ergo bene vult inimico, Deo similis est*; quod illustri facto ostendo: Nuper, in-,, quit, P. Benedictus Fernandez, Ulyssiponæ ,, (in qua scribimus) in via publica unus ado-,, lescens alteri deformem inflixit alapam; læ-,, sus, gladio vindictam expetens, nocere ta-,, men haud potuit inimico: cùmque id per di-,, es, multos, gliscente irâ, moliretur, ecce tibi ,, ad oram Tagi, seu potius in littore maris, a-,, liquando deambulans, videt propè scapham, ,, quæ ab alto in urbem iniquo tempore ferc-,, batur, subitò fluctuare, atque inimicum ado-,, lescentem, à quo fuerat offensus, cum aliis ,, vectoribus in pelagus ruere præcipitem. Ac-,, currit ergò ex ripa, & miserum, quia jam se-,, mel haustus gurgite, rursus emerciat penè ,, moribundus, cervicibus apprehensum tenuit, ,, atque incolumé in arena constituit, sibi qui-,, dem gratulans, Deoq; habens gratiam, quòd ,, tam pulchram divinitùs occasionem invene-,, rit, benè merendi de inimico, vitamque illi ,, largiendi, cui mortem modis omnibus ex-,, petierat; tunc maximè, cùm facilè posset il-,, lam inferre. *O verè generosum hominis animum! sed ô verè*, exclamat auctor, *Christianum ingenium, divinoque persimile*; quo, cùm nihil majus, nec gloriosius dici, aut excogitari possit, omnia dixi.

Fernandez in Genesim c. 35 sect. 8.

Remissio injuriæ necessaria ad æternam salutem.

Denique, unicum, in quo omnia continentur, homini Christiano motivum, ut inimico ignoscat, sufficere debet, quòd hoc ita necessarium sit ad æternam salutem, ut si vitam omnem sanctissimè instituerit, Monachorum disciplinam, Anachoretarum abstinentiam, Virginum continentiam, Martyrum patientiam exsuperarit; inveteratum tamen odium animo fovens, è vivis excesserit, horrendis illis, & nũquam finiendis inferorum ignibus excarnificandus sit, res fidei, & indubitata est, nemo se palpet, aut fallat, primæ Veritatis hoc oraculum est: *Qui vindicari vult à Domino, inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit.* Et in nova lege: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Et Marci XI. vers. 25. *Quòd si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra*; quæ in rem nostram luculenter exponunt Lanuza in tract. evang. & Quadrag. Deaponte in Matth. hîc. Velasques in Philippen. c. 2. v. 15. ad quos lectorem, brevitatis causâ, remitto; hoc dico, sit quis prolixus in orationibus, in jejuniis assiduus, in eleemosynis profusus, non temulentus, non adulter, non turpis lucri cupidus, &c. ex albo tamen salvandorum, expungetur, si illatam injuriam animo fovere pergat, nec ex corde remittat. Audi hoc inculcantem, & intonantem Hipponensem Præsulem: *Qui vel unum hominem in hoc mundo odio habet, quidquid Deo operibus bonis obtulerit, totum perdet; quia non mentitur Paulus, dicens*: SI DEDERO OMNES FACULTATES MEAS, ET CORPUS MEUM UT ARDEAM; CHARITATEM AUTEM NON HABUERO, NIHIL MIHI PRODEST; sed in æternum ardebis, & in æternum à Deo, & omnibus Sanctis odio haberis: quia qui unum inimicum habet in terris, neminem amicum habiturus est in cælis. Quare illud Thomæ Mori, celeberrimi Angliæ Cancellarii attentè expende, & animo volve: quem hîc odisti, vel ille pius, probus, & justus est; aut si etiam deliquerit, facti pœnitens salvandus, téque in æternum amaturus; vel est homo impius, improbus, & sceleratus, atque in æternum damnandus, & dignas à justo Deo Judice pœnas daturus: at numquid illi tunc satis malè erit?

Eccli. cap. 28. v. 1. Matth. 6.

Aug. ser. 5 de S. Stephano.

Vis illi adhuc plura mala imprecari, & inferre? vultis ambo mali esse, & omni æternitate alter alterũ odisse, & execrari? non, non; *sed dimitte, & dimittemini*; ut invicem in æternum longè teneriori dilectione, quàm umquam mater unicum filium, amare valeatis. Dimitte itaque, ne duo mali sitis; non enim minus inhumanum, & malum est, injuriam inferre, quàm ulcisci. Quid refert, inquit Consul Romanus, *primus pecces, vel ultimus*: solùm hi tempore differunt. *Inhumanum verbum est*, ut rectè Seneca, ULTIO: *& à contumelia non differt, nisi ordine.* Cothurnato suo stylo idem confirmat Tertullianus, lib. de patient. cap. 10. *Quid refert inter provocantem & provocatum? nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur, & ille posterior: tamen uterque læsi hominis; Domino reus est.*

Luc. 6.

Petrarcha dialog. 101 Seneca lib. 22. de ira, cap. 32.

Videns itaque fatale æternæ damnationis theta in se pronuntiandum, & horrendum inferorum carcerem in æternis tormentis tolerandum, nondum salubri terrore, ut hæc evadas, commoveris, ut inimico ex animo ignoscas, & miserearis animæ tuæ, placens Deo? Terrifica, qualia in nullo propè scelere, divinæ vindictæ exempla memini, te commoveant. In hanc rem, tragicum vobis eventum enarrabo, quem S. Bernardinus suis se oculis spectasse affirmat: An. 1419. ingens hominum multitudo, studiosa visendi sacrata Christi vestigiis loca, Hierosolymam confluxerat, & in Calvariæ montem conscende-

S. Bernardin. P. Philipp. Servicus tratt. della charità fratern. pag. 89.

Infelices exitus eorum qui

inimicis ignoscere volue[-]rit.

ſcenderat, in quo Redemptor noſter è crucis cathedra verbo & exemplo, non modò nos docuit injuriam inimicis remittere, ſed & pro illis Deum deprecari. Inter cæteros, mulier aderat, in medio turbæ, quæ neſcio quo infortunio, ab adoleſcente compreſſa, & terræ illiſa fuit; quod licet hic deſtinato animo non feciſſet, ita tamen illa irâ exarſit, ut infernali furiæ, vindictam ſpiranti ſimilior, quàm mulieri videretur: quo animadverſo, adoleſcens eam acceſſit, & optimo quo potuit modo factum diluit, teſtatus ſe invito caſum accidiſſe; quod ſi putaret in eo culpam eſſe, ſe humillimè veniam rogare; ſed fruſtra tam ſubmiſſæ preces; furor & ira hujus furiæ, aures, oculoſque impleverant. Pius hic juvenis non parum afflictus, denegatam ab illa ſibi veniam, Confeſſarium convenit, caſum expoſuit; ille ſecundò ſuaſit, ut rediret: rediit, conatuſque omni ſubmiſſionis genere eam placare, flexit genua, ſingultibus, verbis, ſuſpiriis veniam oravit. Quò hic ſe magis demiſit, eò illius animus obduratus eſt amplius, quin & jurat ſe numquam delictum remiſſuram, nec movendam precibus ullius creaturæ amore. Tum hic, ſi nullius creaturæ intuitu, at ſaltèm Creatoris ignoſceret, per illius amorem te, inquit, oro, atque obteſtor, qui hoc in loco inimicis ſuis ignovit, iiſque à cæleſti Patre veniam obtinuit, illius inquam, causâ te obſecro, hoc in conventu, ut cujuſcumque à me culpæ commiſſæ obliviſcaris, ut ita conjunctis animis precaturi ad Deum accedamus, qui non alia de cauſa mortem tulit, quàm ut pacem nobis daret. Ad hæc omnia furibunda mulier: abi à me, abi ſceleſte, nec mihi deinceps de ineunda pace, aut amicitia loquere: in æternum tibi non reconciliabor. Scire vultis quantopetè hic vindictæ ſpiritus, juſto Deo diſplicuerit: diſplicuit adeò, ut peſſimam mulierem poteſtati dæmonis tradiderit, qui eam extemplò arripuit, in altum ſuſtulit, & ſpectante omni multitudine, poſtquam terque quaterque per aërem agitaverat, & in gyrum egerat, obtorto collo corpus terræ alliſit, & ad inferos ſecum infelicem animam avexit.

Sic Dominus ſervum illum nequam cruciandum tradidit, & peſſimè perdidit, qui conſervo ſuo debitum remittere noluit, de quo

Matth. 18. Matth. 18. *Iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus.* Omnibus hoc terribili monito relicto: *ſic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo* (Rex vaſallo, Dux militi, Prætor civi, Prælatus ſubdito. Dominus ſervo, conſervus conſervo) *de cordibus veſtris*; quid enim indignius, quàm quod Eccleſiaſti-

Eccli. 28. cus irriſoriè exprobrat? *Homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam*, quærit miſericordiam, quærit veniam, fruſtra profectò, utpotè cui Deus vultum obvertit, & aures clementiæ obturavit.

Pedagogo Chriſtian. Henricus magnus natione Allemanus, dict. 9 exemp. 94

Ita accidiſſe legimus viro nobili, qui nec in vitæ curſu, nec in ipſo vitæ mortiſque confinio, hoſti veniam concedere voluerat, diemque ſuum obierat: cui cum elato in templum cadavere, juſta perſolverentur, ventumque eſſet ad illud quod de more in defunctorum officio accinit ſacerdos: *Parce mihi Domine*, en derepentè oculis triſtè ſpectaculum, en auribus diræ & metuendæ nimium voces ab ipſo Chriſti crucifixi ſimulacro: hoc enim & manus clavis affixas, refixerat, & aures ſuas illis occluſerat, addens & horrendum illud: *Non pepercit, non parcam.* Hâc voce, ceu tonitru perculſi omnes, primum hærere, deinde juſta Dei vindicis judicia revereri, ac formidare: deoique rati quod erat, animam illam jam inferni tortoribus traditam, etiam cadaver, infame quondam illius domicilium, è ſacris ædibus elatum, ſepulturâ aſini damnandum judicàrunt.

Chryſolog. ſerm. 19.

Veriſſimè Chryſologus: *Improbus petitor eſt, qui quod aliis negat, ſibi poſtulat*, qui quam homo homini negat, à Deo veniam poſtulat, & miſericordiam expectat.

Franciſco Chriſtoval. en la Iornada primera. c. 17. anno 1570.

Tragœdiam ut ambæ aures tinniant, & qua terribiliorem vix me legiſſe memini, Scriptor Hiſpanus enarrat. Cum inter duos (quis credat) religioſæ Familiæ, graves inimicitiæ exortæ, & enutritæ eſſent; unus eorum lethali morbo correptus, ad extrema deductus, ſeu metu mortis imminentis, ſeu etiam facti pœnitudine ductus, adverſarium ad ſe advocavit, priuſquam Eccleſiæ Sacramentis muniretur, eique lubens, ac volens injuriam omnem remiſit, imò & amplexus eſt. Hic uterat petulanti ingenio, ad ſocium alium converſus; bonus ille vir, inquit, mori timet, ideoque dimittit. Pupigit ea vox moribundum, & eò quidem, ut veniam quam donarat, revocaret illicò, adderetque durum illud, ac diabolicum: nec tibi condono ipſe, nec à te mihi condonari volo. Dixerat, & ſtatim, quà voce, quà ſenſu omni privatus, in agoniam incidit, in qua ita ſopitus, ita merſus fuit, ut & judicio omni, & ratione deſtitutus ad extremum uſque fuerit, ſicque infelicem animam exhalârit. Fiunt ei tamen juſta de more, quibus peractis, à Religioſis omnibus menſæ accumbitur; ſed ecce, ſub hanc, funeſta ac lamentabilis umbra ingreditur, atroci vultu, rigente, horridaque comâ, oculiſque ignem ſpirantibus: tum defixo in omnes obtutu, vocem hanc, velut emiſſam è nubibus tonitru, emiſit: ob immane odium, quo vivus in terris arſi, ardeo in inferis mortuus, æternumque ardebo; ſed & ille, cujus culpâ ardeo, brevi ardebit.

Tum converſus ad illum Religioſum ſibi olim inimicum, & in morte damnationis ſuæ buſtuarium: ſat epulis datum eſt: à menſa ſurge infelix; lata quippe & in me, & in te à Deo judice ſententia, ut qui odium, & inimicitias aluimus in terris, alamus etiam in inferis, & æternum quidem.

Dixerat, & in illum adhuc menſæ inhærentem irruit, raptat, ſtringit: & dum ab hoc, & illo, quà pugnis, quà unguibus, quà etiam dentibus, ac morſibus res agitur, & fatalis lucta: derepentè ſub pedibus fatiſcente ac dehiſcente terrâ, abſorbetur uterque, atque ad inferos devolvitur, nihilque ab illis reliquum fuit, niſi intolerabilis fœtor.

Ab hoc itum ad ſepulchrum, ubi jacuerat infame cadaver, atque in eo repertum omninò nihil; exceſſerat nimirum, utpote indignum,

quod terra diutiùs tegeret, ad pœnas una cum anima sempiternas.

Resipiscite, qui tales exitus perhorrescitis, & dum tempus est, inimicis ex cordibus remittite, ut cum S. Stephano cælos apertos subire, & Jesum stantem, ad vos excipiendos videre possitis.

§. II.

Benefacite his, qui oderunt vos. Matth. 5. v. 44.

AMplius quid, & altius Magister noster præcipit, & exemplo docuit, non solùm inimicos diligere; sed & beneficiis delinire, ac prævenire: *Benefacite his, qui oderunt vos.* Ad hoc invitant nos, & vel invitos compellunt, omnia propè, quæ hac mundi machinâ continentur, creata, *ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem, exemplaque teneatur*, inquit Hieronymus.

Hieron. comment. in Matth. cap 18.

Omnes creaturæ docent benefaciendum his, qui oderunt nos.

Terra, quam calcamus, aratro proscindimus, & in quam omnes sordes, & purgamenta conjicimus, nonne à Deo edocta, ubertimos nobis fructus profert, & quò profundiùs in viscera itur, hoc liberalius auri sui venas effundit? Nonne vites, & arbores, inquit Cardinalis Bellarminus, quotannis putamus, & tondemus; & tamen sic putatæ, & truncatæ, uvas, & poma largitissimè nobis proferunt? Balsama, scisso cultris cortice, ubertim sudant, suavissimo odore se diffundunt. Arborem nucum intuere, pro symbolo vobis propositam, quam sic de gravissimis, quibus vapulat, injuriis, Poëta querentem inducit:

Bellarmin. conc. 26.

Ovid. de nuce.

Nux ego juncta viæ, cùm sim sine crimine vitæ,
A populo saxu prætereunte petor.

Nihilominus tot verberibus impetitæ, non pauciores, sed frequentiores fructus reddunt, quod de fertilissima, ac gratissima virtutum plantâ, ipso inquam D. Stephano, inter crepitantum saxorum imbrem, pro lapidantibus, fructus precum uberrimos, lachrymas, & sanguinem refundenti, aptissimè convenire, nemo quisquam diffitebitur; de quo illud meritò Divi Augustini mihi usurpare posse videor: *En arbor percussa, copiosiorem nucum segetem proferre solet.* Terra ipsa videtur non minimas injurias cælo irrogare, dum crassos, & cænosos vapores in illud eructat, iisque amabile ejus lumen, densâ, ac fœtenti nebulâ obfuscat; sed hoc non obstante, nubes illas obscuras non solùm luce sua discutere; verùm etiam in salutarem pluviam convertere, eâque terram fœcundare, ipsi oculis intuemur; quin & eisdem atris nubibus, Sol pulcherrimam sui imaginem in iride depingit, quo fruges nostras, teste Plinio, odoriferas reddat, ac tempestate pulsâ gratam terris pacem denuntiet. Hæc imitari non pigeat, dum crassiores iracundiæ vapores, & densiores vindictæ nubes ascendunt, & lumen rationis obscurare videntur, meliori radio Solis justitiæ, quo S. Stephanus illustratus, eas

Augustin. tom. 10. ser 20 in appendice.

dissipa, & in suavem pluviam lachrymarum, pro inimicis fusam, converte, ac pacem tibi, illisque redde: si calumniarum, injuriarum nebulæ, quæ splendorem nominis, ac famæ obscurarunt, in corde ascendant, charitatis luce dispelle, & in pluviam beneficam dissolve, sic facies de tenebris odii, lucem amoris splendescere; sic injurias, quas velut nubes crassissimas fraterna invidia in Josephum conglomerarat, ipse in pluviam lachrymarum, & dulcem beneficiorum imbrem resolvit; de quo Africanus Præsul: *Per singulos flebat, & irriguis lachrymis parentum colla perfundebat. Itaque odium fratrum charitatis lachrymis abluebat*; omniumque immemor injuriarum, malefacta beneficiis cumulavit, ac pacem reddidit.

Augustin. serm. 83. de temp.

Brutas animantes consulite, & pro malefactis bona facta reddere docebunt. Nonne canes aliquando vehementissimè verberamus, & ipsi statim omnium injuriarum obliti, motu caudæ nobis adblandiuntur, in collum involant, & lambunt? At vos canibus vestris longè acerbiores, nec præveniri ab aliis, nec invitati, aut offâ objectâ deliniti, in gratiam redire, nedum abblandiri, & in amplexos ruere, detrectatis. Id ipsum in aliis animantibus videre est: gallinis ova, columbis pullos perpetuò subducimus, ut etiam novis fœtibus remunerentur.

At si quis tibi, non dico ovem, sed ovum subtraxerit, an perges illi de pluribus prospicere, & non potiùs perpetuum fel, & amaritudinem fovere?

Nunc, si lubet, è terra oculos, mentemque in cælum tolle, licèt homines sub cælo perversè agant, & immania flagitia committant, eo tamen reguntur, foventur, ejusque influentiis nutriuntur. Hoc Augustinus ingenii acumine rectè observavit, dicens: *Peccant homines sub cælo, faciunt omnia mala sub cælo; cælo tamen proteguntur. Inde lux ad oculos, inde aër, inde spiritus, inde pluvia ad terram propter fructus, inde omnis misericordia à cælo.* Ecquid tu homo, sub cujus tecto, si quis vel verbo lacessit, si ancilla crudum, aut insulsum quid apparârit, si famulus calicem inverterit, aut haustum è cado tuo furtim prompserit, eum illicò domo exturbas, tectum unquam subire vetas; nedum protegere, fovere, misericordiam exhibere in animum inducis.

August. in Psal. 102. ad illa verba: secundum altitudinem à terra.

Qui sic inclementer in tuos sævis, nec tecto dignaris, indignus es, quem cælum tegat, & ut alia fortè virtute præpolleas, arcearis cæli laquearibus excluderis.

Audite, quid in hoc genere disertissimus Orator referat:

Celeberrimum Carnutensium monasterium, præclarâ non solùm observantiæ regularis, sed & sanctitatis famâ florebat; Satanas, seminator odii & discordiæ, Abbatem contra Hildebertum, virum sanctissimum, Carnutensem Episcopum concitavit, eamque ex falsis delatoribus, ac susurronibus, aversionem, & indignationem concepit, ut Episcopo per ea loca iter habenti, Abbas cœnobium hospitatnro occluserit. Vir sanctus, postquam inhumanitatem illam accepit, non capiens quomodo

Ioan. Paulus Oliva part 1. conc. 4. §. 46.

modo sub eodem tecto, tanta odia, & discordia cum tanta virtute delitesceret, zelo incensus, cœnobitis in hunc sensum scripsit: servi olim fortunati, nunc *iræ* miseranda mancipia; nihili facio, & cineres, quibus cibus vestros inspergitis, & carnes, quarū esu abstinetis: aspernor, & rideo simul nocturnas vestras vigilias, silvas, quas incolitis, lacbrymas, quas funditis, victimas, quas immolatis, honores quos respuistis, patriam quam reliquistis, patrimonia quæ vendidistis, & pœnitentiam quam summo rigore peragitis: detestor in vobis & vestium paupertatem, & morum integritatem, & operum sanctitatem, & verborum profunditatem, & cogitationum sublimitatem. Pallorem vultus abominor, squallorem tunicæ, horrorem cilicii, austeritatem silentii, cellæ angustias, clausum voto cœnobium, & perpetuum carcerem.

Dum radix odii ac discordiæ in vobis germinat, claustrum vestrum non est paradisus consitus rosis, & palmis; sed desertum, & ericetum, scatens rubis, & sentibus: non seminarium virtutum, sed vitiorum est.

Gladiatores etiam paupertatem, & nuditatem profitentur, nec suo sanguini parcunt; at communi omnium sensu habentur infames.

Quoties inter vos, ante ipsum Solem ira non occidit, toties spontanea illa tormenta; quæ ex regula vestra suscipitis, in miseram lanienam deficiunt.

Nescio, utrùm vestra nomina sint in albo Monachorum; illud scio, quòd expuncta sint ex libro prædestinatorum, & albo Sanctorum. Ipsa sanctissimi Præsulis verba attendite: *Extra est, & foris errat, cujus ira non occidit ante Solem occidentem. Ut in eo adoretur exanguis vultus, ut cor circumcisum, altius circumcisa cæsaries clamet, ut sermo censorius ei sit, & cultus incultior, extra viam est, qua ducit ad vitam. Eratis & vos foris, cùm fores vestras clausistis Episcopo Carnutensi, obliti pariter & bonum hospitalitatis, & præmium.*

S. Hildebertus epist. 71.

Si Monachis tam austerè viventibus, omne meritum perit, & Episcopo fores cœnobii claudentibus, janua cæli occludenda sit, quid sperandum iis, qui etiam domi sanctam familiam aluot, à gravioribus flagitiis abstinent, pietati vacant; sed ex animis suis post conceptas inimicitias, plures ejecerint etiam propinquos, & sanguine junctos? si quis horret cilicio, pallet jejunio, alterum verò odit, reprobus est. Forsan salvabitur, qui molliter indutus, splendidè enutritus, odium alit?

Qui in conspectu omnium est, illustrem nobis clementiæ, ac beneficentiæ suæ typum, ipsum Solem, Evangelista proponit, dum ait: *Qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & peccatores.* Augustinus expendit illud *suum*, dum dixit non *Solem* sed SUUM; *ut*, inquit, *admoneremur, quantâ liberalitate inimicis nostris ex præcepto ejus præstare debeamus, quando non creavimus, sed ex munere ejus accepimus.* Solem suum Deus oriri facit, & pluviam immittit in campos, in segetes, in pecora eorum, quos scit peccatores, & homines sceleratos, de facto ipsum lacessentes, fornicantes, furantes, blasphemantes; & iis ipsis beneficiis, quæ ex agris, & pecoribus recipiunt, illum oppugnantes. Tamen benignissimus Sol justitiæ, tot injuriis impetitus, tot calumniis obscuratus, pergit radios lucis suæ diffundere, & illuminat omnem hominem: pergit ignem immensæ charitatis per innumera beneficia in quantumvis sceleratos immittere, ut non sit, qui se abscondat à calore ejus. Hæc sacro stupore attonitus, attentiùs contemplatus Bernardus, exclamat: *Profectò misericordia Dei est, quòd non sumus consumpti nos;* Qui nos; (dicant, ad quos hæc verba spectant, peccatores) *nos perjuri, nos adulteri, nos homicidæ, nos raptores, purgamenta utique mundi hujus. Consulite conscientias vestras, & videbitis: quia* UBI ABUNDAT DELICTUM, SUPERABUNDAT ET GRATIA.

Matth. 5. v. 45.

Augustin. tom. 4. lib. 1 de sermone Domini in monte, cap. 23. in fin.

Bern. ser. de nativit. B. Virg.

Nec hoc satis. Qui Solem suum tibi lucere facit, qui pluviam in agros tuos immittit, qui proprium filium dedit pro peccatoribus, servat tibi seipsum, si inimicos dilexeris. Sic sentit Augustinus: *Qui* ETIAM MALIS PRÆSTAT SOLEM, *præstat pluviam, præstat fructus, fontes, vitam, salutem; servat tibi aliquid, quod non dat nisi tibi: quid est autem, quod tibi servat, nisi se?* habebis quod tibi servet, si quod mandavit, observes.

August. in Psal. 32.

Argumentum hoc ad mores scitè prosequitur Bellarminus, & sic quemque compellat: "Nunc Deum offendimus quotidie, omni genere flagitiorum; & tamen *Solem suum oriri facit super bonos & malos.* Certè, si Deus cum suis servis jure belli (& spiritu vindictæ) agere vellet, sicut & nos cum conservis agimus, statim ad primum flagitium, omnia elementa, operam & obsequium suum nobis negarent, terra non sustineret, Sol non illustraret, ignis non calefaceret, aër spirabilem se non præberet, quin & meritò armaret omnem creaturam ad ultionem inimicorum; at verò Deus, *cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus*, non sic se gerit, sed benefacit iis, qui oderunt. Quare dum hunc Solem misericordiæ increatum, dum etiam creatum mentis oculis attentiùs considerans, SOL *non occidat super iracundiam vestram*, sed quamprimùm frænetur; ubi Ambrosius nequidem occasum monet expectandum: *Ne retineatur in pectore; sed die ortâ,* (aut nocte præteritâ) *cum die occidat.* Idem inculcat Hieronymus: *Levene malum dixeris, irâ tanta scelera debacchari, quanta tota vita tua non possis lachrymis expiare?* Solis, quem super te oriri facit, Deus imaginem proponit, non ut illius luce iracundiam tuam metiaris, & diem integrum foveas; sed ut eum testem vel primo mane habeas beneficentiæ in te. Quid de illis futurum, qui non ad unius diei occasum, sed ad menses, & annos occiduos, odia animo fovent? *Quid agemus nos,* inquit idem Doctor, *in die judicii, super quorum iram non unus dies, sed tantorum annorum Sol testis occubuit?* Denique tota rerum universitas, exemplo suo ostendit, Deum etiam tam in probos, quàm improbos, tam justos quàm injustos, beneficum esse; quod vel ipsi gentiles

Bellarmin. con. 16.

Ad Ephes. 4. v. 26.

Ambr. hic

Hieron. ib.

Hieron. epist. 16. ad Castorinā materteram.

les observarunt; quos inter Seneca lib. 4. de benef. c. 18. *Frumentum publicum tam fur, quàm perjurus, & adulter accipiunt, & sine delectu morum, quisquis civis est. Cùm aliquid est, quod tamquam civi, non tamquam bono datur, ex æquo boni ac mali ferunt. Deus quoque quædam in universum humano generi dedit, à quibus excluditur nemo: nec enim poterat fieri* (agit ex natura rei) *ut ventus bonis viris secundus esset, contrarius malis: nec poterat lex casuris imbribus dici, ne in malorum, improborumque rura defluerent. Quædam in medio ponuntur. Tam mali, quàm boni conduntur urbes. Medicina & sceleratis opem ministrat, compositiones remediorum salutarium nemo suppressit, ne sanarentur indigni. In his, quæ promiscuè turbam admittunt, multum refert, utrùm aliquem non excludas, an eligas*; quod inter manifesta inimicitiæ signa D. Thomas statuit: nullis communibus fructibus universalis dilectionis, ac pertinentibus ad omnes, frustrandus est inimicus.

Seneca lib. 4. de benef. c. 28.

His edocti Principes Romani, ac Græci, non in amicos duntaxat, sed & inimicos; non in probos, sed & in sceleratos, se beneficos præbuêre, & illud Christi: *Benefacite his, qui oderunt vos*, solâ lege naturæ ducti, expleverunt. Sic Augustum Cæsarem fecisse legimus.

Matth. 5.

Cinna, vir Senatorii ordinis, cùm insidias Augusto strueret, necemque moliretur, atque ipse sese vindicare constituisset, egregium hoc lectissima uxor Livia monitum dedit: *Fac, quod medici solent, qui ubi usitata remedia non procedunt, tentant contraria. Severitate nihil adhuc profecisti, &c. tenta quomodo tibi cedat clementia: ignosce Lucio Cinnæ, deprehensus est: jam nocere tibi non potest: prodesse famæ tuæ potest.* Cui bonus Princeps lubens obsecutus est; Cinnam accersivit, eumque criminis convictum, sic pro supplicio affatus est: *Vitam tibi, Cinna, iterum do, priùs hosti, nunc insidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat, contendamus, utrùm ego meliore fide, vitam tibi dederim, an tu debeas.* Subjicit Seneca: *Post hæc detulit ultrò consulatum, questus quod non auderet petere.* Quid inde? *amicissimum, fidelissimumque habuit, hæres solus fuit illi: nullis ampliùs insidiis ab ullo petitus.* Tu verò longè inferiora passus, levi beneficio, aut obsequio, ceu offa objectâ, delinire detrectas, sed irasceris *catenario cani: & hic cùm multum latravit, objecto cibo mansuescit.* Sic Vespasianus monitus, ut ab insidiis Metii caveret, eum Consulem fecit, dicens: *Erit memor aliquando tanti beneficii.* Si hæc Ethnici, cui difficile erit exequi illud Pauli, à Salomone petitum: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci à malo; sed vince in bono malum.* Quid hoc: *Carbones congeres super caput ejus?* Solertet in rem nostram Augustinus: hoc cùm possit dupliciter intelligi, uno modo ad nocendum, altero ad favendum: *Ad beneficentiam se potiùs charitas revocet, ut intelligas carbones ignis esse urentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur ejus, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo ejus miseria subvenitur*; quod fit, dum inimicus beneficiis constrictus, atque obrutus, amoris jam ac charitatis igne, velut carbonibus ignitis in caput ejus congestis inflammatus ad pœnitentiam flectitur. In eundem sensum Hieronymus: *Carbones ignis congregabis super caput ejus, ut superatus beneficiis, excoctus fervore charitatis, INIMICUS esse desistat.*

Seneca lib. 2. de clementia, cap. 9.

Seneca lib. 3. de ira, cap. 37.

Prov. 25. v. 21. Rom. 12. v. 20.

Augustin. de doctr. christiana cap. 16.

Hieron. lib. 1. ad Pelagianos cap. 9.

Sic Saul efferato in Davidem animo, ubi illum vitæ suæ pepercisse animadvertit, tam longè fuit, ut eum ad necem quæreret, *ut fervore charitatis excoctus*, impensè eum laudarit, & filium compellarit: *Numquid vox hæc tua est, fili mi David? & levavit Saul vocem suam, & flevit: dixitque ad David: Iustior tu es, quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala*; posthæc non malefaciam tibi, fili mi. Quam Davidis clementiam, Chrysostomus aureo sermone in cælum extollit, ut apud illum videre est.

1. Reg. 24. v. 17.

Chrysost. de David. & Saule.

Unus mihi S. Stephanus instar omnium est. Accipe, quæ de illo Cardinalis Baronius ex Severo, Majoricæ Insulæ Episcopu narrat, illatis Magonam, (urbs est Majoricæ,) D. Stephani reliquiis, Judæos omnes, numero quingentos quadraginta, ad Christi fidem derepentè conversos. Occasio tam subitæ, tamque stupendæ conversionis fuit, D. Stephani jam etiam cælis recepti in perfidos Judæos, benignitas & beneficentia: hi etenim, ut Sancti reliquias importari viderunt, iisdem, quibus olim majores animis, eodem furore, impetuque ad saxa convolarunt, & quà sacras Stephani exuvias, quà etiam Christianos illis succolantes, aut venerationis ergò comitantes, impetere cœperunt. Sed ô divi Stephani, etiam post fata, in suos hostes superstes charitas! & insolens ad mentes reverberandas prodigium! innoxia in hos, & illos cecidêre saxa; quin & synagoga eorum exarsit: ignem charitatis unà tam validè animis Judæorum immittens, ut derepentè in alios mutati sint; quod amantis, & miserentis, & carbones super capita eorum congerentis fuit.

Baronius a. 418.

Quòd si omnibus argumentis, & exemplis, obdurati odiis animi non moveantur, qui petras disrupit, saxea eorum corda diffundat, & emolliat. Charitatem suam, & viscera misericordiæ suæ, Redemptor noster *Iesus*, filius Altissimi in ultima, & patheticæ vitæ suæ scena, idque *in nocte illa*, toti orbi manifestavit. *In nocte illa*, qua proditoribus, apostatis, perjuris, persecutoribus, & traditoribus non solùm ignovit, dilexit, signa amicitiæ exhibuit, sed ad primas Ecclesiæ suæ cathedras, & dignitates promovit. Nulla major injuria, nullum enormius dedecus Christo, benignissimo magistro inferri poterat, quàm ut è schola mitis, humilisque magistri, unus infamis proditor, & inferendæ sacrilegæ necis auctor, discipulus, atque è tam sacro Collegio Apostolorum, execrandus apostata inveniretur. Confer, si lubet, omnia, quæ tibi ab homine homini, vel ingesta opprobria, vel tuis intentata, atque ea, si cum iis, quæ dicturus sum de Filio Dei, conferantur, facilè conticesces, & consilio acquiesces. Queritur per Prophetam, & meritò apud Patrem, quasi parum fuerit Luciferum cum sequacibus suis à vero Numine apostatasse; nisi è meis, qui me prodat, & truculentæ tragœdiæ prologum, & antesignanum agat,

Psal. 3.

agat, in arenam prodeat: *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me?* Ubi Augustinus:

Augustin. ibi.

Tam scilicet multiplicati sunt, ut etiam de numero discipulorum non defuerit, qui numero accesserit persequentium.

At qua fronte, quo animo, quo exteriori signo, hoc palmare facinus, omnisque machinationis pessimæ architectum excepit? Ad ejus pedes se abjecit, pedes lavit, fovit, blandè manibus pressit, lachrymis rigavit, & oscula fixit. Lotum mensæ suæ adhibuit, sua carne, & sanguine saginavit; exclamat attonitus Chrysostomus, *quis pastor oves proprio pascit cruore?*

Chrysost. hom 83. in Matth.

Majora hîc patrantur miracula, dum Christus pastor animarum, suo sanctissimo corpore pascit lupum, aut, ut veriùs dicam, diabolum incarnatum, (in quem Satanas intraverat) ut si fortè scelus meditantem, amabili bolo, lethale virus evomere cogeret. Nec sic in apertum facinus protumpentem, odio, aut diris insectatus est; sed amicè compellans, complexu, & pacis, ac amoris osculo dignatus est: *Pacem*, inquit Augustinus, *Christus intelligitur exhibuisse traditori suo, quamvis ille tam scelerata cogitationis interno bello vastaretur.*

August. in Psal. 3.

Hoc ineffabilis charitatis signum, in Magdalenæ frontenon imprimitur, quæ in pedes Salvatoris nardum effudit: nec Petto conceditur, qui tam sublimia de verbi divinitate prolocutus est: nec Joanni legitur osculum datum, qui in sinu requievit; hæc felicitas Judæ, capitali hosti reservata est; inimicos enim legifer noster Christus, teneriori, ac fortiori affectu, quàm amicos diligit; unde Cyprianus serm 3. de pass. *Non mirandum, quod circa odientes talis extiterit, qui Iudam potuit usque ad extremum longâ patientiâ sustinere: cibum cum inimico sumere, hostem domesticum scire, nec palam ostendere, traditori osculum non negare.*

Cyprian. serm. 3. de passione.

Quid vos verbo læsi, per viam non salutati, in convivio non prius haustu dignati, non satis honorato loco collocati, &c. perpetuas animo fovetis inimicitias, fores occluditis, mensa arcetis; non dico osculo, aut submissione ad pedes provoluti dignamini; sed diris ac diabolis devovetis. Non sic Magister noster verbo & opere docuit. Vultis id pluribus comprobari: post Judam nemo in collegio Apostolorum fraudulentus, & perjurus extitit, quàm Petrus; huic tamen Christus redivivus, primò omnium Apostolorum apparuit: *Visus est Cephæ, & post hoc undecim*; non alia de causa, nisi quod post tam enormem lapsum, omnis se injuriæ immemorem, singulari amoris testimonio ostenderet; ita sentit Chrysostomus in locum Pauli: *Cum hujus se discipulum negasset, quò minus rejectum se putaret, præ cæteris hunc conspectu dignatur.* Quid, quod Petro præ cæteris, summam, quæ in orbe est, dignitatem Pontificatus contulit. Nec dicatis, Petrum luxisse; dum munia distribuenda sunt, quidam è Christianis inimico supplici, ac pœnitenti, injurias quidem remittet, sed ad dignitates non assumet. Ecce Paulum infensissimum Christi nomini, gloriæ, & doctrinæ, cujus conabatur evellere, atque evertere domum, Ecclesiam, famam, barbarâ crudelitate incensus: *Spirans minarum, & cædis in discipulos Domini*; nihilominus, cùm diram stragem immanis ederet, cùm summa rabie fureret, eum Christus in militiam suam invitat, illi damna, & injurias condonat, confert titulum, & prærogativam Apostoli; atque adeò, exceptâ pontificia jurisdictione, quæ penes unum esse debebat, eum Petto adæquat miraculis, gloriâ & doctrinâ, ambos constituens discipulorum sibi charissimos; quod solerter observans sanctus Bernardus, Dei in peccatores, tantæ majestatis in inimicos clementiam, benevolentiam commendat: *Fortè, inquit, peccasti in sæculo? numquid amplius Paulo? quod si in ipsa Religione, numquid plus Petro? Attamen illi non modò salutem, sed & sanctitatem consecuti sunt: etiam & salutis ministerium, & magisterium adepti sunt sanctitatis.* Nec electio hic, aut promotio quondam hostium, obfuit eligenti: Jesus enim non habuit, qui se diligeret ardentiorem Petto; nec qui magis quàm Paulus suum nomen, honorem, doctrinam, cultum, ac venerationem propagaret; unde concludit Bernardus: *Viri isti nec sibi vixere, nec sibi mortui sunt*; sed ei, qui pro ipsis mortuus. Ex quo morale illud documentum hauriendum est, non eorum causas in curia rejiciendas, aut sinistro theta abjudicandas, quibus infensi sumus: non eos ab officio tam sæculari, quàm ecclesiastico excludendos, qui sæpè ad hoc peridonei sunt, quia tibi, aut tuis fortè aliquid injuriæ, aut certè minus benevolentiæ attulerint, cùm lex Christi manifesta sit: *Benefacite his qui oderunt vos.*

1. Cor. 15.

Chrysost. hom 37. in 1. Cor. 14.

Act. 9. 1.

Bern ser. 3. in festo SS Petri & Pauli.

Quomodo quis juxta cõscientiam se gerere debet cũ inimico.

Sed cùm hæc materia in praxi usitatissima sit, quomodo quis teneatur juxta conscientiam se gerere cum inimico, quæve benevolentiæ signa, & quando exhibere, unde plerisque scrupulus hæret; pauca quæ hac super re Theologi censuerunt, exponemus.

Castropalao de charitate, tract. 6. disput. 1. puncto 6. S. Thom. 2. 2. q 25. art 8

Certum est secundùm fidem, ut doctè Castropalao, te obligatum esse tam jure naturæ, quàm divino, peccatores & inimicos diligere, non in quantum inimici & peccatores; hoc enim esset te obligare, ad amandum culpam & offensam (uti nec mater amat prolem ægram, quà ægram) *sed in quantum homines*, tibi proximi sunt, *& beatitudinis capaces*; idque sic probat Doctor Angelicus: *Cùm ex charitate diligatur proximus propter Deum, quantò aliquis magis diligit Deum, tantò etiam magis ad proximorum dilectionem ostendit, nullâ inimicitiâ impediente. Sicut, si aliquis multum diligeret hominem, amore ipsius, filios ejus* (aut uxorem) *amaret, etiam inimicos sibi.* Patet conclusio ex illo Lucæ 6. ubi loquens Christus de dilectione inimicorum dixit: *Prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* & Matth. 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, &c.*

Hæc autem dilectio in eo sita est, ut sub peccato mortali teneat non odisse inimicum positivè, odio inimicitiæ, vel abominationis; sed odium ex animo deponendum.

Coninck. de charitate disput. 24 art. 8. Castropalao. cit.

Hinc sequitur primò, te non posse peccatori, aut inimico velle malum aliquod, quà malum illius est: quia hoc est intrinsecè malum, & nullâ ratione honestari potest. Sancti verò, qui peccatoribus mala imprecati sunt, illa & non ut illis mala, sed ut supra diximus, vel ad correctionem ipsorum, vel ad exemplum aliorum, vel alio bono fine, & sancto zelo, illis exoptarunt.

Sequitur 2. quemque teneri injurianti remittere ex corde offensam, etiamsi non petat; hoc est, obligatum te esse abstinere â volitione vindictæ, quà malum injuriantis est. Videtur de fide ex illo Matth. 18. Ubi Christus minatur tradendos esse tortoribus, qui ex corde injurias acceptas non remiserint.

Addendum, te non solum obligatum, ex corde remittere; sed ita circa inimicum te gerere, ut neque ipsi, neque aliis præbeas fundamentum suspicandi, rancorem & inimicitiam te habere, vindictam spirare, atque adeo aliis scandalo esse. Sed quæstio est, quid facere debeatis, ne quis fundamentum habeat suspicandi, te odio prosequi inimicum? Cui ut generatim, responderi non possit, certi quidam, & obvii casus rem elucidabunt.

S. Thomas 22. q. 25. art. 8. Coninck. cit.

1. Docet S. Thomas, non esse necesse speciali motu dilectionis moveri erga inimicum, quo illum in particulari diligamus, quia nec alios tenemur in particulari diligere.

Quod externam dilectionem spectat, illa in necessitate exhibenda est.

2. Ex genere suo est peccatum mortale, inimicum, quia inimicus est, excludere à generali affectu, vel beneficiis, auxiliis, quibus cæteros homines, aut communitatem prosequimur. Sic peccat mortaliter, qui orat pro salute alicujus communitatis, v.g. civitatis obsessæ, inimicum excludendo. Vel si quis eleemosynam dat pauperibus alicujus communitatis, aut Religiosis, inimicum excipiendo: vel si multos nominatim salutans, de industria inimicum inter eos existentem omittat: quia talis exceptio, est moraliter actus odii, & apertum signum, & alterius odium graviter excitans, & provocans. Sic porrò S. Thomas: *Sunt quædam signa vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi: puta, cùm aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo: aut cùm aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati:* (mittit panem, aut vinum pro omnibus Religiosis, uno cui infensus, nominatim excluso) *& talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere, est de necessitate præcepti; si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ, contra id quod dicitur Levit. 19. non quæres ultionem, & non eris memor injuriæ civium tuorum.*

S. Thom 22 q. 25. art. 9.

3. Quod salutationem spectat, docent Theologi, nos non teneri absolutè occurentem inimicum salutare, aut alloqui, quia per se omissio salutationis non est signum odii, cùm debita non est: non enim omnes qui occurrunt, salutare tenemur. At licet per se non sit signum odii, aliquando tamen potest esse, cùm inimicitia est publica, & ante inimicitiam, solitus fueris occurentem salutare; quæ ut Confessarius sæpè præcipere prudenter non potest, efficaciter tamen suadere & adhortari potest.

4. Tenemur multis casibus inimico ostendere particularia signa benevolentiæ: v.g. quando inimicus petit veniam: tunc enim tenemur non tantum ex corde; sed & externo aliquo signo ostendere nos offensam remittere: quia id omittere, esset signum evidens odii; Superiores tamen, & parentes, remissionem differre, & animum offensum ostendere possunt, ut subditus gravitatem culpæ apprehendat, & fugiat; sicut fecit David cum Absolone, cui diu suum conspectum distulit. Cavendum tamen, ut benè Coninck, ne videatur facere ex odio, & ne subditus nimis exasperetur. Verùm in hac significatione amicitiæ, non comprehenditur remissio satisfactionis debitæ, pro injuria, vel damno illato; sed vide ne ex spiritu vindictæ, & non ex ratione summum exigas. Alterum signum benevolentiæ quod ostendere tenemur est, quando parvo meo incommodo, possum notabile ipsius animæ, corporis, aut fortunarum damnum avertere. Ita jubemur Exodi 23. levare asinum inimici jacentem sub onere; & Prov. 25. esurientem amicum cibare: aut si videris incendium inchoare, & facilè restinguere queas, &c.

Coninck. ubique supra cit.

Tertius casus est, quando per illa signa, multum promovendum esset bonum spirituale proximi, ut si eum comitem compellando, vel ad mensam invitando, crederem me posse, ab odio in me perpetuo, pessimorum consortio, aut ab infidelitate avertere; quia *unicuique mandavit Deus de proximo suo.*

Superest decidendum, an offendens obligatus sit semper veniam petere, aut satisfactionem competentem exhibere, adeò ut absolvi nequeat, nisi id præstet.

Respondet Castropalao, ab iis sæpe excusari offendentem, ideoque absolvi posse. Primò, quando alter intulit graviorem injuriam, vel præsumpsit sibi illatæ non satisfacturum. 2. Si læsus non sit contentus satisfactione, prudentis arbitrii competente; sed exigat immoderatam, vel ut modo infami petat veniam; quia ante sententiam Judicis, ad hæc tam ardua, & difficilia nullus tenetur.

Castropalao. cit.

3. Si expensis circumstantiis, censeatur læsus satisfactionem remisisse, aut de illa parum curare, quod fieri intelligitur, si non exigat, cùm facilè possit, vel cum lædente amicabiliter agat, ac si nullam injuriam accepisset.

Extra hos, & similes casus, si ostendens nolit veniam petere, aut satisfactionem competentem exhibere, absolvi non debet, quia non potest esse contritus, cùm nolit obligationi debitæ satisfacere, ut Sylvester; Coninck, aliique.

Quæ hactenus dicta sunt, & Confessariis serviunt, probantque non semper teneri quempiam veniam petere, tamen Christianum esse; & ad hoc divini verbi præcones, exemplo Christi, ac sanctorum auditures adhortari debere, rationes, & argumenta supra allata, satis superque ostendunt.

§. III.

§. III.

ORATE *pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Matt. 5. vers. 44.

NOvum genus pugnandi, insolens modus vincendi in sacris Regum annalibus nobis proponitur. Puer cum Gigante, inermis cum armato, David cum Goliatho in arenam descendit, & singulari duello decertat. Carneam illam molem, ut Chrysost. loquitur, sternit, & suo ipsius proprio gladio obtruncat. Induerat Davidem Saul armis suis, galeâ, loricâ, gladio, sed mitis & mansuetus David, non poterat sic incedere; quare rejectis armis, baculo pastoritio, & funda, collectisque quinque lapillis, quos in peram misit, instructus, congreditur; cui insultans Philisteus: *Numquid ego canis sum,* inquit, *quod tu venis ad me cum baculo:* sed David his tam levibus armis accinctus, virtute ex alto ita roboratus est, ut his vicerit, qui armis Saulis nullatenus vicisset. Hoc stratagemate contra inimicos nostros pugnandum est. Mundus quidem Saulis instar, suadet loricâ, galeâ, & gladio procedendum ad inimicum obterendum; at longè alia Pater cælestis, & dux noster Christus arma hosti minimè formidanda, & maximè admiranda præscribit, quibus vincamus: *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* His instructus armis, processit hodie Stephanus contra phalanges Judæorum: quinque enim hisce verbis: *Ne statuas illis hoc peccatum,* velut totidem lapillis, pugnavit contra lapidatores suos, & præter innumeros alios, ut Oecumenius notavit, ferit eorum antesignanũ Paulum, (qui omnium manibus lapidabat) dum sua oratione, ex Saulo fecit Paulum, postea cõvertendum: *si enim,* magno teste Augustino, STEPHANUS *non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Sed ideo erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus.*

Lib. 1. Reg. 17. — *Matth. 5. v. 44.* — *Act. 7.* — *August. serm. 16. de Sanctis.*

His orationis armis ad inimicos debellandos, & subjugandos, ac Christo sibique lucrandos, nobis opus est quodque in Judæis lapidãtibus Stephanum, exoptat Gregorius Nyssenus, utinam in nobis exprimamus! *Cognoscant,* inquit, *Judæi arma Christianorum, quibus injuriam ulciscendo magnus Stephanus usus, sui facti exemplo, legem vitæ sanxit,* dum pro lapidantibus oravit; his nos armis induendi sumus. Ac primò quidem Doctor Angelicus tradit: *Eodem modo quo tenemur diligere inimicos, tenemur pro inimicis orare;* quod ab omnibus servari potest, nec excusationi locus est.

Greg. Nyss. orat. de S. Stephano — *S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 8.*

Aliquis lacessitus se demittere non vult, non prævenire, non priùs salutare, non invitare, non munuscula missitare, nec etiam potest (si pauper) inimico cibum aut potum dare; sed nulli facultas, aut eleëmosyna defuerit, quo minus possit orare. Innuisse hoc videtur S. Eligius Noviomensis Episcopus: *duo medicamenta sunt, de quibus Deus dixit:* DATE ET DABITUR VOBIS. *Dimitte* ET DIMITTETUR VOBIS; de quibus sic discurrit: *Date & dabitur vobis, pertinet ad eleemosynam, quæ datur esurientibus, nudis, & captivis. Dimittite, & dimittetur vobis, pertinet ad aliam* (longè præstantiorem, & quæ in omnium manu est) ELEEMOSYNAM, *per quam indulgetur omnibus inimicis.* Unde concludit, si eleëmosyna extinguit peccatum, preces etiam à pauperculo, & mendicante religioso pro inimicis fusas, multò potentiores esse, ut delicta extinguant, & judicem sibi propitium reddant; sic enim ait: *Satis delicate nobiscum agitur, quando in potestate nostra datur, qualiter judicemur in die judicii.*

S. Eligius. hom. 8. in cœna Dom. — *Ibid.*

Sunt qui dicant, quoties inimicum video, totis ossibus tremo, aversionem naturalem sentio, animum ejus à me aversum scio, dicteria, & calumnias in me, & meos audio, quid faciam, faciam mensam adire non audeo; scire vis quid facias, & omnibus illis scrupulis occurras? orationem in eleëmosynam pro eo funde, & abundè satisfecisti; hoc enim ostendis te nil illi mali velle, sed omne bonum prædicari, ut ille tibi, ac Deo reconciliatus, de eadem mensa Domini participet. Ad quod hortatur Chrysostomus: *Læsit te quispiam, aut contumelia insectatus est,* DEUM PRECARE, *ut mox illi reconcilietur, & parcat: frater enim est, tuum est membrum: simul quo tu partu genitus:* AD EANDEM VOCATUS EST MENSAM.

Chrysost. serm. de laude Dei.

Quis autem fructus ex oratione pro inimicis redundet, patet in oratione Stephani, quam sic ardentissimè instituit, & nobis modum rectè precandi reliquit: *certè ego patior, Domine, ego lapidor: in me sæviunt; sed ne statuas illis hoc peccatum: quia ut hoc dicam tibi, à te primò audivi. Ego servus tuus patior; sed multum interest inter te & me. Tu Dominus, ego servus: tu verbum, ego auditor verbi: tu Magister, ego discipulus: tu Creator, ego creatura: tu Deus, ego homo: multum interest inter peccatum ipsorum, qui lapidant me, & illorum, qui crucifixerunt te: Quando ergò dixisti: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, pro magno peccato petiisti, & me pro minimo petere docuisti.* Quid autem petiit? EGO PATIOR IN CARNE, ILLI NON PEREANT IN MENTE.

Quis fructus ex oratione pro inimicis exiit. — *August. serm. 16. de Sanctis.*

Nosti quo fructu hanc ardentissimam orationem fuderit? plurimos lapidantium, & in Paulo totum mundum lucratus est. Vis & tu lucrari fratrem tuum, orationem Stephani usurpa, & dic: *Ego patior* in famâ, in bonis, &c. *Ego servus* (ego ancilla tua) *patior; sed multum interest inter te, & me.* Hæc expende, & tandem exclamabis: *Ego patior in carne, illi non pereant in mente,* ego patior temporaliter, illi non pereant æternaliter.

1. Fructus conversio inimicorum.

Hinc nullæ Deo gratiores preces, nec ad quidvis impetrandum potentiores offerri possunt, quàm pro inimicis ardenter fusæ; etsi quis millies pro se psalterium, & corollas Marianas persolvat, & mille cereos accendat: uxor pro incolumitate mariti, pater pro salute unigeniti filii deprecetur.

Oratio pro inimicis Deo gratissima & efficacissima.

Hoc porrò, quantoperè Deo placeat, quamque avidis auribus orationes pro inimicis excipiat, sancta Agnes Divam Brigittam edocuit, dicens: *Nihil est pulchrius, aut acceptius Deo, quàm laedentem se diligere, & pro persequentibus orare*; quin & Pater cælestis hoc disertè sanctæ Catharinæ Senensi significavit: *In persecutionibus, quas amici mei sustinent à servis mundi, dum pro eis offerunt in conspectu meo continuas, & humiles orationes, mihi resultat laus, & gloria.* Ex quibus pater, has preces Deo gratissimas, sed & potentissimas; testatur illud Chrysostomi: *Si pro inimicis oraveris, licet pro te nihil dicas, omnia impetrabis.*

Lib. 4 Revelat. c. 124.

Dialog. 80 in fine.

Chrysost. hom. 79. ad popul.

Plus dico, orare pro inimicis, sacrificium tam acceptum est Deo, ut martyrio comparetur, & sanctus Gregorius Nazianzi Antistes martyrio *Stephani* præferre non dubitarit, qui plus commendat, & extollit preces ab eo pro lapidantibus, quàm sanguinem pro fide fusum. STEPHANUS, inquit, *cum lapidaretur*, ORABAT; *majus aliquid morte offerens Christo, offerens nempe longanimitatem*, offerens omnes suos cruciatus, vitam, & sanguinem, ut & ipsi salvi fiant. Talis oratio, exemplo Stephani, novi in Anglia Apostoli, *Thomæ Garneti*. Rapturi jam jam spiritum erant Thomæ, Anglicani carnifices, quum ille alas charitatis, ut evolaret, explicavit, dum sic ex fatali suggestu ad circumfusam multitudinem peroravit: *Transfuga Rhous me prodidit; parcat illi Deus. Satelles Groffius mihi manus injecit; parcat illi Deus. Episcopus Londinensis me in carcerem abripi jussit; parcat illi Deus. Dominus Guilielmus, turris præfectus magnoperè institit, ut addicerer, parcat illi Deus. Eques Heuricus Montacutus, Advocatus Regius multa contra me commentus est; parcat illi Deus.* Addidit denique preces pro Rege ardentissimas. O voces! ô preces Deo gratissimas! *majus aliquid offerens* Christo, pro inimicis, quorum omnium nomina & machinamenta noverat, orando, quàm vitam, & animam dando.

Inimicis ignoscere, martyrio comparatur.

Greg. Nazian. orat. 19. de S. Stephano.

P. Ioan. Rhovaria virtut. hist. lib. 1 c. 5 nostra. § 8

Hoc martyrii præmium vobis omnibus propositum, hæc palma in omnium manibus est! Habet hoc martyrium ut si quis innumeris, usque gravissimis sceleribus obstrictus, aut etiam pro venialibus ad diem judicii purgatorii flammis expiandus sit, rectà ad cælum evolet, *sic ut injuriam faciat martyri, qui orat pro martyre*; non meo sed sanctorum Patrum nixus suffragio idem ausim de eo, qui orat pro inimicis, pronuntiare. Chrysostomus cumprimis hom. 3. de David & Saule: *Ea res pro martyrio imputabitur, si insidias molientem, inter benè meritos numeraveris*, NON DESINENS ORARE PRO ILLO DEUM, OBSECRANDO, UT ILLI FIAT PROPITIUS.

Chrysost. hom. 3 de David & Saule.

Non est quod quis hic sibi animos, & mentis ac roboris robur esse diffidat, ut cum Stephano sanguinem pro Christo fundat; majus aliquid quodammodo offerre potest, & fine sanguine martyr existere, ut pulcherrimè magnus Gregorius: ESSE MARTYRES POSSUMUS, *etiamsi nullo ferro percutientium trucidemur; mori quippe à persequente*, MARTYRIUM *est in aperto opere; ferre verò contumelias, odientem diligere* (pro salute proximi Deum orare) MARTYRIUM EST *in occulta cogitatione.*

Greg. hom. 35. in Evang.

Non poterat profectò Pontifex Maximus, & summus Ecclesiæ Doctor, altius inimicorum dilectionem efferre, quàm huic, quod in Ecclesia, & apud Deum opus maximè excellens, & gloriosissimum est, martyrio comparare. Quare *miserere animæ tuæ, placens Deo*; benè quidem illi consuleris, si pro delictis juventutis tuæ, alisque admissis gravioribus noxis, aliquot centenos florenos in sacrificia expiatoria: millenos in causas pias testamento legâris; omnem reatum extinxeris, si pro inimicis ex corde Deum rogaveris. Cujus orationis tantam, tamque excellentem efficaciam non aliundè promanare posse autumo, quàm ex imitatione potentissimæ, & divinissimæ orationis Christi Jesu, infinitâ charitate, & amore pro inimicis è cruce ad Patrem suum cælestem ejaculatâ; cujus paradigma hic ad imitandum omnibus propono.

Eccli. 30. v. 24.

Rex Regum, & Dominus dominantium in ultima illa tragicæ passionis suæ scena, tristissimum toti mundo spectaculum factus, toto corpore lacer, & omnibus membris sacro cruore perfusus, calumniis & blasphemiis impetitur, ac opprobriis saturatur, quæ super dolorem vulnerum addiderunt; nihil tamen in calumniatores, & carnifices acerbius dixisse auditus est. Hussæus Vates gravi ulcere percussus à planta pedis, usque ad verticem capitis, patienter omnia perpessus est; at ubi jaculo linguæ illum confixerunt, diutius silere non voluit, aut valuit: *Quare*, inquit, *taceus consumor?* Jesus hactenus inter omnia tormenta, & acerbissimos cruciatus siluit; at dum per amarissimas calumnias, injurias, & blasphemias, addiderunt afflictionem afflicto, os suum aperuit, & linguam, quam constrictis omnibus membris, solum liberam habebat, solvit, & locutus est in hæc verba: *Pro eo quod me diligerent, detrahebant mihi*; EGO VERO ORABAM.

Paradigma orationis Christi pro inimicis.

Iob c. 13. v. 19.

Psal. 108

At quid hîc noster Rex gloriæ inter omnia hæc opprobria oravit? aperuitne os suum ad Patrem, ut ignis descenderet de cælo, & devoraret illos, ut olim Elias, aut ut Noe, & Helisæus, dum in se maledicta jacerent? minimè verò; sed mitissimus Magister noster *Iesus*, caput in cælum sustulit, & oculos in lachrimis & sanguine natantes ad Patrem levavit, atque hanc brevem, sed nervosam orationem habuit: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.*

Luc. 23. v. 34.

Quotque verbum expende, ô anima! quia ab eo prolatum, à quo nullum omquam verbum in vanum, aut frustra profluxit, & hæc ultima verba, energiâ, & mysterio plenissima sunt. Non clamat: *Dominus meus, & Deus meus*, qui vindictam meritò exposceret de injuriis filio illatis; sed amabiliter, & filialiter

liter illum compellat, *Pater*; ultimum quod in lecto doloris, & mortis meæ, expansis manibus, oculis in morte natantibus à te ardenti corde postulo, negare mihi non potes. *Pater*, per quidquid apud te filius, in quo tibi benè complacuit, possum, & valeo:

Virgil. 4. Æneid. *Si benè quid de te merui, fuit aut tibi quidquam Dulce meum:*

Per sudorem sanguineum, per amarissimas lacrymas, & ultimam guttam sanguinis, hoc mihi solatii in extrema hac hora elargire: *Dimitte illis*, PATER MISERICORDIARUM, qui solem tuum oriri facis super bonos, & malos, & pluis super justos, & injustos. *O Pater æterne*, cujus amor in homines tantus, ut volueris solem justitiæ, me unicum tuum, & consubstantialem filium, in mundum venire, ut lucem, calorem, & vitam gratiæ misera mortalibus elargirer, & ut tos doctrinæ meæ, & pluvia sanguinis mei, peccatorum corda rigaret, aspice hunc solem in occasu suo, ut radiis divinæ misericordiæ tuæ collustrati, & uberi cruoris mei imbre, ex omnibus venis largiter profluente, irrigati, veniam & remissionem queant impetrare, & in alterum vivere, pro quibus libens morior: ut hâc die, quo solennes illæ indulgentiæ, & commune per orbem universum jubilæum celebratur, & pretium sanguinis ac redemptionis tam largiter effunditur, omnia iræ, ac vindictæ tela in pharetram, gladium justitiæ in vaginam recondere velis.

Psal. 101. PATER, *dimitte illis*, miserere, *quia tempus miserendi, quia venit tempus*, dimitte.

Non dicit quid, non vult mentionem inducere omnium injuriarum, quas sibi intulere; *sed dimitte* quidquid peccarunt. Illis, non nominat discipulos, qui fugerunt, judices qui condemnarunt, carnifices qui flagellarunt, Judæos qui crucifixerunt; sed termino generali, *illis* omnibus qui in me deliquerunt. Hæc oratio morientis *Iesu* cælos penetravit, iram Patris mitigavit, *& exauditus est pro sua reverentia*; ita

Hebr. 5. 7. ut multi, qui oderant, veniam, ac misericordiam consecuti sint: *Omnis turba eorum qui ode-*

Luc. 23. *rant, percutientes pectora sua revertebantur*. O homo! qui hæc audis, & credis, qui toties & tam enormiter Deum offendisti, tot injuriis affecisti, & peccatis tuis rursum crucifixisti: tu qui audis, & credis; quod inimicis suis condonâtit, pro inimicis, & pro te in particulari oravit atque paratus est hîc ipsâ horâ, & momento, omnem offensam remittere, in gratiam, & glotiâ recipere, & in æternum amare, si inimico qui te aliquâ injuriâ affecit, ejus amore, ex corde condones! Adhuc dubitas? *sed dicit aliquis*, inquit Augustinus, *non possum diligere inimicum*

August. serm. de S. Stephano. *meum, quem quotidiè velut hostem patior crudelissimum O quicumque ille es, attende quid tibi fecerit homo, & non consideras, quid tu feceris Deo.* Tu in Regem Regum, in Deum tuum inimicus, idque non semel sed sæpius fuisti; homo tibi, vili mancipio levem injuriam intulit, verbo læsit, *& manet altâ mente repostum*, nec

Virg. lib. 1. Æneid. ex corde dimittere potes. Honoratior illo sis qui injuriam intulit, quis tu ad Deum? Alium

Aug. serm. 1. de S. Stephano. inducit Hipponensis Doctor objicientem. *Sed potuit hoc Christus dicere mihi, ego non possum: ego enim homo sum, ille Deus homo.* Joseph homo erat, & à fratribus calumniis impetitus, in cisternam missus, in mancipium venditus, jamque Princeps Ægypti, fratres suos in manu habebat ut perderet; sed beneficiis affecit, mensæ adhibuit, osculatus est, & amoris lachrimis singulorum colla perfudit. Augustinus: *Per singu-*

Aug. serm. 83. de temp. *los flebat, & irriguis lachrymis paventium colla perfundebat. Itaque odium fratrum charitatis lachrymis abluebat.*

David homo erat, & perduellem filium in gratiam recepit: mortem sibi machinantem, ita mortuum luxit, ut morte vitam ei redimere peteret. Sauli hosti suo capitali non cervicem, cùm potuit, sed oram vestimenti abscidit; quod facinus Chrysostomus sacrificio Abrahæ comparare non dubitavit.

Joseph qui fratribus, David qui Sauli ignovit, homines erant, atque ut innumeros mittam: *Attende*, inquit Augustinus, STEPHANUM *conservum tuum. Certè* STEPHANUS

Aug. serm. 1. de S. Steph. *homo erat, an Deus? planè homo erat, hoc erat, quod tu.* Unde concludit: *ergò charissimi, si non potestis imitari Dominum, imitamini conservum, imitamini* S. STEPHANUM.

Imitamini non è plebe hominem, sed illustris sanguinis, & avitæ nobilitatis *S. Elzearium* Comitem, cujus in hoc genere virtus non modò sæculi homines, sed ipsos Sanctos in admirationem rapuit. *Delphina* sancta Virgo, & "

Surius in vita 27. Sept. conjux, cùm eum cerneret nihil commoveri, " adversus eos qui injuriam ei irrogarent, ei" que molesti essent; sed ferre omnia sedatè, vul" tuque placido, & jucundo; admirans tam in" signem, tamque invictam in illo patientiam, " utque ejus certius periculum faceret, intra " conclave ita ad eum: quid hominis es tu, *El-* " *zeari*, qui numquam erga illos, qui te injuria " afficiunt, commoveris? videris esse trunci in" star, aut statuæ, nihil sentientis; sed tamen pa" tibilis, & homo mundanus. Aut fortasse vel " nescis, vel non potes irasci? & quid, obsecro, " officeret malis, qui interdum injustè te læ" dunt, si te quandoque illis iratum osten" deres?

Ad hæc homo lenissimus respondit: ec" quid verò *Delphina* prodest irasci? nihil " profectò. Attamen explicabo ego tibi arca" num pectoris mei: noveris me interdum sen" tire aliquam in animo, adversus infestantes " me, indignationem; sed illicò me converto ad " cogitandas injurias Christo illatas, eumque " imitari cupiens, dico mihi ipsi; etiamsi famu" li tui barbam tuam convellerent, & colaphos" tibi infringerent, nihil esset ad Dominum " Deum tuum, qui majora perpessus est. Cer" tumque habeas, *Delphina*, me numquam ces" sare à commemorandis injuriis Salvatoris mei, " donec animus meus planè fit tranquillus. " Atque hanc fateor me à Domino habere gra" tiam peculiarem, ut eos qui mihi injuriosi " sunt, vel æquè ut ante, vel plus etiam amem, " & pro eis *specialiter orem*, agnoscamque, & con-

fiteat

"fitear me majoribus & atrocioribus injutiis "dignum esse.

Ex his *Delphina* adeò fuit confirmata, & cælesti suavitate referta, ut nulla perturbatio, vel commotio ei possit dominari; quin & exemplo viri, suas illius pro inimicis & lachrymas commixtas Deo obtulerit.

Denique martyrum Coryphæus *Stephanus*, potentior pro inimicis, quàm pro se ipso oravit: pro se etenim stans, pro lapidantibus flexis genibus intercessit. S. Augustinus: *Qui stando suum spiritum commendavit Domino, pro illorum delicto*, FIXO GENU ORAVIT: *ne statuas illis hoc peccatum*; quam lectionem se à Magistro suo hausisse asserit: *Quia*, inquit, *ut hoc dicam tibi, à te primò audiri.*

August. serm. 1. de S. Steph.

Ibid.

Fructum verò hujus orationis optatissimum retulit, quietissimum somnum pacis, & hoc dicto obdormivit in Domino. O somnum pacis! exclamat Africanus Doctor: *Quid illo somno tranquillius, quid illo somno quietius? qualis ibat ad amicos, qui sic diligebat amicos?*

Trãquilla mors instar somni, qui orat pro inimicis. *August. cit.*

Contra verò, qui inveteratum odium animo fovent, etiam extremis labris vitâ hærente, vindictam spirant.

His exemplis, setiptutis, Patrum testimoniis, Gentilium rationibus, & præceptis salutaribus moniti, ac divinâ institutione formati, illud, quod Magister optimus discipulos suos, togantes illum: *Domine doce nos orare*: his verbis edocuit: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, hodiernâ die uti confido, opere exequimini: omne odium ex animo, & ferrum à latere deponetis; quod quidem dum ad sacrum Ecclesiæ tribunal acceditis, ad pedes Vicarii Christi abjicere soletis; sed ut ille ait: frustra est, nudum ense habere latus, & animum servare armatum. Meliora de Christiano (& ego de vobis) sentit, magnus ille Nazianzi Antistes Divus Gregorius: *Christianus convitiis lacerabitur? vincet convitia non regerendo. Persecutionibus affligetur? sustinebit. Maledictis proscindetur? exhortabitur. Caluninus agitabitur?* ORABIT, & exorabit Altissimum, ut cum *Stephano* cælos apertos, ac *Iesum* stantem in confinio vitæ, ac mortis metâ constitutus videre mereatur.

Matth. ... v. 1...

Greg. ... orat. ... tra ... mum.



FESTUM SANCTI JOANNIS, APOSTOLI ET EVANGELISTÆ, 27. Decemb.

Habebat ovem unam parvulam, quæ de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in sinu illius dormiens. 2. Reg. 12 v. 3.



Nec te mihi charior alter. Ovid. lib. 3. trist. eleg. 3.

ARGUMENTUM.

Reges omnes ac Magnates, passim sibi singulares primæ admissionis amicos, ac Favoritas habuêre, ut Alexander Ephestionem, alii alios; sed nemo ullum, quantumvis intimum sibi, & familiarem, tanto favore, & honore prosecutus est, ut Christus Joannem, *discipulum quem diligebat* JESUS, qui & vicissim dilexit *Jesum.* Ioan. 21.

Quid autem expediat magis, amare vel amari, variis, iisque curiosis rationibus disceptatur. Peculiaris verò amicitiæ signa, quæ Christus Ioanni, quasi Benjamino, & omnium charissimo exhibuit, fuit privilegium requiescendi super pectus. 2. Communicatio secretorum. 3. Adoptio a Maria in filium, &c. Tum morali doctrinâ comprobatur, in intimos amicos, & favoritas Principum, ac Prælatorum, non assumendos, qui exteriori gratiâ, assentatione, ambitione se insinuant; sed quos explorata virtus, probitas, & eruditio commendat; cujus defectu, gravissimi abusus, & cruentæ tragœdiæ, non solùm in Regnis, sed & in privatis ac Religiosis familiis exortæ sunt; atque ut omnis familiaritas, & carissimario maximè, parit contemptum; potissimùm hæc, ob rationes addocendas. Regibus cum aulicis, Superioribus cum subditis, senioribus cum juvenibus, Confessarius peculiariter cum pœnitentibus vitanda est. At familiaritas cum Deo, qualem dilectus discipulus habuit cum Christo, tantùm abest, ut pariat contemptum, ut majorem afferat venerationem, & excellentiorem afflet sanctitatem; ut Hieronymus testatur de consuetudine familiari cum Nepotiano, & patet in Augustino cum Monica, in Chrysostomo cum Olympia in Hieronymo cum Paulâ, quæ ad divinum amorem, & omnem sanctitatem mutuos animos inflammabat, quantò magis familiaritas Joannis cum Christo; quæ cùm tanta fuerit, atque apud Reges, intimi favoritæ, omnipotentes habeantur, vos in omni necessitate, ad hunc Discipulum, quem diligebat Jesus, remitto, numquam repulsam passuros.

§. I. *Discipulus, quem diligebat* JESUS, Joan. 21.

§. II. *Intimi amici ac Favoritæ, familiares Regi, Principi, Superiori, non affectu, non exteriori gratia; sed virtute, probitate, eruditione & prudentia deligendi sunt.*

§. III. *Familiaritas cum Deo non parit contemptum, sed gratiam in conspectu ejus, & reverentiam; secùs ac cum Magnatibus, quæ cùm nimia, multis favoritis exitio fuit.*

FESTUM SANCTI JOANNIS, APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Habebat ovem unam parvulam, quæ de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens 2. Reg. 12. v. 3.

Plutarch. in vita.



Lexander, cui parvitas Orbis, Magni nomen dedit, suos inter potentissimos Dynastas, ac generosissimos belli Duces, unum delegit, ac præ cæteris dilexit Ephestionem: hunc sibi fidum in rebus omnibus, quamtumvis arduis, Achatem assumebat: hunc suæ mensæ socium adhibebat: hunc omnium arcanorum, intentionum, cogitationum, consiliorum, conscium reddebat: occultas in caput suum simultates, proditiones, ac perfidorum nomina, uni huic Ephestioni aperiebat. Denique, cùm teste Tullio, *amicus alter idem sit*, Ephestionem Alexander alterum se esse & nominari, & haberi palam ab omnibus voluit. Hoc tanto sibi amico, ac animæ dimidio, jam morte sublato, justa ei non minori splendore, ac sumptu, quàm ipsi Alexandro institui mandavit, atque ad funebrem pompam adornandam, duodecim millia talentorum, quæ octo milliones aureorum exsuperant, gratanter impendit. Tum, ut nominis fama immortalis redderetur, atque in omnium animis, ac posterorum memoriâ viveret, peritissimos juxta ac disertissimos, in omni regione Oratores evocavit, qui laudum ejus præconia enarrarent, ac præclarorum facinorum encomia, dicendo exornarent: cùmque omnes non minùs copiosè quàm ingeniosè dissetuissent, postremus, solertiâ planè admirandâ, palmam tolit, Laconicâ, sed maximè nervosâ oratione usus, & omnem, quam cæteri pluribus pertexuerant, quatuor hisce dumtaxat verbis, panegyrim complexus est: *De* DILECTO *numquam satis*. Quæ dum dixit, omnia dixit: Innuens, neminem quemquam inveniri, qui Ephestionem pro dignitate, pro affectu, quo eum Alexander complectebatur, dignè deprædicare, & satis collaudare posset: depinxerit quidem primus Orator vivis coloribus regiam ejus formam, imperio dignam, vividos oculos, fortes lacertos, invictum pectus; sed *de* DILECTO *numquam satis*. Exornarit alter, sermonis instar Nestoris, & omni nectare suaviorem facundiam, in agendo prudentiam, in rebus bellicis fortitudinem, celeritatem, felicitatemque; sed *de* DILECTO *numquam satis*. Enarrarit alius, quot unus Ephestion, hostium millia occidit, Darium superavit, imperium ex angulo Thraciæ, usque ad Orientis terminos propagavit, innumeris victoriarum laureis triumphavit; sed *de* DILECTO *numquam satis*. Cùm omnia dixerint, de dilecto Alexander numquam satis audire; de dilecto, quamtumvis diserti Oratores, numquam satis dicere, ac disserere poterant: quia *de* DILECTO *numquam satis*. Sed quid hæc omnia, Alexandri in Ephestionem, tenerrimi amoris argumenta, ad ea, quæ summus cæli Imperator, in Joannem discipulum, quem diligebat, contulit? Quid habet, non dico Alexandri, sed omnium mortalium in suos, quos unquam ardentissimè dilexerunt, amores; ad divinam illam, qua Jesus Joannem complexus est, dilectionem? Quem inter cæteros Ecclesiæ Duces, ac Principes, unicum sibi prædilectum adscivit? Fidum in rupe Taborea, in suscitatione filiæ archisynagogi, in horto, in extrema cum morte lucta, socium habuit. Huic sui pectoris arcana reseravit, proditorem huic uni apeurit, hunc insuper sinu suo fovit. Alterum se, Joannem matri substituit. Atque ut duodecim millia talentorum in mortuum Ephestionem, Alexander libens effuderit, plus vivo Joanni Christus contulit, dum ei matrem, quæ teste D. Germano, *pretium pretiorum est*, in sua donavit, ut fusiùs prosequemur: & pretiosissimum illi cenotaphium struere voluit, sepulchrum quod manna manaret. Hunc inter Divos relatum, sacri omnes Oratores, divinâ dicendi vi locupletissimè celebrarunt; sed cùm omnia dixerint, dicam ego cum D. Bernardo *de electo, & dilecto Dei, numquam satis*. Vas electionis Paulus, Joannem Ecclesiæ columnam indigitari: *Cephas, & Ioannes, qui videbantur* COLUMNÆ *esse, dexteras mihi dederunt*. Summis illum laudibus Hieronymus, Doctor maximus exornarit, dum eum compellat *tubam evangelicam; filium tonitrui, quem Iesus amavit plurimùm, qui è pectore Salvatoris doctrinarum flueuta potavit*. Sed de *Electo Dei, numquam satis*. Chrysostomos more, & ore suo aureo: *Ioannem Angelorum magistrum exstitisse, etiam ipsorum Cherubim, ac Seraphim*, pronunciarit. Hipponensis Antistes, (qui teste D. Thoma, *profunda fluminum scrutatus est, & abscondita in lucem protulit*) tract. 36. in Joan. de eo affirmarit: *Cæteri Evangelistæ tanquam cum homine Deo, in terra ambulant, & de Divinitate ejus pauca dixerunt; istum autem, quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso sui sermonis exordio intonuit, erexit se non solùm*

super

Margin notes:

Alexander miro favore, & summo honore extulit Ephestionē sibi charissimum.

Cic. de amic. & S. Hieron. in c. 7 Michea.

Plutar. in vita Corn. in c. 18. Matth.

Plutarch. Legault. tom. 3 in Dom. & Festa, Dom. 19.

Majori favore & honore, Christus Joannem dilectum suum prosecutus est.

Encomia Ioannis.

Bern. de vita solit. ad frat. de monte Dei

Galat. 9. Hieron. de Script. Eccl.

S. Thom. serm. de S. Augustino

super terram, & super omnem ambitum aëris, & cœli; sed omnem etiam exercitum Angelorum, Aquila est Ioannes lucis internæ, & æternæ, fixis oculis contemplator; SED DE DILECTO NUMQUAM SATIS. E purpuratis Patribus Petrus Damiani, miris illum titulis in cælum extulerit: JOANNES meritò dicitur os Dei, *lingua Spiritus sancti, cedrus Paradisi, lux Ecclesiæ, decus orbis, præco cæli, lumen mundi, logotheta Divinitatis*; quæ cùm omnia, ac longè plura enumerarit, *de Electo, ac* DILECTO *Dei, numquam satis*.

Pet. Damian. ser. de S. Ioan.

Theologorum Phœnix Aquinas: *Ioannes propter sublimitatem suæ sapientiæ, quâ cæteris altiùs arcana Divinitatis intuitus est, meritò Aquila comparatur.* Alter Thomas de Villa Nova, Archiepiscopus Valentinus, qui in aliis sparsim, in Joanne collectim, omnes virtutum, ac dignitatum titulos complexus, ait: *Omnium dignitatum titulos, quos per alios sparsim Deus divisit, in uno Ioanne plenius cumulavit. Hic Apostolus, Propheta, Evangelista, Martyr, Doctor, Confessor, & Virgo.* Imò quod à natura, & sanguine hauserat: *Cognatus, & amicus Christi.* Multùm quidem illum commendavit, dum *Apostolum*, hoc est, nascentis Ecclesiæ Principem, dum *Prophetam*, qui arcana etiam ipsis cælestibus geniis revelet, secretiora cæli pervadat, & futura, post multos soles, & sæcula prodat. Dum *Evangelistam*, id est, Christi scribam, & illi quasi à secretis nominavit. Dum *Martyrem*, hoc est, testem suæ in Deum, ac religionem fidei: dum *Doctorem*, à quo omnes melioris sapientiæ fluenta hauriant: dum *Confessorem*, invictâ per omnia ardua, constantiâ virum: dum *Virginem*, divinis Spiritibus, & Agno amabilem: dum denique *cognatum, & amicum Christi*, Incarnato Verbo, sanguine, & à natura junctum deprædicavit; dumque hæc omnia, maximè eximia Joannis Privilegia, & prærogativas prorsus singulares enarravit, exclamare libet: *De* DILECTO *numquam satis*.

S. Thomas. S. Thom. de Villa Nova ser. de S. Ioan.

Summum, quod universus orbis suspexit ingenium, Origenes Adamantins, Joannem sublimiùs Paulo raptum deprædicavit: *O Paule*, inquit, *non es raptus super omne cælum, & Paradisum. Ioannes omne cælum conditum, omnémque creatum Paradisum, hoc est, omnem humanam, angelicámque transgreditur naturam. In tertium cælum raptus, ô vas Electionis, & magister gentium, audisti verba, quæ non licet homini loqui; Ioannes intimæ veritatis inspector, ultra omne cælum, in Paradiso Paradisorum, audivit unum verbum, per quod facta sunt omnia.* At post hæc omnia, rursus ingeminare juvat: *De* DILECTO *numquam satis.* Quem unicum *Dilecti* titulum, cæteris missis, cùm Jesus Amor increatus, Joanni indi voluerit, ostendam in eo excellentias omnes contineri, atque ex eo, quasi fonte, bona omnia promanare, quia *de Electo, & Dilecto Dei, numquam satis.*

Origen. hom. 2. in diversis, de S. Ioan.

(*,*)

§. I.

Discipulus, quem diligebat IESUS. *Ioan. 21.*

QUæstio curiosa, & ingeniosa est, nec minus religiosa: Quid expediat, diligere an diligi: amare, vel amari? Quam controversiam Doctor Angelicus disceptat, 2, 2. q. 27. a. 1. *Vtrùm charitatis sit magis proprium amari, quàm amare?* quæ duo, ut benè, & naturaliter se comparantur, & consequantur; seorsim tamen fieri potest, ut quis ametur, & non amet. Durum profectò est amare, & non amari.

Quæritur quid expediat magis, amare, vel amari? S. Thom. 2. 2 q. 27. a. 1. Durum est amare, & non amari.

Tormenti genus est, si quis filius amet parentem, etiam vitricū, vel novercam, omnem honorem, & obsequium exhibeat, nec ametur: si quis subditus Superiorem amet, colat, in omnibus placere studeat, nec ametur: si juvenis puellæ gratiam aucupetur, ardenter eam amet; nec byssinis verbis, nec muneribus, nec lenociniis amorem mutuum valeat extorquere; sat est, ut tales amantes præ indignatione amentes fiant.

Hinc conjicere est, quàm stolidum, & stultum sit, spontè amare ea, à quibus redamari non possis, inter quæ nulla amicitia haberi potest, ut sanctus Thomas scitè annotavit: *Non quilibet amor habet rationem amicitiæ; sed amor, qui est cum benevolentia: quando scilicet sic amamus aliquem, ut ei bonum velimus. Si rebus amatis non bonum velimus, sed ipsum earum bonum nobis velimus, sicut dicimur amare vinum, aut equum, non est amor amicitiæ, sed concupiscentiæ: ridiculum enim est dicere, quòd aliquis habet amicitiam ad vinum, vel equum.*

S. Thomas 2. 2 q. 23. art. 1.

Miseri amantes, qui exquisita fercula, & rara pocula amant: qui vestes Attalicas, & Damascenas cyclades amant: qui prædia, fundos, hortos, flores amant: qui psittacos, simias, canes, & equos amant: qui argentum, aurum, aliaque pretiosa cimelia amant, à quibus nec amantur, nec reciprocum amorem sperare valent. Animus amantis, si non suscipiatur ab amato, nusquam est: ereoim non in se: non alibi nam si alibi, in amato esset, non in hoc, ergò nullibi.

Si amentur insensibilia, & irrationabilia, jam non tantùm periculum amoris est, calamitas est. Cadaver amant, cùm incapacia amandi sint: suos amores exanimos relinquunt.

Facit hîc insolens, & inauditum amantis delirium, quod Petrarcha de Carolo Magno, priusquam diviniore radio collustratus esset, commemorat, & Religiosus auctor, ut historiam maximè admirandam enarrat: *Carolum Regem*, quē *Magni* cognomine, æquare Pompejo, & Alexandro audent, mulierculam quandam perdite, & efflictim amasse, ejus blanditiis enervatum, neglectâ famâ (cui plurimùm inservire consueverat,) & posthabitis regni curis, aliarum rerum omnium, & postremò sui ipsius oblitum, diu nulla in re, nisi in perdito ipsius

Petrarcha l. 1. epist. 3. P. Maillard Magdalena l. c. 9. In anus amor Caroli M qui cadaverperdi te amavit

ipsius amore acquievisse, summa cum indignatione suorum, & dolore. Tandem cùm jam spei nihil superesset, insperata mors, infamem fœminam abstulit; cujus rei ingens primùm in Regia, sed latens gaudium erat. Deinde dolore tanto priore acerbiore, quanto fœdiori morbo, correptum Regis animum videbant; cujus nec morte lenitus furor, sed in ipsum obscœnum cadaver, & exangue, insanus amor translatus est, quod balsamo, & aromatibus conditum, onustum gemmis, & velatum purpurâ, tam miserabili, quàm cupido amplexu fovebat: Amicam suam crebrò, velut spirantem, responsuramque compellans: illi curas, laboresq; suos narrabat, illi blandum murmur, & nocturna suspiria, illi semper amoris comites lachrymas instillabat. Donec Coloniensis Antistes cælitùs edoctus, philtrum in ore cadaveris reconditum latere, compertoque sub lingua annulo cum gemma, cui amatorium venenum inditum, exemit. Quo sublato, ad suam revisenti Imperatori, horrificum spectaculum, ac maximè abominandum visum est, penitusq; resipuit, & amores suos in eum, qui se diligentes diligit, totos transtulit.

Hæc ego, ait Petrarcha, refero, ut rei fides non apud me, inquit, quæratur, sed ut ajunt, penes auctores maneat.

Quis consimilem insaniam non execretur, ac detestetur, emortuum atque exangue cadaver amare? Non fabulâ, sed innumeris exemplis comprobatum est, plures indies reperiri, qui scorta, qui pellices, mera & fœtentia cadavera, vitâ animæ destituta amant, & qui licèt honestius, stolidè tamen, ac stultè, pro cadavere, marmoreas, aureas, & argenteas statuas, vasa item aurea, & argentea complectuntur, alloquuntur, & amant, à quibus redamari non possunt.

Nunc, quod alterum spectat, *amari, & non amare*, inhumanum prorsus, ac barbarum censeri posset: *Multi* interim, inquit Aristoteles, *magis volunt amari, quàm amare, in quantum volunt honorari, magis quàm honorare: sicut enim honor exhibetur alicui, ut quoddam testimonium boni in ipso, qui honoratur; ita per hoc, quòd aliquis amatur, ostenditur in ipso esse aliquod bonum: quia solum bonum amabile est.* Quid magis inhumanum, quàm honorari, & non honorare, salutari ab amico, & non salutare: amari à subditis Principem, Superiorem, à filiis parentem? Amari denique à Deo, & diligi, nec diligere Deum, nec amare? Si quis tam ingratus, tam inhumanus, & barbarus, horrendam sibi è cælesti curia excommunicationis sententiam accersit: *Si quis*, inquit Apostolus, *non amat Dominum Iesum Christum, anathema sit.* Etenim si tantum amorem, quo Deus prævenit amando, non redamet, omnibus inferni cruciatibus dignissimus est.

Aristot. l. 8. eth. c. 8. D. Thom. 2. 2. q. 27. a. 1.

Amari, & non amare, aut red amare, barbarum est.

1. Cor. 1. 6

S. Thomas exponens illud 1. Ioan. 4. *Non quasi nos dilexerimus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos, nempe prædestinando, vocando, justificando. Et in hoc*, inquit, *ostenditur gratuita ejus dilectio, & quòd non est mercenaria: quia amantem amare, natura est; amare autem non amantem, gratia est.*

S. Thom. in 1. Ioan. 4.

At quorsum Deus, qui amor, & dilectio est, prior dilexit nos, suo nos, eoque infinito amore prævenit? Non aliam ob causam, inquit Augustinus, quàm ut amantem redamemus: *Ad hoc dilexit, ut diligamus eum; si pigri eramus ad amandum, non simus pigri ad redamandum.*

Deus amavit nos, ut redametur.

Aug. lib. de catech. rud. c. 4.

Alphonsus, Atragoniæ sapientissimus Rex, quem Æneas Sylvius, postea Pius II. Pont. omnibus Regibus, tanquam speculum virtutum, imitandum proponit, hoc suum, super quæstione initio propositâ, judicium tulit: Legebamus, inquit, fortassè Annæi Senecæ epistolas, atque aderant Farnesius Sachetus, Florentinorum Legatus, vir eloquentissimus, ac Ludovicus Cardona, celebratissimi nominis Theologus, multique præterea docti, & clari viri. Quærebatur super præcepto Hecatonis: *Si vis amari, ama.* Numquid in aliquo, sub exceptione falleret, essetque videlicet, *ut quis amaret, nec mutuò tamen amaretur?* Hic cùm multi multa, ferméque omnes Hecatonis & Senecæ dictum probarent, suscipe rentque: Ego, Rex inquit, pace omnium dixerim, aliter sentio. Est mea quidem sententia, ut quis amet, nec vicissim redametur. Et quis aut certiùs aut flagrantiùs diligit, quàm qui homines fecit, atq; hominum causa omnia fecit? Cumque id ita esse, nemo vivus ambigit, quis tamen est, qui mutuâ charitate Deum complectatur? Imò verò quid mirabiliùs, aut potiùs detestabiliùs est, quàm cùm aut hunc, aut illum hominem amantibus nobis, interdum in officio non respondeatur? Deum verò amantibus, certissima sit illius charitas, nec charitas solùm, sed amoris merces, perpetua lux, & sempiterna tranquillitas; nihilominus obdurati persistimus, nec amantem redamamus. O duros nos! ô saxeos! ô ferreos! qui tot beneficiis præventi, tam amantem non redamemus.

Æneas Silv. Panorm. de gestis Alph. l. 1. c. 49.

Sen. ep. 9.

Exaggerat hoc jure merito idem Hipponensis Antistes: *Nulla major est*, inquit, *ad amorem invitatio, quàm amantem amore prævenire: Et nimis durus est animus, qui si dilectionem nolebat impendere, nolit rependere.* Quid enim tam insitum, quàm ut diligentem diligas? Quid tam insitum naturæ, atque impressum humanis affectibus, quàm ut eum amare, in animum inducas, à quo amore præventus es? Adeò ut vel gentiles talem, ne inter homines numerandum censeant, qui se amantem, non redamet. Cicero epist. 1. ad Brutum: Clodius Tribu- "nus Plebis designatus, valde me diligit, vel "ut *εμφατικώτερον* dicam, valde me amat. "Quod cùm mihi persuasum sit, non dubito, "quin illum quoq; judices à me amari. Ni- "hil enim mihi minus hominis videtur, quàm "non respondere in amore iis, à quibus pro- "vocêre. Hoc Ethnicus de hominis in hominem amore.

Aug. lib. de catech. rud. c. 4.

Cic. ep. 1.

Quantò potentior ad eliciendum amorem humanum, erit amor divinus, & infinitus? *Ad hoc quippe Verbum caro factum, ut familiariùs diligeretur Deus ab homine. Quem non emolliat amor Dei, sic hominem præveniens, & tam vehemens amor, quòd homo propter hominem dignatus est*

[illegible] in manual. c. 6. l. 13. de Trinit. c. 16.

Deum nō redamare, quanta ingratitudo & miseria sit.
Calamaro silva di concetti. Amor di dio.

est fieri? Hæc Augustinus. Quare qui Deum tanto se amore prævenientem non redamat, eum non modò omnem humanitatem exuisse, verùm ipsi diabolo similem, imò deteriorem pronuntiaro. Quò spectat illud Scriptoris Itali, dæmonem in corpore obsesso, Ecclesiæ exorcismis compulsum, nomen suom edicere; tandem pronuotiasse: *Ego sum iste nequam, privatus amore Dei.* Horruit totis artibus B. Catharina Genuensis, quæ eo ergumeno aderat. Quid horribiliùs dici, aut excogitari potest? Nequam profectò dæmon est, quisquis ex hac turba *privatus amore Dei est*, ut meritò cum Augustino exclamare possit: *Parváne est miseria, si non amem te, Domine?* Imò tanta, ut nulla morborum vis, nulla omnium divitiarum jactura, nulla famæ, ac nomini illata injuria, cum hac miseria conferri queat. Quare quisquis peccator es, nec Deum amas, ex imo pectore ingeminare potes: *Ego igitur miser, & ipsâ indignus vitâ: quâ consolatione, quâ fiduciâ me dignum esse amore præsumam, cui omnia interiora, & exteriora, manifestum odium denuntiant? qui cum prudentia carnis, & amicitia mundi, quæ ambæ inimica sunt Deo, fœdus miserum pepigisse videor.* Nec aliter fieri potest, quin diabolico in Deum animo sit, qui tot, tantisque divini amoris illecebris, ac illicis, ad redamandum non moveatur.

Aug. l. 5. conf. c. 5.

Guerric. serm. 3. de S. Benedicto.

Illud haud meum, sed Guilielmi Parisiensis, viri doctrinâ, ac sanctitate conspicui, judicium est: Hic enim considerans unum aliquem, in ferventissimo Dei amore erga se, inter tot ignitas cælestium beneficiorum faculas algere, ac quasi in media amoris fornace, prorsus insensibilem consistere, exclamat: *Quis ad hoc diabolicum, terrificum miraculum, non obstupescat?* Id amarissimè olim benignissimus Redemptor noster questus est apud S. Brigittam, his verbis: *Ab omnibus neglectus sum, ab omnibus expulsus sum, quia nemo me in sua dilectione habere desiderat.* Itane, dilecte mi, itane amantissime Jesu, formose præ filiis hominum, amabilis super amore mulierum, *nemo te in dilectione sua habet?* Habet profectò discipulus ille, quem diligebat Jesus, qui & Jesum dilexit, & in dilectione sua habuit: *Amicus* enim, ut Philosophus ait, *est, qui amat, & è converso, qui amatur;* ut de illo verè prædicari possit illud Bernardi: *Ego amans amari me, dubitare non possum, non plùs quàm amare*, atque ut omnes, quotquot estis, exemplo hujus dilecti discipuli, Jesum in dilectione vestra habeatis, quantum à Deo dilectus sit, quamque vicissim dilexerit, atque hæc duo, *amari & amare*, in se expresserit, paucis videamus.

Guil. Parisien. Pennequin Amour divin. p. 43. In revel. Briget. c. 51.

Aristot. lib. 2. Rhetor.

Bern. ser. 84. in Cant.

Ac primùm quidem, quantum Joannes à Christo dilectus sit, expendamus. A Deo diligi, ac Deo in amoribus esse, hoc est summum hominis bonum, felicitas summa, & quædam beatitudo adhuc in terris; quod Igniacensis Abbas scitè observavit: *Dilectum Domini fuisse, paucis comprehendit summam perfectionis, plenitudinem gratiæ, & virtutis: simulque beatitudinem vitæ perennis.* Uti, contra, à Deo odio haberi, paucis comprehendit summam omnium malorum, spoliationem gratiæ, & virtutis: simulque damnationem sempiternam. Hinc damnatis non tantum creatur mali, quòd horrifico inferni carcere detineantur, vel igne inextinguibili torqueantur, quàm quòd esse se sentiant in Dei sui odio, & quidem æterno, atque irreconciliabili. Beatis verò non tantùm accedit boni à cæli Regiâ, & sede beatitatis, quàm à Dei sui amore, cujus objectum aliquod se esse præsentiunt: summum quippe bonum est, à summo bono amari. Quod quia præsensit Joannes, id sibi nomen delegit: *Discipulus, quem diligebat Iesus.* Accedit, quòd Dei in hominem amor, & ex eo inclinatio quædam divinæ bonitatis, sit veluti principium, radix, & fons bonorum omnium, juxta illud divini Platonis effatum: *Amorem Dei, unicum mundi beneficium esse, & causam bonorum omnium.* Et inde Joannes, cùm se dixit discipulū, *quem diligebat Iesus*, omnis in se boni fontem aperuit, radicemque detexit: Ex eo enim, quòd sic amaretur, omnes gratiarum excellentiæ, omnes virtutum prærogativæ, omnia singularis amoris argumenta, felicitatis omnis fluenta profluxêre: *Quid enim*, inquit Guerricus, *deesse potest ad æternam felicitatem, qui à Deo diligitur?* Multùm porrò interest inter amare ipsius Dei, & amare creaturæ: Amor quippe creaturæ, bonum quidem vult amato, sed non ideò præstat; imò sæpè præstare non potest, quia impotens est, at in Deo, velle, fecisse est; & amare, benefacere est. Quare omnibus divinæ beneficentiæ titulis posthabitis, unum illud servavit sibi, & sæpiùs usurpavit: *Discipulus, quem diligebat Iesus.* Quo apertè innuit, ut Christus alios etiam discipulos dilexerit, se à Christo præ cæteris, & modo quodam singulari, & excellentiore amari; adeò ut, dum quis illum titulum audit: *Discipulus, quem diligebat Iesus*, nemo quisquam ambigat, Joannem antonomasticè designari, ut si quis *Philosophi* nomine, *Sapientis*, aut *Apostoli* utatur, Aristotelem, Salomonem, Paulum significari, omnes intelligunt.

Guerric. serm. 3. de Bened.

Plato in Socratis convivio.

Guerric serm. 3. de S. Bened.

Idipsum S. Augustinus annotavit: *Tacito*, inquit, *nomine discernitur* JOANNES *à cæteris, non quòd solum eum; sed quòd plus cæteris diligeret Dominus eum.* Eximia verò singularis dilectionis, & divinæ familiaritatis argumenta D. Thomas ad tria revocat: primum fuit, quòd *recubuit in sinu ejus.* Secundùm, *secretorum notitia.* Tertium, *specialis dilectio, qua præ aliis* eum familiatiùs dilexit, & pretiosissimum pignus, matrem reliquit. Quod primum spectat, solent inter amicos frequentes esse congressus, familiaria colloquia, atque ut Hieronymus ad Augustinum: *Sic cum amico, quasi cum altero se, esse loquendum*; & ita cum amicis suis, ibique imprimis dilectis, Deus locutus est. Exodi 33. *Loquebatur Dominus facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*, absque ullo internuncio, familiatissimè cum illo loquebatur: nam facies quandoque favorem, amicitiam, & gratiam importat, quæ maximè ex facie dignoscuntur. Augustinus sic hunc locum explicat, quòd *lux illa perpetua, quæ Deus est, plus eum, quam cæteros illustraverat*, quasi diceret, plus omnibus manifestatus est illi. Cui consensit

August. apud D. Thom. in catena

Joannes præ cæteris à Christo dilectus.

D. Thom. in Joan. c. 13. v. 23.

Hieron. ep. 14

Exodi 33. v. 11.

Peculiaris amicitiæ hec Joanni exhibita.

La Haye hic

August. symb. ad catech. l. 4. c. 3.
S. Thom. 1. 2. q. 8. a. 5. ad 2. dum.

S. Thomas, cùm ait: Per visionem faciei, intelligitur quædam eminens contemplatio, & familiaritas, sicut homo solet loqui ad amicum suum, sibi charum. Magna quidem, & mira dignatio fuisset, si Deus locutus fuisset Moysi, sicut solet loqui Dominus ad famulum suum: magna etenim dignitas servum Dei esse; sed longè major, ejus amicum dici. Hieronymus:

Hieron. præf. in psal. 133.

Putasne parvum esse, quòd dicitur: Ego servus Domini sum? Summa virtus est hoc mereri; quo modo quasi dignitatem vendicat, qui dicit: Ego servus Imperatoris sum. Sic infinita dignitas, se dicere, esse servum Domini. Unde & Apostolus gloriatur, & scribit: Paulus, servus Iesu Christi. Et de Moyse dicitur: Et non sicut Moyses famulus meus, cui locutus sum facie ad faciem. Verbi gratia, dicamus esse aliquem Dominum ditissimum: ille habet familiam, & servos: numquid tantam fiduciam habent servi, qui in villa sunt, quantam illi, qui quotidie ministrant? illis magna dignitas, faciem Domini quotidie videre. At longè quid excellentiùs, sublimiùs, diviniùs Moysi contulit, dum amicum compellavit, & familiarissimè cum illo conversatus est. Quid illustrius, inquit S. Cyrillus, *quàm amicum Christi* (aut Dei) *esse, & observari? Observa enim, quantum hæc dignitas naturæ humanæ terminos excedit.* Antiquis illud habitum in primis honoribus, in Regum, Cæsarumque throno considere potuisse; & eo quidem, ut apud Persas, & Romanos, crimen esset læsæ Majestatis, non expiandum, nisi morte, si quis non acceptâ veniâ in eo consedisset. Nimirum hoc crimini datum est, ut illud honoris ac gratiæ etiam singularis, si cui facta esset facultas in eo sedendi, & quem Rex sic voluerat honorare. Quod si favoris, amorisque Regii id fuit, quanti erit in ipso Salvatoris, id est, Dei hominis sinu recubuisse? Ecquid enim Regis, aut Cæsaris thronus, ad amabilissimum Jesu sinum? sit ille è polito marmore, sit ex ebore Indico, sit ex auro purissimo, sit è gemmis, & margaritis, ecquid illa? Anima certè vacua sunt, & ipso homine longè inferiora, nec ab illis ad animum, aut ornamenti, aut gratiæ, aut dignitatis, aut sanctitatis quidquam accidere potest. At Dei hominis sinus, & animâ plenus est, & Divinitate, adeoque thesauris omnibus sapientiæ, & scientiæ Dei, imò & omnis sanctitatis. Quid ergò erit in eo recubuisse? Erit certè summum, quod esse potest divini vel favoris, seu amoris, seu gratiæ. Magno Baptistæ gratiæ fuit, Domini caput vel leviter aquis intingendo tangere: Magdalenæ, sacros Christi pedes eluere lachrymis, & exosculari; Hemorroissæ, vel solam fimbriam vestimenti attingere. At quid hæc omnia ad illud, in Christi sinu recubuisse, cor suum dedisse? Hæc nimirum Joanni servata gratia, hic favor, amorque Dilecti in Dilectum. Hussæus Vates attonitus stupet, magnam Dei in hominem benevolentiam, dicens: *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Miratur, quòd Deus cogitet de nobis, ac recordetur hominis, vel ut Lyranus exponit: *Apponit cor per specialem curam & diligentiam.* Sed parum est, Deum cogitare de nobis, & quasi solicitú esse de homine; discipulo quem diligebat, aliud amoris pignus tradidit, non mysticum, sed verum, ac vivum suum cor: Divinum suum pectus pro pulvino Joanni substravit, in sinu quoq; se reclinare permisit, quæ intimæ dilectionis, & certissima arctissimæ familiaritatis argumenta sunt.

S. Cyrill. in Ioan. 15. Iam non dicam vos servos.
Iob. 7. v. 17.
Liran. hic

Xiphilinus de Heliogabalo sic scribit: *In Anreli pectore recubuit, & in ejus sinu, velut amicus cœnavit,* quod inter Romanos maximæ amicitiæ testimonium erat. At Joannes multo arctiori, ac diviniori familiaritate cum Christo fruitus est. Unde S. Thomas in illud Joan. 13. *Erat recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Iesu, quem diligebat Iesus,* sic disserit: *Describitur ejus ad Christum familiaritas. Familiaritas autem discipuli ad Christum ostenditur in hoc, quòd super eum recumbit. Hoc Ioannes scripsit de se, in persona alterius, volens vitare jactantiam;* quàm multi Regibus, Magnatibus, Superioribus charissimi, se perdunt.

Xiphil.
S. Thom. in Ioan. 13.

Ex hoc divino Christi pectore, Ioannes ea cælestis contemplationis, ac reconditæ sapientiæ fluenta hausit, quæ & Moysis, & Pauli, & omnium, qui Deo conjunctissimi fuêre, divinarum rerum scientiam longè excesserunt. Hieronymus: *Ioannes recubuit in pectore ejus, ut hauriret fluenta sapientiæ, ut posset dicere: In principio erat Verbum, &c. quia enim in pectore Christi sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, meritò super pectus ejus recumbit, quem majore cæteris sapientiæ, & scientiæ singularis munere donat.* Quid, quòd illa verba: *Supra pectus recubuit,* textus græcus exponat, *supra pectus Domini in cæna cecidit, seu deliquium passus est.* Hoc est, in ecstasim raptus est, juxta illud psal. 67. *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu;* quo in raptu, Rupertus affirmat, Ioannem divinam essentiam vidisse; quod si ulli, Ioanni Christi Benjamino concessum fuisse, nullus jure dubitabit.

Hieron. in Ezech. c. 2.
Rupert. in Apoc. c. 1.
Joannes Christi Benj.

Deuteronomio. cap. 33. v. 12. sic Moyses ante mortem suam vaticinatur: *Benjamin amantissimus Domino, habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo, tota die morabitur, & inter humeros ejus requiescet.* Cornelius noster: Ioannes quasi "Benjamin in sinu recubuit: fuit enim Ioan-"nes Benjamin Christi, & quasi Benjaminus, id est, minimus natu Apostolorum, et præ cæteris (ut nomen indicat) gratiosus. Habuit Jacob præ cæteris filiis prædilectum sibi Benjamin, quem sinu fovebat, & arctiùs complectebatur.

Cor. ... proœm. epist. 1.

Habent Reges, ac Principes, Præsides Superiores, unum aliquem intimum sibi amicum, ac familiarem. Habent & Pastores è grege unam passim sibi prædilectam, ac charissimam oviculam, qualem describit Nathan: *Habebat ovem unam parvulam, quæ de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in sinu illius dormiens.* Habuit & Christus, Pastor bonus oves suas; sed unam, sed Ioannem, habuit quasi oviculam parvulam, qui crevit cum eo ab adolescentia sua, quem, ut cum Chrysostomo loquar, *Christus ubericor propria carne pavit, & sanguine potavit,* & de calice Domini bibit, & in sinu ejus quievit. Hanc tam dilecti discipuli felicitatem, ac beatitatem Bernardus de-

2. Reg. ... v. ...
Chrys.

præ-

prædicat : *Iesus, inquit, valdè eum diligebat, quem tanto honore sublimabat. O quàm benè quiescebat, qui super pectus Christi quiescebat. O beate Apostole, discipule Iesu, beate Ioannes, utinam mererer illius dulcissimos pedes osculando, lachrymis rigare, in cujus pectore tu meruisti dormire! Vtinam faciem illius à longè contemplari, in cujus pectore tam dulciter dormire meruisti.* O lectulus floridus, in quo Ioannes tam benè quiescebat, tam dulciter dormiebat.

[margin: ...serm. ...in cœna Dom.]

[margin: ...era quies super pectus JESU.]

Quærat avarus quietem, & placidum somnum in divitiis, ambitiosus in honoribus, temulentus in poculis, lascivus in brutis voluptatibus, horum quisque verissimum illud Augustini experietur : *Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*; instar acus nauticæ, quæ nisi polarem respexerit, in assiduo motu est. *Etenim cor humanum omni volubilitate volubilius, de alio in aliud transit, quærens requiem, ubi non est. In his autem caducis, & transitoriis, veram requiem invenire non valet.* Subinde fit, duos, treísve sodales iter instituere, & oppidò lassos, sero vespere ad hospitium divertere : horum unus se in lectum conjicit, ut defessis membris somnum captet, & quieti se det; at alii socii, quibus garrire, potitare, nugari libet, hunc trahunt, trudunt, vellunt lodices, tegetes, pulvinum, lectum, in medium cubiculum subtrahunt. Hic postero die rogatus num benè quievisset? Ecquomodo, inquit, in tantis vexis quiescere potuissem? homo mundanus, peccator lassatus in via iniquitatis, requiem quærit, & sibi fingit, si talem puellam in uxorem duxerit, si tale officium adeptus fuerit, si talem hæreditatem adierit. Et Deus vexat, & vellit variis morbis, & corporis doloribus, eripit uxorem, liberos, maritum, cum officio fortunas; ecquomodo is quiescere poterit? Ast veram requiem, si quisque vestrûm quærat, & nemo non optet, molli illo, ac florido lectulo pectoris Domini, cui Ioannes suavissimè indormiit, requiescere, una vobis dilecti hujus discipuli proprietas necessaria est, mundities mentis, & corporis : sic etenim D. Cyrillus : *Ioannes exemplo seipsum nobis proponit, qui sic diligebatur à Christo, ut in sinu ejus sederet : illi enim summoperè Deo propinquant, qui* MUNDO CORDE SUNT; *qui* mundo ore, mundis manibus sunt : mundities quippe, & virginalis integritas, Ioannem, ut infra videbimus, Christo dilectum reddidit, atque adeò familiarem, ut teste Ambrosio, Ioannes non solum in Christi sinu quieverit, sed & Christus ipse in Ioannis sinu recumbere non sit dedignatus : *Libenter, inquit, in sinu Sanctorum quiescit Dominus, unde & Ioannis Evangelistæ sinum, ut in eo accumberet, libenter elegit.*

[margin: Aug. l. 1. conf. c. 1. Aug. manuali c. 25]

[margin: S. Cyrill. l. ... in Ioan. c. 13.]

[margin: Amb. serm 18. de Epiphan.]

Secundum, quod D. Thomas adducit, dilectionis Christi in Ioannem, argumentum est : *Secretorum notitia, quæ ei Christus revelabat, & specialiter in conscriptione hujus Evangelii; unde dicit, quod recubuit in sinu : Per sinum enim, secretum significatur, secundùm illud : Vnigenitus, qui est in sinu Patris.* Fideli amico intimi animi sensus ac cordis arcana pandere consuevimus. Sic Deus Abrahamum non sustinuit sua latere consilia, nec se quasi continere potuit, quin se in eum expectoraret, & quæ ne ipsis cælitibus nota, ei soli manifestaret, hinc illæ voces : *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* meditabatur excidium Sodomæ, & Gomorrhæ, vicinarumque civitatum, quæ infandâ libidine terram polluerant, & flammas, ac fulmina è cælis provocabant; sed latebat adhuc illud in divina mente, consiliis, ac decretis; at diutius latere non patitur, quæ illi erat in Abrahamum amoris indulgentia; hinc illud : *num celare potero Abraham?* Enimverò non potero, quia mihi amicus, mihi dilectus in paucis, qui *amicus Dei effectus est*, Judith. 8. & ipsius Apostoli testimonio, *amicus Dei appellatus est.* Sic Moysi fidelissimo servo, & intimo amico, abscondita quàm maximè mysteria, & arcana consilia, præ aliis Prophetis, aperuit. num. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in domo mea fidelissimus est : ore enim ad os loquor ei, & palam & non per ænigmata Dominum videt.* Rupertus ait, ut Moyses essentiam Dei non viderit, hoc tamen peculiare præ aliis Prophetis habuisse, quod maximè arcana sua consilia cũ illo communicârit : *quia suum ab illo consilium non abscondebat, & secretorum suorum faciebat esse conscium.* Clariorem adhuc quam Prophetis, videtur Apostolis suis secretorum fecisse notitiam, ut patet ex illo Ioannis 15. *Iam non dicam vos servos, sed amicos : quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis*, quod Chrysostomus, summi amoris, ac amicitiæ signum esse, asserit : *Maximi amoris indicium est, quod arcana Patris, eum eis communicaverit, & dixerit, omnia quæ audivi, &c.* Si amicorum omnia communia, quidni intima sit secretorum, & animorum communicatio? ut rectè Doctor Seraphicus : *Signum, inquit, undè probatur, amicitiam esse veram, est communicatio animorum, sive omnium secretorum : Constat enim quod amator, est vita cordis, sicut Hugo dicit. Ergò qui alteri dat amorem suum, dat illi per consequens & cor suum, sed cor hominis est cellarium, continens omne secretum : Ergò cùm amicus det amico cor suum, nihil ex omnibus tenet illi celatum. Ergò ubi est amicitia, sive mutua donatio cordium, ibi est communicatio omnium secretorum. Cùm igitur inter Apostolum, & Christum, fuerit mutua donatio animorum, fuit & inter eos communicatio consiliorum. Vnde Dominus dicit : jam non dicam vos servos; sed amicos : quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

[margin: S. Thom. in Ioan. c. 13. v. 23. Joanni à Christo arcana omnia communicantur.]

[margin: Gen. 18. v. 17.]

[margin: Iacobi. 2.]

[margin: Num. 12.]

[margin: Rupert. hic]

[margin: Chrysost. hom 70 in Ioan.]

[margin: S. Bonav. serm 1. de S. Barthol.]

Sed quî fit, secreta cælestia nulla nobis communicari? causam reddit idem Doctor, dicens: *Vbi hodie quibus pandantur divina secreta? quia non sumus Dei amici. Quis Rex, si sapiens sit, secreta sua consilia publicat adversariis? nam & animalia bruta, vias suas quantum possunt, suis hostibus celant, in tantum ut leo caudâ suâ vestigia destruat, ne quò vadat, venator perpendat.* Satagite ut amici Dei sitis, & omnia nota faciet vobis. Unam hic quæstionem movet Doctor Angelicus : *Si omnia eis nota fecit, sequitur quod tot sciebant discipuli, quot & filius*; constat autem eos futura contingentia, aliaque recondita Christi myste-

[margin: S. Thom. in Ioan. c. 15.]

Chrysost. hom. 76. in Joan. *Joan. c. 21*

mysteria ignorasse. Respondet cum Chrysostomo, *omnia nota feci vobis, quæ vos scire oportebat, vel quæ capere poteratis.* Ignari erant Apostoli, quem Joannes exitum sortiretur, unde ista interrogatio : *Hic autem quid ?* Latebat eos quoque, in quem caderet illa fetalis sententia : *unus ex vobis me traditurus est*; quis proditor Magistro manus inferre ausus esset : quod ex Joanne, quem Christo à secretis norant, expiscari conantur :

Joan. 13. v. 23.

Innuit ergò huic (Joanni) *Simon Petrus, & dixit ei : quis est, de quo dicit ? Itaque cùm recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei : Domine quis est ? Respondit Iesus : Ille est, cui ego intinctum panem porrexero.* Uni hoc Joanni, quem diligebat, indicavit. Latebat in Christi pectore & arcano cordis, infamis proditor : de eo nec Petrus, nec Jacobus (qui tamen & ipsi Christo à secretis) non alii quærere audent. Petrus Damianus serm. 1. de S. Joan.

Petr. Damian. serm. 1. de S. Ioa.

Tacent cuncti Apostoli, tacet & Petrus, tacet cæli clavicularius, tacet lingua, quæ clavis facta cælorum, talium simul ligat & solvit. Tandem Ioannis patrocinium ab omnibus quæritur, & sic ad rei dubiæ notitiam pervenitur. Quod filius suxit è Patre æterno, in æterna generatione, & verbum Infans hausit in momento conceptionis, hoc Joannes hausit è Jesu pectore, ut Bernardus loquitur :

S. Bern. serm. 8. in Cant.

Hausit Ioannes de sinu Unigeniti, quod de Paterno hauserat ille. Hæc autem secreta, Valentinus Antistes tria enumerat : Secreta personæ, id est divinitatis verbi : ex ejus enim pectore, veluti quodam amoris lectulo *evigilans,*

S. Thom. de Villa nova ser. de S. Ioan.

mira de illius divinitate secreta cognovit, & mirabiliter eructavit. Dein secreta *Regni*, hoc est triumphantis Ecclesiæ. Secreta denique *domus*, id est Ecclesiæ militantis, quæ ei eventura essent, usque ad consummationem sæculi. Et hæc ei manifestavit in secessu, dum Apocalypsim conscripsit, quæ teste Hieronymo, *tot habet*

Hieron. ep. 103. ad Paulinum

Sacramenta, quot verba, ac secreta talia, ut doctissimus Salmeron, Apocalypsim Joannis conferat quadraturæ circuli, *quæ scibilis est*, inquit, *& nondum scita.* At cur cum Abrahamo, cum Moyse, cum aliis sibi intimis Deus tam familiariter conversatus est, & vobis Deum adeò absconditum conqueremini : Rationem ex Ambrosio accipite :

S. Ambr. serm. 27.

In quocumque, inquit, plus operum suorum inesse perspexerit, ipsi magis familiaris, & amicus est. Hoc etiam insitum divinæ naturæ, ut in quo plura sua noscit, magis ad eum afficiatur. Non est, quod hanc Dei familiaritatem summis Sanctis invideas; si ea frui vis, fac ut in te Deus, plus operum suorum *perspiciat.* Frustra religiosa anima quereris, nil simile tibi à Deo concedi; vide quàm pauca Deus in te sua novit, & quàm multa in te sint sæculi, sensualitatis, vanitatis.

Corn. in Joan c. 15. v. 15.

Ne tamen desperes, brevem, sed nervosam, doctissimus sacrarum litterarum interpres Cornelius, praxim suggerit, qui in illud Joan. 15. *Omnia nota feci vobis,* & nos cum Joanne & amicis Dei, ad secreta divina & arcana cælestia cognoscenda rapi posse, exponit,
" dicens : moraliter ex hoc disce, mentes san-
" ctas, Deum valde amantes, quæ terrena o-
" mnia calcantes, in cælis habitant, ac cū Deo
" per orationem familiariter versantur, com-
" que eo quasi amici, crebrò colloquuntur, à
" Deo illuminati, ut altissima ejus mysteria,
" & secreta consilia, ac sacræ Scripturæ intel-
" ligentiam, imò futura quoque, quæ ipse fa-
" cere destinat, ab eo audiant, & discant, quasi
" qui in intimum Dei conclave inducantur,
" ibique fiant ejus veluti secretarii. Docet

id disertè sanctus Bernardus :

Bern. med. de interiori domo c. 69.

Certum signum tibi sit, quæcumque es anima, quod dilectum tuum minus diligis, vel ab illo minus diligeris, si in summorum desiderio ad superna non raperis, & ad theoricos, & anagogicos illos conatus, mentis alienatione non transis ? vis nosse quia sublimitas divinarum revelationum, sit manifestum divinæ dilectionis indicium ? Iam non dicam, inquit, vos servos, sed amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. Satage ergò Deum tuum intimè, & summè diligere, & omni horâ in divinæ contemplationis gaudium, summo cum desiderio anhelare. Collige teipsam, ad teipsam, & in solo divinitatis desiderio requiesce, ubi in mentis excessu, audies arcana verba, quæ non licet homini loqui, & secreta omnia quæ futura sunt.

Magnis Sanctis Deus arcana revelavit.

Talis Dei amicus fuit Seraphicus Franciscus, qui in monte Alverniæ, ut alter Moyses in raptu illo Seraphico, non familiariter cum Deo dumtaxat collocutus est, sed in Deum transfiguratus est. Sic in adita divinitatis penetravit sanctus Ignatius in secessu Maurelano, ubi per octo dies exul corpore, cum Deo familiariter loquebatur super totam Societatis ideam; quam dilecto suo Christus, velut in tabula, exhibebat : audivitque arcana verba, quæ non licet homini loqui. Idem aliis, singulari Sanctimoniâ viris, ac fæminis, favor concessus est. Sic Deus secreta cordis sui, nota fecit amicis suis; nam ut Doctor Angelicus asserit ·

S. Thom. in Ioan. c. 15. v. 15.

Verum signum amicitiæ est, quod amicus amico suo cordis secreta revelet : cùm enim amicorum sit cor unum, & anima una, non videtur amicus extra cor suum ponere, quod amico revelat. Prov. 15. causam tuam tracta cum amico tuo. Una tamen hic in amicitia humana, cautela adhibenda est :

Secreta arcana amicis revelāda, multò minus fæminæ.

ne secretum servis, & ancillis, quamtumvis fidis, & amicis reveles : nec etiam ei, quam amicam, & charam habes, conjugi tuæ, licet ut cor unum, & animam unam, illam diligas : hæc enim mulieris prærogativa est, numquam & nusquam silere. Vulgari amat, & ut videri, sic audiri, quod voluptatis suæ, adeòque & libertatis magnam partem putet, si quid secreti concreditum, ingenitâ quâdam libertate in alterius amicæ sinum profundat.

Scriban. 1. part. Christ. c.

Vulgari rem vis, mulieri committe, quò sanctius, eò citatios profundet, cùm nubium more, rarissimæ sint, quæ pluviam suam teneant, & servitutis summum genus esse putent, silere. Si quid ad canis, vel felis caudam ligaveris, quantâ inquietudine currunt, saliunt, furunt, nec ullo loco consistunt, dum excusserint. Ad institutum nostrū salubriter monet Propheta :

Mich. 7.

Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui; nescio enim, quomodo, aut nocturnæ uxorum blanditiæ, aut preces, etiam lachrymæ, à viris occulta extorquent, & illos ludibrio faciunt, ut Dalila Samsonem.

Lux Evang.

Nec una, nec levis per unam fæminæ linguam excitata est tragædia, ut aliàs vidimus. At saltem uni, maximè intimo, ac fa-

ac familiari amico, secreta committi poterunt? Audi pulcherrimum, ac saluberrimum Philosophi Romani monitum : *Quidam, quæ tantum amicis committenda sunt, obviis narrant, & in quaslibet aures, quidquid illos urit, exonerant. Quidam rursus, etiam charissimorum conscientiam reformidant, & si possent, ne sibi quidem crediturі; interius premunt omne secretum. Neutrum faciendum est; utrumque enim vitium est, omnibus credere, & nulli.* Si ergò alicui, ulterius quærit, cui? In quo delectum, & prævium vult amici, ac diuturnum experimentum : *Diu cogita*, inquit, *an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit; cùm placuerit fieri*, TOTO ILLUM PECTORE, (ut Christus Joannem) *admitte. Tam audacter cum illo loquere, quàm tecum.* Tum alterum, non levis momenti, tradit monitum, quod viro Principi, superiori omni, ac cuique vestrûm observandum est : *Tu quidem ita vive, ut nihil committas, nisi quod committere etiam inimico possis*; cùm enim omnia tua, de te, & tuis, arcana norit, in eam servitutem redactus es, ut licet insolescat, obluctetur, fidem frangat, è numero tuorum expungere non audeas, sed anxius semper animo pendeas, ne quæ illi commisisti, adversariis revelet, & ruinam tibi, ac interitum, consciscat. Nihil de ullo dicas, nihil agas, *nisi quod committere*, si inimicus fieret, auderes. Sed cùm de dilecto numquam satis, ad tertium, cum D. Thoma, sic proceditur; quod est *specialis dilectio*, quâ præ aliis, eum familiarios dilexit, & pretiosissimum pignus, matrem reliquit : nam ut rectè S. Thomas de Villanova, inter intimæ dilectionis Christi, erga Joannem, indicia, *pretiosorum commissio* numeratur. Summi amoris, & honoris in alterum, solet esse argumentum, si ei, quod ipsis maximo in pretio, in primis curis, & amoribus est, commiserint. Hoc Cassiodori judicium est : *plerumque honor ex commendatis acquiritur.* Sic Pharao plurimum amoris, & honoris Josepho exhibuit, dum ei omnis Regiæ suppellectilis curam demandavit, nec quidquam erat tam pretiosum, quod Joseph non asservabat : *Nec enim tale est cellam vinariam tuendam suscipere, quale pretiosa diademata custodire; illa quæ potiora credimus, ad conservandum melioribus damus.* Ex quo patet, cùm Christus Ioanni tradiderit, quod erat in terris, sive in cælis pretiosissimum; illum in amore, & honore summo habuisse. Virgo Mater erat *diadema pulchritudinis* ut eam appellat sanctus Germanus. Erat *diadema pretiosum Regum.* Erat *diadema Ecclesiæ*, quod Ioanni observandum commisit. Multum profectò Theodoricum Regem amasse & honorasse Artemidorum, argumento est, inquit idem Cassidorus, *quod ei Romam commisit, cui nulla par civitas*; at summus cæli Imperator, arctius Ioannem amavit, altius honoravit, dum Mariam, quæ ut loquitur D. Bruno *est civitas sancta*, quæ teste S. Germano : *Est civitas magni Regis.* Est inquit Bernardus : *Civitas Domini virtutum, in supremo vertice honorum gloria constituta.* Est denique si D. Gregorio credimus : *Civitas animata, de qua dicebat Propheta: gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei;* hæc cui nec Roma, nec ulla par civitas, Ioanni commendatur. Iesus moriens, inter prodigia amoris, & doloris, cùm omnia ei dedisset Pater in manus, militibus omnē in una tunica suppellectilem sortitò divisit! Regnum suum latroni dederat : totum corpus suum cruci desponsarat. Spiritum suum, qui solus absumptis membris, ferè reliquus, paternis manibus reservabat, illi sinui redditurus, unde prodierat. Unum quod supererat, longè pretiosissimum munus, Matrem ex divino testamento, Ioanni, & illum Matri reliquit. Nunquam potentius se prodit, explicatque cujusquam amor, & propensa in aliquem inclinatio, quàm in ultima vitæ periodo, cùm mors imminet, & anima jam abituriens, hæret extremis labris, quando ultimam apertè testantur voluntatem; ut proindè rectè dixerit Quintilianus : *Testamenta sunt, quibus omnem animi fatemur affectum.* Crederes cor, amoris, affectusque sedem, tum primum aperiri, ac patescere. Et certè aperitur, ac patescit per ultimas testamenti tabulas, quas jurisconsulti appellant *testationem mentis.* Hinc Plinius appositâ sanè similitudine : *Testamentum*, vocat *speculum animi*, in quo luceat, & videatur animi facies, hoc est amor, & benevolentia ex eo nata. Hoc certè Redemptor noster moriens, more ineffabili executus est, dum omnia sua, suis legavit. Ecce nobilissima testamenti portio, Dei scilicet Mater, Ioanni relicta est. Nemini profectò (si Patrem æternū exceperis) melius, aut dignius quid est concessum. Habes enim in illa, quod terris sanctius, quod cælis gratius, quod Deo pretiosius. Seneca teste, lex olim fuit, *ut major frater, matrimoniū divideret, minor eligeret. Quidam, cùm haberet legitimum filium, alium ex ancilla sustulit, & decessit. Major frater sic divisit, ut totum patrimoniū ex una parte poneret; ex altera, nothi matrem; minor elegit matrem.* Orta hinc controversia, an minor natu accusare posset fratrem circumscriptionis; in qua, sic major ad minorem: *Ego nihil aliud, quàm divisi; circumscriptio non in divisione est, sed in electione. Habes matrem, quam quidam totis redemerūt bonis, habes gloriam, quam per ignes quidam, multi per arma quæsierunt.* Verè; Mater enim filio, pro bonis omnibus, & pro gloria est : quærenda est illi filio per ignem, & enses. Quod si sic quærenda est mater, quæ filiū terris genuit, & miseræ huic auræ mortali; quantò magis Maria, quæ nos cælo gignit, vitæq; immortali, ac beatæ. Hanc quærite, hanc in matrem vobis eligite, atq; ut vera vobis mater sit, vos filios probate, amore, obsequioque, ut Ioannes, estote virginei toti, animæ, corporisque candore. Sic erit illa vobis mater quemadmodū Ioanni fuit, de quo sacræ paginæ : *Cùm vidisset ergò Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat Iesus, dicit matri suæ : mulier ecce filius tuus &c. quasi diceret*, inquit D. Angelicus : *usq; modò, curam tui habui, & memor tui, tibi illum derelinquo, in quo dignitas Ioannis commendatur.* Integerrimæ virginitatis custos factus Ioannes, Aquila magnarum alarum, non è Libano, sed è Calvario volitans, tulit medullā cedri. Felix piscator, relictis phaselo, & retibus, naufragus in Erythræo mari, divini amoris, inæstimabilis pretii margaritā invenit, quæ tota erat Dei morientis hæreditas.

Nunti-

Margin notes (left column): Sen. ep. 3 — Christus Joannem præ cæteris dilexit, dum eum matrem in filiū tradidit. — *S. Thom. de Villa Nova ser. de S. Ioan.* — *Cassiod. l. 1 var. epist. 42.* — *Cassiod. ib.* — *S. German orat. de nat. Virg. Buteo in hym.* — *S. Proclus orat. 6 de Virg.* — *S. Bruno in laud. B. V. S. Germ. orat. de præs. Virg.* — *S. Bern. super salve Regin.*

Margin notes (right column): *Greg. Nic. orat. de prof. Virg.* — *Quint. in declamat.* — *Plin. in ep.* — *Senec. controv. l. 6. controv. 3.* — *Ioan. 19.* — *S. Thom. hic*

Nimirum Deo semper fœneramur pretiosissimis jacturis.

In nuptiis Cananæis, Joannes sponsam, in littore Tyberiadis suum Patrem, ad Magistri nutum deseruerat. Reddit Deus in Calvario matrem suam, lucro longè damnum superante. Certè majorum bonorum institui heres Joannes non potuisset. Guerricus ait, ideo Matrem Joanni traditam, ut tali filio, per Christum adoptato, dolorem Matris, ob absentiam Christi, leniret : *ut Matrem semper suspirans filium, in dilectum filii sui suaviùs respiraret.*

V. Guerr.

O optatissimam adoptionem! felix par animatum, quas Deus medius, extensis in cruce brachiis, conjunxit. Admirandus hic exclamat Bernardus : *Ioannes pro IESV traditur, servus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero.* Quanta, quàm eximia, necesse est, Joanni gratiarũ dona collata fuisse, ut Vicarius Domini, Magistri, filii Dei vices dignè & laudabiliter obire posset.

Bern. serm. in illud: Signum magnum apparuit.

Arnoldus Carnotensis, expendens illa verba : *Mulier ecce filius tuus*, sic ait : *Vices filii naturalis, filius accepit adoptivus : & transfunditur in ministrum, filialis affectus, firmaturque, & formatur in ambobus, pietatis unica gratus, concorsque complexus, non ex traduce naturâ, sed ex gratia.* Lege autem concessum est, quod adoptio naturam imitatur, id est, ut naturales filii succedant parentibus; ita & adoptivi, eodem jure utuntur.

Arnold. Carn. in Ioan. 19.

§. Minorẽ instit. de adopt.

In corde conceptum dilectum à Jesu, cum supra pectus in cœna recubuit, aperto pectore, jam maturum cælo, Joannem filius Matri parit; qui cùm è puerperio crucis renatus fuerit, novo prodigio primus omnium, sine Patre Matrem habet, primus à fratre, frater adoptatur. Prodigium fuerat Mariam in Bethlemide specu, sine dolore peperisse, nunc additur aliud in Calvario monte, sine partu Matrem esse. Inter hanc matrem, & filium, alia consanguinitatis jura ne quæras, præter sanguinis ipsius Dei, pro omnibus morientis. Quare *suscepit eam discipulus in sua.* Quid hoc, *in sua*? Doctor Africanus exponit : *In sua, non prædia, quæ nulla propria possidebat; sed officia, quæ propriâ dispensatione exequenda curabat.* Addit Cyrillus, ut officium filii in eam servaret, eique in omnibus ministraret; unde & Joannes ab Ambrosio in Luc. c. 18. quasi Capellanus beatissimæ Virginis nuncupatur, *qui ei Sacramentum Eucharistiæ ministrabat*; quæ autem ei alia obsequia, dum Virgini Ephesi cohabitavit, exhibuerit, quanta verò ex ejus continua familiaritate, colloquiis, cælestium arcanorum lumina, quantos charitatis ignes, quanta virtutum omnium documenta & incitamenta hauserit, cuilibet facilè est conjectare. Unum hic notandum occurrit, dum & Virgo Mater, Joanné suscepit in filium, quod in Joanne, nascatur Mariæ, omnium clientum nobilis posteritas, unde quæ sola Virgo Mater fuerat, nunc omnium nostrum Mater efficitur. Quid nobis relinquitur est, nisi ut infimis illam precibus rogemus, ut in sua nos, ipsa recipiat. Age Maria, nos in tuos recipe, & quæ Agnum lactasti, nos hodie adoptionis filios, nos Agnos etiã feros, ut tuo lacte mansuescere possimus, ab uberibus tuis ne repelle.

Aug. tract. 119 in Ioã.

Cyrill. in Ioan. c. 19

Corn. in canonic. proœm. in Ioan.

Hactenus de summa dilectione, quã Christus Joannem singulariter prosecutus est; nunc vicissim, *cum amari quadam via sit ad hoc inducens, quod homo amet*, quantum Joannes Christum amore mutuo dilexerit, expendamus : quia *de electo, & dilecto Dei*, numquam satis. Apostolos, quos Christus, æterna Patris sapientia, in Principes Ecclesiæ, & lapides fundamentales elegerat, intimè ab eo dilectos fuisse, ac vicissim discipulos hunc suum Magistrum arctissimè, atque ardentissimè dilexisse, nemini dubium relinquitur. Sed controversia non levis movetur, cùm Petrus & Joannes, præ ceteris à Christo dilecti fuerint, cumq; ardentius amârint, quis è duobus plus Christum dilexerit. Augustinus exponens illud : *Currebant autem duo simul*, Petrus & Joannes; per Petrum ait mysticè significari vitam activã, per Joannem contemplativam; quæ quantum activæ antecellat, aliàs diximus. Ad propositum nostrum Bernardus : qui dum recolit Petrum & Joannem unà concurrisse ad monumentum, & Ioannem antevertisse Petrum, sic ait : *qui amat ardentius, currit velocius, pervenit citius.* Petrus in devexa ætate Christũ secutus, diligere incipit; Ioannes ab adolescentia, & *pene puer*, ut ait Hieronymus, primum ætatis florem, & præfervidos divini amoris æstus ei dedicavit : Addit Euthymius : *Ioannem à puero tantam curam habuisse puritatis, ut ne turpem quidem cogitationem unquam in cor suum ascendere permiserit.*

S. Tho. 1. 2. q. 27 a. 1.

S. Bern. de vita solit. ad fratr. de Monte Dei.

Quantũ Joannes Christum dilexerit.

Ioan. 20. v. 4.

Bern. serm. 23. in cant.

Hieronym. adv. Iovin. l. 1 c. 14.

Euthym. in c. 25. Ioan.

Quod si vos Adolescentes, & adolescentulæ, cũ Ioanne, inter eos numerari velitis, quos diligebat Iesus, à teneris eum sequi, & diligere satagite. Ioannes non solum amore Christi, parentes, cymbam, & retia, ac omnia reliquit; sed cum Virgo permanserit, numquam amor à Christo, ut in conjugatis fit, divisus fuit, sed amorem sponsæ, qui ardentissimus esse solet, eâ spretâ, in Christum transtulit. Accedit Ioannem, majorem cum Christo conjunctionem, atque adeò amorem habuisse, eique in necessitate, quæ maximè amicos probat, fidelissimè adhæsisse. Secuti Dominum, in atrium Pontificis, Petrus & Ioannes; sed hic perfidus, Christum negat, Ioannes, non voce (quia nullus eum de Magistro interrogat) sed lachrymis, quæ animi mœrentis, & amantis voces sunt, confitetur. Sic Thomas de Villa Nova, sanctissimus ac disertissimus Ecclesiastes : *Adstat Ioannes in Palatio, adstat in prætorio, adstat in patibulo, lachrymatur, dolet, gemit palam, & Magistri sui mortem deplorat, & nullus eum interrogat, quid plorat?* ceteris fugâ dilapsis, unus ipse inter Iudæorum catervas, inter satellitum secures, inter militum sannas, in Calvariam rupem sanguinolenta Domini sui secutus vestigia, & cruci, & morienti adstitit, quod amantis fuit, & ad finem usque diligentis. Deprædicat Antiochenus Antistes insignem Magni Basilii in amicum charitatem; cùm enim hic in vincula conjectus esset, ei adfuit etiam cum pari, imò majori, vitæ scilicet discrimine : Aliis verò amicis ei objicientibus, quod vitæ, sanguinisque prodigus

Thom. de Villanova serm. de S. Ioan.

Chrysost. l. 2. de fa- cerd.

digus esset, respondit vultu placido: *aliter amare non didici, nisi ut vitam meam in discrimen adducam, dum periclitantem amicũ liberare opus est.* Certè & Joannes *aliter amare* non didicit: Rapitur in vincula Jesus, Joannis amor, & coteculum sequitur & in vincula. Vocatur in prætorium, & Pontifici sistitur; & cum Magistro suo, eodem discipulus pervadit. Ducitur in Golgothæum jugum, consequitur & Joannes. Sustollitur in crucem Jesus, sub umbra illius, Ioannes una cum Virgine lamentantur, isque ex omnibus unicus, & Judæorum contumeliis sese objicit, & carnificum immanitati, paratus etiam cum Magistro attolli: *Neminem aliter amare non didicerat*; quo amore, pignus consecutus est, quo nec in terris, nec in cælis Deus majus dare poterat. Unde ad quæstionem propositam: uter duorum, Petrus, an Joannes, plus Christum dilexerit, ut jam vobis satisfactũ arbitrer, pro conclusione D. Thomam audiamus: *Quidam dicunt, quod Petrus plus dilexerit Christum in membris, & sic etiam à Christo plus fuit dilectus; unde ei Ecclesiam commendavit: Ioannes verò plus dilexit Christum in seipso, & sic etiam ab eo plus fuit dilectus, unde ei Matrem commendavit*; quod autem usq; adeò dilectus fuerit, causam adfert idem Doctor: *propter vehementem fervorem affectus* sui, erga Christum: ad extremum quippe spiritum, non nisi de dilecto locutus est, inque ejus charitatem, filiolos inflammavit. Quare si olim Augustinus insano amore dixerit: *quid erat quod me delectabat nisi amare, & amari?* hoc in divino, discipulus quem diligebat Jesus, & qui diligebat Jesum, perfectissimè consecutus est: *Ad rationem enim amicitiæ* (ut Doctor Angelicus loquitur) *requiritur quadam mutua amatio, quia amicus est amico amicus*; dumq; à Deo diligimur, non aliud spectat, nisi ut vicissim diligamus. Hoc & vobis, quos tot amoris vinculis, & beneficiorũ illiciis sibi obstrinxit, & solum jure suo exigit. Bernardum audite: *Solus est amor, ex omnibus animæ motibus, sensibus, affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere auctori: nam cùm amat Deus, non aliud vult quàm amari: quippè non aliud amat, nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos, qui se amaverint.* Hæc inviolabilis charitatis lex est, ut amor amore compensetur; etiamsi homo dederit *omnem substantiam suam pro dilectione* diligentis se, *quasi nihil despiciet eam*, nisi amori ejus, tuo amore respondeas; quidquid mortificationis dederis, quidquid precum, quidquid eleemosynarum: quidquid sudoris, lachrymarum, sanguinis dederis, etiam corpus, teste Apostolo, ut ardeat; charitatem autem non habueris, nihil tibi prodest. *Meritò igitur anima cunctis renuncians affectionibus aliis, soli & tota recumbit amori, quæ ipsi respondere amori habet in redhibendo amore.* Scimus quidem, nos ex millesima parte, illius infinito, & immenso amori, minimè respondere posse; sed solatur Bernardus: *Si minus diligit creatura, quoniam minor est; tamen si ex tota se diligit, nihil deest ubi totum est.*

S. Thom. 1. p. q. 20. a. 4. ad 3.

S. Thom. in Ioan. c. 13. v. 23.

Aug. l. 2. conf. c. 2.

Bern. serm. 13. in cant.

Cant. 8. 7.

Bern. cit.

§. II.

Intimi amici, favoritæ, seu Privati, ac familiares Regi, Principi, Superiori, non affectu, non exteriori gratia; sed virtute, probitate, eruditione, & prudentia deligendi sunt.

Optimus Magister morum Seneca, ut eum Lactantius compellat, multum disquirendum, & expendendum tradit, priusquam quis in intimam familiaritatem admittatur: *Nescis*, inquit, *quantum sit pretium amicitiæ; si non intelligis multum te ei daturum, cui dederis amicum, rem non domibus tantum, sed sæculis rarum. Non sunt isti amici, qui agmine magno januam pulsant, qui in primas, & secundas admissiones digeruntur. Est proprium superbiæ, magno æstimare introitum, pro honore dare, ut gradum prior in domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludunt. Apud nos, primi omnium C. Gracchus, & mox Livius Drusus, instituerunt segregare turbam, & alios in secretum recipere. Habuerunt itaque illi amicos primos, habuerunt & secundos, numquam veros. In pectore amicus, non in atrio quæritur. Illo recipiendus est, illic retinendus, & in sensus recondendus.* Quod Gracho, & Druso accidit, ut primos, & secundos habuerint amicos, numquam veros; id pluribus hodiernâ die accidit, qui non explorant quid virtutis, integritatis, scientiæ in pectore reconditum habeant, quid consilii, fidelitatis, veri & sinceri amoris sinu foveant; sed muneribus obsequiis, assentatione, & adulatione, exteriori gratiâ, irretiti, miserè se deceptos reperere. Nostis, quæ Ioannem Christo, teste Hieronymo, & Tertuliano, *charissimum & dilectissimum* reddidere? Libet ea ex aurea Doctoris Angelici catena contexere: *Sciendum*, inquit, *quod Ioannes fuit magis dilectus à Christo propter tria. Primò quidem propter munditiam puritatis, quia Virgo est electus à Domino, & Virgo in ævum permansit*; quod probat ex illo Prov. 22. *qui diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem.* Eandem ob causam alibi docet, summa ei familiaritatis signa à Christo exhibita: *Ioannes plus dilectus quantum ad quadam familiaritatis indicia, quæ Christus ei magis demonstrabat, propter ejus juventutem, & puritatem.* Alii in eo, alias virtutes observarunt, quæ eum amabilem reddebant. Bonaventura: *Diligebat Dominus Ioannem, sicut dicit Chrysostomus, magis familiariter, propter ingentem mansuetudinem, & propter virginalem puritatem, & etiam propter juventutem, quæ etiam cæteris paribus, facit hominem diligi magis tenerè.* Secundam rationem adfert S. Thomas: *Propter sublimitatem suæ sapientiæ, quâ cæteris altius, arcana divinitatis intuitus est; unde & Aquila comparatur.*

Seneca lib. 6. de benef. c. 33.

Amici probandi, priusquã in intimã familiaritatem admittantur.

cit. Vasq. in 1. p. disp. 83. q. 20. S. Thom in Ioan. c. 13. v. 23.

Joannes ob tria peculiariter dilectus.

S. Thom. p. 1. q. 20. a. 4. ad 3. Bonav. in 3. lib. s. dist. 32. q. 6.

Quare noo fungi, stolidi, nullâ rerum peritiâ instructi, in intimam familiaritatem adsciscendi; eò, ad confirmationem, adducit illud prov. 14. *Acceptus est Regi minister intelligens.* Tertio docet, Joannem à Christo peculiariter dilectum, *propter vehementem fervorem affectus sui erga Christum.* Ex quibus rectè concluditur, minimè vitio vertendum, si ob virtutem, ob amorem, & affectum alterius in te, ob fidem probatam, in amicitiam, & familiaritatem admittatur, quicum speramus, æternæ societate, & familiaritate in cælis fruituros. Quemadmodum monet D. Greg. l. 1. offic. cap. 8. *Plus certè diligere debemus, quos perpetuò nobiscum putamus futuros, quàm quos tantum in hoc sæculo.* Nemo tam rigidus, qui effectum omnem adimere Regi, aut cuivis Superiori velit; aut tam imprudens, qui speret se posse familiarius ac confidentius cum uno agere; quod nemo sapiens damnabit. Domesticos etiam habere, quorum consuetudine, & obsequiorum promptitudine delectetis: (Videndum ne assentatores sint) nec novum, nec mirum: Quis enim obsequiosos negligat, aut non amet? non beneficus, eùm possit, eumulet? Aut quis probet eodem omnes loco haberi, virtutum, vitiorumque sectatores, prudentes ac fatuos? Et non Regium hoc, & Abbatiale, & Rectorale est, majore in eo affectu duci, quos aut innata pietas, probitasque: aut vetus nobilitas, virtutibus exornata: aut eruditio, & rerum magistra experientia magnos dedit? Sua, nimirum virtuti, ut laus, & præmia, ita & amor, ac benevolentia est, ut tales primæ admissionis, & à secretis sint, in amore, & honore habeantur. Atque ut exemplis res illustretur: talis Jacobo fuit Benjaminus: Christo dilectus Joannes Paulo Onesinus, & Timotheus, quos charissimos suos compellat, ad Coloss. 4. v. 9. *salutem Onesimo* CHARISSIMO, & 2. ad Timoth. 1. v. 2. *Timotheo* CHARISSIMO. Ubi hoc iterum, iterumque inculcandum, ut ejusmodi sibi Rex, Princeps, Prælatus, Superior, favoritas, ac charissimos comparet, quos virtus, indoles, eruditio prudentia, fides, & amor, præ ceteris commendat.

Unus præ alio, rectè diligi, & charus esse potest. — *Scriban. Polit. Christ. l. 2. c. 46.* — *Sancti viri habuêre suos charissimos.*

Talis apud Darium Daniel. Audiamus scripturam: *Daniel superabat omnes Principes, & Satrapas.* Additur ratio: *quia spiritus Domini amplior erat in eo.* Sic Pharaoni Josephus gratiosus fuit: *Ego sum Pharao; absque tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem, in omni terra.* De Naaman Syri exercitus ductore: *Erat vir magnus apud Dominum suum, & honoratus: per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ; erat autem vir fortis.* & 3. Reg. 4. *Zabud filius Nathan sacerdos, amicus Regis.* Sic in Christo, provocavit vehementiorem dilectionem erga Joannem virtus vera, quam Euthymius, Hieronymus, Chrysostomus, ad puritatem, castitatem, virginitatem revocant. Et Ecclesia confirmat, cùm ait: *specialis prærogativa castitatis, ampliori dilectione fecerat dignum.* Quo facto, servavit ordinem charitatis, diligendo plus, qui plus diligi merebatur. Quemadmodù tradit S. Ambrosius, fecisse Jacob Patriarcham, erga Josephum filium: *Nec libertatem*, inquit, *possumus auferre Parentibus; ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri.* Et post: *Iacob illum plus amabat, in quo majora virtutum insignia prævidebat.* Poteris & tu, beoè, ac laudabiliter, hoc factum Domini, Joannem præ ceteris diligentis, imitari; poteris sanè meliores magis amare, perfectiores imperfectioribus præferre, & majoribus donis præditos, communioribus hominibus anteponere. Hoc enim, inquit Alvarus de Paz, *Ordo charitatis poscit, æquitas petit, justitia exigit*; quam si omnes ad amussim custodirent, & meliores, ac digniores vehementius suspicerent, amplius honorarent, & locû ambitioni, & præsentationibus non præberent, melius regeretur Ecclesia Dei, & quælibet Religiosa familia, pulchriore colore fulgeret. At numquam Salvator noster docuit, vanas amicitias colere, cum adolescentulo, aut nobili, aut otioso, & vaniloquo intempestivè conversari; illum diligere, istum efferre, istum melioribus præponere, eum solû, reliquis contemptis, sanctum, sapientem, & ad omnia quæ honoris nomine occurrunt, aptum prædicare, & idooeum habere.

Daniel. 6. — *Gen. 41.* — *4 Reg. 5.* — *Amb. l. de Ioseph. c. 2.* — *Alvarus de Paz. oper. spirit. tom. 1. l. 5. c. 16.* — *Qui chari nobis habendi.*

At si aliquem tibi familiarem diligendum judicas, audi ex Bonaventura, quem prudenter eligere debeas: *Si familiarem*, inquit, *admittas, sit quem ætas, mores, discretio, & honestas insigne, & commendat. Familiaritas si fuerit ordinata, non erit blanda, improba, puerilis. Est modesta quadam in sancta familiaritate severitas, est & justitia rectitudo, ut nullatenus vitium foveatur, nec pro amico proximus offendatur. Nolo, ait Sapiens, pro amico inimicus fieri proximo.* Sed ubi nuoc, qui in favoritas, in privatas amicitias, in charissimos assumuntur, qui probitate, & prudentiâ Danielem æquent? Qui fidelitate, & integritate Josephum æmulentur? Qui salutem populi, & bonum publicum, cùm Naaman Syro spectent? qui pudicitiâ virginali, in se Joanne gratiosos reddant? Nunc omnis gratia assectatione, blanditiis, obsequiis, &c. apud homines initur, ab iis, qui se spectant, non te, sed tua. Suam quærunt promotionem, & utilitatem; quod observans magnus Gregorius, sapienter admonet: *Nullus fidelior tibi ad consulendum esse potest, quàm qui non tua, sed te diligit.* Te, non fortunam tuam, aut suam, non opes, non honores. Discrimen inter duos regios ministros, nun indignum relatu, refert Stapletonus: *Thomas Morus à prima ætate, usque ad annum vitæ quinquagesimum in Republica versatus, in tota vita sua non auxit censum, ultra sexaginta aureos annuos*; subdit: *& vivit jam in Anglia, qui talibus officiis, infra quinque annorum spatium, census ad sexaginta millia aureorum acquisivit.* Mutus omoe studium suum augendis regni, Regisq; opibus, honoribus, commodis, sedulus impendit; alter exhauriendis regni, & regiis opibus, suis augendis.

Bonav. in spec. discip. 1. p. princip. c. 6. — *Eccl. 6.* — *Scriban. Polit. Christ. l. 1. c. 12.*

Tales amici sunt, qui se amant, tua, non te. Gratiam, favorem, animum, & cor totum possidere nituntur, ut potestatem tuam, auctoritatem, divitias, omnia denique tua, sua faciant. Quæ ubi in apertum proruperint, ni prævertas, & prævaleas, quos extulisti, te perdent: omnium

Abusus gratiis, mi. dem incept. &

[margin: ...nfidi in familia ...a, & favoritas assumuntur.]

omnium enim jam arcanorum conscii, & favore, ac potentiâ fulti, partes trahent, & in caput suum insurgent.

[margin: *Lib. Esther c. 16.*]

Exemplum in ingens Amanus fuit. Hinc prudens illud Esteris 16. Artaxerxis Regis monitum: *Multi bonitate Principum, & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam: & non solùm subjectos Regibus nituntur supprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias. Quæ res & ex veteribus probatur historiis, & ex his, quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorumdam suggestionibus, Regum studia depraventur.* Nimis magna documenta in omnē posteritatem ætas nostra dedit.

[margin: *Masson. lib. 1. annal. Franc. Chokier. in thesauro polit. l. 4. Aristot. 5. polit. c. 11.*]

Quæ enim res, Carolum Galliæ Regem ad extremum evertit? Nisi quòd Hagononem Laudunensem, tenuioris conditionis hominem, omnium consiliorum suorum participem faceret, nec quidquam sine illo domi, forisque rerum gereretur? nempe tanta obscuri hominis gratia, Regi tandem exitio fuit; cùm non injuriâ Proceres molestè ferrent, unum omnibus, eumq; ignobilem, nobilissimis viris anteponi, ut ex Papirio Massono retulit Ioannes Chokier. J. C. magni nominis Politicus. Sapienter, & salubriter Philosophorum princeps, in præceptis moralibus: *Commune & universale præsidium Monarchici status* (non sæcularis dumtaxat; sed & ecclesiastici) *neminem unum nimis subvehere.* Aut ut Vellejus Paterculus loquitur: *Non in uno aliquo, omnia reponenda putare*; non enim è re, nec dignitate Principis est. Non dignitate: cùm turpius nihil sit, quàm Principem, qui omnibus imperat, omnis rursus imperio subesse. *Minus est quàm servus, Dominus, qui servum timet*, inquit Mimographus.

[margin: *Plutar. in Lysandro.*]

Quid, quòd illi, qui aures, & arcana, & animum Principis possident, ac cuncta administrant, omnes ad se, Rege spreto, clientes trahant, honorentur, adorentur: cùm ab eorum manu omnia dependeant, ut rectè Plutarchus: *Nimirum quod in tragœdiis usuvenire solet histrionibus, qui nuncii personam gerunt, vel ministri, pluris fiant, & primas partes agant; illius verò, qui diadema fert, & sceptrum, nec vox audiatur ulla loquentis. Idem accidit hujusmodi Regibus, aut Principibus; Majestas quidem Imperii, hærere apud ministrum solet; Regi, aut Principi orbum potentiâ nomen relinquitur.* Non è re: *Nunquam enim satis fida potentia est, ubi nimia est*, ait Tacitus. *Neque Princeps nimiâ unius auctâ potentiâ, tutus vivet*, auctore Dione. Nec modò Regibus, sed & cuivis Præsidi, Prælato, Superiori omni, *nimia unius aucta potentia*, nimia in unum indulgentia, benevolentia, conniventia, perniciosa maximè, & periculosa est: cùm omnium in se, non modò malevolorum, sed & proborum, qui se, suosque labores, ac sudores despici vident, animos concitent, murmurationes, odia, & simultates in se graves conflent. De quo vir gravis, & auctor egregius, Carolus Scribanius, prudenter Superiores commonet:

[margin: *Tacitus 2. hist. c. 92.*]

[margin: Monitum de peculiari familiaritate vitanda.]

[margin: *Scriban. Superior Relig. l. 2. c. 1.*]

" Cavendum, ne uni familiarior sit, quàm alteri: cùm privatæ hæ necessitudines, reliquorum à Superiore animos avertant, murmurationibusque causam præbeant, suspicionibus domum repleant, diffidentiam ingenerent, disciplinam in familiaribus hisce " laxent: fit enim, ut amico omnia concedenda " sint, ne alienis arcana, cum Superioris rubore, prodat. Sed quid? opponet aliquis: nonne rationi consentaneū, ut qui virtute, obsequio, promptitudine, indefessâ ad nutum Superioris observantiâ pollet, præ aliis immorigeris, indisciplinatis, discolis, dissolutis, Superiori peculiariter in deliciis, in amoribus sit? non me, sed Doctorem Seraphicum attendite: *Licèt meliores in affectu præferendi sint minoribus, in actu tamen exhibitionis exterioris, taliter se gerat ad omnes, ut nullus se ab eo contemni, propter alios suspiretur.*

[margin: *Bonav. de sex alis, c. 6.*]

Foêre quidem sanctis viris, sui præ cæteris dilecti charissimi, ac charissimæ: habuit Servator noster discipulum sibi dilectum Ioannem: Lazarum, Martham, Mariam prædilexit. S. Petrus unicè amavit S. Marcum, & Petronillam, spiritualem suam filiam, ut ait Baronius. S. Paulus Timotheum, & Theclam: S. Gregorius Nazianzenus Basilium, ut dicat unam animam fuisse in duobus corporibus: Ambrosius Monicam: Chrysostomus Olympiadem: Hieronymus Paulam; ut fusè S. Franciscus de Sales, qui & suas charissimas filias habuit; sed hi omnes affectum ita temperabant, ut alii non viderentur contemni. Christus ita dilexit Ioannem, ut discipuli inter se ambigerent, quis eorum esset major, & Christo charior. Ut enim Ioannem singulariter dilexerit, ubi munera, & dignitates conferendæ erant, Petrum canitie venerandum Ecclesiæ præfecit. Hieronymus: *Cur non Ioannes electus est Virgo? Ætati delatum, quia Petrus senior erat: ne adhuc adolescens, & penè puer, progressæ ætatis hominibus præferretur: & magister bonus, qui occasionem jurgii debuerat auferre, discipulis, si in adolescentem quem dilexerat, contulisset, causam præbere videretur invidiæ.*

[margin: *S. Franc. de Sales praxi spirit. part. 3. c. 19.*]

[margin: *Hieron. l. 1. contra Iulian. c. 14.*]

Cavendum Regibus, Prælatis, Superioribus, ne affectu cæco, in quos feruntur, sæpè tyrones, juvenes, quales nunc in subselliis ridentur, ineptos, & improbos, ad primas dignitates, ad sublimes gradus, ad gubernacula promoveant, & nocituras habenas laxent, qui dein ut insanus Phaëton, & se & suos perdant, eumque, per quem promoti sunt, in omnium invidiam, imò & exitium inducant.

[margin: Gravia incommoda caritatis ...tissima-tionis.]

[margin: *Nigron. tract. ascet. tract. 13. c. 2. § 13.*]

Julius Nigronius, qui argumentum illud de peculiaribus amicitiis scitè & eruditè pertractat, docet etiam, particularibus Religiosis, ac viris senioribus, suos esse in monasterio charissimos, ac in junioribus delectum habere; sed non qualem Iesus in Ioanne habuit: fieri enim assolet, inquit, ut junior è tyrocinio translatus in cœnobium, ubi daturus est operam disciplinis addiscendis, si tepefactus in rerum spiritualium studio fuerit, & superbiæ aditum aperuerit, pluris æstimare incipiat ingenii cultum, unde laus, & apud homines existimatio splendescit, quàm ornamenta spiritus, contemptum sui, virtutes solidas. Hinc fautores sibi parat, ac patronos, quorum adminiculis ad altiora conscendat, & per honorificentiora ministeria, mundo reddatur illustrior. Benevolentiam Magistri Regentis, seu Præsidis studiorum, aut consultoris alicujus, aut senioris, qui plurimùm auctoritate polleat, Superioris,

Familiaritas seniorum cum junioribus suspecta.

aut ejus, qui apud Superiorem posse existimatur, sibi strenuè aucupatur : colit officiis, ore laudat, ei ministrat obsequiis, blanditur, & verò etiam interdum adulatur; exhiber, atque ingerit se promptum ejus imperio : refert res novas hinc inde aure curiosâ perceptas, & quidquid alii domestici de illo dixerint : omnem denique movet lapidem, & funem trahit, ut ejus gratiam senioris, per quem possit anteferri condiscipulis, & in altissimo gradu probitatis, ingenii, doctrinæ, in opinione Superiorum collocari.

Speciatim curat per horum Patronorum gratiam, & favorem, ut ad defensiones publicas, ad Theologicas cathedras, conciones in maximis templis, aliasque honorificas functiones, atque ad gubernacula promoveatur. Senior autem, quamvis ad amicitias ineundas parum propensus naturâ sit : ut observavit Aristoteles; tot tamen officiis cultus, ac provocatus, ducitur ab affectu, quem Cassiodorus vocat *Officialem*, ad rependendam aliquam juniori benevolentiam : incitatur fructu commodorum præsentium, ac spe futurorum. Fruitur senex præsentibus commodis, cùm junior promptè comitatur egredientem; cùm è bibliothecâ libros in cubiculum defert, & refert : cùm illi lucubrationes, & conciones aliquas, aut dictanti scribit, aut jam scriptas describit : cùm deniq; in aliis necessitatibus, laboriosam ad nutum exhibet servitutem. Quæ futura commoda sperat, ea sunt officia & beneficia, quæ etiam ætate confectus, potest à juniore sibi olim charissimo recipere, cùm vir factus, gubernacula tractans cœnobii, poterit senioribus prodesse. Quamobrem senior, juniorem sibi intimum apud Superiores patrocinio promovet, defendit, excusat. Quid, quod interdum seniorem incautum, ad hujusmodi privatas amicitias, & familiaritates, trahit idem ille affectus, qui capit adolescentes, spectans in adolescente leporem, urbanitatem, ingenium, indolem, formam potiùs, quàm virtutes, quem affectum Cassiodorus jure improbat : *Frequenter*, inquit, *alicujus hominis exterioris habitudo, vel motus, ad diligendum aliquem intuentis animum impellit : verbi causa, si forma elegantior, si sermo urbanior fuerit, si competentior habitus, si maturus incessus.* Atque hunc affectum *carnalem*, seu, ut mitissimè loquar, *sensualem* vocat. Peculiaris hæc amicitia, maximè reprehensibilis est, tum ratione junioris, tum senioris.

Arist. l. 8. eth. c. 5. Cassiod. l. de amic. §. de motu ad desid.

Cassiod. cit.

Adolescens hujusmodi favore, & patrocinio, negligit virtutum, ac rerum spiritualium studium : remittit diligentiam in litteris, auctoritate senioris fultos : despicit condiscipulos, quibus se præferendum putat : violat sæpè domesticam disciplinam, & parvi pendit jussa Superiorum; Atlante hoc, & defensore, se tutum existimans.

Per has actiones à recto deflectentes, domesticis fit invidiosus, & evadit multis intolerabilis. Damnanda quoque est ex parte senioris, hæc cum juvene privata amicitia, tum quia nocet juniori, favore & patrocinio suo, ut verè causa sit illi malorum, quæ recensui : tum quia sibi obest, minuens bonam famam, multorum annorum spectatâ virtute comparatam; quæ sæpè læditur, cùm peculiaris amicitia cum adolescente, & nimia *familiaritas* ex ea profecta deprehenditur.

Quam ob causam maximè suspecta semper fuit familiaritas, & singularis conversatio seniorum cum junioribus, quam à priscis Patribus, gravibus de causis lego reprehensam, tanquam male olentem. Sanctus Pachomius ait : *Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libenter cum pueris ridere, & ludere, & habere amicitias ætatis infirmæ, tertiò monebitur, ut recedat ab eorum necessitudine.* S. Ephrem : *Cum adolescentulo nimiam consuetudinem, & amicitiam cavete.* S. Isidorus inter culpas graviores numerat, *si cum parvulis riserit, jocatus fuerit.* S. Bernardus formulâ honestæ vitæ c. 9. *Consortia juvenum, & maximè illorum, qui imberbes sunt, in quantum poteris, devita.* Quæ pluribus Nigronius noster prosequitur.

S. P[...] reg. n. [...]

S. Ephrem. t. 2 paren. 4

S. Isid. reg. c. 17.

Nigron. in reg. comm. reg. 1[...]

Confessariis verò, & iis, ad quos animarum cura spectat, quàm omnis familiaritas devitanda sit, non ex meo, sed sanctorum Patrum, gravissimorumque Doctorum sensu, intelligite, qui eos potissimùm perstringunt, qui inter suas spirituales sorores, aut filias, unam quandoque habent cæteris chariorem, cui instruendæ, audiendæ, solandæ, visendæ, horas, & dies, & annos, & se totos impendunt. Huic in sacro pœnitentiæ tribunali aures præbent per horas, cæteris mirantibus, indignantibus, nescio quid sinistrè suspicantibus. Particularibus insuper congressibus, colloquiis, usque prolixis, & numquam importunis una fovetur.

C[onf]essarii [...] præ cæteris non habeant familiariorem.

Accedunt invitationes, forenses deambulationes : mussitantur clanculum utrimque munuscula, litterulæ, &c. Quæ omnia D. Hieronymus epistola ad Nepotianum, ut maximè suspecta habet, & severissimè coarguit : *Cavete*, inquit, *omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicitas : & oblatos, ac degustatos cibos, blandásque ac dulces litterulas, sanctus amor non habet.* Tum formulas amatorias, ac molles compellationes, ut nimiæ familiaritatis indicia, etiam in litteris exectatur; *Mel meum, lumen meum, meum desiderium : omnes delicias, & lepores, & risu dignas urbanitates, & cæteras ineptias amatorum, in comœdiis erubescimus, in sæculi hominibus detestamur.* Tum subdit : *Nec hoc dico, quod aut in te, aut in sanctis viris ista reformidem; sed quod in omni gradu, & sexu, & boni & mali reperiantur : malorúmque condemnatio, laus bonorum sit.* Incommoda verò, & scandala, quæ ex litterarum familiaritate orta, cùm sine rubore recitare non audeam, ad D. Hieronymum epist. 48. ad Sabin. remitto.

Hieron. epist. ad Nepotian.

Ibid.

Unicum ejus gravissimum monitum prætcrire non possum : *Munuscula omnia, & suspectas litterulas, hæc cuncta luxuriæ nuncia, vobis indico sub anathemate, & æterna mortis pœna.* Ejusmodi fulmen, nisi noxa mortalis subesse credatur, torqueri non solet.

S. Hier[...] tom. [...] [...] mach. c. 3[...]

Certe

Certè Carolus Scribanus, vir integritate, & perspicuitate mentis summâ, qui plures de gravissimis negotiis, à primariis Belgii matronis litteras acceperat, nullis unquam sua manu respondit, ex præscripto Hieronymi: *Quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, devitans.*

S. Bern. lib. de modo benè vivendi, c. 61.

Eodem spiritu Hieronymi, planè divino, ductus Bernardus, similia, non minori censurâ præscribit sorori, Virgini sanctissimæ, in hæc verba: *Charissima soror, audi quæ dico: Ancilla Christi magnum malum facit, & grande peccatum committit, si ab hominibus litteras, vel aliud quodlibet munusculum suscipit, & sui Ordinis prævaricatrix est.* Quæ certè à tanto viro, tam exaggeratè dici non poterant, nisi ex his scintillis, grave incendium prævidisset. Quare eodem opusculo, ut omnis familiaritas cum viris devitetur, pericula denuntiat: *Soror mihi in Christo dilecta, moneo te, ut vir quamvis sit sanctus & justus, nullam tecum habeat familiaritatem. Quamvis sit Religiosus; nullam tecum habeat assiduitatem.* Quorsum hæc? quid hîc periculi, à Sanctis, Justis, & Religiosis timendum? Sensum ipsius audite, & obstupescite. *Quare?* inquit: *Ne visitandi familiaritate, utriusque pereat castitas. Sæpè familiaritas vincit, quos vitium superare non potuit.* At istæ, & illi, tutantur se; Paulum intimam familiaritatem habuisse cum Tecla: Petrum cum Petronilla, spirituali ejus filia, Hieronymum cum Paula, Eustochio, aliisque Matronis Romanis, ad quas non unas litteras destinavit; uti Joannes ad Electam, nobilem filiam, quæ à D. Thoma *Devota* nuncupatur. Franciscus de Sales plurimas, & quàm familiares, ad varias. Hæc illi.

Ibid. c. 58.

S. Thom. in ep. 2. Ioan.

S. Cyprian. de singularit. Cleric.

Audite nunc responsum Carthaginiensis Præsulis: *Callidi argumentatores, & luxuriosi fallaces. Revera magni homines, qui se comparant Sanctis: Et eximia conversatio nostra, quæ Prophetis, & Apostolis videatur æqualis. Video planè sic apud vos calcari avaritiam, sicut Apostoli propria cuncta dimiserunt; video crapulam & ebrietatem, sic vestris conviviis abesse, &c.* Ac tandem concludit, à vitæ austeritate, & carne domita, nil iis Spiritu Dei plenis periculi fuisse: *Qualem ad viduam habuit Helias introitum, cui fames dedit hospitium? Quisquis es, qui te vis Heliæ, de commoratione vidua, vocari discipulum, prius solitudinis afflictiones, & quadraginta dierum tolera jejunii exitum.*

Hos viros sanctos jejuniis, ac corporis afflictationibus, carni mortuos, qui nil nisi solam virtutem, sincerum animarum zelum, in Spiritu profectum, ac Dei gloriam spectabant, æmulari fuerunt, nemo jure arguere poterit; at qui sub eo prætextu, formam, florem ætatis, garrulitatem, gratiam naturalem, emolumentum proprium, ac sensualitatem sectatur, à periculo tutus non erit.

Sic tradit expertissimus vitæ sanctioris Magister, Joannes Gerson, Galliæ Cancellarius, qui enarrato periculo magni viri, quem nimia familiaritas, & singularis amicitia religiosæ Virginis propè perdiderat, subdit: *Hæc demum fraus apud illos frequens est, qui in dilectione decorem corporis, florem ætatis, aut divitias, aut alias fortunæ dotes ostendunt: ac inde vehementiùs ad eorum dilectionem accenduntur. Qui profectò cavere debent, ne sordidè, aut carnaliter exurantur. Alioqui, si tantummodò virtutem diligunt, sedem ejus unicam, spiritum videlicet, qualecumque corpusculum inhabitet, æquè ament, colant, & frequentent.* At quia præ his, priora se passim insinuant, charitas fit carnalis, qua turpiter prolabantur: *Proximus enim est, & facilis gradus ab amore spirituali, & honesto, ad carnalem.*

Gerson tract. de distinct. vision. sig. 5.

Hieron. in reg. Sanctimon. c. 18 & epist. ad Rust.

Deplorat B. Laurentius Justinianus hanc incautorum casum, dicens: *O quot sub specie charitatis seducuntur, & seducunt! O quanti simulata pereunt dilectione! Heu quàm multi in principio purè, & sine deceptione conversantes,* ET NIMIA FAMILIARITATE *paulatim infecti, in immane præcipitium dilapsi sunt! eò miserabilius, quò fœdiùs.* Quare nôrint, si qui hujusmodi reperiantur Confessarii, & animarum Pastores, in se potiùs cadere illud Hieronymi monitum, quod de instructione filiæ ad Lætam dedit: *Nolo de ancillulis tuis aliquam plus diligat, cujus crebrò auribus insusurret.*

Laur. Iust. de discip. & perfect. c. 22.

Hieron. epist. 7. ad Lætam.

Accedit ad hoc sanctorum Patrum judicium, Doctoris Angelici, Theologorum Principis testimonium: *Frequens familiaritas, domesticum est periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum, bono colore depictum; non tamen hoc statim perpendunt: quia sagittarius à principio non mittit sagittas venenatas; sed solùm aliqualiter vulnerantes, & amorem augmentantes. Ad tantum verò in brevi deveniunt, ut jam non velut Angelus, sicut cœperant, se invicem alloquantur, & videant; sed tanquam carne vestitos, &c.* Quæ subnectit, honestius legere, quàm dicere est. Ad cautelam tamen omnium, prudentis hoc ejus monitum: *Solus cum sola non sedeas in secreto, absque arbitro, & teste: nec sub eodem tecto, cum muliere maneas, nec in præterita castitate confidas. Omnes Virgines Christi, & puellas, aut* ÆQUALITER *dilige, aut* ÆQUALITER *ignora.* Tum illud Augustini adducit: *Sermo brevis, & rigidus cum mulieribus est habendus: nec quia sanctiores fuerint, ideò minus cavenda: quò enim sanctiores fuerint, eò magis alliciunt: & sub prætextu blandi sermonis, immiscet se virus impiissimæ libidinis. Crede mihi, Episcopus sum, Episcopo loquor, non mentior: Cedros Libani, id est, contemplationis altissimæ homines: & gregum arietes, id est, magnos Prælatos Ecclesiæ sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu non magis præsumebam, quàm Hieronymi, vel Ambrosii.*

S. Thom. opusc. 64. de periculo famil. mulierum.

Denique, ut per omnes classes transeamus. Professores in Gymnasiis, ne eos sibi charissimos adlegent, quos forma, quos gratia externior, vestis elegantior, aliaque fortunæ bona commendant: ne trussulos, formosulos, quasi ex ovo prodierint, divites, potentes, pauperibus, ac tenuioribus neglectis, in oculis gerant, seorsim excolant, audiant, audiantur. Impunè quidvis audeant. & inter hos, adhuc unus & alter, *Gallinæ filius albæ.* Alii vilioris conditionis, ac despicatioris formæ: *Pulli nati infelicibus ovis.* Cùm tamen jure naturæ, egentiori plus subsidii,

Magistri uni præ aliis non peculiariter faveant.

Iuven. sat. 13.

Ibid.

sidii, & auxilii, plus opis, ac operæ debeatur: nam ut nobiles, ac divites, in ludo hoc litterario, in turba resideant, facilè suis fortunis emergent; secus ac pauperes, quibus eruditio, sacra anchora est, ex qua omnis spes, & res eorum dependet. Quare non levis peccati, magister reus damnaretur, qui altiora subsellia, primas palmas, ad ditiores immeritos conferret, pauperioribus emeritis denegaret; imò suffuratur, cùm præmia sint debitum diligentiæ, ac doctrinæ minerval, & publicum eruditionis testimonium, ex quo & Magnatum gratia, & eorum promotio, lauta beneficia, ac stipendia non rarò dependeant: quique ad altiores disciplinas, quandoque ad infulas nati erant, dum se negligi, ac despici vident, se, & animum prorsus abjiciunt.

Quid, quòd magistrâ experientiâ sæpè compertum sit, gratiosos illos, & magistro in paucis charos, Narcissos, comptos, crispos, lacteos, delicias parentum; stupidos passim, fungos, imò & perversos, ac intractabiles esse, vel verbo læsos, maximè ingratos, & odibiles reddi. Econtra verò, sæpè sub surdido palliolo latet excellens ingenium; judicium acre, indoles præclara. In putri vagina, sæpè chalybeus ensis reconditur, & ferrugineus ac plumbeus in gemmeâ, ut rectè Seneca: *Gladius bonus, non cui deauratus est baltheus, aut vagina gemmis distincta; sed cui ad secandum acies subtilis.* Quare ne particularis hic affectus inter nostros vigeret, Societas universa, & auctor noster *Ignatius*, hanc suis Scholasticis Regulam præscripsit: *Familiarem non se uni magis, quàm alteri ostendat. Et Reg. 50. Contemnat neminem, pauperum studiis æquè ac divitum benè prospiciat.* Hinc de ratione præmiorum, severissimæ leges, ac vigilantia Superiorum, ne quâ fraus aut favor irrepat: ut *faveo, favor, fautor*, uti non sine numine Divum, nusquam in sacris litteris reperitur, ita & inter nostros oblitteretur, nec *nominetur in nobis.*

Seneca ep 76.

Reg. magist. 47.

Itaque ad omnia familiaritatis incommoda devitanda, magna trado magnis Auctoribus monita.

Primum est Oratoris aurei: *Si oculus omnem providentiam, & curam, quam pro universo corpore habet, in solam manum derivaret, ac reliquis membris contemptis, uni illi intenderet: an non totum perderet? absque dubio. Ita & nos, si charitatem, quam in universam Ecclesiam extendere debemus, in unum, & alterum coarctaverimus, & nobis ipsis, & illis, totique Ecclesiæ perniciem inferemus. Ista namque non sunt charitatis, sed dissidii, schismata nempe, & rupturæ.* Ita & vos Ecclesiæ Pastores, si charitatem, quam in universum gregem extendere debetis, in unam, & alteram pinguiorem ovi culam, vel in paucos pretioso vellere aureo coarctaveritis, & *nobis ipsis, & illis, totique gregi perniciem inferetis, & schismata inducetis.* Paterfamilias, si charitatem, quam in universam familiam, in omnes liberos, in famulos & ancillas extendere debet, in unum filiolum gratiosiorem, in filiam speciosiorem, in famulum assentatorem coarctaverit, invidia, odio, murmuratione, schismate totam domum implebit.

Chrysost. in illud 2. ad Thess. 1 v. 3.

Abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem.

Pastores, Patresfamilias, omnes suos æqualiter complectentur, nisi sola virtus commendabiles reddat.

Alterum est Seleuciensis Antistitis, qui consimili propè usus est ratione: *Nam quemadmodum Deus promiscuè omnibus lucem impertitur, sic imitatores Dei, charitatis radium æqualiter communicare omnibus debent; quandoquidem ubi deliquium patitur charitas, ejus loco odium succedit*: si omnes liberos, omnes domesticos æqualiter Paterfamilias illuminet, minora sidera eclypsim, seu deliquium patientur, unde tempestas, ac schisma timenda sunt. Non pigebit hîc audire *optimum magistrum morum*, Senecam: *Quis*, inquit ille, *tam iniquam censuram inter suos agit, ut filium sanum, quàm ægrum magis diligat? procerum & excelsum, quàm brevem & modicum? ubi par est in utroque virtus, non comparet aliarum rerum inæqualitas: omnia enim alia, non partes, sed accessiones sunt. Fœtus suos non distinguunt feræ, & se in alimentum pariter omnium sternunt. Aves ex æquo partiuntur cibos*; ut indies in nidificantibus videre est.

S. Basil. de inst. monachor. serm. 2.

Seneca epist. 66.

Quorsum hæc pertinent? ut scias virtutem omnes pariter, velut fœtus suos, iisdem oculis intueri: æquè indulgere omnibus, & quidem impensiùs laborantibus, non habitâ ratione formæ, naturalis gratiæ &c. Hinc alibi docet, eum, qui unum tantummodò amare novit, nec hunc quidem amare: *Ne unum quidem amavit, qui plusquam unum amare non potuit.*

Idem epist. 65.

Quis hîc silentio involvere queat, luculentam illam Theodorici Regis, apud Cassiodorum, auctoritatem: *Hoc sunt regia dona, quòd semina sparsa, in segetem coalescunt; in unum coacta, pereunt.* Nimirum ut idem scitè subdit: *Sub imperio boni Principis, omnium debet fortuna proficere.*

Cassiod. lib. 3. variar. ep. 29

Unde Tiberio Imperatori, cæterùm callido, & civilis doctrinæ non ignaro, id ab illius ævi Scriptoribus, non levi vitio vertitur, quòd uni Sejano ita fuerit addictus, ut ad ipsius libitum, atque in propinquorum utilitatem (non sine aliorum odio, & invidia) omnia munera, & præfecturæ distribuerentur; sic namque Tacitus: *Sejani propinqui, & affines augebantur: ut quisquis Sejano intimus, ita ad Cæsaris amicitiam validus. Contra, quibus infensus esset, metu, ac sordibus conflictabantur.* Quid ni tales dentibus in illum fremerent, & exitium meditarentur, ut mox dicemus.

Tacit. annal.

Nicolaus Orosios, ex Platone tradens, Rempublicam, & quamvis communitatem, quasi corpus quoddam divini Numinis beneficio animari, rectè infert, malè cum corpore, & quoque membro agi, si in unum omnes humores derivetur: *Corpus malè disponitur*, inquit, *quando humores excessivi fluunt in unum ejus membrum, quod sæpè ex hoc inflammatur, & nimiùm ingrossatur, reliquis exsiccatis, & nimium attenuatis. Neque tale corpus potest diu vivere. Ita conformiter est de communitate, vel regno, quando ab una ejus parte trahuntur ultra modum divitiæ*: quibus unus incrassatur, & pinguescit; alius macie conrabescit, & marcescit.

Nicol. Orosm. de mutatione monetar.

Princeps, Superior, Paterfamilias, sobditos ut membra sua informare, & animare debet, ne ullum spiritu vitali destitutum, langueat, & planè emortuum sit: de his sermo apertiùs, quàm

quàm olim Seneca: *Animus Reipublicæ tu es, illa corpus tuum*; Animus familiæ, monasterii, regni, Paterfamilias, Prælatus, Superior, Rex est, subditi corpus, & membra sunt, necesse est, ut omnibus victum, vitam, & spiritum sic impertiatur, ut non uni ant alteri, sed omnibus sibi subditis æquè consulere, ac prospicere satagat, haud aliter, quàm animus omnibus corporis partibus vitam, & stomachus victum, & nutrimentum suppeditat. *Seneca l. 1. de clem. c. 5.*

Nec chatissimi licentiùs, liberaliùs habeantur, exquisitiùs tractentur, cæteris membris atescentibus, Hugo Cardinalis in 1. Cant. triplicem accubitum, seu convivium agnoscit: *Primo utuntur servi. In secundo comedunt amici. In tertio INEBRIANTUR CHARISSIMI.* Et quidem de Regali, de Abbatiali, de meliori dolio. Hinc voces illæ Pauli: *Alius quidem esurit; alius autem ebrius est.* Quod nervosè perstringit Hugo Card. in psal. 67. v. 26. *Accidit plerumque in claustris illud Apostoli 1. Cor. 11. Alius quidem esurit, & alius ebrius est. Alius enim esurit in conventu, & alius ebrius est in camera Abbatis.* *Hugo Car. in 1. Cant.* *1. Cor 11.* *Idem in psal. 67. v. 26.*

Concludo cum eo, quo cœpi Chrysostomo; qui dum Principem, & Superiorem cum solerti agricolrore componit, id cum primis caurum esse debere commonet, ne in paucos omnia beneficia, & munera effundat: qui vult arbores fructibus luxuriantes, humorem omnem, & succum vicinis plantis præripit; unde unius, aut duarum saturitas, & abundantia, aliis penuriam affert, & umbra sua minores obfuscat. Ipsum audite: *Ut quando sepes fruticibus abundant, in malum proximarum plantarum, tolluntur; quando aliæ arbores steriles, & silvestres, in sublime surgentes, incrementum subditarum prohibent.* Quæ si fervenrur, nullum sibi, aut intimis suis charissimis odium, nullam invidiam, aut exitium conflabunt. *Chrysost. hom. 15. in epist. 2. ad Corinth.*

§. III.

Familiaritas cum Deo non parit contemptum, sed gratiam in conspectu ejus, & reverentiam: secus ac cum Magnatibus, quæ cùm nimia, multis intimis exitio fuit.

Familiaritas Potentum, non solùm illis, ut vidimus, periculosa; sed & ipsis summis, ac intimis favoritis, (ut vocant,) exitio fuit. Unde ad eam declinandam, abundè sufficere deberent, quæ in hanc rem per os Sapientis, primæ Veritatis adferuntur oracula. Primum illud est, ut sis memor ante omnia: *Ditiori te, ne socius fueris*: rationem reddit Ecclesiasticus, aptâ ad captum similitudine: *Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringentur.* Nil promptiùs, quàm figlinas ollas, ferreis cacabis si illidantur, comminui, & confringi. *Familiaritas cum potentibus viris periculosa.* *Eccl. 13.*

Quod maximè cavendum iis, qui necessitudine aliquâ, ferreis, hoc est, potentioribus Principum, ac Magnatum ollis affigulati sunt, ne in hoc fluxu rerum inundanatum, è vicinitate, & contubernio, in illas impingant. Quod ne contingat, suadet Syracides: *Longè abesto ab homine, potestatem habente occidendi, & non suspicaberis timorem mortis.* Ab hujusmodi, longè abesto, ut ille ait: *Procul à Iove, procul à fulmine.* Quod idem propè vernaculè sonat: *Beter by eenen vyl geseten, als met eenen valch gevlogen, en eené Areut gebeten.* Monet idipsum recepta apud nos paroëmia: Cerasa cum Magnatibus non edenda, quia nucleis imperunt: *Met groote Herren, geen krecken eten want schieten met de steuen.* Hinc quantâ cautelâ cum Magnate agendum sit, subdit Sapiens: *Et si accesseris ad illum, noli aliquid committere, ne fortè auferat vitam tuam.* Quis ad hæc pedem ex aula non efferat? Quis adeo circumspectus, ut non *aliquid committat*? Quis, si nimiâ familiaritate apud Potentes, nimia gratiâ, & potentiâ in exteros utitur, non timeat, *ne auferat vitam*? Interim nullum propè Europâ totâ regnum, sine privatorum sanguine. Exclamat hic Politico Christianus: O nimis fertilis sanguinum ætas! Quàm ludis in purpuram, bis tinctam, cocco, & sanguine, quis credat? Imò quis non, post Germaniam, Hispaniam, Galliam, Italiam, Angliam, Belgium, pedem retrahat? *Eccl c. 9. v. 18.* *Idem v. 19* *Scrib. polit. christ. l. 1. c. 12.*

Vetusta exempla sunt Lysimachi Regis, in Thelesphoro Rhodio, quem ex amico, truncatis auribus, naribus, in caveâ, bestiarum more pavit: Claudii in Narcisso: Commodi in Petennio: Severi in Plautiano: Constantini in Ablavio, qui in partes dilectus interiit. Quare monet Poëta:

Nulli te facias nimis sodalem,
Gaudebis minus, & minus dolebis. *Martial.*

Si libet, ad recentiora veniamus, & *nullum propè Europâ totâ regnum, sine privatorum sanguine fuisse comperiemus.* Testis imprimis Artagonia, instabilem fortunam, & varios instar Lunæ, intimos Regum familiares. *Scrib. cit.*

Alvarus de Luna, Joanni II. Artagonü Regi unicè, & nimiùm in amoribus erat, à cujus unius consilio, torus pendebar, atq; omnia ex ejus nutu moderabatur. Hinc cumulatim in eū beneficia congerebat: primò Comitem, tum Magistrum supremum S. Jacobi; denique per omnes dignitatum gradus, quidquid Rex eum vel optare, vel somniare nôrat, evehebat. *Fulgosius l. 6. c. 11. Rodericius Sanctius 4 part hist Hisp c. 28. & 32.*

Quæ res, eùm & ipsum Alvarum sui impoteotem, & Regem in populi invidiam vocasset, nec exiguum discordiæ seminarium conciraffet, summo amore in odium verso, Alvarus rapitur, in vincula conjicitur, & publico in foro, ut læsæ Majestatis reus, capite truncatur. O aulas! ô spæristeria! *Tragici exitus eorum, qui Regibus nimis familiares.*

Non ampliùs miremur Sejanum, Tiberii Cæsaris intimum aulicum, de quo olim Seneca: *Quo die illum Senatus deduxerat, populus in frusta divisit. In quem, quidquid congeri poterat, Dii, hominesque contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex unco in Tiberim traheret.* *Seneca de tranq. vi tæ. c. 11.*

Scri-

Scrib. cit.

Scribebam hæc, inquit Scribanius, cùm venit in manus Sejanus alter, nec totus erat, qui nusquam erat, Ancræum denotat, cujus testis Gallia:

Eheu rerum vices!
Gallicum Sejanum,
Regno propinquum, Regi proximum,
Pœnitens, aut defatigata
Fortuna destituit.

Hic exitus, hic tragicus tanti favoris, & amoris Principis in unum, ultimus actus fuit: Sequitur,

Tracto, discerpto, nullibi, aut ubique sepulto,
Eheu? quàm dissimili exitu, clauditur Anlicorum fabula!
O rerum vices! ô fata!

O PRIVATIS REGUM INFELICES EXITUS!

Eccl. 9.

O periculosas Regum familiaritates! O funestos Magnatum congressus! Altiùs intonandum illud: *Longè abesto ab homine potestatem habenti occidendi.*

Tacit. 13. annal. c. 19. Paul. Æmil.

Engeranus, qui sub Philippo Pulchro omnia erat, & agebat, suo exemplo docuit, *quàm instabilis sit fama potentiæ, nec sua, sed aliena vi nixa*, ut alibi Tacitus: *Adeoque nimis tenue illius fœderis esse vinculum, quod plurimum odio uccilatur*: Tam altos hic spiritus gerebat, ut nulla regis litteris fides, nisi à syngrapha Engerrani auctoritatem, & valorem accepissent: nemini è regio ærario ipso, licèt Rege mandante, vel teruncius solvebatur, nisi ei, quem Engerranus designasset. Constat, Regem litteras, mandataque ad Comitem Atrebatem dedisse; contraria ille mandata dedit, jussitque Atrebatem aliter, quàm Rex volebat, nutu suo exequi. Imperium Regis vilesuit, Engerrani sanctissimum, gravissimumque, ut ait Paulus Æmilius.

Tacit. l. 2. c. 74.

Quis verò tandem huic Engerrano exitus? dicam non meis, sed Taciti rursum verbis: *Potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplum, quod quotquot secuti sunt alii, perniciem aliis, ac postremum sibi quoque invenêre*; furcâ videlicet suspensus, pœnas improbitatis suæ luit.

Nihil dicam de Ludovico XI. item Galliarum Rege, qui quantum Olivaro, tonsori tribuerit, ex eodem Paulo Æmilio, & Philippo Cominæo videre est, qui sanè nôsse debebat: *Dignitates in talibus hominibus, & honores, non minùs quàm cibos delicatos, in languente, & ægro stomacho, vitiari, ac corrumpi posse*; nec aliter fieri assolet, quin omnium odio, ac invidiæ conjunctum sit, si uni omnia credantur, in unum omnia conferantur. Cùm, ut Plutarchus ait: *Multis auferatur, quod uni tribuitur.* Quomodo enim non ex unius amore, & aliorum aversatione, aut despectu, odium nascatur? Atque ex hoc sinistræ suspiciones, machinationes, æmulationes, technæ, & sicæ.

Plutar. in symb. q. 2.

Salvianus, Massiliensis Antistes, jam olim plorabat, paucorum, imò etiam unius hominis, favore Principis elati fortunam, Regionũ, Regnorum, totiusque Orbis excidium exstitisse; sic enim ille: *Ut pauci illustrentur, mundus evertitur: unius honor, orbis excidium est*; subjicit verò, an ut Historicus, an ut Vates, ignoro: *Sciunt hoc Hispaniæ, quibus solum nomen relictum est. Sciunt Africa, quæ fuerunt: sciunt Galliæ devastatæ.*

Salvian. de provid. lib.

In hoc ludo, tragœdiæ ducem, spectavit Francia, Guisium. Hic primas aulæ Gallicæ, imò unus regnum regere, jamque in honoris apice consistere videbatur, cùm festâ D. Dagoberti luce, in aulam vocatus, dum animum exomologesi, & sacra Synaxi refecisset, ad Regem contendit: & ecce tibi, octo armati, ubi pede matrio, peristromatis convestito, imponit, è latebris prosiliunt, Guisiumque multis vulneribus confossum, truculentè interimunt. Plures eum favoritæ ad fastigiũ secuti; ex quo, consimili fato, *non potuerunt nisi cadendo descendere.*

Seneca de tranq. c. 205.

Nunc, si lubet, in Angliam enavigemus, & illa testis erit, dum Comitem Essexium, Reginæ Elizabethæ intimum familiarem, ac omnibus aulicis primùm formidabilem, inde in carcerem, perduellionis titulo, conjectum, ac mox capite minutum, anno 1601. spectavit. Fertur, Elizabetha ejus calvariam Duci Bironio, ad se è Galliis misso, inter aliam regiæ supellectilis gazam ostentasse, hoc eum dictu compellando: *En hominis, quem ad tantum honoris fastigium evexeram, cranium.* Dicitur Bironius ad hoc ferale spectaculum exhorruisse, capiti suo timuisse, ac ociùs in Galliam concessisse. Cæterùm fatalis illa monitio Bironio fuit, ut cui proximus deinde annus mortem intulit, Essexio non dissimilem: Quippe conspirationis in Regem (cui intimus fuerat) accusatus, & per litteras, quas ad Fineum quendam, arcani consilii socium dederat, mox delatorem, convictus, Senatus Parisiensis calculo, capitis condemnatus fuit, ultima Julii. anno 1601. In eodem regno, curiosè observat Garassus noster in doctrina curiosa, quàm cæco impetu, & affectu temero Henricus VIII. Thomam Volsæum, filium lanionis deperierit, quibus, & quantis eum beneficiis, ac favoribus cumularit: Et post hæc omnia, cum non haberet quò ascenderet, de gradu deturbatus, mendicus, reus læsæ majestatis, sera pænitudine ductus, exclamavit: *Ego non Dei, sed Regis favorem quæsivi, hinc & Dei gratiam perdidi, & Regis non servavi.* In ejusmodi rectè cadit illud regii Vatis: *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Quod in rem nostram Guerricus Abbas sic accommodat: *Haud secùs, nisi fallor contingit homini, qui antequam diligere sciat, diligi nimiè affectat: Et antequam vel sibi ipsi amicus esse didicerit, amicus sibi omnes conciliare quærit: facit divitias, non cum judicio: In medio dierum suorum derelinquet eas, & in novissimo suo erit insipiens, cùm omnes amici ejus spreverint eum, pro quibus sprevit Deum. Tunc fiet sermo, qui scriptus est: Quoniam Deus dissipa-*

Beyerlinck in opere chron. 1601.

Garassus Doct. cur. l. 4. sect. 7.

V. ... linck Theat. favor. ... Cal... Psal. Guerric. serm. 8. Psal.

dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Deoique ne longior sim, testis est Hispania, quàm noxius multis, Regum nimius favor, & familiaritas exstiterit. Instar omnium, unum ducem Lermensem attendite. Quantum Philippus III. Hispaniarum, & Indiarum Rex, tribuerit Marchioni Deniæ, quem Lermæ ducem constituit, quamque indignè id tulerint Principes Hispani, & quantum indignati, communem patriæ solem, duobus tantum emissitiis oculis adlucere, fontemque illum Regiæ munificentiæ, aquas omnes in unum derivare, constat ex relationibus Petri Matthæi, Galliæ Regis Historiographi: neque eam tem celare Regem voluerunt. Quærelæ enim istæ undique depositæ: cavilli, & pasquilli palam affixi. In ipsa urbe Madritensi erecta Jovis statua, orbis globum gestantis, cui altera Philippi Regis succolabat, subjecto lemmate: *Divisum Imperium cum Iove Cæsar habet.* At ipsi Jovis statuæ inscriptum: *Hic est dux Lermæ*; quo, ipsum Philippo Cæsare, etiam Superiorem, cavillabantur. Circumferebantur & litteræ famosæ, unas ipse Rex in mensa reperit inscriptas *Philippo III. Regi Hispaniæ, nunc in servitio Ducis de Lerma.*

Pet. Matt. l. 2. narr. 2. sec. 12. pag. 187.

Mitto alia magis indigna, quæ fidem superant; sat est, eum stare tam excelso loco, inter tot æmulos, non potuisse. Ejus vitæ catastrophe ab omnibus Historicis decantata est. O quid fidis gratiæ, ac favori Principum! ô nimis longam regiam manum, nimis propinquam! *Procul à Iove, procul à fulmine.* Sidonii monitum alto pectore reconde, qui Heedicio, viro magno, hoc tradidit: *Si quid nostratium precatibus acquiescis, actutū in patriam receptus canere festina, & assiduitatem tuam periculosæ Regum familiaritati, celer exime: quorum consuetudinem spectatissimus quisque, flammarum naturæ benè comparat, quæ sicut paululum à se remota illuminant, ita satis admota sibi comburunt.* Audistis ut opinor, quantum Regum favor, familiaritas, indulgentia, profusa benevolentia, privatis obfuerit, in quale odium, quantamq; cæterorum invidiam vocarit, atque è summo honoris fastigio, ad extremam ignominiam deturbarit. Idem in Senatu, in reipublicæ Magistratu, in religiosis, ac sæcularibus Familiis cernere est, quorum capita, si privatas amicitias foveant, si arcana pandant; ceteris seclusis, uni omnia committant, peculiariter faveant; omnium ora, & ungues in favoritas armari compertum est.

Familiaritas cum Deo citra periculū, & tantum abest, ut pariat contemptū, ut majorē venerationem afferat.

Ast hodie vos omnes, citra invidiam, citra obloquium, citra periculum, sine ullo labore, aut sumptu, summi Regis, Christi Jesu, aulici, favoritæ, & cum *Ioanne*, dilecto discipulo, prærogativa amoris præcipui, familiarissimi, ac charissimi, si velitis, fieri potestis. Sic sensit ille, & sapuit mundi aulicus, qui cum socio circensibus ludis exclusus, his eum verbis compellavit: *Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris, quò ambimus pervenire? majorne esse poterit spes nostra in Palatio, quàm ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plerumque periculi? Et per quot pericula, pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei* (dilectus Dei, familiaris, & favorita Dei) *si voluero, ecce nunc fio,* & ut voluit, fecit, ac factus est.

Aug. l. 8. conf. c. 8.

Nec hæc familiaritas cum Deo, parit contemptum; sed quò penitius in eam te insinuaris, quò intimius, ad ipsa benevolentiæ, ac familiaritatis cum Deo penetralia, pertigeris, eò etiam ampliorem, & sublimiorem existimationem obtinebis, submissiore cultu, & reverentia prosequêris. Quod non solum apparet in summis illis, qui proximi throno adstant, & super quos requiescit, Spiritibus; qui alis suis velant facies suas, sed in Sanctis hic in terra; qui, quò familiarius eo usi sunt, hoc ex omnium perfectionum clariore cognitione, in majorem amorem, & reverentiam exarseruot. Ut in Deipara, Josepho, Joanne Baptista, Apostolis, aliisque peculiariter dilectis; quos inter, eminuit *discipulus quem diligebat Iesus.* Io Regum, ac Superiorum necessitudine, alia omninò ratio est: Ferè enim, quos etiam probos delegerunt, familiaritate deteriores faciunt: Et quò crescit familiaritas hæc magis, eò quidvis audendi libido crescit. Unde verè Callistratus, *ex conversatione æquali, contemptionem nasci.* At ex divina, omnis honor nascitur, & reverentia; ut testantur illi, qui cum Moyse, per frequentem orationem, cum Deo familiariter collocuti sunt, sicut loqui solet homo ad amicum suum; nam ut expertus loquitur D. Bernardus: *Oratio est hominis, Deo adhærentis, affectio, & FAMILIARIS QUÆDAM, ac pia allocutio, ad fruendum quàm diu licet.*

Callistrat. l. 19. de offic. Præsid.

Bern. de vita solit. ad fratres de Monte Dei.

Alterum est, quod familiaritas inter homines, pariat contemptum, ex eo est, quod ex frequenti consuetudine, defectus conversantium deprehendantur; si tamen homines, quibuscum agimus, multâ scientiâ, sanctimoniâ, & spiritu Dei præditi sint, familiaritas æstimationem, amorem, timorem reverentialem, quo amicus ab amico separari timet, conciliat. Quod Hieronymus ad Heliodorum, de Nepotiano: *Nec ut plerisque accidere solet, assiduitas familiaritatem,* FAMILIARITAS *contemptum illius fecerat.* Nec Augustino cum Monica, nec Chrysostomo cum Olympia, nec Hieronymo cum Paula. &c. familiaritas contemptum fecerat; sed ad divinum amorem, & omnem sanctitatem, mutuò inflammârat. Quantò magis familiaritas intima cum Deo, in quo indies plures, & plures perfectiones agnoscas? Quæ cum dicta sufficiant, & alibi attigerim, pluribus supersedeo, & contra morem Oratoris, non ipse perorabo; sed ut vos per orationem *ad discipulum quem diligebat Iesus* dirigatis, adhortor: à quo longè facilius, & felicius, quàm per favoritas Principum, quidquid, ejus gratiam merendo, petieritis, impetrabitis. Quid ni ejus favorem, & patrocinium implotemus, quod omnes Apostoli, quia sciebant illū præ ceteris Christo charū, & gratiosum, prensare non dubitarunt? Cùm enim de summa rei ageretur, undè unius è suis æterna perditio, & Magistri sui vita pendebat, anxii hærerent: audissentque ex ore veritatis: *Unus ex vobis me traditurus est,* omnibus sacro horrore perculsis, nec percunctari ausis; tandem, inquit Cardinalis

Hieron. ep. 30 ad Heliodor.

V. festo. 2. Paschæ.

Pet. Dam. serm. 1 de S. Ioan.

Damiani : *Ioannis patrocinium ab omnibus quaeritur ; ille in mixtum discipulorũ personâ susceptâ, consultor accedit : quia de ampliore dilectionis praerogativa confidit ;* qui unus, omnes undecim securos reddit. Hæc ubi testatus est, conversâ ad nos peccatores, oratione, ut nobis animos faciat, sic inquit : *quantum apud justum judicem pro peccatoribus poterit, qui & pro ipsis calestis curia Senatoribus intervenit? Et qui Advocatus factus est summus, quàm humiliter implorandus est à minimis?* ubi duo singulariter notanda sunt. Primò, quod *Ioannis patrocinium ab omnibus quaeritur*. Secundò, quod *Advocatus factus est summus*. Libellos supplices in quavis causa, quamtumvis scabiosa, huic Advocato offeramus, si illum nobis devinxerimus, *fiat* obtinebimus. Unde vel ipsi Gentiles, ejus sibi favorem, & amorem demereri studuerunt; sic etenim Eusebius : *Multos Gentiles fuisse arbitror, qui per singularem amorem quo erga Ioannem Apostolum affecti erant, propter admirationem, quam de eo habebant, & propter amulationem. quâ ad illum imitandum flagrabant, atque à Domino pari ratione diligi cupiebant, etiam istam appellationem* (Joannis) *amplexi sunt.* Adeò ut ad amorem, & reverentiam, ejusq; *patrocinium* impetrandum, omnes propè *Ioannes* nuncuparentur. Qui ex vobis, eodem affectu feruntur, ut ejus sibi *patrocinium* demereantur, curent, & suis infantibus, ad illius honorem, & amorem, id nominis imponi : JOANNES *est nomen ejus*.

Joannes Christi dilectus, in omni necessitate Patronus invocandus, quia apud Deũ omnia valet impetrare.

Euseb. l. 7 c. 10.

S. Tho. de Villanova serm. de S. Ioan.

Praeclarè sanctissimus Praesul de Villa Nova, sermone de S. Joanne : *si quis in regno acceptus est Regi, hic & Regis, & regni possessor est : amor namque omnia sibi tribuit : nam Regis corde per amorem possesso, & Rex, & regnum* PER OBSEQUIUM *veniunt.* Tum subdit cedro dignam sententiam : *Dilecto omnia patent, omnia obediunt, nemo illi quidpiam in tota domo interdicere audet.* Exploratum id erat S. Eduardo, Angliae Regi; quare voverat nulli negare eleëmosynam, qui eam petiisset *Ioannis* nomine. Placuit Superis votum, placuit & eleëmosyna ex voto concepta, dataque liberalius, ut liquido patet ex eo, quod subsequitur. Aberat ab Eduardo Rege camerarius, cum fortè peregrinus, annis gravis, atque ab extrema ut videbatur paupertate gravior, stipem petit, idque *D. Ioannis* nomine. Quid hic Rex pius? negare videbatur nefas; dare importunum, atque intempestivum : nihil enim erat ad manum, quod daretur. At erat in manu regius annulus, auro pretiosus, & gemmâ. Hunc illicò digito exuit, & pauperi donat. Abit ille lætus, ac locuples; sed etiam eleëmosynæ memor, ac gratus probè. Labitur interea tempus non modicum, cùm duo Angli, peregrinationis ergò, ad Domini sepulchrum Hierosolymam tendunt, & quia viarum ignari erant, declinant à via, aberrantq; quàm longissimè : Errantes nox occupat, & cum nocte timor, horrorq;, & anxia solicitudo, quam illicò detersit, qui spectandũ se obtulit senex, & vultu, & canitie venerandus, qui & in viam reduxit, ad urbem adduxit, & hospitio lautius excepit, & lectulo, in quo nox abiit in alta, securâq; quiete, placidoque somno; quem ut oriente sole excussere peregrini : Ecce iterum adfuit senex, & hæc illis : Ite, redite; læti, patriamque

Surius 5. Ian.

S Eduardus nihil negat petenti in honorem S Joannis

revisite, iter prosperum habituri me duce, me defensore, & Patrono. Quis porrò sim, quaeritis? paucis accipite : *Ego sum Ioannes*, Christi Apostolus, qui Regem vestrum, ob virgineum nitorem, & amorẽ ejus in me, amo, redamoq;. Hunc ergò annulum, quem mihi aliquando in habitu peregrino, quasi mendico dedit, reportate, eique tradite, & hæc ex me illi edicite : Instare ei mortis diem, lucemque non ingratam, quæ ubi post sex menses illuxerit, adero & ipsi, animamque è corpore abeuntẽ excipiam, eiq; cæli atria pandam. Dixit, atque ex oculis evanuit. Quo certè declaravit, omnes qui ejus implorant patrocinium, & castitatis præsidiũ, & in extrema hora, unde omnia pendent, auxiliũ obtenturos, ac cælorum aulam ingressuros, quia *Dilecto omnia patent*. Consimili, in dilectũ Christi, affectu exarsit S. Elizabetha, Regis Hungariæ Filia. Hæc Deum precata, ut quem sibi singularem Patronum destinârat, is sorte obtingere posset : Ac tertiò S. Joannẽ sortita, eum tanta in veneratione, & amore habuit, ut nihil, in gratiam ejus petenti, denegarit. Notat quippe quantum sibi favoris, ab eo sperandũ, & impetrandum esset, *cui omnia patent*.

Hist. Seraphica pag. 166. Sur. in vita.

Si quid vos, ab hoc primæ admissionis Aulico, & favorita speratis, in ejus honorem date, & dabitur vobis, quod postulatis. Qui hujus Christo dilecti favore, & patrocinio nititur, sciat se apud Deum faciles aditus habiturum, gratiam inventurum, & quidquid petierit, accepturũ : nam ille Christi Benjaminus, aurem habet, & pectus ac cor, omnemq; affectũ possidet. Gen. 42. bis ad Josephum fratres accesserunt; semel ab eo torvo ac irato vultu, amaris & acerbis verbis excepti, denique quasi hostes, & exploratores habiti sunt : *quasi ad alienos durius loquebatur, & ait eis : Exploratores estis vos.* Altera verò vice, blandè excepit, benevolè salutavit, petitioni eorum benignè annuit, atque effusam in eos benevolentiam ostendit. Unde hæc tanta, & tam repentina mutatio? Rectè S. Ambrosius lib. de Joseph. c. 9. *Quando sine Benjamin venerunt, loquebatur eis durè, quando venerunt cum* BENJAMIN, *loquebatur eis mitia*; iram omnem ex animo ponebat, in gratiam omnes recipiebat, & muneribus, ac beneficiis cumulabat; quasi *unius Benjamini* præsidio, patrocinio, & gratiâ, apud Josephum, Principem Ægypti, omnem benevolentiã, ac indulgentiam invenissent; idque, quia Joseph præ ceteris *Benjaminum*, fratrem suum natu minimum diligebat. *Ioseph*, inquit, Guerricus, *Iesus est*, dilexit & hic præ ceteris, *Ioannem*, Apostolorum minimum, plusquam Joseph, Benjaminum; si illius fulti præsidio, illius muniti gratiâ, freti patrocinio, accedamus, qui citra ejus favorem, repulsam passi, & duriter accepti fuissemus, benignè admittemur, clementer audiemur, & votis, ac postulationibus fruemur, libelloque supplici, gratissimum *fiat*, *fiat* referemus. Quare qui in omni angustia, ærumna, corporis, aut animi pressura estis, ad hunc, qui in cælesti curia *Advocatus factus est summus*, recurrite. *Dilecto patent omnia*; si quem paupertas, & rerum omnium indigentia premat, ne diffidat, *dilecto patent omnia*; potens est etiam *Ioannes*, quis-

Gen. 42.

Amb lib. de Joseph. cap. 9

Guerr serm 1 de resurr.

Damian. cit.

Surius in vita. quilias, ut alter Midas, in aurum convertere: Sic enim Surius de eo commemorat. Judæû, atque unà magicis artibus imbutum, Apostolus hic à Judaismo, & veneficiis, ad Christi fidem traduxerat. Qui cum egestate summa, & ære alieno, ita premeretur, ut se expedire nô posset, in desperationem actus, violentas sibi manus inferre meditabatur. Sed non destituit eum Apostolus; verùm, quod olim cum Petro ad portam speciosam præstitit, cùm aurum, & argentum non haberet, jussit misellum ex horto proximo tantum herbæ decerpere, quantum ambæ manus capere possent. Paruit ille, & Apostolo obtulit, qui brevi oratione, signoq; crucis, herbam omnem, in aurum purissimum muravit, egenoq; dedit, ut inde & creditoribus suis, & inopiæ faceret satis.

Nemo itaque suam ploret, aut plangat inopiam, cùm si velit, Joannem fautorem, & adjutorem habeat. *Dilecto patent omnia*

Huic affine est, quod & indigentiæ, ac caritati dedit: dum lapides, non in panes; sed in aurum, imò è lapidibus, suscitat et filios Abrahæ, & Dei. Civis Ephesinus, pio *Ioannis* suasu, aurum & lapides pretiosos, in pauperes effuderat, quorum mox jacturam, cùm doleret, ac sibi, ab Apostolo restitui postularet, jussit ille è vicino nemore, cæduas virgas afferret, & è proximo littore lapillos; & ilicò, oratione, verboque, & virgas in aurum vertit, & lapillos in gemmas; *D. Antonin p. 1. tit. 6. c. 6.*

Sed hos maligni dæmonis suasu, à suscepta fide apostatas, magis stupendo miraculo, ad sinum Ecclesiæ reduxit. Oblatus porrò *Ioanni* Adolescens, jam vita functus, à morte excitatur, & quæ in altero orbe audisset, & vidisset, jussus edicere, adeò *Cratonis* ac discipulorum animos everberavit, ut qui jam, ut adamantes obriguerant, & duriora saxis corda gerebant, ad pedes Apostoli provoluti, in filios Dei, mutati sint. Quid miri, si *Ioannis patrocinium ab omnibus quæritur?* si omnes, qui, quacumque capitis, pectoris, cordis, totiusque corporis infirmitate divexati sunt, ejus quærant patrocinium, & inveniant remedium, quem etiam mortuos ad vitam revocare videmus? Sic illa, *Ioanne* Ephesum ingrediente, *Drusilla*, in pauperes profusa, pupillorum ac viduarum mater, fortè vivis excesserat, jamque ad sepulchrum ferebatur, cùm qui portabant jussi subsistere, ab Apostolo, extemplò lucidatur, & vitæ restituitur. Videtis, ut claustra mortis, & atria cæli, & omnes sanitatum, ac gratiarum thesauri, *dilecto pateant.* Quæ omnia dum dixi, de Dilecto numquam satis dixi. *Damian. cit.*

* *
*



FESTUM

28. Decemb.

SS. INNOCENTIUM MARTYRVM.

Salvete flores Martyrum. Ecclesia in Brev. Rom.



Posuere in limine vitam. Virg. 9. Æneid.

ARGVMENTVM.

NUllus grandinis turbo, nulla sævientium ventorum tempestas, fruges ac flores omnes decutiens, adeò immanis & terribilis excogitari potest, qnam tyranni in Innocentes sævientis rabies, barbaries, & crudelitas, infinito intervallo noo excedat; quod in Herode, qui *Flores Martyrum* truculenter messuit, declaratur.

At hoc mirandum & execrandnm, etiam intet Catholicos, ejusmodi parentes inveniri, qui Herode truculentiores, parvulos innocentes diris suis execrando, & dæmoni devovendo, corpora & animas eorum perdunt & perimunt. Hotum sangnis, uti & illorum qui innocenter opprimuntur, clamat in cælum, & justi Judicis, qui Innocentes tuetur, aures percellit; nr patuit in variis innocenter occisis, ad Dei tribunal provocantibus & exauditis;

Sed cùm hæc provocatio, nisi instinctu divino, aut bono fine, sine ulla passione, aut spiritu vindictæ, adhibenda non sit, tutius est cum omni patientia & fiducia, causam suam Deo Jndici committere, cui fama & innocentia suorum cordi ac curæ est, ut variis tam sacris quàm profanis historiis probatur.

Deoiq; optandum, ut quantum quis pro nominis fama, & innocentia tuenda solicitus est, tantum operæ, solertiæ, solicitudinis, parentes, patrini, tutores conferant; nt salutem ac vitam animæ parvulorum procurent; temporalia quoque pupillorum rectè ac utiliter administrent.

§. I. *Animæ Innocentum* INTERFECTORUM, CLAMANT VOCE MAGNA, DICENTES: USQUEQUO DOMINE NON JUDICAS, ET NON VINDICAS SANGUINEM NOSTRUM? Apoc. 6. v. 10.

§. II. *Recordare, obsecro, quis unquam* INNOCENS *periit: aut quando recti deleti sunt?* Job. 4. v. 7.

§. III. *Quæ cura, solicitudo, obligatio incumbat parentibus, patrinis, tutoribus, de parvulis innocentibus, eorum fidei commissis?*

FESTUM

FESTUM SS. INNOCENTIUM MARTYRUM.

28. Decemb.

Herodes iratus occidit omnes pueros. Matth. 2.



Uàm amabilis & amœna, vetè novo, hortum seupomarium inambulanti, ibique violas & rosas, arborésque suis floribus vernantes, ac vineas gemmantes contemplanti, objicitur scena? At, quàm amarum, quàm acerbum, potissimum ipsi colono spectaculum est, si sævus grandinis turbo, aut horrida repentè ingruens tempestas, omnes flores demetat, ac vix erumpentes gemmas decutiat? Sic de teneris & vixdum luci datis, *sanctorum Innocentiũ* flosculis, in quos cruenta Herodis tempestas immaniter desæviit, floride nec minus solidè Africanus Antistes disserit: *Iure*, inquit, *dicuntur* MARTYRUM FLORES, *quos in medio frigore infidelitatis, velut erumpentes Ecclesiæ gemmas, quadam persecutionis pruina decoxit*. Hoc per orbem universum hodiernâ luce decantat Ecclesia:

Aug. ser. 10. de sanctis.

Brevíar. Rom.

> *Salvete* FLORES MARTYRUM,
> *Quos lucis ipso in limine,*
> *Christi insecutor sustulit,*
> *Ceu turbo nascentes rosas.*

Barbarum, & plusquam belluinum fuit Herodis facinus, qui tot Innocentium parvulorum stragem edidit: nec quisquam Turca vel Scytha, nedum Christianus, qui hoc monstrum non execretur, & immanem illam lanienam non gravissimè detestetur. At quis credat, quod dicturus sum, etiamnum inter Christianos, plures Herodes, imò & Herode longè truculentiores reperiri? Ille corpora mactavit; *sed plus parvulis profuit odio, quàm prodesse quis posset obsequio*; animæ enim parvulorum, proprio sanguine baptizatæ, martyrii palmam consecutæ sunt, è quibus non pauci in Judaismo pertinaces perstitissent, & ipsum Christum linguis suis, non manibus, crucifixissent. Quid quod hi flores Martyrum, multò feliciores, quàm pleræque eorum Matres; cùm gravissimi quique Theologi asserant, Infantem pro Christo, intra materna viscera cum Matre occisum, esse verè Martyrem, etiamsi mater ob voluntarium obicem gratiæ, non esset verè martyr: aut si mater per errorem putaretur Christiana, cùm esset ethnica; nam etiam tunc fœtus in odium fidei necaretur, etiamsi sicarius ignoret matrem gravidam, quam in Christi odium interficit: nam plaga quæ parvulo intra materna viscera infertur, in Christi odium infertur; atque adeò parvulum constituit verè martyrem. In quo Baptismus sanguinis latè differt à Baptismo aquæ, quo infidelis conversa jam prægnans baptizatur, intacto, atque adeò etiam inexpiato parvulo.

August. serm. 5. de SS. Innocent.

Melior sors parvulorum, quàm matrum.

Richard. in 4. dist. 4. art. 2. q. 3. Argent. ib. dist. 6. q. unic. art. 4. Scot. in 4. dist. 4. q. 3. V. Raynaud. de martyr. p. 2. c. 2. § 8.

Quantò crudeliores Herode, non patres, sed parricidæ, qui corpus & animam parvuli nondum nati, & non baptizati, perdunt? At quis vestrûm tam immanis flagitii se reum agnoscit? non unum tamen, sed plures, fortè ex hic stantibus reperire possem; etenim dum vir furibundus, aut temulentus uxorem gravidam, & fœtum ejus dæmoni devovet, aut aliud grave malum, diabolico instinctu imprecatur, non semel parvuli adhuc in utero existentis, vel in lucem editi, corpus & animam occidit, non ferro, sed tartareæ linguæ gladio.

Quamquam animus meminisse horret, prætermittam quam in parvulos innocentes, magi ac sagi, nec non alteræ Medææ, obstetrices, lanienam exercuerunt, ut eò atrocior, illa de qua acturus sum, carnificina appareat.

Virgil.

In Episcopatu Basiliensi & Argentinensi (ut fidi Auctores testantur) duæ obstetrices crematæ, quarum una quadraginta, altera innumeros pueros recensuit, iodiris clam in eorum capita prægrandibus aciculis, necasse deprehensæ sunt. Inter maximè enormia, ad quæ cacodæmon ministros suos, magos & sagas incitare solet flagitia, cruenta innocentium laniena memoratur; quod ut omnibus manifestum fiat, è multis unum, alterumve tragicũ facinus adducam.

Sprenger. part. 2. mallei Strengvinus de divin. judiciis. tom. 4. cap 19. n. 11.

Anno hujus sæculi quinquagesimo tertio, captæ sunt Berlinæ duæ fœminæ veneficæ, quæ glaciem ad perdendas fruges perficere conatæ sunt; hunc in finem rapuerunt furtim alterius vicinæ mulieris infantulum, ipsumq; dissectũ coxerunt. Factum est, ut mater quærens parvulum, interveniret, ibique ollam, & imposita amissi infantis membra videret. Captis itaq; mulieribus, & torturæ subjectis, dixerunt: si processisset coctio, futurum fuisse acte gelu, ita ut omnes fruges perderentur. Refert quoque Francofurtensis Jurisconsultus, Comitē quemdam Superioris Germaniæ, octo veneficas, quæ centum quadraginta interfecerant infantes, igni tradidisse.

Ibid. Gödelen. lib. 1. de lamiis. c. 7

Idem.

Meritò

Meritò Magistratus, & Judices, ejusmodi infanticidas flammis vivos concremandos, aliisque exquisitis suppliciis excruciandos tradunt.

Quibus præmissis, quâ demum pœnâ in ipsos parentes animadvertendum censeris, qui parvulos non tantum brevi lucis hujus usurâ; sed æternâ summi boni fruitione privare: corpore & animo trucidare non reformidant? Tales, de quibus aliàs egimus, matres gravidæ, quæ exoticis, & brutis appetitibus indulgendo: tales quæ saltando, & choreas ducendo, fœtum mortuum ejiciunt. Tales, de quibus hic ago, mariti, qui intempestis suis uxores gravidas, Herode multò truculentiores, abortire faciunt; non dico, fustibus aut ferro extrema minitando, quod in Christianû non cadit; sed quod pauci justâ lance expendunt, diris & imprecationibus suis, eos satanæ tradendo.

V. Pantheon. festo SS. Innocent.

Audite, fortè omnibus inauditum, quod narraturus sum.

Bacchararch oppidum est in ipsa Rheni ripa, inter Confluentiam, & Moguntiam situm; ajunt olim *Bacchi aram*, ob vini illic nascentis præstantiam, fuisse nuncupatum. Ibi homo degebat mortalium & immortalium contemptor, cui Deus venter, templum popina, patronus cantharus.

Iansf. lib 3. Esscle lib. 22. Mercur. Gallobelg. a. 1595. Stengelius. de divin. judiciis. tom. 2. c. 54 n. 8.

Hic anno Domini 1595. die 14. Martii, ipsâ Dominicâ quinquagesimæ, quæ Bacchanaliû est, in popinam se abdidit, ad vomitum potaturus, lusurus usq; in paupertatem. Uxor proxima partui, non ferens pecuniam puerperio necessariam ita abligurriri, eum secuta, blandis & byssinis verbis ut secum domum redeat adhortatur; importunius monentem verberibus abegit, jussitque cum vivo dæmone, quem utero gereret, abire; ni pareret, se ensem capulo tenus in viscera immersurum. Illa verò, eja, inquit, mi vir: ergone ego vivum in ventre dæmonem gero? Esto igitur. Nec plura locuta, amarè flens & ejulans ad ædes suas reversa est, & mox partus dolores experta, ante tempus fœtum ejecit, obstetrice, aliisq; fœminis præsentibus; sed monstrum horrendum, superiori parte homini; inferiore, serpenti simile, trahebat post se caudam tribus ulnis longam.

Interim maritus expletâ crapulâ, domum reversus, ut cubile intravit, ecce monstrû terrificè sibilans in illum irruit, & caudæ suæ spiris implicitum, venenosis ictibus eum in modum pupugit, flagellavitque, ut toto corpore tuberibus pleno, infelicem animam, prius quàm ipsam crapulam, exhalarit; conjuge extincto, puerpera quoque vivis excessit, sed & monstrum, postquam vindicis Dei partes egerat, vivere desiit.

Hæc non ad fœminas, ne fortè prægnantibus terrori sint, sed ad solos viros, ut emendationi, adferri poterunt; ut enim nullum crimen immanius, quàm innocentes perdere, ita compertum est nulli mortalium gravius suppliciû, quàm istiusmodi infanticidis à Deo vindice imminere; quia sanguis eorum clamat vindictam in cælum.

(*.*)

§. I.

Animæ Innocentiû interfectorû, CLAMANT VOCE MAGNA, DICENTES: USQUEQUO DOMINE NON JUDICAS, ET NON VINDICAS SANGUINEM NOSTRUM?

Apocal. 6. v. 10.

Misericors & miserator Dominus peculiari tutela, ac patrocinio, virâ innocentes, & ætate parvulos complecti consuevit, quod satis superque Psaltes Regius declarat dicens: *custodiens parvulos Dominus*; de quo illustrè extat testimonium apud Jonam Prophetam. Ninive civitas magna cum hominibus & jumentis funditus delenda & subvertenda erat; sed solâ innocentium parvulorum commiseratione, Deus quamtumvis irritatus, & justo furore incensus, flectitur, & placatur: *Ego non parcam Ninivæ civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam?* Audis cur Deus continere se nequeat, quin misereatur? unica, eaque ad movendû Dominum efficacissima ratio est, Ninivæ numerati centum viginti millia hominum; *tot* loquit Hugo Cardinalis, *sunt parvuli, ac lactantes*, qui discernere non possunt inter dexteram & sinistram, *propter innocentiam & simplicitatem, ut lactantem monstret ætatem.* Verè *custodiens parvulos Dominus*, cujus aures vel unius pueri ploratus verberat, & lachrymæ viscera misericordiæ movent.

Psal. 114 v. 6.

Jonæ c. 4. v. 11.

Hugo Card. hic

Herb. hic Psal. 114

Genesi cap. 21. v. 15. dicitur Agar ex Abrahæ domo ejecta, infantulum suum Ismaëlem in silvam abjecisse, ne immaturâ occumbentem morte cerneret, quem tanto prosequebatur amore: *Abjecit puerum subter unam arborem, quæ ibi erat, & abiit, seditque è regione procul, quantum potest arcus jacere; dixit enim: non videbo morientem puerum: & sedens contra, levavit vocem suam, & flevit.* Adest in tanta calamitate præsens è cælo præsidium: nam vocavit Angelus Dei Agar de cælo dicens: *quid agis Agar? noli timere; exaudivit enim Deus* VOCEM PUERI *de loco in quo est.* Attendite hic Angeli sensum, amabili mysterio plenum: non dicit Deum exaudisse vocem matris, aut fletu ejus ad opem ferendam commotum; sed voce pueri plorantis & ejulantis, opitulatum fuisse: *Exaudivit Deus vocem pueri*; quod solerter D. Hieronymus observavit: *flente enim matre, & mortem filii præstolante, Deus exaudivit puerum.*

Gen 21

v 17

S. Hier. & ... hic Eccl.

Quod si Deus audiat *lacrymas innocentium*, & vel unius flebilis vox parvuli, ad aures ejus perveniat; quomodo non tot millium parvulorum *ploratus & ululatus magnus* cælos penetrabit, & vox sanguinis tam copiosè effusi, non pro se misericordiam, quam laureati consecuti sunt; sed justam de tyranno vindictam, multò potentiùs clamabit? *Usquequo Domine non judicas, & vindicas sanguinem nostrum?*

Apoc. 6. v. 10.

Pro-

Apoc. 6. v. 10.

Propheta ploratum hunc parvulorum, & ululatum matrum, ad aures suas in spiritu allapsum testatur; sed non qualis, quantusque reipsa in Rama, id est, interprete Hieronymo, in excelso, auditus est, ut eleganter Paschasius

Pascha. bis

disserit: *Si*, inquit, *ex præscientia vox ista Infantium clarè sonuit cum Propheta, hæc cernebat in spiritu; longè validius infremuit, cùm jam multorum millia, suis implebant aures gemitibus: quando non minus Patres & matres, quàm omnis cognatio eorum, suas tendebant palmas, & dabant lamenti voces in cælum; numquid non tantus clamor omnium, & crudelis Christi persecutio ab omnibus poterat non venire in cælum?* Quod apto Abelis exemplo confirmans, sic prosequitur: *nam quomodo vox sanguinis tantorum poterat silere super terram, cùm vox sanguinis Abel, ad Deum clamet de terra in cælum?* Doctè & disertè philosophatur, quò enim vox unius peccat, eò plurium exaudiri necesse est.

Videtur Deus quibusdam mortalium esse longanimis, & quasi dormire, & ambulare circa cardines cæli, nec inferiora hæc curare, aut illis invigilare; sed tanquam indigna sua majestate despicere; unde illud Poëtæ à multis ventilatur:

Ovid. *Non vacat exiguis rebus adesse Iovem.*

Non vacat Deo vacare rebus sublunaribus: *Psalm. 113* *cælum cæli Domino; terram autem dedit filiis hominum*; relinquit mundum mundo, & homines hominibus. Sic impii, sic politici, sic hujus temporis Athei, quia Deum immotum omnia moventem & regentem non sentiunt; at verò ubi innocentis iniquè condemnati, pauperis injustè oppressi, pupilli ab omnibus deserti querula vox resonat per aëra, & pe- *Virg.* netrat cælorum intima, *tum demum movet arma leo*, tunc velut ex alto sopore evigilans, incipit rugire, & repentè in furore arguit peccatores, atque hac fulminatrice interrogatione è cælo intonat, ut olim contra fratricidam *Gen. 4.* Cainum: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*; at ille quasi nullius sibi sceleris conscius, & Deos, quæ in terris gererentur, foret ignarus, rogatus: *Vbi est Abel frater tuus?* Ipsi Deo mentiri ausus, respondit: *Nescio; num custos fratris mei sum ego?* Quis hîc non exspectet in noxiom caput è cælo missa fulmina, aut è saltu leones, aut terram vasto hiatu sub pedibus aperiri, ut hunc innocentis fratris percussorem devoret? Quid hoc: *Maledictus eris super terram?* Ao si Deus sanguinem, qui in cælum clamat, vindicat innocentis? Præclarè divus Ambrosius observat, huic sceleri, brevem mortem, nimis leve ac lene supplicium censeri; innocentis percussor & oppressor non alienis, sed suis ejusdem tyranni manibus excruciandus est, atque iis terroribus ac doloribus ubi ubi est divexandus, ut vita odio, mors in voto sit: *Ambr. in psal. 35.* *Cùm à Domino*, inquit, *pœna cessaret, torquebat eum suorum conscientia peccatorum. Latebat miser tremens, & timens, & cum adhuc percussor deesset, ipsa sese injusti vitâ cruciabat.*

Hic carnifex noctes & dies miserum exagitat, & mille mortes intentat: unde non est, quòd viduæ, pupilli, orphani, parvuli innocenter oppressi querantur, quasi nulla sui Deo cura esset, dum peccatores, oppressores vident gloriari & dominari, suus intus illis hic tortor est, ac dein pœna manet sempiterna. *Acceperat Cain signum, ne eum aliquis occideret, non ut vita suavitate frueretur; sed ne mors auferret ærumnam, ut percussorem suum quotidie timendo pateretur: ipse sibi suus carnifex erat; ipse percussor.* Ac tandem concludit: *Amb. cit.* *Quæ pœna major, quàm timere, quod vitare non possit?*

Quod supplicium conscientiæ assiduò lancinantis, & innocui sanguinis clamor semper auribus insonantis, adeò intolerandū, ut multi sibi violentas manus intulerint, aut ultrò judici stiterint, ut finem tantæ, tamque diuturnæ lanienæ invenirent. Sic Herodes, *ira artifex,* *Chrysolog. serm. 152.* *inventor sceleris, impietatis auctor, pietatis prædo,* *hostis natura,* INIMICUS INNOCENTIÆ, *Spondan. in annal.* *malus omnibus, pessimus sibi*, tot angustiis, ærumnis, doloribus divexatus est, ut, teste Josepho, sibi manus intulisset, nisi à suis impeditus fuisset.

Pratum spiritual. cap. 166. Zehentner vermis conscient. p. 316.

Idem confirmat de sicario Abbas Sabbarius, qui à patrata per summam immanitatem, innocentis pueri cæde, quo scelus occultum meliùs expiaret, & conscientiam oblatrantem obmutescere faceret, religiosæ vitæ rigorem & habitum assumpsit: jamq; per omnes severioris disciplinæ gradus, magnis passibus ad virtutem gradiebatur; cùm ecce scelus semper animo, & vultus exanguis parvuli identidem oculis obversans, exturbat hominem è monasterio: pueri enim voces continuò auribus ejus insonare illud videbantur: *Cur me occidisti? Nec sinebat*, ut Auctor ait, *unâ horâ conquiescere.* Quare semper tremens ac pavens, tanti cruciatus impatiens, ut umbram hanc tristem effugeret, è monasterio excessit: urbem ingressus Diospolim, Judici se sistit, carceri traditur, & capite plectitur. Talem, quisquis est, innocentum oppressor, aureus Orator vivacissimis coloribus depingit: *Obambulabat*, inquit, *amarum accusatorem circumferens conscientiam, cùm sit suo ipsius judicio* *Chrysost. conc. 1. de Lazaro.* *damnatus; nec possit vel ad breve tempus respirare: nam & in lecto, & in mensa, & in foro, & in domo, & interdiu & noctu, & in ipsis frequenter somniis, hæc iniquitatis simulachra videri, ipsiúsque Cain vitam vivit gemens ac tremens super terram*; semper enim illud auribus insonare videtur: *Quid fecisti? vox sanguinis clamat ad me de terra.*

Quod, ut ad mores transferamus, percun- *Morale ad innocentum oppressores.* ctari liber: O infide causidice, *quid fecisti?* vox viduæ à te oppressæ, vox orphani à te indignè deserti, vox pupilli à te ad egestatem adacti, clamat ad me de terra. Tu, qui sedes in subselliis Senator, *quid fecisti?* Vox populi tibi commissi, & à te contempti: vox pauperis à te in necessitate destituti, vox miseri civis injuriis oppressi, nec à te auditi, clamat ad me. Tu, qui sedes pro tribunali,

impie

impie & injuste Judex, *quid fecisti?* Vox innocentis, à falsis testibus circumventi, à te favore amicorum ducto, aut muneribus corrupto, iniquissimè condemnati, clamat ad me de terra.

Hic clamor innocentis oppressi, ita divinas aures percellit, & obtundit, ut omnes pro injusto oppressore preces & lachrymas excludat, nec exorabilis sit.

Dives ille Evangelicus in tormentis positus, clamat: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Luc. 16. v. 24.

Per amabile nomen Patris, rem exiguam, guttam aquæ in extremâ necessitate postulat, nec impetrat; non alia de causâ, nisi quia innocens Lazarus, quem ille crudelissimus indignè spreverat, & fame emori compulerat, in sinu Abrahæ existens, ita animum clamoribus suis præoccuparat, ut ad preces divitis inexorabilis redderetur.

Quod acutè expendens Chrysologus, sic severo isti excliom respondit: *Benè diceres, si Lazarus in sinu residens, ipsum pectus Iudicis non teneret. Gratis rogat Iudicem*, QUEM SIC INNOCENS CONFESSOR ACCUSAT. Chrysolog. serm. 122. Verissimè; nam qui vel unum innocentem oppresserit, aut per iniquas extorsiones, injustas exactiones, ad tantas miserias redegerit, ut etiam vitam extorserit, per omnes suas eleemosynas, jejunia, preces, ne minimam à Deo Patre gratiam extorquebit; quia clamor innocentis oppressi, pientissimi Patris pectus occupans, vanas & inutiles ejus reddit postulationes, cùm firma stet Chrysologi sententia, *in vanum Iudicem rogare, quem innocens confessor accusat.*

Horreant & paveant illi, quibuscumque commissum est munus exercendæ justitiæ: quia dum sæpè vel ignorantiâ juris errant: vel pravo aliquo affectu sententiam præcipitant: vel excæcati muneribus, iniquam pronuntiant: vel tot tricis, jus viduarum, innocentis, orphani & pupilli implicant, ut priùs per extremam penuriam illis vitam extorqueant, quàm justam sententiam ferant; clamor oppressorum ascendit in cælos, & meritò ipsi rapiuntur subitò ex hac vita, ut à supremo Judice, qui judicat justitias, judicentur; atque ita extra ordinem plectuntur, qui innocentes contra ordinem, tyrannica crudelitate damnant, & persumdant.

Quinam innocenter læsi aut occisi ad Dei tribunal appellarunt. Humani juris est, ab uno ad aliud, & sublimiorem Judicem provocare. Dum Jacob Isaaci filius, cum Labano toties mendaci, toties fallaci socero, nunquam ad exitum pervenire posset, ad altissimum tribunal rem postulans: *Deus Abraham*, inquit, *judicet inter nos.* Gen. 31. v. 53.

Cùm David etiamnum aulicus, Regis cytharœdus, inter se suumq; Dominum Saulem, impetrare judicem opportunum non posset, injuriâ multiplici affectus, ad cæli Dictatorem provocans: *Iudicet Dominus*, inquit, *inter me, & te; & ulciscatur me Dominus ex te.* 1. Reg. 24. v. 13.

Jojadæ filius Zacharias Sacerdos, cùm adversus Regem impium Joas nihil justitiæ obtineret, jamque ad mortem innocens traheretur lapidandus, exclamavit: *Videat Dominus, & requirat.* Certè vidit, & requisivit non multo post tempore: anno namque vix evoluto, Regii Principes, qui in hanc injuriam consenserant, Syrorû gladiis trucidati sunt. Rex multis cladibus affectus, in lectulo crebris vulneribus confossus à suis, ad reddendam rationem, divino tribunali oblatus est. 2. Paral. c. 24. v. 25.

Ad hoc tribunal appellarunt Innocentes hodie, aliique Martyres, qui pro Christo occisi sunt: *Vsquequò Domine, sanctus & verus, non judicas & vindicas sanguinem nostrum?* Apoc. 6. v. 10.

Neq; talia ex impatientia, aut odio, aut iracundia, sed ex zelo justitiæ, & odio impietatis profecta, videri debent; sic porrò sanctus Thomas: *Dicendum sicut Augustinus dicit: Vindicta Martyrum est, ut evertatur regnum peccati, quo regnante, tanta perpessi sunt. Vel sicut dicit in lib. de quæstionibus Veteris & Novi Testamenti: postulant se vindicari, non voce, sed ratione; sicut sanguis Abel clamavit de terra. Lætantur autem de vindicta,* (juxta illud: *Lætabitur justus, cùm viderit vindictam,*) *non propter eam, sed propter divinam justitiam.* S. Thom. 2. 2. q. [illegible] art. 8 [illegible] Aug. de ser. Dom. in monte. Psal. 57. v. 11.

Hinc altera quæstio movetur: sæpè fit, ut qui se hic innocenter oppressos, vel injustè damnatos arbitrantur, judices seu persecutores ad tribunal Dei intra certum, subinde intra incertum tempus sistere se jubeant, ut omnibus innocentia sua manifesta fiat; quæritur an licitè?

An liceat citare aliquem ad tribunal DEI? Respondet Del Rio: si citra odium, aut vindictæ cupiditatem, vel impatientiam, iram, desperationem, aut aliam vitiosam affectionem, per injuriam oppressus hoc faciat bono fine, ut innocentia ejus appareat; ne infamia in familiam redundet: aut ut mundus hoc tyranni monstro liberetur: vel ut terrore aut plagâ percussus, resipiscat, & pœniteat, licita est talis provocatio.

Exempla mira, & supra fidem; sed fidis ac priscis auctoribus non desunt, etiam Sanctorum.

B. Benno, Misnensis Præsul, qui annis quadraginta Episcopatui suo præfuit, eâ vigilantiâ & vitæ sanctimoniâ, ut mirandis operibus, & supra hominis conditionem editis nobilitatus sit. Cæteris & illud adnumerandum. Marchio Misnensis *Otho* ad rem avidior, impio ausu & per nefas in Ecclesiæ Misnensis facultates irruit. *Benno* vigilantissimus Pastor id minimè dissimulandum ratus, Marchionem miti verborû humanitate monuit, affirmavitque hominem rectè facturum, si Ecclesiæ bona restitueret; sin minus, Judicem justissimum ab eo jus experiturum. Ad hujus igitur tribunal, inquit, si aliud auxilii non suppetat, hæc controversia transferenda est. Krantz. lib. 4. metropolit. cap. 4. Rader. vol. 2. [illegible] varia [illegible] sta.

Marchio homo furiosus, hanc dicendi libertatem, quamvis sinceram & humanam, nô ferens, Bennoni colaphum incussit. At *Benno* vir sanctissimus, sublimi Spiritu afflatus, hanc tantam injuriam, ait, hoc eodem tempore sequentis anni Deus ulciscetur: quod

Mar-

Marchio protervus & superbus contempsit, atque irrisit; nec multò post B. Benno ægrotare cœpit, cùmque Canonicos suos ad eam charitatem, quam Christus docuit, exercendam cohortatus fuisset, inter preces sanctissimè expiravit anno 1106.

Marchio cùm tempus annuum, & designatus à Bennone dies reduxisset: en, inquit, adest dies, quem Episcopus Beono mihi exitialem minabatur. Decessit ille, & cum eo vaticinium illius: non est, quòd quidquam metuamus. Vix verba finiit, & subitò consternatus, præsentium opem implorat; sed mors mandata exequens, ingemiscentem & multa luctantem abripit ad judicium, quod ei Benno prædixerat. Ita pro se, pro Ecclesia, pro justitia, pro innocentia *Benno* ad divinum judicium appellavit, & exauditus est.

Lipsius monita & exempla politica, lib. 2. cap. 11. Non absimile est, quod Justus Lipsius memorat. *Friderico Ænobarbo* Imperatore, Antistes Moguntinus, fuit *Henricus*, vir pius, tranquillus, suarum rerum: & ideò Romæ accusatus ut ineptus, sive inutilis muneri quod gerebat.

Accessit Arnoldus, qui postea in locum ejus venit, & ferrum ab ipso Henrico missus, ad purgandum, igni oleum addidisse; & purpuratorum quosdam Patrum corrupisse, & in se vertisse. Eò ventum, ut duo Cardinales Moguntiam missi, de causa quæsiverint, Henricum damnáriot, abdicarint, *Arnoldum* illum subrogarint.

Henricus patienter id ferens, hactenùs dumtaxat id questus est, ut diceret: *Injustè judicastis. Appello igitur ad* JESUM CHRISTUM, *æquissimum Iudicem, ibi me responsurum exhibebo, venite.* Illi joco eludentes: *Cùm præcesseris, nos sequemur.* Profectò factum est. Nam ille post annum ferè & dimidium fato concessit: rumore ad aures Cardinalium delato, iterum illudentes: *Ecce præcessit*, inquiunt, *nos sequemur.* Secuti sunt, & uno die uterque subitò obierunt. Addunt annales de genere mortis, quæ sileo.

Non est, quòd potentes hujus sæculi sibi præfidant, ut innocentes opprimant, cùm citandi sint ad tribunal Judicis, apud quem nulla personarum exceptio, nulla opulentiæ, potentiæ, purpuræ, Pontificiæ aut Regiæ dignitatis habetur ratio; sed quò inferior, quò abjectior, pauperior à potentiore oppressus fuerit, hoc apud supremum Judicem, æquiores aures, & benigniorem sententiam relaturus est.

Ibid. Certissimum habetur, quod *Clementi V.* Pontifici Maximo evenit; qui cùm *Templarios*, cœtum Religiosum, & diu bonum, atque utilem, Viennæ in Concilio damnasset, & in sodales ferro atque igne passim vel animadvertisset, vel (ut alii) sævüsset: à pluribus eorum citatus ad tribunal Superûm, paulò plus anno post obiit, quasi ad vadimonium obeundum à supremo Prætore arcessitus.

Lipsius cit. Mariana. Ibid. Sub idem tempus (quod admirationem auget) in eadem causa *Philippus* Rex Galliæ: cui bono damnationes illæ fuisse putabantur, opibus ad eum translatis & confiscatis, è vivis sublatus est: si à casu, miremur: si à Deo, vereamur.

At res etiam nota, & cognomine prodita in *Ferdinando IV.* Hispaniæ Rege, ipso illo ævo, si non anno. Bello & pace bonus habebatur, sed in judicando præceps, aut rigidus, & ad sævitiam inclinare videbatur. Fuit ut *Carvaiali* duo fratres, *Petrus & Ioannes*, suspecti essent in occulta cæde *Benavidii*, primarii viri inter nobiles, sed insp ecti; neque testibus, aut aliis probationibus convicti, neque crimen sanè vel in vinculis fassi; tamen ut Rex erat, duci eos jubet, & de rupe alta præcipites dari. Cùm id fit, clamant & vociferantur: INNOCENTES *se mori, & quoniam Regis aures justissimæ defensioni obstructæ essent, sese igitur ad summum Iudicem provocare, & Regi diem dicere, ab isto (qui sibi ultimus esset)* trigesimum.

Dicta nil valuerunt, sententia tenuit: etiam ipsorum vadatio nec tempore, nec die fallax. Nam eùm Rex animi securus, *Alcaudetem* in castra abiisset contra Mauros: ibi morbo stratim rentatus, sed levi, *Giennium* se contulit: atque ecce VII. Idus Septemb. id est, ipso trigesimo à supplicio die, in lecto exanimatus repertus est, in ipso ætatis flore, annos natus XXIV. menses novem.

Quis nunc queratur, se hîc in terris à potentioribus opprimi, nec ab ullo exaudiri, cùm in altera vita potentes potentier patiantur, qui bonos ac fidos subditos suos damnarunt innocenter? Audite, quid per Prophetam suum justus Judex denuntiet: *Hos verò, qui judicaverunt te, ego judicabo.* *Isa. 49 v. 25.*

Plura in hanc rem & maximè tragica, legere, & colligere est ex Drexelio in Tribunali, lib. 2. cap. 3. & Stengelio de particulari judicio, ac de divinis judiciis tom. 1. cap. 37. &c. Delrio disq: mag. lib. 4. cap. 4. quæst. 3 unum è multis adduxisse sufficiat, quò constet, innocenti semper ad hoc tribunal aditum & audientiam præberi, ubi nullus causidicus partes adversarii sui tuebitur: ubi nec favor, nec munera contra innocentem prævalebunt.

Monasterium sancti Jacobi apud Leodium celebre, ingressus est nobilis adolescens Religionis causâ. Quod ubi cognatus ejus, Leodiensis Præpositus inaudiit, ægerrimè tulit. Mox igitur Abbati Manlianum imperium deferri jussit: consobrinum reddat, aut vim expectet. *Cantipratan. de miraculis sui ævi, cap. 35. Drexel. tribunal. l. 2. cap. 3.*

Recusat Abbas nolentem & invitum extrudere. Ergò Præpositus satellitium cogit, monasterium vi aperit, juvenem rapit, & religiosis vestibus detractis, enim profanis induit. Abbas adscitis in patrocinium primoribus civitatis, ad Episcopum se confert, injurias exponit, & vim monasterio illatam, idque præsente Præposito.

Episcopus has querelas ægrè admittere, in Præpositi partem non dissimulanter propendere, & Abbatem duriùs perstringere. Abbas prompti consilii, mox submissis humi genibus, & ad Præpositum versus, clementi voce: *Contra tuas injurias*, inquit, *ô Præposite, æquum Iudicem in terra obtinere non possum: calumniatur peto, & summum Iudicem interpello, & intra* quadra-

quadraginta dies uterque nostrum coram eo compareat, sententiam pro meritu auditurus. At Præsul cum suis liberaliter cachinnatus, priscam hominis simplicitatem irrisit, dimisitque non sine scommate.

Eccl. 5. Expectare pauxillulum: *Altissimus enim est patiens redditor.* Die ab hinc quadragesimo, Abbas sub nonam matutinam mortuus est. Eo tempore Dominus Præpositus balneo domestico usus, lavabat; cùmque audiret æra campana insolitum concrepare, quæsiit: quid hoc isto tempore? Cui famulus. Ajunt Abbatem ad S. Jacobi modò defunctum esse. Præpositus continuò memor quadragesimi diei ab Abbate dicti, expavescens & attonitus: mox foràs, inquit, foràs; habeo quod agam: heu comparendum est mihi hodie coram Judice supremo. Cùmque properaret thermis egredi, inter adstantium manus collapsus, diro cum ejulatu abiit è vita ad judicium utique judicium: *Ubi causarum strepitus cessant: ubi non jocandi tempus, non cachinnandi locus: ubi Iurisperitorum codices obmutescunt: ubi nec preces, nec aurum, nec favor liberant: ubi fraudes & injustitia deteguntur, & innocentes absolvuntur.* Verissimè Syracides: *Non accipiet Dominus personam in pauperem, & deprecationem læsi exaudiet;* omnium quidem preces audit, sed innocentis iniquè læsi, statim exaudit.

Hæ provocationes à viris sanctis passim instinctu divino, & citra ullam vitiosam affectionem, aut passionem factæ sunt; unde rectè monet Delrio: *Periculosum esse hominibus non comperta sanctitatis has citationes imitari:* nam facilè fallit amor proprius, & persuadet se innocentem; facile quoque ad famam tuendam, aliqua vindictæ aut perturbationis nebula se immiscet. Hinc subdit tertiò: lethaliter peccant, qui Judices ex æquo & bono judicantes, citant ad tribunal Dei, quia nocent injustè. & graviter famæ eorum: sic enim sugillant eos, ut fraudulentos & oppressores innocentiæ: atque adeò hæ provocationes quandoque viros etiam integerrimos, & æquissimos percellunt, ut ex metu in morbum & mortem inciderint. Nec jam ulla vetula rixabitur, nullus civis litigabit, nullus amicus cum amico altercabitur, nullus vel servus, vel puer vapulabit, quin ilicò ad divinum tribunal appellet: *Magna otia cæli,* si ilicò fieri debet, quod postulent impatientes.

Delrio disq. mag. lib. 4. quæst. 3. s. 4.

Citationes ad tribunal periculosæ, & sæpè peccaminosæ.

Alia itaque vobis tutiora innocentiæ præsidia, & meliora suggeram solatia.

§. II.

Recordare, obsecro te, QUIS UNQUAM INNOCENS PERIIT: *aut quando recti deleti sunt:* Iob. cap. 4. vers. 7.

Solatia pro innocente, dum injustè patitur.

SI qua in occasione periclitatur nostra, vel ne vacillet innocentia, vel ne titubet constantia, vel ne nutet patientia, tunc est, dum atrox aliqua nobis irrogatur injuria. Posse æquo animo sustinere injurias, & abstinere à vindictâ injuriæ, hoc demum est viri, & consummata virtus Christiani. Cur Christus virtutum omnium, omnibus quod aspiciāt exemplar, quod imitentur exemplum, constrictus vinculis, rapi ad tribunal gentilis hominis, Judici nefario sisti, à falsis criminatoribus accusari, ac infinitis voluit injuriis obrui? Nisi ut toti mundo testatum faceret, virtutis suæ magnitudinem, qui inter tot, ac tam immanes contumelias, & feroces injurias innocens, & inter criminationes criminis purus persistebat. Habeo mihi suffragantem divum Chrysostomum: *Quomodo animus non turbetur infirmus, in quo territus & totus conturbatus est mundus: Condemnatur ecce in Concilio Iudæorum Dominus, Pilato traditur alligatus, & sacras manus sacrilega catena vinxerunt. Ad tribunal deinde Præsidis sistitur, ut non reatus in illo, sed ut* INNOCENTIA *panderetur: ut reportaret testimonium Iudicis, qui sub crudelibus vinculis, meritum non amisisse* INNOCENTIS.

Chrysost. hom. 3 de passione

Hoc magnum in magnorum omnium maximo Domino, Christo inter vincula, injurias, contumelias, varias criminationes, & tot tam dirè illi, ejusque famæ nocentes, *meritum non amisisse innocentis.* Non cadere in culpam, dum quis impetit tuam famam: non incurrere crimen, dum quis traducit tuum nomen: persistere innocentem inter plurimos sibi nocentes, ô rem quàm raram, tam præclaram! Ad illam tā exaggeratæ virtutis excelsitatem, ut generoso spiritus nisu assurgatis, totoque naturæ impetu & gratiæ conatu vos erigatis, hodie classicum canam, & simul innocentiæ tunc servandæ, nec patientiæ amittendæ subsidia suggeram.

Quid familiarius est hominibus, dum afficiuntur injuriis, quàm quæ impatientia suggerit, obloqui, indignari, diras omnes imprecari, & totum aëra querulis vocibus implere, denique ad vindictam anhelare, *& flectere si nequeant Superos, Acheronta movere?* Virg.

Fateor, nihil est factu tam arduum, ideoque exemplo tam rarum, quàm dum quis contra omne fas, & æquum, innocens sine culpa vel causa, tetrâ læditur injuriâ, sine ullâ vindictæ cupiditate, suâ se involvere patientiâ. Quid, inquiet aliquis, cogor, velim, nolim, cum adversario lite contendere: ratio litigandi nulla, quæsita, & nulli nixa fundamento. Ut lite contendam, desunt (quod pars novit) media; si lite non contendam, injustè licèt, condemnabor. Ergòne injustè mihi irrogabitur injuria, proscribentur paucula, quæ suppetunt bona, quia mihi deest, quâ injuriam propulsem pecunia? Quid? ergòne nulla est in cælis providentia, nulla in terris justitia? sic patitur innocens, sic premitur innocentia? Modestiùs paululùm; siste firmiter in gradu constantiæ: hîc nonnil sustine, & tantisper abstine à vindicta injuriæ. Suggeram consilium, quod tibi erit, quo uti valeas, ad præsidium: erit, si uti cupias, ad solatium.

Inprimis, is unus tibi sit in omni necessita-

perfugium, qui solus potest pro omni necessitate conferre præsidium, Deus. Omnia speret justus ab eo, qui omnia potest. Supra humanas vires Deus potest, supra humanas spes faciet. Non solùm spei innocentis adest Deus, sed supra spem: Iob.4. v.7. *Recordare, obsecro te, quis unquam* INNOCENS *periit?* Joseph numquid *innocens periit?* qui jure queritur: *Furto sublatus sum de terrâ Hebræorum*, Gen.40. v.15. & HIC INNOCENS IN LACUM MISSUS SUM; & è carcere evectus est ad solium.

Deus tuetur innocentes. Daniel cum tribus sociis, numquid *innocens periit?* quem Deus inter rabidos leones, & illos inter voraces flammas incolumes servavit. Sed tu fortè imbellis fœmina, falsò traducta & damnata, omni humano auxilio & patrocinio destituta, innocens peribis? Numquid Susanna *innocens periit?* Hæc iniquè accusata, iniquiùs judicata, iniquissimè condemnata ad mortem? matrona & integerrima & innocentissima, cùm jam lata in eam mortis sententia, traheretur ad ferale theatrum: Daniel 13. v.42. EXCLAMAVIT VOCE MAGNA, ait Scriptura; *Deus æterne qui absconditorum es cognitor, qui nôsti omnia, antequam fiunt; tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt contra me, & ecce morior, cùm nihil horum fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt contra me.* Fuitne Deus surdus ad hos clamores, & innocentis voces? Audi quod sequitur: Daniel.13 *Exaudivit autem Dominus vocem ejus.* Quid factum? v.45. *Cùmque duceretur ad mortem, suscitavit Dominus Spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel;* qui per confertam populi turbam perrumpens, medio foro, sedente judicio, exclamavit voce magna: *Sic fatui filii Israel non judicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israel? &c.* atque ita peroravit, ut perditissimorum senum perversitas manifestata, & integerrimæ matronæ innocentia comprobata sit; atque his falsis criminatoribus à populo saxis obrutis: v.62. *Salvatus est sanguis innoxius in die illa.*

Inauditum est, non exaudiri vocem innocentis. Tu ergo derelictus advocatorum patrocinio, destitutus amicorum solatio, desertus Judicum subsidio, frustratus omni humano præsidio, nixus vitæ innocentiâ, fretus Dei justitiâ, fultus ejusdem providentiâ, plenus heroicâ in illum fiduciâ, audacter Dei auxilium pro te invoca, & contentus conscientiæ testimonio, elatis ad cælum oculis, dic cum Job: Iob.16. v.20. *Ecce in cælis testis meus, & conscius meus in excelsis;* illi Hebr.10. causam tuam committe, qui dicit: *Mihi vindicta, & ego retribuam.* v.30. Cui rei confirmandæ luculentus est testis divus Gregorius Turonensis, qui hanc historiam, ad Innocentium constantiam, recitat.

Greg.Turon lib.2. hist.Franc cap.23. Drexel. tribunal. lib.2.cap.9. Sidonius Apollinaris Arvernensis Episcopus, tam divinis, quàm humanis litteris (ut Gennadius loquitur) ad integrum imbutus, nec minori sanctitate præditus, ut merita sua accumularet, & gloriam augeret in cælis, voluit illum Deus hîc affligi in terris. Quare Sidonius duos Sacerdotes sibi infensissimos expertus est, disciplinâ indigentes, quorum quotidianus erat sermo: Sap.2. v.12. *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris.* Quid non efficiunt duo conspiratores? Imò quid orcus per illos non molitur contra unum innocentem? Duo erant, sed tribus furiis agitabantur; nam moniti, vindictam spirabant, & castigationem metuentes, conabantur amoliri correctorem; quin & ambitione inflammati, locum sperabant, si sedem vacuam fecissent. Hinc conciliabula, hinc conventicula, hinc denique vis apposita, quâ virum innocentissimum, & sacro magistratu dignissimum, omni potestate privatum, ad ultima redegerunt. Siquidem vix tantum cibi præbuerunt afflicto, ut vitam sustentare posset, & vixisse mallet, quàm vivere. Sidonius tametsi gravibus malis irritatus, innocentiâ suâ fultus, injuriam tolerari quàm propulsari ratus, quasi non sentiret, aut meminisset, omnia patienter tulit. Itaque non expostulare, non exprobrare, non implorare amicos, non conciliare patronos, non certare foro, non provocare ad tribunal Dei, non recuperare amissam dignitatem voluit; sed omnia Deo, ejusque judiciis commisit. Judicem profectò nec surdum, nec cæcum, sed nec tardum habuit: Deus enim suo non defuit officio, verùm suo adfuit patrocinio. Convenerat inter hos duos inveteratæ malitiæ, ut die posterâ Episcopum è templo extractum eliminarent; idque unus eorum audacior, palam eliminari non est veritus, & fecisset, ni divina manus prævenisset insanientem. Tota nocte futuram sequentis lucis scenam secum meditatus, vix expectare potuit Solem orientem. Nec expectavit: nam ante diluculum è plumis exiliens, ad facinus se aptabat; sed antequam in publicum se daret, ad naturæ requisita secessit, puero cereum præferente. O miserum! nam dum alvum exonerat, fœtentem animam, alter velut Arrius exhalat. Interim puer foris expectat diutissimè. Jamque sceleris socius nuntiari jusserat, veniret modò, nunc opportunum esse, quod pridie statuissent, exequi. Puer Dominum moniturus, cùm pulsanti nil intus responsum esset, januam tandem reserat, jamque exanimem invenit. Tali loco mori dignus erat, qui innocentem Præsulem loco moverat. Episcopus ergò, Deo ejus causam agente, dignitati suæ restituitur. Verùm post aliquantum temporis, correptus morbo, in templum deferri voluit, ubi lugenti, & interroganti populo, quemnam similem sperare possent, sublato pastore optimo? Respondit: En frater meus Aprunculus vivit, & hic Pastoris munus occupabit. Delirium hoc putabant, non vaticinium, quia non intelligebant.

Defuncto Sidonio, alter Sacerdos, nil repentinâ morte socii motus, jamque gaudio triumphans, tiarã vi sibi rapere conabatur, egregius Pastor ovium, ut ajunt, lupus. Et verò gloriari etiam ausus est homo flagitiosus, nec demum liquere, Sidonio se justiorem fuisse; divinum namque judicium pro se stare, Pontificale pedum à Deo sibi deferendum. O cæcitatem humanæ mentis! Nec languidè Præsul ille futurus egit; profectò in rem suam vigilavit. Nam proximo post Sidonii obitum Domini-

eo die, epulum lautissimum instruxit, primoribus civium omnibus invitatis. Jam convivæ accubuerant, jam disposita per mensam fercula, jam sermo cœperat, jam plausus & applausus resonabant, jam potus poscebatur, &, ut par erat, ante omnes pocillator futuro Episcopo scyphum præbuit; quem ille manu sustinens meditabatur, in cujus sanitatem esset propinandum. At ille jam non mythræ, sed Libitinæ candidatus, sentit repentè, quanta inter os & offam, inter calicem, supremaque labra intercidere possint. Dum miserrimus hic Antistes poculum manu tenet, subitâ formidine cohorruit, expalluit, & vitro è manu cadente, vita excidit, ad dicendam cum Sidonio causam abreptus ad judicium. Hæc omnia, prout evenerunt, pridie objecta sunt pincernæ per somnum, ut Gregorius Turonensis pluribus recenset.

Videtis, ut opinor, quàm justo Deo Judici, cordi sit innocentia.

Innocentum famam Deus tuetur.

Nunc verò, de quâ maximè laboratis, honoris, nominis, existimationis fama, quàm illi quoque mirabiliter curæ sit, innumera innocentium restantur exempla.

Patuit in Josepho, Daniele, Susannâ, aliisque plurimis Legis veteris; sed & sua perquàm illustria, Lex gratiæ nobis exhibuit.

Baron. Surius in vita 2. Maj.

Difficilè dictu est, quæ bella invictissimus Præsul *Athanasius* cum Arrianis gesserit. Producta in medium Concilium muliercula, vim pudori suo illatam mentiebatur ab *Athanasio*, quem ne vultu quidem noverat. Introductus igitur est Athanasius, & unà cum eo *Timotheus* Presbyter: qui simulans se Athanasium: Egone, inquit, mulier, apud te sum diversatus? Ego te violavi? Cui illa petulanter: Tu mihi vim attulisti: idque jurejurando affirmans, Judicum fidem obtestabatur, ut tantum flagitium vindicarent. Quâ cognitâ fraude, rejecta est mulieris impudentia, & omnibus patuit sanctissimi Pontificis innocentia.

Nec hoc satis: *Arsenium* Episcopum ab Athanasio interfectum, Arriani pervulgarunt: quem dum occultè detinent, manum mortui deferunt in judicium, ab Athanasio ad usum magicæ artis, Arsenio amputatam criminantes.

At *Arsenius* noctu aufugiens, cùm se in conspectu totius Concilii statuisset, se nec brachio aut manu mutilum, sed accusationem nec caput, nec pedes habere ad oculum ostendit. Atque ita per malevolos pressa, sed non oppressa, triumphavit innocentia.

Ut *Stanislao* Cracoviensi Antistiti sua staret fama, testis à mortuis suscitatus est.

Breviar. Rom. 7. Maji.

Boleslaum Poloniæ Regem hic graviter offendit, quòd illius notam libidinem publicè arguebat. Quare in solenni regni conventu *Stanislaum* per calumniam in judicium coram se vocari curat, tanquam pagum occuparet, quem Ecclesiæ suæ nomine coëmerat. Quod cùm neque tabulis probare posset, & testes veritatem dicere timerent, spondet Episcopus se Petrum pagi venditorem, qui triennio ante obierat, intra tres dies in judicium adducturum. Conditione cum risu acceptâ, vir Dei toto triduo jejuniis & orationi incumbit: ipso sponsionis die, post oblatum Missæ sacrificium, Petrum de sepulchro surgere jubet: qui statim redivivus, Episcopum ad Regium tribunal euntem sequitur, ibique Rege, & cæteris stupore attonitis, de agro à se vendito, & pretio ritè ab Episcopo persoluto, testimonium dicit, atque iterum in Domino obdormivit, quem nemo vel intestabilem ausus est dicere, vel refutare.

Sed video vos desperare, ut per eiusmodi mirabilia portenta, honori vestro consulatur, & læsa fama restituatur. Confidite, tuetur Deus causam innocentum.

Wading. tom. 1. in annal. Min.

D. Franciscus Seraphicus cùm per Lombardiam iter faceret, à viro locuplete exceptus hospitio, & prandio etiam liberali; in quo cætera inter fercula, erat etiam capo altilis. Invidit malus dæmon, invidit & malevolus aliquis, qui se mendicum improbè fingens pro foribus stetit, oravitque per verendum Dei nomen, ut sibi quis eleemosynam largiretur. Nec mora, *Franciscus* in pia opera profusus & præceps, ilicò partem assi caponis manu prensat, & fert mendico. Debuit ea viri sancti liberalitas omnem invidiæ conceptæ amaritudinem eluere, sed exacerbavit magis: ratus enim oblatam opportunam calumniandi occasionem, caponis partem servat in diem sequentem, ut eam *Francisco* concionanti in faciem obtrudat, multitudini ostentet, indeque probet, nequaquam pro Sancto habendum eum, qui eâ ciborum lautitiâ uteretur, sed potiùs pro helluone aliquo, ventri, & abdomini dedito.

Videri poterat pulchrè adornata calumnia, quæ viri aliàs sanctissimi bonum nomen, famamque inficeret, ac perderet. At secùs omninò accidit, Deo servi sui innocentiam & abstinentiam protegente. Mox enim pars illa caponis, ut publico data, & spectantium oculis oblata, non jam carnis, aut caponis pars visa est, sed piscis assi. Et sic probè elusa & invidi illius malevolentia & calumnia, sanctoque *Francisco* servata fama, & partum jam à sanctitate nomen.

Consimili propè ratione Deus famam *S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis* servavit. Huius sanctimoniam, & eximiæ virtutis opinionem, cùm dæmon ferre non posset, assumptâ specie ipsius *Magdalenæ*, dum aliæ in choro orarent, visus est è cacabo culinæ carnes furtivè subducere; unde factum, ut id fecisse Magdalena putaretur, magnâ sui nominis labe. Tacuit tum *Magdalena*, Deoque rem totam commisit; cùm ecce Monialis altera his auditis rumoribus, sanctè testata est, eam illo tempore in choro fuisse, & à se visam esse. Ita infamia versa in laudem, dum cunctis innotuit, ab invidia diaboli hanc processisse criminationem.

Puccinus in vita.

Hæc ubi audis, quid diffidis? *In silentio, & spe, erit fortitudo vestra*, erit glorificatio vestra.

Isa. 30. v. 15.

Id experti sunt in Societate nostra, viri integritate, & sanctitate vitæ planè eximii, è pluribus unum adduxisse sufficiat.

Sacerdos noster, ut scribit Janus Nicius Erythræus, matronæ cujusdam eximiâ pulchritudine, cum pari pudicitiâ conjunctâ,

Nicius Erythræus exemplo 13.

con-

confessiones excipiebat. Hanc juvenis quidam impurus, ad insaniam depellebat; sed cùm omnes ad eam aditus suis cupiditatibus intercIusos aspiceret, eamque sponsu Virginum se devovere decrevisset; existimavit id sacerdotis illius consiliis & admonitionibus fieri, ac pro certo credidit, illud tam munitum præsidium pudicitiæ se expugnaturum, si efficere posset, ut eo auxilio nudaretur. Itaque sacerdotem illum apud Superiorem suum prubri, flagitiique insimulare statuit; nec mora, accedit, indicatque confidenter, sacerdoti illi veterem cum eâ muliere stupri consuetudinem esse; fictos in eum testes dat, qui dicunt, eum à se manifesto in flagitio deprehensum.

Quare Superior de Concilii sententiâ, graviter in eum animadvertendum decrevit. Ac primò sacris eum interdicit, tù abjectioribus, ac prorsus sordidis ministeriis præficit; quam ille contumeliam, exemplo Christi, tacitè ferendam arbitratus, generosè exsorbebat.

Sed non est oblitus Dominus servi sui: nam, quem ejus periclitandæ virtutis gratiâ, in ea invidiæ flamma esse permiserat, ab ea etiam eùm voluit, eundem eripuit, atque lethali calumniatorem illum morbo percussit; quo cùm acrius indies premeretur, confessus est sacerdoti peccata sua, atque inter alia, negotium istud aperuit, quod innocenti facessiverat. At prudens Confessarius, non posse eum, Deu judice, salvum esse respondit, nisi quem famâ privarat, eâdem redonaret: qui facti pœnitens, rem totam sacerdoti permisit.

Hic confestim Superiorem adiens, ærumnosum illum falso crimine circumventum liberavit, gaudente plurimum Superiore, qui innocentem summâ mox commendatione extulit, & honorifico muneri præfecit.

Innumera, amabilis Dei providentia media habet, quibus omnes calumnias detergit. Imitare & tu auctorem tuum Jesum, de quo Ambrosius: *Christus calumnias appetitus, silentiam tulit triumphale*, & tu triumphabis.

Amb. ser. 17 in psal. 118.

Hoc exemplar sibi proposuit Virgo Alexandrina, nomine *Marina*, quæ cum parente suo, nomen, sexumque mentita, virili habitu cœnobium ingressa patre defuncto, magnis ibidem virtutibus eminebat. Quondam in vicinam urbem emissa, ad vitam familiæ annonam comparandam, Monachus creditus, de vitio hospitis filiæ illato, apud Abbatem accusatus est; qui statim delatione acceptâ: tu frater Marine, inquit, hoc scelus operatus es? stans ille diutius cogitans, & silens, ingemuit, dixitque, peccavi, Pater, ora pro me. Ad iracundiam concitatus Abbas, jussit eum contundi & affligi, moxque foras expelli. Abiit itaque *Marinus*, nulli hominum mysterium revelans, seque ante fores monasterii abjecit, jacuitque super terram, ab ingredientibus bucellam emendicans: tenuitque hæc ratio tres annos omninò: quibus expletis, hospitis filia partu soluta, atque infantem ablactato, eundem ad Marinum veluti parentem detulit, jubens ab eo enutriri. Tacuit *Marinus*, atque in silentio puerum admisit, modico illo suo dimensu, quod à Fratribus in eleëmosynam recipiebat, altutus: idque per biennium fecit, donec singulari commiseratione in monasterium receptus, ut sordes omnes everteret, & aquam comportaret, gravi sanè mulctâ, sed innocenti jucundâ. Verùm diutiùs integerrimam animam affligi vetuit Deus, qui morte intercedente ad Christianæ imitationis præmia *Marinum* evocavit: & sexu patuit *Marina*; venitque ocius ad sepulchrum defunctæ mendacissima pueri mater, jam ab infernali hospite iofessa, crimen suum confessa, innocentis Virginis auxilio liberata est.

In vitis Patrum Rosvveidum.

Unum ejusdem argumenti addo, & finio. *Eugenia Philippi* Alexandriæ Præfecti filia, regnaote *Commodo* Imperatore, metu persecutionis, virili habitu fugit cum duobus eunuchis, aulicis suis. Monasterium ingressa, vitæ sanctimoniâ ac prudentiâ excellens, in Abbatem electa est; quam dignitatem aversata, clam aufugit, & in domu parentis ignota diu latuit; donec flagitii accusata, innocentiâ patefactâ, parentem & tres fratres convertit.

Camerar. centur. 3. c. 76. pag. 284.

Nunc quisque penes se expendat, an ullum calumniæ aut injuriæ genus expertus sit, de quo illi à me jam adducti, non triumpharunt, ut & vos eadem fiducia armati & animati, causam vestram æquissimo judici, & innocentum patrono committatis. Quod si, ut sæpe fit, in hac vita etiam in summis Sanctis non patefaciat; at certè in altera coram universo mundo innocentiam vestram manifestabit.

Quod ne interim arduum videatur, illud vobis solidi solatii adfero, ut si in eo, de quo falsò accusamini, prorsus innocentes sitis, recogitare velitis, quod in multis aliis, conscientiâ vestrâ, & Deo teste, rei & innocentes existaris.

Hoc vitium commune est, si semel sine causa damnum, injuria: si falsa accusatio vel objurgatio irrogetur, impotenter ferunt, & frendent, innocentet se pati; parum recordantes, quod decies & centies rei, longè majora meriti, pœnas non dederint, quas Deus in aptum tempus reservavit.

Testis *Ephrem Syrus*: hic etiamnum puer, fortè fortunâ buculam offendit fœtu gravidam, quam ubi crebra lapidatione confecit, Dominum insuper ejus obvium, & perquam amicè de bove rogitantem, conviciis oneratum dimisit. Haud multò post, cùm eandem viam relegeret, deprehensus à tenebris, mapalibus vicinis successit. Noctu, cum lupi gregem diripuissent, pastores damnum furibus adscripserunt, & *Ephremum* velut proditorem trisurem vinctum ad Prætorem abduxerunt. Hic ille, sceleris innocens, inter longam carceris mortem, cùm menses aliquot exegisset, à tutelari demum Angelo, revocata in memoriam bucula, edoctus est, errare quidem hominum subsellia posse, sed non Dei judicia, ut qui de veto crimine, & peccatis adolescentiæ, justissimas quandoque sub alienæ culpæ numine, pœnas exigat. Duo quoque cum *Ephremo*,

Baron. Metaph. t. Fab. Bolland.

innocenter in carcerem conjecti, hic homicidii, alter adulterii falsò insimulati, & torturæ subjecti, ob occulta quæ olim crimina commiserant, se pœnas pendere cognoverunt, ut apud Bollandum fusiùs videre est.

Recentioris memoriæ est, quod Lusitanus Theologus memoratu dignum commemorat; Ulyssipone, inquit, unus aliquis ducebatur ob patratum homicidium, extremo supplicio afficiendus. Affluxus hominum ingens, dum per urbem ducitur, D. Sebastiani templum transit, ubi marmoream columnam humi jacentem conspicit, & consistit, cùmque ipsu feralis comitatus omnis. Hic reus, oculis defixis locum intuens: audite, ait, quotquot adestis; Numen supremum testor, me ab hac cæde, ob quam à Magistratu duci jubeor, penitus immunem esse; sed ô justissimè Judex Deus, qui dixisti: *Mea est ultio, & ego retribuam eis in tempore*; ad hoc ipsum saxum, hominem ignotum hic in tenebris sedentem, furiosè jugulavi. Facinoris nemo mortalium, nisi solus Deus conscius: hanc innocentis cædem modò vindicat.

Fernand. in Gen. 10. 3. pag. 731.

Deuteron. 32.

Hæc nos ad animum referamus, & cùm inopinatò, quod sæpe fit, malo involvimur, pro se quisque cogitet, an non tu simile quid alteri, aut gravius Deo ipsi fecisti? Nunc igitur talionis pœna te tangit, & non agnoscis unde ad te veniat. Sed anni sunt, inquis, jam multi, cùm hoc à me factum; & heu, nescis quia *patiens redditor est Altissimus*? qui vadimonii diem producit, sed non omittit; expetendam talionis pœnam in menses, in annos differt, sed non aufert.

Eccles. 5.

Quare qui in multis deliquimus, non habemus quod queramur si in uno, in quo non deliquimus, falsò traducti, puniamur.

Præclarum hac de re monitum *S. Theresia* in "itinere perfectionis cap. 15. reliquit: Magnum, inquit, humilitatis argumentum est, videre immeritò & innocentes non damnari, "& silere. Quod qui faciat, næ ille Dominum "Dominum egregiè imitatur.

Tum suo exemplo suas & nos hortatur, dicens: *Numquam ullum aliquod malum de me loquentem andivi, quin liquidò perspicerem, minus illum dicere, quàm revera ideras. Nam etsi fortè eadem mala non essent; in aliis tamen plurimis Deum offenderam, unde etiam plus quàm satis mihi facere videbantur, quod de aliis mea nihil dicerent.*

Si hæc omnis perfectionis & sanctitatis Magistra, nullius gravioris nævi sibi conscia, sic se in falsis criminationibus soletur, quantò æquiùs nos, plurium ac gravissimorum, aliàs rei?

Tandem ut eò revertamur, unde exorsi sumus, epilogi loco serviet, longè majorem curam, diligentiam, sollertiam, solicitudinem adhibendam esse, ut parentes, patrini, tutores, parvulis innocentibus, quò ad temporalia & spiritualia, ac potissimùm, quò ad vitam animæ consulant, quàm ut ipsi per falsas criminationes, famam suam, & innocentiam impetitam, tueantur.

§. III.

Quæ cura, solicitudo, obligatio incumbat parentibus, patrinis, tutoribus, de parvulis innocentibus, eorum fidei commissis?

Morale.

Ac primùm quidem, quod parentes spectat, parvuli primis fidei fundamentis per catechesim imbuendi; tum ubi capaces fuerint, curandum ut sacram Eucharistiam accedant, ac potissimùm in extremis, ut eâ velut viatico muniantur.

Hic primò disquirendum, quâ ætate illis S. Eucharistia administranda sit. Innocentius III. cap. *omnis utriusque sexus*, præcipit omnibus accipere Eucharistiam in Paschate, cùm ad annos discretionis pervenerint; consuetudo tamen Fidelium est, ut prius Sacramentum pœnitentiæ percipiant, dum sunt doli capaces; post aliquot verò annos, Eucharistiam, benè de hoc divino mysterio, & reali Christi præsentia instructi.

Quando parvulis Eucharistia ministranda. Lugo de Euchar. disp. 13. sect. 4.

Per annos vero discretionis non rectè aliqui, annos pubertatis intelligunt; quia multi pueri ante annum 14, & puellæ ante annum 12. possunt, & debent communicare, habentque discretionem plusquam sufficientem. Quando autem in parvulis usus rationis satis vigeat, ut inter cibum corporalem & spiritualem non solum discernant; sed & de reali Christi præsentia, aliisque ad hoc mysterium pertinentibus sufficienter instructi sint, judicio Confessarii relinquendum est, vel judicio proborum parentum, qui ut ait Joannes Sanchez, certius judicare possunt de rationis usu, quàm Confessarii, cùm frequentius actiones eorum observent: possunt enim pueri memoriter solum retinere responsa ad interrogata necessaria ad communicandum, & minimè penetrare. Ideò Manuale Toletanum *de Eucharistia*. n. 3. fol. 21. asserit judicium examinandum esse à patre, seu sacerdote.

Ioan. Sanchez. disp. select. disp. 16. n. 11.

Quod si puer orbus sit parentibus, in tutores, vel patruelem, vel patrinos ea cura incumbit, ita Sanchez. Hæc autem maximè urgent in articulo mortis, ut i de capacitate ad sacrum viaticum suscipiendum, parentes, domestici, patrini optimè judicare possunt, & maximè soliciti esse debent. Nam pueris qui peccare possunt, & numquam communicatunt, dandum in extremis viaticum docet Navarrus. Suarez dandum asserit ex præcepto. Lugo idem sentit, qui addit etiam dum dubitatur de pueri capacitate, dandum esse viaticum: non enim, inquit, video fundamentum convincens ad id negandum. Sicut in simili dubio extrema Unctio non negatur. Huic sententiæ favere videtur Henriquez, dum ait: *Si Pater & Parochus in mortis articulo, ubi maximè urget præ-*

Sanchez. cit.

Navarr. in Manua. c. 21. n. 57. Suarez disp. 7. sect. Lugo cit. Henriquez. lib. 8. de Euch. c. 62.

ceptum

ceptum divinum, aut in Pascha communicare puerum non permittat, excusatur quando est dubium de sufficienti discretione & tamen interdum expediret morienti; quod si interdum expediret morienti, quis scit, si hic & nunc, & huic & alteri morienti nun expediat; unde fundamentum non est negandi.

Extrema Unctio quando pueris danda.

Alterum est, plurimos parentes, aut etiam Confessarios, pueros usum rationis habentes ad peccandum, qui ob defectum ætatis numquam susceperunt sacram Eucharistiam, destituere in articulo mortis Sacramento extremæ Unctionis; quod Sanchez sine peccato negare non posse affirmat: nam si, ut diximus, viaticum dandum sit, cur non & extrema Unctio, quod Sacramentum abstergit peccata venialia, ut communiter Doctores, idque ex propria institutione, ut constat ex verbis S. Jacobi: *Si in peccatis sit, dimittentur ei*; & ex verbis Tridentini: *delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit*; item ex verbis formæ: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti*.

Ioan. Sanchez disp. select. & pract. disp. 17 n. 6.

Trid. sess. 14. c. 2.

Reliquias autem peccatorum D. Thomas cum aliis à Sanchez citatis, intelligit tam peccati originalis, quàm actualis, venialis aut etiam mortalis, cujus memoriam non habet; "poterit autem contingere, inquit, puerum "non fuisse confessum sua peccata, aut non "cum dolore necessario; si tamen postea "recipiat hoc Sacramentum cum sola attri"tione, putans bonâ fide se esse in statu gra"tiæ, huc Sacramentum causabit primam gra"tiam. At si non ministretur, probabiliori "periculo exponi salutem pueri, quis ambigat? "Quare puerum privare remedio contra reli"quias peccatorum, & periculo exponere damnationis crudele est, & iniquum; in quo tamen non raro & magnam ignorantiam & incuriam, atque abusum gravem parentum, eorumque ad quos spectat cura animarum, deprehendi. Hinc loquit Navarrus, magnæ curæ esse debet cuique, hujus Sacramenti susceptio: quia fieri posset, ut moriens absque eo damnetur, qui unctus salvaretur. Vide Sanchez citatum n. 10. qui plures auctores adfert parvulis usum rationis habentibus hoc Sacramentum ministrandum, additque magis necessarium puero, qui numquam communicavit, quàm adulto, qui Eucharistiam suscepit.

S. Thom. in 4. dist. 24. q. 2. a. 2. Sanchez cit.

Navarr. in Manual. c. 22. n. 13

Et quotusquisque est, qui de hac crassa ignorantia se accuset, qui culpam agnoscat, qui incuriam & gravissimum parvuli animæ illarum damnum amarissimis lacrymis deploret, & justâ pœnitentiâ eluere cunetur? Exemplum in ingens est *D. Maurilius*, patriâ Mediolanensis, *sancti Martini* discipulus, à quo & sacerdotio & infula Andegavensi, candidâ columbâ super caput delapsâ, initiatus est. Vos Pastores, parentes, patrini, qui animas curatis, animum advertite. Parvulus isque moribundus facto chrismate firmandus erat, dum factis *Maurilius* plusculum immoratur, emoritur ille. Hoc suum facinus Pontifex credere non expiandum, nisi abdicato munere. Proinde se judice exul clam navim conscendit; lapsisque in mare, quas secum ferebat, templi clavibus, vovet non prius patriam visurum quàm claves amissas. Mox trajecto mari, fervum se viro Principi addicit, hortumque colit, ille nuper Italiæ unicus flosculus. Jam annis omninò septem totâ Europâ à suis quæsitus, Angeli demum indicio inventus. Tot preces, precibusque mistæ lacrymæ, redditæque à pisce, qui navim insilierat, claves, & promissa puero à Deo vita, reditum tandem persuaserunt. Nempè primò omnium ad tumulum est itum, ubi unà Divus à precibus, & puer à morte surrexit. Insulæ etiam deinde tes *Maurilii*, cujus ultima moribundi ad adstantes illa vox perhibetur: *Cogitarent, quas gererent animas, pretioso ab! nimium lytro, Christi sanguine emptas esse.*

Surius 13. sept.

Præ his tamen omnibus, major cura adhibenda est, ne parvuli sine Sacramento Baptismi moriantur, dum ex remotis urbibus patrini expectantur, aut aliæ ceremoniæ & vanitatis pompa adornatur cum præsenti parvuli in æternum interitu. Exstimulet vos, quod Joannes Eviratus in prato spirituali refert de *puella Alexandrina*, quæ parentibus orbata, adhuc Gentilis, homini suspendium sibi ob debitorum gravitatem machinanti, totum suum patrimonium donavit, ut eum à suspendio revocaret. Quæ cælesti radio collustrata, cùm Baptismum peteret, nec patrinum obtinere posset, Angelum patrinum nacta est.

Pratum spirit. c. 207.

Vos Angelorum officio fungimini, & dignitate superatis, duos animas parvulorum vobis commissas, fonti gratiæ sistitis, & æternæ lucis candidatos redditis; quod quàm excellens, quàm divinum opus, ex hoc conjicere est.

Fecerat naufragium Indico in Oceano *Alphonsus Dux Albuquerquius*, eoque in tumultu, dum unusquisque sibi consolens, amicissimorum facilè obliviscitur, ipse Dux ac classis Prætor puerum nauticum, qui mari haurie batur, in humeros sustulit; clamantibusque cunctis, ut abjectâ sarcinâ, viciniam ad navim adnataret, *sperare se dixit ejus* INFANTIS INNOCENTIA *tutum se medijs in undis fore, donec scapha ad excipiendum expediretur. Itaque factum fuit; diceres* INNOCENTIAM INFANTIS *periclitanti Duci pro fubere fuisse.* Quibuscumque vos corporis aut animi periculis jactari contigerit, confidite, innocentum patrocinio, vos lethalibus undis eripiendos, etipiendos fore.

P. Ioan. Rho varia virt. hist. lib. 1. c. 7. § IV.

Denique patrini ac tutoris arcta obligatio est, ut parvuli, pupilli ac orphani in omni pietate & probitate educentur, litteris, scientiis, aut aliis, pro ut cujusque fert conditio, opificiis imbuantur. *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, illaqueatus es verbis oris tui*; tu pro parvulo spopondisti, & fidejussorem te fecisti, vide ne fallas. Hinc Augustinus ferm. de Paschate: *Vos ante omnia, tam viros quàm mulieres, qui filios in Baptismo suscepistis; moneo ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum exstitisse*; quia curam salutis spiritualis vos habiturus spopondistis. Idem incul-

Aug. serm. 215. de tempore. incolcat alibi: *Filios quos in Baptismo excipitis, scitote vos fideijussores pro ipsis apud Deum exstitisse. Et ideò tam illos qui de vobis nati sunt, quàm illos quos de fonte excepistis, semper castigate atque corrigite, ut castè, & justè, & sobriè vivant.*

Secundò, tenentur etiam tutores rectè administrare pupillorum bona temporalia: *Tutela enim est potestas ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere non potest*, ut habetur Iostit. Imp. l. 1. tit. 13. S. Thomas io illud Pauli ad Galatas 4. *Quantò tempore hæres parvulus est, sub tutoribus & actoribus est*, sic in rem oostram: *Puer quamdiu parvulus est, quia non habet cognitionem perfectam, & usum liberæ voluntatis, committitur custodia aliorum, qui bona defendant*; qui tenentur bona pupillorum præservate ab omni injuria, oe ullum damnum inferatur: ot fundi & agri illis elucentur, qui sulvendo sunt. Tum ut utilitati & emulumento pupillorum studeant: terræ excolantur, arbores plantentur, pecuniæ ad utilissimos reditus deputiantur; nun iis ipsi, ad suum lucrum abotantor, qun in negotio, innumeri animas suas perdunt, qui bonis pupillorum dominantur.

Pragesus tom. 1. p. 846. S. Thom. in epist. ad Gal. 4. v. 1

Cardinalis de Lugn, de jure & just. Covarruvias, Curduba, Navarrus, Lessius, cum cummuni Theologorum docent, teoeri tutures facere utilia, buoa pupillorum, & qui oegligunt impedire damoa, ex justitia teneri ad ea de iou resarcienda. Deus jostus judex, pater pupillurum & urphanorum de his omnibus strictas rationes exiget, & causas innoceotum defendet. *Lessius l. 2. de iur. c. 13. n. 74*



DE

DE COMMVNI SS. MARTYRUM.

Sicut abundant PASSIONES *Christi in nobis , ita & per Christum abundat* CONSOLATIO *nostra.* 2. Cor. 1.



Dum pungor, pingor.

ARGUMENTUM.

MAgnam Deus curam in præservando, & exornando tabernaculo adhiberi voluit, cujus, inter cetera, operimentum fieri præcepit *de pellibus rubricatis*, quibus Martyrum pelles, secundùm Bedam, denotantur; quas Abbas Cellensis, tum eleganter pingi asserit , cùm pungi contigerit: *quò tortor*, inquit, *acrius pungit, eò decentius pingit: punctura pictura est*; ita Martyres, quò acrius puncti, decentius picti sunt. Unde non immeritò quis Deum , non pictoris, sed phrygionis partes agere, dixit: hic enim quo pellem, aliamve materiam crebrius pungit, hoc splendidius serico & auro illam pingit; imò eâ parte maximè resplendescere solet, quâ frequentius variis puncturis terebrata fuerit; quod ipsum Martyribus proprium, qui ut D. Thomas, & S. Augustinus docent, in ea corporis parte, in qua martyrium pertulerunt , singulari splendore ac decore fulgebunt. Exodi. 26. Petr. Cellens lib. 1. de conscientia.

Alterum est, quod Martyr non solum pingitur, dum pungitur; sed & ungitur, dum pungitur, quod D. Bernardus in dedicatione templi observavit, cruces ab Antistite inungi solitas , unde illud ad suos suave & salubre monitum adducit : *Vos, qui experti estis, & scitis, quia verè crux nostra* INUNCTA EST, *& amaritudo nostra, dulcissima*, idque ex eo, quia ut Paulus ait: *Deus totius consolationis, consolatur nos in omni tribulatione nostra*; quod si in omni, ergò, quod & vos spectat, in infirmitate, in paupertate, in omni adversitate; nam ut inquit Propheta : *Secundùm multitudinem* DOLORUM *meorum, in corde meo*, CONSOLATIONES *tuæ lætificaverunt animam meam.* Bern. ser. 1 de dedicat. 2. Corint. 1 Psal. 93.

§. I. *Sicut abundant* PASSIONES *Christi in nobis, ita & per Christum, abundat* CONSOLATIO *nostra.* 2 Cor. 1.

§. II. *Secundùm multitudinem* DOLORUM *meorum in corde meo*, CONSOLATIONES TUÆ *lætificaverunt animam meam.* Psal. 93. v. 19.

DE COMMVNI SS. MARTYRUM.

Sicut abundant PASSIONES *Christi in nobis, ita & per Christum abundat* CONSOLATIO *nostra.*
2. Cor. 1.



Uautum æterna Numinis sapientia quodammodo studuerit & elaborarit in exornando & præservando tabernaculo, patet libro Exodi cap. 25. 26. & alibi; ubi inter cetera præcipitur Moysi: *Facies operimentum de pellibus arietum rubricatis*; quibus pelles Martyrum, sanguinis ostro rubricatas, venerabilis Beda præsignari voluit: *Apostoli*, inquit, *& Apostolici viri, pelles arietum sunt, usque ad martyrium rubricati*; suo enim sacro cruore Ecclesiam operuerunt, & fidem stabilierunt, adversus omnes ingruentes infidelium procellas. In eundem sensum Divus Augustinus tom. 4. lib. 2. quæst. supra Exodum. cap. 108. *Pellibus arietum rubricatis significantur* MARTYRES *sancti.*

Exodi 26. v. 14.

Beda lib. 3 tabern. c. 3

Figura Martyrũ in pellibus rubricatis.

Sed præclarissimè ac propriissimè ad rem nostram Petrus Abbas Cellensis, qui ab opere phrygio similitudinem mutuatur, & puncturis Martyres, velut acu pingi demonstrat, atque unà nos animat, ut sic pungamur, & pingamur: *Subigatur*, inquit, *corpus in pœna, jejuniis maceretur, verberibus lanietur, equulo distendatur, gladio trucidetur, crucis supplicio affligatur. In pelle morticina potiùs scribuntur illa ad meritum coronæ* (ut in charta pergamena fieri solet) *quàm instigantur pro delicto culpa.* Tum argutè & acutè subjungit: *Quò torior acriùs* PUNGIT, *eò decentius* PINGIT *pellem carnis meæ, quæ est una de pellibus Salomonis.* PUNCTURA TUA *est mihi* PICTURA.

Petr. Cellens. lib. de conscientia

Martyr dum pungitur, pingitur.

Ingenioso illud Symbolo expressit, qui cælestem genium pellem, aliamque materiam probè tensam, acu pingentem oculis subjecit, & quasi suo splendore ac valnte gloriетur, hoc lemmate Indit: *Dum pungor, pingor.*

Vidisti quandoque in Regum Principumque plaudamentis, in sacris infulis, ac pretiosis aræ apparamentis, varias effigies auro gemmisque distinctas; sed nulla adeò artificiosè ac pretiosè expressa figura, aut pictura, quàm ab hac punctura. Martyr *extendit in supplicio pellem; sed tunc magis apparet figura picti*, figura Barthulomæi, figura Sebastiani, figura Cassiani, jaculis & stilis confixi: figura & pictura Christinæ, Martinæ, Ursulæ, aliarumque Virginum, quarum pelles mille telis ac stilis terebratæ sunt.

Petr. Cellens. cit.

Deus non tam pictoris, quàm phrygionis partes sibi sumpsisse videtur: pictor tabulam politam, aut laminam cupream in partes non secat; sed colores amœnos leni peniculo illinit, ac picturam omnibus spectandam, laudandam, & mirandam proponit. At phrygio telam sericam, holosericam, damascenam, innumeris puncturis perforat, conscindit, particulos auro, gemmis & unionibus distinguit, atque inde opus maximè egregium ac planè regium exsurgit. Supremus rerum omnium artifex Deus, à primis mundi incunabulis sic egit, tot centena millia suorum, distendi, dispungi, lacerari, secari, in partes scindi permisit. His præcisa capita, illis pectus confossum, istis artus discerpti: alii membratim dissecti, flagris & taureis in mille partes concisi, pulcherrimam Deo, Angelis & hominibus per puncturam, picturam exhibuerunt; quisquis sic pingi amat, sic pungi ambiat, ut rectè Petrus Cellensis inculcat: *Cede ergò pellem, ut* PINGAS, *cùm* PUNGIS: *pungendo enim &* PUNGIS ET PINGIS; dum hirsutis cilicus, ferreis cincturis, hamatis flagellis curem *pungis*, pulcherrimè *pingis*. Quin & adversarius vester diabolus, dum stimulis carnis, mentem *pungit*, eleganter *pingit*, si compungeris. Inimicus homo dum aculeata sua lingua *pungit*, & famam, nomenque tuum ac tuorum configit, præstanter *pingit*.

Deus partes phrygionis agit.

Petr. Cellens. cit.

Illud insuper observandum occurrit, purpuram, aliamve materiam acupictam, eâ parte filis aureis pretiosius ac speciosius relucere, quæ densius ac frequentius acu puncta est; atque consimili quodam more, corpora Sanctorum eâ parte, quâ Martyrium pertulerunt, singulari splendore ac venustate conspicua fore.

Ut purpura aliave materia acu picta eâ parte pretiosior, quæ frequentius acu puncta, ita Martyres ea parte corporis singularem splendorem habituri in qua martyrium pertulerunt.

Illustre hujus rei argumentum enituit in glorioso Christi corpore, qui caput Martyrum, cuius veneranda vulnera resplendent super solem & sidera, de quibus igneus ille Ecclesiastes sanctus Vincentius sic aliquando ad populum dissernit: *Remansisse signa plagarum resplendentia ad instar stellarum, & vulnus lateris instar lunæ*; ipsis quippe stellis, & lunâ & sole, lucidiores radios è quinque sacris Salvatoris vulneribus aliquando Francisca Romana vidit absistere, ut Auctor vitæ commemorat, & per orbem universum in officio Apostolorum Paschali decantat Ecclesia:

Probatur vulneribus Christi.

S. Vincent. Dom. in albis serm. 4.

In

In carne Christi VULNERA
MICARE TANQUAM SIDERA
Mirantur.

Nec hoc satis; eximius Theologiæ Magister Franciscus Suarez, ut sanctæ quorumdam curiositati faciat satis, disputat, & probat præter quinque vulnera, alia etiam inflicta, suum singularem fulgorem habitura, cùm is honor, ut videbimus, Martyrum membris tribuendus sit.

Suarez. 3. part. disp. 47. sect. 2.

Inducit ipse Hippolytum Martyrem affirmantem, non solum quinque vulnera, sed & caput Christi spinis redimitum, tot radiis conspicuum, quot puncturis saucium fuit; de quo nulli dubium suboriri potest, cùm Doctor Angelicus disertè de Martyribus asserat: *Membra in quibus Martyres passi sunt* (ad imitationem capitis) PECULIARI FULGORE IN CÆLIS DECORANDA. Id in superna illa Jerusalem, in cælesti illa civitate Dei, attentiori mentis oculo contemplatus sanctus Augustinus, ait: *Nescio quomodo sic afficimur* AMORE MARTYRUM *Beatorum, ut velimus in illo regno, in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt: non enim deformitas in eis, sed* DIGNITAS ERIT, ET QUÆDAM, QUAMVIS IN CORPORE, NON CORPORIS, SED VIRTUTIS PULCHRITUDO FULGEBIT.

S. Hippolyt. orat. de consumm. mundi.

S. Thom. 3 part. q. 54 art. 4. ad 1 Probatur a.in mar tyribus.

Aug. lib. 22. de civ. Dei. cap. 20.

Festivum illud acroama Catoni olim Gentiles acclamarunt: *De fortissimo ejus vulneribus, plus gloriæ fluxisse, quàm sanguinis*; hoc potiori jure de iis prædicaro, qui pro Christo, pro fide suum sanguinem fuderunt. Quam materiam doctè pertractat Cardinalis Bellarminus. Illud, inquit, accedet ad gaudium oculorum, quod sanctus Augustinus docet: "*Martyres beatissimos in ea corporis parte in qua* "*supplicia pertulerunt, signa virtutis pulcherrima* "*& venustissima prælaturos.* Quid igitur erit "videre sanctum Stephanum *tot gemmis pre*"*tiosis insignem; quot lapidum ictus in corpore suo* "*pertulit?* Quid Joannem Baptistam & Jacobum Majorem, ac Paulum Apostolos, & "alios propè infinitos, quibus collum pro "Christo præcisum fuit, videre *torque nobilissi*"*mo* (supra omnes Manlios, Torquatos) omnique auro pretiosiore, incredibili decore "fulgere? Quid *sanctum Bartholomæum, cui pellis à toto corpore detracta, ita illustratum, ut omnem purpuram quamtumvis pretiosam superare videatur?*

Val. Max. lib. 3. c. 2.

Bellarm. de æterna felicitate lib. 4. c. 5. Aug. cit.

Aug. cit.

Quid erit, ut cætera prætermittam, videre "Petrum, & Andream, & alios plurimos, "qui crucis supplicium pertulerunt, *quasi stel*"*las lucidissimas in manibus & pedibus cum infi*"*nito decore, gestare?* Nam de Christo Re"ge Martyrum qui ad gloriam suam, & so"latium nostrum, signa clavorum & lanceæ "conservare voluit, nulla lingua promere po"test, quanta luce signa illa sacrosancta mica"bunt.

Brasili, gens ferox & barbara, cutem solis ardoribus adustam, cultris conscindunt, ut quosdam hîc vinctos conspexi, ac plagis hiantibus, uniones, pretiosissimasque gemmas inserere consueverunt, atque ii nobiliores & illustriores inter eos censentur, qui pluribus plagis maximè concisi, in publicum splendidè progrediuntur. Quemadmodum nostras inter nationes moris est, vestes eleganter conscindere, apparente per crebras earum scissuras serico, vel auro.

Arhiantia & spirantia heroum Christianorum vulnera à barbaris tyrannis inflicta, longè diuriùs ac splendidiùs refulgebunt. Gravissimum Theologum Dominicum Sotum audite: *Extabunt in eorumdem* (Martyrum) *membrorum articulis, gladii cicatrices*, EFFULGENTES SUPER OMNE AURUM, ET LAPIDEM PRETIOSUM, *velut cicatrices vulnerum Christi.*

Soto in 4. dist 44. cap 3

Job ulceribus plenus, suas intuitus, quas toto corpore plagas sanie & tabo fluentes gestabar, speplenus exclamat: *Rursus circumdabor pelle mea.* In quæ verba Pineda noster: quòd si vera illa sententia Augustini lib. 22. de civit. Dei. cap. 20. & Divi Thomæ 3. part. quæst. 54. art. 4. quantus erit totius" corporis beati Job splendor & pulchritudo" quaota? si pro scabie istâ fœdissimâ, quâ" totum corpus respersum fuit à planta pedis" usque ad verticem capitis, & pro innumeri" dis ulceribus, & acutissimis omnium mem-" brorum cruciatibus, *illius corpus postea illu*-" *minatum, quibusdam quasi guttis lucis, & stel*-" *lis vermiculatum erit*, omni vellere aureo" nimium quantum præstantius ac pretio-" sius.

Iob. 19. v. 26.

Pineda hic

Sic dentes Apolloniæ excussi, in ore illius, margaritarum instar apparebunt. Sic excisa Agathæ ubera, aureo pectorali resplendebunt, & sic de cæteris; nam, ut inquit Divus Thomas: *In illis locis vulnerum, quidam specialis decor apparebit*; & in quibus acriùs atque acerbiùs puncti fuerint Martyres, pulchriùs ac splendidiùs picti refulgebunt.

S. Thom. cit.

Ita caput, manus, pedes, oculi, omnia membra nostra, in quibus graviores perpessi fuimus cruciatus, gratiùs, multòque illustriùs coruscabunt.

Tanta fuit Domitiano Imperatori jaculandi dexteritas, ut eminùs emissis sagittis caput cervi coronaret. Ita Deus jaculis morborum, dolorum, interiorum punctionum, non cervum, sed servum suum coronat. Ita verticem Catharinæ Senensis tot radiis fecit coruscare, quot spinis ante cruentarat; quæ omnia non exigua nobis in omni corporis cruciatu vel à Deo immisso, vel sponte suscepto, solatio sunt.

* *
*

§. I.

Sicut abundant PASSIONES *Christi in nobis ; ita & per Christum abundat* CONSOLATIO *nostra. 2. Cor. 1.*

Martyr pungitur & ungitur. SAcra Judicum historia refert, Samsonem super mensam subtile convivis aenigma hoc proposuisse : *De comedente exivit cibus , & de forti egressa est dulcedo* ; quod adeò involutum est, ut per septem dies caput suum divexando, assequi nequiverint ; nec unquam divinassent, nisi in vitula arassent. Eminentissimus Cardinalis Baronius, praetermisso sensu litterali, qui ex textu patet, sic ad mores exponit : *Favus ille mellis ex ore leonis depromptus, typicè demonstravit favum mellis à* SANCTIS MARTYRIBUS *in persecutorum rabie coagmentandum.* Quot tyranni , quot persecutores unquam ullibi gentium exstiterunt, tot ferocissimi leones, in Christianos , in membra Christi saevierunt ; ex quorum barbara rabie, & cruento rictu, inclyti illi heroës, & divini Samsones, favum caelestis dulcedinis, & supernae consolationis sibi legerunt.

Judic. 14. v. 14.

Baronius in prolog. Martyrol. cap. 10.

Huic argumento congruit , quod in nova Lege Divus Lucas commemorat, Redemptorem nostrum à Resurrectione sua cum discipulis suis manducasse; nec mysterio caret, *partem piscis assi & favum mellis* appositum fuisse : sic etenim hac super re Gregorius Magnus discurrit: *Qui piscis assus fieri dignatus est in passione, favus mellis nobis exstitit in Resurrectione.* Tum subdit : *Ecce in cibo suo Dominus noster pisci asso conjungere favum voluit : quia qui hic tribulationes pro Domino sentiunt , ab amore internae dulcedinis non recedunt.*

Luc. 24.

S. Greg. hom. 24. in Evang.

Consimile quid caelestis sponsa in sponso suo observasse videtur, quae dum sibi minimè constare videtur, maximè sapit. Audi dicentem : *Mel & lac sub lingua ejus.* Paulò pòst longè aliter pronuntiat : *Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.* Myrrha nil amarius, at lacte & melle nil dulcius. Bernardus totus melleus , myrrham & mel simul in eodem sponsi ore jungi vult, dum eos esse laborum pro Christo susceptorum amarores sentit; ut unà cum ipsis melleus exundet liquor. Non expectanda duntaxat futuri saeculi felicitas servo Dei, sed cum myrrha etiam in hac vita mel eunsolationis hauriet, & gustabit.

Cant. 4. v. 11.

Bern. epist. 106.

Testem habeo primae veritatis Paulum, qui ait: *Sicut abundant* PASSIONES *Christi in nobis ; ita & per Christum abundat* CONSOLATIO *nostra.* Ubi Doctor Seraphicus disertissimè excutit : *In verbo isto , duo ostenduntur. Primò ,* MALUM PASSIONIS EXTERNAE , *quo temporaliter affliguntur. Secundò,* BONUM CONSOLATIONIS INTERNAE, *quo dulciter consolantur.* Primum earnis est afflictivum ; secundum autem est animae affectivum. Sed ista afflictio & consolatio simul in unum sunt tractanda: quia contraria juxta se posita magis elucescunt.

1. Cor. 1. Bonav. serm. 1. de plurib. SS. Martyrib.

Hoc testantur omnes invictissimi illi Christi pugiles. Petrus Apostolorum Princeps vinctus catenis duabus, squallido detinebatur in carcere, in quo ille veluti amoenissimo in viridatio versabatur. Augustinum hîc sacro stupore defixum attendite: *Admiror, Petre, quietem tuam, in medio catenarum, velut inter flores requiescis.*

Admiror & te, Paule, inter contumelias, tribulationes, & persecutiones exultantem, atque ex abundantia cordis clamantem : *Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Pro *placeo*, Graecè legitur, *delector*, hoc est, ut Theophylactus exponit, non tantùm eas fortiter fero, sed iis pascor & oblector, quod expressiùs testatur 2. Cor. 7. *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*; quasi ipsis caeli delicus difflueret, ut rectè Chrysostomus observavit, dicens : *Cùm videret quasi niviis cumulos, tentationes quotidie ingruentes, non aliter , quàm si in medio paradiso vixisset, ita gaudebat, gestiebatque.* Unica caelestis dulcedinis guttula, amarissimos persecutionum fluctus & maria dulcorare valebat, quae ipsos rogos in rosas , cruces in floridos lectulos vertebat. Ita gloriosus Apostolus Andreas in carne gestit & exultat, de quo Doctor mellifluus : *Unde nova haec exultatio & laetitia hactenùs inaudita , ita ut dulcedini ejus non quidem praevalere queat ipsa mortis amaritudo.*

2. Cor. 12.

Chrysost. hom. 1 in 2. ad Cor.

Bern. ser. 2. de S. Andrea.

Ignitos carbones Levitae Laurentio , pro strato roseo fuisse describit Chrysologus: *Beatus Laurentius craticulam supplicii , lectum quietis putabat.*

Chrysolog. serm. 135.

Nôstis, quod Matthaeus cap. 8. commemorat : Christum placidissimè in summu maris tempestate somnum cepisse: *Ecce, motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat* ; ut agnoscamus , hunc somnum Christi dormientis inter glomeratos reciprocantium undarum vortices, praesagum fuisse, Martyres inter sanguineos fluctus , & saevientis tyranni tempestatem , molliter in Christi sinu , & super ardentes prunas quasi super plumas requiescere. Cujus paradoxi assertionem Nolaous Antistes, sanctus Paulinus, tam eleganter, quàm religiosè epistola 2. ad Vitricum, generosum Christi pugilem, confirmatum est, quâ sic scribit : *Agitato in furias Tribuno, districtus es in verbera , & vastis fustibus fractus es ; nec tamen victus es , quia Crucis ligno innitebaris : gemmataque mox corpori poena, accito eculeum fragmine laniata in manibus plaga membra , substratus es* ; TUNC MOLLIUS FULCIENTE CHRISTO, CUJUS TIBI GREMIUM LECTULUS ERAT , ET DEXTRA PULVINAR. Vides tunc molliùs, fulciente Christo , tanquam in lectulo quiescere Dei servos, cùm atrociora subeunt, & patiuntur tormenta.

Matth. 8.

S. Paulin. epist. 2. ad Vitricum.

Numquam Christi blandientis expertum te ais amplexus, numquam osculis & deliciis exceptum ; credo equidem, quia numquam aut afflictum carcere , aut contusum verberibus,

aut

aut catenis vinctum, in gratiam virtutis, divinis oculis perspexerunt. Tres pueros Babylonico damnatos incendio, cum sancto Zenone recolamus. Scimus Danielem cum sociis, jussu tyranni fuisse captivos: scimus minis à Rege perterritos, vinculis ligatos; non tamen Dei sui conspectu recreatos, nisi inter flammarum vortices, sæviùs nimirum, & fornacis, & furoris gemino incendio debacchante. Tunc etenim Dei consolantis nos fovent blanditiæ, cùm atrocioribus conterimur afflictionibus, ac tunc dulciùs ungimur, cùm duriùs pungimur.

S. Zeno l. 2. ser. 35. Do Zenonem lib. 2. serm. 3: *Pice & stupâ armatum excitatur incendium æstuantibus globis, rubescit quoque ipsum alienis ignibus cælum. Illic præcipitantur insontes,* IBIDEM AUM, PROPTER QUEM PATIUNTUR, INVENIUNT. Dei frui conspectu, Dei gaudere consuetodine, amicâ Deo præsente, recreatione delectari, paradisi gaudium est, quo in summo tam afflictæ, adversæque fortunæ discrimine, Dei servi perfruuntur. Neque prætereundum est, quod expressè sacer textus tradit, non solùm fuisse Deum cum tribus pueris, sed oculis etiam conspectum ipsius tyranni specie divinâ. Unde Danielis cap. 3. ℣. 92. *Species quarti, similis filio Dei.* In quem locum Chrysostomus: *Quid tale potuit imago manu monstrare? Ecce Dominus in auro non lacet, sed in flammis ostenditur.* Ita planè, in flammis ærumnarum, non in auro felicitatis, suæ dulcedinem Divinitatis communicat.

Te ego testem compello, invictissime atque sanctissime Martyrum Antesignane Stephane, cui beatæ serenitas patriæ, in ipsa lapidum grandine illucescit. Continere se præ gaudio non potest generosus Christi bellator, quin exclamet: *Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Judæorum crudelitas, & Dei bonitas ita concurrunt, ut inter se certare quodammodo videantur. Paulò antè, Stephani facies angelicâ pulchritudine spectabilis videbatur, quia contumeliis dumtaxat afficiebatur ab adversariis nominis Christi. Nunc autem, quando à verbis ventum est ad verbera, & à clamore vocum, ad crepitantium saxorum fragorem, par est, ut blandimentis charioribus summa Domini clementia excipiat eum, qui tanto versatur in discrimine; dignus profectò, qui Deum videat præter solitum, qui pro Deo præter ordinem patitur. *Vide*, inquit Eusebius Emissenus, *quantum agat in pectoribus servorum suorum divina charitatis ardor, quod sperabatur desideriis, oculis demonstratur: accedam explet famulus ministerium suum, & jam Dominus aperit regnum suum.*

Actor. 7. v. 55.

Euseb. Emiss. serm. de sancto Stephano.

Quid mirum, si lapides torrentis illi dulces fuerunt, qui torrente cælestis voluptatis inebriabatur?

Consimili dulcedine perfusus sanctus Quintinus. Hic immani jussu Rictiovari Præsidis, virgis ferreis cæditur, liquata pice perungitur. Quid ad hæc? *Omnia ista*, inquit, *mihi sunt refrigerio.* Mox Rictiovarus, ut eas voces tam generosas intercluderet, potionem longè dirissimam ex aceto, sinapi, & vivâ calce misceri, & in os infundi jubet. Quid ille? *Et hæc*, inquit, *mihi pro nectare & ambrosiâ.* Urget tyrannus, & digitos omnes inter carnem & ungues terebrari, geminomque veru per medium corpus ab humeris ad imos talos adigi jubet. Quid ad illa inclytus Martyr? *Et ista*, ait, *O Domine Iesu, etsi amarissima; at melle & saccaro dulciora.* At unde dulciora? Profectò ab ipsis cæli benignioribus influentiis: ab his enim omnis tormentorum amarities dulcescit.

Quem sanè ad modum de Barlaam Martyre dicebat Basilius: *Flagella toto gaudio duxit;* FLAGELLIS SE TANQUAM ROSIS impeti *arbitratus, efferatas satellitum acies risit, pericula calcavit,* AC SI SUPER ROSAS TRIPUDIARET, *&c. Carceris clausura*, QUASI PRATO QUODAM VIRIDI OBLECTATUS *est, tormentorum adinventionibus,* VELUTI VARIIS FLOSCULIS JUCUNDATUS EST. S. Basilius hom. de Barlaam.

Haud aliter Tiburtius, ut ejus acta testantur, cùm ardentes carbones nudis pedibus premere juberetur, Fabianum Judicem sic allocutus est. *Prunæ mihi flores videntur.*

At ne in sexu imbelli heroinas defuisse arbitremini, Apollonia Virgo Alexandrina, in ardentem rogum, quasi in cumulum rosatum, generoso saltu lætabunda insilit.

Sancta Macra Virgo & Martyr, dum super ignitas prunas volutatur, eas, cum pueris Babylonicis, *roris instar suavissimi persensisse visa est.* Unde Cyprianus epist. 16. de Christi Confessoribus in carne detentis affirmabat, perpetuis illos floribus paradisi, gaudiisque refoveri, qui nullam temporis vicissitudinem persentirent: *Successit hyemi verna temperies, rosis læta, & floribus coronata; sed* VOBIS ROSÆ, ET FLORES PARADISI DELICIIS ADERANT, ET CAPUT VESTRUM SERTA CÆLESTIA CORONABANT. Cyprian. epist. 16.

Quod, ne antiquis duntaxat inhæreamus, recentioribus comprobabo. Trigaut. lib. 7. triumph. Christian. apud Iapon. cap. 14. & 15.

Annus Christi 1613. agebatur, cùm in Japonia, mali dæmonis odio, Rex & primi Proceres, novis cœperunt in Christianos furiis agitari. Arimæ Regulus præcipuæ crudelitatis homo tribunal erexerat, cædi Christianorum tragicis exemplis exercendæ. Trepidassent alii, & latebras quæsivissent; *at illi velut ad epulas, aut pompas triumphales invitati, ad rei istius nuncium, præ gaudio etiam exultarunt.* Et alii quidem ad exilia, alii ad verbera se præpararunt, alii ad taureas & rogos se autoraverunt. Quamprimùm enim tyrannus diem dixit, qui fuit septima Octobris, ilicò ex Ariminensi agro, ad viginti Christianorum millia, Arimæ contra receptum Japoniæ morem inermia, solis precatoriis globulis è collo suspensis conspicua, *mulieribus etiam mundum omnem muliebrem ad diem solemnitatis & lætitiæ conferentibus*, sese ultrò stiterunt, ut legem christianam confiterentur, & martyria vel spectarent, vel obirent; libentiùs tamen omnes martyria passuri, quàm visuri; nam certamen inter eos erat, quinam primi morerentur. Territus tantâ multitudine, atque constantiâ, tyrannus cessit, metuque iram superante, satiùs esse duxit, paucorum suppliciis cæteros à Christo avertere, quàm tam copioso sanguine furorem satiare. Ergò ex omni nume-

Cornel. à Lapide in epist. ad Hebr. cap. 10. v. 34.

Novi Christiani apud Iapones gaudenter eunt ad martyrium.

Duo conjuges cum duobus liberis exultant in flammis.

numero octonos selegit, quos in exemplum atque terrorem reliquorum vivos jubet ustulari. Hos inter, erat par conjugum, & par liberorum. Ducitur cum matre filia, filius cum patre. Hic *Martha* uxor, maritum, *Leonem Suqueymon* dictum, ad fortia animavit; & quid vir non faceret, si videat fœminam ad supplicia tam generosè currentem? Rursus, ubi maritum vidit uxor, nil nisi cruciatus appetentem, *non me post te relinques*, dixit: consors mortis ero, quæ vitæ fui: nulli me unquam à te casus separaverunt, cui nunc & à te, & à Jesu meo, cui fortiùs devincta sum separet? Audierunt hæc filius & filia, qui amore sequendi parentes, etiam prævolarunt. Horum igitur animis, parentes facti sunt alacriores, & novos liberis suis stimulus subdiderunt.

Filia ardentes prunas pro rosis, capiti imponit.

Denique filia, viginti annorum virgo, nomine *Magdalena*, cùm ignis sparteos funes adhuc spiranti sulvisset, libera perstitit, satis se adstrictam existimans, quòd jamolim Christo se per votum obstrinxisset. Imò ut sponsæ insignia gestaret, *inter medios flammarum globos latabunda exultans, ambabus manibus carbones ardentes de proprio busto hausit, eosque capiti suo ipsa imposuit*, (quod apud Japones magnæ reverentiæ est signum,) *ut prunis illis, quasi punicantibus rosis, aut candentibus carbunculis castum verticem coronaret.*

Quis tam frigidus, ut tam ardenti exemplo non incalescat, aut in doloribus suis de auxilio & solatio divino diffidat?

Filius ex flammis suis currit ad rogum matris.

Quod si necdum sufficit, fraterculum hujus virginis intueamur, qui ne sorori cedere, aut in incendiis otiosus stare videretur, duodennis adhuc, & inter majores victimas agnus, solutis, deustisque igne vinculis, prunas, quas vicerat, *festivo pede calcans, ad matrem* pariter ardentem & non tam sua, quàm suorum incendia sentientem, *gratulabundus accurrit*, quam amplexatus, ita audivit intermortuis vocibus consolantem: *Fili mi, cælum intuere, fili mi.* Ita iterum vegetior redditus, ter sanctissima *Jesu & Mariæ nomina* contentiori voce inclamans, ad beatæ matris latus, & penè in gremio extinctus, concidit, refrigerióque haud exiguo, parentum flammas temperavit.

Quorum gaudia etiam hinc eximiè cumulata, quod in summis tormentis, à tam tenera liberorum ætate, inauditæ fortitudinis specimen dedissent. Mater certè inter hæc spectacula:

Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo.

Quis nunc timeat tormenta, ubi ea suppetunt Martyribus divinæ bonitatis unguenta, fomenta ac blandimenta? quemadmodum Basilius Præsidi gravissimas minas intentanti respódit, ut Nazianzenus de eo testatur: *Ubi Deus nobis perulitatur, ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes, ipsum solum intuemur; ignis autem, & gladius, & bestia, & ungula, carnem lacerantes,* VOLUPTATI NOBIS, AC DELICIIS POTIUS SUNT, QUAM TERRORI.

Nazian. orat. de laud. S. Basilii.

Idem orat. 19.

Nec dissimilis Basilio Nazianzenus, de seipso alibi sic loquitur: *Tentationes & lapidationes sæpè pertulimus; & perferre parati sumus, idque eò magis, quò periculorum, quæ pro Christo subeuntur,* GUSTUM CEPIMUS.

Martyres in tormentis cantantes

Spectastis inter atrocissimos cruciatus, & diros laniatus Martyres exultantes, juvat etiam audire cantantes. Cùm tres illi socii Danielis, nec furorem Regis, neque minas instantis tyranni, neque ignis incendia extimescerent; nec cessarent, *qui miserant eos, ministri Regis succendere fornacem naphtha, & stuppa, & pice, & malleolis: &* effunderetur *flamma super fornacē cubitis quadraginta novem; ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum,* ET BENEDICENTES DOMINO, quasi in odeo divinas Deo laudes canerent.

Daniel. 3. v. 20.

Basil. hom. ad S. Baarlam.

Sanctus Baarlam, teste divo Basilio, manum thure plenam, & igni à carnifice ante idolum admotam, non retraxit nec invertit, ne idolo sacrificasse videretur; sed novus hic, Christianusque Scævola, immotam in flammis tenuit, lætâ, elatâque voce hoc canticum suavissimè modulatus: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.*

Psal. 143.

Surius 9. Nov. Psal. 33. v. 1.

Theodotus Martyr toto corpore cribro crebriùs perforatus ac dilaniatus, cygneum illud cantabat: *Benedicam Dominum in omni tempore;* ut hæc musica in luctu, in tormentis, ut rara, ita maximè præclara.

Job. 35.

Horum cuique congruit Propheticum illud oraculum: *Dedit carmina in nocte;* nam ut rectè Gregorius: *Carmen in nocte, est lætitia in tribulatione.* Marcus & Marcellianus fratres, gente Romani, religione Christiani, à duce Fabiano grandibus clavis ad stipitem sunt affixi. Hos inter tormenta Judex allocutus: Resipiscite miseri, ajebat & vosmet his cruciatibus eripite; ad quem illi constantissimè responderunt: *Hoc qualecumque supplicium, nobis est lautissimum convivium: jucundius numquam epulati sumus;* nunc in amore Domini Jesu fixi esse cœpimus. Diem unum, noctemque in tormentis perdurarunt, *& veluti non in cruce, sed in odeo essent,* HILARES CANTARUNT. Demum jaculis confixi, sagittâ ocyus in cælum evolarunt.

S. Greg. l. 26. mor. cap. 12. In vita 18 Junii Drexel. tom. 1. pag. 808.

Agnes tredecennis virguncula, ad supplicii locum, velut nupta ad thalamum, læta successu, gradu saltabunda, voce canora processit; quod dum è cella sua, sacroque silentio contemplatur Bernardus, mellis favos ex leonum, id est, tyrannorum rictibus legendos proponit: *Stat*, inquit, *Martyr tripudians, ac triumphans, toto licèt lacero corpore; nec facit hoc stupor* (quasi sine sensu sit) *sed amor*, ut carnifici & ipsi morti insultet.

Bernard. serm. 61 in Cant.

Mo[...]

Horum nos animos æmulemur, illorum nobis invictam animi constantiam ardenter efflagitemus, eorum in adversis lætitiam & exultationem deposcamus, ut & à nobis audiatur *carmen in nocte, id est, lætitia in tribulatione,* lætitia in quavis corporis infirmitate; lætitia in fortunarum, amicorum, liberorum jacturis; lætitia in quavis animi afflictione, & pressurâ. Sirenes nos huc suo cantu invitant, quæ, ut Ludovicus Vives observat, tempestatibus jactatæ, suaviter canere, & inter immanes vidorum

S. Greg. cit.

Ludov. Vives in 12. de Ci-

fremit-

vitate Dei cap. 20. fremitos, dulces voces resonare; contra verò lamentari cælo sereno, ac conqueri mari quieto consuevêre; quod aut æ vicissitudinem, ac immioentes turbines soleaot præsagire. Haud aliter & nos, dum hîc rerum mundanarum fluctibus jactamur, laudes Deo concinamus, & portum æternæ beatitudinis prospiciamus.

D. Ancro inconstantia du mundo. Laudem haud dubiè, nobili genere natus adolescens ille meruit, cui dum crus amputandum & candenti ferro adurendum esset, noluit ligari; sed serena fronte testudinem suam, seu cytharam postulavit atque ita scitè fides tetigit, & dexterè modulatus est, ut ne minimum falsum tonum ediderit. Hunc certè adæquarunt, imò superarunt innumeri gloriosi Christi Athletæ, qui in catastâ, in equuleo, in rota, in rogo suavissimè modulati sunt, de quibus Tertullianus: *Nil crus sentit in nervo, dum animus est in celo.* Tertull. lib. ad Martyr. c. 2.

Austeritates & cruces Religiosorū cælesti gratia & consolatione ungi. Quis vestrûm non semel mirabili stupore admiratus fuit, tot nobiles ac potentes adolescentes, tot teneras ac speciosas adolescentulas, spretis mundi deliciis, divitiis, & carnis illecebris, intra quatuor parietes, augustis cellis, perpetuo carceri conclusas, in assiduis jejuniis, vigiliis, pauperie, rerumque omnium humanarum despectu, ridere, gestire, noctes & dies pleno gutture, suavissimâ psalmodiâ Deo grates concinere? Rem acu tetigit Bernardus, solerter disquirens, cur in Ecclesiis dedicandis, pictæ Cruces, ab Antistite, oleo inunguntur; id Religiosis animis per unctionem sancti Spiritus propriissimè convenire demonstrat: *Necesse enim est*, inquit, ut UNCTIO SPIRITUALIS GRATIÆ *adjuvet infirmitatem nostram: observantiarum, & multimoda pænitentiæ cruces, devotionis sua gratiâ leniens: quia nec sine cruce sequi Christum, & SINE UNCTIONE, crucis asperitatem ferre quis posset?* Bern. ser. 1 de dedicat.

Hinc error multorum sæcularium est, qui vident in Religiosis & Sanctimonialibus externum habitus rigorem, nudos pedes, pallidos vultus, crates & carceres, vident punctionem, sed non vident internam unctionem, cùm è contra in illis videre sit unctionem, externas delicias, vestium ornatum, conviviorum apparatum, carnis blanditias; sed non punctionem, curas, solicitudines, zelotypias, conscientiæ stimulos assiduò pungentes: *Hinc est*, inquit, *quòd multi abominantur, & fugiunt pænitentiam, Crucem quidem videntes, sed non etiam* UNCTIONEM. Hoc exemplo probat suorum, qui in Clara Valle vitam in summa austeritate, & liquidissima animi hilaritate ducebant, sic eos compellans: *Vos, qui experti estis, & scitis, quia verè* CRUX NOSTRA INUNCTA EST, *& per gratiam Spiritus adjuvantis,* SUAVIS ET DELECTABILIS EST POENITENTIA NOSTRA, ET UT ITA DICAM, AMARITUDO NOSTRA DULCISSIMA. Bern. ibid.

Deus pungit & ungit, & omnis Religiosorum austeritas, & Martyrum atrocitas, suavissimo gratiæ, & cælestis consolationis oleo ungi & leniri solet. Firmos enim Christi Athletas, sublevabat lætitia, ex seminatione dolorum, in lætas beatitatis fruges evasura, ex spe in Christum, & promissis, & quod jam præsens erat bonum, ex inhabitante Spiritu sancto, qui in ipsis Martyribus, ut sanctus Cyprianus scitè dixit, suffragante Lucifero Calaritano, *exquisitissimos quosque cruciatus fortiter tolerare faciebat, & affuso divina sua miserationis* UNGUINE *leniebat.* Infelices verò desertores, foris carceris pædor, & tormentorum atrocitas, totetiùs conscientiæ non mitior carnificatio lancinabat. Unde illa existebat vultuum in utrisque diversitas, quâ producti ad tribunal, atque supplicia, ipso vultu, silentes licèt, internoscebantur; Martyrum siquidem facies florida & sanctâ hilaritate renidens. Ipsa vincula, quibus veluti sponsæ, auream tum fimbriarum varietate decorabantur: universus corporis habitus, multâ gratiâ aspectus enitescebat. Etiam fragrantia in situ illo, ac squallore externo, tanta ex illis afflabatur, ut nonnulli inhalatas eis odoratas compositiones, & unguentariorum massulas suspicarentur. At tráfugarum facies lorida, corporum situs non miserandus tantùm, sed & horridus, gravis, ac teter odor; ignominia verò, quantam nec ipsi, qui fortes perstiterant, sustinebant. Nam cùm ingenui veritatis Professores, gloriam retentæ fortiter fidei, ab ethnicis vel invitis extorquerent; desertores econtra omnibus probris, & contumeliis proscindebantur, veluti ignavi, effœminatique, & perinde ac homicidæ, omnibusque cooperti sceleribus, infamabantur. S. Cyprian. de laude Mart. Lucif. Calarit. quòd moriundum sit pro Dei filio.

Quæ omnia in sæculares, divini Numinis desertores, aptissimè cadunt, & quæ de Martyribus, fortissimis Christi athletis dicta sunt, Religiosis, lento quodam ac voluntario martyrio se Christo immolantibus, deprædicari possunt.

Cruces Religiosorum cælesti dulcedine inungi solitæ. Dominus promittit Moysi, fore, ut populus Israëliticus mellis dulcedinem ab asperrima rupis duritie eliciat, & suavitatem olei ex saxo hauriat: *Constituit eum super excelsam terram, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Monet Gregorius hoc oraculum nequaquam completum tempore antiquæ legis: numquam enim Judæi, ne in terra quidem promissionis, aut de petra mel, aut oleum de saxo perceperunt. Id autem, quod Judæis negatum est, Religiosis in lege gratiæ largiter concessum gratulamur: hi quippe Christo duce experiuntur, inter saxeos labores, & Religionis desertum, internæ suavitatis dulcedinem, & unctionis internæ, super omne mel, dulcissimam suavitatem. Unde idem Doctor de illis agens: *An non montes stillant dulcedinem, & colles fluunt lac & mel?* Deut. 32. Bern epist. 106.

Hujus veritatis multa è paucis petam testimonia. Rigidissimæ paupertatis amator præcipuus *Franciscus Seraphicus*, ut aliàs alia ejus bona, tum aliquando *illius etiam dulcedinem demonstravit*: per Gallias enim proficiscens, unà cum Fratre Masseo comite, cùm ad fontis oram, prandii causâ consedisset, expositis ab utroque exigui panis frustulis, quæ ostiatim mendicando collegerant, & quidem bonam partem Platus de bono status Relig. l. 3 cap. 2.

tem

tem acidis, dutis, ac mucidis, ille spiritu exultans, fratremque compellans, excitare illum cœpit ad gratias Deo agendas de illo tam ingenti paupertatis thesauro, idque ipsum elatâ gradatim voce iterare. Quærenti autem Massæo, quisnam is esset thesaurus in tanta rerum etiam necessariarum inopiâ, ubi nō absonium, non vinum, non etiam mensa suppeteret? Respondit, illud ipsum esse magnum beneficium, quòd illa omnia, quæ deessent, à Deo supplerentur, qui illum eis panem ac fontem, illum etiam lapidem tam providè præparasset. *Narravit autem sæpius Massæus, tanta se dulcedine delibutum, quantam antea numquam in vita sua gustasset.*

Hoc est sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo.

Idem lib. 3 cap. 16. Experto credire. Andreas Spinula, cùm provectiori jam ætate, nempe ut ipsemet humili quodam joco de se queri solebat, triginta & octo annos habens in infirmitate, de sæculo relinquendo deliberaret, atque in partem contrariam, tum valetudinis imbecillitas, tum deliciarum consuetudo, familiæ nobilitas, dignitatis, quam in Ecclesia gerebat, amplitudo, denique disciplinæ difficultas, & multæ aliæ rationes, quasi agmine facto, ad terrorem ei sese offerrent: repentè Dei bonitas hunc Psal- *Psal. 17.* tis Regii versiculum menti ejus objecit: *Perfecit pedes meos quasi cervorum, & super excelsa deducet me victor in psalmis canentem*, eoque versiculo, tamquam lumine quodam oborto, ita illustratus est, ut quemadmodum ipse narrabat, omnes illæ timidæ, ac diffidentes cogitationes momento evanuerint, isque animo penitùs confirmato, ac constanti, adversus illa omnia incommoda permanserit, & quidem brevi id etiam reipsâ comprobavit: nam cùm antea adhuc sæcularis, quoties, ut amicitiæ causâ nonnumquam solebat, nostrorum mensæ interesset, multa solebat fastidire, utpotè argenteæ supellectili, & exquisitæ cuidam munditiæ, ac deliciis domi suæ assuetus; idem deinde Societatem nostram jam ingressus, cùm primùm ad communem mensam venit, omnia ei visa sunt longè alia, quàm priùs viderentur: mantilia nitida, patinæ atque orbes quasi ex argento; ipse verò locus optimo odore fragrans, ita ut, quod deinde serio questus est, nihil dubitarit, quin in ipsius gratiam illa præter morem parata essent. Atque hoc ipsemet postea narravit quibusdam, qui adhuc testantur.

Hoc facit Dei gratia, ut quidquid est in Religione asperum, ac durum, id ita emolliat, ut omnem asperitatis & amaritudinis sensum adimat, ac potiùs dulce & amabile reddat. Quod quidem nemini mirum videri debet: etenim si quædam sunt artes, quæ cucurbitas, pepones omni sapore carentes, vel quod plus est, poma etiam immitia, immaturas nuces acri succo, & acerbo cortice; tamen admixto melle ita condiunt, ut fiant suavissima, bellariis ac cupediis serviant; an ullam ejusmodi artem in christiana sapientia esse putabimus, ad mitigandas difficultates carnis & sensus?

Quò spectat illa Bernardi sententia: *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur:* NON AD PRÆSENTEM CONSOLATIONIS GRATIAM, *quæ immittitur: non ad futuram gloriam, quæ promittitur. Denique,* NULLA EST TANTA AMARITUDO, QUAM NON PROPHETICA FARINA DULCORET, QUAM NON SAPIDAM REDDAT SAPIENTIA, LIGNUM VITÆ. *Bernard. ad Clericos, cap. 30.*

Quod certè divinæ pietatis condimentum, ita ordinarium, perpetuumque est, ut id in multis Religiosis etiam miracula declararint, ut in Rabaudo, principe viro in Gallia accidit. Hic enim cùm religiosæ vitæ asperitatem, *Platus.* utpote lautiori assuetus, graviter ferre cœpisset, Abbas, qui tum erat, nomine Pancratius, indulgentiâ quadam, separatos et cibos paulò lautiores præberi jubebat; quibus tamen ille quò magis utebatur, eò indies tenuior, gracilior que fiebat. Itaque accidit, ut quadam die, dum Fratres reliqui communi mensâ, arido scilicet pane, & fabis vescerentur, videre sibi visus est duos senes, alterum calvum, cui binæ claves è collo pendebant, alterum habitu Monachum, qui crystallinam pyxidem manu gestabant.

Hi toto cœnaculo circumeuntes, unicuique Monacho, nescio quid edulii, è vase illo impertiebant, Rabaudum solum ita prætereuntes, ut etiam severo, ac potiùs subirato vultu eum intuerentur. Ille tamen ex ejus, qui proximè assidebat, portiunculâ, aliquid suffuratus, ut illud gustavit, visa est illi ejus suavitas, omnium ciborum, quos unquam in vita sua comedisset, suavitatem multò antecellere. Quod visum cùm ter jam contigisset, ad Abbatem accessit, sciscitè inquireos, quinam essent hi duo senes. Intellexit Abbas facilè, alterum eorum Petrum Apostolum esse, in cujus tutela erat monasterium; alterum autem S. Honoratum, monasterii auctorem. Causam autem, cur ipsi uni communis illa esca negaretur, eam esse, quòd communem aliorum severitatem, quam gratia vocationis dulcorabat, non sequeretur. Quod audiens Rabaudus, animo confirmato, ad omnem ejus vitæ disciplinam perferendam, multò eam faciliorem & leviorem reperit, quàm antea putasset, ac paulò pòst, eosdem Sanctos vidit, qui sibi quoque, perinde ac aliis è vasculo suo, quasi *propheticam farinam* aspergerent, quæ incredibili dulcedine cibos quamtumvis agrestes condiebat.

Visus mihi Doctor mellifluus alludere ad factum Helisæi, quod hujus nostri propositi, de quo agimus, figura extitit.

4. Regum. 4. *Helisæus reversus est in Galgala. Erat autem fames magna in terra, & filii Prophetarum habitabant coram eo. Dixitque uni de pueris suis: pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis Prophetarum.* Hugo Cardinalis hic: *Ollam unam olerum, non plura vasa, non plura fercula, non carnium, non piscium.* *Hugo Card. in 4. Reg. 4.*

Tum historiam facer textus prosequitur: *Et egressus est unus in agrum, ut colligeret herbas agrestes, invenitque quasi vitem silvestrem, & collegit*

ex

ex ea colocynthidas agri, & implevit pallium suum, & reversus concidit in ollam pulmenti. Infuderunt ergò sociis ut comederent. Cùmque gustassent de coctione, exclamaverunt dicentes: MORS IN OLLA, VIR DEI, ET NON POTUERUNT COMEDERE.

Ad has querelas Propheta: *Afferte*, inquit, FARINAM; *cùmque tulissent, misit in ollam*, & *ait: Infunde turbæ ut comedant*, & NON FUIT AMPLIUS QUICQUAM AMARITUDINIS IN OLLA; sed tanti saporis & dulcedinis, ut digitos suos lingerent.

Liran. hic. Quæ perappositè doctissimos Liranus sic „exponit: Per Prophetarum filios, *intelliguntur Religiosi*; per hoc autem, quod factum „fuit eis pulmentum, & non fit mentio de a„liquo condimento, significatur, quòd *Religiosi parvo cibo & vili debent esse contenti?* Per hoc „ verò: *Mors in olla*, significatur, quòd homi„nibus delicatè nutritis in sæculo, vita reli„giosa videtur amara in principio; *sed sicut* „*pulmentum* PER IMMISSIONEM FARINÆ, FACTUM FUIT SAPIDUM: SIC PER DEI GRATIAM, & *bonam assuefactionem*, VITA RELIGIOSA, QUÆ PRIUS DURA VIDEBATUR, NON SOLUM PORTABILIS, SED ETIAM SUAVIS EFFICITUR.

Platus cit. Id patuit in Andrea, Virdunensi Archidiacono, prænobili & opulento, qui in ipsis ferme Cisterciensis familiæ initiis institutum illud magno fervore suscepit. Sed cùm Satanas idoneam materiam tentationis ex corpusculo tenero & delicato nactus, ita eum oppugnaret, ut omnia illi amarescerent, nec ferendo esset, die quodam divina bonitas, gratiæ suæ farinam aspersit: nam accumbenti in mensa, apposita sunt pro more legumina, quod cibi genus ille præ cæteris maximè fastidiebat, ut exclamare posset: *Mors in olla.*

Verùm fame compulsus, ut reluctanti stomacho vim faceret, sumpsit tandem aliquid, quod ubi ore attigit, *tantam degustare visus est suavitatem, ut nunquam simile quid expertum se esse recordaretur.* Itaque residuo, quod erat, avidè exhausto, deinde ad Abbatem adit, nihil dubitans, quin suæ patinæ, proprium aliquod additum esset condimentum.

Ut autem comperit, planè commune fuisse ferculum, in quo videlicet nihil præter aquam & salem ad condiendum adhiberetur, intellexit statim divinam erga se providentiam, & gratias agens, in Religionis proposito confirmatus est; eòque magis, quod deinceps multo tempore eandem suavitatem in ejusmodi cibis persensit, ut postea dicere soleret: *Se jam magis delectari pisis, atque oleribus, quàm antea altilibus, & exquisitis cupediis, quibus cælestis hæc farina aspersa non fuerat.*

Liran. cit. Concludo hic altero morali, quod Liranus supra citatus adducit: per hoc autem à contra„rio, alii deberent confundi, qui fuerunt in sæ„culo satis durè nutriti; & tamen in Religio„ne non sufficit illis victus illorum, qui fue„runt in sæculo dulciter educari; ut experientia quotidiana edocti sumus, eos qui è vili stirpe, & quasi è stercore, ad religiosas familias

accedunt, sectari poculenta, esculenta, delicias, commoda, ac de tenuiori tractatione obmurmurare; dum alii molliter ac lautè in sæculo educati, in paupertate sua exultant, & vilioribus quibusque delectantur, non alia de causa, quàm quod farina cælestis gratiæ & consolationis aspersa (quam tales merentur) ollam olerum amaram, dulcescere faciat.

Id ipsum etiam in omni cruciatu, infirmitate, paupertate, & quavis adversitate usuvenit, ut divina bonitas consolationis suæ unguento omnia lenire consueverit, ut purpuratus Vates his verbis testatur:

§. II.

Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, CONSOLATIONES TUÆ LÆTIFICAVERUNT ANIMAM MEAM. Psalm. 93. v. 19.

PRimæ hujus veritatis luculentus assertor Divus Bonaventura: *Passiones*, inquit, *patienter portatæ*, SUNT DIGNÆ INTERNO SOLATIO, nec unquam aliter fieri asseruit, dum subdit: *namquam Deus, cùm sit summè bonus, dulcis, & rectus, dum hominem affligit exterius, non consolatur interius*; sic ut ea adamantino vinculo copulata videantur, ut ubi afflictio & tolerantia dolorum, illic & abundet consolatio nostra. *Bonav. de plurib. Mart. serm. 3.*

Cujus rei typum habemus Genesi 26. Atque ut in eo, quod de Isaac & Rebecca narratur mysterium, intelligamus, sciendum est, nomine Isaac significari risum, & nomine Rebeccæ, significari tolerantiam. Leges autem citato capite, Isaac negasse Rebeccam esse uxorem suam; sed Abimelech Rex Palæstinorum cùm illos jocantes videret, deprehendit uxorem Isaaci Rebeccam esse. Sic planè contingit in argumento proposito: Isaac risus & jucunditas, negat verbotenus Rebeccam, hoc est tolerantiam laborum jungi sibi matrimonio; sed revera ita risus & tolerantia copulantur, ut sejungi nequeant, & licet in ore omnium sit, tolerantiam cum risu minimè conjungi; tamen experientia edocti, fateri debemus, sicut Isaac non aliam quàm Rebeccam habet uxorem, ita germanam voluptatem, sincerumque cordis risum, non nisi cum tolerantia copulari. Id me ab Alexandrino Clemente edoctum non negabo, qui sic lib. 1. pædag. cap. 5. paulò ante finem scribit: *Isaac risus exponitur: interpretatur autem Rebeccam tolerantiam. O prudentem ludum, ac disciplinam! Risus & à tolerantia adjuvatur, & Rex qui ea attendit* (loquitur de Abimelech) *stupet, & admiratur spiritum eorum, qui sunt patris in Christo, qui in tolerantia vitam agunt. Et hic est divinus ludus, ac disciplina. Quid enim aliud viro sapienti & perfecto magis convenit, quàm ludere & lætari, & per rerum tolerantiam,*

Omni afflictioni juncta consolatio, ostenditur in typo Isaaci & Rebeccæ.

Clem. Alexand. lib. 1 pæd. c. 5

dies festos cum Deo celebrare? Christianorum pugilum vita, ludo Isaac similis est, tunc quippe ludunt, cùm tolerant, rident cùm laborant.

Qui inter tormenta ridere, ludere & jocari visi sunt. *Stapleton. in vita.*

Libet in spectaculum adducere eos, qui invicta animi tolerantiâ inter acerbissima tormenta ridere, ludere, jocari visi sunt, idque ex interno quo perfruebantur solatio. In hoc genere excelluit *Thomas Morus*, qui amplissimo Cancellarii munere privatus, rectà ad templum perrexit, ubi uxor de more vesperis intererat, quibus peractis, non famulum submisit, sed ipse uxorem convenit, dicens: *Dominus Cancellarius abiit, num sequi lubet?* Quæ cùm illum dicentem audiret, jocum ducebat. At ille rursus non sine risu: *Dominus Cancellarius decessit, & non est amplius.* Quâ fronte vos è gradu injuria dejecti, officio semoti, comœdiâ exclusi, ad vestros revisitis?

Atque ut consimilem per omnem vitam, telam texamus, paulò antequam ad mortem raperetur, dum Rex per suos urgeret ut incestas nuptias, positâ tandem pervicaciâ, approbare vellet, subjecit: *se sententiam mutasse.* Ea fama vagatur; Rex attonitus, chirographo dicta firmari jubet; tum amœno joco respondit Morus: *Atque scire vos velim, me ante statuisse barbam raso mento ponere, sed modò mutasse sententiam, ut barba eandem cum capite fortunam subeat, carnificis securi unà amputanda.* Sic tranquillo animo, & cordis ac vultus risu, mortis metus detunabat.

Locum supplicii conscensurus, manum sibi à quodam porrigi petiit, dicens: *Iuva me ut conscendam, in descensu nemini molestus ero.* Tum orbi spectandus, carnifici de more veniam postulanti, osculum dedit, & Angelotum aureum ei porrexit, addiditque: tu mihi hodie majus beneficium cōtuleris, quàm mortalium quisquam aut contulit, aut conferre poterit; *illud unum indoleo, cervicem tibi tam brevem & contractam præscindendam, ut metuam, ne possis commodè, & salvo honore tuo expedire.*

Moro per omnia similis *Ioannes Fischerus*, Episcopus Roffensis, ad quem dum *Paulus III.* anno 1535. in carcere existentem, galerum purpureum misisset, subjecit impiissimus Rex Henricus: galero Papa, ut voluerit, Fischerum donet, ego interim effecero brevi, ut caput, quo illum gerat, non habeat. Nec multò post increbuit stato die Fischerum moriturum, qui dum nihil eduli cocus apparasset, à Roffensi rogatus, ut quid mensam sub tempus prandii non instruxisset? atque is respondisset, putare se illum diem Reverendissimo fatalem fore, *jussit in omnem eventum semper cibos pararet; quod si ante prandium mors contingeret, cocum convivam fore.* Ædmundus Walsingamus turri præfectus, acceptis noctu litteris, eum sub quintam matutinam accessit, eique Regis mandatum nuntiavit, eo die moriendum. Roffensis superabundans gaudio, lætoque vultu gratias agens, quæsivit quâ horâ supplicium subeundum? cumque is respondisset ad nonam, *fiat igitur*, inquit, *cùm non sit nisi quinta, & hâc nocte non benè dormiverim, adhuc unam, alteramve horam conquiescere.* Atque ut Petro ad mortem producendo, in carcere altum dormienti, similem scires, per duas horas securè somnum cæpit. Tum famulo ad se accito, exutus cilicio, optimis vestibus indui voluit: *quia hic dies*, inquit, *mihi nuptialis est.* Atque ut omnibus manifestum foret, quanto solatio & exultabundo animo mortem appeteret, festivum illum Ecclesiæ cantum, *Te Deum laudamus*, concinuit.

Ad hæc libet cum Philosopho Romano exclamare: *Et nos vincamus aliquid, simus inter exempla, quare deficimus?* si non in catasta ridere, in equuleo gestire, in rota ludere est animus; at saltèm vel puncturam acus, scintillæ adustionem, dentis dolorem, chiragræ, podagræ, colicæ mala patienter toleremus, solatium de cælo non deerit, *simus inter exempla.* *Seneca epist. 98.*

At justa hic mellifluí Doctoris querela est, sermone de sancto Clemente Martyre: *Quid nos ad hæc dicimus, fratres? congratulamur Martyri, sed jam gloria ejus non sine nostra confusione est. Non possumus & nos cum Beato Clemente, Christi bibere calicem? Sed fortè respondent aliqui, possemus, si opportunitas non deesset; sed persecutionis tempus cessavit. At ego fateor, non satis crediderim ita dicentibus. Quid enim? quotidie ceditis punctioni acus unius, & mucroni vos arbitramini posse resistere? In minimis probate conflictibus, quàm viriliter in majori certamine stare possitis. Vestrum certamen quale est, Fratres mei? Quotidie vobis suggeritur in cordibus vestris, frange ordinem tuum, murmura, detrahe, age remissius, infirmitatem simula, &c. nec dicitur cuipiam, nisi hæc feceris, morieris; sed ut cum difficultate & labore resistat animo tuo.* Ac tandem concludit: *Si ergò in hujusmodi certamine periclitamur, si vix resistimus, si interdum etiam succumbimus, quid in illo tam gravi certamine faceremus? si juncis fragilibus cedit infirmitas nostra, quomodo telis resisteret? Videtis quomodo ad nihilum redacti sumus, & sicut solent mulieres aut parvuli, pugnantes laudamus alios, pugnare ipsi non possumus*, nec volumus. *Bern serm. de S. Clemente.*

Habetis & vos, Auditores, hic acre monitum Hugonis Cardinalis, quod meritò rubrum inentiat: *Quid facerent inter verbera*, inquit, *qui verba non sustinent? Qui morsum pulicis metuit, quid faceret si aggredi deberet ursos & leones? Quomodo sustineret sartaginem, qui non potest sustinere solis ardorem? Quomodo sibi cutem detrahi pateretur, qui cum multa habeat superflua, pauperum non miseretur?* *Hug.* *Hugo Car. in cant. c. 7. v. 11.*

Exstimulent Religiosos ad minora alacriter ferenda, Religiosorum virorum, qui inter atrocia tormenta riserunt & luserunt, gloriosa facinora, quæ nostris propè oculis spectavimus.

Richardus Vitus Societatis Jesu, in Anglia Martyr, cùm à variis in carcere rabulis hæresi infectis circumfunderetur, ac triobolaris è popina Ministellus vociferaretur sine fine, uni Petro à Christo claves traditas, & se claves habere; ineptissimè furentem, ac diu toleratum, *Vitus* tandem compescuit subridendo dicens: *Neque ego negaverim claves tibi concredi-* *Ioan. Rho varia vir. exempla lib. 7. c. 13. § 4. ordo Religiosi Societatis Martyris qui ia*

tormentis creditas; sed Petro quidem cæli; tibi verò cella vinaria, ut lingua sonat, & nasus rubicundus indicat.

tradiderunt et liberunt. (margin)

Florimond Romond de orig. hæres. lib. 6. c. 13. n. 4. — Non minus festivum est illud *Alexandri Briant*, qui sub Elisabetha, pro fide, gloriosâ morte occubuit. Hunc ajunt, cùm in equuleo torqueretur. *Nortono*, carnificem instiganti, dixisse: *Tu verò plus quàm ipse Deus effecisti, ut qui ad corporis mei staturam, integri ferè pedis mensuram addidisti.*

In vita. Mancinus de passione pag. 77. — *P. Ioannes Ogilbaus*, amœno vir ingenio, non destitit etiam inter summos cruciatus ludere: nam post exantlatas carceris ærumnas plures, frigidâ algere febri cepit; cumque ira algenti, protervus quidam post sannas & criminationes varias diceret, se nisi circumstantium nobilium, & aulæ Episcopalis rationem haberet, statim eum in lucentem caminum missurum; respondit more suo, & ore faceto: *Si in igneum mittere me decrevisti, numquàm commodius id accidere poterit quàm nunc, cùm valdè à febribus frigeo; istinc enim caloris in me aliquid recipiam.*

Nonne hic Isaac & Rebeccam, risum & tolerantiam, quodam velut connubio conjunctos videtis?

Similitudinem Doctor Seraphicus petit à medico, qui si amaram potionem, odore gravem, ac stomachum moventem præscribat, solet poculi labra citreo, aut alio fragrantiori odore oblinere, & quid gratioris saporis ac dulcedinis aspergere, ipsa etiam amara catapotia auro involvere; sicut, inquit, *omnis bonus medicus medicinam amaram gustanti palliat sub aliquo dulci, ut sic ab ægro possit sumi, sic numquam Deus dum hominem affligit exterius, non consolatur interius.* — Bonav. cit.

2. Cor. 7. — In exemplum adducit Apostolum, in ærumnis sic gestientem: *Repletus sum consolatione; superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*; nam cùm venissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro mea; sed omnem tribulationem passi sumus, foris pugnæ, intus timoris; *sed qui consolatur humiles, consolatus est & nos.* Unde & Propheta dicit ad Deum: *secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* — Psal. 93.

Bonavent. Iob. 6. — Confirmat idipsum exemplo Hussæi Vatis: ob hanc causam, inquit, & Job dicebat: *Quis mihi det, ut veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus*: ET HÆC MIHI SIT CONSOLATIO, *ut affligens me dolore, non parcat*; hic itaque, ut consolationem à Deo impetret, ardenter afflictionem & dolorem exposcit, certò confisus, eam cum illis non defuturam. Quod quo manifestius fiat, subdit idem Doctor: unde quidam sanctus Pater, qui omni anno consueverat infirmari, & *ex hoc multum gaudebat, & Deum laudabat*: cumque uno anno non fuisset subitò infirmatus, cœpit fortiter flere, & dicere. *Nunc video quia Dominus oblitus est mei.* Tum alterum subnectit: cùm milites ad *Beatum Blasium* venissent capiendum, ille ait: *Iam nunc video, quia Dominus non est oblitus mei.* Ac tandem epiphonematis loco concludit: *sentiebant enim Sancti interiùs se consolari, cùm eos contingeret foris affligi.* — Bonav. cit.

Hoc solatium non solum Martyribus, sed omnibus quavis adversitate afflictis, *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis* (ut eum Paulus appellat) & *qui consolatur nos in omni tribulatione*, impertiri consuevit. — 2. Cor. 1.

Præfiguravit id cælestis sponsus in canticis: *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inspicerem si floruissent vineæ, & germinassent mala punica.* Quid hoc? Qui poma desiderat, pomarium ingreditur: qui uvas, vineas: qui nuces, eas juxta viam quærit, ut ille cecinit: — Cant. 6. 10.

Nux ego juncta via, cùm sim sine crimine vitæ,
A populo saxis prætereunte petor. — Ovid. de nuce.

Quorsum ergò quæruntur nuces in horto, ubi florent vineæ, & vernant malogranata? Sanctus Ambrosius: *Invitatur in hortum nucis, quæ amara in tentationibus, dura in laboribus, in virtutibus inferioribus* FRUCTUOSA, & animæ palato sapida & gratiosa, odore & sapore aliorum fructuum temperata. Unde subdit: *Descendat ergò in hortum suum, & capiat odores, pabulum cæleste reperiat*: SUAVITATEM NOSTRI MELLIS EPULETUR, *dicens: vindemiavi myrrham meam cum aromatibus meis, manducavi panem meum* CUM MELLE MEO. — Amb. de virginibus lib. 3.

Nux inter omnes fructus, cortice duro, & maximè amaro est, fustibus & saxis petitur, ideoque *Martyribus* confertur, & ob duritiem & amaritiem etiam Religiosis, ut aptè Hugo Cardinalis: *Hortum nucum dicit, pro Martyribus & claustralibus, quibus cortex amarior; sed nucleus intus dulcior, & ad plures usus aptior.* Hic NUCLEUS SAPIDUS, ET DULCIS REDDITUR INTIMA CONSOLATIONE, QUASI OLEO INDE PROFLUENTE. — Hugo. HugoCard in cant. c. 6. v. 10.

Quod ne ad solos Martyres & Monachos spectare existimeris, occurrat animo illud Pauli: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*; si in omni tribulatione, ergò etiam in quavis corporis infirmitate gaudere & ridere vobis, consolatione repletis, licebit. Potuere id viribus naturæ Gentiles, ad quos æmulandos Seneca hortatur: *Tunc tibi fortissimus quisque, & victor doloris occurrat. Ille qui varices exsecandas præberet, legere librum perseveravit. Ille qui non desiit* RIDERE, *cùm ob hoc ipsum irati tortores, omnia instrumenta crudelitatis experirentur. Non vincetur dolor ratione, qui victus est* RISU? Dicam ego, non vincetur dolor à Christiano, Dei gratiâ adjuto, qui ab homine Ethnico *victus est risu*? Tum alibi Epicurum inter acutissimos morbi dolores beatum inducit: *Quid porrò non æquè incredibile videtur, aliquem in summis cruciatibus positum, dicere* BEATUS SUM? *Atqui hæc vox in ipsa officina voluptatis est audita*: BEATISSIMUM, *inquit*, HUNC ET ULTIMUM DIEM AGO, *Epicurus, cùm illum hinc urinæ difficultas torqueret,* — 2. Cor. 7. — Seneca ep. 78. — Idem ep. 92.

Vuuu 2

quæret, hinc insanabilis exulcerati dolor ventris, Quare ergò incredibilia sunt ista apud eos, qui virtutem colunt?

Quid ni omnes morbos & cruciatus rideant, seque beatos ducant, quibus ipse Deus lectulum doloris, vertit in lectulum consolationis, juxta illud Davidis vaticinium: *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*; sensus est, inquit Lorinus, ut quasi famulus, sternat, vertat, componat Deus lectulum, quo mollius ossa cubent, & interno solatio, quasi molli pulvino, suavius requiescant. Hunc è cælo favorem experta est *Beata Angela de Fulginio*, quæ cùm jaceret prostratis à morbo viribus, ei visendum se Christus dedit, dixitque: *Ego veni ad serviendum tibi, & sacris manibus meis ministrare.*

Psal. 40. Lorin. hic.

Bolland. 4 Ian.

Scio hunc amabilem favorem uni *Angelæ*, aut fortè raris sanctis (ut aliàs memini) obtigisse; at non semel, si rectè expendatis, idem filius Dei, stratum vestrum, in quacumque infirmitate, paternæ consolationis suæ manibus vertit, & in omni infirmitate, ac adversitate, mollem ac suavem lectulum reddidit.

Super omnia, ut concludam, unico & summo solatio illud est Divi Hieronymi, ad Heliodorum, quem ad monasticæ vitæ tolerantiam epist. 1. hortatur: *Paupertatem times? sed beatos Christus pauperes appellat. Labore terreris? At nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? sed fides famem non timet. Super nudam humum exesa jejuniis membra* (aut morborum cruciatibus divexata) *collidere?* SED DOMINUS TECUM JACET. Quo solatio nullum majus potest inveniri aut excogitari.

Hieron. epist. 1. ad ...

* * *



DE

DE COMMVNI CONFESSORUM.

Ad eum qui Religioso habitu indutus.

Hæc est victoria quæ vincit mundum. 1. Ioan. 5. v. 4.



Vincit, qui longius abjicit orbem.

ARGUMENTVM.

ÆTerna Patris sapientia *ludens in orbe terrarum*, de mundo *ludum facere*, mundum ludere, & illudere docuit; atque ut in ludo globorum fieri assolet, is vincit, *qui longius abjicit orbem*. Qui ludus non puerilis, sed divinus, Deo & Angelis gratissimum præbet spectaculum. Hoc præbuere tot nobiles ac potentes, qui purpuram sacco, pretiosasque vestes, vili habitu commutarunt. Atque *hæc est victoria, quæ vincit mundum*. (Prov. 8. Liran. hic. 1. Ioan. 5.)

Motiva autem ad mundum abjiciendum & odio habendum, hæc efficacissima sunt: quod latro & proditor sit: quod amarus & felle plenus; idque non sine divina Numinis providentiâ, ut uberibus ejus inhærentes ablactet: Tertiò, quia fœdus, & minimè mundus, qui amatores suos sordidè coinquinet. Denique, quia cito transit, nec quidquam in eo stabile.

Ex altera parte sunt plurima ac pulcherrima incitamenta, quæ ad Religionem invitent; cujus ne quis rigorem alleget, tot teneri ac delicatuli juvenes ac puellæ, imò & sodales vestri, consimili vobiscum carne & ossibus constantes, qui omni alacritate & voluptate, in ea vitam triverunt. Unde objecto sibi cælitus horum spectaculo, Augustinus sic seipsum exstimulat: *tu non poteris, quod isti & ista.* (Aug. lib 8. conf. c. 11.)

Omnia autem Religionis bona sanctus Bernardus novem prærogativis complexus est, è quibus hanc præcipuè prosequar: Religiosus *moritur confidentius*, ut etiam in morte rideat & cantet.

§. I. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* 1. Joan. 2. v. 15.

§. II. *In Religione homo vivit purius &c. ac moritur confidentius*, Bern.

DE COMMVNI CONFESSORUM.

Hac est victoria, quæ vincit mundum. 1. Ioan. 5. v. 4.



In lusu mundi, vincit, qui longius abjicit.

Obilissimam, quam ulli unquam Romanorum, de hostibus victoriam consecuti sunt, hodierno die *iste Confessor Domini sacratus*, de carne, mundo, & dæmone, non tam pugnando, & præliando, quàm ludendo, victoriam reportavit.

Prov. 8. Hugo Car. hic. Lyran. Palladius. c. 19 & 20 Roswveyd vita Patrum pag. 482. & 721.

Quinam mundo illuserint, & vicerint.

Duos quandoque in hac mundi palæstra, globis ludentes conspexistis, in qua alter alterum *vincit, qui longius abjicit* ORBEM. Sub ludicro hoc typo, æterni Patris sapientia, *ludens in orbe* terrarum, seria ludit, dum, ut inquit Hugo Cardinalis, *ludere facit hominem de orbe terrarum*; seu, ut doctissimus Lyranus, *ludum faciens de orbe terrarum*. Hoc Palladius amœnâ narratione exposuit: quodam tempore, inquit, ambo *Macarii*, unus Alexandrinus, alter vulgò *Magnus*, cum fratris cujusdam videndi gratiâ essent Nilum transmissuri, accidit ut ipsi magnum pontonem ingrederentur, in quo erant simul duo tribuni, divites, & præpotentes, secum thedam splendidam, equos aureis frænis, & quosdam eos stipantes milites, satellites, pueros torquibus, ac zonis aureis cinctos, in comitatu habentes. Horum unus cùm videret in ultima navigii parte, vilibus indumentis indutus sedere Monachos, sine sacculo, & sine pera, ait ad illos: *Beati estis vos* (quod nomen Macarii sonat) QUI MUNDO ILLUDITIS, *& nihil ex eo requiritis, nisi vilissimum amictum, & tenuissimum victum.* Tunc unus de Macariis respondit ei: *Verè quidem, ut dicis, qui Deum sequuntur*, ILLUDUNT MUNDO; *sed miseremur vestri*, QUOD VOBIS ECONTRARIO MUNDUS ILLUDIT; quo dicto, ceu fulmine ictus, aut potius diviniore radio perstrictus, ut domum rediit, relictis omnibus, ac partim in sinum pauperum effusis, mundum abjecit, deque eo, Christum secutus, gloriosè triumphavit; atque *hac est victoria, quæ vincit mundum*: nam ut exponit Doctor Angelicus: *Vincere mundum quis dupliciter dicitur, subjiciendo,* SIVE ABIICIENDO. *Primo modo vincunt imperfecti*, qui non patiuntur eum cum concupiscentiis suis, sibi prædominari. *Secundo modo vincunt perfecti*, abjiciendo mundum, & omnia quæ in eo sunt: *nam vincere mundum est renuntiare mundo, quod perfectorum est.*

1. Ioan. 5. v. 4. S. Thom. hic.

Quàm pauci mortales hac perspicaci mentis acie præditi, quâ tribunus ille, sibi à mundo illudi; eos verò qui mundo longè abjecto, mundo illudunt, beatos arbitrantur? cùm tamen hic ludus, Deo, Angelis, & hominibus gratissimus ac jucundissimus sit.

His mundi contemptoribus prælusit David, Rex Israel, dum positâ purpurâ & diademate, omnique cultu regio, lineo amiculo indutus saltavit ante arcam, quem Michol conspicatus, ut hominem phanaticum, & scurram platearum despexit, ut sacri Regum Annales referunt: *Prospiciens per fenestram, vidit Regem David subsilientem, atque saltantem coram Domino, & despexit eum in corde suo, & egressa in occursum David, ait: quàm gloriosus fuit hodie Rex Israel, & nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris.* His minimè commotus, *dixit David ad Michol: ante Dominum, qui elegit me,* LUDAM, *& vilior fiam, plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis.*

1. Reg. 6.

Hunc ludum ludit N. N. qui omni mundi ornatu exutus, vili lacernulâ indutus, non corpore sed corde exultans, & saltens ante Dominum, adhuc vilior fieri amat, quàm factus sit. De quo ludo, libet mellifluum Doctorem, sermone lacte & melle manantem audire: BONUS LUDUS, inquit, *quo Michol*, quo mundus, dæmon, & caro, *irascitur, & Deus delectatur.* BONUS LUDUS, *qui hominibus quidem ridiculum; sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet.* BONUS, INQUAM, LUDUS, *quo efficimur opprobrium abundantibus, & despectio superbis.* Tum perversum sæcularium judicium perstringit, qui Religiosis illudunt, dum omnibus deliciis, divitiis, honoribus abjectis, ipsi mundo illudunt: *Nam revera quid aliud sæcularibus, quàm* LUDERE VIDEMUR, *eum quod ipsi appetunt in hoc sæculo, nos per contrarium fugimus?* Emphaticè tandem subdit: NON EST HIC LUDUS PUERILIS IOCULATORUM, ET SALTATORUM: *non est de theatro, qui fœmineis fœdisque anfractibus, provocet libidinem, actus sordidos repræsentet;* SED EST LUDUS IUCUNDUS, HONESTUS, GRAVIS, SPECTABILIS, QUI CÆLESTIUM SPECTATORUM DELECTARE POSSIT ASPECTUS.

Bern. epist. 87. ad Ogerium

Bern. ibid.

Sic lusisse probat Apostolum, qui omnia arbitratus ut stercora, ut Christum lucrifaceret: HOC CASTO ET RELIGIOSO LUDO LUDEBAT, *qui dicebat: spectaculum facti sumus Angelis & hominibus: nos stulti propter Christum.* Ad hoc & nos omnes hortatur, dum his verbis concludit: HOC LUDO ET NOS INTERIM LUDAMUS, UT ILLUDAMUR, *confundamur, humiliemur, donec veniat qui exaltet humiles, & stulta mundi elegit, ut confundat sapientes.*

Divinus amor *ludens in orbe terrarum*, sic *Brennum* primò Comitem Viennensem, deinde Regem Jerosolymorum, denique Imperatorem Constantinopolitanum, purpurâ, ac diademate rejecto, mundo illudere docuit: hic enim

Prov. 8.

Wading. in Annal. Min. Anno 13

enim in illo dignitatis culmine de salute solicitus, & anxius, quem esset finem habitura purpura Imperatoria, quem sceptra & coronæ; nocte intempestâ vidit senem aspectu venerabilem albis vestibus indutum, qui dextrâ habitum Minoritarum, & lævâ chordam cum soleis tenens, hæc illi: *Dei voluntas est, ut in hoc habitu moriaris.*

Exhorruit Imperator, & adstupuit ad repentinas illas voces, & ludum hunc insolentem capere nequivit. Nocti proximè sequenti sese illi stiterunt alii duo, & ipsi amictu niveo, eademque in aures injecerunt. Tum etiam nocte tertiâ alii tres, & ipsi candidi toti, qui & easdem voces, eadem monita inculcarunt.

Quid hic Imperator? A somno sibi redditus & vigiliæ, Fratrem *Angelum*, qui sibi à confessionibus erat, ad se evocavit, eique objectas in somnis imagines fusius exposuit: qui sanctè asseveravit, & illas sibi quoque propositas in amœna somni imagine. Quid inde? Deum è mundo, priusquam ab eo illudatur, evocantem audiit Imperator, & aulæ pompis, valere jussis, purpuram mutavit sacco, & pretiosum baltheum cum fune, aureasque lunulas cum peronibus. Atque *hæc est victoria, qua vincit mundum*, quâ triumphator hic gloriosus, annuente cælo, Deoque probante promptum, ac celerem animum ad cælestia, divinaque monita transtulit, & post dies paucos, tertianâ febri correptus, in paupere amictu securius & lætius obiit, quàm alius in purpura & murice. Adeò illi profuit mundum abjecisse, priusquam eum mundus deseret, eique illusisse, antequam ab eo illuderetur.

1. Ioan. 5.

Præclarè monet sanctus Hieronymus: *Pristina vestimenta contemne, & ut evadas Ægyptiam Dominam, sæculo pallium derelinque. Elias ad cælorum regna festinans, non potest ire cum pallio; sed mundi in mundo vestimenta reliquit*; & tu mundi, serica, holoserica, variis fibulis, & lemniscis adornata, *mundo vestimenta relinquis*, & habitu paupere indueris, quo omnem mundi pompam triumphas.

Hieron. ep. ad Iulian.

Probationi servit, quod de Ottocaro, Bohemorum Rege refertur. Hic à Rudolpho Imperatore Austriaco devictus, jussus ut homagium ac fidem Cæsari præstaret, splendido comitatu, ac veste, auro & gemmis rigente comparuit; cujus pompæ, ac splendoris Rudolphus admonitus, ut se ad fastum ejus conculcandum Imperatoriâ majestate exornaret, respondit: *Rex Bohemorum griseam meam vestem sæpè derisit; nunc ipsum vestis mea grisea deridebit.* Dixit Imperator, nec aliter facit: nam Augustali subnixus solio, Ottocarum vidit Attalica veste, auro & gemmis splendida, cum omni mundi apparatu & pompa, modesto suo cultui, & griseæ vesti, se submittentem, atque ad genua supplicem. Cui ad confusionem accessit, inopinato stratagemate, tentorio omni concidente, ab utroque exercitu conspectum fuisse, Cæsari supplicem & ingeniculatum, torique mundo fuisse ludibrio.

Spondan. Annal. Eccl. anno 1177. n. 5.

Habet & mundus suos, quos in veste grisea, & quavis Religiosâ irrideat; sed aderit aliquando tempus, cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, & aperietur *adytis cortina reclusis*, quo docent: *Griseam meam vestem derisit mundus; nunc ipsum vestis mea deridebit.*

Virg. 3. Æneid.

Salax illa mulier; quæ vestem castissimi Josephi apprehendit, mundum adumbravit, qui plures pretiosis suis vestibus in vitium & exitium pertraxit; at ille: *Relicto in manu ejus pallio, fugit.* Habeat mundus pretiosas has exuvias, & damnosa spolia: non teneant te, ut teneatis ab illis.

Gen 39. v. 12.

Placet hîc referre, quod de Julio Cæsare, in Ægypto bellum gerente, monumenta Veterum prodiderunt. Hic Imperator superbâ veste delectabatur adeò, ut etiam in acie, imò in ipso conflictu, purpurâ indueretur. Accidit, ut congredientibus exercitibus, in maximo furore certaminis agnitus fuerit ab hostibus Imperator, quem tegere non poterat purpura, quin prodetet. Ad Cæsarem igitur, tanquam ad scopum, acies hostiles dirigebant jacula; quapropter domitâ cervice superbiæ, ut saluti consuleret, Cæsar non modò purpuram exuere coactus est; sed fugæ sese committere, & propè nudus, vix natando periculum evasit. Ægyptii interea in Cæsarianas copias sævientes, dum hac illac excurrunt, Imperatoris purpuram inveniunt, ex qua tropæum ereverunt, ad deludendam Cæsaris superbiam, mille insanientis vulgi dicteriis exsibilatum, circumferentes. O honorem mundi, ab ipsis mundi amatoribus derisum! O honorem mendacem, miserum infortuniorum scopum, quò colineant mundi, carnis, & dæmonis tela, eo planè modo, quo chlamydem Cæsaris petebant Ægyptii.

Præclarè Divus Bernardus, qui illum verè magnum æstimat, cui fallax mundus non irrisit: *Magnus, inquit, cui præsens fælicitas, si arrisit, non irrisit*; at ego illum majorem reputo, qui & ipsi mundo irrisit, & illusit.

Bern. lib. 2. de consid. dicrat.

Documento & exemplo est Petrus Consalvus, Episcopo Valentino nepos, à quo cùm opima beneficia adhuc adolescens consecutus esset, illis ad inanem fastum fruebatur. Huic contigit, ut quadam die, dum phalerato equo insidens, vestitu eleganti & pretioso conspicuus, unà cum aliquot æqualibus tota urbe huc illuc lasciviret, dumque se cunctis spectabilem circumspicit, omnibus spectantibus equo excussus, in cloacam, ac profundum lutum corruit, è quo ut lutulentus emersit, à puerorum ac virorum turba cum risu ac scommate procacitet explosus est; quare hoc indecoro pulvere sordidus, pudore suffusus, sibique iratus, ita secum statuit: *Si sic mundus, cui hactenùs servivi, ludit, & ridet me, illudam ac irridebo & ego mundum*; atque è vestigio, in sacrum S. Dominici cœnobium se recepit, ubi doctrinâ & sanctitate eximius, vitam finiit.

Platus de bon. sta tus Relig. epilogo ad sectam cap. 38.

Sed parum est, vestem abjecisse, nisi & mundum, & omnia quæ in mundo sunt, abjeceris: nisi & parentibus, cognatis, amicis, omnibus renuntiaveris, & teipsum exueris: atque hæc tria SSS. servaveris: *Spernere mundum. Spernere neminem. Spernere sperni.* Tum & alia tria ad Religionem adduxeris: *Dorsum asininum*, ut omnia, quæ imponuntur, suaviter feras. *Os porci-*

porcinum, ut ea, quæ apponuntur comedas. Et *cor columbinum*, quòd nullam unquam amaritudinem habeat. Denique ut monet Cassianus: nisi *surdus, mutus & cæcus fueris: hæc est victoria, quæ vincit mundum*; ad quam obtinendam, pulcherrimum ac saluberrimum dilecti JESU discipuli spectat monitum. 1 Ioan. 5.

§. I.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. 1. Ioan. 2. vers. 25.

SI ipsum Dei Filium, largitorem bonorum omnium, ac benignissimum Redemptorem, atque eos, qui vestigia ejus secuti sunt, mundus oderit; quid est, quòd illum capitalem animarum nostrarum hostem diligamus? *Si odit vos mundus*, inquit, *scitote, quia me priorem odio habuit*, & crudeli morti tradidit. Ubi Augustinus: *Recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere cum capite.* Ioan. 15. v. 18. August. tract. 87. in Ioan. circa medium.

Mundus odio habendus, 1. quia latro est.

Ecquis, amabo vos, est, quod alliciat, ut mundum diligatis? An hactenùs inventus, qui latronem, qui proditorem amet, eique blandiatur? Mundus amatores suos amplexu stringit, & strangulat, quod optimus morum magister, gentilis Seneca annotavit, qui fallaces mundi voluptates *Philetis* in Ægypto latrocinijs & immanitate notissimis comparavit: *Voluptates*, inquit, *præcipuè exturba, & invisissimas habe*, LATRONUM MORE, *quos Philetas Ægyptii vocant, in hoc nos amplectuntur, ut strangulent.* Habet mundus mel in ore, sub cingulo novaculam, quem fraudulentus ille Joab expressit, de quo lib. 2. Reg. cap. 20. *Dixit Ioab ad Amasam: Salve mi frater, & tenuit manu dexterâ mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porrò Amasa non observavit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & mortuus est*; haud aliter mundus una manu blanditur, & instar messoris complectitur, alterâ verò falcem mortis immittit, *& in puncto ad inferna descendunt.* Senecæ epist. 51. 2. Reg. 20 v. 9. Iob 21. 12.

Hinc sanctus Cyprianus salubriter monet: *Cùm mundus oderit Christianum, quid amas eum, qui te odit, & non magis sequeris Christum qui te & redemit, & diligit? Ioannes in epistola sua clamat, & loquitur, & ne carnalia desidera sectantes mundum diligamus, hortatur: nolite diligere mundum.* S. Cyprianus de mortalitate.

Augustinus mundum apto vocabulo *proditorem* nuncupavit, qui prodit te carni, & dæmoni: prodit te indomitis passionibus, quibus te servum facit, & vile mancipium; ubi autem te prodidit, quasi transfuga, te deserit, atque destituit, ac tandem tradit tortoribus inferni, totâ æternitate cruciandum. Augustin. serm. 26. de verb. Apost.

2. Quia mundus amarus est.

Hoc sat esse deberet, ne quis mundum diligeret; sed & alterum accedit, cur eum aversari & odisse teneamur, quia amaritudine plenus est, extrema quidem labra melle oblinit, sed intus mille curis, anxietatibus & sentibus configit; nam ut ille cecinit:

Plus aloës, quàm mellis habet. Iuvenal. sat. 6.

Occurrit hîc illud Eusebii Emisseni: *Mel est quod ascendit in labia; fel est, quod descendit in viscera.* S. Euseb. Emissen. hom. 5. Epiph.

Ita matres os poculi oblinere, aut absynthium saccaro inspergere, & amariores potiones pueris propinare solent, ut disertè Lucretius: Lucret.

Ac veluti pueris absynthia tetra medentes,
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flavoque liquore;
Ut puerorum ætas improvida ludificetur,
Labrorum tenus; interea perpotet amarum
Absynthii laticem.

Hoc mundi ac voluptatis artificium est, cujus ipsa etiam dulcedo omnis in amaritudinem vertitur, juxta illud Galeni Medicorum principis axioma: *Dulcia se in bilem vertunt*; & tamen homines, sicut pisces marini, salsis delectantur aquis. Hujus maris non inexpertem Doctorem magnum audite: *Amaram potionem mundus suis dilectoribus propinat. O infelicitas generis humani! Amarus est mundus, & diligitur; putas si dulcis esset, quomodo amaretur? Turbatur, & tamen amatur; quid si tranquillus esset? Flores mundi quomodo colligeres, qui à spinis non revocas manum?* Quis ille mentium humanarum furor? tantus quippe in iis, quæ fucatâ alliciunt dulcedine, amaror est, ut eo vel primis, quod ajunt, labris degustato, fugere & aversari oporteret. Galen lib. de euchymia. Augustin. serm. 121. de tempore

Infaniam hominum in bruto animante palpandam dedit Princeps Imperii: hic ut urso, quem habebat, ludum faceret, apposuit illi patinam melle, sed præcalido & ferventi plenam. Itaque fera, ut avidissimè in hunc cibum fertur, lingendo sæpè, sæpiùs linguam & fauces adussit; neque tamen sibi temperare aut valuit, aut voluit; sed inter continua murmura & ejulatus, ingluvie stimulante, ursus furore itaque plenus, mel omne absorbuit. Zehetner. vermis conscient. pag. 134.

Quoties voluptatum, divitiarum, honorum sectatores, digitos & ora adusserunt? per quot dolores, terrores, pericula, brevem emunt voluptatem? Quoties in aulis Principum illusi, scommatis impetiti, invidorum cavillis lacessiti? tamen urso brutaliores non desistunt; sed ut observat Seneca: *Mala sua, quod malorum est ultimum, amant.* Horum auribus è Petri cathedrâ gravissimè intonat Magnus Gregorius: *Despiciendus à nobis hic mundus fuerat, etsi blandiretur, si rebus prosperis demulcet animum. At postquam tot flagellis premitur, tantâ adversitate fatigatur, tot nobis dolores quotidie ingeminat*, QUID NOBIS ALIUD, QUAM NE DILIGATUR, CLAMAT? Ne, quod non unus serò, & seriò deploravit: *Gustans gustavi paululùm mellis, & ecce ego morior*; gustans gustavi paululum noxiæ dulcedinis, venenatæ voluptatis, *& ecce ego morior*, idque morte animæ, & æternâ. Hinc divina bonitas optimam nutricem æmulatur, dum tantâ amaritudine mundum respersit, ut ab uberibus ejus nos ablactaret: solent enim nutri- Senecæ epist. 59. S. Greg. lib. 3. dial. cap. 38. 1 Reg. 14 v. 43.

nutrices, sinapi, aut aliis amaris succis ubera oblinere, ut diutiùs lactentes ab iis absterreant, & ablactent, ut scitè sanctus Augustinus: *Faciunt*, inquit, *hoc nutrices mammotreptis*, (hoc est, diu sugentibus,) *ut amara ponant in papillis suis, quibus offensi parvuli, ab ubere resiliant, & ad mensam subeant.* *August. in Psal. 130. conc. 2.*

Luculentum hujus rei testimonium inducit duorum Nobilium, qui amaritiem mundi etiam in aulâ experti, ab ubere ejus resilierunt, & & feliciter ablactati sunt. Hi, dum Imperator Treviris Circensium spectaculo teneretur, fortè exclusi, deambulantes extra urbem, in casam quandam anachoretæ inciderunt, ubi unus eorum, cùm quædam ex vita sancti Antonii delibasset, ad socium ait: *Dic quæso te, omnibus istis laboribus nostris, quò ambimus pervenire? Quid quærimus? Cujus rei causâ militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quàm ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad majus periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio. Dixit hoc, & turgidus parturitione novæ vitæ, exuebatur mundo mens ejus*, & ab uberibus tanta amaritudine respersis derepentè ablactatus, dixit, amico suo: *Ego jam abrupi me ab illa spe nostra, & Deo servire statui, & hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior.* Respondit alter: *Adhærere se socio tantæ militiæ.* *Aug. lib. 8 Confess. cap. 6.*

Pontianus verò cum sociis, qui per alias horti partes deambulabant, nimis uberibus mundi inhærentes, *ponentes*, ut Propheta queritur, *amarum in dulce, & dulce in amarum*, illis quidem *gratulati sunt, & commendaverunt se orationibus eorum, & trahentes cor in terra, abierunt in palatium; illi autem affigentes cor cælo, manserunt in casa. Et ambo habebant sponsas; quæ posteaquam hoc audierunt, dicaverunt etiam ipsæ virginitatem* sibi, & ab uberibus mundi, ad nuptias Agni, & mensam Patris translatæ sunt; sic enim Rupertus hunc transitum à lacte matris, ad mensam Patris aptè explicat ulteriùs, de transitu à concupiscentiis carnis ad delicias Eucharisticas; ab *illis* enim oportet ablactari eos, qui his voluerint saginari. Hugo Cardinalis de transitu à sæculo ad Religionem: à vita mortali ad immortalem; quando illi, qui in hac vita à terrenis voluptatibus avelluntur, ad cæleste convivium in futura exhibendum, evocantur. Itaque dies hic ablactationis grandi & solemni convivio celebrandus est: sic Abraham *fecit grande convivium in die ablactationis filii sui Isaac*: quæ ut mysticè intelligantur: *Notandum*, inquit Procopius, *nullibi de impiis dici, ablactati sunt.* *Isa 5. 20.* *Gen. 21. v. 8.* *Procopius hic.*

Nec minùs fortiter urget, mundum non amandum, sed summè detestandum, quia maximè fœdus, & immundus est; nemo autem quod fœdum est, sed quod pulchrum est, amat.

3. Mundus minimè mundus.

Verissimum illud divini Sapientis pronuntiatum: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*, nec aliter fieri posse, quin is, qui mundo adhæret, ejusque in cœno volutatur, eo non sordescat, satis disertè illud D. Petri insinuat, quo monet, ut *coinquinationes mundi* fugiamus, quem ut *2. Petri 1. v. 10.*

cœnosam colluviem describit, tetrum ardorem exhalantem, ad quam nemo potest accedere, quin fœdè, putidèque maculetur. Eandem ob causam sanctus Jacobus, qui illas quoque mundi coinquinationes adverterat, castæ religionis florem, pulchritudinemque esse dixit, *immaculatum se custodire ab hoc sæculo*; in quem locum Doctor Angelicus pios illos, aureosque versus attulit: *Iacobi 1. v. 27.*

Mundus non mundus, qui mundos polluit, ergo
Qui manet in mundo, quomodo mundus erit? *S. Thom. hic.*

Eodem sensu Hipponensis Antistes exclamat: *Si delectat te mundus, semper vis esse mundus*; ideoque subdit, & suadet: *fuge mundum, si vis esse mundus*; experto credite, qui de seipso fatetur, quàm altò luto infixus hæserit, & seipso indies sordidior fiebat. Et tu, quisquis es, fateri cogeris, quàm in dies singulos, & linguâ, & oculis, & manu, & mente coinquineris: nam *si delectet te mundus, semper vis esse immundus.* *Augustin. tract. 18. in Ioan. Idem tr. 3 Sm Ioan.*

Auro & argento quis inhiat, & ejus fulgore se circumspectat, qui oculis gratior quàm lux Solis, ut D. Maximus de ejusmodi pronuntiavit: *Libentiùs vident aurum, quàm Solem*; quo tantum abest, ut splendescant, ut toti sordescant, sic enim sacer Vates terrenas sibi opes congregantem compellat: *Vsquequò aggravat contra se* DENSUM LUTUM? Divitias appellat *densum lutum*, in quo duo gravia notat incommoda; lutum enim inficit, nec quis mundas à pecuniis manus refert: & quia *densum*, premit; quia ferè cum peccato conjunctæ sunt, & animam commaculant, & gravant. *S. Maximus homi. in ditescentes. Habac. 2. v. 6.*

Nec sublimius de iis Sophonias censuit, qui divitias *feces* vocitavit: sic enim Dei voce, minisque: *Visitabo super viros defixos* IN FÆCIBUS SUIS; ut enim fæcibus inquinati, & fœdè conspurcari homines solent, sic & divitiis, quibus cum vitiis, uti nomine, ita & re, maxima affinitas est. *Sophon. 1. v. 12.*

Quòd si sectatores mundi, qui relicto fonte vivo, bibunt hîc è cisternis voluptatis, arcessere velint, è quàm putida scaturigine, hæ aquæ in speciem claræ promanent, facilè eas nauseabunt.

Facit hîc, quod ferunt de Anachoreta, qui delectatus suavitate rivuli, in quem inciderat, aviditate ductus, longiùs prosequitur, ut aliquando originem, & ipsum tantæ dulcedinis fontem assequatur: reperitque demum fœtidum, putidumque cadaver, è cujus ore hic melleus fluvius promanabat; quo viso, non à gustu dumtaxat, sed & à tactu, ne inquinaretur, abhorruit.

Quòd si is est mundus, quid adhuc in ejus cœno volutamur, & ejus sordibus coinquinamur?

Hoc amarissimè deplorat mellifluus Doctor: *Mundus clamat, ego deficiam*: CARO CLAMAT, EGO INFICIAM: *diabolus clamat, ego decipiam; Christus dicit, ego reficiam: & tamen superba mens nostra, magis vult sequi deficientes, quàm reficientem.* *Bernard.*

Denique, quid adhuc mundo inhæretis, qui transit, in quo nihil stabile? Quid ejus bonis cor affigitis, quæ fluxa & brevi peritura sunt?

4. Mundus transit, & concupiscentia ejus. Quæ sibi aliquando sapiens Romanus, hæc tibi quoque dicta velim: *Hac*, inquit, *mihi ipsi dico, quoties aliquid perstrinxerit oculos, quoties occurrerit domus splendida, cohors culta servorum, lectica formosis imposita calonibus: quid miraris? quid stupes? Pompa est. Ostenduntur illa res, non possidentur*, ET DUM PLACENT, TRANSEUNT. Hæc ille sapienter; propè divinè sanctus Gregorius Nazianzenus: *Adhuc paululum, & ecce* MUNDUS TRANSIT, AC SCENA DISSOLVITUR. Paululum ait; quid enim hæc vita, nisi paululum? quid anni nostri, nisi tela araneæ? Quid nisi scena, quæ & aperitur & clauditur? In hoc mundi theatro hic personam Regis, ille Nobilis, hic Catonis, ille morionis agit; at scenâ peractâ, quisque exuitur, nec quis fuerit, cognoscitur. Ita aureo sermone Chrysostomus: NON EST THEATRALIBUS SCENIS VITA NOSTRA DISSIMILIS: *nam ut illic, ille Imperatoris, hic Iudicis, & alter militis implet officium; ubi autem consecuta nox fuerit, nec Imperator agnoscitur*, nec Judex; sed cortina clauditur, & persona exuitur. Ad modicum omnes parent, & disparent. Quare *noli gaudere de divitiis; quia iis spoliaberis, sicut actor* SCENA PERACTA; noli gaudere de lautis epulis, de carnis deliciis, de pretiosis vestibus, iis brevi spoliaberis *scenâ peractâ*; quosque nunc iis affluentes videris, ne invideris: *Omnium istorum* PERSONATA FELICITAS EST; *contemnes illos, si despoliaveris*, aut mors ipsa repentè exuerit, ut aliàs diximus.

Seneca epist. 110.

Nazianz. orat. 17.

Chrysost. epist. 6.

Chrysost.

Seneca epist. 70. V. Lux Evang. Dom. 3. post Pascha

Paucis omnia complexus Doctor Gentium 1. Cor. 7. *Praterit figura hujus mundi*; quemadmodum in solenni supplicatione, pompam curruum, personatorum, Nobiles, Senatores, cives cernimus; sed omnes prætereuntes, paucis horis spectaculum absolvitur; ita mortales omnes, & omnia quæ in mundo sunt, subitò transeunt. Hinc fatuos mundi amatores sic sapienter compellat Cantuariensis Antistes: *Nolite constanter mundum diligere, quando ipse, quem diligis*, NON POTEST CONSTARE. *In cassum cor quasi manentes figitis, dum fugit ipse, quem amatis*. Hoc est, quod purpuratus Vates monuit: *Divitia si affluant, nolite cor apponere*; ubi perappositè Augustinus: *Divitia si fluant, noli ibi te figere: non vides, quia si ibi corporis fueris, & tu fluis*.

S. Anselm. in cap. 12. ad Rom.

Psal. 61. v. 11. Augustin. hic.

Quid cor apponis, ubi ipsum quod diligis aurum & argentum non constat. Quando ipsum quod diligis, fugit, & fluit, volvitur & revolvitur? *Quid porrò tam incertum, quàm res volubilis? Nec immeritò ipsa pecunia rotunda signatur*, QUIA NON STAT; sed de manu in manum volvitur, & orbis universus fluminis more:

August. in Psal. 93.

Horat. *Labitur, & labetur in omne volubilis avum.*

S. Hilarius in psal. 136. Divus Hilarius querulas illas populi Israëlitici voces expendens: *Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, cùm recordaremur Sion*, sic pulcherrimè disserit: *Flent omnes, qui se captos in Babylone sentiunt, & sedent* SUPER FLUMINA: *omnia enim saculi, & corporum bona*, INSTAR FLUVII, *fine aliquo cursus sui statione* PRÆTERFLUUNT, ET TRANSEUNT.

Quâpiâ commentatione adolescentes duo, illustri stemmate prognati, è fluxis ad æterna, animum appulerunt: Anno etenim 1180. cùm alter *Carolus* nomine, (qui postea Abbas Villariensis,) alter *Gerardus*, ex hastiludio reversi, amœnissima prata, rivosque obequitarent, pacti inter se silentium, benè longo tractu, tacitâ rerum humanarum contemplatione abrepti processerunt, cùm alter alterum percunctatus est, quid cogitaret, quid animo volveret? Respondit *Gerardus*, quòd in arboribus, pratis, floribus, fluviis, *figuram hujus mundi, qua praterit, & transit*, sibi repræsentasset. Idem secum *Carolus*, attentâ mente expenderat, atque ambo spretis perituris ac fluxis sæculi bonis, Religionem amplexi, æternis inhiarunt.

In Actis Ord. Cist. in Vita S. Francisci apud vet. pars. 1. cap. 2.

Hæc cùm audis, compello te NN. verbis Augustini: *Quid vis, utrùm amare temporalia, &* TRANSIRE *cum tempore? An mundum non amare, & in æternum vivere?*

August. in 1. Ioan. 2.

Occurrat animo aureum illud cælestis viri pronuntiatum, quod eremum anachoretis, claustra Religiosis complevit: *Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat*: aut illi simile, de fugientibus mundi deliciis: *Vbi citò praterit quod delectat, & manet sine fine quod cruciat*.

Motiva ad statum Religiosum amplectendum. August. serm. 250. de temp.

Hæc si secum plures cogitarent, plures de austeritate, plures de beata æternitate eum iis decertarent, nihil durum, nihil asperum, nihil Religioso molestum appareret.

Unde illa brevis, sed nervosa Seraphici Patris ad tirones suos adhortatio: *Fratres, magna promisimus; sed majora promissa sunt nobis: modica hic voluptas, sed postea pœna immensa: modicus hic labor, sed postea gloria æterna*. Fratres, magna promisimus, dum paupertatem tam arctam professi, qui in sæculo opibus affluebant: castitatem Angelicam, quæ in assidua & gravissima cum carne, & dæmone luctâ servatur: obedientiam tam promptam & arduam, sub tam gravi censura servandam; tamen ut rectè Hieronymus: *Nullus labor durus, nullum tempus longum debet videri, quo gloria æternitatis acquiritur*; nullum onus grave, nulla pœna acerba debet videri, qua cruciatus æternos evadimus. Hoc fortissimo ariete Abbas Claravallensis Robertum nepotem suum ad statum Religiosum impellere conatur, dum sic ad eum: Bene scio, quia delicatus es, & quòd his assuetus, modò duriora non possis. Sed quid si potes facere, ut possis? Quæris quomodo? Olus, faba, pultes, panisque cibarius eum aqua, quiescenti quidem fastidio sunt, sed exercitato magnæ videntur deliciæ. Jam fortè tunicas diffinetus, exhorres moiitum eas, tam propter hyemis frigus, quàm propter æstus ardorem; sed numquid legisti: QUI TIMET PRUI-

Bernard. epist. 1. ad Robertum.

PRUINAM, IRRUET SUPER EUM NIX: *Vigilias times,& jejunia,manuumque laborem; sed hac levia sunt meditanti flammas perpetuas. Recordatio deinde tenebrarum exteriorum, facit non horrere solitudinem. Fletus aternus, & stridor ille dentium,ante cordis oculos reductus,pares tibi reddet mattam & culcitram. Denique si totus de nocte ad psalmos vigilaveris, nimis durus erit lectus, in quo quietè non dormias. Si tantum in die, quantum professus es,manibus laboraveris,durus erit cibus, quem libenter non comedas.*

Quamquam, quid argumentis vel rationibus opus est in re, quæ oculis ipsis pateat, cùm partim legamus, partim etiam spectemus nos ipsi, tot jam exempla eorum, qui mundo rejecto,in Religioso statu vixerunt, & hodie vivunt tanta facilitate, tanta etiam alacritate.

Potestis vos ipsi recordari eorum, qui vobiscum olim familiariter conversati sunt, & modò in Religiosa familia; nonne illi quas vos opinamini tam graves difficultates, generosè & magna animi celsitate superarunt? Num igitur alia ipsis corpora,aut alias animas putamus esse quàm nobis? Ergò si illis jejunia, si vigiliæ, si obedientiæ jugum, si paupertatis incommoda, si denique labores cæteri adeò leves,adeò etiam jucundi sint,quæ vecordia est, uni sibi hæc gravia,molestia, intolerabilia fingere? Quo in genere,quòd scriptum exstet, ex omnibus, qui à lata & spatiosa vita, in angustam salutis semitam se converterunt, nullum scimus,qui tam timidè,tam lentè eum gradum fecerit, atque Augustinus; ita enim ipse commemorat,itaque describit suas luctas, hæsitationes, difficultates, propter veterum morum habitus inveteratos, ut novam illam vitam nimium exhorresceret; quas tamen difficultates tandem profligavit,cùm cogitaret, quàm innumerabiles, non modò ipsi æquales, sed etiam vel ætate,vel sexu infirmiores quàm ipse, illam eandem vitam jucundè tolerarent; sic enim ait: *Aperiebatur ab ea parte, qua intenderem faciem, & quò transire trepidabam, casta dignitas continentia,serena,& non dissolutè hilaris, honestè blandiens ut venirem, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum, & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puella, ibi juventus multa, & omnis etas,& graves vidua, & virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis; sed fœcunda mater filiorum gaudiorum, de marito te, Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret*: TU NON POTERIS QUOD ISTI, ET ISTÆ? *An verò isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Quid in te stas, & non stas? Projice te in eum, noli metuere,non se subtrahet,ut cadas. Projice te securus, excipiet te,& sanabit te*,ac salvabit te.

Aug. lib. 8. Confess. cap. 11.

Quid est, adolescens, quod te ab hac vita retardat, quid deterret? Adolescentiæ ætatis imbecillitas? *Tu non potes*,quod Thomas Aquinas, qui in ipso pubesceotis ætatis flore, sana consilia meditatus, mundum suis relinquebat, & animo cælum invadebat. An opum ac divitiarum affluentia? *Tu non potes*,quod Aloysius, juvenis tantarum opum, tanti patrimonii hæres? Qui ut esset cohæres Christi, sprevit hæreditatem mundi. An nobilitas? *Tu non potes*,quod Stanislaus, è Poloniæ principibus familiis? Qui ratus veram esse nobilitatem, clarere potiùs illustribus virtutibus, quàm fumosis imaginibus. *Tu non potes*,quod tot potentes, molliter educati, nobiles adolescentes? de quibus, jam suis, (& in quo-visordine) sanctus Bernardus: *Legeram non multos nobiles, non multos sapientes, non multos potentes elegit Deus; ac nunc prater regulam, mirâ Dei potentiâ,talium convertitur multitudo. Vilescit gloria præsens, juventutis flos conculcatur, non reputatur generositas,sapientia mundi stultitia judicatur,non acquiescitur carni & sanguini: parentum & charorum renuntiatur affectibus: favores & honores, & dignitates reputantur ut stercora, ut Christus lucrifiat.*

Bern. ep. 109.

Unde hoc? nisi quia Christi jugum suave, & onus leve? An enim existimatis, quòd mundus suas habeat voluptates, & non potiùs Christus? *Delectationes non perdimus, sed mutamus: de corpore ad animam, de sensibus ad conscientiam.* Hoc est,quod de seipso fatetur Augustinus: *Punctum temporis, quo altus futurus eram, quantò propiùs admovebatur, tantò ampliùs incutiebat horrorem, retinebant me nugæ nugarum,&c.* Et vanum fuisse timorem, ex eo collige, quòd expertus dicat: *Quàm suave mihi subitò factum est, à suavitatibus nugarum abstinere! Et quas amittere metus fuerat, jam dimittere, gaudium erat.* Nostis quare? quia pro sensualibus cælestes, pro brutis divinæ animo instillabantur; sic enim subdit: *Ejiciebas eas à me, verata, & summa suavitas ejiciebas, & intrabas pro eis,omni voluptate dulcior.* Ne timeas delectabilia carnis & mundi amittere, quæ fucata, fallibilia,& falsa,succedent vera & solida gaudia.

Jucunditas vitæ religiosæ

Beda de vita solit.

August. lib. 8. conf. cap. 11.

Vultis hujus rei, de qua loquor, testimonium? Bernardum gratulantem audite: Magnum est mihi gaudium,quòd te ad verum, & perfectum gaudium velle tendere, comperi," quod non de terra, sed de cælo. *Et revera illud verum & solum gaudium est, quod non de creatura,sed de creatore concipitur,& quod cùm possederis, nemo tollet à te.* Ut autem sciatis, quale & quantum illud sit, hæc ejus suavissima verba indicant: *Cui comparata omnis aliunde jucunditas, mæror est: omnis suavitas, dolor est: omne dulce, amarum: omne decorum fœdum: omne postremò quodcumque aliud delectare possit, molestum. Denique tu mihi testis es in hac re.*

Bern. epist. 114.

Magdalena mihi testis est,quæ fratre mortuo, ut audivit Magistrum Jesum adesse, subitò è consortio consolantium Judæorum se recepit ad Christum,ejusque pedibus inhæsit; cùm finistrè Judæi judicarent,& jactarent: *Vadit ad monumentum,ut ploret*,cùm interim deliciis cælestibus frueretur; Martha verò satageret, ut tantum hospitem dignè exciperet; ibi Doctor Angelicus: *Maria intenta dulcedini verbi Domini, in Martha convivium Domino parabatur. Maria mira suavitate tenebatur; quæ profectò major est mentis, quàm ventris.*

Joan. 11 v. 31.

S. Thom. in Luc. cap. 10.

Ejusmodi perversum mortalium judicium est, qui dum filius, aut filia Religionem ingreditur, vivam ad sepulchrum ferri autumant, cùm apud Dominum, vitæ deliciis diffluat, & superabundet cælestibus.

Ipsi de se loquantur, qui Christum secuti sunt. Sanctus *Romualdus* candidè affirmat: vixi centum annis in Religione, (idque in summa austeritate) viginti verò in sæculo; sed eheu! quàm longa & misera hæc mihi vitæ tempora! Quàm brevia & jucunda illa Religionis!

Cui congrua illa vox Bellarmini Cardinalis: *Cùm essem Religiosus, nesciebam quid in vita esset tristitia; factus Cardinalis, nescio quid sit lætitia.* *In vita.*

Sancta Ioanna Franca dicere solebat: mille sceptra, mille diademata, mille mundi nihilo sunt animæ, quæ semel Deum, ejusque dulcedinem degustavit.

Asella, quæ luxum Romanum, & omnes mundi, ac carnis illecebras aversata, soli Deo intenta: *Unius inclusa cellæ angustiis*, ut loquitur Hieronymus, *tota cæli latitudine fruebatur.* *Hieron. epist. 15. ad Marcellã.*

Hoc in claustris, hoc in cellis, quæ cælum sunt, Religiosi passim experiuntur. Oculatum testem adduco Bernardum: *Advertere potes in omnibus penè Religiosis congregationibus*, VIROS REPLETOS CONSOLATIONE, SUPERABUNDANTES GAUDIO, JUCUNDOS SEMPER ET HILARES, *ferventes spiritu, nocte dieque meditantes in lege Domini: quibus amabilis disciplina, labor manuum delectabilis, & universa denique conversationis hujus austeritas, refrigerium videntur.* *Bern. ser. 6. de Ascensione.*

Experti illud prima mundi capita, & summi Principes, qui has delicias dumtaxat delibarunt.

Suatocopius, Rex Bohemiæ & Moraviæ, ab Arnulpho Imperatore prælio victus, cùm ægrè evasisset, in eremum fugit, ibique latuit, atque inter Anachoretas, summâ in paupertate vitam exegit; morti proximus, exposuit quis esset, atque illud affusis eremi ascetis contestatus est: nullam regni fortunam solitudinis tranquillitati præferendam: veram se in caula vitam duxisse, in aula mortem.

Idem *Caroli V.* summi Imperatoris judicium fuit, qui dicere solebat, in secessu illo ad S. Hieronymi monasterium, plus uno die liquidæ voluptatis, & sinceri gaudii se percepisse, quàm ex omnibus aulæ deliciis, victoriis suis ac triumphis; quo Religiosi jugiter perfruuntur.

Hujus perpetui gaudii luculentum adfert testimonium *sancta Scholastica*, dicens: si dulcedo, quam Deus abscondit servis suis, cognita esset sæcularibus, monasteria non caperent eos, qui Deo servire vellent. Blosius addit: totus mundus unum monasterium foret.

Quare *Laurentius* [illegible]*anus*, sapientiâ & sanctimoniâ orbi clarissimus, hæc inter alia Religionis encomia adferre solitus: Consultò à "Deo esse factum, ut ejus jucunditatem ab-"sconderet, atque occultaret; quoniam si eam "homines cognoscerent, futurum esset, ut "mundus planè totus exhauriretur; ita se om-"nes tenere non possent, quin ad eam accurre-"rent. *In vita. Barri solitudo.*

Si itaque Religio tam fœcunda sit mater gaudiorum, quid miri, si *Beata Maria Magdalena de Ursinâ*, Novitiis præfecta; cùm suas juvenculas exuberanti cordis lætitiâ quandoque suaviter subridentes cerneret, læto vultu ad eas dixerit: *Ridete, filiolæ meæ, ridete*; quia justa vobis causa ridendi, quòd mundi fluctibus ereptæ, in portum hunc salutis securissimum degatis, *non fecit taliter omni nationi.* Tota ejus gaudendi, & suas ad ridendum exstimulandi materia erat, quod attenderet per decem, viginti, triginta, quadraginta annos nullam è suis lethali ullâ noxâ divinam bonitatem offendere, à qua miseri mortales, quantumvis circumspecti, vix se eximunt, quin sæpiùs illabantur: Quod pluribus postea confirmabo. *Psal. 147.*

An non hæc optima, & æquissima causa gaudendi semper in Domino, qui uni & summo bono jugiter inhærent? Unde factum illud sancti Patris nostri Ignatii exstat apophtegma: "Non minus censendum esse miraculum, mœ-"stum deprehendere virum Religiosum, qui "aliud nihil quærat, nisi Deum; quàm miran-"dum, deprehendere lætum aliquem, qui om-"nia alia quærit, præter Deum; verbo unico, "vero & sincero gaudio videre gestientem peccatorem. *Lircus apoph. 6.*

Quare suos semper lætos & hilares esse volebat. Tiro etiamnum erat Romæ *Franciscus Costerus*, atque in risum mirè proclivis; cumque illi obviam per domum die quadam sanctus Pater, & ridentem clarè advertisset, mox ad se evocatum, in hæc verba locutus est: *Francisce*, audio te semper ridere; dejectis ille mox oculis, acrem aliquam reprehensionem expectabat; Sanctus autem iteratò ridere jubet: *Et ego dico tibi, fili mi, ut rideas, & gaudeas in Domino semper*: Religiosus enim nullam habet tristitiæ sequioris causam, sed lætitiæ multam; quapropter denuò tibi dico, *semper sis lætus, & hilaris in Domino.*

An non uberrima gaudendi materia, quam Bernardus nobili & locupleti fœminæ suggerit, cum ea mundo deserto, Deo se dicare statuisset: *Modica*, inquit, *transitoria, terrena sunt, quæ deseris; maxima, æterna, cælestia sunt, quæ appetis. Plus dicam, & vera dicam: tenebras deseris, & lucem ingrederis: de profundo fluctuum emergis ad portum: & de miserâ servitute, ad felicem libertatem aspiras: & de morte denique transis ad vitam.* *Bern. ep. 114.*

Hæc omnia, maxima & optima Religioso gaudendi materia est; sed & aliam etiam uberiorem lætitiæ segetem Abbas Claravallensis, quam Religiosi metunt, brevi sermone, sed longa consideratione digno proponit, dum novem prærogativas, sive præcellentias Religiosis convenientes tradit, è quibus nonam, nempe octavam, præcipuè prosequar.

* * *

§ II.

§. II.

Bern. hom de quarente bonas margaritas.

In religione homo quiescit securiùs, & moritur confidentiùs, quod sæcularibus rarissimè contingit: CANTANDO MORITUR ET MORIENDO CANTAT. Bern. serm. 26. in Cant.

9 Prærogativæ & præcellentiæ status Religiosi.

SAnctus Bernardus melleo sermone discurrens super illud Matth. 13. *Simile est regnum calorum, homini quarenti bonas margaritas,* plurima breviter complexus, sic ait: *Qua est ista tam pretiosa margarita, pro qua universa dare debemus, id est, nosipsos: quia totum Deo dedit, qui seipsum obtulit, ut possimus eam habere? Nonne hac est Religio sancta, pura, & immaculata, in* QUA HOMO VIVIT PURIÙS, CADIT RARIÙS, SURGIT VELOCIÙS, INCEDIT CAUTIÙS, PURGATUR CITIÙS, IRRORATUR FREQUENTIÙS, QUIESCIT SECURIÙS, MORITUR CONFIDENTIÙS, REMUNERATUR COPIOSIÙS?

Quæ singula, cùm maximè singularia sint, paucis expendamus, ut ad hoc, quod præcipuum tractandum est, veniamus.

1. Vivit purius.

Ac primum quidem in Religione homo VIVIT PURIUS, quia longè ab occasionibus & peccandi periculis remotus.

S. Leo. serm. 11. quadrag.

Quibus indies homines in sæculo nequam sordibus inquinentur, S. Leo Pontifex Maximus expressit: *Magni,* inquit, *est operis ac laboris, mobilitatem cordis ab omnibus continere peccatis: & cum undique innumera vanitatum illecebra blandiantur, ad multa contagia vigorem animi relaxare.*

Quod probat similitudine Eccl, 13. *Quis picem tangit, & non inquinatur ab ea? Quis non infirmatur in carne. Quis non sordescit in pulvere? Quis postremò est tanta puritatis, ut iis non polluatur, sine quibus vita* (sæcularis) *non ducitur?* Quis purus & mundus, in mundo tam immundo repetitur? ubi sordidis verbis & cantilenis ora & aures: lascivis spectaculis & nudis objectis oculi: fœdo tactu manus: turpi cupiditate animus sordescit & contaminatur. Quis valet *immaculatum se custodire ab hoc sæculo,* ubi unus alium in lutum trahit, quod potissimùm fit per prava sociorum contubernia. Testatur id de se, & gravissimè queritur Augustinus: *Quem fructum habui miser aliquando, qua nunc recolens erubesco! & tamen solus non fecissem, solus omninò non fecissem. O nimis iniqua amicitia, seductio mentis! sed cùm dicitur: eamus, faciamus pudet non esse impudentem cum impudentibus.* Jam meliori mente injectâ, sibi ac Deo redditus, multum laboravit in suo Alipio, ut ejus animum ab obscœnis Circensium ludis avocaret; sed fortius pravi sodales familiari violentiâ in sordes traxerunt: dum „theatra insaniunt &c. non erat jam ille qui „venerat, sed unus de turba ad quam venerat, „& verus eorum socius, à quibus abductus e- „rat. Quid plura? spectavit, clamavit, exarsit. „Abstulit inde secum insaniam, qua stimula- „retur redire, non tantum cum illis, à quibus „abstractus est; sed etiam præ illis & alios tra- „hens, ut qui sordidus esset, sordesceret adhuc, „& plures secum in lutum traheret.

Jacobi 1.

Aug lib. 2. conf. c 8

Aug lib 6 conf. c. 8.

Similitudinem adducit S. Bernardus à natantibus, [illegible] naufragantibus, qui etiam socios secum in abyssum profundi, & animæ exitium trahunt. „quibus assimilabimus homines generationis „hujus? profectò similes sunt his qui submersi „periclitantur in aquis; nimirum videas eos „tenentes tenere, nec ullâ ratione deserere. Et „si qui ad eos fortè veniant, ut subveniant, non- „nunquam solent apprehensos involvere se- „cum; adeò ut jam nec illi sibi, nec illis auxili- „um ferre prævaleant; sed in idem profundum luti devolvantur.

Bern. serm 1. de Adventu.

Ab his inquinamentis mundi, Religiosus *vivit purius,* quia *Religio munda & immaculata,* ubi omnia spirant Angelicam puritatem: ubi convictus sociorum ad omnem modestiam & honestatem compositus: ubi nugæ, blasphemiæ, verbum otiosum, nedum lascivum, piaculum reputantur: ubi nullæ illecebræ auriū, oculorum, aliorumque sensuum, quæ corpus aut animum contaminent: ubi ad omnem sanctitatem, & horrorem vel levissimi nævi, aut noxæ, verba & exempla aliorum inflammant.

Iacobi 1. 27.

Quare, si quis in maligno & putido aëre versatur, fieri non potest, quin illo inficiatur; nec præsentius remedium medicorum omnium judicio occurrat, quàm ad puriorem se conferat; ita propè Seneca philosophatur: *Sumuntur à conversationibus mores, & ut quadam in contactos, corporis vitia transiliunt; ita animus mala sua proximis tradit. Impudicorum cœtus fortem quoque, & silicenum virum emollit. Eadem ex diverso ratio virtutum est, ut omne quod secum habet, mitigent.* Ac tandem ad propositum subdit: NEC TAM VALETUDINI PROFUIT UTILIS REGIO, ET SALUBRIUS CÆLUM, QUAM *animis parum firmis* IN TURBA MELIORUM VERSARI; quod in Religione fit.

Seneca lib. 3. de ira. cap. 8.

Alterum est, quod in Religione homo VIVAT PURIUS, eo quod ipso momento, quo quis Religionem profitetur, integram omnium peccatorum remissionem accipiat, quæ in sæculari vita unquam commisit. Cujus beneficii magnitudinem nemo æstimare poterit, nisi qui pœnarum magnitudinem intelligat & attendat, quæ etiam peccatis vi Sacramentorum deletis, tamen adhuc luendæ sunt, quarum minima ut Augustinus testatur, *excedit quidquid pœnarum possit homo pati, aut cogitare in hac vita.* Secundò, quod per plures annos privatus fuisset visione & fruitione omnis boni, & amplexu castissimi sponsi sui. Tertium pœnarum genus est, ipse suarum maculatum aspectus, earumque fœditas, quas culpa inflixit, antequam expiatoriis flammis purgentur. A quibus omnibus, ut infans baptismali fonte recens lustratus, Religiosus immunis, & planè purus redditur, auctorem habeo Doctorem maximum,

Vivit purius, quia Religio quasi alter Baptismus.

Aug serm 41. de Sanctis.

D. Hieronymum, qui Religiosum statum, quasi alterum baptismum vocitavit; sic enim Paulam de Blesillæ filiæ obitu consolatur: *Revera, inquit, si sæculare desiderium, & quod Deus avertat, delictus hujus vitæ cogitantem mors immatura rapuisset, plangenda erat: Nunc verò cum propitio Christo, ante quatuor fermè menses,* SECUNDO QUODAMMODO PROPOSITI SE BAPTISMO LAVERIT, *& ita* DEINCEPS VIXERIT, *ut calcato mundo semper monasterium cogitaret, non vereris ne tibi Salvator dicat: irasceris Paula, quia filia tua, facta est filia mea?*

Hieron. ep. ad Paulā de obitu Blesillæ.

Hæc tam laudabiliter de virgine Religionem duntaxat cogitante; expressius ad Demetriadem: *Nunc quia sæculum reliquisti, &* SECUNDO POST BAPTISMUM GRADU *inisti pactum cum adversario tuo, dicens ei: renuncio tibi diabole, & sæculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis, serva fœdus, quod pepigisti,* & prorsus immaculata esto.

Idem ep. 8 ad Demetriad.

Idem confirmat, & disertè tradit Bernardus, „ hujus tantæ prærogativæ causam adferens: „ audire, inquit, & hoc vultis à me, unde inter „ cetera pœnitentiæ instituta, monasterialis dis„ciplina meruerit hanc prærogativam, *ut secun„ dum baptisma nuncupetur?* Arbitror ob perfe„ ctam mundi abrenunciationem, & singula„ rem excellentiam vitæ spiritualis, quæ præe„ minens universis vitæ humanæ generibus, „ hujuscemodi conversatio professores & a„ matores suos Angelis similes (puritate) dis„ similes hominibus (corruptionis) facit; imò „ divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo, INSTAR BAPTISMI, quo nulla major puritas potest excogitari.

Bern. de præcep. & disp.

Ad hanc accedit, ut super nivem dealbentur, quod Religio sit status pœnitentiæ, ut docet S. Thomas, & assidua hominis interioris & exterioris mortificatio, qua omnes passiones, sensualitates & illecebræ carnis non solum ab omni immunditie retrenantur; sed & merito suo, & gratiæ radiis, tum lachrymis doloris & amoris aspersæ, lini instar, super niveum dealbantur. Secundò, CADIT RARIUS, quod ut ea præmissis probetur, accedit custodia Religionis & claustrum, quod rectè munitissimum castrum dixeris, quo hostis non prævaleat & prosternat; quod castrum S. Bernardus in terra quidem hostili situm & undique impugnari; sed ex omni parte vigilanti sollicitudine, & perennibus quibusdam excubiis muniri asserit. Habet insuper Religio sepes suas, regulas, & repagula, Ordinis statuta, quibus Religiosi obsepti, è sicco in lubricum exire non possunt, ne cadant; unde vel Gentilis monuit: *quantum possumus nos à lubrico recedamus; in sicco quoque parum fortiter stamus.*

2. Cadit rarius.

S. Bern. serm. 46. ex parvis.

Seneca. epist. 116.

Quod cùm perspectum esset Hieronymo, verè & severè monet: *Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie* (cadere) *aut perire, aut vincere? Quis unquam mortalium apud viperam securos somnos capit; quæ etsi non percutiat, certè sollicitat ad lapsum.*

Hieron. epist. 47.

Hâc se quotidianâ luctâ, & labendi ansâ ut se expediret, procul urbem, ac omnes matronas, Romanas fugiens, in solitudinem, inter feras & lustra se recepit. Unde à Vigilantio reprehensus, quasi iners miles statione suam deseruisset, quærenti cur in eremum fugisset? respondit: *Ut te non audiam, aut tuo furore non commovear, ut tua bella non patiar. Ne me capiat oculus meretricis. Respondebis: hoc non est pugnare, sed fugere. Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam,* & turpiter, hostibus meis ludibrio, in lutum cadam.

Probat idipsum quotidianâ experientiâ Abbas Claravallensis, dum homines sæculares vix se paucis diebus continere ait, quin in densum peccatorum lutum irruant; Religiosos verò, multis annis, imò semper ne cadant, caveant: *an experimentum quæritis, inquit, de quo loquimur? quando is, qui prius vix per biduum poterat à luxuria, crapula, & commessationibus & ebrietatibus, & cubilibus, & impudicitiis, ceterisque similibus & dissimilibus vitiis continere,* NUNC ABIIS CONTINET MULTIS ANNIS, TOTA UTIQUE VITA; quod ipsi, qui etiamnum in Religione vivunt fatentur, & experiuntur.

Bern. ... in dedicat.

Accedit & vigilans cura ac cautela superiorum, imò & sociorum: nam ut rectè Philosophus: *omnia nobis mala solitudo persuadet.* Luculentius hic Angelici Doctoris testimonium est, qui consuetudinem Religiosorum de socio semper adjuncto, adeò collaudavit, ut eum dicere solitum ferant: *Monachum solum, esse dæmonem solitarium.* Quis etiam sæcularium scelus anhelare, ac perpetrare non vereatur, viro honorato præsente, & ad latus inspectante? Indubitatum illud pronunciatum est. *Maxima pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat;* quod cùm in Religione fiat, planè cautum est, ne cadant.

Seneca. epist. 41

Cit. Nig. Reg. 43. c. 11.

Seneca. epist. 11.

Denique plurimùm confert gratia vocationis, quæ longè uberior & efficacior est in Religione ad non cadendum, quàm in sæculo; unde Ægidius, unus ex primis Franciscani Ordinis lapidibus, rogatus an etiam in sæculo quis Dei gratiam consequi posset? Respondit: posse utique, *sed tamen malle se unum gratiæ gradum in Religione, quàm decem in sæculo;* quoniam gratia in Religione facilè conservetur & crescat, cùm homo hic remotus degat à tumultu & perturbatione mundi, qui hostis est capitalis, gratiæ; tum à Religiosis fratribus incitetur & animetur ad virtutem; in mundo verò gratia facilè amittatur, ob occasiones, illecebras, pericola & offendicula assidua, in quæ dum indies impingunt, turpiter labuntur.

Platus lib. 1. cap. ...

Tertiò, SURGIT VELOCIUS; quia, ut humanum est, si aliquem labi contigerit, habet Superiores, qui paternè commoneant, amantet corripiant: habet fratres qui verbo & exemplo ad resurgendum eâ stimulent. Verissimum hic probatur illud Eccles. 4. *Melius est duos esse simul, quàm unum: habent enim emolumentum societatis suæ; si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli: quia* CUM CECIDERIT, NON HABET SUBLEVANTEM SE: idque urait Hugo Cardinalis: *Consilio, consolatione, & oratione.*

3. Surgit velocius.

Eccl. 4. v. ...

Hinc inter ceteras rationes, hac potissimùm sancti Patres monasticam aut Religiosam vitam, eremiticæ, ac solitariæ anteponunt, quos inter,

inter, præclarè Divus Bernardus, exponens vitæ solitariæ pericula, & horrendos casus eorum, qui miserè prolapsi sunt: *Declarant hoc,* inquit, *multorum tristes exitus, qui cùm in solitudine multos annos in summis jejuniis ac vigiliis transegissent, multaque fecissent egregiè, ad extremum verterunt omnia, decepti ab illo versuto serpente: vel prostrati ab illo leone & dracone,* quod terrificis probat exemplis: *Ut Heron ille, quem narrat Cassianus, post annos quadraginta, quibus Deo servierat, seipsum in puteum præcipitasse; & alter, quem scribit, Iudaismum & circumcisionem non minus stultè, quàm impiè suscepisse. Qui lapsus cùm in omni genere, ut legimus, in solitarii illius statu frequentes essent, nullam aliam putare debemus causam, nisi hanc, quod qui solus sit, minùs infirmus sit ad sustinendos tot hostium tam assiduos, tamque efferatos impetus,* & CUM CECIDERIT, NON HABEAT SUBLEVANTEM SE, non habeat, qui manum porrigat, qui è puteo extrahat, ubi centum manus in Religione, in promptu sunt.

Bern. ser. 3 de circum. — Cassian. coll. 2. c. 5.

Habet & illud emolumentum Religiosæ societatis, si quis fortè spiritu refrixerit, aut etiam charitate exciderit, ut precibus, exemplis, fervore aliorum inflammetur. Ad hoc enim frigus repellendum, vitalemque calorem reaccendendum, Pater Platus alludens ad illud Sapientis, *mutuo fovebuntur*, hanc aptissimam similitudinem adducit: ut enim videmus interdum viridem adhuc stipem, per se etiam ardere non posse; at in fascem colligatus, inter alios ardentes stipites, eâdem illorum flammâ facilè ignem concipere & conflagrare, sic prorsus evenit in animis, qui separatim degentes langueant, ut inutilia ligna, jaceant; at aliis spiritu ferventibus permixti, illorum consuetudine, cohortatione, atque exemplis, ut dixi, velint, nolint, incalescant, & è torpore suo resipiscant.

Eccl. 4. v. 10. — Platus l. 2. cap. 28.

At si in eum casum lapsus sit, qui nulli, nisi ipsi & Deo notus sit? Habet etiam Religio sua subsidia, *ut surgat velocius*, ipsa pœnitentiæ & sacræ Eucharistiæ Sacramenta, quæ cum quolibet octiduo, ut minimum frequentanda sint, & sine nota & scandalo, eximi non possit, acutissimum stimulum habet, ut resurgat; nisi quod in Religiosum non cadit, sacrilegè accedat, perditæ & prorsus profligatæ vitæ. Cùm in sæculo ubi ea obligatio & frenum non est, qui lapsus est, in menses & annos jacet in limo profundi, nec stimulum habet, ut exsurgat.

Hactenus dicta, confirmo verbis Christi, cælestis sponsi ad Catharinam Senensem, dum de vita solitaria & monastica deliberaret: *Religio tutior est: quia si quis ibi ruat, aptior est ad surgendum; quia cum majori subsidio se reperit.*

Dialog. cap. 146 in fine

Quartò, INCEDIT CAUTIUS: frequentes enim lapsus in sæculo, & pericula quæ incurrit, illum cautiorem reddunt, ne relabatur: Hæc cautela cuilibet homini, imò ipsis brutis innata videtur; quis porrò domum pestiferam, aut hominem leprosum non cautè fugiat, unde se novit lethale virus contraxisse? Quis se iterum glaciei, aut lubrico committat, ubi se corruisse, & crus fregisse recordatur: si angustus ille pons, unde in præcipitium decidit, transeundus, quàm cautè & circumspectè incedit, aut si possit, declinabit? Aptè D. Eligius Noviomensis Episcopus: *Si alicui crus frangatur, aut manus, cum labore* (& dolore) *solet ad pristinum revocari officium; si verò secundo, aut tertio, eodem loco membra frangantur: potest intelligere charitas vestra, cum quantis doloribus, & cruciatibus vulnera ipsa curanda sunt. Et tamen post longos & multos labores, vix erit unquam ut ad pristinum statum membra ipsa valeant revocari.* SIMILIS RATIO IN ANIMARUM FRACTURIS EXISTIMANDA EST; quæ cùm sæcularis parum curet, aut recogitet, hinc facilè recidivam patitur: Religiosus verò qui hæc pericula & peccati gravitatem, attentâ meditatione jugiter ruminat, omni curâ & cautelâ vitare & abominari solet? cum sponsa solicitus, quæ nihil curabat impensius, quàm ne unquam in priora relaberetur: *Expoliavi,* inquit, *me tunicâ meâ, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* In quæ verba S. Bernardus, sic suos ad cautè incedendum, ne iterum sordescant, hortatur: si dixerit mihi " *Iesus:* dimittuntur tibi peccata tua, nisi ego peccare desiero, quid proderit? Exui tunicam " meam, si reinduero eam, quantum profeci? " si rursus pedes meos, quos laveram, inquina- " vero, numquid aliquid lavisse valebit? Sor- " dens omni genere vitiorum, jacui diu in lu- " to fæcis; sed erit sine dubio recidenti, quàm " jacenti deterius; quæ omnia ingentem Religioso horrorem incutiunt, cujus casus gravior, quo ex altiori loco contingat.

S. Eligius. hom. 15. — Cant. 5. 3. — Bern. ser. 3 in cant.

Hoc vel in ipsis feris cernere est, ut laqueos devitent, & horreant, quos semel evaserunt; sic enim Chrysostomus: *Avicula semel capta laqueo, mox elapsa: cervus in rete decidens, & effugiens, iisdem iterum difficile capientur: nam* CUIQUE FIT EXPERIENTIA, CAUTELÆ MAGISTRA; sic, ut inquit Sapiens: *frustra jacitur rete ante oculos pennatorum,* quibus viri Religiosi designantur, qui laqueus stigii aucupis evaserunt. Eodem spectat illud Poëtæ:

Chrys. ho. 15. ad pop. — Prov. 1. 17

Quo semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis æra subesse putat.

Ovid. Trist.

Ita Religiosus semel ictus sapit, & fallaces hamos studiosè declinat:

Quod si Apostolus omnes moneat: *Videte, quomodo* CAUTE *ambuletis,* quomodo Religioso non cautè ambulandum, cui superior semper *speculator adstat desuper*, qui à mane in vesperam, actus omnes observat? In quo sive in choro, sive in refectorio, sive in familiari contubernio, omnium oculi assiduò intenti sunt. Quomodo non cautè incedet *in medio lapidum ignitorum,* id est Fratrum, spiritu ferventium, ne ulli offendiculo, aut scandalo sit? valent denique ad cautelam, graves transgressoribus pœnæ, & censuræ statutæ.

Ad Ephes. 5. — Ezech. 28.

Quintò, PURGATUR CITIUS, etiam à minimis venialium nævis, frequenti usu Sacramentorum, quotidianâ conscientiæ discussione, tum per frequentes actus veræ contritionis, ut usurpare hic possim, quod de Paula Hieronymus, eam tot lachrymis minimam noxam venialem expiasse, *ut illam gravissimorum criminum crederes ream;* sic Bernardus se actum non acce-

5. Purgatur citius. — Hieron. ep. ad Eustoch.

pisse, sed desiderasse, amaris lacrymis deploravit. Eusebius apud Theodoretum, 40. annis unam evagationem mentis gravissimè luxit.

Theodoret. cap. 4.

Complures Religiosi sunt, quibus ut Bernardus loquitur: *Singuli illiciti motus, quædam in Deum convitia habentur*; minimum peccatum veniale, verbum acerbius mollior offensa, risus levior, copiosior cœnula, aspectus incautior, negotium solutius curatum, temporis exigui dispendium, cogitatio tardius expugnata, sanctioris operis, licet non imperati neglectus, aliaque hujusmodi piacula minora, oculatis Dei servis, uberrimas lacrymas, imò & sanguinem expresserunt.

Bern. epist. 42. ad Henricum Archiep. Senon.

Comprobat idipsum *Salvianus*, ex eo quod Religiosi, oculis comparentur, eosque ut pupillam Deus diligat. Quis autem nescit oculum vel minimo pulvisculo turbari, & in lacrymas effundi, donec illo omninò immunis, & purus sit? Hic sanctus Doctor sic disserit: *Perfecta & sincerissima sanctitatis, volens cultores suos facere Salvator, jussit ab eis cautissimè etiam minima vitari; scilicet, ut quàm pura est pupilla oculi, tam pura esset Christiani* non solum; sed multò magis, *Religiosi vita*.

S. Salvian. lib. 3 de provid.

Quid ni citius purgetur, cui perspectum illud Hieronymi *nullum leve peccatum dici, quod in Dei contemptum admittitur*; unde *sancta Magdalena de Pazzis*, optabat potius, viva ad locum tormentorum & consortium dæmonum detrudi, quàm ut quid contra voluntatem sponsi sui faceret.

Hieron. epist 14. ad Celant.

Hoc judicium maximè sanum fuisse reperio in homine moribundo, *Patre Hieronymo sancti Iacobi*, Societatis nostræ, qui sub extremum halitum identidem exclamabat *malo adire infernum, quàm admittere culpam venialem*. Hic sensus & consensus est omnium Sanctorum.

Nierenb. ascetica. pag. 167.

Quæ gravitas minimæ noxæ, tam atrocibus pœnis in purgatorio luenda, cùm Religioso perspecta sit, satagit omni medio & remedio, ut quàm citissimè expietur, quod etiam fit per aquam benedictam, quoties templum consecratum ingreditur, ut docet, sanctus Thomas, venialia remitti, ac potissimum per Indulgentias, quæ frequentes sunt.

S Thom. part. 3. q. 87. art. 3. ad 3.

6. Irroratur frequentius.

Sextò IRRORATUR FREQUENTIUS; rore nimirum divinarum illustrationum, inspirationum, & consolationum, tum assiduo irriguo cælestis gratiæ; quam ob rem inquit Platus, jurè & verè Religiosam animam dicemus lignum illud, quod plantatum est secus decursus aquarum, id est, gratiæ hujus tam multiplicis ac multiformis, quæ tantâ copiâ decurrit, ut fluminis instar (est enim fluvius aquæ vivæ, qui procedit de sede Dei & Agni) numquam cesset; sed ut unda undam, sic gratia gratiam subsequatur, nec solum irroret, aspergat, sed & animam inundet: ex quo illud consequitur, ut det fructus uberrimos in tempore suo, nullumque ejus folium defluat, & omnia quæcumque facit, prosperentur.

Platus lib 1. cap. 22.

Apoc. ultimo.

Suavissimus hic ros cælestis gratiæ, & consolationis, potissimum depluit orationis tempore quo ut dilectus loquitur, ita divina dulcedine liquescit anima, ut qui de se loqui poterat, Bernardus dicat: *quæ animala semel à Domino didicit, & accepit intrare ad seipsam & in intimis suis Dei præsentiam suspirare, & quærere faciem ejus semper; talis inquam anima nescio an ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius pænalius ve ducat, quàm hâc gustata dulcedine privari*.

Bern. ser. 35. in [illegible] rica.

Ad has delicias, accedunt liquidissimæ devotionis lacrymæ, quibus dulciter irroratur; *si tamen*, ut idem Doctor mellifluus loquitur, istæ dicendæ sunt lacrymæ, & non potius RORIS INTERIORIS *desuper infusi superefluens abundantia*; quod quanta cum delectatione fieri consuevit, quamque suaviter hic ros cudat, Augustinus expressit, dum ait: *dulciores sunt lachryma orantium, quàm gaudia theatrum*, quàm omnis in spectaculis plausus & risus, qui sæpè in steriles & amaras lacrymas desinit.

Bern. de scala claustral.

Aug. in psal. 127.

Insuper *irroratur frequentius*, dum *fluit ut ros eloquium* Dei, & per ferventes divini verbi præcones, toties in animum illabitur, &c.

Deut 32.

Septimò, QUIESCIT SECURIUS. Animam nusquam in mundo quietem reperire columba illa jam olim in universi diluvio, adumbrasse videtur, quæ usquequaque pervagata: *cum non invenisset* UBI REQUIESCERET *pes eius*, ad arcam se recepit; quam arcam spiritualis vitæ Magistri non aliam, quàm Religionem esse volunt, ubi anima per hos mundi fluctus, diu vagata, diu jactata & lassata, tandem securissimè requiescit. Divinè sanctus Eucherius, Lugdunensis Antistes, scriptor si quis, inter Patres floridus, in parænesi ad Valerianum, quem ex turbine sæculi, ad stationem fidam & quietam invitat, argumento inter reliqua allato, hoc utitur: *circumfer oculos, & de pelago negotiorum tuorum, velut in quemdam professionis nostra portum prospice, proramque converte. Unus hic prorsus est, in quem nos ab omni fluctuantis sæculi jactatione referamus: quem inter irruentes mundi turbines sessi petamus. Hic cunctis confugiendum est, qui frementis sæculi tempestate vexantur. Hic statio fidissima*, ET QUIES CERTA, quam nec voluptuosus in deliciis, nec avarus in divitiis, nec ambitiosus in honoribus reperiet: nec quis mortalium in vasto & turbido mundi salo inveniet, *ubi requiescat pes ejus*. Bernardum audire è Clara Valle sua clamantem: *O injusta semper ambitio! O insatiabilis avaritia! cùm primum honoris gradum merueris, verbi gratia, cùm factus fueris Decanus, Præpositus, Archidiaconus*; NON IDEO CORDA QUIESCENT, *duplici semper æstuant desiderio; quo utique magis ac magis dilatentur in plura, & ad celsiora sublimentur*.

7. Quiescit securius.

Gen. 8 9

S. Eucherius parænesi ad Valerianum.

Bern. epist. 42. ad Henric. Senon.

Cùm tu ad subsellia Magistratus evectus, *non ideo corda quiescunt*. Cùm in curiam senatoriam adlectus: *non ideò corda quiescunt*. Cùm tu summus Prætor, Præses, Præsul effectus: *non ideo corda quiescunt* Miseram prorsus istiusmodi hominum conditionem miseratur Augustinus, qui omni vita per summos labores, dolores, pericula, vulnera, & mortem, paucos dies quietis quærunt, quam è mille vix unus assequitur: *Veterani homines*, inquit, *qui in militia laborant, & versantur inter vulnera, tot annos incipiunt militare à juventute, exeunt senes* UT HABEANT PAUCOS DIES QUIETIS *senectutis suæ, quando eos jam ipsa ætas incipit gravare. Quam dura to-*

Aug. in psal. [illegible]

ra tolerant? Quæ itinera? Quæ frigora? Quos soles? Quas necessitates? Quæ vulnera, quæ pericula? Et non attendunt patientes hæc omnia. NISI PAUCOS DIES QUIETIS, *ad quos utrum pervenient, nesciunt.*

Experientiâ & ipse propriâ edoctus, palam fatetur, in rebus omnibus creatis, se frustra requiem quæsivisse: *fecisti nos ad te, & INQUIETUM EST COR NOSTRUM, donec REQUIESCAT in te.* Hujus sententiæ testis & arbiter miles ille apud Plutarchum, qui cùm per omnes militiæ gradus, ad Imperatoris solium conscendisset, nec in eo etiam conquiesceret, illud veritati testimonium dedit: *omnes omnium dignitatum gradus percurri*, ET IN NULLO QUIETEM INVENI.

Aug. lib. 1. conf. cap. 1

Sed numquid in divitiis, in amplis fortunis quies reperitur? Has ut acquirat avarus, numquam quiescit:

Horat.

Per mare per terras, currit mercator ad Indos.

Horat. lib. 1. ep. 18.

Sed numquid iis jam partis, & coegestis, *undique saxis indormit* placidè, ac in utrumque oculum & aurem quiescit? Compello vos, quem quamtumvis opulentum, aliquando exclamare audistis: *Ohe jam satis est*, satis mercium, satis suppellectilis, satis fundi, satis jugerum, satis auri & argenti, satis eymeliorum.

Horat. epod. 15.

Sit pecore, & multa dives tellure licebit.

Abundent horrea frumento, torcularia vino redundent, auro & argento arcæ oppletæ sint; *non ideò* avarorum *corda quiescunt*; plura congerere, censûs augere, fundos extendere, opes cumulare, noctes & dies satagunt: & ut ignis numquam quiescit, ita nec habendi vorago, ut rectè Basilius: *Avaritia malum stare nescit, sed igni naturâ simile est: ignis enim postquam incendium attigit, omnem properat absumere materiam, nec prius desistere poterit, quàm materia defecerit. Avarum autem quid retinere poterit? Igne vehementior est, non ob ea quæ possidet lætatur; sed cupiditate plura consequendi, se cruciat*, tantum abest ut quiescat.

Basilius hom. 1. in prov. 30

Denique, nec in carnis voluptatibus, Salomon, quibus totus immersus fuit, nec prodigus ille vivens luxuriosè, requiem invenit, nisi reversus ad patrem.

Ad veram & sinceram quietem benignissimus Redemptor te invitavit, invitat & vos Auditores, dicens: *Tollite jugum meum super vos, &* INVENIETIS REQUIEM *animabus vestris*; hanc requiem Religiosus, qui jugum Domini suscepit, in Religione tovenit, de qua vaticinatus fuisse videtur sacer Propheta nomine cujusque, dum sæculo fluctuanti ereptus, ad portum Religionis appellit: HÆC REQUIES MEA IN SÆCULUM SÆCULI; *hic habitabo, quoniam elegi eam*; quæ verba Thomas Aquinas usurpavit, dum parentes, propinquos, amplissimas dignitates & titulos fugiens, Fossænovæ ad Monasteriû Patrum Prædicatorum se recepit. Verissimè Thomas à Kempis: *In omnibus* REQUIEM *quæsivi, & nusquam inveni nisi in angello cum libello.* Pluribus hæc, qui volet, prosequi

Matth. 11.

Psal. 131. v. 15.

Henschen in vita. 7. Mart. Thom à Kemp.

poterit, sufficit mihi illud Bernardi, quo Religiosum florido quasi in lectolo quiescere asserit, dum illud Canticorum exponens: *Lectulus noster floridus*, sic ait: *In Ecclesia*, LECTUM IN QUO QUIESCITUR, CLAUSTRA EXISTIMO *esse, & Monasteria, in quibus* QUIETE *vivitur à curis sæculi, & solicitudinibus vita.*

Cant. 1.

Hæc autem quies maximè felix & beata, complebitur in placidissima morte.

Octavò, MORITUR CONFIDENTIUS, moritur securius, moritur hilarius, ut etiam in morte exultet, rideat, & cantet. Maxima, quæ hactenus enarravi, hominis Religiosi beneficia sunt, & planè singularia; tamen quid prodessent omnia, si anima, navis instar onerariæ, virtutum, ac meritorum mercibus referta, in ipsis portus faucibus naufragium pateretur. Quare, quo illa certa & perpetua essent, hoc etiam à Domino, præter cætera, Religiosis adjungi oportuit, ut eorum mors singularibus præsidiis atque adjumentis muniretur; quod quidem inter summa eorum bona meritò numerari debet.

8. Moritur confidentius.

Vulgatum illud & omnium ore celebratum Aristotelis pronuntiatum: *terribilium omnium terribilissima mors*, idque potissimum ob tria, hominì maximè formidanda. Primò, quia separat à divitiis, deliciis, ab amicis, propinquis, à charis omnibus, & animam à corpore.

Aristot. eth. 3. Mors omnium terribilissima ob tria 1. Quia separat ab omnibus charis.

Sanctus Augustinus soletter observat, vocabulum illud *mors*, suum ethymonâ morsu derivare: à primo etenim protoparentis nostri morsu, mors in orbem intravit, *ac propterea*, inquit, MORS À MORSU *nomen accepit.* Si quis porrò morsum è pumo dentibus divellit, frustum aufert, alterum, quod relinquitur, ilicò corrûpitur, ac putrescit; haud aliter mors animam, potiorem partem aufert, corpore mox tabescente relicto. Sed Eheu! hic morsus amarissimus, quo arctissimum corporis & animæ vinculum adeò violentè dirumpitur, ut Rea ille Agag, inter extremam hanc luctam vociferari auditus sit: *Siccine separat amara mors.* Grave quidem mercatori in mari accidit, imminente naufragio, pretiosissimas merces, laoam, linum, sericum, in oceanum devolvere, omnium opum jacturam facere: *sic*, & multò acerbius *separat amara mors*, à divitiis, prædiis, gazis, aliisque mundi facultatibus; his tamen omnibus acerbius (ut Tertullianus loquitur) *vita naufragium* est. Luctuosum meritò censeri potest, dum amicus ab amico, frater à fratre, filius à patre, in ultimam Thulem, numquam rediturus divellitur; *sic* divellit, *sic separat amara mors.*

Aug. serm. 105 de temp.

1. Reg. 15. 31.

Conjux conjugi tam arcto vinculo colligatur, ut nec paupertas, nec persecutio, nec calamitas, aut ulla morbi acerbitas valeat dirumpere, nisi sola mors. Ruth. c. 1. *sola mors me, & te separabit*; quæ separatio, quàm amara sit, testatur extrema lucta, testantur lacrymæ, comploratio, & non semel desperatio.

Videtis, ut opinor, quo sensu, homines mundani, sensuales & carnales à charis suis avellantur, ut dum vel mortis recordantur, omnibus ossibus contremiscant; de quibus verè Ecclesi. c. 14. *O mors, quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantia sua*, in concupiscentia sua;

simi-

si memoria mortis tam terrifica & amara sit, quid ipsa per se terroris & amaritudinis illis allatura non est?

Quò dens aliquis insolatis, vivæ carni tenacius inhæret, hoc difficilius & acerbiori cruciatu evellitur; atqui jam per mortificationis novaculam solutus, vix emortuæ carni adhæret, sine dolore extrahitur; sic Religioso evenire solet: nam separatio animæ à misero hoc corporis ergastulo, illi in voto est, ut illud Pauli sæpè ingeminat: *cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Aut illud: *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Sic S. Catharina Genuensis, morti velut amasiæ, ac unicæ dilectæ suæ blandiebatur: illam ad se amantissimis verbis & gestibus invitabat: ô blanda, ô pretiosa & speciosa mors! ô amica mea, formosa mea, veni citò, accelera: confige saluberrimo ac pulcherrimo tuo telo cor meũ, quo illud mihi beneficii præstiteris, quod nullus mortalium, ut spiritus solutus in complexum dilecti sui ocius evolet, & in æternum amet.

Cetera quæ homini chara, uxorem, parentes, propinquos, divitias, honores, Religiosus jam pridem sæculo mortuus, omnia amore Christi, cui cõfixus est, repudiavit. Unde Chrysostomus: *Ægrotanti non uxor adstat crinibus solutis, nec pueruli imminentem flentes orbitatem: non famuli expirantem importunis precibus pulsantes, ut se cuipiam commendatos relinquat. Sed his impedimentis omnibus solutus animus, id unum tantummodo cogitat, quomodo cum majore gratia, extremum Deo spiritum reddat.*

Chrysost. hom. 14. in 1. ad Timoth.

2 Mors terribilis ob conscientiæ angores & dæmonis infestationes.

Alterum, quod plerisque mortem maximè formidabilem reddere consuevit, est de anteactis flagitiis, conscientiæ remorsus & carnificina atque teterrimus qui ea objicit, dæmonis in eo vitæ articulo conspectus.

Has tartarei hostis insidias, insultus, machinationes, vires omnes expressit Divus Gregorius, qui eum propè in modum, quo civitas ab hoste cingitur, impetitur, concutitur, invaditur; animam undique ab hoste maligno infestari, affirmavit. Hic in illud Lucæ 19. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te undique*; de moribundo sic exponit: *qui*, inquit, *sunt humanæ animæ majores inimici, quàm maligni spiritus? qui hanc à corpore exeuntem obsident vallo, quam circumdant: quia ante mentis oculos, reductis iniquitatibus, quas perpetravit, hanc ad societatem suæ damnationis trahentes, coarctant, ut in ipsa jam extremitate vitæ deprehensa, evadendi aditum invenire non possit.*

Greg. hom. 19. in Evang.

His omnibus conscientiæ mordentis & lancinantis angustiis Religiosus liber est, qui sic vivit, quasi indies moriturus, ut de eo dici possit, quod Hieronymus de Paula Romana: *quæ cùm semper pararetur, mors illam* non *potuit invenire imparatam*: ut exclamare jure meritò liceat cum sancto Bernardo: *O vita secura, ubi pura conscientia! O inquam, vita secura, ubi absque formidine mors expectatur, immò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum devotione.*

Bern. ad milites templi, c. 1.

Hâc purâ Religiosus securus conscientiâ, verè *moritur confidentius*, mortem non solum exoptans, sed & ipsi etiam cacodæmoni ut mox dicemus, insultans, ob melioris vitæ securitatem; sic etenim Abbas Claravallensis epist. 105. ad Romanum: *Volo te mortem etsi non effugere, certè vel non timere. Iustus quippe mortem etsi non caret, tamen non pavet. Denique* SI MORTE PRÆOCCUPATUS FUERIT, IN REFRIGERIO ERIT. *Moritur quidem & justus, sed securè*: quippe *cujus mors ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona proinde mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem.*

Bern. ep. 105. ad Roman. *Sap. 4.*

Quæ omnia homini sæculari, terrenis, & carni ac sanguini immerso cùm desint, mors ejus amarissima, & pessima est: sic enim subdit: *Econtra*, MORS PECCATORUM PESSIMA. *Et audi unde pessima. Mala siquidem est in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis, ignisque duplici contritione.*

Psal. 33. *Ibid.*

Quibus efficacissimis motivis, sic illum ad sæculum deserendum adhortatur: *eja ergò festina, exi, recede: moriatur anima tua morte justorum, quò fiant & novissima tua horum similia.* O quàm PRETIOSA IN CONSPECTU DOMINI, MORS SANCTORUM EJUS! *Fuge, quæso, in via peccatorum non steteris.* QUOMODO VIVERE POTES, UBI MORI NON AUDES?

Psal. 115.

Hac fretus, *moritur confidentius*, quia ipsi dæmoni securus insultat, cum Turonensi Antistite Martino: *quid hic adstas cruenta bestia, nihil in me funesti reperies.*

In vita.

Accedit quoque, contra diaboli terriculamenta, & machinamenta, circumfusa, muri instar fortissimi, Fratrum corona, qui suis precibus, auxiliis, salutaribus monitis, omnes inimici impetus infringunt, & facessere jubent. Docet hoc Gregorius exemplo Theodorici adolescentis, qui cum in ejus cœnobio, puerili quadã licentia vixisset, jamque ad extrema venisset, multique monachi adstarent, precibus pro eo fundendis intenti, despetabundus clamare cœpit, ut recederent, quoniã Draconi traditus esset ad devorandũ, quod propter eorũ præsentiam facere prohiberetur. Illis igitur humi stratis, & ferventius orantibus, paulò post, idem æger jam quietus & hilaris, affirmavit dæmonem aufugisse, victumque ac pulsum eorum precibus cessisse.

S. Greg. lib. 4. dial. cap. 37. & 38. in Evang.

Affine huic est, quod traditur de Cunone Malburgensis oppidi Domino, qui cum quadraginta annis in sæculo sæcularibus planè moribus vixisset, Religiosam deinde disciplinam secutus, triennio post piè defunctus est. Quo tempore narravit dæmon, qui energumenũ obsidebat, se & alios ex suis ad quinque millia, in morientis cellam convenisse; sed tantum abfuisse, ut ei nocuerint, ut ne propius quidem accedere potuerint, repulsi, ut ajebat, clamoribus validis, quos tonsurati illi (sic Dei famulos ludibrio compellabat) lectulo assistentes fundebãt.

Platus l. 1. cap. 5.

Adjecit etiam magnam querelam, insignem sibi à Deo injuriam factam, quod cum Cuno ille annis quadraginta ipsis dæmonibus; Deo autem tribus dumtaxat servivisset, hanc tamen prædam suis unguibus, & inferni faucibus ereptam, in cælum evolasse.

Tertium, quod mortem terribilem reddit, est districtum illud Judicis tribunal, & decretoria æternitatis sentẽtia: *Quod* tribunal severissimi

3 Mors terribilis ob Iu[dicium]

simi

tribunal, æterni- tatis sen- tentiam.

mi Judicis, ut ait Gregorius 24. mor. cap. 4. *quantò magis jam, jamque quasi tangitur, tantò vehementiùs formidatur.*

Bern. in psal. Qui habitat, serm. 8.

Ab hoc timore nocturne, non est quòd sibi metuant Religiosi, qui & ipsi Judices futuri sunt, ut fortiter & suaviter Doctor mellifluus probat, ad illa verba: *Sedebitis & vos judicantes duodecim Tribus Israel*, ubi ait: *O familiaritatis gratiam! O honoris culmen! O fiduciæ privilegium! O prærogativam securitatis perfectæ! Quid enim eam pavendum, quid tam plenum anxietatis, & vehementissimæ solicitudinis excogitari potest, quàm judicandum adstare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare sub tam districto Iudice sententiam?* Tum subdit, quanta inter reprobos judicandos, & inter probos Religiosos judicaturus, futura sit differentia: *Sanè, inquit, ut quorumdam peccata, sic & quorumdam studia bona manifesta sunt præcedentia ad judicium; ut illi quidem expectantes sententiam, proprio statim pondere criminum in tartara dejiciantur, illi verò è regione* PARATAS SIBI SEDES *tota libertate spiritus sine ulla cunctatione conscendant.* Quæ pluribus Pater Platus prosequitur.

Ibid.

Platus lib. 2. cap. 17.

Audistis, quàm terribile districti Judicis tribunal, & ante illud palpitantes divus Bernardus describat; non sic, non sic viro Religioso apparet, qui lætus & gaudens ad illud properat. Testem habeo Chrysostomum, qui ait: *Religionem hoc habere, ut qui eam secuti sint, primùm in hac vita bonis multis repleat; deinde post vitæ exitum,* HILARES, ET LUDIBUNDOS AD DEI TRIBUNAL PERDUCAT.

Chrysost. hom. de comparat. Regis & Monachi.

Causam scire vultis? quia beatæ suæ prædestinationis signa, Religiosus habet certissima: ipse enim ex ovibus est, qui audit vocem Pastoris. Ipse est, qui consilium illud Christi secutus: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Matth. 19. v. 29.

Ipse angustam portam, & arctam viam ingressus est, quæ ducit ad vitam. Quæ omnia cùm primæ & infallibilis Veritatis sint, rectè infert B. Laurentius Justinianus: *Securè speret, post hanc peregrinationem, ad illam supernam intrare Hierusalem, quicumque in justorum congregationē fuerit vocatus. Magnum quippe electionis indicium est, hujus fraternitatis habere consortium, faciléque ab illa excluditur, qui ab hoc fuerit segregatus.*

B. Laur. Iustinian. de perf. Mon. con. cap. 7.

Pulcherrima, & solatii uberrima, illa divi Bernardi sententia est: *Spiritui à corpore exeunti, à cella in cælum non longa, nec difficilis via invenitur: moriens enim aut vix, aut nunquam aliquis* (nisi qui non perseveravit) *à cella in infernum descendit: quia vix unquam aliquis,* NISI CÆLO PRÆDESTINATUS, *in ea usque ad mortem persistit.*

Bern. de vita solit. ad frat. de monte Dei.

Atque hinc illa Religiosi de certa spe prædestinationis suæ, in morte gestientis, ridentis, exultantis & cantantis gaudia.

Sic ridentem divus Hieronymus Nepotianum describit: *Cùm febribus æstuaret, & venarum fontes hauriret calor: lasso anhelitu, tristem avunculum* (Heliodorum) *consolabatur, & universis circa plorantibus,* SOLUS IPSE RIDEBAT. *Projicere pallium, extendere manus, videre, quæ alii non videbant, & quasi in occursum se erigens, salutare venientes. Intelligeres illum non emori, sed emigrare & mutare amicos, non relinquere.*

Hieron. epist. 3 ad Heliodorū

Religiosi in morte gaudium & risus.

O quanti homo mundanus tam securam, tam lætam ac beatam mortem emeret! Quot jejuniis, vigiliis, eleemosynis, eam tunc sibi comparasse exoptaret; sed tunc *non est gaudere impiis*, quorum mors pessima & acerbissima.

Soli Religiosæ ac sanctæ animæ, quod rarissimè alteri accidit, contingit illud Sapientis: RIDEBIT *in die novissimo*; id est, inquit Hugo Cardinalis: *Gaudebit ad plenum in retributione regni cælestis, quæ doluit in certamine vitæ præsentis.* *Prov. 31. v. 25.*

Doctissimus Salazar noster exponit, causam illi gaudendi & ridendi: quia opes tantas sibi comparavit, meritisque etiam virtutum locuples, mortem lætam expectabit; imò venienti obviam facta, illam ingenti gaudio cóplectetur. Unde inquit, cùm ex virtute & probitate vestem sibi perelegantem contexuerit, *non quidem ut alii atram mœroris atque tristitiæ*; sed versicolorem omnium virtutum, *mortem expectat, & cum risu & gaudio suscipit.*

Hugo Car. hic. Salazar & Cornel. hic.

Nemo hîc vestem atram mœroris, aut pullam tristitiæ induit: non uxor crines vellicans, non parvuli flentes, & ejulantes adstant, nullus propinquorum aut amicorum ploratus auditur. Adsunt omnia signa lætitiæ, quia *melior est dies mortis, die nativitatis.* *Eccles. 7.*

Hujus aliquod schema ter mirum, inauditum, & narratu jucundum, mihi dedisse videtur Ludovicus Cortusius, Jureconsultus Patavinus. Hic testamento suis omnibus interdixit lamétationes omnes & lacrymas, voluitque adesse ad funus aulœdus, cytharædus, & omnis generis musicus, qui unà cum candidato Clero, funeris pompam partim præirent (numero quinquaginta) partim sequerentur: singulis dimidium aureum dari præcepit. At feretrum portari jussit à duodecim innuptis puellis, quæ prasinâ, aut viridi veste induræ, altâ voce cátarét, quidquid lætitia suggeret. Harum virginum singulis certa pecunia, dotis loco destinata. Ita sepultus est Patavii in templo sanctæ Sophiæ; cétum funalibus dum efferretur, stipatus, præeũte omni Clero, & totius urbis Monachis, iis tãtum exclusis, qui nigri habitus essent: hos enim testamento à suo funere amovit, ne hilaritatem publicã atris cucullis funestarent. Atq; hac ratione exequiæ in nuptias migrarunt. Obiit hic homo nuptialis anno Chri. 1418. 17. Julii.

Drexilii prodromus cap. 1. §. 15

Quia morte nil tristitiæ, sed omnia signa lætitiæ adhiberi voluit.

Præclarè dixit Bernardus: *Illi mortuos suos lugeant, qui resurrectionem negant: illi sunt plorandi, qui post mortem à dæmonibus sepeliuntur in inferno; non illi, qui ab Angelis collocantur in cælo.* Priores, Sirenum more, in morte lamentantur & cruciantur; alii veluti cygni exultant, & cantant.

Bern. de modo benè vivendi, serm. 70

Quare parum est, Religiosum in morte ridere, juvat etiam canentes audire.

Qui in morte canere auditi.

S. Petrus de Alcantara hoc suavissimum Davidis canticum modulatus, expiravit: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* *Psal. 121.*

Sanctus Edmundus os lateris Crucifixi apprimens, hoc ultimum canere auditus est: *Amodò haurietis aquas de fontibus Salvatoris.* *Isa. 12.*

Gerardus, & genere & Religione Bernardi frater, in illud Davidicum erupit: LAUDATE DO-

DE COMMVNI VIRGINUM.

HORTUS CONCLUSUS *soror mea sponsa*, HORTUS CONCLUSUS. Cant. 4. v. 12.



Custodit & arcet. Ovid. XI. Metam.

ARGUMENTUM.

SUmma gloria fœminarum, pudicitia est, quæ non solùm sacris litteris, sanctorum Patrum testimoniis, sed & Gentilium etiam exemplis comprobatur. Huic servandæ, maxima custodia & cautela adhibenda est, quæ primò vel ipsis conjugatis necessaria; major verò puellabus, ne longiùs & solæ cum *Dina* evagentur: quarum cura potissimùm matribusfamilias incumbit.

Sed potissimùm mihi sermo est ad sponsas Christi, quæ virginitatem suam illi perpetuam dicarunt: seque, ne cum fatuis virginibus in publicum prodire præsumant, vivas religioso claustro manciparunt; quod divus Bernardus *Paradiso*, Psaltes Regius *Insulis* comparandum duxit, cùm dixit: *Lætentur Insulæ multæ*; quæ quidem hæreticorum & malevolorum sannis ac calumniis, velut fluctibus impetuntur, & ut carceres depinguntur; at illæ Insulæ Fortunatæ, à continenti, & omni strepitu sæculi semotæ, ubertate frugum, saccharo ac vino cælesti abundant, & lætantur. Felices, si omnes sua bona norint claustralis vitæ, ubi *intrinsecùs ludunt cum sponso*, nec ullum alium amatorem admittunt. *Zelotypus* est enim sponsus, qui omnes jactus oculorum, nutus & nictus, verba & gestus observat; atque ut in zelotypia fieri assolet, minima maximè punit.

Psal. 96.

Hieron. epist. ad Eustoch.

§. I. HORTUS CONCLUSUS *soror mea sponsa*, HORTUS CONCLUSUS. Cant. 4.

§. II. ZELOTYPUS EST JESUS, *non vult ab aliis videri faciem tuam.* Hieron. epist. ad Eustoch.

DE COMMVNI VIRGINVM.

Hortus conclusus *soror mea sponsa*, hortus conclusus. Cant. 4. v. 12.

De clausura fœminarum



Os, decus, gloria fœminarum, pudicitia est, quæ quò pulchrior, quo præstantior, hoc majori curâ, & cautela custodienda.

Plin. lib. 9 cap. 35.

Pretiosissima margarita est, cujus *dos omnis*, ut ait Plinius, *in candore est*; quæ ut planè illibata servetur, arctis illam natura conchilibus inclusit. Hanc sedulam mulieris custodiam, rerum omnium opifex Deus, manifestò declarasse videtur, dum primum hominem condidit extra paradisum; mulierem verò in paradiso, ut divus Ambrosius ex eo colligit, quòd creatum hominem, tulerit Deus, & posuerit in loco voluptatis, & ex illius costa ibi dormientis, mulierem fabricarit; quasi hæc fuerit paradisi incola, ille accola: *Adverte*, inquit, *quòd extra paradisum vir factus est, & mulier in paradiso.* Cur autem non potiùs vice versâ, cùm homini, qui nobilior erat, nobilior patria deberi videatur? nisi ut aptum cuique suum locum attribueret; viro quidem publicum, fœminæ secretum: nam vir potest ad publica prodire negotia; fœmina secretis debet penetralibus recondi.

Gen. 2. v. 21.

Amb. lib. de parad. cap. 4.

Hinc arcano mysterio non caret, diversis planè vocabulis, viri, & mulieris fabricam, in sacris litteris explicari: nam primus homo dicitur formari: FORMAVIT, inquit, *hominem de limo terræ*; mulier autem dicitur ædificari: ÆDIFICAVIT, inquit, *costam in mulierem.* Cur, quæso, in mulieris fabrica, potius ædificandi verbo utitur, quàm formandi? Planè ut significet, mulierem à primo suo ortu, ædis suæ amantem esse debere; ita disertè Mediolanensis Antistes: *Benè*, inquit, ÆDIFICAVIT *dixit, ubi de mulieris creatione loquebatur. Sicut enim vir publicis officiis; ita mulier domesticis ministeriis habilior æstimatur*; ut inde noscat, sibi coætaneam esse domum, secum velut erectam, ut eam incolat, amet, & excolat.

Gen. 2. v. 7. v. 22.

Ambr. lib. de parad. sive cap. 11.

Conceptus obscurus multis videbitur, qui rem nostram maximè illustrat, viros per diem in luce ambulare, fœminas, quasi nocte absconditas, mortalium oculis non patere.

Narrans Moyses ingentem eluvionis stragem, diesque enumerans illius perennis pluviæ, dixit: *Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus, &* QUADRAGINTA NOCTIBUS. Superfluum censeri posset, etiam noctes numerans, cùm dies viginti quatuor horas communi acceptione includat, quo spatio dies, noxque peragi solet, prout sanctus Basilius observat: hanc utique consuetudinem, inquit, invenire posses in tota Scriptura observatam; nimirum in metiendo tempore, dies solere enumerari, non item cum diebus noctes: *Dies annorum nostrorum*, inquit David, & Jacob: *Dies vitæ meæ parvi & mali.* Rursus: *Omnes dies vitæ meæ.* Cur ergò Moyses specialim meminit noctium? Sanè propter inclusum in hoc cortice nucleum. Etenim hoc loci, juxta nonnullos Interpretes, ac præsertim sanctum Ambrosium: dies viros denotant, fœminas noctes. Ut ergò indicet sacer Historicus, misera illa clade, tam viros, quàm mulieres interiisse, diés memorat, noctium non oblitus. Ita sibimet objicienti respondet Ambrosius: *Illud quoque curæ fuit non prætermittere, eo quòd diluvium factum dixerit quadraginta diebus, & addiderit* QUADRAGINTA NOCTIBUS, *solemus enim plerumque à nobis ita diem significare, ut noctem complectamur: significantes enim mensem triginta dierum, significamus & noctes. Unde cum satis fuisset Moysi dixisse, diluvium fuisse quadraginta diebus, cur addiderit* QUADRAGINTA NOCTIBUS, *quæritur; & aliqui ita acceperunt, qui ante nos fuerunt, ut & virorum & mulierum factus interitus demonstraretur*: DIEM AD VIRUM REFERENTES, NOCTEM AD MULIEREM; QUIA ERAT ILLE CLARIOR PUBLICO, ISTA OBSCURIOR, TANQUAM DOMESTICIS CLAUSA PARIETIBUS, ET NOCTI PROXIMA.

Gen. 7. v. 12.

Basil hom. 2. in Hexam post medium.

Cur [illegible] dies, [illegible] lier ac [illegible] comparetur.

Ambr. lib. de Noe & arca, c. 13.

Quid ad latebras fœminarum dici potest illustrius?

Voluit olim Deus, ut Hebræi totam Ægyptum suis opibus spoliarent; hisce autem præsidiis, ut rem aggrederentur, uti imperavit: *Postulet*, inquit, *vir ab amico*, ET MULIER A VICINA SUA, *vasa argentea & aurea.* Ubi sic onera decrevit, ut vir non nisi à viris, fœmina non nisi à fœminis postularet. Nec immeritò, ut modestiæ consuleretur. Deinde sic statuit, ut vir amicum suum sive propè, sive procul moraretur, conveniret: neque enim est à viris alienum liberiùs excurrere, & longiùs evagari; at verò fœmina, ad vicinam tantùm suam se conferret, remotiores ædes non adiret: nihil enim fœminis esse poterat tam indecorum, quàm procul à domo, aut certè à vicinia circumferri.

Exodi 11. v. 2.

Adhuc res magis exprimitur Exodi 3. v. 22. *Postulabit*, inquit Deus, *ab hospita sua*, seu, ut habent Septuaginta, *à contubernali sua*, seu *cohabitatrice sua*, sic ut in eadem domo, plures familiæ cohabitarent, unde de domo in domum

non

exite, sed de inferiori parte ad superiorem tantùm conscendere opus erat. Pressiùs rem urget Augustinus, ex Græcis & Latinis codicibus legens, *à cancellaria tua*; ita ut, si in eodem cubili seu cella, suis distincta angulis, duæ mulieres habitarent, non liceret de cella in cellam egredi. Ex quibus patet, quàm angusti exeundi limites fœminis præscribantur, adeò ut apud quasdam nationes fœminis tertiò dumtaxat in vita exire concessum sit: primò ad Baptismum. Secundò ad matrimonium. Tertiò ad sepulchrum.

August. in locutionib. & quæst. 39 in Exod.

Fœminis tertiò in vita tantùm exeundum.

Mirari non nemo jure posset, tam paucos, mulierem illam fortem, quam Salomon adeò deprædicavit, sui laudatores & encomiastes nactam fuisse; quæ tamen, ut Nazianzenus ait, *rei familiaris augendæ laude & pietatis gloria excelluit*; interim non nisi domesticis parietibus laus ejus conclusa fuit: *Surrexerunt filii, & beatissimam prædicaverunt: vir ejus, & laudavit eam.* Qui fit ergò, hanc adeò celebrem matronam, numerosiorem non habuisse copiam Oratorum? cùm excellens ejus virtus vel omnium hominum linguas animare deberet in laudes, nec adhuc satis foret ad meritum, ut ait Damascenus: nec si omnes toto orbe dispersæ linguæ in unum coeant, ejus encomia dignè deprædicare possent?

Nazianz. orat. de patris funere.

Prov. 31. v. 28.

Damasc. orat. 2. de nativ.

Quid, quòd domesticos laudatores, ob affectum, meritò quis suspectos habuerit. Nihilominùs hæc summa ejus laus, quòd virtus non nisi domesticis nota fuerit. Doctè id observat Jansenius Gandensis: *Subjicit jam, quomodo matrona laudetur à filiis suis, ac marito.* His autem potiùs, quàm alienis laudem tribuit matronæ, QUOD PUDICA MULIER, QUÆ REM DOMESTICAM TRACTAT, NON PUBLICAM, *suis potissimùm innotuit, non alienis*; ut quæ non pateat alienis, nec extra septa domus suæ prodeat.

Maxima laus mulieris fortis, quòd virtus ejus tantùm domesticis innotuerit.

Jansen. in Prov. 31. 28.

Sic Nicetas Scholiastes explicat: *Præclara est earum matronarum laus, quæ hominum cœtus ita fugiunt, ut ne illud quidem mares sciant, an vita hujus luce fruantur.*

Nicetas.

Hanc custodiam mulieris confirmant preces & vota Psaltis Regii, qui inter alia prosperitatis argumenta, quæ timenti Deum eventura vaticinatur, illud non mediocre adducit, quòd uxor ejus sit quasi opima vitis: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Quid uxori consonum cum vite? Notandum, hîc non agi de vite silvestri, quæ per apertos campos luxurians, & humi serpens, pro uvis fert labruscas; sed de domestica, culta, & frugifera, quæ in penetralibus seu *lateribus domus*, parieti, velut claviculis quibusdam affixa. Huic rectè Psalmista uxorem comparat, & recessus amantem, fructibus abundantem pronuntiat. Aptè hoc Cardinalis Cajetanus observavit: UXOR TUA SICUT VITIS FRUCTIFERA IN LATERIBUS DOMUS TUÆ. *Duplex laudabilis conditio uxoris describitur; scilicet fœcunditas, sicut vitis fructifera, & modestia: in lateribus domus tuæ. Uxoris enim est, non in atrio, non in porta, non in media domo (in qua sunt viri) sed in lateribus, seu angulis, seu penetralibus domus esse.* Hæc ille.

Uxor cur viti comparetur.

Psal. 127. v. 3.

Cajetan. hic.

Hæc penetralia, hoc secretum, hanc solitudinem ædificavit sibi Judith, in urbe populosissima, in familia amplissima: *Judith autem in superioribus domus suæ, fecit sibi* SECRETUM CUBICULUM, *in quo cum puellis suis* CLAUSA *morabatur, &c. Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat divitias multas, & familiam copiosam, & possessiones armentis boum, & gregibus ovium plenas.* Atque inter has omnes temporalium curas, & turbas sæculi, intra domesticos parietes, claustri, & cellæ instar, sibi solitudinem ædificat in urbe. Unde sanctus Petrus Damianus, de hac matrona loquens: *De domo communi*, RECLUSORIUM FECERAT, *& in populosa urbe, amor artifex solitudinem reperit.*

Judith c. 8 v. 4.

Damian. lib. 8 epist 14

At ubi nunc Judithæ, ubi fœminæ fortes in penetralibus domus suæ, ubi, quæ umbram & noctem ament? Non una jam, de qua Salomon: *Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula,* ET VAGA, QUIETIS IMPATIENS, NEC VALENS IN DOMO CONSISTERE PEDIBUS; quid mirum? alas habet nudis suis brachiis & humeris insertas. Unde ubi Vulgatus legit: *Garrula & vaga*, Septuaginta exponunt, VOLATICA, variegatis suis vestium plumis. Imò & Sapiens ait: *Ne respicias mulierem* MULTIVOLAM, quæ de una conversatione in aliam: de unis choreis, in alias transvolat. Hisce nun ausim suadere, ut viri tibias frangant, ne ad nocturna tripudia pruriant; sed mos Chinensium fœminarum placet, quibus persuatum, omnem elegantiam earum consistere, ut exiguos pedes, & quasi in glomum convolutos habeant, ut iis insistere non possint, atque ideò à teneris, ita eos constringunt, ut pedem domo efferre non possint, inquit P. Trigautius, & addit: *Id videtur Sapientis alicujus inventum fuisse, ut eas domi continerent.*

Prov 7. v. 10.

Eccl 9. v. 3.

Trigaut. de exped. apud Sinas lib. 1 c. 7.

Altera lenior, & levior praxis est, ut mariti hujusmodi vagis & volaticis fœminis, pennas detrahant, omnem mundum muliebrem, & ornatum meretricium subducant, ut discat, *quietis impatiens, in domo consistere pedibus.* Suadet id Petrus Damiani Cardinalis: *Pedes illoti,* inquit, *manus neglecta, inculta cæsaries, quasi* QUÆDAM ANCHORA EST, IN CELLA JUGITER PERMANENDI. *E diverso, accurata delicati corporis compositio, fomes est, & occasio in publicum prodeundi*; sicut enim in volatum columbæ, alarum pennis in volatum aguntur; iis autem detractis, aut succisis, domi in columbario manent; haud aliter mulier compta, & pennis deargentatis, aut inauratis variegata, subtractis, ad turnum de more, ad publica spectacula & tripudia non evolabit; unde subdit: *Quæ à fœminis ad luxum comparantur, ab eis tanquam pennæ sunt detrahenda.*

Prov 7.

Pet. Dam. apolog. Eremi, ... lit. cap. 2.

Damian. cit.

Hæc de custodia conjugatarum.

Quanta, & quantò arctior esse debeat virginum puellarum, ex eo constat, quòd virginitas rectè candidissimo lilio comparetur, nimia cautela custodiendum, ne à spinis, quibus mundus plenus est, lanietur; sic enim Hugo Cardinalis: *Lilium inter spinas est virginitas; spinæ sunt*

Custodia puellarum ... culatur.

Hugo Card. in Cant. 2 v. 2

sunt falsi fratres, & perversi proci, qui puellam ad deambulationes, ad convivia, ad tripudia seducunt, ubi oculis, & osculis lascivis, verbis impudicis, gestibus obscœnis, velut tot spinis, hoc lilium cingitur, & à petulantibus procis implicatur. Unde illa divi Bernardi admonitio: *O candens lilium! ô tener, & delicat flos! increduli & subversores sunt tecum*; vide, quomodo cautè ambules inter spinas: *Plenus est mundus spinis: in terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt.* Ex quibus manifestum est, quàm cautè & castè virgini agendum, cùm levissima punctura, renitenti ac pulcherrimo flori inflicta, gravissima: & minima macula candidæ meoti inusta, turpissima censeatur.

Bernard. serm 48. in Cant.

Non minorem cautelam indicat illud Pauli, quòd *thesaurum istum* virginitatis habeant *in vasis fictilibus*, ut quæque illarum dicere queat: *Habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, quibus multò plura, quàm* VITREIS *imminent pericula videantur*; quæ si tangas, frangas; multò magis, si de loco in locum deportentur, in rhedis, & choreis, conentiantur. Quare omni custodia custodiendæ sunt, ut rectè parentes commonet facer Vates: *Filii tui de longè venient,* & FILIÆ TUÆ DE LATERE SURGENT. Oleaster ex Hebræo vertit: *Filiæ tuæ juxta latus nutrientur.* Ut inde colligamus, filios posse longiùs excurrere, & in exteras terras se conferre, ac iterum redire; sed filiæ à latere matris recedere non debeot. Hinc scitè ad mores Oleaster: *Admoneantur hîc matres, ne sinant filias suas à suo latere discedere, ne malum aliquod incurrant.*

1. Cor. 4. v. 7. Bernard. serm 3. Adventus

Isaia 60. v. 4.

Oleaster hic.

Exemplum in ingens habemus Genesi 34. *Egressa est autem* DINA, *filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius; quam cùm vidisset Sichem, filius Hemor, adamavit eam, & rapuit.* Lyranus hîc: *Egressa est autem de domo paterna,* UBI TANQUAM VERECUNDA JUVENCULA DEBERET STARE CLAUSA; hoc enim ipsum nomen *Domicella* indicat, ut habeat cellam domi.

Accedit grave monitum Sapientis: *Filiæ tibi sunt, serva corpus earum*, & animam fervaveris. Hugo: *Serva in castitate, vel in domo, ut passim non vadant ad choreas, & à juvenibus corrumpantur, sicut* DINA.

Eccl. 7.

Hugo Cardin. hic.

Attendite puellæ, expendite domicellæ, quid *Dina* illatum sit injuriæ, quid accesserit infamiæ, quid parentibus doloris ac indignationis: familiæ toti ignominiæ & dedecoris sempiterni: fratribus justæ iræ ac vindictæ.

Feraxnimiùm sæculum nostrum puellarum, quæ *Dinam* sequuntur, quæ furtim, insciâ ac invitâ matre, domo egredi & evagari solitæ. Adducere possem, quæ sub oculis nostris gesta sunt, sed nomini ac familiæ parco, nec publici juris sunt.

Quòd si hæc cautela & custodia fœminis ac domicellis sæcularibus adhibenda sit, quanta, & quàm arcta Sanctimonialibus, Christi Sponsis, quæ illibatam virginitatem Deo voverunt, necessaria sit, ex dicendis patebit.

* *

§. I.

HORTUS CONCLUSUS *soror mea sponsa*, HORTUS CONCLUSUS. Cant. 4. v. 12.

NOn sine mysterio est, quòd quæ in Latinâ editione *Virgines* dicuntur, in Hebræâ, *absconditæ* nominentur; nam Rebecca dicitur puella *decora nimis*, VIRGOQUE, Hebraicè *abscondita*. Exodi 2. v. 8. Suror Moysis *puella dicitur*, id est, virgo. In Hebræo legitur *abscondita*.

De claustura Sanctimonial. Gen. 24. v. 16. Virgo hebraicè abscondita dicitur.

Richardus à sancto Laurentio lib. 5. advertit, quòd *Esther* interpretetur *abscondita*, tum maximè, cùm reclusa in sponsam Regis Assueri parabatur. Hæc figura fuit Virginis *Mariæ*, de qua ubi Isaias ait: *Ecce* VIRGO *concipiet*, Hebræi vertunt: *Ecce absconditæ.* Hinc propriissimè conveniunt hæc cælestis Sponsi blanditiæ: HORTUS CONCLUSUS *soror mea sponsa*, HORTUS CONCLUSUS, tum ob integritatem virginitatis cum maternitate conjunctam, tum ob sui, ab omni congressu, in penetralibus domus custodiam, in qua solitudine cælestis Paranymphus Virginem convenit: *Sola*, inquit Ambrosius, *in penetralibus, quam nemo virorum videt, solus Angelus reperiret; sola sine comite, sola sine teste.* Quod ipsum confirmat sanctus Eucherius super missus: *Ingressus est Angelus ad eam, non enim virgo in plateis erat, non in publico morabatur. Intus erat in penetralibus, sola sedebat; nec tamen sola, tanto virtutum exercitu stipata*; tacitè vos commonens, si cum Virgine, Deum iotra cordis sinum recipere studeatis, in claustro ac solitudine, ei hospitium præparetis, ubi *Maria* eum intra viscera sua complexa est. Sic mellifluus Bernardus: *Quando in solitudine contemplatur* VIRGO MARIA, *tunc venisti, & in ea, & de ea carnem assumpsisti, ô bone* JESU. Quare à sponso suo eleganti similitudine, *hortus conclusus* nuncupatur.

Cant. 4. Maria hortus conclusus

Ambros. in illa verba ingressus Angelus.

Bernard. de negotiatore.

Quo amœno vocabulo, & amico encomio & te, sponsam suam, intra monasterii septa couclusam dignatur, uteptè Hugo Cardinalis: HORTUS CONCLUSUS *soror mea sponsa*, HORTUS CONCLUSUS, ubi ait: DE RELIGIONE *hoc specialiter potest exponi, quæ hortus voluptatis est, si verè eam apprehendimus*, si verè in ea areolas omnium virtutum, quasdivini spiritus favonius perflat, attendimus. *Unde psallit*, inquit, *ut sunt sæculares, qui eam magis carcerem reputant, & infernum. Tunc qui de loco illo voluptatis, in quo operari deberent, & custodire illum, ita libenter egrediuntur ad spinas & tribulos mundanæ vanitatis & curiositatis.*

Sanctimonial. sponsa Christi hortus conclusus. Hugo Car. in Cant. cap. 4. v. 12.

Ac tandem, quanto vallo, & duplici muro munita sit exponit, repetitam illam phrasim: *Hortus conclusus*, solerter observans: *quam*, inquit, *geminat, ad ostendendum duplici muro munitam. Scilicet invisibili muro Angelorum* (ac ipsius sponsi vigili custodiâ) *contra hostes invisibiles, id est, dæmones. Et muro visibili*, contra visibiles mundi adversarios, & malas bestias, quas & arctæ crates arcent, ne irrumpant, & venenum suum afflent.

Dehi-

Hugo cit.

Denique CONCLUSUS EST HORTUS ISTE, primò contra lasciviam, per votum continentia. Secundò, contra cupiditatem sive mundi concupiscentiam, per votum paupertatis. Tertiò, contra spirituales nequitias, per votum obedientia. CONCLUSUS ESSE DEBET, id est, ex omni parte clausus, NE SUBINTRET ADVERSARIUS. Sed etiam debet esse conclusus, primò ne ex prosperis (quasi jam ab omni necasione remotis) subrepat vana securitas. Secundò, ne ex adversis (ex tædio solitudinis & austeritatis) irruat tristis pusillanimitas. Hæc ille.

Claustra Insulis comparantur.

Nec aberravit à scopo, qui Religiones ac claustra Monialium, Insulis fortunatis comparavis; quæ inter sævientis oceani fluctus & tempestates, ab omni humano tumultu, securæ & tranquillæ: in medio sali, suavissimis fontibus abundant: frugum uberrate, faccharo & vino redundant; sic enim de illis Psalres regius vaticinatur, & gratulatur, dicens: Latentur Insula multa, ubi Patres & Interpretes passim Religiosa claustra intelligunt, quæ in mundo extra mundum sunt. Idque primò, quòd sicut Insulæ quatiuntur fluctibus, sed non obruuntur, ita monasteria, hæreticorum ac malevolorum injuriis & calumniis impetuntur, sed non læduntur. Ita D. Augustinus: Omnes, inquit, Ecclesia (ut sacræ Religiones, ait Mendoza) quia circumlatrantur fluctibus omnium tentationum. Sed quomodo Insula undique circumstrepentibus fluctibus tundi potest, frangi non potest, magisque ipsa frangit fluctus venientes, quàm frangitur ab eis; sic & Ecclesia Dei, seu Religiones, pullulantes per totum orbem terrarum, passa sunt persecutiones undique frementium infidelium; & ecce stant Insula, & jam placatum est mare. In eundem sensum S. Hieronymus, docens Religiones in medio sæculo positas sicut Insulas in medio mari: & sicut illas fluctibus, sic has persecutionibus agitatas: Verùm, inquit, ista Insula tunduntur quotidie, sed non subruuntur. In mari quidem sunt, sed habent fundamentum Christum, qui moveri non potest: sint qui claustrum, carcerem & infernum jactitent; sed inhabitantes, cum Bernardo, claustrum paradisum, in quo jugiter lætentur, experiuntur.

Psal 96. 1

Aug hic. Mendoza in lib. 1. Reg c. 1. annot. 10. sect 2.

Hieron hic

Hugo cit.

Bern. ad frat. de monte Dei.

Altera similitudo inter Insulas & religiosa claustra est, quod sicut illæ interfuso mari, à continenti abscinduntur, ita hæc ab hoc sæculo nequam, interpositis altis muris, cratibus & repagulis semota sunt; quodque potissimùm, Christi sponsæ, corpore & animo, tantum à sæculo separatæ, quanta est distantia cæli à terra; sic ut magnum chaos sit inter sæculares & sanctimoniales, nec accessus ullus ad eas pateat transfretandi: nam ut inquit Isaias: Sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltata sunt via, & vitæ illarum à viis hominum mundanorum, & cogitationes illarum, à cogitationibus hominum.

Isa 55. c. 9.

Quod si Chrysostomus diceret: In baptismate deposui terram, & cælum indui, quantò gloriosius sanctimonialis, sanctioris vitæ Sacramento, non terram exuit sed mundum: non modò cælum induit, sed Christum, velis & remis se in remotam ac desertam Insulam conferens, ubi cum sponso delitiis gaudet cælestibus. Di-

Chrys. in psal. 96.

Cali Empyrei Pars II.

vus Hieronymus epistola 41. ad Ruffinum magnopere laudat suum Monachum Bonosum, qui mundo spreto, & à continenti longè trajiciens, in desertam Insulam penetrarat, ubi solus solo Deo, & divino consortio & alloquio fruebatur: Quasi quidam, inquit, novus paradisi colonus incedit: solus ibi, imò jã Christo comitante, non solus, videt gloriam Dei, quam Apostoli, nisi in deserto, non viderant.

Hieron. epist 41. ad Ruffinum.

In hanc Insulam, Religiosa anima hodie mare mundi emensa, transfetasti, nova paradisi facta es inhabitatrix & colona; quam ut rectè Bernardus: Verè CLAUSTRUM est PARADISUS, Regio vallo disciplina munita, in qua preciosarum est mercium fæcunda fertilitas, & jugis cum dilecto familiaritas.

Bern ser. de quinque negotiationib.

Hinc illa etiam in claustro exultatio, & inter cancellos suavissima modulatio. Ad rem appositè Hugo Cardinalis, sanctimoniales aviculis comparat, quæ caveæ inclusæ argutius cantant, quibus illud Gregorii Nazianzeni accommodate liceat: Vinculo PERPETUÆ CLAUSURÆ presse, & libera: qua retenta sunt, & teneri non possunt; quarum nihil in mundo, & omnia mundo superiora sunt. Ha, inquam, propter mortificationem immortales, quarum Angelici psalmorum cantus, & pernox statio, & mentis ad Deum excessio, ante mortem, in cælum rapit. Ut aliàs diximus:

Hugo Car. in cant 4.

Greg Naz. orat 1. ad Iulian.

V. Calum Empyr. part 1. Kal Ian. Virg.

Felices, bona si sua norint.

Cælestes animæ! quæ norint, quàm secutæ, quàm rutæ sint.

Monialibus serviet exemplum monachi, qui etiamnum tiro, clausuræ ac solitudinis pertæsus, cùm aliquando cogitabundus, è cellæ suæ fenestra, subjecta prata, amœnissimas silvas; atque hæc inter, venatores discurreutes; suoque cantu argutissimæ volucres, aureâ libertate perfruentes, aures suas demulcerent; subiit animum jam pridem cellæ, ac carceris sui tædio dejectum iis se tandem angustiis proripere, & totum septistinæ libertati dare. Dumque penes se agitat, quâ ratione fugam commodissimè adornaret; ecce tibi in vicinam arborem aviecula devolat, quæ saltitando, cantillando, hunc Novitium ad liberiorem auram pellicere quodammodo videbatur. Unde hæc secum lamentari cœpit: ah animula mea! ut quid in primo ætatis vere, hoc me carcere damnavi? Ah quanto feliciori sorte, volucres ratione expertes perfruuntur:

Clausura non deserenda exemplum proponitur.

Non bene pro toto libertas venditur auro.
Daer vryheyt, is blyheyt.

Si illa conditorem suum, in libero aëre, & aperto campo collaudare valeant, cur non & ego id in sæculari vitâ præstare queam? An non æquè mihi conjugium ac aliis, Sacramentum sanctum esse possit? Accedit, non unum illibatum castitatis lilium reperiri, etsi non quatuor parietibus obseptum. Quid tandem proderit, si meipsum hic vivum assiduo dolore, & desperatione interimam? Miserabilior futurus omnibus, ut potè nec terrenis, nec cælestibus

deli-

deliciis fruiturus. Quare fixum, ac statutum est, hâc die, hâc horâ, hoc carcere me expedire, atque hujus aviculæ libertatem sectari. Vix dum hæc in animum induxerat, deque ramo in ramum, de una in alteram arbusculam, avicula cantillando volitaret; insperato milvus irruit, ac miserum animalculum unguibus arripit, & fœdè discerpsit, plumis io aëra, ad ipsam tironis cellam eventilatis.

Hic enimverò commoneri & commoveri, ac alia prorsus saniora cogitare cœpit. O avicula, inquit, quàm te beatam deprædicabam! Quàm tuam libertatem planè auream ducebam! At nunc facilè prospiciu, quantò tibi melius, brevi caveæ conclusam, & secuto carcere detentam fuisse! Ad me quod attinet, falsâ hactenus imaginatione delusus sum: in eo, quod arripui Religiosis proposito ad mortem persistam; minus quidem libertatis, sed plus securitatis habiturus. Etiam in cellæ angustiis, animæ sanctæ liberè evolare, & deliciis paradisi frui possint. Quæ ad animos vestros confirmandos, ad claustrum amandum, & parietes exosculandum, documento & incitamento esse possunt.

Pet. Cluniac. lib. 2 epist. 17. Hæc clausura, ait Petrus Cluniacensis, illius ævi scriptor nobilissimus, Raingardam matrem suam excitavit, ut exsoluta lege viri, quò salutem in tuto collocaret, ad Marcionense Monasterium se reciperet, eò quod ibi: *Post primum claustri ingressum, more illarum Sanctimonialium, extra pedem protendere, nefas ducebant.* Idem scribens ad Heloisam, ex ea rigida conclusione, Sanctimoniales illas collaudans, sic excurrit:
Idem lib. 4 epist. 22. IN IUCUNDO *Marcianensi* CARCERE, *ancillas Dei, libertatem cælestem expectare inclusas.*

Pedem numquam hoc jucundo carcere efferendum, etsi Angeli duces fiant, ab honestis sæculi puellabus discere non pigebit.

Memorabilis ac deplorabilis illa strages fuit sceleratissimarum urbium Sodomæ & Go-
Gen. 19. v. 14. morrhæ, quâ *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem de cælo*; sed ut incendio eripiat uxorem Loth, & filias ejus, nuncios Angelos præmittit, qui domo suâ eas de-
V. 16. ducant. Cogebant eum Angeli dicentes: *Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias, quas habes.* Et remorante Loth, Angeli, uxoris filiarumque apprehensis manibus, exire foras coegerunt. Hic vis infertur matri & puellis, cum ductoribus Angelis tutæ, & ab imminentibus flammis eruendæ sint. Quid hoc? Periculum non minus integritati ab egressu, quàm domi conclusæ ab igne formidabant, & vel vivæ cremari,
Cajet. hic. quàm publicu exponi exoptabant: *Apprehenderunt manum uxoris ac duarum filiarum ejus.* Appositè Cajetanus: *hu verbu ratio* VIOLENTÆ SALUTIS REDDITUR. Si salus violenta sit, ut sæculares etiam filiæ de domo paterna prodeuut, quantò violentior, ut sponsa Christi, Deo dicata, claustri penetralia deserat?

Hoc Sunamitis illa in Canticis comprobavit, quæ adeò claustri & recessus amans, ut quamvis à sponso invitata, exire detrectârit. Hortatur dilectam suam, ut cubile deserat, &
Cant. 2. v. 10. secum ad rusticandum prodeat: *En dilectus meus loquitur mihi: surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Quod ut sponsæ persuadeat, rationes coegerit quibus ad rusticandum alliciat: *Iam enim hiems transiit, imber abiit, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra, &c.* Quid ergò hæsitas sponsa sancta, quando aura iovitat & ad exspatiandum duceris à proprio sponso? Quid trepidas, quid formidas, illo comitata, qui pudorem tuum tueatur? Quin & ipse non hortatur, ut platearum publico te tradas, sed in forensem vineam, ab omnium oculis seclusam; at illa & deliciis horti, & secursari sponsi recessum suum præfert, nec claustro exire præsumit. Instat sponsus, & efficaciorem, ut moveat, rationem allegat: nam si amore custodiæ, renuit sponsa evagari, nooabnuet, si ei latebras & recessus ostendat; unde ait: *Surge amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ*; ac si diceret, ideò renuis, ne claustra deseras, ne domu pedem efferas, ne in publicum prodeas, ne videaris & videas; in vinea tibi recessus & penetralia spopondeo, ubi latebis, quasi speluncæ abdita, *in foraminibus petræ*; egredere secura. En quantus custodiæ amor, ut nec à sponso provocata, nec de virginitate secura, eam deserere audeat, nisi ubi lateat, recessus inveniat. Unde Bernardus: *V. 13.*
Columbam denuò blandiendo vocat, suam dicit, & sibi asserit propriam: columba mea in foraminibus petra, & in cavernis maceriæ; ac si dicat sponsus: NE TIMEAS AMICA MEA. *Vinea sane* MACERIAS *habent, &* DIVERSORIA GRATA VERECUNDIS; quibus tamen vix adducitur, claustro pedem efferat. *Bern. ser. 61. in cant.*

Hanc laudem Abbas Cluniaceosis Sanctimonialibus Marcianensibus tribuit, dum de insigni perfectione illius Partheonis scribit: " inter universa bona, singulari planè & inaudità gratiâ, perpetuo se carcere damnant; ita " ut postquam semel, factâ secundùm Regulam " professione, corpori monasterii sociatæ fuerint, *numquam qualibet necessitate, non dico septa murorum, sed nec ipsas, in quibus commorantur, regulares domos transgrediantur.* Hanc ob ipsæ sibi id- " circo, more aliarum Sanctimonialium, deambulandi licentiam, præcepto Abbatis sui interdixerunt, *ne aliquâ occasione, vel mundus in eu videat quod concupiscat, vel ipsæ aliquid noxium saltem in excursu, videre seu audire compellat.* Nam " eum, quem à mentis suæ intuitu prorsus abegerunt, ipsis etiam corporalibus oculis videre " contemnunt; sic enim juxta Apostolum, " mundus eis mortuus est, & ipsæ mundo; quod " numquam qualibet occasione ab aliquo videri possunt: quia ab ipso ingressu, quo ad Religionem suscipiuntur, velo quod eis ex more " imponitur, oculos habere velatos, & facies " circumtectas; ipsum velum quasi pro sudario " usque ad diem obitus in memoriam & præparationem exitus sui circumferentes. Ea propter, *claustro salutari conclusa, & (ut sic dicam) vitali obruta sepulturâ, pro præsenti coarctione, sempiternam latitudinem: pro sepulchro, beatam resurrectionem expectant: unde prius mors, quàm egredi: ante occumbere, quàm limen designati ostii transgredi elegerunt.* *Pet. Cluniac. lib. 1. miracul. cap. 22.*

Confirmat ista Petrus, prolato insigni exemplo earundem Monialium, clausuræ aman- *Ibidem. Moniales*
tium;

conclusæ; miraculosè ab incendio servantur

tium; quæ grassante incendio, causatæ suam de perpetua conclusione Deo obstrictam voluntatem, ne mandante quidem Hugone Lugdunensi, Apostolicæ Sedis Legato, exire domo, & flammis se subducere voluerunt. An satis consultò detrectarint in eo eventu, Legati Apostolici imperiũ, non inquiro. Deus tamen adstipulari religioni earum visus est: fides, enim ex qua operabantur, & jussio ejusdem Legati mãdantis in Dei nomine regressum flammis, *ancillas Dei certè exitio subduxit*; quæ ut ibidem Gissa inter Moniales primaria contestata est, numquam inde vel passu pedis (ut ferebat Abbatis ipsarum præceptum) quacumque urgente necessitate, exire fixum habereut. Qoam Petrus Cluniacensis vocat *singularem penè, & ante inauditam earum gratiam.*

Norant hæ minus periculum corpori à flammis, quàm pudori à publico, & animæ à gehennæ ignibus imminere; quod utinam expenderent, quæ velut columbæ ad fenestras, assiduò ad crates cum sæcularibus fabulari, & nugari appetunt, quibus tandem & pedes pruriunt ad deambulandum foras, solitudinis pertæsæ, & claustri impatientes, parum gnaræ se ab aucupe in retia trahi. Facit hic ad ejusmodi tentatas, in vocatione sua stabiliendas terribilis tragœdia, quam Scriptor Hispanus Antonius de Torquemado commemorat. Adolescens, formâ Sanctimonialis, quæ videre & videri amabat, captus, blanda primum cum illa colloquia habuit, tum litterulæ ac munuscula missitata.

Tragœdia Monialis, quæ claustrum deserere stàtuerat.

Accessere risus, joci, lepores, & amores; ac tandem claustralis vitæ tædia, libertatis in flore ætatis illecebræ, quib⁹ adeò pellecta, ut nocturnum tempus fugæ, & claustrum deserendi decerneret. Ad horam condictam, nocturnus hic miles ad monasterium pergit; & ecce templũ apertum reperit, quod id temporis illi insolens videbatur: ingreditur, omnia lugubri cantu resonare, in ipso templi umbilico funus consistere, circum funalibus collucentibus advertit. Hinc illinc protensis in faciem cucullis consedebant monachi, officium defunctorum terrifico vocis sono persolventes. Anxius & solicitus hic spectator, unum aliquem de his ignotis Religiosis trahit, & cujus hæ tam intempestivæ exequiæ sint, percunctatus. Talis Domini, respondit alter, ipsum suo nomine compellando. Attonitus, alterum vellicat, qui idem illi respõdit. Hic ad nomen suum, & feralem pompam totis ossibus contremiscens, se è templo ilicò proripuit. Quo vix pedem extulerat, cum duo ingentes, iique nigerrimi molossi in eum insiliunt, & Moniali è muro spectante, miserrimè discerpunt, cujus animæ ad inferos præcipitandæ jam præeotarant.

Ant. Torquemado. Balingem triomphe de chasteté oeuvre 2. c. 13.

Misericordia Domini, quod & illa non fuerit consumpta; quæ hoc tragico spectaculo salubriter conterrita, post hac, claustrum suum paradisum habuit, quem austeritate vitæ excoluit, & ab omni contubernio hominum, & solâ bestiâ seclusa, arctissimè custodivit.

Hoc itaque exemplo edoctæ, & filiatũ Loth, ac ipsius sponsæ Christi, ad expatiandum ab Angelis invitatæ, ut è penetralibus domus, in publicum progrederentur, vos, jam pridem sapere didicistis.

Ne illud opprobrium Sanctimoniali inuratur, quod Theopompus sæcularibus filiis: *cuidam*, inquit, *murum ostendenti, & interroganti, num altus videretur? Respondit, minimè, si mulierum sit.* Sufficit quidem si proba sit, si solitudinis amans, si intus delectetur cum sponso; hæc enim velum pro muro, murum pro velo, scissu facili habebit. Quod scitè insinuat Tertullianus: *Vela caput, inde armaturam pudoris: circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue*; quia ut inquit Hieronymus:

Plutarch. apoph.

Tertullian lib. de Veland Virg. cap 6.

§. II.

Zelotypus *est Iesus, non vult ab aliis videri faciem tuam.* Hieronym. epist. 22. ad Eustoch.

LUculentum insani amoris argumentum censeri debet, si quis divitiis, ac opibus pollens pauperculam ducat: si quis avitâ nobilitate, & illustri stemmate oriundus, sibi abjectam ancillam desponset: si Princeps quisquam, aut præpotens orbis Monarcha, vile mancipium depereat, & in Reginam assumat. Sic cælestis sponsus, filius Altissimi, divino quodam modo sanctè insanire videtur, dum vos viles & abjectas animas, mundi cœno immersas, sibi desponsat, & ad cælestes nuptias invitat.

Quæ dignitas sponsæ tanta est, ut nulla non dicor arctior & strictior, sed nec nobilior, nec præstantior familiaritas excogitari queat.

Multum quidem est, amicum esse Regis, atque ipsi à cubiculis, à secretis, imò filiom esse; at filii non statim Reges sunt, neque regni habenis potiuntur; sed sponsa Regis, ex conditione suæ dignitatis, est Regina, quæ gaudet privilegiis Regis, à dexteris ipsius sedet in vestitu deaurato, circumdata varietate: *Ejus dote nihil utilius, in qua sufficientiam comitatur æternitas.*

Hildebert. epist. Ali.

Cælestis sponsus quam sibi sponsam vilem & deformem adlegit, amando & exornando, nobilem ac formosam reddidit. Audi Bernardum mellifluo sermone hic excurrentem: *Multum hac sponsa sponso suo inferior genere, inferior specie, inferior dignitate; attamen propter Æthiopissam istam, Filius Dei de longinquo venit, ut sibi desponsaret illam. Moyses quidem Æthiopissam duxit; sed non potuit ejus mutare colorem; Christus verò quàm adamavit ignobilem adhuc & fœdam, gloriosam sibi exhibuit non habentem rugam, neque maculam.*

Bern. Dom 1. post Epiphan ser 2

Sæculo decimo tertio tota Massilia admirata fuit factum amici propè inauditum, quo Zenothemis Charmoleus, Massiliensis, vir procerâ ac insigni corporis formâ, nec nõ summis fortunis ac dignitate conspicuus, in gratiam Menecratis amici sui integerrimi (qui malevolorum quorumdam technis ac fraudibus ad incitas redactus fuerat) omnes suas divitias cum illo partitus est, filiam ejus, licet corpore deformem, claudam, coclitem, morbo insuper caduco laborantem, in uxorem assumens, solo amore & commiseratione Menecratis permotus,

Petrarcha dialog. 12.

respicere mortales & cumponere se consueverunt.

Cùm ecce tibi tantam gratiarum; & virtutum concordiam, pietatem & religionem, zelotypiæ quidam turbo infregit, & parvæ quædam sinistræ suspicionis scintillæ, in luculentum incendium erùperunt. In Theophaniæ celebritate, Imperatori cum solemni comitatu, pompâque, ad sacram ædem egresso, homo peregrinus tenuisque fortunæ, pomum Phrygium inusitatæ magnitudinis donum offert. Imperator cum proceribus, mali generosi molem admiratus, centum quinquaginta aureos pauperi donavit, munusque Eudoxiæ Augustæ misit. Eudoxia Paulino ægro tum à pedibus, quem propter eximiam eruditionem atque præstantem virtutem, percharum habebat, præsertim quod nuptiarum fuisset paranymphus, pomum missitavit. Sed eheu! causa mali semper malum: discordiæ pomum hoc, non concordiæ fuit. Paulinus ignarus pomum ab Augusto ad Augustam profectum, remittit Theodosio, tanquam rarum & peregrinum generosissimi fructus miraculum, & signum animi sui ac officii in Imperatorem. Ille rem sequius interpretatus, trahit factum in suspicionem adulterii, aut saltèm desultorii amoris, nimiæque familiaritatis, & accersitam Eudoxiam rogat, ubi pomum sit, antea à se missum? Eudoxia perculsa, verebatur ne si Paulinum nominaret, Imperator alia suspicaretur, se edisse affirmat. Itane inquit Theodosius, ex animi tui sententiâ comedisti? Comedi, inquit. Per salutem tuam, ait Imperator, comedisti? Deierat illa, per salutem, & exitium suum. Profert inde pomum Theodosius, & Paulinum eâdem nocte interficit, ab Eudoxia abnoctat, & omnia regni negotia per Pulcheriam perficit, conjuge relicta.

En quanta ex levi munusculo, viro etiam integerrimo misso, in animo etiam sancti Imperatoris, perturbatio & in Eudoxia perditio orta est.

Exodi. 20 v. 5.

Sponsus vester, Deus *zelotes est*, & munuscula, & litteras, & colloquia cum aliis, illi suspecta sunt. Unde sponsæ Christi vel minimas causas vitandas esse, docet Hieronymus: *crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vesti ori applicitas, ac degustatos cibos, blandasque & dulces litterulas, sanctus amor non habet*; castus amor sponsæ non habet Nocuit multis aspici: nocuit salutari: nocuit munuscula, litterulas misisse aut accepisse, quæ omnia *zelotypus IESVS* exsecratur. Potenter proci amasiam, sponsi sponsam, mariti uxores suas zelare, earumque pudicitiam etiam sanguine tueri consueverunt; majori certè, sanctiorique zelo Deus noster *zelotes* prædilectam sibi sponsam zelatur. Augustinus: *tolle de zelo errorem & dolorem, quid remanebit aliud, nisi voluntas custodiens castitatem, & corruptionem vindicans conjugalem? Quo igitur verbo nisi zelo Dei melius posset insinuari, quo vocamur ad conjugium Dei, & non vult nos turpi amore corrumpi, & punit impudicitiam nostram, & diligit castitatem: non enim frustra dici solet: qui non zelat, non amat.*

Hieron. epist. 2. ad Nepotian.

Exodi 34. 14

Aug. contra Adimantium cap. 13.

S. Thom.

Doctor Angelicus rectè tradit: *quod Deus appellatur* ZELOTES *propter nimium amorem, quem habet* erga sponsam suam, ex quo oritur, ut omnes illius nutus, nictus, verba, gestus, affectus observet, qui si in alium deriventur, gravissimè punit adulterinum illum amorem. Nescitis subinde, unde oriatur illa animi sterilitas, mentis desolatio, infesta tentatio, ac perturbatio: quo abierit cælestis illa spiritus inebriatio, liquidissima sponsi consolatio, collocutio, blanditiæ & amplexus; liberior aspectus, risus immoderatior, sermo profanior, gestus mollior, & cætera hujus, *tactus, joci, & nutus. quæ morituræ virginitatis principia sunt*, hæc in causa sunt, quod longius recesserit à te Amator tui Jesus, quod *longè factus sit consolator*; hujus autem absentia nihil amarius potest Religiosæ animæ accidere, aut excogitari. Unde illa Bernardi in scala claustrali, gravis admonitio: ZELOTYPUS *est sponsus iste, si forte alium amatorem receperis: si aliis magis placere studueris, statim discedet à te, & aliis adhærebit adolescentulis*, adhærebit aliis fervidè, sincerè, purè, & se solum in omnibus quærentibus ac diligentibus.

1. 2. q. 28. art. 4.

Hieron ad Eustoch.

Thren. 1. v. 16.

Bern scala claust. §. 7.

Quare, ut concludam, claustrum animæ & corporis, ô Christi sponsa, custodi, & illud custodiet te. Foris *vagentur virgines stultæ, tu intrinsecus esto cum sponso.*

Hieron. epist 22. ad Eustoch

Sed ô tempora! ô mores! non quinque dontaxat, sed & quinquaginta, ac plures, ejusmodi fatuas virgines reperire est, quæ si non corpore, animo evagantur: *non est Christus circumforaneus*, inquit Ambrosius, ut eum in triviis, in turbis invenire queas.

Amb. lib 3 de virgin.

Hinc ille *zelus & furor viri non parcet in die vindictæ*. Si uxor, vel penetrale domesticum exierit. Multò minus parcet cælestis sponsus, si sponsa murum, & claustri jura transilierit. Testis unus è multis Doctor Michaël Sanchez de Ortega, qui hanc Regem Sanchium filio suo tragœdiam enarrare solitum refert. Virgo, inquiebat, fuit nobilis ac dives, insigni formæ venustate, quæ sæculi, ejusque vanitatum pertæsa, ad Religiosæ vitæ statum, animum appulit; placuit autem in cæteris Parthenonem eligere, quam ex S. Benedicti normâ ac regulâ, Deo famulari acceperat, nomine Fuencobain, largâ Regum magnæ Britanniæ dote ac vectigalibus instructam: quo in Religioso claustro, perpetuam Christo sponso virginitatem dedicavit.

Prov 6. 34.

Michael Sanchez de Ortega lit. de veste nuptiali.

Per bellè, ut assolet, sese initia tulerunt, dilecta omnibus, Deo chara, *cum sponso suo ludebat intrinsecus*. Sed dæmon invidit, cujus astu, nonnihil de fervore remittere, solitudinem minus amare, ad crates subinde visere, videre, & videri. Quid inde? factum est, ut adolescens nobilis ac vanus, eam fortè per transennam conspicatus, statim captus fuerit in oculis suis, unum id die ac nocte secum pertractans, quâ tandem viâ, ac modo, cùm illa colloqui, ac dulces audire & reddere voces posset. Et placuit denique se ejus patruelem dicere, cujus obtentu & astu, liberum ad eam accessum inveniret; uti & factum est. Amoris fomite quotidie gliscente, ac frequentibus assentatiunculis & munusculis blandè pellecta, adeò sui, & Christi oblita

Hieron ad Eustoch.

Zzzz 3 it,

est,iisque stimulis turpis hujus amasii agitata, ut sub noctem intempestam, Religiosæ domus septa perfringere, & quo invitabatur innocens columba, ad effetas accipitris faculas evolare percuperet. Dolosis itaque promissis inescata, rescisso quod cælesti sponso dixerat, Sacramento, incestum illum amatorem sequi statuit, idque vespertinis precibus completis, ostio quodam transitum, ex templo ad murum plateæ conterminum præbituro, ubi is eam superato jam muro, ambabus ulnis, exciperet.

Adulta igitur nocte, omnibus altum dormientibus, conclavi egreditur per ædem sacram, ad destinatum locum transitura. Stabat hic vetus Christi crucifixi imago, unà cum matris effigie, sacrarum virginum cultu celeberrima, quam dum concito gradu præteriret, audire ab hac sibi visa est ejusmodi verba: quò properas infelix! Cur præ dæmonio filium meum abdicas? Ad quæ percelli misera & artubus totis contremiscere; cœptis tamen nequaquam desistere, sed porrò gressum concitare, tantis nequissimi ignis ardoribus abripiebatur. Cùm ecce Christi crucifixi effigies, manibus pedibusque è cruce revulsis, fugientem insequitur, ac manu dextrâ sublatâ, clavum quo cruci confixa fuerat, in eam percutit, qui maxillæ cum lato vulnere impactus, carni magno cum cruciatu inhæsit; quo illa immanem in modum consternata, afflictaque, semianimis in terram collapsa est. Christi verò effigies ad crucem suam reversa, priorem situm obtinuit, dexterâ manu ac brachio excepto, quod à cruce refixum, & clavo exemptum, in tantæ rei memoriam in hunc usque diem perseverat.


Aurorâ interim illuscente, cùm signo ad matutinas dato, sacræ virgines in templum convenirent, primò horrendo quodam ejulatu in templo personante, exterritæ consistunt, ac ceteras præstolatæ ingrediuntur, ubi disertè has voces excipiunt: accurrite charæ sorores, excipite me, & de terra levate, quam gravi vulnere sauciavit Christus, ob pessimam perfidiam in illum commissam. Quibus vocibus omnes consternatæ, ad locum deveniunt, ubi infelix illa sponsi sui desertrix, suo innatans sanguini, doloribus confecta acerrimis, tantum non animam agere videbatur. Clavum extrahunt de maxilla, sanguinem abstergunt, vulnus obligant, ac multis scelus suum lacrymis deplorantem, ante aram summam constituunt, choro integro quinquagesimum psalmum vatis Regii, pœnitentiâ nobilem intonante.

Illa verò jam sibi reddita, per omnem vitam pœnitens, arctâ se cellâ includens, non nisi ad sacram ædem, & quò obedientia vocabat, pedem efferens, ab omni post hac evagatione, & contubernio cum externis abhorrens, jugibus lacrymis, jejuniis, flagellis ad sanguinem, sponsum qui stabat post parietem, sibi emereri, & eblandiri conabatur.

Hæc, ut in neminem vestrum, ô sponsæ Christi, cadant, cautelæ tamen servient, ne vel minimos amores affectus, imò vel oculos, in alium amatorem defigatis.

Ita fiet, ut tandem ex hoc claustro, & deserto, cum Regina Virginum, ascendatis, orbe universo mirante & acclamante: *Quæ est ista,* Rupert. hic.
quæ ascendit de deserto? Ubi Rupertus Abbas, sic Virginem alloquitur: *Talis ascendisti per desertum, id est, animam habens* SOLITARIAM; *quemadmodum Esther, cùm esset Regina, veraciter tum* Esther 14.
dicebat: Domine mi, qui Rex noster es SOLUS, *adjuva me* SOLITARIAM. Ac tandem epiphonematis loco subjungit: *Digna exclamatio, digna admiratio! Quæ est ista, quæ talis ascendit per desertum?* Quæ est ista sponsa Christi, quæ è Religionis claustro, & corporis ergastulo, in latitudinem paradisi ascendit?

* * *



IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Signum in bonum. Psal. 85.



Quàm multi paſsim homines hoc ſignum bonum vertant in malum, quos inſtar flabelli ſua ſtultitia, temulentia, luxuria, &c. Aura rotat.

ARGUMENTUM.

QUod in annulo Adamas, hoc in orbe terrarum eſt Templum Salomonis: nihil ad decorem illuſtrius, ad pompam ſuperbius, in terris divinæ Majeſtati capacius. Digna erat auguſtiſſima hæc fabrica, & elaboratiſſima, quæ vero Deo primùm dedicaretur. Dedicationis ſignum è ſumma turri Flabellum vides? O verè *ſignum in bonum*! Sed Chriſtiani paſſim hoc *ſignum bonum*, vertunt in malum. Quaſi verò hoc poſitum ſit *in ſignum, cui contradicetur*, non Pſal. 85. tantùm verbis, ſed etiam factis: vexilla enim paſſim pro foribus exponuntur, ſigna Baccho dedicata: ad illa in Encœniis potiſſimùm, feſtiſque ſolemnioribus confluunt gregatim homines illi, Luc. 2. quos levis *Aura rotat*; ubi ſympoſia, ebrietates, libidines, rixæ, cædes, omneque malorum exa- v. 34. men. Sic modò celebrantur Encœnia. Non ita Judæi: incredibili veneratione Templi ſui Dedicationem proſequebantur. Nemo erat, qui in templo tum, ſolito libentiùs, ac prolixiùs non commoraretur; Religioni ſibi duxiſſent, ſervile opus tractare. Omnes ſacrificiis aſſiſtebant, eâ, quâ par erat, reverentiâ: ſecùs jam Chriſtiani, qui, parum reputantes, quàm *Terribilis ſit locus iſte*, quæ *domus Dei eſt*, nugacitatis illic, petulantiæque ſcenas agunt, & templa convertunt in theatra ad fabulas converſi, non ſine ſpectatorum ſcandalo, Deique præſentis injuria.

§. I. *Facta ſunt Encœnia in Hieroſolymis.* Joan. 10.
§. II. *Dedicatio & ſanctificatio Templi Salomonis.* 2. Paral. 7.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Facta sunt encænia in Hierosolymis. Ioan.10.v.22.



Lib.1. de vit.cap.24 Encœnia ex antiquissimo usu festivissimè recolit Ecclesia anniversariâ memoriâ, de quo Stephanus Durantus. Adstipulatur *Lib.7. in Gen. cap. 24.* Rupertus, Ecclesiam quotannis solĕniori pompâ celebritatem *Dedicationis Templi* renovare: sic enim ait: *Non vanè consecratio Templi, vel altaris, festivis laudibus per annos singulos celebrari consuevit.* Constat autem, *Templi Dedicationem*, & anniversarium Encœniorum festum, in Veteri Testamento fuisse usurpatum; illud delineat S. Isidorus lib.1. de offic. v.35. Et Joan. 10. refertur, Christum ad hoc festum advenisse, suâque præsentiâ cohonestasse, & sanctificasse. Ex eo loco Felix Papa, epist. ad Episcopos per divers. Provinc. Solemnitatem Dedicationis Ecclesiæ quotannis renovandam esse collegit. Festum verò istud, ad quod Christus accessit, non fuisse festum primæ Dedicationis Templi, sed repurgati, & instaurati, acè profano denuò facti per Judam Machabæum Templi Hierosolymitani, adnotat Valafridus.

Cap.19. Quòd si Templi instaurati memoria erat quotannis festiva; quis ambigat, quin æquè festivè celebraretur primùm constructi, & dedicati memoria? Igitur & clarum videtur, similem solemnitatem imitatione Hebræorum in Ecclesiam nostratem esse inductam.

Theophylactus in Joan.10. cùm solerter indagasset, cur hæc Encœnia facta sint Hierosolymis, subdit: *Præclarum autem, & celebre agebant festum*, incredibili (puta) lætitiâ, acclamatione, veneratione, cæremoniis. *Videamus*, in- *Serm.39.* quit Petrus Bles. *in quibus consistit Templi sanctificatio. In quinque (ut arbitror) impletur Templi dedicatio, quæ sunt aspersio, inscriptio, unctio, illuminatio, benedictio.* Ita cum Petro Blesensi Guilielmus Parisien. in calce libri de legibus, & Ivo Carnotensis serm. de Sacram. Dedicationis. Qui ritus eò spectant, ut significetur integra sanctificatio interna per intellectus illustrationem, uberi lumine fidei & cæterorum cælestium radiorum affuso, nec non per voluntatis & animæ ritè expurgatæ à peccatis honestationem & exornationem à gratia & charitate, aliisque infusis virtutibus, quæ sunt connaturale gratiæ & charitatis satellitium.

Sic constitutâ Dedicatione domos Dei, quæ populi gaudia, & tripudia, quàm immensa sacrificiorum vis, aut multiplicitas, quis cultus & reverentia inde redundabant? Certè 3. Regum 8. legimus, immolatas tunc fuisse supremo Numini victimas, *oves & boves, absque æstimatione, & numero.* Ab omni agri cultura tum, opereque servili temperabant Judæi; nemini licitum erat coquere, nemini ignem succendere, nemini exspatiari relaxationis animi gratiâ. Qui ligna tantùm coacervare fuisset ausus, raptabatur ad Magistratus, compingebatur in carcerem, lapidibus obruebatur. Adeò sibi religioni ducebant Judæi quicquam eo die agere, ut vel in dubium revocarent, an licita esset tum etiam prodigiosa Christo ægrorum curatio: *Si licet Sabbatho curare?* S. *Luca cap. 14.* Chrysostomus homil. 60. in Joan. Judæorum penè nimiam solemnioris festi observantiam demiratus, exclamat eviscertatis vocibus: *Magnus hic dies festus & solemnis, quo videlicet Templum fabricatum fuerat. hunc agebant maximâ diligentia. Hoc die adfuit Christus solemnitati;* & cheu! ipso solemnioris lætitiæ die perditus est Jesus, divinissimus ille puellus. O quoties, quàm frequenter in Encœniis, in solemnitatibus, diebus festis Jesus perditissimis hominibus, ne dicam Christianis! Non sic olim Christiani, non sic festivos dies exigebant, ac modò videre est, non sine probro ac dedecore sacri illius nominis; nam invaluerat prisca ea, laudatissimaque consuetudo, ut primi Christiani Encœnia colerent profusis gaudiis, ac gratulationibus, honoratis epulis, atque conviviis, sed religiosa quadam, modestaque parsimonia conditis. Jucundum, amœnumque oculis spectaculum præbebant templa, passim ad pompam, & magnificentiam exornata: laborabant aræ sub ingenti pondere auri & argenti, superbique instructus atque apparatus: sparsum erat decoratumque pavimentum festis floribus, tapetum instar: adornabant parietes, virentes rami: è summa turri flabella visebantur exposita, cum levibus zephyris colludentia, jocosque ventis facientia, nolis suaviter resonantibus. Amœna erat universæ civitatis facies, inculpatæ voluptates; nullus erat mœroris locus, ne dicam insolentiæ: exulabant licentia, petulantia, profusio, ebrietas, & quæ ebrietatem consequuntur pedissequæ libidines, iræ, cædes. Incedebat populus ornatior quidem propter festum, sed non ad fastum; cum populo ornata erant domuum vestibula, perpurgatæ ædes; collucebant passim per plateas ignes: deserta erant, vacuaque incolis domicilia, impleta templa, clangore tubarum ac cymbalorum, Sacerdotumque cantibus resonantia. Sic Christiani olim solemniora festalia, sic Judæi scenopegias, sic Romani sua Encœnia concelebrant mira pietate, ac religione; quam utinam æmularentur

tur

tur Christiani! Utinam non passim Dedicationes, & Encœnia in Bacchanalia commutarent, Baccho, Veneri, & ventri dediti, Jesum ex animo suo exturbantes.

§. I.

Facta sunt Encœnia in Hierosolymis. Ioan. 10.

Encœnia passim Christiani colunt per pagos, castella, vel urbes festivissimè, sed mirum est, quàm dispari cultu, debitaque observantiâ. Nimirum in cœnas degenerarunt jam Encœnia, illibatæ lætitiæ in lautitias, & esculenta; festa solemnia in festivas & solemniores compotationes.

Intuemini, amabo vos, sympotiacæ illius societatis ubique locorum debacchantis apparatum. Ecce vexilla foribus exposita Bacchum protritantia: limina coronantur hederâ; frondes de fenestris tabernæ promineant; Tibicines ac Cytharœdi è templis convocantur; coronati in triclinio crateres statuuntur. Videas combibonum greges turmatim vix templo pedem efferentes, anhelare ad pocula; societatem pellicere etiam invitam; taberoas implere; vino primùm adusto languentem excitare stomachum; dein multò post Falernum deposcere, & grandiores ampullas; provocare alios, ac provocari; aliorum salutem bibere, suam cum pecunia prodigere; discedentes retrahere (velint, nolint) aliosque, aliàs templa frequentare desiderantes, ad iam effusi criminis societatem impellere. Vah, inamœna gaudia! jucunditatem sine amœnitate! Non patiuntur se invicem (neque hoc nescitis, Christiani) non conveniunt Ecclesia & popina, Christus & Bacchus, honestus Christianus, & Circæo poculo infamis populus.

Quis benignis oculis aspiciat solennibus epulis, genioq; illos largiùs indolgere, pergræcari, amnistide certare potentiùs, infanire, usque in fordibus se, velut in cœno, volutare? Quid enim belluis similius, aut abjectius? ut lubricus est incessus? ut micant oculi, spumat os, diffluunt genæ, pedes titubant? ut incerta verba sui impos eructat cum teterrima crapula? Interim sepulta ratio in fumosis vini vaporibus, vigilans somniat, ut stipes jacet prostratus extento corpore. Et unà profligata jacet continentia, regnat ebrietas; succumbit pudor, libido dominatur; pietas, religio, sacrorum reverentia exulat; atque eorum loco impietas, festorum, Deique contemptus, & immane quodvis rixarum, cædiumque tragicarum flagitium in Christianorum disciplinam erumpit, atque in templorum desertorum dedecus hæc dissolutio transfunditur. Tum removetur verecundia, tum libidinosus suis amoribus indulget publicè, tum iracundus non linguam, non manum coërcet, quidquid in animo latebat, abditum emergit, ac prodit in medium. Uti non continent cibum vino redundante, ita nec secretum quidem; sua, aliena que omnia effundunt. O pudor, ac publicum nimis, probrosumque sacro potissimùm die, scandalum! Ergone Christianus, festivis etiam, solemnioribusque diebus, divino honori consecratis, Baccho litet? Manus pietati jure impendendas, ad turpe ventris servitium convertat? Linguam sacro Christi pastam corpore, immoderatis proluat haustibus? Corpus illud Dei hospitium, fœdissimum ebrietatis ac gulæ faciat receptaculum? Mentem pulcherrimam sapientiæ æternæ meritis expiatam, cælestibus donis cultam, in tanta flagitia præcipitet, ornamentis gratiæ præstantissimis exspolier, & quod liberalitatis divinæ munus est vinum, hoc illiberali profusione in fomenta libidinum, & scelerum omnium alimenta convertat?

Quò tandem licentiæ prolabimur, gens Christiana, ventris mancipia? Hæccine Christianorum esse hominum studia, tam sacrâ luce, sentiamus? O nos, nimium à prisca illa majorum nostratium pietate, ac temperantia degeneres! O planè impios, qui pro divinis epulis turpissimum ventris pastum, pro istis deliciis has sordes & vomitum, pro Deo Bacchum, plenumque ventrem amplectontur! Juvat hîc audire Tertullianum, graviori sono exclamantem, ethnicosque (quibus hi similes) sic perstringentem: *Grande*, inquit, *officium, focos, & thoros in publicum educere, vicatim epulari, vino lutum cogere, catervatim cursitare ad impudentias, ad injurias, ad libidinù illecebras; siccine exprimitur gaudium per publicum dedecus? haccine solemnes dies Principum decent, quæ alios dies non decent? O nos meritò damnandos!* Tum subdit: *Cur die læto non laureis postes obumbramus? Nec lucernis diem infringimus? Honesta res est, solemnitate publica exigente, inducere domui tua habitum alicujus novi lupanaris?* *De ethnicis solemnitatibus*

Profectò non injuria hæc Christianis accōmodari aptiùs posse videntur, cùm spectantur ea, quæ non dico sacros dies decent, sed ne profanos quidem; ita, prô dolor! *exigente*, ut clamant festorum prophanatores illi, *solemnitate publicâ*; ac si hæc esset dedicata vestium fastuoso luxui, intempestivis domi forisque conviviis, tripudiis, saltationibus, à quibus cùm longiùs abesse debeat Jesus, in die festo admittitur. Id intempestivas illas, redundantesque mensas, ac eliminandas petulātias acri stylo invehitur D. Epiphanius: *Non corporis tripudio, sed mentis motu, ac religione dies festi celebrandi* potissimùm solemnes Encœniorum. Hoc qui non observat, Jesum die festo non inveniet, sed perdet. *Serm. 115. in fest pa p. 155.*

Nonnulli subtiliter ventilant hanc quæstionem, cur duodennis Christus, die festo fuerit amissus? nam sacer Encomiastes ait: *Cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam, secundùm consuetudinem* DIEI FESTI, remansit puer Jesus in Jerusalem. In promptu causa est, cur die solenni, cur festo, cur sabbatho perditus sit; eam pe ut insinuaret nobis, sæpè perdendum se die sacro, aut Dominico à flagitiosis Christianis, qui sacris iis diebus, plus reliquis, peccato indulgerent. Rem tibi ad oculum depingo. *Luca 2. v. 42.*

Feriales dies cedunt negotiis, mercibus e-men-

mendis, vendendis, laboribus. Mercator in officina ad tenebras usque residet præstolaturus emptorem; faber incodi insudat in multam noctem; Causidicus litibus totus vacat, & codicibus evolvendis; Senator in curia decernit: sic illis fluunt dies; certè quàm parum de adeundo templo, Deoque sunt sollicitil Pauciores sacrificio Missæ, concionibus, rebusque divinis intersunt. Certè præcepto divino compulsi, ad Sacrum plumbeo adrepunt gradu, eoque tempore, quo tremendo sacrificio assistũt, confabulantur procaciùs, nugasq; agunt, non sine Domini præsentis injuria, & stomacho, aliorumque Deo supplicantium scandalo. Sed hoc uberiùs §. subsequenti.

Quid, quòd alii barbam sibi aptari curent, alii vestes aut calceos concinnari? tum scilicet res conficienda est, posthabitâ solemnioribus Encœniis, & festo debitâ observantiâ; tum rationes exigendæ, tum visitationes instituendæ, non Dei, sed hominum dignitate eximiorum, tum villæ adeundæ, tum venationibus, ambulationique ad fatigationem indulgendum, tum pingendum, tum denique domus perpurganda, animo interim sordescente.

Cap. 1. v. 14. Nonne queri posset Deus cum Isaia: *Solemnitates vestras odivit anima mea?* quasi diceret: Execror insolentias vestras in solemnitatibus. Esther. 9. Pudeat diem solemnem *absque solemnitate transigere!* Pudeat peccare *in conspectu Domini in* Ezech. 46 *solemnitatibus*. Erubescite Christiani de solemnibus epulis disputare *in insigni die solemnitatis vestræ*. Psal. 80. An non satis inculcatur in Decalogo sacrorum dierum reverentia, dum dicitur: *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices? Memento, memento*, tu saltem Christiane, quia pauci admodum meminerunt: nullo enim die graviora ac grandiora flagitia, quàm sabbatho, hoc est, die Domino dedicato, assolent perpetrari, in quæ Deus tragicè aliquando animadvertit.

Raynaud. Hagiol. Lugdu. fol. 178. Negligens religiosæ observationis, violatorque festi apprehenderat lævâ manu spicarum pugillum, falce, quam dextrâ tenebat, eum recisurus, cùm utrique manui, quod prehenderat, adhæsit adeò tenaciter, ut excuti nulla ratione posset. Agnovit miser festi temerator noxam suam, & tactus dolore cordis intrinsecus, ad sepulchrum S. Benedicti pœnæ laxationem exoraturus accurrit. Audivit supplicem vir sanctus, & miser visco illo, quo falx & spicæ manibus agglutinatæ erant, expeditus, utrasque temeritatis suæ, & divi Petri, cujus festam lucem violaverat, apud Deum gratiæ monumentum tumulo lætus appendit. Affinia exempla memorat P. Theophylus Raynaudus loco supra citato.

Verùm enimverò notandum, non excludi à Patribus, aut à nobis honestam animi, corporisque, in Encœniis, & festis relaxationem. Quinimò invitari fideles ad sinceram & illimem gaudiorum in Dedicationibus templi participationem. Sed id cautum sit, ne festa solius corporeæ relaxationis gratiâ videantur instituta. Homil. de beatis Iob & Abraham. *Festa intellige*, inquit Chrysostomus, *non relaxationem solam*. En *solam*, quasi relaxationem admistam non excludant. Ferendum sit Encœnia, festaq; in mera ac vera lætitia exigere, cùm agitur de festis civilibus. At christianorum festorum celebratio, alia esse debet, ut monet Nazianzenus orat. 39. in fine: Festum honestè " celebremus, non ventris deliciis operam " dantes, sed spiritualiter nos ipsos oblectan- " tes. Quonam autem modo deliciis indulge- " bimus? *Lavamini, mundi estote. Si peccato rubri estis, homines que sanguinei, quasi nix dealbabimini: si autem coccinei ac perfecti viri sanguinum, etiam usque ad lanæ candorem pervenite.* Aliter Gregorius Homil. 26 in Evang. idem graviter tradit, monstrans sic agendum hîc esse festum hominum, ut non exludamur eam ob causam à festo Angelorum æterno ac perpetuo; à quo excludi contingit illis, qui in festis temporalibus aliud præstant, quàm ad quod instituta sunt; nec tam sunt solliciti, ut per annuam celebritatem reficeretur memoria æternorum gaudiorum, ut sic ad ea desiderium incalescat, & ferveat, quàm ut gaudiis temporibus & fluxis colliquescant. Optimè S. Ephrem: Immundi atque peccati ebrietati- Inter hom. de Cruce. bus contaminati, etiam diebus festis atque solemnibus, sunt omnis celebritatis expertes. Celebritas bona ac pulchra, & Deo grata, est pœnitentia, cum lachrymis, & à peccatis abstinentia.

Denique cognitio, atque æternorum bonorum desiderium, tunc in Domino peragitur, tunc Ecclesia gloriatur, & exultat, & fideles convocat, dicens: *Congratulamini mihi, quoniam filius meus, hic mortuus erat* in peccatis, *& revixit* per pœnitentiam. Celebritas pulchra, & Deo accepta, ubi Christus celebratur, ubi Jesus invenitur in medio eorum, & non perditur. Celebratur autem Christus, ubi congregati sunt in nomine ipsius in charitate, sine inimicitia, & omni injuriarum memoriâ. Concelebratur Christus, ubi Deus in psalmis & hymnis, & sacris cantionibus honoratur. Beati, qui hoc modo in Encœniis congregati sunt in Christi nomine, non in popinis, sed cum populo in templis Deo consecratis ac dedicatis. Sic ergò festivitates honoremus, non mundanè, & vanè, sed divinè, non ritu gentilium, sed Christianorum. Non vestibula ac postes ædium nostrarum coronemus, non choreas ducamus, non tibiis & cytharis auditum effœminemus, non mollibus vestibus fulgere gaudeamus, non radiantibus auro circumquaque cingulis cingamur: non comessationibus nos commisceamus, non ebrietatibus nos farciamus.

Si quid deliciis dandum est, in sermone deliciemur, atque in lege divina, cum iis, quæ præsenti festo sunt consentanea. Transigamus cum hilari modestia, modestâque hilaritate Encœnia. Hæ sunt puræ Christianorum deliciæ, refici festivis diebus suavissimo pabulo illo, quibus Regibus præbet delicias. Hoc festivè est deliciari. Hæc sancta illa inebriatio, decens festivo die, quam præcedat interni palati expurgatio, & detersio per confessionem exactam: qui enim id prætermitterent, lamberent quidem petram, sed mel non exsugerent. Hæ deliciæ si præcesserint, nihil erit, quod prohibeat ea adjungere, quibus caro quoque exultet in Deum vivum.

De externis lætitiæ significationibus per excitatos ignes, ramos virentes, ac flores passim sparsos, nemo revocet in dubium, quin fas illis sit festivam hilaritatem per ea signa contestari, & cumulare. Sic S. Chrysostomus, cùm meminisset festivissimi nuncii, quod Flavianus urbi Antiochenæ per antecursorem promptum perferri curarat; addit, Antiochenos respirasse, & festum diem egisse, forum coronantes, & lucernas accendentes: neque id reprehendit Chrysostomus; sed præterea optat, ut eadem aliter per omne tempus præstent, non floribus, sed virtutibus se coronantes, & lumen bonorum actuum præferentes.

Homil. 20 ad pop.

Quod igitur dixi, carni insuper per festivam Encæniorum lætitiam indulgeri aliquid posse, pertinet ad esculenta, & poculenta, in quibus lautitia aliqua innoxia est propter festi lætitiam. Quod opificibus ex ima plebe à labore quiescentibus videtur indulgendum. Sed utinam inconditum vulgus, mensuram mediumque non tenens, tali indulgentiâ nimis quàm indulgenter non abutatur!

Claudatur eâ temperatione, de qua hactenus celebratum Encæniorum festum, lætissimo hoc fine. Revolvite, quæso, animo, quis fructus remaneat è populari, festoque applausu? Sol occidit, & ecce illicò plausus ille amarescit; festoque peracto, quasi in somnis sint deliciati, ita omni voluptate destituti tripudiatores consistunt, dum nec à corona, nec ab Attalica veste, nec à reliquo fastu universo conceptam voluptatem, si quærant, invenire valeant, quòd omnia illa quovis zephyro celeriùs avolent. Cæterùm in cælesti illo templo æterna agitur festivitas, incessabile tripudium. Nam illic non homines ebrii, sed cælites, Angelorum Domino comprobante, æternum exultantibus applaudunt. Nec uno, alterove die, sed in perpetuas æternitates triumphant illic, nec unquam coronata lauro, & auro capita gloriâ nudantur. Et pauperi licet hîc concelebrare festalia, imò pauperi maximè: quippe qui ab omni mundi fastu strepituque liberum festum agat: nec enim opus est opulentiâ, & pecuniarum impendiis, sed animo puro & mente sobria. Hæc enim est, quæ vestes texit animæ, hæc, quæ coronas concinnat. Hanc celebritatem non modò masculi liberi, sed etiam puellæ concelebrent: & fœminas illud recipit theatrum, & senes, & juvenes, & servos, & ingenuos. Ruperti hæc est clausula: *Quomodo post septem hebdomadas*, ait, festivus hic dies erumpit; sic post mundi circuitum, in quo nunc laboramus, ille dies æternaliter festivus effulgebit, quo jam non laborabimus; sed felici otio compositi, Solem verum festo diademate coronatum spectabimus, mirabimur, laudabimus, ubi in templo gloriæ Encænia sempiterna, nunquam finienda jucunditate, atque tripudio concelebrabimus.

lib. 10. de offic. cap. 12.

§. II.

Dedicatio, & sanctificatio Templi Salomonis. 2. Paral. 7.

Si quis oculos, animumque in augustissimum illud templum Salomonis, cui Deus ideam præscripsit, intenderit, ad ejus amplitudinem, opulentiam, magnificentiam, omnes Regum Basilicæ, Imperatorum curiæ, septem orbis miracula, aurea domus Neronis, omnia Regum palatia, non nisi rustica mapalia & tuguria videbuntur.

Operarii templi tot fuerunt, ut fides laboraret, nisi eam sacri annales adstruerent. Et Hierosolymis quidem in hac mole exstruenda laborarunt supra centũ hominum millia, sexaginta quinque millia. Præfectorum tria millia trecenti: Proselytorum in monte onera portantium, septuaginta millia: latomorum & saxa templo parantium octoginta millia. Ita Chronicon Regum. 2. Paralip. 2. Porrò sacerdotes penè innumeri. Quatuor millia Janitores, totidem psaltes canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum.

1 Paral. 23

Sumptus à Davide huic operi collati incredibiles & immensi, Cornelius numerat duo millia millionum auri, & quadringentos. Locupletior testis non erit quam ipse Rex David, qui de his ipsis sumptibus: *Ecce ego*, inquit, *in paupertate mea, præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, argenti mille millia talentorum.*

Cornel. in Exod.

1. Paral. 22.

Nunc populi, aliorumque potentum, profusam in templi fabricam, liberalitatem attendite. Populus, inquit Pineda, taurum ferri, æris, argenti, auri contulit, ut id Hispanicæ monetæ efficiat, mille ducentos & octo milliones, centum & nonaginta sex millia ducatorum aureorum. Hoc è computatione diligentissimâ Vilalpandi sumptum.

Neque verò solus populus, sed & omnes ac singuli Principes ac dynastiæ promtissimis manibus opes contulerunt: apud quemcumque inventi sunt lapides pretiosi, dederunt in thesauros domus Domini, per manus Johiel Gersonitis. Quid mirum, si argentum illis diebus fuerit *ut lutum platearum*, atque ipsum templum, omniaque vasa sacra, auro radiarint?

1. Paral. cap. ult.

2. Reg 12.

Atque hæc omnia ut arca fœderis, in quâ virga Moysis & aliquid manna repositum, illic asservaretur. Eum in finem Sancta Sanctorum operuit Salomon, atque *vestivit auro purissimo*. Texit quoque Cherubim auro, nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur.

3. Reg 6.

Quod si supellectilem spectemus, argenteorum vasorum tanta erat multitudo, ut ea in numerum cogi non potuerint. Solum igitur numeremus vasa ex puro puto auro confecta. Primo fuerunt decem candelabra majora ex auro purissimo. Decem millia mensarum minorum, totidemque minora candelabra, omnia ex auro purissimo. Mensuræ, cupæ, thuribula, phialæ, litatoria viginti millia ex auro. Instrumenta ex electro quadraginta millia. Crateræ aureæ ad subigendam similam sexaginta millia. Canthari vinarii, & lances aureæ octoginta millia. Phialarum aurearum centum millia. Summa vasorum aureorum quadringenta & viginti millia. Ita Josephus testis oculatus templi.

Drexel Salomon cap. 19.

Hic splendor, hæc opulentia, hæc magnificentia fuit templi Salomonici, cujus dedicatione nihil unquam orbis vidit augustius: nam ignis descendit de cælo & devoravit holo-,, causta

2. Paral. 7 v. 1.

causta & victimas : & majestas Domini implevit domum, nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eò quod implesset majestas Domini templum Domini. Sed & omnes filii Israel videbant descendentem ignem & gloriam Domini super terram: & corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt, & lauderunt Dominum.

Quo divinæ benevolentiæ ac propitiationis testimonio amplissimæ hujus fabricæ magnificentiam maximè sibi acceptam comprobavit, & Majestate sua condecoravit, ac mille benedictionibus locupletavit.

2. Paral. 7. 4. Rex autem, & omnis populus immolabat victimas coram Domino. Mactavit igitur Rex Salomon hostias, boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia : *& DEDICAVIT domum Dei Rex, & universus populus.* Sacerdotes autem stabant in officiis, &c.

V. 12. *Apparuit autem ei Dominus, & ait: Elegi locum istum mihi in domum sacrificii. Si clausero cælum, & pluvia non fluxerit, & mandavero & præcepero locustæ, ut devoret terram, & misero pestilentiam in populum meum; oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, QUI IN LOCO ILLO ORAVERIT: elegi enim & sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum.*

Verùm enimverò omnis hujus templi gloria, magnificentia & excellentia, tota obscuratur vel unius sacrâ Christianorum basilicâ, in qua divina humanitas, & Deus homo corporaliter requiescit. Quod Justinianus Imperator argutè demonstravit, dum augustissimo illo sancto Sophiæ templo, Sapientiæ Incarnatæ exstructo, *in aditu vestibuli post januam, collocavit statuam Salomonis, velut occultantis sese, & vincti erubescentis.*

Fullonius in lib. 2. Machab. cap. 10. pag. 350.

At quanam parte superatum à se Salomonem Justinianus gloriari potuit? Non opulentiâ opinor, aut divitiis: neque enim tot aureorum millionum millia, quot Salomon, in ædem illam insumpserat. Non etiam arte structuræ & architectonices elegantiâ Justinianus sese superasse Solimæam fabricam jactare audeat, de qua cùm Villalpandus, qui eam ad amussim tribus tomis descripsit, coram Philippo II. Hispaniarum Rege luculenter dissereret, fertur ille attonitus exclamasse: *O estrano edificio!* ô mirandum ædificium!

Demus tamen, Justinianæam Basilicam multum splendore, operis pulchritudine, materiæ opulentiâ, Salumonico templo concedere. At vel minimum Christianorum templum, & humile sacellum, sanctitate, sacrificio, religione, veneratione tantùm, molem illam auream templi Hierosolymitani exsuperat, ut ad singulorum vestibulum, si Salomon ipse redivivus sistatur, admiratione sanctimoniæ defixus, sese ultrò cedere fassurus sit.

Somniũ Jacob, typus Ecclesiæ. Manifestum hujus argumenti typum expressum cernimus Gen. 28. v. 17. Per somnium olim Patriarchæ Jacob objecta est scala in cælum porrecta, per quam Angeli ascendebant, & descendebant: ipsi verò summitati scalæ Deus inniti videbatur. Qua visione conterritus, exclamat: *Quàm terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* Cajetanus Cardinalis hîc, ait eum timuisse, quemadmodum, cùm primùm venimus in conspectum maximi cujuspiam & sapientissimi Principis, vehementer timemus, ne quid sibi displicens in nobis videatur. Sic etiam Jacob timuit, considerando seipsum, cùm respectu ad præsentiam Dei & frequentiam Angelorum, metuens, ne sua sibi peccata & defectus imputarentur.

Gen. 28. Cajetan. hic.

Ac tandem subdit: ad litteram visio ista fuit figura, & quasi templi quædam, in eo loco postea ædificandi adumbratio. Unde Rupertus: *Notandum, quòd Iacob non ipsum Dominum, sed locum expavescit, & terribilem esse dicit. Sed quidnam pavoris & terroris per se locus ille poterat habere? An quia Dominum in eo loco viderat in quiete? Nempe & in aliis locis tam ipsi, quàm patri & avo ejus, idem Deus apparuerat. Ergò non dubium, quin hoc per spiritum propheticè præviderit, quidnam illo somnio significaretur, & augustiorem alium, sanctioremque locum, cujus ille erat figura, pertinuerit. Talis autem locus Ecclesia Dei est, & in ea terribilia Dei opera patranda.*

Pererius hic. Rupert. lib. 7. comm. in Gen. cap. 23.

Illic luci, in sacris confessionum tribunalibus, in tremendo Eucharistiæ mysterio, à cælestibus nunciis, qui descendentes, & ascendentes, preces nostras ad Deum deferunt, tam stupenda peraguntur, ut has in voces prorumpere cum Propheta liceat: *Consideravi opera tua, & expavi.* Non convolant, ait D. Chrysostomus, apes avidiùs ad alveare, ut mel conficiant, quàm ipsi Angeli, ut cælestem gratiæ rorem, animis instillent. Omne apum studium, omnis sedulitas est, ire & redire, evolant, avolant, campos floribus vernantes impigre pererrant: cælestes apiculæ pari modo convolant ad Ecclesiam, quasi campum amœnissimis deliciis refertum; ubi ex eo, qui est flos campi, & lilium convallium, mella virtutum depromunt. Uberiùs hæc propinat, atque proponit Doctor mellifluus serm. 6. in Dedic. Eccl. ubi visionem Jacob expendens, rectè subjungit: *Quàm terribilis est iste locus* (de templo loquitur) *quàm evidentiùs, certiusque, Dominus est in loco isto; ubi nimirum non modo duo aut tres, sed tam multi in ipsius congregati nomine perseverant.* Ut enim Deus noster immensus, omni loco intimè præsens sit, peculiariter tamen quasi in domo ac regia sua dicitur esse in cælo, & in templo: uti intellectus, qui juxta Philosophos idem cum animo est, per totum corpus diffunditur; sed peculiari ratione in capite esse cognoscitur, atque ita: *Verè Dominus est in loco isto*; hinc summa animi veneratione exclamat: *Terribilis planè locus, & dignus omni reverentiâ, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli sancti frequentant, quem sua quoque præsentia Dominus ipse dignatur.* Quæ tantam loco isti religionem ac sanctitatem confert, ut ipsos ingredientes, singulari quadam Numinis illic præsentis prærogativâ, expiare & sanctificare videatur.

Lanuza hom. 18. §. 7.

Bern. cit.

Sed quotusquisque est, quem percellat ista Dei in templo præsentia, & ad reverentiam inflectat? Næ silentio præterrem libens temporum

porum injuriam, atque Ecclesiæ vulnus, nisi in oculos passim omnium incurreret: Tametsi *Abacuc* 2. verò silere velim, *lapis de pariete clamabit.* Non illud jam queror, (etsi est magnopere deplorandum) plerosque sacris ædibus minùs se frequentes præbere, eoque tempore libentiùs in popinarum sumo delitescere. Feteodnm illud utcumque est. Sed ô spectaculum, non modò hominibus & Angelis præsentibus, sed & templorum tectis ipsis, ac patietibus luctuosum! quis enim tolerandum putet, ut passim in templis sic, tamquam in foro ac plateis versari homines audeant, ac de negotiis suis plusquam otiosos conferre sermones, jocari, inconditos cachinnos extollere, artidere nó aosim dicere quibus; quodne io delictis quidem numerari volunt homunciones isti. Sunt etiam, qui templi septa ingressos aulicum in motem cósalutent, priusquam Regem Regum præsentem, ejusque matrem Angelicâ salutatione venerentur. Illud verò, quod dicam, quo mœrore animi, quo gemitu deflendum est? Intra Ecclesiæ septa, quo tempore incruenta Deo Patri victima, dæmonibus terribilis, hominib⁹ salutaris offertur, videte est cincinatos illos, barbatulos sedentes, & oscitantes capillitium barbamque mulcere, contorquere huc atque illuc dissolutos, petulantesque oculos, pulsare socios, inassidentis aurem nugacitatis aliquid insusurrare. Tum ubi victima divinissima attollitur, extemplò scamno exsiliunt, unoque in terram genu posito, altero collineantis ad scopum instar extento, toto corpore scamno incumbunt, ac rerum Domino frontis suæ duritiem objiciunt. Vah penè sacrilegii dedecus Christiano pudendum! Hìc Throni, hìc Seraphini prostrati contremiscunt, homines nec præsentem majestatem verentur, nec reverentur. O Ecclesia, Ecclesia, Christi sponsa, adeò à primis olim Christianis in honore habita; quas abominationes non vides modò? Quas ita plangit Deus Jeremiæ 11. *Verf.* 15. *Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Qid ergò? Non te, Christiane, loci sanctitas; nec altaria Dei vivi sanguinem sustinentia, nec Sacerdotes sacro horrore palpitantes ad sacrosancta, quæ proloquuntur, verba; nec inclinata in terram Angelorum turba; nec præsens innata majestas; nec prodigiis venerandæ Virginis Matris imagines; nec Sanctorum, quæ venerationi expositæ sunt reliquiæ; nec mortuorum, qui te sustentant, tumuli; nec organa divinis laudibus resonantia ad reverentiam inflectere potuerunt? nonne vides reliquos homines solo affixos compunctis animis, ac pietatis sensu tenerrimo, genis fletu madentibus? Tu solus hìc reliquis audentior tamquam in theatro nugacitatis scenam procaciter agas? Tu Deo, dominantium Domino honorem debitum præstare detrectes?

Ubi Princeps in conclave obviam prodit, ad eum qui se invisetat dedocendum, nemo adest præsens, qnin è vestigio consurgat, ludo, sermoneque abrupto, nemo, quin officiosè salutet, divisâ utrimque salutantium serie, quin summo silentio, & aperto capite, erecto corpore, oculis fixis, immotisque etvicibus Domino incedenti viam præbeat.

Exclamat fugiendo Chrysologus: *Quid est, quid est, quod homini altare toto tempore libet, & Deo assistere nec puncto libet?* Tam reverenter agitis cum hominibus, quibus estis pares conditione, inferiores dignitate & loco; & divinitatem altaria adimplentem præsentia sua, tam irreligiose excipitis? Mirum profectò est, quòd ea irreverentia cæli armamentarium fulminibus non exhauriat, ad vastanda non templa dumtaxat, in equorum stabula & armamentaria bellica commutanda; sed ad orbem universum perdendom. Pudeat humiliori proclinatione, majoreq; observantia prosequi Magnates in thronis, quàm Christum, quàm Trinitatem augustissimam in templis. Pudeat habere Principes in Deos, & Deum quasi vectigalem, atque obnoxium iis, quos supra ipsam divinitatem adoratis. Reveremini, per me licet, coronata capita, sed non adorate; sin vultis creaturas luto cópactas, in suis palatiis honorate & colere; absit, absit, ut eundem cultum dettahatis Creatori illorum & vestro, cùm ipsi in Ecclesiis ejus præsentes adstatis. *Serm.* 43. *tom.* 36. 129.

Sed quid est, quòd collationem instituam inter illustrium Principum conclavia, & Dei tabernacula? tantùm à vobis exigo, si pari ratione habeatis Sacerdotes, quando sacrificium tremendum omnipotenti Deo ad aras offerunt, quâ habetis scenicos Histriones in theatris, in quibus decantatur aut Amatillidis lasciva infamia, aut Medeæ Colchidis insania, aut Jovis Metamorphoses, aut debacchatis Didonis furores. Quid leviùs imperare vobis possim, aut à vobis impetrare? Non enim decet, mihi credite, theatrum infamiam conferre cum altaribus illis, ubi vivus ebullit, & à Sacerdotibus Jesu cruor exsugitur. Operæ pretium est verba S. Chrysost. hìc inserere: Non est, inquit ille, adolescens adeò depravatus, nec mulier adeò dissoluta, quin amoto sipario vocem contineat, & occinenti fabulam aures benignas præbeat: si enim in frequenti illo numerosoque spectatorum cœtu aliquis petulantiori corporis gestu alius incommodet, si verbis obstrepat, omnes in illum ora, atque oculos convertent indignantes, illum increpabunt, & nisi quiescat, fustibus è luco, ac turba exturbabunt, atque eliminabunt. *Cùm in theatro chori canunt Satanici, summa est quies, & silentium maximum, ut perniciosa percipiantur cantica: hìc, qui chorum ducit, est Propheta: qui autem canitur, non est dæmon, sed Deus.* Contra in Ecclesia, in qua Davidis Psalmi concinuntur, & Evangelium Christi, audiuntur offensionis plena colloquia. Quàm vellem ejusmodi homunciones inemores essent istius in Iodia Regis: recensad fidem conversi, qui Ephœbum ob exercitam in templu petulantiam, capitis damnavit: deprecantibus culpam Patribus nostris, & christianæ legis mansuetudinem propunentibus; quid, ait, patiar? Coram me si se non continuisset, puniretur; & coram divina Majestate insolescentem, illamque minus, quàm me reverentem, non plectam? Fuit præterea com S. Bennoni Episcopo rem divinam facienti, alteri verba pro concione ad populum habenti, ranæ obstrepebant: silere jussæ, siluerunt: ubi S. Ambrosius exclamat: *Silent paludes, & homines non* *In Pf.* 8. *To.* 31. 30.

 sile-

silebunt? Irrationale animal per reverentiam recognoscit, quod per naturam ignorat; hominum tanta erit immodestia, ut plerique deferre nesciant religioni, quod aurium deferunt voluptati? Quis enim subinde ut grata auribus percipiat, non silet, & aliorum etiam silentium curat? At de re divina minor est cura. Quid facitis? An domus, an musæa, an areæ non patent ad nugas? An loca Deo sacrata, an Dei laudes, an preces, an immixtos & astantes precantibus Angelos flocci facitis? Cogitari possent interdum Angeli debere sibi vim facere, ne nos à templo abstrahant, eodemque, quo Christus flagello profanatores sacrilegos olim percussit, expellant. Dominus est in loco isto, *terribilis est locus iste*, & si modò ibi fulmina non videmus, & nequidem flagella de funiculis, utinam nun quanto modo Dominus est benignior & patientior, non tanto aliquando sit terribilior!

Obiter hic illos perstrictus velim, qui, si quod vanitatis illicium objicitur oculis, si qua comptior & ornatior templum ingreditur, ad eam oculos convertunt, & pravis cogitationibus, quasi non satis spontè se ingerant, materiam & pabulum etiam in templo quærunt: *Quid agis, O homo*, ait D. Chrysostomus To. 3. de non contemnenda Eccl. *Quid agis in templo stans? formas mulierum contemplaris? Lupanar tibi Ecclesia videtur, & foro, ipso despicabilior?* Similia certè neque in foro ipso audere deceret.

Dum hæretici Basilicas sacras, & recens ad fidem conversi templa perlustrant, quas putaverant esse cœnacula spiritus, imagines Paradisi, thronos sanctitatis, ubi vident hîc cõplures otiosos qui dormiunt; illic malè negotiosos, qui nugantur, illic adolescentes intemperantes, coactos in circulum, qui procaciter confabulantur; ubi audiunt aliquando in Psalmorum cãtu festinari, præcipitari sacrificia, relinqui altaria, & in locum lacrymarum, risus & cachinnos attoniti deprehendunt, præ stupore exclamãt: hiccine *terribis est locus iste*: Hæc domus Dei est; Hic ossa Sanctorum adeò venerabilium conquiescunt; Hic Cæsares ponunt coronas, & prosternunt se: Hic hauritur oculis pietas toties decantata, & animis nostris sæpe delineata: Hæccine adorata religio, gravitas, reverentia: Ita illi, nec sanè injuria loquerentur.

Cavete ergò, Christiani, sublimes vestros titulos illos, & pietatem laudatissimam, totoque orbe celebratissimam turpi maculâ levitatis commaculare, ne à mille linguis, & mille calamis lacerentur. Reprehensione demum digni sunt isti, qui cultum templorum, instructũ apparatumque altariũ ad magnificentiam, ornatorum cum invido Juda reprehendunt, sugillãtes passim: *Ut quid perditio hæc?* ut quid illæ cælo æquatæ turres: ut quid altaria marmore instrata, ex Alabastro statuæ, ex argento candelabra & vasa, ex auro calices: Cùm illi interim cavillatores, dæmonum mancipia sub splendidis tectis commorentur, ubi camini ipsi marmore elaborato radiant, vasa omnia vel viliori usui servientia argento, & auro resplendeant. Cùm interim filiæ illorum *circumornatæ ut similitudo templi*, longè pretiosius, fœtidum corpusculum exornent, quà sacræ cælitum thecæ, ac sacrosanctum Christi corpus obveletur: assolent illæ pallas suas sæpius, quàm in templis aræ frontale commutare: plus in pastillis, suffitu, unguentis, quàm verò Numini thuris insumitur. O perditos mores! *Ut quid perditio hæc?*

Matt. 26. Ioan. 12.

Psal. 43.

Sordida nimis est tenacitas nostra, & Christianorum pluribus in templis avara parsimonia, non una attenditur, ardetque lampas sacris Divorum lypsanis, neque ipsi, quod deplorandum magis, Venerabili Eucharistiæ Sacramento; & tamen Turcarum Mosquææ (quas nos Ecclesias dicimus) & sacellum, detestandi Mahomeris exuviis ac tumulo infame, lampadibus tam argento, quàm igne collucentibus ad tria millia; ex auro verò solido, sex supra triginta diu noctuque splendidissimè renident. Non ago de Mosquæis superbioribus, quæ visuntur in Cayro, Ægypti urbe principe, ad sexies mille supra octingentas. In Fessa civitate Metropolis (*Carannem* dicunt) nongentis lampadibus refulget, & (si recentiori historico credimus) quot diebus ducentorum aureorum censum numerat. Mitto fana alia aliis in locis erecta.

Radzivil. itin. Hierosol.

Loober de cultu templ.

Estats & Empires tom. 2.

Illud verò præterire non possum: Spectandum in Geilano regno fanum, vastum mole, opere conspicuum, totâ Indiâ celebratum; *Pagodem* appellabant incolæ. In eo colebatur Deus simii candidi, auro gemmisque inclusi. Illius dentis adorandi ergò, à quingentis circũquaq; milliarib⁹, magno numero peregrini cõfluebãt Quæ irreligiosa religio non modò plebeculæ, sed & Regum sensus ita dementarat, ut ex eorum numero nemo unus esset, qui non quot annis Legatum eò destinaret, & superstitiosæ religionis causa dentis illius imaginem ceræ impressam, earoque emptam reportaret. Venit fortè miser ille Deus in Lusitanorum potestatem, oblato septingentorum millium aureorũ lytro, eum repetierunt Indi. Lusitani pretium nihili fecerunt, ne superstitionem impiam restaurare viderentur. Adeste, adeste nonmodò hæretici, sed etiam vos sacrorum exsibilatores Christiani, ut à Barbaris aliquid, gẽtilibusque in pios usus deducatis. Quis vestrûm posthac invideat supremi Numinis aris, ac sacrarioribus illis magnarum animarum, & virtutis amantium exuviis, & aurum & gemmas etiam totius ditissimi Orientis magnificè æque ac munificè super impendi. Cùm quidquid in orbe magnum, quidquid superbum, quidquid carum & rarum, minus dignum sit augustissima illa majestate, quam *celi cælorum non capiunt*.

Iarric. hist. Ind.

DE
COMMUNI ORATIONE
IN PUBLICA NECESSITATE.

Iuvenes & virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini. Psal.148.



Quàm varium, tam dulce melos.

ARGUMENTUM.

SEcretam in cubiculi abditis orationem, multa commendant; non sic tamen ut publicâ, quæ in commune fit, præferri debeat aut etiam possit: ut enim observavit Hilarius, Christus ipse, qui videbatur clauso ostio orandum præcepisse, *in tantum humanæ pacis studuit concordiæ, ut unitatis merito, omnia quæ à Deo precanda sunt, impetranda esse confirmet.* Hil.18. in Matth. Est certè rerum omnium ex variis perfectionibus collectarum gratia ac dignitas major: quidni etiam apud Deum? quando etiam hic in vestibus, oleo, suffitu sacro compositionem adamare se monstravit. Est & utilitas evidentior: quia, ut rectè Ambrosius, *dum singuli orant pro omnibus, sequitur ut omnes orent pro singulis*: Ambr. l. de Cain & Abel. unde in publicis necessitatibus nihil videmus frequentius quàm supplicationes deprecationesque communiter institui, ut quod impetrare vix possent singuli, exorent universi. Est enim vis unita fortior, cumque pro magnis quibusdam vel avertendis malis, vel bonis consequendis, vim sibi inferri velit quandoque Deus, accidit non ratò, ut aliter impetrari nequeat, quod postulatur: quod si uspiàm, in publicis maximè necessitatibus, valet.

§. I. *Orationis communiter factæ dignitas.*
§. II. *Ejusdem in publicis necessitatibus utilitas.*
§. III. *Imò & necessitas frequens.*

DE
COMMUNI ORATIONE
IN PUBLICA NECESSITATE.

Iuvenes & virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini. Psal. 148.



Quàm utile quàmque necessarium sit hominibus ad omnium bonorū fontem ac largitorem Deum per orationem recurrere, & adire cum fiducia thronum gratiæ ac misericordiæ, quotiescumque vel congruis destituimur commodis, vel incommoda sustinemus præsentia, aut formidamus ventura, quæ auferri avertivè publicè privatimvè interfit, non est animus hic explicare dicendo; quanduquidem nemo sit, qui conditionis humanæ perpetuam à summo illo ente dependentiam novit, quin etiam noverit, non esse nos, quod monet Apostolus,
2. Cor. 3. *sufficientes ex nobis quasi ex nobis*, sed omnem sufficientiam nostram esse ex eo, in quo uno vivimus, movemur, & sumus; & ejus abundantiam tum denique in nos derivamus, cum precibus & obsecrationibus insistentes, velut canalem effodimus, per quem ipsa influere in nos possit Divinitas.

Illud video hoc tempore, quo propter communem patriæ necessitatem orandum esse instantius Deum omnes agnoscunt, controverti posse; efficaciorne futura oratio sit, si pro suo quisque arbitratu intra privatos parietes, clauso ut Christus docuit ostio, Patrem cælestem oret in abscondito; quàm si ad fundendas communiter preces collectus in unum confluat populus Christianus.

Etenim plurima sunt, quæ secretam reductamque ab aliorum consortione orationem vehementer commendent, sive scripturarum consulamus oracula, sive exempla inspiciamus Sanctorum, sive ipsam ejusmodi precationis naturam. Nam quid illis Christi verbis possit esse expressiùs?
Math. 6. *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum.*

Quid in Sanctorum vitis frequentiùs legitur, quàm eos qui erant studiosiores orandi, solertiores quoque fuisse, ut loca occasionesque invenirent, quibus absque arbitris id facere possent? Quæ res cavernas montium, eremorum solitudines, silvarum latebras innumeris olim monachis implevit, & etiamnum sacra monasteria replet? Quid denique usu ipso testatius, quàm istic faciliùs exaudiri à Deo hominem, ubi ipse sese intelligit melius, nullo externorum objectorum incursu interpellante?

Est tamen ubi, quemadmodum utilius, sic & consultius sit, prodire è latebris oraturos, communesque preces in commune conferre; ut quod de minoribus majoribusque mandatis religiosè explendis Christus monuit, *hæc oportuit facere, & illa non omittere*, in hac quoque materia habere locum videatur: & quidem Math. 23 pari ferè proportione. Nam quemadmodum graviorum mandatorum explendorum, ut est necessitas major, sic occasio rarior: minora è contra, in omnem penè humanam actionem, sese ingerunt, ideòque nequeunt pari exactitudine semper & ubilibet observari: sic privatæ illi orationi vacandum est crebriùs, publicæ solicitiùs.

Neque verò Christus apud Matthæum, clauso ostio orare jubens, sic est intelligendus, quasi seorsim ab aliis orari semper velit: cùm econtra ad jungendas inter orandum preces voluerit discipulos suos efficacissimo quodam ad persuasionem argumento permovere; promittens certò certius obtinendum, quidquid hâc ratione postulassent, cùm illis ait: *Si duo* Math. 18
ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis: & promissionem additâ ratione confirmat: *ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quod si istic ubi duo vel tres; quantò magis ubi multi aut simul omnes sic convenere, in medio omnium erit is, qui non Andreæ, non Joanni, non Jacobo seorsim; sed simul omnibus dixisse legitur: *Ecce ego vobiscum sum, usque* Math. 28
ad consummationem sæculi.

Liceat igitur quod de bonis operibus, non in publico faciendis, à Christo dictum interpretans Gregorius Magnus usurpavit, ad orationem transferre, & dicere: *Sic autem oratio* Greg. hom. 11. in Evang.
fiat in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut & de collata in commune prece proximo præbeatur, nobisque ipsis sumatur auxilium, *& tamen per intentionem, quâ soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum.*

Hoc autem tunc, etiam in publico, utilissimè fiet; quando ad secretum intentionis, soli Deo placere volentis, de quo Gregorius; adjungetur etiam secretum cordis, ad nullas extraneas curas affectu cogitatiove distracti: hæc enim est illa laudabilis solitudo mentis, sine qua corporis secretio valet nihil: hoc illud cubiculum, cujus ostia super orantem claudenda monuit Dominus, parum sollicitus quod ostio ex tabulis compacto fieret. Aliàs enim non fuisset in Scripturis laudatus Daniel, Dan. 6.
quod

quod ingressus domum suam, fenestris apertis in cœnaculo suo (quo scilicet conspici etiam aliis posset) *tribus temporibus in die flectebat genua & adorabat*.

In quo quidem magnus hic & humano quovis respectu atque timore sublimior Propheta, videtur mihi vel in ipsa sui cubiculi solitudine, qualemcumque speciem publicæ atque communis orationis sectatus esse, & quadamtenus tenuisse. Cùm enim abductis in Babylonicam captivitatem Iudæis, & templo Hierosolymitano destructo, neque locus, neque facultas adesset conveniendi ad orationem communem: illa tamen certatum per diem observatio horarum (qua omnes quotquot erant usquam Judaici generis & religionis tenaciores, pariter in oratione prostrati adorabant) imaginem quamdam referebat synagogæ, in unum collectæ, ad immolandum Domino vitulos labiorum suorum, congregatis in uno deprecationis spiritu, qui non poterant corpore congregari.

Hoc autem modo etiam in lege nova videmus sanctissimos anachoretas, quos divinus spiritus in deserta solitudinesque expulerat, tentandus à diabolo & singulari pugnâ cum hoste committendos, eòque gloriosiùs de ipso triumphaturos; videmus, inquam, anachoretas ejusmodi stata precandi psallendique tenuisse tempora, æquè ac illos qui cœnobiorum Ecclesiis communi Psalmodiæ insistebant: quasi multùm referre existimarent, eo à se tempore cælum suis pulsari precibus, quo itidem ab aliis ubique Monachis eidem vim inferri sciebant.

Nullâ ergò aut veritatis evangelicæ injuriâ, aut orationis privatæ depressione fiet à nobis, quod hic faciendum proposuimus, ut publicæ orationis dignitatem, utilitatem, necessitatem exponendo, omnes vos adhortemur, ut ad ipsam diligentiâ & alacritate conveniatis magnâ, nec minori eidem insistatis solicitudini; religione autem tantò majori, quantò plura ejus incitamenta confert aliorum præsentia & fervor, ne in illa coram Deo & Angelis ejus collectâ multitudine assistamus indigni, nostroque defectu fiat, quo minùs tam multorum tam conjuncta oratio, votum effectumq; sortiatur.

§. I.

Dignitas publicæ orationis.

Rationis communis decreto ac lege quadam naturali, ubique locorum nationumque recepta, constitutum ac penè ingenitum est, ut non tantùm excellentiorem naturam aliquam essentiamque, cui humana hæc aliæque inferiores subsitæ sint, agnuscant ac venerentur, homines quantumcumque barbari: sed eidem etiam communiter adorandæ invocandæque publicitus designata habeant loca, fana, delubra. Et quamvis in ipso religioli cultus objecto plurimùm inter se discrepent, in ritibus etiam ceremoniisque servandis sint admodum varii; in hoc tamen conveniunt universi (quibus quidem est aliqua respublicæ vel con-

victus humani forma) ut existiment eam non posse subsistere, nisi exercendæ communiter qualicumque religioni, votisque faciendis atque solvendis, unum pluribus templum sit, quòd eos capiat uniatque: ut vel hoc nomine humani omnis sensus, expertes habiti Petrolusiani fuerint, qui, Petro Cluniacensi teste, *blasphemantes ajebant, nihil differre templum à taberna, aram ab hara*.

Templa porrò non eò solùm erigebantur, ut in iis soli sacerdotes, selecta ad cultum divinum populi portio, certisque consecrata devotionibus, sacrificia, victimasque offerendo Numen, populo placarent universo, ipso interim ab orandi precandique curâ excercitusque soluto: sed etiam ut in iisdem convenientes omnis conditionis sexus, & ætatis personæ, communem fundere possent orationem; quemadmodum à Christo dictum est, *Domus mea domus orationis vocabitur*: quod ut expressius intelligerent Christiani, inductum est usu, jam inde ab Apostolicis temporibus derivato, ut templa nostra Græcâ voce nuncupentur *Ecclesiæ*, ἀπὸ *ἐκκλήσεως à convocatione seu congregatione*, quarumcumque promiscuè personarum: quomodò eâ voce Demosthenes, aliique Græcorum Principes usi semper sunt, ut ἐκκλησίαν ποιεῖν idem iis esset, quod *populi concionem cœtumve cogere*. Qui ergò ipsi sacro loco nomen hoc indidere, quod populi significat collectionem: numquid non omnem populum illuc convocandum constituere? Ad quid autem? An ut sacris otiosus spectator assisteret, vel incuriosus auditur? Minimè verò? sed ut ipse Deum istic communiter sibi loquentem percipientemque audiret; & vicissim Deo loqueretur; vel supplicabundus in preces, vel gratulabundus in laudes ac gratiarum actiones effusus. Matth. 21

Quamvis enim solos Mystas reciperent gentilium superstitionum adita, & sancta Salomonica sacerdotem dumtaxat, thymiama coram Arca fœderis oblaturum, admitterent; veteres verò Christiani velis cortinisque aut etiam cancellis τὸ ἱερὸν βῆμα seu *sacrum altarium* circumcingeret, ita Græcè dictum, quasi Christus Dominus suum in ara Tribunal, non justitiæ sed misericordiæ, circumsidente veluti Cleri senatu haberet constitutum: pars tamen major amplior que loci sacri relinquebatur populo, venerabundè adstanti, vel per porticus circumfuso, neque ignoraret planè, quid agerertur intus: neque etiam arbitrari singula tùs posset oculis, sed ab his reducta mysteria reverentiam, eorumdum verò conspicua signa attentionem acuerent exorantium; & intus abditi sacrificantes cum foris adstantibus rem divinam offerre communiter, communesque Numini preces conferentur exhibere. *Est enim* secundùm D. Joannem Chrysostomum, *in hoc plus aliquid: videlicet concordia conspiratio, copula amoris & caritatis, & sacerdotum preces: præsunt enim ob eam rem sacerdotes, ut populi orationes, quæ infirmiores per se forent, validiores illas complexa, simul in cælum evehantur*. S. Chrys. hom. 3 de incompr. Dei nat.

Tantùm autem abest ut illa conditionum, sexuum, ætatumque diversitas, confusam & summo

summo Regi acceptabilem minùs reddant ejusmodi orationem; ut econtra ex ipsa varietate supplicantium, gratissima existat harmonia: quemadmodum in proposito nobis emblemate, diversæ magnitudinis atque toni campanæ, QUAM VARIUM TAM DULCE MELOS reddunt, si fuerint manu peritâ pulsatæ, vel automati ipsius claviculæ sic ordinatæ, ut modo ac ordine impellant malleolos singularum. Cùm sola major campana auditur, concurrit animis consternata plebs, ad arma, ad ignem cieri se rata: cum supparis magnitudinis duæ vel tres funebrem demortuis lessum intonant, ingemiscimus memoriæ raptorum ab hac luce amicorum: æra autem minuscula, acuto suo tinnitu, puerorum potiùs crepitacula referunt, quàm arte editos tonos. Ipsa interim simul omnia si in unam contemperantur harmoniam, concordia illa discors QUAM VARIUM TAM DULCE MELOS creat, integræque civitatis aures animosque mulcendo recreat.

Quid? numquid ipse quo nunc utimur sermo, ex solis vocalibus litteris constituitur? sunt illæ quidem in eo præcipuæ: sed nisi accesserint consonantes, eæque variorum generum variæ, graves tenues, mediæque; balatum fortassis ovium aut boum mugitum poteris imitari, vel ranam coaxantem, vocum autem articulatarum seriem, cuivis rei significandæ idoneam, affectus cujuslibet movendi potentem, habebis numquam. Atque hinc factæ simul à multis orationis dignitas egregiè elucescit, quod Dei auribus gratissima accidat, & in ea etiam eorum supplicationes placeant, qui seorsim auditi, inconditum fortassis aliquid raucumque sonarent, vel ponderis meritique vacui tinnirent fastidiosius: ut enim rectè observat Basilius: *deprecatio consonantes*, id est, simul precantes, *non habens, multò est invalidior*. Basil. ep. 61.

Unde igitur hæc gratia? utique à varietate mixturæ, quæ adeò sensibus nostris omnibus arridet, ut absque eâ nihil tam suave gustu, delectabile visu, jucundum tactu, odoratu gratum concipi possit, quod solum continuumque placeat diu.

Sed *numquid*, rerum omnium cognitor & æstimator æquissime, summe Deus, *oculi carnei tibi sunt*? aures, palatum, nares carneæ? *aut sicut videt homo & tu videbis*? sicut homo olfacies, gustabis, audies? ut vel non lubeat, vel non vacet attendere atque intendere singulis, sed fastidium lenire varietas atque mixtura debeat? Absit ut hac parte homini comparetur is, apud quem non est acceptio personarum, & cui placent quotquot invocant eum in spiritu & veritate, sive enim ille sit spiritus compunctionis, qui peccatoris sub mole criminum ingemiscentis cor feriens, raucum illud, miserere mei, divinis auribus intonet; seu spiritus lætitiæ spiritualis, jubilos creat perfectarum mentium, quæque materiæ corporeæ, quàm minimum habentes, sonoris vocibus cælum feriunt: sive per eumdem spiritum justi, utrorumque medii in supplicationes varias resolvantur: plures semper, quia est ipsius Dei spiritus, singulis tribuens prout vul[t.] Nam sicut in organo unus idemque spiritus omnes percurrens fistulas, varium pro cujusque modo atque ratione sonum elicit: sic unus idemque Christi spiritus omnia Ecclesiæ membra vivificans, modificatam pro singulorum captu vocem exprimit, singulas acceptas Deo, sed simul omnes acceptissimas.

Age verò, quoniam fistularum omnis generis harmonicè compaginatarum moles illa magna, quam antonomastices *organum musicum* dicimus, commemorata jam est: numquid non ab uno illo major ornatus templis, concentui perfectio, auribus affertur oblectatio, quàm ab omnibus aliis, quorum in musica usus est, instrumentis. Hoc scilicet tam multarum simul fistularum consonantia facit. Sacrum autem illud thymiama quod super altare incensi adoleri præcepit Dominus, numquid unius speciei erat? Minimè verò. *Sume tibi*, inquit, *aromata stacten & onycha, galbanum boni odoris & thus lucidissimum, faciesque thymiama compositum.* Similiter & sanctificationis unguentum, compositum esse jubens legislator Deus; *sume tibi*, inquit, *aromata primæ myrrhæ & electæ, cynnamomi, calami, casiæ & olei de olivetis.* Exod. 30.

Quanta porrò in Aronis summi Pontificis vestibus materiæ, colorum, lapidum pretiosorum varietas: cùm vel in solo rationali duodecim gemmæ diversæ collocari jubeantur? utique non aliam ob causam, quàm ut totius populi vicelegatus futurus apud Deum & mediator, singulatum Tribuum nomina, conditionesque exhiberet Deo; ex ipsiusque sacerdotis ornatu monerentur omnes, suas quoque preces ejus precibus conjungere, ne vacua tebus nomina Deo in lapidibus præsentaret. Nemo ergò indignitatem suam, nemo meritorum prætexat exilitatem, quo minus orationi communi jungere audeat suam: quando neque minimæ in organo fistulæ supervacaneæ sunt, neque à thymiamate unguentoque sacro commune oleum calamusque gracilis excluduntur; &, quod divinè observat Humbertus, unusquisque *sperare debet, quod etsi non ratione sui, tamen ratione multitudinis orantis, cui se adjungit, debeat citius exaudiri.* Humb. c. 37. inc. Reg. S. Aug.

Scivit hoc egregius Psaltes David: qui cùm in toto psalmorum libro per varios se diffudisset affectus, & modò cum Deo solus ipse esset sermocinatus, modò *in consilio justorum & congregatione*; tandem Psalmorum omnium facturus epilogum, omnes omninò creaturas, omne prorsus humanum genus; omnem conditionem, sexum, ætatem ad Dei laudes concinendas invitat; extremoque hoc epiphonemate, velut signaculo, concludit psalmodiam universam, *omnis spiritus laudet Dominum.* Ubinam verò? nisi *in Ecclesia Sanctorum*, nisi *in choro & organo*? Psal. 110. Psal. 150.

Satis hæc, ut quantæ dignitatis sic communis multorum oratio cognoscamus; addamus tamen etiam illud, quod in cælis quoque, ubi singuli Deo conjunctissimi, suas quisque partes agere seorsim possent, nihil alieni auxilii indigi; conjunctim tamen orationes fundunt

teste

Apoc. 5. & 6. teste Joanne Evangelistâ: *Et vidi & audivi*, inquit, *vocem Angelorum multorum in circuitu throni & animalium & seniorum; erat numerus eorum millia millium.* Similiter *& animæ interfectorum propter verbum Dei clamabant dicentes, usquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum*, seniores etiam Apocalyptici simul omnes, *ceciderunt coram Agno, habentes phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Denique quidquid in divina illa visione contemplatus est Joannes, quo vel Deo tribuebatur laus, vel justis præmia, aut improbis deposcebantur supplicia; totum hoc vidit à collecta plurium multitudine fieri.

§. II.

Vtilitas publicæ orationis.

Diabolus, cui non est adversus omnes satis virium, circumvenire quærit solitudines singulorum: concordia enim simul juncta, vinci omninò non potest, *Cypr. ep 1.* inquit egregiè Cyprianus: & qui eum sub specie leonis rugientis descripsit nobis Apostolus Petrus, *circuit*, inquit, *quærens quem devoret*, ab aliorum scilicet unione atque consortio sejunctum ac solitarium: nam *ne Hercules quidem adversus duos*, ut est in proverbio, nedum adversus plures, aut simul omnes. Circuit autem potissimùm orantes: quia cùm in oratione, armis spiritualibus instruatur homo adversus dæmonem pugnaturus, nihil idem dæmon studiosiùs agit, quàm fidelium disturbare atque interpellare orationes: ad quod quàm magnam ei præbet commoditatem solitudo, tam certum adfert multorum præsentia impedimentum, ubi teporem paucorum fervor suscitat plurium.

Pone mihi acceptam ex ardentissima fornace prunam sub aëre frigido solitariam; non diu conceptum retinebit calorem, & brevi nigrum carbonem videbis, quem illæsis manibus ac vestibus feras quocumque libuerit. Lignum sume quantumvis aridum; ut ardere facias, frustra laborabis quàm diu ipsi soli ignem, vel candelam admoves.

At si ligna lignis aptè componas, focum brevi facies luculentum etiàm à parva scintilla existere; quem, superinjecta quamvis viridia ligna, non modò non extinguant, sed augeant magis; flammas etiam ipsa ex aliorum inflammatione mutuantia, dum plurium conjunctus ardor vincit humoris abundantiam, aliàs pertinaciùs restituri.

Sed hæc privata in commune orantium commoda sunt: ad ea venio, propter quæ orationes publicæ plerumque institui atque indici solent, & sunt, vel impetranda communitati universæ commoda vel malâ avertenda. Malorum præcipuum ac summum est, quod & fons & origo cæterorum, Dei adversus regionem, urbem, familiam aliquam commotior iracundia, peccatis multiplicitùs excitata. Hanc, ut quàm terribilis sit, ob oculos nobis ponat Propheta David: *Ignis*, inquit, *in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida.* Quæris, quid igni isti omnia consumpturo, quid tempestati cuncta eversuræ possit opponi? illicò subjungit: *Congregate illi Sanctos ejus*, etiam minimos, quotquot sub testamento legis sanctificati censentur; *qui ordinant testamentum ejus.* *Psal 49.*

Ita certè universaliter omnes congregandos, & nemine excepto ad Ecclesiam cogendos monuit alius Vates Joël; cùmque edixisset, *quia venit dies Domini, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis*, ab ipso mox Domino edoctus remedium: *Nunc ergò*, inquit, *congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, & sugentes ubera.* *Ioel 2.* Et ecce promiscuæ hujus multitudinis clamoribus placatus mox Dominus, per eumdem Prophetam suum posito furore respondet: *Noli timere terra, & filii Sion exultate: quia in medio Israel ego sum, ego Dominus Deus vester:* non ut judex & ultor in filios delinquentes, sed ut protector atque salvator.

Expertus id sub Oniâ Sacerdote magno aliquando est populus Judæorum, contra Heliodorum, à Seleuco Rege missum ad spoliandum templum Hierosolymitanum: cùm enim omnes, *pro eo, quod in contemptum venturus esset locus sanctus, gregatim de domibus confluxissent, publicâ supplicatione obsecrantes, essetque misera commista multitudinis, & magni Sacerdotis in agone constituti expectatio, universique manus protendentes in cælum deprecarentur*, apparuit subitò auxilium à Domino, & invisibili cæteris manu prostratus ac flagellatus Heliodorus, meritas sacrilegii pœnas tulit. *2. Mach. 3*

Quid autem famosa illa Bethuliæ, totiusque Israëlitici populi liberatrix Judith? quomodo Holofernem prostravit, & confusionem fecit in domo Nabuchodonosor? Petiitne ut sequeretur exercitus armis telisque instructus, vel saltem juventutis civicæ audacissimi, ac manu promptissimi aliqui euntem comitarentur? Nihil horum, sed cum Abra sua ad castra Assyriorum egrediens, *nihil aliud fiat*, loquit, *nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum.* *Iud 8.* Qualis verò illa? utique publica, & qualem per omnes urbes institutam scribit Historicus sacer, quando *clamavit omnis populus ad Dominum instantiâ magnâ, & humiliaverunt animas suas in jejuniis & orationibus, & clamaverunt ad Dominum Deum Israël unanimiter.* *Iud 4.*

Petrus etiam cùm esset ab Herode missus in carcerem, & inter custodes suos jaceret vinctus catenis duabus, postridie producendus, mortique tradendus; *oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*: qui non sustinens tantam orandi instantiam, eamdem voti sui expertem non reliquit: *misit Angelum suum*, & Petrum solutis catenis per medios custodes, portamque ferream ultrò reseratam deducens, *eripuit eum de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum.*

Nempe, *quidquid simulà cunctis petitur, Deus pacis pacificis exhibet*, secundùm Cyprianum: & *Cypr ep 1* quod S. Thomas alicubi observat: *Impossibile est preces multorum non exaudiri.* Hinc ipse D. Paulus Apostolus ad Philemonem pro Onesimo servo fugitivo scribens; licèt sciret, quantâ apud illum valeret auctoritate & gratiâ,

 alium

alium quoque secum adhibet deprecatorem: & quod in alio argumento nusquam, suo & Timothei nomine mittit epistolam, sic exordiens: *Paulus vinctus Iesu Christi, & Timotheus frater.* Cùmque unum Philemonem totâ alloquatur epistolâ, inscribitur tamen: *Et Appiæ sorori carissimæ, & Archippo, & Ecclesiæ, quæ in domo Philemonis erat*: eo fine, ut universi omnes pro Onesimo deprecatores existerent.

Si igitur apud hominem homo, & quidem magister apud discipulum, Apostolus apud fidelem, pro servo utriusque utili rogaturus, tanto utitur comprecantium ambitu; & quasi hoc parum foret, rursus in fine epistolæ, adjungit salutationem Epaphræ concaptivi sui, & adjutorum suorum Marci, Aristarchi, Demæ, & Lucæ, velut innoens, hos quoque secum pariter idem precari: quantò justiùs eadem exorandi Dei tenebitur ab hominibus ratio, ut quàm multos possint, pro eadem causa allegent supplices apud communem Dominum? Quàm meritò quid ait Tertullianus, *coimus in* Tertull. in apol. c. 39. *cœtus & congregationes, ut Deum quasi manu factâ, precationibus ambiamus orantes?*

Certè, inquit idem, *hæc vis Deo grata.* Planè, quemadmodum indulgentes, ac liberorum amantes matres, cùm dilectus filius vel commeritæ castigationis deprecatur flagellū, vel muneris alicujus expostulat largitionem gratum habens, quòd liberorum cæterorū turba, quòd consanguinei atque amici, quòd ipsi etiam famuli atque ancillæ, vim pariter faciant intercedendo, virgamque è manibus jam elatā excutiant, aut clavem illius extorqueant arcæ, unde desideratæ populo delitiæ accipiantur. Reges quoque ac Principes, vix ulla subditis indulgent privilegia, aut rebellibus, reisve remittunt supplicia, nisi multis aulicorum, amicorūque precibus sulicitati. Imò nec ipsi Romani Pontifices indignum censent, quòd Sanctorū catalogo adscribant neminem, quantavis morum sanctitate, & miraculorum claritate illustrem, nisi pro quo multiplex Regum, ac populorum fidelium ambitus, postulatioque accesserit.

§. III.

Orationis communis necessitas.

NUnc, quoniam ex Tertulliano insinuavimus, communi, publicaque oratione vim quamdam inferri Deo, reliquum est, ut videamus, quanta illa sit, & quàm sæpè necessaria, ut quod volumus ab eo, consequamur: neque enim cùm dicitur: *Regnum cælorum vim patitur, &* Matth. 11. *violenti rapiunt illud*, de sola æterna beatitudine id velim intelligi: sed de eo omni, quod ad animi aut corporis felicitatem, etiam temporalem, conducit.

Rari in terris inveniuntur Eliæ, quibus fas sit pro arbitrio suo cælum claudere & aperire, quamdiu volunt, & ubi volunt: clavem ille habere videbatur, cælitùs scilicet traditam potestatem, divina promissione firmatam: unde & 3 Reg 17 fidenter edixit: *Vivit Dominus Deus Israel, si erit annis his ros & pluvia, nisi iuxta verba oris mei.*

Quid igitur faciant, quibus portæ cælorum clausæ, neque clavis ad manum est, ut sui deest absque labore eas referandi facultas; non deest ex Dei misericordia perrumpendi potestas, Dei scilicet, de qua hominibus præmunstrata, Christum laudat Psalmistes, jubens, ut *confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus* Psal. *filiis hominum: quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.*

Quod fecit Christus in fortitudine brachii sui, portas cæli, quantovis obice firmatas, recludens; hoc nobis licet sperare à multitudine simul precantium, cui nulla valeant repagula obsistere. Nemo tam tyro est in Romana historia, quin intelligat, quantus arietum usus esset adversus quæcumque munimenta, & quomodo in aëre librata trabs grandis, multorum hinc inde trahentium atque impellentium manibus, nihil non pertunderet; dum non unius alicujus fortitudine, sed plurium, alioqui per se imbecillium, conatibus identidem repetitis, ferale lignum

Arietat in portas, & duros obice postes. Virg. Æn.

Nonne hoc fecerunt Ninivitæ, quando ad prædicationem Jonæ, excidium urbi intra diem quadragesimum interminantis, Rex præcepit: *Homines & jumenta non gustent quidquam,* Ion. 3. *& clament ad Dominum in fortitudine?* Penetravit cælos clamor tam multorum simul, quamtumvis peccatorum, sed jam pœnitentium, & Chrys. hom. 7 ad pop. misericordiam exoravit: *Ut enim intelligas,* inquit Chrysostomus, *plurimùm eam pollere orationem, quæ cum consensu agitur, & jugi concordiâ plurium hominum, non abs re amplum esse populum, expendit* ipse *Dominus*, apud suum Prophetam seipsum, quasi de vi sibi illata excusans, ob quam non potuerit intentatas urbi minas in opus adducere: *Ego,* inquit, *non parcam Ninive,* Ion. 4. *civitati magnæ, in qua habitant plures quàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dextram & sinistram suam, & jumenta multa?*

Quid igitur nunc quoque, cùm divina justitia extremum universæ patriæ videtur intentare exterminium, imitemur exemplum Ninivitarum, agentes pœnitentiam in cinere & cilicio, depositis tantisper pretiosioribus vestibus non tantùm hominum, sed etiam equorum ac jumentorum, quibus meliùs pauperum nuditas tegeretur. Imprimis autem id faciamus, quòd vim præcipuam habuisse Chrysostomus existimat: *Omnes clament ad Dominum in fortitudine*: omnes, inquam, *Reges terræ, & omnes populi,* Psal. 148. *Principes & omnes Iudices terræ; juvenes & virgines, senes cum junioribus.*

Vidistin, quomodo gravissimæ quandoque murales machinæ, & campana æra immanis magnitudinis, à promiscua populi imbelli plerumque multitudine, per longa viarum spatia, promoveantur in locum destinatum? *Virtus scilicet unita*, ut D. Thomas observat, *magis est efficax ad effectum inducendum, quàm dispersa vel divisa: multi enim congregati simul trahunt,* S. Th. opusc. [illegible] *quod divisim per partes singulariter à singulis trahi non posset.*

Ecquid esse putatis causæ, cur Sodomorum inte-

interitum non potuerit deprecando avertere Abraham, tantus Dei amicus, tam familiari ejus dignatus alloquio? Solus erat. Quod cùm agnosceret, non desperabat tamen, Deum posse furentem placari, si vel decem saltem justi fuissent in urbibus subvertendis inventi, quibuscum potuisset Deum precari. Quantâ igitur putas pro illis intercessisset fiduciâ, si quinquaginta, si centum, si majorem populi partem sibi consentientem nactus, cum eo cœpisset clamare in fortitudine.

Intellexit hoc sanctus Gregorius Papa, pluresque ante eum Reges atque Pontifices sancti: qui cùm pro privatis ad se recurrentium incommodis curandis, Deum orasse per se contenti, multos adjuvissent miraculosè; quoties tamen publica aliqua incubuit necessitas, publicas duxerunt supplicationes, communesque orationes indicendas, & sic feliciter vel grassantem tota urbe pestem, vel hostem excidiu ejusdem imminentem, averterunt. Quoties hac ratione inductas agris sitientibus pluvias, repressas inundationes fluviorum, terræ motus cohibitus, urbium obsidiones solutas, legimus, audivimusque exempla; congeram in re notissima, vereor, ne lucem Soli videar velle adjungere.

His igitur omissis, ad spem, fiduciamque omnibus communiter oraturis ingerendam

Hom. 79. ad pop. convertor, cum Joanne Chrysostomo: *Ante hos, inquit, decem annos, nonnulli tyrannidem appetentes capti sunt, inter quos fuit quidam dignitate & principatu praditus: qui cùm damnatus capite ad supplicium duceretur, populus motus misericordiâ, universus Pratorem adiit, & deprecandi communi operâ efficere potuit, ut reus ille, veniâ nullâ dignus, liberaretur ab ira Imperatoris.*

Quid tum? inquies: pergit argumentum, cujus hæc veluti præmissa fuerat, urgere Chrysostomus in hunc modum: *Quòd si, cùm iram terreni Imperatoris vultu extinguere, universi cum liberis & uxoribus festinatis: cur quoties ad cælestem illum Imperatorem placandum pergitis, ut ejus ira eximatis, non unum, ut tunc, aut duos, aut tres, aut etiam centum; sed omnes urbis peccatores, omnes dæmone agitatos, flagello liberetis diaboli, non occurritis universi, & Ecclesiam penetratis, ut Deus vestram demeritus atque exosculatus concordiam, illis pœnam, & vobis peccata dimittat.*

Verùm, ut efficax concordia in hac nostra sit, & exaudibilis clamor, sequamur Ninivitici Iona 3.
Regis sapiens edictum: *Convertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum.* Audiamus Joëlem Prophetam clamantem, ut convertamur ad Dominum Deum nostrum: Ioel 2.
Quia benignum & misericors est, patiens, & multa misericordia, & præstabilis super malitia. Quis scit, si convertatur & ignoscat Deus, & revertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? inquiunt invicem se hortantes Ninivitæ, seque ad pœnitentiam numquam seram animantes: nos verò habentes propheticum sermonem, tamquam lucernam in loco caliginoso, & tamquam pharum in tempestuoso mari, clamemus ad Dominum confidenter, & sciamus, quòd quàm citò ascendet oratio nostra, tam citò descendet misericordia ipsius super nos, & super patriam nostram. *Derelinquat impius viam suam, & vir ini-* Isa. 55.
quus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus; & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.



INDEX FESTORUM

ET

PARAGRAPHORUM,

quæ in hac secunda Parte *Cæli Empyrei* continentur.

FESTUM VISITATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ. fol. 1.

Abiit in montana CUM FESTINATIONE. Luc. 1. v. 40.

EMBLEMA I.

Currus cum velo, in quo aspirante spiritu, virgo celerrimè velificatur.

Illam fert impetus ipse volantem. Virg. 5. Æneid.

§. 1. *In omnibus operibus tuis* ESTO VELOX. Eccli. 31. v. 27.

§. 2. *Ne dicas amico tuo: Vade, & revertere: cras dabo tibi, cùm* STATIM *possis dare.* Prov. 3. v. 28

§. 3. *Si quid aliquem defraudaris*, NON TARDABIS REDDERE. Deuteron. 23.

FESTUM SANCTI ELIÆ PROPHETÆ, PRIMO AC PRINCIPI CARMELI PATRIARCHÆ fol. 15.

Currus Israel & Auriga ejus. 4. Reg. 2.

EMBLEMA II.

Currus igneus, in quo Elias raptus est.

Ex humeris rejecit amictum. Virg. 5. Æneid.

§. 1. *Currus Dei, decem millibus multiplex, millia lætantium.* Psal. 67. v. 18.

§. 2. *Currus Israel & Auriga ejus.* 4. Reg. 2.

§. 3. *Helisæus levavit* PALLIUM ELIÆ, *quod ceciderat.* 4. Reg. 2.

FESTUM SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ. fol. 29.

CAPILLUS *de capite vestro non peribit.* Luc. 21. v. 18.

EMBLEMA III.

Coma Berenices, inter astra relata.

Cælestibus intulit astris. Ovid. 15. metam.

§. 1. *Magdalena peccatrix capillis suis plures adolescentum animas irretivit, quemadmodum moderna puella, in quas detonat Psaltes Regius:* CONFRINGET DOMINUS VERTICEM CAPILLI PERAMBULANTIUM IN DELICTIS SUIS. Psal. 67. v. 22.

§. 2. *Magdalena pœnitens Christi pedes* CAPILLIS SUIS TERSIT; *ubi de Christi sponsis in obsequium sponsi attonsis, deque Religiosorum, ac Clericorum tonsura.*

§. 3. DECALVABIT *Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus* CRINEM EARUM NUDABIT. Isa. c. 3. v. 17.

FESTUM SANCTI JACOBI MAJORIS APOSTOLI. fol. 45.

Potestis bibere CALICEM, *quem ego bibiturus sum?* Matth. 20.

EMBLEMA IV.

Calix seu fistula super mensam, ad salutem omnium.

Longumque bibebat amorem. Virg. lib. 1. Æneid.

§. 1. Quod primum *calicem sanitatis & salutis spectat*, is calix Passionis est.

§. 2. CALIX AMICITIÆ, *de qua Ecclesia:* CALICEM DOMINI BIBERUNT ET AMICI DEI FACTI SUNT.

§. 3. *Calix Domini dulcis, seu* TERTIUS HAUSTUS ÆTERNÆ VOLUPTATIS.

FESTUM SANCÆ ANNÆ, SANCTISSIMÆ DEIPARÆ MARIÆ GENITRICIS. fol. 59.

Arbor de fructu suo cognoscitur. Luc. 6.

EMBLEMA V.

Duo viri, qui in vecte portant botrum terræ promissionis.

Hoc in notitiam veniet. Ovid. de nuce.

§. 1. *Arbor de fructu suo cognoscitur.* Luc. 6.

§. 2. *Anna ab æterno ordinata, promissa, & avidè expectata, rectè* TERRA PROMISSIONIS *indigitatur.*

§. 3.

§. 5. EGO QUASI VITIS FRUCTIFICAVI. Eccl.14.

OCTAVA SANCTI IGNATII DE LOYOLA, SOCIETATIS JESU FUNDATORIS. fol. 76.

MOYSEN *Deus Principem & Redemptorem misit.* Actor.7.v.35.

EMBLEMA VI.

Moyses, Dux Populi Israëlitici.

Dux *ego vester ero.* Virg.Ecl.8.

§. 1. MOYSES *Dux populi eligitur:* VENI, ET MITTAM TE AD PHARAONEM, UT EDUCAS POPULUM MEUM DE ÆGYPTO; IGNATIUS *nova militia* Dux *statuitur, ut homines educat è graviori servitute.*

§. 2. MOYSES *gravissimis in rebus ascendit in montem, Dominum consulturus, ex cujus colloquio non solùm intùs illustrabatur in animo; sed &* FACIES EIUS CORNUTA ERAT EX CONSORTIO SERMONIS DOMINI. *Quod &* IGNATIO *accidit.*

§. 3. SERVUS MEUS MOYSES IN DOMO MEA FIDELISSIMUS EST, *qualis & Ignatius.*

§. 4. *Quemadmodum generosissimus Dux Moyses pro populo suo se victimam obtulit, dicens:* AUT DIMITTE EIS HANC NOXAM, AUT SI NON FACIS, DELE ME DE LIBRO VITÆ. *Ita* IGNATIUS, *cum salutis sua periculo, ad salutem animarum.*

§. 5. *ERAT MOYSES VIR MITISSIMVS SVPER OMNES HOMINES, QVI MORABANTVR IN TERRA. Fuit & IGNATIVS.*

§. 6. *VIRGAM HANC SVME IN MANV TVA, qua populum Israel regas & dirigas; uti IGNATIVS suum.*

§. 7. *IN QVA* (virga) *FACTVRVS ES SIGNA*, Exodi 4.v.17. *Fecit & IGNATIVS in baculo suo.*

§. 8. *DILECTVS DEO ET HOMINIBVS MOYSES. Dilectus illi & illis IGNATIVS.*

FESTUM SANCTI PATRIARCHÆ DOMINICI, CELEBERRIMI ORDINIS PP. Prædicatorum Fundatoris. fol.122.

Collocavit ante Paradisum voluptatis CHERVBIM. Gen.3.v.24.

EMBLEMA VII.

Cherubim cum romphæa excubans ante paradisum.

Custos es divitis horti. Virg.eclog.7.

§. 1. *Eximius Patriarcha DOMINICVS, à calesti scientia lumine; quo hæresum noctem, & altas scelerum tenebras discussit,* CHERVBIM *extitit.*

§. 2. *S.DOMINICVS alter CHERVBIM, ANTE PARADISVM, id est, Ecclesiam, POSITVS, FLAMMEVM GLADIVM ATQVE VERSATILEM VIBRANS.* Gen.3.v.24.

§. 3. *Florentissimus* S.DOMINICI *Ordo, Paradiso comparatur, & longè suprà terrestrem per omnes proprietates extollitur.*

§. 4. *Paradisi DOMINICI Rosaria, colore & odore fragrantia.*

§. 5. *Hujus Paradisi illibata virginitatis LILIA, mentis oculis delibanda proponuntur.*

FESTUM SANCTI LAURENTII MARTYRIS. fol. 155.

Extinxerunt impetum ignis. Ad Hebr.XI.

EMBLEMA VIII.

Candela ardens, quæ per vitrum ustorium radio Solis extinguitur.

Compescuit ignibus ignes. Ovid.2.metam.

§. 1. *LAVRENTIVS craticulam supplicii, LECTVM QVIETIS putabat.* Chrysologus serm. 135.

§. 2. *Doctor Seraphicus tres justorum lectos describit.*

§. 3. *Triplex improborum lectus: 1.pigritia. 2.concupiscentia. 3.æterna miseria.*

FESTUM ASSUMPTÆ VIRGINIS MARIÆ. fol.173.

Signum magnum apparuit in cælo. Apoc.12.

EMBLEMA IX.

Solio Virgine.

Virginis os, habitumque gerens. Virg. 1.Æneid.

§. 1. *Mulier amicta Sole.* Apoc.12.v.1.

§. 2. *Et luna sub pedibus ejus.* Ibid.

§. 3. *SIGNVM IN EXCELSVM SVPRA, MARIA in judicio apparebit clientibus suis Patrona, quando SIGNA MAGNA ERVNT.*

§. 4. *Maria assumpta in cælum, pretiosissimas nobis IN EVCHARISTIA RELIQVIAS reliquit, quæ DIEM FESTVM AGENT TIBI.*

FESTUM SANCTI BERNARDI MELLIFLUI DOCTORIS, CLARAvallensis Abbatis. fol.188.

Favus distillans labia ejus. Cant.4.v.11.

EMBLE-

EMBLEMA X.

Alveare rege suis stipato, mella colligente, infra leo, io cujus lingua apes mellificant.

Miscuit utile dulci. Horat. de arte.

§. 1. *Mel & lac sub lingua ejus* Cant. 4.
§. 2. *Brevis in volatilibus est APIS, & initium dulcoris habet fructus illius.* Eccle. XI. v. 3.
§. 3. *Vade AD APEM, & disce, operationem quoque suam quam venerabilem facit.* Prov. 6. ex vers. 70.
§. 4. *Clara Vallis alveare describitur.*

FESTUM SANCTI BARTHOLOMÆI APOSTOLI. fol. 209.

Laudate eum in TYMPANO. Psal. 150. ℣. 4.

EMBLEMA XI.

Tympanista, qui alios ad bella accendit.

TYMPANA tensa sonant. Lucret. lib. 1.

§. 1. *Laudate eum IN TYMPANO.* Psal. 150.
§. 2. *MARIA SUMPSIT TYMPANUM IN MANU SUA, EGRESSÆQUE SUNT OMNES MULIERES POST EAM IN TYMPANIS, ET CHORIS.* Exodi 15. v. 20.
§. 3. *Diabolus incentor ad peccatum, suos tympanistas, & tympanistrias habet, qui alios ad malum provocant, invitant, & impellunt.*

FESTUM MAGNI PATRIS AUGUSTINI, ILLUSTRISSIMI ECCLESIÆ DOCTORIS ac Pontificis, SS. Ordinis PP. Augustinianorum Fundatoris. fol. 223.

Vulnerasti COR *meum.* Cant. 4.

EMBLEMA XII.

Genius, qui cor in pertica transfigit.

Telum flamma fuit. Lucan.

§. 1. *Primum quod in MAGNO PATRE AUGUSTINO miraudum & imitaudum, est* COR CONTRITUM. Psal. 50.
§. 2. *Alterum quod in AUGUSTINO depredicandum, & exaltandum, est COR HUMILIATUM.*
§. 3. *Deus dedit Augustino SAPIENS COR, ET INTELLIGIBILE.* Eccl. 3.
§. 4. *Mirabile spectaculum, & spectabile miraculum COR AUGUSTINI divino jaculo vulneratum, & inflammatum ipso teste: SAGITTAVERAS TU COR NOSTRUM CHARITATE TUA.* Lib. 9. conf. cap. 2.

FESTUM SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ NATÆ. fol. 250.

Ab æterno ordinata sum. Prov. 8. v. 23.

EMBLEMA XIII.

Bosphorus, sive stella matutina prope Solem.

O NATA *mecum!* Horat.

§. 1. *Quæstio moralis, quid conducat parentibus filium genuisse an filiam? cùm filia* MARIA GAUDIUM ANNUNTIAVERIT UNIVERSO MUNDO.
§. 2. *Facta est* MARIA RESTAURATRIX FOEMINARUM, *quæ mulierum infirmitatem verè gloriosam reddidit, & lapsam Evam erexit.* Epiphan. serm. de laudib. Virg.
§. 3. *Probatur mulieris familiam nobilitasse, nomen propagasse fortitudine bellica, maximè autem christiana. Tum sacra ac profana scientia illustrasse, ut ex ea, quæ hodie Filia Nata est, omnibus perspectum erit.*
§. 4. *Orta est* STELLA *ex Iacob.*

FESTUM SANCTI MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ. fol. 279.

Avaro nihil est scelestius. Eccli. 10.

EMBLMA XIV.

Vas vini plenum, quod defectu spiritus non fluit.

Nil dat, quod abundat.

§. 1. RADIX OMNIUM MALORUM EST CUPIDITAS. Matth. 17. v. 6.
§. 2. AVARITIA DOLORUM SERVITUS. Galat. 5. v. 20.
§. 3. *Inter peccatores omnes maximè miraculosa conversio* SANCTI MATTHÆI, *& hominis avari.*

FESTUM S. MICHAELIS ARCHANGELI. fol. 297.

Super CUSTODIAM *meam ego stabo.* Isa. 21.

EMBLEMA XV.

Excubitor in vigiliis.

Cernis custodia qualis? Virg. 6. Æneid.

§. 1. *Super* CUSTODIAM *meam stabo.* Isa. 21.
§. 2. ANGELIS SUIS *mandavit de te* UT CUSTODI-

TODIANT TE in omnibus viis tuis. IN MANIBVS PORTABVNT TE, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Psal.90.v.11.

§. 3. *Super muros tuos Ierusalem constitui CVSTODES*. Isa.62.

§. 4. *Quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse eius beneficiis?* Tobiæ.12.

FESTUM BEATI FRANCISCI BORGIÆ. SOCIETATIS JESU. fol.316.

Mihi heri, & tibi hodie Eccli.cap.38.

EMBLEMA XVI.

Imago mortis in speculo

Non fallit imago. Ovid.3.metam.

§. 1. *Haccine est ista Iezabel?* 4.Reg.9.

§. 2. *Hic confringes tumentes fluctus tuos*. Job.38.

§. 3. *B. FRANCISCVS BORGIA ex conspectu mortis, mundo mortuus, Deo vixit, secundùm illud Pauli: MORTVI ESTIS*, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Ad Coloss. 3.v.3.

FESTUM SERAPHICI FRANCISCI, SANCTISSIMI ORDINIS MINORUM PATRIARCHÆ. fol.333.

Domine, QUIS SIMILIS TIBI? Psal.34.

EMBLEMA XVII.

Seraphim crucifixus, qui resplendet in speculo.

Ah quàm sunt similes! O quàm formosus uterque est. Ovid.2.fast.

§. 1. *FRANCISCVS nudus nudum CHRISTVM induit*.

§. 2. *Domine, quis similis tibi? FRANCISCVS parvus, & humilis*.

§. 3. *Domine, quis similis tibi? FRANCISCVS orbis perditi restaurator & servator*.

§. 4. *VIDI SIMILEM FILIO HOMINIS, Franciscum Christo cruci confixum*.

FESTUM EXIMII PATRIACHÆ D. BRUNONIS CARTHUSIENSIUM FUNDATORIS. fol.353.

Sedebit solitarius & tacebit. Thren.3.v.28.

EMBLEMA XVIII.

Cygnus cum 6. pullis.

Amica silentia. Virg.2.Æneid.

Celi Empyrei Pars II.

§. 1. *Elongavi fugiens, & MANSI IN SOLITVDINE* Psal.54.

§. 2. *Sedebit solitarius, & tacebit*. Thren.3.v.28.

§. 3. *Carthusianus CANTANDO MORITVR, ET MORIENDO CANTAT*. Bern. serm. 2. in cant.

FESTUM SERAPHICÆ VIRGINIS, S. MATRIS, AC MAGISTRÆ THERESIÆ. CARMEL. DISCALCEAT. FUNDATRICIS. fol.371.

Volavit ad me unus DE SERAPHIM. Isa.6. vers.6.

EMBLEMA XIX.

Machina bellica, quam Seraphim accendit.

Meus ignis IN ILLA EST. Ovid.

§. 1. *Quàm pulchri sunt gressus tui, in calceamentis filia Principis* Cant.7.v.1.

§. 2. *SPONSABO TE mihi in sempiternum*. Oseæ.2.v.19.

§. 3. *Sponsus sanguinum tu mihi es*.

§. 4. *Veni de libano SPONSA MEA, veni coronaberis*. Cant.4.v.8.

FESTUM S.LUCÆ EVANGELISTÆ PICTORUM PATONI. fol.388.

Assiduitas eius variat PICTURAM. Eccli.38. vers. 28.

EMBLEMA XX.

Linea in tabula ducta.

In tenui labor, at tenuis non gloria. Virg.4. Georg.

§. 1. *Cor suum dabit in similitudinem PICTVRÆ*. Eccl.38.v.28.

§. 2. *Porrò Iezabel DEPINXIT oculos suos stibio*. 4.Reg.9 v.30.

§. 3. *Assuesce unus esse, ut vita tua QVANDAM PICTVRAM exprimat*. Ambr.lib.3.epist.25.

FESTUM SANCTÆ URSULÆ ET UNDECIM MILLIUM SOCIARUM. fol.405.

Tu supergressa es universas. Prov.31.

EMBLEMA XXI.

Luna inter sidera.

Micat inter omnes. Horat.lib.1.Ode.12.

§. 1. *Vincit, qui vincitur, & ut Poeta canit: SÆPE VTILE VINCI*. Ovid.8.metam.

§. 2. *Gloriosa* S.URSULÆ *victoria, ejusque, ac sociarum splendidissimum, qui unquam extitit, triumphus.*

§. 3. *Praxes varia colendi* S.URSULAM, *ejusque sodales Virgines.*

FESTUM SS. SIMONIS ET JUDÆ APOSTOLORUM. fol. 425.

Ecce ego mittam eis VENATORES, *&* VENABUNTUR *eos.* Jerem. 16.

EMBLEMA XXII.

Duo canes venatici.

Cupiuntque suum reperire periclum. Ovid. 8. metam.

§. 1. *Ecce ego mittam eis* VENATORES, *&* VENABUNTUR EOS *de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.* Hierem. 16. v. 16.

§. 2. *Cupiuntque suum reperire periclum.* Ovid. 8. metam.

§. 3. *Quâ ratione cælum & Deum venari possimus.*

SOLEMNITAS OMNIUM SANCTORUM. fol. 439.

Deduxit eos IN PORTUM *voluntatis eorum.* Psalm. 106. v. 39.

EMBLEMA XXIII.

Navis fluctuans in medio mari: Jesus in terra.

Statio tutissima nautis. Virg. 4. Georg.

§. 1. *Homo* NUMQUAM IN EODEM STATU PERMANET. Job. 14.

§. 2. *Beatitudo* EST STATUS *omnium bonorum aggregatione perfectus.*

COMMEMORATIO FIDELIUM DEFUNCTORUM. fol. 452.

Educ DE CUSTODIA *animam meam.* Psal. 141. v. 8.

EMBLEMA XXIV.

Avis avolans è corte.

Resoluta catenis. Ovid. 4. metam.

§. 1. *Mementote* VINCTORUM, *tanquam simul* VINCTI. ad Hebr. 13. v. 3.

§. 2. *Parandum, quod tulit Habacuc Danieli in lacu leonum, Eucharisticum panem adumbravit, quo animæ* PROFUNDO LACU, ET DE ORE LEONIS LIBERENTOR.

§. 3. *Utrum sit majoris meriti, vinctis in purgatorio carcere propriam satisfactionem applicare, quàm pro se eam reservare?*

FESTUM S. MARTINI EPISCOPI ET CONFESSORIS. fol. 468.

Cùm videris nudum, operi eum. Isa. 58.

EMBLEMA XXV.

Hedera, truncum nudum vestiens.

Vestit, & ornat. Horat.

§. 1. *Cùm videris* NUDUM, *operi eum.*

§. 2. *Perstringitur* IMPUDENS NUDITAS *faminarum, & puellarum; quicumque graviter in ea peccetur.*

§. 3. *Mensâ Eucharisticâ arcenda, & sacra communione privanda, quæ lascivo habitu, & nudo pectore accedunt.*

§. 4. *Nescis quia tu miser es, & miserabilis, & pauper, &* NUDUS. Apocal. 3.

FESTUM PRÆSENTATÆ VIRGINIS MARIÆ, fol. 484.

PRIMITIAS *Deo & Agno.* Apocal. 14.

EMBLEMA XXVI.

Prima cerasa, & aprica poma.

PRIMIS *sic major* GRATIA POMIS. Martial. lib. 4. epig. 22.

§. 1. PRIMITIAS *Deo & Ago.* Apoc. 14.

§. 2. *Utrum magis laudabile sit, & meritorium, facere aliquid ex voto, quàm sine voto?* S. Thom. 22. q. 88. art. 6.

§. 3. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est? Offer illud Duci tuo.* Malachiæ c. 1. v. 8.

§. 4. PRIMITIAS *omnis laboris, & manuum nostrarum Deo & Agno offerendas.*

FESTUM CÆCILIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS MUSICORUM PATRONÆ. fol. 500.

Laudate eum in chordis & ORGANO. Psal. 150.

EMBLEMA XXVII.

Virgo ludens organo.

CÆCILIDES MUSÆ *paulo majora canamus.* Virg. Eclog 4.

§. 1. CÆ-

§. 1. *CÆCILIA Organum Spiritus sancti.*
§. 2. *Quomodo quisque nostrûm laudare queat Denm IN CHORDIS ET ORGANO? Quod juvat, nti omnis arguta musica, ad varios affectus excitandos, & motus animi componendos.*
§. 3. *LINGUA DEI ORGANUM, quo aliqui modulantur obscœna diaboli cantica.*
§. 4. *CANTANTIBUS ORGANIS, CÆCILIA Virgo in corde suo soli Domino decantabat.* Breviar.Rom.

Eris alter ab illo. Virg.Ecl.5.

§. 1. *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus.* Act. 9.v.15.
§. 2. *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*v.16.
§. 3. *Dii similes hominibus descenderunt ad nos.* Act.14.v.10.
§. 4. *Si habes BRACHIUM SICUT DEUS.* Job cap.40.v.4.

FESTUM S. CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS. fol.520.

Apparuit ROTA UNA super terram. Ezech.1. vers.15.

EMBLEMA XXVIII.

Fortuna in Rota.

Te facimus, FORTUNA, Deam. Juvenal. Sat.10.

§. 1. *Apparuit ROTA una super terram.* Ezech. 1.v.15.
§. 2. *Et vidi, & ecce UNA ROTA juxta Cherub.* Ezech.c.10.v.9.

FESTUM SANCTI ANDREÆ APOSTOLI. fol. 534.

Faciam vos fieri PISCATORES hominum. Matth.4.v.19.

EMBLEMA XXIX.

Puer, qui arundine piscatur.

Captat arundine pisces. Ovid.8.metam.

§. 1. *Faciam vos fieri PISCATORES hominum.* Matth.4.v.19.
§. 2. *Confessarius piscatoriâ virgâ non percutiat; sed audiat suos IN OMNI PATIENTIA.* 2. Timoth.4.
§. 3. *Confessarii, hamo gravium pœnarum corda & ora Pœnitentium non lacerent.*
§. 4. *Quis honor, reverentia; observantia Confessariis, animarum Piscatoribus exhibenda sit.*

FESTUM S. FRANCISCI XAVERII INDIARUM APOSTOLI. fol. 555.

Posui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Act. cap.13.v.47.

EMBLEMA XXX.

Sol resplendens in nubem, quæ alterum Solem refert.

Cœli Empyrei Pars II.

FESTUM SANCTI NICOLAI PONTIFICIS ET CONFESSORIS. fol.573.

Data est gratia SECUNDUM MENSURAM. ad Eph.4.v.7.

EMBLEMA XXXI.

Sutor, qui mensuram calcei sumit.

HÆC ILLI MENSURA *viro est.* Ovid.lib.12. metam.

§. 1. *Unicuique nostrum data est gratia SECUNDUM MENSURAM.* ad Ephes.4.v.7.
§. 2. *Qui unum talentum habent, aut nullum, quàm ineptè se munera, quod etia vel quinque requirit, inidoneos intrudant.*
§. 3. *OMNI AUTEM CUI MULTUM DATUM EST, MULTUM QUÆRETUR AB EO.* Luc.12.

FESTUM IMMACULATÆ CONCEPTIONIS VIRGINIS MARIÆ. fol.590.

Quæretur peccatum illius, & non invenietur. Psal. 10.v.15.

EMBLEMA XXXII.

Varii Genii, per tubos opticos maculas in Sole quærentes.

Sol etiam cæcat, contra si cernere pergas. Lucret.lib.4.

§. 1. *Quæretur peccatum illius, & non invenietur.* Psal.10.
§. 2. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cant.4.
§. 3. *Sentiant omnes tuum juvamen, QUICUMQUE CELEBRANT TUAM SANCTAM CONCEPTIONEM.* In Brev.Rom.

FESTUM SANCTI THOMÆ APOSTOLI. fol. 618.

Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra? Luc.18.v.8.

EMBLEMA XXXIII.

Cythara fractis fidibus.

Nulla fides. Lucan.lib.1.

 §.1.Noli

§. 1. *Noli esse incredulus sed fidelis*. Joan. 20.
§. 2. *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terrâ?* Luc. 18. v. 8.

SOLEMNITAS NATALIS DOMINI. fol. 618.

Nisi efficiamini SICUT PARVULI, *non intrabitis in regnum cælorum*. Matth. 18. v. 3.

EMBLEMA XXXIV.

Palatium, in quod per angustam portam intratur.

SIC *regia subibis*. Virg. 7. Æneid.

§. 1. *Erunt oculi tui videntes* PRÆCEPTOREM tuum, Isa. 30.
§. 2. *Nisi efficiamini* SICUT PARVULI, *non intrabitis in regnum cælorum*. Matth. 18. v. 3.
§. 3. *Vt efficiamini* SICUT PARVULI, *& quasi modò geniti infantes, opus est ad innocentiam infantium, spiritualis generatione renasci.*

FESTUM SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS. fol. 641.

Benefacite his, qui oderunt vos. Matth. 5.

EMBLEMA XXXV.

Arbor nucum, quæ saxis impetitur.

A populo SAXIS *prætereunte petor*. Ovid. de nuce.

§. 1. *Diligite inimicos vestros*. Matth. 5.
§. 2. *Benefacite his, qui oderunt vos*. Ibid.
§. 3. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*. Ibid.

FESTUM SANCTI JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ. fol. 663.

Habebat ovem unam parvulam, quæ de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in sinu illius dormiens. 2. Reg. 12. v. 3.

EMBLEMA XXXVI.

Pastor, qui oviculam sinu fovet.

Nec te mihi charior alter. Ovid. lib. 3. trist. eleg. 3.

§. 1. *Discipulus, quem diligebat* JESUS. Joan 21.
§. 2. *Intimi amici ac Favorita, familiares Regi, Principi, Superiori, non affectu, non exteriori gratia, sed virtute, probitate, eruditione & prudentia deligendi sunt.*
§. 3. *Familiaritas cum Deo non parit contemptum, sed gratiam in conspectu ejus, & reverentiam; secus ac cum Magnatibus, quæ cùm nimia, multis favoritis exitio fuit.*

FESTUM SS. INNOCENTIUM MARTYRUM. fol. 684.

Salvete flores Martyrum. Eccl. in Breviar. Rom.

EMBLEMA XXXVII.

Flores aprici, turbine ex arbore decussi.

Posuere in limine vitam. Virg. 9. Æneid.

§. 1. *Animæ Innocentium* INTERFECTORUM, CLAMANT VOCE MAGNA, DICENTES: USQUEQUO DOMINE NON JUDICAS, ET NON VINDICAS SANGUINEM NOSTRUM? Apoc 6. v. 10.
§. 2. *Recordare, obsecro, quis unquam* INNOCENS *periit: aut quando recti deleti sunt?* Job. cap. 4. v. 7.
§. 3. *Qua cura, solicitudo, obligatio incumbat parentibus, patruis, tutoribus, de parvulis innocentibus, eorum fidei commissis?*

DE COMMUNI SANCTORUM MARTYRUM. fol. 697.

Sicut abundant PASSIONES *Christi in nobis; ita & per Christum abundat* CONSOLATIO *nostra*. 2. Cor. 1.

EMBLEMA XXXVIII.

Genius acu pingens.

Dum pungor, pingor.

§. 1. *Sicut abundant* PASSIONES *Christi in nobis; ita & per Christum abundat* CONSOLATIO NOSTRA. 2. Cor. 1.
§. 2. *Secundùm multitudinem* DOLORUM *meorum in corde meo*, CONSOLATIONES TUÆ *lætificaverunt animam meam*. Psal. 93. v. 19.

DE COMMUNI CONFESSORUM. fol. 709.

Hæc est victoria, quæ vincit mundum. 1. Joan. 5. v. 4.

EMBLEMA XXXIX.

Duo genii, ludentes globo orbis terrarum

Vincit, qui longiùs abjicit orbem.

§. 1. No-

§. 1. *Nolite diligere mundum , neque ea , quæ in mundo sunt.* 1.Joan.2.v.15.
§. 2. *In Religione homo vivit purius,&c. ac moritur confidentiùs.* Bern.

DE COMMUNI VIRGINUM.
fol.725.

HORTUS CONCLUSUS *soror mea sponsa,* HORTUS CONCLUSUS.
Cant.4.v.12.

EMBLEMA XL.

Crates Monialium.

Custodit & arcet. Ovid.XI.Metam.

§. 1. HORTUS CONCLUSUS *soror mea sponsa,* HORTUS CONCLUSUS.Cant.4.
§. 2. ZELOTYPUS EST JESUS, *non vult ab aliis videri faciem tuam.* Hieronym. epist. ad Eustoch.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.
fol.735.

Signum in bonum. Psal.85.

EMBLEMA XLI.

Flabellum è turri.

Quàm multi passim homines hoc signum bonum vertant in malum, quos instar flabelli sua stultitia, temulentia, luxuria,&c.
Aura rotat.

§. 1. *Facta sunt Encænia in Hierosolymis.* Joan.10
§. 2. *Dedicatio & sanctificatio Templi Salomonis.* 2.Paral.7.

DE COMMMUNI ORATIONE
IN PUBLICA NECESSITATE.
fol. 743.

Iuvenes & virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini. Pf.148.

EMBLEMA XLII.

Concentus campanarius plurium diversæ magnitudinis campanarum in una turri.

Quàm varium tam dulce melos.

§. 1. *Orationis communiter factæ dignitas.*
§. 2. *Ejusdem in publicis necessitatibus utilitas.*
§. 3. *Imò & necessitas frequens.*



INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,
quæ in hac secunda Parte *Cæli Empyrei* continentur.

a *Columnam primam* , b *secundam indicat.*

GENESIS.

Cap. 1. ỳ. 2. *Tenebræ factæ sunt super faciem abyssi.* 225.b
31. *Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* 147.a
2. 7. *Formavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* 569.a
Formavit hominem de limo terræ. 726.a
8. *Plantaverat autem Dominus Deus omne lignum pulchrum visu , & ad vescendum suave.* 130.a
13. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* 379.a
22. *Ædificavit costam in mulierem.* 726.a
3. 2. *Fecit illis Deus tunicas pelliceas.* 323.a

Cap.verf.
7. *Cognoverunt se esse nudos.* 482.b
13. *Serpens decepit me.* 111.b 535.a
19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* 321.b 523.a
15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem : semen tuum & semen illius : ipsa conteret caput tuum.* 251.b
24. *Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim.* 123.
Ibid. Flammeum gladium atque versatilem vibrans. 132.a
4. 4. *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ , munera Domino.* 491.b
Ibid. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. 491.b
10. *Quid fecisti ? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

 6.2.*Vi-*

Cap.verſ.

6. 2. *Videntes filii Dei filias hominum, quòd eſſent pulchra.* 256.b

12. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* 78.b

7. 13. *Et facta eſt pluvia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* 726.a

19. *Aquæ prævaluerunt ſuper terram, opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cælo quindecim cubitis.* 124.a

8. 7. *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* 487.b

9. *Cùm non inveniſſet ubi requieviſſet pes ejus.* 720.b

10. 8. 9. *Vivente Noë multiplicati ſunt filii ejus, &c. Nemrod: ipſe cœpit eſſe potens in terra, &c. & erat robuſtus venator coram Domino, &c.* 426.a

14. 21. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* 560.a

18. 6. 7. *Feſtinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque: Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, &c.* 3.b

17. *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum.* 669.b

19. 16. *Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias, quas habes.* 730.

17. *Salva animam tuam.* 561.b

19. *Non poſſum aſcendere in montem, ne fortè apprehendat me malum.* 3.a

20. 5. *Deus zelotes eſt.* 733.a

24. *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem de cælo.* 730.a

21. 6. *Riſum fecit mihi Dominus* 68.b

8. *Fecit grande convivium in die ablactationis filii ſui Iſaac.* 713a

10. *Ejice ancillam & filium ejus.* 109.a 273.b

12. *Non tibi videatur aſperum ſuper puero, & ſuper ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus* 273.b

15. *Abjecit puerum ſubter unam arborem, & flevit, &c. Quid agis Agar? Noli timere, exaudivit enim Deus vocem pueri de loco in quo eſt.* 686.b

24. 16. *Rebecca puella decora nimis, virgo pulcherrima.* 68.b 728.b

18. *Bibe Domine mi, quin & camelis tuis hauriam aquam.* ibid.

22. 21. *Accede huc, ut tangam te fili mi, & probem, utrùm ſis filius meus Eſau.* 609.a

27. *Ecce odor filii ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* 608.b

28. 26. *Verè Dominus eſt in loco iſto: non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli.* 362.b 515.b

29. 16. *Hic habebat duas filias, nomen majoris Lia, minor verò appellabatur Rachel.* 580.b

17. *Rachel decora facie, & venuſto aſpectu.* 68.b

30. 37. *Vt cùm veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent, &c.* 394 b

31. 27. *Nec indicare mihi, ut perſequerer te cum canticis, & tympanis & cytharis.* 511.a

Cap.verſ.

32. 2. *Caſtra Dei ſunt hæc.* 83.a 207.b

26. *Dimitte me, jam enim aſcendit aurora.* 253.b

Ibid. *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* 498.a

33. 14. *Præcedat Dominus meus ſervum ſuum: & ego ſequar paulatim veſtigia ejus.* 376.b

37. 33. *Quia tunica filii mei eſt.* 347.a

38. 27. *Apparuerunt gemini in utero Thamar, atque in ipſa effuſione infantium, unus protulit manum, in qua obſtetrix ligavit coccinum, dicens, ipſe egredietur prior.* 549.a

39. 12. *Relicto in manu ejus pallio, fugit.* 711.b

40. 15. *Furto ſublatus ſum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum miſſus ſum.* 691.a

41. *Ego ſum Pharao, abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum aut pedem, &c.* 674.a

42. 7. *Quaſi ad alienos duriùs loquebatur, & ait eis: exploratores vos eſtis.*

44. 1.2.&c. *Præcepit autem Ioſeph diſpenſatori domus, dicens: Imple ſaccos eorum frumento; ſcyphum autem meum argenteum pone in ore ſacci junioris, &c.* 50.a

49. 3. *Ruben primogenitus: tu fortitudo mea, &c. effuſus es ſicut aqua, non creſcas, &c.* 587 a

22. *Ioſeph decorus aſpectu, filiæ diſcurrerunt per murum, ut viderent eum.* 620.a

EXODI.

1. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem præparavi tibi.* 3 4.a

2. 3 5.&c. *Sumpſit fiſcellam ſcirpeam, & linivit eam bitumine & pice, poſuitque intus infantulum, & & expoſuit eum. Ecce autem aſcendebat filia Pharaonis, ut lavaretur à flumine.* 619.a

3. 1. *Qui paſcebat oves Iethro in monte Horeb.* 82.a.b

3. 3. *Deus meus & omnia.* 186.a

5. *Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* 377.b

7. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, & ſciens dolorem ejus, deſcendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum.* 81.a

4. *Clamor ergò filiorum Iſraël venit ad me, vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur.* 81.a

11. *Quis ſum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſrael ex Ægypto?* 8·.b

17. *Ego ero tecum, & hoc nomen meum.* Ibid.

13. *Veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum de Ægypto.* 80.b

4. 17. *Virgam hanc ſume in manu tua, qua populum Iſrael regas & dirigas.* 106.a

Ibid, *In qua facturus es ſigna.* 110.b

25. *Sponſus ſanguinum tu mihi es.* 382.a

5. 4. *Quare Moyſen & Aaron ſollicitatis.* 115.a

7. 1. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta, &c.* 566.b

12. *Decoravit virga Aaron virgas eorum.* 110.b

Cap.vers.

8. 3. Et ebulliet fluvius ranas, quæ ascendent, & ingredientur domum tuam, &c.297.a
5. Extendit Aaron manum suam super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, 568.b
16. Percute pulverem terræ, & sint sciniphes in universa terra Ægypti, &c.568.b
19. Digitus Dei est hic. Ibid.
11. 2. Postulet vir ab amico, & mulier à vicina sua vasa aurea & argentea.726.b
12. 6. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum, at non talis servus meus Moyses.86.b 669.b
13. 2. Sanctifica mihi omne primogenitum, tam de hominibus, quàm de jumentis, omnia sunt enim mea.486.b.seq.495.b
14. 25. Fugiamus Israëlem, quia Dominus pugnat pro eo.115.a
15. 1. Cecinit Moyses & filii ejus.212.b
Ibid. Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.90.a
2. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, iste Deus meus, & glorificabo eum. Ibid.
3. In manu forti eduxit eos Dominus.569.a
4. Currus Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare in magnitudine brachii sui.569.a
15. 20. Maria Prophetissa, soror Aaron.68.b
Ibid. Maria Prophetissa sumpsit tympanum in manu sua, & egressæ omnes mulieres post eam cum tympanis & choreis, &c.212.b 214.a
17. 4. Quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me.115.a
18. 21. Provide de omni plebe viros potentes, timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos, centuriones, &c.493b
21. 33. Si quis aperuerit cisternam, & non operuerit eam, cecideritque bos vel asinus, &c.478.a
22. 19. Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere.485.b
23. 20. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat te in via, & introducat in locum, quem præparavi tibi.314 a
24. 14. Habetis Aaron & Hur vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.14 a
26. 14. Facies operimentum de pellibus arietum rubricatis.698.a
30. 34. Sume tibi aromata stacten & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, faciesque thymiama compositum.746.b
32. 5. Ædificavit altare coram eo, & præconis voce clamavit, dicens: Cras solennitas Domini est, surgentesque mane obtulerunt holocausta & hostias.220.a
9. Duræ cervicis populus.94.b
32. Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro vitæ.93.b
33. 11. Loquebatur facie ad faciem, sicut homo ad amicum suum.87.b 667.b
34. 29. Facies ejus cornuta reddita est ex consortio sermonis Domini.83.b 85 b 86.a
35. 22. Omnis multitudo populi filiorum Israel obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi testimonii.265.a

LEVITICI.

22. 21. Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens, immaculatum offeret.492.a
22. Si cæcum fuerit, si fractum si cicatricem habens, non offeratis Domino. Ibid.

NUMERI.

1. 45. Fueruntque omnis numerus filiorum Israël qui poterant ad bellum procedere sexcenta millia virorum, quingenti & quinquaginta. 81..a
6. 5. Omni tempore separationis suæ novacula non transibit per caput ejus usque ad completum diem, quo Domino consecratur 36 b
6. Tunc radetur Nazaræus ad ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ, tolletque capillos ejus, & ponet super ignem qui est suppositus sacrificio pacificorum. Ibid.
12. 3. Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.100.a
7. Servus meus Moyses in domo mea fidelissimus.89.b
13. 3. Misit Principes viros singulos de singulis tribubus.92.a
18. Ascendite per meridianam plagam, cumque veneritis ad montes, considerate terram Ibid.
24. Pergentes ad torrentem botri absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri, de malis quoque granatis. 67.b
28. Sed ut ex fructibus cognosci potest.66.b
15. 19. Separabis primitias Domino.485.b
21. 5. Nauseabat anima super cibo isto levissimo. 80.a
24. 17. Orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israël.274.b

DEUTERONOMII.

3. 11. Og Rex Basar de stirpe gigantum monstratur lectus ferreus novem cubitos habens longitudinis, quatuor latitudinis.169.b
4. 24. Dominus noster ignis consumens est. 247.b
5. 4. Cùm loqueretur ei Dominus in medio ignis. 87.b
8. 4. Primitiæ frumenti, vini & olei.485.b
23. 7. Non abominaberis Idumæum.543.b
21. Non tardabis reddere.12.b
28. 66. Vita tua sit semper quasi pendens ante te. 391.a
32. 2. Fluit ut ros eloquium ejus.720.b
13. Constituit eum super excelsam terram, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.703.b
35. Mea est ultio, & ego retribuam eis in tempore. 646.b 694.a
33. 12. Benjamin amantissimus Domino habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo totâ die morabitur, & inter humeros ejus requiescet.668.b
26. Ascensor cæli auxiliator tuus.2.a

34.4.Mor-

Cap.verſ.
34. 4. *Mortuuſque eſt Moyſes ſervus Domini in terra Moab jubente Domino*.564.b

JOSUE.

5. 13. *Cùm eſſet Ioſue in agro urbis Ieriche, levavit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe.*
14 *Evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: noſter es, an adverſariorum? qui reſpondit nequaquam: ſed ſum Princeps exercitus Domini, & nunc venio*.303.b
9. 14. *Quod os Domini non interrogaſſet*.84.b
10. 4. *Expugnemus Dabaon, quare transfugerit ad Ioſue, & ad filios Iſrael*.115.b

JUDICUM.

5. 8. *Nova bella elegit Dominus*.77.a 79.a
24. *Benedicta inter mulieres Iahel*.68.b
26. *Quæ ſiniſtram manum miſit ad clavum, & dextram ad fabrorum malleos, percuſſitque Siſaram*.68.b 270.a
11. 30. *Votum vovit Domino dicens, ſi tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egreſſus de foribus, &c. holocauſtum offeram Domino*.331.a
14. 8. *Ecce examen apum in ore leonis erat, & favus mellis*.19 .a
14. *De comedente exivit cibus: & de forti egreſſa eſt dulcedo*.191.a 700.a

RUTH.

1. 17. *Sola mors me & te ſeparabit*.721.b
3. 10. *Priorem miſericordiam poſteriore ſuperavit*.182.a

I. REGUM.

1. 1. *Fuit vir unus*.402.b 445.b
10. *Domine exercituum ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederiſque ſervæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino*.257.b
27. *Pro puero iſto oravi, & dedit Dominus petitionem meam*.68.b
2. 26. *Samuel placebat tam Domino, quàm hominibus*.117.a
14. 43. *Guſtans guſtavi paululum vini, & ecce morior*.51.b 106.b 712.b
15. 17. *Cùm parvulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es, unxitque te Dominus in Regem ſuper Iſrael*.629.b
31. *Siccine ſeparat amara mors?* 721.b
16. 9. *Nunquid jam completi ſunt filii, qui reſpondit, adhuc reliquus eſt parvulus, & paſcit oves, ait Dominus, ſurge, unge eum, ipſe eſt, quem elegit Dominus*. Ibid.
14. *Exagitavit eum ſpiritus nequam*.515.b
23. *Quandocunque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat cytharam*.516.a
17. 4. *Goliath ſex cubitorum & palmi*.111.a
Nunquid ego canis ſum, quod tu venis ad me cum baculo.659.a
35. *Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem & veniebat leo, & urſus, & perſequebar eos*.411.a
Cap.verſ.
40. *Exprobravit agminibus Iſrael*.111.a
18. 1. *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam*.347.a
4. *Expoliavit ſe Ionathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam David*.470.b
22. *Ecce places Regi, & omnes ſervi ejus diligunt te* 117 a
20. 22. *Si dixero puero, ecce ſagittæ intra te ſunt, tolle eas, tu veni ad me, quia pax tibi eſt, & nihil eſt mali, vivit Dominus. Si autem locutus fuero, ecce ſagittæ ultra te ſunt, vade in pace, quia dimiſit te Dominus*.245.a
24. 8. *Et confregit David viros ſuos ſermonibus*.104.a
13. *Iudicet Dominus inter me & te, & ulciſcatur me Dominus ex te*. 688.
17. *Nunquid vox hæc tua eſt fili mi David, & levavit Saul vocem ſuam & flevit*.104.656 b
25. 3. *Abigail erat mulier prudentiſſima & ſpecioſa*.68.b
33. *Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie ne irem in ſanguinem*. Ibid.
29. 6. *Vivit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conſpectu meo*.115.b
9. *Quia bonus es tu in oculis meis, ſicut Angelus Dei*.115.b

II. REGUM.

2. 2. *Quia (Aſel) velociſſimus fuit quaſi unus de capreis, quæ morantur in ſylvis*.3.a
20. *Petitionem unam parvulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam*.177.b
24. *Vivit Dominus, qui firmavit me, & collocavit ſuper ſolium David, &c. quia hodie occidetur Adonias*.177.b
6. 16. *Proſpiciens per feneſtram vidit David ſubſilientem atque ſaltantem coram Domino, &c. Dixit David ad Michol ante Dominum, qui elegit me, ludam, & vilior fiam plus quàm factus ſum, &c*.710.b
6. 20. *Veſtivit auro puriſſimo*.739.b
7. 3. *Dixitque Nathan ad Regem, omne quod eſt in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum eſt*.238.b
11. 11. *Dominus meus Ioab, & ſervi Domini mei ſuper faciem terræ manent, &c. & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam, &c*.162.b
12. 3. *Habebat ovem unam parvulam, quæ de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in ſinu illius dormiens*.664.&c.
13. *Peccavi Domino*.219.a
Ibid. *Cœpit flere, tranſtulit quoque Dominus peccatum tuum*.229.b
28. *Ne cùm à me vaſtata fuerit urbs, nomini meo adſcribatur victoria*.90.a
14. 9. *In me ſit Domine Rex hæc iniquitas, & in domum Patris mei: Rex autem & thronus ejus ſit innocens*.596.a
25. *Porrò ſicut Abſolon vir non erat pulcher in omni Iſrael*.42.b
26. *Et quando tondebat capillum, ponderabat ducentis ſiclis pondere publico*.42 b

16.9.*Quæ-*

Cap. verſ.
16. 9. *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam, & amputabo caput.* 649.b
18. 5. *Servate mihi puerum Abſolon.* 650.a
9. *Cùmque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum & magnam, adhaſit caput ejus quercui.* .0.b
19. 22. *Quid mihi & vobis filiæ Sarviæ? cur efficimini mihi hodie in Satan? &c.* 649.b
19. 35. *Octagenarius ſum hodie &c. nunquid audire poſſum ultra vocem cantorum & cantatricum?* 511.a
20. 9. *Dixit Ioab ad Amaſam: ſalve mi frater &c. porrò Amaſa non obſervavit gladium, quem habebat Ioab, qui percuſſit eum in latere, & mortuus eſt.* 712.a
22 36. *Manſuetudo mea multiplicavit me.* 101.b
43. *Quaſi lutum platearum.* 737. b
23. 16. *Libavit eum Domino.* 432.a.

III. REGUM.

3. 9. *Dabis ſervo tuo cor docile.* 240.a
12. *Cor ſapiens & intelligens.* 240.a
4. *Zabud filius Nathan ſacerdos amicus Regis* 674.a
33. *Et diſputabit ſuper lignis, à cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete.* 240.b
6 29. *Fecit in eo Cherubim.* 391.a
10. 1. *Regina Saba audita fama Salomonis, venit ut audiret ſapientiam Salomonis.* 623.a
16. *Facti ſunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum.* 18.a.b
18. *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem.* 599.a
11. 4. *Cùm eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres.* 633.b
12. 28. *Fecit duos vitulos aureos, & dixit eis, nolite ultra aſcendere in Ieruſalem: Ecce dii tui Iſrael qui te eduxerunt de terra Ægypti &c.* 220 b
13. 24. *Leo ſtabat juxta Cadaver.* 324. b
17. 1. *Vivit Dominus Deus Iſrael, ſi erit annis his ros & pluvia, niſi juxta verba oris mei.* 748.
10. *Da mihi paululum aquæ in vaſe, & bibam: & buccellam panis in manu tua.* 17.b

IV. REGUM.

2. 8. *Tulitque Elias pallium ſuum, & involvit illud & percuſſit aquas, quæ diviſæ ſunt in utramq; partem, & tranſierunt ambo per ſiccum.* 36. a
12. *Currus Iſrael & auriga ejus.* 15.13.24.a
13. *Heliſæus levavit palliū Eliæ quod ceciderat.* 25.a
4. 32. *Et ecce puer mortuus jacebat in lectulo &c. & incurvavit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri.* 631.b
4. 39. *Egreſſus unus in agrum, ut colligeret herbas agreſtes, &c. cumque guſtaſſent de coctione, clamaverunt dicentes: mors in olla &c. afferte farinam, cumque tuliſſent, miſit in ollam &c. & non fuit amplius quidquā amaritudinis in olla.* 56.b 704.
5. *Erat vir magnus apud Dominum ſuum & honoratus: per illum enim dedit Dominus ſalutem Syriæ.* 674.a
9. 30. *Porrò Iezabel depinxit oculos ſuos ſtibio.* 398.a
37. *Haccine eſt iſta Iezabel?* 318. a
10. 31. *Non receſſerunt à peccatis Ieroboam, quibus peccare fecit Iſrael.* 220.b
19. 35. *Angelus Domini percuſſit centum & quinque millia.* 303.b
23. 14. *Succidit lucos, replevitque loca eorum oſſibus mortuorum.* 326. a

I. PARALIPPOM.

13. 2. *Si placet vobis, & à Domino Deo noſtro egreditur ſermo quem loquor, mittamus ad fratres noſtros.* 102. b
22. 14. *Auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum tibi ſunt.* 451.739. b

II. PARALIPPOM.

2 21. *Statuit Ioſaphat cantores Domini, ut laudarent eum in turmis ſuis,* &c. 515 a
7. 4. *Dedicavit domum Dei Rex, & univerſus populus* 740.a
20. 1. *Poſt hæc congregati ſunt filii Moab, & filii Ammon, & pugnaverunt contra eum.* 115. b
24. 23. *Videat Dominus & requirat* 942. b
35. 24. *De curru in alterum currum tranſlatus.* 20.b
12. *Apparuit autem ei Dominus, & ait: elegi locum iſtum in domum ſacrificii* &c. *& aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco illo oraverit.* ibid.

ESDRAS. I.

4. 35. *Veritas magna & fortior præ omnibus.* 287.b
9. 3. *Cùm audiſſem ſermonem iſtum, ſcidi pallium meum & tunicam, & evelli capillos capitis mei.* 37. b

ESDRAS. IV.

12. 42. *Deus qui nobis ſupereſt ſolus portus.* 443.b

TOBIÆ.

2. 3. *Qui vidit unum ex filiis Iſrael jugulatum jacere in platea, ſtatimque exiliens de accubitu ſuo relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus.* 3. b
4. 14. *In ſuperbia initium ſumpſit omnis perditio.* 338. a
19. *Conſilium ſemper à ſapiente require.* 85.a
5. 18. *Ego ſum Azarias Ananiæ magni filius* 627.a
12. 1,2. *Quid poſſumus dare viro iſti ſancto qui venit tecum? reſpondens Tobias dixit Patri ſuo: Pater quam mercedem dabimus ei* &c. 310.a
13. 2. *Non eſt qui effugiat manum tuam Domine.* 569. a

JUDITH.

4. 8. *Clamavit omnis populus ad Dominum inſtantia magna & humiliaverunt animas ſuas in jejuniis & orationibus, & clamaverunt ad Dominum Deum Iſrael unanimiter.* 747.

Cap. verf.

8. 1. *Iudith autem in superioribus domus sua fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur &c. erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat divitias multas &c.* 727.b

8. 4. *Erat autem Iudith relicta vidua jam annis tribus & mensibus sex, &c.* 358. a

8. *Erat eleganti aspectu, in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde; nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* 68. b 375.b

21. *Vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum.* 552. a

28. 29. *Non est in sermonibus tuis alia reprehensio, ergò ora pro nobis, quia mulier sancta es.* 96.b

8. 32. *Nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum.* 747.

10. 3. *Lavit corpus suum, & unxit se myrto optimo & discriminavit crinem.* 307.a

Ibid. *Induit se vestimentis jucunditatis, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextrariola & lilia, & inaures &c.* 180.b 375.b

16. *Cor Holofernis concussum est, erat enim ardens in concupiscentia ejus.* 307. b

13. 20. *Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari; sed sine pollutione peccati revocavit me vobis gaudentem in victoria sua &c.* 307.b

16. 11. *Cui etiam Dominus contulit splendorem.* 376.a

Ibid. *Sandalia ejus rapuerunt oculos meos.* 377. a

ESTHER.

1. 6. *Lectuli quoque aurei & argentei, pavimentum smaragdino, & pario stratum lapide.* 390. a

2. 15. *Esther formosa valde, & incredibili pulchritudine.* 69. a

4. 14. *Si nunc silueris, tu, & domus Patris tui peribitis.* 135. a

5. 6. *Etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* 379. b

6. 6. *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare desiderat?* 347. a

7. *Homo, quem Rex honorare desiderat, debet indui vestibus regiis.* ibid.

7. 3. *Si inveni gratiam in oculis tuis O Rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam, &c.* 461. a

6. *Hostis & inimicus pessimus iste est Aman.* 69. a

7. *Surrexit ut rogaret Esther Reginam pro anima sua.* 178. a

8. 16. 17. *Nova lux oriri visa, gaudium, honor & tripudium apud omnes populos, urbes &c. exultatio & festus dies &c.* 597. a

9. 27. *Nulli liceat hos dies absque solemnitate transigere.* 738. a

14. 2. *Fletus & luctus apta indumenta suscepit, & corpus suum humilians in jejuniis, omniaque loca, in quibus antea lætare consuerat, crinium laceratione complevit.* 37. b

3. *Domine mi, qui Rex noster es solus, adjuva me solitariam.* 734. b

15. 13. *Residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, eratque terribilis aspectu.* 182. b

17. *Valde mirabilis es tu Domine.* 227. a

16. 3. *Multi bonitate Principum & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam. &c.* 675. a

J O B.

1. 1. *Vir rectus & timens Deum.* 181. a

3. *Fuit possessio ejus septem millia ovium, & tria millia camelorum, &c. eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.* 626. b

5. *Sic faciebat Iob cunctis diebus.* 403. a

20. *Surrexit & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adoravit &c.* 57. b

21. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc: solùm mihi superest sepulchrum.* 321.a 483.a

3. 3. *Pereat dies in qua natus sum.* 632. b

4. 7. *Recordare obsecro quis unquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt?* 690.a

6. 4. *Quia sagitta Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me.* 243. b

16. *Qui timet pruinam, irruet super eum nix.* 714.b

8. *Quis mihi det, ut veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus: & hæc mihi est consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* 707. a

7. 7. *Ventus est vita mea.* 445. a

13. *Consolabitur me lectulus meus.* 158. b

17. *Quid est homo, quia magnificas eum; aut apponis contra eum cor tuum?* 668.a

21. *Ecce nunc in pulvere dormiam.* 169. a

9. 3. *Non poterit respondere unum pro mille.* 265.b

26. *Naves poma portantes.* 442. a

10. 8. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me.* 569. a

9. *Memento quæso quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* 523. b

12. 4.5. *Deridetur justi simplicitas, lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.* 198.a

13. 19. *Quare taceus consumor.* 660. b

27. *Posuisti in nervo pedem meum.* 161. a

14. 2. *Homo nunquam in eodem statu permanet.* 414. b

13. *Quis mihi hoc tribuatut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus.* 181. a

15. 25. *Tetendit adversus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.* 78. a

16. 20. *Ecce in cœlis testis meus, & conscius meus in excelsis* 691. a

17. 10. *Dies mei abbreviabuntur, & solum mihi superest sepulchrum.* 324. b

17. 12. *Ferent tympanum & cytharam: ducunt in bonum dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* 222. b

13. *In tenebris straverunt lectum meum.* 169. a

19. 2. *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* 262. b

21. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei* 455.b

26. *Rursus circumdabor pelle mea.* 699. b

21. 7. *Sublevati sunt, confortatique divitiis.* 633. b

Cap.verſ.
12. *Et in puncto ad inferua deſcendunt.* 712. a
24. 14. *Mane primò ſurgit homicida, nc interficiat egenum & pauperem.* 498. a
26. 7. *Qui appeudit terram ſuper nihilum.* 444.a
27. 3. 4. *Donec ſupereſt halitus in me, non loquentur labia mea iniquitatem: juſtificationem quam cepi facere, non deſeram.* 403
28 11. *Profuada flumina ſcrutatus eſt, & abſcondita in lucem produxit.* 225. a
29. 8 *Videbant me juvenes & abſcondebantur, Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo.* 311. a
30. 1. *Quorum non dignabar Patres ponere cum canibus gregis mei.* 133. a
31. *Verſa eſt in luctum cythara mea, & organum in vocem flentium.* 506. b
31. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem de virgine.* 499.b
33. 19. *Increpat quandoque per dolorem in lectulo.* 162. a
34. 8. *Quis concluſit oſtiis mare?* 322. b
11. *Hic confringes tumentes fluctus tuos.* 321. b
39 *Concentum cœli quis dormire faciet?* 501.b
35. 10. *Dedit carmina in nocte.* 702. b
38. 10. *Laudarunt eum ſimul aſtra matutina &c.* 591.a
40. 4. *Si habes brachium ſicut Deus.* 568. b 569.a

P S A L M.

3 2. *Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me.* 657. a
4. 3. *Filii hominum uſquequo gravi corde: ut quid diligitis vanitatem, &c.* 587.a
9. *In pace in idipſum dormiā & requieſcam.* 647.a
5. 3. *Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam.* 497. b
6. 4. *Sed tu Domine uſquequo?* 228. b
6. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* 231.a
8. 3. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem tuam Domine.* 517.a. 602.
4. *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.* 291. b 406. 568. b
6. *Gloria & honore coronaſti eum.* 386. b
9. 2. *Narrabo omnia mirabilia tua.* 567.b
10. 7. *Ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* 48. b
15. *Quæretur peccatum illius, & non invenietur.* 591.&c.
12. 1. *Vſquequo Domine oblivisceris mei in finem?* 228. b
13. 5. *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* 464. a
15. 7. *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.* 84. a
16. 15. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* 450. b
17. 27. *Cum Sancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris.* 357. b
34. *Perfecit pedes meos tanquam cervorum & ſuper excelſa ſtatuens me.* 3. a 704.a
35. *Qui docet manus meas ad prælium.* 702.b
18. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei.* 110. b
11. *Dulciora ſuper mel & favum.* 191.
13. *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo.* 218. b 219.
18. 14. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* 582.
21. 17. *Circumdederunt me canes multi.* 427. b
22. *Salva nos ex ore leonis.* 307. a
22. 5. *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt.* 57. b
25. 2. *Vre renes meos, & cor meum.* 158. a
33. 1. 2. *Benedicam in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.* 218.a 702.b
4. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum.* Ibid.
14. 15. *Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* 363. a
21. *Cuſtodit Dominus oſſa eorum, unum ex his non conteretur.* 571. b
22. *Mors peccatorum peſſima.* 721. b
34. 10. *Domine quis ſimilis tibi?* 334. a 337. b
35. 7. *Iudicia tua abyſſus multa.* 514.b
36. 14. *Gladium evaginaverunt peccatores.* 78. b
13. *à Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet.* 376.b
27. 2. *Sagittæ tuæ infixa ſunt mihi.* 244. b
38. 1. *Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in via mea.* 362. b
39. 6. *Non eſt qui ſimilis ſit tibi.* 646. a
8.9. *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntates tuas: Deus meus volui.* 491. a
12. *Virum injuſtum mala capient in interitum.* 431. a
15. *Confundantur & revereantur qui volunt mihi mala.* 644. b
40. 4. *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus.* 161. b
Ibid. *Vniverſum ſtratum verſaſti in infirmitate.* 162 a 301.a 708.b
43. 22. *Æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.* 210. a
44. 1. *Eructavit cor meum verbum bonum.* 625. a
2. *Scriba velociter ſcribentes.* 210.a
3. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* 50. a
6. *Sagittæ tuæ acutæ.* 104. a
10. *In veſtitu deaurato, circumdata varietate.* 482. b
11. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* 608. a
13. *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.* 76.a
15. *Adducentur Regi virgines poſt eam &c.* 215. b 486.b
45. 5. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* 141.b
9. *Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram.* 291.b
47. 8. *In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis.* 441. a
49. 3. *Ignis in conſpectu ejus exardeſcet, & in circuitu ejus tempeſtas valida.* 747. b
5. *Congregate illi Sanctos ejus, qui ordinant teſtamentum ejus ſuper ſacrificia.* 587.b
50. 8. *Occulta & incerta ſapientia tua manifeſtaſti mihi.* 117.b
19. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, &c.*
Ibid. *Cor contritum & humiliatum non deſpicies.* 227.a 230.a 231.b
51. 1. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate.* 247. b

Cap.verſ.
4. Sicut novacula acuta feciſti dolum.35. b
6. Dilexiſti omnia verba præcipitationis, lingua doloſa.518. a
52. 6. Quoniam Deus diſsipavit oſſa eorum, qui hominibus placent &c.120.a 680.b
10. Paravit brachium ſanctum ſuum 570.a
54. 3. Contriſtatus in exercitatione ſua, & conturbatus à voce inimici, & à tribulatione peccatoru. 355.a
7. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo? 3. b
8. Elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. 355. b
18. Veſpere & meridie narrabo & annunciabo, & exaudies vocem meam. 84. a
22. Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.552. a
23. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.3 .7.a
56. 11. Lætabitur juſtus cùm viderit vindictam. 337.a
61. 11. Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. 714. a
12. Duo hæc audivi, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia.74.a
62. 1. Deus Deus meus ad te de luce vigilo.498.a
63. 7. Scrutati ſunt iniquitates.598. b
64. 12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. 386.
67. 3. Sicut deficit fumus deficiant, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei. 514.b
6. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium.18.b 21.b
22. Confringet Dominus vertices capilli perambulantium in delictis ſuis.30. b 31.b
24. Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo. 134.b
26. Prævenerunt Principes conjuncti pſallentibus, in medio juvencularum tympaniſtriarum. 213.a 513.a
28. Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. 668.
36. Mirabilis Deus in Sanctis ſuis.227. b
69. 4. Avertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi euge, euge.220.a
70. 7. Ego adjutor fortis.82. b
71. 18. Qui facit mirabilia ſolus.227. a
72. 4. Non eſt reſpectus morti eorum; ideo tenuit eos ſuperbia: operti ſunt iniquitate & impietate ſua.,27.a
74. 9. Calix in manu Domini vini meri, plenus miſto, & inclinavit ex hoc in hoc.57.b
Ibid. Fæx ejus non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ. 51.b
75. 5. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. 429.b
8. Terribilis es tu, & quis reſiſtet tibi? 514.b
11. Reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. 184.b
76. 8. Nunquid in æternum projiciet Deus? 514.b
11. Hæc mutatio dextræ excelſi. 291. b
78. 1. Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum. 132. b
79. 6. Potum dabis nobis lacrymis in menſura. 48.b
80. 4. In inſigni die ſolemnitatis veſtræ.738. a
81. 6. Ego dixi, dii eſtis, filii excelſi omnes, 566. a 219.a
Cap.verſ.
82. 11. Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia. 454.a
83. 1. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.97.a
5. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.448. b 208 b
84. 14. Mane oratio mea præveniet te.497.b
15. Sicut oves in inferno poſiti, mors depaſcet eos. 134.b
85. 5. Quoniam tu Domine ſuavis & mitis 103. a
17. Fac mecum ſignum in bonum.174. a
86. 3. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.441.a
87. 11. Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt.552. a
88. 14. Tuum brachium cum potentia.169.a
90. 11. Angelis ſuis mandavit de te, in omnibus viis; in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.304. a
92. 4. Mirabilis in altis Dominus.227. a
93. 3. Vſquequo peccatores Domine, uſquequo peccatores gloriabuntur, populum tuum Domine humiliaverunt &c. donec fodeatur peccatori fovea.322.b
17. Paulò minus ab inferno habitaret anima mea. 306. b
19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.705.b ſeq.
96. 1. Lætentur inſulæ multæ.729 a
97. 5. Pſallite Domino in cythara & voce pſalmi. 519.a
98. 5. Adorate ſcabellum pedum ejus.186.b
99. 3. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. 380.b
101. 14. Quia tempus miſerendi, quia venit tempus 661.a
102. 8. Deus patiens eſt & longanimis, & multæ miſericordiæ. 10.a 103.a
103. 2. Amictus lumine ſicut veſtimento.474. a
Ibid. Extendens cœlum ſicut pellem.210.a
20. Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox. 237.b
25. Hoc mare magnum & ſpatioſum. 440. a 441.a
26. Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei. 114. a
104. 15. Nolite tangere Chriſtos meos. 651. a
105. 23. Dixit ut diſperderet eos, ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione in conſpectu ejus 94.b
106. 10. Sedentes in umbra mortis vinctos in mendicitate & ferro.457.b
13. Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum, quia contrivit portas æreas & vectes ferreos confregit.324.b
15. Iniquitas oppilabit os ſuum. 443. a
26. Aſcendunt uſque ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos.441 a
27. Sapientia eorum devorata eſt. 240.b
30. Deduxit eos in portum voluntatis eorum 440.
110. 9. Sanctum & terribile nomen Domini.74. b
113. 9. Non nobis Domine, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam.92. a

Cap. verſ.
114. 6. *Cuſtodiens parvulos Dominus.* 686. b
115. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi.* 47. b
13. *Calicem ſalutaris accipiam.* ibid.
15. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* 722. b
118. 1. *Beati qui ambulant in lege tua Domine.* 3. b
28. *Dormitavit anima mea præ tædio.* 167. a
32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* 3. b
85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua.* 607. b
125. *Domine ſervus tuus ſum ego.* 412. b
136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* 229. b
121. 1. *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* 723. b
123. 7. *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* 454. b
124. 1. *Mons Dei non commovebitur in æternum.* 437. b
126. 1. *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* 01. b
127. 3. *Uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* 60. b 727. a
131. 1. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* 101. a
13. *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* 721. a
134. 7. *Qui producit ventos de theſauris ſuis.* 127. a
135. 1. *Confitemini Domino, quoniam in æternum miſericordia ejus.* 515. a
136. 1. *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus, cùm recordaremur Sion.* 714. a
137. 2. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* 514. a
138. 1. *Domine probaſti me, & cognoviſti me.* 359. b
139. 3. *Qui cogitaverunt iniquitates in corde ſuo, tota die conſtituebant prælia.* 78. a
141. 8. *Educ de cuſtodia animam meam.* 453. ſeq.
142. 2. *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* 514. b 181. a
143. 12. 13. *Filiæ eorum circumornatæ ſicut ſimilitudo templi: promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud: oves eorum fœtoſæ.* 280. b 742. b
144. 1. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis.* 639. b
146. 4. *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat* 406.
147. 1. *Velociter currit ſermo ejus.* 625. a
14. *Ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?* 535. b
20. *Non fecit taliter omni nationi.* 716. b
148. 5. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.* 291. b
11. 12. *Reges terræ & omnes populi, Principes & omnes Iudices terræ, juvenes & virgines, ſenes cum junioribus laudent nomen Domini.* 743. ſeq.
149. 1. *Cantate Domino canticum novum.* 504. a
4. *Exaltabit manſuetos in ſalutem.* 106. a
150. 4. *Laudate eum in tympano.* 210.
Ibid. *Laudate eum in chordis & organo.* 501. ſeq.
6. *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* 746.

Cap. verſ.

PROVERBIOR.

1. 16. *Pedes impiorum ad malum currunt.* 4. a
17. *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum.* 435. a 715. b
22. *Uſquequò parvuli diligitis infantiam?* 635. b
2. 14. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* 221. b 237.
3. 3. *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam.* 363. a
5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* 84. b
28. *Ne dicas amico tuo, vade & revertere, cras dabo tibi, cùm ſtatim poſſis dare.* 10. ſeq.
6. 3. *Fili mi, diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum.* 2. a 11. b
6. *Vade ad apem, & vide quomodo operata eſt.* 190. a 198. b
9. *Uſquequo piger dormies: quando conſurges de ſomno tuo?* 168. a
27. *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant?* 95. a
34. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ.* 382. a 733. b
7. 10. 11. *Ecce occurrit tibi mulier ornatu meretricio ad capiendas animas, deprehenſumque deoſculatur juvenem; irretivit eum capillis ſuis, & ſtatim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, donec transfigat ſagitta cor ejus.* 31. b
Ibid. *Et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus.* 727. b
8. 23. *Ab æterno ordinata ſum.* 251. 488. a
31. *Ludens in orbe terrarum.* 622. a 710. a
Ibid. *Deliciæ eſſe cum filiis hominum.* 430. a
35. *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* 600. b
11. 1. *Pondus æquum voluntas ejus.* 48. b
13. 8. *Redemptio animæ viri divitiæ ſuæ.* 458. b 294. a
14. 35. *Acceptus eſt regi miniſter intelligens.* 674. a
16. 32. *Melior eſt patiens viro forti; & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium.* 411. a
17. 1. *Reſponſio mollis frangit iram: ſermo durus ſuſcitat furorem.* 104. b
19. 15. *Pigredo immittit ſoporem.* 167. a
17. *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis.* 612. a
20. 1. *Luxurioſa res vinum.* 152. b
21. 5. *Cogitationes robuſti ſemper in abundantia.* 380. b
30. *Non eſt conſilium contra Dominum.* 532. b
22. 1. *Meliùs eſt bonum nomen quàm divitiæ multæ.* 648. a
11. *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem* 673. b
20. *Leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.* 3. a
29. *Vidiſti virum velocem in opere ſuo, coram Regibus ſtabit.* 3. a
23. 26. *Fili, præbe mihi cor tuum.* 495. b
28. *Inſidiatur in via quaſi latro, & quos incautos viderit, interficiet* 200. b
24. 6. *Cum diſpoſitione initur bellum, & erit ſalus ubi multa conſilia.* 83. b
12. *Si dixeris vires non ſuppetunt, qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit.* 49. b
25. 11. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus.* 666. a

Cap.verſ.

26. 14. *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo.* 166. a

27. 7. *Etiam amarum pro dulci ſumet.* 608. b

28. 1. *Iuſtus autem quaſi leo confodiens abſque terrore erit.* 524. a

30. 15. *Nunquam dicit ſufficit.* 324. b

30. *Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pavebit occurſum.* 524. a

31. 10. *Mulierem fortem quis inveniet.* 269. a

14. *Facta eſt navis inſtitoris, de longè portans panem.* 264. a

21. *Non timebit domui ſuæ à frigoribus nivis; omnes enim domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus.* ibid. b

25. *Ridebit in die noviſſimo.* 713. b

28. *Surrexerunt filii, & beatiſſimam prædicaverunt: vir ejus & laudavit eam.* 727. a

29. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas.* 175. b 406.

30. *Fallax gratia & vana pulchritudo.* 580. b

ECCLESIASTES.

1. 7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* 91. b

2. 8 *Feci mihi cantores & cantatrices, delicias filiorum hominum.* 510. a

7. 2. *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii.* 321. a

Ibid. *Melior dies mortis die nativitatis.* 72. b

17. *Noli eſſe juſtus multum, neque plus ſapias quàm neceſſe ſit, ne obſtupeſcas.* 25. a 543. b

11. 3. *In quocunque loco cecciderit, ibi erit, ad auſtrum, vel ad aquilonem.* 66. a

CANTICORUM.

1. 3. *Trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* 215. a

6. *Indica mihi ubi cubes in meridie.* 158. b

7. *Si ignoras te, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos.* 109. a 183. a

13. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* 204. a

15. *Lectulus noſter floridus eſt.* 159. a 721. b

2. 2. *Sicut lilium inter ſpinas; ſic amica mea inter filias.* 152. b 432. b

10. *En dilectus meus loquitur mihi, ſurge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni.* 730. a

13. *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ.* ibid.

14. *Sonet vox tua in auribus meis* 380 a

15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* 9. b

16. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* 51. b 380. a

3. 1. *In lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima mea, quæſivi illum & non inveni.* 158. b 161. b

7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael.* 303. a

10. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* 199. a

4. 2. *Dentes ejus ſicut greges tonſarum.* 35. a 544. b

7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* 69. b 594. a 598. a

8. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* 385. a

9. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui.* 34. a 224.

10. *Odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* 265. a

11. *Favus diſtillans labia tua, lac & mel ſub lingua tua.* 50. a 52. a 189. a 700. a

12. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus.* 720. &c. 732. b

5. 1. *Comedi favum cum melle meo; bibi vinum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* 186. a 206. a

3. *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa?* 166. b 719. b

Ibid. *Lavi pedes meos, quomodo coinquinabo?* 719. b

6. *Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus meus locutus eſt mihi.* 294. b 380. a

9. *Cui comparabo te, ô pulcherrima mulierum?* 375. a 596. a

13. *Labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam.* 50. a

6. 1. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* 73. a

8. *Vna eſt columba mea.* 252. a

9. *Electa ut Sol.* 591. b

10. *Deſcendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inſpicerem ſi floruiſſent vineæ, & germinaſſent mala punica.* 707. b

7. 1. *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum?* 575. a

Ibid. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis?* 375. a 6. b 375. a

5. *Caput tuum ſicut carmelus, & coma capitis tui ſicut purpura Regis.* 12. a

7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & ubera tua botris.* 63. b

8. *Vbera tua ſicut botri vineæ.* 63. b

12. *Mane ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt.* 65. a

8. 1. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ.* 201. b

2. *Dabo tibi poculum ex vino condito, muſtum malorum granatorum, vinum germinans virgines.* 608. a

5. *Deliciis affluens.* 73. b

6. *Pone me ſicut ſignaculum ſuper cor tuum.* 347. b

7. *Omnem ſubſtantiam ſuam dedit pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* 673. a

SAPIENTIÆ.

1. 25. *Deſpexiſtis omne conſilium meum; ego quoque in interitu veſtro ridebo.* 7. b

2. 8. *Coronemus nos roſis antequam marceſcant, non prætereat nos flos temporis.* 320. b

12. *Circumveniamus juſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius operibus noſtris.* 69. a

3. 3. *Intrans in mundum, primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.* 630. b

4. 11. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum.* 413. b 449. b

12. *Inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum* 529. b

5. 2. *Mirabuntur in mutatione inſperatæ ſalutis* 528. a

Ibid

Cap. verſ.

Ibid. Turbabuntur timore horribili, dicentes: Quomodo erravimus à via veritatis,&c.3:6.b
16. Iuſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum.348. b
7. 9. Cui non comparavi lampadem pretioſam: quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum reputabitur argentum in conſpectu illius. 73. a
11. Venerunt omnia bona pariter cum illa. 74. a
24. Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia, attingit autem ubique propter munditiam; vapor eſt enim virtutis Dei. 4. a
8. 2. Amator factus ſum formæ illius.375.a
Ibid. Hanc amavi, & exquiſivi ſponſam mihi eam aſſumere. 372.
18. In certamine loquela ſapientia ejus.594.b
12. 24. Infantum inſenſatorum more viventes, propter hoc tanquam pueris inſenſatis judicium in deriſum dediſti.625.a
14. 11: Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.4:6.b
20. Provexit ad idolorum culturam artificis eximia cultura.397.a
16. 20. Omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem. 608. b
27. Quod enim non poterat ab igne exterminari, ſtatim ab exiguo radio ſolis calefactum tabeſcar, quoniam oportet prævenire ſolem ad benedictionem,&c.497.a
19. 17. Sicut in organo qualitas ſonus immutatur, & omnia ſuum ſonum cuſtodiunt.501. a

ECCLESIASTICI.

1. 4. Oritur Sol & occidit. 444. b
9. Quid ſuperbis terra & cinis: vileſcunt omnia. 321 a
14. Terra in æternum ſtat. 444. a
2. 1. Fili accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.314. b
11. Vidi nihil ſub Sole permanere.448.a
3. 32. Sapiens cor,& intelligibile.240.a
33. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis.12. a
4. 7. Presbytero humilia animam tuam.552.b
4. 10. Melius eſt duos eſſe ſimul, quàm unum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia tùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe. 718. b
5. 4. Altiſſimus eſt patiens redditor.690.a.694.a
5. 8. Ne tardes converti ad Dominum,& ne differas de die in diem.10. a
6. 1. Noli pro amico inimicus fieri proximo.674.b
5. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.10..b
6. Conſiliarius ſit tibi unus de mille. 83. b
7. 26. Filiæ tibi ſunt, ſerva corpus earum.728. a
7. 27. Trade filiam,& grande opus feceris. 261.b
Ibid. Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt: qui placet Deo, effugiet illam,&c.434. b

Cap. verſ.

8. 16. Si ſpoponderis pro amico tuo, illaqueatus es verbis oris tui.69..b
9. 1. Neſcit homo, utrùm amore vel odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta. 340.b
3. Ne reſpicias mulierem multivolam.727.b
9. 12. Sicut piſces capiuntur hamo.538.a
18. Longè abeſto ab homine poteſtatem habente occidendi,& non ſuſpicaberis timorem mortis. Et ſi acceſſeris ad illum, noli aliquid committere,&c. 679. b ſeq.
20. In medio laqueorum ingredieris. 426. b
10. 9. Avaro nihil eſt ſceleſtius. 281.a
10. Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam, hic enim & animam ſuam venalem habet. Ibid.
12. Hodie Rex,& cras morietur. 320. a
15. Initium omnis peccati ſuperbia.338. a
19. Pecuniæ obediunt omnia.286. a
11. 3. Brevis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus ejus.189. a 194.
7. Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre Solem.594. b
34. A ſcintilla una augetur ignis.9.a
13. 2. Ditiori te,ne ſocius fueris.679.a
13. 19. Omne animal diligit ſimile ſibi.348. b
14. 3. Viro cupido & tenaci ſine ratione eſt ſubſtantia,& in bonis illius alius luxuriabitur: non jucundabitur in bonis ſuis.290. a
15. 1. Qui timet Dominum, faciet bona; & qui ſine timore eſt,non poterit juſtificari. 49..b
2. Mater honorificata.75.b
16. 7. In ſynagoga peccantium exardebit ignis, & in gente incredibili exardeſcet ira. 152. b
18. Univerſa terra, & quæ in eis ſunt, in conſpectu ejus commovebuntur.444. a
17. 30. Quid lucidius Sole? 592. a
18. 1. Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam.647. a 652. a
3. Homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam? 653. a
22. 28. Oculi Domini multò plus lucidiores ſuper Solem.356. b
23. 26. Quis me videt? tenebræ circumdant me,& parietes cooperiunt me,&c.613. a
24. 23. Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris,& flores mei fructus honoris & honeſtatis. 60.b 73.a 72.b
25. 11. Beatus qui habitat cum muliere ſancta. 267. a
22. Non eſt caput nequius ſuper caput colubri; & non eſt ira ſuper iram mulieris. 256.a
23. Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. 256.b
26. 1. Mulieris bonæ beatus vir.267. a
27. 11. Stultus ſicut luna mutatur.180. a
28. 1. Qui vult vindictam, à Domino inveniet vindictam. 647. a
3. Homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam? 653. a

18. 6. Me-

Cap. verſ.

28. 6. *Memento noviſsimorum, & deſine inimicari.* 324. a
12. *Secundùm enim ligna ſilvæ, ignis ardeſcit.* 66. a
28. *Sepi aurem tuam ſpinis, & hoc pacto ori tuo facito oſtia.* 362. a 508. b
29. 19. *Perde pecuniam tuam propter fratrem tuum.* 612. a
30. 24. *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* 660. b
25. *Multos occidit triſtitia, & non eſt utilitas in ea.* 139. a
26. *Zelus & iracundia minuent dies.* 633. b
31. 27. *In omnibus operibus tuis eſto velox.* 3. a 14 b
32. 34. *Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebit.* 83. b
36. 7. *Innova ſigna, immuta mirabilia, glorifica brachium* 569. b
37. 12. *Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate: cum injuſto de juſtitia* 84. b
18. *Anima viri ſancti enuntiat aliquando vera, quàm circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.* 85. a.
38. 1. *Honora medicum propter neceſsitatem.* 551 b
3. *Diſciplina medici exaltabit te.* Ibid.
23. *Mihi heri, & tibi hodie.* 317. a
28. *Cor ſuum dedit in ſimilitudinem picturæ.* 345. b 389.
Ibid. *Aſsiduitas ejus variat picturam.* 388.
39. 17. *Quaſi roſa plantata ſuper rivos aquarum fructificata.* 65. b
41. 1. *O mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantia ſua?* 721. b
41. 11. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri magni & pretioſi.* 648. a
42. 13. *Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier bene faciens.* 257. a
43. 2. *Vas admirabile, opus excelſi.* 225. b 559. a 591. b
5. *Magnus Dominus qui fecit illum.* 591. b
24. *Medicina omnium in feſtinatione nebula.* 2. a
26. *Qui navigant mare, enarrent pericula ejus, & audientes auribus noſtris admirabimur.* 440. b
44. 10. *Viri miſericordiæ ſunt.* 460. a 261. b
45. 1. *Dilectus Deo, & hominibus Moyſes.* 115. a 119. a
2. *Moyſes verbis ſuis monſtra placavit.* 103. b
45. 4. *In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum.* 102. b
48. 1. *Surrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat.* 17. b 21. b 133. a
2. *Qui induxit in illos famem, & irritantes illud invidia ſua pauci facti ſunt, &c.* 21. a
3. *Verbo Domini continuit cælum, & dejecit de cælo ignem, ſic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis.* Ibid.
5. *Suſtulit mortuum ab inferis.* Ibid. 17. b
50. 6. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ.* 129. b 275. a

I S A I Æ.

2. 2. *Et erit in noviſsimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes.* 19. b
12. *Dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur, & ſuper omnes cedros Libani ſublimes, & ſuper omnes montes excelſos. &c.* 441. b
14. *Solemnitates veſtras odivit anima mea.* 7, 8. a
3. 9. *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt* 237 b
16. *Pro eo quòd elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt collo extento.* 31. b
17. *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.* 31. b 39 b 40. a
18. *In illa die auferet Dominus ornamenta calceorum.* 379. b
5. 2. *Expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas* 61. a
11. *Væ, qui conſurgitis manè ad ebrietatem.* 496 a
20. *Ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* 71[illegible]. a
6. 2. *Seraphim ſtabant ſuper illud.* 596. b
7. 11. *Pete tibi ſignum à Domino.* 674. b
Ibid. *Signum in excelſum ſupra.* 181. b
7. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel* 252. b
8. 3. *Voca nomen ejus accelera, ſpolia detrahere, feſtina prædari.* 2. a
9. 6. *Parvulus enim natus eſt nobis, filius datus eſt nobis.* 334. b 6 9. &c.
Ibid. *Admirabilis conſiliarius,* 84. a
11. *Stulti Principes Taneos, ſapientes conſiliarii Pharaonis,* 623. a
12. 3. *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris.* 723. a
6. *Quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël.* 627 b
14. 11. *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* 550. a
13. *Conſcendam ſuper aſtra cæli, & ſimilis ero Altiſsimo.* 345. b
16. 5. *Præparabitur in miſericordia ſolium agno, dominatori terræ, & ſedebit ſuper illud.* 196. a
18. 2. *Ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius* 81. b
19. 8. *Mœrebunt piſcatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum.* 537. b
21. 8. *Super cuſtodiam meam ego ſtabo.* 198. 301 b
22. 13. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* 325. b
24. 22. *Congregabuntur congregatione unius faſciculi in lacum, & claudentur ibi in carcere. &c.* 455. a
28. 13. *Quaſi leo ſic contrivit omnia oſſa mea* 460. b
30. 15. *In ſilentio & ſpe, erit fortitudo veſtra.* 692. b
30. 20. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* 621. b &c.
Ibid. *Non faciet avolare à te ultra doctorem tuum.* 625. b
33. 2. *Eſto brachium noſtrum, & ſalus noſtra in tempore tribulationis.* 56[illegible]. b
14. *Quis ex vobis habitare poterit cum igne devorante, & ardoribus ſempiternis.* 172. a
35. 1. *Lætabitur terra deſerta & invia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium: germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans.* 18. b
37. 24. *In multitudine quadrigarum.* 18. b 20 b
38. 2. *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli.* [illegible]
15. *Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ.* 231. a

40. 11. [illegible]

Cap.verſ.

40. 12. *Quia appendit tribus digitis molem terræ.* 568.b 639.b

42. 7. *Et educeres vinctum de domo carceris.* 453.b

8. *Gloriam meam alteri non dabo.* 651.b

45. 15. *Vere tu es Deus abſconditus.* 628.a

46. 6. *Cui aſsimilaſtis, & adæquaſtis, & comparaſtis, & ſimilem feciſtis Deum?* 471.a

47. 1. *Deſcende, ſede in pulvere virgo filia Babylon.* 320.b

48. 9. *Laude mea infrænabo te, ne intereas.* 507.b

49. 25. *Hos verò, qui judicaverunt te, judicabo ego.* 689.b

50. 4. *Dominus erigit mihi mane, mane erigit mihi aurem.* 497.b

52. 10. *Paravit brachium ſanctum ſuum.* 570.a

53. 12. *Cum ſceleratis reputatus eſt.* 234.b

54. 1. *Lauda ſterilis quæ non paris, decanta laudem, quoniam multi filii deſertæ, magis quàm ejus, quæ habet virum: dilata locum tentorii, & pelles tabernaculorum extende.* 211.a

16. *Ecce ego creavi fabrum ſufflantem in igne prunas.* 221.b

55. 7. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus; & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.*

55. *Sicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ à viis, & cogitationes à cogitationibus.* 729.a

56. 10. *Canes muti, non valentes latrare.* 134.a

57. 20. *Quaſi mare fervens.* 324.a

58. 7. *Cùm videris nudum, operi eum.* 469. &c.

59. 14. *Corruit in platea veritas.* 80.b

60. 4. *Filii tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* 728.a

60. 6. *Inundatio camelorum operiet te.* 294.a

16. *Mamilla regum lactaberis.* 186.a

61. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exaltabit anima mea in Deo, quia induit me veſtimentis ſalutis, &c.* 483.b

62. 6. *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes.* 306.a

63. 6. *De gentibus non eſt vir mecum.* 264.b

64. 5. *Ecce tu iratus es, non eſt qui conſurgat & teneat te.* 183.b

65. 11. *Vos qui ponitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam, &c. omnes in æde corruetis, &c.* 521.b

66. 8. *Quis audivit unquam tale, & quis vidit huic ſimile?* 19.a

13. *Quomodo ſi cui mater blandiatur; ita ego conſolabor vos.* 541.b

JEREMIÆ.

1. 6. *A, a, a, Domine neſcio loqui, quia puer ſum ego.* 621.b

2. 16. *Conſtupraſti uſque ad verticem.* 595.b

7. 28. *Periit fides de terra.* 614.b

29. *Tonde capillum capitis tui, & projice, & ſume planctum.* 38.b

8. 6. *Et omnes converſi ſunt ad curſum quaſi equus impetu vadens ad prælium.* 4.a

10. 2. *Nolite timere à ſignis.* 174.a

11. 15. *Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa.* 741.a

13. 23. *Si mutare poteſt æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malè.* 294.a 295.a

16. 13. *Servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte.* 290.a

16. *Ecce ego mittam eis venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis.* 426. 428.a

17. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.* 571.a

12. *Solium altitudinis gloriæ à principio, locus ſanctificationis noſtræ.* 596.a

18. 2. *Surge & deſcende in domum figuli.* 523.a

20. 14. *Maledicta dies, in qua natus ſum.* 632.b

23. 24. *Cœlum & terram ego impleo.* 471.a

25. 12. *Cumque noluerint accipere calicem de manu tua, dices ad eos, hæc dicit Dominus: Bibentes bibetis, quia ecce ego incipiam affligere, & vos quaſi innocentes & immunes exitis non eritis immunes.* 49.b

33. 22. *Enumerari non poſſunt ſtellæ cœli.* 406.

51. 36. *Ecce ego judicabo cauſam tuam, & ulciſcar ultionem tuam.* 547.a

THRENORUM.

1. 2. *Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ in maxillis ejus.* 630.b

13. *De excelſo miſit ignem in oſsibus meis.* 460.b

16. *Longe factus eſt conſolator.* 733.b

2. 12. *Matribus ſuis dixerunt, ubi eſt triticum & vinum? cum deficerent quaſi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animam in ſinu matrum ſuarum,* 635.b

2. 13. *Cui aſsimilabo te filia Ieruſalem?* 375.a

3. 19. *Recordare paupertatis meæ, & abſynthii, & fellis.* 56.a.b

28. *Sedebit ſolitarius & tacebit, qui levavit ſuper ſe.* 354. 361.a

51. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* 201.a

52. *Venatione ceperunt me quaſi avem, inimici mei gratis.* 434.a

4. 1. *Obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum.* 809.a

2. *Filii Sion incliti, & amicti auro primo: quomodo reputata ſunt vaſa teſtea, opus manuum figuli.* 587.

5. *Amplexati ſunt ſtercora.* 558.b

7. *Candidiores Nazaræi nive.* 203.a

EZECHIELIS.

1. 12. *Vbi erat impetus ſpiritus, illic gradiebatur.* 4.b

14. *Animalia ibant & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* 3.b

15. *Apparuit rota una ſuper terram.* 521. &c.

20. *Spiritus enim vitæ erat in rotis.* 7.a

10. 9. *Antequam rumpatur funiculus argenteus, & confringatur rota ſuper ciſternam, & revertatur pulvis in terram ſuam unde erat.* 523.a

Ibid. *Et vidi, & ecce una rota juxta Cherub.* 525.b

13. 17. *Pone faciem tuam contra filias populi tui quæ prophetant, &c* 257.a

16. 8. *Tranſivi per te, & vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium, &c. & lavi te aqua, & emun-*

Cap.verſ.

emundavi ſanguinem, &c. & veſtivi te diſcoloribus, & calcoavi te Ianthino. 381.b

16. 44. Ecce omnis qui dicit vulgo proverbium in te, aſſumet illud, dicens: ſicut mater, ita filia ejus. 83.b

49. Hac fuit iniquitas ſororis tua Sodoma, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium. 152.b

23. 24. Bibes calicem, & epotabis uſque ad faces, & fragmenta ejus devorabis. 51.a

28. 12. Tu ſignaculum ſimilitudinis. 347.b

Ibid. Plenus ſapientia, perfectus decore, &c. 586.b

14. In medio lapidum ignitorum ambulaſti. 719.b

34. 4. Cum auſteritate imperabatis eis cum potentia, & diſperſa ſunt oves mea 540.b

46. 9. Intrabit populus in conſpectu Domini in ſolemnitatibus. 738.a

47. 10. Plurima ſpecies ſunt piſcium ejus; ſicut piſces maris magni, multitudinis nimia. 535.a

DANIELIS.

2. 24. Rex Nabuchodonoſor cecidit in faciem ſuam, & Danielem adoravit, & hoſtias, & incenſum pracepit, ut ſacrificarent ei. 567.a

3. 46. Qui miſerant eos miniſtri Regis ſuccendere fornacem naphtha, & ſtuppa, &c. ambulabant in medio flamma laudantes Deum, & benedicentes Domino. 702.b

6. 3. Daniel ſuperabat omnes Principes & ſatrapas; quia ſpiritus Domini amplior erat in eo. 674.a

10. Ingreſſus domum ſuam, feneſtris apertis in cœnaculo ſuo, tribus temporibus in die flectabat genua & adorabat. 745.a

7. 10. Millia millium miniſtrant ei, & decies centena millia aſſiſtent ei. 639.b

9. 23. Vir deſideriorum 460.b

13. 42. Exclamavit voce magna: Deus aterne qui abſconditorum es conditor, tu noſti omnia, qua iſti malitioſe compoſuerunt contra me, &c. 691.a

13. 56. Species decepit te. 580.b

62. Salvatus eſt ſanguis innoxius in die illa. 691.

14. 33. Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui eſt in lacus leonum 306.b 460.b

35. Domine Babylonem non vidi, & lacum neſcio, & apprehendit eum Angelus Domini in vertice, & portavit eum capillo capitis ſui, &c. 306.b

14. 43. Faciens ſigna, & mirabilia in terra. 227.a

OSEE.

1. 6. Concepit, & peperit filiam 258.b

2. 19. Sponſabo te mihi in ſempiternum? 379.a

3. 1. Dixit Dominus ad me, vade, & dilige meretricem dilectam amico & adulteram. 148.b

4. 1. Non eſt ſcientia Dei in terra. 80.b

13. Sponſa veſtra adultera. 381.b

10. 7. Tranſire fecit Samaria Regem ſuum quaſi ſpumam ſuper faciem aqua. 441.a

JOELIS.

2. 2. Quia venit dies Domini, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis.

2. 13. Scindite corda veſtra 230.b

16. Nunc ergò congregate populum ſanctificate ecleſiam, coadunate ſenes, congregate parvulos & ſugentes ubera.

23. Dabit vobis Doctorem juſtitia.

AMOS.

1. 4. Va qui dormitis in lectis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris, &c. 168.a 459.a

JONÆ.

3. 7. Homines & jumenta non guſtent quidquam, & clament ad Dominum in fortitudine.

4. 11. Ego non parcam Ninive civitati magna, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram. 686.b

MICHÆÆ.

7. 1. Pracoquas ficus deſideravit anima mea 486.a

2. Vir fratrem ſuum ad mortem venatur 434.a

SOPHONIÆ.

1. 12. Viſitabo ſuper viros defixos in facibus ſuis. 713.b

1. 14. Dies illa magna, & amara valde. 181.a

3. 7. Diluculo ſurgentes corruperunt omnes cogitationes ſuas. 497.a

HABACUC.

1. 4. Faciet homines ſicut piſces maris. 5[illegible].a

2. 2. Vſquequo aggravat contra ſe denſum lutum 713.b

2. 3. Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. 2 a

11. Lapis de pariete clamabit. 741.a

3. 11. In luce ſagittarum tuarum ibunt. 4[illegible]9.

ZACHARIÆ.

9. 16. Lapides ſancti elevabuntur ſuper terram. 7.a

MALACHIÆ.

1. 6. Si Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor m[eus]? 613.b

9. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt? ſi offeratis claudum, nonne m[alum] eſt? &c. 491.b

14. Maledictus fraudulentus, qui habet in

Cap.vers.

*suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino.*492.a

4. 2. *Et sanitas in pennis ejus.*2.b 9.b

MACHABÆORUM. I.

14. 12. *Et sedit unusquisque sub vite sua, & non erat qui eos terreret.*61.b

MACHABÆORUM II.

3. 18.19.20. *Pro eo quod in contemptum venturus esset locus sanctus, gregatim de domibus confluxissent, publicâ supplicatione obsecrantes, essetque misera commista multitudinis, & magni sacerdotis in agone constituti expectatio, universique manus protendentes in cælum, deprecarentur.*747.

12. 43. *Iudas duodecim millia dragmas argenti misit Ierosolymas, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium* 459.a

NOVUM TESTAMENTUM.

MATTHÆI.

2. 13. *Esto ibi usque dicam tibi.*640.a

16. *Herodes iratus occidit multos pueros.*685.

3. 10. *Facite fructus pœnitentiæ.*66.b

14. *Ego à te debeo baptizari.*339.b

4. 6. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant in omnibus viis tuis.*304.a

9. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*358.a

18. *Ambulans Iesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres.*536.b

19. *Faciam vos fieri piscatores hominum.*535.&c.

22. *Illi autem relictis retibus secuti sunt eum.*6.b

5. 14. *Vos estis lux mundi.*226.a

26. *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem* 456.b

8. *Qui viderit mulierem, ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo,*396.b

29. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te.*607.a

44. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos.* 643.&c. 646.a 654.a &c. 659.a

Ibid. *Vt sitis filii Patris vestri, qui in cælis est.* 631.b

45. *Qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & peccatores.* 655.a

46. *Si diligitis qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nonne & publicani hoc faciunt? nonne & ethnici hoc faciunt.*646.a

6. 1. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.*[illegible]0.b 93.a

4. *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito.*197.b

6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum & clauso ostio ora Patrem in abscondito.* 197.b 744.a

12. *Domine doce nos orare* 662.b

14. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester delicta vestra.*652.a

Cap.vers.

17. *Radix omnium malorum est cupiditas.* 281.seq.

24. *Nemo potest duobus Dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, &c.* 116.b

7. 19. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* 66.b

20. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.*Ibid.

8. 20. *Non habebat ubi caput reclinaret.*293.b

24. *Motus magnus factus est in mari,&c.*440.a

Ibid. *Ipse verò dormiebat.*700.b

25. *Domine salva nos perimus.*231.b

9. 9. *Vidit hominem sedentem in telonio.*280.a

20. *Si tetigero tantùm vestimentum ejus salva ero: & salva facta est mulier ex illa hora.*609.a

25. *Cùm auferretur ab ea sponsus.*383.b

10. 10. *Capilli omnes numerati sunt.*30.b 34.b

16. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* 210.a

11. 12. *A diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*630.a

20. *Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris.*721.a

29. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* 627.b

12. 38. *Volumus à te signum videre.*175.a

42. *Regina Auster surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus.* 623.a

13. 46. *Inventa autem una pretiosa margarita.* 325.a

48. *Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt* 538.a

14. 20. *Tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum.*186.b

15. 18. *Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis* 606 a

23. *Domine dimitte eam, quia clamat post nos.* 240.a

24. *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierant domus Israel.*610.b

16. 16. *Tu es Christus filius Dei vivi.*614.b

26. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.*298.b

18. 3. *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum* 626.a

Ibid. *Advocans Iesus parvulum, statuit eum in medio, & dixit. nisi efficiamini,&c.*Ibid.

10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cælis est.*451.b

16. *Vt in ore duorum testium stet omne verbum.* 370.a

18 19. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis.*744.b

20. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*744.b.

30. *Misit eum in carcerem, & tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.* 456.b

32. *Patientiam habe in me, omnia reddam tibi.* 541.b

34. *Iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus,&c. sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo.&c* 653.a

19. 21. *Si vis perfectus esse: vade, vende quæ habes, & da pauperibus,&c.*612.a

Cap.verſ.

24. *Iterum dico vobis,facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.*293.b

25. *Vnde auditis his, diſcipuli mirabantur valde dicentes,quis ergo poterit ſalvus eſſe? ibid.*

27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* 293.b

29. *Omnis qui reliquerit domum vel fratres, vel ſorores,&c. centuplum accipiet,&c.*325.a 612.b 723.a

20. 21. *Dic ut unus ad dextram, alius ad ſiniſtram in regno ſedeat.*50.b

22. *Poteſtis bibere calicem , quem ego bibiturus ſum?* 46.a &c.

23. *Calicem quidem meum bibetis.*50.b

21. 5. *Venit manſuetus.*100.b

9. *Hoſanna filio David,benedictus qui venit in nomine Domini.*602.b

13. *Domus mea domus orationis vocabitur.*

37. *Noviſſimè miſit filium ſuum dicens, forſitan verebuntur filium meum.*545.b

22. 20. *Cujus eſt hæc imago?* 393.a

23. 4. *Alligant enim onera gravia.*548.b

23. 23. *Hæc oportuit facere , & illa non omittere.* 744.b

24. 29. *Sol obſcurabitur,& luna non dabit lumen ſuum,ſtellæ cadent de cælo,&c.*181.a

30. *Apparebit ſignum filii hominis in cælo.* 181.b

35. *Cælum & terra tranſibunt* 444 a

25. 15. *Vni dedit quinque talenta,alii autem duo , alii verò unum : unicuique ſecundùm propriam virtutem.*574.

20. *Domine duo talenta tradidiſti mihi,ecce alia duo ſuperlucratus ſum,&c.*589.b

21. *Fidelis ſerve intra in gaudium Domini,&c.*89.b 724.a

41. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* 612.b

43. *Nudus eram,& cooperuiſtis me.*470.&c.

45. *Amen dico vobis,quamdiu non feciſtis uni ex minimis his,nec mihi feciſtis.*335.a 470.b

46. *Ibunt hi in ſupplicium æternum ; juſti autem in vitam æternam.*448.b

26. 8. *Vt quid perditio hæc?* 742.a

26. 26. *Hoc eſt corpus meum.*607.b

39. *Tranſeat à me calix iſte.*47.b

73. *Loquela tua manifeſtum te facit.*66.a

27. 51. *Petræ ſciſſæ ſunt.*430.b

55. *Erant autem ibi mulieres multæ,quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa miniſtrantes ei , inter quas erat Maria Iacobi,&c.*264.b

28. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum , uſque ad conſummationem ſæculi.*744.b

MARCI.

2. 9. *Surge,tolle grabatum tuum,& ambula.* 162.a

4. 38. *Et erat ipſe in puppi ſuper cervical dormiens.* 164.b

6. 56. *Quot[illegible] tangebant eum,ſalvi facti ſunt.*609.a

7. 14. *Apprehendit eum ſeorſim, miſit digitos ſuos in auriculam ejus : exſpuens tetigit linguam ejus, & ſuſpiciens in cælum,ingemuit.*363.a

4. 23. *Domine adjuva incredulitatem meam.* 614.b

47. *Ignis non extinguitur:omnis enim igne ſalietur.* 171.a

Cap.verſ.

10. 24. *Filioli quàm difficile eſt confidentes in pe[illegible] in regnum Dei introire.*293.a

11. 25. *Quod ſi vos non dimiſeritis,nec Pater veſter, qui in cælis eſt, dimittet vobis peccata veſtra.*5[illegible]

15. 15. *Volens populo ſatisfacere,tradit Ieſum flagellatum,ut crucifigeretur.*120.a

6. 1. *Maria Magdalena, & Maria Iacobi,& Salome emerant aromata, ut venientes ungerent Ieſum.* 264.a

9. *De qua ſeptem dæmonia ejecit.*127.b

16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit,ſalvus erit.* 612.b

LUCÆ.

1. 32. *Filius altiſſimi vocabitur, & regnabit in domo David in æternum,&c* 639.b

40. *Abiit in montana cum feſtinatione.*2.a

45. *Beata quæ credidiſti.*62.b

51. *Fecit potentiam in brachio ſuo.* 569.a

2. 4. *Aſcendit à Galilæa de civitate Nazareth in Iudæam in civitatem David , quæ vocatur Nazareth.*639.a

12. *Hoc vobis ſignum , invenietis infantulum pannis involutum.*174.b

13. *Facta eſt multitudo militiæ cæleſtis.*78.b

15. *Tranſeamus in Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum eſt,quod Dominus oſtendit nobis.*625.a

34. *Poſitus in ſignum,cui contradicetur.*174.b

35. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.*231.a

36. *Anna prophetiſſa,filia Phanuel, quæ non diſcedebat de templo,jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.*68.b

42. *Cùm factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Ieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti.*737.b

51. *Et erat ſubditus illis.*639.b

53. *Chriſtus proficiebat ſapientia , ætate & gratia apud Deum & homines.*117.a

4. 23. *Fac & hic in patria.*570.b

5. 3. *Rogavit eum à terra reducere puſillum.*102.b

24. *Tolle grabatum tuum* 162.a

6. 35. *Diligite inimicos veſtros : dimittite & dimittimini,&c.*613.a 652.a

44. *Arbor de fructu ſuo cognoſcitur.*60.a

7. 14. *Hi,qui portabant,ſteterunt.*177.b

37. *Ecce mulier,quæ erat in civitate peccatrix.* 38.a 542.b

38. *Lachrymis cœpit rigare pedes ejus.*229.a

48. *Remittuntur tibi peccata tua.*542.b

50. *Fides tua te ſalvam fecit.*433.b

8. 8. *Fecit fructum centuplum.*65.b

44. *Quis eſt qui me tetigit?* 609.a

9. 28. *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te* 293.b

29. *Et facta eſt, dum oraret,ſpecies vultus ejus altera.*87.b

55. *Domine vis dicimus , ut ignis deſcendat de cælo & conſumat illos?* 644.a

58. *Filius hominis non habet,ubi caput reclinet.*[illegible]

10. 23. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* 73.[illegible]

24. *Multi Prophetæ & Reges voluerunt vid[illegible] quæ vos videtis.*620.a

25. *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo*[illegible]

Audi-

Cap.verſ.
39. *Audiebat verbum illius 625.b*
11. 27. *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti 62 b*
17. 47 *Servus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis 588.a*
48. *Omni autem, cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo.583.a*
14. 3. *Si licet Sabatho curare?736.*
14. 32. *Legationem mittens, rogat ea quæ pacis ſunt. 630.a*
15. 22. *Cito proferte ſtolam primam, & induite illum; date annulum in manus ejus &c.542.*
16. 19. *Homo quidam erat dives, & induebatur purpura & byſſo.* 473.b
24. *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma 620*
25. *Recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.528.b*
28. *Rogo te Pater Abraham, ut mittas Lazarum in domum Patris mei; habeo enim quinque fratres. 222.b*
31. *Neque ſi quis à mortuis ſurrexerit credent.* 370.a
17. 5. *Adauge nobis fidem.614.b*
18. 8. *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?611 b.614.b*
19. 5. *Zacchæ feſtinans deſcende; quia hodie in domo tua oportet me manere.544.a*
8. *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. 12.b*
43. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te vallo.722.a*
21. 9. *Nondum ſtatim finis.78.a*
11. *Signa magna erunt.181.a*
18. *Capillus de capite tuo non peribit.30.a.335.b*
28. *His autem fieri incipientibus, levate capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra.182.a*
32. *Ego rogavi pro te Petre.132.a*
22. 24. *Facta eſt autem contentio inter illos, quis eorum videretur eſſe major.339.a*
22. 26. *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus: & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum.531.b*
23. 34. *Dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt. 6⟨⟩0.b*
48. *Omnis turba eorum, qui oderant, percutientes pectora ſua revertebantur.661.a*
24. 26. *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?531.a*
42. *Obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis. 700.a*
49. *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos, vos autem ſedete in civitate, quo adusque induamini virtute.482.b*

JOANNIS.

1. 27. *Cujus ego non ſum dignus corrigiam calceamentorum ſolvere 639.b*
2. 3. *Vinum non habent.10.b*
4. *Nondum venit hora mea.72.a*
3. 2. *Rabbi ſcimus à Deo veniſti magiſter.633.a*
5. *Amen dico vobis, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum cælorum, &c.Ibid.*
10. *Tu es magiſter in Iſrael?633.b*
4. 7. *Sitio, da mihi bibere.51 b*
28. *Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus, venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia &c.116.a*
53. *Credidit ipſe. & tota domus ejus.216.b*
8. 10. *Mulier ubi ſunt, qui te accuſabant? nemo te condemnavit? nemo Domine; nec ego te condemno. 543.b*
9. 6. *Fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus.71 b*
10. 22. *Facta ſunt encœnia in Hieroſolymis.* 736.ſeq.
11. 31. *Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.142 a 715.b*
13. 8. *Tu mihi lavas pedes! non lavabis mihi pedes in æternum.239 a 339.a.610.b*
23. *Erat recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus.668.b*
Ibid. *Diſcipulus ille quem diligebat Ieſus.50.b*
Ibid. *Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei; quis eſt, de quo dicit? itaque cum recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu, dicit ei: Domine quis eſt?670.a*
31. *Nunc clarificatus eſt filius hominis.169.a*
37. *Quare non poſſum te ſequi modo?376.b*
14. 12. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* 295 b.570. a. 126.a.227.b
15. 13. *Majorem hac dilectionem habet nemo, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.646.a*
15. *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos: quia omnia quæ audivi à Patre, nota feci vobis.* 669.b. 670.a
16. *Fructum plurimum afferatis, & fructus veſter maneat.65.b*
18. *Si odit vos mundus, ſcitote quia me priorem odio habuit.712.a*
19. *Quia de mundo non eſtis, propterea odit vos mundus.116.a*
18. 9. *Pater quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam.413.a*
11. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?55.a*
38. *Nullam cauſam invenio in homine iſto 120.a*
19. 12. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.120.a*
22. *Quod ſcripſi ſcripſi, ſemel locutus ſum, non adjiciam,238.b 610.a*
26. *Cum vidiſſet ergo Ieſus matrem, & diſcipulum ſtantem quem diligebat Ieſus, dicit matri ſuæ: mulier ecce filius tuus, &c.671.b*
19. 34. *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua.568.a*
20. 14. *Currebant autem duo ſimul.672.b*
11. *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.551.a*
25. *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in latus ejus, non credam. 239.a 607.a*
27. *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis.606.&c.*
28. *Dominus meus, & Deus meus.611.a*
29. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.607.a*
21. 4. *Stetit Ieſus in litore.443.a*
5. *Pueri nunquid pulmentarium habetis?635.b*
7. *Diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus.665*
10. *Afferte de piſcibus quos prendidiſtis.538.a*
15. *Simon Ioannes diligis me plus his? etiam Domine tu*

Cap.verſ.
tu ſcis, quia amo te, paſce agnos meos. &c. 246.b
21. Hic autem quid?670.a

ACTUUM APOSTOLORUM.

2. 19. Prodigia in cœlo ſurſum,& ſigna in terra deorſum.174.a
5. 15. Afferentes agros & vexatos à ſpiritibus immundis,ut veniente Petro,ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, qui curabantur omnes.112.a
7. 35. Moyſen Deus Principem & redemptorem miſit. 76.a 81.a
55. Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei.701.a
59. Ne ſtatuas illis hoc peccatum.659.a
60. Obdormivit in Domino.647.a
9. 1. Spirans minarum & cædis in diſcipulos Domini. 657.b
3. Circum fulſit eum lux.558.a
4. Saule,Saule quid me perſequeris &c. ut apertis oculis non videret.228.a
6. Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.557.b
9. Triduo non manducavit neque bibit. ibid.
13. Domine audivi à multis de viro hoc quanta mala fecerit.88.a
Ibid. Ecce enim orat.ibid.
15. Vas electionis eſt mihi iſte,ut portet nomen meum coram gentibus 558.b
16. Ego oſtendam illi,quanta oporteat eum pro nomine meo pati.562 a
36. Oſtendentes tunicas & veſtes quas faciebat illis. 264.a:
12. 7. Percuſſoque latere Petri 164.b 308.a
13. 47. Poſui te in lucem gentium,ut ſis in ſalutem uſque ad extremum terræ.556
14. 9. Dixit magna voce:ſurge ſuper pedes tuos rectus. 565.b
10. Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos. 565.b
11. Vocabant Barnabam Iovem: Paulum vero Mercurium,quoniam ipſe erat dux verbi ibid
12. Sacerdos quoque Iovis,qui erat ante civitatem, tauros & coronas ante januas offerens cum populis volebat ſacrificare ibid.
13. Quo dubi audierunt Apoſtoli, Barnabas & Paulus,ſciſſis tunicis,exilierunt in turbas &c.ibid.
21. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.531.b
17. 28. In ipſo vivimus,movemur,& ſumus.287.a
19. 12. Sudaria,quaſi extra corpus exiſtentia contacta ab agrotis,liberabant illos ab infirmitate &c. 571.b
22. 3. Nutritus ſum in iſta civitate ſecus pedes Gamaliel, eruditus juxta veritatem paternæ legis. 557.a
26. 24. Quid incredibile judicatur apud vos, ſi Deus mortuos ſuſcitat?296.a.
27. 12. &c Suadeo vobis bono animo eſſe: amiſſio enim nullius animæ erit ex vobis, præter quam navis &c.566.b

EPIST. AD ROMANOS.

6. 19. Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ,& iniquitati ad iniquitatem,ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ ad ſanctificationem.34.b 45.a66 b
8. 26. Quid oremus,ſicut oportet,neſcimus.126.a
Ibid. Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram. 504.b
29. Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes imaginis filii ſui.347 b
36. Mortificamur tota die.564.a
9. 3. Non audiſtis mihi in optatis fuiſſe anathema fieri à Chriſto pro fratribus 99.a
28. Verbum breviatum fecit Dominus ſuper terram. 625.a
10. 16. Non omnes obediunt evangelio.607.b
17. Fides ex auditu.ibid.
11. 16. Si radix ſancta,& rami.60.b 73.a
12. 1. Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem 102 a
19. Mihi vindicta,& ego retribuam.647.a
20. Noli vinci à malo,ſed vince in bono malum.656.a
13. 11. Hora eſt,jam nos de ſomno ſurgere [illegible].b
12. Nox præceſſit,dies autem appropinquavit,abjiciamus ergo opera tenebrarum, &c.482.a
13. Non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus &c.ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum.225.b.346.b 537.a
14. Carnis curam habent in deſideriis 215.b
15. 19. Ab Ieruſalem per circuitum ad Illyricum repleui evangelium.557.a
16. 1. Commendo vobis Phœben,ſororem noſtram quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ &c.272.b

I. AD CORINTHIOS.

1. 10. Obſecro vos fratres per nomen Domini Ieſu Chriſti,ut non ſint in vobis ſchiſmata.102.a
24. Chriſtum Dei virtutem prædicamus 348.a
25. Quod infirmum eſt Dei.fortius eſt hominibus.408.b
2. 2. Non judicavi me ſcire aliquid,niſi Chriſtum & hunc crucifixum.558.b
11. Quis enim hominum ſcit,quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis,qui in ipſo eſt.117.a
14. Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus. 84.b 633.a
3. 7. Quod ſi miniſtratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non poſſent intendere filii Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur, quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria?85 b
4. 2. Vt fidelis quis inveniatur.89.b
6. Spectaculum facti ſumus mundo & angelis & hominibus 62.a
Ibid Tunc laus erit unicuique à Deo.356.b
7. Quid habes quod,non accepiſti.ſi autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis?92.b
11. Eſurimus & ſitimus,& nudi ſumus & colaphis cædimur,& inſtabiles ſumus.502 b
12. Maledicimur & benedicimus,perſecutionem patimur & ſuſtinemus.563.a
6. 10. Neque avari,neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt 613.a
6. 17. Qui adhæret Domino, unus eſt ſpiritus. 379 a 381.a
20. Empti eſtis pretio magno. 93.b

Cap.verſ.

7. 14. Sanctificatus eſt enim vir fidelis per mulierem fidelem. 166.b &c.

31. Præterit figura hujus mundi. 714.a

9. 27. Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo. 163.b 211.b

10. 12. Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. 543.a

13. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis. 48.b

11. 8. Non enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro. 258.b

10. Debet mulier velamen habere ſuper caput ſuum propter angelos. 478.a

14. Ignominia eſt viro, ſi comam nutriat 34.a 38.a

21. Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. 679.a

12. 13. Et enim in uno ſpiritu omnes nos. 502.a

17. Si totum corpus oculus, ubi auditus, ubi odoratus? 572.b

13. 1. Si linguis angelorum loquar. 190.b

11. Cum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus. &c. 636.a

13. Nunc autem manent fides, ſpes, charitas: major autem horum charitas. 606.a

14. 16. Qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet amen ſuper tuam benedictionem, quoniam quid dicat neſcit. 517.a

20. Malitia parvuli eſtote. 635.a ſeq.

34. Si quid autem velint diſcere, domi viros ſuos interrogent. 259.

Ibid. Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui. 261.a

15. 5. Viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim. 657.a

8. Noviſſime autem omnium tanquam abortivo viſus eſt & mihi. 562.a

9. Qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. 235.b

5. 10. Abundantius omnibus laboravi. 56 .a

19. Miſerabiliores ſunt omnibus hominibus. 228.a. 807.b 129.b

31. Quotidie morior. propter gloriam veſtram. 327.b 563.b

32. Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. 325.b. 6.3.a

33. Corrumpunt bonos mores colloquia prava. 153.a

53. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem. 436.a

16. 22. Si quis non amat Dominum Ieſum Chriſtum, anathema ſit. 666.a

II. AD CORINTHIOS.

1. 5. Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. 698. &c. 700.a

3. Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in tribulatione noſtra. 707.b

3. 5. Non ſufficientes ex nobis, quaſi ex nobis. 774.a

3. 6. Qui & idoneos miniſtros nos fecit novi teſtamenti. 577.a

3. 18. Nos à revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, transformamur de claritate in claritatem. 86.a

18. In eandem imaginem transformamur. 86.a

4. 4. Eſt imago Dei. 393.a

Ibid. Factum ex muliere. 625.b

4. 6. Dixit de tenebris lumen ſplendeſcere. 430.a

4. 7. Theſaurum iſtum in vaſis fictilibus habemus. 200 b 718.a

4. 10. Semper mortificationem Ieſu in ſuo corpore circumferentes 531.b

19. Filioli mei, quos iterum parturio. 634.a

6. 11. Cor noſtrum dilatatum eſt. 560.a

6. 16. Vos non eſtis templum Dei vivi. quoniam inhabitatio in illis, & in ambulabo & ero illorum Deus. 391.a

7. 4. Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. 700.b ſeq.

8. 9. Quoniam propter nos egenus factus eſt cum eſſet dives. 325.a 334.b

8. 9. Egenus factus eſt, cum eſſet dives. 638.a

9. 7. Hilarem enim datorem diligit Deus. 489.

14. Angelus ſathanæ transfigurat ſe in Angelum lucis 607.a

11. 23. In laboribus plurimis, in plagum ſupra modum, in mortibus frequenter, ſemel lapidatus ſum. 562.b

11. 27. In fame & ſiti, in frigore & nuditate. 229.a

12. 7. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis, Angelus ſathanæ, qui me colaphizet. 575.a

12. 9. Virtus in infirmitate perficitur. 160.b

Ibid Libenter gloriabor in infirmitatibus meis ut inhabitet in me virtus Chriſti. 161.a

12. 10. Cum infirmor tunc potens ſum. 411.a

Ibid. Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in anguſtiis pro Chriſto. 700.b

15. 78. Vt ſit Deus omnia in omnibus. 335.a

AD GALATAS.

1. 10. Si adhuc hominibus placerem, ſervus Dei non eſſem. 116.a

1. 14. Proficiebam ſupra coetaneos meos. 557.a

2. 11. Cephas & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe dexteras mihi dederunt. 664 b

19. Chriſto confixus ſum cruci. 203.b

20. Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus. 310 b

3. 1. Inſenſati Galatæ & non obedientes veritati, ſtulti, & carne conſummati. 102.a

4. 1. Quanto tempore hæres parvulus eſt, ſub tutoribus & actoribus eſt. 696.a

4. 4. Factum ex muliere 625.b

19. Filioli mei, quas iterum parturio. 634.a

Ibid. Donec formetur Chriſtus in vobis. 336.a

5. 7. Currebatis bene, quis vos impedivit. 6.a

20. Avaritia idolorum ſervitus. 285.b

22. Fructus ſpiritus charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, manſuetudo, continentia, caſtitas. 65.b

6. 1. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. 102.a 543.b

AD EPHESIOS.

2. 19. Iam non eſtis hoſpites & advenæ; ſed eſtis cives Sanctorum, & domeſtici Dei. 208.a

4. 7. Data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. 576.b

26. Sol non occidat ſuper iracundiã veſtrã. 386.a 655.b

4. 27. Nolite locum dare diabolo. 9.a

5. 15. Videte quomodo caute ambuletis. 719.b

Cap. vers.
5. 18. *Vinum in quo est luxuria.* 51.b
29. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet.* 213.b 383.b
6. 17. *Gladium spiritus, quod est verbum Dei.* 135.b

AD PHILIPPENSES.

1. 23. *Coarctor è duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos.* 98.b
2. 7. *Sed inanivit semetipsum, formam servi accipiens.* 234.b
8 *Factus obediens usque ad mortem.* 639.b
3. 4. *Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis.* 556.b
20. *Nostra conversatio est in cælis.* 208.a

AD COLOSSENSES.

1. 24. *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea* 341.b
3. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* 327.a
4. *Cum autem apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis in gloria.* 327.a
5. *Mortificate ergo membra vestra.* ibid.b
Ibid. *Avaritia, quæ est idolorum servitus.* 281.b

I. AD TIMOTHEUM.

1. 13. *Prius blasphemus fui & persecutor, & contumeliosus.* 235.b
15. *Venit peccatores salvos facere, quorum ego primus sum.* 235.b
2. 4. *Qui vult omnes salvos fieri.* 443.a
2. 7. *Positus sum ego prædicator.* 129.a
2. 9. *Mulieres in habitu ornatu cum verecundia & sobrietate ornantes se.* 32.a
Ibid. *Non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis aut veste pretiosa.* 378.b
11. *Docere mulierem non permitto.* 259.b
3. 1. *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* 53.b
2. *Oportet episcopum esse sobrium, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum &c.* 52.b
5. 13. *Quæ otiosa discunt circuire domos: non solum otiosæ, sed & verbosæ, loquentes quæ non oportet.* 259.a
6. 10. *Quam quidam appetentes erraverunt à fide.* 284.b
16. *Deus lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre potest.* 87.a

II. AD TIMOTHEUM.

2. 5. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* 385.b
12. *Si sustinebimus, & conregnabimus.* 531.b
4 2. *Increpa in omni patientia & doctrina.* 541.a
12. *Prædica verbum, insta opportune, importune; ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* 132.b

AD TITUM.

1. 16. *Confitentur se nosse Deum; factis autem negant, cum sint abominati & incredibiles.*
2. 11. *Apparuit gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos.* 622.a

AD PHILEMONEM.

v. 8. *Multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi, quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obsecro.* 102.a

AD HEBRÆOS.

1. 1. *Multifariam multisque modis Deus olim loquens Patribus in Prophetis, novissime in filio, &c* 615.a
3. *Portansque omnia verbo virtutis suæ.* 4.a
13. *Ad quem angelorum dixit: Filius meus es* 652.a
14. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* 300.b
4. 16. *Adeamus ergo ad thronum gratiæ.* 545.a
5. 7. *Exauditus est pro sua reverentia.* 661.a
12. *Facti estis, quibus lacte opus sit.* 626.a
10. 30. *Mihi vindicta, & ego retribuam.* 691.a
33. *Opprobriis & tribulationibus spectaculum facti.* 564.a
36. *Patientia vobis necessaria est.* 540.b
11. 1. *Fides est argumentum non apparentium.* 671.b
4. *Defunctus adhuc loquitur.* 319.b
6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* 606.a 609.b
25. *Fide Moyses grandis fuit, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere jucunditatem.* 91.b
37. *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, &c.* 21.a
34. *Extinxerunt impetum ignis.* 156
35. *Distenti sunt, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt.* 212.a 531.b
12. 2. *Aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum.* 346.a
13. 3. *Mementote vinctorum tanquam simul vincti.* 455.b

JACOBI.

1. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* 447.a. 598.a
24. *Consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.* 317.b
26. *Si quis autem putet se religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio.* 363
27. *Immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* 713.b 717.a
Ibid. *Religio munda & immaculata apud Deum.* 717.b
2. 19. *Dæmones credunt & contremiscunt.* 611.b
23. *Amicus Dei appellatus est.* 669.b
3. 2. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* 362.b

6. [illegible]

Cap. verſ.
6. *Lingua eſt univerſitas iniquitatis* .362.b
9. *&c. In ipſa benedicimus Deum & patrem: in ipſa maledicimus homines, qui ad imaginem Dei facti ſunt: ex ipſo ore procedit benedictio & maledictio.* 508 b
11. *Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?* 508.b
17. *Sapientia primum pudica eſt.* 557.b
18. *Fructus juſtitiæ in pace ſeminatur.* 65.b
4. 3. *Petitis & non accipitis, eo quod male petitis.* 126.a
4. *Neſcitis quia amicitia hujus mundi inimicitia eſt Dei: qui ergo voluerit eſſe amicus ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur.* 120.a
5. 2. *divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt.* 442.a

I. PETRI.

1. 8. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti; ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati,* 393.b
13. *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* 451.b
2. 4. *Ad quem accedentes, lapidem vivum, & ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini.* 7. a
21. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, ut ſequamur veſtigia ejus.* 376.b
3. 3. *Quarum non ſit capillatura aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples.* 32.b 42.b
7. *Quaſi infirmiori vaſculo muliebri impatientes honorem.* 258.a
5. 3. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontaneè &c.* 102.a
8. *Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* 307.a 431.a
11. *Obſecrò vos, abſtinete vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam.* 102.a

II. PETRI.

2. 15. *Cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii, derelinquentes viam rectam erraverunt ſecuti viam Balaam, qui mercedem iniquitatis amavit.* 284,b

I. JOANNIS.

2. 25. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* 712.a
4. 10. *Non quaſi nos dilexerimus Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos.* 666.a
5. 4. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum.* 710. ſeq.

Cap. verſ.

JUDÆ APOSTOLI.

ỳ. 12. *Nubes ſine aqua, arbores autumnales infructuoſas, bis mortuas, &c.* 431 a

APOCALYPSIS.

1. 13. *Vidi ſimilem filio hominis.* 145.b
3. 7. *Neſcis quia tu miſer es, & miſerabilis, & pauper & nudus.* 482.a
4. 7. *Animal primum ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile vitulo &c.* 324.a
5. 6. *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium agnum ſtantem quaſi occiſum.* 324.a
8. *Seniores ceciderunt coram agno, habentes phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.*
9. *Animæ interfectorum propter verbum Dei clamabant dicentes, uſquequò Domine non vindicas ſanguinem noſtrum.*
11. *Et vidi & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium & ſeniorum, & erat numerus eorum millia millium.*
6. 10. *Vſquequò Domine non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum?* 686.b &c.
7. 2. *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei vivi.* 351.b
14. *Hi ſunt qui laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine agni.* 205.b
9. 1. *Stella de cœlo cecidit.* 78.b
12. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo. &c.* 174.a 182.a 357.b
Ibid. Mulier amicta ſole. 175.a
Ibid. Et luna ſub pedibus ejus. 179.b
6. *Mulier fugit in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo.* 358.a
7. *Factum eſt prælium magnum in cœlo.* 77.a &c.
9. *Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur ſatanas: qui ſeducit univerſum orbem, & projectus eſt in terram, & angeli ejus cum ipſo miſſi ſunt.* 78.a
14. 2. *Vocem quam audivi ſicut cytharœdorum cytharizantium in cytharis ſuis.* 512.b
4. *Primitiæ Deo, & agno* 485. &c.
17. 4. *Mater fornicationum, & abominationum terræ poculum aureum, quod habet in manu ſua plenum abominatione.* 51.b
18. 7. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis ſuis, tantum date illi tormentum & luctum.* 529. a 532.b
20. 2. *Apprehendit draconem, & ligavit eum.* 113.b
21. 4 *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ipſorum.* 449.a
27. *Non intrabit in eam quicquam coinquinatũ.* 449.a

INDEX
RERUM MEMORABILIUM,
quæ in hoc secundo Tomo *Cæli Empyrei* continentur.

Numerus paginam: Litera a primam, b secundam columnam indicat.

Abel primas omnium Deo primitias obtulit. 491.b
Abraham velox benefaciendo. 3.a.b
quinque Reges occidens quid denotet. 606. b
Absens vulnus an possit curari. 46.a
Absolonis supplicium de capillis. 40.b
è capillis pendens, subtus se vidit infernũ. ibid.
Abstinentia carnium PP. Carthusianorum.564.a. &c. V. Carthusiani.
Accipiter v. Avicula.
Achaz signum quid denotet. 175.a
Acies S. Ignatii explicata. 83.a
Acupictura pulchtior, si frequentius puncta 668.b
Acus magneticæ inventor; quæque semper respicit stellam maris, est valde utilis. 276.a.b
Adam & Eva nudi, gratia exuti. 482.b
Adamas magni pretii & magnitudinis. 561.b
Adolescentiæ luxus in capillis 32.b
ei non facilè imperium committendum. 24.a 52.b
adolescentes hodie ut fœminæ compti. 32.b
speculum sunt vanitatis 320. b
V. angelus. filius, juvenis. 320.a
Adversitatum novaculâ Deus homines tundit. 36.a
adversitas lectulus est quietis. 158. b
variæ S. Theresæ. 382. b
per has quinam cælum intrarint. 530. a
in adversis patrona est S. Ursula. 417.a
Adversa à Deo proventa, patienter toleranda. 47.b. &c.
possumus ea, si velimus tolerare. 48.b
adversa renuens, sustinere nolens debet. 49.a
sunt amoris in nos divini signa. 50.a
Deus quos amat, castigat. ibid. a.b.
adversa recusantes, pœnas infernales tollerabunt. 51.b
ambitiosus nil adversum & arduum. 52.b
adversa patienter tolerata, dulcia accidunt. 55.a
omnia adversa Christus dulcoravit. 56.b.&c.
in iis mansuetudine utendum. 103.a
V. Consolatio, Fortuna, passio, tribulatio.
Adulteræ sponsæ Christi quænam. 381.b
Ægris quantâ opus sit patientiâ, & quàm utilis. 160. Martyres sunt. b. 205.
eorum patientia martyrio comparatur. 161.a
ægrorum divinæ consolationes. 162.a
ægroti dolores superant sæpè omnes austeritates hujus vitæ. ibid.a
V. Infirmus.
Ætates omnes Mariam experientur. 251.&c.
qualis ad beneficia ecclesiastica requiratur. 581.a
b. V. annus.
Æternitas quàm longa sit & horrenda 171.b
Affectus animi musica excitat. 504.b
Agnetis castitatem Angelus custos servavit 307.b
Agnes Imperatrix in Bethlehem quare profecta 623.b
Albedo V. Candor.
Alberti Carmelitæ humilitas 17.a
pro decantanda Missa ejus funerali, concertatio. ibid.
Albigensium hæreses quæ? 131.a
Alburquerquius innocentiâ pueri à naufragio eripitur. 695.b
Alcyde svirgo ægta quomodo sit martyr. 205.a
Alexander M. celeritate tantum sibi comparavit imperium. 8.b
omnes suos milites radi jussit. 37. b
ejus generositas. 93.b
calicem ex fama solum venenatum audiens, ebibit. 47.b
amore summo & favore prosecutus est Ephestionem amicum. 664.a
Alphonsi disciplina militaris rigida. 107.a
Altari S. Petri donavit Leo II. vitem auream & gemmeam. 73.a
Alveare cum apibus cujusnam sit symbolum? 199.b
ei comparatur Ordo Cisterciensis. 206.b
vitreum cujusdam Philosophi. ibid.
Amazones inter Christianas excelluit S. Ursula. 415.b
quales & quot fuerint. 717.b
Ambitioso nihil arduum. 52.b
Ambrosii in pœnitentes compatientia. 543.a
Amicitiæ haustus qualis olim fuerit. 49.b
Amici Dei pauperes sunt. 124.b
Amicitia animæ cum Jesu in quo consistat 147.b
Amicitia in quo consistat. 347.a
Amicitiæ signa. 664. a
in eam non admittendus nisi probatus. 347.a
Davidis cum Jonatha. 347.a
magis meritorium est inimicum, quàm amicum diligere. 645. a
Amicum Ephestionem summo favore prosecutus est Alexander. 664.a
V. Amor. Charus Joannes.
Amicus unus præ alio diligitur. 674. a
suos charissimos habuerunt Sancti. ibid.
in quo vera & sancta consistat amicitia. 674.a. b
Abusus gravissimi, ineptos & infidos in familiaritatem assumuntur. 674. b
Amicitia peculiaris vitanda. 685.a
Charissimationis varia incommoda. ibid

fami-

familiaritas seniorum cum junioribus suspecta.676.a Confessarius unam nō habeat præ alia familiariorem.ibid.b
cum religiosis virginibus nimia est periculosa.ibid b
ab amicis mors separat. 721.b
Amoris poculum quale olim usitatum.49 b
Amoris signum est osculum.ibid.
Amor proximi.96.a
Amoris sagittæ variæ.244.a
divinus omnia sustinet.157.&c.
hic in rorem & rosas rogos vertit.158.a
& animas venatur 429.b
Amare Deum quisquis ex præcepto tenetur, si rationis usum adeptus.495.b
Amor Jonathæ & Davidis.347.a
Amoris causa est similitudo.348.b
Ardua tentat & superat 432.b
magis ne expedit amare vel amari; durum tamen amare & non amari.665.b
insanus Caroli V.amor cadaver deperiens.ibid.
Amari & non redamare durum est.666.b
Deus nos amavit, ut redameretur.Ibid.b
à Deo amari summa est felicitas.ibid.
unus præ alio amatur.674.a
suos charissimos habuerunt Sancti.ibid.
magistri non unum præ alio ament.677.b
Pastores vel patres familiæ omnes æqualiter ament, nisi quos virtus commendat.678.a
V.Familiaritas,inimicus.
Ancilla V.famulus,servus,subditi.
Andreas Ord.Cisterc.quam celeriter relicto mundo Ordinem sit ingressus.6.b
S.Andreas Ap.piscator fuit.537.a.&c.
V.Festo S.Andreæ.Ibid.
S.Angelus zelosus,S.Francisco stigmata prædixit.22.b
in cathedra occisus est.23.a
Angelorum prælium in cælis primum fuit. 77.a
38
eorum charitas.97.a
eos è cælo mulier deturbavit.256.a
muliebri forma nunquam comparuêre.256.b
an exarserint amore in mulieres.267.b
à nativitate hominibus dati.298.a
animam hominis sicut gemmam custodiunt, & melius quam parentes filios.298.&c.
quantum præstent præceptoribus.299.b
homines nutriunt lactantque &c.ibid.a
infirmis præstant obsequia.300.a
quænam præsteut obsequia.301.a b
quam sint vigiles.302.a
quanta eorum custodia.302.a
quomodo homines in corporis periculis defendant.304.a.b
historiæ Angelorum à periculo conservantium.305.a
itinerantibus duces sunt.306.a
quomodo à periculis animæ & damnationis tueantur.306.a
internis monitionibus à peccans dehortantur. Ibid.b
Judithæ castitatem servarunt.307.a
Item Agnetis, Cæciliæ &c,ibid.b
vindices impudicitiæ,pædagogi munere funguntur.308.a
Vindices superbiæ,custodes humilitatis. 308.b
morum corrigendorum specula sunt.309.b
quæ gratitudinis obsequia eis exhibenda 310.a
V.gratitudo.
eis debetur reverentia,quia semper nobis adsunt.311.a
omni quidem loco debetur , sed præcipue in templo.312.a
eis debemus devotionem.ibid.a
qualem?313.b
quomodo bona custodiant.ibid.&c.
fiduciam eis debemus.314.a
in tentationibus succurrunt.314.b
quomodo in nativitate S.Francisci Seraphici exultarint.341.a
quomodo mali in superbia peccatint.38.a
cur redemptione indigni.586.b
de Angelis quid S.Theresia cognorit.373.b
eorum doctor Jesus.621.b
Animam quænam à virtutis cursu retardent.6.a
Animarum aurigæ quinam? 23.a
Animæ sponsus Deus est.379.a
Animarum convertendarum zelus variorum.99.b
Animæ pericula V.Angelus,Maria,mare.
quomodo possit dæmonem superare.114.b
ut paradisus diligenter custodienda.133.a
Animam quidam pro pecunia venalem habent. 288.&c.
comparatur gemmæ.298.a
per peccatum fornicatur.381.b
tabulæ comparatur.393.a
eam Deus venatur.429.b
lepori comparatur.433.b
quantis sit exposita periculis.ibid.
Animarum naufragia quot,quanta & deploranda sint.442.b
virtutum vestibus,ne nuda sit ornanda. 482.a.b
Animæ & corporis vestes invicem comparantur. 482.a
illud studium pro veste animæ impendendum, quod sæculares filiæ pro veste corporis insumunt.ibid.a
Animæ naufragium à lascivis cantatricibus.510.a
Animarum cura in Xaverio.560.&c.
Animæ pretium.561.a
ejus cum Jesu amicitia in quo consistat. 670.a b
V.Homo,imago,pictura, nuptiæ,sponsus.
Animæ fideles defunctæ in quo carcere purgatorii & pœnis sint.453.a.b
iis succurrendum.455 &c.
minuta persolvere debent.457.a
earum 4.miseræ conditiones 1.meritum impossibile,457.b
2.Jugum ineffabile.Ibid.
3.Debitum insolubile.458.b
4.Incendium intolerabile.459.b
earum lytrum eleemosyna.Ibid.
liberatio animæ è purgatorio continet eminenter omnia opera misericordiæ.460 b
communione generali per Habacuc denotata liberantur.Ibid.
quod exemplis probatur.461.b
pro iis Catharina Riccia pati desiderat & impetrat.463.b
triplex argumentum , quo ostenditur melius esse satisfactionem defunctis transcribere,

quàm sibi reservare.464.a
Primò meritum æternæ gloriæ.ibid.a
Secundò satisfactio pro suis etiam pœnis. Ibid.a
Tertiò beneficium ex animarum gratitudine. ibid.b
Varia exempla illis succurrentium.Ibid.&c.
sunt sponsæ regiæ captivæ.465.a
quàm sint gratæ in benefactores.Ibid.b
in necessitate temporali & spirituali liberatoribus sunt propitiæ.465.466.
Animam è purgatorio liberare signum est prædestinationis.467.a
V.Captivitas,libertas,purgatorium.
Animarum piscatores quinam.279.b
V.Piscator.
Animalia Ezechielis inter se diversa quid denotent.314.a
musica delectantur.510.a
naturali antipathia odit omne animal sibi contrarium.643.
Animi affectus musica excitat.504.b
eos etiam musica ad prælia accendit.505.a
pulcher sæpè in deformi corpore.580.a
S.Anna filiam Deo consecravit.60.a
viti comparatur: 61.a
ad se confugientes protegit.Ibid.b &c.
à lapsu & naufragio quosdam mirabiliter servat.62.b
ex filia Maria cognoscitur mater Anna.63.&c.
qualem pepererit filiam.Ibid.
an aliquid carnis S.Annæ per Mariam communicatum Christo in Eucharistia existat.Ibid.
ejus bona opera.65.b
ex Maria velut fructu cognoscitur.67.b
terræ promissionis comparatur.ibid.68.a 71.b
ab æterno in matrem Deiparæ prælecta omnes mulieres antecellit.68.b
aliæ,ejusdem virtutes recensentur,& quod irreprehensibilis fuit,quod vix ulli Sanctorum contigit.69.b
Annam inter & Joachim conjugii paranymphus Spiritus S.fuit.70.a
ad Annam ingenio sum anagramma.70.a
ejus & Joachim elogium.Ibid.b
Annam cur Deus sterilem tamdiu reliquerit.71.a
Anni tempestates variæ.444.b
quo anno Christus & Moyses nati.619.a
Antipathia hominis & animalium.643.&c.
Antonium nomen Rumanis amabile & honorabile.19.b
S.Antonii baculus miraculosus.110.b
ejus vera fides.612.a
Apis laus,natura,& utilitas, eidemque S. Bernardus comparatur.189.seq.
ei Christus & Maria V.cumparantur.190.ab
ejusdem opera investigabilia.191.b
magistra humilitatis est.194.b
ejusdem astutia.197.a
virginitatis amans.199.b
Apologus de cygnis & hirundinibus.354.a
Anselmi de lepore & anima.43.b
Apostoli oves sunt. 210.a.V. Bartholomæus,sunt cæli.Ibid b
Apostolæ etiam fœminæ sunt.273.a
Apostoli venatores fuère.429.&c.
V.Simon Iudas.
Piscatores fuère.727 b.V.Andreas
quisnam eorum fidē longius propagavit.6[illegible]
de majoratu contendentes Christus reprehendit.626.a
plura S.Joanni quàm cæteris revelata.608
Aquarum periculum multi beneficio Scapu[illegible] evaserunt.26.a
Arachne in araneam conversa,symbolum filiarum capillis animas capientium 31.a
Aranea V.Arachne.
Arbor ex fructu cognoscitur.64.a
Arbori homo similis.64 b
Platanus miræ magnitudinis & capacitatis 37.b
mala quomodo possit bonos fructus facere 66.b
Arbor quo casu ta,moraliter exponitur.66 a
Martini miraculum circa arborem ex[illegible] Ibid.a
Arborum gratissima vitis.72.a
quænam optima,& non cæditur.ibid.
Arcæ Noë sedes confessionalis compar[illegible]
295.a
Arcana Deus magnis Sanctis revelavit.609
naturalia nec amicis,nec fœminis revelanda ibid.
Arcûs funem mulieres Rom.è capillis nexuerunt. 31.a
Aristonis sponsa deformis: nupta pulchra evasit. 750.a
Aristoteles Platoni magistro aram in gratitudinem erexit.313.a
Arnulphus Persarum Rex à conjuge conversus. 266.a
Ars sæpe id tribuit,quod negat natura.578.b
perfectissimè similitudinem exprimit.145.a
Artificium unum inter cætera præeminet. 406 a
Asel cursu velocissimus.5.a
in Asino stupendum patratum miraculum. 582.b
Asterius gentilis Sanctæ Ursulæ desponsandus. 407.a
ab S.Ursula convertitur.Ibid.V.Ursula.ibid.
Astra V.Cælum.
Astyagis somnium de vite.72.b
Aszelina eximia cultrix S.Ursulæ.420.b
Atalanta cursu velocissima ab Hippomone [illegible] decepta,quid denotet.5.5
Avaritia omnium scelerum mater.281.b
ad homicidia impellit.282.a
nil avaro prosunt virtutes.281.b
Avara mulier,ut hæreditatem adeat,omnia meditatur scelera.282.a
ex hac parentes proprium necant fili[illegible]
282 b
& filii parentes.283.b
facilè dæmoni se devoverat avarus.284 a
hæreticos & magos facit avaritia.ibid.b
est idolorum servitus.285.b 286.b
avaro pecunia Deus est.:85.a
& in pecunia omnia seputat invenire quæ [illegible] Deo.ibid.
Avaritia erga Ecclesiam perstringitur.114.
quidam pro pecunia animam oppignora[illegible] [illegible] mone abripitur.288.a
Aurum pro Deo quidam moribundus adorat [illegible]

Avaritia Deum vendidit Ibid.
Avari sectatores Judæ.289.a
ejus servitus Ibid.
ejus miseriæ. Ibid.
sæpè genium defraudat, ut filio bona relinquat, qui communiter ea dilapidat.Ibid.b
anxia ejus cura,& vita.290 a
Avari conversio miraculorum maximum est.291.a
imò propè est impossibilis,vel maxime miraculosa Ibid.
major est quàm mortuos excitare.292.a 295.
Avaritiam sedat mortis meditatio.324.b
quanta avaritiæ pericula sint in mundo.441.b
V. Aurum,conversio,pecunia.
Auctor virginitatis quisnam.214.
peccati est diabolus,218 a
V Exemplum,tympanista.
ex Auditu quomodo fides.607 b
S. Augustinus cum quo symbolo exprimendus,an cum aquila,columba,aut ramo,&c.224.
an martyr? Ibid.
an cum hæresiarchis,libris,SS. Trinitate, fonte,sole depingendus.225.&c.
alter Paulus soli comparatur.Ibid.b
ejus symbolum cor transfixum 226.b
ejusdem perfecta contritio.228.b
perpetua ejusdem pœnitentia, & juges lacrymæ.229 a
humilitas ejus quanta fuerit.231.b
humilitas ejus stupenda in libris confessionum. 234.b
cum Pauli humilitate comparatur.236.a
humilis in libris retractionum.237 a
proponitur exemplum, ne iniquæ conscientiæ adhæreamus 238.a
habuit cor docile & sapiens,140.a
ejus scientia Pontificum & Doctorum elogiis illustrata.241.b
malleus hæreticorum est.242.b
cor ejus charitate vulneratum.244.a
cordis Augustini perpetua miracula.248.
quid è Cæsaris cadavere hauserit.319 a
Augustus Romam marmoream reddidit.129 a
eum corvus salutavit.146.a
in foro obdormivit in lecto.165.a
Avicula salutando Deiparam accipitri eripitur. 150.a
Avicula solitudinis pertæsum, eam amare docuit, 359.b
omnes garrulæ sunt excepto cygno.361.a
Aviculis cur Turcæ libertatem permittant.454.a
V. Clausura, Sanctimunialis.
Aula V. exemplum.
Aures obscœnis cantilenis occludendæ sunt.520.b
Aurigam animarum esse,arduum est.23.a
tales superiores sunt.Ibid.
Aurigam simius agit.24 b
Auriga virtutum discretio.Ibid.
Aurum quidam devoravit , ne aliis relinqueret. 290.b
Austeritates hujus vitæ superantur à doloribus ægri.161.a
in iis quomodo Martyres esse possimus.205.
V. Ursula.

B.

Baculo Moyses omnia signa faciebat : & multi Sancti multa miracula fecerunt.110.b
Baculo David Goliath prostravit.111.
V. Virga.
Balduini Comitis disciplina militaris.107.a
Baptismus alter est religio.
Batradii humilitas : quomodo se dignum prædicatorem effecerit.211.
Bartholomæus ovis fuit.210.a Cælum est.ibid.b
Bartholomæus per orbem extensus Petro comparatur.210.b
tympanista est.Ibid.&c.
Basilii Imp. liberalitas.12.
S.Basilius Moysi comparatur.85.
Beatorum gaudium in quo consistat.348.
status eorum Scripturis probatur.448.a
non possunt peccare.449 a
Beatitudinem omnes homines appetunt.180.a
in quo consistat ? plerique in divitiis ponunt. 280.b
Beatitudo humana est similitudo cum divina. 350.a
quid,& qualis sit ? 447.a
est status.448.a
Beatitudo est expletio appetitus ex omnium bonorum aggregatione perfecta 450.a
est satietas sine fastidio. 451.a
Belluæ triumphalem currum direxerunt.24 a b
Bello ineptæ fœminæ 258.a
in eo celeritas valet plurimum.8.b
V. prælium. vide S. Ignatius.78.a
Bellica virtute nobiles fœminæ quænam. 269 b 407.b
Bellica tormenta quis primum invenerit.276.b
V. Victor.
Belli dux v. dux.
Benefaciendum odientibus esse,docent nos omnes creaturæ.447.
Beneficentiæ typus Sol est. 630.
qualis beneficentia inimicis præstanda.449.
Beneficia citò danda.11.a
Beneficium Ludovico XI. denneganti gratias quidam egit.Ibid.
Beneficia Angeli Custodis. v. Angelus. Gratitudo.
ecclesiastica quantum ambigantur.195.
Beneficiorum ecclesiasticorum incapax mulier. 261.a
quod refutatur.273.b
indignis non sunt conferenda.494.a
quænam ætas ad ea requiratur 581.b
quidam ad ea nati,582.a
non ad ea pueri promovendi.Ibid.a
V. munus.
Benevolentia qualis præstanda inimicis. 600.
Benjamin Josepho dilectissimus, mœstitiæ fraternæ pœnas debuit luere 50.a
Benjamin in Christi fuit Joannes.683.
Berenices capilli inter astra translati.30 a
S.Bernardus api comparatur , ejusdemque laus. 190.&c.
doctrinam cælitus hausit.191.a
Doctor est mellifluus 192.a

multosè sæculo eduxit Ibid.
multos conciliavit, confudit, &c. convertir, &c.193.b
ejusdem profunda humilitas.194 b
Reges & reginas sui Ordinis sectatores habuit. 195 b
est candidus virginitate & habitu: rubicundus martyrio seu mortificatione. 198.b. &c. 200.&c.
candidus est lacte virgineo.201.b
quando,& ubi lactatus à Virgine.Ibid.
ex ejusordine nullus periturus est.202.b
Bernardus rubicundus suo & Christi sanguine. 203.b
passionis Christi mirus amator.204.a
quomodo martyr fuerit.Ibid.b
ejus Ordo alveari comparatur 206.b
Bethlehem schola cælestis Magistri,ad eamq; Agnes Imp. & aliæ regiæ personæ profectæ. 613.b
schola est virtutum.614 a
Betsabææ apud Salomonem potestas 183 b
Birgitæ filium Maria V. in judicio defendit.123 b
Blasphemiæ aliorum non sunt curandæ.598.a
Bombardas quis & quando primù invenerit.276.b
Bona superflua sub qua obligatione pauperibus danda.471 b
Bonis omnibus non potest unus homo abundare. 574 &c.
V. eleemosyna,filius, fortuna, nudus,pauper.
Bonifacius pulchritudine Jesu oblati abripitur. 620.b
Botris comparata B. Virginis ubera.63 b
Botrus Jesus est è promissionis terra allatus in vecte 67.b 71 b
Botri mirabilis magnitudinis 72.b
in Brachio declaratur omnipotentia. 569.a
Brachia Ecclesiæ Paulus & Xaverius.570.a
V.Xaverius.
quidam brachiis destitutus, omnia pedibus exequebatur.578 a
in Brachio patet robur totius corporis.570.b
Bricomotii tyranni sævitia in Ecclesiam 80.a
S. Bruno spectaculo Doctoris Parisiensis cum sociis in solitudinem secedit.354 a
Miranda opera in solitudine cum sociis egit. 356.a
V. Carthusianus,solitudo.

C.

Cadaver perdise amavit Carolus M 665.b
Cadaver occisum præsente occisore fundit sanguinem.643.b
Cæciliæ castitatem Angelus Custos servavit.307.a
fuit Spiritus S. Organum.502 b
musicà convertit 400. homines.Ibid.
quomodo membra mortificavit.504.a
Cæsarea quomodo virum suum convertit.266.a
Cain primas omnium Deo primitias obtulit.461.b
Calamitatum calix epotandus 47.b
V.adversa,fortuna.
Calceamentorum veterum modus.375 a
Calceus quid notet, & quis primus discalceatus. 377.a.b
discalceati cœlum ingredimur.Ibid.
Calceorum luxus.378.a
Calcei in nocte S. Nicolai exponuntur.577.a
Calix Domini est passio ejusdem 47 a
Calix calamitatum epotandus.47 b
Calicem ex fama solum venenatum audiens Alexander M. ebibit.Ibid.
passionis est haustus amoris 50.a
ex hoc amici Dei cognoscuntur Ibid. b
Calix passionis epotus, dulcis est ob æterna voluptatem.55.a
hic dulcedinem è labris Domini accepit 56.a
æternam etiam meretur gloriam.57.b
Calvaries ad omnia immobilis perfectionis magistra.329.
Calvinistarum tyrannis in Ecclesiam.80.b
Calvitiũ mulieribus ignominiosũ.40 a.v.Capi[illegible]
Calumniæ non sunt curandæ.598.a
Calumnia de execratis S Ignatii sparsa, eliditur 89.a
Calumniatoribus vix creditur,si alter bene vivat. 647.b
Camelo avarus comparatur.294.
Camilla cursu velocissima.4 b
Campanæ quomodo,ubi,& à quo primum inventæ 273.a
Candor virginitatem denotat.200.&c.
quos dæmon habeat candidos 201 b
V [illegible]edo.
Canes Venatici dæmonis sunt hæretici 427 a
Canis seu molossus curru triumphali vectus.24 b
eorum fida custodia.101 a
Canis ligatus dæmon, latrare, non mordere nisi volentem potest. 11.a
Cani S. Dominicus comparatur.125 a
Canes prædicatores denotant.133.a
Item Doctores.Ibid
iisdemq; canum proprietates adaptantur. ibid.
Canes muti quinam 134.a
mira canum in Dominos fides Ibid b
Canes cum leone & elephante concurrunt. 430,b
Canibus Apostoli comparantur.431 a
per canem mirabilis conversio.Ibid b
Canibus pauperes similes.435 b
Cantu nocturno Carthusianorum, quidam Calvinista convertus.367 b
linguæ organo alii mala,bona alii cantant. 508.a
Cantica obscœna sunt sputa diaboli.Ibid.
Cantatrices lascivæ, sunt animæ sirenes naufragium afferentes.510 a
Cantu pueri perditi.Ibid.
Adversus lascivas cantilenas I. remedium [illegible]res occludere Ibid.b
remedium 2. cantatrices fugere.511.a
remediũ 3 eas ex omni consortio eliminare [illegible]
remedium 4. sacris profanas eliminare.511 b
fructus varii ex canticis spiritualibus.Ibid.
utiliter facta cantantur, & profanæ in sanctas commutantur.513.a
Cantus in cælo fore probatur 512 b
Cantantiũ chorus è cælo in terram evocatus 51[illegible]
quàm pius & laudabilis cantantium in Ecclesia chorus 513 seq
pius,horribilis est dæmonibus.515 b
David voce & fidibus canebat.515 b
quorundam in choro, divino officio, & cantu irreverentia.516 a
contra obtrectatores monialium, quæ [illegible]d cantant,non intelligant.517.a

defectus 1. Clericorum & Religiosorum in choro canentium.517
defectus 2.præcipitatio.
defectus 3. tarditas & pigritia.518.
defectus 4 quod vita & omnes consonent.518.b
V.musica organum.
Capilli Berenices, cur inter astra translati.30.a
Capillis quidam se in cælos efferendos putabant, 30.a
iis Magdalena animas irretivit.30.b
luxus capillorum in fœminis.31.b
ejusdem pœna..32 b
Capilli ignea sunt jacula: eosdemque matronæ Romanæ in funem nexuerunt.31.b.32.a
quid significent.32 a
luxus capillorum in adolescentibus & viris.32.b
Capillorum cultura viris indecens.33.a
Capillos Poppææ Nero auro inseri jussit.34 b
Capillis suis M.Magdalena Christi pedes tersit.34.a
multi capillis Deum vulnerant.ibid.
è capillis suspensa, & succenso igne Pasithea sese cruciavit.34.b
eorum abscissio signum servitutis.35 b
olim Diis capillos quinam consecraverint.ibid.
Florinda suus capillos inæstimabiles, ut Melanthum redimeret, vendidit.ibid.
Tonsura Clericorum & Monachorum quare, & quid significet 36.b.&c.
cur militum suorum crines Alexander M. radi jusserit.37.b
Capillorum luxus in Clericis, & Religiosis exaggeratur.38.a
Capilli denotant superflua, pedes Christi, hoc est pauperes, tergentes 39.a
pœnæ à Deo de vanitate capillorũ sumptæ.ib.b
quinam capillos soluto vectigali redemerint. ibid.b
pœnæ æternæ ob capillos intentatæ.40.a
de capillis Absolonis supplicium.ibid.b
ob capillorum luxum mulier damnata.ibid.b
Capillorum prolixitas solis conveniebat Regibus. 41 a
Crotildis filios mori potiùs, quàm tonderi maluit, ibid.
Capillis puella virginitatem servavit.ibid.b
Capillorum fucus & pigmentum. 41.b
eorum tinctura unde? 42.a. V.Tonsura.
Captivitas ipsa morte durior.453 a
Variorum.ibid.
Captivos Carolus V. liberos dimisit.455.b
idem Corvinus Rex Hung. fecit.462.a
Captivitas Leonis Imp.ibid.
V.carcer, libertas.
Carcer purgatorium est..35; b
Carceres hujus mundi respectu purgatorii palatia sunt.454.b
ad expurgandos pravos mores inventi.455.b
in iis humores pravi expurgantur.456.a
in carcerem conjiciuntur debitores, donec ultimum quadrantem solverint.ibid.
quo astu carceres quidam evaserint.457.b
Principes quinam magno lytro è carcere liberati.458.b.V captivitas.
Carmelitarum Ordo currus est triplex.18.b
eorum dux Elias.ibid.
cum Ordinem restauravit B. Virgo; hinc fratres B.Mariæ Virg.19.a
quàm sic celebris, utpotè mons in vertice montium ibid.
Patientes fuerunt Carmelitæ plurimi in vitæ austeritate.21.a
Currus Carmeli plures vexit in cælum Martyres. ibid b
Carmelitarum Scapulare. V.Scapulare.
A Carnibus an in periculo vitæ abstinere liceat. 364.a
abstinentia carnium Carthusianorum ibid.
hæc exemplis comprobatur valde utilis. ibid. V. Carthusianus.
Caro mortificanda est.211.a.367.a.384 a,
Carnis tentationes B. Virginis immaculatè conceptæ curatæ.600.b
Carolus V. in omnibus negotiis Deum consulebat.84.a
ejusdem in bello fortuna prospera.ibid.
Cistam mortualem sibi vivo fieri curavit.323.a
regno se abdicavit Francisci Borgiæ cõsilio.323 a
Captivos liberos dimisit.455.b
ejus in Confessarium observantia 552.b
V.Pietas.
Carolus M. perditè cadaver amavit. 665.b
Carthusianorum Sanctimonialium laus.368.a
Carthusianus cantando instar cygni moritur 368.b
plurimos hic ordo habet Sanctos.369.b
Sanctimoniales sanctitate eximiæ, & imprimis Rossellina.370 a. b.&c.
Carthusianorum solitudo quanta, quantaque clausura.356.a.&c.
quidam fugã meditans, salubriter resipiscit 361.a
eorum silentium 362 a
eorum austeritas & abstinentia.364 a
Item à carnibus abstinentia.364.b
quinam carcerem subire, quàm carnes edere maluerint.365.b
cujusdam immane martyrium.366.a
an esu imaginario carnis delectari possint. ib.b
Carthusia semper in primo vigore permansit.ibid.
apud eos nulli cimeces.366 b
conversio Calvinistæ per nocturnum eorum cantum.362.a
Carthusianæ sanctimoniales mulieri apocalypticæ comparantur.362.a
Castitas Jesu quomodo imitanda.638.b
pro ea tuenda religiosus nunquã sit solus, 639.a
eam violantium pœnæ.109.b
Castitas S.Theresiæ.385,a
Castitas Pauli & Xaverii.557.b
Castitati quantum mundus insidietur 153,b
Judithæ per Angelum servata 307.a
per hanc religiosi mundu mortui.331.a
hæc per Jephte filiam denotata.ibid.
Castitas oculorum in S.Pet.de Alcantara.ibid.a
Catharina Martyr fortunæ, rotam calcavit.523 b
rotam martyrii præfert fortunæ.524 a
illusit fortunæ.525.a
de ejusdem rota vaticinium.ibid b
contra fortunam adversam fuit fortis. 526.b
per adversa cæli regna intravit.529.b &c.
Virgines & matronæ Catharinæ cognomines quænam per adversa cælum intrarunt.530.a
Catharina Persica ibid.
Catharina Regina Angliæ. ibid.
Catharina Senensis.531.a
Catharina Riccia.ibid.

Catharina Raconisia.Ibid.b
Catharina de Jesu. Ibid.
Catharina Bononiensis.Ibid.
Catharina Genuensis.Ibid.
Catharina de Santoval.532.a
Catharina de S.Augustino.Ibid.
Catharina Sueca.Ibid.
Catharina Fernandia.Ibid.
Catharina Reg. Franciæ.Ibid.b
Catharina Herrera.Ibid.
Catharina Reg. Lusitaniæ.533.a
Catharinæ Vaniotæ Senensis mirabilis conversio. 43.a
Catharina Riccia pro defunctis pati desiderat 463.b
Genuensis desiderium videndi Deum.97.a
Senensis donum lachrymarum habuit.139.a
cor suum Christo, hic illi suum dedit.141.b
Catechumenorum magistræ & apostolæ quæ fœminæ fuerint.273.a
Caveæ ferreæ cur Eduardus Rex Angliæ inclusus. 456.a
V.captivitas, carcer.
Celeritas in bello præstat virtute.8.b.&c.
V.cursus, festinatio, velocitas.
Cellæ solitudo.358.b
ejus utilitates.ibid.
eam meditatio inferni suavem reddit.359.a
quomodo sanctior sit cella templo.ibid.b
continuata dulcescit.360.a
cœlum est.ibid.b
Cervus torquatus.429.a
Charissimi quinam sint habendi.674.b
Charissimationis gravia incommoda.675.b
V.amicus, amor.
Charitatis actus est pati pro alio.463.b
Charitatis curru vectus Elias.22.a
ejus currus quænam 4.rotæ.23.a
Charitatis exemplum erga proximum illustre.96.a
Charitas erga proximum D.Martini.ibid.b
Item S. Ignatii.96.a &c.
Augustini in Deum.244.a
in Deum omnibus necessaria.a 46.&c.
V.amor, animæ, inimicus, meritum.
Charta unde conficiatur.276.a
Cherubino comparatur S. Dominicus ob scientiam.129.b
idem custodit paradisum Ecclesiæ.132.a
Chorus v. cantus.
Christianos persequentium sacrificulorum fraus detegitur.427.b
Christianorum peccata graviora, & magis punienda, quia plus acceperunt.586.a
eorum magister Jesus.623.a
quomodo in encœniis Baccho & Veneri dediti.737a.b
Christus quo anno natus.619.a
ejus typus Moyses infans.ibid.
ejus pulchritudo Moysis comparatur.620.a
quam in persecutores suos fuerit beneficus. 656.a
orationis Christi pro inimicis paradigma.660.b
Joannem summo amore & favore prosecutus est 664.b
singulariter Joannem dilexit.667.b. seq.
eum quantum Joannes dilexerit vicissim.672.
ejus vulnera quam sint splendida & quare. 698.b
Christus quomodo & ad quos festinarit.2.a
ejus pedes M.Magdalena tersit.34.a
ejus pedes tergere qu[illegible] 39.a
prævit exemplo in passionibus.48.a
calicem passionis in sanitatem nostram epotavit.51.a
adversa omnia sua passione dulcoravit.56.a &c
botrus est terræ promissionis.67.a 71.b
vino comparatur.72.a
ejus transfiguratio. V. transfiguratio. cum orat transfiguratur.87.b
ejus mansuetudo omnibus imitanda est. 100.b
quot homines converterit?128.a
ejus miracula.126.a
Api similis est.190.a
quomodo candidus est & rubicundus.199.a
extensus fuit in cruce instar tympani.212.a
V.crucifixus.
ei per omnia assimilatus S. Franciscus Seraphicus.334.&c.
ejus paupertas.ibid.338.a.&c.
ejus imago V. imago.
Venator fuit.429.a 589.
portus est, & cur in litore visus.443.a
piscator fuit.536.
ei crucifixus Franciscus Seraph.345.b
quomodo eum imitari debeamus.346.a.&c.
suo exemplo ad solitudinem invitat.356.a
amore silentii in desertum secessit.361.b
Magdalenam venatur.430.a
peccatores venatur.ibid.a
ejus pœnis comparatur ignis purgatorii. 460.a
ejus nuditas in paupere tegitur.470.b
est norma Confessariorum.541.a 543.b
majora quandoque per alios, quàm per se est operatus.570.a
V.sponsus.
S.Chrysostomi elogium S. Ignatio accommodatur.80.a
optat videre Pauli reliquias.572.a
Ciborum mortificatio.56.a
eorum deliciæ in Rabaudo reprehensæ.57.a
Cimices nulli apud Carthusianos.366.b
Cistercienses V.Claravallis, Ordo.
Citatio ad tribunal Christi V. Tribunal.
Cytharæ chordæ, id est corda pœnitentium leniter tangendæ.545.a
Civitas una non potest omnibus rebus abundare. 574.a
V.exemplum.
Claravallis alveare, sive Ordo Cisterciensis describitur.206.b
in eo Religiosorum sedulitas.207.&c
Item disciplina, virtutes, sanctitas.ibid.&c.
V.Ordo.
Classis 11000. Virginum ab Ursula adornata; cui ipsa etiam præfuit.407.b
ausura Carthusianorum.356.b
monialium insulis comparatur.729.a
non esse deserendam exemplo ab aviculа ostenditur. 729.b
cam deserere statuentis monialis tragœdia. 731.a
V.mulier, Religiosus, sanctimonialis.
Clementia an obsit in confessione.545.b
quantum sit ornamentum.100.a
V.discretio, mansuetudo.

Cler.cis

Clericis prohibita clamosa venatio. 428 a.
eorum tonsura quare, & quid significet 36.b.
eorum luxus in capillis exaggeratur. 38.a.
Cœdrus pro civibus mori voluit. 94. a.
Cœcus oculis, Doctor tamen promotus Nicasus. 579 a.
Cœlum quomodo parvi violenti rapiant. 630. a.
talis violentia cœlum rapiens sunt lachrymæ. ibid. b.
in cœlo musica fore probatur. 512.b.
è cœlo evocatus cantus. 513. a.
Cœlum solitudo est. 3.7 b.
tale etiam cella est. 360 b.
Cœlum quàm difficilè divites intrent. 294. a.
illud discalceati ingrediuntur 377.b.
id comparando nulli parcendum labori. 435. b.
in eo omnia quiera, olympo comparatur. 447.b
Cœli concentus qualis 501.a.
per adversa illud intramus. 530 a.
per spinas quænam matronæ conscenderint? 532.b.
Cogitationes malæ statim repellendæ. 498. b.
hominis cogitationes sunt variæ. 445.a.
Colonia Agrippina in tutela S. Ursulæ est. 421. b.
Color albus virginitatem denotat. 20.a.
Columbis similes sunt Confessarii. 544. b.
Coma V. capilli. 30.&c.
Cometa V. signa cælestia. 174.
Communio generalis per Habacuc prandium designata. 460. b.
olim manibus linteo tectis sumebatur. 479. b.
argumenta probantia lascivè vestitos eam esse deneganda. ibid.
in ea percipienda peccatur quandoque irreverentià mortaliter. 480 a
eripitur fœminæ ab Angelis ob minus decentem habitum. ibid.
V. Eucharistia.
Comneni Imp. rigida militaris disciplina. 107.a
Compatiendum est pœnitenti. 543. a
Compensatio beneficii. 310. b
Concentus cœli qualis sit. 501.a
Conceptionis Immaculatæ B. Mariæ V. cultus signum est salutis. 601. b
commendat eam Ordinis ejusdem approbatio ibid. a
qui Ordo miraculo comprobatus est. ibid. b
comprobatur ex festo miraculis claro. ibid. b.
declaratur sancta ex breviario Romano. ibid.
maculatam astruentes, quali pœnâ puniti. 602. b
veneranda est. ibid 592. a
praxes eam colendi à parvulis instillando eam 602. b
deinde officium ejusdem recitando, per quod conversio peccatoris facta 603. a
tertiò imaginem ejus venerando. ibid.
hinc varia miracula. ibid
quartò supplicationes in ejus honorem instituendo; & festum ejusdem dignè celebrando. 604.a
in ejus memoriam rosa nunquam marcessit ib.b
eam negans, subitò expiravit. 597.b
oppugnatione magis declaratur 594 &c.
Concionatores linguæ licentiam refrænare debent. 108 a
Concionatoris & Confessarii munus inter se conferuntur. 539 a.
sunt animarum piscatores. 538. b
Concionator est Jesus. 624 b
V. Orator, Prædicator.
Concupiscentia V. luxuria.
Confessarii piscatores, pisces animarum arundine capiunt. 538.b
Confessarii & concionatores munus inter se conferuntur. 539 a
Confessoris præfertur. ibid.
Septem opera misericordiæ melius ab hoc, quàm concionatore exercentur. 539.b
Confessarii consilio, multi sese ad monasteria contulerunt. 540. a
monita salutaria ad confessarios. ibid. &c.
Confessario bono necessaria est patientia, lenitas, & longanimitas. 541. a
fastidia ei devoranda. ibid.
eorum norma Christus est 541.a. 543. b
eorum severitas reprehenditur. 541. &c.
in alios severi, meminerint propriæ infirmitatis 543 a
pœnitenti compatiantur. ibid.
qui in pœnitentes severi, in eadem sæpe relabuntur peccata, & graviora. ibid. b.
debent esse columbæ sine felle. 544. b
Corda pœnitentium sicut chordas cytharæ leniter tangant. 545. a
scandala à severis confessariis orta. ibid.
objectioni, quod clementia non semper expediat, occurritur. 545. b
Confessariorum quanta sit dignitas. 551. a
iis tanquam Medicis honores divini habendi. ibid. b
eorum munus quodnam. ibid.
eos quomodo Reges & Principes venerati. 552. a
observantia iis debita; & sequenda consilia ib b
Confessarium celans revelationem puella illuditur, hinc tales ei revelandæ. 553. a. &c.
ei tentationes aperiendæ. ibid.
in Confessario prompta obedientia S. Franciscæ Romanæ. ibid. b
eadem etiam rapta, tamen obedit Confessario ibid. b
cavendum ne præstetur obedientia Confessario emisso voto. ibid.
unam præ cæteris non habeat familiariorem, nec munuscula aut literas suscipiat. 667. b seq.
Confessarius consulendus. 85. a
Confessio, V. contritio, vestes, pœnitentia. 9. b
quantos confessio fructus afferat 236. a.b.
Confessionalis sedes Arcæ Noe comparatur. 295.b
a. V. Confessarius.
Conjugati qualiter sint sponsi Christi. 381. a
Conjugii paranymphus inter Annam & Joachim Spiritus fuit S. 70. a
ob Conscientiæ angores mors terribilis. 722 a
Conscientia bona est lectus quietus. 164. b
mala nunquam quiescit. ibid. &c.
unius conscientiæ exemplo non adhærendum. 238. a
Conscientia est judicii cathedra. 359. a
V. Confessarius.
Conservatio mundi major est ejusdem creatione; 118. a.

Confilia Confeſſarii ſequenda.552.b
Conſolationes divinas cur multi non experiantur. 700.
Religioſi multi eas percipiunt.142.a
omni paſſioni adjuncta conſolatio. 705 b
Conſolationis cæleſtis flumine qui irrigati? 141.b
Conſolationes divinæ ægris ſubmiſſæ 162. a.
V.adverſa,Confeſſarius,tribulatio.
Conſtantia,V.inconſtantia,martyr.
Conſtantia laudabilis in virtutibus & veſtibus ſervanda.401.b.&c.
Conſtantini manſuetudo.650.b
Conſtantinus propter nomen imperium adeptus. 19.b
Conſulendus Deus in omnibus rebus.83.&c.
alios prudenter conſulimus.84.b
in ſtatu eligendo Deus conſulendus, non parentes & propinqui.ibid.
Conſulendus Confeſſarius de hoc aut vit prudens. 85.a
Deum conſulens quomodo illuſtretur.ibid.
Contentioſo cedendum 409.b
Contraria inter ſe poſita magis eluceſcunt. 594.b
V.antipathia.
Contritio perfecta S. Auguſtini.228.b
vera quid includat.229.b
quidnam eſt.ibid.
ejus habitus acquirendus.230 a
martyrio comparatur.ibid.b
ejuſdem praxis.231.a
Contractus falſi.616.b
unde hi proveniant.ibid.
Converſio mirabilis puellæ exemplo Magdalenæ. 43.a
Converſiones raræ virtute roſarii.148.b
peccatoris,qui in lecto ſupinus non potuit una nocte jacere.170.a
peccatoris mirabilium maximum.227.b
Converſio Pauli & Auguſtini inter ſe comparantur.228.a
peccatoris per humilitatem Thomæ Novavillani.236.a
avari & peccatoris, & Matthæi miraculorum maximum.291.&c.292.a
fieri poteſt in inſtanti.791.b
peccatoris major eſt quàm ſuſcitare mortuos. 292.a.
miraculoſa Pauli.ibid.
Converſio avari impoſſibilis & maximè miraculoſa.293.a
convertens ſeſe peccator majus facit opus quàm Deus.291.b
Converſio gentium per Franciſcanos.344.a.b
Calviniſtæ per caotum Carthuſianorum nocturnum.367.
mirabilis per canem.431 b
V.Matthæus,mulier,Urſula.
Cor Thereſæ coronatum, ſauciatum, & perpetuum miraculum.386.a
Cor quo nihil præſtantius Deo offerendum.495.b
Cor ſagitta transfixum ſymbolum Auguſtini. 226.b
Cor peccatorum contritum S. Auguſtini quàm mirabile.:27.a
Cor humiliatum Auguſtini, 231.b
Cordis S. Auguſtini perpetua miracula. 248.ſeq.
Cor humanum velut acus ... ſpiciat.276.b
Corona trina Henrici III. Re... tali cor Thereſæ in deſponſ... 386.a
Corona gloriæ qualis ſit.387.a
Corpus humanum organum eſt: & quo... num organum eſſe poſſit.502.a 504 a
Corpore parvi magnis ſæpe talentis p... 579.b
mortuum præſente occiſore ſanguine... 643.b
Corporis auſteritas S.Dominici.13.b
Corpus quomodo mundandum.384.b
Corpus per orationem transfiguratur.8..a
ejus robur latet in brachio.570 b
Corporis delicati curatores quàm coarctent... parva cæli porta.139.b
Corpore manci,aliis mentis dotibus præditi... V.homo,mortificatio.
Correctio aliorum ſæpè neceſſaria & q... 134.a.&c. V.mortificatio.
Correptio cujuſdam de inſolenti veſtitu q... fuerit ſalutaris.481.a
Corvus Auguſtum ſalutavit.146.a
Cranium quidam pro ſpeculo Pariſienſi contulit.318.a
Craticula S. Laurentio fuit quietis le... 158.b
Creatione mundi major eſt conſervatio.1.8.a
Crotildis filios mori maluit quàm tonderi.41 a
Crucifixus Chriſtus,ubi S.Bernardum amp... 203.b
Crucifixo ſimilis Franciſcus Seraph.345.b
Crucis ſignum peccatoribus in extremo judicio erit terribile.181.b
Cruces Religioſorum cæleſti dulcedine inungi ſolitæ.702.b
V.adverſa,tribulatio.
ad cultum Dei ſpectat organum.5.8.a
Cupiditatibus animi vinci turpe eſt.412 a
V.affectus.
Cura avarorum.289.&c.
Curiis exulat fides.616.a
Currus expanſis velis 14. milliaria a hor... cit.4 b
Currus humilitatis & paupertatis.17 a
charitatis.22.a
Curru igneo Solis Phaeton orbem accendit
Currus triplex Ordinis Carmelitani · prim... ginitatis.18.b
hujus 4. rotæ quænam ſint.20.b
Currus diaboli & Veneris.ibid.
Currus Heliogabalus à nudis fœminis tract... b
Currus patientiæ Eliæ debetur.ibid.
Curruum in ventores Florentini.21.b
Currus martyrii.ibid.
Currus triumphalis feritis belluis adornatus directus.24.a.&c.
Currus triumphalis dæmonis.ibid.b
Curſus Camillæ velociſſimus.4.b
Item Atalantæ.5.b
Curſu olim contendentium celeritas.ibid.
Curſus multorum in exitium.ibid.
à Curſu perfectionis & ſalutis quænam re... animam.6.a
Curru fortitudo. 96.a

Custodia fida canum.302 b
quanta sit Angelorum Custodum erga homines 303 a
Custodiæ corporis variorum principum.303 a
Custodia sensuum & oculorum est virginitatis tutrix.331 b
Cutis non nimium curanda.139 b
mortificanda est. 211 a
V. mortificatio, tympanum.
Cygno excepto omnes aves sunt garrulæ, hinc silentii typus.361 a
cantando moritur.368. b
Cygnorum & hyrundinum apologus. 354 a
Cygno comparatur S. Bruno & Carthusiani. ibid.
Cyrus haustum prægustatum subditis amoris testimonio mittebat. 50 a
ejusdem clementia. 100 b

D.

D. D.D. sunt hominis ruina.255 a
Dæmon suis tentationibus nobis coronam fabricat.385 b
cum nudo luctari nudi debemus.335 b
à puella victus, eam dominam agnoscit.412 a
primus venator obique laqueos struens comparatur Nemrod.426 a
canes ejus venatici sunt hæretici.427 a
retia ejus & laquei quinam sint.433 b
V. diabolus.
Damnati gravissimè puniuntur ab iis, quos ad inferos traxerunt, quod etiam amare lamentantur,219.
Damnationis periculo sæpe liberat Angelus Custos. 306 a
Darius jussit Alexandri militem capillis in terram dejicere.37 b
ejus vitis aurea qualis. 72 b
Davidis mansuetudo. 101 a
Goliath baculo prostravit. 111 a
gloriosior Davidis victoria de seipso, quam de Goliath.409 b
ejus quanta cum Jonatha amicitia. 347 a
voce & fidibus canebat 515 b
fide Goliath prostravit.606 a
mundi fuit contemptor.
Debitores in carcerem conjiciuntur, donec ultimum quadrantem solvant. 456 a
quod insigni probatur historia. ibid. b
Debitum insolubile est animarum defunctarum in purgatorio 458 a
Debita celeriter sunt solvenda.12 b
ea deferre quantum sit peccatum.13 a
ex eorum dilatione duo filii fame mortui; ejusque auctor morte luit. ibid.
Dedicatio templi Salomonis,&c. 739.seq.
Defectus quisque suos habet.575 &c.
unus subinde aliunde suppletur.578 a
V. Talentum.
Deformes vultu, sæpe sunt pulchræ mentis,580 a
Defuncti V. animæ, Purgatorium.
Deliciæ ciborum in Rabaodo reprehensæ, 57 a
non sunt quærendæ,139 b
Delicta levia S. Ignatius graviter punivit,106 b
Demetrius urbi pepercit ob tabulam Protogenis, 393 a
Dentem sibi excussit Spinula, ut idem imitaretur amicus,48 a
Devotionem debemus Angelo Custodi. 312 a
qualem? 313 b
Devotionem non impediat respectus humanus, & calumniæ,598 a
Deo vocanti statim obtemperandum, 7 b
Deus adversitatis novacula homines tondet,49 a
quos amat castigat,50 a
actus flores, & operum fructus non promissiones amat,65 a
quomodo suam patientiam manifestet, 71 a
ejus cum homine prælium, 78 a
in omnibus consulendus, 84 &c.
præsertim in statu eligendo, ibid. b
quomodo consulentes illuminet,85 a
Deum videndi desiderium quorundam vehementissimum, 97 a
quod est genus martyrii, ibid. b
Deo simul & hominibus placere difficile, 115 a
Deo quomodo serviendum,116 b
quomodo & quinam Deo & hominibus placeant, 117 a
Dei filius quomodo fit S. Dominicus,124 b
ei similes quomodo esse possimus,349 b
Deo similis Franciscus Seraph. 350 a
Deum per mortificationem laudare debemus, 212 a
quomodo illum in organo corporis possimus laudare,504 b
Dei digitorum vis,568 b
Deus in conversione peccatorum mirabilissimus, 227 b
quid de Deo S. Theresa cognorit, 373
Deus est animarum sponsus, 379 a
pictor fuit,392 b
venator est 584 b V. Christus. Venator.
Deum acquirendo nulli parcendum labori, 435 b
quomodo eum venari oporteat,437 a
Deum vestiendo quot ulnæ panni insumendæ, 470 b
primitias sibi vendicat, 485 b &c.
amandus sub præcepto, quam primum rationis usus est adeptus,495 b
est auctor & inventor musicæ,510 a
organista est. ibid.
Deus infans è cælo musicam in terram evocavit, 502 b
ab ejus providentia omnia, nihil à fortuna dependet, 522 b
omnibus secundùm mensuram dedit gratiam, 576 b
ejus exemplo injuriæ remittendæ,631 b
nos amavit, ut redamaretur, 666 b
eum non redamare maxima est ingratitudo, 667 a
ab eo amari summa est felicitas, Ibid: a b
magnis Sanctis secreta revelavit, 670 b
ejus familiaritas est circa periculum, & honorifica,679. seq.
Dei dilectus Joannes omnis necessitatis patronus apud Deum, 682.
phrygionis àgit partes,698 b
est virginum sponsus zelotypus, & non vult ab aliis videri faciem earum.
quomodo amet animas? 731 b V. Sponsus.

ad eum orantes in necessitate recurrere debemus.744.seq.
è Diis Romani Deum pecuniarum elegerunt. 285.b
Dii habari sunt homines.565.b
cur mites Dii appellantur 566.a
Diaboli currus triumphalis.20.b.24.b
ejus cum homine prælium.78.a
ut canis ligatus latrare, non mordere, nisi volentem potest.111.a
S.Ignatii nomine & imagine fugatur.112.a b
pii & sancti eum non timent.ibid.&c.
non timendus, sed illudendus est; & quinam ei illuserint.113.a &c.114.a
tepidis & negligentibus metuendus.ibid.b
anima spiritualis quomodo illum possit superare.114.b
in illum S.Dominici imperium.126.b
pejus est peccatum, quàm dæmonem in animo habere.127.a
auctor & incentor peccati est.218.a
ejus tympanistæ quinam.218.220.&c.
ejus instrumenta sæpissimè mulieres sunt. 255.b
Diabolo pejor est mulier.256.a
communiter in muliebri forma apparet ibid.
Diabolo est pius cantus horribilis.515.b
piscator est per se & suos.537.b
quomodo revelationibus illudat.553.a &c.
ejus testimonium de Immacul. B. V. Mariæ Conceptione,599.b
. ob diaboli insestationes mors terribilis est. 721.a
Dianæ Ephesiæ templum quam fuerit præstans, 406.a
Dei opera primogenita Deo offerenda,498.a
Diei vir, nocti mulier eur comparetur.726.b
V.Dominica. Judicium.
Difficultates status, officii, dignitatis, semper præponderandæ,53.b
Digitorum Dei magna vis,568.b
V.Brachium, manus.
Dignitatum cupidi quales esse debeant,53.a
Dignitas grave onus est,ibid.a b 495.a
ecclesiastica indignis denegandæ,494.a
Dilatio V.Mora.
Dilectus Deo & hominibus ex quibus signis colligi possit,117 b
Dilectio inimici V.inimicus.
Dionysius Carthusianus cellam deserens, ab avicula reducitur,359.b
Discalceatorum Ordo qualis sit,377.b
eos sibi desponsavit Christus,385.&c.
Discalceati cælum ingredimur,377.b
Discretio virtutum est auriga,24.b
qualis debeat esse Confessarii,541.a
Disciplina per virgam denotatur,106.a
severitas disciplinæ non repugnat mansuetudini 106.b
militaris rigida est.ibid.b
religiosa qualis sit.ibid. V. Carthusiani. religiosi.
Divitiis quasi capillis, pedes Christi, id est, pauperes tergendi,39 a
in iis quidam ponunt beatitudinem,280.b
quàm difficilè divites cælum intrent,294.a
quomodo possint per foramen acus intrare, ibid.
quomodo possint salvari, ibid.
in pauperum sinum debent divitias d[illegible] ibid b
V.Temporalia.
dives renax est.125.a
Docere quomodo fœminis permissum,273.a b
Doctores canes sunt,133.a
Venatores sunt, V.Venator io sest. Sim. Judæ.
Doctor mellifluus S. Bernardus indigetat[illegible] 192.a
Doctores Ecclesiæ soles sunt.226.a
Doctoris Parisiensis mortui historia,354.b
hæc probatur authentica,355.a
V.Jesus, magister.
Doctrina Christi humilis est, & quare,626.a &c
V.Talentum.
Dolore solùm Dei regnum emitur; non vero [illegible] pecunia &c perdita recuperantur,119.a
minimum in aversaoru multi, qui tamen mul[illegible] pati sibi proposuerant,55.b
ægri dolores superaot omnes vitæ hujus austeritates,161.a V.Morbus.
Dominæ possunt esse omnes virgines & domicellæ,& quare,412.a
cur meritò Dominæ vocantur religiosæ. 218 b
Dominis servire duobos nemo potest, 115. & V.Victor.
Dominicis diebus & festivis venationem interdictam horribili eventu probatur,418.b
S,Dominicus Cherubim ante paradisum Ecclesiæ,hæresum noctem depulit,125 b 132.a
filius æterni Patris cum Jesu in corde spectandus proponitur,124 b
amore Jesu omnia in pauperes distribuit. ibid.
canis est,125.a
ejus contemplativa & activa vita,ibid b
oratio ejusdem omnipotens,Ibid.
illius miracula Christi comparantur,126 a
imperium in dæmones.Ibid b
innumera ex aliorum cordibus expulit pecca[illegible] 127.a
æterno Patris filio confertur,127.b
majora Christo patravit miracula,128 a
mundum ruentem sustinuit,Ibid.
reformator est Ecclesiæ,Ibid.b
filios per orbem dispersit prædicando e[illegible] lium,129 a
ob scientiam Cherubim comparatur,ibid.b
hæreses extirpavit,ibid
fuit stella in medio nebulæ,Ibid.
ejus tempore Ecclesia gravem passa est p[illegible] cotionem ab Albigensibus,130 a
varias è variis regois hæreses extirpa[illegible] Ibid b
præcipuos hæreticos convertit,131.a
ejus scripta ab igne illæsa fuêre,Ibid.
in peccatores gladium convertit 135.a
quantum cælestis ipsius sapientiæ flum[illegible] 137 a
ejosdem in corpus suum austeritas,139.b
lecto igneo scorti libidinem extinxit, 71 b
Domitiani leo prædâ abstinet, & domino [illegible] 431.a
Domum S.Thomæ Apostoli nullus infidel[illegible] test inhabitare,611. a

Dona data non tantum, quantum labore & venatione capta æstimantur. 430 a
Dona & talenta cuique Deus sua dedit. 574. &c.
Dona an, & à quibus non suscipienda. 676 b seq. V. Talenta.
Dotes V. Talenta.
Dux bonus exercitûs quanti æstimandus sit? 80 b
Dux Moyses eligitur. 81 a
Dux Ignatius eligitur, 80 b
Ducis est pro patria mori. 93 b
Ducem decet mansuetudo. 100 a

E.

EBrietatem musica temperat. 507 b
vigetin Encœniis. 737 seq.
Ecclesiæ status ante S. Ignatium qualis fuerit. 79 b
Paradiso comparatur. 124 a 132 a
ejus reformator S. Dominicus. 128 b festo Domin.
Ecclesiæ dedicatio. 736 seq.
ejus typus somnium Jacob. 740 a
quales contineat thesauros. Ibid. b
indecentia in ea, & rata frequentatio perstringitur. 741 seq.
avara parsimonia erga eas carpitur. 742 &c.
in ea orario publica in necessitate instituenda. 744. seq.
Dominici tempore gravem passa est persecutionem. 130 a
per orbem est extensa. 211 a
Ecclesiæ brachium Paulus & Xaverius. 570 a
ejus restaurator S. Franciscus Seraph. 341
probat per SS. Patres Conceptionem B. Virginis immaculatam. 592
V. Dignitas.
in Ecclesiæ Encœniis Christiani Baccho & Veneri dediti. 736. seq.
V. Encœnia.
Ecclesiasticis gloriosum est remittere injurias. 631 a
Eduardus I. Rex Ang. cure aveæ ferreæ inclusus. 456 a
S. Eduardus nil negabat petenti in honorem S. Joannis 682.
Eleemosyna fidel. animarum in purgatorio lytrum est. 459 a
conditiones duæ, quibus sub præcepto tenemur eleemosynam dare: & quidem non solùm in extrema, sed etiam gravi necessitate. 472 a
Elementa sunt in continuo motu. 444 a
Eleonora Imp. qualem subiit mortificationem. 213 b
Eleonora Angliæ Reg. omnes dimisit captivos, 459
Elephas cum canibus concurrit, 430 b
Eliæ currus igneus à Poëtis descriptus, 16 b
curru humilitatis & paupertatis in cælum evectus, 17 a
ejus summa miraculorum potestas. Ibid.
primus Dux & Princeps Monachorum fuit. 18 b
currus patientiæ ei debetur. 20 b
curru zeli & charitatis fuit vectus. 22. a
ejus pallium Scapulari comparatur. 25. b V. Pallium.
Elisabethæ accelerata devotio. 6 b
Elogium Annæ & Joachim. 70. b
Elzearius pauperum in litibus patronus fuit. 14 a b
ejus in inimicos mansuetudo. 661. b
Encœnia in Ecclesia usu recepta sunt. 737.
in iis Jesu sæpè perditur. Ibid.
ea Christiani in malos vertunt usus, ebrietatem. &c. 737. 738. &c.
Epigramma ingeniosum ad nomen Anna. 70 a
Episcopus V. beneficium, dignitas, talentum.
Epitaphium Annæ & Joachimi. 70 b
Equestris ordo stellatus ubi, quis, & quando institutus fuerit. 272 b
Equi passionum sunt constringendi. 24 a
Ergâstulum V. carcer.
Esther Mariæ V. symbolum est. 82 b
Ethelburga maritum insigni stratagemate à libidine abduxit. 168 a
Eucarpiæ felicitas in vitibus. 72 b
Eucharistiæ olim irreverentia & injuria. 80 a
in ea an aliquid carnis S. Annæ per Mariam Christo communicatum existat. 63 a
Eucharistiæ reliquias Maria assumpta nobis reliquit. 184 b
in ea carnem & lac Mariæ sumimus. 185 b
reliquiæ Marianæ in Eucharistia quibusdam figuris exponuntur. 186.
eam multæ fœminæ puriùs vitis participant & tractaut. 274.
eâ fideles animæ è purgatorio liberantur. 460
eâ accendæ, quæ nudo pectore incedunt. 478 a
in ea sensus captivandi. 606 b
in ea noluit nisi per fidem videre Jesum S. Ludovicus. 607 a
quando pueris ministranda. 694 b
V. Communio, Fides.
Euclio V. Avarus.
Euphraxia quomodo dæmonem superarit. 113 a
Excubiæ in custodiam urbium & Principum institutæ sunt. 101 b
quàm strictæ servandæ. 302 a V. Vigiliæ.
Exempli vis efficax. 48 a 140 b 211. 215. &c.
bono alii ad sequendum invitantur. 215 a
ad virtutes unus, qui exemplo præsit, satis est. 216 a
familiæ & regna unius exemplo converti possunt. Ibid. b
Theodosii exemplo luxus Romanus sublatus est, 217 b
malo multi pervertuntur. 218 b
Exemplum malum, sive laudator sceleris, tympanista est diaboli. 221. b V. mulier docens.
Exemplum Christi quomodo imitari debeamus. 346 a b 376 a &c.
omnibus bonum exemplum: filiis parentes &c. exhibere debent. 347. b
V. Imago, imitatio.
Exercitia Ignatii hominem transfigurant. 88 a
per ea mirè Sacerdos mutatus. Ibid.
à dæmone & malevolis sunt impugnata. 89 a
contra ea calumnia sparsa eliditur, Ibid.
Exercitus. 80 b V. Dux.

F.

FAciei muscas seu emplastra quæ invenerunt, tympanistæ sunt diaboli. 222 a
ut facie sic moribus multi sunt varii. 403.
facie deformes, sæpè sunt pulchræ mentis. 580.a
V. Fucus, imaginatio, muscæ, similitudo, vultus.
Fama homini necessaria ex similitudine tormenti bellici. 383. a
eam nihil curavit S. Theresa. Ibid.
innocentum famam tuetur Deus. 692. &c.
Familia tota unius exemplo converti potest, 216. b
Familia per filias propagatur. 257. b
per quas & nobilitatur. 258. a
eam quænam fœminæ illustrarint. 268. b
quis verè ejus gubernator. 277. b
Familiaritas cum potentibus periculosa. 679. a
tragici exitus eorum, qui Regibus nimis familiares. Ibid. b
cum Deo citra periculum est & honorifica. 679. seq.
abusus gravissimi, si infidi in familiares assumuntur. 674. b
Familiaritas alterius sexus vitanda. 677. a
V. Amicus, charus, senes.
Famuli famulæque ob defectus dimittendi. 109. a
V. Subditus. Superior.
Farina Elisæi quid denotet. 56. b
Fastidia Confessario devoranda. 541. a
Fatidicos fortunæ libros consulentes quàm malè agant. 522. a
Favor humanus. 120. a V. placere.
Felicitas Metelli. 448
Feræ musicâ delectantur, 510. a
Festinus V. Velox.
Festivis diebus interdictam venationem horribili eventu probatur. 428. b
ex festo miraculis claro, immaculata Conceptio B. M. V. probatur. 601. b
V. Encœnia.
Fici cum spina colloquium. 65. a
Fides humana libertati & vitæ præferenda. 616. a
exulat curiis. Ibid.
deest in contractibus & mercibus. ibid. b
non nisi per fidem voluit S. Ludovicus Jesum in Eucharistia videre. 607. a
visus in ea captivandus. ibid.
Fides quomodo ex auditu. ibid. b
odoratus quomodo in obsequium fidei captivandus. 608. a
Item quomodo gustus. ibid. b
quomodo tactus. 609. a
ex ea hæretici martyres mortui. Ibid.

Fides de omnibus triumphat virtutibus. Ibid. b
eam longius S. Thomas aliis Apostolis promulgavit. 610. a
eâ pertinaciam vincere quantæ sit virtutis. Ibid.
infidelitas Thomæ quantum orbi contulerit. 611. a
vera fides apud paucos invenitur. Ibid. b
Fides Antonii. 612. a
refutatur, fidem sine operibus salvare. 612. b
defectu fidei omnia patrantur peccat[illegible]
melior nulla fides quam ficta; & hæc pe[illegible] fide dæmonum. 614. a. b
humana vix in terris reperitur. Ibid.
eam violantium pœnæ. 615.
eam quomodo laudabiliter servarit erga Carolum. V. Franciscus I. Ibid. b
Fides virtutum est radix. 606. a
eâ David Goliath prostravit. Ibid. b
quantum valeat. Ibid. &c.
in obsequium fidei, præsertim in Eucharistia, sensus captivandi. 606. b
Fiduciam debemus Angelo Custodi in grati[illegible] nem. 314. a V. Fides.
Filii & filiæ boni & non corrupti Deo offeren[illegible] 491. b
quomodo educandi, & instituendi. 60 a
Filiam S. Anna, & illa exemplo hujus filium D[illegible] consecravit. Ibid.
ex filiis parentes cognoscuntur. 66. b
Filium quàm filiam expedit genuisse ob m[illegible] malitiam. 255. a
deinde ob familiæ propagationem. 25[illegible] b
sancti masculos genuêre. Ibid.
Filius non filia nobilitat familiam. 258. a
Filiæ cautè custodiendæ. 261. b
Filias natas quàm malè mariti execrentur 269. a
ob avaritiam parentes filios, & filii parentes necant. 282. &c.
parentum bona parcè custodita, sæpè dilapidant. 289. b
Filias lascivè ornatas à sacris arcentes, minus pec[illegible] carent parentes, &c. 478. b
tanquam primitiæ Deo offerendæ sunt. 486.
religionem ingressuræ non impediendæ. 48[illegible] a
V. mulier, patens, proles.
Flagellationes quorundam. 140, &c.
Flamma V. martyr.
Flavia Domitilla cum tota familia fuit [illegible] 217 a
Florentini curruum sunt inventores. 21. b
Florinda crines suos inæstimabiles, ut Melanthum redimeret, vendidit. 35. b
Flos florum Maria est. 487. b
Flores non folia amat Deus. 65. a
eorum luxus: teguntur contra gelu, & pa[illegible] tes nudi sunt. 473. a V. primitiæ.
Flumina 4. paradisi quænam, us Ordo S. Do[illegible] similis. 137. a
primus fluvius cælestis sapientiæ. Ibid.
secundus lacrymarum. 138. a

Flumen quantum è parva pluvia enasc[illegible] 136. a
Flumina sanguinea manant è Martyrum corp[illegible] bus. 141. a
Fluvius cælestis consolationis. Ibid. b
Fœminarum luxus in capillis. 31. b
multos capillis suis seducunt. 32 a
Fœminas omnes S. Anna antecellit. 68. b
sunt tympanistæ diaboli. 220. b V. m[illegible]
Fœtus V. imaginatio. pictura.
Folia arboris quidnam denotent. 66 b
Fructus non folia amat Deus. 65
Forma V. facies.
Fortitudine illustres fœminæ quænam [illegible] 26[illegible]

quænam virtute bellica fortes.ibid.b.407.b
fortitudo christiana in quo consistat.411.a
variorum.415.b
corporis est in brachiis.570.b. V. martyr. victor.
Fortunam adversam gentiles contempserunt. 527.a
hæc quo animo sit ferenda.ibid.
ad hoc juvat adversa præmeditari.ibid.b
multi bonâ,mox adversâ,& contra volvuntur. 528.a
nemo in hac & altera vita potest deliciis affluere. 529.a
qui nunc adversâ, postea prosperâ fortunæ rotâ volvuntur.ibid.b
Israelitæ fortunam Deam adorarunt.521.b
ei templa dicata.521.a
Christiani fortunæ sunt idololatræ.522.a
quàm male agant fatidicos fortunæ libros consulentes.ibid.
quàm stultum sit fortunam credere Deam.ib.b
nil à fortuna,omnia à Dei providentia dependent.ibid.
fortunæ rota vitæ denotat fugacitatem.523.a
eam fortiter calcavit S.Catharina.ibid.b.526.b
fallax,transitoria,brevis est.ibid.
secundam Sancti timuerunt.524.a
Catharina secundæ fortunæ illusit.525.a
fortunæ suæ quisque faber est.ibid.b
contra ejus volubilitatem seu adversitatem salubre documentum.526.a.V.adversitas.
Fortuna belli Caroli V.84.a
item Metelli.448.
Fragilitatis speculum.318.&c.
fuit Jezabel,Isabella,&c.ibid. V.speculum.
Francisca Romana quomodo dæmonem abegerit.113.b
familiaris fuit Angelo custodi.309.b
ejus obedientia erga Confessarium, quæ licèt rapta,ei tamen obedit.553.b
Francisci Salesii humilitas.237.a
Francisci Paulani ope mascula proles impetratur. 258.a
Francisco Borgiæ fuit fragilitatis speculum mors Isabellæ.318.b
ejus consilio Carolus V. regno se abdicavit. 323.a
quomodo fastum oderit.ibid.b
quomodo iram moderarit: paupertatem coluerit.324.a.325.a.330.b
ejus temperantia.325.b
mundo mortuus,in Deo fuit absconditus.327.a
mortificatione quotidie fuit mortuus. ibid.b
Franciscus Seraphicus per omnia Christo assimilatus; præsertim in paupertate.334.&c.
nudus nudum vicit dæmonem.335.b
quam ardenter sibi sociisque paupertatem exoraverit.336.a
Christo fuit similis in humilitate.337.b
quomodo se peccatorum maximum dicere potuerit.339.b
profundissimè humilis fuit.341.a
orbis & Ecclesiæ fuit restaurator. ibid.b
in ejus nativitate omnes Angeli gavisi sunt. 342.a
cupidus fuit martyrii.ibid.b
Christo crucifixus fuit.345.b
Christi vestibus indutus purpureis.347.a.&c.
Christo similis in passione,&c.348.a
cum Christo unus fuit.350.a
in Christum transformatus fuit per stigmata. ibid.b
quæ authoritate pontificia & miraculis confirmantur.351.a
fuit Angelus Apocalypticus.ibid.b
Franciscanorum quot sunt.337.a
eorum Ordo ad quidam stitutus.343.&c.
quas orbis partes ob conversionem peragrarint,344.a
Franciscus I. quomodo laudabiliter fidem Carolo V. servaverit.615.b
Frans V. Fides.616 b
Fructus bonorum operum amat Deus.65.a
Fruges V. primitiæ.
Fucos adhibere meretricium est.398.a
quantum à SS. Patribus detestati.ibid.
fucata mulier notam familiæ & marito inurit. 399.a
inventi sunt à diabolo.ibid.
mulier fucis & stibiis malâ intentione utens, peccat mortaliter.ibid.b
at sine mala intentione usurpans; prævidens tamen malum secuturum, qualiter peccet. 400.a
qualiter peccet usurpans ut formosior sit.400.a
morale de fucis & purpurissis sacris.ibid.b
V. facies. muscæ.
Fuga sæculi celeriter arripienda,6.b
Funes de capillis matronæ Rom. nexuerunt. 32.a

G.

Gaudenbergh primò typum Moguntiæ confecit.176.a
Geminorum mutui affectus.349.a
Gemmeæ vites. 72.b
tali S.Ursula cum sodalibus ingeniosè insculpta.414.a
Gemma inæstimabilis cujusdam Cardinalis. 298.
tali comparatur anima humana.ibid.
Gentiles christianam veritatem fabulis descripserunt.16.a.&c.
Germanus certâ veste depingi non potest.402.a
Gladium verbi Dei S. Dominicus in peccatores convertit.135.a
quanta calamitas Israelitis ex defectu gladii imminuit.ibid.b
Gloria Dei semper quærenda.90.a.&c.
ex quæsita Dei gloria quinam nascantur fructus.91.b
eam S. Ignatius sedulò quæsivit.90.b
Gloriæ cælestis corona qualis futura.387.a
ejus quanta sit præstantia.464.a
V. Beatitudo.
Gloria vana omnes afflat,etiam sanctos.90.b
ex virtutibus nascitur.ibid.
quantum vitanda omnibus: & quàm stultum ob eam operari.92.b
eam maximè fugit S.Ignatius.93.a
Goezius peccator lacrymis Jesu è pictura fluentibus conversus.631.a
Gratiæ omnes non omnibus datæ.581.
data est unicuique secundùm mensuram.576.b
quales

quales datæ B. Mariæ V. Apostolis, &c. ibid.b
V. Talenta.
Gratitudinis officia Angelo custodi exhibenda. 310.a
Gratitudinis prima pars est memoria beneficii. ibid.
secunda est compensatio, de qua vide comparationem.ibid.b
Gratitudinis quadruplex est officium.310.b
Gratitudo animarum defunctarum.465.a
quàm sit laudabilis.ibid.
V. Angelus.
Quàm pulchri sunt Gressus tui, explicatur.575.&c.
Gubernatur navis qualis esse debeat.277.b
Guisii D. Lotharing. disciplina militaris.107.b
Gulam enervat mortis meditatio.325.a
V. Temperantia.
Gustus quomodo in obsequium fidei captivandus.608.b

H.

HAbacuc crinibus arreptus quid denotet. 306 b
ejus prandium quid designet.460.b
Habitus V. Vestis.
Hæreditatem injustam ut mulier avara adeat, omnia meditatur scelera.281.b
Hæredes multi in parentes defunctos ingrati. 459.a
V. Animæ fideles.
Hæreses quales S. Dominicus extirpavit.129.b &c
qualis Albigensium hæresis.131.a
Hæresum incentrices fœminæ.259.b
tales facit avaritia.284.b
Hæreticorum malleus S. Augustinus.242.b
eorum conversores plurimi.243.a
Hæretici moderni nullis inveniuntur miraculis. 131.b
Hæreticis Deus singulares Sanctos opposuit adversarios.79.a
pœnitentias execrantes refutantur.163.b
sunt canes venatici stygii venatoris.427.a
eorum sannis contra S. Reliquias responde- tur.571.a
sunt martyres diaboli.609.b
Harmonia mundi.501.a
Haustus sanitatis est calix passionis.47.a
haustum amaræ potionis prægustavit. Joannes II.R. Lusitan. ut ægrum ad eundem alliceret. 48.a
amicitiæ qualis olim usitatus.49.b
haustum prægustarum Cyrus ad subditos mittebat amoris testimonio.50.a
quidam in sanitatem amasiæ vitro exhausto, idem dentibus comminuit, eoque devorato expiravit.51.a
exhaustu sanitatis conversio latronis emanavit.51.a
Hedvvigis in debitis solvendis velox.13.a
Heliogabalus curru à nudis fœminis tractus. 20.b
Herodis viris aurea & gemmea.72.b
ob occisos infantes miserè cruciatus.687.
Hippomanes Atalantam pomis aureis in cursu decepit.6.a
Hirundinum & cygnorum apologus.354.a
quid denotent.ibid.
Historia Doctoris Parisiensis d[illegible] authentica.354.&c.
Hollandia dives lacte 574.
Homicidiorum origo avaritia.282.a
Homicidæ unde cognoscantur.643.b
Homo arbori comparatur.66.b
ex lingua, &c. cognoscitur qualis sit.[illegible]
malus an bonos fructus possit profer[illegible]
ejus cum Deo & diabolo prælium.78.a
hominibus & Deo simul placere di[illegible] 115.a
quomodo autem id fiat.117.a
miseri sunt, qui ut hominibus placeant [illegible] displicent.120.a
omnes beatitudinem appetunt.280 a
organum est.502.a
ei musica est connaturalis.ibid.
à nativitate ei custodes dari.298.a
ab Angelis velut gemma, & meliùs quam rentibus, &c. custoditur.298.&c
belluâ est ferior.324.b
homo pictus est à Deo.392.b
quàm præstans sit Dei imago.ibid.
nunquam in eodem statu permanet.444.[illegible]
instabilis quoad corpus.445.
interior ejus instabilitas.ibid.
variæ ejus cogitationes & evagationes.ibi[illegible]
ejus passiones.ibid.
varias personas & vultus induit.ibid.b
si homo varius, quomodo ad imaginem Dei immutabilis creatus? 446.a
potentiæ animi ejus variæ.ibid.
V. Adversitas.fortuna.imago.talenta.
homines pisces esse, ex variis proprietatibus eruitur.535.a
Homo hominem devorat 536.a
mites homines cur Dii appellentur.566.b
cuiq; sua dona, & defectus permittit [illegible]
omnis homo scire desiderat.621 b
mortuus præsente occisore sanguinem f[illegible] 643.b
V. Deus. Nativitas.
Honestè foris & domi incedendum.476 b
Honoris cupidis & ambitiosis nil ardu[illegible]
Honore ne te extollas, ubi parvus Jesus [illegible] i at.629 a
ad tales evecti pauperes.638.a
honore nihil melius.678.a
nil etiam periculosiùs.679.a 233.a
quod ostenditur variis variorum ex[illegible] ibid.
V. Humilitas 197.a
V. Dignitas.familiaritas.parvulus.ina[illegible]
Honorati viri humilitas rara.232.a
viles homines honoribus facile [illegible] ibid.
pro honoribus contendentes discipulos [illegible] stus reprehendit.620.a
Honoribus magni vulumus esse omnes.6[illegible]
Horæ canonicæ. V. Cantus.
Horatii Coclitis animositas.94.a
Hortus conclusus Maria & Sanctimonial[illegible]
Hortorum varia genera.123.b
Hostia immaculata non corrupta Deo off[illegible] 492.b
Humbelinæ à S. Bernardo conversi[illegible]

Humilitas Eliæ curtui comparatur. 17 a
ea Eliam in cælum evexit. Ibid.
quid sit. 90 &c.
Humilitatis magistra apis,& S. Bernatdus. 194 b
Mariæ & Joannis Baptistæ Ibid.
rara humilitas honorata,Ibid.232 a
fundamentum virtutum est. 231 b
S. Augustini,Ibid.
Thomæ Villanovani. 232 a
Humilitatis vindex Angelus custos. 308 b
Francisci Borgiæ, 323 b
Francisci Seraphici. 337 b &c.
sese humiliandi modus. 340 a b
cuique homini suos defectus permisit Deus. 575
Humilitate parvos nos esse vult Deus; hinc discipulos de majoratu contendentes reprehendit. 626 a
Humilitatem Jesu quænam virgines edoctæ.628 a
tradit nobis Jesus lectionem humilitatis & paupertatis.Ibid. a
Humilians se parvulus Jesus, videat homo, ne se extollat.629 a
V. Parvulus.
Humores pravi in carcere expurgantur.456 a
expurgantur in purgatorio. Ibid. b

I.

JAcob somnium est typus Ecclesiæ 740 a
Jacobus Apost. dilectus Deo, calicem passionis bibit. 50 b
calicem passionis, amicitiæ, & æternæ voluptatis bibit. 46. per totam.
suadet juveni deperdito ad S. Annam recurrere. 62 a
Jejuniis &c. S. Ursula colitur. 420 a
Jephte filia quid denotet.331 a
Jesus non hominum solùm,sed Angelorum est Doctor. 622 b
magister non auditur. 623.a
concionator est. 624 b
Jesu concionatoris conditiones.625 a
quomodo eum imitari debeamus. Ibid. b
ejus doctrina humilis.626 a
ideò humilis, ut nos efficiamur parvuli; hinc discipulos de majoratu contendentes reprehendit. Ibid. a
ejus humilitas maxima. 627 &c.
parvulus natus docet nos esse parvulos debere. Ibid. b
in paupertate scil. & humilitate.628 a &c.
ejus humilitatem quænam virgines edoctæ, Ibid.
puer Jesus clamat è præsepio, & tradit lectionẽ humilitatis & paupertatis. 627 b
sese humiliat,ne homo se extollat. 629 a
Jesus orator quomodo patheticè dicat.630 b
ejus lacrymæ nostras exorant. Ibid.
peccatrix per infantiam & lacrymas Jesu omniũ peccatorum veniam impetrat. Ibid.
lacrymis Jesu è pictura fluentibus Goëzius conversus. 631 a
cum Jesu nato quomodo renasci debeamus. Ibid. b
parvuli Jesu proprietates imitari debemus. 636 a
quomodo placari possit. 637 a
ejus paupertas & castitas imitanda. Ibid. 638 b
obedientia ejusdem imitanda proponitur. 639 a
super Jesu pectus vera quies.669 b
ejus cum anima amicitia in quo consistat. 670
Jesu magistri encomium.624 a
est vitis terræ promissionis.71 b
est cantor musicus.502 b
ejus pulchritudine Bonifacius abripitur,6:0 b
ob eandem latro Jesu pepercit.621 a
præceptor proponitur. Ibid. b V. Christus.
quomodo in encœniis perditur. 737 b
Jezabel fragilitatis speculum fuit.318 b
oculos stibio depinxit, 398 a
S. Ignatius exemplo Jesu in stabulo natus: 637 a
de S. Ignatio vaticinium. 78 b
Luthero oppositus. 79. a
velut alter Moyses mira docet. Ibid. b
ejus visio de oblatis duobus vexillis in bello adversus hæreses utendis. Ibid.
ei accommodatur elogium S Chrysostomi. 80.a
novæ militiæ dux à Deo statuitur, ut educat homines è servitute diaboli. Ibid. b
ut Moyses, ita Ignatius dux eligitur. 81 a
rudis & ignatus eligitur. Ibid.
ejus quænam tyrocinia. 82 6
Deum in omnibus consulit. 83 b
ejus facies ut Moysis radiavit. 85 b
præ fulgore nequit depingi. 86 a
in oratione SS. Trinitatem cognoscit. Ibid. b
omnia ad majorem Dei gloriam fecit. 90 b
vanam gloriam fugit Ibid. &c.
comparatur in humilitate Moysi. 91 b
ejus zelus: pro proximo vitam exposuit. 95 a b
ejus charitas cum Moysis & Pauli comparatur. 98 a
ei laus Pauli accommodatur. 99 a
ejus quanta mansuetudo. 101 b
monstra placavit. 104 a
Novitium tentatum lenitate curat. 105 a
Pastorem sibi insultantem placidè audit.Ibid. b
nobili colludit.Ibid. b
levia delicta graviter punit. 106 b
in minimis servat disciplinam. 107 b
immorigeros dimittebat. 108 b
castitatem à suis sanctè servari voluit. 109 b
ejus baculus Moysis virgæ confertur. 111 a
umbrâ dæmonem fugavit. Ibid. b
ejus imago dæmones domibus expellit 112 a
dæmones item invocato ejus nomine fugantur. Ibid. b
Deo quare fuit dilectus. 117 a
ejus gloria. Ibid. b
divini in eum amoris signa. 118 a
dilectus fuit hominibus præsertim domesticis. 119 a b
Item pontificibus, regibus,&c. Ibid. b
V. Exercitia.
Ignis vi Scapularis superatus. 26 b
sublunaris v. c. candela cur à Sole extinguatur. 156 a
Ignis divinus Laurentii sublunarem extinxit. Ibid. b
Ignem quinam martyres gloriosè superarint. 157 a &c.

purgatorii idem qui inferni: ille comparatur pœnis Christi. 460. a
Imaginationes mulierum prægnantium fœtui imaginem imprimunt. 394. a
ex sacris picturis speciosam prolem similes imaginationes expresserunt, 395. b
ex fœdis verò monstra. ibid.
Imago S Ignatii in domibus contra dæmones habenda & colenda. 112. a
Imago Dei an sit fœmina. 258. b
Imago multum movet. 391. b
Imaginem Christi habuit Tiberius & Abagarus. 392. a
qualis imago Dei sit homo. 393. a
Imago animæ præstat cæteris picturis. ibid. b
V. imaginatio, pictura.
Imago hominis immutabilis fit. 401. b
quomodo immutabilis, cum homo sit mutabilis. 446. a
B. Virginis immaculate conceptæ veneranda. 603. a
ex hac varia miracula. ibid.
ad Imitationem quid excitet. 216.a &c.
V. exemplum, imago.
Imperatore inconsulto miles nil aggredi debet. 83. b
Imperfectiones in purgatorio, minimæ expurgandæ. 457. a
Imperium quidam ob illustre nomen adepti. 19.b
Imperium adolescentiæ neutiquam committendum. 24. a
Imperium clementiâ stabilitur. 102. a
imperando minus, quàm rogando impetratur. 102. a
ad imperia evecti parvuli. 629. b
V. officia.
Impiorum lecti quinam? 170. 166. a
Impudicorum pœnæ. 357. a
per ranas puniti. ibid.
V. pictura, vestes.
Inconstantia cœlo pulsa, orbi imperat. 444. a
Inconstantia rerum humanarum in fortuna signata. 521. a
hominis vide, homo, fortuna.
In Indias Rosarium devectum. 145.b
Indiscretio valdè noxia. 25. a
Infamantium alios pœnæ. 108. b
Infamias varias tulit Theresa. 382. b
Infernum quomodo tollerabimus, qui hic nelevem æstum tolerare possumus, 170. b
quantæ ejus pœnæ. 169.
ejus memoria à peccatis abducit. 172. a
ab eo Maria prælervat. 177. a
V. Maria, damnatio.
Inferni meditatio cellam suavem reddit. 359. a
Infidelitatem vincere quantæ virtutis. 610. a
nullus infidelis ædem Thomæ inhabitare potest. 610. a
Ingenium sæpe tribuit, quod negat natura. 578. a
b. V. talentum.
Ingratitudo est Deum non redamare. 667. a
V. amor.
Inimicorum dilectionem impossibilem esse refutatur. 644. a. &c.
quomodo igitur diligendi. ibid. b
magis meritorium est inimicum quàm amicum diligere. 645. a
Inimicorum dilectio quantas afferat [illegible] 646. a
eis remittere gloriosum est. 648. a
David & alii Principes non sumpsêre de ini[illegible] cis vindictam. 649. b
ecclesiasticis præsertim gloriosum injurias i[illegible]micis remittere. 651. a
infelices eorum exitus, qui iis nolnerunt i[illegible] scere. 651. b
omnes creaturæ doeent nos, benefac[illegible] esse iis, qui nos oderunt. 654. a
inimicitia Religiosorum quæ noxia sit. 654. b
cur inimicis condonandum. 655. a. &c
iis benefaciendum, & diligendos docent [illegible] Gentiles. 656. a
quam in suos persecutores & peccatores Ch[illegible] stus fuerit benevolus. ibid.
quomodo juxta conscientiam quis se ger[illegible] debeat eum inimico in salutando, veniam p[illegible] rendo. 657. b
pro iis orandum est. 659.
quis fructus ex oratione pro iis. ibid.
iis ignoscere martyrio comparator. 660. a
Orationis Christi pro inimicis paradigma. ibid. b
pro his orantium mors tranquilla. 66[illegible]
Inimicos suos quomodo S. Theresa tolerarit. 383. a
V. injuria, oratio.
Injurias remittere gloriosum est ecclesiasticis & quales hoc fuerint. 63. a. b
remittendæ sunt Dei exemplo. ibid. b
præsertim si filii Dei esse velimus. ibid.
Injuriæ remissio necessaria est ad salutem. 652. a
eas remittere, docet nos Sol beneficentiæ typus. 657. a
æquo animo sunt tolerandæ. 324. a
sic tulit eas Theresa. 382. b
an & quomodo ferendæ. 645
eas remittere confert pacem animi & corpo[illegible] 646. a
gloriosum est illas remittere. 678. V. inimicus vindicta.
SS. Innocentum sanguis in cœlum clamat, eorumque Deus singulariter miseretur & c[illegible]lo dit. 686. seq.
eorum occisor Herodes miserè cruciatus 687. b
Innocentum hominum oppressores nunqua[illegible] quieti sunt, sed miserrimi ibid. b.
quinam innocentes læsi vel occisi ad Dei[illegible] nal appellarint. 688. a
solatia pro innocente dum injuste patitur. 6[illegible] b
Deus eos eorumque famam tuetur. 691 [illegible] q
innocens licet in hoc crimine, alterius forte [illegible] pateris. 693. seq.
Inobedientes è religione dimittendi. 108. b.
Insignia paupertatis quænam? 638. a
Inspirationes S. Angeli Custodis in hominibu[illegible] 306. b
Inspirationes per Angelum Habacuc factæ quid denotent. 306. b.
Institutio filiorum & filiarum. 60. a
V. Filius.
Insulis comparantur claustra monalium. 72[illegible] a
Intellectus, V. talentum.

Inventor. V. Exemplum.
Invidis hominibus simul & Deo quis placere non potest. 116 b
Joab partam victoriam Davidi non sibi tribuit, 90 a
Joachim V. Anna.
B. Joannes Angelus familiarem & famularem habuit Angelum Custodem. 300 b
ad S. Joannem Baptistam quomodo, & cur Christus & Maria festinarint. 2 a
S. Joannes Apost. dilectus Christo calicem passionis bibit. 50 b
Calicem passionis, amicitiæ, & æternæ voluptatis bibit. 46. *per totam.*
S. Joannem Christus magno honore & favore prosecutus est. 664 b
ejus encomia. Ibid.
quantum fuerit Deo dilectus. 667 a
præ cæteris à Christo dilectus. Ibid. b
ei peculiaria amicitiæ signa exhibita. Ibid.
fuit Christi Benjamin. 668 b
veram quietem super pectus Jesu hausit. 669 a
arcana ei omnia Jesus communicavit. Ibid. seq.
præ cæteris dilectus, quòd Mariæ in filium traditus. 671 a
Joannes quantum dilexerit Christum. 672 b
ob tria peculiariter dilectus. 673 b
quia Christi dilectus, in omni necessitate patronus invocandus, quòd apud Deum omnia valeat impetrare. 682 a
in S. Joannis honorem petenti S. Eduardus nihil denegabat. Ibid.
Joannes Austriacus quomodo à Philippo R. pro fratre agnitus. 437 b
Joseramnus ex dilatione solvēdi debiti duos filios viduæ enecans, morte luit. 13 a
Joseph cur scyphum sacco minoris Benjamin imposuerit? 50 a
Joviniani superbia per Angelum vindicata. 308 b
Ira frangitur mortis meditatione. 324 a
Iram vincendo optimus victor eris. 409 b
Iram temperat musica. 505
V. inimicus, injuria, vindicta.
Irreverentiâ potest peccari mortaliter. 480 a
in officio divino. 516 a 613 b
Isaaci pictura movit ad lacrymas. 391 b
Isaac cum Rebecca quid denotent. 705 b
Isabella fuit Francisco Borgiæ fragilitatis humanæ speculum. 318 b
Israelitæ fortunam adorarunt Deam. 521 b
Itinerantibus Angelus Custos invocandus. 306 a
S. Judas V. Simon.
Judas cur Deum vendidit. 288 b
quinam sectatores Judæ. 289 a
Judicii extremi signa terribilia; & quantum illud Sancti formidarint. 181 a
in eo præcipua advocata est Maria 182 a
peccata electorum in eo cedent illis honori. 256 b
ob judicis tribunal & sententiam mors terribilis. 722 a
Judicii interni cathedra conscientia. 359 a
Judicio proprio non nimium fidendum. 238. 239 &c.
V. Innocens, tribunal.
Judithæ pudicitia per Angelum servata. 307 a
ejus exemplo quomodo sæcularibus in solitudinem secedendum. 358 a
Juliana exemplo S. Annæ filium Deo consecravit, 60 a
Jupiter Phidiæ præclarissima omnium statua fuit. 334 a
Supremus Deus fuit habitus, quia misericors. 566 b
mane dabat unâ horâ audientiam. 497 b
Justi tres lectulos, patientiæ, pœnitentiæ &c. habent: 160 a
iis patientiæ lectus quam sit quietus. Ibid.
Sunt organum Spiritus sancti. 503 b
Ivo pauperum patronus 14 b
Juvenes talentis præditi senibus in muneribus sunt præferendi. 581 b
eorum cum senibus familiaritas suspecta. 676 a

L.

Laborum primitiæ Deo offerendæ 495 a
labores & miserias mitigat musica. 507 b
Pauli & Xaverij V. Xaverius.
Lac Mariæ in Eucharistia sumimus. 185 b
ubi & quando Maria V. Bernardum; & quomodo lactet. 201. 202 V. Ubera.
lacte dives Hollandia. 574
lactando Christum Maria plus meruit, quam martyres patiendo. 63 b
Lacrymarum flumen. 138 a
è lacrymis quantum enasci flumen possit. Ibid.
lacrymarum donum quot & quibus concessum Ibid. b
risibiles quorundam lacrymæ. 139 a
lacrymis solùm Dei regnum, non filij perditi & pecunia amissa &c. recipitur. Ibid.
Catharina Senensis lacrymarum donum habuit Ibid.
juges lacrymæ Augustini. 229 a
lacrymarum impetrandarum oratio S. Augustini. Ibid. b
lacrymis cœlum aperitur: & efferatus Henricus Episc. commotus. 630 a
quantum valeant. Ibid. b
lacrymæ Jesu nostras exorant. Ibid.
per lacrymas & infantiam Jesum peccatrix omnium peccatorum veniam impetrat. 630 b
Goezius lacrymis Jesu è pictura fluentibus conversus. 631 a
lacrymas expressit imago Isaaci. 391 b
Ladislaus jamjam nupturus moritur. 3 a t a
Lapides sacri ædificij sunt religiosi. 7 a
Laquei dæmonis quinam? 433 b
laqueus dæmonis fœmina. 434 b
Lascivus habitus V. cato, cantus, vestes.
Latro ex haustu sanitatis conversus. 51 a
ob pulchritudinem Jesu pepercit. 621 a
latro mundus est. 712 a
Laudator sceleris est tympanista diaboli 221 a
S. Laurentio ignis divinus sublunarem extinxit. 156 b
craticula fuit Laurentio lectus quietis. 158 b
quomodo imitandus. 163 b
Laudando S. Martinum multi oratores Ecclesiæ desudarunt. 469 a

Laudare Deum quomodo quivis possit in organo corporis sui.504.b
Laus Alexandri.469.a
Lectio humilitatis & paupertatis à Jesuoobis traditur.628.a
Lectulus quietus est omnis adversitas,158.b
pro lecto sanctis terra fuit,162.b
Lectus pœnitentiæ,164.a
bonæ conscientiæ semper quietus,ibid b
Lecti Regum Persarum memorabiles,165.a
in Lecto dormivit Augustus in foro,ibid.
Lectus rosaceus Smindyridis, ibid.b
Lecti improborum quinam?166.a
Lectus mortualis quomodo adolescentem à luxuria abstraxerit,168.b
Lectus miseriæ æternæ:& lectus ferreus Og quid denotet,169.b
in Lecto supinus non potuit unâ nocte jacere peccator,170.b
igneo lecto S.Dominicus scorti libidinem extinxit,171 b
Legatio belluina in curru triumphali,24.a b
Lenitas quanta debeat esse Confessarii,541,a
an quandoque obsit?545.b. V.mansuetudo.
Leo III.fecit super altare S.Petri vitem auream & gemmeam,73.a
cum Leone generosi canes concurrunt, 430. b
Leo Domitiani prædâ abstinuit, & Domino obtulit,432.a
Lepori comparatur anima,433.b
Liberalitas Basilii Imp.12.a
Libertas quàm præstans sit,453 &c.
eam cur avibus permittant Turcæ,454.a
ei fides præferenda,616,a
Libri quomodo primùm,& ubi impressi?276.a
obscœni prohibiti,395 b
fatidicos fortunæ consulentes quàm malè agant,522.a
Licurgus à nemine unquam fuit accusatus,182.b
quomodo injurias remiserit,647.b
Lidericus filium suum Joseramnum ob dilationem solvendi debiti morte punivit,13.a
Liliis virgines Religiosæ comparantur,152.a. &c.
Lilia inter spinas sæculares virgines sunt,153.a
Linguæ licentia frœnanda,præsertim concionatori,108.a
Linguæ custodia commendatur,362.b
est universitas iniquitas,363.a
eam non refrænans Religiosus,vanus est, ibid.
potest esse Dei organum,508.a
eâ alii malè , bene alii utuntur,ibid.
dono linguarum præditi Paulus & Xaverius, 566.a
V.cantus,silentium.
Literæ quando , & à quibus non suscipiendæ, 676.b seq.
Lites viduarum & pupillorum cito expediendæ, 13.b
earum dilatores graviter puniti,14.a
Lochen fœmineæ unde?434.b
Loquacitas V.lingua,silentium.
S.Lucas egregius fuit pictor.390.a *toto festo.*
S.Lucia quomodo procum converterit.267.a
Lucifer dux rebellionis fuit,-7.a
ad infernum detruditur,78.a
auctor est peccati.220.
Luctus signum est tonsura crinium,37,b
S.Ludgardis fuit passionis amatrix,104 a
S.Ludovicus noluit in Eucharistia Jesum [illegible] nisi per fidem,607.a
Ludus V.recreatio,lusus,106.a
Lumen majus quomodo minus obfuscat,156.a
Luna in capite, & sub pedibus quid denot[illegible] 179.b
est siderum Regina,406.b
ejus encomium S.Ursulæ applicatur ibid. 416.b
Lusus mundi qualis,710.a seq.
Lutheri defectio orbi bellum indixit,78.b
ei S.Ignatius oppositus,ibid.
Luxuria quàm fœtida,& quomodo ab ea E[illegible] hel burga maritum,& lectus mortualis adolesce[illegible] tem abduxerint,168.a.b
ejus damna,200.b
committitur in encœniis,737.738.
Luxus vestium quid prodest?189.b. V.cap[illegible] res,vestes.
Romanorũ Theodosii exemplo sublatus,[illegible]
Luxûs novi inventores,sunt tympanistæ d[illegible] 222 a
Calceorum,578.a
Vestium V.vestes.
Lytro magno Principes è carcere liberat',458 b
Lytrum animarum fidelium in purgatorio est eleëmosyna,459.a

M.

MAculæ an sint in Sole,591.b
Madera Canariarum insula quales proferat ovas,72.b
Magdalena animas capillis irretivit,30.b
capillis suis Christi pedes tersit,34.a
vanum corporis ornatum ad divinum transtulit,ibid.b
ejus exemplo mirabiliter conversa virgo peccatrix,43.a
Apostola fuit,271.
à Christo venata & capta,430.a
ipsa etiam venatrix fuit,433.a
Magister exemplo debet præire,211,
non uni præ alio faveat,677.b.
cœlestis Christus non auditur,623 a
ad magistrum Platonem relictis ludis & [illegible] taminibus concurritur,ibid.
Magistri cœlestis schola Berhlehem,624.a
hujus encomium,ibid.
magistri 4.conditiones,ut moraliter do[illegible]
Magneticæ acus inventio,quæque semper [illegible] polum,valde est utilis 276.a.b
Magoi volunt esse omnes,627.a.V.parvus.
Magos facit avaritia,284 b
Majoli jugis meditatio mortis,327.a
Mane Jupiter una hora audientiam d[illegible] 49[illegible]
matutinæ preces quam sint bonæ,497.&c
Manifestatio peccatorum,an sit contra hono[illegible] Sanctorum,23[illegible].a
quis inde fructus,ibid.b.V.conf[illegible]ssio
Mansuetudo decet imperatores,& d[illegible]
mansuetudo Christi,ibid.b
eâ Romani regnum stabilierunt,101 a
Davidis,Scipionis,ibid.
Ignatii,Petri & Pauli ibid.b.102 a

ea in adversis maximè attendum.103.a
hæc hominem facit Deum.ibid.b
omnibus maximè superioribus necessaria.ibid.b.&c.
eâ placantur monstra.104.a
an ea præsteut mulieres viris.263.b
mansueti cur dii appellentur.566.
ejus vis.656.&c.
mansuetudo Constantini.650.b
V. discretio,inimicus.
Manibus olim linteo tectis,non nudis communio sumebatur.479.b
per manus major designatur potestas.568.b
V.brachium,digitus.
Mare hujus mundi quinam egressi.213.a
ab ejus periculis Maria salvat.277.&c.
mare mundus est.440.a
quot in hoc mari animarum naufragia.442.a
in eo piscis piscem, homo hominem devorat.536.a
Margareta Reg. nudo pauperi sua manu vestes consuit.471 a
Maria festinat salutare Elisabeth.2.a
agilitatis & velocitatis dono prædita.4 a
velox fuit in operibus charitatis & misericordiæ.5.a.10 b
virginitatis fuit vexillifera.19.a.214.b
monasterium 150. monialium in monte Carmeli instituit & rexit.ibid.
Mariæ fratres sunt Carmelitæ.ibid.b
ex Maria cognoscitur Anna.62.b.seq.
plus meruit Christum lactando, quam martyres tolerando.63.b
ejus ubera botris comparata.ibid.
ex ea velut è fructu cognoscitur Anna.67.a
botrus est terræ promissionis.67.a
est vitis,& palmes.71.b.72.a
omnia ad Dei gloriam fecit.92.a
rosa est.143.b
eam salutantes rosas locuti sunt.144.a
Maria in rosario docet mysteria.145.a
rosarium recitantes,mirè amat.ibid.&c.
rosarii clientibus in necessitatibus succurrit.147.b
Mariam salutando avicula accipitri eripitur.150.a
qui illam colit,impossibile est ut damnetur.ib.b
Mariæ cliens occisus post aliquot annos confessus adhuc est.151.a
sub pallio suo defendit Ordinem S.Dominici.154.b
amicta est Sole 175.a
miraculum est pulchritudinis.ibid.
refugium peccatorum.177.a.&c.
ab inferno præservat.ibid.
an malâ morte defunctos ab inferno liberet.178.a
apud filium multùm valet.ibid.
in judicio extremo est advocata.182.a
ejus symbolum Esther.ibid.b
est misericors.183.a
Birgittæ filium in judicio defendit.ibid.b
assumpta in cælum,S.Eucharistiæ reliquias nobis reliquit.184.b
Mariæ reliquiæ,crines,lac,toga,calceus,indusium,zona,fusum,mappa ubi sint.185.a
Eucharistiam nobis,& in ea carnem, sanguinem & lac suum præbet.ibid.b
marianæ reliquiæ in Eucharistia quibusdam figuris exponuntur.186.b
Api est similis.190.a
S. Bernardum quando, & ubi lactaverit. 201.b
Maria etiam nos lactat.202.a
ab æterno fuit, & omnes eam ætates expetiverunt.251.seq.
quando nata? 253.b
quænam sybillarum præclarissimum de ea oraculum ediderit.ibid. (262.a
Mariæ laus,quod muliebrem sexum restauret.
quanta exercuerit misericordiæ opera.263.b
ejus nobilitas.268.a
omnes mundi sapientes & Doctores superavit.270 b
ejus dignitas cum sacerdotis confertur.273.b
stellæ matutinæ similis.274.b
à mundi periculis salvat.276.b
naufragantibus succurrit.277.a
in animæ periculis ad Mariam respiciendum.ibid.
in maris fluctibus succurrit.275.b
amor noster velut acus nautica Mariam respiciat.276.b
Maria Jesus anagramma.277.b
rerum omnium fuit primitia.485.b
rimula primitias Deo præsentavit.486.a
flos florum est.487.b
primitias suæ virginitatis Deo consecravit.ibid.
virginitatem vovendo, multa millia eam secuta sunt.ibid.
Virginum dux est.487.b
ejus virginitas illustrior omnibus,quia sine exemplo.488.a
Mariæ in templo præsentatæ quid offerendum.498.b
Maria Sol est,in quo nemo maculam reperit.592.a
quod probatur Patribus per aliquot secula.ibid.b
ejus immaculata conceptio quo magis oppugnata,eò magis declarata.594.b
sententia, eam in originali conceptam , ipsis Turcis est scandalosa.595.b
Pontificum diploma de Immac. Conceptio, miraculo confirmatur.597.a
Ordo Prædicatorum accedit ad sententiam Immacul. Concept.ibid.
Maria tota pulchra est sine macula.598.a
falsum miraculum contra ejus Immacul. Conceptionem detegitur.599.a
testimonium diaboli de Immacul. ejus Conceptione.ibid.
Immacul. ejus Conceptio miraculis probatur: resuscitatione mortui , curatione morborum.600.a
Item liberatione à carnis tentatione. ibid.b
V.Conceptio Immaculata.
Maria hortus conclusus est.728.b
Mariæ matri suæ Christus Joannem commendavit.671.a
Maria soror Moysis tympanistria fuit prima.212.b
quid designet.214.b
Mariæ Varronis filiæ castitas.356.b
S. Martini charitas erga proximum.96.b
ejus miraculum in arbore excisa.66.a
illum laudando multi Ecclesiæ Oratores desudarunt.469.a

quomodo martyr habendus. Ibid. b
contrà quàm milites solent pauperem induir. 470 b
nudos cooperuit 471 b
Martyribus tormenta dulcia fuerunt. 55 a &c.
quot Ordo Dominici habuerit. 141 a
tormenta ut lectulum subierunt. 158 b
quot Franciscanorum martyres sint. 345 a
martyres sine sanguine quando esse possimus. 412 b 469 b 563 seq.
martyrio comparatur, inimico ignoscere. 660 a
martyres floribus comparantur. 685 a
eorum figura in pellibus rubricatis. 698 a
dum puncti, picti sunt. Ibid.
instar phrygonis agit cum illis Deus. Ibid. b
ut purpura acupicta eâ parte pretiosior, quæ frequentius acupicta; ita martyr in ea parte corporis splendidior, qua martyrium passus: idque in vulneribus Christi & aliis martyribus probatur. 698 b 699 a
punguntur martyres & unguntur. 700 a
novi Christiani in Japonia gaudentes subeunt martyrium. 701 b
duo conjuges cum liberis 10 flammis exultant. 702 a
filia quædam ardentes prunas pro rosis capiti imponit. Ibid.
filius quidam è suis flammis ad matris rogum currit. Ibid.
martyres in tormentis cantarunt. Ibid. b
quinam inter tormenta ludere & jocari sunt visi. 706 a
martyres Societatis Jesu in tormentis jocantes 706 b
nucibus sunt similes. 707 b
martyrij genus est desiderium videndi Jesum. 97 b
martyrii cultrus. 21 b
martyres quot numeret ordo Carmelitarum. 22 a
martyrium olim Persis usitatum. 169 b
in quo consistat? 204 b
quot martyres Ordinis Cisterciensis. 205
quomodo & nos martyres esse possimus. 206 a
martyres sunt pelles tabernaculorum extensæ. 211 a
martyrio similis est contritio. 230 b
paupertas est quoddam martyrium. 335 b
martyrium cujusdam Carthusiani. 366 a
omnia mundi martyria superat purgatorium. 455 a
Martyres diaboli sunt hæretici. 609 b
ex fide mortui, hæretici. Ibid.
Mater filium in judicio accusatum defendit & liberat. 183 a
cur duo habeant ubera. 202 a
earum non tanta, quanta puerorū sors est. 685 b
V. filius, mulier, parens, proles.
Mathematici quot opes in instrumentis consumpserint. 592 a
Matrona V. mulier.
Matthæi conversio miraculorum maximum. 292 a b
fuit miraculosior Pauli. Ibid. b
Mausolus in capillos vectigal imposuit. 40 a
Medicinā an liceat spernere in vitæ periculo. 364 a
Medicis divini honores decreti. 551 b
V. Confessarius.
Melanthi amore Florinda crines [illegible] vendidit, ut eum redimeret. 35 b
Mellis utilias. 190 a
Mel in ore nascentis Platonis, Hieronis, [illegible] Pindari, Bernardi, &c 192 b V. apis.
Membra corporis mutilata, aliis instructa [illegible] ribus. 578 a
in Mercatura nunc deest fides. 616 b
ob Mercedem tantùm serviens, non est v[illegible] vus. 90 a
in mercibus unde fraus? 616 b
Meretricum est lascivus habitus. 478 b
Meretrix anima per peccatum. 381
Meriti an majoris sit, satisfactionem defun[illegible] quam sibi applicare? 463 a
Meritum impossibile defunctorum in purgato[illegible] 457 b V. votum.
Metelli felicitas. 448
Michaël dux Dei contra Luciferianos. 77 b
adolescentis cujusdam castitatem tuetu[illegible]
Milites Alexandri jussit Darius in terram [illegible] dejicere. 37 b
Militiæ sacræ tyrocinia. 82 b
Militaris disciplina rigida. 106 b
Miles inconsulto Imperatore nil aggredi deb[illegible] b
Militum quorundam insignis ardor. 156 b
Milites strenui fuere fœminæ. 270 a V. mu[illegible]
Mirabilium mirabilissimum conversio peccat[illegible] 227 b
Miracula Scapularis Carmelitani. 26 a V S[illegible] pu[illegible] iis bodie tmi hæretici non credunt. 131 b
majora quandoque Deus per alios, quàm per se operatus. 570 a
Miraculum in asinis. 582 b
Miseriarum calix epotandus est. 47 b
in iis confugiendum ad S. Annam. 62 b
Miseriarum lectus quàm durus sit. 169 a
Miseriæ avarorum. 289 a
Miserias solatur musica. 507 b
V. adversa, passio.
Misericordiæ opera exercuit Maria. 263 b
eâ an præstent mulieres viris? Ibid.
est maxima virtutum quoad proximum [illegible] a
misericordes cur dii appellentur. [illegible]
pro Missa funerali S. Alberti decantanda [illegible] tio. 17. a V. communio, Eucharistia.
Molossus instar Regis, curru triumphali vectu[illegible] b
Monachorum primus Dux Elias. 18 b
eorum tonsura quid, & quare instituta. 36[illegible]
Monasteriorum prima origo. 19 a
Monasterium 150. monialium instituit, & [illegible] B. Virgo. 19 a
Monasterii virginalis symbolum. 199 b
V. cella, clausura, solitudo.
Moniales greges tonsarum servitutem Ch[illegible] ierunt. 35 b
V. religiosæ, sanctimoniales.
Mons in vertice montium dicitur Ordo Car[illegible] 19. b V. Olympus.
Monstra ex fœdis picturis conspectis na[illegible] a
Mora puellarum in plateis &c. noxia. 6 a
pœnitentiæ mora periculosa. 9 b
mora benefaciendi reprehensi[illegible] &[illegible]
differendi debita periculo[illegible] b
V. cursus, velocitas.
in Morbis quanta opus patientiâ & q[illegible] tilis 160 a

morbi dolores in patientiæ lecto martyrio conferuntur.161 a
morbis mutamur in homines meliores.162 a
curati sunt morbi in testimonium conceptionis Immacul. B. Mariæ V.600 a
Morbus sunt plures varii. 404
morbus pravis corrigendis ergastula inventa. 455 b
Mori pro patria ducis est.93 b &c.
mortis memoria à luxuria abducit. 168 b
mortuus quidam post aliquot adhuc annos ope D. Virginis confessus est. 151 a
mortui resuscitati in testimonium immacul. Conceptionis. B. M. V. 600 a
mors tranquilla orantium pro inimicis.662 a
quinam gaudentes mortui. 707 a
moritur confidentius religiosus.721 b
V. Martyr.
mors rerum omnium terribilissima, quia separat ab omnibus charis. Ibid.
terribilis ob conscientiæ angores & dæmonis infestationes. 722 a
deinde ob judicis tribunal & sententiam. Ibid. b
Religiosi cujusdam risus & gaudium in morte. 723 a
quinam in morte non tristitiæ sed lætitiæ signa adhiberi voluerit. Ibid. b
quinam cantare auditi. Ibid.
mortuos excitare non tantum est, quantum peccatorem & avarum convertere. 292 a
V. avarus, peccator.
mirum speculum mortem prænuntians.317 a
V. speculum.
mors est humanæ fragilitatis speculum.318 a
Isabellæ mors fuit Francisco Borgiæ speculum fragilitatis. Ibid. b
mortui Concionatores optimi. 319 a
mors Isabellæ Borgiæ fuit natalis. Ibid.
è cæsaris cadavere quid Augustinus hauserit. 319 a
mortui loquuntur. Ibid. b
mortis consideratione parens filium à religione abducere nitens, convertitur. Ibid.
ejus meditatio optima philosophia. 320 a
mortis speculum filiæ vanæ aversantur.320 b
ejus meditatio quam sit efficax. 321 a
ejus meditatio vita virtutum, mors est vitiorum. Ibid.
morte confunditur superbia.322 b
quinam mortis memores. 323 b &c.
ejus meditatio iram frangit.324 a
enervat gulam.325 &c.
frigefacit luxuriam. 326 a
jugis meditatio mortis Majoli. 327 a
mortificatione mori quotidie possumus; quod fecit Borgias Ibid. b
Religiosi & religiosæ mortui mundo esse debent. 328 b
Borgias carni & sanguini mortuus fuit.329 a
ad perfectionem ducit. Ibid. b
immobilis est ad omnia. 329 330
Borgias quomodo mortuo similis. 330 a
Religiosus per .. vota mortuus. 330 b
mortui Parisiensis Doctoris historia.354 b
mors peccatorum amarissima. 168 b
quomodo quotidie mori possimus.564 a
mors justi & peccatoris comparatur.369 a
mortis patrona est S. Ursula. 419 a V. Ursula.
piè morientium solatium est, quod non possint amplius peccare. 449 b
quod exemplis probatur. Ibid.
mortuos quot resuscitarint Paulus & Xaverius. 567 a V. anima.
Mortificationes multorum in cibis.56 a
corporis V. pœnitentia.
carnis V. caro.
mortificatione Deus laudandus. 212 a
quot virgines è corpore tympanum fecerint per mortificationem. 213 a
Reginæ etiam mortificationem subierunt. Ibid. a
eâ quotidie mori possumus. 327 b
eâ perfecti esse possumus 329 b
mortificatione Christū sequi debemus. 376 a b 383 &c. V. martyrium, victor.
Moysi S. Ignatius comparatur. 79 b V. Ignatius.
Dux eligitur. 81 a
cornutam faciem habuit. 85 b
cum Deo agens ante omnes Prophetas illustratur.86 b
quomodo fidelis Dei servus nil sibi gloriæ tribuit. 90
præ gloria contemptum elegit.91 a
Moysis pro populo morituri generositas.94 b
ob mansuetudinem dux creatus. 100 b
omnia signa in baculo faciebat. 110 b
Moyses quando natus.619 a
infans typus Jesu est. Ibid. b
in fiscella fuit expositus. Ibid. a
ejus pulchritudo Christo adaptatur.620 a
Mulieribus calvitium ignominiosum. 40 a
mulier amicta Sole, pulchritudinis miraculum est.175 b
lunam in capite gestans quid denotet. 179 b
in judiciis non possunt agere causas. 182 b
Samaritana totam urbem ad Christum convertit.216 a
ejus malitia instrumentum dæmonis.255 b
Angelos de cœlo deposuit. 256 a
dæmone pejor est. Ibid.
muliebri formâ Angeli nonquam apparuerunt. Ibid. b
sunt sæpe dæmones. Ibid.
sunt leone & dracone pejores. 257 a
naturâ sunt timidæ & ad bellum imbecilles. 258 a
mulier an sit imago Dei. Ibid. b
inepta est ad studia. Ibid.
discere non docere debet 259 a
mulieres sunt hæresum incentrices. Ibid. b
testari non possunt.260 b
incapaces functionum ecclesiasticarum.261 a
muliebris sexûs laus. Ibid. seq.
supra viros laudatur.263 b
creata est mulier ad imaginem Dei. Ibid.
mulieris malitia refutatur. Ibid.
præstant viris mulieres pietate, misericordia &c. Ibid. b
earum religio & divina pietas. 265 a
plures salvandæ quam viri. Ibid. b
quænam viris fuerint saluti. Ibid.
his sunt viri nequiores.267 b
an in eas Angeli exarserint. Ibid.
quænam familias illustrarint. 268 b

quæ

quæ fortitudine belli illustres. 269 a b 407 b
pro viris & strenuis militibus habitæ decertarunt. 270 a
scientia & ingenio quænam excelluêre. 271 a
quænam magistræ catechumenorum & apostolæ. 273 a 414
quomodo illis licitum docere. 273 a
viros docere possunt & proles. 273 a
refutatur objectio : eas esse inhabiles ad res sacras. 273 b
multæ puriùs participant & tractant Eucharistiam viris. 274 a
vanitati magis sunt deditæ. 318 a
apocalypticæ comparantur Sanctimoniales. 358 a
prægnantes per imaginationem fœtui imaginē imprimunt. 394 b
mulierom pigmenta inventa sunt diaboli. 398 a
V. nuditas. vestes.
quibus per spinas cælum conscendendum. 532 b
non iis revelanda secreta. 670 b
de mulierum clausura, vide 726 a
cur in paradiso mulier, extra illum vir creatus. Ibid.
cur nocti, vir diei comparetur. Ibid. b
mulieri tertiò tantùm in vita exeundum. 727 a
laus ei erit maxima, si virtus ejus domesticis tantùm innotuerit. Ibid.
mulierum fortitudo. 415
sanctæ venatrices sunt. 433 a
sæpè sunt laquei dæmonis. 434 b
de muliere pellice tragicum exemplum. 435 a
naves incendiariæ sunt. 440 b
muliebris mundus apparatui nautico similis. 441 b
Mundi fuga celeriter arripienda. 6 b
spinas gignit. 153 a
ejus conservatio major est creatione. 128 a
ruentem sustentavit S. Dominicus. Ibid.
mundi fallacia. 142 a
mundus mare est. 440 a, 535 a
in eo perpetuus motus. Ibid.
ejus vanitas. 179 &c.
è mundo eduxit multos S. Bernardus. 192 b
ejus pericula. 175 b. 440 b
relinquendus est. 376 a b
in eo periculum superbiæ, luxuriæ, &c. 440 &c.
miserè suos rotat. 524 a
mundi harmonia. 501 a
in mari hujus mundi piscis piscem devorat. 536 a
in lusu mundi vincit, qui longiùs eum abjicit. 710 a
quinam mundo illuserint. Ibid.
ejus contemptor David. Ibid.
gaudet vestium luxo; sed ejus superbia in quibus humiliata? 711 a
odio est habendus, quia latro est & amarus. 711.
quia immundus, &c. 712 a seq.
transit mundus & concupiscentia ejus. 714 a
V. Religiosus.
Muneribus quinam apti, qui inepti. 493 a b
quàm ineptè iis intrudantur, qui unum aut nullum habent talentum. 581 a
in iis juvenes talentis præditi præferendi senibus ineptis. Ibid. b V. talentum.
à muneribus fides exulat. 616 a
munusculum V. Donum.
Muscarum in facie inventores, tympanistæ [illegible] diaboli. 222 a. 400 a
Musicæ auctor & inventor Deus. 501 a
est homini connaturalis. 502 a
eam Jesus de cælo in terram evocavit. Ibid. b
cantor musicus est Jesus. Ibid.
Cæcilia musica 400. homines convertit Ib[illegible]
musicus Spiritus S. est. 503 a
quomodo omnes boni musici esse possimus. Ibid. b
omnes affectus excitat. 504 b
animos ad prælia accendit. 505 a
iracundiam temperat. Ibid. b
Item temulentiam, miserias & labores. 507 [illegible]
eâ etiam feræ delectantur. 510 a
in cælo fore probatur. 512 b V. Cantus.
Mutabiles sunt multi in vestibus. 403 V. Fortun[illegible] Inconstantia. Vestes.

N.

NAtivitas S. Cunegundæ læta. 262 b
S. Perpetuæ mirabilis 269 a
Christi Domini & Moysis. 619 a
cum Jesu nato quomodo renasci oporteat. 631 [illegible]
nasci naturaliter miserrimum. 632 a
Nativitas hominis miserior præ brutis. Ibid.
spiritualis beata est & facilis. 632 b
quomodo renasci oporteat, Nicodemus do[illegible]tur. 633 a
Nativitas duplex est. Ibid.
quomodo per scelera inveteratus renasci que[illegible] Ibid. b
ut renascamur, ad parvulorum infantiam redeundum. 635 a
V. Filii, pœnitentia, religiosus.
Natura quod negat, ingenium sæpè tribuit. 5[illegible]8 b
Naufragantibus Maria succurrit. 277 a
Naufragia animæ quanta & deploranda sint. 442 b
Naviculæ religio comparatur. 125 a
quis ejus gubernator. 277 a
Navis corporis quomodo regenda, mūdanda, &c. 323 b
incendiariis navibus similes fœminæ. 440 b
nautico apparatui comparatur mundus mulie[illegible]bris. 441 b
Nazaræi qui, & quare sic dicti. 36. 37
in Necessitate succurrit Maria V. Rosarii cl[illegible]bus. 147 b
in omni temporali necessitate suis liberatoribus animæ defunctæ sunt propitiæ. 465 &c.
etiam in spirituali. 466 b
non solùm in extrema, sed etiam gravi ne[illegible]tate eleemosyna danda est. 472 a
in necessitate Patronus est S. Nicolaus. 58
Item S. Joannes, & cur? V. Joannes.
in iis orantes, ad Deum recurrere deb[illegible] 744 seq.
V. Oratio.
Nemrod primus venator, diabolus ubique [illegible] laqueos. 426 a
Neronem ferocem Poppæa crinibus suis pe[illegible] quos ille auro inseri jussit. 3[illegible] b
suos capillos in aurea pyxide Jovi ob[illegible] 35 b

S.Nicolai festo pueri calceos exponunt,577.a
est pater viduarum & orphanorum, seseque obsidem tradidit,Ibid.
in asinis stupendum perpetrat miraculum, Ibid.
patronus est in necessitatibus.Ibid.
quomodo talenta sua impenderit,585.a
Nobilitas Mariæ natæ,268.a
familiæ unde? V.familia, filius.
vera in quo consistat,516.b
quàm difficile sit nobiles esse parvos,626.a
Nomen illustre filiis imponendum,20.a
ob nomen quidam imperium adepti,19.b
V.honor.
Novaculâ miseriæ & calamitatum Deus homines tundet,36.a
Novitius tentatus ab Ignatio servatus,105.a
V.Religiosus.
Nocti mulier,diei vir cur comparentur,727,b
Nubibus comparantur Martyres.707.b
Nuditas Christi in paupere tegitur,470.b
id fecit quoque S.Martinus,471.a
fœminarum infamis nuditas pectoris,colli,&c. perstringitur,474 b V.pudicitia.
suaderet fœminis, ne byeme nudæ incedant, 475.b
barbatus esset Confessarius,si hyeme nudas fœminas incedere juberet.476.a
fœminarum nuditas quàm sit noxia,Ibid.
Nuditate sua sunt causa scandali,& alterius peccati,477.a
in nudos SS.Patrum sententiæ,Ibid.
communione sunt privandæ fœminæ, quæ lascivo habitu & nudo pectore accedunt, 478.a
anima ne sit nuda,virtutum vestibus est ornanda,482.b
Adam & Eva nudi,gratiâ exuti,Ibid.
V.anima,communio.
Nudi cum nudo dæmone luctari debemus, 335 b
Nudus eram,& cooperuistis me, ingeniosè explicatur,470 b
Nudum pauperem honesta veste domina quædam induit,ne in judicio extremo ipsa erubescat,471.a
Nudo sua manu vestes consuit Margaretha Regina,Ibid.
Nudæ picturæ tegendæ,aut comburendæ,474.a
Numero certo Sanctos, & S.mysteria venerari, non est superstitiosum,418.b
Nuptiis tradenda puella,suos deserens, ad claustra aufugit,35.a
Nuptialis thalamus Ladislai in tumulum vertitur 321.a
ad eas quæ ætas requiratur,582.a
Nuptiæ spirituales,379.a &c V sponsus.
Nuptiæ S.Ursulæ in triennium protractæ, 407.b

O.

Obedientia subditorum sit velox,3.b
obediendum statim Deo vocanti,7.b
per eam Religiosi mundo mortui,351.b
Jesu miranda proponitur,639.a
variorum Religiosis imitanda,Ibid.&c.
religiosa similitudine exprimitur,640.b
erga Confessarium.V.Confessarius.
Obligatio parentum,tutorum & patrinorum erga pueros,694.a &c.
Obscœna V.Cantus.
Obstetrices quanta pueris damna inferant, 685.b
Oculorum custodia in S. Petro de Alcantara 331.a
Oculi B.Rosselinæ è cadavere exempti,sicut vivi di lucent.370.b
Odio nos habentibus benefaciendum esse docent omnes creaturæ,654.a V.Inimicus.Injuria.
Odoratus quomodo in fidei obsequium captivandus,608.a
Officiorum administratores quàm hodiedum negligentes,128.b
ad ea non sunt offerendi inepti,493.a
qualesnam requirantur,Ibid.b
singulis officiis administrandis suam dedit Deus gratiam 577.b V.Beneficium.munus.
Officium S Ursulæ,422 a
Immaculatæ Conceptionis B.M. V. sæpè recitandum, & per hoc conversio peccatoris, 603 a
V.Cantus.
Og Rex Basa qualem habuerit lectum : & quid denotet,169.b
Olympo cælum comparatur, qui describitur, 447.a &c.
Omnipotentiam suam quomodo Deus manifestet,71.a
per brachium designatur,569.a
Opera bona festinanter arripienda; & quinam in hoc excelluerint,3.a 10.b
misericordiæ celeriter exequenda,10.b
Opera non promissi amat Deus,65.a
misericordiæ exercuit Maria,263 b
bona quotidie facienda,389.b
omnia misericordiæ opera continet liberatio animæ è purgatorio,460.a V.Animæ.
hæc melius confessarii, quàm concionatores exercent,519.b
inter opera tara semper unum præ cæteris emineт,406.a
Opus an meliùs ex voto,quàm sine voto, 488 b
V.Votum.
Operum primogenita Deo offerenda, 498.a
à bono opere non debet absterrere respectus humanus,& aliorum calumniæ,Ibid.
Oppressores innocētū quā sint miseri,V.Innocēt.
Oppugnatione res magis elucescunt,594.b
Oratio hominem transfigurat,86.a
nempe animam & corpus,86.87.
transfigurat in hominem cælestem,88 a
orans Christus,& Sancti transfigurati,87.b
Item S. Paulus transfiguratur in oratione. 88.a
Oratio Dominici omnipotens fuit,115.b
cur quod oramus,non impetremus,Ibid.
oratio pro lacrymis impetrandis,229.b
eam adjuvat silentium,362 a
oratio S.Ursulæ,414.b
orandum pro inimicis,659.a V.Inimicus.
quis fructus ex oratione pro inimicis existat, nempe conversio eorum,Ibid.b
talis Deo gratissima & efficacissima,Ibid.

Orationis Christi pro inimicis paradigma,660.b
otantium pro inimicis suis tranquilla mors. 662.
orantes ad Deum in necessitate recurrere debemus,744.a seq.
orationis publicæ dignitas,744. seq.
utilitas,ibid.& seq.
necessitas,ibid.& seq.
Oratoris conditiones ut sit brevis, clarus:talis est Jesus,eumque imitari debemus,625.a &c.
tertia conditio est,ut apposite ad captum dicat. ibid.b
Item ut pathetice dicat,630.b
V.Jesus,magister.
Ordo S.Bernardi qualis:Reges,Reginasque sectatores habuit,194.&c.
ex eo nullus periturus est,202.b
cur candidam habeat vestem,203.a
semper floruit & candust,ibid.a
est rubicundus martyribus.ibid.205 a
quot Pontifices,Reges, Cardinales, &c. habuit,ibid.
alveari comparatur.206.&c.V.Clarevallum.
tot Sanctos habuit,ut veritum ne plures canonizarentur,207 b.&c.
paradisus est,ibid.
Ordinis Prædicatorum martyres innumeri,141.a
ejusdem rosarium unde?142.b
hunc pallio defendit Deipara,154.b
V.S.Dominicus,129 a
paradiso est similis,136.b
flumina hujus Ordinis sunt viri eruditione celebres enumerati,137.b.V.Paradisus.
accedit hic Ordo ad sententiam Immaculatæ Conceptionis B.M.Virginis,597.a
Ordo Carthusianorum V.Carthusiani.
Discalceatorum V.Discalceati.Theresa.
Ordo Immacul.Conceptionis, approbat Immacul.Conceptionem B.Virginis M.601 a
hic miraculo confirmatus est,ibid.b
Ordo equestris stellarus in Galliis quis,& quando institutus.275.b
Organista Deus est,501 a
Organum Spiritus S.Cæcilia est,502.a
corpus humanum est organum,ibid.
quinam vere organa,503.a
Justi sunt organum Spiritus S.Ibid.b
quomodo bonum organum esse debeamus, 504.a
quomodo quivis in organo corporis possit Deum laudare,ibid.b
organum Dei lingua est,508.a
organa ad Dei cultum spectant,ibid.&c.
linguæ organo alii male, alii bene utuntur, ibid.b V.canticum,musica.
Ornatus corporis vanus est,33.a.b.V.Vestis.
Osculum amoris signum est,49.b
Otium fugiendum,16^.a.360.a V.pigritia.
Ovium instar Deus Religiosos tondet, & alios novacula adversitatum,36.a
Ovis mortua servit variis instrumentis musicis, præsertim pellis tympano,210.a
Ovibus Apostoli comparantur , & præsertim S. Bartholomæus,ibid.

P.

PAcem corporis & animi confert inimicorum dilectio,646.a
Pax Religiosorum V.Religiosus.
Pædagogus,V.magister,præceptor.
Pallium Eliæ Scapulari comparatur,25 b
Pallium magno olim honori fuit,ibid.
Eliæ multa patravit miracula.26.a
Pauli,Antonius magni æstimabat,27.b
Pannus ibi pulchrior,ubi frequentius acu pictus 698.b seq.
Papbnutius haustu sanitatis latronem convertit 51.a
Paradisus an,ubi,& qualis extet?123.a
ejus amœnitas describitur,124.a.b
ei Ecclesia comparatur,124.a.132.a
anima ei comparatur,133.a
religio & Ordo S.Dominici illi confertur. 136.a.b
ejus 4. fluminibus idem Ordo comparatur 137.a
rosas seu rosaria & lilia virginum protulit hic S.Dominici paradisus. V. rosa,lilia,flavius.
mulier in paradiso,vir extra creatus,726.b
Parelia quid est?556.a
Parentes quales,filii tales sunt,61.a
ex filiis parentes cognoscuntur,66.a
non sunt consulendi in negotio salutis.84.b
filiis bono exemplo præire debent. 215.a
V.filius.
parentes ob pecuniam proprium filium excaecant, vicissim filii parentes,282.283.
parens filium à religione abducere nitens,mortis consideratione convertitur. V.Filius.
mater quòd filiam superbius vestierit, damnata, 473.
minus peccarent,si filias lascive ornatas, à S cris arcerent,478.b
liberos suos primitias Deo offerte debent 486.b
non impediant liberos religionem ingressuros. 487.a
non unam prolem præ alia ament,678.a
filios bonos, non corruptos Deo offerant. 491.b &c.
eorum cura erga proles,694.a &c.
Parvi corpore sæpe magnis talentis præditi 579.b
præstant magnis.ibid.
magnis sunt fortiores.ibid.
parva fœmina laudatur,58 a
parvos esse nos vult Deus,626.a
quis parvus in medio positus , & quam [illegible] num est esse parvum,præsertim ex illustri familia natum,Ibid.b
Parvulus natus Jesus docet nos debere esse parvulos,627 b
Parvuli ut simus,docet nos paupertas Jes[illegible]
Parvi ad regna evecti,629.b
quomodo parvi violenti rapiant cælum. 6[illegible]
eorum violentia sunt lacrymæ,ibid.
ad eorum infantiam redeundum , ut renascamur,635.a
eorum vitia exuenda,ibid.
Parvulorum vitia exuentes,eorum virtutes & proprietates debemus induere, & quænam eorum virtutes imitandæ,636.a
quomodo Religiosi per sua vota parvuli [illegible] 637.a.V.puer.
Pasithea de crinibus suspensa,& sub censorgine excruciavit.34.b

Passioni omni adjuncta est sua consolatio, 700. &c.705.
Passionis haustus est primus sanitatis calix.47.a
Passionis exemplum Christus.48.a
Pati multa possumus, si velimus.Ibid.b
Passionis calix est haustus divini amoris,50.a
in Passione amici Dei cognoscuntur,Ibid.b
Pati qui non vult hîc, debet in altera vita,51.b
Patiendi desiderium Magdalenæ de Pazzis,52.a
ambitiosis nil est patiendi arduum.Ibid.b
calix passionis epotus, dulcis est ob æternam voluptatem,55.a
V.adversa.
Pati dolorem minimum sæpè nolunt, qui sæpè multa sustinere sibi proposuerant,Ibid.b
Passionis calix dulcedinem è labris Domini accepit.56.a.V.mortificatio.
Passiones sequitur haustus gloriæ æternæ.57
Patiendum est omnibus,77.a.383.b V.Victor.
Pati pro alio est actus charitatis ordinatæ.463.b
Passiones Religiosorum consolatione inunguntur,703.a
V.martyr.morbus,victor.tribulatio.
Passionis Christi mirus amator S. Bernardus. 204.b
in ea quomodo adhuc aliquid defuerit.341.b
Passiones animi vincere meliùs est, quàm hostes, 409.a
hominis sunt variæ,445.V.affectus, cupiditas, nativitas.
statim sunt reprimendæ,9.a
equis comparatæ, continendæ sunt,14.a
Pastores omnes æqualiter ament, nisi virtute commendabiles,678.a
iis animarum cura sollicitudini esse debet. 99.b
Pater bonus auriga esse debet,2.b.V parens.
Patres S. Ecclesiæ probant B. V. immaculatam Conceptionem,592.b
Patientiæ currus Eliæ debetur,10.b
in miseriis necessaria,47.b
ejus exemplar Christus.48.a
V.Mansuetudo,101.V.adversa, passio, victor.
Patientiæ lectus quàm sit quietus 160.a
quàm sit necessaria & utilis,Ibid.
in morbis confertur martyrio.161.a
vincit omnia,410.b
qualis debet esse Confessarius,541.a
pro Patria mori dulce est.93.b
Patrinorum obligatio erga pueros.694.b.seq.
S.Paulus Eremita Antonii pallium magni æstimabat.27.b
S.Paulus in oratione transfiguratus.88.a
ejus zelus.98.a
Sol est.556.a
ejus laus Ignatio accommodatur.99.a
ejus humilitas accommodatur Augustino. 2.6.a
nobili natus est familia,556.b
ejus in juventute castitas.557.b
vita ejusdem describitur.Ibid.seq.
est Apostolus gentium.559.a
huic in omnibus confertur Xaverius.V. Xaverius.
Pauli pulverem & reliquias optat videre Chrysostomus.571.a
Paupertatis currus,17.a
pauperes pedes Christi sunt.39.a
in paupertate refugium est S.Anna.61.b
pauperes sunt amici Dei,124.b
per eam Religiosi mundo mortui.330.b
paupertas vitiorum ibid.&c.
pauperes quietiùs humi dormiunt, quàm alii in eburneis stratis.16 a
in eorum sinum divitias effundere deberent divites.294.b
Paupertas Francisci Borgiæ.325.a
S.Francisci Seraphici.334.seq.
martyrio comparatur,335.b
quam ardenter eam sibi suisque Franciscus exoravit.336.a
paupertas quomodo beatificet.ibid.b
pauperes sunt canes venatici.435.b
hi negliguntur, & canes aluntur 436.b
talem tegendo, Christum tegis.470.b
V.nodus.
pauperes nudos esse, & bestias, flores, servosque superbè tegi, indignum est.471.b.659.b
sub qua obligatione pauperibus sint superfluadanda.ibid.
non tantùm in extrema, sed gravi necessitate eis succurrendum.472.a
paupertas non caret suis gratiis.580.b
misericordia quorundam in pauperes.474.a
paupertas Jesu nos docet, ut simus parvuli. 628.b
Jesus tradit nobis lectionem paupertatis.ibid.a
Jesu paupertas quanta.637.a
paupertas ut mater est diligenda.ibid. b
multi pauperes ad honores evecti.638. a
paupertatis insignia.ibid.
religiosa quomodo exercenda.ibid.
Peccator an possit bonos fructus facere.66.b
peccatori uni lecti quinam.166.&c.
eorum refugium Maria.177.a
Peccatoribus in extremo judicio crux erit terribilis.181.b
eorum conversio mirabilium est maximum. 227.b
eis spes necessaria.236.
V.avarus, conversio, Matthæus.
sese convertens majus facit opus quam Deus. 295.b
Peccatorum maximum quomodo quis se possit nominare 339.b
eorum mors instat Serenum amarissima.368.b
Peccatores Deus venatur.430.a
pisces sunt.535.a.V.Confessarius.Piscis.
Peccatoris conversio ex recitatione Officii Immacul.Conceptionis B.M.V.603.a
omnia peccata committit defectu fidei.613.a
per lacrymas Jesu omnium peccatorum veniam peccator quidam impetrat.630.
V.Nativitas Pœnitentia.
Peccatorum insidias Magdalena multis struxit. 30.b
levia Deus graviter punit.107.b
Peccata dæmone pejora pejusque in animo peccatum quam dæmonem habere.127.a
à peccatis resurrectio.ibid b
ab iis inferni meditatio abducit 171.a
V.Infernus.
Peccatis medentur rosaria.148.b
eorum auctor quis?118.V. exemplum.120.
aliena quot modis imputentur 219.b

eorum manifestatio an Sanctis officiat; aut quis inde fructus?235.236.&c.
Peccata electorum in judicio manifestata, illis honori cedent.236.b
à peccatis custodiunt internis monitionibus Angeli custodes 306.b
quibus privent bonis?379.b
per peccatum à Deo fornicamur.381.b
peccare non possunt Sancti.449.a
solatium piè morientium quòd peccare deinceps non possint.ibid.b
peccati originalis fœditas,595.b
omnia peccata defectu fidei perpetrantur. 613.a
iis inveteratus quomodo renasci queat,633.b
peccatores quomodo diligendi,644.b
in peccata cadit rarius Religiosus,718.a
ea quomodo quidam fugerint,719.seq.
V.contritio,nativitas,scelus.
Pecuniæ causa parentes necant filium,282.b
pecuniarum Deum quinam ex omnibus elegerint, 85.b
ei obediunt omnia,ibid.a
avaro Deus est,286.a V.avaritia,divitiæ.
pro ea quidam oppignorans animam, à dæmone abripitur,288.a
pecunia inquietat,290.a b
Pedes Christi M.Magdalena tersit,34 a
pedes Christi pauperes & religiosi sunt, 39.a b
iis quidam operabat, brachiis destitutus, 578.a
eos eur Chinenses consttingant,727.b
Pellis ovina tympano servit,210.a
tabernaculorum exterioræ prædicatores sunt, 211.a
pellis mortificanda,ibid.
in pellibus rubricatis figura Martyrũ,698.a &c.
Perditi fuissent multi,nisi periissent,413.b
Peregrinationes longæ ad reliquias S. Ursulæ institutæ,421.a
Perfectionis viam monstrat mortis memoria, & humana calvaries,329.b
Periculis corporis & animæ succurrit Maria, V Maria,angelus,animæ.
S.Perpetuæ nativitas mirabilis,269.a
Persecutio,V.Christianos,martyrium.
Pertinaciam vincere quantæ sit virtutis,610 a
S.Petri charitas,97.a
umbrâ morbos curavit,111.b
Petri de Alcantara custodia oculorum,331.a
Phaëton igneo curru Solis orbem accendens, quid denotet.23 b 54.b
Pharaonem diabolum quinam, & quomodo vicernnt,114.b V.diabolus.
Pharos quid est?277 b
Philippi Nerei humilitas,341.a
Philosophia optima est meditatio mortis,320 a
Phrygionis partes agit Deus,698.b
Pictor nequit præ fulgore S. Ignatium depingere. 86.a
neque Christum,392.a
picturæ origo,389.a
bonus pictor indies lineam ducat,ibid b
Apelles Protogenem in pictura vicit,390.a
egregius fuit S.Lucas,ibid.
picturæ dignitas,390.a
principes pictores extitêre,ibid.b
pictor fuit & Deus,391 b
picturæ sacræ commendantur,ibid.
hæ multum movent,ibid.
pictura potentiùs movet quàm dictio,391 b
pictura Isaaci movit ad lacrymas,Ibid.
Zeuxes depingendo Helenam quid adhibu[erit] 392.b
in animis depingendæ sunt virtutes,Ibid.
imago animæ præstat omnibus picturis,393.b
quædam picturæ magni æstimatæ,Ibid.
imaginationes ex picturis sacris speciosam expresserunt prolem,394 b
ex fœdis autem monstra,359.a
ex obscœnis quid monstrorum fœminæ pe[pe]rerint.Ibid.b
obscœnæ quantum noceant 396.a b
obscœnas in cubiculis habentes quomodo Deus puniverit,397.a
picturæ è pluiis varios colores & facies repræsentant,quibus multi similes,401.b
picturæ cum striis varios vultus referunt, 403.
nudæ tegendæ,aut flammis abolendæ,474.a
V.fucus,imago,mulier,pannus.
Pietas accelerata Elisabethæ,6.b
mulierum an virorum præstet?263.&c.
Caroli V.& P.Cottoni,498.b
pius Deo,displicet impiis,116.a
Pigmenta V.fucus.
Pigritia quantum noceat: præsertim Religiosis, 166.a seq.
Pilæ lusus quid denotet,310.b
Piscationem Principes exercuerunt,536.b
piscatores sunt Apostoli,537.a
talis per se & suos est diabolus,Ibid.b
animarum piscatores sunt concionatores & confessarii,538.b
Piscator quomodo à venatore differat,430.a
quinam piscatores boni,535.a
Christus piscator fuit,536
Pisciculus Remora navem Antonii retardavit,6.a
unde noretur vivus vel mortuus,332.a
proprietates variæ, quibus homines piscibus comparantur,335.a
piscis piscem devorat.336.a
Placere Deo & hominibus difficile est, 115.a seq.
quomodo autem id fieri possit.117.a
miseri,qui ut hominibus placeant, Deo displicent,120.a
Platanus arbor miræ magnitudinis,17.b
ad Platonem spectandum relictis ludis & certaminibus concurritur,623.a
Plumarum imagines & picturæ.401.b
Pluvia parva quantum efficere possit flumen, 138.a
Pœnæ à Deo de capillorum vanitate sumptæ, 39.b
æternæ ob capillos intentatæ,40.a
V.Purgatorium.
Pœnitendum statim est & confitendum,9 b
Pœnitentiæ signum est tonsura,37 b
perpetua Augustini,219.
pœnitenti compatiendum est,543.a V Confessarius.
non atroces imponant Confessarii,546.b

ea ex arbitrio Confessarii imponitur. 547.a
in ea imponenda considerandа est dispositio, & dolor de peccatis. ib d.
ætas & infirmitas. 549. a
quomodo agendum eum iis, qui graviores refugiunt. 548.b
moderatæ imponendæ exemplo aliorum. ibid.
salutares & medicinales imponendæ. ibid.
objectio ex Tridentino & SS. Patribus resolvitur. 549.b
partem pœnitentiæ in se Confessarius comparriens suscipiat. 550. b
per eam renasci possumus. 634. a
pœnitentia&aûsteritas vitæ quorundam.140.a
hæc martyres efficit. ibid.
Virginum pœnitentiæ. 141. a
eas execrantes hæretici refutantur. 163. b
pœnitentiæ lectus quam sit dulcis. 164. a
Politicus V. placere. 115.
Pomis aureis Atalantam Hippomanes in cursu retardavit. 6. a. V. primitiæ.
Pompejus celeritate laudem bellicam meruit. 8 b
Pontificum diploma de Immacul. Conceptione B. M. miraculo confirmatur. 597. a
Poppæa crinibus suis Neronem pellexit, quos hic etiam auro inferi jussit. 34. b
Potentum familiaritatem periculosam exemplo ostenditur. 679. a. b
potentia per manus designatur. 568. b
suam quomodo Deus manifestet. 71. à
Potentiæ animi humani quam sint variæ. 446. a
Potus sanitatis an prosit alteri. 46. a
quam noxius sit. ibid. b. &c.
V. ebrieras, haustus.
Præceptoribus quanta præstent Angeli custodes 299. b. V. magister.
præceptoris officio fungitur Angelus custos. 308. a
præceptor Jesus proponitur. 621. b
Prædestinationis signũ est scapulare B.M.V. 27. a
Item liberare animam defunctam. 467. a
quotidie legere rosarium. 150. a
cultus item Immac. Conceptionis B.M.V. 601. a
Prædicatores canes sunt. 131. a. V. Venator.
sunt pelles tabernaculorum extensæ. 211. a
ipsi prius pellem carnis mortificare debent. ibid.
Prædicatorum Ordo cœlum est. 210. b. V. Ordo.
Præsentia Angeli custodis reverenda. 311. a
Preces antelucanæ quam sint Deo gratæ. 497. b
V. pietas.
Primitiæ frugum & florum in pretio sunt. 485. a
eas sibi Deus vendicat. ibid. b
omnium primitia Maria. ibid. b
quales Maria Deo consecrarit. 486. a
virginitatis Deo obtulit Maria. 487. a
primitiæ omnium prima Caini & Abelis. 491. b
bonæ & non ineptæ Deo offerendæ. 491. b
laborum Deo præsentandæ. 495. a
item & diei. 498. a
item primitiæ cogitationum. ibid. b
Principum venatio honestũ est exercitium. 419. a
quanto lytro quidam carcere liberati. 458. b
piscationem exercent. 336. b
quinam injurias inimicis remiserint. 649. b
Proditori pœna exquisita inflicta à Solimanno. 171. a
Prœlium primum fuit Angelorum. 77. a
secundum diaboli cum homine, & hominis cum Deo. 78. a
prœliandi novum genus. 79. a
Prognosticon V. fortuna, signa.
Proles masculas genuere sancti viri. 257. b V. filius.
ope Francisci Paulani mascula impetratur. 258. a
Proles bona non corrupta Deo offerenda 491. b
Promissa non amat Deus sed opera. 65 a
Prosperitas V. fortuna.
à Providentia Dei omnia, nil à fortuna dependet. 522. b
pro Proximo moriendum. 93. b. 96. a
misericordia erga ipsum, maxima est virtutum. 460. a
Psittacus salutationem Angelicam edoctus. 146. a
Leonem Imp. è carcere liberavit. 462. b
Pudicitiæ curam gentilis fœmina in flammis habuit. 475. a. V. nuditas.
ejus illustre exemplum in matrona Hispana. ibid. b
alia item raræ pudicitiæ historia. ibid.
pudicè foris & domi incedendum. 476. b
V. Virginitas 41. b
Puellarum mora in plateis noxia. 6. a
puella nuptiis tradenda, suos deserens ad claustra aufugit. 35. a
quædam mirabiliter exemplo Magdalenæ conversa. 43. b
puellarum mundum spernentium laus. 368. a
custodia puellarum sæcularium. 727. b
Pueris angelica salutatio instillanda. 146. a
non sunt ad beneficia promovendi 582. a
puerorum sors melior est quam matrum. 685 a
quantis expositi sint periculis. ibid. b
puerorum innocentum Deus singulariter miseretur & custodit. 686. seq.
erga illos parentum, patrinorum & tutorum obligatio. 694. seq.
quando iis S. Eucharistia & extrema Unctio danda. ibid. seq.
pueri innocentiâ Albuquerquius naufragio eripitur. 695. b
pueris instillanda Immacul. Conceptio B. M V, 592. b
V. Jesus, filius, nativitas, parvulus.
Pugna V. Victor.
Pulchritudo viri in quo consistat? 33. a
Vanitatis speculum est. 320. a. V. pictura.
Moysis Christo adaptatur. 620. a. V. Jesus.
Pulchri mente, vultu sæpe deformes sunt. 580. a
V. talentum.
Pulvere sympathetico vulnera in absentia curantur. 46. a
Pupillus V. innocens.
Purgatorium transimus illæsi Scapularis beneficio. 26. b
carcer est. 453. b
gravius est carceribus hujus mundi & tormentis. 454. b
in eo pœnarum gravitas. 455 a
humores pravi in eodem purgantur. 456. a
in eo ultimus quadrans solvendus. ibid.
exempla Sanctorum, qui in eo minuta persolverunt. 457. a
ejusdem tormenta. 459. b

ignis purgatorii idem, qui inferni, 460.a
ignis & dolor purgatorii cum pœnis Christi conferuntur, ibid.
liberatio animæ è purgatorio continet omnia opera misericordiæ eminenter, 460.b
Purpura ibi est splendidior, ubi frequentiùs acupicta, 698.b

Q.

QUies vera in pectore Jesu, 669.a
Religiosorum, 720.seq.
Quintinus acerba passus tormenta, dulcia tamen reputavit, 55.a

R.

RAbaudus quomodo ob ciborum delicias reprehensus, 57.a 704.b
Ranis Deus impudicitiam punivit, 357.a
Recreationes subditis indulgendæ, 106.a
Reges & Reginas sectatores Ordinis sui habuit S. Bernardus, 19.b
reguli unius exemplo tota domus conversa est, 216.b
Regum familiaritas est periculosa, 679.b
Regna tota unius exemplo converti possũt, 216.b
ad ea evecti sunt parvuli. 619.b
regnũ unũ non potest omnibus abundare, 574.a
V. Imperium, officia.
Religionis status celeriter arripiendus, 6.a 376.b
est religio ædificium è vivis lapidibus, 7.a
graviter punitus, qui vocationem religionis distulit, 7.b
eam puella ingreditur, jamjam nuptura, 35.a
videtur in principio difficilis, 56.b
ejus disciplina in minimis servanda est, 107.b
immorigeri ex ea dimittendi, 108.b V. disciplina
ejus disciplina unde cognoscenda, 36.b
paradiso similis, quantis deliciis repleta, 136.a 142.a
S. religionis novum pugnandi genus, 79.a
religio mulierum, 265.
eam plurimi ex consilio Cõfessarii ingressi. 540.a
ingrediens illam, renascitur. 634.a V. infra.
Religiosorum primus dux & auctor quis? 18.b
debent esse patientes. 21.a
Religiosi & Religiosæ greges tonsarum servientem Christi subierunt, 35.b
ovibus tonsis comparantur, 36.a
eorum luxus in crinibus exaggeratur, 38.a
sunt pedes Christi, 39.b
liliis similes, 152.a
dedecet eos pigritia, 167.a
hæc quantum illis obsit, Ibid.
Religiosi prædicatores per mundũ dispersi, 129.a
eorum mortificationes mundo videntur insaniæ, 356.b
eorum typus est cygnus. 361.b
mare hujus mundi egressi, tympanum mortificationis arripere debent, 213 a
corpora mortificent, 214.a
familiam suam quinam per ingressum religionis nobilitent. 268.b
quare meritò nuncupantur dominæ. ibid.
à religione pater filium abducere nitens mortis consideratione, ipse convertitur, 319.b
Religiosæ & Religiosi quomodo debent esse mundo mortui, 338 b
religiosis virginibus investiendis tumba mortualis præfertur, 329.a
per tria vota mortui, 330.b.&c.
religiosæ mulieri apocalypticæ similes, 358.b
iis otium fugiendum, 360 a
V. Carthusianus, cella, silentium, lingua, mul[...] monasterium.
religiosarum sanctimonialium Carthusianarum laus, 368.a
sunt Sponsæ Christi: quanta ejusmodi sponsæ dignitas, 381 a V. virgo, victor.
quare & quomodo sint domicellæ, 412.a
Religiosi periissent, nisi perditi fuissent, 4[..] b
iis prohibita est clamosa venatio, 428.a
filii religionẽ ingressuri non impediendi, 487 a
filii boni & non corrupti Deo in religione offerantur, 491.b. &c.
contra obtrectatores monialium, quæ quod canunt non intelligant 517.a V. Cantus.
eorum peccata graviora & magis puniẽda: 586.a
quàm miserè vivant, qui impatientes vivunt, 588.a
quomodo per sua vota parvuli fieri possin[t] 637.a
V. paupertas, obedientia, castitas.
pro castitate conservanda solus cum sola sit nunquam, 639.a
obedientes sint, 639.seq.
odium foventes quàm malè agant. 654 b
religiosarum virginum nimia familiaritas periculosa, 677.a b.
religiosorum hominum cruces & austeritates consolatione & gratia inunguntur. 703.a
nucibus comparantur, 707.b. V. mundus.
motiva ad statum religiosum, 714.b
vitæ religiosæ jucunditas. 715.b
prærogativæ novem status religiosi: vivit purius, 717.a
quia religio est alter baptismus, ibid. b
cadit rarius, 718.a
surgit velocius. ibid. b
incedit cautius, 719 a
purgatur citius, ibid. b
irroratur frequentiùs, 720.a
quiescit securius, ibid b
moritur confidentius, 721 b
remuneratur copiosius, 724.b
religiosi in morte risus & gaudium, 723. a V. mors.
quinam in tormentis luserint. 706.b
religiosarum clausura, 728.b V. mulier, sancti-monialis.
S. Reliquiæ B. Mariæ Virg. ubi? 185. a V. Maria.
S Ursulæ venerandæ, 410 b
ob has longæ peregrinationes institutæ, 41[.] a
magnâ etiam religione servatæ sunt, Ibid. b
ornatus illis est adhibendus, Ibid.
sannis contra eas objectis respondetur, 571.a
Remora piscis navim Antonii retardavit, 6.a
Reprehensibilis ferè omnes sumus, 69.b
Respectus humanus non debet à bono opere absterrere, 598.a
Reipublicæ munia quinã administrare possint. 493
Resurrectio peccatorum. 127 b. V. nativitas.
Rete diaboli animas captantis. 43.b 538.
Revelationem puella Confessarium celans [...]ditur: hinc tales Confessariis aperiendæ. 553.a. &c.
Reverentia debetur Angelo Custodi ob præs[en]tiam. 311.a

in omni loco, præsertim templo. 312.a
Confessariis debita quænam. 552 b
V. Irreverentia.
Robur corporis residet in brachio. 570.b
S. Rochus per canem venaticũ detectus est. 436.a
Rodegundis fluxis capillis rebellionem composuit. 9.a
Rogando plus quàm imperando impetratur. 102.a
Romam latericiam Augustus marmoream reddidit. 129 a
Romani clementiâ regnum stabilierunt. 101.a
ex diis, pecuniarum Deum elegerunt. 285.b
B. Rosa insignis cultrix B. Mariæ V. 145.b
Rosæ Maria V. similis. 143.b
quo in pretio & honore habitæ. 14 6.b
earum virtus medica. 148 b
quædam rosa nunquam marcessit in memoriàm Immacul. Conceptionis B. M. V. 604.b
ejus encomia. 143.a
Rosaria Ordinis Dominici. 142.b
Rosaria legentes, rosas locuti sunt. 144.a
D. Virgo in rosario docet mysteria, eumque recitantes mirè amat. 145.a. &c.
illud in Indias invexit Thomas à S. Rosario. ib. b
Rosarii clientibus D. Virgo in necessitatibus succurrit. 147 b
ea morbis animi medentur. 148.b
ejus virtute raræ conversiones factæ. ibid.
quotidiana ejusdem recitatio, prædestinationis est signum. 150.a
eo S. Ursula colitur. 419.a
quæ illud recitanti in agone succurrit. ibid.
S. Rosselinæ oculi è cadavere exempti, ut vividi lucent 370.b
Rotæ quatuor currus virginalis castitatis. 20.b 23.a
rota fortunæ, vitæ fugacitatem denotat. 523.a
rotam cur Archiepiscopi Moguntini in insigni gestent? 523:a
rotam martyrii præfert Catharina fortunæ. 524.a
mundi rota miserè suos rotat ibid.
de rota Catharinæ vaticinium. 525.b

S.

SAba regina longinque advenit, ut Salomonis sapientiam audiret. 623.a
Sacerdotes quare tondantur. 36.b
dignitate Matiam adæquant & superant. 273 b
eos multæ fœminæ in communione superaut. 274.a
graviora eorum peccata, & magis punienda. (586 a
Sacrificulorum fraus diaconum persequentium à Simone & Juda detegitur. 427.b
Sacris rebus ineptas fœminas esse refutatur. 273.b
Sæcula omnia probant B. M. V. Immacul. Conceptionem 592.b
Sagittæ divini amoris variæ: tribulationis, timoris, verbi Dei, amoris, &c 244. seq.
Salomonis sapientiam audiendo, longinque Regina Saba advenit, 623.a
ei Augustinus comparatur. 240 a
ejusdem dedicatio templi &c. 739. seq.
Salvandæ plures fœminæ quam viri, 365.b
salutis signum cultus B. Virginis immaculatè conceptæ. 601.a. V. prædestinatio.
à salutis cultu multi retardantur. 6.a
Salutatio Angelica rosæ similis in ore salutantium Mariam visa est. 143.a
ea pueris est instillanda. 146.a
eam edoctus est psittacus. ibid.
plus collectim quàm seorsim recitatæ prosunt. ibid b. V. Rosarium.
Samaritana mulier totam urbem ad Christum convertit. 216.a
ejus tota familia martyrio gloriosa facta est, ib.
Samson quid denotet. 191.a
Sancti orantes transfigurati sunt 87.b
non timent dæmonem. 112.b
sed eum ludibrio habuerunt. 114 a
suos habuerunt amicos. 674.a
symbolo virtutis proprio exprimi solent. 224.a
an lædat honorem, manifestare eorum peccata; & quis inde fructus. 235 a b
cur eos Deus permisit peccare? 236.b
in judicio peccata cedent his honori. ibid.
in portu tranquillitatis consistunt. 443.
secundam fortunam timuerunt. 524.a
magnis sanctis Deus arcana revelavit. 670.b
V. Beati.
Sanctimonialium clausura. 728.b
sanctimonialis hebraicè dicitur abscondita. ib.
Christi sponsa, hortus conclusus est. ibid.
earum claustra insulis comparantur. 729.a
non esse deserendam clausuram docentur exemplo aviculæ ibid b (731.
conclusæ miraculosè ab incendio servatæ. 730.
tragœdia sanctimonialis, quæ claustrum deserere statuerat. 731.a
earum sponsus Jesus zelotypus, non vult videri ab aliis faciem earum. ibid. b (141.a
Sanguinis flumina è martyrũ corporibus fluxere.
Sanitatis haustus an prosit alteri. 46.a
quidam in sanitatem amasiæ comminutum dentibus vitrum devorans, expiravit, 51.a
V. calix, haustus.
Sapientiæ cælestis fluvius in paradiso. 137. a
Sarcophagum mortualem quidam in vivis habuere 3?a. seq.
Satietas sine fastidio ubi sit? 451.a
Satisfactio Christi pro nostris peccatis, an fuerit sufficiens. 341.b
Scandala à severis Confessariis orta. 545.a
V. exemplum. (25 b
Scapulare Carmelitarum pallio Eliæ comparatur. à B. Virgine B. Simoni traditum. ibid.
ejus miracula in aquis. 26.a
purgatorium illius beneficio transimus. ibid. b
ignem quomodo vincat. ibid.
quanto venerandum honore, & à quibus honoratum 27.b
Scapulari S. Senuphii Theodosius victoriam est consecutus 28.a
Sceleris laudator tympanista diaboli est. 221.a
scelerum radix avaritia. 281.a
Scanderbegi fortitudo. 570.b
Schola cælestis magistri Bethlehem. 624.a
Scientiâ & ingenio illustres fœminæ. 271.a
sæpè latet in deformi corpore. 580 b
scire omnis homo desiderat. 621.b
quanto labore scientiam gentiles sectati. ibid.
quam cupide alii eam sectati. 623.a
scientia admirabilis Augustini, Pontificum & Doctorum elogiis illustrata. 240. seq.
Scipionis clementia & castitas. 101.a
Scripta S. Dominici ab igne illæsa. 131.a
Secreta V. arcana. 670.b

Securis ad radicem quid significet.66.b
Senibus præferendi juvenes talenris præditi 581.b
vitiis senes quomodo renascantur.633.b
senum cũ junioribus suspecta familiaritas.676.a
Sensuum talentis bene utendum.585.b (606.b
captivandi in obsequium fidei in Eucharistia.
Sensuum custodia.331.a
Sententiæ iniquæ non adhærendum.258.a
Senuphii Scapulari indutus Theodosius victoriam est consecutus.28.a
Sepulchrum mortuorum à luxuria revocat.169.a
Serpentes in se emissos Apostoli in authores remittunt, non ut perdant sed salvent.431.a
Servire duobus Dominis nemo potest.116.
quomodo Deo & diabolo serviatur.ibid.b
servos Dei dedecet pigritia.167.a
servi raro fideles.89.b
quinam fideles sint.90.a
servitutis signum abscissio crinium.35.b
servitus qualisnam avari.289.a
V. avaritia, victor.
Severitas Confessariorum reprehenditur.541 &c.
hæc quando & quomodo non repugnet mansuetudini.106.b
Sidonius Apollinaris innocens quomodo à Deo defensus.691.a
Sigismundus quomodo inquietam pecuniam inter socios diviserit.290.a.b
ejus sponsa sibi fidem in templo daturaad claustra evolavit.732.a (ca.174.a
Signa cælestia sæpè boni ominis sunt prognostica in Neronis, Alexandri, Mythridans J. Cæsaris, Augusti, B.Virginis, nativitatibus & morte, ibid.& seq.
signum Achaz quid denotet.175.a
signa terribilia extremi judicii.181.a
signa duodecim ex quibus colligitur aliquem regoi terreno & cælesti dilectum esse.117.b
Silentium Brunonis strictum & ejus causa.354.a
silentii typus est cygnus.ibid.a
ejus amore Christus io desertum se recepit.ib.b
ejus encomia.ibid.
in silentio sese recolligens instar fontis in cælum salit.362.a
silentium per orationem elevat mentem.ibid.
Carthusianorum.ibid.
Linguæ vitiis medetur.362.seq.
V. Solitudo. (mat.345.a
Similitudinem quænam ars perfectissimè exprimit.
est causa amoris.348.b
geminorum.349.a
quantundam similitudo in vultibus.ibid. 350 a
Simins aurigam agit.24.b
B.Simon Stock humilitate & sanctitate Eliæ & Joaoni similis sub quercu latuit. 17.b
B.Simoni Stock Scapulare à Virgine traditũ.25.b
B.Simon Stylita pedem igneo currui inserens, à diabolo deceptus est.18.a
Sirenibus similes lascivæ cantatrices.510.a
Siriens quidam non potuit bibere, intra annum, quod Willibrordi poculum propinatum rejecisset.51.b
Smyndiridis lecti rosacei.165.b
Sociæ S. Ursulæ. V. Ursula.
Societas Jesu S. Ursulæ dedita.419.b
hæc quosnam dimittat.108.b
Societas prava est venatio diaboli.434.
V. amicus, cantus.
Socrates discipulis speculum proponebat.321 b
Sol in Virgine.175.a (rat.182 a
tum temperat ardorem, quem in leone vibra-
Soles duo in nube, dicitur patelia.556.a
Sol est Paulus & Xaverius.ibid.
illustre ejus encomium.591.a
maculas io eo esse vane recentiores jactant.ib.b
est beneficentiæ typus.655.a
sol cur sublunarem ignem v.g. candelam extinguat.156.a
ei si Augustinus comparatur.225.
eidem similes alii Doctores Ecclesiæ.226.a
Solatia divina cur multi non experiantur. 700.b
Solitudinis laus.355.b
Carthusianorum solitudo.356.a
ad eam Christus suo exemplo invitat.ibid.
miranda opera S.Bruno in solitudine egit.ibid.
est Dei venatio.357.a
hominem Deificat.ibid.a.b
in eam quomodo sæcularibus seced endũ.358.a
solitudo cellæ & claustri.ibid.b
sine Deo horrida.359.b
eam pertæsus ab avicula reducitur.ibid.
V. cella.
Solus cum sola, nunquam con veniat.110.a
hæc solitudo noxia.ibid.
Somnium Jacob typus est Ecclesiæ.740 a
Speculo Angelus Custos comparatur.309.b
mirum speculum mortem prænuntians.317.a
minimè fallax est mortis speculum.ibid.
ad quid ioventum est.318.a, V.mors.
pro speculo Parisiensi quidam cranium obtulit amico.ibid. (bella.ibid.b
fragilitatis fuit Jezabel: & Franc.Borgiæ Isa-
Juvenis est speculum vanitatis.320.a
speculum Socrates discipulis proponebat.321.b
perfectissimè similitudinem exprimit.345.b
Spes peccatoribus est necessaria.236.b
Spiritus S. paranymphus fuit conjugii inter Annam & Joachim.70.a
Spinas mundus profert.153.a
spinæ cum fico colloquium.65.a
per has quænam matronæ cælum conscenderint.532.b
Sponsi & sponsæ spirituales.379.b
spiritualis dignitas.381.a. V.sanctimonialis
sponsæ Christi quomodo sint conjugati.ibid.
adulteræ quænam.ibid b
fornicantur per peccata umibid. (46.a
sponsæ regiæ in purgatorio captivæ detinentor.
sponsa Aristonis deformis, nuptiasverò pulchra evasit.732.a
sponsa Sigismundo fidem in templo datura, ad sacra evolavit.ibid.
sponsus cælestis zelotypus est.731.b seq.
Sputum diaboli sunt obscæna cantica.508.b
in Stabulo natus Ignatius exemplo Christi.137.a
V. Jesus.
stabulum Bethlehemiticum varii visitarunt
estque schola cælestis magistri.623.b
Statura V. parvus.
Status aggrediendi difficultates præponderandæ.
53.b. V. religio, vocatio.
statum electurus Deum, non parentes & propinquos consulat.84.b
status securior eligendus.377.a

ad statum religiosum amplectendum motiva.716.b
beatitudo status est.448.a
status beatorum Scripturis probatur.ibid.b
non omnes Regum principumque statum habere possumus.576.
singulis statibus suam Deus tribuit gratiã.577.b
Stella matutina describitur, eidemque Maria confertur.174.b.&c.
stellatus ordo equestris, quis, ubi, & quomodo institutus.275.b
stellarum regina est luna. 406.b
stella in medio nebulæ fuit S.Dominicus.119.b
Stephans quomodo inimicos dilexerit.643.
mira ejus in persecutores beneficentia. 656.b.
V. *Festum Stephani.*
Sterilitas olim contemptui fuit.214 b
sterilitatis S. Annæ quæ fit causa.71.a
Stibium quid sit. 398.a.V.fucus.
per Stigmata S. Franciscus Deo similis.350.&c.
V. Franciscus.
Studiis inepta est mulier.258.b. V.cœcus.
Subditorum obedientia sit velox.3.b. V.superior.
Suggestiones statim reprimendæ.9.b.
Superbia capillorum. V. capilli, Humilitas.
Vana est.189.b
ejus vindex Angelus Custos.308.b
morte confunditur.321 b
morbo caduco similis.337.b
in ea quomodo Angeli peccarunt.338.a
quanta in mundo superbia.441.a
ob superbiam vestium quidã damnatur. 473.b
mulierum superbia V. fucus, vestes
Superiores sint boni aurigæ.13.b.&c.
iis mansuetudo maximè necessaria.103.b.105.a
suis recreationes indulgeant.106.a
non sint muti canes.134.a
non possumus omnes esse superiores.576.
non uni præ alio faveant.678.b
quodnam eorum officium.ibid.seq.
V. discretio.
Supplicationes in honorem B. M. V. immaculatè conceptæ instituendæ.604.a
Susanna innocens conservatur.691.a
ejus exemplum.476.b
Sybillarum quænam præclarissimum de B. Maria V. ediderit oraculum.253.b
earum libri quales.ibid.
Symbolum S. Augustini quodnam.224.a.
Sympathia V. antipathia.

T.

Tabulæ anima comparatur.393.a
ob Protogenis picturam Demetrius urbi pepercit.ibid.
V. Imago, pictura.
Tactus quomodo in S. Eucharistia fallitur.609.a
Talentis omnibus non potest unus homo esse instructus.574.
ea quomodo in homine considerari possint 575.
unum talentum subindealiundè suppletur: uti & defectus naturalis.578.a
magnis talẽtis præditi sæpè corpore parvi.579.b
qui unum aut nullum habent talentum indignè ad munera, quæ quinque requirunt, applicantur.581.a.seq.
talentis præditi juvenes præferendi sunt senibus.581.b
iis quomodo debeamus uti: & an data ad damnationem? 583.a
pœna eorum, qui talenta ad aliorum salutem necessaria otiosa relinquunt.ibid.b
de iis, qui ingenii talentum vel in religione monastica, vel futilibus recondunt.ibid.b
talentum pulchritudinis defodientes 584.
sensuum & doctrinæ.585.b
benè adhibenda.586.a
peccata Christianorum, Sacerdotum, graviora sunt, quia plus acceperunt.586 a
rationes quatuor, cur peccatum ejus, qui plus accepit, severius puniatur.ibid.
V. gratia.
Tamberlanis disciplina militatis.107.b
Temperantia Francisci Borgiæ.325.b
in templo debetur Angelo Custodi reverentia. 312.a
Salomonis dedicatio & sanctificatio.739.seq.
hoc Salomonis describitur.ibid.
templo quomodo sit cella sanctior 359.b
minus peccarent parentes, si filias lasciè ornatas à templo arcerent.478.b
temporalia multi festinantes aggrediuntur. 3.b
Temporis jactura in comendis capillis exaggeratur.33.b
Tentationi statim resistendum.8.b
ab iis Angelus Custos præservat.314.b
V. victor.
tentationes spiritus quomodo Theresa toleravit.383.b
tentationum coronam fabricat nobis diabolus.385.b
tentationes Confessariis aperiendæ.553.
tentatio carnis invocatione Immaculatæ Conceptionis B. M. V. curata.600.b
ob dæmonis tentationes mors terribilis.721.a
Tepidis dæmon timendus.113.b
Terra promissionis quæ, & qualis fuerit? 67.a
ex ea botrus in vecte allatus.67.b
eidem S. Anna comparatur.68.a
terra Sanctis pro lecto fuit.162.b
in terra quietius pauperes quàm alii in ebutneis stratis quiescunt.165.a
Testari non potest mulier.260.b (321.a
Thalamus nuptialis Ladislai in tumulum vertitur.
Theatrum nos homines sumus.562.b
Theodosius Scapulari S. Senuphii victoriam consecutus.28.a (tus.217.b
Theodosii unius exemplo luxus Romanus subla-
Teodosius Imperator pictor fuit.390.b
Theologia scientiarum præstantissima.372.b
V. Theresia.
Theresiæ desiderium videndi Deum 97.a
S. Theresia in theologia supra omnes Doctores eminuit.371.b
quid de Deo trino & uno cognorit.373.a
doctrinam infusam habuit, & Theologiæ doctrix & magistra fuit.ibid.a
quid circa Angelos cognorit.ibid.b
quid in prima secundæ; & in secunda secundæ, & tertia parte Theologiæ cognorit, & excelluerit.374.375.
ejus in virtutibus progressus.375.a,b
viros reformavit.378.379.
eam sibi Christus desponsavit.379.a
ejus cum sponso deliciæ.379.b

Theresa *anagramma* Esthera ibid.b
ejus visiones, ibid.b
ejus in sponsum amor. 380 a
inusitatum ejus votum ibid.a
tormento bellico comparatur. 381.a
variæ ejus adversitates, ibid.b (382.seq.
morbo injurias, & infamias patienter tulit. 383.
in injuriis exultavit. 383.a
quomodo inimicos & tentationes spiritus tolerarit. ibid.
ejus corpus beatitudinis dotes habet. 384 a
ejus castitas 385.a
duplici corona ornata est, & quali. 385.b
cor ejus in desponsatione coronatum & sociatum. 386.a
ejus cor perpetuum miraculum. 386.a
quali in cælo gloria coronata. 387. 387.
S. Thomæ Aquinatis laus. 137.a
Thomæ à Villa Nova humilitas. 232 a
per quam mirabiliter convertit peccatorē. 236.a
Thomas Apostolus incredulus. 606. &c.
longiùs quàm alii Apostoli fidem promulgavit 6 0.a
ejus infidelitas quanta orbi contulerit. 611.a
ejus ædes nullus infidelis inhabitare, potest 611.a
aliud item de eo miraculum. 611.b
Timor sagitta divini amoris est. 245.a
Tioctura capillorum. 42.a
Tobias in bonis operibus velox 3 b
Tonsura Religiosorum & monialium. 35.a.b
tonsur Deus novacula calamitatis homines tundet. 36.a (37.
tonsura clericorum quare, & quid significet. 36.
est signum luctus & pœnitentiæ. 37.b
est signum submissionis. 38.a
Ungarorum & Bulgarorum tonsura quando inceepit. ibid.
Crotildis mori maluit filios quàm tonderi. 41.a
Tormenta animarū fidelium in purgatorio. 459.b
quinam inter tormenta ludere & jocari fiot visi. 706 a
ea martyres velut lectum subieruot. 158 b (455 a
omnia hujus mundi superat purgatorii pœna.
V. æger, morbus, martyr.
Tormenta bellica quis primum invenerit. 276.b
eidem comparatur homo tribulatus. 382.a
Transfiguratio Domini tertiò celebratur in anno. 86.b
oratio hominem transfigurat. ibid.a
quomodo oratio hominem transfigurat. ibid.b
Tribulationes afferunt consolationes. 700. seq.
in iis lætandum & gaudendum. 70 a. seq.
religiosi in iisdem cælesti consolatione iounguntur. 703.a. seq.
omni tribulatione adjunctam esse coosolationē exemplo Isaaci & Rebeccæ ostenditur. 705.b
tribulationes mundi sunt amaræ. 712.a. seq.
sunt sagittæ divini amoris. 244.b
tribulatus tormento bellico comparatur. 382.a
iis angimur, quia non est in nobis vera fides. 611.
injustè patientium solarium. 690.a b.
licet in hoc crimine innocens, ob aliud fortè pateris. 693.a.b. seq.
V. Angelus, calix, adversitas, miseria, necessitas, passio, victor, innocens.
ad Tribunal Dei quinam innocentes læsi vel occisi appellarint.
an liceat citare ad tribunal Dei?
tales sæpè citationes sunt periculosæ & peccaminosæ. 690.a
ob tribunal judicis mors est terribilis 722.a
SS. Trinitatē S. Ignatius in oratione cognovit. 81.b
Tumba mortualis adolescentem à libidine abduxit. 168.b (319 a
tumba virginibus sacris investiendis præfertur.
Turcæ cur aviculis libertatem permittant. 454.a
illis Scaodalo a est sententia, asserens Mariam in originali conceptam. 95.b
Turrecrematæ zelus in Judæos 133 b (seq.
Tutorum obligatio erga pueros & clientes. 694.b
Tympanistæ sacri quinam in Ecclesia primi? 214.a
tympanistæ diaboli quinam? 218.b (seq.
tales sunt fœminæ, laudator sceleris. &c. 220.b.
tympanum quid denotet. 212.a
sicut tympanum Christus in cruce distentus fuit. ibid.
per tympanum quomodo Deus laudandus. ib.
ejus usus. 214.a. V. pellis mortificatio.
tympanum ex sua pelle cur Ziska fieri curant. 218 a
Typographia ubi, quando, & à quo inventa. 276.a
Tyrocinia S. Ignatii 82.b

V.

Vana gloria V. gloria, humilitas, speculum, vestes.
Vanitati impensius fœminæ sunt deditæ. 318.a
Varronis scientia. 241.a
Vaticinium de S. Ignatii religione. 78.b
Ubera B M.V. bonis comparata. 63.b
cur duo habeant matres ubera. 202.a
Vectigal quando in capillos positum. 39.b
Veloces quinam sint in bonis operibus. 3 a. &c.
velocitas Mariæ V. Maria.
V. celeritas, cursus, festinatio.
Venatio Dei est solitudo 317.a
venator inter homines primus Nemrod. 426.a
primus omnium fuit diabulus. ibid.
hujus canes venatici sunt hæretici. 427.a
nullus Sanctus legitur in Scriptura fuisse venator. 428 a (bita. ibid.
venatio clamosa clericis & religiosis est prohibita festivis diebus interdictam horribili probatur. eventu. ibid b (datur 429.a
Venatio sacra Christi & Apostolorum communem Regum Principumque honestum est exercitium. ibid.
variorum. ibid.
divinus amor animas venatur. ibid b
Christus venatur Magdalenam 430.a
venatione difficili capta, sunt gratiora dono datis ibid.
Deus peccatores venatur, & quomodo ibid.
venatores quomodo differant à piscatoribus. ib.
Venatorum ardor in prædam per omnia discrimina ducit. 432.b
Venatores sancti quomodo possimus esse omnes. 433 a
venatrices sanctæ fœminæ quænā fuerint. ib b.
laquei & retia venatoris stygii quinam sint. ib.
venatores diaboli sunt pravi socii, fœminæ. &c. 434.a.b
cælum & Deum si venari velimus, nulli parcendum est labori. 435.a
venatici canes sunt pauperes. ibid.b

venatores sancti quinam Deum venati.437.a
Deum quomodo venari oportet.ibid.
in venatione quomodo Joannes Austriacus à Philippo agnitus.ibid.b
Venetæ reipublicæ aureum decretum de indecenti habitu.480.b
unde tot ejus victoriæ.481.a
Venus olim curru vehebatur: quot nunc venerei currus! 20.b.V.pictura.
Verbum Dei gladius est,& sagitta. 135. seq.245.a
Verbum infans musicam è cælo in terram evocavit.502.b V.Jesus.
Veritatem Christianam Poetæ fabulis descripserunt.16.2.b.
Vestiuio ornatus quisnam imitandus?176.b.234.b
veste honesta non lacera domina nudum induit,ne in judicio erubesceret ipsa.471.a
dæmones visi saltare super caudatas mulierum vestes.472.b
vestium luxus describitur.ibid.
vestibus pauperes destituuntur,& flores teguntur.473.seq.
tragicum veste superbientis exemplum. ibid.b
vestium luxum voto execrarunt fœminæ Perusinæ: una,quæ repugnat,punitur.476.b
honestè totis & domi incedendum.ibid.b
in lascivè vestitas graves SS. Patrum sententiæ. 477 a. nuditas,pictura.
lascivas vestes gestare peccatum mortale est: & de hoc Theologorum sententiæ.ibid.
peccatur mortaliter habitu lascivo etiam intentione implicita: & licet non habeant ullam malam intentionem.ibid.b
lascivo habitu & nudo corpore incedentes à communione arcendæ.478.a
lascivus habitus est meretricum.ibid.b
non peccarent parentes, si filias lascivè ornatas à sacris arcerent.ibid.
argumenta probantia lascivè ornatos à Communione arcendos.479 b
ob indecentem habitum eripitur S.Eucharistia ab Angelis fœminæ.480.b
de indecenti habitu Venetæ Reip. aureum decretum.ibid.
correptio cujusdam à Confessario de vestitu, quàm salutaris fuerit.481.b
vestibus virtutum ornanda est anima, ne nuda appareat.482.a.V.anima.
corporis & animæ comparantur.483.a
illud studium pro veste animæ impendendum, quod sæculares filiæ in veste corporis insumunt. 483.a
vestium luxu gaudet mundus; sed ejus superbia in quibus humiliata.711.a.&c.
vestes cur à Deo homini datæ.323.a
earum varietas perstringitur.402.a
certâ veste Germanus non potest depingi.ibid.
in virili veste classi Ursulinæ præfuit Alvilda. 408.a (470.b
Deum vestiendo quot ulnæ insumendæ essent.
Vexilla S. Ignatio in visione exhibita qualia fuerint.79.b
Victor est,qui propter Christum victus.408.b
victoria Davidis gloriosior qua seipsum, quàm qua Goliath devicit.409.b
vincendo iram victor eris tui.ibid.
vinces,si contentioso cesseris.ibid.
vincere seipsum nobilissima est victoria.410.a
quinam seipsos vicerint.411.a
victus dæmon à virgine, eam dominam agnoscit.412.a (ibid.
vinci,& servire cupiditatibus, turpissimum est.
certandum & vincendum cum Ursula,ut martyres sine sanguine simus.ibid.b
virgo nisi volens vincitur.413.a
victoria Ursulæ splendidissima.414.a
Videndi Deum desiderium quorundam vehementissimum.97.a
hoc est martyrii genus.ibid.b
Viduarum lites citò expediendæ.13.b.
V.Innocens.
Vigiliæ ad quid,& quàm strictè servandæ.301.seq.
Vigiles erga nos quàm sint Angeli.302 a
V.Angelus,custodia,canes,excubiæ.
Vindictam spirans sui carnifex.647.a
eam sumere imbellis animi,puerile & muliebre vitium est.648.b
multi Principes & Christiani,eam non sumpserunt.649.b.V.Injuria.
Vino comparatur Jesus.72.a
nimium sumptum cur hominem extinguit. 156.a
Vir masculus.V.Filius,mulier.
mulieres plures salvandæ quàm viri.265.b
quæ fœminæ viris saluti fuere.ibid.
viri sunt fœminis aequiores 267.b
fœmellas recens natas quàm malè viri excrentur.269.a
virorum luxus in capillis.32.b
ut fœminæ nunc sunt compti.ibid.
viri pulchritudo in quo consistat.33.a
virili habitu Alvilda classi Ursulinæ præfuit. 408.a
viri quinam à fœminis edocti.272.a
cur vir extra,mulier in paradiso formatus.726.b
cur vir diei,mulier nocti comparetur.ibid.
viri suas fœminas custodiant.ibid.seq.
Vires corporis & animæ semper præponderandæ. 53.b
Virga disciplinam denotat.106.a
Virginitatis currus.18 b (19.a
virginitatis vexillifera in lege nova est Maria.
in veteri lege ejusdem auctor Elias; & quot sub ipso cœnobia.19.a.18.b
colore albo denotatur.20.a
virginalis currus quinà quatuor sint rotæ. ib.b
virginitatem puella capillis servavit.41.b
virginitatis amans apis.199.b
virginitas Bernardi in periculis 200.a
olim contempta,quis primus auctor.214.b
virginitas & verecundia Martiæ, Varronis filiæ.356.b
Virginitio pœnitentiæ.141.a
eat undem consolationes cælestes & delitiæ.ib b
lilia sunt.152.a
virginitas quomodo conservetur.ibid.b
ad virgines adhortatio.416 b
virgines sæculares lilia sunt inter spinas.1[illegible].b
quomodo virgines esse possumus.206.a
quas mortificationes quædã subierint. 213.&c.
dæmon virginem,à qua victus, dominam agnoscit.411 a
quomodò sint domicellæ ibid.
virgo hebraicè abscondita dicitur.728.b

virgo nisi volens vincitur. 413. a
aliquot millia in una civitate reperta. 417.b
virginitatem servari posse, evincitur contra Lutherum. 418. a
virguncula quædam in honorem 11000. Virginum, tot sibi flagra infligit. 420. b
virginitatis primitias Maria Deo obtulit. 487. a
virginitatem Deo offerendo multa millia Mariam secuta. ibid. b
virginum dux Maria. ibid. b
virginitas Mariæ illustrior, quia sine exemplo. 488. a
virginitas veteris legis non fuit ex voto. ibid. b
virgines quænam humilitatem Jesu edoctæ. 628. a
V. Ursula.
virgo sæcularis. V. puella.
Virtus festinanter arripienda. 3. b
virtutum currus. 34 b
earum auriga discretio. Ibid.
ex iis vana gloria enascitur. 90. b
virtutis exempla multos excitant. 215. a
virtutum fundamentum humilitas. 231. b
virtutes animis impingendæ. 392. b
in iis vera consistit nobilitas. 556. b
virtutis cursum vitia impediunt. 6. a
virtuti deditus aliorum calumniis absterreri non debet. 598. a
virtutum fundamentum fides est. 606. a
hæc de omnibus virtutibus triumphat. 609. b
quanta virtus sit fides; & pertinaciam vincere. 610. a
virtutum magister cælestis non auditur. 623. a
virtutum schola Bethlehem est. 624 b
virtutes & proprietates parvulorum imitari debemus. 636. a
virtute commendabiles præ cæteris diligendi. 678 a
mulierum laus maxima, si earum virtus domesticis tantùm innotuerit. 727. a
virtute bellica illustres fœminæ quænam. 270.
virtutum vita est mors vitiorum, & meditatio mortis. 321. b V. nativitas.
virtutum vestimentis ornanda anima, ne nuda appareat. 482. a V. vestes.
non omnes omnibus datæ. 581. b
Visus in fide captivandus 607. a
Vita mixta perfectior est solâ contemplativa vel activa. 125. b
clericalis & religiosa cum cantu debet consonare. 518. b
V. nativitas. religiosi.
in vitæ periculo an liceat spernere medicinam. 346. a
eam quidam Sancti spreverunt. ibid.
ejus fugacitatem deplorat fortunæ rota. 513. a
ei fides præferenda. 616. a
bona vita efficit, ut maledicentibus non credatur. 647. b 598. a. V. status. fortuna.
Vitia virtutis cursum impediunt. 6. a
iis statim resistendum. 8. b
vitiorum currus. 24. b
vitiorum mors, est meditatio mortis. 321. b
iis abstinendum. 431. b V. defectus, nativitas.
vitia omnia defectu fidei perpetrantur. 613. a
parvulorum cavenda. 635. a
Viti comparatur S. Anna. 61. a
è vite, S. Anna, juvenis desperatus vinum salutis hausit. ibid. b
viti terræ promissionis S. Anna comparatur. 66. b. &c.
eidem Maria similis. 71. b
est arborum gratissima. 72. a
est arbor optima, & tamen non cæditur. Ibid.
vites mirabilis magnitudinis. ibid b.
aureæ & gemmeæ. ibid.
de vite somnium Astyagis. ibid.
quid conferat 190. a
cur viti uxor comparetur. 727. a
Umbrâ S. Petrus morbos, Ignatius dæmonem fugavit. 111. b
Unctio extrema quando pueris danda? 695 a
Ungarorum seu Bulgarorum conversio quando incepit. 38. a
Unus oportet esse. 402.
Vocationem differens graviter punitus. 7 b
V. Deus, religio.
Voluntas humana divinæ conformanda 579. b
Votum Theresæ, & Jacobi de Sauta inauditum 380. a b
per ista vota Religiosi mortui. 330. b seq. V. Religiosus.
utrùm melius opus ex voto, quàm sine eo. 488. b
objectio, melius esse non vovere, refutatur 489. b
cavendum, ne præstetur obedientia Confessario, cum sit voto. 553. b
Urbi pepercit Demetrius ob tabulam Protogenis. 393 a
Ursula virginum Regina est. 406 b
ab Asterio in sponsam petitur. 407. a
ipsa hunc paganum convertit ibid.
nuptiæ S. Ursulæ in triennium protractæ. ibid.
classi 11000. Virginum ipsa præest. ibid. b
ad certandum socias animat ibid.
quomodo cum Ursula certandum, ut sine sanguine martyr fias. 412. b
ejus victoria gloriosissima. 414. a
ingeniosè cum luctabat gemmæ insculpta. ibid.
plures ad Christum traxit, quàm S. Petrus & multi Sancti. ibid. 415. a
ejus oratio. ibid.
angelico munita fuit præsidio. ibid.
inter Amazones Christianas excellit. 413. b
quot in comitatu socias habuerit. 416. a
lunæ crescentium ei appl catur. ibid. b
patrona est in omnibus adversis. 417. a
praxes eam colendi. Ibid. b
11000. virginum in comitatu habuisse probatur. [illegible]
praxis eam colendi rosario. 419. a
moribundo succurrit. ibid.
recitatori rosarium in agone succurrit. ibid. b
Societas Jesu ei se dedit. ibid.
colitur jejuniis. 420. a
ejus eximia cultrix Alzelina. ibid. b
in ejus, & sociarum virginum honorem virguncula quædam 11000. flagra sibi infligit. ibid. b
colitur visitando ejus reliquias. ibid.
ad eam longæ peregrinationes institutæ 421. a
in ejus tutela Colonia Agrippina ibid. b
colitur singulari ejusdem officio 422 a
Uvæ B. Virgo comparata. V botrus, vitis. 62. b
Vulnus in absentia an possit curari 46 a
Christi splendida, & cur? 698. b
martyrum ea sunt splendidiora, in quibus maximum passi martyrium. 699. a
Vultus varius homo induit 445. b
Uxor cur viti comparetur. 727. a
Willebrordi haustum propinatum quidam rejiciens, intra annum non potuit bibere. 51. b
X.
XAverius pœnitenti compatiens, flagellum in se parat. 550. a
Sal est: & alter Paulus. 556. a. b
à qua familia sit. ibid.
ejus in juventute castitas. 557. b
vita illius describitur. ibid seq.
ad eum Ignatii monita, & Xaverii lucta. 558. a
Apostolus gentium, quomodo orbem peragrat pro animarum salute 559. 560.
ejus labores. 562. a
quotidie cum Paulo mortuus. 564 a
Xaverius major Virsaxem. 563. b
quomodo sit martyr. 564. b
à gentilibus pro Deo habitus. 565. b
dono linguarum fuit præditus. 566. a
prophetiis claruit Ibid. b
mortuos ab eo resuscitati. 567 b
de ejus brachio & reliquiis. 568. b
de quo miracula: & de ejus translatione. 569. b
majora miracula per hoc brachium, quam per [illegible] tas est Christus. 570. a
brachiam Ecclesiæ Paulus & Xaverius. ibid.
ejus reliquiæ. 572 a
Z.
ZElotypia quid sit. 732. b
inter Theodosium Imp. & Eudoxiam. ibid.
Zelus indiscretus valde noxius 25 a
Ignatii zelus confertur Moysis. 95. a
Zelus Pauli 98 b
variorum zelus animarum. 99. b
zelus in Deum. 135. b
Zizka ex pelle sua tympanum cur fieri curavit. 218 a

F I N I S.

INDEX
IN DOMINICAS
TOTIUS ANNI.

Qui conceptum, argumentum, & fundamentum Concionatoribus suppeditat, cui possint superstruere.

DOMINICA 1. ADVENTUS.

Videbunt filium hominis sedentem in nube cum potestate magna, & majestate. Luca 21.

DEi filius euram in se suscipiet innocentium & oppressorum, eosque judicabit in judicio æquiori & meliori, quàm oppressores, judicio. *Festo S.S. Innocentium* §1.

2. Aliquando licet provocare ad tribunal Dei; aliquando non licet. ibidem.

3. Solatium ingens fit innocenti, dū injustè patitur aliquid, illum Deus judex tuetur, cui cordi est innocentia. ibid. §.2.

DOMINICA 2. ADVENTUS.

Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. Matth: 11.

Præcursor Domini prædicans verbum Dei comparatur gladio Cherubini stantis ante paradisum. Verbi divini præcones canes sunt latrantes, uti Joannes in vi neulis allatrabat Herodi: *non licebit tibi habere uxorem fratris tui.* Peccatores canes sunt muti &c. *Festo S. Dominici.* §. 2.

Quid existis in desertum videre? arundinem vento exagitatam? ibid.

Fortitudo contra adversam fortunam *Festo S.Catharinæ* §.2.

DOMINICA 3. ADVENTUS.

Tu quis es? Ioann. 1. Expone virtutes eximias præcursoris Domini, quibus illum Deus ditavit: tum ostende, quod providentia Dei det unicuique homini secundùm proprium statum, hominibus diversa talenta, diversis Provinciis diversas merces venales, &c. *Festo S.Nicolai ab initio usque ad finem.* §. 2.

2. Qui pauca talenta habet, ineptè intruditur in majora & capaciora munia §.2. *ibid.*

Ego vox clamantis in deserto. ibid.

Cantus in deserto, in choro Deo gratus; ejus defectus &c. *Festo S. Cæciliæ.*

2. Casti sunt organa Spiritus Sancti. *ibid.* §.1.

3. Quomodo musica variis vitiosis affectibus obsistat *ibid.* §. 2.

4. De bono, & malo usu linguæ & vocis. *ibid.* §3.

DOMINICA 4. ADVENTUS.

Erunt prava in directa, & aspera in vias planas. Luca 3.

Omnia prospera & adversa, divitiæ, vita, mundus, &c. rotantur; sed generosè calcanda sunt, & contemnenda. *Festo S Catharinæ.* §.1.

2. Qui hic prosperâ, postea asperâ adversâque rotâ volvuntur. *ibid* §. 2.

3. Per asperam viam adversitatis ad cœlum pervenitur, idipsum luculenter exemplis comprobatur. *ibid.*

DOMINICA INFRA OCTAVAM Nativitatis Domini.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius Luca 2.

Quam multiplici afflictionis gladio transfixum est cor & animus Mariæ matris dolorosæ! hæc nihilominus perpessa est incredibili patientiâ, sciens, quòd in quo membro justus plus passus fuerit, in eo plus splendoris esset acceptu-tus in gloriâ cælesti. *Festo S.S. Innocentium. ante* §. 1.

1. Ex tolerātiâ, passione patiētia credibile hauritur latium, & gaudium. Dolebat quidem Maria dolore filii patientis; sed noverat post breve tempus dolorem suum & tristitiam in gaudium comutandū, nimirū postResurrectionē filii sui. Ita scilicet instrumenta doloris vertuntur in gaudii ornamenta, supplicia in delicias; tormenta sunt fomenta solatiorum, unguentorum, & blandimentorum divinorum. Ita mortificatio Religiosorum consolationibus cælestibus temperatur, & cruces & cruciatus cælesti dulcedine, blanditiis, & gratiâ junguntur. *ibid.* §.1. *Item de communi S.S. Martyrum, Per totum.*

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Luca 2.

Christus cujus animæ infusa supernaturalis scientia,

eotia, præter eam quam habebat æternam, interrogabat Legisperitos, & Doctores, & Scribas, & Pharisæos curiosè, non vanè; sed de Messia venturo &c. Ita omnes homines scire desiderant &c. *Festo Natalis Domini* §.1.

2. Cœlesti scientia hæreses discutiuntur, & scelera. *ibid.* §.1. & 2.

3. De scientia Theologica *Festo S Theresia.*

4. Christus in templo præconem verbi Dei nunc primum egit, & exemplo fuit Concionatoribus, quales eos esse oporteat: hinc describe conditiones boni Concionatoris. *ibid.* §.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Cùm inebriati fuerint. Ioann. 2.

Ebrietas homines ratione privat, & omne malorum examen inducit. Invenies ebrium hominem graphicè descriptum *in Dedicatione templi* § 2. *Item in Festo S Iacobi majoris Apostoli per totum.*

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilaa. Ioann. 2.

Nuptiæ spirituales describuntur graphicè. *Festo S. Theresia* §.2.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Non inveni tantam fidem in Israel. Matth. 8.

Fides omnium virtutum radix & fundamentum. *Festo S. Thoma ab initio.* Vera fides apud paucos invenitur, *quis est hic, & laudabimus eum?* Deinde omnia peccata patrantur defectu fidei: & fides deest in Curia, in qua falsi contractus, fraus in mercibus &c. *ibid.* §. 2.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum Ibid.

Laudatissima virtus est humilitas Centurionis, quæ meruit ab ipso Christo commendari. Hanc doceant parvuli: hanc ipse parvulus Iesus in stabulo Bethleemitico nos edocuit. *Festo Natalis Domini.* §. 2.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Ecce motus magnus factus est in mari. Matth. 8.

Mundus mare est assiduis fluctibus & procellis agitatum. *Solemnitate omnium Sanctorum.* §.1.

Stabilis quies in cælis. §. 2.

Imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna, unde exclamare licet: *quia venti & mare obediunt ei. Matth.*8.

Si & venti & mare, barbara elementa, obtemperent Creatori suo Deo; cur homo homini, subditus superiori suo non obediat? exemplum boni ac moderati superioris habes in Ignatio Societatis Iesu fondatore, suos prudenti ratione, ac moderatione regentis; illorum verò promptè & alacriter obtemperantium, & imperata facientium. *Festo S. Ignatii,* §. 5. & 6. *potissimum.*

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Vis, imus, & colligamus ea? Matth. 13.

Inimicus homo, Diabolus est, capitalis hominis & Deo hostis, insidiatur semper animæ, & laqueos, tanquam venator, ponit, ut eam irretiat, venaturque animas nostras in perniciem sempiternam. *Festo S.S Simonis & Iuda ab initio.*

2. Sed divinus Amor spiritualis Venator quærit animam laqueis amoris capere, & ad bonum virtutemque pellicere. Felix captura! capiatur anima nostra illis laqueis, quæ nihil sunt, nisi charitas. *Ibid.* . 1.

3. Quomodo exemplo Apostolorum omnes Sancti Venatores esse possint. *Ibid.* §. 2.

4. Venatio verò longè est utilissima, si pauperibus detur eleemosyna. *Ibid.* §. 3. *Item de Eleemosyna vide* §. 1. *Festo S. Martini.*

Triticum autem congregate in horreum meum. Ibid.

Optima quæque Deo offerenda. *Festo Præsentata Virginis.*

2. Primitias omnis laboris & manuum nostrarum Deo offerenda. *Ibid.* §. 4.

Inimicus homo hoc fecit. Ibid.

Inimicus homo est Diabolus, qui zizania, seu semen discordiæ spargit in agro, seu corde hominis: hinc inimicitia; sed eradicandum est illud pravum inimicitiæ semen, & dilectione inimicorum, & oblivione injuriarum. *Festo S. Stephani Proto-Martyris per totum.*

2. Pulchra de sui victoria, & inimicorum coodonatione invenies. *Festo S. Ursula.* §.1

DNMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor. Matth. 13.

Quemadmodum granum sinapis crescit sensim in arborem, ita etiam sensim crescere nos oportet in virtute & studio perfectionis, donec ad apicem gradum faciamus. *Festo S. Theresia* §. 1.

2. Sicut granum sinapis minimum excrescit in arborem, *ut volucres cæli veniant, & habitent in ramis ejus*; ita curru humilitatis in cœlum vehimur. *Festo S. Elia Propheta.*

DOMINICA IN SEPTUGESIMA.

Ite & vos in vineam meam. Matth. 20.

Quemadmodum S. Anna viti æquiparatur; ita & omnis homo vitis est &c. *Festo S. Anna.*

2. Vinitores racemos superfluos resecant, ut vinea reddat uberiores fructus, sic & luxos capillorum in puellis, & adolescentibus resecandus. *Festo S. Maria Magdalena per totū*; ubi & de sponsis Christi attonsis, & de superfluis resecandis per eleemosynam &c. *Ibid.*

Reddite illis mercedem. ibid.

Bona opera merentur mercedem suam; illam Deus dabit copiosissimam post hanc vitam scilicet gloriæ coronam. *Festo S. Theresia.* §. 4.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Valde mane veniunt ad monumentum. Marci 16.

Fervor pietatis in Deum nunquam debet remitti, sed vivida & perpetuâ motus alacritate Deo dili-

diligenter servire nec differendum in horas sed quam citissimè possumus exscindenda vitia, inserendæ virtutes. *Festo visitationis B. Virginis Mariæ.* §. 1.

Primo vitæ exordio exemplo Virginis Præsentatæ in templo offerendæ Deo primitiæ virtutum, operum, diei. *Festo Virginis præsentatæ. In Exordio.* §. 1. & 4.

Veniamus ad monumenta sæpius, & considerata, morte discamus rectè vivere & mundo mori, ut cum Christo redivivi aliquando triumphemus. *Festo B. Borgiæ per totum.*

Vt ungerent IESVM, ibid.

Pro forma & corporis pulchritudine quam multa consumuntur unguenta labore summo, de animæ pulchritudine, ei quæ est tamen, ultima cura est. *Festo S. Lucæ.* §. 2.

Surrexit. ibid.

Tot habemus cum Christo resurgendi adminicula, exempla Sanctorum, Martyrum, mortis meditationem, Beatorum considerationem, & jacere lubet in sepulcro fœtido vitiorum, aut certè in desidiæ & tepiditatis lectulo marcessimus. *Festo B. Francisci Borgiæ per totum. Festo omnium Sanctorum.* §. 2. *de commun. Martyrum, ex Exordio,* & §. 1. *Festo S. Laurentii.* §. 3.

Quemadmodum cum Christo nascente, omnes renasci debemus, ita cum eodem resurgente resurgere: sunt enim resurrectiones & nativitatis quædam analogiæ, nec difficile quæ de spirituali nativitate differuntur, resurrectioni applicare. *Solemnitate Natalis Domini.* §. 3.

Nolite expavescere. ibid.

Vide sabbato Sancto.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Aliud cecidit in spinas. Lucæ 8.

Totus mundus plenus est spinis & tribulis. Spinæ sunt adversitates & tribulationes, &c. *Festo S. Theresiæ.* §. 3.

Fructum afferunt in patientia. ibid.

Omnis adversitas, crux, morbus, pauperies, ignominia, est dulcis lectulus, in quo patiens quiescit. *Festo S. Laurentii.* §. 1.

2. I. Lectulus patientiæ in morbo. II. Pœnitentiæ lectulus. III. Lectulus bonæ conscientiæ. ibid. §. 2.

3. Triplex improborum lectulus. I. Pigritiæ. II. Concupiscentiæ. III. Æternæ miseriæ. ibidem. §. 3.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Et tertia die resurget. Lucæ 18.

Quam multi manent ad annos in veterno, & sepulchro vitiorum, quin unqnam hactenus spiritualiter cum Christo resurrexerunt: O si tandem aliquando novam vitam cum Christo natoauspicentur. & renovent seriò vitam suam! *Festo Natalis Domini.*

Occident eum, & tertia die resurget. ibid.

Pro nobis Christus mortuus est, & pro nobis resurrexit; ita & pro Christo mori, vivere est. *Festo S. Vrsulæ.* §. 1.

Ecce ascendimus Ierosolymam. ibid.

Ascendamus nos currum humilitatis, & in cœlestem Jerosolymam provehemur. *Festo S. Eliæ Prophetæ.*

2. Alter currus est Virginitas, &c. *ibid.* Plura de Virginitate reperies. *Festo S. Dominici.* §. 5.

DOMINICAS QUADRAGESIMÆ

Ne actum agamus, vide in Indice peculiari Quadragesimæ.

DOMINICA IN ALBIS.

Cum sero esset. Joann. 20.

Nemo desperat, tametsi ad provectam ætatem flagitiosam vitam duxerit: nunquam enim serò est, ut progressum facias in virtutibus. *Festo S. Theresiæ.* §. 1.

2. Cum sero esset, id est, cum erit vitæ vespera, veniet vineæ Procurator, qui reddet unicuique propriam mercedem, & coronam bonorum operum. *Festo S. Theresiæ.* §. 4.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego sum Pastor bonus. Joann. 10.

Boni Pastoris munus exigit, ut oves suas ducat mansuetudine. *Festo S. Ignatii.* §. 5.

2. Quomodo oporteat subditos regere. *ibid.* § 6.

3. Bonus Pastor est Confessarius, qui Pœnitentes audire debat suaviter, & benignè. *Festo S. Andreæ Apostoli.* §. 2.

4. Non nimis graves pœnitentias imponat Pœnitentibus. exemplo Pastoris, qui oviculam errantem cespite mollioris glebæ admonet, & ad viam reducit. *ibidem* §. 3.

5. Honorandi Confessarii, uti oves observant Pastorem suum; Confessarii suor medici spirituales animarum. *ibid.* §. 4.

Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. ibid.

Hic Pastor pastorum, Redemptor noster est, cujus exemplo viri Apostolici, sicuti & S. Ignatius, cum salutis suæ periculo salutem animarum, & ovicularum sibi creditarum procurerunt. *Festo S. Ignatii.* §. 4.

DOMINICA III. POST PASCHA,

Tristitia vestra vertetur in gaudium. Joann. 16.

Mundi gaudia vertuntur denique in amarissimam tristitiam; solidum verò gaudium, quod nemo tollet à nobis, hauriendum est ex ipsâ passione & tolerantiâ adversitatum: hinc omne solatium. pungitur patiens, & ungitur: tormenta sunt fomenta solatiorum, unguentorum, ac blanditiarum divinarum.

Ita & mortificationes Religiosorum consolationibus temperantur, & cruces cœlesti dulcedine. *Festo S S. Innocentium ab initio, & potissimum* §. 1. *& per totum.*

2. Sicut abundat tristitia ex passione, ita & per Christum abundat consolatio nostra: ipse enim est Deus consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, in infirmitate, paupertate, adversitatibus omnibus. *De communi S. S. Martyrum* §. 1. & 2.

GAUDIUM VESTRUM NEMO TOLLET A VOBIS. *Ibid.*

Tristitia occupat, & inquietos reddit homines in hoc mundo; sed in cælis stabile erit gaudium, seu stabilis quies ab omni pressura. *Solemni. omnium Sanctorum.* §. 2.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Expedit vobis, ut ego vadam Ioann. 16.

Diligebant Discipuli optimum Magistrum suum, ac propterea dolebant se debere carere præsentiâ, ac familiaritate dilectissimi Jesu. Quantum Jesus diligeret, patet potissimum ex amore Beniamini sui Joannis Evangelistæ, quem diligebat supra modum. *Festo S. Ioann. Evangelistæ.*

2. Amicum Joanem diligebat Jesus ob virtutem castitatis: ita amici ob virtutem diligendi; non verò propter exteriorem gratiam. *Ibid.* §. 1.

3. Amicitia familiaris cum Deo non parit contemptum; sed reverentiam & gratiam coram Deo: nimia hominum familiaritas, sensualis (uti discipulorum, qui gratiam Jesu exteriorem, & præsentiam, & eloquentiam antè omnia diligebant) nocet; imo & pluribus hominibus nimia familiaritas exitio fuit. *Ibid.* §. 3.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioann. 16.

Magna dignitas est, & sublimitas orationis, magna efficaxque utilitas, magna necessitas, ut nobis oratione prospiciamus. Propterea Jesus desiderat summopere, ut patrem suum omnes simul orenus, impetraturi facilè omnia, saluti nostræ necessitatique consentanea. *Vide ultimam hujus libri Concionem, de oratione in communi, per totum.*

EGO ROGABO PATEM PRO VOBIS. *Ibid.*

Christus suorum curam gerit in hoc mundo, ut benignus pater: in cœlo verò etiam suorum nonobliviscitur; sed tamquam orphanos tuetur, & pro eis sollicitus est apud patrem. O Parentes, Tutores, Patrini, nonne & vobis cura incumbit parvulorum, orphanorum, innocentium? *Festo S. S. Innocentium.* §. 3.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium præstare Deo. Ioann. 15.

Innocentes quidem possunt raptari ad tribunalia, & durissima quæque pati, sed Deo cordi est illorum innocentia: hoc solatio sit, quod Deus innocentem nunquam patiatur opprimi, sed protegat. *Festo S. S. Innocentium* §. 2.

Hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis Ibid.

Salvator futurorum malorum nos præmonet, vultque potissimùm nos mortis imminentis meminisse: quia mors humanæ fragilitatis, & vanitatis speculum. Hanc vivam mortis imaginem pro speculo utere puella, & juvenis, quòd minime fallax, hoc tibi exhibet, quod futurus es. Hæc optima Philosophia est, mortis meditatio: nam meditatio illa est mors vitiorum, superbiæ, iræ, avaritiæ, gulæ, luxuriæ &c. *Festo B. Francisci Borgia, ab initio usque ad finem.* §. 2.

2. Consideratione mortis homo sibi, omnique moritur sensualitati, ut vivat Deo. *Ibid.* §. 3.

DOMINICA PENTECOSTES.

Emitte Spiritum tuum & creabuntur.

Spiritus sanctus in verâ fide servatur & fovetur. Hanc ubique & semper retineamus. *Festo S. Thomæ Apostoli.* §. 1. & 2.

Ardens in Deum charitas & proximum, Spiritum sanctum in nobis retinet. *Festo S. Augustini.* §. 5.

Spiritus veritatis qui à Patre procedit, suadet actum contritionis & amoris perfectissimi, sæpe elicere *Festo eodem* §. 1. In medio.

Spiritus Sancti donum est discretio & consilium, hæc proximum instruendo exerceamus. *Festo S. Elia* §. 2. *post medium.*

Idem Spiritus lenitatem & mansuetudinem nos docet. *In Octava S. Ignatii,* §. 5.

Non turbetur cor vestrum. Ioan. 14.

Datum est in Pentecoste Initium bello gravissimo, ibi Apostoli instructi omni armatura spirituali, quâ & nos satis instructi, hostes nostros spirituales expugnare debemus. *In Octava S. Ignatii.* §. 1.

Non est quod turbentur caritate fervidi, sed inertes, Deus pro nobis pugnabit. *eodem Festo* §. 7. *In medio*

Omnis generis, loci, sexus homines fortiter valent superare dæmonem, exemplo virginum, puerorum &c. *Festo S. Ursula.* §. 1.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit. ibid.

Nusquam certius probamus Christo amorem nostrum, quàm pro illo acriter certando, labores, pericula sustinendo. *De Communi Sanctorum Mar-*

Martyrum. §.1.& 2. *Festo S.Iacobi majoris.* §.1.& 3. *Festo S. Theresea.* §.4. *in initio.*

Diligamus dilectum Dei filium, præsertim cum tot tantisque illiciis amatorem nostrum erga se provocet. *Festo S. Ioann. Evangelista.* §.1.

DOMINICA S.S. TRINITATIS.

Ite docete omnes gentes. Matth. 26.

Doctrinam Christi quam ipse nos docuit, alios docere debemus. Et nullus non Apostoli munere fungi potest. *Festo S. Simonis & Iuda.* §.2.

Prædicator Evangelicus, Confessarius, omnesque animarum curatores Christum docentem in præsepio verique oratoris partes omnes explentem audiant, sequantur, aliisque proponant. *Solemnitate Natalis Domini.* §.1. *Festo S. Andrea.* §.1.

In nomine Patris, & Filii, Spiritus Sancti. Ibid.

Quo honore colenda Sacratissima Trinitas, S. Augustini cor caritate ignitum docet. *Festo S. Augustini* §. 4. *in fine.*

Docentes eos servare omnia, quæ mandavi vobis.

Mandata Dei gravia non sunt nedum impossibilia, jugum enim ejus soave. *Festo S. Iacobi Majoris.* §.3. *circa finem.*

Animarum curatores improvidi, hominum gratiam amittere formidantes loqui liberè recta sæpe pertimescunt. Fugiunt veniente lupo & id sub silentio abscondunt, canes muti non valentes latrare. *Festo S. Dominici* §.2. *circa medium.*

Et ecce ego vobiscum sum. ibid.

Christus dux noster nobiscum certat, pro nobis vincit, provocatque nos ad aspera quæque perferenda. *Festo S. Iacobi Majoris.* §.1.

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

Estote misericordes sicut Pater vester misericors est. Luca 6.

Quæ pauperi exhibetur misericordia, Christo fit. *Festo S. Martini.* §.1.

Deo quodam modo fit similis qui in proximum mitis, clemens & misericors est. *Festo S. Xaverii.* §.3.

Etiam de ingratis & inimicis bono mereri oportet exemplo ipsius Dei, solem suum impertientis bonis & malis. *Festo S. Stephani. In Exordio* & §.1.

DOMINICA INFRA OCTAVAM S.S. CORPORIS DOMINI.

Vocavit multos. Luca 24.

Ut sciamus an & quo vocemur à Deo, consilio nobis opus est & spirituali viro, cujus præsertim in consultatione negotii salutis consilio standum erit, interim delibera antequam statuas. *Festo S. Andrea.* §.4. *circa finem.* *S. Iacobi Majoris.* §.2. *in fine.*

Cœperunt omnes simul excusare. Ibid.

Non est quod se excusent: omnis sexus, ætatis generis, naturæ, loci homines Deo valent servire, & alienæ saluti. *Festo S. Simonis & Iuda.* §.2.& 3. *Festo Mariæ nata.* §.3. *in medio.* *Festo S. Vrsula.* §.1. *in medio.*

Nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Ibid.

Deus per gratiam suam nos vocat ad cælestem cœnam, non eam repellamus, sed cito obediamus, ne recedat à nobis, & alius accipiat coronam nostram. *Festo Visitationis B.V. Maria.*

DOMINICA III.

POST PENTECOSTEN.

Donec inveniat eam. Lucæ 15.

Laus perseverantiæ tanta est, ut ea exclusa nullus sit benè cœptorum fructus, inchoantibus præmium promittitur, perseverantibus datur, ut ergo in proposito dures, reputa consecuturum bonum. *Festo S. Sanctorum* §.3. *in Exordio* & §.1. *Festo S. Luca.*

Imponit super humeros suos. Ibid.

Hæc Rectoribus populorum, & animarum impendet cura, ut suos quasi humeris sustollant, nec ferociant in lapsos, sed foveant infirmos, & velint pro suis (ut quidam Sancti viri voluerunt) anathema esse pro exorandâ eis veniâ. *Octava S Ignatii* §.4. *Festo S. Andrea* §.1.& 2.

Congratulamini mihi quia inveni ovem quæ perierat.

Gaudium erat summum Christo cum deducebat ad patrem oves, sed & nunc eodem gaudio perfunditur, cum quis animam Deo lucratur. *Festo S. Francisci Xaverii* §.1. *circa finem.*

Si aliorum saluti non velint studere mundani homines, saltem non studeant perniciei, scandalo vanitatis, luxui vestium, & lascivo corporis cultui, sciantque quàm facilè peccatis alienis participent, discantque propriæ animæ misereri. *Festo eodem & loco.* *item Festo S. Bartholomai.* §.3.

DOMINICA IV.

Cum turba irrueret in IESUM ut audirent verbum Dei. Luca 5.

Quid ni irruerent? verbum ejus dulce super mel & favum, ac instar magnetis omnium post se corda trahebat, & vita ejus jam inde à nativitate nostrorum fuit magisterium morum. *In Solemnitate Natalis Domini per totum.* *Festo S. Bernardi.* §.1.

Per totam noctem laborantes nihil capimus. ibid.

Tales sunt, qui tempus inutiliter transfigunt formæ, luxui vestium, capillitio &c. studentes, nō solum infructuosæ animis propriis, sed damnosæ alienis. *Festo S. Mariæ Magdalenæ. §. 1. Festo S. Lucæ. §. 2.*

Qui beatitudinem quærunt extra Deum in vanum laborant. Ea certè in divitiis non residet. *Festo S. Matthæi in exordio*

Ex hoc jam eris homines capiens. ibid.

Mundus mare, homines pisces, viri Apostolici piscatores sunt, cogitent illi quanta dignitas & & res eis demandata sit. *Festo S. Andreæ per totum. Festo Simonis & Iudæ per totum.*

DOMINICA V.

Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Matthæi 5.

Vitam sanctè instituamus purè propter Deum, ei fideliter in omnibus servientes, non ut Scribæ & Pharisei, qui propter se, hominumque favorem opera bona exercebant. *in Octava S. Ignatii. §. 3.*

Non occides. ibid.

Quotquot lethali peccato se obstrigunt animæ suæ sunt occisores, innocentes verò animas aliorum interimunt, qui scandalo pravisque exemplis alios ad peccandum pertrahunt, sed Deus animas de illorum manu requiret. *Festo S. Bartholomæi §. 3.*

Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. ibid.

Ira dedecet omnes homines maximè Christianos, quibus Christus exemplar mansuetudinis propositus est. *Octava S. Ignatii §. 5. ab initio ad medium.*

Si offers munus ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.

1. Optimum ac Deo gratissimum sacrificium iram vincere. *Festo S. Ursulæ §. 1. ab initio ad medium.*

2. Inimicitias remittere & mala bonis compensare, vindicta Christiana & divina est. *Festo S. Stephani per totum.*

3. Si tui victor & Dominus esse velis, à primâ juventute incipe iræ, cæterosque affectus pravos, aliosque motus animi compescere. *Festo Præsentationis Beatæ Virginis Mariæ. §. 1. 2. & 3.*

DOMINICA VI.

Cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent. Marci 8.

In hac inæqualitate conditionis humanæ; quā alii non habent quod manducent, alii affluunt divitiis, videtur non consistere Dei providentia: sed error est, optimè enim consistit, ut tu scilicet aliquid desde tuo ad quod teneris in gravi pauperis necessitate, & sic quædam fiat æqualitas. *Festo S. Martini §. 1.*

Misereor super turbam. ibid.

Misericordia hominibus convenientissima virtus & utilissima; multiplicantur enim panes in cœlo, quos das pauperi. *Festo S. S. Simonis & Iudæ. §. 3. Festo S. Mariæ Magdalenæ. §. 2. à medio ad finem.*

Ecce jam triduo sustinent me, & deficient in via. ibid.

Corpus & anima hominis inter hujus vitæ labores non potest subsistere, nisi utrumque interdum relaxetur. Sint igitur solliciti superiores, Patresfamilias, Domini suorum commodis, nec recreationes negent, ne deficiat in via, leniterque eos tractent. *in Octava S. Ignatii §. 5.*

Vnde istos poterit quis hic saturare panibus in solitudine. ibid.

Humanus animus solo Deo expleri potest, unde frustra quærit avarus saturari auro. *Festo S. Matthæi in exordio & §. 1.*

DOMINICA VII.

A fructibus eorum cognoscetis eos. Mat. 7.

Probitas parentum cognoscitur eùm liberos omni pietate instituunt, suisque non modo non offendiculo, sed optimo sunt exemplo quod bonos fructus profert. *Festo S. Annæ in exordio.*

Omnis arbor bona bonos fructus facit. ibid.

Homo à S. S. Patribus arbori rectè comparatus, fructus debet facere, & quò meliores, eò arbor melior. Mala tamen arbor etiam potest bonos fructus facere, ut Petrus, Paulus, Magdalena &c. Et quo sensu vide *Festo S. Annæ §. 1.*

Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. ibid.

Progredi in virtute nequit, nedum ad cessum pervenire, qui non sequitur voluntatem Dei, qui verò præter Dei voluntatem, ejus consilia sequitur certissimè intrabit in regnum cœlorum. *Festo S. Theresiæ. §. 1. ab initio ad medium.*

2. Summa virtutum conformitas voluntatis suæ cum divinâ; præsertim, eùm morbi, miseriæ, tædia

tædia perferenda sunt. *Festo S. Laurentii.* §. 1. *in initio.*

3. Si voluntas Dei est dura sustinere, non tam quæ ferenda præcepit, quàm quæ recipienda promisit attendamus. Spes enim præmii, solatium est laboris. *De communi Martyrum.* §. 1. & 2.

DOMINICA VIII.

Homo quidam erat dives. Lucæ 16.

Dives avarus miser est & miserabilis, & converti difficilis. *Festo S. Mathei.* §. 2 & 3.

Verè dives erat filius Dei majestatis suæ & divinitatis plenitudine, & tamen pro nobis egenus factus est, ut hac paupertate ejus divites essemus, & doceret nos paupertatis pretium. *Solemnitas Natalis Domini.* §. 2. *in medio.*

Quid hoc audio de te, redde rationem villicationis tuæ. ibidem.

1. Videat unusquisque ut è talentis sibi commissis lucretur exemplo Sanctorum, ut reddere valeat acceptorum rationem. *Festo S. Nicolai.* §. 1. & 2.

2. Deus deperditi temporis severam exiget rationem, quare tempus utiliter impendamus sine dilatione *Festo visitationis B. V. Mariæ.* §. 1

3. Quamvis Deus à delinquentibus exactam rationem exposcat, severeque ploret, non ideò mitis esse definit: siquidem severitas Dei cum bonitate consistit. *Octava S. Ignatii.* §. 5.

4. Reddenda ratio Deo ab animarum curatoribus, confessariis, parentibus, dominis, de suorum animabus quas de manu eorum Deus requirer, si per eos scandalizentur, & corruant. *Festo SS. Innocentium.* §. 3. *Festo S. Bartholomei.* §. 3.

Quantum debes Domino meo. ibid.

Tot debitis Deo obstringimur, ut solvendo non simus; ne tamen ingrati moriamur, beneficiorum memoriam conferemus Deo gratissimam, qui reciprocum amorem à nobis exigit, quem ei omnes possunt & debent præstare. *Festo S. Ioannis Evangelistæ.* §. 1. *ab initio ad medium. Festo S. Michaelis.* §. 4.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. ibid.

1. Hoc fit eleemosynis pauperem juvando, vestiendo, pascendo, ad quod tenemur in gravi pauperum necessitate. *Festo S. Martini.* §. 1. *In initio. Festo S. Mariæ Magdalenæ.* §. 2 *in fine. Festo Visitationis B. V. Mariæ.* §. 2. *à medio ad finem. Festo Simonis & Iudæ.* §. 3. *in initio.*

2. Ex genere suo nobilior est eleemosyna collata defunctis quàm viventibus, quia justiores animæ purgatorii, quia Deo conjunctiores, & in extremâ necessitate; hæredibus verò incumbit obligatio opitulandi defunctis. *Festo fidelium animarum* §. 1.

3. Mammona iniquitatis sunt divitiæ, & avaritia radix omnium scelerum: hæc Judam fecit proditorem, hominemq; ita peccatis implicat, ut difficillimè convertatur. *Festo S. Matthæi.* §. 3.

DOMINICA IX.

Videns Civitatem flevit super illam Lucæ 19.

1. Christus non solum super Hierusalem, sed & super animas peccatorum omnium flevit, & ab ipso præsepio flevit; cujus lacrymæ potentissimæ sunt ad corda saxea peccatorum emollienda. *Solemnitate Natalis Domini.* §. 2. *circa finem.*

2. Exemplo Christi convenit nos sæpe peccata hominum & propria deflere, sæpeque eliceere actus amoris & contritionis perfectissimos. *Festo S. Augustini.* §. 1.

Eò quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. ibid.

Deus visitat nos per gratiam suam, inspirationes, monita, &c. convertamur & nos ad visitanem nos, quàm citissimè possumus, ne derelinquat nos tam benignus visitator, & non amplius domum cordis nostri introeat. *Festo visitationis B. V. Mariæ.* §. 1. & 2.

Ingressus in Templum cœpit ejicere vendentes. ibid.

Multi qui in templis indecora patrant digniores sunt flagellis. *In dedicatione templi. per tot.*

Domus mea Domus orationis est. ibid.

Væ iis, qui se in Templis gerunt irreverenter, væ mulierculis, quæ ad eum locum conveniunt, vestium luxum & indecorum corporis cultum præ divino cultu præ se ferentes. *Festo S. Martini.* §. 3.

DOMINICA X.

Dixit IESVS ad quosdam qui in se confidebant tanquam justi, & aspernabantur cæteros. Luc. 18.

Nemo quantumlibet sanctus sibi videatur, confidat se esse justum, suppetunt quam plurimæ rationes demissè sentiendi etiam sanctissimo. *Festo S. Bernardi.* §. 2. *initio. Festo S. Augustini.* § 2. *Festo S. Eliæ. in Exordio. Solemnitate Natalis Domini.* §. 2.

Ascenderunt in Templum ut orarent.

Utinam omnes orandi causâ in Templum ascenderent & intelligerent quàm honesta, utilis, necessaria sit oratio. *De Oratione in Communi per totum.*

Iejuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo. ibid.

Inflata superbia Pharisaica est hominum favorē aucupari etiam operibus ex genere suo bonis, sed

fed & opera & finis,ob quem fiunt, fructu carere. *Octavæ S. Ignatii* §.3. *in fine* §.8. *in fine.*

2. Jejunium visionum remedium, uti gula eorundem mater. *Festo S. Brunonis* §.2. *in medio.*

Deus propitius esto mihi peccatori. ibid.

Omnes peccatores sumus, gratia Dei egemus, nihil igitur utilius, quàm nos peccatores agnoscere, ac pro talibus haberi velle, neque hoc dedecori sed laudi est. Commendaturque praxis actus contritionis & amoris Dei perfecti eliciendi. *Festo S. Augustini* §.1.& 2.

DOMINICA XI.

Adducunt ei surdum & mutum. Marc.7.

1. Summa in spontaneâ taciturnitate utilitas, cùm in garrulitate & multiloquio non defuturum sit unquam peccatum. *Festo S. Brunonis.* §.1. & 2.

2. Multis ceremoniis usus Christus in sanando muto rem summi moliminis esse significans sanare linguæ vitia, quæ universitas est impietatis. *eodem Festo.* §.2. *in medio.*

Apprehendens eum de turba seorsim. ibid.

Nemo magis unitur Deo, quàm qui solitudinis est amans, & secedit à turbâ. Deus in solitudine loquitur ad cor Christi; imitatores in ea constituimur, & terrenarum despectu cœlestium meditatione similes Angelis efficimur. *Festo S. Brunonis.* §.1.

Solutum est vinculum linguæ ejus. ibid.

Utinam aliquibus maximè in peccandi periculis solvatur vinculum linguæ, nec sint velut canes muti, non valentes latrare. *Festo S. Dominici.* §. 2. *circa medium.*

Et loquebatur rectè. ibid.

Lingua minimum membrum, freno tamen indiget maximò. Non revelet arcana, non proferat obscœna, aut cantet. *Festo S. Ioannis Evangelistæ.* §. 1. *in medio Festo S. Cæciliæ.* §.2.& 3.

Benè omnia fecit. ibid.

Qui gratus erga benefactorem esse desiderat, primo beneficium æstimet, deinde illius recordetur & auctoris, gratè illud ac jucunde acceptet, & cum gratiarum actione beneficium commemoret. *Festo S. Michaelis.* §.4.

DOMINICA XII.

Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Luc. 10.

Si speciosissimus pro filiis hominum Christus JESUS in cor veniret juvenum & puellarum, adeo formæ suæ studiosarum animam pro facie exornare conarentur, ut eam cœlesti sponso gratam exhiberent eorum contempta vana pulcritudine. *Solemnitate Natalis Domini in exordio.*

2. Multæ formam deturparunt, ut castitate servata virginum sponso placerent. *Festo S. Mariæ Magdalenæ.* §.3. *à medio ad finem.*

Magna vanitas cum Jesabele stibo pingere faciem & augere formam, unde displiceas auctori animamque Dei imaginem inornatam destituas. *Festo S. Lucæ.* §.2.

Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? ibid.

Mundi judicia, hominumque favores spernendo; morbos, afflictiones, dura quævis à Dei manu æquo animo accipiendo & ferendo; Deum solum ejusque gloriam pura mente sectando. *in Octavæ S. Ignatii.* §.3. & 8. *in fine. Festo S. Laurentii* §.2.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. ibid.

1. Dilectio Dei in operibus consistit. Amor operarius est rerum magnarum. Et non prumato, vivere est amantis, pro illo superari, triumphare est. *Festo S. Ursulæ.* §.1.

2. Dei amor alios amores extinguit. *Festo S. Laurentii. in exordio.*

3. Summa cum Deo familiaritas secus ac in mundanâ non parit contemptum. *Festo S. Ioanis Evangelistæ.* §.3. *circa medium.*

Et proximum tuum sicut teipsum. ibid.

Quod uni è minimis meis fecistis, mihi fecistis testatur Deus, in paupere igitur Christum vestiamus, potemus, cibemus & ea præstemus quæ præstari nobis vellemus. *Festo S. Martini* §.1. *in initio.*

Alligavit vulnera ejus infundens oleum. ibid.

Oportet superiores temperare severitatem mansuetudine, per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Sint rectores animarum ut Samaritanus ille, vinum fervoris & disciplinæ oleo mansuetudinis misceant. *Octavæ S. Ignatii* §.5.

DOMINICA XIII.

Ostendite vos Sacerdotibus. Lucæ 17.

Sine pudore debemus ostendere peccata Sacerdotibus, eorumque sequi consilia. *Festo S. Andreæ* §.1. & 4. *in fine.*

Unus ex illis ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magnâ voce magnificans Deum. ibid.

Gratias debemus pro morbis animæ curatis, ejusque beneficiis; aptissimum earum tempus matutinum, quo cor nostrum & diei opera omnia ingrati animi signum ei offerenda sunt. *Festo Præsentationis B.V. Mariæ.* §.4.

Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt Ibid.

Ut gratitudinem Deo de acceptis beneficiis exhibeamus, ea agnoscere debemus & existimare: hæc qui facit sine impendio, gratus est & Deo satisfacit. *Festo S. Michaëlis* §.4.

Fides tua te salvum fecit. ibid.

Fides radix omnium virtutum & porta salutis est. *Festo S. Thomæ Apostoli. in exordio*

DOMINICA XIV.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matthæi 6.

Difficilè est servire Deo & hominibus, & utrique placere. Fuit tamen è Sanctis oon unus solum dilectus Deo & hominibus, quòd quo usque fieri possit, & debeat, à Sanctis discendum est. *Octava S. Ignatii* §.8.

Non potestis Deo servire & Mammonæ. ibid.

Deo cum avaro non convenit. Avaro enim nihil crudelius in proximum & seipsum, ejus vita anxietas, servitus, & quædam idololatria. *Festo S. Matthæi.* §.1. & 2.

De vestimentis nolite solliciti esse. ibid.

Nonde vestimentis, sed de superfluo vestium ornatu multi homines solliciti sunt: utinam eam vestem sibi compararent, quam nec tinea, nec vermis corrumpit, auteumque virtutum indumentum animæ suæ elaborarent de corporis amictu securi. *Festo S. Martini* §. 1. & 4.

Quærite primum regnum Dei. ibid.

Quærenda ante omnia pietatis officia, indaganda Dei consilia, in utrisque progrediendum. *Festo S. Theresiæ.* §. 1.

Regnum Dei intra nos est, possuntque Christiani omnes reges esse, si seriò passiones regere, seipsos vincere studeant. *Festo S. Ursulæ.* §. 1. *in medio.*

DOMINICA XV.

Ecce defunctus efferebatur. Lucæ. 7.

Qui vita functi sunt, si bl:vatione egent, & flammis quibus renentur piacularibus ex obligatione nobis eripiendi sunt, utilissimum vero est, satisfactiones suas applicare animabus, non sibi reservare. *Festo fidelium animarum per totum.*

2. Mors humanæ fragilitatis nos admonet estque speculum ad quod omnes æstimandi; hujus frequens meditatio mors vitiorum & vita virtutum est. cujus meditatione præsertim Religiosi discunt mundo mori. *Festo B. Francisci Borgiæ per totum.*

Noli flere ibid.

Multi flent minimè flenda, ut suorum mortes, jacturas bonorum &c. Ubi verò maximè flendum, in jacturâ animæ vix una funditur lacrymula. *Festo S. Dominici* §.3. *circa medium.*

Tibi dico surge. ibid.

Sibi hoc quilibet peccator dicat, cumque statim possit surgere è statu vitiorum, non differat de die in diem pœnitentiam, passionum resecationem, virtutum exercitia. *Festo Visitationis B. Virginis,* §.1.

DOMINICA XVI.

Hydropicus erat ante illum. Lucæ. 14.

Avari Hydropici sunt insatiabiles, nunquam aurum sitire desinunt, terrenis intenti de cœlo vix cogitant difficilimæ curationis ægri *Festo S. Matthæi per totum.*

Non discumbas in primo loco.

Sicut est quædam iniqua humilitas, laudes & honores in speciem repellens cupiditate aliorum honorum & laudum, & mundi affectis familians, ita vera humilitas sine mixturâ superbiæ à Christo docetur, quam spectare debemus. Rarissima verò sed optima humilitas honorata. *Festo S. Bernardi* §.2. *ab initio ad medium. Festo S. Augustini.* §.2.

DOMINICA XVII.

Diligés Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Matthæi. 22.

1. Diligendus Deus qui amore nostri factus est homo, & præcepta vitæ ac morum quæ dedit nobis primus ipse implevit. *Solemnitate Natalis Domini per totum.*

2. Diligendus speciosus præ filiis hominum, quid vanam pulcritudinem diligimus, & alrotum amores aucnpamur. *Festo S. Lucæ* §.1. & 2.

3. Diligendus is cui devincimur tot beneficiis, qui pretio magno redemit nos. *Festo S. Xaverii* §.1.

Diliges proximum tuum sicut te ipsum. ibid.

Hoc curatores animarum sibi dictum putent, ne quemquam ex sibi commissis perdant. *Festo S. Bartholomæi.* §.3. *Festo S. Andreæ* §.2. & 3.

Et nemo poterat ei respondere verbum. ibid.

Pro Christi doctrinâ, omnis humana sapientia enervis est. Etsi enim simplex est, est tamen for- tissi-

tissima ad persuadendum & potentissima, tum per omnem vitam, tum in præsepio. *Solemnitate Natalis Domini per totum.*

DOMINICA XVIII.

Offerebant ei Paraliticum. Matth. 19.

Cum videris proximum tuum in aliquo ejus salutis periculo, egestate, afflictione, quam primum fac quæ ei profutura credis, nihil enim post tuam salute proximi magis necessarium, nihil ejus dilatione periculosius. *Festo Visitationis B. Mariæ §. 2. & 3.*

Confide fili remittuntur tibi peccata tua.

Si zelus justitiæ & disciplinæ quandoque sicut expedit attendatur, mansuetudo tamen & misericordia primas partes obtineat, & Confessarius, ut prudens medicus; ulcus alienæ conscientiæ suaviter tangat. *Octava S. Ignatii §. 5 & festo S. Andreæ §. 2. & 3.*

Discant peccatores etiam maximi, non diffidere, sed contritionis, amorisque divini actus crebro eliciat, & ad praxim reducat. *Festo S. Augustini. §. 2.*

DOMINICA XIX.

Simile est Regnum Calorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Matth. 22.

Nuptias spirituales celebrat cum Christo anima Deo adhærens, omnesque possunt esse sponsæ Christi. *Festo S. Theresiæ §. 2.*

Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem. ibidem.

Timendum est ne hæc verba cadant in puellas, vestium vanitati & lascivo corporis cultui deditas, eoque cultu templa & sacram synaxim frequentantes, dum anima veste nuptiali virtutum caret. *Festo S. Martini. §. 2.3. & 4.*

At ille obmutuit. ibidem.

1. Silentii observatio, peccatorum obstructio, Dei cum homine conjunctio, virtutum radicatio est. *Festo S. Brunonis. §. 2.*

2. Expedit interdum pro virtute & gloriâ Dei & salute proximi, fortiter loqui, ne simus canes muti, non valentes latrare in causâ Domini. *Festo S. Dominici. §. 2.*

DOMINICA XX.

Erat quidam regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum. Ioann. 4.

Sancti morbis usi sunt ad salutem; gratissimum Deo spectaculum, non tantum in campo cum hoste (ut Martyres) certare, sed & in lecto pro Deo fortiter pati. *Festo S. Laurentii. §. 2. in initio.*

Credidit ipse, & ejus domus tota ibidem.

1. Maxima vis exempli in utramque partem, sed maximè in vitium; facilè domestici, subditi, liberi sequentur Dominos, superiores, parentes, si hi illos factis præcesserint. *Festo S. Bartholomæi. §. 2. & 3.*

2. Fides virtutum omnium radix, hæc sensuum captivatione, actuumque frequentia roboranda est. *Festo S. Thomæ apostoli in Exordio & §. 1.*

DOMINICA XXI.

Assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Matth. 18.

Veniet Christus ad judicandum nos, & discutienda omnia vitæ nostræ momenta; pretiosi temporis ratio olim reddenda Deo, nunc à nobis exigenda est. *Festo S. Lucæ in Exordio.*

Patientiam habe in me. ibidem.

Patientia Dei, quâ peccatores ut corrigantur expectat, ut resipiscant sollicitat, & pœnitentes recipit in gratiam exemplo sit omnibus animarum tutoribus excipiendi cum patientiâ & longanimitate maximos peccatores. *Festo S. Andreæ. §. 2. & 3.*

Qui patientiam habet in morbis & adversis, quæ à Deo immittuntur, martyribus similis est. *Festo S. Laurentii. §. 2. in initio.*

Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, & tenens suffocabat eum. ibid.

Ne Confessarii titulo zeli suffocent animas duritiâ & rigore pœnitentiarum: non enim spiritu furoris, sed lenitatis peccata ejiciuntur. *Festo S. Andreæ. §. 3.*

Et iratus Dominus tradidit eum tortoribus. ibid.

Commensa suavitati & clementiæ Christi ejus est justitia, neutra tamen alteram excludit, videant illi penes quos regimen est animorum, ut utramque prudenter conjungant. *Octavâ S. Ignatii. §. 5.*

Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus, vestris Ibidem.

Oblivio injuriarum tantum abest, ut fortitudinem Christianam obtundat, ut potius acuat, exemplo Christi: amor inimicorum propria bonitas est Christianorum. *Festo S. Stephani. §. 1. in fine & §. 2. & 3.*

DOMI-

DOMINICA XXII.

Magister scimus quia verax es. Matth 22.

De sancto Magistro nobis divinitus concesso lætemur, qui verax est, nullique errori obnoxius, utilem & facilem doctrinam facili methodo nos docet. *Solemnitate Natalis Domini. §. 1. & 2.*

Non enim accipis personam hominum. ibid.

Utinam hoc dici possit de singulis, penes quos est potestas munera, dignitates elargiendi, nec propria affectio pluris quam capacitas & personarum merita valeant. *Festo S. Nicolai. §. 2. festo S. Ioannis Evangelistæ. § 2. a medio ad finem.*

Cujus est hæc imago. ibid.

Quivis in se exprimere debet vitâ & moribus imaginem Dei & virtutis, neque eam deturpare fœdis scelerum dehonestamentis. *Festo S. Lucæ. per totum.*

Quot sunt quæ imagine Dei & corporis formâ abutuntur ad injuriam creatoris, dum eam lasciviè exornant ad alliciendos homines *Eodem Festo §. 2.*

Quam laudabiliter sanctæ ac pudicæ fœminæ corporis speciem longè post animæ cultum habuerunt, & ut hanc exornarent, illam libenter deturparunt. *Festo S. Mariæ Magdalenæ. §. 3. in fine.*

DOMINICA XXIII.

Si tetigero tantum vestimenta ejus, salva ero. Matthæi 9.

Si vestimenta, quantò magis Reliquias Sanctorum legitimè approbatas cultu debito à fidelibus par est honorari, neque corpora dumtaxat integra, sed & partes minutę cultu dignę, habentque efficientiam ad exoranda beneficia, frustra reclamantibus hæreticis. *Festo S. Xaverii. §. 4. in initio.*

Et cum vidisset tibicines, dicebat recedite. ibid.

Quamvis oblectatio ex concentu honesta sit, & melodia in templis piè cantata Deo grata, concentus tamen qui vertitur in malæ cupiditatis instrumentum, contra castitatis aliarumque virtutum præscripta, eliminandus est. *Festo S. Cæciliæ. § 2. & 3.*

Non est mortua puella, sed dormit. ibid.

Mors non magis timenda quàm somnus, eam cubitum concedentes operiamur velut ea nocte morituri, neque anima unquam melius quiescit, quam in lectulo bonæ conscientiæ. *Festo S. Laurentii. §. 2. in fine, & §. 3.*

2. Multi etsi mortui non sint quoad animam, dormiunt tamen in lecto pigritiæ, desidiæ, & stupiditatis, evigilent tandem consideratione mortis & æternæ miseriæ *Eodem festo, & festo B. Borgiæ. §. 2. & 3.*

DOMINICA XXIV.

Cùm videris abominationem stantem in loco sancto Mat. 24.

Magna debetur templis reverentia, quod dici potest ex ea reverentia, quam Christus impendi voluit templo Judaico, & tamen illud præ cruore è tot victimis jugulatis speciem præ se ferebat, macelli potius quam templi. Quanto igitur sanctiora sunt habenda templa Christianorum, in quibus hostia mundissima offertur. *Festo Dedicationis templi per totum.*

Cogitent utriusque sexus homines, quæ templis debeatur reverentia, neque ut videant & videantur & inepta agant, templa frequentent. *Eodem festo.*

Tunc parebit signum Filii hominis. ibid.

1. Crux velut regium vexillum præfertur Christo in supremo judicio, quæ terribilis erit reprobis, justis amabilis. *Festo B. Mariæ Virginis Assumptæ §. 2. in initio.*

2 Non solùm Crux Christi, sed & Martyres rutilantes apparebunt cum cicatricibus suis, objicienturque mollibus & enervibus Christianis, ea potissimum parte corporis gloriosi, qua passi fuerunt. *De communi Martyrum in Exordio.*

Et congregabunt electos ejus. ibidem.

3. In die judicii boni à malis discernentur ab Angelis, in hac vita discernantur vita & innocentia, quod si hic innocentes patiantur, hos Deus Judex tuebitur peculiariter & in hac vita, coronabit verò in futura, eorum verò oppressores condemnabit. *Festo SS. Innocentium. §. 1. & 2.*

INDEX
IN QVADRAGESIMAM.

FERIA IV. CINERUM.

Memento homo quia pulvis es & in pulverem reverteris.

Nihil animæ salubrius notitia sui, & mortis memoria, quam ex meditatione sepulchrorum & cinerum, quibus hodie Christianorum capita signantur suscitare æquum est. *Festo B. Borgia.* §.1. & 2. *per totum.*

Nolite fieri sicut hypocritæ. Matth. 6.

Hypocrisis hujus sæculi damnabilis: humiliat se & subjicit sealiis, sed non amore virtutis, verum sui proprio. Hanc redarguit Sanctorum humilitas vera & honorata. *Festo S. Bernardi.* §.2. *in medio,* & *festo S. Augustini.* §.2.

Cum Ieiunas.

Gula vitiorum omnium origo, jejunium virtutum omnium parens. *Festo S. Brunonis.* §. 2. *in medio.*

Nolite thesaurisare vobis thesauros in terra.

Beatitudo non consistit in acquisitione divitiarum, sed verus thesaurus in Deo reperiendus. Hunc inter opes frustrà quærunt avari, quibus nihil est miserius. *Festo S. Matthæi* §.1. & 2.

FERIA V. POST CINERES.

Tantum dic verbo & sanabitur puer meus Matth. 8.

1. Exemplo Centurionis accedendus Deus cum verâ fide, ac præsertim in sumptione corporis Christi captivandi sensus in obsequium fidei. *Festo S. Thomæ Apostoli.* §.1.

2. Hic Centurio laudandus ob curam quam habuit de servo suo; hunc imitentur patres, patrini, heri, &c. *Festo Innocentium.* §.3.

Ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites.

1. Militia est vita hominis super terram, eaque varia & difficilis; in eâ, ad normam profanæ militiæ tirocinia ponere, expertes duces consulere, audire, sequi debemus. *Festo S. Ignatii de Loyola in Exordio,* & §.1. & 2.

2. Disciplina necessaria est in omni regimine, etiam in minimis defectibus, punitio interdum necessaria, & Deus levia punivit graviter. Nos leves animæ defectus seriò castigemus. *Festo S. Ignatii de Loyola.* §.6. *ab initio ad medium.*

Et dico huic vade, & vadit, & alio veni, & venit.

1. Obedientiæ militaris exemplo docemur Deo in omnibus parere, animi affectiones pravas subjicere, nosque ipsos in hoc bello spirituali vincere. *Festo S. Vrsulæ.* §.1. *in medio* & *Festo S. Theresiæ.* §.4. *in initio.*

2. Corona cœlestis nos invitat ad fortiter certandum, nullique labori parcendum. *Festo SS. Simonis & Iudæ.* §.3. *in initio.*

FERIA VI. POST CINERES.

Diligite inimicos vestros. Matth. 5.

Magna dignitas dilectionis inimicorum, magna merces. Plurima quoque sanctorum ac ipsius Dei exempla ad eam nos invitant. *Festo S. Stephani protomartyris.* §.1. & 2.

Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.

Vindicta christiana est orare pro inimicis, Deoque gratissima, nobisque utilissima. *Eod. Festo.* §.1.

Vt sitis filii Patris vestri.

1. Omnes fratres sumus jure naturæ & gratiæ per Baptismum in Sanguine Christi regenerati; in hoc sanguine restinguenda odia. *eod. Fest.* §.1. *in medio.*

2. Qui Solem suum oriri facit super bonos & malos. Confessarii, superiores, &c. debent omnibus consulere, & peccatores juxta ac justos benignè suscipere. *Festo S. Andreæ* §.2. & 3.

Estote ergo vos perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

1. Perfecti sicut Deus esse non possumus mensurâ æqualitatis, sed tantum quadam similitudine & contentione virtutum. Hac Deum possumus imitari bene proximis faciendo; sic Domini servis, patres familias domesticis, superiores subditis, universi calamitosis & egenis, sint Deus quodam modo. *Festo S. Xaverii.* §.3. *ab initio ad medium.*

2. Perfectio nostra in Christi imitatione consistit, uti pictura in imitatione Archetypi. Christi itaque virtutes exprimamus in nobis assiduâ curâ & lucubratione. *Festo S. Lucæ.* §.1.

3. Vti pictura semper eadem est, nec mutatur, ita in moribus & vita, immutabilem Deum Prototypon nostrum referamus. *eodem fest.* §.3.

4. Christiani appiarium Christi sumus, Regem ergo nostrum Christum apiculæ sequamur, industriæ ejus, sedulitatis, humilitatis, &c. exempla sectando. *Festo S. Bernardi in Exordio.* §.1. & 2. *in initio* & 3. *sparsim.*

Thesaurizate vobis.

Multi thesaurizant aliis, filiis, familiæ, posteris, &c. rari sibi: talenta à Deo accepimus, ut nobis thesaurizemus: id variè fieri potest. *Festo S. Nicolai.* §.1. & 2.

Optimus thesaurus beneficentia erga pauperes. *Festo S. Martini.* §. 1.

SABBATO POST CINERES.

Vidit Discipulos suos laborantes. Marc. 6.

Permittit Deus hic nos affligi, ut postea uberius consoletur & coronet. *De communi Martyrum.* §. 3.

Accessit ad illos in navim, & cessavit ventus. Marc. 6.

Mundus mare, in eo pericula, tempestates, naufragia multa; si tamen Christus accedat ad nos cessabunt illa. *Festo omnium Sanctorum in Exordio.*

Confidite ego sum, nolite timere.

Cum Deus præsens agones nostros & videat & juvet, securi de præmio certemus & vincamus. *De communi Martyrum.* §. 2.

Erat cor eorum obcæcatum.

Non tantum Apostoli cæci erant, sed & hoc tempore maximâ parte homines qui lynces sunt in terrenis aspiciendis, talpæ sunt in æternis; bonis fortunæ inhiant, cum fortunâ cæcutiunt & circumaguntur. *Festo S. Catharinæ in exordio.*

Hic & in altera vita felices esse non possumus. *Eod. Festo.* §. 1. *in imo* & §. 2. *in medio.*

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Ductus est IESVS in desertum à spiritu, ut tentaretur. Matth. 4.

Omnes Christiani Athletæ sunt, & milites pugnantes adversus Dæmonem, Mundum, se ipsos, duce & Agonotheta Christo. *Festo S. Ignatii. in exordio & Festo S. Vrsulæ.* §. 1.

Ductus est IESVS in desertum.

A Christo solitudinis amor nobis discendus, in hunc nulli, non etiam sæculari cujusvis status secedere licet. *Festo S. Brunonis.* §. 1. *in exordio & circa medium.*

Mitte te deorsum.

Vix homines liberi possunt esse à tentatione vanæ gloriæ, quæ ex ipsis virtutibus sæpè nascitur; hac Christus tentatus fuit, sed strenuè repulit. Hujus exemplo soli Deo honorem & gloriam adscribamus. *Festo S. Ignatii de Loyola,* §. 3. *à medio ad finem.*

Angelis suis mandavit de te.

Angeli nostri tutelares nos tutabuntur, si in eorum clientelam concedamus. *Festo S. Michaëlis.* §. 2. & 3.

Hæc omnia tibi dabo.

Si Dæmon pro animâ unâ paratus sit dare si posset omnia regna mundi, vel hinc æstimemus animæ nostræ pretium, ne eam tam eo hosti venalem exhibeamus, quæ tam caro Redemptor suo stetit. *Festo S. Xaverii.* §. 1. *post medium.*

Angeli accesserunt & ministrabant ei.

Angeli detertent à peccatis clientes, suggerunt salutaria monita, adsunt in pugna spirituali, gaudent in victoria: quantum igitur iis debemus ob custodiam, præsentiam, beneficentiam. *Festo S. Michaëlis.* § 3. & 4.

FERIA II.

Cum venerit filius hominis in Majestate sua. Mat. 25.

Venit filius hominis in mundum non in majestate, sed humilitate, tradens præcepta humilitatis & paupertatis, audiamus jam pacatum, suadentem, orantem, ne postea sentiamus judicem. *In solemnitate Natalis Domini.* §. 1 & 2.

Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Christus remuneraturus in die Judicii misericordes in egenos, eorum personam suscipiet, & jam suscipit, ille igitur in suis minimis juvandus. *Festo S. Martini.* §. 1.

Nudus eram & non operuistis me.

Nudus Christus in paupere tegendus. *Festo S. Martini, in exordio.*

Christus severè puniet mulierum in cultu corporis vanitatem & denudationem. *Eodem Festo.* §. 2.

Quanto utilius anima vestitetur virtutibus. *Eodem Festo* §. 3. *in medio.*

Infirmus & in carcere & non venistis ad me.

1. Christus in animabus purgatorii, quarum miserrima est captivitas, vinctus & in carcere opem flagitat. *Festo fidelium animarum.* §. 1. *in medio.*

2. Liberatio animæ purgantis per S. Eucharistiam omnia misericordiæ corporalis opera continet. *Eod. fest.* §. 2.

FERIA III.

Domus mea, domus orationis vocabitur. Matth. 21.

Preces in templo fusæ, faciliùs quàm alibi exaudiuntur, ob loci sanctitatem, ob precum conjunctionem & concordiam. *De oratione in Communi.* §. 2. & 3.

Vos autem fecistis illam speluncam latronum.

Multi exemplo Judæorum templa profanant, cùm eâ non adorandi Dei causâ, sed ob perversos fines frequentant. *Festo Dedicationis templi.* §. 2.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.

Deus amat innocentes, eorum ore laudari expetit,

petit, hos singulariter tutatur: quapropter parentes, patrini, tutores parvulorum habeant magnam curam eosque benè instituant. *Festo Sanctorum Innocentium.* §.3.

FERIA IV.

Magister volumus à te signum videre. Matth. 12.

Quanto melius quàm Pharisæi optemus nos videre signum proprium ac salutare hominibus, quod apparuit in cœlo, mulierem amictam sole, &c. nullus hoc signum Deiparam, sine solatio aspexit, huc ergo vota & oculos dirigamus. *Festo Assumptionis Virginis in exordio, & §. 1. & festo Virginis natæ. §. 4. in fine.*

Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.

Exerceantur licet hæretici pœnitentias, jejunia, corporis macerationes, eas abundè ex scripturis & Sanctorum exemplis probantur, & nobis ad usum commendantur. *Festo S. Laurentii. §. 2. in medio.*

Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, &c. ipse meus frater & soror & mater est.

Conformitas voluntatis nostræ cum divina, summa perfectionis est Christianæ: hanc assequi valemus adversa animi & corporis, bonorum facturas &c. à Deo nobis immissa, æquanimiter tolerando. *Festo S. Laurentii. §. 2. in initio.*

FERIA V.

At illa venit & adoravit eum. Matth. 15.

1. Rectè mulier Cananea ut voti compos fiat, Christum adorat. Quid expectent à Christo, qui templa non adorationis ergò, sed spectandi, garriendi causâ frequentant. *Festo dedicationis Ecclesiæ. §. 1. & de oratione in commune passim.*

2. Væ illis hominibus, qui creaturas pro Deo adornant; hoc faciunt avari, auri idololatræ. *Festo S. Matthæi. §. 2. in medio.*

Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, &c.

1. Cum Deum oramus, simus humiles ut mendici, nec cultioribus verbis utamur, sæpè parvulorum & balbutientium verba, imo sine verbis lacrymæ exorarunt Deum & homines. *Solemnitas Natalis Domini. §. 2. in medio.*

2. Humilitas Cananeæ, se catellis comparantis, nobis imitanda: & prosint nobis exempla Sanctorum infrà homines, se bestiis comparantium. *Festo S. Bernardi. §. 2. Festo S. Augustini. §. 2. Festo B. Borgiæ. §. 2. in initio.*

O Mulier magna est fides tua. ibid.

Fides quam Christus adeò extollit, radix est virtutum omnium, sed apud paucos invenitur. *Festo S. Thomæ Apostoli in exordio. & §. 1. & 2.*

Fiat tibi sicut vis. ibid.

Christus annuendo postulatis mulieris Cananeæ, post iteratam repulsam exemplo est mutandæ interdum mentis consiliariis, judicibus, advocatis, errori obnoxiis, ne pertinaciter sententiæ suæ adhærescant: ex mutatione sententiæ fama non minuitur, sed augetur. *Festo S. Augustini. §. 2. circa finem. & festo S. Thomæ Apostoli. §. 1. circa finem.*

FERIA VI.

Est autem Ierosolymis probatica piscina. Ioann. 5.

Ecclesia piscina est, suntque omnes Christiani veluti pisces, quorum piscationem Apostolis unicè commendavit Christus, cujus præceptis omnes animarum piscatores obedire debent. *Festo S. Andreæ Apostoli. §. 1.*

Triginta & octo annos habens in infirmitate. ibid.

In morbis & cruciatibus corporis perpende à Dei manu immitti morbos, afflictiones, &c. animæque esse salutares, & multis modis spiritui utiles. *Festo S. Laurentii. §. 2.*

Is autem qui sanus factus fuerat, nesciebat quis esset. ibid.

Nihil homine ingrato tetrius, qui verò merita rependere nequit, conservet saltem memoriam beneficiorum, hæc Deo & superis grata. *Festo S. Michaelis. §. 4.*

SABBATHO.

Assumpsit IESVS Petrum & Iacobum & Ioannem. Matth. 17.

Non temerè diligendi amici, quibus assuescas: sed antequam diligas, delige & proba ne te familiaritatis initæ pœniteat. *Festo S. Ioannis Evangelistæ. §. 2.*

Duxit illos in montem excelsum. Matth. 17.

Quos amat Christus ducit per ardua, per corporis & animæ difficultates ad montem excelsum virtutum. Si igitur Christi gloriæ cum Apostolis velimus esse participes, labori non parcamus, huic respondebit par & major merces. *Festo S. Theresiæ. §. 2.*

Et transfiguratus est.

Christus transfiguratus est, non proficiscendo de civitate in civitatem, non sedens in navicula, nec mensæ accumbens, sed dum in monte oraret, quod D. Lucas cap. 9. solus annotavit his verbis, *Et facta est cum oraret, species vultus ejus altera.* Docemur per orationem communicationemque cum Deo

Deo animam transfigurari. *Festo S.Ignatii de Loyola. §. 2. in fine.*

Domine bonum est nos hic esse.

In cœlesti gloria esse, bonum nobis est, non verò in terrâ: hic enim ut in mari pericula, tempestates, naufragia, ibi verò portus & æterna tranquillitas. *Festo omnium Sanctorum. §. 1. & 2.*

Ipsum audite. ibid.

Meritò Pater Filium nobis audiendum proponit, omnes enim perfecti præceptoris dotes possidet, eruditionem, sanam doctrinam, methodum, efficacitatemque docendi. *In solemnitate Natalis Domini. §. 1. & 2.*

Præcepit eis IESVS dicens, nemini dixeritis visionem.

1. Christus non promiscuè cuivis arcana sua communicavit, sed tantum fidelissimis. Hinc documento est non temerè omni hominum generi secreta committendi. *Festo S. Ioannis Evangelistæ §. 1. post medium.*

2. Noluit Christus evulgari undè ipsi æstimatio aliqua proveniret, ostendens quam contemptibilis sit fama, & laus humana, quam pletique ita avide sectantur, sed sæpè favorem divinum amittunt. *Festo S. Ignatii. § 3. in fine.*

DOMINICA II. IN QUADRAGESIMA.

Vide idem Evangelium Sabbatho præcedente.

FERIA II.

In peccato vestro moriemini. Ioann 8.

Lacrymabilis vita peccatorum, mors tamen flebilior magisque miseranda, amarissima enim vitæ in deliciis actæ clausula, contra Iustorum suavissima. *Festo S.Brunonis. §. 3.*

Tu quis es. ibid.

Homo considerata vilitate, instabilitateque conditionis humanæ reputet, quid sit modò, & quid speret se aliquando futurum, erigatque se ad Deo strenuè obsequendum. *Festo omnium Sanctorum. §. 1. & 2.*

Quæ placita sunt ei, facio semper. ibid.

In omnibus Patri fidelissimè servivit Christus: nos simus fideles servi divinæ gloriæ, Deique voluntati, quæ summa perfectionis Christianæ, fideliter serviamus. *Festo S.Ignatii. §. 3. in initio.*

FERIA III.

Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus. Matth. 23.

1. Popularis auræ captatio finis corruptus est, inquinans opera nostra bona; Divinæ itaque Gloriæ respectu, virtutes amplectamur. *Festo S. Ignatii §. 3. & 8. in fine.*

2. Magni interest quid, quo fine faciamus: mens operantis & intentio, pretium facit operibus. Cum igitur omnia Deo debeantur, quàm citissimè ac primo mane Deo totius diei actiones consecremus. *Festo Virginis præsentata. §. 3. & 4. in initio.*

Dicunt & non faciunt. ibid.

Præstaret facerent & non dicerent, frustrà enim præcepta sunt sine exemplis quivis nihil in vita humana efficentius virtutum. *Festo S. Iacobi Majoris. §. 1. & fest. S. Bartholomæi. §. 2. à medio ad finem.*

Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis. ibid.

Ambitio innata est hominibus ad honores, cathedras, primos recubitus; sed nesciunt homines quid petant cum ita petunt. Deliberatè itaque, & cautè petendum. *Festo S.Iacobi Majoris. §. 2. in fine.*

Vnus est Magister vester. ibid.

Unum habemus Magistrum verum, cæteri enim vel non rectè docent, vel suis exemplis doctrinam suam non imbuunt, discamus à præceptore Christo humilitatem quâ qui major inter nos, fiat aliorum minister. *Solemnitate Natalis Domini, §. 2.*

Qui se exaltaverit humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. ibid.

Ut deessent cætera ad humiliationem motiva, sufficeret pueri JESU in præsepio humilitas, ut eam ex illo duceremus. *In solemnitate Natalis Domini. §. 2.*

FERIA IV.

Nescitis quid petatis. Matth. 20.

Gravis error est homines ea petere, quorum indigni & inepti sunt, iis aptiores igitur præferendi. *Festo S.Ioann. Evang §. 2. in medio.*

Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum. Matth. 20.

Exemplo suo Christus nos ad calicis sui haustum invitat, non recusemus, præsertim cùm eum amicis suis maximis propinet. *Festo S. Iacobi majoris. §. 1. 2. & 3. & de communi Martyrum. §. 1. & 2.*

Dicunt

Dixunt ei possumus. ibid.

Non temerè respondendum; Sed considerata rei difficultate maturè deliberandum, præsertim quod statuendum est semel, nec iterari potest. *Festo S. Iacobi Majoris §. 2. à medio ad finem.*

Possumus.

Tot ac tanta sustinuit Christus pro nobis. Respiciamus ad caput nostrum, & nos ignaviæ pudeat, calicem ipse primus bibit, ut acerbitates vitæ nostræ potabiles faceret. *eodem Festo §. 2. & 3. in initio & fine.*

Possumus. ibid.

Multi cùm calix mortificationis bibendus est, naturæ imbecillitatem causantur. Sed est sui ipsorum amor & pusillaminitas naturæ, quæ cum Dei gratia omnia potest, ijo eo qui eam confortat. *Festo S. Laurentii. §. 2.*

Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. ibid.

Quid superbis homo, filius hominis propter te humilis factus est. Puderet te forsitan imitari humilem hominem; saltem imitare humilem Deum. *Solem. Natal. Domini. §. 2.*

FERIA V.

Homo quidam erat dives. Luc. 16.

Avaro nihil est iniquius: avaritia enim omnium malorum radix est & idololatria quædam, uti enim idololatria Dei gloriam aufferre nititur, ita avaritia quæ Deus voluit omnibus esse commonia, sola usurpat. Nihilominus anxia semper est & misera. *Festo S. Matthæi §. 1. & 2.*

Induebatur purpura & Bysso. ibid.

Quam multi huic diviti similes pretiosè vestiti, interim dum Christus in suis pauperibus sub dio nudus alget. hic igitur in paupere tegendus. *Festo S. Martini. §. 1.*

Luxus vestium & lascivus corporum cultus in fœminis animis propriis & aliorum perniciosus est, adeoque moderandus. *eodem Fest. §. 1. 2. & 3.*

Quanto salubrius anima vestiretur virtutibus. *eodem Festo. §. 4. initio. & medio.*

Et nemo illi dabat. ibid.

Obligatio eleemosynæ gravis est in gravi necessitate. Multi tamen locupletes pecuniam pauperi debitam, vanitatibus impendunt. *eodem Festo §. 1.*

Mortuus est autem & dives, & sepultus in inferno. Ibid.

1. Difficile est divitem (& avarum) intrare in regnum cœlorum. *Festo S. Matthæi. §. 3. in med.*

2. Homines omnes appetunt beatitudinem, sed malè eam in divitiis quærunt, quæ post mortem relinquendo animam avari variè discruciant, cujus difficillima conversio. *eodem Festo in exordio §. 2. à medio ad finem & §. 3.*

3. Sepultus est in inferno dives. In eum locum tormentorum forsan nunquam venisset, si eum benè meditatus antea fuisset, meditatio enim inferni ab inferno arcet. *Festo S. Brunonis in exordio. & §. 1. in medio.*

Recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris ibid.

Ex rerum humanarum mutatione erigant animum afflicti, confidantque si nunc iis malè est, ferè olim benè. *Festo S. Catharinæ §. 2. in med. & de comarani Martyram §. 2.*

FERIA VI.

Homo erat Paterfamilias. Matth. 21.

Ingens cura incumbit Dominis, parentibus, tutoribus, ut suæ curæ commissos monitis & exemplis ad virtutem exstimolent. *Festo S. S. Innocentium. §. 2. & Festo S. Bartholomæi. §. 2. à medio ad finem.*

2. Væ patribus familias, aliisque qui domesticis pravè vivendo offendiculo sunt: sciant peccata aliena multifariam incurri. *Festo S. Bartholomæi §. 3.*

SABBATHO.

Surgam & ibo ad Patrem meam, & dicam ei, Pater peccavi in cœlum & coram te. Luca 15.

1. Omnium mirabilissimum conversio peccatoris, hanc tamen efficit contritio & pœnitentia, unde actus doloris & amoris Dei perfecti maximè commendantur, ut in praxio reducantur. *Festo S. Augustini §. 1. in initio & medio.*

2. Non est turpe retractare vitæ institutum in melius, uti & sententiam mutare, & judicium suum, viri sancti nos docuerunt. *Festo eodem §. 2. in fine.*

3. Non est contra honorem nostrum, si peccata nostra non tantum confessario, sed orbi toti nota esse velimus, certè sanctorum peccata in die judicii orbi manifestanda, non iis pudori erunt, sed honori. *Festo S. Augustini §. 2. in medio*

Cùm adhuc longè esset, vidit eum Pater ipsius & misericordia motus est. ibid.

Mansuetudinis Christianæ summa laus delinquentes recipere clementer, & in spiritu lenitatis tractare, hæc virtus decet præsertim Superiores, Patres familias, animarum curatores &c. *Festo S. Ignatii de Loyola. §. 3. à medio ad finem. & Festo S. Andreæ §. 2. & 3.*

DOMINICA III.

IN QUADRAGESIMA.

Et eam accessit ad Dominum, locutus est mutus. Luca 11.

Pessimum vitium garrulitas, hominess & maximè

mè Religiosos dedecet, silentium vero à scripturis & S.S Patribus summè commendatur; cùm tamen loquendum, ad sit occasio, necessitas, urbanitas, & modestia. *Festo S. Brunonis* §. 2. *in initio & medio.*

Cùm fortis armatus custodit, atrium suum in pace sunt omnia quæ possidet. ibid.

Si in urbibus custodiæ sint necessariæ, multò magis in anima, quam pluta circumstant pericula; eam igitur fortissimo vigili custodiendam committamus tutelari Angelo, qui eam in pace servet. *Festo S. Michaelis in exordio & §. 1. 2. & 3.*

Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.

1. Deipara invocanda nobis semper, immensa enim sunt ejus merita, undè plus meruit filium lactando, quàm Martyres tormenta patiendo. *Festo S. Annæ.* §. 1 *in initio.*

2. Virgo Deipara propitium est ac salutare signum invocantibus eam. *Festo Assumptæ Virginis in exordio & Festo Virginis Natæ* §. 4. *in fine.*

FERIA II.

Quando clausum est cœlum annis tribus & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra. Lucæ 4.

In ea sterilitate & fame, orante Elia pluit super terram, oratio enim cœlos aperit, & deducit in terras non solum pluviam, sed alia fluenta gratiarum. *De oratione in communi* §. 2. & 3.

Et repleti sunt omnes ira ibid.

1. Ira cohibenda; fœdissimum malum, ac hominem ratione præditum summè dedecens. Mansuetudo à Christo duce nostro imitanda. *Festo S. Ignatii de Loyola* §. 5.

Nihil servilius quàm iræ suæ se servum facere nec animo posse imperare, optimus verò triumphus, quam iræ suique victor animus sibi comparat, *Festo S. Ursula* §. 2.

FERIA III.

Si peccaverit in te frater tuus, vade corripe eum Mat. 18.

Unicuique mandavit Deus de proximo suo; parentibus de filiis, Dominis de famulis & ancillis, Superioribus de subditis. Videant ergò ii, e remissione nimia & facilitate, ut Heli viam aptiant laxamentis & peccatis. *Festo S. Ignatii de Loyola.* §. 6.

. Correptio moderata & paterna non repugnat mansuetudini, utramque prudens superior erit conjungere. *eodem Festo.* §. 6. *in initio.*

4. Canibus mutis non valentibus lattare similes sunt ii qui videntes audientesque tacent connivent in peccatis suorum. Sed hoc arguit exiguam in Deum ac Dominum fidem. *Dominici* §. 2. *circa medium.*

Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. ibid.

Deus largitur dona, estque præsens congregatis in templo ad orandum. Nulla enim valentior utiliorque est oratio, quàm quæ fit à pluribus. *De oratione in communi* §. 1. & 2.

Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. ibid.

1. Christus longaminis & multum misericors, docet Confessarios in spiritu lenitatis pœnitentes excipere, maximoque peccatores qui magnis pœnitentiis obruendi non sunt. *Festo S. Andreæ* §. 2. & 3.

2. Discat & superior penes quem est plectendi potestas, inducere personam mansueti patris, nec furore aut ira ad pœnas descendere; præterquam quòd mansuetudine plus quàm rigore impetretur, Deus mihi abundè exemplo suo suavitatem suadet. *Festo S. Ignatii de Loyola.* §. 3.

FERIA IV.

Quare transgredimini mandatum Dei. Matt. 15.

1. Mandata Dei gravia non sunt, nedum impossibilia, quin igitur ea servamus. In nobis ipsis, non in mandatis residet difficultas, ipse Christus jugum suum dixit esse suave, & leve fecit ferendo. *Festo S. Iacobi Majoris* §. 3. *in fine.*

Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.

2. Orationi locus aptus eligendus, ardor spiritus in orando adsit, qui evagationes mentis dispellat. *De oratione in communi* §. 3.

De corde enim exeunt cogitationes malæ.

3. Diabolus suggerere potest cogitationes malas, & ad peccandum allicere, sed non est solus; nobis ipsi tepiditate, corde evagando malorum maxima causa sumus. Diabolus instar canis ligatus latrare potest, mordere non potest nisi volentes. *Festo S. Ignatii de Loyola* §. 7. *à medio ad finem.*

FERIA V.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Lucæ 4.

1. Nullus in hac vita beatus esse potest, omnes enim ætates, genera, conditiones hominum, ac corporis membra innumeris exposita sunt miseriis. *Festo omnium Sanctorum* §. 1. & 2.

2. Infirmitas corporis plurimum conducit ad salutem animæ, præsertim si æquo animo feratur, & hoc modò sancti ad salutem morbis usi sunt. *Festo S. Laurentii.* §. 2. *in initio.*

Dicunt ei possumus. ibid.

Non temerè respondendum; Sed considerata rei difficultate maturè deliberandum, præsertim quod statuendum est semel, nec iterari potest. *Festo S. Iacobi Majoris §. 2. à medio ad finem.*

Possumus.

Tot ac tanta sustinuit Christus pro nobis. Respiciamus ad caput nostrum, & nos ignaviæ pudeat, calicem ipse primus bibit, ut acerbitates vitæ nostræ potabiles faceret. *eodem Festo §. 2. & 3. in initio & fine.*

Possumus. ibid.
Multi cùm calix mortificationis hibendus est, naturæ imbicillitatem causantur. Sed est sui ipsorum amor & pusillaminitas naturæ, quæ cum Dei gratia omnia potest, sic eo qui eam coofortat. *Festo S. Laurentii. §. 2.*

Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. ibid.

Quid superbis homo, filius hominis propter te humilis factus est. Puderet te forsitan imitari humilem hominem; saltem imitare humilem Deum. *Solem. Natal. Domini. §. 2.*

FERIA V.

Homo quidam erat dives. Luc. 16.

Avaro nihil est iniquius: avaritia enim omnium malorum radix est & idololatria quædam, uti enim idololatria Dei gloriam aufferre nititur, ita avaritia quæ Deus voluit omnibus esse communia, sola usurpat. Nihilominus anxia semper est & misera, *Festo S. Matthai §. 1. & 2.*

Induebatur purpura & Bysso. ibid.

Quam multi huic diviti similes pretiosè vestiti, interim dum Christus in suis pauperibus sub dio nudus alget. hic igitur in paupere tegendus. *Festo S. Martini. §. 1.*

Luxus vestium & lascivus corporum cultus in fœminis animis propriis & aliorum perniciosus est, adeoque moderandus. *eodem Fest. §. 1. 2. & 3.*

Quanto salubrius anima vestiretur virtutibus. *eodem Festo. §. 4. initio. & medio.*

Et nemo illi dabat. ibid.

Obligatio eleemosynæ gravia est in gravi necessitate. Multi tamen locupletes pecuniam pauperi debitam, vanitatibus impendunt. *eodem Festo §. 1.*

Mortuus est autem & dives, & sepultus in inferno. Ibid.

1. Difficile est divitem (& avarum) intrare in regnum cœlorum. *Festo S. Matthai. §. 3. in med.*

2. Homines omnes appetunt beatitudinem, sed malè eam in divitiis quærunt, quæ post mortem relinquendo animam avari variè discruciant, cujus difficillima conversio. *eodem Festo in exordio §. 2. à medio ad finem & §. 3.*

3. Sepultus est in inferno dives. In eum locum tormentorum forsan nunquam venisset, si eum benè meditatus antea fuisset, meditatio enim inferni ab inferno arcet. *Festo S. Brunonis in exordio. & §. 1. in medio.*

Recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris ibid.

Ex rerum humanarum mutatione erigant animum afflicti, confidantque si nunc iis malè est, ferè olim benè. *Festo S. Catharina §. 2. in med. & de communi Martyrum §. 2.*

FERIA VI.

Homo erat Paterfamilias. Matth. 21.

Ingens cura incumbit Dominis, parentibus, tutoribus, ut suæ curæ commissos monitis & exemplis ad virtutem exstimulent. *Festo S. S. Innocentium. §. 2. & Festo S. Bartholomai. §. 2. à medio ad finem.*

2. Væ patribus familias, aliisque qui domesticis pravè vivendo offendiculo sunt: sciant peccata aliena multifariam incurri. *Festo S. Bartholomai §. 3.*

SABBATHO.

Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei, Pater peccavi in cœlum & coram te. Luca 15.

1. Omnium mirabilissimum conversio peccatoris, hanc tamen efficit contritio & pœnitentia, in quâ actus doloris & amoris Dei perfecti maximè commendantur, ut in praxin reducantur. *Festo S. Augustini §. 1. in initio & medio.*

2. Non est turpe retractare vitæ institutum in melius, uti & sententiam mutare, & judicium suum, viri sancti nos docuerunt. *Festo eodem §. 2. in fine.*

3. Non est contra honorem nostrum, si peccata nostra non tantum confessario, sed orbi toti nota esse velimus, certè sanctorum peccata in die judicii orbi manifestanda, non iis pudori erunt, sed honori. *Festo S. Augustini §. 2. in medio*

Cùm adhuc longè esset, vidit eum Pater ipsius & misericordia motus est. ibid.

Mansuetudinis Christianæ summa laus delinquentes recipere clementer, & in spiritu lenitatis tractare, hæc virtus decet præsertim Superiores, Patres familias, animarum curatores &c. *Festo S. Ignatii de Loyola. §. 3. à medio ad finem. & Festo S. Andrea §. 2. & 3.*

DOMINICA III.

IN QUADRAGESIMA.

Et cum accessit ad Dominum, locutus est mutus. Luca 11.

Pessimum vitium garrulitas, homines & maximè

mè Religiosos dedecet, silentium vero à scripturis & S.S Patribus summè commendatur; cùm tamen loquendum, adsit occasio, necessitas, urbanitas, & modestia. *Festo S. Brunonis* §. 2. *in initio & medio.*

Cùm fortis armatus custodit, atrium suum in pace sunt omnia quæ possidet. ibid.

Si in urbibus custodiæ sint necessariæ, multò magis in anima, quam pluta circumstant pericula; eam igitur fortissimo vigili custodiendam committamus tutelari Angelo, qui eam in pace servet. *Festo S. Michaelis in exordio* & §. 1. 2. & 3.

Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.

1. Deipara invocanda nobis semper, immensa enim sunt ejus merita, quibus meruit filium lactando, quàm Martyres tormenta patiendo. *Festo S. Annæ.* §. 1 *in initio.*

2. Virgo Deipara propitium est ac salutare signum invocantibus eam. *Festo Assumptæ Virginis in exordio & Festo Virginis Natæ* §. 4. *in fine.*

FERIA II.

Quando clausum est cœlum annis tribus & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra. Luca 4.

In ea sterilitate & fame, orante Elia pluit super terram, oratio enim cœlos aperit, & deducit in terras non solum pluviam, sed alia fluenta gratiarum. *De oratione in communi* §. 2. & 3.

Et repleti sunt omnes ira ibid.

1. Ira cohibenda; fœdissimum malum, ac hominem ratione præditum summè dedecens. Mansuetudo à Christo duce nostro imitanda. *Festo S. Ignatii de Loyola* §. 5.

Nihil servilius quàm iræ suæ se servum facere nec animo posse imperare, optimus verò triumphus, quam iræ suique victor animus sibi comparat. *Festo S. Ursula* §. .

FERIA III.

Si peccaverit in te frater tuus, vade corripe eum Mat. 18.

Unicuique mandavit Deus de proximo suo; parentibus de filiis, Dominis de famulis & ancillis, Superioribus de subditis. Videant ergò ii, ne remissione nimia & facilitate, ut Heli viam aperiant laxamentis & peccatis. *Festo S. Ignatii de Loyola.* §. 6.

2. Correptio moderata & paterna non repugnat mansuetudini, utramque prudens superior noverit conjungere. *eodem Festo.* §. 6. *in initio.*

3. Canibus mutis non valentibus latrare similes sunt ii qui videntes audientesque tacent & connivent in peccatis suorum. Sed hoc arguit exiguam in Deum ac D ominum fidem. *Festo S. Dominici* §. 2. *circa medium.*

Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. ibid.

Deus largitur dona, estque præsens congregatis in templo ad orandum. Nulla enim valentior utiliorque est oratio, quàm quæ fit à pluribus. *De oratione in communi* §. 1. & 2.

Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. ibid.

1. Christus longaminis & multum misericors, docet Confessarios in spiritu lenitatis pœnitentes excipere, maximè que peccatores qui magnis pœnitentiis obruendi non sunt. *Festo S. Andreæ* §. 2. & 3.

2. Discat & superior penès quem est plectendi potestas, induere personam mansueti patris, nec furore aut ira ad pœnas descendere, præterquam quòd mansuetudine plus quàm rigore impetretur. Deus mihi abundè exemplo suo suavitatem suadet. *Festo S. Ignatii de Loyola.* §. 3.

FERIA IV.

Quare transgredimini mandatum Dei. Matt. 15.

1. Mandata Dei gravia non sunt, nedum impossibilia, quin igitur ea servamus. In nobis ipsis, non in mandatis residet difficultas, ipse Christus jugum suum dixit esse suave, & leve fecit ferendo. *Festo S. Iacobi Majoris* §. 3. *in fine.*

Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.

2. Orationi locus aptus eligendus, ardor spiritus in orando adsit, qui evagationes mentis dispellat. *De oratione in communi* §. 3.

De corde enim exeunt cogitationes malæ.

3. Diabolus suggerere potest cogitationes malas, & ad peccandum allicere, sed non est solus; nobis ipsi tepiditate, corde evagando malorum maxima causa sumus. Diabolus instar canis ligatus latrare potest, mordere non potest nisi volentes. *Festo S. Ignatii de Loyola* §. 7. *à medio ad finem.*

FERIA V.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Lucæ 4.

1. Nullus in hac vita beatus esse potest, omnes enim ætates, genera, conditiones hominum, ac corporis membra innumeris exposita sunt miseriis. *Festo omnium Sanctorum* §. 1. & 2.

2. Infirmitas corporis plurimum conducit ad salutem animæ, præsertim si æquo animo feratur, & hoc modò sancti ad salutem morbis usi sunt. *Festo S. Laurentii.* §. 2. *in initio.*

3. Per morborum tolerantiam & spontaneam corporis macerationem homo vivus martyr dici potest, certoque exspectare pro afflictionibus cœlestes cosolationes. *Eodem Festo & paragrapho. & de Communi Martyrum* §.2.

4. Quòd in corporis morbis, etiam in animæ infirmitatibus usuvenit, ne magnis febribus teneatur, obstandum principiis, modicæ debilitates superandæ, exscindendi radices mali, citò adhibenda remedia. *Festo Visitationis Beatæ Virginis Mariæ* §.1.& 2.

Et rogaverunt illum pro ea.

Tempore publicæ calamitatis, & in quacumque necessitate recurrendum ad Sanctos, & maximè ad Patronos & Indigensos civitatum; illi enim communes preces exaudiunt, & sua apud Deum suffragatione juvant. *De oratione in communi* §.2. & 3.

FERIA VI.

IESVS ergo fatigatus ex itinere. Ioan 14.

1. Cùm Deus nos quærendo delassatus fuerit, decet nos allaborare servandæ animæ nostræ, & quantum licet a no iam saluti studere, cum vel una anima totius universi pretium excedat. *Festo S. Xaverii* §. 1.

2. Inter venatoris optimam prædam insectantis fatigatus JESUS, exemplo fuit Apostolis, & viris Sanctis venandi animas. *Festo S. S. Simonis & Iudæ* §.1.

3. Exemplo Christi & Apostolorum omnis generis, loci, status homines possunt venari animas. *eodem Festo* §.2.

Da mihi bibere. ibid.

JESUS sitiens salutis, nostræ præbibit nobis calicem passionis, exhauriamus strenuè quòd nobis propinat. *Festo S. Iacobi Majoris* §.1.

Venite & videte hominem, & exierunt ergo de civitate & veniebant ad eum. ibid.

Fœmina sæpe instrumentum pietatis est, etsi per mulieres multi perierunt, per easetiàm multi salvantur, multæ enim catechumorum magistræ & Apostolæ zelum animarum exercentes, multos exemplo Samaritanæ adducunt ad JESUM. *Festo Marianæ.* §.2. & 3. *& Festo Simonis & Iudæ* §.2. *ad medium.*

SABBATHO.

Sedens docebat eos. Ioann 8.

1. Doctrina Christi omnem in se virtutem continet. Hanc vixdùm natus nos docuit, utinam docile pactus habeamus. *in Solemnitate Natalis Domini* §.1.

2. Christi exemplo facti Doctores, Confessarii &c. animis hominum consulant, consilio enim & pia eruditione plures mundo renuntiarunt. *Festo S. Andreæ.* §. 1. *in fine.*

3. Doctrinam & consilia Confessariorum sequi debent pœnitentes summâ erga eos observantiâ. *eodem Festo* §. 4. *in fine.*

Hæc mulier modò deprehensa est in adulterio. ibid.

Omnis anima per fidem Deo desponsa, variè per peccatum ei fornicatur, dum sponti sui rivalem diabulum lenocinantem audit & sequitur. *Festo S. Theresiæ* §. 1. *circa finem.*

Mulier ubi sunt qui te accusabant ? nemo te condemnavit ? qua dixit, nemo Domine, dixit autem IESVS, nec ego te condemnabo, vade & jam amplius noli peccare.

Mulierem in flagitio deprehensam, accusatam, convictam JESUS suaviter compellat & morte liberat, relicto documento omnibus Superioribus, & animarum curatoribus, quantum præter spiritus lenitatis rigori justitiæ. *Festo S. Andreæ* §.2. *& Festo S. Ignatii de Loyola* §.5.

DOMINICA IV.

IN QUADRAGESIMA.

Sequebatur eum multitudo magna qui videbant signa. Ioannis 6.

Quàm pauci sequuntur Christum propter Christum ? vix est qui ei serviat gratis, eique fideliter in omnibus adhæreat. Nos inter paucos putamur esse Deo propter Deum servientes. *Festo S. Ignatii de Loyola* §.3. *in initio.*

Cùm cognovisset IESVS quia venturi erant, ut facerent eum regem fugit in montem ipse solus. ibid.

Difficilè est carere vanâ gloriâ, nam ex ipsis virtutibus enascitur sæpè. Huic malo tamen resistendum, Deoque laus omnis adscribenda. *Festo S. Ignatii de Loyola.* §. 1. *à medio ad finem.*

FERIA. II.

Cùm fecisset flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo. Ioann. 2.

Quantò digniores flagello, qui coram venerabili Eucharistia, in risus, fabulas, licentiam omnem effusi. *Festo dedicationis Ecclesiæ.* §.2.

Domus mea, domus orationis vocabitur. ibid.

Etsi Deus ubique orari possit in templis, tamen fusa oratio Deo gratior & efficacior. *Festo Dedicationis Ecclesiæ.* §.1.

FERIA III.

Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Joannis 7.

Christus docebat populum, ad hoc enim præcipuè venerat, omnesque dotes perfecti magistri possidebat; excellenter has expressit, tum per omnem vitam, tum in præsepio: illum igitur Doctorem audiamus & sequamur.

Doctrina Christi est facilis ad exercendum, facilia enim præcipit. *Festo S. Iacobi majoris. §. 3. ad finem.*

FERIA IV.

Venit nox, quando nemo potest operari. Joann. 9.

Tempus vitæ impendendum sedulò, nec virtutum exercitium procrastinandum, quàm citissimè verò peccatorum pœnitendum, domandæ pravæ affectiones animi. *Festo Visitationis B. Virginis Mariæ. §. 1. & 2.*

Nulla hora abeat sine profectu in virtute. *Festo S. Lucæ, in exordio.*

Deus peccatores non exaudit. ibid.

In oratione levemus puras manus ad Deum, hoc est, cum nitore animi & operibus bonis Deum oremus. *De oratione in communi. §. 1.*

In peccatis natus es totus, & tu doces nos. ibid.

Optimè docet nos Paulus ne simus prudentes apud nosmetipsos, quantumvis sapere sibi quis videatur, consiliario opus habet. *Festo S. Ignatii de Loyola. §. 2. ad medium.*

Tu credis in filium Dei. ibid.

Fides radix omnium virtutum præcipuo studio Christianis exercenda: vera tamen fides apud paucos invenitur, cujus defectu tot peccata ab hominibus perpetrantur. *Festo S. Thomæ per totum.*

Procidens adoravit eum. ibid.

Corporis compositio non parum juvat ad orationem humiliter, ferventer, efficaciterque fundendum. *De oratione in communi.*

FERIA V.

Ecce defunctus efferebatur. Lucæ. 7.

1. Ii qui vita functi sunt, sublevatione egent, suntque sæpè in flammis piacularibus, quibus eos ex obligatione tenemur excipere. Utilissimum verò est satisfactiones suas applicare animabus non sibi reservare. *Festo animarum fidelium per totum.*

2. Mors humanæ fragilitatis nos admonet, estque speculum ad quod mores efformandi; hujus frequens meditatio mors vitiorum & vita virtutum est: cujus consideratione præsertim religiosi discunt mundo mori. *Festo B. Borgiæ per totum.*

Noli flere. ibid.

Multi flent minimè flenda, ut suorum mortes; ubi verò maximè flendum in morte animæ, vix una funditur lacrymula. *Festo S. Dominici. §. 3. circa medium.*

Tibi dico surge. ibid.

Sibi hoc quivis peccator dicat, cumque statim possit surgere ex statu vitiorum, non differat de die in diem pœnitentiam, passionum resecationem, virtutis exercitia. *Festo Visitationis Beatæ Virginis. §. 2.*

FERIA VI.

Ecce quem amas, infirmatur. Ioann. 11.

Deus amicos suos permittit affligi, persecutiones, tormenta, cum Martyribus pati, ut consoletur uberius & coronet. *Festo S. Catharinæ Virginis & Martyris. §. 2. à medio ad finem, & de communi Martyrum per totum.*

In morbis virtus elucet, & palam fit quid Dei caussa ferre valeamus. *Festo S. Laurentii. §. 2. ab initio ad medium.*

Infirmitas hæc non est ad mortem. ibid.

Deus non ad mortem, sed ad salutem nostram morbos immittit. *Iisdem Festis.*

Diligebat autem IESVS Martham, & Mariam, & Lazarum. ibid.

1. Amicitia res admodum inter homines pretiosa, ipsiusque Christi exemplo laudabilis, sed quales in amicitiam recipiendi, ab eodem discamus. *Festo S. Ioannis Evangelistæ. §. 1.*

2. Vivamus ita, ut diligi à Christo mereamur potiùs quàm ab hominibus, horum enim favor vanus est, nec tanti, ut ob eum displiceamus Deo, vix enim ab hominibus & Deo amari possumus. *Festo S. Ignatii de Loyola. §. 3.*

Lazarus amicus noster dormit. ibid.

Ex lecti consideratione tumuli memoria suscitanda sæpè; si enim mors à Christo somnus dicitur exiguum inter se differunt. Certè utriusque meditatio non parum utilis esse potest. *Festo S. Laurentii. §. 3. in medio.*

Credis hoc. ibid:

Ratio præcipua cur vitia inter Chriſtianos regnent contemptuſque divinorum, veræ fidei defectus eſt. Hæc nobis unicè exercenda, non ſolùm in divinis, ſed & in humanis. In curiâ, foro, contractibus, mercibus, &c. *Feſto S. Thomæ Apoſt. in Exordio & §. 2.*

Vocavit ſororem ſuam ſilentio, ibid.

Inſignium fructuum radix ſilentium, nam & orationis, illuſtrationis internæ, bonarum cogitationum mater eſt, cuſtodia virtutum; modela vitiorum. *Feſto S. Brunonis. §. 2. ab initio ad medium.*

Illa ut audivit ſurrexit citò. ibid.

1. Citò ſine cunctatione inſiſtendum virtutibus, non comperendinandum in operibus bonis: idque ſuo exemplo Sancti nos docuerunt, *Feſto Viſitationis B. Virginis Mariæ. §. 1.*

2. Beneficia ſine dilatione, ſive in vivos, ſi-defunctos conferenda. *Eod. feſt. §. 2. & 3,*

Et lacrymatus eſt Ieſus ibid.

Chriſtus hominum causâ, nunquam ſuâ flevit: quanto juſtiùs nos noſtrâ causâ lacrymari decet, ſæpiùſque contritionis & amoris actus ejicere. *Feſto S. Auguſtini. §. 1. à medio ad finem, & S. Dominici. § 3 ad medium.*

Ecce quomodo amabat eum. ibid.

Amari & non redamare barbarum eſt : contendendum eſt ergo Chriſtianis , ut amantem Deum redament, ſi non ex æquo, ſaltem quàm poſſunt maximè. Poſſunt autem homines , & porrò debent Deum amare. *Feſto S. Ioannis Evangeliſtæ. §. 1. & S. Auguſtini. §. 4. poſt medium.*

SABBATHO.

Ego lux ſum mundi. Ioann 8.

Mundus ante Chriſti adventum in peccati tenebris jacebat; Chriſtus autem lux vera humilitatis, paupertatis, ceterarumque virtutum radiis, tenebras diſpulit ignorantiæ erroris, &c. *In ſolemnitate Natalis Domini. §. 1.*

Chriſtus lux & Dux mundi eſt prælucens & ducens. Hunc ſequantur patres familias, ſuperiores, &c. ſuiſque bono exemplo ſint. *Feſto S. Ignatii de Loyola. §. 1 in initio, & feſto S. Bartholomæi. §. 2. à medio ad finem.*

Qui ſequitur me non ambulat in tenebris. ibid.

1. Chriſtiani Chriſti apiarium ſumus, debemus igitur Chriſtum Regem ſequi & ſapientiæ, induſtriæ, laboris exempla ſectari. *Feſto S. Bernardi in Exordio, & §. 2. & 3.*

2. Felices qui ſe tegi ſinunt à Chriſto divino aurigâ in præceps non ruent, utpote qui à patre luminum regantur. Sic Præſides, Prętores, Prælati, Parentes, ita regant, ut non in præceps cum ſuis labantur, ſtudeantque Conſeſſarii aurigæ animarum, ut manſuetè, prudenter, dexterè ſuos in cœlum deducant. *Feſto S. Andreæ. §. 2. & Feſto S. Eliæ §. 2.*

DOMINICA PASSIONIS.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi Ioann. 8.

Ne & illa verba in nos cadant cùm JESUS ſit Magiſter nobis à Deo datus, docilem & cultui patientem animum ei præbeamus, quæq; ab ipſis incunabulis nos docuit, exequamur. *In ſolemnitate Natalis Domini. §. 2.*

Ego autem non quæro gloriam meam. ibid.

Cum Chriſtus nec ſuam laudem , nec hominum favorem , ſed Dei gloriam ubique ſpectaverit, eidem & nos opera noſtra conſeciemus. *Feſto S. Ignatii de Loyola. §. 3. in medio & fine.*

FERIA II.

Quæritis me & non invenietis. Ioann. 7.

Quæramus Deum dum inveniri poteſt, & vitam noſtram ejuſque partes omnes pretioſiſſimas omni ſedulitate Deo impendamus , ne cùm voluerimus ſero non valeamus. *Feſto Viſitationis B. V. Mariæ. §. 1.*

Si quis ſitit veniat ad me & bibat. ibid.

Chriſtus ad ſe omnes vocat ut bibant, cùm ipſe ſit vinum cœleſti dulcedine animam inebrians, & ſitim univerſi orbis ſedans. *Feſto S. Annæ. §. 2. in fine.*

FERIA III.

Tempus veſtrum ſemper paratum eſt. Ioann. 7.

Pretioſiſſimam rem tempus dum vivimus ſemper paratum habemus: ne igitur ſine fructu tranſigatur irrecuperabile bonum , ſed indies aliquid pii operis præſtemus, neque ſalutis negotia in incertum differamus. *Feſto S. Lucæ in Exordio, & Feſto Viſitationis B. Virginis. §. 1.*

Non poteſt mundus odiſſe vos, me autem odit, quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala ſunt.

Mirum non eſt , quod mundus Chriſtum odio proſequatur ; ad hoc enim venerat ut perverſa ejus dogmata everteret , & concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum & ſuper-

& superbiam vitæ vixdum natus, & per omnem vitam redargueret exemplo & doctrina; nos igitur Christiani Christ; non mundi dogmata sequamur. *in Solemnitate Natalis Domini* §. 1. & 2.

Vos ascendite ad diem Festum istum.

Veteæ Religionis homines solemnes dies & Festa urbis annua, conscientiâ potius quam lasciviâ celebrant. Væ igitur iis qui Festum Dedicationis templi, compotationibus, saltationibus, & ceteris dedecentioribus studiis non colunt sed dedecorant. *Festo Dedicationis templi.* §. 2.

FERIA IV.

Oves meæ vocem meam audiunt. Ioann. 10.

1. Ut agnoscamus quòd de ovibus Christi simus, audiamus vocem & doctrinam docentis sequamur. *in Solemnitate Natalis Domini* §. 1. & 2.

2. Christiani audiant vocem Confessarii sui & sequantur, ut oves pastorem: *Festo S. Andreæ* §. 1. *in fine.*

3. In negotio præsertim animæ habeat quivis quem consulat, quemque ut Deum, sequatur. *Festo S. Ignatii* §. 2. *ab initio ad medium.*

Operibus credite. ibid.

Quantum verbis præstent opera, Christus & Sancti satis docuerunt, præsertim in arduis perferendis. Nunquam nobis deerunt ad quorum exemplar nos conformemus.

FERIA V.

Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix. Luc. 7.

Mulieres variis modis peccatrices fiunt & à Deo punitæ sunt, & porro punientur.

1. Faciem ostendere fucando ad illicium spectatorum. *Festo S. Lucæ* §. 2.

2. Capillos vanè alendo & tingendo *Festo S. Mariæ Magdalenæ* §. 1. & 3.

3. Luxu vestium & cultu corporis lascivo. *Festo S. Martini* §. 2. & 3. & *S. Bartholomæi.* §. 3. *à medio ad finem.*

Ut cognovit. ibid.

Exemplo hujus peccatricis, ut cognoscimus statū animæ nostræ periculosum, sine procrastinatione pœnitendum, Deoque cor pulsanti illico aperiendum, transeat à nobis, nunquam dein rediturus. *Festo Visitationis Beatæ Virginis* §. 1.

Attulit alabastrum unguenti &c. ibid.

Hæc peccatrix instrumenta fovendæ formæ abjicit, cognovit enim quàm facilè bonum & fragile sit forma ejusque cultus, quo displicet animæ auctori sui. Ornare porrò salubriter banc instirit, & pingere Deo placituram. Hoc nulli non imitandum. *Festo S. Lucæ.* §. 3.

Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. ibid.

1. Lacrymæ spongia sunt peccatorum. Non tamen ad eorum mensuram metienda contritio, quæ sæpe exercenda. *Festo S. Augustini* §. 1.

2. Maxima vis est lacrymarum: etsi enim nihil majus sit martyrio fuso pro Christo sanguine, Martyribus similis est peccatrix anima fundendo lacrymas. *eod. Festo* §. 1. *in fine*

Et capillis capitis sui tergebat. ibid.

1. Hæc mulier pœnitens, Christi pedes iis capillis tergebat, quibus animas irretiebat. Dignum exemplum, ut sicut exhibuimus membra nostra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibeamus ea servire justitiæ ad sanctificationem. *Festo S. Mariæ Magdalenæ* §. 2.

2. Sæculares omnes Christi pedes tergere possunt, pauperes, Religiosos, Missionarios, qui Christi pedes sunt, juvando, Domini vestigia sectando, rectè vivendo. *eod. Festo* §. 2. *in fin.*

Remittuntur ei peccata multa quia dilexit multum. ibid.

1. Ut & nobis remittantur peccata doleamus & amemus multum, amoris & contritionis actus sæpè exercendi. *Festo S. Augustini.* §. 1. *per totum.*

2. Conversio peccatoris vel peccatricis miraculorum maximum. *Festo S. Matthæi* §. 3. *in initio* & *Festo S. Augustini* §. 1. *in initio.*

FERIA VI.

Quid facimus quia hic homo multa signa facit. Ioann. 11.

Ingratus Pharisæorum animus erga Christum nobis detestandus. Ejus in nos beneficiorum memoriam servemus. *Et reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia* (quæ S. Bernardus Angelo custodi tribuit) Deo jure majori ut possumus persolvamus. *Festo Michaëlis* §. 4.

Ab illo ergo die cogitaverunt eum interficere. ibid.

Christus innocentissimus à concilio Judæorum condemnatus quæsitusque ad necem, solatio est omnibus immeritò oppressis, pupillis, orphanis &c. *Festo Sanctorum Innocentium.* §. 2.

SABBATHO.

Volumus IESVM videre. Ioann. 12.

Utinam hoc desiderium in pectore foverent, formæ suæ amantes, nec lascivo corporis habitu dom studentt hominibus placere, displiceant speciosò præ filiis hominum Christo JESU, & sempiternas inutili labore pœnas sibi accersant. *Festo S. Martini. §. 2. & 3. & Festo S. Mariæ Magdalenæ. §. 3.*

Qui amat animam suam, perdet eam. ibid.

1. Pudeat delicatos Christianos adeò carnem suam blandè & molliter tractare, ubi videot homines ex eadem massa concretos carnem suam crucifigere. *Festo S. Theresiæ §. 3. in medio. Festo S. Brunonis §. 2. à medio ad finem.*

2. Nimia corporis cura uti animæ nocet, sic prudens maceratio juvat. Afflictiones verò aliundè etiam advenientes æquo animo perpessæ, animam in Deum erigunt. Errant graviter hæretici pœnitentias execrantes. *Festo S. Laurentii. §. 1.*

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. ibid.

Ut proferat virtutum fructus anima, mortificationibus, afflictionibus &c. quotidie mori debet. *Festo B. Francisci Borgiæ. §. 3. & S. Francisci Xaverii. §. 3. in medio.*

DOMINICA PALMARUM.

Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. 21.

Reges, Magistratus; animarum rectores maximè decet mansuetudo, quâ res publicæ & privatæ stabiliuntur. Hos Christus præcedit exemplo ne pigeat sequi. *Festo S. Ignatii de Loyola. §. 5.*

Sedens super Asinam & pullum. ibid.

Discat & corpus nostrum, pullus asinæ, animam ferre ejusque imperium pati. Anima verò frœna mortificationis non laxet, ne se & corpus perdat. *Festo S. Theresiæ §. . in medio. Festo S. Laurentii §. 1. in medio. & Festo S. Dominici. §. 3. ad medium.*

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via. ibid.

Vestimenta Christo substernimus cùm pauperes nudos vestimus. Quòd utinam intelligeretur ab iis, quibus non sine spectantium offendiculo superfluus & lascivus vesti cultus magnis opum impendiis comparatur, dum interim in paupere Deus & anima virtute nudata destituitur. *Festo S. Martini. §. 1. & 4. ab initio ad medium.*

Et qui præibant & qui sequebantur clamabant Hosanna. ibid.

Uti nihil æquè animam in Deum elevat ac versus & hymni piè modulati, & divina cantica in templis à Sacerdotibus & religiosis decantata. Ita obscœnæ cantilenæ animas incantant, castitatem lædunt, suntque lenocinia vitiorum: remedia contra hoc malum, aures occludere, cantatrices non accedere, optimû verò cantilenas cum suis sirenibus proscribere. Salubriter tamen puellæ catechumenæ in catechismis pias odas decantant. *Festo S. Cæciliæ per totum. & Festo S. Brunonis. §. 3.*

FERIA II.

Domus impleta est ex odore unguenti. Ioann. 1.

Nullos odor melior quàm virtutum & boni exempli, quo patres familias totam domum implere debent. *Festo S. Bartholomæi. §. 1. à medio ad finem.*

Dilexit ergo unus ex discipulis ejus Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus, quare hoc unguentum non venit trecentis denariis.

Sectatores Judæ avari omnes; ponunt beatitudinem in pecuniâ, sed perversè, eorum enim vita misera est. Et præterquam quòd virtutes si quas habeant iis nihil prosint, impossibilis propè est eorum conversio. *Festo S. Matthiæ. per totum.*

Pauperes semper habetis vobiscum. Ibid.

Dum pauperes, viduas, pupillos habemus, occasionē simul habemus per eleemosynas & misericordiæ opera thesaurum comparandi in cœlis Itaque quàm possumus citissimè egenis subveniamus. *Festo Visitationis Beatæ Mariæ. §. 2 in fine. & §. 3. in fin. & Festo S. Martini. §. 1. in initio.*

FERIA III.

Passio Domini IESV Christi.

1. Agnoscat homo pretium animæ suæ Christi sanguine redemptæ, & quod ille fecit & tulit pro alienâ discat quivis imitari pro suâ. *Festo S. Francisci Xaverii §. 3. circa finem. & de communi Martyrum §. 1. & 2. Festo S. Iacobi Majoris. §. 1. & 3.*

2. Christi patientis memoria in pectore gestanda cum S. Bernardo. *Festo S. Bernardi §. 3. ad finem.*

FERIA V.

Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Ioann. 13.

Christus dilexit nos constantissimè usque ad finē, ut à nobis reciprocè diligeretur. Quòd si ejus merita

merita in nos compensare non possumus, gratanter possumus agnoscere. *Festo S. Ioannis Evangelistæ* §. 1. *ab initio ad medium.* *Festo. S. Michaelis* §. 4 *in initio.*

Exemplum dedi vobis ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. ibid.

1. Nihil in vita humanâ efficientius ad omnem virtutem bonis exemplis. Christi itaque virtutes quoad licet sectemur. *Festo S. Iacobi Majoris* §. 1. & 2. *ab initio ad medium.*

2 Studeant parentes, curatores animarum &c. suis prælucere bonis exemplis, ne si iis offendiculolo sint, prave vivendo, à Deo gravissime puniantur. *F. sto S. Bartholomei.* §. 2. *à medio ad finem.* & §. 3.

FERIA VI.

IN PARASCEVE

VIDE DOMINICAM PALMARUM.

SABBATHO.

Vespere autem Sabbathi qua lucescit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalena & altera Maria videre sepulchrum. Matt. 26.

Ecce mulieres fortes præ viris Christum nullo milirum metu quærunt, adeo omnis sexus, ætas, conditio ad Dei cultum virtutesque exercendas apta. *Festo B Mariæ Natæ.* §. 3.

Respondens autem Angelus dixit mulieribus, nolite timere vos. ibid.

Fervidis & piis animis nihil timendum, dum solum Deum quærunt. Neque Dæmon est metuendus fervidis Dei cultoribus, sed tantum tepidis. *Festo S. Ignatii de Loyola.* §. 7.

Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes. ibid.

Paveant qui Deum non quærunt propter Deum, sed aliis titulis se ipsos, non quæ JESU Christi sunt quærunt, dormientes, languidi, molles Catholici. *Festo S. Theresiæ* §. 3. *in medio.*

FINIS.



